BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 N
H 10

R. P. F. VINCENTII
CONTENSON
ORDINIS PRÆDICATORUM

Provinciæ Toloſanæ, Sacroſanctæ Theologiæ Doctoris

THEOLOGIA
MENTIS ET CORDIS:

SEU

SPECULATIONES UNIVERSÆ DOCTRINÆ ſacræ, quibus omnia, quæ ad profundiſſimam Theologiæ Speculativæ intelligentiam, fundamentalem Practicæ ſcientiam, acutiſſimam Polemicæ diſſertationem, piiſſimum Affectivæ exercitium, copioſam denique Oratoriæ facundiam pertinent, ſtylo fertili, grata facundia, clara & firma ſententiâ diſſeruntur:

Ita ut ſingularem Doctrinæ puritatem ex ſacræ Scripturæ fontibus: ex SS. Patribus, Auguſtino & Thoma Doctore Angelico potiſſimùm, ſententiarum gravitatem ac veritatem; ſuaviſſimum denique cœleſtis Doctrinæ ac pietatis affectum ex probatis myſticiſque Auctoribus decerptum,

Theologi non modò & verbi divini Præcones; ſed animarum etiam Paſtores & Confeſſarii ad omnimodam ubertatem poſſint haurire.

EDITIO NOVISSIMA, PERUTILI SUPPLEMENTO,

De Extrema Unctione, Ordine & Matrimonio,

hactenus plurimum deſiderato, aucta & locupletata

In duos Tomos commodius diviſa, duplici Indice Capitum, Rerum & Verborum, Concionibus formandis perutili exornata, & à plurimis mendis, ac vitiatis citationibus emendata.

TOMUS SECUNDUS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud VVILHELMUM & FRANCISCUM METTERNICH, An der Hohen Schmidt. ANNO M. DC. LXXXVII.

Cum Privilegio ſacræ Cæſareæ Majeſtatis.

IHS

INDEX

DISSERTATIONVM, CAPITVM, SPECVLATIONVM ET REFLEXIONVM,

Quæ in hoc Secundo Tomo continentur.

NVMERVS PAGINAM DENOTAT.

LIBER NONVS.

DE Deo homine: ſeu de Myſterio Incarnationis. pag 1.

PRÆLOQUIUM Oeconomia hujus Tractatus. ibid.

DISSERTATIO PRÆAMBULA.

COmmendatio veri Meſſiæ. p. 2.

CAPUT I. Poſſibilitas Incarnationis adverſùs Gentes & Judæos demonſtratus. ibid.

SPECUL. I. Tam excelſum & ſublime eſt Incarnationis Myſterium, ut illius poſſibilitatem ratio humana nec demonſtrare, nec ſuſpicari poſſit ante fidem. ibid.

REFLEXIO. 3

SPECUL. II. Poſſibilitas Incarnationis per Fidem ſemel detecta, poteſt cùm adverſùs Gentes, tùm adverſus Judæos evidenter defendi. ibid.

REFLEXIO. 5

SPECUL. III. Nihil indecorum in Incarnationis Myſterio, ſed innumeræ convenientiæ effuſiſſimè elucent, & certatim conſpirant. ibid.

Dominica Incarnatio fuit etiam maximè conveniens humano generi. 7

Quod Incarnatio fuerit conveniens Univerſo. 8

REFLEXIO. ibid.

CAPUT II. Exiſtentia & adventus Meſſiæ adverſus Judæos demonſtratur. ibid.

SPECUL. I. Exiſtentia Incarnationis jam peractæ poteſt evidenter ſuaderi Judæis, ita ut ſint inexcuſabiles. ibid.

Refelluntur excuſationes Judæorum. 10

REFLEXIO. 11

SPECUL. II. Exhibentur tragœdiæ Judaïcæ calamitas. ibid.

Reflexio & apoſtrophe ad Judæos. 12

SPECUL. III. Inſtauratur ratio ex his pœnis. 13

REFLEXIO. ibid.

DISSERTATIO II.

DE neceſſitate & cauſis Dominica Incarnationis. p. 14.

CAPUT I. An & quomodo Incarnatio neceſſaria fuerit. ibid.

SPECUL. I. Opus Incarnationis fuit abſolutè & ſimpliciter Deo liberum. ibid.

REFLEXIO. 15

SPECUL. II. Ad condignam ſatisfactionem pro peccato mortali fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio, nec pro eo potuit purus homo ſatisfacere. ibid.

Fit ſatis objectis. 16

REFLEXIO. 17

SPECUL. III. Non fuit neceſſaria Incarnatio ad condignè ſatisfaciendum pro peccato veniali, pro quo poteſt homo juſtus ſatisfacere. 18

REFLEXIO. 19

CAPUT II. De cauſis Incarnationis. ibid.

SPECULAT. I. Unicum Incarnationis motivum fuit redemptio generis humani: unde Adamo non peccante, Verbum minimè Incarnatum eſſet. ibid.

REFLEXIO. 21

SPECUL. II. Solutis objectis mirificatur Dei miſericordia, & expediuntur quædam difficultates appendices. ibid.

REFLEXIO. 23

SPECUL. III. Solus Deus cauſa efficiens Incarnationis: nec ab ulla creatura cauſari potuit unio hypoſtatica, vel principaliter, vel inſtrumentaliter. 24

REFLEXIO. 25

DISSERTATIO III.

DE eſſentia Incarnationis. p. 25.

CAPUT I. In quo conſiſtat unio hypoſtatica. ibid.

SPECUL. I. Actio unitiva humanitatis cum Verbo fuit ſimul productiva humanitatis, & creativa animæ. Ex vi ejus nullus eſt productus nexus medius. 26

Rejicitur nexus medius. 27

Conſectaria deducta. 28

REFLEXIO. 29

SPECUL. II. Humanitas Chriſti per ſe primò ad ſubſtantiam relativam Verbi, ſecundariò verò ad exiſtentiam divinam aſſumpta eſt. 30

In Chriſto eſt unica exiſtentia. 31

REFLEXIO. 32

SPECUL. III. Tam intima eſt Verbum inter & humanitatem unio, ut quæ de Deo dicuntur, de homine poſſint enuntiari, & viceversâ, verâ idiomatum communicatione. ibid.

REFLEXIO. 34

CAPUT II. De cauſis intrinſecis Incarnationis. ibid.

SPECUL. I. Prælibantur nonnullæ difficultates de poſſibili circa unionem hypoſtaticam. ibid.

REFLEXIO. 38

SPECUL. II. Sola perſona Filii convenienter aſſumpſit : ſola natura humana convenienter aſſumpta eſt. ibid.

REFLEXIO. 40

SPECUL. III. Verbum Divinum aſſumpſit ſibi humanitatis omnes partes, & præcipuè ſanguinem ; nonnullos etiam defectus corporis & animæ. ibid.

Quinam defectus aſſumpti? 41

REFLEXIO. 43

DISSERTATIO IV.

De prædeſtinatione & gratia Chriſti p. 43.

CAPUT I. De eximia Chriſti prædeſtinatione. ibid.

SPECUL. I. Chriſtus ut homo, ſeu ratione humanæ naturæ prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem. ibid.

REFLEXIO. 45

SPECUL. II. Prædeſtinatio Chriſti eſt ita gratuita, ut Incarnatio non potuerit cadere ſub merito Chriſti, nec Sanctorum ; aliter tamen & aliter. ibid.

REFLEXIO. 47

SPECUL. III. Prædeſtinatio Chriſti uſque adeò cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis, ut merita Chriſti ſint cauſa noſtræ prædeſtinationis. ibid.

REFLEXIO. 49

CAPUT II. Privilegia gratiæ Chriſti. 50

SPECUL. I. In Chriſto eſt gratia & ſanctitas ſubſtantialis à Divinitate , & à ſubſiſtentia Divini Verbi formaliter proveniens. ibid.

REFLEXIO. 51

SPECUL. II. Anima Chriſti fuit inſuper gratiâ habituali decorata. ibid.

REFLEXIO. 54

SPECUL. III. In Chriſto eſt gratia capitalis, de cujus plenitudine omnes accipiunt, exceptis infidelibus & damnatis : Angeli quoque gratiam , vel gloriam eſſentialem ab eo non derivarunt. 55

Solvuntur objectiones. 56

REFLEXIO. 58

DISSERTATIO V.

De virtutibus, merito & ſatisfactione Chriſti. p. 59.

CAPUT I. De Chriſti virtutum omnium & donorum comitatu. ibid.

SPECUL. I. Fuerunt in Chriſto omnes virtutes morales per ſe infuſæ, ipſi non repugnantes ; omnes etiam per ſe acquiſibiles ordinis naturalis. ibid.

REFLEXIO. 60

SPECUL. II. Virtutes morales per ſe acquiſibiles fuerunt in Chriſto propriis actibus in primo inſtanti comparatæ, non verò per accidens infuſæ. ibid.

REFLEXIO. 61

SPECUL. III. In Chriſto pariter fuerunt tum omnes gratiæ gratis datæ, tum ſeptem dona Spiritus ſancti. ibid.

REFLEXIO. 62

CAPUT II. De profluentia meriti & ſatisfactionis Chriſti. 63

SPECUL. I. Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, gratiam verò vel gloriam eſſentialem mereri non potuit : Nobis autem omnes prædeſtinationis effectus. ibid.

REFLEXIO. 64

SPECUL. II. Opera Chriſti non ſolùm extrinſecâ Dei acceptatione , ſed etiam ex intrinſeco pretio infiniti valoris erant tum ad merendum , tum ad ſatisfaciendum. 65

REFLEXIO. 66

SPECUL. III. Satisfactio Chriſti Domini fuit actus ſtrictæ & rigoroſæ juſtitiæ. 67

REFLEXIO. 70

DISSERTATIO VI.

De dotibus intellectui & voluntati Chriſti eximiis. p. 71.

CAPUT I. Privilegia triplicis ſcientiæ Chriſti. ibid.

SPECUL. I. Intellectus humanus Chriſti fuit à primo conceptionis momento ſcientiâ beatâ illuſtratus, quâ omnia præterita , præſentia & futura dignoſcebat. ibid.

REFLEXIO. 73

SPECUL. II. Fuit etiam ſcientia indita in Chriſto quatuor prærogativis donata. ibid.

REFLEXIO. 77

SPECUL. III. In Chriſto fuit ſcientia acquiſita, quam propriis actibus ſucceſſivè comparavit. ibid.

REFLEXIO. 77

CAPUT II. De voluntate & libertate Chriſti , libertatiſque cum impeccabilitate concordia. ibid.

SPECUL. I. In Chriſto Domino non ſolùm non fuit peccatum, ſed etiam fuiſſe, contradictionem implicat. 80

REFLEXIO. 83

SPECUL. II. Non obſtante Chriſti impeccabilitate voluntas Chriſti libera erat etiam in obſervatione præceptorum à Patre ſibi impoſitorum. ibid.

REFLEXIO. 84

SPECUL. III. Eadem concordia ſolutione objectionum firmatur, & illuſtratur. 85

Solvitur alia objectio æquè difficilis. 87

REFLEXIO. 89

LIBER DECIMVS.

De Deo converſante ; ſeu de œconomia vitæ, mortis & gloriæ Redemptoris. p. 90

Praloquium. ibid.

DISSERTATIO I.

De ſpecialibus Chriſti attributis & officiis. ibid.

CAPUT I. Varia Chriſti erga Patrem officia diſcutiuntur. ibid.

SPECUL. I. Chriſto ut homini convenit eſſe ſervum ſubjectum Patri. 91

REFLEXIO. ibid.

SPECUL. II. Chriſtus non poteſt dici Filius Dei adoptivus ſecundùm humanam naturam ; ſed eſt ſimpliciter filius naturalis. 92

REFLEXIO. 93

SPECUL. III. Chriſtus eſt noſter Advocatus, Mediator, & Sacerdos in æternum. 94

Eminen-

Eminentia Sacerdotii Chriſti. ibid.
REFLEXIO. 95
CAPUT II. De triplici quod Chriſto debemus obſequio. 96
SPECUL. I. Chriſto debetur latriæ cultus, & adoratio. ibid.
REFLEXIO. 97
SPECUL. II. Sacris Chriſti & Sanctorum Imaginibus relativus cultus debetur, & religioſè exhibetur. 98
Per modum objectionum variæ appendices difficultates explanantur. 100
REFLEXIO. 104
SPECUL. III. Chriſto debemus amorem, debemus & imitationem. ibid.
REFLEXIO. 106

DISSERTATIO II.

De *infantia Salvatoris.* 106
CAPUT I. De his quæ pertinent ad conceptionem Chriſti. 107
SPECUL. I. Convenientiſſima fuit materia conceptionis corporis Chriſti: convenienter etiam genealogia ejus deſcripta. ibid.
REFLEXIO. 108
SPECUL. II. Conceptio corporis Chriſti convenienter Spiritui ſancto attribuitur. ibid.
REFLEXIO. 109
SPECUL. III. Multa miracula in illa Verbi Incarnati conceptione nitent. 110
REFLEXIO. 111
CAPUT. II. De Nativitate Chriſti. 111
SPECUL. I. Chriſto Domino attribuenda eſt nativitas temporalis. ibid.
REFLEXIO. 113
SPECUL. II. Deſcribuntur Chriſti naſcentis circunſtantiæ. ibid.
Quæres quot, quales fuerint illi Magi? 114
Quæres rurſum unde oriundi erant illi Magi? 115
Quæres demùm, quid & qualis fuerit ſtella Magis apparens? ibid.
REFLEXIO. ibid.
SPECUL. III. Legales cæremoniæ convenientiſſimè in puero Jeſu obſervatæ ſunt. ibid.
REFLEXIO. 117

DISSERTATIO III.

De *converſatione Chriſti.* 118
CAPUT. I. De Baptiſmo, modo vivendi, & tentatione Chriſti. ibid.
SPECUL I. Convenientiſſimè Chriſtus baptizatus eſt Baptiſmo Joannis. ibid.
REFLEXIO. 120
SPECUL II. Modus vivendi & converſandi, quem tenuit Chriſtus, convenientiſſimus fuit. ibid.
REFLEXIO. 121
SPECUL. III. Repræſentantur convenientiæ & circunſtantiæ tentationis Chriſti. 121
REFLEXIO. 123
CAPUT II. De doctrina & prædicatione Chriſti. ibid.
SPECUL. I. Chriſtus ſuâ publicâ doctrinâ veris Prædicatoribus typum dedit. ibid.
REFLEXIO. 124
SPECUL. II. Chriſtus doctrinam ſuam ſcriptis non commendavit, & quidem convenientiſſimè. ibid.
REFLEXIO. 125
SPECUL. III. Occaſione nullius à Chriſto exarati libri, apologia pro Authoribus Cyriacis, ſeu Dominicanis, adverſus Petrum à Valleclauſa adornatur. ibid.
REFLEXIO. 131

DISSERTATIO. IV.

De *Paſſione & Morte Chriſti.* p. 132
CAPUT I. Exceſſus & cauſæ paſſionis & mortis Chriſti. ibid.
SPECUL. I. Quadruplex exceſſus in paſſione Chriſti, nimirum triſtitiæ, abjectionis, doloris & amoris. ibid.
Primus exceſſus. ibid.
Secundus exceſſus. 133
Tertius exceſſus. 134
Quartus exceſſus. ibid.
REFLEXIO. 135
SPECUL. II. Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum in quatuor cauſis operis Redemptionis nitent. ibid.
Latitudo charitatis. 136
Longitudo cauſalitatis. 137
REFLEXIO. 138
SPECUL. III. Proſequutio ejuſdem materiei: ſublimitas & profundum paſſionis Chriſti exponuntur. 139
REFLEXIO. 141
CAPUT. II. Circumſtantiæ & fructus paſſionis, & mortis Redemptoris. ibid.
SPECUL. I. Septem circunſtantiæ concomitantes paſſionem Chriſti ponderantur. 142
REFLEXIO. 144
SPECUL. II. Proſequutio ejuſdem materiei. ibid.
REFLEXIO. 145
SPECUL. III. Expenduntur circunſtantiæ mortem Chriſti conſequentes. 146
REFLEXIO. 149

DISSERTATIO V.

De *exaltatione Chriſti.* 150
CAPUT I. Gloria Reſurrectionis, & triumphus Aſcenſionis Chriſti. ibid.
SPECUL. I. Reſurrectio Chriſti fuit neceſſaria. ibid.
REFLEXIO. 151
SPECUL. II. Reſurrectionis Chriſti gloria, manifeſtatio, efficacitas exponuntur. 152
REFLEXIO. 154
SPECUL III. Admirabilis Aſcenſionis Chriſti neceſſitas, & gloria exponuntur. 155
REFLEXIO. 156
CAPUT. II. De potentia & miraculis Chriſti. 157.
SPECUL. I. Humanitati aſſumptæ non quidem omnipotentia, ſed excellentiſſima poteſtas collata eſt. ibid.
REFLEXIO. 158
SPECUL. II. Miraculorum Chriſti gloriâ expanſâ, virtus ejus thaumaturga declaratur. 158
REFLEXIO. 162
SPECUL. III. Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum Phyſicum miraculorum & cujuſvis gratiæ. ibid.
REFLEXIO. 164

DISSERTATIO VI.

M*arialogia, ſeu de incomparabilibus Deiparæ Mariæ Virginis dotibus.* 165
CAPUT I. Privilegia naturæ, gratiæ, & gloriæ eximia Mariæ. ibid.
SPECUL. I. Perſtringuntur naturales Mariæ perfectiones. ibid.
REFLEXIO. 167

SPECUL. II. Duodecim Mariæ gratiarum prærogativæ proponuntur, & ſuadentur. ibid.
REFLEXIO. 170
SPECUL. III. Immenſum Marianæ gloriæ, & felicitatis pondus. 171
REFLEXIO. 173
CAPUT II. Maternitatis Dei veritas defenditur, eminentia ſuſpicitur, virginitas celebratur. 174
SPECUL. I. Hæreticum eſt negare Beatam Virginem eſſe Matrem Dei. ibid
REFLEXIO. 175
SPECUL. II. Quindecim prærogativæ Matris Dei. 176
REFLEXIO. 182
SPECUL. III. Illibata Deiparæ virginitas propugnatur & illuſtratur. 183
REFLEXIO. 187
Elogium Chriſti Salvatoris, compendio doctrinæ S. Thomæ, à quæſt. 1. 3. p. ad 26. & à q. 34. ad 58. 189
Elogium Mariæ Deiparæ, compendio Doctrinæ S. Thomæ à quæſt. 27 3. p. ad 35. 190

LIBER VNDECIMVS

De Deo Salvatore, & de Fontibus ſalutis, ſeptem ſcilicet novæ Legis Sacramentis.

Præloquium. pag. 192.
Oeconomia & ordo hujus tractationis. ibid.

DISSERTATIO. I.

DE Sacramentis univerſim. p. 193
CAPUT I. Eſſentia, neceſſitas, & cauſæ Sacramentorum explicantur. ibid.
SPECVL. I. Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, conſtans rebus & verbis determinatis, iiſque immutabilibus. 194
Objectis contra ſingulas partes militantibus occurritur, variaque dubia incidentia occupantur. 195
Difficilis contra ultimam partem objectio proponitur & ſolvitur; magiſque Sacramentorum immutabilitas ſtabilitur. 196
REFLEXIO. 199
SPECUL. II. Poſt peccatum neceſſaria ſunt homini lapſo Sacramenta, quæ nulla in ſtatu innocentiæ extiterunt. ibid.
Quid de ſtatu innocentiæ. 201
REFLEXIO. 203
SPECUL. III. Sacramentorum cauſa præcipua Chriſtus eſt; inſtrumentalis homo Chriſti miniſter. 204
Quæres, an ſaltem inſtituendorum Sacramentorum facultatem potuerit Deus puro homini impartiri. ibid.
Cauſa miniſterialis Sacramentorum. 205
REFLEXIO. ibid.
CAPUT. II. De efficacia Sacramentorum novæ Legis, deeorumque effectibus; necnon de conditionibus ut ſuos ſortiantur effectus, cùm ex parte miniſtri, tum ex parte ſuſcipientis neceſſariis. 206
Tertia magni momenti fundamenta jaciuntur. Primum principium: Sacramenta gratiam ex opere operato efficiunt. ibid.
Secundum principium: Sacramentorum alia primam, alia ſecundam gratiam efficiunt. ibid.
Tertium principium: Character eſt tertium Sacramentorum effectus ſecundarius. 207
SPECUL. I. Primarius Sacramentorum effectus eſt gratia ſacramentalis aliquid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens. Secundarius verò eſt character, ſeu poteſtas ſpiritualis in intellectu indelebiliter recepta ad Divina recipienda vel peragenda. 208
Quid ſit character à tribus Sacramentis impreſſus. 210
Derivatis quibuſdam corollariis, prædicta characteris definitio magis ſtabilitur, & Angelici Doctoris ſententia ab Recentiorum inſtantiis vindicatur. 211
REFLEXIO. 213
SPECUL. II. Sacramenta novæ Legis ſunt cauſæ inſtrumentales, nedum moraliter, ſed & phyſicè gratiam efficientes. 214
Proponuntur & ſolvuntur objecta. 215
Quibuſdam inconvenientibus obviam itur. 217
REFLEXIO. 218
SPECUL. III. Ut Sacramenta ſuos ſortiantur effectus, multa tum ex parte Miniſtri, tum ex parte ſuſcipientis deſiderantur. Expenduntur ſingulæ conditiones. 219
Prima conditio: Intentio faciendi, & recipiendi quod fit in Eccleſia. ibid.
Secunda conditio: Fides. Tertia conditio: Sanctimonia, ſine quibus illicita quidem Sacramenta, valida ſunt tamen. 220
Corollaria derivantur. 222
REFLEXIO. 223

DISSERTATIO II.

Ad præcedentem Appendix.

DE intentione Miniſtri operoſius inquiritur. Ubi oſtenditur, Sacramenta ſerio & prudenter cum materia, & forma debitè peracta, nullâ Miniſtri intentionem ſuam retinere volentis malitiâ annullari. p. 224
§. j. QUid de intentione Miniſtri apud omnes Catholicos in confeſſo eſt, præmittitur; in quo diſſentiant, dilucidè proponitur. 225
§. ij. Ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem ſeriò peragendi externi ritus, qui Chriſtianis Religioſus eſt; eaque ſtante, nulla Miniſtri intentionis retentione, vel perverſitate Sacramentum irritari, incunctanter aſſerendum eſt. ibid.
Proferuntur Theologi longè præſtantiſſimi hujus aſſertionis ſectatores; & primùm antiquiores. ibid.
§. iij. Referuntur Theologi, qui eandem ſententiam à tempore Concilii Tridentini ex profeſſo propugnavêre. 216
§. iv. Eadem ſententia Patrum authoritate, S. Auguſtini præſertim clariſſimis teſtificationibus ſtabilitur. 228
§. v. Eadem ſententia authoritate Summorum Pontificum & Conciliorum munitur. Mens Tridentini diligenter expenſa. 230
§. vj. Eadem aſſertio perſpicuis S. Thomæ teſtimoniis confirmatur. 232
§. vij Multiplici rationum momento eadem ſententia ſuadetur. 233
Prima ratio, à valore Baptiſmi ab Infidelibus collati. 234
Secunda ratio, ab inſtitutione Chriſti. ibid.
Tertia ratio, à conſuetudine Eccleſiæ. 235
Ultima ratio, ab inconvenientibus. 236
§. viij. Convelluntur oppoſitæ ſententiæ fundamenta. 237
REFLEXIO. 238

DIS-

DISSERTATIO III.

De Sacramentis ſingulatim, & primùm de Baptiſmate. p. 239

CAPUT I. Quæ de Baptiſmo apud omnes in confeſſo ſunt, ſtatuuntur. 240

SPECUL. I. Baptiſmatis eſſentia, exiſtentia & forma, nec non Miniſter atque ſubjectum exponuntur. ibid.

Definitio & nomina Baptiſmi. ibid.

Exiſtentia & inſtitutio Baptiſmi. 241

Remota Baptiſmatis materia eſt aqua naturalis, proxima verò ablutio. 244

Legitima Baptiſmi forma eſt hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. 245

Miniſter Baptiſmi. 247

Quæres utrum poſſint plures Miniſtri eundem baptizare? 248

Subjectum, & neceſſitas Baptiſmi. 249

REFLEXIO. 252

SPECUL. II. Varii Baptiſmi effectus ordine recenſentur. 253

REFLEXIO. 258

SPECUL. III. Sacræ Baptiſmi cæremoniæ, variique ritus ordine exponuntur. 259

REFLEXIO. 261

CAPUT II. Graviores de Baptiſmate difficultates reſolvuntur. 262

SPECUL. I. Optima eſt diviſio Baptiſmatis in Baptiſmum fluminis, flaminis & ſanguinis. Martyrium pro Chriſto perpeſſum gratiam ex æpere operato producit. Porrò Martyres non ſunt, qui contagioſa loca afflictis hominibus inſervientes, eo in obſequio mortem obeunt. ibid.

Baptiſmus ſanguinis operoſius commendatur. 264

Mors in obſequio peſte contactorum oppetita non habet ſtrictam martyrii rationem. 267

REFLEXIO. 270

SPECUL. II. Baptiſma parvulis Infidelium collatum validum quidem eſt, at illicitum tamen. 271

REFLEXIO. 275

SPECUL. III. Remotâ per pœnitentiam fictione Baptiſmus eandem gratiam, ejuſdemque gratiæ gradum baptizato confert, quem reapſe contuliſſet, ſi ſubjectum minimè fictum inveniſſet. 276

REFLEXIO. 279

APPENDIX UNICA.

Ad diſſertationem ſuperiorem de Circumciſione. p. 280

Convenientia Circumciſionis. ibid.

Quando Circumciſio inſtituta. ibid.

Effectus Circumciſionis. 281

Quomodo Circumciſio gratiam conferebat. ibid.

REFLEXIO. 282

DISSERTATIO IV.

De Sacramento Confirmationis. 283

CAPUT I. Catholica de Confirmatione dogmata præmittuntur, & ſtabiliuntur. ibid.

SPECUL. I. Confirmatio eſt verum novæ legis ſacramentum, cujus eſſentiam præclara illi à Patribus aſſerta nomina declarant. ibid.

Sacramenti Confirmationis eſſentia. 285

REFLEXIO. 286

SPECUL. II. Materia & forma Sacramenti Confirmationis exponuntur. 287

Materia remota Sacramenti Confirmationis, eſt ſacrum Chriſma. ibid.

Sacramenti Confirmationis materia proxima, Chriſmatis ad modum crucis inunctio. 289

Forma Confirmationis hæc eſt: Signo te Signo crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. ibid.

REFLEXIO. 290

SPECUL. III. Quæ de Confirmatione faciliora ſuperſunt, exponuntur. 291

Subjectum Confirmationis. ibid.

Effectus Confirmationis duplex. 292

Conſectarium unicum, Confirmationem iterari, indelebilis Confirmationis character non patitur. 293

REFLEXIO. 294

CAPUT II. Graviores de Confirmatione difficultates expediuntur. ibid.

SPECUL. I. Sacramentum Confirmationis Chriſtus Dominus in die ultimæ Cœnæ inſtituit. ibid.

REFLEXIO. 296

SPECUL. II. Ad integram Chriſtiani perfectionem neceſſarium eſt Confirmationis Sacramentum. ibid.

REFLEXIO. 299

SPECUL. III. Ordinarius Confirmationis Miniſter, & jure Divino inſtitutus eſt Epiſcopus. Illam tamen ex diſpenſatione Summi Pontificis ſimplex Sacerdos extraordinariè urgenti de cauſa miniſtrare poteſt. 300

Presbyteri ex Apoſtolicæ Sedis facta ſibi facultate poſſunt eſſe extraordinarii Confirmationis Miniſtri. 303

Proponuntur adverſæ ſententiæ fundamenta, quibus ei non mediocris probabilitas conciliatur. 305

REFLEXIO. 307

LIBRI VNDECIMI

De Deo Salvatore,

PARS ALTERA.

De diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento. p. 307

PRÆLOQUIUM: ubi de variis agitur Euchariſtiæ nominibus. ibid.

DISSERTATIO I.

Realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia: necnon panis & vini in Corpus & Sanguinem ejuſdem tranſubſtantiatio adverſum noſtrates Hæreticos propugnantur. p. 310

CAP. I. VERA, realis, & ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia omni argumentorum illorum genere ſtabilitur, quibus certiſſima fidei dogmata, & apud ipſos hæreticos indubitata demonſtrari ſolent. 310

SPECULATIO. I Chriſtus Dominus nobis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum realiter daturum promiſit. Promiſſionem verò illam in inſtitutione Euchariſtiæ implevit. Ergo Chriſtum realiter in Euchariſtia poſſidemus. 311

Promiſſa ſua Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ implevit. 313

Digitized by Google

Calviniſtarum cavilli eliduntur. 314

REFLEXIO, & apoſtrophe ad Calviniſtas. 318

SPECUL. II. Realis corporis & ſanguinis Chriſti in Eucbariſtia præſentiæ fidem à Chriſto acceperunt Apoſtoli, ab Apoſtolis Sancti Patres, & ſacra Concilia acceptam ſervaverunt, atque in nos perenni traditione corrivaverunt. 319

Sanctus Paulus. ibid.

Liturgiæ Apoſtolorum, & acta S. Andreæ. ibid.

Sanctus Dionyſius. 320

Sanctus Ignatius Martyr. ibid.

Sanctus Juſtinus. 321

Sanctus Irenæus. ibid.

Tertullianus. 322

S. Cyprianus necnon Author libri de operibus Cardinalibus Chriſti. 323

S. Hilarius Pictavienſis. ibid.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus; Optatus Milevitanus; S. Baſilius: S. Gregorius Theologus: S. Ephrem Syrus. S. Epiphanius. 324

S. Gregorius Nyſſenus. 325

Sanctus Ambroſius. ibid.

S. Joannes Chryſoſtomus. 326

Sanctus Hieronymus. 327

Sanctus Auguſtinus. ibid.

Alii Patres, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Joannes Damaſcenus. 329

Sacra concilia eidem veritati ſuffragata ſunt. 330

Ponderantur Patrum authoritates & objectiones occupantur. 331

Petita ab humana Philoſophia hæreticorum ſophiſmata convelluntur. 335

Demonſtrationem à Patribus petitam confirmat longè præclariſſimum ſeptimæ Synodi Generalis teſtimonium. 336

REFLEXIO. & apoſtrophe ad noſtrates hæreticos. 337

SPEC. III. Unanimis Eccleſiarum omnium Chriſtianarum conſenſio ante ortos Calvinianos realem Chriſti Corporis in Euchariſtia præſentiam confitebatur, quæ proinde non poteſt non eſſe dogma Catholicum. Inflexibilis Miniſtri Claudii in mentiendo pertinacia repræſentatur. 338

Ejuſdem demonſtrationis prior confirmatio. 339

Poſterior ejuſdē demonſtrationis confirmatio. ibid

Miniſtri Claudii mendacia ob oculos poſita. 340

Miniſtri Claudii impoſturæ ſub ſenſum cadentis utilitas à Deo proviſa. 343

Vis demonſtrationis inſtantata. 344

Poſtrema perpetuitatis convictio à noviſſimis totius Orientis Chriſtiani teſtimoniis omni exceptione majoribus. 345

Unica ad ſalutem, una ad honorem recuperandum via Miniſtro Claudio ſupereſt, ſi publicos errores publicè recantet. 347

REFLEXIO, & apoſtrophe ad Calviniſtas. 348

CAPUT II. Vera tranſſubſtantiatio adversùs Lutheranos ſtabilitur. 350

SPECUL. I. Divinæ Euchariſtiæ hoſtes & hoſtilitates ordine recenſentur. ibid.

REFLEXIO. 354

SPECUL. II. Subſtantia panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini ſecundùm ſe totā convertitur; unde & vera datur tranſſubſtantiatio. 355

REFLEXIO. ibid.

SPECULATIO. III. Inter ſolvenda argumenta à ratione petita, Catholica tranſſubſtantionis doctrina magis magiſque explicatur. 359

Quæres, quænam actio ſit tranſſubſtantiatio Euchariſtica? 363

Corollaria derivata. 365

REFLEXIO. ibid.

DISSERTATIO II.

De exiſtentia & eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ, necnon materia & forma illius. 395

CAP. I. De exiſtentia & eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ: ubi de neceſſitate, unitate & inſtitutione illius. 366

SPECUL. I. Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt lunâ decimaquartâ primi menſis, illud ſubinde in azymo conficiens: quod Sacramentum omnibus eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſi non re, certè voto ſuſcepti. ibid.

Neceſſitas Euchariſtiæ. 368

Solvuntur objectiones. Mens S. Auguſtini circa Communionem parvulorum accuratè indagatur & exponitur. 369

REFLEXIO. 372

SPECUL. II. Euchariſtia eſt Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini realiter contentum, ad ſpiritalem animæ refectionem inſtitutum: quod licet duplici elemento, pane ſcilicet & vino conſtet, non plura tamen, ſed unicum eſt Sacramentum. 374

Unitas Sacramenti Euchariſtiæ. 375

REFLEXIO. 376

SPECUL. III. Momentoſa de permanentia & adoratione Euchariſtiæ corollaria derivantur. ibid.

Corollarium alterum de adoratione Euchariſtiæ. 379

REFLEXIO. 382

CAPUT II. De materia & forma Sacramenti Euchariſtiæ, atque de modo quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit. 383

SPECUL. I. Panis & vinum vera ſunt, & ſola Sacramenti Euchariſtiæ materia. ibid.

Obſervanda circa materiam Euchariſtiæ ſcitu neceſſaria. Et primùm quis & qualis panis? 384

Panis Euchariſtiæ quomodo coagmentandus? Præclara Ordinis S. Benedicti cautela. Figura hoſtiæ. ibid.

Convenientiæ panis azymi, Schiſmaticorum & hæreticorum calumniæ eliſæ. 385

Materia Calicis conſecrandi vinum, & quale? 387

Vino aqua permiſcenda, quo jure, & quanta? ibid.

Quæres primò, quid fiat de aqua vino infuſa poſt conſecrationem; & in quid evadat, aut tranſmutetur? 389

Fit ſatis objectis. 390

Quæres ſecundò, utrum una ſpecies poſſit ſine altera conſecrari in extremæ ſaltem neceſſitatis articulo, & accedente Summi Pontificis diſpenſatione? 391

Quæres tertiò, utrum ad materiam hujus Sacramenti determinata panis & vini præſentia, determinata etiam quantitas deſideretur 392

REFLEXIO. 393

SPECULATIO II. Legitima & eſſentialis Sacramenti Euchariſtiæ forma his verbis continetur: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus; vel quod idem eſt, Hic eſt Calix ſanguinis mei. 394

Quæres, utrum ſola verba adducta ſint eſſentialia & neceſſaria, ut corpus Chriſti conficiatur; num verò illa etiam pro conſecratione panis, Qui pridie quàm pateretur, &c. vel iſta, Quod pro vobis tradetur, deſiderentur? 398

Quæres ſecundò, an verba illa quæ inter conſecrandum calicem proferuntur, ſint de eſſentia formæ: Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum? ibid.

Mens D. Thomæ ob oculos poſita; & ejus rationis efficacitas. 401

Re-

Google

Reflexio. 404
Speculatio III. Modus quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit, paucis quæſitis exponitur. 406
Quæres primò, quid vi verborum, quid concomitanter ſub utraque ſpecie contineatur. ibid.
Quæres ſecundò, utrum Pater & Filius per concomitanciam in Euchariſtia præſentes ſpeciali aliquâ ratione ſint? 407
Quæres tertiò, quomodo Chriſtus ſub ſpeciebus exſtat? ibid.
Quæres quartò, an corpus Chriſti per ſe, vel per accidens hoc in Sacramento moveri poſſit? 408
Quæres quintò, utrum corpus Chriſti in hoc Sacramento realiter exiſtens ab oculo corporeo, ſaltem glorioſo & divinitus videri poſſit? 409
Reflexio. 410

DISSERTATIO III.

De cauſis & effectibus Euchariſtiæ. p. 411
Caput. I. De cauſis & effectibus Euchariſtiæ. ibid.
Specul. I. Specialia divinæ Euchariſtiæ motiva expenduntur. ibid.
Reflexio. 412
Specul. II. In Euchariſtia efficienda adeò potentia, ſapientia & dilectio Dei eminent, ut dicere auſim, quod cùm Deus ſit omnipotens, plus dare non potuit; cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit; cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit. 413
Euchariſtia divinæ omnipotentiæ non plus ultra, ſed ultima meta. ibid.
Euchariſtia divinæ adinventionum ſapientiæ ultimus conatus. 414
Euchariſtia divini amoris effuſionum coronis. 416
Reflexio. 417
Specul. III. Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ ſolus eſt Sacerdos propriè dictus, ad quem etiam eam diſpenſare jure divino pertinet, quamvis illam Diaconi poteſtate delegata miniſtrare poſſint. 418
Miniſter diſpenſandæ Euchariſtiæ. 422
Nonnulla quæ circa Euchariſtiæ conſecrationem & diſpenſationem obſerventur ſcitû digna. 423
Reflexio. 424
Caput II. Euchariſtiæ utilitates & fructus immenſi perſtringuntur. 426
Specul. I. Varii Euchariſtiæ effectus ordine recenſentur. 427
Primus Euchariſtiæ effectus Gratiæ & vitæ ſpiritalis augmentum. ibid.
Secundus Euchariſtiæ effectus: Specialior cum Chriſto unio. Tertius: Unio Fidelium inter ſe. ibid.
Quartus Euchariſtiæ effectus: Pinguedo ſpiritus, ſeu victrix gratiæ delectatio. 428
Quintus Euchariſtiæ effectus: Spiritalis vigor, quo tentationibus obſiſtimus, & à peccati mortiferi veneno præſervamur. 429
Sextus Euchariſtiæ effectus: Venialium remiſſio peccatorum. 430
Septimus Euchariſtiæ effectus: Remiſſio pœnæ, vel penitus, vel partim, pro modo & ratione fervoris ſuſcipientis condonatæ. ibid.
Octavus Euchariſtiæ effectus: Cordis caſtimonia in appetitum diffuſa. 431
Nonus Euchariſtiæ effectus: Semen immortalitatis, & beatæ reſurrectionis in corpus derivatum. 432
Decimus Euchariſtiæ religioſe frequentatæ effectus: Perſeverantia finalis, cui æterna felicitas ſuccedit. 434
Reflexio. 436
Specul. II. Variæ circa Euchariſtiæ dubitationes appendices reſolvuntur. 437
Quæres primò, utrum Euchariſtiæ Sacramento prima interdum gratia producatur, quâ peccata mortalia deleantur. ibid.
Quæres ſecundò, utrum ſaltem per accidens primam gratiam peccati lethalis remiſſivam Euchariſtia interdum operetur. ibid.
Quæres tertio, quonam tempore, vel momento Sacramentum Euchariſtiæ rectè dignéq; ſuſceptum ordinarios ſuos effectus largiatur. 438
Reflexio. 440
Spec. III. Aliis à ſuſcipiente Sacramentum Euchariſtiæ directè non prodeſt quidem, at indirectè tamen. Piiſſimus communionis pro mortuis ritus, & ſacræ de ea Congregationis judicium explicatur & defenditur. ibid.
Reflexio. 442

DISSERTATIO IV.

De uſu Sacramenti Euchariſtiæ: ubi de frequenti communione. 443
Caput I. De obligatione uſurpandæ Euchariſtiæ, & de idonea animi ac corporis ad Euchariſtiam adeundam compoſitione. 444
Spec. I. Chriſtianis omnibus adultis non ſolùm Eccleſiæ mandato, ſed Chriſti etiam præcepto impoſitum eſt, ut Euchariſtiam identidem uſurpent. ibid.
Reflexio. 446
Specul. II. Nullo divino præcepto Laïci & Clerici non conficientes ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum obligantur, ſed alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficit; Juſtiſſimis, graviſſimiſque de cauſis Eccleſia divinitus inſpirata uſu calicis laïcis interdixit, ſpeciei ſolius panis communione permiſſâ. 447
Communio ſub utraq; ſpecie non eſt præcepto divino omnibus imperata & neceſſaria. ibid
Eadem veritas ex variis primitivæ Eccleſiæ ritibus comprobatur. 449
Alia pro una ſpecie probatio ex Scripturis, accedente Patrum interpretamento depromitur. 451
Ratione theologicâ idem Eccleſiæ Catholicæ uſus confirmatur. 453
Solutis Sectariorum objectis, quid ſit communio laïca explicatur. 454
Quæres, quid ſit communio laica, de qua fit mentio in vetuſtiſſimis Patribus & Conciliis, Syricio Papa epiſt. 1. cap. 11. Cypriano lib. 4 epiſt. 2. Concilio Eliberino can. 76. Sardicenſi can. 1. & 2. Agathenſi can. 33. Toletano I. can. 4. Bracharenſi I. can. 31. aliiſque. 457
Reflexio. 459
Specul. III. Neceſſarius ad Euchariſtiam percipiendam mentis, cordis, & corporis apparatus exponitur. ibid.
Mentis ad communionem præparatio. 460
Devota mentis attentio ad conſequendum Euchariſtiæ effectum neceſſaria. 461
Cordis ad Euchariſtiam præparatio. 464
Corollaria derivata. 466
Corporis ad Euchariſtiam præparatio. 469
Jejunium ad ſacram Communionem, exceptis paucis extremæ neceſſitatis articulis, ſemper neceſſarium. 471
Nonnulla conſectaria paucis derivantur. 474
Reflexio. 476
Caput II. De frequenti Communione: ubi de Euchariſtia uſurpanda traditæ à Patribus regulæ præſcribuntur. ibid.

Prima regula. Innocentes Euchariſtiam frequenter oſurpare oportet. 477
Regula ſecunda. Chriſtiani poſt amiſſam Baptiſmatis innocentiam, ii præſertim qui in peccata mortalia iteratis lapſibus recidunt, non debent ante actos dignos laborioſæ pœnitentiæ fructus ad Communionem accedere. 478
Mens Dionyſii, Baſilii & Cypriani aperitur. ibid.
Ambroſii, Auguſtini, & Chryſoſtomi luculenta proferuntur teſtimonia. 479
Celebris Gennadii locus producitur. 481
Eadem regula Hieronymi, Theodoreti, & magni Gregorii teſtimoniis communitur. 482
Beati Bernardi authoritate eadem regula firmatur. ibid.
Eandem Regulam S. Bonaventura clariſſimè docuit & probavit. 483
Sacri Tridentini Concilii doctrina eidem regulæ apertiſſimè favet. ibid.
S. Franciſci Saleſii, & Magiſtri Avilæ apertis teſtificationibus eadem regula ſtabilitur. 484
Senonenſis & Bituricenſis Synodi decretis eadem regula conſentanea eſt. ibid.
Teſtimonium Mariani Victorii adducitur. 485
Egregiis S. Thomæ teſtimoniis, ejuſdemque rationibus eadem regula confirmatur. ibid.
Fundamentalis hujus regulæ ratio. 487
Solvitur objectio à Patrum authoritate petita. 488
Tertia regula. Negotiorum honeſtorum multitudo bonos Chriſtianos à frequenti communione non ſubmovet. ibid.
Quarta regula. Peccata venialia juſtorum frequentem Communionem non prohibent: eorum tamen affectus Communionis dilationẽ exigit. 489
Solvuntur objectiones à ratione deprompta. 490
Regulas hactenus conſtitutas illuſtriores S. Thomæ diſcipuli religioſè ſectati ſunt. Illuſtria P. Granatenſis teſtimonia. 493
P. Emerici de Bonis longè præclariſſima profertur ſententia de abuſibus, qui in uſu ſacræ Communionis admittuntur. 496
Reflexio. 498

LIBRI VNDECIMI
De Deo Salvatore,
PARS TERTIA.

DISSERTATIO UNICA.
De Sacramento Pœnitentiæ; ubi & de virtute Pœnitentiæ diſputatur.

Praloquium. pag. 150
Cap. I. Quæ de Sacramento & virtute Pœnitentiæ certa vel faciliora ſunt, præmittuntur. 502
Specul. I. Exiſtentia & neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ ſuadentur. ibid.
Peccatoribus ſinceram de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis agentibus pœnitentiam, dari veniæ locum oſtendimus contra Novatianos. ibid.
Pœnitentiam verum eſſe novæ Legis Sacramentum, adversùm Lutheranos & Calviniſtas demonſtratur. 505
Reflexio. 508
Specul. II. Eſſentia & partes Sacramenti Pœnitentiæ exponuntur. ibid.
Materia Sacramenti Pœnitentiæ proxima ſunt actus Pœnitentis. ibid.
Remota Sacramenti Pœnitentiæ materia peccata ſunt. 511
Partes Pœnitentiæ ſigillatim explicantur; & primùm contritio. 512
Eſſentia contritionis. ibid.
Diviſio contritionis. 513
Præceptum contritionis. 514
Objectiones ſolvuntur, & acceptâ occaſione enodantur perutiles difficultates. ibid.
Secunda Pœnitentiæ pars, Confeſſio. 519
Tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars, Satisfactio. 524
Reflexio. 526
Speculatio III. Legitima Sacramenti Pœnitentiæ forma eſt hæc: Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; quæ proinde non peccatoria duntaxat, ſed judicialis eſt: ac ejus miniſter eſt ſolus Sacerdos, ad ſecretum omni jure aſtrictus. 527
De miniſtro Pœnitentiæ. 530
De Sigillo Confeſſionis. 533
Varia quæ obſerventur digniſſima corollaria derivantur: Ubi etiam de virtute & effectibus pœnitentiæ diſſeritur. 534
Corollarium I. Actus Pœnitentis à virtute ſpeciali proficiſcuntur. ibid.
Corollarium II. Subjectum immediatum Pœnitentiæ eſt voluntas; remotum eſt quivis peccati reus vel capax. 538
Corollarium III. Varii pœnitentiæ effectus ordine recenſentur. 540
Primus effectus, Remiſſio peccati mortalis. ibid.
Secundus Pœnitentiæ effectus, Remiſſio pœnæ æternæ, ac etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ. 541
Tertius Pœnitentiæ effectus, Remiſſio peccatorum venialium. 543
Alii pœnitentiæ effectus breviter enumerantur. 547
Reflexio. ibid.
Appendix. Præcipuæ animarum Rectoris & Moderatoris dotes expenduntur. 549
Reflexio. 552

DISSERTATIONIS VNICÆ

De Sacramento Pœnitentiæ,
Caput. II. Examinantur accuratiùs difficilioraquædã circa partes & effectus Pœnitentiæ. 553
Specul. I. Dolor de peccatis ex uno pœnarum inferni metu conceptus, bonus quidem ille eſt, & ad gratiam juſtificantem in Sacramento recipiendam diſponit: non ſufficit tamen, ſi ab omni amore Dei deſertus ſit. ibid.
Utilitas & honeſtas timoris ex metu gehennæ concepti. 554
Timor ex metu gehennæ conceptus ſine aliquo amore & inchoatæ dilectionis motu ad juſtificationis gratiam recipiendam nunquam ſufficit, ne quidem in Sacramento ullo, etiam Pœnitentiæ. 555
Solvuntur objectiones. 559
Reflexio. 562
Specul. II. Gratia per pœnitentiam reſtituitur, ac cum ea virtutes & merita priſtina reviviſcunt. 563
Solvuntur objectiones. 565
Declaratur in qua proportione merita mortificata per pœnitentiam reviviſcant. 567
Reflexio. 572
Specul. III. Sacerdos ne poteſtate ſibi cœlitus commiſsâ abutatur, peccatorib⁹ in mortalia continuò relabentibus, atque criminoſæ vitæ ſeriem poſt iteratas confeſſiones minimè emendantib⁹;

donec

donec dignis pœnitentiæ fructibus ſuæ converſionis ſinceritatem probaverint, abſolutionis beneficium impertiri non debet. 573
Solvuntur objecta contra ſtabilitam de differenda abſolutione, temperandaque ejus frequenter relapſis imperiendæ facilitate, ſententiam, 582

LIBRI VNDECIMI
De Deo ſalvatore,
PARS QUARTA.

DISSERTATIO. I.

De Sacramento Extremæ Vnctionis. 589.
Cap. I. Eſſentia & inſtitutio Sacramenti Extremæ Unctionis explicatur. ibid.
Specul. I. Extrema Unctio eſt verum legis novæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. 190
Argumentum ex authoritate. ibid.
Argumentum ex traditione petitum. 592
Sacramentum Extremæ Unctionis eſt à Chriſto Domino inſtitutum. 593
Materia remota extremæ unctionis eſt oleum ex olivis expreſſum, & ab Epiſcopu benedictum ibid.
Materia proxima extremæ Unctionis eſt unctio, quæ unica requiritur ad valorem Sacramenti. 594
Forma Extremæ Unctionis deprecatoria eſt, licèt probabile ſit indicativam ſufficere. 595
Specul. II. Animæ infirmitates ſanare, peccata dimittere, & corporis morbum, ſi ita expedit, amovere, ſunt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis. ibid.
Miniſter Sacramenti Extremæ Unctionis eſt Sacerdos. 596
Subjectum Sacramenti Extremæ Unctionis eſt infirmus periculosè laborans. 597
Extrema Unctio etiam in eadem infirmitate ſæpiùs poteſt iterari, ſecundùm diverſum tamen infirmitatis ſtatum. 598
Specul. III. Extremæ Unctionis ceremoniæ recenſentur. ibid.

DISSERTATIO. II.

De Sacramento Ordinis. 599
Cap. I. De iis quæ ad Ordinem in genere ſpectant. ibid.
Specul. I. Ordo eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino inſtitutum. ibid.
Sacramentum Ordinis unicuique Fideli non convenit. 600
Epiſcopatus eſt origo & plenitudo Sacramenti Ordinis. 601
Occurritur objectionibus. ibid.
Presbyteratus habet veram Sacramenti Ordinis rationem. ibid.
Ratio Sacramenti Ordinis convenit etiam Diaconatui. 602
Inquiritur an Subdiaconatus, & cæteri minores Ordines Sacramentum dici poſſint. ibid.
Specul. II. De materia & forma ſacræ Ordinationis apud Græcos & Latinos. ibid.
Propoſitio prima: Apud Græcos materia ſacræ Ordinationis eſt ſola manuum impoſitio. ibid.
Secunda propoſitio. ibid.
Tertia propoſitio. ibid.
Conciliantur varii Ordinationum ritus. ibid.
Quarta propoſitio. 603
Quinta propoſitio. ibid.
Sexta propoſitio. ibid.
Septima propoſitio. ibid.
Specul. III. De inſtitutione Miniſtrorum Eccleſiæ. ibid.
Prima propoſitio: Chriſtiani Sacerdotes carnali ſucceſſione non propagantur. ibid.
Secunda propoſitio: Chriſtiani Sacerdotes non à plebe, ſed à ſolis Epiſcopis poſſunt ordinari. 604
Tertia propoſitio: Electio miniſtrorum non fit à ſolo Deo interiùs prædeſtinatos tantùm vocante. ibid.
Quarta Propoſitio: Inquiritur quodnam ſit jus plebis in electionibus Miniſtrorum Eccleſiæ. ibid.
Quinta propoſitio: Suprema in electionibus authoritas Epiſcopis, & potiſſimùm Metropolitano debetur. 605
Cap. II. De qualitatibus eorum qui Ordines ſuſcipiunt. ibid.
Specul. I. De iis, quos nefas eſt ad Ordines promovere. ibid.
Fœminæ & non baptizati ſacrarum Ordinationum ſunt prorſus incapaces. ibid.
Muti, & inſigniter deformes Jure Canonico à ſacris Ordinibus arcentur. 606
Epileptici, energumeni, & amentes ordinari prohibentur. ibid.
Servi & curiales à ſacris Ordinibus removentur. 607
De irregularitatibus ex delicto. ibid.
De homicidis. ibid.
De militibus. ibid.
De judicibus. 608
De adulteris, fornicariis, &c. ibid.
De bigamis. ibid.
De Clericis conjugatis: ubi agitur de continentia & cœlibatu Clericorum. 609
Objectiones de Cœlibatu ſolvuntur. ibid.
De illegitimè natis. 610
De hæreticis, ſchiſmaticis, & apoſtatis, &c. ibid.
De filiis hæreticorum. 611
De peregrinis, clinicis, & neophytis. ibid.
Specul. II. Prædicta impedimenta Ordinationem reddunt illicitam, ſed non irritam. ibid.
Prima objectionum claſſis, de ſchiſmaticis. ibid.
Secunda claſſis objectionum, de depoſitis, & degradatis. ibid.
Tertia objectionum claſſis, de neophytis. 612
Quarta claſſis objectionum, de ſimoniacis. ibid.
Quinta claſſis objectionum, de hæreticis. ibid.
Reſponſiones ad præcedentes objectiones. ibid. & ad 613
Exponitur ratio cur Ordinationes validæ ſint quæ à malis miniſtris conferuntur. ibid.
Solvitur vulgatis objectio. ibid.
Speculatio III. Expenduntur dotes, quibus debet inſigniri, qui ad Ordines ſuſcipiendos accedit. ibid.
Sanctitas vitæ neceſſariò prærequiritur, ut aliquis Ordines licitè ſuſcipiat. ibid.
Scientia in ordinandis neceſſariò prærequiritur. 614
Quænam ſit ſcientia in Ordinandis prærequiſita. ibid.
Quinam fuerint antiquitus Doctores, & quæ Scholæ. ibid.
An aliquæ ſint ſcientiæ, quæ Clericis debeant interdici. 615
Exponitur neceſſitas vocationis in iis qui Ordines ſuſcepturi ſunt. ibid.
DIS-

DISSERTATIO III.

DE *Ordinibus in particulari ſumptis.* 616
CAP. I. De tribus Ordinibus bierarchicis, Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu. ibid.
SPECULATIO I. De Epiſcopatu. ibid.
Inquiritur primò quænam ſit materia Epiſcopatus. ibid.
Quæritur quænam ſit forma Epiſcopatus. 617
De inſtitutione Epiſcoporum. ibid.
De Eccleſiis Patriarchalibus & Metropolitanis. ibid.
De titulis Patriarchæ, Archiepiſcopi, Exarchæ, &c. ibid.
De Metropolitanorum jure. ibid.
De electione Epiſcoporum, & Summi Pontificis. 618
De ordinatione, ſive conſecratione Epiſcoporum. ibid.
SPECULATIO II. De Presbyteratu, & primò deilius materia, & forma. 619
Oſtenditur Presbyteros Epiſcopis eſſe inferiores. ibid.
Presbyteri tenentur Epiſcopis ſuis obedire. 620
De Chorepiſcopis. ibid.
De Archipresbyteris. ibid.
De Parochis. ibid.
SPECULATIO III. De Diaconis: & primò de Diaconatus materia & forma. 621
Oſtenditur præcipuum Diaconorum munus eſſe Altari deſervire. ibid.
An aliquando Diaconis licuerit pœnitentes reconciliare. 622
Cætera Diaconorum munia breviter exponuntur. ibid.
De Archidiaconis. ibid.
CAP. II. De Subdiaconatu, de minoribus Ordinibus, & de cæteris quæ ad Ordines pertinent. 623
SPECULATIO I. De Subdiaconatu, & de minoribus Ordinibus, & primò de eorum antiquitate. ibid.
Inquiritur an, & quomodo Ordines prædicti inter Ordines ſacros debeant recenſeri. ibid.
Prædictorum Ordinum diſtinctio, & neceſſitas proponitur. ibid.
Recenſentur ordo & officia prædictorum Ordinum. 624
SPECULATIO II. Quid ſit prima Tonſura, & quæ ad ipſam diſpoſitiones prærequirantur. ibid.
De Seminariis erigendis ex Concilio Tridentino. 625
De antiquitate Seminariorum. ibid.
De antiquitate Tonſuræ & Veſtium clericalium. ibid.
De ſimplicium Clericorum antiquitate. 626
SPECULATIO III. De reliquis Clericis: & primò de Chartophylace, ſive Chartulario. ibid.
De Cardinalibus. ibid.
De Oeconomis. 627
Quibus Eccleſiæ facultates diſtribui debeant. ibid.
Quæritur quando bona Eccleſiæ in varias portiones cœperunt diſtribui. 628
De Diaconiſſis. ibid.

DISSERTATIO IV.

DE *Sacramento Matrimonii.* 628
CAP. I. De matrimonio tum ut eſt officium naturæ, tum ut eſt Sacramentum. ibid.
SPECULATIO I. Exponitur natura Matrimonii. ibid.
Copula carnalis non eſt de matrimonii eſſentia. ibid.
Copula carnalis ad ſecundariam matrimonii perfectionem pertinet. 629
Actus conjugalis aliquam deordinationem in hoc corrupto naturæ ſtatu importat, quæ per bona matrimonii removetur. ibid.
An, & quando actus conjugalis omni culpâ vacet, explanatur. 630
An aliquando liceat debitum petenti denegare: & an conjugibus continentiam vovere non liceat. ibid.
An, & quæ polygamia illicita ſit, utpote matrimonio repugnans. 631
Matrimonium ex ſuapte natura eſt indiſſolubile. ibid.
SPECULATIO II. Quæritur quæ ſit cauſa matrimonii, ubi etiam de ſponſalibus agitur. 632
Expediuntur quæ ad ſponſalia pertinent. ibid.
SPECULATIO III. De matrimonio ut eſt Sacramentum. 633
Matrimonium ex primæva ſua inſtitutione eſt ſignum rei ſacræ. ibid.
Matrimonium Chriſtianorum eſt verum novæ legis Sacramentum. ibid.
Diſquiritur an matrimonium omne inter Chriſtianos initum, ſit verum legis novæ Sacramentum. 634
Exponitur quis ſit miniſter, quæ forma, quæ materia Sacramenti matrimonii. 635
An Matrimonium per procuratores, vel per literas contractum, ſit verum legis novæ Sacramentum. ibid.
CAP. II De impedimentis Matrimonii. ibid.
SPECULATIO I. Explanantur impedimenta, tum dirimentia, tum impedientia tantùm. ibid.
Impedimentum erroris. ibid.
Impedimentum conditionis. 636
Impedimentum voti. ibid.
De impedimento cognationis. ibid.
Cognatio naturalis. ibid.
Cognatio legalis. ibid.
Cognatio ſpiritualis. ibid.
De impedimento criminis. ibid.
De impedimento diſparitatis cultus. 637
De impedimento vis. ibid.
De impedimento Ordinis. 638
De impedimento ligaminis. ibid.
De impedimento honeſtatis. ibid.
De impedimento amentiæ. ibid.
De impedimento affinitatis. ibid.
De impedimento matrimonii clandeſtini. ibid.
De impedimento impotentiæ. 639
De impedimento raptus. ibid.
De impedimentis non dirimentibus. ibid.
SPECULATIO II. Quæritur quænam ex prædictis impedimentis ſint de jure naturali, quænam de jure poſitivo. 640
SPECULATIO III. Oſtenditur Eccleſiam potuiſſe quædam impedimenta matrimonio apponere, à quibus proinde poterit etiam contrahentes diſpenſare. ibid.

LIBER

LIBER NONUS.
DE DEO-HOMINE,
SEU
DE MYSTERIO INCARNATIONIS.
PRÆLOQUIUM.

S*ublimior Philoſophia eſt, ſcire JESUM*, ajebat D. Bernardus *ſerm.* 43. *in Cant.* & ante ipſum Apoſtolus. *Neque puto aliquid me ſcire inter vos, niſi ſolum JESUM.* Si hoc ita ſit, æquum eſt, ut Chriſtiani omnes, ſed præcipuè Theologi, in Chriſtu contemplando diutiùs occupentur. Cùm enim, ut docet Philoſophus, eadem ſit docentis & addiſcentis ſcientia, quæ in Magiſtro doctrina dicitur, in auditore diſciplina, neceſſum eſt, ut in his conſiderandis incumbamus, quibus Doctor Gentium operam dedit.

Excelſum quidem eſt iſtud myſterium, & teſte Iſaia, *vincens ſcientiam noſtram.* Et ſanè timendum eſſet, ne ſicut vehemens ſenſibile lædit ſenſum, & Sol in ſuæ totæ majeſtate præſumentes intuitus opprimit: ſic Solis Juſtitiæ audax nimis ſpeculatio, importabiles radios ferre nequaquam poſſet, niſi ipſe Deus, qui lucem habitat inacceſſibilem, humanitate aſſumptâ, velo obumbrante Divinitatis ſuæ ſplendorem micantiſſimum temperaſſet. Unde præclarè Greg. *lib.*28. *Moral, c.*2. expendens illud Ezechielis, *De medio ejus quaſi ſpecies electri*, ait: *Quid electri ſpecie, niſi Chriſtus Jeſus, mediator Dei & hominum deſignatur? Electrum quippe ex auro & argento eſt, in electro dum aurum argentumq; miſcentur, argentum ad claritatem creſcit, aurum verò à ſuo fulgore palleſcit: illud ad claritatem proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei filio natura Divinitatis unita eſt natura noſtra, humanitas in majeſtatis gloriam excrevit, Divinitas à ſui fulgoris potentia humanis ſe oculis temperavit.* Quâ mirabili ſplendoris ſui temperaturâ nobis plus placet, quia ut Gilbertus Abbas *ſerm.* 21. *in Cant.* ait: *Chriſtus glorioſus planè in illo ſplendore gloriæ, & paternæ figura ſubſtantiæ; ſed ſuperaddito noſtra quodam velut fuco naturæ & colore inducto, dum ſublucet, plus placet.*

Succinit egregiè Bern. *ſerm.*1. *Advent.* ibi: *Velim noſſe, quid ſibi voluerit, quòd ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum? noſtra enim erat neceſſitas. Ita eſt, fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit; ſed duplex erat impedimentum. Nam & caligabant oculi noſtri, ille verò lucem habitat inacceſſibilem; & jacentes paralitici, in grabato divinam illam non poteramus attingere celſitudinem: propterea benigniſſimus Salvator, & Medicus animarum deſcendit ab altitudine ſua, & claritatem ſuam infirmis oculis temperavit. Induit ſe laternâ quâdam, illo utique glorioſo, & ab omni labe puriſſimo corpore, quod ſuſcepit.*

Nihil eſt etiam in tota Theologia propoſito nobis ſcopo opportunius. Sicut enim Chriſtus Deus-homo, præclariſſimum eſt mentis noſtræ objectum, omnes in ſe divinas humanasque colligens perfectiones, quas ſpeculari, jucundiſſimum eſt: ita cordis noſtri affectum, tantum beneficium, tot exempla, tot paſſiones non ciêre, non allicere, non rapere, atque ad omnem virtutum praxim non permovere non poſſunt. Verbum caro factum (ut obſervat alicubi D. Bonaventura) liber eſt, quem Joannes vidit in Apocalypſi, in quo hæc documenta leguntur: *Deus admirabilis, mundus contemptibilis, virtus laudabilis, peccatum deteſtabile, anima ineſtimabilis, pœna interminabilis, & gloria ineffabilis.* Aperiamus ergo hunc librum.

OECONOMIA HUJUS TRACTATIONIS.

Ordo totius materiæ de Incarnatione perſpicuè habetur in D. Thoma, qui eam dividit in ſex veluti partes. *Primò* enim conſiderat ea, quæ pertinent ad rationem myſterii unionis humanitatis cum Verbo. *Secundò* agit de his, quæ conſequuntur talem unionem. *Tertiò* diſſerit de ingreſſu Salvatoris in mundum. *Quartò* de progreſſu Salvatoris in hoc mundo. *Quintò* de egreſſu ejuſdem ex hoc mundo. *Sextò* de exaltatione ejuſdem poſt hunc mundum. Cui ordini planè angelico, & divinitùs approbato (dum enim ſcriberet tertiam Partem, audivit vocem illam, *Benè ſcripſiſti de me Thoma,*) adhærentes, myſterii Dominicæ Incarnationis convenientiam, neceſſitatem, eſſentiam, cauſas & proprietates in hoc libro contemplabimur, in ſequenti de myſteriis vitæ Chriſti Dei converſantis acturi.

Porrò, quia omnis ſcientia ſupponit exiſtentiam ſui objecti, vel eam in veſtibulo præmittit, ideo operæ pretium eſt, veri Meſſiæ exiſtentiam contra Judæos, & Incarnationis poſſibilitatem contra eoſdem, nec-non contra Gentiles prælibare, & firmis rationum momentis præmunire. Sit ergo

DISSERTATIO PRÆAMBULA.

COMMENDATIO VERI MESSIÆ.

MESSIAS, qualem fides Chriſtiana docem agnoſcit & veneratur, duo ſupponit. *Primò*, unionem Divinitatis cum humana natura eſſe poſſibilem. *Secundo*, unionem illam eſſe exequutioni mandatam in perſona Chriſti à Judæis crucifixi. Alterum Gentibus ſtultitia viſum eſt; alterum Judæis ſcandalum fuit; utrumque autem credentibus virtus & ſapientia apparet, & in ſequentibus ſigillatim ſuadendum eſt.

CAPUT I.

Poſſibilitas Incarnationis adverſus Gentes & Judæos demonſtratur.

DIvus Thomas quæſtionem de poſſibilitate, quam *in 3. Sentent.* excitârat, hîc omittit, & à convenientia exorditur, & quidem convenienter. Tum, quia nulla eſt ratio poſitiva, demonſtrans tanti myſterii poſſibilitatem, cujus ſolùm poſſunt afferri congruentiæ. Tum, quia convenientia continet poſſibilitatem, tanquam aliquid ſuperius: licèt enim omne poſſibile non ſit conveniens, omne tamen conveniens eſt poſſibile: unde oſtensâ convenientiâ, perſuaſa manet poſſibilitas. Tum, quia Doctorem Catholicum agit myſteria religionis ſupponentem, & ea ſolùm declarare ſatagentem. Ut tamen tantum myſterium adverſus infideles defendatur, ex profeſſo poſſibilitatem & exiſtentiam ejus monſtrabimus. Sed adhuc unum præmittendum eſt, nimirum tam ardui myſterii poſſibilitatem, vel exiſtentiam non poſſe rationibus poſitivis ſuaderi, ſed omnes ingenii vires immensùm ſuperare, unde ſit

SPECULATIO I.

Tam excelſum & ſublime eſt Incarnationis myſterium, ut illius poſſibilitatem ratio humana nec demonſtrare, nec ſuſpicari poſſit ante fidem.

HÆC aſſertio eſt valde conformis doctrinæ Patrum, uno ore dicentium, hoc myſterium eſſe arcanum, omnem mentis aciem excedens, & captus noſtri anguſtias ſuperans. Unde Auguſt. *epiſt.* 3. ad Voluſ. ait: *Si ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum, non erit ſingulare. demus ergo aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur inveſtigari non poſſe, nam his in rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Idetiam indicat Scriptura; nam Paulus *ad Epheſ.* 3. vocat hoc myſterium, *inveſtigabiles divitias Chriſti.* Et concors Patrum ſententia illud Iſaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* non ſolùm de generatione æterna, ſed etiã temporali & humana interpretatur.

Probatur ratione. Quod omninò eſt extra proportionatam ſphæram intellectus creati, non poteſt ab ipſo nedum monſtrari, ſed nec etiam in ſuſpicionem ejus venire, aliàs potentia præfixos naturalis virtutis ſuę limites naturaliter tranſgrederetur. Sed Incarnatio Verbi eſt planè extra ſphærã naturalem virtutis intellectus: tum quia eſt eſſentialiter ſupernaturalis, & miraculũ vincens quodvis prodigium, habens omnes conditiones veri miraculi, quòd ſit arduum, ſupra vires naturæ, pręter ſpem, de quibus aliàs. Tum quia iſtud myſterium nullam habet connexionem cum aliqua creatura, vel effectu creato, ex cujus cognitione aſcendat intellectus ad ipſum indagandum. Tum quia tot occurrunt humano ingenio contra hujuſmodi unionem difficultates, ut niſi præluceret fides, quæ ſua myſteria evidenter credibilia reddit, intellectus noſter planè ſuccumberet. Tum demùm, quia licèt probabiliter ſolvi poſſint argumenta Gentium, quæ non ſunt demonſtrationes, quia verum non eſt vero contrarium, tamen non poteſt evidenter eorum falſitas demonſtrari, & de ea ethnicus convinci. Ergo ante fidem non poſſumus tale myſterium conjectare, nec poſt fidem rationibus cogentibus ſuadere.

Unde pulchrè obſervavit Paulus Areſius, Epiſcopus Dertonenſis, Angelum non dixiſſe iſtud myſterium eſſe poſſibile, ſed non eſſe impoſſibile. *Non erit impoſſibile*, inquit, *apud Deum*: quæ duo valde differunt. Sicut cùm dicitur, *Iſte homo eſt doctus*, aliud ſignificatur, quàm cùm dicitur, *Iſte homo non eſt ignarus*, nam hæc ſecunda propoſitio dat intelligere, illum quidem non eſſe ſimpliciter doctum, ſed aliqualem ſemi-doctrinæ veluti ſuperficiem quadantenus attingere. Similiter Angelus myſterii difficultatem contemplatus, ita ſibi viſum eſt vicinum impoſſibilitatis, ut quamvis abſolutè ſit poſſibile, non tamen vocavit illud *poſſibile*, ſed, *non impoſſibile*, ita ut ſi potentia Dei foret paulò alia quàm ſit, abſolutè impoſſibile fuiſſet, niſi difficultatem ſuperaſſet virtus infinita, charitas immenſa, & ſapientia, cujus non eſt numerus.

Dices: Si myſterium Incarnationis non implicet contradictionem, ut ex ſolvendis repugnantiis patebit, conſtat evidenter, illud eſſe poſſibile; nam intellectus creatus efficaciâ virtutis ſuæ nativæ cognoſcere poteſt, Deum eſſe omnipotentem; Deus verò eatenùs dicitur omnipotens, quatenùs id omne poteſt, quod non implicat contradictionem.

Reſpondeo, quòd licèr Theologus poſſit ſolvere difficultates contra myſterii noſtri veritatem militantes, non poteſt tamen manifeſtè demonſtrare earum falſitatem, propter quam non amittunt veriſimilitudinem, cùm ſæpiùs accidat, falſa eſſe veris probabiliora. Quare ex ſolutione argumentorum poteſt duntaxat cõcludi, myſteriũ illud non videri impoſſibile, ſed potiùs eſſe credibile, ſeu dignum, quòd credatur poſſibile, cùm nihil ejus impoſſibilitatem cõvincat. Et quamvis naturaliter ſciri queat, divinam virtutem eſſe omnipotentem, nec eſſe rerum ordini alligatam, ſed poſſe totius naturæ facultatem tranſilire, pluſque poſſe, quàm cogitare valeamus, demõſtrari tamen non poteſt, Sacramentum tot difficultatum nodis implicatum, totque aſperis objectionum ſpinis veſtitum, ob quas tamen veritas deſerenda non eſt. Nam etiam in rerum naturalium indagine ſæpè cæcutit, ſæpè deficit Philoſophia. Quis neſcit, in continuo continuas, in infinito infinitas, in æternitate æternas, & in aliis innumeris innumeras inveniri difficultates?

Ex his, quæ de poſſibilitate hujus myſterii dicta ſunt, ſatis ſuperque conſtat, exiſtentiam hujus myſterii non poſſe viribus naturalib⁹ cognoſci; ſi enim poſſibilitas vim rationis tranſcendit, quantò magis exequutio, in qua rerum agendarum difficultas pręcipuè conſiſtit? Et certè, cùm exiſtentia Incarnationis non ſolùm ſit entitativè ſupernaturalis, ſed etiam nullam habeat connexionem cum effectu vel cauſa creatis, nedum notitiam, ſed etiam ſuſpicionem excedit. Imò, difficiliùs eſt agnoſcere exiſtentiam Incarnationis, quàm poſſibilitatem, quia ad illam requireretur cognitio myſterii ſanctiſſimæ Trinitatis, cujus ſecunda perſona incarnata eſt; quod

tamen

tamen non requiritur ad poſſibilitatis notitiam, ad quam ſufficit cognoſcere Deum ut unum & ſubſiſtentem poſſe terminare naturam alienam.

Dices: Angelus evidenter, & per medium intrinſecum cognoſcit humanitatem Chriſti ſubſiſtere, cùm videat ejus operationes, quæ neceſſariò à ſuppoſito procedunt: ſed non videt ſubſiſtere ſubſiſtentiâ propriâ & naturali, quia eam cognoſceret per ſpecies ſuas, quibus omnia naturalia attingit: ergo videt eam ſubſiſtere ſubſiſtentia divina, cùm non ſit medium inter creatam & increatam ſubſiſtentiam. Unde dæmon *Luc.* 4. dicebat: *Scio quod ſis Sanctus Dei.* Et alibi dicitur: *Exibant dæmonia à multis exclamantia: Quia tu es filius Dei.*

Reſpondeo, bonos Angelos non videntes ſubſiſtentiam creatam in Chriſto, prudenter dubitaſſe, an ſibi ſubſiſtentia illa occultaretur ob latentes divini conſilii rationes: & licèt propter mirabilia virtutis Chriſti effecta quandam habere poſſent hujus rei conjecturam, ut tradit S. Thom. infrà *q.* 4. *art.* 1. *ad* 1. quia tamen cernebant ſigna humanæ infirmitati impoſſibilia, ſuſpendebant judicium mirabundi: quoad dæmones verò, quorum meminit Lucas, dicendum quòd volebant veritatem, de qua erant anxii, ſciſcitati; quia inferebant quidem humanitatem ſubſiſtere ex hoc quod videbant eam operari, ſed modum quo ſubſiſteret, ignorabant. Non inficior tamen eorum viſionem fuiſſe intuitivam, quia ad eam ſatis eſt, ut feratur in id quod ſubſiſtit, licèt ſubſiſtentiam non attingat: ſicut oculus videt intuitivè colorem, cujus tamen exiſtentiam non attingit.

R E F L E X I O.

Verè dicit Apoſtolus 1. *ad Cor.* 2. Dominicæ Incarnationis ſacramentum eſſe *Sapientiam in myſteria abſconditam*; quia nimirum omnis Philoſophorum ſapientia, quæ tale myſterium nec ſuſpicari poterat, confuſa facta eſt, dum completum eſt divinum illud opus, quod omnis humana ratio impoſſibile crediderat. Sed ò ſtupendum inexhauſtæ bonitatis divinæ profluvium! Quod humana ratio impoſſibile credidit, hoc divinus amor & poſſibile reddidit & exiſtens fecit; omneſque, quæ catervatim ſeſe opponebant, repugnantias vicit; quia nimirum hæc eſt amoris natura, ut omnem, qui ſe offert obicem auferat & debellet, ut pulchrè deſcribit Chryſologus: *Quid erit, quid debeat, quid poſſit, non reſpicit vis amoris. Amor ignorat judicium, modum neſcit: amor non accipit de impoſſibilitate ſolatium, nec recipit de difficultate remedium.* Quòd ſi amor divinus non obſtantibus tot difficultatibus Deum ad nos perduxit, nobis etiam quamlibet vilibus ad Deum quantumcunque majeſtate tremendum accedere permittet. Nemo quidem auderet, niſi ipſe veniſſet; ſed poſtquam ſpes noſtras & merita excedens venit, verecundiam abſtulit accedendi. Unde Bernard. ſerm. 9. in Cant. *Ne quæſo cenſemini præſumptionem, ubi affectio urget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro, quòd honor Regis judicium diligit, ſed præceps amor nec judicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubjicitur.*

S P E C U L A T I O II.

Poſſibilitas Incarnationis per fidem ſemel detecta, poteſt cùm adverſus Gentes, tum adverſus Judæos evidenter defendi.

PRimum probatur adverſus Philoſophos & Gentes: Incarnatio non repugnat neque ex parte Dei aſſumentis, quia cùm ſubſiſtentia divina ſit infinita, potens eſt non ſolùm terminare naturam propriam, ſed etiam alienam. Non repugnat etiam ex parte humanitatis, quæ cùm ſit realiter diſtincta à ſubſiſtentia, poteſt ab ea ſeparari, divinâ ſupplente propriam. Nec ex parte unionis id repugnat, quia non conſiſtit hæc unio in hoc quòd divina natura identificetur cum humana utriuſque confuſione ſubſtantiæ, ſed in hoc, quòd ſalva integritate utriuſque naturæ, humana aſſumatur ad divinam perſonam, cui communicatio non modò non repugnat, ſed potiùs ſummè convenit: eſt enim de ratione ſummi boni, quod ſit ſui diffuſivum. Atqui quod non repugnat, poſſibile eſt Deo, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, ut dicitur *Luc.* 1. Ergo Incarnatio eſt poſſibilis.

Objiciunt Philoſophi primò: Repugnat Deum ſupplere concurſum cauſæ formalis actuantis naturam, ut ex utraque reſultet ens per ſe, quod non poteſt conſurgere niſi ex entibus incompletis, actu ſcilicet & potentia. Sed natura divina & humana ſunt in ſuo ordine completiſſimæ, imò Deus eſt actus purus, qui in compoſitionē venire non poteſt. Ergo repugnat Incarnatio, in qua ex natura divina & humana fit ens per ſe, qui dicitur Chriſtus.

Reſpondeo divinam ſubſiſtentiam uniri humanitate non per modum actus informantis, ſed purè terminantis. Omnis enim forma informans quocunque nomine appelletur, ſive phyſica, ſive metaphyſica, imperfectionem impræſcindibilem involvit (quidquid dicant aliqui moderni) nimirum rationem partis incompletæ ad alteram compartem ordinatæ. Et quamvis omnis ſubſiſtentia creata habeat rationem actus informantis reſpectu naturæ cujus eſt compars; tamen hoc non eſt de ratione eſſentiali ſubſiſtentiæ, ut patet in divinis ſubſiſtentiis relativis naturam divinam abſque informationis labe terminantibus. Et licèt ex pluribus entibus completis, quorum unum non trahitur ad eſſe alterius, non poſſit fieri ens per ſe, benè tamen ſi ad exiſtentiam alterius promoveatur, ſicut humanitas ſublimatur ad eſſe divinum, quod quomodo veniat in compoſitionem, explicabitur infrà.

Hîc ſolùm diligenter nota, quare repugnet Deo ratio formæ informantis, non verò actus terminantis. Quia nimirum licèt utraque perficiat ſubjectum, tamen forma informans ordinatur ad aliquid perfectius, ſicut anima tendit ad componendum hominem, qui eſt perfectior animâ. At verò actus terminans non ordinatur ad totum magis cōpletum, ſed potiùs totam naturam ad ſe ordinat, & ad ſuum eſſe trahit; unde caret omni imperfectione, ſed perfectionem effundit. *Divinitas*, inquit D. Th. opuſc. 2. cap. 211. *non advenit animæ & corpori per modum formæ & partis, hoc enim eſt contra rationem perfectionis: unde ex Divinitate & anima non conſtituitur una natura, ſed ipſa natura divina in ſeipſa integra & pura exiſtens, ſibi quodam modo incomprehenſibili & ineffabili, humanam naturam ex anima & corpore conſtitutam aſſumpſit.*

Objiciunt ſecundò: Implicat produci effectum omnium perfectiſſimum, aliàs exhauriretur divina omnipotentia: Sed Incarnatio eſt omnium poſſibilium operum Dei perfectiſſimum; eſt enim tam perfecta divinæ bonitatis profuſio, ut eâ nulla ſit, nec excogitari poſſit cumulatior: Ergo.

Reſpondeo, fatendo divinum illud compoſitum, qui eſt Chriſtus, ſeu Deus-homo, eſſe omnium poſſibilium præcellentiſſimum, ratione Divinitatis, quæ non eſt opus, ſed artifex; humanitas tamen potuit eſſe phyſicè perfectior: quando autem dicunt Doctores, non poſſe dari effectum omnium poſſi-

bilium perfectiſſimum, loquuntur de effectibus merè creatis, in quos non ingreditur ipſa Divinitas.

Objiciunt tertiò: Implicat Deum intrinſecè mutari, cùm in eo nec minima ſit viciſſitudinis obumbratio, ſed Deus per Incarnationem neceſſariò mutaretur; mutari enim nihil aliud eſt, quàm aliter ſe habere ac priùs; per Incarnationem verò Deus aliter ſe habet, cùm per illam fiat intrinſecè homo. Quomodo autem fieri poteſt intrinſecè homo, niſi humanitas fiat illi intrinſeca? Et quomodo poteſt eſſe de novo illi intrinſeca, niſi illum intrinſecè mutet? Ergo impoſſibilis eſt Incarnatio.

Reſpondeo, ideo Deum non mutari per Incarnationem, quia in noſtro myſterio nihil perdit, nihil acquirit, ſed ſolùm ſuam perfectionem infinitam diffundit, nec fit homo humanitatem recipiens, ſed implens; non ſuſtentans paſſivè, ſed portans verbo virtutis & ſubſiſtentiæ ſuæ. Quare tota mutatio ſe tenet ex parte humanitatis propriâ ſubſiſtentiâ carentis, & divinam acquirentis.

Dices: Si Angelus incarnaretur, quamvis nihil aliud præſtaret, niſi terminare naturam, tamen intrinſecè mutaretur, hac ſolùm de cauſa, quia inciperet intrinſecè fieri, quod antea non erat: Sed Deus ſimiliter fit intrinſecè homo, quod antea non erat: Ergo.

Reſpondeo, Angelum in illa ſuppoſitione (quam impoſſibilem eſſe inferiùs monſtrabitur) mutatum iri, quia novum eſſe, novamque realem relationem compararet, cùm ſubſiſtentia Angeli ſit modus afficiens naturam, à qua proinde recipit eſſe in genere cauſæ materialis; ſicque informans naturam humanam, novum eſſe acquireret, & novam relationem realem, cujus Deus eſt incapax, cùm ſit actus purus, immotus movens omnia.

Inſtabis: Ideo ſecundùm nos ſubſtantia divina poteſt terminare naturam creatam, quia eſt infinita: Sed hæc infinitas potiùs impedit, quominùs poſſit fieri hæc unio cum humanitate finita, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio, ſed potiùs infiniti diſtantia: Ergo.

Reſpondeo, inter Deum & creaturam eſſe proportionem, non quidem æqualitatis in eſſe entis, ſed proportionem habitudinis ratione potentiæ obedientialis, quâ poteſt perfici à Deo; quia per illam, etſi non habeat infinitam perfectionem, habet tamen infinitam capacitatē, & veluti indigentiam divinæ plenitudinis ſuſceptivam, ut aliàs dixi, dum de viſione Dei. Cæteræ, quas opponunt & obtrudunt, repugnantiæ petitæ ex indecentia, quæ illis apparet, ſolventur ſpeculatione ſequenti.

Probatur ſecundò contra Judæos ex propriis eorum principiis. Præcipuè enim negant, Chriſtum eſſe Meſſiam, quantumvis in illo Prophetarum vaticinia adimpleta eſſe videant, quia dicunt impoſſibile eſſe, Deum immortalem, actum purum, immutabilem, fieri hominem mortalem, corporeum; aſſeruntque, illud eſſe paradoxum, quod nec eſſe, nec concipi poteſt, & quo admiſſo, omnia Divinitatis monilia depereunt. Ad hoc extremum propugnaculum dum urgentur, recurrunt ſemper, unde in eo deſtruendo totius negotii ſumma conſiſtit.

Id autem facilè confici poteſt ad hominem, ſeu ex propriis eorum principiis, ut egregiè oſtendit Illuſtriſſimus Dominus, Joſephus Cyantes, Epiſcopus Marſicenſis, ex Ordine noſtro aſſumptus, Vir eruditione conſpicuus, & Hebraicæ linguæ peritiâ nulli ſecundus. Hebræi de aliis ſermonem habentes, idem de Deo docent, quod nos in Incarnationis Sacramento profitemur. Rabini etenim, ut explicent loca illa Scripturarum, in quibus Deus dicitur mutari, pœnitere, aliaque id genus efficere, quæ mutationem quandam præ ſe ferunt, commentantur fuiſſe productam à Deo hierarchiam decem ſpirituum, mutationis capacem, quos Deus ad omnes mundi effectus veluti inſtrumenta adhibet, ad quorum motum omnem Dei varietatem referunt, ſicque illum à mutationis labe exuunt.

Has decem intelligentias *Zephiras* vocant, primam appellant *Chetes*, ſecundam *Chema*, tertiam *Bina*, quartam *Cheſed*, quintam *Gheuvra*, ſextam *Tipheret*, ſeptimam *Netzech*, octavam *Hod*, nonam *Ieſod*, decimam *Malcut*. Uni ex illis tribuunt juſtitiæ rigorem, alteri miſericordiæ profuſionem, alteri bellorum regimen, alii generis humani tutelam, ſicque ſalvare conantur, Deum non mutari, quia contrarios illos motus in prædictas Zephiras refundunt: unde Rabbi Jeouda Chajat *lib. Mabarechet Haclaut*, in ſuo commentario *fol.35.* ait: *Deus benedictus in Zephiras, ut operationes perficiant ſuas, influit, neque ipſe ſuas immutat.* Qui influxus Dei in Zephiras, eſt eadem divina eſſentia, quæ illis intimè conjungitur. Quas Zephiras viventes eſſe dicunt, aſſeruntque eſſe Angelorum præſtantiſſimos ſpiritus, qui hominum precationes audiunt, & ad Deum deferunt.

Hunc autem influxum Dei in Zephiras, explicant Rabini, præſertim Rabi Cordoverus, libro *Pardes Rimonim*, variis exemplis, tum animæ influentis vitalitatem, & motum membris externis, quæ ciet ipſa immota; tum exemplo Solis, decem vitrea ſpecula diverſis coloribus picta illuſtrantis; cùm tamen nulla ſit in radiis diverſitas, ſed in vitris mediis; tum exemplo flammæ adhærentis prunæ, & ex ea proſilientis, cui niſi flamma alligaretur, nihil ageret; tum arboris à radicibus non divulſæ, ſed ab eis humorem exſugentis. Et licèt in his exemplis ſint multæ abſurditates, dum applicantur Deo in ordine ad Zephiras, has tamen non moror, ſed potiùs ex illis ſic contra ipſos inſiſto.

Non eſt majus, nec repugnantius inconveniens, Deum naſci, pati, mutari, mori ratione humanitatis aſſumptæ, modò hi defectus nativitatis, mutationis, paſſionis, & mortis non redundent in Divinitatem, quàm quòd contrarii & diverſi motus juſtitiæ, miſericordiæ, iræ, pœnitentiæ, propriè, & ſine metaphora dicantur de Deo ratione decem Zephirarum, quibus conjunctus eſt: Sed ſecundum admittunt Judæi ex doctrina omnium Cabaliſtarum, ſeu Theologorum ſuorum: Ergo in primo quod aſſerunt Chriſtiani, nulla erit pariter repugnantia. Nam ſicut per Hebræos in Zephiras revocatur tota mutatio, ita & ſecundùm nos in ſolam humanitatem: quare non magis repugnat inzephiratio Judæorum, quàm Incarnatio Chriſtianorum.

Præſertim quia ſicut nos in Incarnatione admittimus idiomatum communicationem, ita & ipſi in unione Dei cum Zephiris. Ait enim Rabbi Chaiat citatus: *Quidquid dicitur de Zephiris, eſt idem ac ſi propriè diceretur de Deo. Et iterum: Quia Zephiræ adhærent Enſof* (id eſt Deo) *ut flamma ad prunã alligatur, ideo earum operatio eſt operatio Creatoris propriè & certò. Et lib. Gavodat Acadeſc. p.1.c.12.* ait: *Quod ex Deo & Zephiris componitur, eſt unum ſimplex.* Quod Rabi Cordoverus dicit quidem eſſe arcanum ingeniis impervium, verumtamen. Certè ſi hoc ita ſit, non aliter differunt à Rabbinis Chriſtiani, niſi quòd nos unicam unionem Verbi cum humanitate fatemur, illi decem: Judæi eas admittunt ex neceſſitate, ut Deus poſſit agere, & non mutari: Chriſtiani

ex

ex charitate, ut Deus tot beneficiis corda alliciat. Quàm ſuavis divinæ providentiæ ſpiritus, qui ut Judæos convertat, non ſolùm facit ut ſacros libros nobis deferant, quibus convincantur, ſed etiam eas ſententias afferant, in quibus Incarnatio tam claré aperitur, ut ſancti Patres plura ex his, quæ ad ſuam inzephirationem explicandam exemplis utuntur, ad illuſtrandam Incarnationem adhibeant! Sed proh hominum cæcitatem! Dum nobis lumen præbent, ſibi ipſis adimunt, ſimiles candelabro, quod dum aliis lumen affert, ſeipſum non videt.

Dicent Rabbini, eſſe differentiam inter ſuam doctrinam & noſtram, quia Zephyræ ſunt pulcherrimæ ſubſtantiæ, ſpiritales, perlucidæ, à materia immunes, unde non dedecet eas primo ſpiritui copulari: at verò humanitas in eo ſtatu in quo aſſumptam dicimus à Verbo, eſt corporea, miſera, paſſibilis, corruptioni obnoxia, quam proinde aſſumere Deus horreſcit.

Sed hæc reſponſio deploranda eſt, & ſapit homines carnales, quaſi verò à Deo infinitè perfecto, perinde non diſtet Angelus & caro, Zephira & humanitas? Cùm inter finitum & infinitum nulla ſit proportio: quod ſpiritualiores inter Hebræos tandem advertetunt. Nam Rabbi Guſriel, & Rabbi Simeon à Cordnvern citati, fatentur, quòd perfectiſſima Zephiratum, quanquam lux ſit, coram tamen cauſarum cauſa tenebris involvitur.

Urgent, inintelligibile eſſe, Deum immenſitate ſua implentem omnia, coarctari intra Virginis uterum, & corpuſculi dimenſiones; & Deum immaterialem fieri corpus.

Sed dum hæc opponunt, ſuæ doctrinæ obliviſcuntur: nam peto ab eis, num in Zephiris utique finitis & limitatis, anguſtetur Deus? Quod etiam vidit Cordoverus, qui fatetur Deum immenſum, quem cæli cælorum capere non poſſunt, tamen inter duo arcæ ligna Divinitatẽ ſuam coarctaſſe, quia nimirum eò loci peculiari modo fuit abſque præjudicio immenſitatis. Similiter peto, num Deus cum Zephiris utique creaturis unitus fiat creatura?

Radix omnis deceptionis Iudæorum eſt, quia putant Chriſtianos opinari, Deum per Incarnationem fuiſſe in corpus transformatum, in ſubſtantia mortuum, & quidquid de Chriſto dicimus, ipſi divinæ naturæ cum humana permixtæ convenire; cùm tamen propalam & ubique prædicent Chriſtiani in hoc myſterio ſalvam manere utriuſque naturæ veritatem, ſuperiorem non minuere aſſumptionem, nec inferiorem glorificatione conſumi: denique Verbum & humanitatem uniri non converſione Divinitatis in carnem, non confuſione ſubſtantiæ, ſed aſſumptione humanitatis in unitatem perſonæ, quæ ſemper immutabilis, ſemper Deus permanet.

REFLEXIO.

Si ex propriis principiis convincuntur Hebræi, & veluti Goliat proprio mucrone truncantur, quantò magis ex principiis Evangelii vita tua (Lector) accuſabitur, judicabitur, condemnabitur: Rectè dixit Apoſtolus, fidem eſſe *argumentum*. Hebr. 11. *Subſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Quia nimirum ex præmiſſis fidei tuæ infertur concluſio damnationis tuæ. Peccato mortali ſupplicia minitatur æterna fides tua: Peccatis conſpurcatur vita tua: Ergo ex fide tua certa eſt perditio tua. Hanc conſequentiam deducunt impii, ſed ſerò, dum dicunt: *Ergo erravimus*. Eſto illis prudentior, magis provida ſit Philoſophia tua; è principiis tuis legitimas deriva concluſiones, ne argumento, quod vocant *ad hominem*, captus, eò graviùs plectaris, quo inexcuſabiliùs accuſaberis. Verè enim dixit Salvianus lib. 4. de Provid. *Nihil nobis prodeſt, quòd lex eſt bona, ſi vita noſtra & converſatio non eſt bona. Lex enim bona muneris eſt Chriſti, vita autem non bona criminis noſtri. Immò hoc magis culpabiles ſumus, ſi legem bonam colimus, & mali cultores ſumus. Quinpotiùs nec cultores, ſi mali; quia cultor dici non poteſt malus cultor. Neque enim colit, qui rem ſanctam non ſanctè colit. Ac per hoc accuſatrix eſt lex ipſa, quam colimus. Etſi eadem agant barbari, quæ nos agimus, nos tamen majore offenſione peccamus. Poſſunt enim noſtra & barbarorum vitia eſſe paria, ſed in his tamen vitiis neceſſe eſt peccata noſtra eſſe graviora. Noſter ergo hic peculiariter reatus eſt, qui legem divinam legimus, & legalia ſemper ſcripta violamus; qui Deum noſſe nos dicimus, & juſſa illius ac præcepta calcamus, ac per hoc cùm eum ſpernamus, quem coli à nobis credimus atque jactamus, id ipſum quod cultus Dei videtur, injuria eſt.*

SPECULATIO III.

Nihil indecorum in Incarnationis myſterio, ſed innumera convenientia effuſiſſimè collucent, & certatim conſpirant.

VErè dixit D. Thom. 4. cont. Gent. c. 54. *Piè conſideranti myſterium Incarnationis, ſemper magis ac magis mirabiles congruentiæ & rationes ſeſe offerunt.* Quas paulò fuſiùs referemus, ut iis & fidelium charitas inflammetur, & infidelium curetur faſtidium, quibus noſtrum myſterium ſtultitia viſum eſt. Tantam autem congruentiarum meſſem ad tres claſſes reducemus. Nam myſterium hoc fuit & Deo, & homini, & toti univerſo convenientiſſimum.

In primis, quòd fuerit conveniens Deo, probatur duplici ratione D. Thomæ. Prima ſic proponitur: Deo convenientiſſimum eſt, ut ſe ſummo modo communicet; nihil enim tam conforme eſt alicui, quàm agere ſecundùm ſuam naturam: natura autem boni eſt, ſeſe diffundere, & Deus eſt ſummum bonum, & ipſa bonitatis eſſentia. Atqui per opus Incarnationis Deus ſe ſummo modo communicavit; nullus enim major eſt, vel excogitari poteſt communicationis modus eo, quo natura divina & humana in eodem ſuppoſito ſubſiſtunt, & quo Creator & creatura una eademq; perſona evadunt. Nam in ordine quidem naturæ dat Deus dona ſua, ſed naturalia; in ordine gratiæ dat quidem ſupernaturalia, ſed creata; in ordine gloriæ dat quidem ſeipſum, ſed in eſſe intelligibili: at in unione hypoſtatica dat ſeipſum ſecundùm eſſe proprium, naturale, & perſonale, ita ut ſit verum dicere: Deus eſt homo, homo eſt Deus. In prima communicatione facit Deus hominem creaturam rationalem, in ſecunda ſanctum, in tertia beatum, in quarta Deum. Ire ulteriùs divina profuſio non poteſt, niſi aliquid quæramus poſt omnia, vel aliquid ſit majus Deo: Ergo Deo convenientiſſima fuit Incarnatio.

Altera ratio D. Thomæ ſic ampliùs expenditur: Illud opus eſt maximè Deo conveniens, in quo ſingulariter reſplendent divinæ perfectiones: Sed in opere Incarnationis mirabiliter ſplendent divina attributa: Ergo. Major conſtat, ad hoc enim totus mundus conditus eſt, ut gloriam Dei manifeſtaret; & ideo dicitur, quòd omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; & ad hoc creaturæ omnes ordinantur, ut in illis tanquam in libro inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur. Minor ergo probatur; nam ut eleganter ait Auguſtinus tract. in Ioan. *Cùm Deus ſit omnipotens, plus*

dare non potuit; cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſciVit; cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit. Hoc parebit breviter diſcurrendo per attributa.

Relucet ſapientia in adinventione medii tam opportuni, quo juſtitia cum miſericordia temperetur. Potentia micat, extrema adeo diſtantia connectens. Juſtitia rigoroſam inveniens peccatorum ſatisfactionem. Bonitas tam coploſè ſe profundens. Clementia & miſericordia homines indigniſſimos à tot miſeriis ſublevans, & in Chriſto continuò manantem ſalutis fontem adaperiens.

Sed inter cætera præcipuis radiis collucent magnificentia, & miſericordia. Magnificentia quidem, quæ ut Sanctus Thomas docet, eſt virtus factiva magnorum, cujus materia ſunt magni ſumptus pro gloria Dei. Quid autem majus eſſe vel concipi poteſt unione hypoſtatica, quæ infinitam Verbi perſonam includit? Non poſſunt etiam eſſe majores ſumptus; nam cùm Salvator unico ſuſpirio genus humanum redimere potuiſſet, nihilominus tot agere, & tanta pati veluti prodigus elegit. In nullo etiam opere magis ſplenduit gloria Dei, nam per hoc myſterium cognoſcenda, amanda, & imitanda apparuit divina perfectio.

De miſericordia idem patet, unde & poſt Incarnationem Deus vocatur pater miſericordiarum, quia nimirum miſericordia duo importat, affectum ſcilicet & effectum. Primo carebat Deus ante Incarnationem, quia in ſua natura eſt incapax triſtitiæ & teneritudinis, quam importat affectus miſericordiæ: habebat ergo ſolum effectum, cùm miſerias ſublevabat humanas. At poſt Incarnationem non ſolùm theſauros miſericordiæ ſuæ effudit Deus, qui dives eſt in miſericordia; ſed etiam affectum ſenſit, & expertus eſt in humanitate aſſumpta: unde ait Apoſtolus, *Debuit per omnia Fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret.* Patebit ſolutione objectionum ſplendor aliarum perfectionum.

Objicies primò: Potiùs videntur attributa divina hoc Myſterio obſcurari: tum Majeſtas Divina; nam valde indecorum eſt, Deum deprimi & ſub Angelis minorari, ut hoc myſterio evenit. Tum juſtitia, indecens enim videtur, ut innocens obligetur ad ſatisfaciendum pro reis. Tum immenſitas, cùm perſona divina intra humani corporis anguſtias coarctetur. Tum æternitas; nam per hoc myſterium Deus habuit initium, progreſſũ, & finem. Tum unitas, quia ut infra dicemus, per hoc myſterium perſona Verbi compoſita eſt. Tum veritas; nam in hoc myſterio dedit occaſionem malè ſentiendi de Divinitate; quis enim credet Deum immunem à materia, ſi corpori uniatur; immortalem, ſi mortem ſubeat; æternum, ſi tempori obnoxius ſit; independentem, ſi hominibus ſubdatur; beatum, ſi miſerias ſuſcipiat? Ergo iſtud myſterium non poteſt dici rectè conveniens ad divina attributa manifeſtanda.

Reſpondeo, quod ſicut oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcũt, & pulchra admota fœdis pulchriora redduntur: ſic divinæ perfectionis ſulgor humanæ infirmitatis adjunctione magis enituit. Nam quemadmodum ut fiat ſpeculum, exigitur & cryſtallus pellucida, & corpus opacum, ut emitti poſſint ſpecies objectorum in oculum: ſic ut nobis appareant divinæ perfectiones, neceſſum fuit ut Verbum, quod eſt ſplendor Patris & candor lucis æternæ, aſſumeret humanitatem, quâ indutus micantiſſimos vibrat perfectionum ſuarum radios. Unde mellitè Bernard. ſerm. 45. in Cant. *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Jeſu in forma Dei in die æternitatis tuæ, in ſplendoribus Sanctorum, ante Luciferum genitus, perpetuus, minimèq; fucatus candor vitæ æternæ! Quàm mihi decorus es Domine mi, in ipſa tui poſitione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuiſti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulſit, ibi amplius gratia radiavit.*

Quare ad ſingula ſigillatim dicendum. In primis ſalvatur Majeſtas, quia in Chriſto Divinitas ſemper retinet gradum eminentiæ ſuæ ſupra Angelos; humiliatio verò Chriſti ut hominis, via eſt ad exaltationem ejus ſupra Angelos, ſaltem in donis gratiæ. Unde rectè obſervavit Bernard. quòd per hoc amplificata fuit & exaltata divina celſitudo, quòd ad nos deſcenderit. *Chriſtus* (inquit ſerm. 2. de Aſcenſ.) *cùm per naturam Divinitatis non haberet quo creſceret, quia ultra Deum nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret, invenit veniens incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltavit illum.* Et Plinius Junior in Trajano dicebat: *Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hoc unum reſtat, ſi deſcendat.* Adde, quòd in omnibus vitæ Chriſti humiliationibus ſemper aliquis ſplenduit fulgor Divinitatis. Concipitur in carne, ſed Spiritu ſancto; naſcitur, ſed de Virgine; jacet in præſepio, ſed à Regibus adoratur; fugit in Ægyptum, ſed ibi idola ſubvertit; vivit pauper, ſed miracula patrat; rapitur à militibus, ſed eos priùs proſternit; crucifigitur, ſed terra concutitur; moritur, ſed Sol obſcuratur: ſepelitur, ſed propriâ virtute reſurgit.

Conſervantur etiam jura juſtitiæ, quæ non læditur, dum innocens punitur pro nocente, quando primus eſt vas & fidejuſſor ſecundi. Verbum autem caro factum eſt, ut ſe vadem & fidejuſſorem daret pro peccatorib9, & quidem libenter & ſpontaneè: & quamvis divinum jus reparando multa indigna paſſus ſit, hoc tamen ſummè decet ejus clementiam, ut rectè exprimit Tertull. lib. 2. contra Marcion. *Aſſumpſiſſe Deum quædam ſibi indigna, nobis autem neceſſaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominum.*

Conſervatur etiam immenſitas, quia quem cæli capere non poterant, portavit quidem, ſed non concluſit uterus virginalis, vel corpus infantis: ſicut immenſitatem non coanguſtavit, vel contraxit orbis conditus, quia ſic Deus in ipſo eſt, ut poſſit ad alios in infinitum mundos protendi. Nec eſt inconveniens, quòd eadem perſona poſſit prædicari immenſa, & ſimul loco circumſcripta, ratione diverſorum: ſicut de homine dicitur, quòd ſit incorruptibilis reſpectu animæ, corruptibilis ratione corporis. Et ſimiliter Chriſto ratione Divinitatis & humanitatis diverſa conveniunt: ex quo etiam patet, quomodo poſſit in ipſo ratione diverſorum ſalvari æternitas & temporalitas.

Unitas etiam non ſolùm non violatur, ſed mirum in modum illuſtratur. Nam unio hypoſtatica eſt maxima unionum, & talis, ut verè dicatur homo-Deus, & Deus-homo; tamque indiſſolubilis, ut per mortem ſeparatâ à corpore animâ, utrique manſerit Verbum unitum; nam ut ait S. Leo ſerm. 17. de paſſion. *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* Et Bernard. *lib. 5. de conſider.* ait: *Inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitatis; & poſt ipſam eſt unitas dignativa, quæ eſt in Chriſto.* Unde fructus præcipuus hujus myſterii eſt prædicatio unius Dei, & expulſio idololatriæ. Quomodo verò perſona Chriſti ſit compoſita, infrà exponemus.

Denique veritas ideo divinæ celſitudinis gloriam veluti quibuſdam involucris & quaſi velis obtendere

tendere

tendere voluit, ut magis ſplenderet: unde ipſe Salvator dicebat, Joan. 18. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Et Joannes Baptiſta de ipſo loquens ajebat Ioan. 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et ipſe Evangeliſta ibidem ait: *Vidimus gloriam ejus, plenum gratiæ & veritatis.* Itaque Verbum Incarnatum occultavit quidem, & veluti velavit gloriam ſuam, non ut nos deciperet, vel dubium de Divinitate afferret, quam tot miraculis & portentis manifeſtavit, ſed potiùs ut appareret id, quod Deus eſt; nam ſi enituit ſumma ſapientia, charitas infinita, conveniens fuit, ut verbis loqueretur humanis Verbum Patris, ut ſincerum amoris ardorem exprimeret; loquutio enim eſt mentis expreſſio.

Objicies ſecundò: Providentia, quæ eſt unum ex ſplendidioribus Dei attributis, à qua & Deus nominatur, videtur etiã fuiſſe læſa in hoc myſterio. Nam providentiç eſt reſpicere circumſtantias rei faciendæ: Sed Incarnationis multæ ſunt circũſtantiæ non convenientes, & præcipuè circumſtantia temporis; nam optimi Medici eſt, ſubitum afferre morbo remedium, juxta illud: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur.* Et tamen Incarnatio, quæ eſt remedium peccati, tamdiu & tot ſæculis dilata eſt.

Reſpondeo, omnes circumſtantias loquutionis hujus myſterii, ſive quoad tempus, ſive quoad modum eſſe convenientiſſimas, ut conſtabit ex dicendis infrà dum de myſteriis vitæ & converſationis Chriſti. Unde ad id quod objicitur ex parte temporis, dicendum Incarnationem non debuiſſe præcedere peccatum, cùm ſit ejus remedium, nec exequutioni mandari ſtatim poſt peccatum, tum ob ſuperbi hominis humiliationem diuturno propriæ infirmitatis experimento percipiendam. Tum ob Chriſti gloriam multiplici prophetiarum apparatu prænuntiandam, multiſque ſuſpiriis, votis & gemitibus poſtulandam. Non decuiſſet tamen uſque ad finem mundi differri, tum ne ſpes tanta dilatione deficeret, tùm ne morbi tam dilatâ remedii orbitate fierent incurabiles.

Dominica Incarnatio fuit etiam maximè conveniens humano generi.

Probatur enumerando emolumenta collata homini per Incarnationẽ. Primò quidem propter doctrinam, quam unigenitus qui eſt in ſinu Patris, nobis enarravit. Secundò propter liberationem à mancipio dæmonis, qui foràs ejectus eſt. Tertiò propter virtutum exemplum, quarum viam Salvator in ſe demonſtravit. Quartò propter peccatorũ remiſſionem, adeptumque jus ad gratiam & gloriam. Quintò propter ſublimationem naturæ noſtræ, quæ conjunctionem & veluti conſanguinitatem cum Deo aſſequuta eſt in humanitate Salvatoris noſtri ad eſſe divinum evectæ, unde & ei cultus latriæ exhibetur etiam ab Angelis: unde dixit Auguſt. lib. de præd. SS. c. 15. *Tam excelſa, & tam ſumma eſt hæc humanæ naturæ ſubvectio, ut quò attollatur altiùs, non habeat.* Denique omiſſis innumeris aliis, per hoc myſterium acceſſum habemus ad Patrem, quem ante Incarnationem formidandum majeſtas proponebat; ſed ex hoc quòd Deus frater noſter & caro noſtra eſt, faciliùs & veluti familiariùs Deum adimus, ut ait D. Auguſt. in Manual. c. 26. *Ut familiariùs diligeretur ab homine Deus, in ſimilitudinem hominis apparuit Deus.*

Ut autem magis penetres, quomodo in hoc myſterio cum gloria Dei jungantur ſimul utilitates noſtræ: Conſidera per peccatum Protoparentis duo mala patraſſe hominem, quæ tangit Jeremias cap. 2. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas.* Per primum fuit injurius Deo: per ſecundum totam naturam ſauciavit. Nam ſi diligenter advertas, nulla eſt in Deo perfectio, quam non offenderit peccatum; nulla facultas in homine, quam non infirmarit. Ad illud utrumque malum, & Deo intentatum, & homini illatum reparandum, neceſſe fuit & quòd Deus ſuas perfectiones homini conferret, & quòd infirmitatis ſibi humanas aſſumeret.

Controverſia eſt inter diſcipulos Paracelſi & Galeni, num corporis ægritudines curandæ ſint contrariis, an ſimilibus? Quidquid ſit, utrumque remediorum genus in noſtro myſterio invenimus. Nihil magis ſimile Patri, quàm Verbum, quod eſt figura ſubſtantiæ ſuæ; nihil magis contrarium divinæ perfectioni, quàm humana vilitas: igitur ſi violatæ divinæ Majeſtatis jura reſarcienda ſint ſimilibus, habemus hominem-Deum; ſi contrariis reſtauranda, habemus Deum-hominem: ſimiliter ſi curanda humani generis ægritudo ſimilibus, habemus hominẽ, quem quærebat Paralyticus, dum diceret, *hominem non habeo*; ſi contrariis, Deum poſſidemus.

Illuſtratur diſcurſu D. Thom. *art. 5.* Tunc perfectè reparatur genus humanum, quando convenientiſſima ipſi proponuntur media, tum ut promoveatur in bonum, tum ut avertatur à malo; nam ſic habet omnem perfectionem ſibi connaturalem: atqui utrumq; hoc medium ſanandæ noſtræ miſeriæ per Incarnationem copioſiſſimè propoſitum eſt: ergo. Probatur prima pars minoris quinque rationibus. Primò, quia ſic magis certificatur fides, magis enim Deo loquenti creditur. Secundò, ſpes magis erigitur acquirendæ ſalutis, pro qua nobis aſciſcenda, filius Dei naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium. Tertiò maximè charitas excitatur, dum apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, unde ad Rom. 5. dicitur: *Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quòd cùm adhuc inimici eſſemꝰ, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Et ad Epheſ. 2. *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatẽ, qua dilexit nos, convivificavit nos in Chriſto.* Quartò exemplum omnis bonæ operationis nobis præbetur. Unde dicitur Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, ut ſicut ego feci, ita & vos faciatis.* Quod dictum, ut notat D. Thom. ibidem, non eſt limitandum ad ſolam pedum lotionem, ſed ad omnia opera Chriſti extendendum. Quintò plenè divinitas participatur, in qua vera hominis beatitudo conſiſtit, quia Chriſtus eſt via, & oſtium, per quod ſi quis introierit, paſcua inveniet, id eſt, futuram bonorum omnium ſatietatem.

Secundam partem minoris confirmat idem Angelicus Doctor aliis quinque rationibus. Primò, quia inſtruitur homo, ut Diabolum, qui eſt author peccati, deteſtetur & contemnat, ex eo, quòd per hoc myſterium ſit humiliatus. Secundò innoteſcit humanæ naturæ dignitas, quam ſordibus peccatorum inquinare dedecet. Unde Leo Papa *ſerm. 1. de Nativit.* ait: *Agnoſce, Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.* Tertiò præſumptio hominis tollitur, dum tanta dignitas humanitati Chriſti, nullis præcedentibus meritis, datur. Quartò ſuperbia, quæ maximò impedimento eſt, ne inhæreamus Deo, per tantam humilitatem redarguitur; nam ut ait Bernard. ſerm. 1. de Nativ. *Intolerabilis impudentia, ut ubi ſeſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur & intumeſcat.* Quintò excutitur ſervitus diaboli, dum homo-Deus pretii

difficillimi ſolutionem dedit. quas omnes rationes totidem Auguſtini teſtimoniis illuſtrat, quæ vide.

Dices: Nonne convenientiùs fuiſſet, ſi Deus nullâ petitâ ſatisfactione, gratis peccata noſtra condonaſſet, ſicut nobis præcipit, ut dimittamus debita noſtra debitoribus noſtris: ut ſicut ipſe gratìs Sanctos prædeſtinavit ad gloriam, ita & gratìs eos ad illam perduceret; hoc enim liberalius & nobilius apparet, proindeque convenientius.

Reſpondeo, quòd cùm in omnibus viis Domini ſit miſericordia & veritas, ſeu juſtitia, illud opus perfectiſſimum cenſendum eſt, in quo ſimul cum miſericordia ſumma ſplendet juſtitia. Hoc enim privatam inter & publicã perſonam intereſt, quòd illam offenſam ſine ſatisfactione remittere, laudabile eſt; iſta verò, putà Judex, miſericordiam juſtitiâ acuere debet, ne facilitate veniæ & impunitate laxentur habenæ peccantibus. Cùm ergo Deus ſit ſimul & Pater miſericordiarum, & Deus ultionum, debuit unum attributum altero temperare, quod in Incarnatione mirabiliter effectum eſt. Nec prædeſtinatio gratuita Sanctorũ excludit merita Chriſti, ſed ea cauſavit, ut per ipſa in exequutione electi gloriam conſequerentur. Sed de his aliàs.

Dices iterum: Illud non eſt conveniens humanitati, per quod eſt in continuo ſtatu violento: Sed hoc accidit per Incarnationem, in qua humanitas privatur ſubſiſtentiâ, quam tamen natura continuò appetit: qui proinde appetitus fruſtratur; & tamen eſt immobilis, cùm ſit naturalis, in quo differt ab elicito, qui mutatis apprehenſionib[us] variari poteſt: Ergo Incarnatio non fuit conveniens humanitati.

Reſpondeo, appetitum humanitatis eſſe perfectè ſatiatum divinâ hypoſtaſi eminentiſſimè continente omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ, & creabilis: unde cùm ſit eâ abundè contentus, non fertur ad propriam ſubſiſtentiam: ſicut appetitus beatitudinis naturalis, adeptâ beatitudine ſupernaturali, pleniùs quieſcit. Et ratio eſt, quia potentia non inclinatur ad actum, niſi ut compleatur: ſi ergo humanitas ſit cõpleta per actũ eminentiorem inamiſſibiliter poſſeſſum, & totã ſuam capacitatem explentem, quid ampliùs deſiderabit? Multùm enim avarus eſt, cui Deus non ſufficit: & valde inordinatus eſt ille appetitus, qui fertur in carentiam majoris perfectionis ad aſſequendam minorem.

Quòd Incarnatio fuerit conveniens univerſo.

Traditur hæc ultima convenientia, *ad Epheſ.* 1. dicitur, omnia in Chriſto inſtaurata fuiſſe. Et *Joan.* 3. Incarnatio dicitur facta non ſolùm ex amore hominis, ſed etiam totius mundi.

Ratio eſt: tum quia cùm homo ſit compendium univerſi, aliquid enim omnis creaturæ eſt homo, qui habet eſſe cum lapidibus, vegetari cum plantis, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis; fit inde, ut ſimul cum homine univerſum ſub Deo totum conſecratum ſit. Tum, quia mundus per hoc myſterium adeptus eſt omnes gradus, inter quos primatum tenet ordo unionis hypoſtaticæ, quo antea carebat.

Denique per peccatum protoparentis, tota creaturarum univerſitas læſa fuerat; nam peccatum Regibus & Principibus illatum, toti multitudini ſubditorum injurium eſt; & ideo graviora ſunt peccata in ſuperiores patrata, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 65. art. 4. dicens: *Quantò aliqua injuria in plures redundat, cæteris paribus, tantò gravius eſt peccatum; & inde eſt, quòd gravius eſt peccatum, ſi quis percutiat Principem, quàm privatam perſonam, quia redundat in injuriam totius multitudinis.* Si læſo Principe, tota multitudo offenditur, procul dubio injuria Deo illata, in totam creaturarum univerſitatem redundabit; unde & dicitur, quòd Deus creaturam armabit ad ultionem inimicorum & quòd pugnabit orbis terræ contra inſenſatos. Igitur convenienter in homine aſſumpta eſt omnis creatura, ut & Deo, & toti univerſo fieret ſatis; ſeu, ut loquitur Apoſtolus, reconciliaret totum omnia, & quæ in cælis, & quæ in terra.

Sed inquies: Illud non eſt conveniens univerſo, per quod Deus majorem amoris ſignificationem exhibuit parti, quàm toti: Sed per Incarnationem Deus plus amavit humanitatem Salvatoris, quàm mundum ipſum totum; plura enim dona contulit Chriſto, quàm univerſo mundo: Ergo Incarnatio non fuit univerſo conveniens.

Reſpondeo, quòd cùm intra creaturarum ambitum includatur humanitas Salvatoris, Deus humanitatem decorando, & ad Divinitatem ſublimando, totam univerſitatem redamare, & illuſtrare cenſendus eſt, ſicut cùm aliquis ad Pontificatũ, vel imperium evehitur, tota ſtirps nobilitari dicitur.

REFLEXIO.

Quid convenientiùs illo myſterio, cujus ne nomen quidem vacuum eſt luce laudis? Ipſum enim Incarnationis vocabulum & Dei pietatem, & hominis inſtructionẽ indigitat. A carne potiùs quàm ab anima æqualiter aſſumpta, voluit divinum Verbum nomen accipere, non ſolùm quia, ut ait Apoſtolus 1. *Tim.* 3. Myſterium hoc *manifeſtatum eſt in carne*; vel quia nomine carnis integer homo ſignificatur, Gen. 2. *Omnis caro* (id eſt homo) *corruperat viam ſuam.* Sed etiam ad ſuam cõmendandam, nobiſque inſpirandam humilitatem, qua exinanivit ſemetipſum, quæ tantò magis in aſſumptione carnis apparet, quantò diſtat à carne ſpiritus immortalis, ut ut benè expendit Doctor Mellifluus ſerm. 3. in Vigil. Nativ. *Contraxit ſe Majeſtas, ut quod melius habebat, videlicet ſeipſam, limo noſtro conjungeret, & in perſona una ſibi invicem unirentur Deus & limus, Majeſtas & infirmitas tanta; vilitas & ſublimitas tanta: & tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaq; dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quod in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quidquid limus pertulit, Deus in eo pertuliſſe dicatur.* Sed, ô pudor! Deus appellari caro vult, & luteus homo ambitioſos honoris titulos aucupans, ferè erubeſcit, ſe eſſe hominem, & divinitatem æmulatur. Verùm cur ſuperbis pulvis & cinis? Et dum Verbum carnem factum cernis, ut quid apponis te ultrà magnificare ſupèr terram?

CAPUT II.

Exiſtentia, & adventus Meſſiæ adversùs Judæos demonſtratur.

NOn probamus exiſtentiam Incarnationis contra Gentes, quia non aliter ſuaderi poteſt, quàm ex illis credibilitatis argumentis, quorum concentum in præcedentibus præmiſimus. Solùm ergo agendum reſtat contra Judæos, quorum etiam convictio Gentiles ipſos exarmabit; non enim credibilis eſſe non poteſt Chriſtianorum fides de Meſſia, tot Prophetiarum apparatu prænuntiato.

SPECULATIO I.

Exiſtentia Incarnationis jam peracta, poteſt evidenter ſuaderi Judæis, ita ut ſint inexcuſabiles.

UT hæc veritas probetur, ſeligenda ſunt præcipua veteris Inſtrumenti teſtimonia, quibus Hebræorum

breorum pertinacia convinci poterit, niſi fortè obſit velamen, quod poſitum eſt ſuper cor eorum, de quo loquitur Iſai. c. 6. *Excæcat cor populi, & aures ejus aggravat, & oculos ejus claudit.* Totus autem difficultatis cardo in hoc poſitus eſt, ut oſtendatur, Jeſum Chriſtum eſſe verom Meſſiam. Sic ergo formari poteſt diſcurſus.

Jam de facto advenit Meſſias in lege promiſſus, à Prophetis deſideratus, & à Judæis expectatus. Sed ille Meſſias eſt Jeſus Chriſtus, filius Mariæ Virginis, & Chriſtianorum anteſignanus: Ergo non eſt ampliùs expectandus Meſſias. Difficultas eſt in majori & in minori, quarum quælibet ſigillatim comprobatur. Major quidem: tum ex illo Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Cùm ergo regnũ Judæ penitùs extinctum ſit, & ſceptrum à Judæis ablatum, planum eſt, Meſſiam jam advenìſſe. Tum ex illo Daniel. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum.* Patet autem, ſeptuaginta hebdomades elapſas eſſe ab illo tempore, ſive accipiantur pro ſpatio ſeptem dierum, ſive pro numero ſeptem annorum, juxta conſuetudinem Scripturarum, quæ habetur Levitici 25. nam 70. hebdomadæ efficiunt 490. annos, quos à tempore Danieli deſignato fluxiſſe, jam pridem evidens eſt.

Tum denique ex illo Aggæi 2. *Adhuc modicùm, & ego movebo cælum & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloriâ.* Et Malachiæ 3. *Ecce, ego mitto Angelum meum, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis.* Si poſt modicum, ſi ſtatim venturus erat deſideratus ille & dominator Meſſias, profectò jam advenit, cùm à tot ſæculis prolatæ ſint illæ prophetiæ.

Minor verò primi ſyllogiſmi, ſcilicet, quòd ille Meſſias ſit JeſusChriſtus, probatur. Tum quia principatus Judaïcus tempore Chriſti penitùs ceſſavit, & regnum Iudæ collatum fuit Herodi à Cæſare Auguſto ex Senatuſconſulto, Judæiſque conſentientibus, & juramentum præſtantibus, ut refert Ioſephus *lib. 17. antiquit. cap. 3.* Herodes verò Aſcalonita invaſo regno, omnes regii ſtemmatis proceres occidit; concilium etiam *Sanhedrin*, qood habebat jus vitæ & necis, exauthoravit & extinxit. Tum, quia in Chriſto adimpletum eſt, quod ſubjungitur loco citato Danielis, addentis, quòd Chriſtus occidetur, & populus ejus, qui eum negaturus eſt, diſſipabitur cum civitate & Sanctuario. Quæ omnia poſt Chriſti necem completa eſſe, nemo non videt.

Tum quia Chriſti tempore abſolutus eſt numerus ille hebdomadarum 70, ſeu annorum 490. Periodus enim illorũ annorum debet incipere à tempore, quo exiit ſermo, dè ſecundò ædificanda civitate Jeruſalem; ita enim ait expreſsè Angelus: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem.* Decretum autem de illa iterùm ædificanda, contigit ſeptimo, vel vigeſimo anno Artaxerxis, ut patet 1. *Eſdræ 7. & 2. Eſdræ 1. & 2.* A regno autem Artaxerxis uſque ad ſeptuageſimam hebdomadam, in cujus medio mortuus eſt Chriſtus, præciſè, exactè, in rigore & punctualiter numerantur anni 490. ut patet ex computatione olympiadum, & relatione omnium Hiſtoricorum.

Ex quibus perſpicuè intelliges obſcura verba, quæ ſubduntur in illa prophetia: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt; & rurſum ædificabitur platea, & murus in anguſtia temporum: & poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium. Et in templo erit abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Quorum verborum planus ſenſus eſt: Ab illo tempore, quo emanavit decretum de ſecunda ædificatione Ieruſalem, uſque ad adventum Meſſiæ, fluent hebdomadæ annorum 7, & 62. ita tamen, quòd intra ſeptem primas hebdomadas ædificabitur murus & platea Jeruſalem, juxta paupertatem & anguſtiam illorum temporum, ut legere eſt 2. *Eſdræ 1. 2. & 3.* Deinde verò poſt illas ſeptem hebdomadas reædificandæ civitati deſtinatas, ſupererunt uſque ad occiſionem Chriſti ſexaginta duæ hebdomadæ, ſubindeq; Chriſtus occidetur peractis ſeptẽ & ſexaginta duabus hebdomadibus annorum, non quidem illis ſtatim finitis, ſed hebdomadâ ſeptuageſimâ, in qua confirmabit Chriſtus pactum, ſeu teſtamentum novum, converſando, prędicando, miracula ſtupenda edendo, tribus circiter annis, & ſic in dimidio hebdomadis ſeptuageſimæ, id eſt, exactis tribus prioribus annis cum medio, promulgatâ lege Chriſti deficiet hoſtia, & ſacrificium omne legale Moſaicum, & in ſacrificio crucis ceſſabit figura: & ſequetur abominatio deſolationis, de qua proxima ſpeculatione iterum.

Probatur ſecundò: In perſona Chriſti Jeſu mirè concurrunt & adimpleotur omnia, quæ de Meſſia venturo prædicta ſunt in Prophetis, ut perjucunda ſit conſideratio animi, Prophetarum oracula cum eventu conferentis. Nam ita conſonant omnia, quę de Meſſia dicta ſunt, in conceptiooe, nativitate, vita, prædicatione, miraculis, morte, reſurrectione, vocatione gentium, converſione univerſi, ut unum ex præcipuis Chriſtianæ Religionis credibilitatis argumentis ſit illa Prophetiarum expletio. Nam cùm ſolus Deus poſſit futura præſcire, ſi omnia, quæ de Chriſto dicuntur in Evangelio, clarè habeantur in veteri teſtamento, fit inde manifeſtè, omnia, quæ in Chriſto geſta ſunt, noo caſu, ſed ſpeciali Dei ordinatione adveniſſe.

Sic autem eſt, omnia Chriſti geſta multiplici Prophetiarum apparatu eſſe prædicta. Conceptio quidem, Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Locus nativitatis, Mich. 5. *Bethlehem Ephrata, ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* Vita & converſatio, Baruch 13. *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Prædicatio, Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Miracula, Iſai. 53. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.* Ingreſſus humilis in Jeruſalem, Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum aſinæ.* Judæ Iſcariotis proditio & venditio, Zachar. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Acerbitas paſſionis cum omnibus circumſtantiis crucifixionis inter latrones, irriſionum, ſubſannatioonum, diviſionis veſtimentorum, patientiæ & manſuetudinis Chriſti inter tam truculentos cruciatus, clarè habentur *Iſai. 53. & toto Pſal. 21.* ut legeſti

Digitized by Google

penti patebit. Denique Reſurrectio, Aſcenſio in cælum, miſſio Spiritus ſancti, converſio gentium, habetur in pluribus locis, tum Iſaiæ, tum Pſalmorũ, ut meritò dici poſſit illud Act. 2. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.* Et Chriſtus ipſe *Joan.* 5. dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia teſtimonium perhibent de me.* Lege pro reſurrectione Pſalm. 15 *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Pro Aſcenſione, & aliis ex ea conſequutis, vide Pſalmum 67.

Hæc ita convincunt animum rectè diſpoſitum, ut nullus ſit ſubterfugii locus. Miracula quidem Chriſti calumniabantur Iudæi, illaque arti magicæ tribuebant. Sed hæc vaticiniorum conſonantia talem calumniam non patitur; nam ut arguit Auguſtinus ſerm. 27. de verbis Apoſtoli, c. 4. *Nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas: ſi ergo magicis artibus fecit, ut coleretur mortuus, numquid erat magus, antequam natus.* Unde Ioſephus inter Judæos doctrinâ ſcripturarum, eloquentiâ, & morum gravitate præcipuus, veritate ipſa coactus, ait lib. 18. antiquitatum, c. 4. *Fuit his temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominare fas eſt, erat enim mirabilium operum effector, & doctor omnium eorum, qui libenter audiunt, quæ vera ſunt: Chriſtus hic erat.* Qoid luculentiùs?

Refelluntur excuſationes Judæorum.

Prima excuſatio Judæorum eſt, quia etiamſi tot expreſſis Scripturarum teſtimoniis cogeremur fateri, adveniſſe Meſſiam, intentum tamen ex illis non haberemus, nimirum Deum eſſe incarnatum; nam nullibi Prophetarum Dei Incarnatio futura prædicitur.

Sed contra: nam verum Meſſiam debere eſſe Deum, ſignificatur Iſai. 7. *Vocabitur nomen ejus Emanuel,* id eſt, nobiſcum Deus. Et c. 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus fortis.* Ubi loquitur Propheta de Meſſia, per quem ait Gentes convertendas eſſe. Et Mich. 5 *Egreſſus ejus à diebus æternitatis.* Ubi indicatur, Meſſiam habere ſubſtantiam æternam, ac proinde divinam. Ponderavimus etiam in libro de Trinit. illud Pſal. 2. *Ego hodie genui te.* Et illud Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Vide ibi, & Ieremiæ 23. ubi nos habemus: *In diebus illis ſalvabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quòd vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* In Hebræo legitur nomen tetragrammaton. Et Baruc. 3. *Hic Deus noſter, non conferetur alius ad illum, adinvenit omnem viam diſciplinæ. Et dedit ipſum Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus.* Quibus verbis nihil clariùs.

Secundum ſuffugium Judæorum eſt, quia multa prædicuntur in Scripturis de Meſſia venturo, quæ non verificantur de Jeſu Nazareno; nam Iſai. 2. dicitur, quòd *erit in noviſſimis diebus;* Ieſus autem à multis jam ſæculis venit. Item promittitur, quòd *fluent ad eum omnes Gentes,* quòd *conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Tanta autem pax nondum apparuit. Item c. 11. dicitur, quòd *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Qood non eſt adhuc impletum. Inſuper Meſſias prædicitur regnaturus ſuper ſedem David, & in civitate Ieruſalem. Ierem. 3. *In tempore illo vocabunt Jeruſalem ſolium Domini, & congregabuntur ad eum omnes Gentes in nomine Domini in Ieruſalem.* Et Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et Amos 9. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit.* In ſumma, multa promittuntur in adventu Meſſiæ Iudæis bona & emolumenta, quæ per Chriſtum non receperunt.

Reſpondeo ad ſingula, tempus Meſſiæ vocari noviſſimum & ultimum, quia poſt ipſum non adveniet alia lex, & quia in ipſo completæ ſunt omnes prophetiæ, nec eſt alius expectandus legiſlator, nec novus ſtatus uſque ad diem judicii: unde prima promiſſio impleta eſt.

Secunda etiam, quia Evangelii lex ad omnes Gentes diffuſa eſt, & Apoſtolorum ſonus in omnem terram exivit. Nec eſt neceſſe, ad veritatem illius prophetiæ omnes & ſingulos Chriſti fidem ſuſcepiſſe; nam trita eſt Scripturarum forma loquendi, ut hæc dictio, *omnis,* non ſingulos, ſed plurimos ſignificet. Unde etiam Iſaias, poſtquam dixit, fluent ad eum omnes Gentes, quaſi ſeipſum explicans, ſubdit, *& ibunt populi multi.* Vel dic, quòd per omnes Gentes intelligit aliquas de omnibus: quod impletum videmus.

Tertia etiam promiſſio effectum ſuum ſortita eſt: tum quia tempore nativitatis Chriſti, mundus univerſus imperturbata pace ſub Auguſto fruebatur, qua de cauſa juſſit Imperator deſcribi orbem terrarum, ſibi plenè & pacificè ſubjectum: tum quia veri Chriſti diſcipuli ita ſunt pacis amatores, præſertim in privatis ſuis damnis, ut parati ſint pallium auferenti, tunicam tradere, & percutienti ſiniſtram, dexteram maxillam offerre.

Quarta etiam verificata eſt; nam per illas belluas ſimul conviventes, intelliguntur Gentes, quæ ferocium morum immanitate belluas vel æquabant, vel ſuperabant; & tamen Evangelii prædicatione in agnos manſuetiſſimos converſæ ſunt. Fuit etiam adimpletum illud vaticinium, quando Apoſtoli miſſi ſunt ad barbaras omnes gentes, unde & eis dixerat Salvator: *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum.* Unde Chryſoſt. *ſerm. 3. Pentec.* ait: *Peragrârunt univerſum orbem oves ſimul cum lupis, & vulneratæ non ſunt à beſtiis oves, ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem ſunt converſi.*

Denique ultima promiſſio completa eſt; nam per Jeruſalem non intelligitur civitas materialis, quæ potiùs prædicitur deſtruenda, Dan. 9. *Et civitatem, & Sanctuarium diſſipabit cum duce venturo, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Quare manifeſtum eſt, per Jeruſalem intelligi Eccleſiam; & per regnum David non intelligitur illud materiale intra terminos Palæſtinæ concluſum, ſed ſpirituale, ſuperædificatum in vera fide & charitate, quam habuit David: præſertim cùm Meſſias pronuncietur regnaturus ſuper omnes Gentes. Pſal. 71. *Dominabitur à mari uſq; ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* Addi poteſt, ſpecialiter regnum Chriſti appellari ſedē David, & per ipſum exaltari Jeroſalem, quia lex Evangelii fuit promulgata in monte Sion, ubi erat palatium Davidis, & in civitate Jeruſalem jacta ſunt prima fundamenta regni ſpiritualis Chriſti, ibique miſſus eſt Spiritus ſanctus, quo regnat Deus in cordibus hominum. Porrò, in hoc valde decipiuntur carnales Judæi, quòd omnia ſibi in lege promiſſa intelligant de bonis terrenis, non de ſpiritualibus longè pretioſioribus, & quorũ Deus majorem curam habet.

Tertia excuſatio eſt, quia tempore Machabæorum fuit ablatum ſceptrum, & collatũ Machabæis, qui non erant de tribu Iuda, ſed de tribu Levi. Ob quam cauſam, teſte Philone, inimicitiæ & ſimultates ortæ ſunt, eò quòd Machabæi ducatum à domo

David

David ſubripuiſſent: Ergo antequam veniſſet Jeſus Nazarenus, advenerat Meſſias, ſi ad litteram intelligenda ſit prophetia illa Jacob: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt.*

Reſpondeo, varias eſſe Authorum ſolutiones. Aliqui enim volunt, tunc tribum Levi, & tribum Iuda fuiſſe permixtas. Alii aſſerunt, Machabæos per matrem à tribu Iuda originem ducere, ſicque ſalvant ſceptrum de Iuda non eſſe translatum. Alii cenſent, Machabæis exiſtentibus ducibus, fuiſſe judices quoſdam ex tribu Juda, penès quos ſumma decernendi atque imperandi poteſtas reſideret, quos Herodes, dum Iudaicæ gentis regnum obtinuit, in odium Davidici regni, de medio abſtulit, ſicque ſceptrum de tribu Iuda ablatum eſt. Denique Magiſter Cano *lib. 2. de locis, c. 11. ad 4.* ait, populum Iudæorum ducatum Machabæis tradidiſſe, non tanquam proprium & hæreditarium, ſed ad legem depoſiti conſervandam, donec ſurgeret Propheta fidelis, quem de tribu Iuda venturum expectabat: unde ſceptrum de tribu Iuda non fuit ablatum, ſed veluti commodatum. Ultimam excuſationem obtendunt ex difficultate Incarnationis Dei, ſed eam ad hominem capite ſuperiori contrivimus.

R E F L E X I O.

Ex his inferes, pie Lector, plus Reipublicæ Chriſtianæ nocere perverſos Chriſtianos, quàm Iudæos. Nam qui Evangelii leges profitentur, nec ſervant, morum ſuorum pravitate Chriſtum inhonorant: Iudæi verò, dum veteris teſtamenti veritatem cuſtodiunt, Chriſti fidei Prophetarum ſuorum teſtimonium Sole ipſo lucidiùs præbent; unde Auguſt. *ſerm. 31. de temp.* & alibi ſæpiſſimè docet, propter hoc perfidam illam gentem regno ſuo pulſam, per terras eſſe diſperſam, ut ejus fidei, cujus ſunt inimici, ubique teſtes fieri cogerentur. In eis quippe demonſtratur Gentibus, quomodo prophetatus eſt Chriſtus, ne fortè cùm vidiſſent tantam manifeſtatione impleri prophetias, putarent à Chriſtianis eſſe confictas. Unde *lib. 12. contra Fauſtum, c. 23.* appellat Iudæos, *Chriſtianorum ſcriniarios*; quia tanquam capſularii, portant ſecum libros veteris teſtamenti, quibus chriſtiana myſteria efficaciter ſuadentur, ut habeamus ſalutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Erubeſcant ergo Chriſtiani perverſi, in quibus Chriſtus patitur opprobrium, dum Chriſtianiſmus à Iudæis accipit lucem. Væ nobis, quia peccavimus; ſi enim chriſtianè viveremus, Iudæos omnes, & quoſvis infideles exemplo noſtro ad fidem converteremus, ut præclarè Chryſoſt. obſervavit *ſerm. de Cruce*, his verbis: *Superba Roma, & fortes Gentilium animi magis legis noſtræ ſanctitate, patrumq́; noſtrorum exemplis, quàm miraculorum magnitudine ad Chriſti jugum adducti ſunt. Quem vitæ tenorem ſi ſervaverimus, ad convertendum, quidquid de Gentibus ſupereſt, ſignis haudquaquam opus eſſet. Noſtra certè mala vita factum eſt, ut ad Chriſtianæ Religionis amorem cor apponant, bonus enim Chriſtianus etiam ab inimicis veneratur.*

S P E C U L A T I O II.

Exhibetur tragœdia Iudaicæ calamitatis.

POteſt etiam Meſſiæ adventus Iudæis ſuaderi ex pœnis, quibus obnoxii ſunt ob Chriſto negatam fidem, & mortem illatam. Quod antequam conficiatur, præmittenda eſt paucis hiſtoria calamitatum, in quas Iudæi poſt mortem Chriſti inciderunt, quam fuſiſſimè Ioſephus *lib. 7. de bello Iudaico*, tanquam teſtis oculatus repræſentat, ex quo compendioſè quidquid dixero, exſcribam. Neque enim illius teſtimonium recuſare poſſunt Hebræi, cùm ipſe & Judæus profeſſione, & morum gravitate inſignis, & ſuæ gentis amicus fuerit.

Statim poſt mortem Chriſti divina vindicta de Judæis ultionem ſumere cœpit. Nam ſub Præſide Albino & Geſſio Floro ſucceſſore, publica erant latrocinia, neces, & omnis hoſtilitatis modus. Succeſſit poſtea ob Judæorum rebellionem totius Judææ vaſtatio, civitatum dirutio, domorũ conflagratio, & tanta hominum internecio, ut multitudine corporum occiſorũ impedita fuerint Jordanis fluenta.

Conſequuta ſunt poſtea bella inteſtina inter ipſos Ieroſolymitas, tempeſtatem excitantibus Joãne, & Simone tyrannis, prætextu libertatis tuendæ. Unde tanta commotio, tot tumultus in populo, Duce Pontifice Anano exorti ſunt, ut advocatis Idumæis tota civitas ſanguine ſpumans & inundans videretur: Templum ipſum fuit ſanguinis lacuna, latronum ſpelunca, occiſorum ſepulchrum, ſævitiæ theatrum, & tyrannorum domicilium. Ipſa quoque ara univerſis Græcis & Barbaris adoranda, cruore erat imbuta, ut per atria templi ſtagnum fecerit diverſorum cadaverum ſanguis.

Interim tantus erat populo pavor, tantaque omnes formido occupaverat, ut in tanta conſternatione ne flere quidem palam quiſque auderet, vel amicorum corpora ſepelire; ſed lacrymas vel continere, reluctante dolore, vel clam fundere cogebantur, ne parem cum his qui extincti fuerant mortem ſubirent. Aſſiduas lamentationis cauſas calamitas addebat, ſed ululatus timor occludebat; urgebat dolor impatiens, ſed comprimebat formido mortis; & cor lacrymarum ſolatium quærens, dum timore reprimebatur, à ſeipſo diviſum lacerabatur. *Deniq́;* (ait Joſeph. lib. 5. c. 1.) *nulla jam erat facinorũ mora neque cunctantia; ſed feſtinatis conſiliis in rebus ſingulis utebantur, maximè autem in viros fortes atque inſignes cædibus ſæviebant*: & eò devenit crudelitas Zelotarum (ſic ſemetipſos vocabant quidam patriæ libertatis zeloſi) ut eos qui omninò liberè non veniſſent ad ipſos, pro contemptoribus haberent; qui verò ultrò obſequebantur, pro inſidiatoribus: unaque maximorum & mediocrium pœna mors erat, nec evadebat, niſi qui pecuniam dabat; qui verò non dabat, ſolus proditor habebatur; & cædes virorum, & mulierum injuriæ pro ludo habebantur.

Sed hæc omnia quantumvis miſerabilia, fuêre ſolùm initia, & veluti diſpoſitiones ad calamitates obſidionis urbis, in qua erant tres milliones hominum, qui illuc celebrandi feſti Paſchalis cauſâ acceſſerant, ut ſicut in illis diebus mortem intulerant Salvatori, ſic & ipſi peterent. Explorat igitur civitatem Titus, & ut intelligeretur Deum ipſum Chriſti necem ulturum authorem eſſe belli, dum eum miſſilibus jactis innumeris aggrediuntur, nullum in corpus ipſius delatum eſt, ſed omnia prætervolabant; cùm tamen neque galea, neque thorace munitus eſſet.

Judæis interim dedere ſe nolentibus, firmiores concidunt muri, durante verò obſidione cum fame crevit miſeria; nulla enim palam erant frumenta, latrones verò irrumpentes ſcrutabantur domos, & ſi quid inveniebant, dominos verberabant; ſi verò nihil, quaſi diligentiùs celaſſent, tormentis afficiebant: uxores viris, filii parentibus, & quod miſerrimũ eſt, matres cibum infantibus ex ipſo ore rapiebant.

Creſcebat indies violentia ob Joannis & Simonis feritatem. Nam licèt in utroque dominandi

cauſâ

causâ diſſenſio eſſet, erat tamen ſcelerum concordia; & ſi quem Simon expilaſſet, ad Joannem remittebat; & quem Joannes exſpoliaſſet, eum Simon excipiebat, ſibi invicem ſanguinem populorum propinantes. Interea fame omnes depaſcebantur, cujus ſedandæ causâ dum aliqui nocte per Romanorum cuſtodias olera agreſtia & herbas colligebant, redeuntes cùm ſe Romanos evaſiſſe credebant, in tortores incidebant, qui rogantibus, ſupplicantibus, & per nomen Dei obſecrantibus, ut aliquam ſibi partem herbarum tanto periculo collectarum concederent, nihil relinquebant, vixque vitam ipſam ſervabant.

Vidiſſes domos plenas mulieribus exanimatis, vias ob cadavera anguſtas, juvenes velut umbras ſe moventes, alios ad mortem fame tolerabiliorem ultrò properantes, alios ſupra ipſa quæ ſepeliebant cadavera decidentes. Et cùm non ſufficeret labor hominis ad mortuos inhumandos, in valles eos muro præcipitabant.

Innumeri è civitate fugiebant, & aureos, quos habebant, tranſglutientes, poſtea exonerato ventre è fimo extrahebant. Sed hæc ars detecta eſt, & apud caſtrametantes fama percrebuit, Judæos transfugas auro plenos veniſſe: unde accidit (horreſco referens) ut una nocte duorum millium patefacta ſint viſcera. Qui verò remanſerunt, poſtquam herbas colligere jam non licuit, ad hoc neceſſitatis compulſi ſunt, ut boum veterem fimum in alimentum haberent. ſtercuſque collectum viſui intolerabile cibus eſſet. Denique nec calceamentis, nec coriis abſtinuere, & veteris fœni lacetamenta magno pretio vendebantur

Hanc famis calamitatem facilè percipies ex facto poſt hominum memoriam horribiliſſimo, apud barbaros incognito, & ſuaſu incredibili. Mulier quædam Maria nomine, Eleazaris filia, poſt bona ſua à tyrannis direpta, fame viſcera & medullas conſumente, extrema neceſſitate impulſa, filium lactentem quem pepererat, ſic alloquuta eſt: *Miſerum te, infans, bello, & fame, & ſervitute, cui te ſervavero? apud Romanos, etiamſi vixeris, ſervitorus es, fames autem prævenit ſervitutem; hi verò ſeditioſi ſæviores ſunt: eſto igitur mihi cibus, & ſeditioſis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ ſola deeſt calamitatibus Judæorum.* Et hoc dicens, occidit filium, coctumque medium comedit, reliquum ſervavit, ut ſeditioſis advenientibus oſtenderet, hortata, ut & ipſi comederent.

Poſt tot clades & ſtrages Titus ingreditur civitatem cum militibus, qui interficiendo defatigabantur, ſervatis ſolùm quibuſdam juvenibus formoſis ad gloriam triumphi; aliis vinctis in Ægyptum miſſis, labori deputandis; aliis per provincias in ſpectaculis ferro & beſtiis conſumendis, aliis venditis. Dum verò ſic ſecernebantur, mortui ſunt fame duodecim millia. Denique captivorum numerus fuit nonaginta & ſeptem millium; mortuorum verò per omne tempus obſidionis undecies centum millia.

Poſtea verò, jubente Cæſare (quem tempore Paſſionis tantoperè diligebant, ut dixerint, *Non habemus alium Regem, niſi Cæſarem*) tota funditùs dirnitur civitas, & templum, relictis turribus & muro, ut poſteris indicaretur, qualem civitatem Romani deviciſſent. Reliquum verò civitatis ambitum ita complanavêre, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam eſſe aliquando vix crederent, ut impleretur, quod dictum eſt per Salvatorem, *Luc.* 19.

Quod longè antè Iſaias prædixerat c. 25. *Poſuiſti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam: domum alienorum, ut non ſit civitas, & in ſempiternum non ædificetur.* Et Daniel cap. 9. *Occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt: & civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Imò & Moſes, Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.*

Poſt deſtructam, & ſolo æquatam Urbem, ſupervenerunt continuò nova infortunia; nam Judæi in Ægypto, Cireno, & Alexandria commorantes, tempore Trajani necati ſunt, & ſub Valente Imperatore, contra quem rebellârant. Tot miſerias cumulat exilium Judæorum à mille ſexcentis annis perdurans, & abhinc ubique diſperſi, republica, civitate propria carentes, odio habentur ab omnibus nationibus, quæ licèt moribus, legibus, & religione diſcrepent, in hoc tamen conſentiunt, ut ab Hebræis abhorreant, implenturque omnes prophetiæ, quibus prædictum erat, ipſos per mundum divagaturos, tranſituros de gente in gentem, & de regno in populum alterum, ſine duce, ſine rege, ſine templo, ſine ſacerdote.

REFLEXIO, ET APOSTROPHE AD JUDÆOS.

Mirari, & vehementer mirari ſubit, cur Deus, *cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia*, ut loquitur S. Leo, tantis vos opprimat malis, tot exponat ludibriis, veſtrique videatur oblitus, qui eratis quondam deliciæ cordis ejus. Ille, qui nomine Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Iſaac & Jacob appellari voluit, cujus innumera vobis impenſa beneficia modum non noverunt, qui non ſolùm ut Dominus vos elegerat in populum peculiarem, ſed ut Pater, quin & ut mater miſericordiarum olim portabat in gremio, & quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum, ſic vobis miſericordiæ viſcera effundere anhelabat. Ille tam tempeſtivus auxiliator in tribulationibus, tam patiens, tamq; diſſimulans injurias, non ceſſat plectere, quos antea donis non ceſſaverat cumulare. Unde hoc? Planè reluctante ingenio Deus punit, ſupplicia cunctari ſolet, cædit in medelam, torquet in melius, urit in refrigerium, perdit in ſalutem. Intelligite tandem, medicum eſſe Deum, & tribulationem quam immiſit, medicamentum eſſe ad ſalutem, ſi Salvatorem audire volueritis, qui etiam crucifixus à vobis, Patrem pro vobis interpellabat. Sub tribulationum medicamento urimini, ſecamini: clamatis, & non audit Dominus ad voluntatem, quia vellet audire ad ſanitatem. Cernite vulnera, quæ inflixiſtis: videte Chriſtum, quem hebdomada ſeptuageſima occidiſtis, agnoſcite latus, quod pupugiſtis, quoniam ſicut per vos, ita propter vos apertum eſt. Moriens ſitiebat, quia veſtram fidem & converſionem quærebat, pro quibus dixerat: Pater ignoſce illis. Sitis hæc de ardore dilectionis, de fonte amoris, de latitudine charitatis naſcebatur: externis luminibus dum videtis vulnera pendentis, ſanguinem morientis, cicatrices reſurgentis, ſimul internis oculis intelligite vaticiniorum concentum, Prophetarum oracula in illo ad amuſſim quadrantia. Hæc, quæſo, cogitate, hæc in ſtatera cordis appendite, & in eo invenietis remedium, ſi non ſponte ruatis in cor durum. Alioquin manum Omnipotentis, quam vivi ſentitis, nec defuncti effugietis;

fugieris; ſcriptum eſt enim: *Deus nequaquam parcit*, quia nimirum delictum abſque ultione non deſerit. Quòd ſi vobis interim dat potum in lacrymis in menſura Altiſſimus, qui patiens redditor eſt, novi vos beneficii ſigno dignatur, quia percutit, ut ſanemini, compellit, ut revertamini, miſericorditer temporalem adhibet ſeveritatem, ne æternam poſtea juſtè inferat ultionem. Dum tanta patientia ad pœnitentiam vos adducit, nolite ſecundùm duritiam cordis veſtri theſaurizare vobis iram, ne tanta patientia læſa facta furor, eò terribiliùs excandeſcat, quò indigniùs exacerbatur. Redite ergo in integrum, & depoſito furore reſipiſcite, clementia invitat, ſalus pulſat, ad vitam vos vita revocat.

SPECULATIO III.

Inſtauratur ratio ex his pœnis.

NUlla pœna accidit in hoc mundo caſu vel fortuitò, ſed ex providentia Dei, qui *facit pacem, & creat mala.* Iſai. 45. *Nec eſt malum* (ſcilicet pœnæ) *in civitate, quod non fecerit Dominus.* Et ut dicitur Job. 5. *Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non orietur dolor.* Nam Deus ſummè juſtus, imò ſumma & prima regula totius æquitatis, pœnas culpis menſurare ſolet. Ergo cùm poſt Chriſti necem tot pœnis ſubjaceant Judæi, planum eſt, ipſos incidiſſe in aliquam culpam: quin etiam cùm miſeriæ, quibus opprimuntur, excedant omnes alias, quas hactenùs pertulerant, ſignum eſt ipſos nefandiſſimi criminis eſſe reos.

Confirmatur: Dum aliàs ob peccata præſertim idololatriæ, afflictati Judęi ad Deum corde contrito reclamabant, iram ſuam illicò temperabat Deus, & mœſtis animo paternè auxiliabatur, ut in omnibus veteris Teſtamenti paginis legitur: putà, dum eos eduxit de Ægypto: dum ingreſſus eſt eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris, filii autem Iſraël ambulaverunt per ſiccum in medio ejus: dum miſit manna ad manducandum: dum dirupit petram, & fluxerunt aquæ: dum expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem: dum alia innumera contulit auxilia, quæ paſſim leguntur, ex quibus

Sic urgeo: Quò abiit tanta providentia? ubi ſunt miſericordiæ illæ antiquæ? Quare Deus gentem ſibi tam charam, populum prædilectum non exandit, ſed flocci facit? Nunquid Deus annorum fluxu mutatur? Abſit, cùm ipſe atteſtetur: Ego Deus, & non mutor. Quid, Deus promiſit populo illi omnem conſolationem & protectionem, modò cuſtodiant vias Domini, (ut alibi millies, ſed luculentiſſimè *Deut.* 28. & *Levit.* 26.) quare ergo Deus non ſtat promiſſis, cùm tamen ſit ipſa Veritas, cùm ſit fidelis in omnibus verbis ſuis? Profectò ideo eſt, quia Chriſtum non receperunt, quia verum Meſſiam non agnoverunt, & legem Dei ab ipſo promulgatam non audierunt. Unde in ipſis implentur & conſummantur omnes miſeriæ, quas Deus comminatur in eiſdem capitibus citatis, quæ omninò legere debes; ibi enim æquè apertè deſcribuntur, quas modò patiuntur adverſitates, ac ſi eas oculis corporis intuitus fuiſſet Propheta.

Confirmatur & premitur ampliùs. Si Chriſtus verus non fuit Deus, ſeipſum Deum prædicando, abominandiſſimam omnium blaſphemiam protulit; ac proinde Judæi ipſum propter hoc interficientes, non ſolùm nullam pœnam meriti ſunt, ſed potiùs gratiſſimum Deo obſequium præſtiterunt: multò magis quàm Phinees, qui unum hominem legis tranſgreſſorem peremerat, quod ita placuit Deo, ut propter hunc Phinees zelum toti populo, qui idolum Phogor coluerat, pepercerit: & tamen videmus Judæos ob Chriſtum in crucem actum non modò non recipere mercedem facinoris, ſed potiùs acerbiora pati, quàm cùm filios proprios idolis mactarent. Item, ſi veram Dei legem, ut credunt, inter tot anguſtias cuſtodiunt, quomodo carent promiſſionibus illis, iterum atque iterum inculcatis fidis obſervatoribus. Certè ſi, teſtante ſacro eloquio, oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum; ſi propè eſt omnibus invocantibus eum, invocantibus eum in veritate; ſi multæ tribulationes juſtorũ, & de omnibus his liberet eos Dominus, pręſertim dum pro veritate patiuntur, ut tot. pſalm. *Qui habitat*, mirè deſcribitur: Signum evidens eſt, Judæos ampliùs non eſſe Deo gratos, ſed potiùs ob ſceleris ingentis granditatem derelictos.

Hæc ſi Judæi integris animis expendant, ſemotis contentione, odio, obſtinatione, quibus omne judicium exoculari ſolet, videbunt Deum ipſos deſeruiſſe, & tot malis, quibus ſimilia nunquam ſenſerant, plecti ob criminum omnium atrociſſimum. Videant manum Dei hîc eſſe, & ſi quæ eſt in eis cura ſalutis, agnoſcant ultionem Dei, ac flagitii ſui immanitatem, & non ſint ipſo Tito ethnico magis cæci, qui ingreſſus civitatem, videnſque ſtupendas munitiones, turrium altitudinem & magnitudinem, lapidum compagem, murorum firmitatem, teſte Joſepho *lib.* 7. *c.* 16. dixit: *Deo planè adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munimentis Iudæos.* Quid reſpondere poterunt juſto Judici, qui audientes & legentes tot promiſſa legis cuſtodibus, tot pœnas prævaricatoribus intentatas, primis carere, ſecundis ſubjacere ſe vident?

Dicent, Juſtos ſæpè ſæpiùs in hoc mundo perſequutionem pati, imò & noſtros Martyres Sanctosque inſigniores, in mundo preſſuram habere, ludibriis, exiliis, tormentis, & morti crudeliſſimæ exponi. Ergo non poſſumus inferre, Judæos eſſe in malo ſtatu, ex calamitatibus quas perpetiuntur.

Reſpondeo, verum eſſe, juſtos frequenter affligi, ſed brevis tribulatio in eis eſt radix innumerarum conſolationum; nam ut dicit Pſal. *Secundùm multitudinem dolorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Quod apparet in laboribus juſti Job, Tobiæ, Joſeph, Davidis, & aliorum, nec-non & ipſius populi Judaici, qui ſæpè vexatus, poſtea reſtituebatur, juxta illud Pſal. 106. *Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos*: & reperitur alibi paſſim. Exemplum verò noſtrorum Martyrum non eſt ad propoſitum. Tum quia Martyres in medio perſequutionum, innumeris favoribus & miraculis recreabantur, ut videre eſt in eorum hiſtoriis. Tum, quia hæc perſequutio non duravit niſi uſque ad tempora Conſtantini. Tum, quia hujuſmodi paſſionibus de mundo triumphârunt, idola deſtruxerunt, veri Dei cultum ſeminârunt. Tum demùm, quia Chriſtus ſervantibus legem ſuam non promiſit bona hujus mundi, ſed cruces & tribulationes, quia non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: at verò Judæis, ſuppoſito quòd Meſſiam recepiſſent, imperium mundi & bona ſæculi promiſſa fuerant, ut ipſi putant; quamvis veriùs intelligi deberent hæ promiſſiones de bonis ſpiritualibus, quibus & ipſi carent.

REFLEXIO.

Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat, ait Salvator *Matth.* 24. Intelligat, inquam,

inquam, Judæus, ut Chriſtum veniſſe credat. Intelligat Chriſtianus, ut timeat, conſiderans, quàm meritò dixerit Apoſtolus ad Hebr. 10. *Horrendum eſt, incidere in manus Dei viventis.* Si enim miſeri Judæi tot patiuntur, quia authorem vitæ interfecerunt pleique ignorantes; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: quid, quæſo, cõtinget Chriſtianis fide illuſtratis, tot gratiis præventis, de veritate Redemptoris non dubitantibus, & tamen quotidianis peccatis rurſum Filium Dei in ſemetipſis crucifigentibus. Verè magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis: id eſt, ut piè ait Pater Granatenſis *p. 4. Catech. c. 17.* Magnus in omnibus, magnus dum premiatur, magnus dum punit; magnus dum exiguis officiis mercedem æternam pollicetur; magnus dum peccatum mortale ſupplicis æternis ulciſcitur; magnus in bonitate, magnus in juſtitia: prima ad amorem nos excitet, ſecunda timorem incutiat, qui duo motus ſunt bini chriſtianæ vitæ poli. Certè, ſicut teſte Tertull. Juſtitia divina eſt tutela bonitatis illius, & niſi juſtitiâ tegatur, bonitas non eſt; *Juſtitia eſt plenitudo Divinitatis, exhibens Deum perfectum, & Patrem & Dominum: Patrem clementiâ, Dominum diſciplinâ: Patrem poteſtate blandâ, Dominum ſeverâ: Patrem diligendum piè, Dominum timendum neceſſariò*, ut proſequitur *lib. 2. cont. Marc. cap. 13.* Ita miſericordiam nunquam ſine juſtitia contemplemur. *Felix, & prudentiſſima Magdalena* (ait Bernar. ſerm. de Magd.) *quæ non unum, ſed utrumque Domini pedem oſculata eſt. Nam pedes iſti ſunt miſericordia & juſtitia, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritat eſt, vel deſperatio fugienda.*

DISSERTATIO II.

De neceſſitate & cauſis Dominicæ Incarnationis.

SUppoſitis iis, quæ de convenientia hujus myſterii delibavimus, non eſt dubium, quin Incarnatio ſit neceſſaria ad benè, vel meliùs eſſe, quæ neceſſitas decentiæ appellari meritò poteſt. Unde eleganter Leo Magnus ſerm 14. de Paſſ. *Omnipotentia Filii Dei, quâ per eandem eſſentiam æqualis eſt Patri, potuiſſet humanum genus à dominatu diaboli, ſolo imperio ſuæ voluntatis eruere: niſi divinis operibus maximè congruiſſet, ut nequitia hoſtilis adverſitas de eo quod vicerat, vinceretur, & per ipſam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captivitas.* Reſtat ergo difficultas de neceſſitate abſoluta, & hypothetica.

CAPUT I.

An, & quomodo Incarnatio neceſſaria fuerit.

DUpliciter intelligi poteſt, aliquid eſſe neceſſarium, abſolutè ſcilicet, & ex ſuppoſitione. Illud dicitur abſolutè neceſſarium, quod excludit omnem libertatem: ſic Deus neceſſariò ſe amat. Illud dicitur neceſſarium ex ſuppoſitione, quod licèt abſolutè liberum ſit, tamen ſuppoſitâ aliquâ conditione liberè volitâ neceſſitatem habet: ſic ſuppoſitâ intentione efficaci creandi mundum tali tempore, illum neceſſariò præſcripto tempore Deus produxit. Ad propoſitum Incarnatio erit abſolutè neceſſaria, ſi in ea definienda Deus liber non fuerit; ex ſuppoſitione verò, ſi Deus voluerit aliquid, quod ſine Incarnatione fieri non potuerit: & de uno eſt difficultas, ſcilicet utrùm ſuppoſito, quòd Deus voluerit ſibi exhiberi condignam ſatisfactionem pro peccato, tum mortali, tum veniali, ad hoc neceſſaria fuerit Incarnatio.

SPECULATIO I.

Opus Incarnationis fuit abſolutè & ſimpliciter Deo liberum.

PRobatur. In Deo eſt ſumma libertas reſpectu omnium operum ad extra, fundata in ſumma Dei à rebus omnibus creatis independentia, quæ in nullo, niſi in ſeipſo invenit plenitudinem perfectionis, & omnimodam rationem boni: Sed Incarnatio ſumpta pro conjunctione humanitatis cum Verbo, non dicit ſummam rationem boni; nam licèt Verbum unitum ſit ſummum bonum, tamen quòd humanitas illi uniatur, non eſt ſummum bonum, aliàs ab æterno illam ſibi univiſſet. Ergo opus Incarnationis liberè à Deo factum eſt. Et in hoc ſumma Dei pietas commendatur, quòd nullâ neceſſitate, ſed plenâ libertate, & merâ dignatione nobis ſuccurrerit. Unde dicitur ad Ephef. 2. *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* Et cap. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, ut notum fieret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum ejus.*

Dices: Licèt Deus nulla neceſſitate phyſica producat opera ad extra, poteſt tamen ad id induci neceſſitate morali, quæ tunc adeſt, quando aliquid poteſt abſolutè non fieri; tamen ita difficile eſt, ut nunquam ejus oppoſitum moraliter contingere queat.

Reſpondeo, quòd perfecta Dei libertas omnem neceſſitatis modum excludit, & exigit, ut quodcumque bonum finitum poſſit ad libitum, & ſine difficultate ponere, vel omittere pro ſuæ voluntatis arbitrio, aliàs poſſet concipi aliqua libertas perfectior divinâ, ſcilicet illa, quæ omnem neceſſitatis modum refugeret.

Inſtabis: Incarnatio eſt operum Dei ad extra perfectiſſimum, divinæ gloriæ, cæterarumque perfectionum manifeſtativum. Ergo ad illud neceſſitatus fuit ſaltem moraliter Deus, qui gloriam ſuam quærere tenetur, & juſtitiæ ſuæ ſatisfacere; juſtitiæ enim eſt, jus alienum ſervare, vel ſaltem læſum reparare, ac condigna ſatisfactione reſarcire.

Reſpondeo, quòd quantumcunque perfectum ſit Incarnationis opus, eſt tamen bonum limitatum ex parte humanitatis aſſumptæ, ſubindeque liberè amabile, & cum indifferentia productum, poteratque Deus illud non ponere, ſicut ab eo producendo per totam æternitatem abſtinuerat; nec Deo deerant alii modi, gloriam ſuam declarandi. Præterquam, quòd Deus non tenetur ad extra gloriam ſuam manifeſtare; nam ab æterno hujuſmodi externa gloria caruit. Vide quæ diximus *tom. 1. diſſert. 11. c. 2. ſpec. 1.*

Ad id, quod dicitur de juſtitia, dicendum, quòd juſtitiæ inclinatio poſtulat, ut per condignam ſatisfactionem reparetur damnum læſum, ſi pars offendens ſit capax condignæ ſatisfactionis, cujus omnis creatura eſt prorſus incapax, ut poſtea apparebit. Adde, quòd Deus, qui eſt pars offenſa, poterat culpam gratis condonare, juri ſuo cedere, & in lege contra peccatores lata diſpenſare: unde ad aſſumendum Incarnationis medium nequaquam fuit neceſſitatus, ſed purâ miſericordiâ motus. Latent etiam in theſauris divinæ ſapien-

ſapientiæ & omnipotentiæ alii ſine numero modi reparationis humani generis, quos Deus poterat adhibere, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. Præclarè etiam obſervat S. Thomas *infrà, q. 46. art. 2.* hanc eſſe differentiam ſupremum inter & inferiorem, vel ſubalternum Judicem, quòd iſte non poteſt ſalvâ juſtitiâ culpam ſine pœna dimittere, quia ejus eſt ſatisfacere perſonæ læſæ, vel Reipublicæ, quam adminiſtrat, vel Principi, cujus jura cuſtodit. At verò Judex ſupremus, maximè verò Deus, qui nullum agnoſcit ſuperiorem, ſed eſt ipſe ſupremum & commune bonum totius univerſi, ſi gratis dimittat peccatum in ſe commiſſum, nulli facit injuriam, quia nulli tenetur reddere rationē: ſicut quicumque homo comiſſam offenſam remittit abſque ſatisfactione, miſericorditer, & non injuſtè agit. Et ideo David miſericordiam petens dicebat: *Tibi ſoli peccavi:* quaſi dicat, potes mihi ſine injuſtitia dimittere, quia tu ſolus læſus es.

REFLEXIO.

Deus liber fuit in Incarnationis poſitione: Solus ergo amor dignatione dives, dignitatis neſcius, affectu potens, ſuaſu efficax, de Deo triumphavit, ut nimirum tanto beneficio obrutum genus humanum, talem amantem redamare compelleretur. Nullum non medium tentavit Deus, ut ſibi cor vinciret humanum: ipſum concuſſit terroribus, minis inſequutus eſt, pœnis multiplicibus affecit, aquis ſubmerſit, igne concremavit, promiſſionibus inſtigavit, beneficiis delinivit, protectione ſua fovit; denique quid potuit facere, & non fecit? Juſtitiæ rigor, clementiæ ſinus nihil omiſit; & tamen cor hominis ſaxeum, nec pœnis permotum, nec beneficiis allectum eſt. Quid ſupererat? Sapientia divina cogitans cogitationes pacis, invenit novum modum, quo duritiam, quantumvis adamantinam, frangat, emolliat, liquefaciat. Et ſciens, nihil eſſe, quod magis amorem excitet, quàm amor; unde ajebat Philoſophus Moralis: *Noli quærere veneficia, ego tibi amatorium oſtendam: vis amari ama;* ideo in finem voluit diligere nos, id eſt, uſque ad ſummum dilectionis, omnem difficultatem vincens, omnia ardua ſuperans, omnia difficilia præteriens, omnes dolores patiens, & ferè ſemetipſum excedens, ut quos nec poteſtas, nec ſapientia terruit, alliciat ſaltem exhibitio charitatis, ut ait Bernard. *ſerm. 2. Advent.* Quàm ergo juſtè concludit Joannes c. 4. 1. epiſt. *Diligamus ergo Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Et Auguſt. lib. de catechiſ. rudib. c. 4. *Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat.* Et S. Leo ſerm. 13. de Paſſion. *Authorem ſuum humana natura, ſciendo, quantum ab eo ſit dilecta, plus diligat. Miſerendi enim noſtri cauſam Deus niſi in ſua bonitate non habuit.*

SPECULATIO II.

Ad condignam ſatisfactionem pro peccato mortali fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio, nec pro eo potuit purus homo ſatisfacere.

PRo intelligentia hujus aſſerti, nota ſatisfactionem, quæ eſt compenſatio, ſeu redditio alicujus debiti, aliam eſſe ſufficientem & perfectam, aliam imperfectam & deficientem. Ut ſit perfecta, attendenda ſunt duo, materia ſeu pretium, quo fit compenſatio, & forma juſtitiæ, quæ non conſiderat ſolùm materiæ valorem, ſed etiam conditionem perſonæ ſatisfacientis. Itaque tunc ſatisfactio eſt perfecta ex parte materiæ, cùm res oblata adæquat, & omninò implet debitum; ſi ſecus, erit imperfecta ex parte materiæ, cujus proinde defectus debebit ſuppleri ex gratia creditoris. Tunc eſt perfecta ex parte formæ, ſeu modi juſtitiæ, cùm ſervantur conditiones ſtrictæ & rigoroſæ juſtitiæ: eſt verò imperfecta, ſi aliqua deſit ex quinque, quæ communiter afferri ſolent, ſcilicet quòd ſit ad alterum, quòd ſit ex bonis propriis, nec alio titulo debitis, nec ſub dominio creditoris contentis, qui bona illa teneatur acceptare, ut abundantiùs explicabimus infrà. Hoc præmiſſo,

Aſſertio noſtra docetur communiter à Patribus uno ore conteſtantibus, Deo nunquam potuiſſe fieri ſatis, niſi perſona divina pretium noſtræ redemptionis exhibuiſſet: unde Auguſt. in Enchir. c. 8. *Neque per ipſum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum, Chriſtum Jeſum, niſi eſſet Deus.* Et Leo ſerm. 1. de Nat. *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium: niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum.* Idem inculcant alii paſſim Patres.

Probatur ratione: & quidem hominem purum non poſſe Deo condignam offerre ſatisfactionem ex parte formæ juſtitiæ, ſervando conditiones ad ejus rigorem requiſitas, eſt evidens, cùm manifeſtum ſit, hominem purum (ſic dictum, non quòd eſſet in natura pura, per excluſionem omnium donorum gratiæ, ſed per excluſionem unionis hypoſtaticæ, quâ eſſet ſimul Deus & homo) nihil exhibere poſſe, ſive naturale ſit, ſive ſupernaturale, quod non ſit à Deo creditore collatum, vel quod teneatur acceptare. Et certè, ſi tantoperè deſudandum nobis ſit, ad ſalvandas quinque conditiones ſtrictæ juſtitiæ in ſatisfactione Chriſti, ut patebit poſtea, quantò magis certum eſt, eas non poſſe inveniri in puri hominis ſatisfactione? Quòd verò non poſſit à puro homine exhiberi ſufficiens & cōdigna ſatisfactio ex parte materiæ & pretii adæquatè compenſantis debitum, atque adeo ad hoc neceſſariam omninò fuiſſe ſatisfactionē Salvatoris.

Probatur ratione, quam indicat D. Thom. *hic q. 1. art. 2. ad 2.* his verbis: *Peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet* (id eſt in genere moris talem, & non in genere entis) *ex infinitate divinæ Majeſtatis; tantò enim offenſa eſt major, quantò major eſt ille, in quem delinquitur: unde oportuit ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote & Dei, & hominis exiſtens.* Ex quibus ſic formatur ratio:

Ut ſatisfactio ſit de condigno, & ad æqualitatem pro injuria illata, tantus debet reddi honor perſonæ offenſæ, quanta fuit injuria illi irrogata, aliàs non eſſet condigna juris læſi reparatio. Sed implicat, ullam puram creaturam poſſe Deo tantum deferre honoris, quanta eſt injuria per mortale peccatum Deo intentata: ergo nulla pura creatura, ſed duntaxat homo-Deus poteſt de condigno ſatisfacere pro peccato mortali. Probatur minor: Satisfactio cujuſvis puræ creaturæ, ſeu honor Deo ab illa delatus, eſt dignitatis finitæ; injuria verò per peccatum illata, eſt ſimpliciter infinita in genere moris: Sed per ſatisfactionem finitam non poteſt condignè compenſari infinita injuria: Ergo. Minor eſt evidens, major verò probatur. Tum quia ſicut valor ſatisfactionis, & reſtitutio honoris deſumitur ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, ideoque Chriſti ſatisfactio eſt infinita; ita gravitas injuriæ deſumitur ex dignitate perſonæ offenſæ moraliter refundentis totam ſuam dignitatem in injuriam quâ læditur: unde dicitur, quòd ſicut honor eſt in honorante, ita injuria in perſona offenſa: ergo injuria Deo per peccatum intentata, eſt ſimpliciter infinita.

Tum, quia ſi perſonæ infimi ſtatus inferatur in-

juria quæ ſit ſaltem unius gradus, quò altiùs aſcendet dignitas perſonæ læſæ, eò ampliùs creſcet offenſæ gravitas: ergo injuria Deo, qui infinitæ dignitatis eſt, illata infinita eſt. Tum quia per illam injuriam Deus offenditur à creatura, quantum offendibilis eſt quoad affectum; non enim poteſt Deus magis offendi, quàm eùm auferre ab eo rationem ultimi finis, ejuſque Divinitatem deſtruere peccator molitur. Unde ait Bernard. ſerm. 3. de Reſurrect. *Utinam vel rebus iſtis eſſet contenta voluntas, nec in ipſum (horribile dictu) deſæviret authorem. Nunc autem & ipſum, quantum in ipſa eſt, Deum perimit voluntas propria; omninò enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut neſcire: vult ergo non eſſe Deum, quæ quantum in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut inſipientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.* Ergo malitia peccati, quâ offenditur Deus, quantum offendibilis eſt, eſt ſimpliciter infinita; ſicut infinita eſſet dilectio vel viſio, quâ Deus diligeretur, vel videretur quantum eſt diligibilis, vel viſibilis.

Quòd ſi contendas, malitiam peccati non eſſe ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid infinitam, idque indicare ſanctum Doctorem, dum ait, peccatum *quandam infinitatem habere*; non tamen propterea elevatur ratio D. Thomæ, ſed magis inſtauratur in hunc modum: Ad ſatisfactionem de condigno pro injuria mortali valor ſatisfactionis debet eſſe tantus, quanta gravitas injuriæ: Sed valor ſatisfactionis puræ creaturæ quantumvis donis ſupernaturalibus opimæ, non eſt tantus, quanta gravitas injuriæ divinæ: Ergo nulla pura creatura poteſt de condigno ſatisfacere pro mortali. Probatur minor: Valor ſatisfactionis puræ creaturæ eſt ordinis inferioris ad gravitatem injuriæ; injuria quippe eſt ejuſdem ordinis cum perſona læſa, unde diverſi ordinis eſt injuria illata Regi & plebeio; ſatisfactio verò eſt ejuſdem ordinis cum perſona, quæ eam exhibet, unde longè differunt ſatisfactio Regis & ſubditi: Sed pura creatura quibuslibet gratiis cumulata, eſt ordinis creati Deo infinitè inferioris: Ergo valor ſatisfactionis à creatura exhibitæ nunquam pertinget ad gravitatem injuriæ Deo illatæ. Res enim inferioris ordinis, quantumcunque in perfectione creſcant, nunquam adæquant perfectionem ordinis ſuperioris. Sic perfectiſſimus hominum nunquam Angeli excellentiam aſſequitur, nec graviſſimum peccatorum venialium pervenit ad malitiam minimi mortalis. Hanc rationem tangit Salvianus *lib. 6. de Provid. c. 7.* ibi: *Semper per dignitatem injuriam perferentis creſcit culpa, quia neceſſe eſt quantò major eſt perſona ejus qui contumeliam patitur, tantò major ſit noxa ejus qui facit: quantò igitur majoris piaculi crimen eſt, injurioſum quempiam eſſe Deo?*

Urgetur magis, & ſimul præoccupatur fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Per actum charitatis quantumlibet ferventis puræ creaturæ, nunquam tantum honoris Deo tribuitur, quantum illi peccato oblatum eſt; gravitas enim injuriæ mortalis non conſiſtit ſolùm in hoc, quòd à Deo ratio ultimi finis auferatur, ſed inſuper quod hæc Divinæ Majeſtatis depreſſio & contemptus fiat à vili creatura Deum offendere præſumente, ipſumque rurſus in ſemetipſa crucifigente; neque hoc compenſatur per actum charitatis, quo homo ſe & ſua ſubjicit Deo. Tum quia manifeſtum eſt gravius & atrocius eſſe Deum ſubjicere creaturæ, quàm ſit honorificum Deo creaturam ei ſubjicere; ſicut indignius eſt Regem ſubdito mancipare, quàm ſit honorabile mancipium ſubdere Regi. Tum quia per hoc, quòd creatura ſubjicitur Deo, non cedit juri ſuo, ſed ſatisfacit officio; nec deprimitur, aut humiliatur, quin potiùs perficitur & honoratur, dum Deo, cui ſervire, regnare eſt, ſupponitur. Tum demùm, quia per injuriam perſona offenſa deprimitur & inhonoratur: Ergo ut ſatisfiat honori læſo, non ſufficit, ut perſona offendens tractet cum offenſa, & illam iterum amet, ſed requiritur aliquid amplius; ſicut ſi quis amicus Regis in crimen læſæ Majeſtatis labatur, non ſufficit ad condignam ſatisfactionem, ut iterum fiat amicus Regis, ſed exigitur, ut honor Principis reparetur, niſi velit condonare. Atqui per actum charitatis homo quidem in amicitiam Dei redit, ſed per hoc injuriam non reſarcit; quia etiamſi non peccaſſet, amorem Deo deberet, imò & amando ſe ſervum inutilem confiteri: Ergo per actum charitatis non exhibetur Deo condigna ſatisfactio, ſed ſemper injuria manet irreparata, nec redditur Deo aliquid amplius, quod reddi non deberet, etiamſi injuria non præceſſiſſet.

Fit ſatis objectis.

Objicies: Sicut per peccatum mortale aufertur à Deo ratio ultimi finis, ita per actum charitatis reſtituitur, quæ quidem charitas quandam pariter infinitatem habet hoc ipſo, quod proſequitur objectum infinitum, ut eſt in ſe: Ergo fit compenſatio condigna offenſæ.

Reſpondeo, eſſe latum diſcrimen inter injuriam per peccatum Deo illatam, & actum charitatis; quia bonitas Dei ad actum charitatis ſe habet ſolùm ut objectum terminans, quod nihil tribuit actui, niſi juxta conatum voluntatis. At verò perſona offenſa comparatur ad injuriam ut ſubjectum morale, quod totam ſuam dignitatem refundit ſibi adjacentibus: qua de cauſa non ſolùm membris, ſed & veſtibus, & cruci Chriſti latriæ cultus exhibetur, quia in ipſo recipiuntur. Similiter ergo injuria Deum afficiens, & in ipſo moraliter accepta, non ſolùm eſt infinita extrinſecè, ſicut actus charitatis, ſed abſolutè & ſimpliciter in genere moris, ſecundùm prudentē ſapientum æſtimationem.

Eſt aliud etiam diſcrimen, quia per actum charitatis facit homo quod debet, quodque facere teneretur, etiamſi non peccaſſet: per peccatum verò Deum inhonorat, quod longè pejus eſt, ut antè ponderavimus, nec repetimus. Unde licèt peccatum non eſſet infinitum, niſi ſecundùm quid, & charitas etiam poſſit dici habere ſimilem infinitatem ſecundùm quid; tamen per actum charitatis non compenſatur injuria, quia illæ infinitates ſunt in diverſo genere, & ex diverſo fonte procedunt. Nimirum, quia peccatum eſt infinitum, eò quòd Deum deprimit: charitas verò eſt infinita, non ex eo quod ſubjicit, ſed ex eo cui ſubjicit, ſcilicet Deo infinito. Patet autem, eſſe atrociùs humiliare Deum quàm ſit bonum hominem humiliare & offerre Deo: unde tantæ Majeſtatis depreſſio compenſari nequit, niſi perſona divina humilietur & inhonoretur, ut factum eſt per Incarnationem & mortem Redemptoris.

Inſtabis: Falſum eſt fundamentum noſtræ ſententiæ, nempe, per quodlibet peccatum mortale lædi honorem Dei. Nam ſi hoc eſſet verum, in quolibet peccato mortali eſſet duplex malitia, alia injuſtitiæ contra honorem Dei, altera propria ex parte objecti,

objecti, v. g. peccatum gulæ haberet malitiam intemperantiæ, & malitiam injuſtitiæ contra honorem Dei: Conſequens autem eſt falſum, nam ſuperiori non infertur injuria per ſe & directè, dum violatur ejus præceptum, & prævaricator alicujus legis non tenetur præcisè ex hoc ad reparationem honoris legislatoris, niſi fortè verbis contumelioſis eſſet præceptum, & authoritatem ſuperioris aſpernatus: Ergo falſum eſt, per peccatum lædi jus divinum, ad quod proinde reparandum, neceſſaria ſit perſona divina.

Reſpondeo, omni peccato mortali lædi honorem divinum; quia cùm Deus ſit ultimus finis, habet jus, ut omnia ad ſe referantur, & ut non conſtituatur ultimus finis in creatura, quod fit per peccatum mortale. Unde *Hebr.* 10. nomine *conculcationis* ſignificatur. *Quantò putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit?* Unde D. Thom. *q.* 28. *de ver. art.* 2. ait: *Quicumque rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, injuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res eſt dignior: quicumque autem in re temporali finem ſibi conſtituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipſo quantum ad effectum ſuum poſtponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quàm Creatorem; finis enim eſt qui maximè diligitur. Cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccatum contra Deum infinita offenſa ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum quodammodo injuria fit, dum ipſe contemnitur, & ejus præceptum.* Hactenus D. Thomas.

Ad argumentum ergo dicendùm, in quolibet peccato mortali eſſe malitiam injuſtitiæ propriè dictæ, juxta illud Salviani lib. 4. de Provid. *Omnis Chriſtianorum omnium culpa, Divinitatis injuria eſt. Nam cùm illa, quæ facere à Deo vetamur, admittimus, vetantis juſſa calcamus.* Licèt enim inter Deum & creaturam non poſſit dari juſtitia propriè dicta, quia non poſſumus reddere Deo æquivalens; tamen poteſt homo committere injuſtitiam contra Deum, lædendo ſupremum jus divinum: ſicut homo ex paupertate non valens reddere quod ſuratus eſt, licèt non poſſit facere ſatis creditori, tamen verè injuriam commiſit in ipſum. Nec mirum, quòd non poſſit homo aliquando elicere actum virtutis, tametſi poſſit producere actum vitii oppoſiti; quia bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu. Itaque læditur jus divinum per quodlibet peccatum mortale; Deus enim habet ſummum jus, ut non præferatur creatura; in quo valde differt à Principe creato, qui quidem eſt Legislator, ſed non ultimus finis actuum humanorum: unde transgreſſio legis ejus eſt contra obedientiam, non autem directè contra debitum honorem: Deus verò eſt ultimus finis; unde quolibet peccato mortali violatur jus ipſius. Fateor tamen, duplicem eſſe inhonorationem, alteram intentam, alteram conſequutam. Intenta eſt, cùm prætenditur expreſsè contemptus & contumelia alicujus, ut in peccatis blaſphemiæ & indignæ tractationis Divinorum contingit. Conſequuta eſt, cùm læditur quidem jus, ſed hoc non prætenditur, licèt reipſa eveniat; & ſic læditur jus divinum quolibet mortali.

Dices: Deus poteſt offendi cum majori malitia per unum peccatum mortale, quàm per aliud: Ergo per quodlibet mortale non infertur Deo injuria infinita; cùm enim infinito non poſſit dari majus, ſi cujuslibet mortalis injuria eſſet infinita, una non eſſet major aliâ.

Reſpondeo, quod licèt injuria cujuslibet peccati ſit infinita ſimpliciter, quia deprimit perſonam infinitam; non tamen eſt infinita omnibus modis, quia actio moralis dependet à circumſtantiis, ex quarum diverſitate oritur diſtinctio injuriarum; non tamen deſinit quælibet eſſe ſimpliciter infinita, ſicut linea versùs orientem in infinitum protenſa eſſet verè & ſimpliciter infinita, ſed non in occidentem, vel meridiem. Adde, quòd quælibet offenſa conſiderata ſecundùm averſionem à Deo, & deſtructionem ultimi finis, eſt in omnibus peccatis mortalibus æqualis infinita; conſiderata tamen ſecundùm converſionem ad bonum commutabile, eſt ſæpiùs inæqualis, pro malitia peccatoris.

Urgebis: Nihil vetat, Deum conſtituere hominem caput aliorum, ſicut de facto inſtituerat protoparentem caput totius generis humani, ad hujus meritum transfunderetur de condigno juſtitia originalis, ſicut ad ejus demeritum in omnes poſteros inundavit peccatum; quam creaturam poſſet Deus innumeris gratiarum donis decorare, & paciſci cum ea, quòd ſi offerret ſua opera pro aliis, juſtificationem eorum mereretur, & infallibiliter obtineret; nulla enim in hoc pacto apparet repugnantia. Sed hoc admiſſo, poteſt homo ſatisfacere de condigno; non enim plus exigitur ad ſatisfaciendum pro aliorum culpa, quàm ad merendum illis gratiam, quâ remittantur; omnis ſiquidem gratia juſtificans eſt de ſe remiſſiva peccati, & ſi non remittit, per accidens eſt, quando non invenit remittendum: Ergo poteſt homo ſatisfacere de condigno pro peccatis mortalibus.

Reſpondeo, hominem in illa ſuppoſitione poſſe quidem mereri gratiam, ſed non ſatisfacere pro peccatis; plus enim requiritur ad condignam ſatisſactionem quàm ad meritum, quia ſatisfactio in gravibus offenſis poſtulat æqualitatem inter ſatisfacientem & læſum: meritum verò non ſolùm non exigit illam æqualitatem, ſed potiùs ſupponit ſubjectionem & inferioritatem in perſona merente, & petit ſolùm proportionem & moralem æqualitatem inter opus meritorium & præmium: quæ ſanè proportio inveniretur inter opera illius hominis, qui caput eſſet, & gratiam quam aliis meretur. Sicut dux ſtrenuus actu aliquo heroïco gratiam rei læſæ Majeſtatis promereri poteſt, ſed non ſatisfacere, vel injuriæ regiæ gravitatem condignâ compenſatione diluere.

Addunt aliqui, nec improbamus, hominem illum poſſe conſtitui caput ad merendum aliis gratiam, & cæleſtium donorum ornatum antecedenter ad eorum lapſum; minimè tamen peccato patrato, quia poſt culpam meritum debet eſſe tanti valoris, quantæ gravitatis eſt injuria Deo irrogata, quod eſt impoſſibile puræ creaturæ. At verò ad merendum gratiam, quæ non ſupponit peccatum, ſufficit opus meritorium ſecundùm moralem æſtimationem tanti valoris, quanti eſt gratia ſanctificans. Et licèt omnis gratia ſit remiſſiva peccati, & eadem ſit, quæ delet culpam, & quæ non abſtergit, dum non invenit; tamen ad ſecundam obtinendam plus requiritur: ſicut juſtus receptione Sacramenti vivorum obtinet quidem gratiam remiſſivam peccati, quam tamen minimè conſequeretur, ſi eſſet in peccato mortali.

R e f l e x i o.

Hujus ſpeculationis veritatem attendant, quæſo, qui bibunt peccatum ſicut aquam. Omnes juſtitiæ hominum, Angelorum, cunctarumque creatu-

tarum poſſibilium unico mortali condignè expiando non ſufficiunt. Vide ergo, quale ſit monſtrum, quod nequit tot Sanctorum legionibus interimi; qualis deformitas, quæ nullo totius creaturæ ſanctitatis nitore mundari poteſt; quales tenebræ, quæ adeo ſplendidis Sanctorum omnium radiis illuſtrari non valent. Quia nimirum peccatum ſummum malum eſt, & malorum omnium ſumma. *Agnoſce homo* (ait Bern. ſerm. in Nat.) *quàm gravia ſunt vulnera, pro quibus neceſſe eſt Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.* Et tamen poſt tam ſeveram de Chriſto ſumptam vindictam, à peccatis non ceſſamus. Quæ in nobis, rogo, ſpes bonæ frugis eſt, qui poſt tam ſalubrem Chriſti propinatam omnibus medicinam, non modò non ſanamur, ſed quod gravi° ac multò luctuoſius eſt, poſt curam ipſam deteriores ſumus? Exceptis enim perpaucis, quid eſt aliud mundus ſub cælo totus, quàm vitiorum colluvies, unus gurges, & penè unum lupanar omnium vitæ? Quis enim Chriſtianorum non in luto libidinis vivit? Quis non barathro ſordidiſſimarum paſſionum non ſe immergit, & in morem pecudum inſipientium fervida concupiſcentiæ debacchatione graſſantium, in quodcumque eos primùm ardens æſtus traxerit, irruunt. A planta pedis uſque ad verticem pauca invenitur ſanitas, & ſubditorum incredibilis eſt corruptela, quia dominorum eſt ſumma corruptio. Et licet indies facinora majora non ſint, quia ad ſummum jamdudum pervenerunt; attamen plura fiunt: non novitate quidem creſcunt, ſed pluralitate cumulantur. Sed quod magis dolendum, nec minùs verum eſt, peccatis ſeſe dedunt non ſolùm juvenes & locupletes, ſed etiam ſenes & pauperes, quos ab uſitata nequitia nec miſeriarum egeſtas, nec vitæ extremitas revocat. Et ſicut in ſentinam profundæ navis colluviones omnium ſordium: ſic in mores hujus ſæculi quaſi ex omni ævo vitia fluxerunt. Unde hoc? Quia non ponderatur gravitas peccati mortalis, quæ tanta eſt, ut ſi contra illam totius juſtorum poſſibilium appendatur chorus, inveniemus trutinam unius peccati pondere depreſſam.

Speculatio III.

Non fuit neceſſaria Incarnatio ad condignè ſatisfaciendum pro peccato veniali, pro quo poteſt homo juſtus ſatisfacere.

Probatur. Tunc ſatisfit ad æqualitatem, quando redditur equivalens debito ſolvendo: Atqui per ferventem actum charitatis juſtus reddit Deo non ſolùm æquivalens pro debito culpæ venialis, ſed etiam aliquid præponderans: Ergo. Probatur minor. Tum quia homo juſtus offert actum charitatis, qui eſt maximi pretii apud Deum; debitum verò venialis culpæ eſt leve, cùm per illam non avertatur homo à Deo. Tum quia illud intereſt diſcrimen inter maculam peccati venialis & mortalis, quòd illa non deturpat animæ pulchritudinem, licèt ejus nitorem parum conſpergat veluti pulvere, quo facies venuſta non-nihil ſordeſcit: nec eſt injuria ſimpliciter dicta, cùm non tollat à Deo rationem ultimi finis, quod facit peccatū mortale, quo perſona infinitæ dignitatis viliſſimæ creaturæ poſtponitur.

Ex quo diſcrimine aliud naſcitur, quo magis eadem minor ſuadetur; nam peccatum mortale eſt ex ſe irreparabile, ſimile morti, quæ eſt principium vitæ corporis; cùm peccatum mortale tollat converſionem ad ultimum finem, qui eſt principium vitæ mortalis. At verò peccatum veniale eſt intrinſecè reparabile, quia non removet granam, quæ eſt radix vitæ ſupernaturalis; nec converſionem ad ultimum finem, qui eſt principium vitæ humanæ: Sed pro illo, quod poteſt reparari, poteſt etiam ſatisfieri; peccatum enim non integrè reparatur, donec ſit pro eo ſatisfactum: Ergo cùm juſtus per gratiam habeat principium intrinſecum reparationis peccati venialis, hoc ipſo, quòd non eſt mortuus per peccatum mortale, habet etiam principium ſatisfactionis pro eodem.

Confirmatur ampliùs: Poteſt homo juſtus de condigno mereri vitam æternam; nam gratia eſt ſemen gloriæ, & per eam homo ſit conſors divinę naturæ, & filius adoptivus, ſi autem filius, etiam & hæres: Ergo poteſt etiam mereri de condigno remiſſionem venialium; qui enim meretur aſſequutionem finis, promeretur etiam exequutionem mediorum ad finem conſequendum neceſſariorum, aliàs jus illud ad gloriam, quod habet juſtus, eſſet perpetuò impeditum, quod perinde eſſet, ac ſi jure illo careret: quid enim prodeſt, habere jus ad finem, ſi non habeatur jus ad removenda impedimenta conſequutionis illius finis?

Objicies: Eædem rationes, quæ probant, juſtum non poſſe ſatisfacere pro mortali, idem cóvincunt de veniali; nam ſi ad valorem ſatisfactionis condignæ requiritur, quòd perſona ſatisfaciens ſit æqualis perſonæ offenſæ, manifeſtè relinquitur, purum hominem quantavis ſanctitate adornatum, non poſſe ſatisfacere pro ulla minima culpa.

Reſpondeo, tunc ſolùm ad ſatisfactionem requiri ęqualitatem inter perſonam offendentem & offenſam, quando injuria eſt gravis; ſecus verò, ſi ſit levis, quia per levem non tollitur amicitia, qua permanente, poteſt amicus, hoc ipſo quòd eſt perſona grata, reſarcire levem injuriam: amicitia enim quandam amicorum æqualitatem vel ſupponit, vel facit, leveſque culpas amoris ardore conſumit.

Inſtabis: Per peccatum veniale violatur jus divinum, habet enim Deus jus, ut ſit finis ultimus actualis cujuſlibet actionis humanæ, ſibindeque privare Deum actuali extenſione ad aliquod opus, eſt auferre jus, & injuriam irrogare: Atqui illud jus non reſarcitur per actum charitatis, quo homo ſubjicitur Deo, quia ut nos arguebamus *Specul. præced.* tunc homo facit ſolùm quod debet. Et ſi actualiter nunquam peccaſſet, ut de beatiſſima Virgine credit Eccleſia, tamen deberet referre omnia Deo, & dicere: *Servus inutilis ſum, quod debui, feci.* Ergo non poteſt juſtus de condigno ſatisfacere pro peccato veniali.

Reſpondeo, peccato veniali violari jus divinum non ſimpliciter, privando Deum dignitate ultimi finis, ſed ſecundùm quid, retardando extenſionem ralis finis ad omnia opera peccantis venialiter, quì operatur quidem contra legem, ſed non contra finem legis, quæ teſte Apoſtolo, charitas eſt. Unde per peccatum veniale non auſertur ſimpliciter jus Dei ſupra creaturam, quæ ſemper manet ipſi ſuppoſita, ſed ſolùm non exercetur jus illud in opere venialiter peccaminoſo.

Inſiſtes: Quidquid exhibeat juſtus pro culpa veniali, ſemper opus eſt, ut Deus illi remittat offenſam illam: unde quotidie in oratione Dominica ſupplicant juſti, *Et dimitte nobis debita noſtra.* Atqui non poteſt ſatisfieri de condigno pro eo, quod indiget remiſſione; nam quod remittitur, gratis donatur: ergo nunquam poteſt juſtus de condigno ſatisfacere pro culpa veniali.

Reſpon-

Reſpondeo, nos petere quotidianarum culparum remiſſionem duplici de cauſa. Prima eſt, quia ſunt frequentiſſimæ, ideo juſti quamlibet ſingularis ſanctitatis, non tot præſtant in ſatisfactionem venialium, quin ſemper egeant divina remiſſione. Unde ait Bernard. ſerm. 58. in Cant. *Quis ita ad unguem omnia à ſe ſuperflua reſecavit, ut nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt; imò, ſi fieri poſſit, ſemper. quia ſemper, quod putari oporteat (ſi non diſſimulas) invenis. Quamlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſuppreſſa: velis nolis, intra fines tuos habitat Jebuſæus: ſubjugari poteſt, ſed non exterminari. Nobis, Fratres, putationis ſemper eſt tempus, ſicut ſemper eſt opus.* Sicut ergo nullus, quantumvis ſanctus invenitur, qui vitia omnia, præſertim venialia poſſit ſuccidere, cùm in ipſis virtutis operibus ſæpiùs latitent, nullus eſt, qui quotidianis inſtantiis flagitare non debeat: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Secunda ratio eſt, quia Deus dat gratis auxilium, quo erumpimus in fervidos charitatis actus (quibus ſolis dimittuntur venialia;) ideo licèt per actū charitatis reddamus æquivalens culpæ veniali, tamen meritò petimus ejus remiſſionem, quia dat nobis Deus pretium, quo debito æquale poſſumus ſolvere. Sicut creditor tunc indulgenter remittit debitum, dum debitori pecuniam tradit, quâ poſſit negotiari, & ſibi ſatisfacere: ſic Deus dat nobis gratiam, quâ ipſum amamus, & cujus beneficio opera pœnitentiæ noſtræ fiunt ipſi accepta. Sed ſuppoſita talis gratiæ collatione & pacto inito, damus æquivalens pro culpa veniali, quod tenetur Deus acceptare, non ut ſupremus Dominus, ſed ut juſtus Judex. In ſumma indiget homo favore Dei, ut habeat gratiam: Sed datâ gratiâ non indiget novo favore, ut peccatorum venialium remiſſionem obtineat, offert atque condignum valorem, ſuppoſito Dei pacto, quod Deus ſemper ſervat, cùm ſit fidelis, & ſeipſum negare non poſſit. Nec propterea minùs illi debem', quia, ut rectè Salvianus *lib. 7. de Provident.* ait: *O pium, ô ineſtimabilis miſericordiæ Dominum, qui ad hoc nobis in præſenti munera tribuit, ut ipſa in nobis poſtea, quæ nunc dat, munera muneretur.*

REFLEXIO.

Caveat tepidus, ne ex hujus aſſertionis probatione peccata venialia parvipendens, in illa paſſim nullo ſcrupulo labatur: licèt enim ad ea reparanda neceſſaria non fuerit Incarnatio, neceſſarius tamen eſt charitatis fervor, qui non habetur niſi per Jeſum Chriſtum. Unde meritò Bernard. *ſerm. in Cœna Domini*, expendens illud, *Qui lotus eſt, nō indiget niſi ut pedes lavet*, ait: *Lotus eſt, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id eſt operatio & converſatio munda eſt.* Sed pedes, qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando voluptati, aut curioſitati pluſquam oporteret cedat animus, vel ad horam: in multis enim offendimus omnes. Veruntamen nemo contemnat, aut parvipendat. Impoſſibile eſt enim cum eis ſalvari. Impoſſibile eſt ea dilui, niſi per Chriſtum Ieſum, & à Chriſto. Nemo, inquam, pernicioſa ſecuritate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus ab ipſo: *Niſi laverit ea Chriſtus, non habebimus Partem cum eo.* Lavantur autem à Chriſto, quatenus dat nobis auxilium, quo ferventi charitate ea diluamus; unde ſubjungit Doctor Mellifluus: *Ad humiliandos nos, ipſam* (concupiſcentiam) *adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut ſentiamus, quid nobis gratia præſtet, & ſemper ad illius auxilium recurramus: ſic & de minoribus iſtis peccatis pia diſpenſatione nobiſcum agitur, ut non penitùs auferantur, ſed in illis nos erudiat Deus, ut cùm minima cavere non poſſumus, certi ſimus, quòd non noſtris viribus majora ſuperamus, ſemperq; timorati, & omninò ſolliciti ſimus. quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter neceſſariam eſſe ſentimus.*

CAPUT II.

De cauſis Incarnationis.

UT magìs conſtet, nullâ neceſſitate, ſed merâ pietatis abundantiâ Verbum divinum carnem aſſumpſiſſe, indagandæ ſunt cauſæ hujus myſterii; cauſæ, inquā, extrinſecæ, finalis ſcilicet & efficiens: & primò contemplabimur motivum Incarnationis; hinc enim apparebit in hoc opere miſericordiæ eminere dilectionem & electionem, qua theſauros bonitatis ſuæ liberaliſſimè, & juxta liberrimè effudit. Loquimur autem de motivo proximo, non de ultimo; nemo enim ambigit eſſe gloriam Dei, propter quam omnia Deus operatur.

SPECULATIO I.

Unicum Incarnationis motivum fuit redemptio generis humani: unde Adamo non peccante, Verbum minimè incarnatum eſſet.

PRobatur contra Scotiſtas: Ea quæ ex Dei voluntate pendent, non poſſunt nobis aliter innoteſcere, quàm revelatione Scripturarum, vel traditione Catholicæ Eccleſiæ: Atqui quotieſcumque Scriptura & Patres mentionem faciunt de motivo Dominicæ Incarnationis, toties aſſignant liberationem & redemptionem hominis à peccato: Ergo motivum Dominicæ Incarnationis non eſt aliud, quàm ſublevatio humanæ miſeriæ, cui voluit tanta miſericordia ſubvenire. Major conſtat, quia voluntas Dei libera ſibi ſoli nota eſt, & ut ait Paulus 1 Cor. 2. *Quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi ſpiritus Dei.* Et *Sapiens. 9.* dicitur: *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?* Sanè non ſapit ad ſobrietatem, qui conſiliorum divinorum latentia arcana per inveſtigationem rationis divinare, vel fallacibus conjecturarum humanarum ſtateris cupit appendere. Nam *quis conſiliarius ejus fuit?* Nonne potiùs *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ?*

Minor verò ſuadetur apertiſſimis Scripturæ & Patrum teſtimoniis. Nam ipſe Redemptor, qui apprimè ſine dubio noverat motivū adventus ſui, ait Luc. 15. *Non egent, qui ſani ſunt, medico, ſed qui malè habent. Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Et cap. 19. *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Paulus etiam, cui divina conſilia revelata ſunt, teſtatur 1 Timot. 1. *Venit Chriſtus in hunc mundum, peccatores ſalvos facere.* Et ad Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* Quin non alia ratione à ſanctis Patribus expectabatur Meſſias venturus, non alia ratione promittebatur, quàm ut mederetur contritis corde, ut conſummaretur prævaricatio, ut finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas, ut patet *Iſai. 61. & Daniel. 9.*

Aſtipulantur utriuſque Eccleſiæ Latinæ & Græcæ Patres, quorum ſyllabum texunt Theologi: ſufficiat expreſſa referre verba duorum, qui ſupra Pa-

ties ferè eminent, ſicut Patres aliis Doctoribus antecellunt, Auguſtinum intelligo, & Chryſoſtomum. Ille enim *ſerm. 8. de verb. Apoſt.* ait: *Si homo non peccaſſet, filius hominis non veniſſet.* Et ſerm. 9 *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto, niſi peccatores ſalvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, nulla eſt medicinæ cauſa.* Iſte verò *hom. 5. in epiſt. ad Hebr.* ait: *Propter hoc carnem aſſumpſit noſtram, propter miſericordiam ſolam, ut miſereretur noſtri. Non eſt enim alia quæpiam cauſa diſpenſationis, quàm hæc ſola.* Quid planiùs? quid expreſſius? Libenter peterem ab adverſariis, ſuppoſito, quòd illi duo Patres noſtram ſententiam veram arbitrati eſſent, potuiſſentne clarioribus & ſimplicioribus verbis eam efferre?

Favet etiam totius Eccleſiæ ſenſus, dum publicè canit in Symbolo: *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis.* Et iterùm in benedictione Cerei Paſchalis: *Felix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem! O certè neceſſarium Adæ peccatum,* nimirum ad hoc, ut veniret Filius Dei. Imò ut omnibus innoteſceret, ad hunc ſolum finem veniſſe Verbum, voluit Salvator appellari, quia ut dixit Angelus, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus JESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et certè iſte ſenſus videtur Chriſtianis omnibus implantatus, & ferè per ſe notus, ut præclarè docet Bernard. ſerm. 1. Advent. *Nec ſanè laborandum eſt in hac parte, cùm manifeſtè adventus ejus cauſam & verba ipſius & opera clament: ad quærendum quippe ovem centeſimam, quæ erraverat de montibus, properavit, & ut confiteantur manifeſtiùs Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio! Magna dignitas hominis ſic quæſiti! Domine, quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?*

Ratio verò ex illis teſtimoniis depromitur & ſimul præoccupantur omnes evaſiones adverſariorum: Si Verbum nullo exiſtente peccato adveniſſet in carne impaſſibili propter complementum univerſi, vel ob excellentiam unionis hypoſtaticæ, fruſtra laborarent Patres in extollenda divina miſeratione, quam inde ſolùm magnificant, quòd venerit propter noſtram ſalutem: Imò abſolutè falſa eſſet eorum aſſertio, quâ ſimpliciter dicunt, Chriſtum non venturum non exiſtente peccato: ſicut falſa eſſet illius enunciatio, qui diceret abſolutè Regem non venturum Pariſios, quia venturus non eſt cum pompa regali, ſed incognitò; quia ſuppoſito, quòd Rex debeat venire aliquo tandem modo, falsò dicitur, ipſum non eſſe abſolutè venturum: Ergo ſimiliter falſidica eſſet loquutio Patrum abſolutè, ſine reſtrictione, & tanta aſſeverantia affirmantium, Verbum Adamo non peccante, non venturum, ſi non exiſtente peccato erat in carne paſſibili venturum; vel ſaltem grandis ſub eorum dictis lateret æquivocatio, puritate & candore Patrum indigna.

Confirmatur radicitùs: Deus nullum aliud habuit decretum veniendi in hunc mundum, niſi in carne paſſibili: ſiquidem Deus decernens Incarnationis opus, definivit etiam determinatas illius circunſtantias, aliàs præcipuum Dei opus negligeretur à Deo, nec accuratæ ejus providentiæ ſubjaceret: Ergo dum ſtatuit Incarnationem, non commiſit eventui determinationem alicujus circumſtantiæ, ut ſcilicet aſſumeret corpus paſſibile, ſi contingeret peccatum, impaſſibile, ſi perſeveraret juſtitia: ſed omnino ſimul decrevit circumſtantiam carnis paſſibilis, tam benè, quàm circumſtantiam naturæ humanæ præ Angelica. Divina etenim providentia & prudentia verſantur circa agibilia, omneſque ejus circunſtantias individuales, aliàs eſſet timida, incerta, vaga, & confuſa, ſicut noſtra. Atqui decretum aſſumendi carnem paſſibilem, ſupponit peccatum, ut eſt in confeſſo apud adverſarios: Ergo decretum de ipſa Incarnationis ſubſtantia, ſupponit etiam peccatum; quandoquidem non eſt unquam à Deo definita unio hypoſtatica, niſi in carne paſſibili, proindeque liberatio à peccato fuit proximum Incarnationis motivum.

Ad majorem horum omnium lucem, innumeraque ſophiſmata evertenda, obſervandum eſt, quòd per ordinem ad noſtrum modum concipiendi, ſic diſponenda ſunt decretorum divinæ voluntatis ſigna, non quòd ſint in Deo plures actus voluntatis, ſicut in nobis, ſed quia diverſa ſunt objecta ab ipſo volita. Primò itaque Deus ſcientiâ ſuâ ſe & omnia poſſibilia in eſſentia ſua cognoſcens, voluit ſuæ virtutis & bonitatis effuſionem, ſuorumque attributorum manifeſtationem. Secundò ad talem gloriam propalandam, mundum hunc ſuis gradibus & naturis compaginatum, ex infinitis poſſibilibus elegit. Tertiò creaturam intellectualem, quæ eſt præcipua mundi hujus portio, ad ordinem ſupernaturalem evehere, & gratiarum donis adornare conſtituit. Quartò inſcrutabili judiciorum abyſſo illius lapſum permittere voluit. Quintò, peccato prævifo, mederi decrevit, qui neminem vult perire. Sextò, ad tale remedium procurandũ, Filium ſuum unigenitum carnem aſſumere conſtituit. Septimò, Chriſto Redẽptori omnia, quæ in ſigno priori producere decreverat, ſubjecit, & ad ejus gloriã amplificandam in ipſo quoſdã elegit efficaciter ad ſalutem, aliis in maſſa perditionis juſto judicio relictis.

Scio quidem, aliquos etiam Thomiſtas aliter hæc ſigna diſtinguere, volentes Deum priùs intendiſſe opus Incarnationis, quàm decreverit producere mundum, prævideritque peccatum hominũ, quod ſolùm in exequutione ſupponitur Incarnationi. Verùm hoc eſt à Thomiſtico rigore recedere; ſi enim vera ſit illa doctrina, nemo eſt qui non videat, voluntatem de Chriſto venturo eſſe independentem à peccato, cujus proinde deſtructio non erit præcipuum, & multò minùs unicum Incarnationis motivum, ut poſt Patres omnes teſtatur Patrum Echo S. Thomas. Unde ſolùm verè dici poterit, Deum primitùs voluiſſe Incarnationem ob tam præcellentis operis dignitatẽ, tametſi illud poſtea exequi voluerit in remedium peccati. Quod ſanè non eſt recedere à ſententia Suatis, cenſentis, Deum Incarnationem quidem ob ejus dignitatem intendiſſe, decreviſſe tamen in remedium ſolius peccati illud exequutioni mandare. Utut ſit,

Impugnatur magis illa doctrina. Si Deus ante omnem deſtruendi peccati voluntatem præintendit Chriſtum ut finem, quem tamen poſtea elegit tanquam medium redemptioni peccati accommodatum: Ergo etiamſi non fuiſſet peccatum, Verbum incarnatum eſſet. Conſequens adverſatur Angelicæ doctrinæ: Ergo & antecedens. Probatur ſequela. Quando aliquis finis per diverſa media poteſt obtineri, & non per unicum tantùm, intentio efficax illius finis ſortiretur ſuum effectũ, etiamſi non adhiberetur unum ex illis mediis, cui intendens non alligaretur, quippe qui poſſet aliud eligere. Sed remedium peccati non eſt medium unicum ad exequendum Incarnationis conſilium, ut patet, aliàs Deus non potuiſſet incarnari, niſi præceſſiſſet peccatum: Ergo ſi ante prævifionem peccati Deus efficaciter intenderit Incarnationem, ex vi & efficacia

taciâ illius intentionis Verbum incarnatum fuiſſet, etſi peccatum non præceſſiſſet.

Urgetur magis. Si Deus præordinavit opus Incarnationis ante prævisionem peccati, ex vi talis volitionis tenebatur Deus permittere peccatum, ut illi Incarnatio applicaretur in remedium; quod non ſolùm repugnat ordini rationis, juxta quem nemo vult morbum propter medicinam, vel culpam propter pœnam: ſed etiam ſemper explicandum reſtat, quare voluntas Dei intendens Chriſtum ut finem, potiùs elegit hoc medium, quàm aliud, ſi non habuit aliquod motivum, quo finem illum variis mediis aſſequibilem, illo, & non alio medio obtineret.

Nec placet, ſi dicas, Deum voluiſſe remedium pro culpa, non quæ eſſet adhuc, ſed ſi eſſet: ſicut mittitur Medicus in exercitum propter morbos nondum quidem graſſantes, ſed poſſibiles. Non placet, inquam, ſed potiùs hinc magis argumentum inſtauro: Nam ex voluntate, quâ Dux mittit Medicum ſanandis vulneribus deſtinatum, veniret Medicus in cautelam, ſive poſteà in exequutione ſint morbi, ſive non. Ergo ſimiliter ex voluntate intendente Chriſtum independenter à peccato, veniret Chriſtus, quamvis nulla peccata præceſſiſſent. Accedit, quòd perfectæ Dei providentiæ non congruit ſic vagè decernere Incarnationem pro culpis poſſibilibus; quamvis enim laudari poſſet præcautio, dedeceret tamen, quæ in illa tedolet incertitudo. Argumenta, quibus hi Thomiſtæ ſuam fulciunt explicationem, ſolventur explicatione ſequenti: ſi quid enim conficerent, peræquè ſententiam Scoti, quam impugnant, ſuaderent, licèt in illam relabantur.

Denique contra illam doctrinam, & generaliter contra ſententiam Scoti ſic inſurgo: Chriſtus non fuit prædeſtinatus, nec efficaciter intentus, niſi ut Redemptor generis humani, ut totus Chriſtianiſmus inculcat: Ergo ſicut officium Redemptoris ſupponit peccati ſervitutem, ita decretum de Chriſto Redemptore ſupponit voluntatem ſalvandi peccatores, ſubindeque peccati prævisionem. Hanc rationem tangit Apoſt. 1. Cor. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, & quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram.* Ubi, ut patet ex litteræ contextu, loquitur de Sapientia incarnata, quam dicit eſſe prædeſtinatam in gloriam & ſalutem noſtram. Quod diligenter advertes, ut opponas fundamento oppoſitæ ſententiæ, quod potiſſimùm ex prædeſtinatione Chriſti deſumitur.

Reflexio.

Si peccata Deum ad nos venire non impediverunt modò, ſed eò am moverunt, ſed impulerunt, ſed traxerunt, diſcat vir Apoſtolicus peccatoribus opitulari, proximi calamitatibus compati, aliorum infirmitatibus infirmari, cum ſcandalizatis uri. Pretium animæ ipſa divinitate metire, poſtquam Deus juſtiſſimus rerum omnium penſitator, in ſtatera Filium appendit ſuum. *In trutina ergo crucis non aurum, vel argentum* (inquit Euſebius Emiſſen. vel Eucherius Lugdun.) *ſed ſemetipſum* paſſus eſt author ſalutis appendi; ut homini, qui ab ſtatu degeneraverat, naturæ ſuæ dignitatem vel ipſa oſtenderet pretii magnitudo. Magnum quidem mihi eſt Deo, quòd eſſe me ſentio opus ſuum; ſed multò plus eſt, quòd tranſiſſe ipſum video in pretium meum; quandoquidem tam copioſo munere *ipſa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Nolîs ergo Viri ſancti defugiant labores, nullis ſudoribus, nullis algoribus parcant pro lucro animarum, quarum ſalus tanti apud Deum valet, tanti fit, tantamque de ejus pretio æſtimationem habet, ut pro ipſa Unigenitum ſuum immolare non dubitârit. *Magna res eſt anima,* (inquit Bern. epiſt. 54.) *quæ Chriſti ſanguine redempta eſt! Gravis animæ caſus, qui non niſi cruce Chriſti potuit reparari! Magno pretio nos redemit,* (ſubdit Ambr. lib. 7. in Luc.) *quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine.* Sed proh dolor! non ſolùm animas aliorum ſalvandas negligimus, ſed noſtram quoque flocciſacimus. Quàm perverſi æſtimatores ſumus! Cur homo tibi tam vilis es, qui fuiſti Chriſto tam pretioſus? Animam tuam nugis nugarum poſtponis: exiguum aurum, amaram voluptatem animæ tuæ præfers, mercedem tantillam, tantæ rei? Planè in vano recepiſti animam tuam, qui ſolius carnis ſequeris appetitum? An neſcis, quòd non corruptibilibus auro vel argento redemptus es, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati? *Quid ergo es, ò homo, erubeſcendis cupiditatibus exhonoras? Nobilem vult eſſe vitam tuam, qui tibi commiſit imaginem ſuam: quàm pretioſus ſis, ſi factorem fortè non credis, interroga Redemptorem,* inquit prælaudatus Eucherius, vel Euſebius.

Speculatio. II.

Solutis objectis, mirificatur Dei miſericordia, & expediuntur quædam difficultates appendices.

Certum quidem eſt, Deum ex aliis motivis potuiſſe incarnari, ut Speculatione ſequenti tangemus. Sed quia, ut rectè dixit Magnus Leo ſerm. 3. de Nativit. *Exinanitio illa, quâ ſe inviſibilis viſibilem præbuit, inclinatio fuit miſerationis, non defectio poteſtatis;* ideo eò magis placere debet opinio S. Thomæ, quò ampliùs divinam miſericordiam commendat, cujus viſcera miſeria noſtra commovit. Quàm divinè Salvianus lib. 4. de provident. *Evidens res eſt, quòd ſuper affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio ſuo non pepercit. Et quid plus adeò! Et hoc filio juſto, & hoc filio unigenito, & hoc filio Deo? Et quid dici ampliùs poteſt? Et hoc pro nobis, id eſt pro malis, pro impiiſſimis? Quis æſtimare hunc erga nos Dei amorem queat, niſi quod juſtitia Dei tanta eſt, ut in eam aliquod injuſtum cadere non poſſit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injuſtam rem homo quilibet fecerat, ſi pro peſſimis ſervis filium bonum occidiſſet.* Defendamus ergo divinæ miſericordiæ opus, & occurramus argumentis adverſis.

Objicies: Chriſtus prædeſtinatus eſt ante omnes alios electos, imò antequam Deus ſtatueret producere orbem terrarum: ideo enim Coloſſ. 1. dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ,* non quidem priùs in exequutione productus, ſed intentione prævolitus. Sed hoc poſito, voluntas Incarnationis non ſupponit peccatum; ſi enim priùs naturâ voluit Deus producere Chriſtum quàm ullam aliam naturam creatam, procul dubio ipſum voluit producere antequam voluerit permittere peccatum, quod eſt defectus naturæ. Ergo motivum voluntatis Incarnationis non eſt remedium peccati.

Reſpondeo, Chriſtum dici Primogenitum omnium creaturarum, & initium viarum Dei primatu dignitatis, non prioritate voluntatis. Cùm enim tam perſpicuè Scriptura & Patres aſſerant Verbum propter noſtram ſalutem fuiſſe incarnatum, conſequenter dicendum eſt, decretum prædeſtinationis Chriſti eſſe, ratione poſterius voluntate creandi mundũ, & ſalvandi homines, ſaltem antecedenter.

Iuſta-

Google

Inſtabis: Finis eſt priùs intentus his, quæ ſunt ad finem: ſed Chriſtus eſt finis omnium prædeſtioatorum, & omnis creaturæ; unde in Trident. *ſeſſ. 6. c. 7.* dicitur, gloriam Chriſti eſſe finem noſtræ prædeſtinationis. Et 1. *Cor. 3.* dicitur: *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti.* Ergo intentio Chriſti veonri præcedit voluntatem producendi ullam creaturam.

Reſpondeo, Chriſtum oon ut incarnandum eſſe finem operum Dei, (Incarnatio namque eſt potiùs medium ordinatum ad hominum redemptionem) ſed tantùm ut glorificandum; oon quòd ex prævia intentione Chriſti glorificandi voluerit Deus omnia producere, ſed quia totum univerſum, & noſtram ſalutem priùs volitam ordioavit Deus in gloriam Chriſti exaltandi. Unde magis debet dici, Chriſtus finis rerum productarum, quàm productionis earum; vel, Chriſtus eſt finis, ſicut Imperator de novo electus, propter quem non inſtituitur Imperium, ſed cui Imperium conſtitutũ ſubjicitur.

Dices: Si genus humanum ut redimendum eſſet finis & motivum, ob quod Deus Chriſtum intendit, ſequeretur Chriſtum eſſe minùs dilectũ, quàm genus humanum ut redimendum; ſiquidem finis *cujus gratiâ* magis diligitur eo, quod propter illum amatur. Conſequens eſt falſum; nam Deus plus dilexit Chriſtum, quàm totum mundum. Ergo & antecedens.

Reſpondeo, quòd licèt Deus voluerit Chriſtum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem; tamen quia Chriſto plura bona contulit, quàm aliis omnibus ſimul ſumptis, imò & ſalutem noſtram ordinavit in honorem ipſius glorificandi, ideo plus Chriſtum abſolutè dilexit. Et quamvis finis neceſſitatis magis ametur, quàm medium illi ex natura ſua ſubordinatum, oon tamen finis pietatis (ut ſic dicam) & compaſſionis, cui medium ex abundantia clementiæ ſubjicitur: ſicut cùm aliquis ex charitate miniſtrat infirmo, non propterea magis amat infirmum, quàm ſe, cui non obſequitur, niſi ex mera dignatione. Nec in hoc eſt ulla perverſitas ordinis (ut præveniatur tacita replica) dum meliora minoribus ſubjiciuntur: tum quia amor *dignatione dives, dignitatis neſcius,* non ſubjicitur his regulis, nec habet alium modum, quàm eſſe ſine modo. Tum quia ordinatiſſimè poſſunt ſuperiora inferioribus imponi propter bonum ſupremum: ſic Deus mittit Angelos in cuſtodiam noſtram pro gloria Dei: ſic Medicus viſitat infirmum peſte laborantem pro bono Reipublicæ: ſic Sacerdos celebrat Miſſam pro ſanitate reſtauranda: ſic aulicus adhibet interceſſionem Reginæ pro ſolatio plebei: ſic Chriſtus reliquit ſeipſum in altari pro conſolatione Sanctorum. Sic etiam Pater miſit Filium propter nos etiam peccatores indignos, ut ſplenderet miſericordia, quæ eſt operum Dei *primordialis cauſa, & cauſa omnium cauſaliſſima*, ut aliàs ex Bernardo diximus. Tum, quia licèt ſalus & redemptio hominum in ſe ſit imperfectior Chriſto Salvatore, tamen prout in illa certatim coruſcant divina attributa, ſic noſtra ſalus ſi noo eſt major, eſt tamen æqualis Incarnationi, ac proinde hæc in illam potuit ordinatiſſimè referri. Tum demum, quia ſalus noſtra non eſt ita finis Incarnationis, quin etiam ſit medium ordinatum ad gloriam Salvatoris. Nam ſicut Filius incarnatus eſt ad redimeodum hominem, ita nihil magis conducit ad gloriam Chriſti, quàm muodi redemptio: & ſicut morte ſua de hoſtibus noſtris triumphavit, ita & victoriam ſuam coronavit. Quemadmodum ſi Rex captivæ nationis liberationem intendens, hanc provinciam committeret aulico, quem vellet honorare, ſic mirâ arte & nationis libertatem, & aulici ſui gloriam cumularet.

Inſiſtes: Permiſſio peccati non debuit eligi à Deo ex ſolo fine providentiæ ſuavitatis oſtendendæ, quæ non permiſiſſet peccatum in omnibus, niſi motivo tanti boni, ſcilicet Incarnationis præintentæ ex alio motivo: Ergo ſunt plura motiva Dominicæ Incarnationis, ut vult Suares, quorum altero ceſſante Verbum incarnatum eſſet.

Reſpondeo, non poſſe, nec debere à nobis præſcribi rationes, cur Deus voluerit permittere peccatum; judicia enim ejus abyſſus multa: præſertim quia Deus ex mera voluntate & charitate miſit Filium ſuum; imò expreſsè dicit Scriptura, non quòd Deus voluit ex motivo diligendi Chriſtum, permittere peccatum, & ei afferre remedium; ſed potiùs aſſerat, quòd quia Deus dilexit homines, voluit illis dare Filium ſuum unigenitum, & in hoc Deum commendare charitatem ſuam in nobis, & nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos. Unde ſicut Auguſt. rectè arguebat contra Pelagium, gratiam primò, & præcipuè, & non exæquo cum libero arbitrio concurrere ad ſalutem, quia Paulus dixit, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*; non dixit autem, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis hominis: quod dicere potuiſſet, ſi æqualiter à voluntate atque à gratia penderet bonum opus: ita ſimiliter nos arguere poſſumus, ſi Deus voluit propter Chriſtum priùs intentum redimere nos, non deberet dicere Scriptura, quòd ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ſed potiùs, quòd ſic Deus dilexit Chriſtum, ut propter illum voluerit permittere nos cadere in miſeriam peccati, & ex illa aliquos liberare, quod nullibi Scripturarum vel Patrum invenies.

Perſiſtes: Effectus ſequens ex efficacia intentionis Chriſti incarnandi, oon eſt motivum Incarnationis: Sed redemptio eſt effectus Incarnationis: Ergo redemptio hominum non fuit motivum Incarnationis, ut in ſimili diximus, dum de prædeſtinatione reſpectu meritorum.

Reſpoodeo, redemptionem generis humani poſſe dupliciter cooſiderari, & ut volitam per voluntatem antecedentem & providentiam generalem, quâ Deus volt omnes ſalvos facere, & redimere: ſecuodò ut eſt volita per voluntatem conſequentem. Primo modo eſt motivum Incarnationis, non effectus: ſecundo modo eſt effectus, & non motivum. Nam, ut antea diximus, in illa ſignorum voluntatis Dei dearticulata diſtributione, poſtquam decrevit permittere lapſum, voluit mederi, & ad hoc tanquam medium elegit Incarnationem Chriſti, in quo poſtea aliquos efficaciter elegit ad gloriam, aliis relictis.

Obſiſtes: Gratia juſtitiæ originalis collata Adamo in ſtatu innocentiæ fuit ex meritis Chriſti: Ergo ſicut illa gratia præceſſit peccatum, ita decretum de Chriſto incarnando præviſionem peccati. Conſequentia patet, ſi penetrentur termini: antecedens verò probatur. Gratia collata Adamo in ſtatu innocentiæ, quamvis fuerit mortificata per peccatum, revixit tamen per pœnitentiam, ac proinde illi correſpondet aliquis gradus gloriæ: Sed gratia cui correſpondet gradus gloriæ, eſt ex meritis Chriſti, cùm ſit effect' prædeſtinationis, qui à Chriſto prædeſtinatorum omnium capite derivatus: Ergo.

Reſpondeo, gratiam collatam Adamo in ſtatu innocentiæ non fuiſſe effectum prædeſtinationis illius, ſed ſolùm ut reparata per pœnitentiam. Et quam-

quamvis non negem illi gratiæ correſpondere aliquem gradum gloriæ; tamen quia gratia & meritum ſtatus innocentiæ non manſiſſent in acceptatione divina, niſi Deus ſtatuiſſet mederi peccato per Incarnationem; ideo ſolùm ut reparata profuit ad gloriam. Sed de his plura dum de gratia capitali Chriſti.

Quæres primò, utrùm ex vi alterius decreti Verbum incarnatum eſſet peccato non exiſtente?

Reſpondeo, id non poſſe à nobis determinari: *Quis enim adjuvit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit, & oſtendet nobis?* Iſai. 40. Et Sap. 9. *Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in conſpectu ſunt, invenimus cum labore: quæ in cælis ſunt autem quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſcit?* Nec ſufficit afferre quaſdam congruentias, ut dicamus Deum iis permotum fuiſſe: divina enim voluntas, utpote liberrima, ab iis convenientiis non pendet. Et nota diligenter, quòd quando Theologi afferunt congruentias divinorum operum, non ſunt accipiendæ tanquam convenientiæ operis faciendi, ſed operis facti; quia etiamſi opus illud productum non eſſet, de ejus negatione invenientur convenientiæ, v. g. quòd Deus noluerit aſſumere Angelos, conveniens eſſe dicimus; ſi tamen Deus eos aſſumere dignatus eſſet, non deeſſent convenientiæ. Prima ergo convenientia alicujus operis eſt exequutio divinæ voluntatis, quam impleri ſummè decet, & cui, ſi oppoſitum decreviſſet, rationes non defuiſſent.

Quæres ſecundò, utrùm fuerint alia motiva proxima divinæ Incarnationis præter redemptionem peccati, ita ut ceſſante primo illo motivo, probabile ſit Chriſtum venturum propter alia, v. g. excellentiam unionis hypoſtaticæ, naturæ humanæ exaltationem, & totius univerſi conſummationem.

Reſpondeo, quòd licèt D. Thomas *in hac 3. part.* ſimpliciter aſſerat, quòd peccato non exiſtente Incarnatio non fuiſſet, nihilominus *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3.* non ita adhæſit huic ſententiæ, quin oppoſitum probabile judicaverit. Placet ejus referre verba. *Dicendum, quòd hujus quæſtionis veritatem ſolus ille ſcire poteſt, qui natus & oblatus eſt, quia voluit; ea enim, quæ ex ſola Dei voluntate pendent, nobis ignota ſunt, niſi in quantum nobis innoteſcunt per authoritates Sanctorum. Et quia in Canone Scripturarum, & in dictis Sanctorum hæc ſola aſſignatur cauſa Incarnationis, redemptio ſcilicet hominis à ſervitute peccati, ideo quidam probabiliter dicunt, quòd ſi homo non peccaſſet, Filius Dei homo non fuiſſet. Alii verò dicunt, quod cùm per Incarnationem Filii Dei non ſolùm liberatio à peccato, ſed etiam humana natura exaltatio, & totius univerſi conſummatio facta ſit, etiam peccato non exiſtente, propter has cauſas Incarnatio fuiſſet. Et hoc etiam probabiliter ſuſtineri poteſt.* Et in fine articuli, poſtquam ſolvit argumenta aſſerentium, Chriſtum venturum Adamo non peccante, ſolvit etiam rationes & authoritates alterius ſententiæ, dicens: *Ad ea verò, quæ in contrarium objiciuntur, poteſt reſponderi ſecundùm aliam opinionem, quòd authoritates illæ loquuntur de adventu in carnem paſſibilem ad redimendum; redemptio autem non fuiſſet, niſi ſervitus peccati præceſſiſſet: & non de adventu in carne ſimpliciter.* Vides, ſanctum Doctorem non omninò reſpuiſſe aliam ſententiam. Et cum eadem modeſtia loquens, hîc non pro indubitato aſſerit, Incarnationem non futuram ceſſante peccato, ſed quod *aſſertioni illi magis aſſentiendum videtur.* Interim innatam tanto Doctori modeſtiam mirare & imitare; & à quibuſdam perfrictæ frontis ſemi-doctis Authoribus omnes & omnia carpentibus cave.

Quæres tertiò, an motivum Dominicæ Incarnationis fuerit peccatũ originale, vel culpæ actuales?

Reſpondeo ſimpliciter loquendo, Chriſtum veniſſe ad auferenda omnia peccata; nam ad tollenda illa peccata Chriſtus venit, pro quibus mortuus eſt: Sed mortuus eſt non ſolùm pro originali, ſed etiam pro actualibus: dicitur enim 1. Joan. 1. *Sanguis JESU Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Et cap. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Et Apoc. 1. *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Ergo motivum Incarnationis complectitur tam originale, quàm actualia peccata.

Reſpondeo ſecundò, cum his tamen ſtare, Chriſtum principaliter veniſſe ad delendum peccatum originale. Tum quia peccatum illud totam naturam infecit, cui Deus per opus Incarnationis ſuccurrere voluit. Tum, quia peccatum illud eſt majori veniâ dignum, utpote contractum ſine conſenſu noſtræ voluntatis; actualia verò voluntatis malitiâ patrantur. Et ideo Angelis propriâ culpâ delinquentibus non attulit remedium. Tum, quia peccatum originale eſt radix omnium actualium: unde in Scripturis appellatur *peccata.* Pſal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea;* quia ex ipſo tanquam è fonte venenato omnia peccata ſcaturiunt.

Et hæc doctrina eſt omninò conformis Scripturæ & Patribus, ut enim ait Leo epiſt. ad Clerum & plebem Conſtantin. *Talis erat omnium à primis inducta genitoribus cauſa mortalium, ut originali peccato tranſeunte, per poſteros nullus pœnam damnationis evaderet, niſi Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Propter quod dicit Apoſtolus: Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vitæ.* Et iterùm: *Quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Chriſto vivificabuntur.* Lege totum caput 5. Epiſtolæ ad Romanos, & videbis Chriſtum ad abolitionem peccati Adæ veniſſe.

Quæres demùm, utrùm futuris ſolùm actualibus, non exiſtente originali, Chriſtus veniſſet?

Reſpondeo, rem eſſe omninò occultam, utpote dependentem à mera Dei voluntate, unde nihil certum poteſt definiri. Legimus quidem interdum in Patribus, Deum unicam animam tanti facere, ut pro illa factus ſit homo, imò ipſe Apoſtolus dicit: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Sed ex his colligitur, quidem Chriſtum ſuppoſito quòd voluerit venire, applicuiſſe mortem ſuam non ſolùm pro omnibus in communi, ſed etiam pro ſingulis in particulari: ſed inde non infertur, quòd exiſtente peccato cujuſcumque particularis Salvator veniſſet, cùm etiamſi venerit, multos in peccato reliquerit. Significant ergo ſolùm incredibilem Chriſti Domini charitatis fervorem, quo ita erat comparatus, ut vitam pro uno ſolo peccato expiando libenter impendiſſet.

R E F L E X I O.

Dicant, qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Pſal. 106. Quis divinæ clementiæ modum, qui eſt ſuper omnem modum, non ſuſpiciat, quæ benefaciendi nobis occaſionem ex peccato nacta eſt, & quos ob peccatum perdere debebat, niſi præceſſiſſet peccatum,

tantum

tantum bonum non contuliſſet Deus, qui mala non ſinit, niſi ut inde aliquid melius eliciat. Malorum omnium ſummum peccatum eſt, & pro ejus remedio tale medium excogitavit, quo ut ait Bern. ſerm. 2. Pent. *Nihil melius invenire potuit, unde nos redimeret ſapientia Dei in omni ſapientia ſua.* Cujus cordis tam lapidei duritiem non emollient pietas tanta, dignatio tanta? Et ut verbis ejuſdem Melliflui Doctoris ibidem utar: *O duri, indurati, & obdurati filii Adam, quos non emolliat tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui vilibus ſarcinulis tam pretioſas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro vel argento, ſed pretioſo ſanguine ſuo. Quid ultrà debuit facere, & non fecit? Quid ergo & à te quærit, qui tanta ſollicitudine te quæſivit, niſi te ſollicitum ambulare cum Deo tuo?*

Quàm remotæ ſunt cogitationes Dei à cogitationibus hominum! Præviderat Verbum ab æterno peccatum non ſolùm originale, ſed etiam innumera actualia ſupra arenam maris multiplicata, & non ſolùm ante Incarnationem peractam, ſed etiam poſt ejus execqutionem atrociora, dum ſui eum non receperunt, legem contempſerunt, & tandem acerbiſſimæ morti tradiderunt. Tria ſunt quæ benefactorum largitatem præpediunt, impotentia, inconſtantia dantis, & ingratitudo recipientis. Si enim deſit facultas, vel mutetur voluntas, vel ingratus ſit, cui datur, procul dubio nihil tribuitur. Duo priora divinam largitatem immutabilem, & juxtà omnipotentem continere non potuêre, ſed certè ingratitudo occludere debuit: nam ut ait Bern. ſerm. de 7. miſericord. *Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Vias enim obſtruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia acceſſum non invenit, locum non habet.* Et tamen his non obſtantibus, & jure ſeſe opponentib⁹, Chriſtus ad auferendum non ſolùm originale, ſed etiam actualia, niſi per nos ſteterit, venit. Deficiat ſpiritus noſter, prorſus deficiat in tanti beneficii conſideratione, quo ſic nos Deus miſerationibus ſuis oneravit, ſic prævenit in benedictionibus dulcedinis, ſic charitate obruit ſuâ, ut onus aliud ſentire non poſſimus, ſaltem non debeamus.

SPECULATIO III.

Solus Deus fuit cauſa efficiens Incarnationis, nec ab ulla creatura cauſari potuit unio hypoſtatica vel principaliter, vel inſtrumentaliter.

HAnc aſſertionem non obſcurè ſignificat Scriptura, dum *Abacuch* 3. dicitur: *Domine opus tuum*, id eſt, ita tibi proprium & ſingulare, ut fieri poſſit à te ſolo, cujus eſt mirabilia magna facere: & cùm Beata Virgo, *Luc.* 1. interrogaſſet: *Quomodo fiet iſtud?* Reſpondit Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quaſi diceret, opus illud impoſſibile eſſet, niſi virtus Altiſſimi illud efficeret, cujus tota ratio eſt virtus facientis, ut aliàs ex Patribus diximus.

Quòd autem nulla creatura illud poſſit principaliter efficere, nullus ambigit, & eſt evidens. Nam ſubſiſtentia divina, quæ eſt extremum hujus unionis, nullius cauſæ creatæ influxui ſubjici poteſt, ut poſſit illam unire naturæ cui voluerit. Nec ſubſiſtentiæ creatæ reſultantiam poteſt ulla creaturæ virtus impedire, cùm ſit neceſſaria & naturalis; conſumptio verò propriæ ſubſiſtentiæ ſit effectus ſupernaturalis, totius ſuperans naturæ facultatem: unde à ſolo Deo principaliter effici poteſt, cujus virtus nullis limitibus clauditur, & à qua ſola prodire queunt ſupernaturales effectus.

Altera verò pars, quæ aſſerit, creaturam talem unionem nec attigiſſe, nec attingere inſtrumentaliter potuiſſe, ſic probatur. Omnis actio creata, & præcipuè inſtrumentaria, debet habere aliquem terminum, & recipi in aliquo ſubjecto: Atqui non poteſt aſſignari terminus, neque ſubjectum in unione hypoſtatica, correſpondens illi actioni inſtrumentariæ: Ergo repugnat actio inſtrumentaria productiva unionis hypoſtaticæ. Major conſtat, quia omnis actio eſt ad aliquem terminum, & omnis actio creata educitur ex aliquo ſubjecto præexiſtente; ſiquidem nulla poteſt eſſe creativa. Minor verò probatur. Et primò, non poſſe dari terminum illius actionis, manifeſtum eſt, ſi ſupponamus, quod infrà probabimus, unionem hypoſtaticam non conſiſtere in aliqua entitate creata cauſante formaliter unionem, ſed in ipſa ſubſiſtentia divini Verbi, ut communicata humanitati: unde ſicut Verbum ipſum attingi nequit à creatura, & evidenter repugnat ipſum ſupponi actioni cauſæ ſecundæ, in cujus virtute nullo modo continetur, nec contineri poteſt; ita unio hypoſtatica à nulla creatura effici poteſt.

Quòd etiam non poſſit dari ſubjectum hujuſmodi actionis tranſeuntis ad paſſum, hinc patet; quia unio hypoſtatica nullum habet præſuppoſitum ſubjectum. Non Verbum, quod ſubjectum eſſe non poteſt, cùm ſit actus purus; non humanitas, quæ non præexiſtit aſſumptioni, quia ut infrà dicemus, eadem actione producta fuit humanitas aſſumpta, quòd præſertim in ſententia Thomiſtarum non videtur poſſe negari, aſſerentium humanitatem non exiſtere per exiſtentiam propriam, ſed per exiſtentiam Verbi, ac proinde humanitas non potuit eſſe ſubjectum actionis inſtrumentariæ, niſi præſente Verbo, quo redditur humanitas exiſtens: Ergo illa actio non facit Verbum præſens, ſed ſupponit, cùm non poſſit recipi niſi in ſubjecto exiſtente; humanitas autem non ſit exiſtens niſi per Verbum. Dicere verò cum quodam Thomiſta, non eſſe neceſſe actionem inſtrumentariam ſupponere ſubjectum exiſtens, modò reddat illud exiſtens, non eget multa impugnatione; ſiquidem hoc dato, poſſet dari inſtrumentum creationis, contra D. Thom. qui in hoc fundatur, quòd omnis actio inſtrumentaria ſupponit ſubjectum exiſtens, ut *lib.* 4. operosè monſtratum eſt.

Confirmatur ex Bartholomæo Medina. Nulla creatura poteſt concurrere principaliter, aut inſtrumentaliter ad miſſionem, aut dationem perſonæ divinæ; nam dans perſonam divinam debet habere illam vel per modum originis, qua ratione Pater æternus mittit Filium; vel per modum dominii & poteſtatis, qua ratione Rex mittit ſubditos, aliàs fruſtrà adhiberetur inſtrumentum: conſtat verò, creaturam neutro modo habere perſonam divinam, ut eam adire poſſit: Atqui per unionem hypoſtaticam datur perſona Verbi; imò in communicatione illius conſiſtit myſterium Incarnationis, & unio hypoſtatica: Ergo nulla creatura poteſt efficienter concurrere ad unionem hypoſtaticam.

Objicies: Patres frequenter vocant beatiſſimam Virginem inſtrumentum Incarnationis, aſſeruntque, per ejus concurſum humanitatem & carnem eſſe junctam Divinitati, ſed non per concurſū principalem: Ergo per inſtrumentalem. Et certè vix explicari poteſt, quomodo beata Virgo ſit mater Dei, ſi ad unionē humanitatis phyſicè non concurrerit.

Reſpon-

Reſpondeo, non inde poſſe deſumi rationem maternitatis beatę Virginis, quòd fuerit inſtrumentum unionis hypoſtaticæ; concurſus ſiquidem matris non eſt inſtrumentalis, ſed principalis ſuo modo: ideo ergo beata Virgo verè eſt mater Dei, & cum omni proprietate Deum concepiſſe dicenda eſt, quia præparavit materiam, eamque virtute Spiritus Sancti miniſtravit, ut corpus Chriſti formaretur: nec priùs completa eſt hujuſmodi materiæ exhibitio, quàm uniretur Verbum Divinum humanæ naturæ; ſed de his infrà. Quòd verò aliqui Patrum Deiparam inſtrumentum Incarnationis appellent, ideo eſt, quia Beata Virgo fuit cauſa diſpoſitiva materiæ uniendæ Verbo.

Inſtabis: Generans unit per modum cauſæ principalis animam rationalem cum materia, nec tamen producit nexum medium, qui ſecundùm probabiliorem ſententiam non datur: Atqui generans non continet ſua virtute animam rationalem, quæ cùm ſit ſpiritualis, non poteſt ſubdi virtuti generativæ materiali: Ergo falſum eſt, quòd ut aliqua cauſa uniat unum extremum alteri, neceſſarium eſt terminum unionis contineri in virtute cauſæ: ſicq; poterit creatura concurrere inſtrumentaliter ad unionem Verbi, licèt illud in virtute ſua non contineat.

Reſpondeo, quòd ſi hæc inſtantia quidquam efficeret, probaret etiam creaturam poſſe eſſe cauſam principalem unionis hypoſtaticæ, ſicut homo eſt cauſa principalis unionis materiæ cum anima; quod tamen nullus concedit. Eſt ergo magna diſparitas: ideo enim generans poteſt dici cauſa principalis, & ſemen cauſa inſtrumentalis unionis animæ cum materia, quia materiam virtute ſua activa ultimatè diſponunt ad recipiendam animam rationalem, quæ licèt à Deo ſolo creatur & infundatur, ita tamen connaturaliter debetur, ut ſine miraculo non poſſit non infundi. At verò nulla materia poteſt diſponi ab agente creato ad recipiendam unionem hypoſtaticam, & ſubſiſtentiam Divini Verbi, quæ non communicatur juxta exigentiam naturalem, ſed ſecundùm potentiam obedientialem, quæ ſoli Deo authori ſupernaturali ſuppoſita eſt.

Eſt etiam alia diſparitas ex dictis conſequens: quia materia non ſolùm naturâ, ſed etiam multis diebus præexiſtit animæ rationali. At verò humanitas unienda Verbo nedum tempore, ſed nec etiam naturâ, ſaltem in facto eſſe, præcedit aſſumptionem, cùm aſſumptione producatur, & et exiſtentia divina communicetur, ut infrà dicetur.

REFLEXIO.

Sæpe ſæpiùs hæc quæſtio animum pulſat, cur Deus poſt collatum tam ingens Incarnationis beneficium à nulla creatura producibile, alia nobis minutiora recuſet? Propter nos nondum natos, & in peccato naſcituros fecit potentiam in brachio ſuo: quomodo ergo cum ipſo non nobis alia donabit? Ne mireris, *Lector*; quia in primo opere ſolus Deus agere poteſt, & ea quæ ex ipſo ſolo pendent, liberaliſſimè impartitur: cætera verò munera ſua non tribuit niſi volentibus, laborantibus, & prævenienti gratiæ cooperantibus: non ergo mirum, ſi nobis uberiora dona non tribuat, qui ipſum datorem ingrati contemnimus; pauci enim ſunt, qui dignas de accepto Incarnationis beneficio gratias referant: miſericorditer ergo nobis nova beneficia negantur, qui ſumus antiquorum immemores. Præclarè Bern. ſerm. contra ingratitudinem: *Hoc etiam clementia eſſe videtur, ingratis negare quod poſtulant, ne contingat nobis, ut tantò graviùs de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur ex datis: Ergo miſericordia res eſt in hac parte ſubtrahere miſericordiam.*

DISSERTATIO III.

De eſſentia Incarnationis.

JAM ipſius Myſterii noſtri adyta & penetralia ingrediamur, ut ſimul & Verbi demiſſionem, & humanitatis promotionem contemplemur. Sicut enim aquæ fontium eò altiùs aſcendunt & reſiliunt, quo inferiùs & profundiùs deſcenderunt: ita Filius Dei ſe exinanivit atque evacuavit, ut ad ſupremum honoris faſtigium hominem promoveret. Exinanivit, inquam, non amittens quod erat, ſed tegens & ſeponens Majeſtatem quam habebat, tanta dignatione, ut ſcire nequeat quid potiſſimùm mirari debeat Theologia, utrùm quòd ſe Deus ad noſtram depoſuerit ſervitutem, an quòd nos ad ſuæ Divinitatis rapuerit dignitatem? Unde Auguſtinus de Prædeſt SS. c. 15. *Naturæ humanæ tanta, & tam celſa, & ſumma ſubvectio eſt, ut quò attolleretur altiùs non haberet: ſicut pro nobis ipſa Divinitas quouſque ſe deponeret humiliùs non habuit, quàm ſuſcepta natura hominis cum infirmitate carnis, uſque ad mortem crucis.* Sanè eò deſcendit Verbum, quò inferiùs non decuit; eò aſcendit humanitas, quò excelſiùs non potuit: dum plenitudo effuſa eſt, altitudo adæquata eſt, ſingularitas aſſociata eſt.

CAPUT I.

In quo conſiſtat unio hypoſtatica.

PRæmoneo primò, uniri in natura cum aliquo eſſe ingredi quidditatem, & conſequenter definitionem alicujus, vel tanquam pars metaphyſica, vel tanquam pertinens ad conſtitutionem phyſicam, aut integritatem rei, v. g. in homine animal & rationale, corpus & anima, caput & brachium uniuntur in natura humana, quam conſtituunt & integrant.

Præmoneo ſecundò, uniri in perſona cum altero, eſt ſalvâ manente utriuſque naturâ completa, unam ſubſiſtere per ſubſiſtentiam alterius, ita ut ex extremis unitis non fiat una natura totalis, ſed unica perſona utramque naturam terminet. Cujus exemplum non habemus in naturalibus, aliquod tamen ejus veſtigium poſtea dabimus.

Præmoneo tertiò, veritatem orthodoxam de Incarnatione eſſe mediam inter duos extremos errores Neſtorii Epiſcopi, & Eutychetis Presbyteri, & Monaſterii, quod in urbe regia celeberrimum erat, Archimandritæ: quorum ille duas perſonas in Chriſto accidentaliter unitas admittens, B. Mariam Virginem negavit eſſe θεοτόκον, hoc eſt Deiparam, & ſolùm ei Chriſtiparæ nomen aſſerebat: cujus errore in Concilio Epheſino proſcripto, ipſe exauthoratus, in exilium miſſus, & calamitoſo exitu, verminante blaſphema linguâ, mortuus eſt. Iſte verò declinandæ Neſtorianæ impietatis prætextu, ambas Chriſti naturas ita confudit, ut in unicam mutua commiſtione coaluiſſe diceret, qui primùm à Flaviano Conſtantinopolitano Antiſtite damnatus, Apoſtolicam Sedem, cujus clavo aſtabat Magnus Leo, appellavit, à quo rurſum condemnatus per ſummum nefas ad Theodoſii tribunal provocavit: ſed in Synodo Chalcedonenſi anathematizatus eſt.

Præmoneo quartò, ſic confutandam eſſe hæreſim Eutychetis: Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, ut inculcant Patres & Concilia; niſi enim eſſet

verus Deus, non afferret remedium; niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum. Et quidem quòd fuerit homo, patuit ad ſenſum; nam fuit natus, paſſus, mortuus, aliaque humanitatis ſigna, excepto peccato & ignorantiâ, habuit. Quòd autem fuerit verus Deus, probatum eſt, dum de Trinitate, & ſuprà contra Judæos: Ergo in Chriſto verè eſt utraque natura, divina & humana. Nec potuit fieri utriuſque confuſio, quia natura divina eſt immutabilis & incorruptibilis, ſubindéq; in aliam ſubſtantiam intranſmutabilis. Non potuit etiam alienam naturam in ſuam transformare, ſicut ignis convertit lignum in ignem; quia repugnat naturæ divinæ habere rationem formæ afficientis alienam materiam vel ſubſtantiam; hoc enim perfectam involvit imperfectionem.

Unde in Symbolo Chalcedonenſis Concilii ſic habetur: *Confitemur Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum, propter unionem.* Et S. Leo ſerm. 7. de Nativ. *Talis periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtra veritas, aut paterna gloria negetur æqualitas.* Et alii Patres docent, hoc myſterium fuiſſe præfiguratum in rubo, quod vidit Moyſes ardens ſimul & incombuſtum, quia in Chriſtu nec humanitatem conſumpſit Deitas, neque Deitatem humanitas comminuit.

Dices: Verbum caro factum eſt, & ex utroque factus eſt Chriſtus, ſicut ex carne & anima fit homo: Atqui unum fieri, aliud eſt converti in illud; ex anima enim & corpore reſultat una integra natura hominis: Ergo in Incarnatione fit permixtio & transfuſio naturarum.

Reſpondeo, Verbum fuiſſe factum carnem, non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: in hoc verò aſſimilatur Incarnationis ſacramentum unioni corporis & animæ, quia utrobique eſt unio realis & phyſica; & quia ſicut corpus trahitur ad eſſe animæ, ita humanitas evehitur ad eſſe Verbi; non verò in hoc, quòd reſultet tertia aliqua natura ex utroque. Et ratio differentiæ eſt, quia in unione hominis utraque pars eſt incompleta, ex qua proinde completa reſultare poteſt: at in unione hypoſtatica utrumque extremum habet naturam integram & perfectam; unde non fit tertia natura, ſed inferiori communicatur ſolùm ſubſiſtentia ſuperioris. Nam, ut ait Leo ſerm. 1. Nat. *Tanto & tam mirabili fœdere utramque naturam conſervit, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio.*

Præmoneo quintò, ſic confutati blaſphemiam Neſtorii: Secundùm Scripturam & Traditionem humanitas unita eſt Verbo Dei, Verbum enim caro factum eſt; unita, inquam, non ſecundùm affectum vel conformitatem voluntatis, vel eximiæ gratiæ prærogativas, ſed realiter & phyſicè: aliàs nihil ſingulare haberet opus Incarnationis, & tam benè poſſet dici Pater incarnatus, quàm Filius; ſiquidem per unionem affectus, conformitatis & gratiæ, præſens erat in humanitate, ſicut Filius: imò & totæ tres perſunæ hoc modo unionis ſunt in anima cujuslibet juſti, ut ſatis explicuimus, dum de miſſionibus divinis: Sed illa unio realis non facta fuit permixtione, vel confuſione ſubſtantiali, quia ſic non eſſet unio, ſed deſtructio utriuſque, ut oſtendimus contra Eurychetem: Ergo reſtat, ut ſit unio in perſona, quatenus humanitas, impeditâ propriâ ſubſiſtentiâ; vel, ut ajunt Patres, conſumptâ, ad hypoſtaſim divini Verbi ſublimata eſt.

Objicies: Quod advenit enti in actu completo, non advenit illi per ſe, ſed per accidens, cùm inveniat rem perfectam & completam: Sed Verbum advenit humanitati completæ, cùm ſit terminus generationis beatiſſimæ Virginis; generatio verò terminetur ad ſuppoſitum & perſonam: Ergo unio duarum naturarum in Chriſto eſt accidentalis, & quælibet habet ſuam perſonalitatem propriam.

Reſpondeo: Illud quod advenit enti completo, advenit accidentaliter, niſi trahat illud, cui advenit ad conſortium ſui eſſe: Verbum autem adveniens humanitati, facit eam conſortem ſuæ ſubſiſtentiæ, unde illi ſubſtantialiter unitur. Et quamvis humanitas in Chriſto ſit completa ſpecificè, id eſt, habeat materiam & formam perfectam, non tamen perſonaliter, quia impeditur ſubſiſtentiâ propriâ, ut ad divinam attollatur: quod ſufficit, ut ſit terminus generationis maternæ, quæ terminatur ad ſuppoſitum, quod natum eſt reſultare, ſed quod poteſt à Deo impediri & ſuppleri.

Dices: Si humanitas in Chriſto habet materiam, formam, proprietates, accidentia quæ admittimus in aliis humanitatibus, certè fictitia eſt illa ſubſiſtentia, quâ carere eam dicimus; nec explicari poteſt, quid ſit illa unio perſonalis, cujus nullum exemplum dari poteſt.

Reſpondeo, unionem duarum naturarum in unica perſona, cùm ſit ſupernaturalis, & vincens quodvis prodigium, non poſſe niſi difficulter explicari. Conantur tamen ſancti Patres eam nonnullis exemplis aliqualem cum ipſa ſimilitudinem præ ſe ferentibus, quadantenus declarare. Sic Athanaſius utitur exemplo animæ rationalis & carnis, quæ licèt diverſæ prorſus naturæ ſint, ad unam tamen perſonam ſubſtantialiter efficiendam coëunt. D. Thom. *in 3. diſt. 1. q. 1.* exemplo rami inſerti arbori alterius ſpeciei, cui tam intimè copulatur, ut ab ipſa vitam hauriat, & alimentum ſugat. D. Baſil. *homil. de hum. Chriſti gener.* adhibet exemplum ferri candentis igne ita perfuſi & penetrati, ut in ignem converſum videatur. Quibus in exemplis licèt ſit multa diſſimilitudo (nam in duobus primis extrema ſunt entia incompleta, ex quibus benè intelligitur fieri totum ſubſtantiale; in tertio verò non eſt unio ſubſtantialis) ſunt tamen veluti anſæ, quibus hoc myſterium qualitercumque apprehendimus. Quid verò addat ſubſiſtentia ſupra naturam, explicant Metaphyſici, & dicunt eſſe modum ſubſtantialem, quo natura in ſe, per ſe, & non in alio ſubſiſtit, ſitque omni alteri perſonæ incommunicabilis. His præmiſſis, explicanda eſt hæc unio, tam prout eſt actio conjungens, quàm prout eſt vinculum, humanitatem cum Divinitate connectens.

Speculatio I.

Actio unitiva humanitatis cum Verbo fuit ſimul productiva humanitatis, & creativa animæ. Ex vi ejus nullus eſt productus nexus medius.

PRior pars hujus aſſertionis nobis probabilior viſa eſt, quia ad penitùs eliminandas hæreſes circa hoc myſterium magis conducit. Fundabantur ſiquidem Neſtoriani ad multiplicandas perſonas in Chriſto in multiplicitate actionum, quæ cùm habeant terminos diſtinctos, inferebant aliâ actione productam fuiſſe perſonam humanam, aliâ unitam Verbo, & ideò Patres ſecurim radici apponentes, unicam tantùm actionem admiſerunt. S. Leo epiſt. 11. *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut priùs creata, poſtea aſſumeretur; ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.* Idem docet apertè Auguſt. ſeu Fulgent. *lib. de*

de fide ad Pet. c. 18. & lib. de Incarnat. & grat. c. 13. ubi aſſerit, ipſâ acceptione carnis fuiſſe conceptum Chriſtum in utero virginali. Nec poſſunt explicari Patres, quaſi velint eſſe concomitantiam actionum illarum, & nullam temporis prioritatem inter illas interceſſiſſe. Nam quomodo verum eſſet, humanitatem eſſe ipſa aſſumptione creatam, ſi actio aſſumptiva non fuerit creativa. Certè non dicitur aërem creatum fuiſſe illuminatione, licèt eodem inſtanti, quo creatus eſt, lumine perfuſus ſit.

Probatur ratione: Creari & produci nihil aliud ſunt, quàm recipere eſſe, & exiſtentiam: ergo per illam actionem creata eſt anima rationalis, & producta humanitas, per quam acceperunt eſſe: Atqui non acceperunt eſſe, niſi per actionem aſſumptivam: Ergo actio aſſumptiva eſt omninò eadem cum productiva humanitatis, & creativa animæ rationalis Chriſti. Major eſt evidens ex penetratione terminorum; nam exiſtentia eſt proprius creationis terminus, & ideo, ut vidimus aliàs, ſolus Deus poteſt creare, quia poteſt effectum illum univerſaliſſimum è nihilo extrahere: & certè res non poteſt concipi creata vel producta, donec habeat exiſtentiam, quâ ponitur extra cauſas, & deſinit eſſe merè poſſibilis. Ex quo prima conſequentia eſt manifeſta. Minor verò ſubſumpta in ſententia Thomiſtarum eſt conſtantiſſima; cùm enim humanitas in Chriſto non habeat aliam exiſtentiam, niſi divinam, fit inde, illam non accepiſſe eſſe, niſi per actionem aſſumptivam, qua ad perſonam Verbi ſublimata, & increatâ exiſtentiâ donata fuit.

Confirmatur. Conſtans eſt Thomiſtarum doctrina, quam tradit D. Th. *1. p. q. 45. art. 4.* actionem creativam non terminari, niſi ad rem ſubſiſtentem, juxta illud Philoſophi proloquium, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, tam activè, quàm paſſivè, id eſt, ſicut procedunt à ſuppoſito, ita terminantur ad ſuppoſitum: unde eadem actione producitur humanitas, & fit ipſe Chriſtus. Sed actio quâ fit Chriſtus, eſt unitiva humanitatis cum Verbo, ſicut per hoc eſt Chriſtus, quòd humanitas ſubſiſtit in Verbo: Ergo actio productiva humanitatis, & creativa animæ, eſt unitiva ipſius cum Verbo.

Dices: Actiones diſtinguuntur penès terminos: Sed creatio animæ, productio humanitatis, & aſſumptio ejus habent diſtinctos terminos; nam prima fertur ad animam è nihilo creatam; ſecunda ad humanitatem, quæ eſt aliquid naturale; tertia ad aliquid ſupernaturale, nempe ad perſonam divinam: Ergo tres illæ actiones diſtinguuntur.

Reſpondeo, illa omnia eſſe tantùm terminos partiales ejuſdem actionis totalis: & licèt actio naturalis non poſſit producere effectum naturalem, tamen actio ſupernaturalis poteſt effectum naturalem producere, quia quod poteſt majus, & minus efficere poteſt. Quare triplex illa actio diſtinguitur ſolùm ratione, ſicut eadem actio eſt dictio & contemplatio objecti, & prout eſt dictio, ſeipſam præcedit, ut eſt objecti conſideratio: ſicut eadem actio eſt corruptiva frigoris, & generativa caloris; & prout eſt corruptio, eſt prior ſeipsâ, ut eſt generatio: ſicut eadem infuſione gratiæ priùs ratione expellitur macula peccati, quàm juſtificetur anima: ita in propoſito eadem actio priùs ratione producit humanitatem, quàm eam conjungat Verbo, & ſic explicabitur, quod ſæpè ait S. Thom. *Id quod aſſumitur, præſupponitur aſſumptioni.*

Rejicitur nexus medius.

Poſterior pars ſatis apertè docetur à S. Th. in 3. q. 2. art. 2. q. 1. *Sciendum, quòd in unione humanæ natura ad divinam, nihil poteſt cadere medium formaliter unionem cauſans, cui per priùs humana natura conjungatur, quàm divina perſona.* Et ubique tradit, quòd nihil aliud creatum reperitur in hujuſmodi unione, niſi relatio humanitatis ad Verbum, quæ non cauſat formaliter unionem, ſed ipſam conſequitur. Ita expreſſè docet hîc, q. 2. art. 8. *Unio importat relationem quandam.* Et in 3. diſt. 5. q. 7. art. 1. *Unitio eſt quædam actio vel paſſio, qua ex multis efficitur unum, & hanc actionem ſequitur hæc relatio, quæ eſt unio.* Unde S. Præceptor pro fundamento talis relationis nullibi admiſit modum, ſed ſolam actionem aſſumptivam, quâ humanitas evehitur ad eſſe Verbi.

Probatur ratione: Per illud Verbum & humanitas formaliter uniuntur, per quod fiunt unum in perſona: Atqui illud, per quod fiunt unum in perſona, non eſt aliquis modus creatus, ſed ſola ſubſiſtentia divini Verbi: Ergo ex vi actionis aſſumptivæ non producitur aliquis modus creatus, cauſans formaliter unionem. Major eſt per ſe nota. Minor verò probatur. Tum quia Verbum divinum communicatur humanitati per modum ſubſiſtentiæ; ſubſiſtentia autem per ſeipſam communicatur naturæ, & non per modum ullum, ſicut per ſeipſam eſt ſubſiſtentia, & non per modum additum: Ergo Verbum divinum, cùm per ſeipſum ſit terminus & perſona humanitatis, per ſuam ſubſiſtentiam, & non per modum terminat ipſam. Tum, quia inintelligibile eſt, quomodo nexus creatus poſſit afficere Verbum divinum, illudque humanitati annectere; modus enim unionis non communicat ſuum effectum formalem, qui eſt unire, niſi ſubjecto in quo recipitur; ſicut non confert effectum illum humanitati, niſi in ea recipiatur: Implicat verò modū creatum ſubjectari & recipi in Verbo divino, ut patet. Ergo implicat, modum creatum poſſe cauſare formaliter unionem inter humanitatē & Verbum.

Denique: Per illud humanitas eſt formaliter unita Verbo, per quod eam terminat perſona Verbi; implicat enim Verbum habere rationem termini humanitatis, & humanitatem non uniri in ratione terminabilis: Atqui perſona Verbi terminat humanitatem immediatè per ſeipſam, non per modum aliquem intermedium: Ergo. Probatur minor: Nihil creatum poteſt eſſe actuale exercitium, & actus ſecundus virtutis terminativæ Verbi Dei, ſicut nec virtutis ejus productivæ, ut diximus *lib. 4.* Neque enim Deus minùs eſt actus purus in ratione termini, quàm in ratione principii activi: Ergo ſicut res ad extra producit per ſuam ſubſtantiam ſine actione diſtincta, ita perſona divina humanam naturam terminat per ſeipſam immediatè, & non mediante aliquo creato. Et ideo Patres crebrò affirmant, unionem hypoſtaticam eſſe maximè intimam & immediatam.

Dices, hunc modum eſſe neceſſarium, non Verbo, ſed humanitati, quæ debet diſponi & præparari; præſertim, quia per actionem aſſumptivam humanitas intrinſecè mutata eſt: Ergo aliquid creatum intrinſecum recipit; ideo namque ſalvamus Verbum non eſſe mutatum, quia nihil recepit: ut ergo humanitas mutata ſit, aliquid cauſans unionem recepiſſe neceſſe habuit.

Reſpondeo, modum illum inutilem omnino eſſe, ut præparet habiliterque naturam ad Verbum divinum; ſiquidem omnis natura de ſe eſt aſſumptibilis, non ratione modi adventitii: & ſicut per ſeipſam terminabilis eſt à propria ſubſiſtentia, ſic etiam à divina, ſupplente vicem propriæ. Quorum

omnium radix eſt, quia natura per hypoſtaſin accipit eſſe ſimpliciter & ſubſtantiale, nec eſt capax recipiendi ullum aliud eſſe, ſive modale, ſive accidentale, niſi priùs habeat eſſe ſubſtantiale: tantùm ergo abeſt, quòd natura debeat præparari ad illud eſſe ſubſtantiale, quod potiùs per illud diſponitur, & fit capax omnis alterius eſſe accidentalis.

Ad id, quod dicitur de mutatione humanitatis, reſpondeo ipſam fuiſſe ſufficienter mutatam per hoc, quòd non obſtante inclinatione ad propriam ſubſiſtentiam, hæc fuerit conſumpta, & divina ſubſtituta; ad mutationem quippe realem ſat eſt, ut aliquid proprium anferatur, vel impediatur, & aliquid novum adveniat: humanitas autem, & propriâ ſubſiſtentiâ caret, & divinâ terminatur; unde verè mutata eſt per actionem aſſumptivam.

Inſtabis: humanitas habet intrinſecam indifferentiam ad hoc ut terminetur, vel non terminetur à Verbo: Ergo per aliquid intrinſecè in ſe receptum debet determinari, ut uniatur Verbo; nec ad hoc ſufficit actio unitiva, quæ eſt extrinſeca humanitati, niſi per eam aliquid reale producatur.

Reſpondeo, humanitatem ſufficienter manſiſſe determinatam, eo ipſo quòd impedita fuit propriâ ſubſiſtentiâ, quæ non potuit ſuppleri per fictitium illum modum unionis, ſed per ſolam ſubſiſtentiam Verbi, quæ intrat loco propriæ, præſtatque omnia officia ſuſtentandi, & terminandi naturam.

Inſiſtes: Humanitatem eſſe unitam Verbo, eſt aliquid reale poſitum in rerum natura; nam in Concilio Epheſino, in anathematiſmis Cyrilli dicitur, *anathema ſit, qui non dixerint unionem illam eſſe phyſicam*, id eſt realem & veram, ut explicavit Cyrillus: Sed illud reale non eſt ſola humanitas, nec ſola ſubſiſtentia Verbi; nam in alio homine eſt humanitas, & eſt præſens ſubſiſtentia Verbi: Ergo unio hypoſtatica eſt aliquid reale diſtinctum ab extremis unitis, & cauſans formaliter unionem.

Reſpondeo, indubitanter unionem hypoſtaticam eſſe realem, cùm ſit ipſa ſubſiſtentia Verbi, ut communicata humanitati: per hoc autem ſublatis quibuſcumque aliis intelligitur ſubſiſtentia communicata humanitati, per quod privatur propriâ ſubſiſtentiâ, & exiſtentiâ, aſſumiturque ad divinam: in alio verò homine eſt propria ſubſiſtentia, unde divina in eo eſt ſolùm per immenſitatem, non per ſuſtentationem.

Perſiſtes: Omnis actio exigit terminum à ſe de novo productum: Sed terminus de novo productus ab actione aſſumptiva non poteſt eſſe alius, quàm ille modus unionis; non enim poteſt eſſe Verbum, quod eſt æternum: non eſt etiam humanitas, quia poteſt humanitas exiſtens ſpoliari propriâ ſubſiſtentiâ, & aſſumi à Verbo: Ergo per actionem unitivam productus eſt modus unionis.

Reſpondeo, nullatenùs eſſe neceſſarium, quòd terminus formalis ſit productus per actionem; ſed ſatis eſt, quòd per eam ſit de novo unitus, ut patet in generatione hominis, quæ animam non producit, ſed materiæ unit & communicat; & in reſurrectione anima exiſtens rurſum corpori unietur. Quia nimirum ſufficit, ut aliquid ſit terminus formalis alicujus actionis, quod ex vi illius perficiat ſubjectum, illique communicetur ad conſtituendum totum. Quare licèt perſonalitas Verbi divini non producatur, habet tamen rationem termini formalis actionis aſſumptivæ, ex cujus vi & efficacia communicatur humanitati, ex qua communicatione reſultat Chriſtus, qui eſt terminus totalis actionis illius.

Conſectaria deducta.

Ex dictis ſequitur primò reſolutio illius quęſtionis, in qua fusè nonnulli occupantur, quinam ſit formalis terminus Incarnationis? Patet enim ex dictis, terminum totalem eſſe Chriſtum; terminum formalem eſſe perſonalitatem Verbi: quamvis dici poſſit, quòd illa actio, prout eſt humanatio & incarnatio Dei, quem conſtituit in eſſe hominis, habeat pro termino humanitatem, quâ compoſitum illud fit Deus-homo. Sed quia humanitas id non præſtat exercendo rationem actus perfectivi, ſed perfectibilis; ideo non habet propriè rationem termini, ſed potiùs perſona Verbi, quæ non ſuſtentat humanitatem paſſivè, & per modum ſubjecti recipientis, ſed activè per modum termini complentis. Terminus verò *à quo* actionis illius eſt privatio ſubſiſtentiæ divinæ, quia in omni generatione terminus à quo eſt privatio formæ introducendæ, ſive deſtruatur aliqua forma poſitiva, ſive non. Sic ignis fit formaliter ex non igne; quòd autem fiat ex ſtupa, vel ligno, per accidens eſt. Ita ſimiliter perſonam divinam uniri humanitati, & hominem fieri Deum, fit per ſe ex non eſſe Deum: quòd verò ad hoc deſtruatur perſonalitas propria, ſi ſit præexiſtens, vel impediatur, ne reſultet, hoc eſt per accidens: quia tamen ſine hujuſmodi tam rigoroſa formalitate dici ſolet, quòd ex ligno fit ignis; ita rectè dici poteſt, quòd humanitas à propria perſonalitate, vel deſtructa (ſi ſit præexiſtens) vel impedita evehitur ad divinam.

Sequitur ſecundò, hanc unionem eſſe omnium maximam. Licèt enim, ſi conſiderentur extrema, quæ uniuntur, non poſſet dici maxima, quia extrema, quæ in illo colligantur, non habent proportionem & coaptationem naturalem, & ideo humanitas unitur Verbo ſecundùm potentiam obedientialem, ſicque major eſt habitudo inter materiam & formam, inter eſſentiam & exiſtentiam, inter naturam & ſubſiſtentiam propriam: ſed ex hoc non debet penſari quantitas, & arctitudo unionis, ſed ex nexu & vinculo, quo extrema copulantur, & ex hac parte unio hypoſtatica eſt omnium maxima, ut docet D. Bern. *lib. 5. de conſid.* Inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitatis, & poſt ipſam eſt unitas dignativa, *quæ eſt in Chriſto*, quia ſicut in Trinitate eſt unica eſſentia in tribus perſonis; ita in Incarnatione eſt unica perſona in tribus eſſentiis, Dei, animæ, & corporis.

Ratio verò hujus eſt multiplex. Tum quia ſubſiſtentia Verbi, quâ connectitur natura divina cum humana, eſt quid ſimpliciſſimum, & identificatum cum altero extremo, nempe natura divina; eò autem unio eſt major, quò nexus eſt unus cum extremis, vel aliquo extremorum. Tum quia hæc unio eſt adeo intima, ut propter illam poſſit dici, quòd Deus eſt homo, & homo Deus: quod non facit unio corporis cum anima, neque enim corpus eſt anima. Tum denique, quia eſt magis indiſſolubilis, & invariabilis: cujus ſignum eſt, quia in morte Chriſti, diſſoluto omni vinculo, unio partium humanitatis cum Verbo, morte incidente nullatenus intercidi potuit. Unde S. Leo *ſerm. 17. de paſſ.* ait: *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.*

Sequitur tertiò, hanc unionem eſſe maximè immediatam. Tum quia nullum importat medium creatum. Tum quia nullum exigit apparatum præcedentium diſpoſitionum, ut contingit in unione formæ cum materia, quæ debet multis modis apparari. Unde audiendi non ſunt, qui volunt gratiam

habitualem habuiſſe rationē diſpoſitionis ad unionem hypoſtaticam; nam omnis diſpoſitio, ſive phyſica ſit, ſive moralis, debet antecedere formā, ſaltem naturâ. gratia autem ſanctificans non antecedit, ſed ſubſequuta eſt unionem hypoſtaticam per modum proprietatis, ut infrà cōſtabit. Unde *Joan.1.* dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Innuens, ex unione hypoſtatica veluti è fonte manaſſe gratiarum rivos.

Et quamvis fuerit decens Verbum uniri humanitati gratiarum dotibus adornatæ, quæ propterea deſcribitur ut Regina in veſtitu deaurato circundata varietate, id eſt, omnium cœleſtium charismatum donis inſtructæ; non tamen præceſſere hæc monilia cæleſtis Sponſi matrimonium, ſed ex adventu ipſius profluxêre, juxta illud: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (Sapientia æterna) *& innumerabilis honeſtas per manus illius.* Ratio eſt, quia humanitas non potuit habere gratiam antequam ſubſiſteret. Recole dicta aliàs, dum de viſione beata, ubi diximus, quòd licèt intellectus debeat diſponi ad viſionem prævia glorioſi luminis perfuſione, non tamē humanitas dum Verbo unitur, ulla debet præparatione aptari, quia in viſione elevatur intellectus ad operandū, ſubindeque debet ſuperadditi luminis incremento vigorari. At verò humanitas advocatur ad conſortiū eſſe divini, quod immediatè naturæ debet uniri, ſicut in bona Philoſophia priùs eſt eſſe ſubſtantiale, quàm accidentale.

Sequitur quartò, quomodo vera ſit frequens illa loquutio Patrum & Conciliorum, aſſerentium, perſonam Chriſti eſſe compoſitam. Nam cùm in Chriſto non ſit confuſio naturarum, ſed divina & humana ſint diſtinctæ & unitæ, planū eſt, perſonam Chriſti, ſeu terminum totalem reſultantē ex unione duarum naturarū, eſſe verè & propriè compoſitum. Præſertim cùm unum extremum habeat rationem actus terminantis & perfectivi, aliud verò rationem terminabilis & perfectibilis: ſiquidem natura divina mediante perſonalitate Verbi, perficit & terminat humanitatem aſſumptam. Poteſt etiam dici, Chriſtum eſſe compoſitum ex humanitate & perſonalitate Verbi, quatenus perſonalitas divina non manſit in ſimplici officio terminandi naturam divinam, ſed etiam habet munus perſonandi naturam humanam. Licèt enim eſſe perſonale in ſe entitativè ſit ſimplex, & non compoſitum; tamen quia ad plura extrema ſe extendit, quæ participant idem eſſe, rectè dicitur perſona illa compoſita, id eſt pluribus extremis unitis communicata, & in ratione comūnicandi cōpoſita. Uno verbo, perſona Chriſti non eſt compoſita in entitate perſonæ, ſed in officio & exercitio perſonæ, quæ facit ſubſiſtere duas naturas, ſicque habet duplicatum officium & miniſterium perſonæ, utpote communicans eſſe perſonale duobus extremis unitis, in quo ſalvatur vera & propria ratio compoſitionis.

Dices: Propriè dicta compoſitio duplicem habet imperfectionem eliminandam à perſona Chriſti. In primis compoſitum in omni compoſitione debet eſſe perfectiùs partibus componentibus, cùm addat aliquid ſupra utrumque componens: Chriſtus verò totus non eſt perfectior ſola perſonalitate Verbi. Rurſum omnis compoſitio debet eſſe ex partibus cauſantibus eſſe totius: natura autem divina nequit habere rationem partis componentis; Deus enim in compoſitionem venire non poteſt, ut docet D.Tho. 1.*p.q.*3. nec humanitas poteſt cauſare eſſe Chriſti: Ergo perſona Chriſti non poteſt dici compoſita.

Reſpondeo, quòd licèt plerumque compoſitio non ſit ſine aliqua imperfectionis labe, tamē ex ſua propria ratione purgari & mundari poteſt ab omni defectu. Diſtincta enim uniri, & in cōſortium unius eſſe convenire, de ſe nullam dicit imperfectionem in toto unito, ſed ſolùm in parte illa, cui advenit eſſe, ſcilicet in humanitate: unde ad primam imperfectionem, quæ videtur incurri, dico compoſitum tunc ſolùm eſſe perfectius extremis, quando utrūque eſt finitum, ſecùs ſi alterum ſit infinitum: qua de cauſa aliàs oſtendimus, totum univerſum cum Deo non eſſe quid perfectius Deo ſolo.

Ad alteram, quæ opponitur, imperfectionem reſpondeo, non eſſe de ratione compoſiti, quod conſtet ex partibus, ſed ex pluribus extremis in unum coëuntibus ad conſtitutionem totius, ſicut ex intellectu Beati & eſſentia divina fit unum in ordine intelligibili, abſque eo, quòd eſſentia divina habeat rationem partis. Quare quando Theologi cum D.Thom. aſſeverant, Deum non poſſe in compoſitionem venire, loquuntur de compoſitione, in qua extrema habeant rationem partis incompletæ. Quòd ſi contendas, te per partem nihil aliud intelligere, quàm extremum concurrens ad compoſitionem alicujus totius, facies quæſtionem de nomine, & impropriè loquêris; quia per partem intelligere ſolemus ens incompletum, in quo cum alia comparte ſit totum perfectius: Deus autem, qui eſt extremum hujus compoſitionis, habet completiſſimam & pleniſſimam perfectionem.

REFLEXIO.

Nullum medium patitur Verbum, quo humanitati connectatur: ſeipſo immediatè uniri vult, quia nimirum adeo delicatus eſt acceſſus ejus, ut nihil extraneum admittat. Nunquam, Lector, te ſuis viſitationibus dignabitur Deus, nunquam in benedictionibus dulcedinis prævenieris, niſi humana deſpexeris. quandiu animus tuus liber non erit à curis ambiendi, acquirendi, volutandi, & ſcalpendi ſcabiem libidinum, tandiu intima cum Verbo unione carebis; ſed ut terrena contempſeris, continuò cœleſtibus abundabis. Qui humanitatem nudam immediatè aſſumpſit, cor nudum poſtulat, purum requirit amorem. *Fili* (ait Salomon Proverb.7.) *ſerva mandata mea, & legem meam, ut pupillam oculi tui,* quæ quovis minutiſſimo ictu compungitur, quàmlibet levi feſtuca vexatur, & minimo pulvere obruitur. *Perfectæ ſiquidem* (inquit opportunè Salvian. lib. 3. de Provid.) *ac ſyncerissimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Salvator, juſſit ab iis cautiſſimè etiam minima vitari, ſcilicet ut quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita; & ſicut ſalva intuitus incolumitate pulveris labem in ſe oculus non reciperet, ſic vita noſtra labem in ſe penitus impudicitia non haberet.* Nemo ergo dicat in corde ſuo, Levia peccata non curo corrigere, quia ut eſt in Proverbio, *Pilus umbram facit.* Et ſanè neſcio quomodo poſſumus illud leve dicere, quod Dei familiarem convictum noſcitur impedire, cui ſolus ille admittitur, qui non tam conſiderat quod juſſum eſt, quantum qui juſſerit; nec quantitatem imperii, ſed imperantis dignitatem, & hoſpitis cogitat puritatem. *Quid à te quærit* (inquit Bernard. ſerm.1. Pentec.) *qui tanta ſollicitudine te quæſivit, niſi ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Hanc ſollicitudinem non facit niſi Spiritus ſanctus, qui nec minimam paleam intra cordis, quod poſſidet habitaculum, patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis exurit ſpiritus dulcis & ſuavis.*

Speculatio II.

Humanitas Chriſti per ſe primò ad ſubſiſtentiam relativam Verbi, ſecundariò verò ad exiſtentiam divinam aſſumpta eſt.

PRimam partem uno ore docent Concilia & Patres, in quibus habetur, humanitatem fuiſſe aſſumptam à Filio in eo, quod eſt illi proprium, & non commune toti Trinitati. Unde vera non eſt ſententia Durandi affirmantis, unionem humanitatis per ſe & imediatè factam eſſe ad ſubſiſtentiam abſolutam Dei, quæ eſt comunis tribus perſonis, & ſolùm ſecundariò ad proprietatem relativam Filii.

Probatur: Per illud Verbum per ſe primò terminat homanitatem, per quod diſtinguitur realiter ab aliis perſonis; ſi enim non terminaret per illud, quod eſt ſibi proprium, & quo diſtinguitur ab aliis, ſequeretur planè, tres perſonas terminaſſe æquè primò humanitatem, proindeque fuiſſe incarnatas, quod eſt contra fidem. Atqui ſecunda perſona nihil habet proprium, quo diſtinguatur ab aliis perſonis, niſi ſubſiſtentiam relativam, qua conſtituitur & diſtinguitur quælibet perſona Trinitatis. Ergo ratio formalis, quâ filius terminavit humanitatem, eſt ſubſiſtentia relativa, non verò aliquid abſolutum.

Nec valet effugium Durandi, ajentis humanitatem fuiſſe ſecundariò terminatam per aliquid relativum, primariò verò per aliquid abſolutū. Non valet, inquam, quia quæ conveniunt perſonæ ratione alicujus abſoluti, neceſſariò omnibus perſonis competunt, ſicut & ipſa ratio abſoluta eſt communis toti Trinitati: Ergo ſi unio primariò facta ſit ad aliquid abſolutum, omnes tres perſonæ divinæ cum ſubſiſtentia abſoluta identificatæ, poterunt dici ſecundariò unitæ humanitati, ſicut & Filius.

Atque ex his confutata manent eorum placita, qui dixêre, rationem formalem terminandi naturam in Verbo, eſſe ſubſiſtentiam vel exiſtentiam abſolutam modificatam ſubſiſtentiâ relativâ Filii. Nam ſalvare ſemper debemus, Verbum terminaſſe humanitatem per aliquid ſibi peculiare: ſicut enim Incarnatio eſt propria Filio, ita ratio formalis, quâ Verbum caro factum eſt, debet eſſe Filio ſpecialis: Sed ſubſiſtentia & exiſtentia abſoluta, quantumvis modificata per ſubſiſtentiam Filii, eſt communis tribus perſonis; ſola verò ſubſiſtentia, quæ modificat, eſt propria: Ergo ad iſtam duntaxat per ſe primò unio facta eſt.

Dices: Licèt ratio formalis, quâ Pater generat Filium, ſit aliquid abſolutum, nempe Deitas, tamen inde non ſequitur, quòd generare ſit commune tribus perſonis, quia Deitas non eſt principium generationis, niſi ut modificata per paternitatem: Ergo licèt ratio formalis terminandi ſit aliquid abſolutum, hoc ipſo tamen, quòd modificatur per relationem Filii, non ſequitur, totas tres perſonas fuiſſe incarnatas, ſed ſolum Filium.

Reſpondeo, eſſe duplicem differentiam: prima, quia generatio non ſupponit tres perſonas Trinitatis, cùm ſit productio unius; unde nequit competere tribus perſonis, ſed ſolùm illi, quæ eſt ingenita: at verò terminare naturam creatam, ſupponit perſonas productas, cùm ſit opus ad extra, ſicut & creatio; unde ſi fiat per ſe primò ratione alicujus abſoluti, erit commune tribus perſonis, non ſecùs ac creatio. Secundum diſcrimen eſt, quia generatio eſt actio, relatio autem non poteſt eſſe activa; unde nequit per ſe primò competere Patri ratione paternitatis, quæ ſolùm poteſt eſſe conditio modificans Deitatem, quæ eſt principium, quo Pater generat, & producit ſibi ſimile: at verò terminatio naturæ non eſt actio, unde per ſe primò convenire debet ſubſiſtentiæ relativæ, quæ de ſe habet rationem puri termini.

Aliud argumentum pro ſententia Durandi, petitur ex eo, quòd ſubſiſtentia creata importet in ſua ratione perfectionem, quam ſupplere proinde ſola ſubſiſtẽtia abſoluta poteſt, quia relativa ſecundùm plures Theologos perfectionem ſpecialem non afferunt. Verùm hoc argumentū non militat contra nos, qui *lib. 3.* aſſeruimus perfectionem ſpecialem relationibus divinis. Et certè non video, quomodo ſe ab hoc argumento expedire queant, qui relativam divinarum perſonarum perfectionem negant. Quomodo namque ſupplebit ſubſiſtentiæ creatæ perfectionem ſubſiſtentia relativa Filii, ſi hæc perfectionem non importet? Quomodo dabit formaliter, quod in ſe formaliter non habet? Ergo ſola ſubſiſtentia abſoluta tribuere poterit ſubſiſtendi perfectionem, ſubindeque ad illam per ſe primò natura creata aſſumpta eſt.

Nec ullatenùs ſatisfacis, ſi dicas, ſubſiſtentiam abſolutam includi tranſcendẽtaliter in relativa; unde iſta poterit ſupplere ſubſiſtentiam creatam, ratione ſubſiſtentiæ abſolutę in ſe incluſę. Nam hinc potiùs inſtauratur argumentū; ſi enim ſubſiſtentia relativa non terminat naturam humanam, niſi ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ: Ergo ratio imediata terminandi naturam, eſt ſubſiſtentia abſoluta, à qua tota perfectio ſubſiſtentiæ relativæ derivatur, & ſine qua ſubſiſtentia relativa ex proprio fundo non poteſt ſupplere perfectionem perſonalitatis creatæ, ſi in ſe perfectionem non importet, ſed totam ſupplendæ ſubſiſtentiæ creatæ vim è ſubſiſtentia abſoluta hauriat, & in ſua propria ratione non inveniat. Sed de his operoſiùs egimus *tom. 2. diſſ. 2. cap. 2. ſpec. 3.*

Quæres, an ſaltem potuerit humanitas aſſumi ad ſubſiſtentiam abſolutam, & communem tribus perſonis?

Reſpondeo affirmativè, quia ſubſiſtentia abſoluta hoc ipſo quòd eſt infinita, habet illimitatam vim in terminando, continetque formaliter eminenter omnem perfectionem ſubſiſtentiæ creatæ & creabilis. Sed in illo caſu omnes tres perſonæ SS. Trinitatis incarnarentur, & terminarent eandem naturam, cui ſecundariò unirentur, propter eandem identitatem, quam omnes æquè habent cum ſubſiſtentia abſoluta.

Ad cujus majorem evidentiam, & objectionum ſolutionem, ſciendum, quòd licèt natura aſſumpta ad ſubſiſtentiam abſolutam, per hoc non eſſet formaliter perſona, nec incomunicabilis, cùm adhuc poſſet communicari tribus perſonis; tamen ratione identitatis ſubſiſtentiæ abſolutæ cum tribus relativis, quibus natura illa ſecundariò uniretur, redderetur etiam incommunicabilis, & perſona beneficio triplicis ſubſiſtentiæ relativæ, cui mediatè, & ſecundariò conjuncta eſſet.

Sed inquies: Juxta Patres & Concilia omnis unio creaturæ cum Deo vel debet eſſe in natura, vel in perſona; unde inferunt, quòd cùm unio humanitatis cum Deo non ſit in natura, facta eſt in perſona: Sed unio cum ſubſiſtentia abſoluta nec eſt in natura, nec in perſona: Ergo eſt fictitia & impoſſibilis, aliàs diſcurſus Patrum eſſet inefficax.

Reſpondeo, Patres agere contra Eutychianos, & Neſtorianos, qui de facto non admittebant unionem, niſi in natura, vel in perſona; unde legitimè intulerunt Patres, quòd ſi unio non eſt in natura, pla-

nè

nè eſt in perſona. De iſta verò unione ad ſubſiſtentiam abſolutam, an ſit poſſibilis, nécne, mentionem non fecerunt, nec pertinebat ad eorum inſtitutum. Patres ſiquidem loquuntur ſuppoſitâ fide Incarnationis ſolius Verbi, quæ ſi non eſt facta in natura, omnino facta eſt in perſona. Recole dicta aliàs de ſubſiſtentia Dei abſoluta, dum de Trinitate.

In Chriſto eſt unica ſubſiſtentia.

Secunda pars eſt omninò conſona doctrinæ Eccleſiæ, quæ habetur in epiſtola Sophronii ab omnibus Patribus ſextæ Synodi generalis, *act.* 11. approbata, ubi dicitur de humanitate, quòd *in Verbo, non in ſemetipſa habuit exiſtentiam unam.* Et iterum, *Chriſtus eſt unum & duo, unum ſecundùm ſubſiſtentiam, duo ſecundùm naturas, ex quibus eſſe unum ſortitur.* Ubi unitatem exiſtentiæ ex unitate ſubſiſtentiæ ſubinfert: quo argumento utitur etiam S. Tho. *q.*17. *art.*2. dicens, quod impoſſibile eſt, *eſſe pertinēs ad naturam vel hypoſtaſin multiplicari in una hypoſtaſi, quia unius rei non eſt niſi unum eſſe.* Denique ait idem Sophronius, perſonam Chriſti compoſitam habere *unum eſſe, & permanere unum: εἶναι ἓν, καὶ μένειν ἕν.* Quibus verbis evaneſcunt omnes ſolutiones adverſariorum, præſertim Suaris, qui arbitratur exiſtentiam non diſtingui à duratione & permanentia; nam ſi eſt unica duratio & permanentia, eſt etiam unicum eſſe exiſtentiæ in Chriſto.

Hinc deſumitur ratio à priori: Repugnat dari plures exiſtentias ſubſtantiales in unica perſona: Sed in Chriſto eſt unica perſona: Ergo & unica exiſtentia ſubſtantialis. Probo majorem: Exiſtentia eſt ultima rei perfectio & actualitas: Ergo perſona habens unam exiſtentiam, non eſt capax ulterioris exiſtentiæ, aliàs prior exiſtentia non eſſet ultimus actus, ſed haberet rationem potentiæ reſpectu ſecundæ exiſtentiæ. Ex quo fit, quòd ſi humanitas Chriſti haberet propriam exiſtētiam, non poſſet elevari ad ſubſiſtentiam divini Verbi, quia quod habet ultimum actum, non poteſt ulteriùs terminari. Imò ſequeretur, quòd humanitas uniretur Verbo accidentaliter, non ſubſtantialiter; quia exiſtentia, quę advenit enti in actu completo, advenit ſemper accidentaliter. Et certè ſatis per ſe repugnare videtur, quòd ſuppoſitum increatum Verbi exiſtentiâ increatâ ſimul & creatâ exiſtat.

A poſteriori verò probari ſolet ex gravi inconvenienti: Si natura humana priùs prioritate naturæ quàm aſſumeretur à Verbo, eſſet exiſtens exiſtentiâ propriâ & connaturali, beatiſſima Virgo Maria non eſſet Mater Dei, quod Catholicus refugit ſenſus. Probatur ſequela. Ut B. Virgo ſit verè Dei genitrix, debet terminus concurſus illius in generatione Filii eſſe Deus-homo: Sed hoc eſſe non potuit, ſi humanitas priùs naturâ quàm aſſumpta ſit, habuerit exiſtentiam propriam; nam concurſus B. Matris erit totaliter terminatus, antequam humanitati ſit inſitum Verbum; concurſus namque cujuſvis cauſæ tunc cenſetur completus, quando effectus, quem producit, habet exiſtentiam. Neque enim eſt expectanda ſubſiſtentia ulla poſt exiſtentiam, quæ cùm ſit ultimus actus, quo res ponitur extra omnes cauſas, omnem naturæ capacitatem & expectationem figit, & ultimò complet.

Dices: Humanitas ſupponitur producta, antequam aſſumatur, dicente D. Thoma *quæſt.*4. *art.*2. *&* 3. id quod aſſumitur, non eſſe terminum aſſumptionis, ſed ei præintelligi; unde ſimiliter anima ſupponitur creata, antequam aſſumpta. Sed productio eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, & terminus creationis eſt exiſtentia. Ergo humanitas non fuit aſſumpta, niſi ut exiſtens propriâ exiſtentiâ.

Reſpondeo, ſatis conſtare ex ſpeculatione præcedenti, eadem actione productam fuiſſe humanitatem, creatam animam, & aſſumptam naturam. Et quamvis aliquis ordo rationis poſſit inter illa inveniri, tamen quia in eodem inſtanti reali hæc omnia facta ſunt, non eſt quærenda exiſtentia creata, ubi divina communicata eſt; ſicut in opinione Thomiſtarum materia prima creata fuit, & tamen non habuit aliam exiſtentiam quàm totius, cum quo fuit concreata.

Dices iterum: Ex communi doctrina Patrum præcedenti parte ſtabilita: humanitas non fuit aſſumpta ad aliquid commune toti Trinitati, ſed ad aliquid proprium Filio: ſed exiſtentia eſt communis toti Trinitati, ſola verò ſubſiſtentia eſt propria Filio: Ergo ad ſolam ſubſiſtentiam, non ad exiſtentiam elevata eſt humanitas.

Reſpondeo in primis hoc argumentum non urgere in ſententia Suaris, qui admittit tres exiſtentias relativas proprias perſonis, unde facilè diceretur, humanitatem fuiſſe aſſumptam ad exiſtentiam relativam Filii. Sed quia hæc doctrina de triplici exiſtentia relativa eſt contra D. Thomam, dicendum humanitatem fuiſſe aſſumptam primariò ad ſubſiſtentiam Filii, & ſecundariò ad ejus exiſtentiam; quia unius perſonæ non poteſt eſſe niſi unica exiſtentia; unde non ſequitur, unionem factam eſſe per ſe primò ad aliquid commune, ſed ſolùm per ſe ſecundò.

Ex dictis in hac, & præcedenti ſpeculatione, ſequitur omnium beneficiorum humano generi collatorum maximum eſſe Dominicam Incarnationem, cùm per ipſam ſubſiſtentia & exiſtentia divina verè & realiter humanæ ſpeciei communicatæ ſint.

Dices: In venerabili Euchariſtiæ Sacramento major videtur gratia eſſe collata, cùm ſe nobis Deus in cibum & potum dedit; nam tunc *in finem dilexit ſuos*, ut dicitur *Joan.* 13. id eſt, uſque ad ſummum & ultimum dilectionis ſuæ conatum. Et certè in hoc beneficio oſtenſa eſt liberalitas profuſiſſima; etenim ut diſcurrit S.Th. *opuſc.* 58. *c.* 5. Summa Dei liberalitas ex tribus animadverti poteſt, ex magnificentia doni, ex nobilitate donantis, & ex ſuſcipientium utilitate: nihil autem majus potuit nobis dare Chriſtus quàm ſeipſum, qui ſolus plus valet quàm mundus totus. Nobilitas dantis etiam apparet in hoc, quod tam benevolè, tam ſponte omnibus ſe præbet amicis, inimicis, dignis, & indignis, non ſemel, ſed quotieſcumque voluerit homo accedere; non una die, ſed ſemper uſque ad conſummationem ſæculi. Utilitates verò ſuſcipientium quis enarrare ſufficiat? Nam purgantur peccata, augentur virtutes, mens ſpiritalibus chariſmatibus impinguatur, vivis etiam, ac mortuis prodeſt: Ergo Euchariſtia eſt majus beneficium Chriſti Incarnatione.

Reſpondeo, Euchariſtiam eſſe quidem beneficium inæſtimabile, ſed quia per ipſum non communicatur nobis eſſe perſonale, ſed ſolùm eſſe ſupernaturale gratiæ, ideo communicatio Incarnationis, qua eſſe perſonale, datum eſt humanitati, eò longè excellentior eſt, quò ſublimius bonum eſt ipſe Deus, quàm gratuita participatio & conſortium Divinitatis. Maximè, quia Incarnatio eſt fundamentum omnium donorum gratiæ, & aliorum beneficiorum ſupernaturalium, quæ ſunt tantùm veluti corollaria, appendices, & extenſiones illius.

REFLEXIO.

Quænam hæ bonitatis divitiæ? Quid mirum, ſi Chriſti nomen oleum effuſum ſit, cùm Deus in Incarnatione effundatur, & tota Divinitatis plenitudo, ſubſiſtentia quoque & exiſtentia communicetur, deſcendens ad ima, ut nos tollat ad ſuperna; evacuans ſe, ut nos impleat; involvens ſe pannis, ut veſtiat nos virtutibus; locum in diverſorio non habens, ut plures habeamus in cæleſtibus manſiones; in terris converſans, ut humi provolutos mortales ad cælum trahat; tentatus, ut vincam*; contemptus, ut gloriâ afficiamur; mortuus, ut vivamus. Hic unicus divinæ ſubſiſtentiæ & exiſtentiæ communicatæ fructus, ut nimirum ejus paupertate locupletemur, humilitate ſublevemur, minoratione magnificemur, Incarnatione incipiamus unus ſpiritus eſſe cum eo; atque per humanitatem omnes naturæ noſtræ contumelias tranſcurrens, eò nos majoris beneficii obnoxios confiteamur, quantò minùs hæc Dei conveniunt Majeſtati. Quemadmodum vel ignis ceram, vel terræ vaporem Sol, ſic proprii eſſe, proprii velle radices & ramos conſumere debet Chriſtus conceptus in cordibus noſtris, ut animatos humano ſpiritu ſpiritum vivificet in divinum, & totum tollat in Deum, ut quod peccati, quod mortis, quod terræ eſt, nihil relinquat. Quis tam ingratus eſſe ſuum denegabit Filio Dei, qui tam effusè nobis contulit ſuum? Quis non libenter ſuum extingui patietur ſpiritum, pro eo qui mori in ſe neſciens, mortuus eſt, ut mortuis æternæ vitæ munus exhalaret, & emittens ſpiritum ſuum vivificaret; ſicut antea natus erat ſecundùm carnem, ut naſceremur ſpiritu; natus ex muliere, ut deſineremus filii eſſe mulieris. Hæc eſt germana ratio, cur nobis ſuum eſſe in Incarnatione donavit; quia, ut ait ſcitè Tertull. lib. 2. contr. Marcion. c. 27. *Converſabatur Deus, ut homo divina agere doceretur: ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet.*

SPECULATIO III.

Tam intima eſt Verbum inter & humanitatem unio, ut quæ de Deo dicuntur, de homine poſſint enuntiari, & vice versâ, verâ idiomatum communicatione.

HAc ſpeculatione coronamus naturæ aſſumptæ promotionem, de qua ſic eleganter fatur Leo ſerm. 10. Nat. *Nihil eſt alterius naturæ, quod non ſit utrinſque; nihil ſibi ab invicem vacat; tota eſt in Majeſtate humilitas, tota in humilitate Majeſtas; aliud eſt paſſibile, aliud inviolabile; & tamen ejuſdem eſt contumelia, cujus eſt gloria; ipſe eſt in infirmitate, qui eſt in virtute; idē mortis capax, & idem victor mortis.*

Probatur: Ea quæ conveniunt alicui naturæ, poſſunt affirmari de ſuppoſito talis naturæ, v. g. quia humanę naturæ convenit riſibilitas, poteſt affirmari de homine, quòd ſit riſibilis: Atqui unica eſt hypoſtaſis in Chriſto, quâ ſubſiſtit utraque natura, divina & humana: Ergo ea, quæ conveniunt divinæ naturæ, dici poſſunt de homine Chriſto, tanquam de hypoſtaſi divinæ naturæ; & ea quæ conveniunt humanæ naturæ, poſſunt affirmari de Deo, tanquam de hypoſtaſi humanæ naturæ. Unde in Concil. Epheſ. *can.* 4. dicitur: *Si quis ea, quæ de Chriſto à Sanctis dicuntur, vel ab ipſo Chriſto de ſemetipſo, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas verò ſoli Verbo deputaverit, anathema ſit.*

Cum his tamen ſtat, quòd licèt non diſtinguantur, nec dividantur voces, ne dividantur ſuppoſita; diſtinguuntur tamen, ſi attendatur id, ratione cujus attribuuntur. Id eſt, licèt de eadem perſona Chriſti poſſit dici, quòd ſit immutabilis, & æterna; poſſit etiam dici, quòd ſit temporalis, mutabilis, paſſa, crucifixa; non tamen ſecundùm eandem naturam, ſed attributa divina conveniunt ratione naturę divinæ, defectus verò ratione naturæ aſſumptæ: utraque tamen de perſona divina affirmari poſſunt, quia eadem perſona in Chriſto eſt ſimul divina & humana, & ea quæ conveniunt naturæ, de perſona talis naturæ abſolutè dici poſſunt. Ex his

Sequitur primò, hanc propoſitionem eſſe veram, *Deus eſt homo*; nam de quolibet ſuppoſito alicujus naturæ poteſt prædicari natura in concreto: v. g. de Petro verè dicitur, quòd ſit homo: Atqui perſona divini Verbi, quæ eſt Deus, eſt ſuppoſitum humanæ naturæ in Chriſto: Ergo propriè de illa poteſt enuntiari natura humana in concreto, & dici, quòd eſt homo: unde ſtatim fit, quòd iſta, *Homo eſt Deus*, eſt etiam vera. Nam homo poteſt prędicari de ſuppoſito naturæ humanæ: Sed Verbum divinũ, quod eſt Deus, in hoc myſterio eſt ſuppoſitum naturæ humanæ: Ergo verè, & propriè dicitur, Homo eſt Deus. Nec propterea adoramus Deum recentē, quem reprobat Pſalmiſta *Pſal.* 80. quia licèt humana natura in Chriſto ſit aliquid recens, tamen ſuppoſitum humanæ naturæ non eſt recens, ſed æternũ. Deus verò non prædicatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti ipſius, quod eſt Deus: unde dicitur in Concilio Francofordienſi, in epiſt. ad Epiſc. Hiſpan. *Unam perſonam eſſe Deum & hominem, non hominem Deificum, & humanatum Deum, ſed Deum hominem, & hominem Deum.*

Sequitur ſecundò, ea quæ ſunt naturæ divinæ, non poſſe dici de natura humana in abſtracto, nec vice verſa, quia nimirum unio hypoſtatica non eſt facta in natura, ſed in perſona: Ergo quod eſt proprium unius naturæ, non poteſt affirmari de altera: unde hæ propoſitiones ſunt falſæ, *Humanitas eſt Divinitas, Divinitas eſt paſſa.* Fatetur tamen D. Th. *q. 16. art. 5. ad* 2. poſt Athanaſ. & Damaſc. quòd natura divina eſt incarnata, & quòd natura humana eſt deificata; quia hæ propoſitiones ſecundùm uſum quo accipiuntur, non ſignificant divinam naturam eſſe converſam in carnem, vel carnem in Deitatem transfuſam, ſed duntaxat quòd intercedit unio inter utrumque.

Sequitur tertiò, veram eſſe hanc propoſitionem, *Deus factus eſt homo*, ut dicitur in Symbolo Nicæno, & Joan. 1. *Verbum caro factum eſt.* Et Gal. 4. *Miſit Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* Nam unumquodque dicitur factum illud, quod de novo incipit prædicari de ſe: Sed eſſe hominem, de novo prædicatur de Deo per aſſumptionem temporalem humanitatis: Ergo verum eſt, Deum eſſe factum hominem. Nec ſequitur, quòd Deus ſit factus, ſicut ex eo, quòd homo fiat doctus, aut muſicus, malè inferetur, quòd ſit ſimpliciter factus. Nec tamen vice verſa iſta eſt vera, *Homo factus eſt Deus*, ut ait D. Thom. *ibid. art.* 7. & differentia eſt, quia eſſe Deum non verificatur de homine, ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti: ſuppoſitum autem Chriſti non eſt factum Deus, nec incepit eſſe Deus; unde ſi diceretur, *Homo factus eſt Deus*, ſignificaretur, in Chriſto eſſe duo ſuppoſita, quæ per Incarnationem ſunt conjuncta. Adde ex eodem S. Doct. *ibi. ad* 4. quòd in propoſitione terminus in ſubjecto poſitus ſupponit pro perſona & ſuppoſito, poſitus verò in prædicato ſupponit pro natura, ut patet, cùm dico, *Petrus eſt homo*; nam ſenſus eſt, ſuppoſitum illud eſt habens

huma-

humanitatem. Cùm ergo dicitur, *Homo factus eſt Deus*, ly *factus*, non attribuitur humanæ naturæ, ſed ſuppoſitu ejus; quod tamen in Chriſto non eſt factum, ſed æternum: at verò cùm dicitur, *Deus factus eſt homo*, factio intelligitur terminata ad naturam humanam; eſt enim ſenſus, *Deus eſt homo factus*. Sicut dum Petrus fit albus, verè dicitur, *Petrus factus eſt albus*, id eſt aſcivit albedinem factam; falsò tamen diceretur, *Hoc album factus eſt Petrus*, quia Petrus erat ante albedinem. Admittit tamen S. Doctor hanc propoſitionem poſſe concedi, ſi reddat hunc ſenſum, *Factum eſt ut homo ſit Deus*.

Sequitur quartò, hanc propoſitionem, *Chriſtus eſt creatura*, non eſſe concedendam; quia licèt creari conveniat naturæ humanæ, tamen propter periculum Arrianæ impietatis, quæ eam propoſitionem uſurpabat non ſolùm ratione naturæ aſſumptæ, ſed etiam ratione ſuppoſiti, quod creatum eſſe blaſphemat; ideo oportet ſemper addere determinationem, & dicere, *Chriſtus eſt creatura ſecundùm humanam naturam*, quia cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum pravitati favere videamur: poteſt tamen ſimpliciter dici de Chriſto, quòd fuit paſſus, mortuus, ſepultus, quia nullus in dubium revocare poteſt, hujuſmodi attributa cõpetere illi ratione humanæ naturæ. Nota tamen, quòd S. Doctor *lib. 4. cont. gent. c.* 48. nullâ facta mentione periculi conveniendi cum hæreticis, negat Chriſtum eſſe creaturam. Et ratio favet, quia nomen, quod indifferenter convenire poteſt naturæ & ſuppoſito, non prædicatur de ſuppoſito ſine aliqua determinatione, ſi ſoli naturæ conveniat: ſicut quia eſſe album poteſt convenire homini ſecundùm ſolum corpus, & ſecundùm dentes ſolùm, ſi ſolis dentibus conveniat, ſicut in Æthiope, non dicitur Æthiops albus ſimpliciter, ſed cum addito ſecundùm dentes. Sed eſſe creaturam, poteſt convenire ſuppoſito & naturæ, & Chriſto non convenit, niſi ratione naturæ aſſumptæ: Ergo non poteſt dici ſimpliciter, *Chriſtus eſt creatura*, ſed cum addito, *in quantum homo*.

Sequitur quintò, hanc propoſitionem, *Iſte homo* (demonſtrato Chriſto) *incepit eſſe*, omninò falſam eſſe, non ſolùm ob periculum Arrianæ perverſitatis, modo dicto, ſed abſolutè eſſe hæreticam, quia ly, *iſte homo*, deſignat ſuppoſitum, quod in Chriſto eſt Deus ab æterno exiſtens. Poteſt tamen dici, *Chriſtus incepit eſſe homo*; quia ly *homo*, in prædicato accipitur formaliter pro natura, ut antè obſervatum eſt. Falſa verò eſt iſta; *Homo Chriſtus incepit eſſe*; quia homo poſitus in ſubjecto, ſupponit pro ſuppoſito. Vide, quàm attentè & circumſpectè in hac materia loquendum ſit, & quàm facilè ex verbis inordinatè prolatis, incurratur hæreſis.

Sequitur ſextò, hanc propoſitionem eſſe veram, *Chriſtus ſecundùm quod eſt homo, eſt creatura*; quia in ea ly *homo*, prædicatur de Chriſto; cùm verò prædicatur, ſupponit pro natura. Iſta tamen eſt falſa, *Homo Chriſtus eſt creatura*, quia tunc homo accipitur pro ſubjecto & ſuppoſito: falſa item eſt hęc, *Chriſtus ſecundùm quod eſt hic homo, eſt creatura*; quia tùnc reduplicatur ſuppoſitum, quod creatum non eſt.

Sequitur ſeptimò, iſtam propoſitionem, *Chriſtus ſecundùm quod eſt homo, eſt Deus*, poſſe quidem concedi, ſi ly *homo* reduplicativè accipiatur pro ſuppoſito; tamen debere, ſi accipiatur pro natura: & quia dum reduplicatur & prædicatur, accipitur formaliter pro natura, ideo magis eſt neganda, quàm affirmanda. Hæc verò, *Chriſtus ſecundùm quod eſt iſte homo, eſt Deus*, eſt ſimpliciter admittenda, quia pronomen *iſte*, deſignat ſuppoſitum, quod eſt Deus. Iſta verò, *Chriſtus ſecundùm quod homo, eſt hypoſtaſis vel perſona*, conceditur, ſi ly *homo* reduplicet ſupra ſuppoſitum; ſi verò reduplicet ſupra naturam, vel facit hunc ſenſum; Chriſti naturæ humanæ convenit perſona aliqua, & ſic etiam admittitur: ſi verò hunc ſenſum reddat, Chriſti naturæ humanæ convenit propria perſonalitas cauſata ex principiis humanitatis, ſic rejicitur ut hæretica, cùm humanitas Chriſti non ſubſiſtat perſonalitate propria, ſed divina.

Sequitur octavò, quòd ut tradit D. Thomas infrà, *q. 46. art.* 12. ſuppoſito divino attribui poteſt & debet paſſio, juxta illud Concilii Epheſ. can. 12. *Si quis non confitebitur Deo Verbum paſſum in carne, & crucifixum carne, anathema ſit*. Attribuitur autem illi paſſio nun ratione divinæ naturæ impaſſibilis, ſed ratione naturæ aſſumptæ paſſibilis. Cum quo tamen ſtat, Judæos eſſe reos Deicidii, quia manus violentas intulerunt humanitati in natura divina ſubſiſtenti. Unde in eodem Concilio dicitur: *Non purum hominem crucifixerunt Judæi, ſed Deo intulerunt præſumptiones*. Sicque poterat dici de Chriſto mortuo, quòd eſt Deus vivens, & Deus mortuus; non tamen poterat dici Deus vivens, & Deus non vivens, quia ly *non vivens*, ſignificat carentiam omnis vitæ; & ſic ſenſus eſſet, quòd Chriſtus nullam vitam habebat, neque divinam, neque humanam, quod eſt hæreticum. At ly *mortuus*, negat ſolùm vitam humanam pro aliquo tempore.

Refugiunt tamen ſancti Patres hanc propoſitionem, *Deus eſt mutatus*, etiam per communicationem idiomatum, quamvis admittant, quòd Deus ſit de novo genitus, paſſus, & mortuus. Optimam rationem diſparitatis tradit S. Thomas *qu. 29. de verit. art.* 1. eò quòd quædam prædicata convenire ſolent ſuppoſito ratione naturæ, & alia ratione eſſe, quod eſt proprium ſuppoſiti. Prima abſolutè poſſunt enuntiari de Chriſto, & Deo incarnato, quia verè habet naturam humanam; ſecunda verò minimè, niſi cum addito: quia cùm Chriſtus non habeat ſuppoſitum humanum, quæ conveniunt ratione ſuppoſiti creati, nequeunt de illo affirmari. Mutari autem, eſt fieri de non eſſe, & eſſe actus ſuppoſiti; unde de Deo incarnato dici nequit. Gigni verò & mori conveniunt ſuppoſito ratione naturę, quæ producitur vel corrumpitur per unionem corporis cum anima, vel per ejus diſſolutionem. Quando autem apertum eſt, prædicata convenire ſuppoſito ratione humanæ naturæ, tunc non eſt neceſſarium id determinare, & explicare in propoſitione, quia hoc ſatis ſuperque exprimitur in ipſo modo ſignificandi terminorum in ipſis rebus fundato.

Sequitur nonò, ſimpliciter dicendum, Chriſtum eſſe unum, tam maſculinè, quàm neutraliter. Quia cùm in Chriſto ſit unica tantùm perſona, licèt ſint duæ naturæ, non poteſt dici, *Chriſtus eſt duo*, quia dualitas caderet ſupra ſuppoſitum; duo enim ſignificat plura entia completa. Vel ſi propter duas naturas poſſet dici Chriſtus duo, poſſent duæ de Chriſto naturæ enuntiari, quod patet eſſe falſum; non enim poteſt dici, quòd Chriſtus eſt humanitas, ens enim incompletum non enuntiatur de completo. Ex quo fit etiam, in Chriſto non eſſe ſimpliciter aliud & aliud, quia ly *aliud*, vel eſt quid completum, & in hoc ſenſu non ſolùm accipitur pro natura,

tura, ſed etiam pro ſuppoſito; ſi verò ſignificat aliquid incompletum, non poreſt etiam enuntiari de toto, ut jam dixi. Quòd ſi per ly *duo*, intelligas, quòd Chriſtus eſt illa duo ſimul ſumpta & unita, poreſt admitti, in Chriſto eſſe duo, id eſt, duas naturas unitas in eodem ſuppoſito. De multis aliis prædicatis poſſar inquiri, an communicari poſſint: ſed facilè diſcernes, ſi præ oculis habeas, illa non poſſe prædicari de Deo, vel quæ repugnant ſubjecto, vel quæ ſunt ambigua, & indifferenter convenire poſſunt naturæ vel ſuppoſito, vel quæ modum loquendi hæreticorum redolent.

R e f l e x i o.

In hac mirabili idiomatum communicatione hoc præcipuè ponderandum puto, nimirum Verbum ſua divina nobis communicaſſe, & noſtra miſera & humana ſibi aſſumpſiſſe. *Venit ſiquidem univerſitatis Creator & Dominus*, (ait Bern. ſerm. 3. de Advent.) *Venit ad homines, venit propter homines, venit homo.* Quàm amandus negotiator, qui tradit ſublimia, ut accipiat infima; ſuam dejicit majeſtatẽ, ut noſtram promoveat vilitatem! Quàm utile commercium, quàm grata commutatio! Deus impendit ſuprema, aſſumpturus infima; miſeriam ſuſcipit, largiturus felicitatem; induit immortalitatem, homines peccato mortuos, immortalitate donaturus. Hoc divini amoris fortunatum cambium pulchrè extollit Chryſol. ſerm. 50. *Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes; humana quærere, præſtare divina; accipere injurias, reddere dignitates, ferre tædia, referre ſanitates.* Quæ omnia unico verbo, ſed planè aureo, ſed compendioſo, ſed angelico, & divino expreſſit in quodam opuſculo D. Thom. *Chriſtus eſt homo ſibi, & Deus nobis.* Quaſi diceret, hic unicus fructus, hæc unica Incarnationis cauſa eſt, ut experiretur Deus humana, & nobis conferret divina: & quod mirabile dictu eſt, miſerias non aſſumpſit, niſi pro ſe; dignitates verò non contulit humanitati aſſumptæ, niſi pro nobis. Quidquid indignum, humile & probroſum eſt, ſibi ſervavit: quidquid excelſum, honorificum, divinum per hanc unionem factum eſt, totum in noſtram gloriam, utilitatémque corrivavit. Tanta eſt hæc dignationis magnitudo, tam inæſtimabilis hæc latitudo charitatis, ut teſtetur Bernardus, ſe non poſſe intelligere, quod poſt tantum beneficium, *aliis quibuslibet negotiis homines velint, ſeu audeant occupari, & non magis omiſſis omnibus, ſoli ejus cultui vacent, nec in ejus præſentia cujuſquam meminerint cæterorum.*

CAPUT II.

De cauſis intrinſecis Incarnationis.

CONducet non parùm ad penetrandam unionis hypoſtaticæ naturam, ſi cauſas ejus intrinſecas, ſcilicet extrema unionis illius meditemus, quæ ſunt perſona aſſumens, & natura aſſumpta. Sed priùs præmittendæ ſunt quædam metaphyſicæ difficultates circa perſonam aſſumentem, & naturam aſſumptibilem, quàm ut ad extrema ipſa deſcendamus.

Speculatio I.

Prælibantur nonnullæ difficultates de poſſibili circa unionem hypoſtaticam.

MAnuducitur animus ad rei exiſtentiam indagandam inquiſitione poſſibilitatis ejus, & ideo antequam extrema unionis hypoſtaticæ ſpecialiter conſideremus, quædam circa illa de poſſibili examinabimus ad ſobrietatem ſequentibus quæſitis; ea enim præterire omninò non potui, quæ tam diffusè à cæteris Theologis ventilantur.

Quæres primò, utrùm ita proprium ſit divinæ perſonæ, uniri hypoſtaticè alienæ naturæ, ut repugnet omni perſonalitati creatæ vel creabili, terminare naturam alienam?

Reſpondeo affirmativè. Probatur contra Scotum. Nulla ſubſiſtentia creata poteſt naturaliter terminare virtute propria naturam alienam, cùm ex natura ſua determinetur ad complendam naturam illam, ex cujus principiis fluit: Ergo neque ſupernaturaliter id poteſt. Antecedens eſt apertum: conſequentia verò probatur ex communi illa doctrina, quòd in cauſis formalibus non valet diſtinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ: cujus ratio eſt, quia cauſa formalis nihil præſtat, niſi communicando ſuam entitatem; effectus ſiquidem formalis eſt ipſa forma communicata: ergo quantumcunque applicetur forma à cauſa ſupernaturali, nihil efficiet forma, niſi dare ſeipſam, nec poteſt augeri vis cauſandi formaliter, ſi maneat eadem, cùm forma ſubſtantialis non ſit capax recipiendi magis & minus: unde quidquid ei ſuperaddetur, non faciet effectum formalem majorem. In quo differt cauſa formalis ab efficienti; nam virtus iſtius poteſt augeri per aliquid ſuperadditum, quia producit effectum diſtinctum à ſe: cauſa verò formalis non producit diverſum eſſe à ſe, quia nihil præſtat, niſi præbendo ſeipſam; unde ſi mutetur, vel augeatur, non erit ipſa, ſed alia: Atqui ſubſiſtentia creata habet rationem formæ & actus ſubſtantialis naturæ, quam terminat: Ergo non poteſt etiam ſupernaturaliter terminare plures naturas, ſi id naturaliter efficere nequeat.

Confirmatur ratione D. Th. *q. 3. art. 1. ad* 2. Nulla perſona poteſt terminare naturam alienam, niſi ſit infinita: Sed ſola perſona divina eſt infinita, non verò ulla creata, vel creabilis: Ergo ſola perſona divina poteſt terminare naturam alienam. Minor eſt certa, cùm enim omnis ſubſiſtentia creata vel creabilis ſit proprietas naturæ finitæ, qualis eſt omnis eſſentia creata, non poteſt ſubſiſtentia non eſſe finita, & eſſentiæ ſuæ commenſurata. Major verò probatur: Omnis ſubſiſtentia finita & creata habet ſpeciem & limitationem à natura, quam terminat; neque enim ipſa dat ſpeciem naturæ, ſed ſupponit naturam in ſpecie ſua conſtitutam: Ergo per hoc diſtinguitur una ſubſiſtentia ab alia, quia una eſt ſubſiſtentia unius naturæ, & altera alterius; v. g. una eſt ſubſiſtentia hominis, & alia ſubſiſtentia leonis: Ergo non poteſt loco alterius ſubſiſtentiæ ſubrogari. Probo conſequentiam: ſubſiſtentia non poteſt de una ſpecie tranſire ad aliam, jam enim non eſſet ipſamet: Ergo cùm deſumat ſpeciem à natura quam afficit, non poteſt ad aliam naturam extendi; benè tamen Divina, quæ ratione ſuæ infinitatis, nullo genere vel ſpecie limitatur; & ſicut natura divina continet omnium naturarum poſſibilium perfectionem, ita ſubſiſtentia divina omnium perſonalitatum poſſibilium vim formaliter & eminenter præhabet, & ideo apta eſt quaſcumque naturas terminare.

Dices: Sufficit ut producatur aliqua perſonalitas ordinis ſuperioris, quæ contineat eminenter perfectionem inferiorum, quarum proinde vices ſupplere poterit, licèt infinita non ſit: Ergo id non eſt proprium ſolius perſonæ divinæ.

Reſpondeo, perſonalitatem illam quantumcum-

cumque eminentiorem, & ordine ſuperiorem, non poſſe alteri naturæ coëxtendi, & quia non terminat niſi in genere cauſæ formalis, & quia habet ſpecificam limitationem à natura, à qua naturaliter effluit, ut ſatis ponderatum eſt.

Dices rurſum: Ut ſubſiſtentia creata terminet alienam naturam, ſufficit ſola virtus ejus naturalis cum potentia obedientiali; ſicut ut cauſa materialis ſuſtentet formas ſupernaturales, non exigit additamentum virtutis, vel entitatis, ſed ſufficit propria capacitas cum potentia obedientiæ.

Reſpondeo, eſſe magnam differentiam inter cauſam materialem & formalem vel quaſi formalem; nam materia non ſuſtentat accidentia ſupernaturalia ea perficiendo, ſed potiùs ab eis perfectionem mendicando, unde non debet augeri virtus ejus receptiva: at verò forma perficit ſubjectum, & ſubſiſtentia naturam; ut ergo plures perficiat, majorem debet habere perfectionem intrinſecam, cujus augmenti eſt incapax, ut dictum eſt, ſi eadem perſeveret.

Sicut ſola perſona divina poteſt terminare naturam alienam, ſic ſola divina bonitas cordis humani capaciſſimum ſinum replere valet. Quidquid ſine Deo poſſidetur, appetitum concitare poteſt, ſatiare non poteſt. Nam ut rectè Bernard. ſerm. 1. de Advent. *Ubi benè erit ſine illo? aut ubi malè eſſe poterit cum illo? Nam & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, ſi tamen tu mecum es.* Triangulari figura cor noſtrum conſtat, quæ non niſi tribus adorandæ Trinitatis perſonis impleri valet. Ab illo oritur quies, à quo procedit motus, unde & natura dicitur à Philoſophis principium motus & quietis; ſolus autem Deus poteſt movere voluntatem, ſolus cor hominis tangit, ſolus illabitur: ſolus ergo infundere poteſt quietem & pacem; & ſolus implere deſiderium in ordine appetendi, qui poteſt terminare naturam in ordine ſubſiſtendi.

Quæres ſecundò, utrùm potuerint tres perſonæ divinæ eandem naturam creatam aſſumere, & ſibi hypoſtaticè unire?

Reſpondeo affirmanter, & probatur contra Scotiſtas: Nulla eſt repugnantia, quòd tres perſonæ divinæ eandem naturam creatam terminent; illa ſiquidem ſimultanea terminatio neque repugnat ex parte perſonarum terminantium, quæ invicem non ſe excludunt à ratione terminandi, ut patet in natura divina, quam tres ſimul terminant. Non repugnat etiam ex parte naturæ aſſumptæ, quia hæc terminatio non fit juxta exigentiam naturalem ipſius, ſed ratione potentiæ obedientialis, quæ eſt æquè capax trium perſonarum ac unius, & æqualiter indifferens ad illas. Ergo poſſibile eſt, tres perſonas divinas eandem naturam creatam aſſumere.

Dices: Quælibet perſona divina reſpectu naturæ creatæ, eſt terminus totalis & adæquatus illius, ejuſque appetitum ad propriam ſubſiſtentiam plenè ſatiat: Ergo ſemel terminata & completa ab una, non poteſt terminari ab aliis. Probatur conſequentia: Idem effectus non poteſt procedere à duplici cauſa totali, quia per ſe penderet, & non penderet ab utraque: Ergo ſi quælibet perſona divina ſit terminus adæquatus naturæ, non poterit ab alia terminari; ſequeretur enim apertè dictum inconveniens: nam natura penderet per ſe, & non penderet per ſe à qualibet perſona; per ſe quidem penderet, utpote ab ea ſubſtantialiter terminata; non penderet verò per ſe, quia ſublatâ unione naturæ cum una perſonalitate, & remanente unione cum altera, natura maneret per ſe ſubſiſtens: Ergo ab illa quæ deſinit terminare, per ſe non pendebat; illud enim per ſe non pendet ab aliquo, quod poteſt ſubſiſtere ſine illo.

Reſpondeo, eundem effectum non poſſe procedere à duplici cauſa totali, ſi ſecunda nihil aliud præſter, quàm prima, ſed omnino idem conferat; ſi tamen ſecunda aliquid ampliùs tribuat, vel ſaltem ſi idem novo modo conferat, tunc poteſt dari duplex cauſa totalis ejuſdem effectus. Quælibet autem perſonalitas divina terminat quidem adæquatè naturam aſſumptam, ſed non omnibus modis, quia quælibet perſona habet ſuum modum terminandi, Pater ut perſona ingenita, Filius ut genita, Spiritus ſanctus ut ſpirata: unde una perſona divina relinquit locum alteri.

Secundò dici poſſet, & fortè ſolidiùs, tres perſonas in illo caſu reſpectu naturæ aſſumptę non habere rationem triplicis termini totalis & adęquati, ſed unius; quia ab illis ſolùm eatenùs dependeret natura, quatenùs per illas haberet eſſe per ſe; & quia tres illæ ſubſiſtentiæ non afferent tres exiſtentias per ſe, ſed ſolùm unicam, per quam ipſæmet exiſtunt; ideo non per ſe penderet ab illis tanquam à triplici cauſa, ſed tanquam ab unica in genere cauſæ formalis: ſicut quando tres perſonæ producunt efficienter eundem affectum, non eſt triplex cauſa efficiens, ſed unica; quia non niſi per unicam virtutem individuè agunt.

Inſtabis: Illa natura aſſumpta à tribus perſonis ſiſteret in una perſona, & non ſiſteret in illa; ſiſteret quidem hoc ipſo quòd ſubſiſteret; ſubſiſtentia enim eſt veluti rei in ſe ſiſtentia, & incommunicabilis exiſtentia: non ſiſteret verò, quia tranſiret ad aliud ſuppoſitum. Conſequens repugnat: Ergo & antecedens.

Reſpondeo, naturam illam non ſtituram in ſe ipſa, cùm careret ſubſiſtentia propria, ſed ſubſtituram in alieno ſuppoſito: nihil autem vetat, quin natura ſubſiſtens non ex propriis, ſed in ſuppoſito alieno, terminetur à ſecundo alieno, modò æquè eminenter contineat terminationem naturæ ſicut primum; & talia ſunt ſuppoſita divina, quæ ſi poſſunt terminare eandem naturam intra ſe, quidni extra ſe?

Quæres tertiò, an ſicut tres perſonæ poſſunt terminare eandem naturam, ita eadem perſona plures naturas?

Reſpondeo affirmanter, quia infinita vis terminandi, quam habet perſona divina, à nulla natura finitur, vel limitatur; unde nec per illam ita coarctatur, quin poſſit alias & alias in infinitum naturas terminare.

Sed dices: In illo caſu, quo plures perſonæ aſſumerent eandem humanitatem, vel una perſona duas humanitates, eſſetnè tunc unus, vel plures homines?

Reſpondeo, in utroque caſu futurum tantùm unicum hominem. Quia ad multiplicationem nominis concreti ſubſtantivi, quale eſt homo, non ſufficit multiplicatio ſuppoſiti, ſed requiritur etiam multiplicatio formæ; per hoc enim differt à nomine adjectivo, quòd iſtud cùm ſignificet formam per modum adhærentis ſubjecto, magis principaliter ſignificat ſubjectum, ſive ſuppoſitum. Unde in caſu, quo duo corpora haberent eundem locum, rectè dicerentur duo locata, quia nomen adjectivum ſignificat principaliter ſubjectum.

At verò nomen concretum ſubſtantivum ſignificat formam ad modum per ſe ſtantis, ſeu per modum

dum ſuppoſiti; unde non poteſt accipi pro ſola forma, ſeu natura ab abſtracto concepta, v. g. pro humanitate, nec pro ſolo ſuppoſito, ſed pro conſtituto ex illis: ideo ad multiplicationem iſtius nominis requiritur utriuſque multiplicatio. Ex qua doctrina explicari ſolet in materia de Trinitate, quomodo nomen *Deus*, non multiplicetur in Divinis, multiplicatis licèt ſuppoſitis, quia forma, quam ſignificat, ſcilicet Deitas, eſt immultiplicata. Similiter non multiplicatur nomen *Spiratoris*, & *Principii* in Patre & Filio, propter unitatem virtutis, quam ſignificant.

Et ratio horum eſt, quia nomina ſubſtantiva ſignificant juxta modum proprium & connaturalem ſubſtantiæ per ſe ſtantis & ſubſiſtentis: Sed modus proprius & connaturalis ſubſtantiæ eſt afferre ſecum proprium & connaturale ſuppoſitum, hoc ipſo, quod eſt per ſe ſubſiſtens, & non in alio. Ergo ad multiplicationem nominis ſubſtantivi requiritur pluralitas, tum formæ, tum ſuppoſitorum: unde idem homo habens plures artes, non dicitur plures artifices; habens plura veſtimenta, non dicitur plures veſtiti.

In utroque autem ex illis caſibus aliquid deeſt ex requiſitis ad multiplicandum hominem: in primo quidem, quia licèt multiplicarentur ſuppoſita, non tamen natura: in ſecundo verò multiplicarentur quidem naturæ, ſed non ſuppoſita; unde in neutro caſu eſſent plures homines. Notat tamen D. Thom. *art. 6. ad* 1. quòd ſi tres perſonæ aſſumerent unam naturam, eſſet unus homo propter unitatem naturæ, ſicut ſunt unus Deus propter eandem rationem, ſed tamen non eſſent unus ſimpliciter, ſed cum addito, *unus homo*, quin etiam de iiſdem tribus perſonis dixerat S. Doctor prima parte, quòd *licèt tres perſonæ dicantur unum in genere neutro, non tamen dicuntur unus maſculinè ſimpliciter, ſed ſolùm cum addito, ſicut quòd ſint unus Deus: & ſic ſimpliciter unus Deus dicuntur, licèt non dicantur unus, remoto ly Deus*, quia hoc daret intelligere, eſſe tantùm unicam perſonam.

Quæres quartò, utrùm perſona divina potuerit aſſumere naturam creatam, retentâ propriâ ſubſiſtentiâ?

Reſpondeo negativè. Probatur ex notione propriæ ſubſiſtentiæ, de cujus ratione eſt reddere naturam ſubſiſtentem, non utcumque (id enim convenit ſubſiſtentiæ alienæ) ſed in ſe, & non in alio, non ſolùm tanquam in ſubjecto, (id enim habet eſſentialiter ſubſtantia, prout differt ab accidente,) ſed in alio tanquam ſuppoſito: unde ſubſiſtere propria ſubſiſtentia, eſt ſiſtere in ea, & per eam reddi incommunicabilem alteri ut ſuppoſito: Ergo ſubſiſtentia propria dicit eſſentialiter negationem ſubſiſtendi in alieno ſuppoſito; proindeque natura habens propriam ſubſiſtentiam, ſi ea retenta aſſumeretur ad alienam, ſubſiſteret, & non ſubſiſteret in ſe: ſubſiſteret quidem in ſe, quia haberet ſubſiſtentiam propriam: non ſubſiſteret verò in ſe, hoc ipſo quòd ad aliud ſuppoſitum tranſiret.

At ſtatim occurrit argumentum ex doctrina mox tradita. Nam ſi eadem natura poteſt à tribus divinis ſuppoſitis aſſumi, ſicut de facto divina natura triplici ſubſiſtentia terminatur, quidni ſimiliter poterit natura creata propriâ ſubſiſtentiâ affecta ad divinam aſſumi?

Reſpondeo, diſparitatem in hoc conſiſtere, quia terminari ſimul propria & aliena ſubſiſtentia, eſt terminari intra ſe, & extra ſe: at verò terminari multiplici alienâ, eſt tantùm terminari pluribus modis extra ſe: terminari autem pluribus ſubſiſtentiis propriis, eſt terminari pluribus modis intra ſe, quod non repugnat; quia licèt ſubſiſtentia propria dicat ſiſtentiam naturæ, & impoſſibilitatem tranſitus ad aliud ſuppoſitum, non tamen ſubſiſtentia aliena dicit negationem tranſitus ad alteram alienam, quæ ſit ejuſdem eminentiæ & virtutis in terminando, ſicut nec una ſubſiſtentia propria dicit negationem alterius ſubſiſtentiæ propriæ, ut patet in eſſentia divina. Quorum omnium ratio eſt, quia ex pluribus ſubſiſtentiis propriis ſequitur duntaxat iſte unicus effectus, qui eſt ſubſiſtere in ſe, licèt diverſis modis; ſicut etiam ex pluribus ſubſiſtentiis alienis ſequitur iſte ſolus effectus, qui eſt ſubſiſtere in alio, licèt diverſis modis. At verò ex ſubſiſtentia propria & aliena ſequitur iſte duplex effectus repugnans, ſcilicet ſubſiſtere in ſe, & non in ſe, ſed in alio; hic enim eſt effectus ſubſiſtentiæ propriæ: & ſubſiſtere in alio, & non in ſe; ille enim eſt effectus alienæ ſubſiſtentiæ. Unde repugnat quidem, naturam habentem propriam perſonalitatē, aſſumi, non tamen aſſumptam ab una perſona aliena, aſſumi ab altera, niſi ipſæ perſonalitates ſe excludāt ab eadem natura: perſonę autem divinæ non ſe neceſſariò excludunt à conſortio terminandi, ut patet intra neū.

Urgebis: Licèt per ſubſiſtentiam propriam impleatur potentia naturalis, non tamen potentia obedientialis, quæ eſt capax plurium, quàm ſit potentia naturalis: Sed unio naturæ creatæ ad perſonam divinam non fit ſecundùm potentiam naturalem, ſed ſolùm ſecundùm potentiam obedientiæ: Ergo potentia naturalis terminata per ſubſiſtentiam propriam, poterit altiori modo ſecundùm potentiam obedientialē ſupernaturaliter terminari.

Reſpondeo, quòd licèt res creatæ per potentiam obedientialem ſint capiendorum pluriū effectuum ſupernaturalium magis idoneæ, non tamen ſi illi effectus ſupernaturales ſint repugnantes potentiæ naturali, quia gratia & omne donum ſupernaturale non deſtruit, ſed perficit naturam. Quia ergo de ratione ſubſiſtentiæ propriæ eſt, reddere naturam ultimò terminatam, & incommunicabilem alteri ut ſuppoſito, planè ſubſiſtentia divina adveniens deſtrueret rationem ſubſiſtentiæ propriæ, quæ dat ultimam terminationem, & ſiſtentiam naturæ. Maximè (& hoc diligenter adverte ad detegendas, evertendasque innumeras æquivocationes in toto hoc tractatu) quòd licèt unio hypoſtatica ſit entitativè ſupernaturalis, tamen ſuppoſitâ illâ ſupernaturali unione, hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, eſt in materia naturali, & homo prædicatur de illo ſuppoſito divino, ſicut prædicatur de Petro & de Paulo; nam Deus humanatus, & Chriſtus tam verè & propriè eſt homo, & filius beatæ Virginis, ſicut Petrus ſuæ matris: igitur ex unione naturæ humanæ cum perſona divina, fit homo naturalis; ſi autem natura illa retineret propriam ſubſtentiam, non fieret homo naturalis & ſubſtantialis, cùm ſupponatur talis per propriam ſubſiſtentiam: ſubſiſtentia ergo adveniens potentiæ obedientiali, deſtrueret potentiam naturalem, quia potentia obedientialis naturæ ad ſubſiſtentiam divinam, non eſt niſi ut fiat homo naturalis. Sed hæc nimis fortè ſubtilia, & amarulenta tibi videbuntur, pie Lector: accipe ergo hoc condimentum pietatis, quo faſtiditum animum tuum reficiamus.

Si perſona divina nuſquam aſſumpſiſſet humanitatem, niſi priùs propria perſonalitas, eſſet conſumpta, ſcito, quòd nunquam regnabit in cordibus noſtris amor divinus, quamdiu vivet proprius. Potiùs

tiùs ſubſiſtentiam creatã cum divina in eodem ſuppoſito conciliabis, quàm amores illos, qui ſicut teſte Auguſtino fecerunt duas civitates, ita & conſtituerunt duos Reges & Dominos: Veritas autem conteſtatur Matt 6. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Hinc inteſtina animi noſtri bella continua; quia regnum cordis noſtri diviſum deſolatur: hinc caro adversùs ſpiritum concupiſcit, quia non ſe totum ſpiritus Deo ſubjicit. Nec unquam ſolida pace fruemur, donec Deus in cordibus noſtris unicè, plenèq; dominetur. Præclarè Auguſt. in Pſal. 143. *Agnoſce ordinẽ, quære pacem, tu Deo, tibi caro, quid juſtius: quid pulchrius? Tu majori, minor tibi ſervi; tu es, qui fecis te, ut tibi ſerviat quod factum eſt propter te. Si autem tu contemnis ſervire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro; qui non obtemperas domino, torqueris à ſervo.* Si autem nihil juſtiùs quàm Deum regnare ſolum, quid iniquiùs illo, qui divinum detrectans imperium, omnemq; pervertens ordinem, inferiores ſibi principati creaturas ſinit, ipſumque tenebrarum mundi hujus principẽ pronus adorat. Audiamus Chryſoſt. hom. 37. in 1. ad Cor. *Neq; nos ergo ordinem corrumpamus, neq; caput infra ſtatuamus, neque pedes ſupra: hoc autẽ fit, quando rectã rationẽ inferne dejecerimus, concupiſcentias autem rationi præfecerimus.* Hæc eſt à providentia divina im̃obiliter ſancita lex, ut magna largiatur, ſi parva reliquerimus. Dat cælum, ſi terrã contemnamus: dedit humanitati ſubſiſtentiâ orbatæ perſonam Dei; dabitque ſeipſum nobis, ſi noſmetipſos deſeram⁹. Quàm amandus mercator, quàm utilis num̃ularius, qui nihil niſi emptorum com̃oda quærit! Quàm bonum negotiari cum illo, qui non ſibi, ſed mutuantibus dat uſuras!

Quæres quintò, utrùm omnis natura creata completa ſit aſſumptibilis à Verbo?

Reſpondeo affirmativè, ſive quæſtio intelligatur de natura angelica, ſive de irrationali, & facilè probatur, quia hujus aſſumptionis nulla poteſt afferri veriſimilis implicantia; neque enim id repugnat ex parte divinę perſonæ, quæ habet infinitam vim terminandi; nec ex parte naturæ creatæ, quæ cùm diſtinguatur à ſua ſubſiſtentia, poteſt eâ privari dum habetur, vel impediri antequam habeatur, & à divina perſona præveniri. Nec etiam repugnat ex parte ignobilitatis naturæ cujuſvis; nam ut benè dixit D. Greg. Nyſſen. *Orat. Cathec. c. 27.* contra nonnullos, qui dicebant indecens eſſe Deo aſſumere corpus terreſtre, proindeque cæleſte debuiſſe aſſumi: *Ex æquo diſtat omnis creatura à Deo.*

Et certè de facto Verbum aſſumpſit naturam inſenſibilẽ, cùm in triduo mortis hypoſtaticè unitum manſit cadaveri, ſuam ei perſonalitatem communicans, non ſub ratione, & veluti ſub titulo perſonalitatis, quæ non attribuitur niſi naturæ rationali; ſed ſub ratione ſubſiſtentię conſtituentis non perſonã, ſed ſuppoſitum. Divina enim hypoſtaſis cùm communicatur alicui naturæ, præbet illi ſolùm effectus illos, quorum eſt capax: unde quia natura irrationalis non eſt capax denominationis perſonæ, ſicut nec gratiæ, nec viſionis, nec fruitionis Dei, hos omnes effectus divina ſubſiſtentia non conferret.

Major videtur eſſe difficultas de natura angelica, propter teſtimonia D. Thomæ aſſerentis 1. p. q. 3. art. 3. *Quòd in his, quæ non ſunt compoſita ex materia & forma, in eis non differt ſuppoſitum & natura.* Et q. 7 de potent. art. 4. *In Angelis quodlibet ſuppoſitum eſt ſua natura.* Et urgentiùs 4. cont. Gent. c. 55. *Convenientiùs aſſumpta eſt natura humana, quàm angelica, quia in homine aliud eſt natura, aliud perſona, cùm ſit ex materia & forma compoſitus: non autem in Angelis, quia immaterialis eſt.* Sed ſola illa naturã poteſt aſſumi, in qua natura diſtinguitur à perſonalitate: Ergo natura angelica non eſt aſſumptibilis.

Sed reſpondetur, ſubſiſtentiam oriri ex natura, non ſecundùm principia ſpecifica, ſed individuantia: cùm enim reddat naturam incom̃unicabilem, debet eſſe terminus naturę ſingularis; & propterea S. Thom. interdum ſumit ſuppoſitum, & ſubſiſtentiam formaliter pro termino complente naturam ſingularem; aliquando pro ipſis principiis individuantibus, à quibus oritur ille terminus. Quando ergo loquitur de ſuppoſito formaliter, docet iſtud diſtingui à natura etiam in Angelis, ut patet *ex hac q. 4. art. 1. ad 3.* Quando verò loquitur de ſuppoſito radicali, docet, quòd in rebus immaterialibus non diſtinguitur à natura, benè tamen in rebus corporeis, in quibus principia individuantia addunt aliquid naturæ. Et ſanè ſi loco illo *cont. Gent.* ſentiret S. Præceptor nullatenus diſtingui in Angelo ſubſiſtentiam à natura, non dixiſſet fore convenientiùs aſſumi naturam humanam, quàm angelicam, ſed quòd angelicam naturam aſſumi, impoſſibile eſt. Cùm ergo dicat, alterum fuiſſe convenientius, utrumque poſſibile judicavit. Itaque major eſt convenientia ex parte naturæ humanæ, in qua ſuppoſitum diſtinguitur à natura etiam radicaliter, & in ſuo principio, quod eſt materia: tantò enim eſt convenientior ratio aſſumendi, quantò eſt major diſtinctio, quæ eſt veluti anſa aſſumptibilitatis.

Quæres ſextò, an etiam naturæ incompletæ ſint aſſumptibiles à perſona divina, v. g. materia ſola?

Reſpondeo in primis, materiam non poſſe aſſumi, niſi habeat aliquam formam, ſine qua non eſt capax ullius exiſtentiæ, cùm nequeat habere ultimũ actum, niſi habeat primum, qui eſt forma, ut fuſiùs dicitur in Philoſophia Thomiſtica. Quoad formam verò non eſt dubium, quin rationalis poſſit aſſumi, quia hoc ipſo quod eſt ſubſiſtens, eſt capax proprię ſubſiſtentiæ, ac proinde divinæ ſupplentis vices propriæ, & de facto in triduo mortis remanſit unita Verbo. De formis verò corruptibilibus & materialibus quid dicendum ſit, pendet ex variis principiis philoſophicis; qui enim opinantur, formas materiales non poſſe ſubſiſtere, niſi in materia, nec eſſe capaces propriæ ſubſiſtentiæ, conſequenter ajunt eas non poſſe aſſumi. Qui verò arbitrantur, poſſe illas exiſtere ſeparatas à materia, multò magis quàm accidentia, quæ ſine ſubjecto exiſtunt in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, conſequenter docent, quòd ſicuti ſunt capaces propriæ ſubſiſtentiæ, ita & ad divinam aſſumi queunt.

Quæres ſeptimò, num partes integrales ſolitariè ſumptæ, ſint capaces aſſumptionis, putà, caput, manus, & aliæ hujuſmodi?

Reſpondeo, partes illas dum uniuntur toti, non poſſe aſſumi, niſi aſſumatur & totum; quia quamdiu manent unitæ toti integrali, exiſtunt per exiſtentiã totius; neque enim Thomiſtæ admittunt partiales exiſtentias, vel ſubſiſtentias. Non poteſt autem eadem pars ſubſiſtere duplici ſubſiſtentia, ſui totius, & Dei; & repugnat divinam ſubſiſtentiam venire in compoſitionem cum aliis ſubſiſtentiis partialibus, (gratìs permiſſis & non conceſſis) ut ex illis coaleſcat ſubſiſtẽtia totalis; quis enim hoc de divina ſubſiſtẽtia non dico aſſerere, ſed cogitare præſumeret?

Quæres octavò, quid dicendum ſit de naturis accidentalibus?

Reſpondeo, unum eſſe certum, aliud dubium. Certum quidem, non poſſe aſſumi accidentia ad ſubſiſtendum ſubſiſtentiâ divinâ; ad ſubſiſtentiam

quippe non aſſumitur niſi ſubſtantia, cùm ſubſiſtentia ſit ſubſtantiæ terminus ultimus, & complementum eſſentiale. Dubium tamen eſt, an poſſit accidens aſſumi ad exiſtentiam divinam? Quidam negant; ſicut enim difficile intellectu eſt, ſubſtantiam exiſtere poſſe per exiſtentiam accidentis, ita & accidens per exiſtentiam ſubſtantiæ: Quomodo enim ens in alio exiſtere poterit per exiſtentiam per ſe, cùm non petat exiſtere, niſi accidentaliter, ſicut nec ſubſtantia exiſtere nequit, niſi per ſe? Certè exiſtentia divina aſſumens accidens non intraret, nec ſubrogaretur loco propriæ.

Alii tamen affirmant, id poſſe fieri, quia accidentia ſaltem à ſubjecto ſeparata, propriam habent exiſtentiam: Ergo ut ſic videntur capacia exiſtentię divinæ ſubrogatæ loco propriæ, quam ſuppleret, non ut eſt accidens, ſed ut eſt exiſtentia, ſublatis imperfectionibus. Non ſecus ac ſubſiſtentia divina unita corpori ſupplet ſubſiſtentiam corpoream, non ut corporea eſt, ſed ut ſubſiſtentia eſt, quam divina ſupereminenter continet. In hoc diſſidio levis momenti elige quod magis arriſerit; ſunt enim Thomiſtæ ultro citroque diſſentientes.

R e f l e x i o.

Vide, Lector, quantum in iſtis, quæ nunquam contingent, poſſibilibus inquirendis otii temporiſque conſumpſerimus; tametſi materies hæc à nobis ſtrictim & compendioſè tradita, longè fuſiùs & operoſiùs ab illis verſetur. Hæc nimirum eſt humani natura ingenii, de his quæ nunquam fient, divexari, dum agenda relinquunt. O quantum eſt in rebus inane! Cogitat Epiſcopus, quid intra ſepta monaſterii ageret, quámve unicè divinis contemplationibus vacaret: occupatur otioſus monachus, quantum proficeret, ſi ad Præſulatum aſſumeretur; futura quæ non ſunt futura confingit, & præſentia nemo recogitat corde. Rectè admonet B. Franciſcus Saleſius *lib. 2. epiſt. 38.* ſummè cavendam illam animi levitatem, quâ unuſquiſque poſſibilibus ſe ſuperſtitioſè angit, & non conſiderat, quid opus facto. *Hoc age quod agis. Porrò unum eſt neceſſarium.* Ne quæras, quid ageres, ſed quomodo quæ præcipit ſtatus, quæ hîc & nunc exigit Deus, fideliter præſtes. *Ridiculè* (ait idem Sanctus) *de Palatiis in Hiſpania fabricandis meditatur, cui habitandum eſt in Gallia.* Hoc documentum ſpiritale antè tradiderant S. Bernardus, & D. Thomas. Ille quidem lib. 3. de conſiderat. c. 3. *Contra ſalutem propriam cogita nihil. Minùs dixi contrà, præter dixiſſe debueram. Quidquid ſe conſiderationi offeret, quod non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem pertineat, reſpuendum.* Doctor verò Angelicus *opuſc. 61.* docet, quodcumque opus ita à nobis eſſe peragendum, ac ſi nihil aliud unquam, vel melius occurrere deberet. Verba ejus ſunt hæc: *Diligentiam apponere debemus, ut ſingula opera noſtra, quantum unquam meliùs poſſumus, faciamus ex omni virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſiæ, quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & univerſitatis utilitas ex uno opere dependeant: quaſi nunquam ad id opus reverſuri, neq; opus aliud poſtmodùm incepturi. Quoties enim aliquod opus facimus, aut ad aliquod opus ferventer properamus, ex ſolo deſiderio alterius operis ſtatim laſſatur animus in opere, in quo ſumus: v. g. cùm ſumus in oratione, vel in aliquo opere, & proponimus ſcribere, vel aliud opus facere, ſtatim orationem minuit noſter affectus, & citiùs abſolvimur ab incepto.*

S p e c u l a t i o II.

Sola perſona Filii convenienter aſſumpſit: ſola natura humana convenienter aſſumpta eſt.

Probatur variis congruentiis conglobatis: Incarnatio peracta eſt ad uniendam creaturam rationalem cum Deo, ad liberandum hominem à peccato, & ad perducendos prædeſtinatos ad vitam æternam: Sed ad triplicem illum finem opportuniſſima fuit Incarnatio filii. Ergo. Probatur minor; etenim per Filium convenienter Deo unitur creatura rationalis, quia convenienter uniuntur, quæ ſimilia ſunt; creatura autem rationalis eſt ſimilis Verbo, quod eſt exemplar omnium creaturarum: unde ſicut per illud omnia creata ſunt, ſic & per ipſum debent recreari, ſicut artifex per formam artis, quâ arte factum condidit, collapſum reſtaurat. Liberatur etiam homo à peccato, qui ſicut ex inordinato appetitu ſcientiæ peccarât, per ipſum, qui nobis ſapientia factus eſt, ad Deum reducitur. Denique per ipſum tranſmittuntur ad gloriam, & æternam hæreditatem prædeſtinati, quia illa non debetur niſi filiis; congruũ autem fuit, ut per filium naturalem adoptionem filiorum reciperemus. Hanc triplicem congruentiam tradit D. Th. q. 3. *art. 3.*

Probatur aliter ex eodem S. D. *in 3. diſt. 2.* Verbum æternũ poteſt conſiderari vel ſecundùm perfectiones proprias, vel ſecundùm appropriatas: Atqui illæ omnes convenientem demonſtrant Incarnationem Filii: Ergo. Probo minorem: Perfectiones ſecundæ perſonæ ſunt quatuor. Eſt enim Filius, Verbum, Imago, & medium divinarum perſonarum: Conveniens autem fuit, Filium incarnari, ut Patrem pro nobis oraret, & ſatisfaceret, utque ille, qui natus eſt in æternitate, in tempore naſceretur. Congruum quoque, ut Verbum nobiſcum loqueretur, & ſecreta cæleſtia Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, enarraret. Unde ipſe ajebat, Ioan. 17. *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Decuit etiam, ut per imaginem Patris deleta in nobis, & per peccatum obliterata imago Dei reformaretur. Denique quemadmodum congruebat, ut perſona illa, quæ medium tenet inter Divinas, fieret mediator inter Deum & homines in negotio reconciliationis, ut ſimul Divinitatis læſæ jura ſervans, lapſui etiam noſtro ſubveniret.

Quòd ſi conſideremus attributa perſonæ Filii appropriata, idem apparebit. Appropriatur autem Filio ſapientia, & virtus, ſecundùm Apoſt. æqualitas ſecundùm Auguſt. & pulchritudo ſecundùm Hilar. ut vidimus *in lib. de Trinit.* quæ omnia exigunt Filii Incarnationem. Sapientia quidem: tum quia ad ipſam pertinuit, aſtutiam dæmonis detegere, & illudere: tum quia, ut præclarè ait *loco cit.* D. Th. in argum. *Sed contrà. Decentiſſima eſt conjunctio ſapientiæ & humilitatis,* ut patet ex illo Proverb. *Ubi humilitas, ibi ſapientia.* Nam videmus experientiâ ſemiſciolos eſſe non parum ſuperbos, quia ſcientia inflat; ſed profundè doctos, & præſertim veros ſapientes, qui ſciunt & guſtant divina, humiliores eſſe. Virtus etiam debuit de hoſtibus noſtris triumphare, & facere potentiam in brachio ſuo. Æqualitas quoq; debuit omnia cõponere & ordinare, præſertim quia peccatum ex immoderato appetitu divinæ æqualitatis ortũ erat, Angelus enim potentiæ, homo verò ſcientiæ æqualitatem concupivit. Unde ad Filium, cui injuria irrogata eſt, pertinuit incarnari, ut oſtenderet nobis, quomodo in veritate poſſumus Deo aſſimilari. Peregregiè Bernard. *ſerm. 1. Advent.* introducit Filium loquentẽ: *Omnes* (ſcilicet dæmones & homines) *invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo me metipſum, ut quiſquis invidere voluerit, quiſquis geſtierit imitari, fiat ei iſta æmulatio in bonum.* Denique ad pulchritudinem ſpectat, omnes ſordes detergere, & lavare iniquitates noſtras in ſanguine ſuo.

Pro-

Probatur demùm: Ex eo quòd Filius Dei ſit Dei ...tus, & Dei ſapientia, ... debuit noſtris ...ceſſitatibus ſuccurrere. Hanc rationem proſe...itur eleganter, & piè pro more Bernard. *ſerm. 7. Advent.* his ferè verbis: Nemo reperitur in nobis, ...i non interim & conſilii, & auxilii, & præſidii in...gus videatur. Nam & faciles ſumus ad ſeducen...um, & debiles ad operandum, & fragiles ad reſi...ndum: ſi diſcernere volumus inter bonum & ...alum, decipimur: ſi tentamus facere bonum, de...imus: ſi conamur reſiſtere malo, dejicimur & ſu...amur. Neceſſarius proinde Salvatoris advẽtus, & in nobis per fidem habitans, illuminet cæcita...m noſtram; & nobiſcum manens, adjuvet infir...itatem noſtram; & pro nobis ſtans, fragilitatem ...ſtram protegat & propugnet; ſi enim ille in no...s, quis jam decipiat nos? Si ille nobiſcum, quid de ...tero non poſſumus in eo, qui confortat nos? Si ... pro nobis, quis contra nos? Fidelis conſiliarius ..., qui nec falli omninò, nec fallere queat; fortis ...xiliarius, qui non laſſeſcat; patronus efficax, qui ... ipſum Sathanam ſub pedibus noſtris velociter ...nterat, & omnia ejus machinamenta confringat. ...imirum ipſe eſt Dei ſapientia, cui ſemper in prõ...tu ſit inſtruere ignorantes, ipſa Dei virtus, cui fa...le ſit & deficientes reficere, & eripere periclitan...s. Igitur convenientiſſimè Filius Dei, qui eſt Dei ...pientia & virt⁹, caro factus eſt, ut nos à triplici illo ...cõmodo, quo miſerabiliter laboramus, eriperet.

Objicies: Non eſt poſſibile, ſolam perſonam Filii ...e incarnatã; nam Incarnatio eſt opus ad extra, o...era autẽ ad extra ſunt cõmunia trib⁹ perſonis: Sed ...od non eſt poſſibile, non eſt conveniens: Ergo.

Reſpondeo, opera Dei ad extra, quæ procedunt ... ipſo in genere cauſæ efficientis, eſſe communia ...ibus perſonis: ſi verò ſit aliquod opus, quod con...eniat Deo ratione ſolius ſubſiſtentiæ relativæ, ve...ati in genere cauſæ formalis, ſicut illa ſubſiſtentia ...elativa eſt propria perſonæ, ita & illud opus. Uno ...erbo, quamvis in ratione effectus ab omnibus ...rocedat Incarnatio, non tamen in ratione termini ...aturæ aſſumptæ, & hoc explicant Patres exemplo ...ominis veſtiti: ſint tres homines, qui concurrant ...d veſtiendum unum ipſorum: tres cooperantur ...uidem ad induendum, ſed unicus indutus rema...eret. Quam ſimilitudinem deſumpſiſſe videntur ...x Paulo dicente, *Habitu inventus ut homo.*

Alio exemplo utitur Auguſt. *lib. de Incarn.* con...a Judæos: *Cytharam reſpice, ut muſicum melos ſonis ...ulcibus reddat. Tria pariter adeſſe videntur, ars, ...anus, & chorda; & tamen unus ſonus auditur: ars ...ictat, manus tangit, chorda reſonat; cum chorda an...em ars pariter, & manus operantur. Sic non Pater, ...on Spiritus ſanctus ſuſceperunt carnem, & tamen ...um Filio pariter operantur.*

Objicies ſecundò: Tam conveniens fuit Patrem ...& Spiritum ſanctum aſſumpſiſſe carnem, quàm Fi...ium: Ergo Incarnatio non eſt propria Filio. Pro...atur antecedens: Primò de Patre. Tum quia per ...ncarnationem debent produci novæ creaturæ, ut ...icitur *Gal. ult.* Creatio autem appropriatur Patri. ...um quia Incarnatio tendit ad hoc, ut homines ...doptionem filiorum recipiant, ut dicitur *ibid. cap.* ... Nullus autem poteſt adoptare filios, niſi Pater. ...dem etiam monſtratur de Spiritu ſancto; nam cùm ...it amor perſonalis, & cor ſanctiſſimæ Trinitatis, ad ...pſum videtur attinere opus tam immenſi amoris. ...um etiam, quia Incarnatio peracta eſt in reme...ium peccati. Quis ergo debuit incarnari, niſi ille, ...e quo ſcriptum eſt: *Accipite Spiritum ſanctum, ...uorum remiſeritis peccata, remittentur eis.*

Reſpondeo, cõvenientias operum Dei non eſſe motiva divinæ voluntatis, quæ non movetur, niſi à propria bonitate, ſed eſſe congruentias operis facti. Nam ſi Pater, aut Spiritus ſanctus incarnati fuiſſent, convenientię non deeſſent; quamvis etiam congruum videatur, eas non debuiſſe incarnari, quia perſona incarnata ſit Filius & Dei, qui producit humanitatem; & Matris Virginis: non videtur autem congruum, Patrem, cujus præcipua notio innaſcibilitas, naſci in tempore: nec nomen Filii debuit eſſe commune Spiritui ſancto, qui in æternitate non procedit ut filius.

Ad difficultates ergo in contrarium de Patre dicimus, creationem attribui Patri, ſed per Filium; unde per ipſum debuit mundum reficere, juxta illud 1. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Accedit, quòd, ut pulchrè obſervat S. Thom. *loco cit. Sent. ad* 2. Potentis non eſt, ut per potentiam minùs potentem vincat, ſed per ſapientiam: ſicut laudabiliùs eſt, Regem continere ſubditos in officio dexteritate ſapientiæ ſuæ, quàm vi & impetu armorũ: potentia autẽ attribuitur Patri, & ſapientia Filio; unde Pater per Filium debuit mundum pacificare. Fateor etiam, pertinere ad Patrem adoptare filios, ſed id convenienter actum eſt per Filium naturalem, qui eſt primogenitus in multis fratribus.

Ea verò, quæ dicuntur de Spiritu ſancto, facilis ſolutionis ſunt. Dicendum ergo, quòd licèt Incarnatio ſit divini amoris operæpretium, non tamen debuit ab ipſo amore perſonali peragi, quia amor movet quidem ad opus, ſed ſapientia illud mandat exequutioni. Similiter per Spiritum ſanctũ remittuntur peccata, ſed ipſum debuit nobis promereri Filius, & à Patre impetrare, ut ipſe ajebat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis.*

Secunda pars poſtulat, ut afferamus convenientias, ob quas natura humana præ cæteris aſſumpta eſt: omnes ad hunc diſcurſum reduco. Congruum erat, ut natura aſſumpta eſſet ſimilis Deo, capax cognitionis & amoris, & remedii indiga. Exigebatur quidem ſimilitudo, quia eſt cauſa amoris, amor verò ad unionem tendit. Exigebatur etiam natura cognoſcens & amans, tum ut poſſet tanto benefactori referre gratias, tum quia, ut ait S. Thom. *q. 4. art. 1. ad 2.* quod deficit à minori, nõ habet congruitatem ad id, quod eſt majus; ſicut corpus quod non eſt aptum perfici anima ſenſitiva, multò minùs eſt aptum perfici anima intellectiva: multò autem major & perfectior eſt unio ad Deum ſecundùm eſſe perſonale, quàm quæ eſt ſecundùm operationem. Denique debet eſſe ſuſceptiva remedii, quia cùm Incarnatio ad ſalutem peccatorum ordinetur, ſupponit morbum eſſe ſanabilem.

Atqui natura humana & eſt Deo ſimilis, cùm ſit ad imaginem Dei facta, & ipſarum perſonarum trinitatem in ſuis facultatibus repræſentet: cognitioni etiam, & amori liberatoris ſui vacare poteſt, qua duplici conditione caret natura irrationalis: & demùm reparationis poſt peccatum originale capax, cujus tamen incapax eſt natura angelica, cujus peccatum imedicabile eſt. Igitur convenientiſſimè natura humana aſſumpta eſt. Vide congruentias alias allatas tum ex parte univerſi, tũ ex parte ipſius humanitatis, quas ſatis diffusè proſequuti ſumus *diſſert. præamb.* unde Bern. ſerm. 1. Advent. *Propter hoc ipſe creavit homines ab initio, qui ſupplerent locum illum, & ruinas Hieruſalem reſtaurarent. Sciebat enim nullam Angelis patere redeundi viam: at verò hominis vice nullam poſtea cõdidit creaturam, innuens ex hoc ipſe redimendum adhuc hominem, quippe quem ſupplantavit aliena malitia, ideoq; prodeſſe ei poteſt*

charitas aliena. Ita Domine obſecro, complaceat tibi, ut eruas me, quoniam ego infirmus ſum, quoniam de terra mea furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. Non penitùs innocens, ſed quantum ad eum, qui me ſeduxit, innocens aliquatenùs.

R e f l e x i o.

Ex gemina hujus Speculationis parte, bina documenta elicio. Si Filium pro nobis incarnari conveniens fuit, congruum pariter erit, nos filio incarnato continuis cogitationis, amoriſque motibus adhærere; ſi ipſe eſt noſtra redemptio, nunquid non erit amor, & deſiderium? Anathema ſit, ô Domine JESU, qui te non amat, vel ſaltem amantem non redamat, qui te Verbum non audit, te imaginem non imitatur, te ſapientiâ non dirigitur, tibi capiti non agglutinatur, à te primogenito degenerat, te moriente pro mundo, ſibi vivit & mundo. Audiamus potiùs conſilium Bernardi *loco antè cit.* dicentis: *Ad hunc ergo tantum eruditorem, fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tā ſtrenuum adjutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni colluctatione committamus animas noſtras, qui ad hoc ipſum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, tenebras noſtras illuminaret, labores levaret, & pericula propulſaret.* Omnis origo gratiæ, omnis ſanctitatis radix, omnis fons dulcedinis, & ſcaturigo ſuavitatis Chriſtus eſt. Nulla ergo dies prætereat, quin im̃enſum Incarnationis Verbi beneficium recogites corde. Planè illi adhęrere bonum eſt, bonum, utile, honeſtū, perjucundum. Non enim plenus fuit ſibi, niſi ut nobis ſuperplenus exiſteret, atque ex ipſo nobis dato, nobis nato, fluenta pleniſſima redundarent. Si Chriſti intuentis aſpectus, occurſus tranſeuntis, fimbria veſtimenti diſtillabant medicinam, quid dabit, vel quid non dabit petentibus, quærentibus, pulſantibus, ſine intermiſſione orantibus, ſibique de corde puro & optimo devinctis? In hac cum Verbo incarnato unione unica requies, unica ſpes, unica conſolatio noſtra. Hanc invenies, Lector, & experieris, in jugi Chriſti meditatione; quia, ut dixit Auguſtin. lib. 7. Confeſſ. c. 17. *Verbum caro factum eſt, ut infantia noſtra lacteſceret ſapientiâ Dei.*

Ex ſecunda verò parte vide, quòd naturam humanam aſſumpſit Deus, non brutalem, nec angelicam, quia illa amoris incapax, iſta pœnitentiæ impotens eſt: Ergo gemina chriſtianæ vitæ exercitia ſunt amor & pœnitentia: ſicut ſub duplici polo cælum gyratur, ſic bino illo motu perveniemus ad cęlum. Qui tam amabilem, tamque amantem Salvatorem non redamat, cōparatur jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; qui Chriſto pro peccatis patienti non compatitur pro propriis, ex parte diabolo eſt. Si divina ſapientia potuit, divinuſque amor voluit tam mirabile medium invenire & exequi, quo innocentem pro reo plecteret, & juſtus pro iniquis nimia charitate ſatisfaceret; nos è contra hunc ordinem invertere decet, & ſincera pœnitentia amore cōcepta punire debemus reum, ut Salvatoris innocentiam, & dilectionem honoremus. Legibus ſancitum eſt (ut videre eſt *lib. 3. titul. 21. de fidejuſſor.*) quòd ſi quid fidejuſſor pro reo ſolverit, pecuniæ recuperandæ causâ poteſt agere in debitorem, qui ſi ad priſtinum ſecundæ florentiſque fortunæ ſtatum redierit, ſolvere tenetur. Antę Incarnationem totum genus humanum pro debitis ſolvere nequaquam poterat: Chriſtus pro nobis ſolvit, gratiæque ſuæ theſauros reliquit Eccleſiæ; ut in primam, imò & ampliorē fortunam reſtituti vitam haberemus, & abundantiùs haberemus. Verè ergo dignum & juſtū eſt, ut gratiam pro gratia referamus, ut amor amori reſpondeat, & pœnitentiis noſtris ea, quę deſunt paſſioni Chriſti, adimpleam⁹.

S p e c u l a t i o II.

Verbum divinum aſſumpſit ſibi humanitatis omnes partes, & præcipuè ſanguinem, nonnullos etiam defectus corporis & animæ.

PRobatur prima & ſecunda pars eodem diſcurſu. Verbum aſſumpſit, quidquid pertinet ad integritatem corporis humani; non enim aſſumpſit corpus mutilum, ſed integrum, & ſuis numeris abſolutū, cùm teſte Athan. Chriſtus ſit *perfectus Deus, & perfectus homo.* Atqui partes tum naturales phyſicæ, ſcilicet materia & forma; tum integrales, ut caput, pectus, cor; tum quatuor humores, ſcilicet ſanguis, atra bilis, flava bilis, & pituita, corpus humanum integrant, quod foret ſine illis mancū & diminutum: Ergo illa omnia divinū Verbum aſſumpſit. De partibus naturalib⁹ nullus eſt ambigendi locus, cùm ſit ex ſe perſpicuum: de quatuor enim humoribus facilè etiam ſuadetur, quia nimirum non minùs ad perfectionē parvi mundi, qui eſt homo, requiruntur, quàm ad magnū univerſum elementa; unde quilibet humorū alicujus elementi exprimit qualitates; ſanguis humiditatem & calorem aëris, pituita frigus & humiditatem aquæ, melancholia terræ ſiccitatem & frigiditatem, bilis calorem & ſiccitatem ignis imitantur.

Sed præcipuè de ſanguine id minimè inficiari licet. Tum quia ita pertinet ad integritatem animalis, ut in ipſo conſiſtere vita dicatur. Tum quia eſt organum & inſtrumentum univerſale, quo anima plures functiones in corpore obit, ut patet in motibus iræ, qui accenduntur, dum ferveſcit, timoris, dum contrahitur; gaudii, dum dilatatur. Tum denique, quia id conformiùs eſt doctrinæ Eccleſiæ, & Scripturarum attribuentium valorem & pretium cōdignum redemptionis noſtræ pretioſo ſanguini Salvatoris. 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati*, 1. Joan. 1. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et Clemens V. *in Extrav. Unigenitus*, aſſerit, unam guttam ſanguinis Chriſti habuiſſe valorem infinitum, propter unionem ad Verbum. Ipſa Eccleſia tota canit, *Te ergo quæſumus famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.* Ergo Verbum divinum aſſumpſit immediatè ſanguinem, & idem cenſendum de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, qui ſunt veluti ſcintillæ & radii ſanguinis defæcatioris, plurimumque ad firmitatem, & agilitatem corporis, omneſque operationes vitales conducunt.

Idem dicendum opinamur de unguibus & capillis; quia licèt non ita requirantur ad integritatem, ſicut partes organicæ, tamen neceſſarii ſunt ad meliorem corporis conſtitutionem, utilitatem, decorem, & ornamentum. Unde alicubi D. Tho. comparat capillos foliis arborum, ad coopertimentum fructuum inſtitutis, hacque de cauſa humores cum unguibus in reſurrectione reſtituendos docet Hieron. *in c. 10. Matt.* & Auguſt. *in Enchir. c. 88.* De aliis verò humoribus inutilibus, ſcilicet lacrymis, ſudore, ſaliva, aliiſque ſuperfluitatibus excrementitiis corporis humani, quos non informat anima, nec ſunt de integritate animalis, minimè concedendum eſt, fuiſſe aſſumptos.

Sed dices: Sanguis naturalis non eſt de integritate corporis, nec pars illius, cùm deſerviat nutritioni carnium & aliarum partium; homo autem ex ſuis partibus non nutritur. Cujus etiam ſignum eſt, quòd ſanguis non eſt continuus carni, ſed ſolùm

coa-

contiguus; nam propter ſuum fluxum partibus ſolidis minimè cõtinuatur. Ergo non eſt aſſumptus à Verbo, quod ſolas partes corporis ſibi copulavit.

Reſpondeo, ſanguinem naturalem eſſe partem actu, & partem in potentia reſpectu diverſorum. Eſt quidem pars in potentia, ſi comparetur cum aliis partibus perfectioribus, quarum nutritioni deſervit; eſt verò pars actu reſpectu corporis, de cujus integritate eſt. Sicut elementa mundi ſunt veræ partes univerſi, licèt ſint partes in potentia reſpectu mixtorum, ad quorum generationem concurrunt. Nec eſt abſurdum, hominem nutriri ſuis partibus actu, ſi ad hoc ſint à natura inſtitutæ. Licèt autem ſanguis non continuetur carni immediatè, benè tamen mediantibus fibris, ſeu craſſioribus ſanguinis partibus, quæ connectuntur venis, & iſtæ carni. Sed de his Philoſophi.

Dices adhuc: Concil. Trident. *ſeſſ. 13. c. 3.* docet, ſanguinem non reperiri ſub ſpeciebus panis, niſi per concomitantiam: Sed ſi eſſet pars integralis corporis Chriſti, tum formaliter ex vi verborum reperiretur quàm caro, nervi, oſſa, quæ non alia ratione ibi inveniuntur, niſi quia ſunt partes: Ergo ſanguis non eſt de integritate naturali corporis Chriſti, ſubindeque non fuit aſſumptus.

Reſpondeo, ideo ſanguinem non reperiri ex vi verborum ſub ſpecie panis, quia ſub illis ponitur Chriſtus per modum cibi, cui aptæ ſunt partes ſolidæ, non fluidæ. Et certè cùm ibidem aſſerat ſacra Synodus, ſanguinem adeſſe ſub ſpeciebus panis per concomitantiam, ſicut & animam, quia partes Chriſti Domini inter ſe copulantur, planè ſentit ſanguinem eſſe partem humanitatis.

Inſtabis: Pluribus in locis ſervantur aliquæ particulæ ſanguinis Chriſti, & inter cæteras celebris eſt ampulla vitrea in Eccleſia ſanctæ Mariæ Magdalenæ apud S. Maximinum ſervata, in qua ſæpè ſæpiùs ſacer cruor bullire viſus eſt in die Paraſceves circa horam exitus Salvatoris. Ergo ſanguinem Verbum nunquam aſſumpſit. Probatur conſequentia: Si Verbum ſanguinem illum aſſumpſiſſet, ſanguis ille maneret hypoſtaticè unitus Verbo, quod Theologi non admittunt. Ergo illum Verbum non aſſumpſit, & idem dicendum de aliis portionibus ſanguinis, cùm ſit par omnium ratio.

Reſpondeo, ſanguineum illum liquorem, qui eſt in ſyndone Taurinenſi, & Biſuntina, in ſpina Pariſienſi, in lancea Romana, in ampulla S. Maximini, non poſſe eſſe reliquias ſanguinis, qui fluxit ab imagine Crucifixi Beryti à Judæis crucifixa, & cujus ſanguinis copia ad varias Eccleſias tranſmiſſa eſt, ut habetur *in Martyrolog. Rom. 9. Novemb.* & docet S. Thom. *infra, q. 54. art. 2. ad 3.* quia nimirum ſyndon, ſpina & lancea cruentæ non ſunt, niſi ex immediato contactu corporis Salvatoris; ampulla verò prçfata continet terram ſanguine Chriſti paſſionis tempore aſperſam, & à B. Magdalena excerptam, & in Galliam aſportatam.

Quare dicendum, quòd ſanguis ille, qui ſupereſt, non erat naturalis, ſed nutrimentalis, qui utiq; non fuit à Verbo aſſumptus, cùm habeat rationem puri alimenti, & humoris ſanguinei nondum decocti & elaborati, non partis corporis naturalis. Hæc ſolutio ſupponit diſtinctionem ſanguinis in naturalem & nutrimentalem, quam admittimus cum D. Thom. *quodl. 5. art. 5.* ſed quia non admittitur ab omnibus, ut omnibus fiat ſatis, dici poteſt, reliquias illas habere veri ſanguinis naturalis nedum colorem & ſimilitudinem, ſed ſubſtantiam & naturam. Nec eſt inconveniens, particulas illas eſſe dimiſſas, quia non debebant corpori Chriſti reuniri: docet autem S. Thom. *in 3. diſt. 2. qu. 2. art. 1.* eas tantùm Chriſti mortui partes unionem hypoſtaticam retinuiſſe, quæ erant Chriſto reſurgenti reſtituendæ. Maxima verò Damaſceni, *quod Deus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, intelligitur de partibus notabilibus ad integritatem ſpectantibus, non de particulis à Chriſto reſurgente iterum non aſſumendis, quales ſunt exiguæ partes materiæ, ſudore, actione & reactione caloris naturalis, & inſenſibili tranſpiratione deperditæ; quales etiam pili & dentes in infantia decidentes, vel ſucceſſu temporis præciſi; qualis item ſanguis in circumciſione fuſus, necnon & præputium tunc abſciſſum, quod adhuc in Eccleſia ſervatur. Concedendum tamen, notabiles ſanguinis Chriſti partes minimè fuiſſe dimiſſas, utpote à Chriſto reſurgente reſumendas.

Quæres, num ſervatus ſit aliquis ordo in aſſumptione partium humanitatis?

Reſpondeo compendio doctrinæ D. Thom. *q. 6.* quòd licèt eodem temporis inſtanti humanitas, anima, & corpus aſſumpta ſint; quidam tamen ordo rationis & prioritas naturæ in illis attendi poteſt. Et quidem certum eſt, quòd ordine intentionis priùs fuit aſſumpta humanitas, quàm partes; intentum quippe Incarnationis fuit, ut Deus fieret homo. Aliter tamen eſt de ordine exequutionis; nam ſicut ſubſiſtentia priùs naturà cõpetit formæ, & ea mediante corpori, ac toti ex utroque reſultanti, ut pluries inculcat D. Th. quia cùm forma rationalis ſit per ſe ſubſiſtens, ipſi primitùs competit ſubſiſtentia: ſic etiam divina ſubſiſtentia, quæ ſupplet locum propriæ, eundem ſervavit ordinem. Unde ait D. Th. *art. 8. q. 6.* anima eſt aliqualiter cauſa carnis uniendæ Filio Dei; non enim eſſet aſſumptibilis (ſecundùm congruentiam) niſi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, ſecundùm quem habet, quòd ſit caro humana.

Nec ſequitur propterea, quòd per mortem ſeparatâ animâ à corpore diſſoluta fuerit unio corporis cum Verbo, ſicut ablatâ ſuperficie aufertur color, qui non ineſt, niſi mediante ſuperficie: nam, ut ait D. Thom. citatus *ad 3.* nihil prohibet aliquid eſſe cauſam alicujus, quantum ad aptitudinem & congruitatem, quo tamen remoto, illud non tollitur; quia etſi fieri alicujus dependeat ab aliquo, poſtquam tamen eſt in facto eſſe, ab eo non dependet.

Quinam defectus aſſumpti?

Ultima pars, quæ ait Chriſtum aſſumpſiſſe aliquos defectus, probatur. Et quidem Verbum aſſumpſiſſe aliquos defectus corporis, putà famem, ſitim, mortem, conſtat ex hiſtoria Evangelica. Et hujus convenientia eſt primò, quia congruebat, ut Salvator ſatisfaceret pœnis debitis peccatis hominum. Unde dicitur Iſai. 53. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et *ad Rom. 5.* dicitur Filius Dei miſſus *in ſimilitudinem carnis peccati*, quia hçc eſt conditio carnis peccati, ſeu peccato obnoxiæ, ſubire neceſſitatem moriendi, aliiſque infirmitatibus ſubjacere.

Secundò id decuit ad Incarnationis fidem aſtruendam; tunc enim verè apparuit Verbum veram carnem, & non tantùm phantaſticam aſſumpſiſſe, cùm noſtris viſa eſt ſubeſſe calamitatibus. Unde B. Thomas Apoſt. per aſpectum vulnerum ad fidem revocatus eſt, ut patet *Joan. 20.* Imò dum in Magiſtro ſuo vulnera palpavit carnis, in nobis ſanavit vulnera infidelitatis, ut ait Greg. *hom. 26. in Evang.*

Tertiò ad exhibendum hominibus patientiæ exemplum. Hebr. 12. *Suſtinuit à peccatoribus adverſùs ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes.* Unde tribulati & deſolati

ſolari fiduciam habent accedendi & petendi auxilium a Chriſto. Hebr. 2. *In eo in quo paſſus ipſe eſt, & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliari.* Ergo convenienter Verbum divinum aſſumpſit corpus obnoxium defectibus, ex immenſa ſua charitate, propter implendum redēptionis opus, impediens, ne ex beatitudine animæ derivaretur ad corpus impaſſibilitas, & incorruptionis vigor, qui natus erat ex beatitudine animæ redundare. Unde verè dixit Damaſ. lib. 3. cap. 15. *Beneplacito divinæ voluntatis permittebatur carni pati, & operari quæ propria.*

Idem convincitur de defectibus animæ. Anima Chriſti fuit verè paſſibilis, non ſolùm paſſione corporali, quæ contingit per læſionem corporis, quo perturbato patitur etiam anima per accidens ex unione ad corpus, cujus eſt forma; ſed etiam paſſione animali orta ex motibus paſſionum, quæ ſunt affectiones appetitus ſenſitivi. Nam ea omnia Chriſtus aſſumpſit, quæ ad naturam hominis pertinent. *Neq; enim* (inquit Auguſt. lib. 14. de civit. c. 9. *in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis anim⁹, falſus erat humanus affectus.* Verùm, quia paſſiones, prout ſunt in nobis, ſcatent multis defectibus Salvatore indignis, ideo triplex diſcrimen intercedit inter paſſiones Chriſti & noſtras. Primum, quia in nobis non ſecùs ac equus indomitus feruntur ad illicita, in Chriſto ad bonum propendebant. Secundum, in nobis judicium rationis præveniunt, ut pervertant; in Chriſto rationis ductum ſequebantur. Tertium, in nobis in appetitu non ſiſtunt, ſed rationem crebrò obnubilant, ejuſque functiones impediunt; at Chriſti ratio eis utebatur, imò adjuvabatur. Unde Hieron. in cap. 26. Matt. *Propaſſiones* appellat, quia inchoabantur in appetitu, ſed ulteriùs non extendebantur. Vel quia ſicut Prorex dicitur, qui fungitur officio Regis ad nutum ipſius Regis, ſic paſſiones in Chriſto in motus ſuos non prorumpebant, niſi rationis moderamine & imperio eis ad libitum utente.

Ex his ſequitur, in Chriſto verum fuiſſe dolorem, qui ex læſione corporis, & læſionis ſenſu naſcitur. Chriſtus autem habuit ſenſus perfectos, ſicut & omnes potentias naturales: unde vocatur *Vir dolorum.* Fuit etiam triſtitia, quatenùs inferiùs apprehendebat aliquod malum ſub ratione nocivi, vel ſibi, ut cruciatus & mortem; vel aliis, ut peccata & pœnas peccatorum. Unde & dicebat, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Matth. 26. Idem dicendum de timore, qui apprehendit mala imminentia, quæ licèt Chriſtus potuerit vitare ſecundùm virtutem divinitatis, erant tamen inevitabilia ſecundùm infirmitatem carnis, cui ſubvenire nolebat; unde dicitur Matth. 14. *Cœpit pavere, & tædere.* Idem quoque cenſendum de admiratione, quæ cauſatur ex novis & inſolitis: licèt enim ſcientiæ beatæ & infuſæ nihil novum occurreret, benè tamen ſcientiæ acquiſitæ & experimentali. Unde dicitur *Matt.* 8. quòd audiens verba Centurionis, *miratus eſt.* Denique infertur fuiſſe quoque iram, quæ eſt paſſio naſcens ex triſtitia, cum appetitu vindictæ, & injuriæ propulſandæ, qui eſt tunc bonus & laudabilis, cùm deſideratur vindicta ſecundum ordinem juſtitiæ; & ſic fuit in Chriſto, de quo *Joan.* 2. dicitur impletum illud Pſalmi 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ita tamen erat lenitate, comitate & manſuetudine temperata, ut in eo ſuavitas & clementia ſemper eminerent; unde ideo vocatur *Agnus coram tondente ſe*; Et ipſemet dicebat: *Diſcite a me, quia mitis ſum.* Et perſequutoribus non vindictam, ſed indulgentiam poſtulabat, dum è cruce orabat: *Pater ignoſce illis.* Unde Apoſtulus ait, ſanguinem Chriſti meliùs clamare ſanguine Abel; quia iſte vindictam & juſtitiam, ſanguis Chriſti miſericordiam perorabat.

Dices: Paſſiones ſecum afferunt impræſcindibilem imperfectionem, nempe perturbationem animi; unde & à Tullio vocantur *animæ ægritudines.* Ergo indecens eſt, fuiſſe in Chriſto aliquam paſſionem, & ſic procul ab ipſo fuit dolor, quem contemplationis delectatio extinguebat; procul triſtitia, quia nihil accidebat contra voluntatem ipſius; de Juſto enim *Proverb.* 22. dicitur: *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Quia nimirum non poteſt amittere bona ſua, ſcilicet virtutes, quæ non ſunt obnoxiæ fortunæ. Procul timor, quia etiam de juſto ſcribitur Proverb. 28. *Juſtus quaſi leo confidens, abſque terrore erit.* Procul admiratio, quæ non oritur niſi ex ignoratione cauſæ, viſo effectu, & cùm apprehenditur aliquid ut magnum, quod puſillanimi argumentum eſt; nam ut ait Ariſtot. 4. Eth. c. 3. *Magnanimus non eſt admirativus.* Et Seneca: *Magno nihil magnum: parvo nihil parvum.* Procul ira, quæ rationem excæcat, & manſuetudini, quæ eſt virtus Chriſti, repugnat.

Reſpondeo, paſſiones perfectè ſubditas rationi nihil indecorum habere, ſed potiùs eſſe inſtrumenta virtutis. In Chriſto autem plenè rationis imperio ſubjiciebantur, nec eis niſi ad libitum utebatur, ſeu, ut ait Auguſt. lib. 14. de civit. c. 9. *Hos motus cùm voluit Chriſtus, ſuſcepit, ſicut cùm voluit, factus eſt homo.* Sic igitur fuit in ipſo dolor, quia Chriſtus retinebat in mente contemplationis ubertatem, nec eam gaudii ſpiritalis abundantiam in vires ſenſitivas redundare ſinebat: fuit etiam triſtitia in appetitu ſenſitivo, intrepidâ & imperturbatâ manente rationis æqualitate; quia licèt principale bonum juſti, quod eſt honeſtum, amittere; & principale malum, quod eſt peccatum, incurrere nequiverit, ſecundariis tamen bonis carere, & malis quæ afficiunt corpus, ſubjacere potuit. Fuit etiam timor non perturbans mentem, ſed obtemperans; non præveniens, ſed ſequens; non inordinatus, ſed modulatus. Fuit pariter admiratio, non ex ignorantia, ſed ex nova experientia; non magna reſpectu ſui, ſed aliorum geſta ſuſcipiens.

Denique fuit ira temperata, & rationabilis; zelo quidem fervens, ſed diſcretione condita. Obſervat tamen S. Thom. *quæſt.* 15. *art.* 9. (& à te pariter obſervari plurimùm velim) quòd in ſolo Chriſto ira moderata bona erat, & vix in nobis. Verba ej⁹ ſunt: *Motus iræ etiam ſit ſecundùm rationem moderatus, utcumque impedit oculum animæ.* Quod dicto Gregorii *lib.* 5. *Moral.* c. 35. conſonat: *Ira per vitium excæcat oculum mentis: ira verò per zelum, ipſa turbat.* Hac de cauſa S. Franciſc. Saleſius in Introductione *p.* 3. *c.* 8. ex Auguſtino docet, meliùs eſſe, non acceptare iram, etiam juſtam, quàm eam quantumvis exiguam, quocunque prætextu recipere; quia faciliùs eſt, non iraſci, quàm ira benè uti. Unde dixit B. Jacob. c. 1. *Ira viri juſtitiam Dei non operatur.*

Cum his tamen ſtat, non omnes defectus fuiſſe à Chriſto aſſumptos. Pro quo obſervat triplicem regulam, quam tradit S. Doctor *q.* 14. *art.* 4. Prima eſt quidam ſunt defectus, qui repugnant perfectioni ſcientiæ & gratiæ, ſicut ignorantia veri, difficultas recti; & hos defectus Chriſtus non aſſumpſit, utpote repugnantes fini Incarnationis, quæ exigebat Salvatorem plenū gratiæ & veritatis. Secunda eſt: quidā ſunt defectus, qui non conſequuntur totam naturam humanam cum protoparente lapſam, ſed ex particularibus cauſis ortum habent, putà ex inordinatis paſſionum motibus, vel ex victus & po-

tus

exceſſu, ſicut morbi quamplures; vel ex virtutis ...ativæ, ſeminiſque debilitate, ut lepra, curvitas, ...dicatio: & hi omnes longè fuerunt à Chriſto ...mino, qui nihil in toto vitæ ſuæ regimine inot...atum geſſit, & cujus caro concepta de Spiritu ...cto habuit temperamentum ad pondus.

Tertia demùm regula eſt: Sunt aliqui defectus, ... in omnibus hominibus communiter inveniun... ex peccato primi parentis, ſicut mors, fames, ſi... & alia hujuſmodi, & hos Chriſtus ſubire digna... eſt ob rationes prædictas. Unde Verbum non ...nes, ſed aliquos defectus aſſumpſit *diſpenſativè*, appoſitè ait ibidem D. Thom. id eſt, eos ut ſa...ns diſpenſator elegit, quos noverat ſatisfactioni ... peccatis noſtris opportunos.

R e f l e x i o.

Aſſumpſit Verbum ſanguinem, ideòque ad ip... pretioſi ſanguinis Chriſti nomen tota inclinata ...leſia proſternitur, dum canit: *Te ergo quæſumus ... famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemi...* Terra ipſa in paſſione Chriſti idcirco, teſte Ter...liano, tremuit, quia ſanguine Chriſti conſperſa, ...uti reverentiâ commota eſt. Heu nos miſeros! Il... ... tam tremendum cruorem, in quo tota ſpes ...riæ cœleſtis innititur, quoties peccamus, toties ...ſpicimus, floccifacimus, pedibus conculcamus. ...tant Medici præſentiſſimum phreneſis remedi... ... eſſe extractionem ſanguinis uſque ad deliqui.... Phreneticum manſit genus humanum poſt pro... parentis ſtultitiam, quæ major eſſe non potuit, ...dam cùm ſe pomo divinitatem aſciturum inſulſiſ...ſè opinatus eſt. Ad ſanandum tam inveteratum ...rbum, ſanguinem uſque ad deliquium fudit ...riſtus in horto, & uſque ad mortem in ara cru..., quia ut appoſitè ait Auguſt. lib. cont. 5. hæreſ. *Ef...ſus eſt ſanguis medici, & factum eſt medicamen...m phrenetici.* Verùm enimverò Adami phreneſi ...ajor eſt noſtra, quæ ſumit ex medicina langno...m, & in ſanguine Chriſti materiam invenit ſacri...gii, in quo parata fuerat medicina ſalutis. Ceſſet, ...abo, ceſſet impietas, deſinat captivus pretium ...um contemnere, ſed potiùs cum eodem Auguſti... ... pedibus obvolutus Crucifixi, fundenſque ſan...inem cordis, id eſt lacrymas, dicat: *Poſtquam me ...gnovi pretioſo ſanguine Chriſti redemptum, nolo me ...ipliùs exhibere venalem.*

Iterum non ſolùm ſanguinem, ſed omnes huma...tatis partes, defectus quoque corporis & animæ, ...lores potiſſimùm & tribulationes aſſumpſit Ver...m. Quàm amandus ergo labor, dolor, anguſtia, ...bulatio, quæ Verbum Patris uſque adeo fecit ſua, ...m illis concipi, naſci, vivere, mori voluerit, aſ...mptaſque miſerias conſecrare, inaugurari, & (ſi ...loqui liceret) divinizare, juxta illud Damaſceni ...3. de fid. c. 20. *Omnes* (defectus) *accepit, ut omnes ...ificet.* Quin etiam calamitates aſſumptas non ...lò conſecravit, ſed incredibili ſuavitatis condi...nto temperavit, ut latè oſtendimus *tom.* 3. dum ...beatitudine viæ. Quàm ſuavis, quàm amandus ...dicus, qui medicinæ amarorem guſtavit, ut io...mus dulcedinem, ſanitatemque propinaret! Hinc ...cti gloriantur in tribulationibus, in adverſitati... triumphant gaudio, tormenta ſuſtinent non ...lò fortiter, ſed alacriter, & juxta Moyſis Pro...etiam Deuter. 33. *Inundationes maris* (ſalſi & ama...) *quaſi lac ſugunt.* Unde hoc? Quia nimirum amo...ſimus Salvator doloribus ſuis noſtros condivit, ...etias beavit, penuriam ditavit, famem & jejunia ...guedine Spiritus ſaginavit. *Ut quos vivificabat ...re tua, tua & trepidatio robuſtos, & mœſtitia ala...cres, & turbatio quietos faceret, & deſolatio conſolatos*, inquit Bern. *ſerm. 1. de S. Andr.*

DISSERTATIO IV.

De prædeſtinatione & gratia Chriſti.

Explicatis pro virili exiſtentia, eſſentia, cauſiſque tam externis, quàm internis Dominicæ Incarnationis, occurrunt proprietates ejus examinandæ, quarum prima & cauſalitate & dignitate gratia eſt, quæ illi ſine menſura data eſt. Verùm, quia gratia rivus eſt aquæ ſalientis in vitam æternam, à prædeſtinationis fonte promanans, ideo prædeſtinationis Chriſti conſiderationem præmittemus.

C A P U T I.

De eximia Chriſti prædeſtinatione.

Ut totam de prædeſtinatione Chriſti ſatis abditam materiam apertè exponamus, explicandum eſt, ad quid Chriſtus prædeſtinatus eſt, motiva prædeſtinationis illius, ubi difficultates de cauſa meritoria Incarnationis alibi tractari ſolitas, huc uſque dilatas, & præſenti materiei opportunas expediemus, & denùm effectus prædeſtinationis Chriſti.

S p e c u l a t i o I.

Chriſtus ut homo, ſeu ratione humanæ naturæ prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem.

Hanc aſſertionem docet Apoſt. Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.* Qui locus licèt varias patiatur expoſitiones, illumque intelligant Chryſoſtomus & Theophylactus non de prædeſtinatione, ſed de declaratione, ut ſenſus ſit, Chriſtum factum ſecundùm carnem manifeſtatum eſſe, & certiſſimis argumentis comprobatum *ſecundùm Spiritum ſanctificationis*, id eſt, ex poteſtate ſanctificandi homines, qua excellebat, *ex reſurrectione mortuorum*, id eſt, quia ſemetipſum, ſicut prædixerat, à morte ad vitam ſuſcitavit: nihilominus locum illum, ut litera ſonat, intelligit Auguſt. de prædeſtinatione ad filiationem naturalem, dicens *lib. de prædeſt. Sanct. c. 15.* Prædeſtinatus eſt Jesus, ut qui futurus erat ſecundùm carnem Filius David, eſſet in virtute Filius Dei.

Probatur ratione D. Th. *q. 24. art. 1. & 2.* Nihil fit in tempore, quod non fuerit à Deo præordinatum in æternitate; ſcientiæ enim & voluntati Dei nihil de novo accidit in tempore: ſed in tempore factum eſt per gratiam unionis, ut homo eſſet Deus, & Filius Dei; humana quippe natura non fuit ſemper unita Verbo Dei: Ergo Chriſtus ratione naturæ humanæ prędeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalē.

Confirmatur: Ad id primò & principaliter Chriſtus ut homo, ſeu ut in humana natura ſubſiſtens, prædeſtinatus eſt, quod principaliter in tempore ex Dei decreto humanitati communicatum eſt: ſicut juſti dicuntur prædeſtinati ad gloriam, quia ad hanc conferendam præcipuè tendit prędeſtinatio. Atqui primum & præcipuum donum humanitati Salvatoris collatum, fuit filiatio naturalis, ſeu perſonalitas Filii Dei: primùm, quia ex illo cætera omnia veluti è fonte ſcaturiunt: præcipuum verò, quia magis eſt eſſe, & fieri Deum, quàm frui Deo. Ergo Chriſtus ut homo prædeſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem.

Objicies: Subjectum prædeſtinationis, ſeu perſona, quæ prædeſtinatur, non debet includere terminum ejuſdem prædeſtinationis; ſiquidem terminus prædeſtinationis eſt id, ad quod pervenit ſub-

jectum; ſubjectum autem non pervenit ad ſeipſum, ſed ad aliquid à ſe diſtinctum. Hac de cauſa homo non dicitur prædeſtinari ad animam rationalem, quam importat, ſed ad gloriam, ad qoam tranſmittitur. Atqui Chriſtus ut homo in ſuo formali conceptu includit ſuppoſitum Filii Dei naturalis, quod enim ſubſiſtit in ſacra humanitate, eſt perſona Filii, non Patris, nec Spiritus ſancti: Ergo Chriſtus ut homo, non poteſt dici prædeſtinatus ad hoc, ut ſit Filius Dei naturalis.

Reſpondeo, huic argumento plures adhiberi ſolotiones, quibus nodus implicatur magis, quàm explicetur. Quare cùm D. Thomas ſæpè ſæpiùs hanc difficultatem ſibi proponat, ex tam puro fonte vera reſponſio hauriendà eſt. Sic ergo ait qu. 24. art. 1. ad 2. *Prædeſtinatio attribuitur perſonæ Chriſti, non quidem ſecundùm ſe, vel ſecundùm quod ſubſiſtit in divina natura; unde cùm prædixiſſet Apoſtolus, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem, ſubjunxit, Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute; ut daret intelligere, quòd ſecundùm hoc, quòd factus eſt ex ſemine David ſecundùm carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei in virtute: quamvis enim ſit naturale illi perſonæ ſecundùm ſe conſideratæ, quòd ſit Filius Dei in virtute, non tamen eſt ei connaturale ſecundùm humanam naturam, ſecundùm quam hoc ſibi convenit per gratiam unionis.* Et iterum ad 2. *Perſona illa, etſi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit ſemper, quòd ſubſiſtens in natura humana fuerit Filius Dei.* Et rurſum in 3. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 1. & 5. *Prædeſtinatio non eſt naturæ, neque perſonæ ſecundùm ſe, ſed perſonæ ratione naturæ aſſumptæ. Et licèt homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione ſuppoſiti, præintelligitur tamen ratione naturæ.* Et denique in caput 1. ad Rom. lect. 3. *Quia perſona Chriſti ſubſiſtit in duabus naturis, humana ſcilicet & divina, ſecundùm utramque poteſt aliquid dici de eo: ſicut enim de homine poteſt aliquid dici ſecundùm corpus, ut tangi & vulnerari; aliquid autem ſecundùm animam, ut intelligere & velle; ita & de Chriſto poteſt aliquid dici & ſecundùm divinam naturam ſicut ipſe de ſe dicit* Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus; & aliquid ſecundùm humanam naturam, ſicut cùm dicimus eum crucifixum & mortuum, & hoc modo dicitur eſſe prædeſtinatus ſecundùm humanam naturam: quamvis enim ipſa perſona Chriſti ſemper fuerit Filius Dei, non tamen ſemper fuit ut exiſtens, in humana natura eſſet Filius Dei, ſed hoc fuit ineffabilis gratiæ.*

Vides Angelicæ doctrinæ conſtantiam & conſonantiam, ex qua ſemotis ambagibus reſpondetur in forma, diſtinguendo majorem: ſubjectum prædeſtinationis non debet includere terminum ſub illa ratione, ſecundùm quam eſt ſubjectum, concedo; ſub alia ratione ſecundùm quam non eſt ſubjectum, nego: & ſimiliter minorem, Chriſtus ut homo importat ſuppoſitom Filii Dei naturalis, ſub ea ratione ſecundùm quam eſt ſubjectum prædeſtinationis, nego; ſub alia ratione ſecundùm quam non eſt ſubjectum prædeſtinationis, concedo: quia nimirum non eſt ſubjectum prædeſtinationis ratione perſonæ divinæ ſecùndùm ſe, ſed ſecundùm naturam humanam, cui non convenit aſſumi ad filiationem divinam, niſi per gratiam unionis. Unde patet in prædeſtinatione Chriſti terminum eſſe diſtinctum à ſubjecto. Nam ſubjectum eſt Chriſtus ratione humanitatis, terminus eſt filiatio divina, cujus humanitas eſt ſuſceptiva.

Nec obeſt exemplum de homine, qui non poteſt prædeſtinari ad animam rationalem, quam includit: tum quia effectus naturales non cadunt ſub prædeſtinatione, de qua loquimur; benè tamen unio hypoſtatica, quæ communicatur humanitati: Tum præcipuè, quia in Petro non ſunt duæ naturæ, quarum uni conveniat anima rationalis, non alteri: ſed ſi ſuppoſitum & perſona Petri poſſet terminare duas naturas, humanam v. g. & leoninam (ut de potentia abſoluta poſſibile eſſe, multi credunt extra ſcholam D. Thomæ) tunc rectè dici poſſet, *Leo præordinatus eſt, ut ſit homo*; quia licèt ſuppoſitum leoni eſſet etiam homo, non tamen id haberet, prout ſubſiſteret in natura leonina, cui communicaretur unio ad ſuppoſitum humanum.

Dices: Illud cadit ſub divina prædeſtinatione, quod factum eſt in tempore, ut diſcurrit D. Thom. hic: Sed hæc propoſitio falſa eſt, *Chriſtus ut homo factus eſt Deus*, vel *Filius Dei*, ut ſuprà dum de communicatione idiomatum diximus, & probat ex profeſſo D. Thom. q. 16. art. 7. *Quia*, inquit, *ſuppoſitum humanæ naturæ de quo verificatur eſſe Deum, eſt idem quod hypoſtaſis, ſeu perſona Filii Dei, quæ ſemper fuit Deus: unde non poteſt dici, quòd iſte homo incepit eſſe Deus, vel quòd fiat Deus, aut quòd factus ſit Deus.* Ergo Chriſtus ut homo non eſt prædeſtinatus, ut ſit Filius Dei, cùm ſemper perſona illa fuerit Filius Dei.

Reſpondeo, hanc etiam replicam occupaſſe D. Thomam; ait enim q. 24. art. 1. ad 3. eſſe differentiam, quia *fieri pertinet ad ipſam rem ſecundùm quod eſt in ſe; prædeſtinari autem pertinet ad aliquem ſecundùm quod eſt in apprehenſione alicujus præordinantis. Id autem quod ſubeſt alicui formæ vel naturæ ſecundùm rem poteſt apprehendi vel prout eſt ſub forma illa, vel etiam abſolutè, & quia abſolutè non convenit perſonæ Chriſti quòd inceperit eſſe Filius Dei, convenit autem ei ſecundùm quod intelligitur, vel apprehenditur ut in natura humana exiſtens, quia ſcilicet hoc aliquando incepit eſſe, quòd in natura humana exiſtens eſſet Filius Dei; ideo magis eſt hæc vera, Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei, quàm iſta, Chriſtus eſt factus Filius Dei.* Itaque unitas perſonæ impedit quidem Chriſtum eſſe factum Filium Dei, ſed non prædeſtinatum eſſe Filium Dei; quia eſſe factum convenit perſonæ ſecundùm quod eſt à parte rei, ſic autem perſona Chriſti non eſt facta Filius Dei, quamvis illud complexum, *Factum eſt ut Chriſtus homo ſit Filius Dei*, non neget D. Th. At verò eſſe prædeſtinatum convenit alicui ſecundùm quod eſt in mente præordinantis, qui poteſt rem cum præciſione apprehendere, & ſecundùm aliquam rationem attribuere aliquid; & ſic Deus præordinavit, & decrevit Chriſtum ut hominem, ſeu ſecundùm humanitatem evehi ad filiationem naturalem. Unde D. Thom. art. 2. ad 2. *Dicitur convenire aliquid alicui ratione humanæ naturæ, cujus humana natura eſt ſuſceptiva, & ſic dicimus Chriſtum eſſe prædeſtinatum ratione humanæ naturæ, quia prædeſtinatio refertur ad exaltationem humanæ naturæ in ipſo.* Vides D. Thomam ſeipſum interpretari, & quo ſenſu velit Chriſtum dici prædeſtinatum Filium Dei. Certè ſuſpicor in hac materia multùm eſſe diſſidii de ſolo nomine.

Urgebis: Ergo meliùs diceretur humanitatem eſſe prædeſtinatam ad hoc ut uniatur Filio Dei in unitate perſonæ, quàm quòd Chriſtus ſit prædeſtinatus Filius Dei.

Reſpondeo cum D. Thom. *art. 1. ad 2.* non ſolùm id non meliùs dici, ſed non poſſe dici, aliàs loquutio Apoſtoli eſſet impropria propter duo: primò quidem ratione communi; non enim dicimus naturam alicujus prædeſtinari, ſed ejus ſuppoſitum; quia prædeſtinari eſt dirigi in ſalutem, quod quidem

..m eſt ſuppoſiti agentis propter beatitudinis fi-
..m. Secundò ratione ſpeciali, quia eſſe Filium Dei
..n convenit humanæ naturæ; eſt enim hæc falſa,
humana natura eſt Filius Dei. Quare ſolùm dici po-
..ſt, Chriſtum ut hominem eſſe prædeſtinatum Fi-
..um Dei; imo abſolutè, & ſine addito poteſt dici
..ædeſtinatus Filius Dei.

Pro quo obſerva, quòd licèt quando prædica-
..m natum eſt convenire ſubjecto ſecundùm ſe to-
..m, ſi conveniat ſolùm parti, tunc non prædicetur
.. illo abſolutè, ſed cum reſtrictione; ſicut quia al-
..do poteſt convenire toti corpori, Æthiops, qui
..t albus ſecundùm dentes tantum, non dicitur al-
..s ſimpliciter, ſed ſecundùm dentes: tamen quan-
.. prædicatum non poteſt convenire, niſi ſecun-
..ùm unam partem, tunc poteſt prædicari de illo
..ſolutè: ſic quia criſpitudo non poteſt convenire
..omini, niſi ſecundùm capillos, nec claudicatio ni-
.. ſecundùm tibiam, homo abſolutè dicitur criſpus,
..el claudus. Similiter in propoſito, quia prædeſti-
..atio non poteſt convenire Chriſto, niſi ſecun-
..ùm humanam naturam, ideo Chriſtus dici poteſt
..mpliciter prædeſtinatus Filius Dei, quamvis
..ſſe prædeſtinatum ei conveniat ratione naturæ
..umanæ, quæ nullis præcedentibus meritis exalta-
..a eſt ad eſſe perſonale Verbi.

Inſiſtes: Si ideo Chriſtus ut homo prædeſtinatus
..ſt Filius Dei, quia exiſtens in natura humana, fuit
..er hanc unionem Filius Dei, poſſet etiam dici,
..hriſtum eſſe prædeſtinatum, ut ſit Filius hominis;
..am per unionem illam factum eſt etiam, ut exi-
..ſtens in Divinitate ſit Filius hominis. Conſequens
..on admittitur: Ergo nec antecedens.

Reſpondeo, eſſe diſcrimen, quia ut rectè ait D.
..h. art. 2. ad 3. *Gratia non eſt facta Filio Dei, ut eſſet
homo, ſed potiùs humana natura, ut Filio Dei unire-
tur; unde magis propriè poteſt dici, quòd Chriſtus ſe-
cundùm quod homo eſt prædeſtinatus eſſe Filius Dei,
quàm quòd Chriſtus ſecundùm quod eſt Filius Dei, ſit
prædeſtinatus eſſe homo.* Cui brevi, ſed clariſſimæ
..lutioni nihil addi poteſt.

R e f l e x i o.

Chriſtus prædeſtinatus eſt, ut ſit Filius Dei per
..aturam; & tu, Lector, ad hoc vocatus es, ut ſis filius
..er gratiam, frater Chriſti, & hæres Dei. Fit autem
..ſt.. ilius Dei & frater Chriſti, non ſolùm quia
..nem habet, quæ, ut lepidè ait Tertull. *lib. de re-
ſurrect. carn. c. 9.* à tempore Incarnationis, *ſoror
Chriſti eſt*: ſed eâ potiſſimùm causâ, quòd Chriſto
..er fidem dilectione operantem intimè connecta-
..r. Hic unicus totius incarnati Verbi œconomiæ
.. pus, *ut filii Dei nominemur, & ſimus*: ut Domi-
..s mutetur in Patrem, qui velit charitate magis,
..àm poteſtate regnare. *Si te Cæſar adoptaſſet* (in-
..uit egregiè Lipſius) *quis ſupercilium tuum ferret?
Nunc, cùm filius Dei ſis, non te æſtimas, & attollis?*
..uid eſt homo? Quid eſt Deus? Homo ſecundùm
..brahamum eſt terra & cinis, ſecundùm Iſaiam
..fœnum, ſecundùm Jobum velut umbra, ſecundùm
..alomonem vanitas, ſecundùm Davidem univerſa
..anitas, ſecundùm Paulum infelicitas. Deus eſt,
..ui eſt pelagus eſſendi infinitum, cujus magnitu-
..inis non eſt finis: & tamen ille pater voluit eſſe
..ſervorum, ut intelligeremus, quòd quanta eſt ge-
..nerantis affectio, tanta ipſius eſt in nos propenſio.
..uæ gratiarum actio huic beneficio par inveniri
..oteſt? Quæ vox? Quæ ſententia? Quis cogitatio-
..is motus, quibus immenſum beneficium celebre-
..ur: Sed quàm ingens hinc ſpei noſtræ robur accen-
..itur? Nam *ſi vos*, (inquit Veritas Matt. 7. *cùm ſitis
mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis
Pater veſter, qui in cœlis eſt, dabit bona petentibus
ſe?* Et Joan. 15. *Si quid petieritis Patrem in nomine
meo, dabit vobis : : : : Ipſe enim Pater amat vos, quia
vos me amaſtis.* Hanc Patris ſuaviſſimam indolem
benè noverat Prodigus, qui quamvis filii nomine
ſe indignum planè agnoſceret, non dubitavit ta-
men patris nomenclaturam uſurpare, dum intra ſe
dicebat: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Ubi aureè
Chryſol. ſer. 2. *Quaſpe, qua fiducia, qua confidentia?
Quaſpe? illâ, qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filii?
ille quod patris eſt non amiſit. Apud patrem non inter-
cedit extraneus: intus eſt in patris pectore, qui inter-
venit & exorat affectus. Urgentur patris viſcera, ite-
rum filium genitura per veniam; & ſententiam citò
vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire.*

Cave tamen, Lector, ne hac paterna indulgen-
tia abutaris. *Certum eſt enim*, (inquit Zeno Veron.
ſerm. 1. de Iſai.) *in eum filium poſteaquam deliquit,
graviter vindicari, quem pater plurimo dilexit affe-
ctu: & quantam pietatem dilecto filio amatus pater
exhibuit, tantam læſus exigit ultionem; quia cùm vi-
cem non reddidit patri dilectus filius, dignam ſenten-
tiam percipit abdicatus.* Quid autem opus ſit, ut ve-
ti filii Dei reapſe ſimus, tangemus in ultima hujus
capitis reflexione.

S p e c u l a t i o II.

*Prædeſtinatio Chriſti eſt ita gratuita, ut Incarnatio
non potuerit cadere ſub merito Chriſti, nec Sancto-
rum; aliter tamen, & aliter.*

Hanc poſitionem perſpicuè tradit Aug. *lib. de
correpṫ. & grat. c. 11.* dicens: *Iſta nativitas profe-
ctò gratuita conjunxit in unitate perſonæ hominem
Deo, carnem Verbo: iſtam nativitatem bona opera ſe-
quuta ſunt, non bona opera meruerunt.* Et *lib. de præ-
deſt. SS. c. 17.* ſic. *Eſt præclariſſimum lumen prædeſtina-
tionis & gratiæ ipſe Salvator Chriſtus Jeſus, qui ut hoc
eſſet, quibus tandem ſuis vel operũ vel fidei præceden-
tib⁹ meritis natura humana quæ in illo eſt, cõparavit?
Quid egit antè, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc
ineffabilẽ excellentiã perveniret?* Quaſi diceret, nihil.

Probatur: Prædeſtinatio Chriſti nulla ſupponit
merita prævila Chriſti, ſi Incarnatio non poſſit ca-
dere ſub merito Chriſti: Sed Incarnatio non poteſt
cadere ſub merito Chriſti: Ergo nulla ſupponit præ-
viſa merita. Major eſt evidens; non enim poteſt
Deus decernere facere aliquid propter merita ali-
cujus, qui illud mereri non poteſt. Minor verò pro-
batur: Implicat principium effectivum meriti de
condigno cadere ſub merito, aliàs meritum eſſet
cauſa ſui, & ſimul effectus in eodem genere cauſæ
meritoriæ: ex quo principio docent omnes Catho-
lici contra Pelagianos, prædeſtinationem ad pri-
mam gratiam non eſſe ex prævíſis meritis, quia pri-
ma gratia non poteſt cadere ſub merito; ideo verò
non poteſt cadere ſub merito, quia eſt principium
& radix meriti, nec poteſt eſſe effectus ante princi-
pium, nec fructus ante radicem, nec fluvius ante
fontem. Atqui incarnatio eſt principium omnis me-
riti in Chriſto; nam omnes operationes Chriſti ideo
intelliguntur meritoriæ, quia procedunt à ſuppo-
ſito divino humanitati unito, à quo valorem hau-
riunt & dignitatem. Ergo Incarnatio non poteſt
cadere ſub merito Chriſti.

Confirmatur, & explicatur. Licèt Deus priùs præ-
viderit futura Chriſti merita, quàm Incarnatio fue-
rit executioni mandata; tamen Deus hujuſmodi
merita non prævidit, niſi præhabito decreto de In-
carnatione futura, cùm tota futurorum meritorum
efficacia ab Incarnatione fluat. Ergo priùs naturâ
Deus prævidit futuritionem Incarnationis, quàm
futuritionem meritorum, quia Deus nihil prævidet
fotu-

futurum, niſi in decreto; & priùs decrevit incarnationem, quàm merita, ſicut & generaliter priùs naturâ decernitur cauſa quàm effectus. Ergo impoſſibile eſt, merita Chriſti intelligi ut futura antecedēter ad decretum de exequutione Incarnationis; ſicut impoſſibile eſt intelligere effectum fluxurum ab aliqua cauſa, niſi ſuppoſita futuritione cauſæ talis effectus: Sed cauſa omnium meritorum Chriſti eſt ipſa Incarnatio: Ergo Deus non potuit prævidere ulla merita Chriſti futura, niſi ſuppoſito decreto de ponenda Incarnatione; & conſequenter decretum Incarnationis non poteſt ſupponere prævisionem meritorum, ſed ad illam omninò ſupponitur.

Confirmatur & roboratur ampliùs. Repugnat cauſam ſubſequi effectus ſuos à ſe productos. Ex qua doctrina in materia de prædeſtinatione (conſentiente ipſo Suare, qui hîc nobis adverſatur) merita prævisa hominum non poſſunt movere Deum ad prædeſtinationem gloriæ eorum; quia merita ſunt potiùs effectus prædeſtinationis, & ſic futuritio meritorum ſupponit prædeſtinationem, quâ præparatur gratia inferens merita. Atqui Chriſtus futurus eſt cauſa valoris meritorum futurorum: Ergo decretum de ponendo Chriſto non fundatur in meritis, ſed ea fundat, & conſequenter non potuit Deus priùs velle merita Chriſti quàm Incarnationem, ex qua tota eorum efficacia derivatur.

Dices: Merita Chriſti prævisa præcedunt tota æternitate executionem Incarnationis: ergo merita illa ut prævisa potuerunt movere Deum, ſi non ad intentionem, ſaltem ad exequutionē Incarnationis.

Reſpondeo, merita ut prævisa præcedere exequutionem Incarnationis ut exercitam & in tempore factam, ſed non ut exercendam, & à Deo decretam; ita ut decretum de Incarnatione ponenda & exequutioni mandanda fuerit poſterius prævisione meritorum. Sicut licèt merita prævisa juſti cujuſvis præcedant tota æternitate collationem primæ gratiæ; quia tamen decretum de impertienda prima gratia non ſupponit prævisionem ullius meriti, ideo merita ut prævisa non movent Deum ad dandam primam gratiam, quæ eſt meriti omnis origo, non ſolùm ut intenta, ſed etiā ut exequutioni mandata.

Urgebis: In humanis ſæpè ſæpiùs præmium meriti datur ante ipſum meritum anticipata ſolutione in ſtipendium & mercedem futuri laboris & meriti, ut cùm Dux tradit militi arma vel equum in præmium futuræ pugnæ: quidni ſimiliter poterit Deus conferre humanitati unionem hypoſtaticam, & homini primam gratiam intuitu futurorum meritorum?

Reſpondeo, eſſe manifeſtam differentiam: tum quia præmia ab hominibus collata, non ſunt cauſa meriti, v. g. arma militi conceſſa non ſunt principium meritorum militis, ſed induſtria, & ſtrenuus vigor armis generosè utens; unde nihil mirum, ſi arma priùs data laboribus ſuis promereatur. At verò merita Chriſti unicè pendent ab unionè hypoſtatica ipſis condignitatem diffundente; & ſimiliter merita Sanctorum à prima gratia veluti à primo fonte derivantur. *Omne bonum opus hominis,* (inquit S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 5.) *procedit à prima gratia, ſicut à principio, non autem procedit à quocumque humano dono; ideo non eſt ſimilis ratio de dono gratiæ, & de dono humano.* Tum etiam, quia in humanis arma, aliaque dona anticipatâ ſolutione collata vel dantur ſimpliciter, & ſic non cadunt poſtea ſub merito; nam ut ait idem S. Doct. q. 29. de verit. art. 6. *Non poteſt eſſe, quòd aliquis mereatur, quod jam habet. Quòd autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino ſuo ſerviat, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti.* Vel dantur ſolùm appoſitâ conditione, ut ſi benè egerit, ſaciet illa ſua: & ſic exemplum non eſt ad propoſitum, quia unio hypoſtatica ſimpliciter & ſine ulla conditione humanitati eſt collata.

Conſectaria momentoſa.

Ex dictis ſequitur primò, Chriſtum non potuiſſe mereri de congruo ſuam Incarnationem, quia meritum de congruo non conſiſtit in alio, quàm in precibus amici ad amicum, fundaturque in legibus amicitiæ, juxta quas congruum eſt, ut amicus amicum juſta petentem exaudiat: Chriſtus autem non potuit unionem, quam ſemper habuit, poſtulare.

Sequitur ſecundò, Chriſtum non meruiſſe reunionem ſuæ humanitatis ad Verbum factam in reſurrectione, ut quidam volunt; nam partes humanitatis remanſerunt ſemper unitæ Verbo: & cum totum non ſit aliqua entitas diſtincta à partibus ſimul ſumptis, per reſurrectionem non eſt facta de novo unio hypoſtatica, ſed ſolùm unio inter animam & corpus, quâ ſolâ poſitâ vera fuit & integra humanitas, & per unionem ſuarum partium ſimul ſumptarum, à quibus non diſtinguitur, fuit unita cum Verbo. Unde meruit quidem Chriſtus reunionem corporis cum anima, ſed non reunionem hypoſtaticam, quæ non fuit diſſoluta.

Sequitur tertiò, Chriſtum non meruiſſe continuationem ſuæ unionis non ſolùm activè ſumptæ pro actione Dei conſervantis, quia actio increata non poteſt cadere ſub merito; ſed nec paſſivè acceptæ ex parte humanitatis, quia hæc continuatio eſt eadem unio ut primò producta; non enim conſervatur ad earum rerum modum, quarum manutenentia indiget novâ aliquâ additione partium, motus, vel auxilii alicujus; ſed eadem omninò permanet, utpote prorſus immutabilis, & longè permanentior quàm ſit ſubſtantia Angeli, vel viſio beata; & tamen iſtæ ſemel productæ non continuantur propter meritum, ſed ex natura ſua.

Dices: Chriſtus meruit extenſionem unionis cum partibus materiæ quotidie acquiſitis, ſubindeque hujus unionis continuationem; nihil enim aſſignari poteſt quod obſit tali merito, cùm talis extenſio non ſit principium meriti, nec repugnet illud idem quod titulo connaturalitatis debetur, titulo etiam meriti comparari, ut dicemus infrà de gloria corporis. Ergo ſimiliter potuit Chriſtus mereri continuatione ſuæ unionis. Probatur conſequentia: Ideo extenſio ad novam materiam poteſt cadere ſub merito, quia eſt poſterior merito Chriſti, quod cœpit in primo inſtanti: Atqui ſimiliter continuatio unionis eſt poſterior merito Chriſti: Ergo continuationem potuit pariter promereri.

Reſpondeo, antecedens non eſſe omninò certum, quia extenſio unionis ad novas partes materiæ eſt eadem formaliter unio hypoſtatica, licèt materialiter, ſicut partes, quas ſucceſſivè informat anima, faciunt idem formaliter compoſitum, tametſi materialiter diverſum. Sed hoc dato, neganda eſt paritas, & conſequentia; quia continuatio unionis primò factæ non eſt formaliter & ſecundùm propriam durationem poſterior merito, quia menſuratur æternitate participata, quæ habet durationem omninò immobilem & permanentem: ſolùm ergo virtualiter & per correſpondentiam ad tempus noſtrum eſt merito poſterior. At verò hæc nova extenſio ad novas partes fiebat quotidie, ſicut & ipſa nutritio. Ex quibus etiam facilè reſolves, an Chriſtus meruerit circumſtantias Incarnationis; ſi enim præcedunt, vel comitantur unionem, atque

ſe

tenent ex parte principii meriti, utique non poterunt merito obtineri: quæ tamen ſubſequutæ ſunt, quæque principium meriti ſupponunt, meritis Chriſti tributæ ſunt.

Sequitur quartò, SS. Patres veteris Teſtamenti Incarnationem de condigno mereri minimè potuiſſe. Probatur, quia ordo hypoſtaticus includens intrinſecè perſonam divini Verbi, eſt ita eminens, ut omnium meritorum condignitatem infinito excedat intervallo: Ergo nequit illum promereri, niſi meritum infinitum, quali carent Sancti quibuslibet gratiarum donis referti. Quare gratia ſanctificans poteſt duntaxat vel ſui augmentum, vel gloriam obtinere, cùm ſit fons aquæ ſalientis in vitam æternam; ſed illos terminos tranſilire nequaquã poteſt, ut ſibi facere debitam hanc unionẽ, cujus ſublimitas longè magis excedit opera gratiæ creatæ, quàm ſuus ordo gratiæ totum naturæ ordinem ſuperexcedat; ſiquidem diſtantia inter ordinem gratiæ & naturæ quãlibet magna, finitis tamen terminis circumſcribitur. At ſubſiſtentia Verbi divini, quam involvit ordo hypoſtaticus, omni gratiâ creatâ & ... tanto antecellit, quanto Deus creaturam infinitum inferiorem relinquit. Unde ſacræ litteræ paſſim inculcant, Deum eſſe incarnatũ *propter nimiam charitatem, quã dilexit nos*, ut dicitur ad Epheſ.2. *Et non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam*, ad Tit.3.

Dices: Patres operibus ſuis bonis meruerunt de condigno apertionem regni cæleſtis, aliàs non meruiſſent gloriam: Sed regnum cælorum non aperitur, niſi per Chriſtum: Ergo meruerunt adventum Chriſti, aperientis januam cælorum clauſam.

Reſpondeo in primis, Patres illam apertionem non meruiſſe, quia eſt bonum comũne toti generi humano, quod excedit in valore opera à particularibus elicita, ſolùmque correſpondere poteſt meritis Chriſti, qui eſt caput Eccleſię. Potuerunt quidem removere impedimenta ſe tenẽtia ex parte ſui, non tamen impedimentum ſe tenens ex parte naturæ peccato originali infectæ, indignæ introitus regni cælorum. Unde nemo ingrederetur in cælum, niſi ille aperuiſſet, qui deſcendit de cælo, ſecundùm illud: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo*; id eſt, niſi ſit membrum filii hominis, ſub qua ratione cum Filio hominis computatur, ut exponit Auguſt. Sed utut ſit de hoc, non propterea meruiſſent de condigno Incarnationem, etſi apertionem mereri potuiſſent; nam apertio illa non excedit proportionem meritorum ex gratia, ſicut nec ipſa gloria; unde ſi Deus voluiſſet, illam mereri potuiſſent. At unio hypoſtatica meritum omnis creaturæ immensùm excedit.

Sequitur quintò, Patres de congruo Incarnationem mereri potuiſſe. Ratio eſt, quia Patres ſuis inſtantibus precibus, & ferventiſſimis ſuſpiriis petebant beneficium divinæ Incarnationis: congruum autem erat, ut Deus preces amicorum ſibi obedientium exaudiret; unde dicitur Pſal.11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari.* Et Iſai.19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſalvatorem, qui liberet eos.* Et *Geneſ.*22. Abrahamo ob insignem obedientiam dictum eſt: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Quæ benedictio in Incarnatione effectum ſortita eſt.

Confirmatur ex differentia, quæ eſt inter merita Chriſti & merita ſanctorum Patrum. Merita Chriſti ſunt poſteriora ipſa Incarnatione; unde ipſam obtinere minimè potuerunt: merita verò Patrum præceſſerunt Incarnationis exequutionem: Ergo illam à Deo poſtulare, & impetrare potuerunt. Et licèt Deus antè prævisa merita Sanctorum diſpoſuerit in ſuo æterno conſilio Incarnationem cum omnibus circumſtantiis loci & temporis; tamen in exequutione voluit illius exequutionem Sanctorum meritis, lacrymis, & precibus concedere. Sicut Rex apud ſe ſtatuens, vitam reo morti addicto ex gratia condonare, tamen in honorem amicorum ſuorum diſponit, ut gratiam illam à ſe petant, & ad eorum petitionem, quod ſtatuerat, exequitur: ſic Deus Incarnationem æterno conſilio præſinitam, per orationes Sanctorum exequutioni tradidit.

Dices: Principium meriti non poteſt cadere ſub merito, ut toties diximus, & inde deduximus, Chriſtum non potuiſſe mereri Incarnationem, nec juſtos primam gratiam: Sed Incarnatio fuit principium omnis meriti ſanctorum Patrum; opera enim meritoria illorum erant ex gratia collata ex meritis Chriſti incarnandi: Ergo Incarnationem non potuerunt mereri ſancti Patres etiam de congruo.

Reſpondeo, principium meriti non poſſe cadere ſub merito, ſub ea ratione, qua eſt principium meriti, ſed ſub alia. Incarnatio autem eſt principium meriti Patrum, ut prævisa, & ſic eam non meruerunt Patres: non eſt verò principium ut exequuta, quia ſic eſt poſterior meritis & precibus Sanctorum, unde ſub ea ratione potuerunt Patres eam de congruo mereri, ſicut & circumſtantias loci, temporis, accelerationis, & ſic de aliis. Quid autem dicendum ſit de Beatiſſima Virgine, à fortiori credendum eſt, illam Incarnationem de congruo promeruiſſe, ſed de his fortè, diſſertatione ultima ſermo redibit.

R e f l e x i o.

Verè multi Doctores orationem vocant *ſupplicem omnipotentiam*; quid enim eſt quod non impetret oratio, quę Dei ipſius Incarnationem conſequuta eſt? Hæc unio tam mirabiliter ſingularis, tam ſingulariter mirabilis, quam Scriptura antonomaſticè vocat opus Dei, Habacuch 3. *Domine opus tuum*, & quæ tot rationibus merita excedebat & vota, ut enim ait Chryſ. ſerm. de Aſcenſ. *Nobis pax miranda donata eſt, qua nunquam ſperabatur poſſe concedi.* Denique quæ nullâ creatâ actione attingi potuit, ut aliàs vidimus, lacrymis, precibuſque effecta eſt. Quærendo igitur, petendo, pulſando inſiſtamus, & non deficiamus; nam qui Verbum precibus dedit, quomodo non cum ipſo nobis alia donabit? Sed non mirum, ſi nihil obtineamus, qui beneficium Incarnationis ad quod Patres noſtri tantoperè anhelarunt, adeo frigidè recolimus. *Ardorem deſiderii Patrum* (ait Bern. ſerm.11 in Cant.) *ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſimè cogitans compungor, & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis, torporiſque miſerabilium temporum horum: cui namque noſtrûm tantum ingerat gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum veteribus Sanctis accenderat deſiderium promiſſio?*

S p e c u l a t i o III.

Prædeſtinatio Chriſti uſque adeo cauſa eſt noſtræ prædeſtinationis, ut merita Chriſti ſint cauſa noſtræ prædeſtinationis.

INtelligitur hæc aſſertio de prædeſtinatione, non prout eſt actus Dei; nullus enim eſt ita inſanus, ut loquitur D.Thom. 1.*p.q.*23.*art.*5. ut dicat actum divinum cauſari ab alio; ſed intelligitur de prædeſtinatione ex parte objecti, eo planè modo, quo primo tomo diximus prædeſtinationem gratuitam non habere pro cauſa motiva merita noſtra: ita in præſenti dicimus Deum non fuiſſe permotum ad præ-

prædeſtinandos homines, niſi prævisis meritis Chriſti, propter quem aliquos elegit, aliis juſto judicio relictis. Unde licèt motivum ultimum prædeſtinationis Sanctorum ſit gloria Dei manifeſtanda, miſericordia declaranda, aliaque attributa illuſtranda; tamen motivum proximum prędeſtinationis eorum eſt gloria & merita Chriſti, ſine quibus nullum prorſus ad gloriam prædeſtinaſſet, ſed omnes in maſſa perditionis reliquiſſet.

Sic clarè explicata ſpeculatio apertè traditur in Scripturis, Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Igitur ſine ipſo nos non elegiſſet. Hebr. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per mortem conſummare.* Ergo per ipſum, & propter ipſum in gloriam multos filios adducere ſtatuit. Et hac de cauſa Chriſtus ſibi Sanctorum electionem tribuit. Joan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Et iterum: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt?* Loqui autem Chriſtum non ſolùm de electione ad apoſtolatum, ſed etiam ad gloriam, clarè ſignificat Auguſt. de corrept. & grat. c. 7. *Cùm audimus, nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt, illos debemus intelligere electos per miſericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum ſuum, illum ad effundendum ſanguinem ſuum.*

Ratio verò inconcuſſa hujus veritatis corollariè deducitur ex dictis de motivo Incarnationis: Chriſtus non eſt prædeſtinatus, niſi ut Redemptor, ita ut peccato non exiſtente, Verbum minimè incarnatum eſſet. Atqui ſi independenter à meritis Chriſti prævisis, Sancti fuiſſent ad gloriam prædeſtinati, Chriſtus non fuiſſet prædeſtinatus ut Redemptor, nec ad hoc officium implendum Chriſtus veniſſet: Ergo prædeſtinatio Sanctorum ſupponit pro motivo merita Chriſti prævisa. Major eſt articulus, ſi non fidei, ſaltem doctrinæ Thomiſticæ. Minor verò probatur: Si independenter à meritis, & præviâ Chriſti prædeſtinatione, Sancti ſunt prædeſtinati ad gloriam decreto efficaci, quod fruſtrari non poteſt: Ergo æquè benè conſequerētur homines gloriam ex vi efficacis prędeſtinationis effectum ſuum ſortituræ, tametſi Chriſtus non veniſſet: Ergo ad implendum Salvatoris & Redemptoris officium, fruſtra Chriſtus prædeſtinatus eſſet: Ergo gratìs Chriſtus mortuus eſt, ſi prædeſtinatio efficaciter decreverat perducere ad gloriam, non in vi ſanguinis Chriſti, ſed independenter ab ejus effuſione.

Confirmatur: Ea quæ ex merâ divina voluntate pendent, non poſſunt nobis aliter innoteſcere, quàm per revelationem, vel per effectus; Deo enim, qui fallere, fallive non poteſt, credendum eſt; & dum videmus aliquid effectū, ſignum eſt, Deum ita voluiſſe, ſine cujus voluntate nihil fit. Atqui non ſolùm Scriptura inculcat, Deum nos in Chriſto elegiſſe, ſed etiam omnes effectus prædeſtinationis à primo ad ultimum Chriſto tanquam cauſæ aſſerit verbis luce meridiana clarioribus. Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Act. 4. *Non eſt aliud nomen datum ſub cælo, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Apocal. 5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum;* & alibi paſſim: unde quædam anima pia memoriam abundantiæ Paſſionis Chriſti eructans, dicebat: *Nolo ſalutem, niſi Chriſti ſanguine tinctam: omnis mihi gratia ſuſpecta eſt, quæ non fluxerit de fontibus Salvatoris.* Ergo merita Chriſti prædeſtinati & prævisi ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Dices: Cauſa totalis prædeſtinationis Sanctorum non eſt voluntas humana Chriſti, ſed ſola divina, ad quam Patres totam hujus profundiſſimi myſterii altitudinem referunt: imò ipſamet Veritas idipſum *Matth.* 11. affirmabat: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Ergo dum extollere conamur gratiam Chriſti, evacuamus gratuitam prædeſtinationem, quæ nulla prorſus merita præſupponit, aliàs gratuita non erit, militabuntque contra nos illæ rationum copiæ, quas in materia de prædeſtinatione inſtruximus.

Reſpondeo gratuitam Sanctorum prædeſtinationem nullatenus hac noſtra doctrina imminui, ſed firmari. Tum quia dum Patres & meliores Theologi excludunt prævisionem meritorum à prædeſtinatione hominum, loquuntur de meritis noſtris, non de meritis Chriſti, quos potiùs noſtra prædeſtinatio, utpote redemptiva, neceſſariò præſupponit. Tum quia licèt Deus meritis & voluntati Chriſti reliquerit deſignationem prædeſtinatorum in ſpeciali, ſicque illos ſolos prædeſtinarit, pro quibus Chriſtum rogaturum prævidit; tamen voluntas humana Chriſti dependebat à divina ut movente & regulante: unde quòd Chriſtus potiùs illos, quàm alios à Patre poſtularit, ſupponit voluntatem divinam diligentem, & moventem ad petendum unum præ alio; ſubindeque totum prædeſtinationis negotium primordialiter reducitur in divinæ beneplacitum voluntatis, tanquam in radicem, & ut loquitur Bern. *cauſam cauſaliſſimam.*

Inſtabis: Prædeſtinati dati ſunt Chriſto à Patre, ut ipſemet teſtatur Joan. 17. *Tui erant, & mihi eos dediſti.* Ergo antecedenter ad merita voluntatis Chriſti prævisæ Sancti erant electi.

Reſpondeo, Patrem tradidiſſe Chriſto in tempore per exequutionem, quos ab æterno in ipſo elegerat per prædeſtinationem. Veridicè tamen aſſerebat Chriſtus, *tui erant*, quantum ad voluntatem primordialem, diligentem & primò motricem voluntatis humanæ Chriſti, eamque applicantem ad eligendos illos præ aliis. *Et tu mihi eos dediſti*, movendo actu voluntatem meam ad hos præ aliis oblato meritorum meorum infinito pretio poſtulandos: & quamvis vellem omnium ſalutem efficaciter poſtulare; tamē *non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi*; id eſt, non peto efficaciter ſalutem totius mundi (quamvis ſufficiens pro omnibus pretium ſinceriſſimè offeram) ſed eorum ſolùm, ad quos determinas voluntatem meam, ut pro ipſis *ſanctificem meipſum*, id eſt, tradam corpus meum in ſacrificium, & hoſtiam ſanctam. Quæ quidem oratio explicitè gloriam electis poſtulabat, ſubdit enim Veritas: *Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.*

Urgebis: Effectus prædeſtinationis non eſt cauſa prædeſtinationis: Sed incarnatio, & merita Chriſti ſunt effectus noſtræ prædeſtinationis, cùm potiſſimùm illa ſint, quæ nos perducunt ad vitam æternam: Ergo merita Chriſti prævisa non ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Reſpondeo, merita Chriſti conducere ad gloriam, non ſicut media ad ipſam præamatam ordinata, ſed tanquam cauſam influentem gratiam & gloriam, cujus intentionem infert, non ſupponit, cùm Apoſtolus atteſtetur, quòd Deus *benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in CHRISTO*; & quòd *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Chriſtum in ipſum,*

tanquam

tanquam finem. Ad rationem autem medii propriè dicti requiritur non ſolùm quod permoveat ad finem [aliàs Deus, qui eſt primus motor attingens à fine uſque ad finem, eſſet medium, quod inſulſum eſt.) Sed requiritur quod ducat ad finem ex prævio amore finis.

Inſiſtes: Chriſtus venit propter nos homines, & ſalvare quod perierat, ita ut non veniſſet niſi priùs nos Deus ſalvare voluiſſet, ut ſuprà latè oſtendimus; Ergo Deus priùs nobis voluit dare gloriam & ſalutem quàm Chriſto; ſiquidem ex voluntate illius dandæ miſit Chriſtum: Ergo non propter merita Chriſti voluit nobis Deus gloriam, ſed propter gloriam nobis volitam voluit merita Chriſti, quæ proinde habent rationem veri medii, non cauſæ prædeſtinationis noſtræ.

Reſpondeo, hanc inſtantiam ex dictis ſuprà *diſſert.2.c.2.* manere contritam. Licet enim Deus priùs voluntate antecedenti voluerit ſalutem hominum, quàm Incarnationem, quam non decrevit niſi ex prævia illa voluntate antecedenti ſalvandi, & redimendi omnes, tamen voluntate conſequenti & efficaci prius voluit gloriam Chriſti Redemptoris, quàm determinarit in particulari hunc vel illum eſſe ſalvandum, ut videre poteris in illa dearticulata ſignorum divinæ voluntatis diſtinctione ibi accuratè expoſita: & ratio id convincit, quia homines non ſunt prædeſtinati, niſi ut ſint conformes imagini Filii Dei, ſintque viva Chriſti capitis membra; priùs autem prædeſtinatur archetypus, quàm apographum; priùs originale, quàm tranſumptum; priùs caput, quàm membra.

Ex quibus etiam elici poteſt diſtinctio, qua te ab omnibus ſophiſmatis expeditiſſimè, & juxtà ſoliſſimè liberabis, ſi dicas Chriſtum eſſe medium & finem ſalutis humanæ ſub diverſa ratione; medium ſalutis volitæ per voluntatem antecedentem, ex amore enim ſolius ſalutis hominum Verbum miſſum & incarnatum eſt; finem verò ſalutis volitæ & determinatæ per voluntatem conſequentem, quia ſalutem quam Deus antecedenter omnibus vult, utique non omnibus conferre decrevit, ſed illis duntaxat, quibus applicanda Chriſti merita ordinavit & pro quibus Chriſtum rogaturum præſcivit, cujus gloriæ illuſtrandæ, ampliandæque omnia Pater ſubordinavit. Unde Trident. *ſeſſ.6.c.7*, definit cauſam finalem noſtræ juſtificationis eſſe gloriam Dei & Chriſti, qui eſt prædeſtinationis noſtræ cauſa, & finalis, juxta illud 1. Cor. 3 *Vos autem Chriſti*; & exemplaris, ſecundùm illud Auguſt. aliàs laudati: *Eſt præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratia Chriſtus Jeſus*; & illud Apoſt. Rom. 8. *Quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*; & efficiens moralis, quia merita Chriſti divinæ miſericordiæ oblata, viſcera ejus commoverunt ad certiſſimè liberandum quicumque liberantur. Anathema ergo ſit, ô Domine Jeſu, qui te non amat, qui tibi non agglutinatur; nam ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, à qua dum præſcinditur areſcit: ſic nos nullum prædeſtinationis feremus fructum, niſi in te manſerimus. Juſtum eſt, ut tibi tota noſtrorum, ſi qui ſunt, triumphorum referatur gloria; palmaſque ante pedes tuos proni mittamus. Tu ſolus dignus accipere laudem, & gloriam, & honorem, qui pro ſalute noſtra, & tam multa feciſti, & tam dura pertuliſti. Hoc unicè à te rogamus, quod olim à Diſcipulis poſtulabas: Mane in nobis, & nos in te: tui nobis infunde amorem, qui nobis ſanguinem tuum non denegaſti: non eſt tibi difficilius fundere gratiam, quàm cruorem, Si tu pro nobis, quis contra nos? Si tu contra nos, actum eſt de ſalute noſtra. Parce, pie Lector, huic digreſſioni, à qua certè non potui calamum temperare.

Perſiſtes; Prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis: Ergo ſicut prædeſtinatio Chriſti nulla prorſus ſupponit merita prævisa, ita nec prædeſtinatio noſtra.

Reſpondeo, eatenus prædeſtinationem Chriſti eſſe exemplar prædeſtinationis Sanctorum, quatenus ſicut Chriſtus homo deſtinatus eſt ad filiationem Dei naturalem ſine ulla prorſus præviſione meritorum Chriſti, quæ non potuerunt intelligi præcedere, ſed ſubſequi Incarnationem: ita prædeſtinatio Sanctorum ad gloriam nulla eorum perſonalia merita pro motivo vel conditione ſupponit, ut omnia privata merita conticeſcant, ſicut loquitur Auguſt. Secundò, ideo prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar prædeſtinationis Sanctorum, quia illi debent Chriſto prædeſtinatorum capiti, primogenito in multis fratribus conformari, ut ſtatim ſequenti reflexione ponderabo; non verò in hoc, quod ſicut Chriſtus prædeſtinatus eſt ſine alterius meritis, ita & noſtra: nam hoc ipſo, quod nos ſumus prædeſtinati per Chriſtum, ipſe non debuit prædeſtinari per alium, aliàs daretur proceſſus in infinitum; in unoquoque enim genere debet dari unum primum, quod ſit cauſa cæterorum.

REFLEXIO.

Eruditè obſervavit alicubi Hiſpanorum Theologorum decus Magiſter Herrera, quod ſicut Deus eſt omnium creaturarum principium & finis, initium & centrum, alpha & omega: ſic planè dignum & juſtum eſt, ut ea in quibus ſpeciali modo invenitur Deus, ſint etiam in ſuo genere capita, & fines. Hinc quia anima juſti eſt ſedes Dei, omnia ipſius pedibus ſubjiciuntur: quia in viſione beata Deus ſpecialiter poſſidetur, & unitur intelligibiliter; ideo viſio illa eſt totius ordinis gratiæ meta, & ejus ſpes totius Ethicæ Chriſtianæ principium; quia Deus ſpecialiter habitavit in utero virginali, Dei genitrix aquæductus eſt omnium cœleſtium gratiarum, & omnium expectatio ſæculorum, ut rectè deſcribit Bernard. *ſerm.2. Pentec.* quia Chriſtus realiter præſens eſt in Sacramento Altaris, ibi fons omnium gratiarum pater, & Euchariſtia eſt cæterorum Sacramentorum finis. Denique quia in Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ideo ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: & ſicut plenitudine ejus omnes accipiunt, ita hæc eſt vita æterna, ut cognoſcamus Deum, & Jeſum Chriſtum.

Verùm ſicut Chriſti eminentia tanta in Dei filiatione naturali innititur; ita unicum bonum noſtrum, & certius prædeſtinationis ſignum eſt, ſi ut filii Dei ambulemus. Audiamus ergo Apoſtolum Philip. 2. *Ut ſitis ſimplices Filii Dei.* Id eſt caveamus ne tanto Patre aliquid indignum promamus: intelligamus nobis genus eſſe de Cœlo, ut vivendo ſanctè, ſancto reſpondeamus Patri: cogitemus quod ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſumus. Pulchrè Ambroſ. lib. 3. Hexaëm. c. 7. *Herba generi reſpondet ſuo, tu non reſpondes tuo generi? Tritici granum ſparſum terra generis ſui granum reddit, & tu degeneras? Fruges non adulterant ſui ſynceritatem ſeminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis caſtitatem?* Simplex Filius Dei uni Dei obſequio vacat, colligit ſe à diſperſione, in qua fruſtatim diſciſſus

in multa evanuerat, deſeritque illas nugas, quæ malorum negotia vorantur. Simplicis filii Dei character eſt benefacere his, qui oderunt nos, orare pro perſequentibus & calumniantibus nos, *ut ſitis filii Patris veſtri*, inquit Veritas *Matth. 5* parcere enim divinum eſt, ulciſci ferinum; fodicant enim, & mordent formicæ & mures, imò magnarum ferarum eſt latratus minutorum canum ſecurè audire. Simplex Filius Dei omnia credit, omnia ſperat, non cogitat mala, bonum ubique amat, excuſat intentionem, ſi opus non poteſt, putà ignorantiam, putà ſubreptionem, putà caſum, putà tentationem. Simplex filius Dei quod ſentit loquitur, ſibi conſtans, ſibi ſimilis; ejus manus linguæ, lingua cordi, cor rationi, ratio Deo conſonat, & tota ejus vita unius coloris eſt. Qui talis eſt, confidat ſe adoptionem filiorum recepiſſe, ſed prædeſtinatorum capiti Chriſto totum acceptum referat.

CAPUT II.

Privilegia gratiæ Chriſti.

IN Chriſto fuiſſe omnes cunctarum gratiarum prærogativas ex unione hypoſtatica dimanantes, per ſe ſatis notum eſſet, etiamſi Scriptura & traditio id non expreſſiſſimè ſignificarent, dum aiunt Chriſtum fuiſſe plenum gratiæ & veritatis, unctum oleo lætitiæ & exultationis, de plenitudine ejus omnes accepiſſe, eamque ei ultra omnem menſuram collatam fuiſſe, idque ab initio conceptionis ſuæ, dicente D. Thoma q. 35. art. 5. *Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis accepit non ſolùm tantam gratiam, quantam comprehenſores habent, ſed etiam omnibus comprehenſoribus majorem* Unde Salvator appellatur in Scriptura *germen, flos, & fructus*; quia ſine ſucceſſivo cremento ab initio omni gratiarum abundantia plenus fuit, plenus ſibi, ſuperplenus nobis. Ad majorem tamen claritatem triplicem diſtinguunt in Chriſto gratiam Theologi, & unamquamque incomparabilem: primam vocant ſubſtantialem, quæ provenit humanitati ex immediata unione ad Verbum, quod eſt ſanctitas per eſſentiam: aliam vocant habitualem, ſimilem noſtræ; quæ animam ſanctificat, eſtque prima radix operationum ſupernaturalium: tertiam vocant capitalem, quâ influit jugiter in omnes ſicut vitis in palmites, & caput in membra. Ad tres illas dotes omnia gratiæ Chriſti privilegia revocabimus.

SPECULATIO I.

In Chriſto eſt gratia & Sanctitas ſubſtantialis à Divinitate, & à ſubſiſtentia Divini Verbi formaliter proveniens.

PRior pars eſt doctrina Patrum non ſemel aſſerentium humanitatem Chriſti eſſe *Divinitate unctam, & delibutam totius unguenti Divinitatis præſentiâ*, ut loquitur Cyrill. *lib. 4 in Ioan.* & Nazian. *orat. 36.* Imò addunt in hoc differre ſanctitatem Chriſti à noſtra, quòd Chriſtus ſit Divinitate Filii ſanctus, non verò participatione. Unde Hilar. citatus in Catena aurea D. Thom. *Ioan. 10.* ait: *Præcedit Chriſtus cæteros per hoc quod ſanctificatus in Filium eſt, beato Paulo dicente, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis.* Succinit D. Thom. *inf. quæſt. 22. art. 2. ad 3.* dicens, *humanitatem fuiſſe gratiâ unionis ſanctificatam.*

Probatur ratione: Humanitas per unionem ad Verbum verè & propriè ſanctificabatur, præciſis quibuſcumque aliis: Ergo præter ſanctitatem accidentalem quæ provenit à gratia habituali, admittenda eſt ſubſtantialis, ſic dicta, quia immediatè provenit à Verbo Dei ſubſtantialiter unito, & eſſentiam divinam, quæ eſt ſanctitas per eſſentiam, includente. Probo antecedens: Humanitas ex vi ſolius unionis ad Verbum erat ſimpliciter, & ſine addito grata & dilecta Deo; nam ſi amare Dei ſit diffundere bonum, amari profectò eſt in conſortium ſummi boni vocari; non potuit verò majus bonum humanitati à Patre conferri. Habebat enim humanitas per unionem hypoſtaticam jus ad vitam æternam, cùm per illam evecta ſit ad unionem cum Filio naturali, cui connaturaliter debetur hæreditas multò potiùs, quàm filiis adoptivis. Denique per illam immunis erat ab omni peccato, quod eſt magis incompoſſibile cum gratia unionis, quàm cum gratia habituali, ut dicemus infrà. Ergo unio hypoſtatica formaliter eminenter contulit humanitati quidquid ſolet à gratia conferri, quæ facit Deo gratum, hæredem vitæ æternæ, & mundum à peccato.

Confirmatur: Sanctitas eſt intima adhæſio creaturæ ad Deum, quæ duo requirit, alterum ex parte Dei, alterum ex parte creaturæ. Ex parte quidem Dei exigit communicationem ſupernaturalem; nam cùm amor Dei ſit effectivus, tunc ſupernaturaliter diligit, cùm dona ſupernaturalia diffundit, quibus creatura ſit objectum amoris ſui. Ex parte verò creaturæ Deo amanti reſpondere debet intima conjunctio & applicatio ad Divina: Atqui per unionem hypoſtaticam Deus largitur humanitati ſubſiſtentiam Filii ſui, quæ eſt bonum omne creatum, vel creabile tantò excedens, quantò ſuperatur à Creatore creatura: humanitas etiam Verbo Dei ita conjungitur, ut per illud ſubſiſtat, & ex utroque fiat unica perſona, non affectivè ſolùm, ſed phyſicè & ſubſtantialiter: Ergo per unionem illam humanitas eſt formaliter ſanctificata & grata Deo; *formaliter*, inquam, non quod Verbum habeat rationem formæ; ſed per ſanctitatem formalem intelligimus eam, quæ ſit verè, propriè & ſine addito talis. Quod advertas ad tollendam quorumdam æquivocationem, qui ideo negarunt humanitatem à Verbo formaliter Sanctificari, quia non exercet munus formæ, ſed in voce hallucinati ſunt.

Secunda pars, quatenus aſſerit humanitatem à Divinitate formaliter, id eſt verè & propriè ſanctificari, à nemine in dubium vocatur, & patet, quia Divinitas cùm ſit ſanctitas per eſſentiam, conſecrat & ſanctum efficit quidquid ſibi ſpecialiter unit; & quamvis non uniatur Deitas niſi mediante ſubſiſtentia, hoc tamen non obeſt; ſicut enim paries ſit formaliter albus per albedinem, qui tamen non recipitur niſi mediante quantitate; ita & humanitas per ſanctitatem divinæ naturæ, tametſi mediâ perſonalitate Verbi communicatam, formaliter ſanctificata remanſit.

Quatenus verò aſſerit humanitatem ſanctificari formaliter à ſubſiſtentia Divini Verbi immediatè unita, docetur communiùs à Thomiſtis, excepto P. Gonet. Et probatur, tum quia per ſubſiſtentiam unitur humanitas Deitati, non verò per modum aliquem creatum: Patres autem, præſertim Auguſt. multis in locis unionem illam vocant *ſummam gratiam*: ſumma autem gratia ſummè ſanctificat, nec eſt ſolùm via ad ſanctitatem. Tum quia per ſubſiſtentiam Filii humanitas erat Deo grata & perdilecta, ſicut & ipſe Filius formaliter ut talis eſt ſummè dilectus, juxta illud à Patre geminatum; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Certè cum ſubſiſtentia verbi Dei ſit filiatio naturalis, & per eam

Chri-

Chriſtus fiat formaliter Filius Dei naturalis, non poteſt non eſſe gratus, & objectum divinæ complacentiæ, non poteſt non habere jus ad gloriam & hæreditatem, quæ debetur filiis, conſequenter non poteſt non eſſe formaliter ſanctus.

Confirmatur: Humanitas unita ſubſiſtentiæ Divini Verbi habet omnimodam repugnantiam & incompoſſibilitatem cum peccato, quod ex vi unionis illius expelleretur, ſi antea præexſtitiſſet, nedum indirectè ratione eſſentiæ divinæ, quam includit, ſed etiam directè, & ratione ſui; ſiquidem perſonalitas Verbi eſt filiatio Dei, quæ ex propria, intranea, & characteriſtica differentia reſpicit Deum Patrem, à quo procedit Filius, ac proinde eſſentialiter excludit averſionem à Deo, in qua peccatum conſiſtit: Ergo per illam, præciſis quibuſcumque aliis, humanitas eſt formaliter ſancta.

Denique ſanctitas formalis, juxta dicta dum de ſanctitate Dei, eſt unio & conjunctio creaturæ rationalis cum Deo in ordine ad rectè & ſanctè operandum: ſed per ſubſiſtentiam Verbi humanitas formaliter unitur Deo; nam per ipſam fit concurſus duarum naturarum, divinæ & humanæ in eodem ſuppoſito, in ordine ad eliciendas actiones theandricas, & Dei-viriles: Ergo per ſubſiſtentiam Divini Verbi formaliter ſanctificatur humanitas.

Sed inquies: Subſiſtentia Divini Verbi ſicut non affert ſpecialem perfectionem, ita nec propriam ſanctitatem, quæ non multiplicatur in Divinis, ſicut nec perfectio, aliàs non ſalvaretur perfecta æqualitas perſonarum, & poſſent admitti in Deo tres ſancti ſubſtantivè. Ergo perſonalitas Divini Verbi ex propriis non ſanctificat, ſicut ex ſe non eſt ſanctitas, ſed ſolùm ratione ſanctitatis eſſentialis, & communis.

Reſpondeo quod ut humanitas ſanctificetur perſonalitate Divini Verbi, non eſt neceſſe quod ſubſiſtentia Filii afferat ſpecialem perfectionem ſuperadditam, & virtualiter diſtinctam ab abſoluta (quam tamen in noſtra ſententia aliàs explicata affert, ſed ab his præſcindo,) ſed ſufficit quod ſit unio cum Deitate, & quod ſit radix operationum ſanctarum: humanitas autem per perſonalitatem Divini Verbi intimè unitur cum Deo, & fit principium actionum theandricarum; unde illud argumentum, quod quidam putant inſolubile: *Perſonalitas Verbi ut diſtincta à natura non eſt ſanctitas: Ergo non ſanctificat formaliter*, diſtingui poteſt, non eſt ſanctitas nec unio cum ſanctitate per eſſentiam, nego; & eſt unio cum ſanctitate per eſſentiam, concedo: & hoc ſufficit ut ſanctificet formaliter; nam humanitatem eſſe formaliter ſanctam, nihil aliud eſt quàm eſſe intimè Deo unitam. Aliis verbis barbaris quidem, ſed in ſchola tritis uti poſſemus: perſonalitas non eſt ſanctitas *ut quod*, concedo, quia non ſunt in Deo tres ſanctitates; *ut quo*, nego, quia eſt ratio, quâ humanitas fit ſancta & unita Deo, eo ferè modo quo anima rationalis licèt non ſit corporea *ut quod* & entitativè, ſed tantùm *ut quo*, tribuit materiæ formaliter gradum corporeitatis.

Urgebis: Perſonalitas Verbi vel ſanctificat humanitatem per aliquid commune aliis perſonis, vel per aliquid ſibi proprium; ſi per aliquid proprium & multiplicatum: Ergo ſanctitas multiplicatur in tribus perſonis.

Reſpondeo perſonalitatem Verbi ſanctificare humanitatem per hoc formaliter, quod eſt medium & vinculum conjungens humanitatem cum Deitate; nam ſicut conjungi Deo eſt eſſe ſanctum, ita conjungere Deo eſt formaliter ſanctificare. Unde non eſt neceſſe quod multiplicentur ſanctitates intra Deum, ſed ſat eſt quod multiplicentur perſonalitates potentes conjungere naturam extraneam cum divina.

Reflexio

Poſt adoratam Chriſti Domini humanitatem Divinitate unctam, in cujus ſanctitatis conſpectu omnis alia juſtitia decoloratur, ut ait Gregor. magnus expendens illud Cant. 1. *Decoloravit me ſol*, quia quantumlibet fulgeat puræ creaturæ etiam poſſibilis ſanctitas, in comparatione Chriſti fulgorem amittit; poſt immortales pro tantâ gratia redditas gratiarum actiones, unum ad informandos mores monebo.

Inter innumera ineffabilis Incarnationis Sacramenti, quibus undique fulget, prodigia unum indicat ſpeculatio tradita, ex quo circumfluens cæterorum miraculorum varietas, & totius pietatis ubertima copia veluti è fonte promanat. Ex eo enim quod Chriſtus ſit ſanctitate nedum accidentali, ſed etiam ſubſtantiali præditus, videmus duo ſupremi Numinis attributa antè diſcreta & inſociabilia hoc opere mirè copulari. Prima quippe S. Trinitatis perſona duobus fulget encomiis, & nitet characteribus; Divinitatis ſcilicet titulo, & paternitatis monili, & Deus, & pater eſt. Cæterùm duplex illud Patris inſigne diverſa reſpicit; nam, ut eruditè docet Cyrillus *in Theſauro*, ut Deus ad ſervientes creaturas habitudinem habet, ut Pater Filium reſpicit coæqualem; unde reſpectu illius cujus eſt Pater naturalis, utique Deus aut Dominus non eſt: illorum verò quorum Deus & Dominus eſt, naturalis Pater eſſe non poteſt. Ac proinde (infert idem S. Pater) majoris dignitatis eſt eſſe Patrem, quàm eſſe Deum, & prima perſona quâ Pater ſeipſam excedit ut Deum.

Hoc duplex primæ perſonæ decus reſpectu ejuſdem objecti incompoſſibile in noſtro Myſterio per gratiam ſubſtantialem ſociatum eſt, juxta illud Apoſtoli, *Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Nam idem Chriſtus per gratiam ſubſtantialem eſt Filius naturalis, & à Patre reſpicitur, & gratiâ accidentali & habituali ornatur, ut à Deo & Domino reſpiciatur & pendeat. Jam ergo, Lector, titulus Domini tremendus antea, minimè formidandus eſt, quia Patris pietate temperatur, idque Veritas inculcabat: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum: Deum meum, & Deum veſtrum.* O admirabile commercium Majeſtatis divinæ cum paterno amore Incarnatione initum! Factus eſt Pater, qui retro tantùm Deus & Dominus erat. Væ ergo illis, qui totam Incarnationis œconomiâ peccato mortali evertentes, dum Deum nolunt habere Patrem, ipſum experientur & potentem Dominum, & Deum terribilem; horrendum enim eſt incidere in manus Dei viventis, ſed ſuave, ſed deſiderandum incidere in manus Patris amantis.

Speculatio II.

Anima Chriſti fuit inſuper gratiâ habituali decorata.

PRobatur non ſolùm ex eo, quod anima Chriſti proximè accedit Deo, qui eſt fons omnis gratiæ, à quo proinde abundantiùs haurit gratiarum fluenta pleniſſima; ſed etiam quia gratia eſt principium radicale, & connaturale viſionis, & amoris beatifici. Sicut ergo in Chriſto viſio & amor reperi-

untur, ita & gratia, à qua connaturaliter dimanant. Præſertim cùm nullam dicat imperfectionem, ſed ſummam convenientiam, ut humanitas illa ſit omnigena gratiarum, habituum, & cœleſtium chariſmatum varietate circumamicta: maximæ ſiquidem perfectionis argumentum eſt habere aliquid eminenter & formaliter; quare licèt gratia unionis eminentiſſimè præcontineat gratiæ habitualis nitorem, tamen non erit imperfectio, ſed potiùs cumulus perfectionis, ſi anima Chriſti gratiæ ſanctificantis adjectione cohoneſtetur.

Confirmatur: Licèt anima Chriſti per unionem hypoſtaticam perfectè ſanctificetur, nihilominus gratiæ habitualis additamentum nedum inutile cenſeri non debet, ſed etiam neceſſarium; tum ut anima Chriſti omnibus modis ſanctificaretur; tum ut connaturaliter eliceret operationes ordinis ſupernaturalis. Quanvis enim humanitas per perſonalitatem cõſtituatur principium *quod* poteſt elicere operationes, indiget tamen adhuc principio *quo* perficiatur & agat, qualis non eſt ſubſiſtentia, quæ non eſt virtus agendi, ſed terminus conſtituens principium ſubſiſtens: Igitur requiritur aliqua virtus ſupernaturalis infuſa, quâ humanitas ad ſanctè operandum perficiatur, ſicut intellectus indiget lumine glorioſo ad videndum Deum, voluntas charitate ad amandum.

Neque dicas ad hoc ſufficere auxilium actuale communicatum, vel ſaltem virtutes infuſas, & in potentiis animæ receptas, abſque eo quod opus ſit gratiâ accidentali, dum habent ſubſtantialis. Nam reſpondetur animam debere permanenter ad Divina operanda inclinari, atque adeo per formam habitualiter perdurantem: potuit quidem abſolutè Chriſtus ſanctè operari & mereri per auxilium actuale ordinis ſupernaturalis, ſupplens vicem principii radicalis vitæ ſupernaturalis, ſcilicet gratiæ, ſicut in viſione Pauli auxilium tranſiens ſupplevit habitum luminis gloriæ. Cæterùm id connaturaliter, & conformiter ad ſuavem modum, quem ubique ſervat divina providentia, non fieret. Non ſufficiebant etiam ad hoc virtutes infuſæ, quia omnis virtus, quæ eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſupponit connaturaliter naturam ſui ordinis, in qua recipiatur: naturæ autem vices in ordine ſupernaturali gerit gratia, quæ proinde fuit neceſſaria in Chriſto.

Objicies: Chriſtus non poteſt dici Deus per participationem, nec Filius adoptivus; hoc enim errorem Neſtorii, vel impietatem Atii negantis Divinitatem Filii redoleret: Ergo non habuit gratiam habitualem, quæ illum utrumque effectum præſtat, & quidem neceſſariò, quia effectus formalis eſt ipſa forma communicata, gratia verò hos effectus confert in genere cauſæ formalis.

Reſpondeo Chriſtum ratione Divinitatis eſſe Deum per eſſentiam, ratione verò gratiæ eſſe Deum per participationem, in quo nulla eſt repugnantia. Quia tamen unio hypoſtatica eſt in ipſo principalis, ſimpliciter debet dici Deus per eſſentiam, & non per participationem, ad evitandam occaſionem erroris. Non tamen poteſt dici Filius adoptivus, quia eſſe Filium convenit alicui ratione ſuppoſiti, non ratione naturæ; ſanctitas verò convenit ratione naturæ, vel increatæ, vel participatæ per gratiam: unde duplex admitti poteſt & debet ſanctitas in Chriſto, & non duplex filiatio, ſed unica naturalis. Nec eſt neceſſarium, quod forma quævis communicet omnes effectus ſecundarios ſubjecto omnium minimè capaci, ſed ſat eſt quod communicet primarium: reddere autem filium adoptivum eſt effectus duntaxat ſecundarius gratiæ, cujus primarius eſt efficere Deo gratum & acceptum.

Objicies ſecundò: Si daretur in Chriſto gratia habitualis, vel eſſet proprietas unionis hypoſtaticæ, vel non. Neutrum dici poteſt; ſi enim ſit propietas, non gratis, ſed naturaliter daretur, ac proinde non eſſet gratia: ſi autem non ſit proprietas, non exigit unio hypoſtatica additamentum gratiæ habitualis, quæ proinde fruſtra dabitur: Ergo præter gratiam ſubſtantialem non datur gratia accidentalis & habitualis.

Reſpondeo fateri omnes, gratiam Chriſti accidentalem inniti & deberi gratiæ unionis hypoſtaticæ, nec propterea deſinere eſſe gratiam, ſicut virtutes infuſæ gratis dantur, tametſi innitantur gratiæ ſanctificanti; quia ad hoc ſat eſt gratiam ſanctificantem gratis dari animæ, & gratiam unionis gratis conferri humanitati. Ratio autem cur gratia habitualis debeatur gratiæ unionis, eſt quia humanitati evectæ ad eſſe divinum debetur etiam principium connaturale operationũ ſupernaturalium, quod eſt gratia: & ſanè collatâ perſonâ Filii humanitati, proculdubio venerunt omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Et ut egregiè diſcurrit D. Thomas art. 12. *Menſura unicuique formæ præfigitur per comparationem ad ſuum finem, ſicut non eſt major gravitas, quàm gravitas terræ, quia non poteſt eſſe inferior locus loco terræ: finis autem gratiæ eſt unio creaturæ rationalis ad Deum; non poteſt autem eſſe, nec intelligi major unio ad Deum, quàm quæ eſt in perſona; & ideo gratia Chriſti pertingit ad ſummam menſuram gratiæ.* Vides quomodo in unione perſonali fundetur excellentia gratiæ Chriſti. Sed diſſidium eſt an ita fundetur, ut gratia habitualis ſit proprietas unionis hypoſtaticæ? Et affirmativè reſpondemus cum eodẽ D. Thoma *art. 13. ad 2.* dicente: *Gratia habitualis ſequitur unionem, ſicut proprietas connaturalis.* Et in corpore articuli dixerat, *gratiam cauſari in humanitate ex Dei præſentia, ſicut lumen in aëre ex præſentia Solis.* Patet autem effluxum lucis oriri ex præſentia Solis per modum paſſionis naturaliter reſultantis. Favet etiam Auguſt. in Enchir. c. 40. dum ait quod *gratia eſt homini Chriſto naturalis.*

Ratio eſt: Per gratiam unionis Chriſtus ponitur in ordine ſupernaturali, imò in vertice totius ordinis ſupernaturalis, & conſtituitur principium *quod* poteſt elicere actiones Theandricas, ſupernaturales, & meritorias; Sed omni principio *quod* poteſt operari, debetur connaturaliter aliud principium *quo* agat in eodem ordine & linea, aliàs principium radicale eſſet valde mancum, & mutilum: Ergo Chriſto ex vi unionis hypoſtaticæ debetur principium quo immediatè & proximè agat in ordine ſupernaturali; niſi velimus ordinem hypoſtaticum, qui inter omnes primatum tenet, eſſe imperfectiorem naturali, in quo omni agenti largitur natura facultates & principia quibus agat. Atqui ſola gratia habitualis eſt principium *quo* agitur in ordine ſupernaturali, & *quo* eliciuntur proximè actiones ſanctæ, ſupernaturales, & meritoriæ: Ergo gratia habitualis debetur perſonæ Chriſti titulo connaturalitatis, tanquam proprietas, non minùs quàm animæ rationali debentur vires cognoſcitivæ, & appetitivæ, & ipſi gratiæ debetur virtutum infuſarum apparatus. Idque indicare videtur Ioannes, dum ait: *Verbum caro factum eſt* (ecce gratiam unionis.) *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*: ubi ex unione Verbi infert decere Chriſtum, ſubindeque ei deberi totius gratiæ plenitudinem.

Dices: In unione hypoſtatica nihil eſt aſſignabile,

Digitized by Google

bile, quod ſe habeat per modum principii dimanationis gratiæ; quod tamen requiritur, ſicut calor ignis dimanat à forma ignis, intellectus ab anima, & ſic de aliis paſſionibus; non enim poteſt aſſignari humanitas ſola, quia cùm ſit ordinis naturalis, nequit eſſe principium gratiæ ſupernaturalis: non perſonalitas Verbi, nec natura divina, quæ nequeunt habere rationem formæ, nec à Deo poteſt procedere aliquis effectus naturaliter per modum proprietatis.

Reſpondeo, gratiam habitualem ex vi actionis aſſumptivæ dimanare ab humanitate non nudè ſumpta, ſed ut ad eſſe divinū ſublimata, ſicut enim ut conjuncta Verbo eſt principium radicale operum ſupernaturalium, meriti, & valoris infiniti; ita poteſt eſſe principium formale gratiæ, cùm ſub ea ratione ſit ordinis divini, fons & veluti ſubſtantia (unde gratia unionis vocatur gratia & ſanctitas ſubſtantialis,) à qua fluunt omnes gratiarum rivi, & cui omnes virtutum ornatus debentur: ſicut etiam ſub hac ratione convenit illi dignitas Capitis hominum & Angelorum; *omnia* enim *ſubjecit ſub pedibus ejus*, id eſt ſub humanitate, ut poſtea videbimus, non in ordine naturali ſpectata, ſed plenitudine divinitatis in ſe corporaliter inhabitantis uncta & perfuſa. Maximè quia, cùm dimanatio non ſit actio ſpecialis, ſed continuatio actionis, nihil vetat per actionem, quâ humanitas ad ſubſiſtentiam Verbi provecta eſt, comproductam fuiſſe gratiam accidentalem unionis tantæ corollarium, quæ quidem gratia habet rationem naturæ reſpectu virtutum infuſarum, ſed rationem proprietatis reſpectu gratiæ unionis.

Inſtabis: Emanatio propriæ paſſionis à ſubjecto, cùm ſit naturalis, præfigitur determinatis limitibus, quos prætergredi vel tranſilire non poteſt, unde & dicitur, quod procedit à ſubjecto ſecundùm ultimum potentiæ: Ergo ſi gratia Chriſti ſit proprietas unionis, non poſſet in Chriſto intenſior gratia produci, quod infrà refutabimus.

Reſpondeo ſine dubio gratiam habitualem Chriſti habere præfixos ſuæ intenſionis terminos, ultra quos non poteſt augeri de potentia Dei ordinaria, ut diſertè docet D. Thomas poſtea referendus: cum quo ſtat de potentia abſoluta poſſe in Chriſto produci majorem gratiam, ſicut intenſiorem calorem de potentia extraordinaria in igne efficere Deus poteſt, niſi teneatur ſententia Cajetani & Nazarii credentium formas naturales habere terminos magnitudinis intenſivæ. Sed de his iterum redibit ſermo.

Urgebis: Licèt motus cœli ſit debitus cœlo, tamen ab eo non dimanat per reſultantiam, ſed actione motricis intelligentiæ imprimitur. Ergo quantumvis gratia ſit debita Chriſto, non rectè inferimus in eam ad modum proprietatis emanare, ſed ſat eſt quod à Deo communicetur.

Reſpondeo non eſſe ſimile, quia motus non eſt debitus cœlo propter intrinſecam ipſius perfectionem (interna enim rerum perfectio non continuum motum exigit, ſed potiùs quietem;) debetur autem ſolùm ob perfectionem univerſi, quod circuire debet, & ſuis influxibus fovere: unde motus cœli non eſt proprietas, quæ omninò ad intrinſecam rei, à qua profluit, perfectionem ſpectet. At gratia debetur Chriſto, non ſolùm quia eſt caput Eccleſiæ (ſub qua conſideratione habet rationem cœli, & ſolis juſtitiæ, in quo Deus poſuit tabernaculum ſuum) ſed etiam ob intrinſecam ipſius perfectionem, quæ eſſet valde diminuta, niſi haberet principium connaturale & proximum actionum ſupernaturalium.

Inſiſtes: Gratia educitur ex potentia obedientiali humanitatis Chriſti, ſicut in nobis: Ergo non eſt connaturalis, aliàs educeretur de aliqua potentia naturali.

Reſpondeo, gratiam non eſſe connaturalem humanitati præciſè conſideratæ, ſed per gratiam unionis elevatæ: nec obeſt, quod educatur de potentia obedientiali humanitatis; nam lumen gloriæ debetur connaturaliter habenti gratiam; & tamen non educitur niſi de potentia obedientiali intellectus beati.

Objicies tertiò: Si daretur gratia habitualis in Chriſto, vel eſſet finita, vel infinita. Finita non videtur ſatis digna unione hypoſtatica; infinita verò repugnat in Philoſophia Thomiſtica: Ergo non datur gratia accidentalis in Chriſto.

Reſpondeo gratiam Chriſti eſſe infinitam & finitam in diverſo ordine; infinitam in genere moris, finitam in eſſe phyſico.

Ratio primi eſt, quia gratia habitualis in Chriſto eſt principium operum infiniti valoris, & infinitæ vis ad ſatisfaciendum; hujuſmodi ſiquidem opera ex eo quod ſunt reflexiva ſupra ſuppoſitum divinum, induunt, & ab illo hauriunt infinitam dignitatem moralem, quatenus dum offeruntur Deo, ſecum etiā exhibent ſuppoſitum divinum, quod infinitè nobilitat quidquid ſibi conjungitur: Sed principium operis infinitè meritorii & ſatisfactorii eſt moraliter infinitum, ne effectus cauſæ perfectionem excedat: Ergo gratia habitualis Chriſti eſt moraliter infinita.

Sed dices: Non ipſa gratia habitualis eſt principium infiniti valoris operum ſupra ſuppoſitum reflexivorum, ſed principium hujuſmodi infinitatis eſt ipſummet ſuppoſitum: Ergo ex illo capite gratia non poteſt dici infinita.

Reſpondeo, quod licèt ſuppoſitum ſit principium radicale operum Chriſti, gratia tamen eſt principium formale & proximum earum, & ex conjunctione ad perſonam Verbi haurit dignitatem infinitam: unde ſecundùm moralem æſtimationem eminenter continet omnem cujuſcumque gratiæ etiam poſſibilis perfectionem, quia licèt hæc gratia ſit ejuſdem ſpeciei in eſſe phyſico cum noſtra, tamen in eſſe moris omnem excedit, eo ipſo quod eſt proprietas unionis hypoſtaticæ.

Adverte, alia etiam ratione poſſe dici gratiam Chriſti infinitam in eſſe moris, nimirum non ratione ſolius unionis ad perſonam Filii Dei, ſed ratione plenitudinis; quia ſecundùm connaturalem modum & terminum gratiæ præfixum à divina ſapientia, gratia Chriſti augeri non poteſt, ſed implet totam recipientis capacitatem; ei namque communicata eſt in ſummo excellentiæ grado qui de potentia ordinaria haberi poteſt, & in maxima extenſione ad omnes effectus gratiæ. Unde ait S. Thom. art. 11. *Gratia Chriſti habet quidquid pertinere poteſt ad rationem gratiæ, & non datur ei ſecundùm aliquam certam menſuram, ſed ſicut cuidam univerſali principio gratificationis in natura humana, ſecundùm illud Epheſ. 1. Gratificavit nos in dilecto filio ſuo.*

Ratio ſecundæ partis reſponſionis eſt: Gratia illa nō poteſt dici infinita, nec ſecundùm eſſentiā, nec ſecundùm intenſionē. Non ſecūdùm eſſentiā, cùm neceſſariò claudatur terminis eſſentialibus, genere & differentia, ſit bonū finitum & limitatum, in quo producendo exhauſta non eſt divina omnipotentia, quæ abſq; dubio aliā in entitate perfectiorem producere poteſt. Non eſt etiam infinita ſecundùm intenſionē, aliàs ei correſponderet lumen & viſio infinita, quibus videretur Deus infinitè, quantum viſibilis eſt, & comprehenſivè: quod repugnare ſatis aliàs oſtendimus. Prætermitto argumenta philoſophica, qui-

bus demonſtratur in phyſica quodvis infinitum repugnare, ſpecialiter infinitam intenſionem; quia cùm omnis eſſentia creata ſit finita ſecundum omnes, non eſt capax niſi finiti accidentis, quod neceſſario per ſubjectum limitatur.

Dices: Si omnes gratiæ quas Chriſtus mereri poteſt in unum coaleſcerent, efficerent gratiam infinitè intenſam; potuit enim mereri eam infinitis hominibus, ſi darentur: Ergo ipſa gratia Chriſti debet eſſe infinitè intenſa; nam gratia capitis non debet eſſe minor, quàm membrorum; nec gratia cauſæ, quàm effectus.

Reſpondeo negando conſequentiam propter triplicem rationem. Primò, quia humanitas Chriſti non eſt cauſa principalis, ſed inſtrumentalis phyſica gratiæ membrorum: ſola autē cauſa principalis phyſica debet excedere, vel adæquare effectū: unde non ſequitur gratiam Chriſti debere adæquate gratiam omnium hominū, in quos abſolutè influere poſſet. Secundò, quia infinitus valor, infinitū meritum, infinitaque ſufficientia operum Chriſti non ab ipſa gratia phyſicè ſumpta derivantur, ſed promanant ab ipſa conjuncta ſuppoſito divino ipſi infinitam ſuam dignitatem refundente. Tertiò, quia licèt gratia Chriſti ſit inſtrumentum de ſe cauſativum gratiæ ſanctificantis; tamen quia non eſt nata cauſare illam ſimul, ſed ſucceſſivè; ideo infinitatem phyſicam non habet, tametſi infinitam ſincategorematicè gratiam producere poſſit: ſicut lux ſolis, & calor ignis poſſent illuminare, vel calefacere infinitos qui homines ſucceſſivè, ſi per æternitatem durarent; & tamen & calor & lux finita ſunt.

Ex his ſequitur, gratiam Chriſti eſſe capacem phyſici augmenti; nam hoc apertè ſuadet tum ejus finitas: tum quia eſt participatio divinæ naturæ magis, magiſque in infinitum participabilis: tum quia id non repugnat ex parte Dei infinita virtute pollentis, nec ex parte ſubjecti recipientis gratiam non ſecundùm potentiam naturalem, ſed obedientialem, quæ eſt infinita ſincategorematicè, quippe quæ nata eſt perfici ab infinita virtute authoris ſupernaturalis. Nam ut ait S. Thom. *q. 29. de verit. art. 3. ad 3.* potentia obedientiæ ſecundùm quod poteſt recipere aliquid à Deo, non impletur, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia ad recipiendum ab eo. Tum demum, quia licèt dentur aliqua entia, quæ habent terminum ſuæ perfectionis ex determinata & ſpecifica ratione ſuæ naturæ, id tamen de gratia dici non poteſt, quia eſt expreſſio entis infiniti, ſubindeque infinitè participabilis, ac conſequenter gratia non poſtulat ſibi præfigi terminum intenſionis.

Quod totum apertè tradit S. Doctor, loquens enim 2. 2. *q.* 24. *art.* 7. de charitate (& hoc ſanè de gratia peræquè dicendum eſt) ait: *Ipſa charitas ſecundum rationem ſpeciei terminum augmenti non habet, eſt enim participatio quædam infinitæ charitatis: Similiter etiam cauſa agens in charitatem eſt infinitæ virtutis, ſcilicet Deus; & ſimiliter etiam ex parte ſubjecti terminus præfigi non poteſt, quia ſemper charitate creſcente, ſupercreſcit habilitas ad hujuſmodi augmentum.* Quæ verba velim notes, non ſolùm ad probandam veritatem noſtri conſectarii, ſed inſuper ut inferas quàm dulcis ſit ſarcina charitatis, quâ non impediuntur vel onerantur Sancti, ſed magis habiles redduntur ad charitatis augmentum; & iterum in paucis eſſe charitatem conjice, cùm vera charitas in nobis ſemper ad ſui augmentum diſponat. *Charitas* (ait Gregor.) *magna operatur, ſi eſt; & ſi non operatur, non eſt.*

REFLEXIO.

Quantumvis Chriſtus eſſet unione Verbi ſubſtantialiter ſanctificatus, voluit inſuper Deus ejus animam gratiæ habitualis acceſſione cumulari, ut nimirum tota ejus capacitas impleretur, nihilque in ipſo vacuum remaneret. Sicut in ordine naturæ, ita magis in ordine gratiæ à vacuo abhorret Deus. *Non apparebis* [inquit Deus Moyſi Deuter. 33.] *in conſpectu meo vacuus.* Vacuus apparet, cujus cor gratia non implet: vacuus eſt, qui bonis operibus non abundat, nec dies pleni inveniuntur in eo: vacuus eſt, qui peccato inquinatus Deo caret, qui ſolus implere animam poteſt. Quàm deploranda plerorumque hominum cæcitas, qui delectantur in nihilo, qui ſectantur umbras, qui in vacuo complacent ſibi. O hominem inſenſibili natura duriorem! univerſa creatura nihil non agit, nihil non patitur, nihil non molitur, ut vacuo obſiſtat: nullum motum, quàmlibet violentum, & privatæ propenſioni repugnantem refugit, modò communem hoſtem, vacuum nimirum, impediat. Sponte conſurgunt gravia, ultrò deorſum feruntur levia, perpetem & concitatum fluxum retorquent in fontem rivi, liquantur dura, franguntur ſaxa, ſcinduntur montes, terra concutitur, tota demùm cōnititur creatura, ut vacuo ſe opponat. Et meritò, quia eo tantillum permiſſo, nec cœlum terram influxibus fœcundaret, nō ſuccurrerent ſuprema infimis, & diſſolutâ orbis colligatione ſingulæ partes mutuis opitulationibus deſtitutæ paralyticæ jacerent. Idem facit in corde peccatum, quod in mundo cauſaret inane; cœleſtibus quippe gratiarum rivis obicem ponit peccator, factuſque ſicut terra invia & inaquoſa, aſſimilatur montibus Gelboe, ſuper quos nec ros nec pluvia veniunt, vel ramo præciſo non ſugenti ſuccum, qui excidetur & in ignem mittetur. Et tantum malum, tamque horrendum vacuum peccator non reformidat, planè judicio vacuus, mentis inops, rationes expers.

Quod ſi te gratiâ & virtutibus orbatum ſentias, Lector, confuge ad Gratiam Salvatoris. Unum ex utilioribus vitæ ſpiritualis arcanis, imò præcipuum in negotio ſanctitatis emolumentum in hoc poſitum eſt, ut opera noſtra maculis ſordentia, ſubindeque divinis obtutibus inviſa & exoſa Chriſti infinitæ gratiæ uniamus, ut ſecundùm Apoſtolum Eph. 1. *Gratificet nos* (Deus) *in dilecto filio ſuo.* Idem documentum repetit Apoſtolus, dum ait: *Induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Id eſt, quemadmodum Rebecca veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habebat, induit Jacob, ut dicitur *Geneſ.* 27. ſic operum noſtrorum ſordes, Chriſti infinita gratia contegamus, non errore hæreticorum, qui ſolam Chriſti juſtitiam & gratiam hominibus interna ſanitate carentibus extrinſecè imputari mentiuntur; ſed catholico ſenſu, & chriſtiana pietate, quæ omnes juſtitias proprias veluti pannum menſtruatæ veretur, unde eas operibus Chriſti fide jungit, charitate copulat, ut felici illo nexu veluti lucis acceſſione humana purgentur, & clareſcant opera. Pulchrè dixit Athanaſ. *lib. de Incarn.* Filium ad nos *mutuato corpore* deſcendiſſe. Hoc commodatum, ſeu mutuum inter & acquiſitum diſcrimen obſervandum eſt, quòd iſtud ad eum duntaxat pertinet qui emit vel comparavit; illud verò ad eum ſpectat, qui commodavit. Filius ergo corpus commodatum mutuo accepit, non quòd illud unione ſuum non fecerit, ſed quia noſtris emolumentis devovit, noſtris uſibus conſecravit: fruamur ergo tanto bono, uniamur gratiæ Chriſti nobis dati, nobis nati, ut *in omnem plenitudinem impleamur*, ut loquitur Apoſtol. *Ephes.* 3.

SPECU-

Specvlatio. III.

In Chriſto eſt gratia Capitalis, de cujus plenitudine omnes accipiunt, exceptis infidelibus & damnatis: Angeli quoque gratiam, vel gloriam eſſentialem ab eo non derivarunt.

HÆc ſpeculatio proponit unam ex oitentioribus Chriſti Domini prærogativis, dum aſſerit ipſum eſſe caput Eccleſiæ, quam in terminis tradit Apoſt. Eph. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Coloſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Hanc etiam dignitatem ſummè, ut par eſt, commendant Patres, nec poſſunt explicari de Chriſto ut Deo, cùm expreſsè dicat Magnus Leo ſerm. Aſcenſ. *Natura noſtra humilitas ſuper omnem cœli militiam, ſuper omnes ordines Angelorum, & ultra omnium altitudinem poteſtatum ad Dei Patris eſt provecta conſeſſum.*

Probatur prima pars: In naturalibus membrum illud corporis dicitur caput, quod eſt primum & emioena ſecundùm ſitum, quod eſt perfectius, utpote in quo velut compendio omnes interni externique ſenſus vigent, & quod eſt primum movens cætera per imperium & influxum. Atqui Chriſtus Dominus hac triplici capitis conditione reſpectu omnium Angelorum & hominum præditus eſt; primatum enim tenet, qui altiùs attolli non poteſt; perfectiſſimus eſt, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter; primum movens eſt, cùm ſit Dei virtus & Dei ſapientia, per quam omnia facta ſunt, & ſine qua factum eſt nihil; omnis namque gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Ergo Chriſtus eſt verè caput hominum & Angelorum, & totius Eccleſiæ. Hanc rationem tangit Apoſtolus Coloſ. 1. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium* (ecce primatum,) *quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare* (ecce perfectionem,) *& per eum reconciliari omnia* (ecce influxum & actionem in omnia.)

Confirmatur inductione, & ſimul oſtenditur ſecunda pars. In primis de plenitudine Chriſti hauriunt omnes fideles, qui Chriſtiano nomine cenſentur, fidem ſcilicet & alia dona ſupernaturalia. Idem dicendum de catechumenis ante ſuſceptionem baptiſmatis fide & charitate præditis; quia licèt nondum pertineant ad Eccleſiam ſecundum externam viſibilis regiminis diſciplinam, benè tamen ſecundùm internam ſanctitatem; & ſunt vera membra Chriſto capiti unita in ordine ad finem totius corporis Eccleſiæ, qui eſt vita æterna. Id evidentius eſt de juſtis baptizatis, qui Deo adhærentes, unus ſpiritus cum ipſo ſunt. Et idem à fortiori patet de Beatis, qui fine æternæ gloriæ per merita Chriſti potiuntur.

Acceperunt quoque de eadem plenitudine Chriſti Patres & Juſti omnes veteris Teſtamenti: illi etiam, qui ſanctè vixerunt in lege naturæ; intuitu enim Chriſti venturi data eſt illis fides & gratia, quibus corpori myſtico Eccleſiæ in ordine ad gloriam unirentur. Unde Chriſtus dicitur Apoc. 3. *Agnus occiſus ab origine mundi*: quia merita mortis ejus communicata ſunt omnibus quotquot fuerunt ab origine mundi; & hac de cauſa vocatur Chriſtus Sol, quia ſicut Sol in medio planetarum collocatus ſuperiores & inferiores irradiat, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus: ita Chriſtus in medio ſæculorum natus, tempora anteriora per fidem ſuæ Incarnationis illuſtravit, poſteriora verò per Evangelium & ſacramenta; & utraque per gratiæ interioris effluxum ex meritis ejus.

Denique accipiunt Angeli, quorum Chriſtum eſſe caput expreſsè tradit Apoſtolus *Epheſ. 5.* dicens Chriſtum à mortuis ſuſcitatum [ſubindeque ut hominem] conſtitui ſuper omnem principatum & poteſtatem, omniaque ſub pedibus ejus eſſe ſubjecta, id eſt ſub humanitate aſſumpta, quæ quia infima pars Chriſti eſt, rectè pedibus deſignatur, ut obſervat ibi S. Thomas & *ad Coloſſ. 2.* qui eſt caput omnis *principatus & poteſtatis*. Et ratio eſt, quia Chriſtus non ſolùm eſt altior Angelis, propter majorem ad Deum propinquitatem, non ſolùm perfectior in donis, ſed etiam in eos influit, quia & eos illuminat, utpote beatior; & eos mittit, utpote Dominus; & eis meruit ſaltem gratiam & gloriam accidentalem ex reparatione ſedium ipſorum conſequutam.

Nec obeſt quod Chriſtus ut homo ſit ordinis inferioris ad Angelos, & diverſæ naturæ ſubſtantialis: quod utrumque videtur repugnare rationi capitis, cujus eſt habere primatum in membra, & conformitatem in natura eorum. Reſpondetur namque, Chriſtum ut hominem ratione unionis ad eſſe perſonale Verbi Angelis præeminere: & in ordine ſupernaturali, ſecundùm quem admittimus rationem capitis in Chriſto, homo & Angelus ſunt ejuſdem ſpeciei moralis, quia eadem eſt menſura hominis & Angeli, qui ordinantur ad eundem finem, efficiuntque ac integrant idem corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, quæ eſt multitudo ordinata in eundem finem, in quem tendunt & conſpirant membra diverſa actibus & officiis.

Excipe tamen ab hac multitudine accipientium è fontibus Salvatoris primò infideles, & damnatos (& ſic ſuadetur tertia pars;) quia licèt prioribus Chriſtus influat illuſtrationes, & auxilia ſufficientia ad vivendum ſecundùm legem rationis, in poſterioribus verò conſervet characterem quem ſuis meritis largitus eſt, ſicut & largietur eiſdem corporum reſurrectionem & immortalitatem; tamen non quicunque influxus Chriſti efficit membrum Eccleſiæ, ſed ille ſolus, quo Chriſto capiti, aliiſque commembris unimur: quæ quidem unio non fit per illuſtrationes & motiones ſufficientes, licèt eis diſponatur; initiatur verò fide, charitate perficitur, gloriâ conſummatur.

An verò excipiendi ſint etiam fideles in peccato mortali exiſtentes, diſſidium eſt inter Thomiſtas ortum ex verbis S. Thom. qui *q. 8. art. 3.* ait quidem: *Chriſtus eſt caput omnium hominum, ſed ſecundùm diverſos gradus; primò enim & principaliter eſt caput eorum, qui actu uniuntur ſibi per gloriam: ſecundò eorum, qui actu uniuntur ſibi per charitatem: tertiò eorum, qui actu uniuntur ſibi per fidem.* Tamen reſponſione ad ſecundum ſic habet de his qui ſunt in mortali: *Non ſunt membra Chriſti actualiter, ſed potentialiter, niſi fortè imperfectè per fidem informem, quæ unit Chriſto ſecundùm quid, & non ſimpliciter, ut ſcilicet per Chriſtum homo conſequatur vitam gratiæ; fides enim ſine operibus mortua eſt, ut dicitur Jacobi 2. Percipiunt tamen tales à Chriſto quemdam actum vitæ, qui eſt credere, ſicut membrum mortificatum movetur aliqualiter ab homine.* Si autem ex D. Thoma non ſunt actu, ſed potentiâ membra Chriſti, profectò Chriſtus non eſt actu, ſed potentiâ eorum caput.

Militant etiam rationes pro utraque ſententia. Pro affirmativa quidem; nam peccatores pertinent ad Eccleſiam, quæ conſtat tam ex Virginibus fatuis, charitatis oleo carentibus, quàm prudentibus; quæ eſt area, in qua tritico paleæ permiſcentur; quæ eſt ſagena miſſa in mare, ex omni genere piſcium bonorum & malorum congregans: Ergo Chriſtus eſt caput eorum, ſicut & Eccleſiæ, quæ non definitur collectio juſtorum, ſed fidelium; aliàs Epiſcopi, Sacerdotes, imò & Romanus Antiſtes, & totius Eccleſiæ Paſtor, & Chriſti Vicarius non eſſent membrum

Chriſti, nec Eccleſiæ, ſi peccato mortali inficerentur.

Nihilominus doctiſſimus Melchior Cano poſt Cardinalem Turrecremata opinatur quod licèt fides & ſpes, quas habent peccatores fideles, ſint ex influxu meritorum Chriſti, aiunt tamen hoc non ſufficere, quia ille ſolus influxus conſtituit membrum, qui unit Chriſto, qui ab eo ſunt per peccatum mortale ſeparati, quia fides eorum mortua eſt. Idque graviter confirmant, quia membrum diaboli, & pars corporis arida & mortua, non poteſt eſſe ſimul membrum Chriſti, aliàs eſſent duplicis capitis membra, quod monſtrum foret: Sed exiſtentes in mortali ſunt membra Sathanæ, qui propterea dicitur princeps hujus mundi, id eſt caput viventium ſecundùm leges & maximas mundi; ſunt partes aridæ, & mortuæ, quæ non vivunt vitâ totius, quæ eſt gratia, ſine qua moritur homo, ſicut pars quam non informat anima, eſt enim gratia *anima animæ*: Ergo Chriſtus non eſt propriè eorum caput. Denique addunt, quod cùm juxtà doctrinam Patrum Eccleſia ſit ſine macula & ſine ruga, illos propriè non agnoſcit ut membra, quorum diabolus caput eſt. Volunt tamen eos poſſe vocari partes Eccleſiæ, non membra, quia participant aliquod donum Eccleſiæ, ſcilicet fidem, ratione cujus poſſunt recipere characteres ordinem ſacrorum, & juriſdictionem quam confert Eccleſia fidem profitentib⁹, nec enim judicat de occultis. Plus autem, inquiunt ad rationem membri, quàm ad rationem partis, ſicut in naturalibus licèt ungues & capilli ſint partes hominis, non tamen ſunt membra animalis; quia non vivunt vita illius, quæ eſt ſenſitiva: vita autem Eccleſiæ eſt gratia, non fides, niſi imperfectè. Elige quod veriſimilius apparebit, ſed time ne ſis membrum aridum, quod excidetur, & in ignem mittetur: ne ſis ficus ſine fructu, cui maledixit Dominus: & ne ſecundùm graviſſimorum Theologorum ſententiam membrum diaboli, non Chriſti appellandus ſis.

Dices: Hæc gratia capitalis Chriſti vel eſt gratia unionis, vel gratia ſanctificans: non gratia unionis, quæ operativa non eſt, nec proinde influit in alios, ſed ſolùm conſtituit humanitatem ſubſiſtentem: non gratia habitualis, quæ eſt ejuſdem ſpeciei cum noſtra, nec habet valorem & efficaciam infinitam, ut poſſit influere in omnia membra Chriſti: Ergo gratia capitalis fictitia eſt.

Reſpondeo, gratiam capitalem Chriſti non eſſe formaliter gratiam unionis, quæ non eſt operativa, ſed gratiam habitualem, non ſecundùm ſe præciſè conſideratam, ſed ut unitam divino ſuppoſito; ſic enim eſt principium infiniti valoris, & condignæ ſatisfactionis pro peccatis noſtris, ut poſtea dicetur. Et ſic vides, quomodo gratia Capitalis Chriſti differat à gratia puræ creaturæ, non quòd gratia capitis aliquid gratiæ unionis vel habituali adjiciat, ſed quia importat gratiam habitualem in gratia unionis radicatam, & inſuper quandam plenitudinis copiam præ ſe fert, natam in cætera membra profluere.

Ultima pars eſt prorſus conſentanea principiis D. Thomæ, qui docet Chriſtum non venturum Adamo non peccante: Ergo cenſet Chriſti plenitudinem non influere in gratiam Angelorum, vel gloriam eorum eſſentialem, quæ ſic vocatur, ut diſtinguatur è gratiis & gaudiis accidentalibus, quæ quotidie ex influxu Chriſti augentur in Beatis. Probatur conſequentia: Si nulla alia cauſa veniendi Chriſto fuit, niſi peccatores ſalvos facere, profectò hominibus innocentibus & Angelis gratiam non meruit, cùm nullam gratiam meruerit, quæ non fuerit redemptiva peccati. Neque hæc ſententia S. Thomæ gratiæ Salvatoris præcellentiam minuit, vel amplitudinem anguſtat; nam cùm ipſa veritas atteſtetur ſe non veniſſe vocare juſtos, ſed peccatores, fruſtra contra intentionem Chriſti ejus influxus plenitudini adulamur, aſſerendo eam peccatoribus ſicut juſtis, nec minùs Angelis quàm hominibus profuiſſe.

Ratio fundamentalis ex illo principio S. Th. inſtauratur. Omnis gratia ex meritis Chriſti collata, vel ex vi præſentis decreti conferenda eſt à Chriſto peccatorum Redemptore, & per mortem ejus; dicitur enim ad Hebr. 10 *Una oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos*. Idque clarè ſignificatur in illa conſequentia Apoſtolica 2. Cor. 15. *Pro omnibus mortuus eſt: Ergo omnes mortui ſunt*; ſubindeque ad ſolos mortuos ſe extendit gratia Redemptoris, quæ ſaltem de via ordinaria ſupponit lapſum peccati. Atqui ſancti Angeli non ſunt mortui peccato: Ergo influxus Chriſti non ſe extendit ad gratiam eſſentialem Angelis conferendam. Aliàs pro illis verè mortuus eſſet Chriſtus, ſiquidem morte ſua ſaltem prævisa illis vitam æternam obtinuiſſet; quod tamen negant Patres, Auguſt. in *Ench. c. 61*. ibi: *Non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus*. Bern. ſerm. fer. 4. Hebd. ſanct. *Mihi paſſio Domini data eſt, quia alteri dari non potuit: nunquid Angelo? Sed ille non eguit: nunquid Diabolo? Sed ille non reſurgit.*

Ex his inferes, quid ſit dicendum de gratia Adami in ſtatu innocentiæ, cùm enim illa non fuerit redemptiva peccati, non potuit eſſe ex influxu Redemptoris. Imò in hoc differunt Protoparentes ab Angelis, quòd iſtis ſaltem gratiæ accidentales dantur ex influxu Chriſti, ſecus verò illis, quia gratias accidentales dat Chriſtus per phyſicum influxum, vel actiones hierarchicas; quo pacto nihil potuit protoparentibus largiri, quia ad realem cauſalitatem exiſtentis principii efficientis exigitur. Adde aliud diſcrimen Angelos inter & Protoparentes: Angeli namque licèt non ſint juſtificati per Chriſtum, ſunt tamen miniſtri redemptionis ejus; omnes enim ſunt adminiſtratorii Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. At Adamus in ſtatu innocentiæ nec erat redemptus à Chriſto, nec miniſter Chriſti Redemptoris: Ergo ei nec ut redempto gratiæ libertas, nec ut mortuo vita, nec ut miniſtro præmia accidentalia per Chriſtum tributa ſunt.

Solvuntur objectiones.

Objicies authoritatem tum Scripturæ aſſerentis *Epheſ. 1.* propoſuiſſe Deum in Chriſto *inſtaurare omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra*. Et *Apoc. 12.* dicitur de bonis Angelis: *Vicerant eum* [Diabolum] *per ſanguinem Agni*. Tum S. Hieron. *in c. 1. Epheſ.* dicentis: *Quod abſque peccato nullum ſit, & ſydera ipſa non ſint munda coram Deo, omniſque creatura paveat Creatoris adventum: unde & crux Salvatoris, non ſolùm ea quæ in terra, ſed etiam ea quæ in cœlis erant, purgaſſe perhibetur.* Ubi ſatis apertè innuit per meritum mortis Chriſti conferri gratiam Angelis eos purgantem.

Reſpondeo Chriſtum inſtauraſſe omnia, quæ in cœlis ſunt, non quòd pro Angelis mortuus fuerit, ſed quia redimendo homines ruinas Angelorum implevit; & in hoc ſenſu dicitur pacificaſſe per ſanguinem crucis ſuæ, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt, quatenus inſtauravit tranquillitatem & communicationem inter Angelos & homines in ordine ad conſtituendum unum corpus Eccleſiæ ſub Chriſto capite. Ad locum Apocal. dico manifeſtum eſſe ex contextu ibi non haberi ſermonem de ſanctis Angelis, ſed tantùm de hominibus, ſeu fratribus accuſatis, qui non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.

Ad authoritatem S. Hieronymi Gabriel Vaſq. *diſp.* 49. c. 5 perfricta fronte, & præfidenti ſupercilio reſpondet his verbis: *Teſtimonium Hieronymi nullius momenti conſeri debet, eo quòd juxta omnium ſententiam mani-*

Digitized by Google

manifeſtum errorē contra fidē contineat; tametſi non ſatis conſtet, utrum ex propria, an ex alterius ſententia docuerit. Ecce quā reverentiā author ille, qui Chryſoſtomum in materia de viſione erroris inſimulavit, habeat Hieronymum Doctorem maximum, in exponendis Scripturis divinitus proviſum, qui Aug. teſte lib. 1. cont. Jul. c. 7. *ab Oriente uſque in Occidentem velut lampas fulgentiſſima reſplenduit.* Vel, ut ait Caſſiodor. lib. Divin. lect. c. 20. *ad inſtar ſolis ab oriente ejus nobis lampadavit eloquium.* Nec diſſimiliter Caſſian. lib. 7. de Verbi Incarn. *Hieronymus Catholicorum Magiſter, cujus ſcripta per univerſum mundum quaſi divinæ lampades rutilant.* Et tamen tantus Doctor omni elogio ſuperior, ſi Vaſqui placet, vel *nullius momenti cenſeri debet*, vel *manifeſtum errorem contra fidem continet*, vel dubium eſt, *utrum ex propria, an ex alterius ſententia docuerit*, ſubindeque dubium ſemper manet an fuerit thetetiecos, Imò dubium eſſe non poteſt, ſecundùm Vaſquium, cùm ipſemet Hieronym. *lib. 1. comment. ſuper Ierem.* atteſtetur: *In commentariis ſuis in Epiſtolam Pauli ad Epheſios ab indocto calumniatore reprehenſus multa diverſorum poſuiſſe opiniones, vel tacitis, vel expreſſis Authorum nominibus, ut Lectoris arbitrium ſit quid potiſſimùm eligere debeat, decernere.* Ergo quidquid in illis commentariis exaravit Hieronymus, arbitrio Lectoris permiſit. Ergo ſi verba illa à Vaſquesio vellicata continent manifeſtum errorem, manifeſtè erravit Hieronymus ea Lectoris optioni permittens. Hieronymus, inquam, *Catholicis omnibus pervenerabilis, à ſolis hæreticis laceratus*, ut ait Auguſt. *epiſt. 30.* Hæccine ergo eſt in ſanctos Cœlites & Eccleſiæ Patres & columnas obſervantia, quam in libris Syriacorum deſiderari ait inimicus homo Petrus à Valle-Clauſa? Si quid ſimile in aliqua Dominicanorum lucubratione invenire potuiſſet, quibus ſodes auxeſibus exaggeraſſet? Quibus aculeis pupugiſſet? Quibus coloribus carpendorum Patrum libidinem & intolerabilem pruritum depinxiſſet & denigraſſet? Non impunè ſanè tuliſſemus tam truculentā viri incomparabilis lacerationem, ſed ſertum ingens ex acutioribus ſentibus oppoſuiſſemus. Sed abſit à diſcipulo S. Thomæ Doctorum omnium modeſtiſſimi, ut agens cum Sacerdote, Religioſo, & Theologo, verbis amarulentis, aut ex impetu vibratis feriat adverſarium. Non potuimus tamen temperare à vindicando Hieronymo ſapientiæ Chriſtianæ abyſſo, tubâ Scripturarum, non verba, ſed tonitrua fundente.

Præſertim quia virum, qui præ doctrinæ ubertate, judicii emunctione ac gravitate, & diligentiæ miraculo fuit orbi ſub cœlo toti admirationi & ſtupori, facillimum erat interpretari, & ad bonum ſenſum abſque vi deducere; quando enim ait, *Sydera ipſa non eſſe munda coram Deo*, quid aliud fecit, quàm exſcribere verba quæ habentur apud Job, ubi etiam dicitur, quod *in Angelis reperit pravitatem?* Quando verò addidit, *Crucem Chriſti purgaſſe Angelos*, quid novi effutiit Magnus Hieronymus, quod non ante ipſum pronuntiaſſet Dionyſius, à quo eruditi omnes Theologi concordi ſententia tres actus Hierarchicos *purgandi, illuminandi, perficiendi* admittunt in ſuperioribus Angelis reſpectu inferiorum? Imo *Iob. 41.* expreſsè dicitur: *Timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Faſtidioſi ergo & moroſi eſt nolle eum bonum ſenſum Hieronymi verbis aſſerere, qui Scripturæ, & Dionyſio commodè tribuitur. Purgat ergo Crux Chriſti & quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, ſed non eodem modo: terrenos homines purgat à peccatis, cœleſtes Angelos à neſcientia, aliiſque defectibus, qui tolluntur à Chriſto per exercitium actuum hierarchicorum. Dum autem ait Hieron. *quod abſque peccato nullus ſit* vel intelligitur de hominibus, vel ſi de Angelis id dixit, accepit peccatum non pro culpa, ſed pro quovis defectu naturæ intellectualis, à quo etiam Angeli purgari poſſunt. Sed quid opus eſt explicare Hieronymum, cùm ipſemet ſui interpres fuerit: nam ſuper caput 2. ejuſdem Epiſtolæ, ait eatenus ſanguinem Chriſti purgaſſe quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, quatenus *cœleſtia & terrena copulavit*, id eſt infundendo gaudium accidentale Angelis ex ruinarum ſuarum adimpletione per hominum ſocietatem. Et ſuper caput 4. expreſsè ait: *Neque ſcire poſſumus quomodo & Angelis ſanguis Chriſti profuerit.* Si autem exiſtimaſſet ſanguinem illum purgaſſe eos à peccato, non dixiſſet hoc eſſe difficile ſcitu, ſed quia explicare actus hierarchicos in Angelos ſatis difficile eſt, ideo dixit quod id ſcire non poſſumus. Vide quàm facili negotio exponi potuerit Hieronymus, ut non debuerit cenſura adeo mordaci, & verbis tam vilibus, quibus vile quodpiam caput feriri non haberetur moderatum, à Vaſqueſio percuti ob minutias, quas depellere haud magnæ operæ fuiſſet. Sed diſce, Lector, profundam Patribus deferre reverentiam, quæ non minor ſcriptis (quæ ſunt reliquiæ cogitationum eorum) quàm ſacris eorum cineribus debetur, ut alicubi Petrus Cellenſis obſervavit.

Objicies ſecundò: Primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum: Sed Chriſtus eſt primus in ordine habentium gratiam: Ergo Chriſtus eſt cauſa gratiæ cæterorum omnium, ſive hominum, ſive Angelorum.

Reſpondeo Chriſtum eſſe cauſam omnis gratiæ; ſed non omnibus modis, nimirum finalem, ſed non phyſicam & meritoriam. Neque enim Angeli ſubjiciuntur Chriſto ut redimendi, ſed tantùm ut miniſtri redemptionis, cui deſerviunt in ordine ad gloriam ipſius.

Inſtabis: Christus est finis gratiæ Angelorum: Ergo Christus prævisus præcedit Angelorum prædestinationem, ſeu voluntatem dandi illis gratiam & gloriam eſſētialem, quæ ſunt effectus prædestinationis eorum, ac proinde intuitu Christi eam illis Deus largitus est.

Reſpondeo duplicem eſſe finem, alium per ſe & primariò intentum, & talis ſemper præcedit ea quæ ſunt ad finem; alium intentum ſolùm ex voluntate ſuperveniente, quando res ſemel volita ordinatur in executione ad finem ulteriorem: ſic Incarnatio est finis gratiæ Angelorum, quia eam priùs volitam ordinavit Deus in gloriam Christi venturi, ſicut qui paravit menſam ad prandium, eam poſtea amico ſupervenienti offert. Vide quæ diximus ſuprà de motivo Incarnationis, ubi hanc doctrinam multifariam illustravimus.

Inſiſtes: Angeli habuerunt fidem de Christo, dum eſſent in via: Ergo per Christum; nam fides Christi à Christo est.

Reſpondeo, Angelos habuiſſe fidem de Chriſto ut objecto revelato, ſed tamen illa fides non erat ex influxu Chriſti: unde fides illa concomitanter ſe extendebat ad Chriſtum venturum, non quod fides Angelorum ſit ex meritis Chriſti, ſed quia in executione dum de facto infuſa eſt fides Angelis, Chriſtus erat venturus; ideo ſe extendebat fides illa ad Chriſtum non præcedentem in præſcientia Dei prædeſtinationem Angelorum, ſed ſolùm executionem juſtificationis eorum.

Obſerva autem, quoſdam Theologos etiam Thomiſtas, & inter alios eximium Magiſtrum noſtrum Cipullum, mediam quandam tenere viam, & docere gratiam & gloriam eſſentialem duplici titulo collatam fuiſſe Angelis: primò quidem ex Dei liberalitate, ſecundò verò ex meritis Chriſti, quem Pater coho-

Digitized by Google

cohoneſtare volens, gratiam priori ſigno liberaliter datam, in poſteriori etiam ex meritis Chriſti conferre voluit, ita ut ſi priùs dare non ſtatuiſſet, ex vi ſecundæ voluntatis efficaciter largiretur. Qui ſanè modus dicendi probabilitatem ex eo ſibi vendicat, quod Chriſti dignitati plurimùm conſulit; ſic enim magis extollitur gloria Chriſti, ſi omnis gratiæ ſit fons; magis etiam ſplendet œconomia corporis myſtici quæ poſtulat, ut omnia Eccleſiæ membra ab eodem capite gratiam hauriant, ut omnia quæ ſunt unius generis revocentur ad unam primam cauſam in tali genere: quo diſcurſu utitur S. Thom. *q. 7. art. 9.* ibi: *Chriſtus habuit virtutem ad omnes effectus, & operationes gratiæ; & hoc ideo, quia conferebatur ei gratia ut univerſali principio in genere habentium gratiam: virtus autem primi principii alicujus generis ſe extendit ad omnes effectus illius generis, ſicut Sol qui eſt univerſalis cauſa generationis ſe extendit ad omnia quæ ſub generatione cadunt.* Et in cap. 1. Joan. lect. 1. *Plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Et iterum: *De plenitudine Chriſti acceperunt omnes Apoſtoli, & Patriarchæ, & juſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Favent etiam alii Patres, Gregor. *in c. 2. lib. 1.* Reg. ibi: *Nullus hominum, neque Angelorum eſt Sanctus, niſi per Chriſtum.* Et Bern. *ſerm. 22. in Cant. Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur, ſic illum de captivitate eruens, ſicut hunc à captivitate defendens, & hac ratione fuit æque utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.* Et eleganter Fulgent. *lib. 2. ad Traſimund. c.* 3. ubi ſic: *Non alia ſtantem Angelum à ruina potuit cuſtodire, niſi quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata; in hoc, ut ſurgeret; in illo, ne caderet; in illo, ne vulneraretur, in iſto, ut ſanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſinit; illius eſca, iſtius medicina.*

Hæc ſententia tot rationum momentis, necnon D. Thomæ, aliorumque Patrum authoritate vallata non poteſt non probabiliſſima judicari, præſertim cùm ſine ullo incommodo ſalventur & concilientur omnia per diſtinctionem illam primæ & ſecundæ voluntatis. Nec ejus probabilitatem elevat totus ille rationum conatus, quibus hanc diſtinctionem impetunt M. Joannes à S. Thom. & P. Gonet, qui duplicem illum titulum irrident veluti inutilem, & cauſantem ſolùm titularem dependentiam, non realem. Nam, ut diximus, ita efficax fuit hæc ſuperveniens ſecunda voluntas, ut ex vi illius haberent gratiam Angeli, niſi præſupponerentur ex vi prioris habuiſſe. Et certè duplicem titulum in ſimili materia admittit P. Gonet *diſt. 12. art. 1. §. 3. pag.* 51. dicens: *Licèt in primo conceptionis momento Chriſtus gratiam habitualem titulo connaturalitatis receperit; hoc tamen non impedit, quin eam tunc alio titulo, phyſicæ ſcilicet diſpoſitionis, obtinere potuerit; non enim repugnat aliquid pluribus ſimul titulis, quaſi totalibus accipi. Nam gloria corporis debebatur connaturaliter Chriſto, & tamen Chriſtus eam meruit, ut communiter docent Theologi.* Quidni igitur merita Chriſti potuerunt extendi ad gratiam Angelorum, tametſi ex vi prioris voluntatis datam? Quænam diſparitas veroſimilis afferri poteſt?

Si urgeas rationem, qua ſuprà uſi ſumus, nimirum quod omnis gratia collata ex meritis Chriſti fuit ſanans, medicinalis, redimens, ac fructus paſſionis Chriſti, qualis non eſt gratia collata Angelis, pro quibus Chriſtus mortuus non eſt. Facilè reſpondebunt hujus ſententiæ patroni, gratiam ex Chriſto manantem eſſe redimentem vel ſanando morbos, ubi invenit, vel præſervando ubi non invenit, erigendo lapſos, vel ſtantes firmando. Ideo autem Patres negant Chriſtum mortuum pro Angelis, quia pro illis primò non venit, ſed pro lapſis; ſed non negant Chriſtum morte ſua illis meruiſſe gratiam eſſentialem, ſicut ſecundùm omnes meruit accidentalem, necnon ſui nominis exaltationem: nec tamen pro ſe dicitur mortuus Chriſtus, quia pro illis ſolùm dicitur Chriſtus mortuus, propter quos primò & principaliter venit.

Quod ſi perſiſtas, ex hac ſententia Angelos non fuiſſe, vel ſaltem nõ debuiſſe beatitudinem conſequi, niſi poſt mortem Chriſti; ideo enim SS. Patres veteris Teſtamenti in ſinu Abrahæ expectabant redemptionem Salvatoris, quia ab illo gratiam omnem acceperant, & dedecet priùs membra, quàm caput, priùs milites, quàm Ducem coronari. Facilè etiam diſparitatẽ dabunt, quia Angelis dabatur gloria alio titulo, quàm per Chriſtum, unde nõ opus erat ſecundi tituli adimpletionem expectare. Tum quia Angeli nõ debebant expectare ſatisfactionem pro peccato, ſicut homines, quæ ſola paſſione conſummata eſt. Tum quia Chriſtus debuit aſcendere in cœlum ut triumphator, atq; adeo aſcendens in altum ſolam captivam ducere captivitatem, ob quam liberandam unicè venerat.

Reflexio.

Si Angelis gratiam, nec gloriam meruit Chriſtus Dominus, verè dicit Iſai. c. 9. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nobis*, inquam (replicat Bernardus hom. 3. ſuper *Miſſus eſt*) *non ſibi, qui utique ante tempora multò nobilius natus ex Patre, naſci temporaliter non indigebat ex matre; non Angelis, qui cùm magnum haberent, parvulum non requirebant.* Et ut addit Guelr. Abbas ſerm. 3. Nativit. *Nec Angelus ille qui in veritate ſtabat, reparatione indigebat; nec ille qui ceciderat, caſus reparabilis erat: nobis eſt natus, quia nobis neceſſarius.* O privilegium conditionis humanæ! O inæſtimabilis prærogativa ſeminis Abrahæ! Sed proh dolor! Deo nobis dato, & Angelis denegato, Chriſtiani uti nolumus, dum nec gratiæ ejus obſequimur, nec exempla ſectamur: unde ſalubriter poſt verba relata monet Bernard. *Iam de nobis nato & dato faciamus ad quod datus eſt & natus, utamur noſtro in noſtram utilitatem, de Salvatore ſalutem operemur.* Agnoſcamus cum Leone *ſerm. 1. Nativit.* dignitatem noſtram, & divinæ conſortes naturæ nolimus in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.

Occaſione etiam hujus gratiæ Capitalis Chriſti obſerva ſeptem poſſe diſtingui in Salvatore plenitudines, quas pro hominum amore profudit. Prima eſt plenitudo divinitatis, quæ in ipſo corporaliter inhabitat. Secunda eſt plenitudo ſapientiæ; nam in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi. Tertia eſt plenitudo poteſtatis; nam data eſt illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Quarta plenitudo veræ ſanctitatis; nam vidimus eum plenum gratiæ & veritatis. Quinta eſt plenitudo dignitatis, honoris, & gloriæ; dignus enim eſt Agnus accipere gloriam & honorem. Sexta eſt plenitudo decoris & pulchritudinis, eſt enim ſpecioſus forma præ filiis hominum. Septima eſt plenitudo miſericordiæ & pietatis; nam miſericordiâ Domini plena eſt terra, & per omnia debuit fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret.

Propter membra omnes illas plenitudines effudit caput noſtrum, & veluti evacuavit; exinanivit enim formam Dei, formam ſervi accipiens. Sapientia ejus ſtultitia reputata eſt; Chriſtus enim crucifixus Gentibus ſtultitia eſt, & Judæis ſcandalum. Poteſtas ejus infirmata eſt, dicente in perſona ejus Pſalmiſta, *Infirmata eſt in paupertate virtus mea*; nam Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Sanctitas hypocriſis inſimulata; nam cum iniquis reputatus eſt. Dignitas & gloria inhonorata eſt, erat enim vermis, & non homo; opprobrium hominum,

& ab-

enim vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Pulchritudo obſcurata & deformata eſt, nam vidimus eum quaſi leproſum, & non erat ei ſpecies, neque decor. Miſericordia tandem exhauſta, & velut eviſcerata eſt; quid enim potuit ultra facere, & non fecit? Vide Lector, quid mirere magis, an Chriſtum tam copioſè plenum, an tam liberaliter effuſum? Et illi qui omnia pro re ſua prodigere non dubitavit, cor denegas tuum? illi, inquam, qui non alia illud ratione petit, niſi ut impleat in bonis deſiderium tuum; illi detrectas dare, quod etiamſi non poſtularet, debueras obtuliſſe. Quid crudelius? Petens amorem tuum repulſam patitur, poſt effuſum, nec guttulâ quidem ſibi ſervatâ ſanguinem ſuum. Non petit ut ſanguinem fundas, qui poſſet petere & jure petere; ſed ut effundas animam tuam, & effundas ſicut aquam cor tuum.

DISSERTATIO V.

De virtutibus, merito, & ſatisfactione Chriſti.

CHriſtus, ut antea innuimus, fuit per gratiam plenus ſibi, & ſuperplenus nobis; plenus ſibi per virtutum omnium inſtructum, ſuperplenus nobis per meritorum ſatisfactionem & quidem quintupliciter, ut ait B. Albertus Magnus, nimirum plenitudine ſufficientiæ & ubertatis; plenitudine copiæ, & tranſfuſionis; plenitudine univerſalitatis, & redundantiæ; plenitudine excellentiæ, & exceſſus; plenitudine denique ſuperfluentiæ, & œbrietatis. Nam pro omnibus ſufficit virtus ejus, omnibus diffunditur auxilium ejus, omnibus exponitur meritum ejus, omnibus præeminet ſanctitas ejus, omnibus volentibus amoris ſui delicias patat benignitas ejus. De plenitudine virtutum Chriſti priori capite; de plenitudine meriti & ſatisfactionis in poſteriori agemus.

CAPUT I.

De Chriſti virtutum omnium & donorum comitatu.

GRatia Chriſti non minùs inſtruitur virtutibus, quàm eſſentia facultatibus operativis: ideo poſt declaratam Chriſti gratiam, de multiplici virtutum, donorumque ejus ornatu agendum eſt.

Specvlatio I.

Fuerunt in Chriſto omnes virtutes morales per ſe infuſæ, ipſi non repugnantes, omnes etiam per ſe acquiſibiles ordinis naturalis.

PRior pars ex his, quæ docentur de infuſione virtutum, manifeſta eſt: cùm enim virtutes per ſe infuſæ ſint proprietates gratiæ, neceſſariò reperiuntur in eo ſubjecto, in quo eſt gratia; Sed in Chriſto eſt plenitudo gratiæ: Ergo & omnigenæ virtutis comitatus ipſi neceſſarius nedum ad ornatum, ſed etiam ad exercitium, nimirum ut potentiæ Chriſti connaturaliter operentur in ordine ſupernaturali, quod utique non poſſent, niſi eſſent virtutibus inſtructæ.

Dixi, *ipſi non repugnantes*, ut exciperem fidem & ſpem, quæ ſtatui beatitudinis, quâ Chriſtus ab inſtanti conceptionis potitus eſt, adverſantur. Ceſſante enim formali objecto, & ratione formali ſpecificante, implicat permanere habitum vel actum ſpecificatum. formale autem ſpecificativum fidei eſt prima veritas non viſa, ſpei verò eſt ſumma bonitas conſequenda; unde aperta veritate, & poſſeſſa bonitate deſinunt fides & ſpes.

Non nego tamen, fuiſſe in Chriſto actum ſperandi gloriam corporis, & nominis exaltationem, quandiu illis caruit, ut tradit S. Thom. *q. 7. art. 4.* qui eliciebatur ab habitu charitatis, quâ Chriſtus ſeipſum diligens proprium bonum deſiderabat: unde talis actus non dicitur ſpei, niſi lato modo acceptæ pro deſiderio. Cujus ratio duplex eſt: prima, quia actus ſtrictæ ſpei debet ferri in objectum arduum; gloria autem corporis non eſt difficilis habenti gloriam animæ, ſed connaturaliter effluit, niſi miraculo ſuſpendatur. Secunda, quia ut eliciatur actus rigoroſæ ſpei, exigitur ut ſubjectum non ſit certum de aſſequutione infallibili boni ſperati; ſicut enim tollitur fides quando ſubjectum deſinit eſſe non videns: ita non ſubſiſtit ſpes quando ſubjectum incipit eſſe tenens bonum expectatum, quod contingit quando habetur in manu principium inevitabiliter productivum boni illius: Chriſtus autem per gloriam animæ erat certus de aſſequutione infallibili gloriæ corporis, non ex extrinſeca revelatione, ſed quia habebat in ſe principium intrinſecum inevitabiliter cauſativum gloriæ corporis.

Excipitur etiam ab illa generalitate virtutum Chriſti pœnitentia, & continentia: illa quidem, quia cùm ſit deteſtatio expiativa & ſatisfactiva proprii peccati, vel ſupponit peccatum emendandum, vel ſaltem peccandi poſſibilitatem; quod utrumq; cum impeccabilitate Chriſti pugnat. Iſta verò, quia cum ejus officium ſit paſſiones inſurgentes reprimere, ſupponit vel earum rebellionem, vel rebellandi pruritum & pronitatem: quod ſanè perfecto cumulatæ virtutis gradui repugnat. Nam, ut optimè D. Thom. *q. 15. art. 2. ad 3.* ait, *Fortitudo ſpiritus aliqualis oſtenditur ex hoc quod reſiſtit concupiſcentiæ carnis; ſed major fortitudo ſpiritus oſtenditur, ſi per ejus virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra ſpiritum concupiſcere poſſit; & ideo hoc competit Chriſto, cujus ſpiritus ſummum fortitudinis gradum attigerat.*

An verò excipienda ſit etiam, & à Chriſto removenda eutrapelia, dubium eſt; quia verſatur circa jocos, & ludos, circa quos Redemptor mundi gravioribus intentus non ſe exercebat; dedecet enim magna tractantem ludis diſtrahi, unde de Salvatore fleviſſe ſæpiùs, riſiſſe nunquam legimus, ut peccatoribus pœnitentiæ exempla, tametſi innocentiſſimus ipſe præberet. Admittitur tamen communiter: tum quia non eſt neceſſe omnem virtutem prorumpere in actum, quando ob certas circumſtantias prudentia vetat: tum quia virtus exerceri poteſt & agendo, & contemnendo; & ſicut liberalitatis eſt, vel divitias largiri, vel aſpernari; ſic etiam eutrapelia Salvatoris ludos non exercebat, ſed flocci faciebat, ac dedignabatur, imitando ſane exemplo ab hujus deplorandi temporis Chriſtianis, qui non ſine tanti nominis opprobrio ludis, choreis, aliiſque næniis, & quiſquiliis ex gentilitate relictis tantoperè delectantur, qui de minimo verbo otioſo rationem reddituri ſunt.

Poſterior pars de virtutibus moralib⁹ per ſe acquiſibilibus, probatur, Chriſtus Dominus fuit omninò, ſeu omnibus modis perfectus Deus, & perfectus homo, ut canit ex Athanaſ. Eccleſia, atque adeo omni connaturaliter debitâ perfectione ornatus: Sed perfectio connaturalis appetitus humani exigit virtutes acquiſitas ordinis naturalis, quibus completur ejus potentia, eique ſuaviter, promptè, & facilè in quacumq; materia actus elicit; Ergo in Chriſto fuerunt

runt

runt virtutes illæ naturales, quæ actibus noſtris comparari ſolent, ideoque dicuntur per ſe acquiſibiles.

Nec eſt ullum inconveniens, Chriſtum elicuiſſe actus naturales ex objecto, vel ex fine operis, ſubordinatos tamen fini ſupernaturali charitatis: appetitus namque ejus, cùm ſit naturalis, & ejuſdem ordinis cum noſtro, actus naturales elicere poterat & poſtulabat: & Chriſtus cùm homo ſit, *humani à ſe nihil alienum putat*. Et ſanè ſicut gratia non deſtruit naturam, ſed perficit & attollit; cognitio gratuita ſcientiam naturalem non eliminat, ſed adornat; ita motiva naturalia honeſta excludi non debent per ſupernaturalia, ſed evehi; non deſtrui, ſed ſubjici, & ipſa ſubjectione cumulari: tunc enim inferiora perficiuntur, cùm ſuperioribus ſubſunt, ſicut aër ex impreſſione corporis illuminantis, cui ſupponitur, illuſtratur.

Dices: Chriſtus non habuit effrenes paſſionum motus, quib⁹ moderandis inſerviunt virtutes acquiſitæ: Ergo fruſtra in ipſo admitterentur virtutes moderatrices. Unde & à Beatis eas removet S. Thom. *in 3. diſt. 33. q. 1. art. 4.* quia dirigunt homines in vita civili, quæ civilitas non remanebit in patria.

Reſpondeo, virtutes morales acquiſitas ex conſequenti duntaxat paſſionibus refrenandis incumbere, ſi eas incaſtigatas reperiant; ſed primariò & præcipuè ad benè, promptè, & expeditè in genere moris operandum inclinare: & ſic admittuntur in Chriſto, ſicut fuerunt in Adamo. Magna ſiquidem & conſummata perfectio eſt iis gaudere virtutibus, non quæ paſſiones inſurgentes comprimunt, ſed ne inſurgant, impediunt; ſicut eſt glorioſior triumphus, qui ſine cruore paritur, qui eleganter à Philone *victoria Virgo* nominatur, quia nullo repugnante ſuperat. Et has virtutes pacatas *purgati animi*, ex Photino appellat S. Th. 1. 2. *q. 61. art. 5.* quæ ſic etiam perſeverant in Beatis, licèt in iis non occupentur, quæ in hac vita exigit commercium vitæ civilis, v. g. juſtitia comutationibus, fortitudo hoſtibus ſuperandis, temperantia delectationibus moderandis non vacat, & hoc ſolùm prætendit. S. Thom. *loco cit. Sentent.*

Reflexio.

Si Chriſtus ad omne pietatis opus naturaliter comparatus ad perfectionis complementum virtutes morales exigebat, quanto magis nobis neceſſariæ ſunt, quorum omnes *ſenſus proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua?* Ut autem virtutes noſtræ Chriſtianæ ſint, & non philoſophicæ, à Chriſto Archetypo exemplandæ ſunt. Pro quo intelligendo, ſubindeque exercendo adverte poſt D. Aug. *in Pſal. 77.* duplicem eſſe in nobis peſtiferum peccatorum fontem, cupiditatem nimirum, & timorem. Verba tanti Doctoris ſunt hæc: *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas, & timor: cogitate, diſcutite, interrogate corda veſtra, perſcrutamini conſcientias, videte utrum poſſint eſſe peccata, niſi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi præmium, ut pecces, id eſt quod te delectat, facis propter quod cupis: ſed fortè non induceris donis, terreris minis, facis propter quod times.* Cui ſubſcribit Gregor. *lib. 6. Moral. c. 13. Duobus modis ad culpam unuſquiſque pertrahitur; aut enim delectatione perducitur, aut terrore ſuperatur.* Et ideo virtutes morales reſident in appetitu ſenſitivo, concupiſcibili quidem delectationum temperatrices, iraſcibili verò ſtimulatrices timiditatis; ut ergo illæ virtutes ſanctæ & chriſtianæ ad id concupiſcendum vel refugiendum inclinare debent, quæ Chriſtus & fugit, & concupivit. Nam ut veridicè idem Auguſt. *lib. de vera Relig. c. 16.* ſcripſit: *Nullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur ea quæ ille ſuſtinuit: ſola itaque una vita ejus in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit.* Quid autem concupivit Chriſtus, quid refugit, quid ſuſtinuit, quid contempſit? Humilitatem amavit, à mundi gloria abhorruit, crucem jugiter portavit, divitias æquè ac delicias aſpernatus: cave, Lector, niſi eiſdem incedant veſtigiis virtutes tuæ, non chriſtianæ erunt, ſed paganæ.

Speculatio II.

Virtutes morales per ſe acquiſibiles fuerunt in Chriſto propriis actibus in primo inſtanti comparata, non verò per accidens infuſa.

PRobatur: virtutes morales eo modo debent admitti in Chriſto, quo magis ipſum decet, & cũ omni perfectione quæ ſtatui beatitudinis, aut unione hypoſtaticæ non repugnãt; hoc enim principio utuntur, qui putant virtutes illas fuiſſe Chriſto per accidens infuſas: Atqui perfectius & nobilius eſt habere virtutes per proprios actus quàm per infuſionem; & ſicut eſt perfectius agere, quàm pati, eſt etiam conformius naturæ hujuſmodi virtutum, quæ quia per ſe ſunt acquiſibiles, connaturaliùs acquiruntur, quàm infunduntur. Addendo verò Chriſtum virtutes illas in primo inſtanti comparaſſe, non ſucceſſu temporis, removemus ab ipſo imperfectionẽ, quã importaret privatio hujuſmodi virtutum, ſi lento gradu Chriſtus eas aſciviſſet: Ergo in Chriſto fuerunt virtutes mortales acquiſitæ propriis actibus partæ.

Sed dices cum Baptiſta Gonet oppoſitum ſentiente: Non potuit Chriſtus virtutes omnes morales in primo inſtanti acquirere, neq; enim tunc Chriſt⁹ potuit ſe exercere in actibus omnium virtutum moralium, quarum materias non habebat præſentes, ſicut nec erant in intellectu ſpecies acquiſitæ earum, ſcientia enim acquiſita ſucceſſivè comparata fuit: ſicut autem intellectus exigit tempus in acquiſitione ſuorum habituum, ita & voluntas, quæ modo agendi intellectus conformatur: Ergo ſi Chriſtus eas virtutes ab exordio habuit, ad infuſionem recurrendum eſt.

Reſpondeo, quod licèt in nobis requiratur ſucceſſio & tempus ad acquirendas virtutes ob debilitatem appetitus infirmati per peccatum, ob difficultatem arduitatemque objecti, quam vincere niſi gradatim & pedetentim non poſſumus, & ob ignorationem materierũ non ſimul, ſed ſucceſſivè occurrentium: aliter tamen ſentiendum eſt de Chriſto, cujus appetitus perfectè ſanus nullam patiebatur difficultatem in proſequutione boni, & intellectus ſcientiæ infuſæ beneficio omnes virtutum materias habebat præſentiſſimas. Unde magna intercedit differentia inter virtutes, & ſcientiam acquiſitam; quia cùm intellectus non poſſit connaturaliter operari niſi prævia actione intellectus agentis abſtrahentis ſpecies à phantaſmatibus, ſupponit operationes ſenſuũ externorum, qui non ſimul omnia percipiunt, ſed prout occaſiones ſe offerunt, ac proinde non niſi ſucceſſu temporis habitus intellectuales producit. At verò voluntas prælucente ſcientia infuſa poteſt exercere actus virtutum, non expectando occurſum materierum, ut patet in paupere, qui poteſt liberalitatem ſine pecuniis acquirere.

Urgebis. Cognitio ſcientiæ infuſæ eſt ſupernaturalis, & ex motivis ſupernaturalibus pendens: Ergo non poteſt immediatè regulare actus virtutum acquiſitarum, qui cùm naturales ſint, poſtulant regulam ejuſdem ordinis, ut ſervetur proportio inter regulam & regulatum.

Reſpondeo, quod licèt regula ordinis naturalis non poſſit dirigere actum ſupernaturalem, utpote

ſuper-

ſuperexcedentem;tamen regula ordinis ſupernaturalis optimè poteſt dirigere actus ordinis naturalis : ſicut etiam charitas præcipit potentiis naturalibus, earumque actus regit & imperat : cognitio fidei dirigit actus theologicos,qui ſecundùm plures ex adverſariis ſunt ordinis merè naturalis : unde ex directione ſcientiæ infuſæ potuit voluntas Chriſti elicere actus virtutum moralium naturalium.

Inferes primò ex dictis, Chriſtum non acquiſiviſſe virtutes morales ſuceeſſu temporis, ut quidam poſuerunt. Nam privatio hujuſmodi virtutum per aliquod tempus mala eſt, ſicut poſſeſſio earum bonum ſimpliciter reddit;in Chriſto verò nullum malum,nullumque defectum ponere debemus. Nec obeſt quod *Luc.* 2. dicitur de Chriſto, quod proficiebat ætate,ſapientiâ,& gratiâ; nam profectus ille non ſucceſſivum habituum internorum incrementum ſignificat, ſed externam perfectiorum operum manifeſtationem,ſeu ut ait Bernard. *hom.* 2. *ſuper* Miſſus eſt:*Non ſecundùm quod erat,ſed ſecundùm quod apparebat,intelligendum eſt.*

Inferes ſecundò,differentiam quæ eſt inter Chriſtum & Adamum in hac parte.Adam enim non habuit virtutes morales propriis actibus, ſed per accidens infuſas in primo inſtanti productionis, ut docet D.Thom. 1.*p.q.*95.*art.*3. nimirum quia Protoparens debebat illas habere,nec poterat eas acquirere: debebat quidem habere,quia productus eſt in ætate adulta , in qua decebat ipſum eſſe omni virtutum & ſcientiarum ſupellectile ornatiſſimum, cùm productus ſit tanquam dominus,rector , & gubernator univerſi:Non poterat verò eas acquirere in primo inſtanti,quia tunc materiæ omnium virtutum non occurrebant ſicut Chriſto , cui erant præſentiſſimæ, præeunte ſcientiæ infuſæ luce.

Reflexio.

Virtutum actus in primo conceptionis exordio elicuit Chriſtus:qua ergo fronte virtutum praxim uſque ad mortem differt nomine Chriſtianus, in veritate autem Ethnicus & Publicanus?Si tamen homo dici adhuc poteſt,qui minimè vivit, de otioſo enim quantumvis ſene ait Seneca : *Non ſerò mortuus eſt,ſed diu,*vel eo modo vixit,quo arbores dicuntur vivere. Fruſtra nobis de fide blandimur, cùm totum negotium noſtrum in exequutione conſiſtat. Beatus ille qui nedum credit,ſed ſyncerè amat,*cujus* (ut ait Propheta)*in lege Domini voluntas ejus.* Quod expendens Hugo à S.Victor.ait : *Aliud eſt legem habere in corde, aliud cor in lege. Legem in corde habent qui cognoſcunt veritatem:cor in lege habent, qui diligunt veritatem : illi portant legem,non portantur à lege,onerati,non adjuti , quia ſcientia,ubi non eſt charitas,gravat, non allevat.* Imò addo nedum finem ſine operibus mortuam eſſe, ſed vix eſſe fidem,ubi deſunt opera,& non intelligi legem Dei,niſi ab exercentibus eam.Pſal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Eccleſ. 10. *Poſt induſtriam ſequetur ſapientia.* Pſal. 118. *Super omnes docentes me intellexi,ſuper ſenes intellexi.* Cujus rationem dat. *Quia mandata tua quæſivi.* Appoſitè Gregor. *lib.* 11. *Mor.c.*9. ait: *Qui ſtudent operando implere quod didicit, accipit intelligere quod doceret.* Et *hom.* 23. *in Evang.* ſic: *Non auditores legis apud Deum, ſed factores juſtificabuntur:quiſquis ergo vult audita intelligere , feſtinet ea quæ jam audire potuit,opere implere.* Et *lib.* 10. *Mor.c.* 11. ſic: *Sicut ab animo opus ſumitur,ita ab opere animus eruditur.*

Speculatio III.

In Chriſto pariter fuerunt tum omnes gratiæ gratis datæ, tum ſeptem dona Spiritus ſancti.

PRimam partem evincit dignitas capitis , quam habet Chriſtus,quæ exigit ut in ipſo tanquam in fonte,& in centro ordinis ſupernaturalis,diſperſæ in omnibus membris gratiæ eminentiſſimè præhabeantur.Unde Auguſt.*epiſt. ad Dardan.*ait,quod ſicut in capite ſunt omnes ſenſus , ita in Chriſto omnes gratiæ.Id etiam convincitur ex eſſentia hujuſcemodi gratiarum , quæ ad fidei hominibus ſuadendæ & confirmandæ manifeſtationem ordinantur: Ergo in Chriſto omnium Doctorum Magiſtro.& primo Evangelii præcone excellentiſſimè fuerunt,ut novam gratiæ legem tot tantiſque concutiendam tentationum procellis altis radicibus figeret , atque contra omnes ſæculi adverſantes poteſtates , imò & contra portas inferi nunquam prævalituras firmaret.

Inductione veritas hæc apparebit. In primis fuit in Chriſto ſermo ſapientiæ & ſcientiæ ; nam de ipſo etiam puero ſcriptum eſt , quod mirabantur ſuper prudentia & reſponſis ejus. Fuit etiam gratia fidei ſumpta pro ſupereminenti quadam certitudine rerum divinarum, cum ſumma facilitate eas explicandi. Unde dicitur *Matth.* 7. quod *erat docens,tanquam poteſtatem habens,* id eſt,tanquam verſatiſſimus Magiſter in agnitione ſuæ doctrinæ certus, in defenſione immobilis,in promulgatione intrepidus. Fuit pariter gratia ſanitatum,nec non virtutum,ſeu miraculorum & ſignorum, ut ex ſtupendis curationibus , atque portentis in toto Evangelii decurſu recenſitis apparet.Non defuit etiam diſcretio ſpirituum,non ſolùm quia cordis ſecreta penetrabat, ſed etiam veram à falſa,ſolidam ab adulterina pietatem diſcernebat , ut patet *Luc.* 9. dum Jacobo, & Joanni quærentibus: *Domine vis dicamus ut ignis deſcendat de cœlo , & conſumat illos?* ſcilicet Samaritanos , qui noluerant ipſum recipere,Salvator converſus increpavit illos dicens: *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.*

De gratia linguarum , & de interpretatione ſermonum idem cenſendum eſt. Primâ quidem ordinariè non utebatur,quia non erat miſſus niſi ad oves quæ perierant ex domo Iſraël; interdum tamen eam adhibuit,ut cùm erat in Ægypto,vel cùm ſcripſit epiſtolam ad Abagarum Regem Edeſſenorum. De ſecunda verò expreſsè dicitur Luc. 24. *Incipiens à Moyſe,& omnibus prophetis , interpretabatur illis in omnibus ſcripturis,quæ de ipſo erant.* Et rurſum : *Nonne cor noſtrum ardens erat,cùm loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas ?* Ubi obiter nota,ſic Chriſtum interpretari ſolitum ſcripturas , ut ſimul efficeret corda flammantia,cieretque affectus cordis, qui verus eſt modus divina tractandi , quem ſanè non imitantur tot non tam interpretes vel præcones, quàm cauſidici,de quibus graviter & juxtà eleganter Salvian.*lib.* 1. *de Prov.* ait : *Multi elaborarunt, ut ſive utiles ſive inutiles materias ſibi delegiſſent,ſeriem tantùm rerum nitore verborum illuſtrarent , cauſiſque ipſis quas loqui vellent,lucem accenderent Quibus ſeſe impenderent materiis,non curarunt,dummodo ea quæcumque dicerent, aut blando ſermone proderent, aut luculenta oratione enarrarent. Hi verborum pompa cauſas tantùm egerunt ſuas, & propriis magis laudibus , quàm aliorum utilitatibus conſulentes,non id facere adniſi ſunt ut ſalubres,ſed ut diſerti haberentur.*

Denique habuit Chriſtus prophetiæ donum. Dicitur enim Luc. 7. *Propheta magnus ſurrexit in nobis.* Ille enim eſt,& dicitur Propheta, qui cognoſcit & annuntiat ea quæ ſunt procul à notitia eorum cum

F quibus

quibus loquitur; ſive ſint præterita, ſicut Moyſes dicitur Propheta annuncians res geſtas ab initio mundi; ſive ſint præſentia, ſicut Joañes Baptiſta fuit Propheta, dum Agnum Dei tollentem peccata mundi indigitavit; ſive futura ſint, ut ſolent alii communiter Prophetæ prædicere: Sed Chriſtus multa hujuſmodi annuntiavit; præterita quidem, ut cùm dixit *Luc.* 10. multi videre voluerunt quæ vos videtis, & non viderunt. Præſentia, Matt. 9. *Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Futura, Luc. 21. *Erunt ſigna in Sole, Luna & ſtellis, & in terris preſſura gentium.* In hoc ſolùm differebat prophetia Chriſti & aliorum Prophetarum, quòd in illis eſt obſcura, unde 2. *Pet.* 1. dicitur *lucerna lucens in caliginoſo loco*, quia eſt conjuncta cum fide: in Chriſto verò erat clara, quia nullas tenebras patitur ſtatus beatitudinis.

Secunda pars de donis Spiritus ſancti perſpicuè traditur Iſai. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ubi notandum eſt verbum *requieſcet*, quod permanentiam donorum in Chriſto ſignificat, quibus ſemper manebat diſpoſitus ad motiones Spiritus ſancti. Et quamvis hæc dona in nobis multas involvant imperfectiones ratione ſtatus conjunctionis cum fide obſcura, ab illis tamen defectibus ſibi eſſentialiter non annexis munda in Chriſto admittenda ſunt.

Quæ ſanè dona non erant in Chriſto otioſa, vel ad ornatum ſolùm collata, ſed eminentes actus eliciebant. Sapientiæ dono judicabat de rebus æternis per altiſſimas cauſas, & rationes divinas. Intellectu intus legebat & penetrabat omnes veritates ſibi à Deo propoſitas. Conſilio de rebus agendis judicium ferebat, non dubium, ſed firmum, & determinationem eam habens, quam prudentiæ conſilia gignere ſolent. Fortitudine corpus ſuum contra adverſa parabat, & ſe laborioſo Redemptionis operi accingebat. Scientiâ de rebus per cauſas inferiores captui ſeſe noſtro accommodans judicabat. Pietate Deum patrem impensè colebat, & Virginem matrem filiali affectu proſequebatur. Timore demùm immenſam divinæ majeſtatis eminentiam, & ſupremam poteſtatem malum infligere potentem profundiſſimè reverebatur. qui timor non ſervilis erat, ſed filialis, & caſtus; non anxius, ſed ſecurus; præcavens mala, *non ſollicitudine infirmitatis, ſed tranquillitate charitatis*, ut ait Auguſt. *lib.* 14. *de civit.* c. 9. Unde hic timor reverentialis importat quandam veluti fugam ab eminentia tam excelſæ majeſtatis, quam reſpicit non ut malum, ſed ut bonum ſuperexcellens, cui creatura accedere non audet, ſed ſacro pavore concuſſa in propriam parvitatem, & ut ita dicam nihileitatem reſilit. Quod obſervavit D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 10. *ad* 3. dicens: *Separationem importat timor, per hoc quod non præſumit ſe adæquare Deo, ſed ei ſe ſubjicit.* Cujus timoris reverentis & pudorati plura exempla ſcripturæ ſuppetunt ut cùm Joannes non audens tangere ſanctum Dei verticem, clamabat cum timore, *Sanctifica me ſalvator*: ſicut & cùm proteſtatus eſt, ſe non eſſe dignum ſolvere corrigiam calceamentorum ejus: ſimiliter cùm Petrus dixit, *Exi à me Domine*: & cùm Elizabeth advenienti Virgini ſtupens ait: *Unde hoc mihi, ut mater Domini mei veniat ad me?*

Dices: Chriſtus non poterat apprehendere ullum malum ſibi imminens, nec culpam, quia erat impeccabilis; nec pœnam, quia erat voluntati Patris conformis: ſed timor reſpicit malum vel pœnæ, ſi ſit ſervilis; vel culpæ, ſi ſit filialis: Ergo in Chriſto non erat timor.

Reſpondeo timorem præcipuè reſpicere cauſam illam, quæ poteſt infligere malum, cujus eruditam rationem affert S. Thom. *in* 3. *ad Annib. diſt.* 34. *q.* 2. *art.* 1. ex differentia quæ timorem inter & triſtitiam intercedit, quia triſtitia reſpicit malum præſens, ac proinde extra cauſas poſitum; timor verò reſpicit malum ut imminens, ac futurum, ſubindeque intra cauſas adhuc incluſum: unde fit, quod non reſpicit malum, niſi mediante cauſâ, à qua poteſt provenire, & cui reſiſti non poteſt: ſic Chriſtus apprehendebat divinam eminentiam, non quidem ut minitantem ſibi, vel intentantem impendens aliquod malum, ſed ut potentem privare ipſum bonis omnibus ſibi gratis & liberaliter conceſſis: nec eſt neceſſe quod malum aliquod reformidaverit, ſicut videmus quod dum plebeius ad convictum vel alloquium Regis admittitur, regia majeſtate penè obrutus membris omnibus tremit, & tamen nullum malum timet, ſed potiùs plurima bona ſperat, quin & actu Regis clementiam experitur; & tamen regiæ poteſtatis fulgore expaveſcit, quia ſicut bona largitur, ita & pœnas infligere quit tremenda majeſtas.

REFLEXIO.

Circa hæc omnia quæ admittimus in Chriſto gratiarum ornamenta, id ſanè ponderandum venit, quod ſolo ſpiritu timoris repletus ab Iſaïa dicatur, non quòd aliarum gratiarum veluti dimidium ſortitus ſit, ſed ut doceret propheta genuinum ſolidæ ſanctitatis characterem, & germanam ſpiritalis hominis teſſeram eſſe profundam ad Deum divinaque omnia reverentiam. Et certè videmus Sanctos omnes, quo majoribus dignantis Dei favoribus cumulantur, eo dimiſſiùs ad ipſum accedere. Notat Gregor. Mag. *lib.* 10. *Moral. cap.* 27. tunc eas humilitatis voces, *Loquar ad Dominum cùm ſim pulvis & cinis*, protuliſſe Abrahamum, cùm alloquio divino dignatus eſt. *Nuſquam legitur quod Abraham cinerem & pulverem ſe eſſe profeſſus eſt, niſi cùm habere meruit Dei colloquutionem.* eo nimirum reverentior, quo Deus ſibi familiarior. Maria & Martha ſororibus nemo faciliùs cum Chriſto hoſpite egit; & tamen Lazaro infirmante, *non ſunt auſæ dicere*, ut ſanaret eum. Quam caſtam verecundiam extollens Bernard. *lib. de grad. hum. grad.* 12. ait: *O ſanctæ mulieres Chriſti familiares: ſi fratrem veſtrum amatis, cur hujus miſericordiam non flagitatis, de cujus potentia dubitare, pietate diffidere non poteſtis?* Cui quæſtioni ſic reſpondentes inducit idem Doctor Mellifluus: *Sic ampliùs tanquam non orantes oramus, ſic efficaciùs tanquam diffidentes confidimus: ſufficit nobis potentiæ locum pietati dediſſe occaſionem, malentes expectare quid velit, quàm impudenter quærere quod forſitan nolit. Denique quod noſtris meritis deeſt, verecundia fortaſſe ſupplebit.* Sed quid homines recenſeo. Cùm ipſæ tremant poteſtates, columnæ cœli paveant, & ad Dei nutum contremiſcant, ut dicitur *Iob.* 26. Et quod caput eſt, ipſa B. Virgo non ſolùm erubuit, & turbata eſt in ſermone Angeli, ſeque ancillam dixit, dum mater electa eſt, ſed etiam materna authoritate pollens, nihil niſi verecundè à Filio amantiſſimo poſtulabat, ut peregregiè laudatus Bernard. annotavit ponderans illa verba. *Vinum non habent. Diſce ex matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Diſce verecundiâ decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum, inquit, non habent. Quàm breviter, quàm reverenter conceptam precis fiduciam verecundè ſuppreſſit!* Radix omnis impietatis, fons cupiditatis, & immodeſtiæ licentia eſt, quòd Deum divinaque non reveremur: ſicut è contra fundamentum, & conſummatio ædificij pietatis eſt hic ſacer timor; nam ſicut eſt initium ſapientiæ, ita permanet in ſæculum ſæculi.

CAPUT II.

De profluentia meriti & ſatisfactionis Chriſti.

PUlchrè obſervavit Albertus Magnus, triplicem eſſe plenitudinem, ſcilicet *fontis, fluvii, & vaſis.* Fons dat, & à nullo recipit, ſemper plenus: fluvius & recipit, & dat, ſibi plenus, alia implens: vas recipit, ſed nihil dat, ſibi ſoli plenum. Aliqui Sancti dicuntur gratiâ pleni, ut Stephanus plenus gratiâ & fortitudine, & Apoſtoli Spiritu ſancto repleti ſunt ſed ut vaſa ſancta quidem, ſed in alios ſanctitatem effundere ſuam non valentia. Sacratiſſima Deipara gratiâ plena fuit uti fluvius jugiter inundans, ſed à Filio perenniter recipiens: unde collum Eccleſiæ appellatur à Chriſto capite recipiens, ſed membris inferioribus profundens veluti canale, & vehiculum. At Chriſtus eſt plenus gratiâ tanquam fons, à nullo recipiens, omnibus diffundens. Nam ut profundè ratiocinatur Sanctus Thomas, primum agens in quolibet genere ita eſt influens, quod non eſt recipiens in genere illo, ſicut ſol illuminat ſed non illuminatur; ignis calefacit & non caleſit: Chriſtus autem eſt fons ſubſtantialis, & vitalis totius ordinis ſupernaturalis; quia in ipſo eſt Verbum Dei, quod eſt fons ſapientiæ in excelſis, & apud quod eſt fons vitæ. Hujus fontis inundatio patebit ex infinitate meriti & ſatisfactionis ejus.

SPECULATIO. I.

Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, gratiam verò vel gloriam eſſentialem mereri non potuit: nobis autem omnes prædeſtinationis effectus.

ANtequam ſuadeatur hæc ſpeculatio, præmoneo primò triplex in Chriſto diſtingui actionum genus; aliæ enim dicuntur divinæ, quæ Chriſto conveniunt, ut Deus eſt, putà creatio, gubernatio, productio Spiritus ſancti; aliæ ſunt purè humanæ, ut ambulatio, loquutio, cognitio, & amor naturalis; aliæ mixtæ, à Divinitate ut à cauſa principali, ab humanitate verò tanquam ab inſtrumento prodeuntes, ut miraculorum omnium perpetratio. Cum his tamen ſtat, omnes actiones ab humanitate Chriſti procedẽtes appellari divino-humanas, vel Deo-viriles, & theandricas, quia à ſuppoſito divino eas (ſi dicere fas eſt, minùs quidem Latinè, ſed valdè ſignificanter) deificante prodibant.

Præmoneo ſecundò, certum eſſe, Chriſtum per actiones ſuas liberas meritum fuiſſe, dum eſſet in mundo, imò & ab ipſo conceptionis ſuæ exordio, cùm ingrediens mundum ſe Patri pro nobis obtulit. Ratio eſt, quia ad meritum ſex requiruntur, quæ in Chriſto cumulatiſſimè reperiebantur. Primò exigitur liberalitas, quia in naturalibus & neceſſariis nec meremur, nec demeremur: Chriſtus autem perfecta gaudebat libertate, ut infrà patebit. Secundò requiritur bonitas operationis, malis etenim actibus non mercedem, ſed pœnam promeremur: Chriſtus verò quæ placita ſunt Patri, faciebat ſemper. Tertiò deſideratur ſanctitas perſonæ; nam arbor mala nō poteſt bonos fructus facere: Chriſtus autem erat Filius dilectus, in quo Pater ſibi benè complacuit. Quartò neceſſaria eſt relatio ad Deum, qui enim non facit propter Deum, nihil meretur apud Deum, ſed recipit mercedem ſuam, Chriſtus verò non gloriam ſuam quærebat, ſed gloriam ejus qui miſerat ipſum. Quintò exigitur ſtatus Viatoris; nam adepto fine ceſſat motus meriti in finem: Chriſtus verò viator erat; exiverat enim à Patre, & venerat in mundum, ut iterum relinquens mundum vaderet ad Patrem. Sextò neceſſaria eſt promiſſio ex parte Dei, qui nulli obligatur, niſi ſua ſe miſericordia aſtrinxerit, reddens debita nulli debens, ſed ſuæ fidelitati ſatisfaciens: aderat autem talis promiſſio Patris ad Chriſtum, qui ei dederat omnia in manus, & qui palam dixit: *Ego te clarificavi, & iterum clarificabo*, promittens claritatem gloriæ operibus humilitatis ejus. His præmiſſis,

Prima pars probatur tum ex Scriptura. Philipp. 2. *Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod* [vide meritum, & meriti cauſalitatem] *Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Hebr. 2. *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Apocal. 5. *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & honorem, & gloriam, & benedictionem,* id eſt, manifeſtationem divinitatis & virtutis ob meritum occaſionis. Tum ratione S. Thomæ *q. 19. art. 3.* Et omnia meritus eſt Salvator, quæ mereri potuit; etenim Chriſto aſſerenda eſt omnis perfectio, omnique meliori modo: habere autem aliquid per meritum nobilius eſt quàm ſine merito, ſicut nobilius eſt agere, quàm pati. Atqui Chriſtus gloriam corporis & nominis exaltationem mereri potuit, quia cùm eis ab initio caruerit, utique ad ea potuit merendo contendere & pervenire: Ergo & gloriam corporis, & nominis exaltationem Chriſtus meritus eſt.

Dices: Quod debitum eſt, & ad modum proprietatis naturaliter reſultat, non cadit ſub merito: Sed gloria corporis erat debita Chriſto, & ex beatitudine animæ naturaliter dimanabat: Ergo Chriſtus non meruit gloriam corporis, aliàs pro ſe veniſſet, & pro ſe mortuus fuiſſet.

Reſpondeo tunc proprietatem naturalem non poſſe cadere ſub merito, quando ſimul cum eſſentia producitur; quod ſi ſuſpendatur ejus emanatio, tunc optimè poteſt titulo meriti concedi: in Chriſto autem ſuſpenſa fuit corporis gloria, ut Redemptori eſſet patiendi locus. Nec propterea Chriſtus propter ſe venit, aut propter ſe mortuus eſt; quia propter illud ſimpliciter veniſſe dicitur, propter quod primò & per ſe venit, & illud eſt redemptio noſtra.

Secunda pars, quæ à S. Thoma ibidem docetur, ejus diſcurſu ſuadetur contra quoſdam recentiores, inter quos Gonetus noſter, cujus ſimul præveniuntur objectiones. Licèt ſemper non requiratur prioritas temporis inter meritum & præmium, ut patet in augmento charitatis & gratiæ, quod fit in eodem inſtanti, in quo elicitur actus intenſior, necnon & in aliis motibus inſtantaneis, in quibus ſimul exiſtunt fieri & factum eſſe; requiritur tamen neceſſariò prioritas cauſalitatis & naturæ inter meritum & præmium, cùm meritum ſit cauſa præmii: Sed meritum Chriſti nec præceſſit, nec potuit præcedere naturâ & cauſalitate gratiam & gloriam, ſed potiùs eas neceſſariò ſupponebat; quia gratia & gloria ſunt proprietates unionis hypoſtaticæ, vel naturaliter reſultantes, vel ei ſaltem titulo connaturalitatis debitæ & datæ: unde ſicut unio hypoſtatica naturâ præcedit meritum Chriſti, ita gratia & gloria; ea enim quæ ſe habent per modum naturæ, præcedunt libera, quale eſt meritum, Ergo Chriſtus non potuit mereri nec gratiam, nec gloriam.

Hanc rationem tangit S. Doctor *loco cit.* dicens, quod Chriſtus *nec gratiam, nec gloriam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit.* Ubi hæc omnia parificat, aſſerens quod ſicut Divinitas & unio hypoſtatica Chriſti non potuerunt cadere ſub merito

ipſius, ita nec gratia, vel gloria eodem inſtanti per modum naturæ collatæ. Unde in 3. *q.34. art.3.* licèt doceat Chriſtum fuiſſe ſanctificatum in primo inſtanti conceptionis modo adultorum per motum liberi arbitrii, addit tamen *art.4. ad.1.* quod illi actus non fuerunt meritorii gratiæ & gloriæ, ſed ſolius immortalitatis corporis, ad quam paſſione pervenit Chriſtus.

Confirmatur penetrantiùs: Meritum gratiæ & gloriæ non convenit niſi actui charitatis, vel ſaltem à charitate imperato: Sed Chriſtus ſuppoſito quod habuerit gratiam & gloriam in exordio conceptionis ſuæ, non potuit eas mereri actu charitatis: Ergo eas mereri nullatenus potuit. Minor probatur: tum quia meritum ſemper ſupponit ſpem præmii, ſaltem quoad actum; non enim meremur niſi quod obtinere confidimus, & ideo D. Thomas admittit actum ſperandi reſpectu beatitudinis corporis, quam meritus eſt; ſpes verò gloriæ repugnat cum actuali poſſeſſione illius: *nam quod videt quis, quid ſperat*? Rom. 8. Tum quia multi ex Authoribus oppoſitum ſentientibus dicunt, Chriſtum mereri gloriam actu charitatis regulato ſcientia beata; quia ſic dicunt fuiſſe liberum prout ferebatur ad Deum, quatenus eſt ratio diligendi creaturas: ſed implicat actum regulatum viſione beata poſſe mereri eam, quia ſic viſio eſt prior ipſo, & habet rationem principii meriti, quod implicat cadere ſub meritu, quod non poteſt procedere à præmio habito & poſſeſſo, cùm potiùs ad ipſum habendum tendat. Si verò dicatur actum illum regulari ſcientia infuſa, in idem recidit, quia hæc ſcientia in Chriſto ſupponit viſionem, cui ſubordinatur, aliàs eſſet obſcura & imperfecta, quod non minùs repugnat perfectioni Chriſti.

Ex quibus convulſum manet fundamentum oppoſitæ ſententiæ, quæ ſoli inſtantiæ de merito augmenti charitatis innititur. Et ſumma D. Th ſententiæ eſt, quod non dicit meritum & præmium repugnare ex ratione actionis meritoriæ, ſed ex ratione talis meriti & talis præmii, quæ tunc ſimul eſſe non poſſunt, quando habent principia incompatibilia: meritum autem, & augmentum charitatis non habent principia incompoſſibilia, cùm utrumque poſtulet regulari per fidem & ſpem: meritum verò, & gloria habent principia repugnantia; nam meritum à fide & ſpe procedit, viſio verò à lumine gloriæ: unde gloriam, quam Chriſtus ſemper habuit, ſicut nec ſperare, ita nec mereri potuit.

Tertia pars non indiget novis probationibus ſuppoſitis dictis de prædeſtinatione, & gratia Capitali Chriſti. Cùm enim *Chriſtus Ieſus* (ut loquitur Trid. ſeſſ.16. c.6.) *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in juſtificatos virtutem influat*: cùm ſit univerſale principium in genere habentium gratiam, & virtus principii ad omnia illius generis ſe extendat, ut ex D. Thoma diximus, fit inde, Chriſtum omnia bona ſupernaturalia nobis promeruiſſe, cùm nihil influat, quod morte ſua non meruerit.

Sed dices: Etiamſi Chriſtus non veniſſet, contuliſſet Deus auxilia ſufficientia ſaltem ad obſervanda præcepta ſupernaturalia ex vi voluntatis antecedentis ſalvandi omnes homines, & etiam ut quidam credunt, ex juſtitia, ſuppoſito quod Deus nobis voluiſſet talium præceptorum omiſſionem imputare: Ergo illa non conferuntur nobis ex meritis Chriſti; nam propter illa merenda Chriſtus non venit, quæ etiamſi Chriſtus non veniſſet, nobis collata fuiſſent; venit enim Chriſtus ſalvare quod perierat, non verò dare quod remanebat.

Reſpondeo, quod ſicut probabile diximus ſupra collatam fuiſſe gratiam Angelis pluribus titulis, liberalitatis ſcilicet & meriti, & tanquam certum fatentur omnes de gloria corporis & nominis exaltatione, quæ data fuerunt Chriſto titulo connaturalitatis & meriti; & idem certum eſt de dominio ſupremo & regia poteſtate ſupra univerſum mundum, quæ habuit Chriſtus & titulo hæreditatis, & titulo meriti & orationis, ut patet ex illo Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: ut etiam certum eſt de gratiis datis omnibus prædeſtinatis, quæ comparatæ ad meritum Chriſti dantur ex juſtitia, comparatæ verò ad nos, ex pura miſericordia conceduntur: ita poſſet dici auxilia illa ſufficientia conferri & titulo liberalitatis ex vi voluntatis antecedentis, & titulo meriti Chriſti Salvatoris, quia nimirum etiamſi Deus ita ſit comparatus, ut gratiam ſufficientem daret etiamſi Chriſtus non eſſet venturus, tamen eam meritis Chriſti largiretur, tametſi eam largiri antea non ſtatuiſſet.

Quod verò in Argumento inſinuatur, Chriſtum dare gratiam ſufficientem ex juſtitia, nobis ſemper diſplicuit, cùm omnis gratia nobis gratis detur, & ex Auguſtino D. Thomas 2.2 *q.2. art.5. ad 1.* atteſtetur: *Quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid, excluſo auxilio gratiæ, ſic ad multa tenetur, quæ non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad diligendum Deum & proximum, & ſimiliter ad credendum articulos fidei; ſed tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis.* Ubi S. Doctor loquitur de auxilio ſufficienti quod dat poſſe, & de his ad quæ tenemur, ſcilicet credere & diligere; & tamen auxilium illud *miſericorditer* dari confitetur, & tantum abeſt quod illud velle ex juſtitia dari, quod etiam aſſerat interdum ex juſtitia denegari.

Reflexio.

Duo præſertim imitanda in merito Chriſti tibi, Lector, proponam. Primum, ſi Chriſtus à primo conceptionis inſtanti perenniter abſque intermiſſione meritus eſt, quid ad hoc dicent qui ſtant tota die otioſi? Quid reſpondebit omnium fermè hominum multitudo, cujus *magna pars malè agentibus, major nihil agentibus, tota aliud agentibus*, teſte Seneca, *conſtat*. Ne teramus, quæſo, tam pretioſa momenta, quibus æternas poſſumus adipiſci coronas. Nulla dies, hora nulla labatur, quin theſaurizemus theſauros in cœlo, ut dies pleni inveniantur in nobis, nec noctem illam expectemus, in qua *nemo*, ut dicitur Joan. 9. *poterit operari*. In via Dei nihil falſa quiete pernicioſius. Qui nihil agit, non movetur; qui non movetur, non vivit, ſed mortuus eſt, ſubindeque areſcit, & in ignem mittetur. Verè Magnus Leo *ſerm. 8. de Paſſ.* dixit: *Qui non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, non nihil perdit: quantumlibet enim quiſque juſtificatus ſit, habet tamen dum in hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit, & melior.*

Alterum quod ex merito Chriſti facilè inferas, eſt: Si Chriſtus gloriam corporis non ſuſpendit modò, ſed etiam tot laboribus, tam diris cruciatibus, immanique voluit morte comparare; ſi priùs favos, quàm mella guſtavit; ſi priùs Rex Judæorum in cruce proſcriptus, quàm Rex gloriæ in cœleſtibus ſalutatus; ſi de torrente miſeriarum in via ſua pleno poculo priùs bibit, quàm ſuper omnes cœlos exaltaret caput; ſi oportuit ipſum pati, ut intraret in gloriam ſuam, tametſi connaturaliter debitam; ſi demùm fuit creditus dignus accipere gloriam & honorem, quia occiſus eſt: qua fronte, aut quâ dementiâ Epicurei hujus ſæculi Chriſtiani, qui ab unica carnis mortificatione veluti à ſummo malo abhorrent, ad cœleſtia regna ſe perventuros confidunt? Nonne

iſti

iſti in vanum receperunt animam ſuam effœtam virtutibus,fœtaoı vitiis,quibus efficitur lutea lutea & brutalis.Sic errant aliqui(inquit Bern.*ſerm.19.in Pſal. Qui habitat*) *& in tantam oblivionem, & ſpiritualem phreneſim devenerunt,ut nihil ſe aliud putare, quàm exterius hoc tabernaculum videantur.* In quorum corpore(ſubdit Chryſoſt.hom.1.in Matt.) *anima nihil agit,ſed in tota illos poſſidet ſanguis.* Felix qui corpus aliquando rerum glorificandum ad tempus circumſcribit,& caſtigat,ne reprobus efficiatur. Felix qui, ut loquitur Ambroſ.epiſt.60. *Corpore tantùm pro velamine utitur,non pro officio*, ſibi mortuus, Deo vivens,& in æternum regnaturus.

Speculatio II.

Opera Chriſti non ſolùm ex extrinſeca Dei acceptatione, ſed etiam ex intrinſeco pretio infiniti valoris erant, tum ad merendum, tum ad ſatisfaciendum.

VErè Chriſtus dicitur nobis datus,nobis natus; ſiquidem ut ex D. Thom.*specul præcedenti* vidimus,nullam ſibi gratiam, nullum gloriæ eſſentialis gradum ſibi promeruit. Nec obeſt quod idem S. Doctor infrà,*qu.48.art.1.in corp.*dicat: *Chriſtum per ſuam paſſionem non ſolum ſibi, ſed etiam omnibus membris ſuis meruit ſalutem*; ly enim *ſalutem*, non cadit ſupra ly *ſibi*,ſed ſupra ly *membris ſuis*, ut ſenſus ſit; Chriſtus non ſolùm meruit ſibi, ſed etiam nobis ſalutem.Niſi addas,Chriſtum meruiſſe ſalutem & ſibi & nobis,ſed non eodem modo:ſibi quidem ſalutem corporis,nobis animæ & corporis. Primò ergo & principaliter hominibus deſervit meritum operum Chriſti,cujus ſanè dignitatem &excellentiam depretiari videntur Scotiſtæ,qui infinitum operum Chriſti valorem non internum,aut innatum, ſed extrinſecum & ex ſolo Dei favore derivatum comminiſcuntur,contra quos

Probatur ſpeculatio:Meritum reſpicit bonum ut à Deo obtinendum,ſatisfactio verò reſpicit jus alienum reſarciendum: Sed actiones Chriſti Domini habuerunt ad utrumque vim ex proprio& nativo valore infinitam:Ergo opera Chriſti fuerunt ab intrinſeco infinitè meritoria & ſatisfactoria. Probatur minor:Chriſtus merebatur & ſatisfaciebat per actus humilitatis,obedientiæ,aliarumque virtutum: Sed actus illi habebant vim ad utrumque præſtandum infinitam;vis enim merendi, & ſatisfaciendi per actum humilitatis exhibita tanta eſt, quanta eſt dignitas perſonæ ſe ſubjicientis; eo namq; æſtimabilius eſt objectum, quo excellentior eſt dignitas obſequentis,qui dum obſequitur, non ſolùm ſuam operationem ſupponit,ſed ſeipſum quoque actione illa deprimit: v.g.genuflexio Regis ipſam Regis perſonam proſternit:Ergo illæ actiones Chriſti,quibus ſe Patri ſubjiciebat,tanti erant valoris, tantæque æſtimabilitatis,ſive ad merendum, ſive ad ſatisfaciendum,quantæ dignitatis eſt ſuppoſitum Chriſti humiliatum,quod utique eſt ab intrinſeco infinitè æſtimabile,ſubindeque in actiones omnes ſupra ſuppoſitum reflexivas infinitum pretium per ſe, & ab in- intrinſeco refundebat.

Hanc rationem tetigit Apoſtolus energicis illis verbis, *Exinanivit ſemetipſum*, non dixit ſuam humanitatem,ſuum corpus,ſuam animam,ſed *ſemetipſum*, id eſt ſuam perſonam divinam in humanitate ſubſiſtentem Pondera etiam ly *exinanivit*,id eſt, ſicut nihilum infinitè diſtat ab ente,nec aliud magis dejici poteſt,quàm ſi redigatur ad nihilum;ita nec eſſe,nec excogitari poteſt humilitas major eâ,quâ Chriſtus ſe Patri cernuus inclinavit.Quia ſic perſonâ divina depreſſa eſt,quâ abjectione nihil æſtimabiliùs eſſe poteſt,niſi poſſet aliquid Deo majus excogitari, ſubindeque Deus his Chriſti humiliationibus fuit quantum honorabilis eſt, phyſicè & realiter honoratus, ſicut peccato fuerat quoad effectum offenſus, quantum offendibilis eſt.Nec hoc habent opera Redemptoris ex extrinſeca Dei dignantis acceptione, ſed ex propriæ naturæ pretio & fundo inexhauſto & inexhauribili,in quo totius Eccleſiæ innititur theſaurus, *de cujus conſumptione*(inquit Clemens VI.in extravaganti *Unigenitus*)*non eſt aliquatenus formidandum propter infinita merita Chriſti*,cujus actiones nedum à ſuppoſito divino fluebant, ſed etiam in ipſum refluebant;quia Deum elicientem ſubjiciebant, atque per hunc humiliationis fluxum & refluxum opera valoris intrinſecè infiniti Patri offerebantur.

Objicies:Opera Chriſti meritoria, putà humilitatis,obedientiæ,charitatis,erant finitæ perfectionis moralis;neque enim excedebant pretium charitatis & gratiæ,à qua procedebant;quas tamen conſtat eſſe ſimpliciter finitas:Ergo attento duntaxat interno operum pretio,valor eorum erat ſimpliciter finitus.

Reſpondeo menſuram valoris meriti & ſatisfactionis Chriſti non eſſe penſandam ſolùm ex phyſica operis exhibiti perfectione,nec ex ſolo principio *quo* hujuſcemodi operationes exercebantur, gratiâ ſcilicet,charitate,aliiſque virtutibus;ſed ex dignitate perſonæ elicientis,ut patet ex probatione ſpeculationis,cui ad doctrinæ ubertatem adjici poteſt,quod valor & meritum ſunt modi morales, qui phyſicam actus perfectionem grandi intervallo excedere poſſunt,ut apparet in genuflexione Regis & plebeii,quæ phyſicè quidem ſpectatæ ejuſdem ſpeciei ſunt,moralis tamen utriuſque æſtimatio immanè diſtat. Cujus rei ulterior ratio eſt, quia ſicut gravitas injuriæ ex dignitate perſonæ læſæ perpenditur;ita ſatisfactionis pretium ex perſonæ depreſſæ eminentia creſcit eo ampliùs,quo profundiùs incurvatur:Ergo actio quâ ſubjicitur Deus,tanti,nec minoris valoris eſt, quantæ dignitatis eſt perſona divina.

Sed inſurges:Ad meritum neceſſaria eſt promiſſio ex parte Dei,qui nulli niſi ex abundantia miſericordiæ ſuæ obligatur: Sed promiſſio Dei eſt merè gratuita,& ex puro favore procedit: Ergo infinitas meriti Chriſti ab extrinſeco Dei favore pendebat.

Reſpondeo quod quanvis Deus promiſerit Chriſto præmium ſuorum operum,ut vidimus ſpeculatione præcedenti; tamen hoc pactum & promiſſio non neceſſariò ad meritum Chriſti requirebantur: illud enim inter actiones Chriſti & puri hominis intereſt,quod priores non habent ex ſe rigoroſam proportionem cum præmio,unde conventionem de denario præmii conferendi intervenire neceſſe eſt, At verò poſteriores ex proprio & intrinſeco fundo rigoroſam habebant cum præmio condignitatem, hoc ipſo quod à perſona infinita procedebant: unde ſuppoſita Chriſti ordinatione ad præmium, Deus illam reſpuere non poterat, quia perſona offerens Deus erat. Adde quod promiſſio,favor, & pactum præſuppoſitivè ſolùm ſe habens, non impedit infinitam & rigoroſam vim ſatisfaciendi,ut patebit ſpeculatione ſequenti.

Inſtabis:Valor meriti, & ſatisfactionis non creſcit ſemper juxta incrementum perſonæ merentis & ſatisfacientis;actus enim charitatis ejuſdem intenſionis à viris ſanctitate inæqualibus procedens, perfectione tamen æqualis eſt: Ergo infinita dignitas perſonæ Chriſti non propterea infinitatem intrinſecam operibus diffundebat.

Reſpondeo,actiones æquales non admittere valo-

ris æqualitatem, quando ad earum productionem dignitas perſonæ concomitanter ſolùm ſe habet, nec per ſe in eas influit: in actionibus tamen illis, in quibus perſonæ dignitudo per ſe conducit, eo major ſplendet valor, quo præcellentior eſt perſona: v.g. actus humilitatis, quo S. Ludovicus nixus genibus pauperibus ægris fercula miniſtrabat, profectò per ſe æſtimabilior erat ſimili obſequio quod præſtant alii inferiores, quia in tam imitandæ humilitatis exemplo ſeſe regalis majeſtas propter Deum inclinabat. Similiter preces, quas Beatiſſima Deipara ad Filium fundit, per ſe ſunt ad impetrandum efficaciores, quia impetratio unius amicitiæ legibus ſubnititur, juxta quas perſona charior acceptiores preces emittit. In actionibus autem humilitatis, obedientiæ, reverentiæ, religionis Chriſti erga Patrem, ipſa dignitas perſonæ ſeſe ſubjicientis concurrebat: unde ſicut hæc humilitatis exhibitio tantum erat profunda, quantum Deus altus eſt; ita tam grata Patri, quàm Filius amabilis, tantumque juris læſi reparatrix, quantum eſt pretium perſonæ divinæ, quæ ſimul erat offerens, & res oblata.

Urgebis: Valor ille operum à Chriſto manantium eſt aliquid reale in actibus phyſicè finitis: Sed quod recipitur in actibus finitis finitum eſt; quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur: Ergo ille operum valor finitus eſt.

Reſpondeo, valorem illum nihil aliud eſſe quàm ordinem intrinſecum operum Chriſti ad ſuppoſitum divinum, à quo procedunt, & cui uniuntur, ex qua conjunctione infinitam illam æſtimabilitatem hauriunt; quia actiones à ſuppoſito divino procedentes ſecundùm moralem æſtimationem non ponunt in numero cum illo, quia ipſum veluti involvunt; unde plus Deo placent, quàm actiones cujuſvis puri hominis juſti, etiam poſſibilis. Valor ergo ille actionum phyſicè finitus eſt, moraliter tamen infinitus. Imò & phyſicè infinitus dici poteſt, quia perſonam Verbi infinitam involvit, & ſaltem in obliquo importat.

Inſiſtes: Incredibile eſt, Chriſtum plus meruiſſe, quàm Deus potuerit ipſum munerare; nam juxta communem Theologorum doctrinam, Deus infinitè liberalis mercedem rependit ultra condignum, ſicut punit citra condignum: Atqui id ſequeretur ex noſtra ſententia, juxta quam merita Chriſti ſunt infinita, quibus tamen non correſpondet niſi gloriæ præmium finitum: Ergo, &c.

Reſpondeo gloriam non eſſe præmium operum Chriſti, cùm eam non potuiſſe mereri antea vidərimus; nec tamen præmio ſuo dejecta ſunt. Tum quia in plurium ſententia meruerunt & obtinuerunt extenſionem unionis hypoſtaticæ ad novas partes materiæ, quas per nutritionem acquirebat. Tum quia meruerunt inſtitutionem Sacramentorum, ſubindeque venerabilis Euchariſtiæ, quod eſt infiniti valoris ſacrificium. Tum quia meruerunt etiam remiſſionem peccatorum mortalium, quorum malitia eſt infinita. Tum demùm, quia præmium ſuum ex rigore juſtitiæ meruerunt, ut poſtea dicemus, quod arguit infinitatem in modo præmii, quantumvis aliunde entitativè finiti.

Perſiſtes: Si quodlibet Chriſti opus eſſet infiniti valoris, meritum ſuum unica actione Redemptor conſummaſſet, nec ejus paſſio & mors majoris eſſent meriti, quàm jejunium vel oratio, cùm merito infinito nihil poſſit addi: Conſequens autem quis credat?

Reſpondeo nullum eſſe dubium, quin Chriſtus potuerit unica actione mereri & ſatisfacere pro peccatis totius mundi; verumtamen quia ad meritum requiritur ordinatio merentis, ideo Chriſtus meritum ſuum non unica actione, ſed morte conſummavit, ut tam copioſa & laborioſa redemptione majorem amoris ſignificationem hominibus demonſtraret. Porrò mors illa, & tanta dolorum tolerantia ex dignitate perſonæ aliis operibus æqualis, ex objecto, aliiſque circunſtantiis præcellebat.

Reflexio.

Hujus ſpeculationis materia ſicut ingentem pavidis conſolationis campum aperit, ita perperam ex eâ impunè peccandi licentiam arripiunt impii. Quando anima in ſe reverſa, & ad Deum ſyncerè converſare cogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ repentino timore configitur, dum patrata peccata gravitate infinita, multitudine innumera, & coram judice æquiſſimo in veritate trutinanda ob oculos ponit turbidis hujus pavoris fluctibus infinita Servatoris merita opponat, ſi tamen in novitate vitæ ambulet nova creatura, verba Bernardi in extremis laborantis, & à dæmone multipliciter accuſati, humili quidem, ſed intrepida, imperturbataque mente uſurpet: *Fateor indignus ſum regno cœlorum, ſed duplici jure obtinens illud Dominus meus, hæreditate Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donavit, cujus beneficio illud mihi vindicare non erubeſco.* Præclara ſunt & lacte manantia verba illa Diſcipuli amoris cap. 3. ſuæ primæ: *Si reprehenderit nos cor noſtrum, major eſt Deus corde noſtro.* Quaſi dicat, ſi te peccatorum memoria pungit, ſi te divinorum judiciorum deterret abyſſus, ſi accuſantis conſcientiæ ſtimulis angaris, noli in deſperationem adigi, ſed confide, quia *major eſt Deus corde noſtro*; non habet Deus anguſtum cor, ſicut hujuſmodi anguſtiati; ampliſſimi ſinus eſt Salvator, pectus habet ad nos juvandos proclive, latus ad nos recipiendos apertum, cor ad indulgendum paratiſſimum, & merita peccatorum omnium & numerum & gravitatem infinito valore ſupergredientia.

Ergóne propterea effrenati de meritorum Chriſti infinitate confiſi ſicut aquam peccatum bibent, aut negotio ſalutis ſegnes indormient? Abſit, abſurdum eſt & iniquum eſt. Pœnitentibus quidem fiduciam præbet meritum Chriſti, ſed non præſumentibus & ingratis, non incurioſis, aut inertibus. Verè dixit Apoſtolus Rom. 3 *Quem* (Chriſtum) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Id eſt ſanguine Chriſti non remittuntur peccata, niſi præterita: tunc verò præterita ſunt, quando eis præſens voluntas non adhæret; quandiu enim ad illa afficitur, tandiu præſens remanet præcedentium macula delictorum. Nemo ergo ſe decipiat, nec merita Chriſti ſibi prodeſſe præſumat, niſi voluntatem peccandi dimittat. Satisfactio Chriſti quámlibet infinita, noſtram quoque exigit pœnitentiam. Nam ſicut pertinet ad perfectionem cauſæ primæ, non quod ſola operetur, ſed ex abundantia bonitatis cauſas ſecundas cooperari efficiat: ita ſatisfactionis Chriſti plenitudo poſtulat, ut cum ipſo compatiantur, qui cum ipſo voluerint conregnare. Satisfactioni Chriſti injurius eſt, qui cum Paulo non adimplet quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne ſua, nec audit Petrum omnibus indicentem: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Aliàs nihil proderit ſanguis fuſus. *Quis eſt* (inquit Bern. ſerm. 2. in oct. Paſc.) *qui teſtimonium habet effuſi non ſine cauſa ſanguinis Chriſti, niſi qui continet à peccatis.*

Sed de his plura reflexione ſequenti.

SPECU-

Speculatio II.

Satisfactio Chriſti Domini fuit actus ſtrictæ & rigoroſæ Iuſtitiæ.

ID eſt Chriſtus Domious ſatisfaciendo pro peccatis ita exactè jus divinum læſum reſarcivit, ut tantum, imò longè ampliùs ſolverit pro peccatis noſtris, quantum Deo per peccatum ablatum eſt, ſervatis legibus ſtrictæ & rigoroſæ æquitatis, & ſummis juris apicibus. Huic autem aſſerto, quo in immenſum attollitur operum Chriſti præcellentia, favet omninò modus ille loquendi Scripturæ & Patrum uno ore non ſemel diceorium, Chriſtum eſſe *noſtram juſtitiam, ad amuſſim debita noſtra coæquantem*, ut loquitur *Concilium Epheſinum*; apud ipſum eſſe *copioſam redemptionem*, morte ſua ſoluiſſe Patri debita noſtra, *& delevisse quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, ut dicitur *Coloſſ.* 2. Quem locum componit Amb. *in Pſalm.* 118. cum illo Sap. 14. *Benedictum lignum per quod fit juſtitia*, & ait: *Iuſtitiæ aſcribit ſcriptura divina veniam peccatorum, ſecundùm illud: Benedictum lignum per quod fit juſtitia; juſtitia autem quæ eſt crucis? Niſi quod aſcendens illud patibulum Dominus Ieſus Chriſtus peccatorum noſtrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum ſuo cruore mundavit.* Et Magnus Leo *ſerm.* 10. *de Paſſ.* ait: *Evacuatum eſt igitur illud generale venditionis noſtræ, & lethale chirographum, & pactum captivitatis in jus tranſiit Redemptoris. Sic ſuam Chriſto conſummante victoriam, ut cum ipſo, & in ipſo omnes, qui in eum crederent, triumpharent.* Et *ſerm.* 11. Intelligamus non ſolùm remiſſionem peccatorum in Chriſto completam, *ſed etiam formam juſtitiæ eſſe propoſitam.*

Subſcribit etiam apertè S. Thom. infrà, *q.* 48. *art.* 2. his verbis: *Chriſtus Deo magis aliquid exhibuit, quàm exigeret recompenſatio totius offenſæ humani generis, propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat, quæ erat vita Dei & hominis; & ideo paſſio Chriſti non ſolùm ſufficiens, ſed etiam ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis, ſecundùm illud* 1. *Ioan.* 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Probatur ratione à priori: Opera ſatisfactoria Chriſti fuerunt talia, ut eis juſtitia divina contenta eſſe debeat, nec poſſit aliquid amplius in rigore exigere pro ſui juris læſi reparatione: Ergo Chriſtus ſtrictè & rigoroſè ſatisfecit; nihil enim aliud intelligimus per rigoroſam ſatisfactionem. Probatur antecedens: Valor ſatisfactionis operum Chriſti non ſolùm fuit æqualis gravitati injuriæ omnium peccatorum humani generis, ſed etiam longè major, idque non ex extrinſeca duntaxat acceptatione, ſed etiam ex intrinſeca operum condignitate: Sed juſtus Deus pro ſuo jure læſo non poteſt aliquid amplius in rigore exigere, quando ei aliquid æquivalens, imò ſuperexcedens debitum peccati redditur. Ergo ſatisfactione Chriſti debuit juſtitia divina læſa eſſe contenta, nec aliquid ampliùs potuit poſtulare. Minor patet, omni quippe debito fit ſatis exhibitione æquivalentis & ſuperabundantis; aliàs creditor eſſet ſimilis, imò & durior homine illo auſtero tollenti quod non poſuerat, & metenti quod non ſeminarat. Majorem verò docet unanimis Scripturarum, Patrumque concentus. Hebr. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine hircorum & taurorum auferri peccata, & ideo ingrediens mundum dixit, Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.* Ubi præfertur valor ſatisfactionis Chriſti veteris legis mactationibus, in hoc quod his non poterat auferri peccatum, ſed ſolius Chriſti corporis hoſtiâ: ſi autem ſatisfactio Chriſti ex propriæ innatæque virtutis efficacia non compenſaret injurias illatas, fruſtra ei Apoſtolus antiqua libamina poſtpoſuiſſet; nam ex extrinſeca acceptatione poterant ſacrificia antiqua culpis patratis coæquari: Ergo aliquid ampliùs aſſerit Apoſtolus Chriſti operibus, internam ſcilicet & congenitam virtutem ſatisfaciendi ad æqualitatem, & ad rigidam juſtitiæ trutinam, ut ubi abundavit delictum ſuperabundet & gratia; ut validius ſit donum libertatis, quàm debitum ſervitutis, ait Magnus Leo; neque impleatur Iſaiæ vaticinium: *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.*

Subſcribunt omnes Patres affirmantes purum hominem, quantumcunque gratiis cœleſtibus opimum, non potuiſſe pro peccatis ſatisfacere, ſed ad hoc neceſſarium fuiſſe Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum; Igitur plus tribount ſatisfactioni Chriſti, quàm puri hominis: Sed ſatisfactionem puri hominis potuit Deus extrinſeco favore acceptare ad remiſſionem peccatorum; Ergo plus habet ſatisfactio Salvatoris, nimirum propriam & nativam vim & ſufficientiam ad omnes injurias per peccatum illatas rigoroſiſſimè compenſandas. Unde Chryſoſt. *hom.* 10. *in epiſt. ad Rom.* ait: *Multò plus quàm debeamus, Chriſtus pro nobis ſoluit, tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immenſum.*

Et ratio eſt, quia longè amplius eſt perſonam divinam ſeſe Deo actibus humilitatis ſubjicere, quàm divinum honorem quoad affectum lædere: hoc ſecundum facit quidem homo dum peccat, ſed primum præſtitit Chriſtus factus obediens uſque ad mortem crucis. Ergo totum quod peccato ablatum eſt, abundantiùs reſtituit. Hanc rationem acutè tangit Chryſolog. *ſerm.* 45. expendens illud Pſalm. 6. *Et tu Domine uſquequò? Convertere Domine*; & ſic ait: *Homo peccat, & Deus convertitur. Ita fratres, quia juxta Prophetam iſte peccata noſtra portat, & pro nobis dolet. Et Beatus Ioannes: Ecce qui tollit peccatum mundi. Suſcepit peccatum, ut tolleret, non haberet. Convertere Domine, unde? ubi? De Deo in hominem, de Domino in ſervum.* Ubi ideo docet Chriſtum ſatisfactione ſua tollere peccatum mundi, quia eſt Deus & homo, & præ ſumma humilitate ſervus factus eſt.

Dices: Plus Deo diſplicet peccatum, quàm placeat ſatisfactio Chriſti: tum quia peccatum non minùs diſplicet Deo, quàm placeat bonitas propria, quam deſtruere molitur peccatum; bonitas verò propria plus utique placet, quàm ſatisfactio Chriſti. Tum quia gravitas injuriæ Deo irrogatæ infinita eſt, nedum ex infinita dignitate perſonæ offenſæ, ſed etiam ex infinita vilitate offendentis: ſicut atrocior eſt injuria ſervi in Regem, quàm alterius Regis in Regem. Unde ſi per impoſſibile una perſona divina offenderet aliam, illa injuria eſſet ſolùm infinita ex parte perſonæ offenſæ; illata verò à vili creatura geminat gravitatis infinitatem: ſatisfactio verò Chriſti non eſt infiniti valoris, niſi ex parte ſatisfacientis; nam infinita dignitas perſonæ, cui ſatisfit, non auget, ſed minuit ſatisfactionem, quæ eſſet major, ſi creditor non eſſet infinitus. Ergo Chriſtus non reddidit Deo æquivalens pro peccatis.

Reſpondeo plus placuiſſe Deo ſatisfactionem Chriſti, quàm diſplicere poſſint omnia peccata, etiam poſſibilia, quæ effectivè ſolùm divinitatem deſtruunt: ſatisfactio verò Chriſti nedum quoad affectum divinitatem Deo reſtituit, ſed etiam perſonam infinitæ dignitatis & amabilitatis Deo ſupponit, quæ tam neceſſariò à Deo diligitur, quàm bonitas propria, cùm illa perſona Deus ſit. Et quanvis ſatisfactio Chriſti ſit ſolùm infinita ex parte ſatisfacientis, præponderat tamen gravitati injuriæ ex majeſtate læſa, & vilitate lædentis conſurgenti, quia per peccatum affectivè tantùm læditur Deus, ſatisfactione verò

Deus realiter exinanitur. Maximè quia in ſatisfactione Chriſti fuerunt infinitæ infinitates, nimirum in ratione meriti, religionis, humilitatis, aliarumque virtutum; unde pleniſſimè duplici peccati infinitati æquipolluit, ſicut corpus immenſum æquivaleret, & infinitè excederet ſuperficiem in longum & latum infinitam; ſed non in profundum: ſatisfactio autem Chriſti infinitatis dimenſiones omnes habet, unde & in ipſo dicitur habitare *plenitudo Divinitatis corporaliter*; quia ſicut corpus trina dimenſione occupat locum, ita in operibus Chriſti omnes virtutum omnium poſſibiles gradus & dimenſiones, potiſſimùm verò longitudo, ſeu longanimitas patientiæ, latitudo charitatis ad omnes extenſæ, ſublimitas religionis ad Deum non ſecus ac incenſum aſcendentis, profundum humilitatis & obedientiæ ſe non ſolùm Deo Patri, non ſolùm ſacris parentibus, ſed etiam hominibus, iiſque ſceleſtiſſimis ſubdentis, reperiuntur.

Omnes juſtitiæ conditiones ex rigida ratione juris in ſatisfactione Chriſti ſervatæ.

Probatur ſecundò à poſteriori, enumerando & applicando quinque conditiones ad ſtrictam ſatisfactionem à Doctoribus apponi ſolitas, quas omnes ad amuſſim, & ad unguem beniguiſſimus fidejuſſor noſter accuratiſſimè obſervavit, ut patebit diſcurrenti.

Prima conditio rigidæ ſatisfactionis eſt, quod ſit ad alterum, nemo enim poteſt ſibi ſatisfacere, ſicut nemo ſibi propriè injurius eſt; quia quidquid ſibi faciat homo, volens facit; volenti autem non fit injuria, ubi autem non eſt injuria, nec ſatisfactio eſſe poteſt. Atqui hæc conditio rectè intellecta ſalvatur in ſatisfactione Chriſti. Sic autem intelligitur, ut ſit ad alterum non ſuppoſitum ſtrictè acceptum, ſed ad alternm individuum; tota enim ratio, quare juſtitia ſtricta exigit in humanis alterùm ſuppoſitum, eſt ut ſalvetur & compenſetur ad æqualitatem jus offenſi, & ſatisfiat obligationi: quæ omnia optimè ſalvantur ſuppoſitâ ſolâ diſtinctione naturarum, & voluntatum, quamvis utriuſque ſit idem ſuppoſitum. Enimverò non minùs poſtulant actus Religionis & obedientiæ eſſe ad alterum, quàm actus juſtitiæ; & tamen de fide certum eſt, Mediatorem noſtrum hujuſmodi actus exercuiſſe; dicitur enim Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* De actu etiam religionis liquet ex illo Joan. 8. *Honorifico Patrem meum.* Ergo in Chriſto ſervata eſt prima conditio, quatenus hic homo ut habens humanam naturam ſatisfecit Deo, & ſibi ipſi ut habenti naturam divinam.

Dices: Chriſtus ſatisfaciendo vel exhibuit divinitatem, & ſic nihil diſtinctum à Patre obtulit; vel ſuam perſonam, & ſic non diſtinguitur à ſeipſo; vel humanitatem, & ſic obtulit quidem aliquid diſtinctum, ſed ad jus divinum læſum de rigore reſarciendum planè inſufficiens.

Reſpondeo Chriſtum ut ſubſiſtentem in natura humana ſeipſum obtuliſſe & Patri, & ſibi ipſi ut ſubſiſtenti in natura divina. Verbum etenim divinum ſubſiſtens in duabus naturis fungitur vice duorum ſuppoſitorum; & ſicut ut ſubſiſtens in natura divina producit Spiritum ſanctum, creat, & conſervat orbem terrarum; ita ut ſubſiſtens in natura humana humiliatur, patitur, obedit, ac ſatisfacit. Unde, ut benè ait B. Albertus Magnus (Beati nomine jam meritò poſt ſpecialem Clementis X. conſtitutionem inſigniendus) *Ipſe eſt exhibens, ipſe recipiens.* Et hoc eſt illud tam grande commercium, quod Eccleſia vocat *admirabile*, quo ipſe offenſus & creditor invenit artem ſibi ipſi ſatisfaciendi per aſſumptionem naturæ alienæ.

Replicabis: Inter filium & patrem, teſte Philoſopho, non intercedit propriè dicta juſtitia, quia filius eſt aliquid Patris, & quaſi pars ejus: Ergo multò minùs invenietur inter Filium Dei & Patrem Æternum, quorum eadem numero natura communis eſt: multò etiam minùs inter Filium & ſeipſum.

Reſpondeo inter patrem & filium non poſſe ſtrictam juſtitiam reperiri, quandiu filius manet ſub cura & poteſtate patris, nullumque habet proprium alicujus boni dominium: Chriſtus autem ut Deus non eſt ſub poteſtate Patris, ſed illi omninò æqualis; ut homo verò liberum habuit ſuorum operum dominium, per libertatem enim veluti emancipatur cor humanum: hinc præberi ſibi cor hominis tam ſæpe petit Deus, quaſi rem alienam, tametſi ſuam; petit reſtitui ſibi per amorem, quod charitate donavit; & munus credit recipere, dum amatur. Væ deneganti cor ſuum tam magnifico largitori. Næ indignus eſt cor recepiſſe, qui illud ei non reſtituit, à quo recepit.

Secunda conditio rigoroſæ ſatisfactionis eſt, ut non ſit fundata in gratia offenſi; gratia enim & juſtitia ſtricta opponuntur, nec poteſt rigoroſa cenſeri ſolutio, quæ non niſi ex favore & indulgentia creditoris admittitur. Atqui hæc conditio ſervatur etiam in ſatisfactione Chriſti, quæ licèt in gratia unionis Chriſto liberaliter collata, atque in auxiliis divinis gratis datis nitatur; tamen non quælibet gratia à perſona offenſa vel creditore facta ſolutioni & perfectæ ſatisfactioni obſtat, ſed ea ſolùm, quæ ipſam debiti ſolutionem formaliter ingreditur, ita ut gratia data non ſolùm ad ſatisfaciendum juvet, ſed etiam ſit illud ipſum, per quod ſatisfit; quia tunc collatio doni eſt virtualis condonatio debiti: ſi verò gratia præſuppoſitivè duntaxat ſe habeat, ita ut licèt fuerit collata in finem ſatisfactionis, tamen non ex ea ſolùm ſatisfactio fiat, ſed ex aliis labore & induſtria comparatis, tunc gratia rigoroſam non impedit ſatisfactionem.

Res exemplo fiet illuſtris: Si creditor videns debitorem ad ſolvendum impotem, aliquam ei pecuniam mutuò det, ut lucrando poſſit & mutuum & debitum exſolvere, poterit deinde debitor ex his, quæ inter negotiandum lucratus eſt, debitis ſuis ex rigore facere ſatis, quantumvis mutuo gratis dato tota ſolutio innitatur. Similiter ergo in propoſito noſtro, licèt humanitati Salvatoris gratia unionis, divinorumque auxiliorum adjumenta liberaliter collata ſint, tamen non per ea ſolummodo ſatisfecit, ſed charitatis, obedientiæ, humilitatis, & innumerabilium laborum pretio debita noſtra ſupra modum compenſavit.

Accedit primò hanc doctrinam maximè veram eſſe in materia honoris. Si enim Petrus læſus det Paulo calumniatori chartam & atramentum, imò juvet ipſum & manuducat ad litteras exarandas, quibus calumniam ſycophanta retractet, tunc hujuſmodi revocatione maledicentiam ejurante, & palinodiam canente, præſertim litteris conſignatâ Paulus Petro honorem læſum reſtituet, quantumvis Petri adjutorio id præſtet; quia quocumque tandem modo id fiat, honor reſtauratur. Dominica autem Incarnatio eſt quidem gratiarum omnium maxima; ſed quia poſt ejus exequutionem Chriſtus ſe profundiùs inclinavit, quàm ſe peccator ſuperbiendo extulerat; & aliunde perſona humiliata ejuſdem eſt dignitatis ac læſa, fit inde tantum honoris Chriſtum Deo offenſo reſtituiſſe, quantum ei auferre peccator molitus fuerat.

Dices: Non ſolùm opera Chriſti ſatisfactoria gratiam unionis & habitualem ſupponebant, ſed etiam auxilium actuale ad ſingulos actus requirebant: Ergo non ſolùm præſuppoſitivè, ſed etiam actu & formali-

Digitized by Google

formaliter ſolutionem debiti ingreditur gratia creditoris.

Reſpondeo auxiliorum omnium apparatum collatum fuiſſe humanitati, non ſuppoſito, reſpectu cujus non habebat rationem gratiæ, ſed humiliationis; humiliatur quippe Deus infinitus & ditiſſimus, dum voluntariè fit indigus; actiones autem Chriſti vim ſatisfaciendi infinitam non ex humanitate, ſed ex ſuppoſito hauriebant; unde ut ſatisfactoriæ non erant in gratia creditoris innixæ.

Tertia conditio eſt, ut ſatisfactio fiat ex propriis bonis; etenim per frumentum ex horreo creditoris depromptum, vel pecuniâ ex ejus theſauris deſumptâ debita ſua ſolvere nullus poteſt. Hanc autem conditionem ſervavit Chriſtus, qui licèt ſatisfecerit Deo per actiones creatas ſub generali Dei dominio contentas, tamen quia in illas particulare dominium habuit, omnino per eas ſatisfacere potuit. Sicut ſubditus rem furto Reipublicæ, vel Regi ablatam poteſt pecuniâ privatâ reparare, quantumvis in rem privatam Reſpublica, vel Rex dominium habeant univerſale. Et vaſſallus habens dominium utile fundi poteſt ex fructibus ejus domino ſuo debita contracta ſolvere. Chriſtus autem etiam ut homo habebat dominium ſupra ſuas actiones liberas, quarum Deus habet univerſale, quod non impedit dominium particulare, aliàs nullus homo poſſet ſatisfacere alteri, cùm ad ſatisfactionem tam benè requiratur, quod non fiat ex bonis alienis, quàm quod non fiat ex bonis creditoris.

Adde quod in materia honoris per accidens ſe habet, ſi illud quod offertur in ſatisfactionem ſit, vel non ſit ſub dominio offenſi, modò tantus tribuatur honor quantus fuerat ablatus: ſicut ut aliquis actus ſit offenſivus, impertinenter ſe habet quod ſit, vel nõ ſit ſub dominio offenſi; nam actibus noſtris qui ſunt ſub dominio Creatoris, ipſum offendimus, imò & concurſu Dei abutimur ad peccandum, ideoque ipſe conqueritur, *Servire me feciſtis iniquitatibus veſtris*: ita ſimiliter ut actio ſit ſatisfactoria, perinde eſt quod ſit, vel non ſit ſub dominio offenſi; Chriſtus verò ſuis humiliationibus æqualem & majorem Deo honorem reddidit, quàm fuerit ei per peccatum ablatus; unde rigoroſè ſatisfecit, tametſi actiones ejus eſſent ſub dominio Dei.

Dices: Satisfactio Chriſti haurit ſuum valorem ex perſona Divini Verbi, quod eſt offenſum & læſum: Ergo fundatur hæc ſatisfactio in bonis perſonæ læſæ.

Reſpondeo perſonam Divini Verbi in tantum communicaſſe operibus & ſatisfactionibus valorem infinitum, in quantum actiones illæ ipſum veluti involvebant, & Deo ſubjiciebant: ſubjiciebatur autem perſona Verbi non ut ſubſiſtens in natura divina, ſed ut in humana; & ſub hac ratione non erat offenſus & læſus, ſed Vas, Fidejuſſor & ſponſor peccatorum, qui offenderant.

Quarta conditio eſt, ut id quod offertur in ſatisfactionem, non ſit debitum aliis titulis; qui enim debet Petro centum nummos titulo furti, & cenſus annui, & mutui, dando centum duntaxat non ſatisfacit, ſed debet adhuc ducentos: hæc autem conditio ſalvatur optimè in Chriſto; nam licèt omnes ejus actiones eſſent debitæ titulo religionis, obedientiæ, gratitudinis, & poſſet Deus eas exigere ratione ſupremi dominii; tamen quia illæ actiones ſupra ſuppoſitum reflexæ ipſum ſupponebant Deo, ad quod minimè tenebatur, fit inde ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex aliàs indebitis creditori.

Adjice, quod licèt eadem ſolutione non poſſit multis titulis ſatisfieri, quando tituli ſupervenientes multiplicant debitum, & novam ſecum afferunt obligationem, ut patet exemplo titulorum adductorum de cenſu, mutuo, furto; ſi verò novus titulus novam obligationem non inducit, ſed ſit ſolum ejuſdem debiti confirmatio, poteſt eadem ſolutione illis omnibus ſatisfieri: v. g. ſi debeam centum aureos ratione mutui Petro extremè indigenti, & à quo plures gratias accepi, & cui ſolvere urget præceptum Judicis; tunc eadem ſolutione ſatisfacio juſtitiæ, charitati, gratitudini, & obedientiæ: ſic licèt Chriſtus offerret Deo opera ſua ad officia multa implenda; tamen ex hoc quod illa ad ſatisfaciendum ordinabat, àd hoc abundè ob ſuam infinitatem ſufficiebant.

Dices: Chriſtus non potuit reddere æquivalens pro debitis propriis à Deo ſuæ humanitati collatis: illi enim contulit ſubſiſtentiam divinam, quæ cùm ſit infinita in genere entis, tantum donum compenſare non potuit per opera, quæ erant ſolùm infinita in genere moris. Maximè quia, ut ait Philoſoph. 8. *Ethicor.* Deo, parentibus, & Magiſtris par gratia referri nequaquam poteſt. Et certè omnis gratiarum actio Deo exhibita ab ipſo Deo eſt, & gratiæ ejus beneficium, unde ipſa gratiarum actione creſcit Dei beneficium: ſi autem ſatisfactio Chriſti non potuit implere titulum gratitudinis pro debitis propriis, quomodo potuit eſſe ſuperabundans pro alienis?

Reſpondeo, falſum eſſe, Chriſtum non potuiſſe æquales gratias agere pro beneficiis: nam cùm obtulerit Patri nedum ſuas actiones, ſed etiam ſeipſum, ſuamque dignitatem infinitam, proculdubio obtuliſſe æquivalens & ſuperabundans: & quamvis ipſa gratiarum actio ſit beneficium, tamen quia ſuppoſitum indebitum offerebat, ideo pro ſeipſa eminenter ſatisfaciebat.

Adde quod licèt Chriſtus non potuiſſet æquales gratias reddere pro beneficiis à Deo collatis poterat tamen ſatisfacere pro peccatis, quia ad hoc ſatis erat eum Patri honorem impendere, & reſtituere, quem peccator voluit eripere, quod utique Chriſtus perfecit. At verò compenſatio gratitudinis debet plus reddere, quàm per beneficium acceptum ſit, quia hæc reciprocatio debet eſſe gratuita, ſicut gratuita fuit beneficii collatio; ſi autem id ſolùm reddatur quod datum eſt, non erit gratuita, ſed debita compenſatio ut acutè notavit D. Thom. 2.2 *q* 106. *art.* 6. Chriſtus autem non potuit plus reddere, quàm accepit: unde etſi non potuerit gratias condignas Patri referre, potuit tamen rigoroſè ejus læſum honorem reſarcire. Niſi adjicias ad ſalvandum, gratitudinem etiam Chriſti fuiſſe abundantiſſimam, humanitatem recepiſſe Filium Dei Dominum & æqualem Patri, ipſum verò exhibuiſſe ſervum, quod longè plus eſt, quodque indicat Apoſtolus. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, exinanivit ſemetipſum, formam accipiens.*

Quinta conditio eſt, quod creditor tenetur ex debito juſtitiæ ſatisfactionem exhibitam acceptare, & ea contentus remanere, nec aliam exigere jure poſſit; cùm per rigoroſam ſatisfactionem totum quod ablatum eſt, reddatur, & ſervetur medium rei. Sed hæc etiam invenitur in ſatisfactione Chriſti; licèt enim in Deo non ſit neceſſitas ulla abſoluta, tamen abſque læſione ſupremæ ipſius libertatis poteſt in ipſo admitti neceſſitas ex ſuppoſitione; v. g. Deus liberrimè mundum condere ſtatuit, ſed poſito hoc decreto neceſſariò illum convenienti modo produxit: Deus liberè nobis infundit gratiam, ſed ſuppoſito quod dederit, non poteſt perſonas gratiâ ſuâ perfuſas non amare: ſimiliter Deus liberè Incarnationem operatus eſt, ſed ſuppoſita ejus executione, actiones Deo viriles ſufficiunt ad ſatisfaciendum non ſolùm ratione promiſſionis divinæ, ſicut actiones juſtorum;

ſed

ſed ex natura ſua, quæ eſt valoris inappretiabilis.

Dices: In materia honoria nullus tenetur acceptare ſatisfactionem, quæ exhibetur ab alio, quàm ab offendente, & reo: Ergo Deus non tenebatur acceptare ſatisfactionem Chriſti innocentis.

Reſpondeo quod poterat quidem abſolutè non exhiberi Deo Chriſti ſatisfactio; ſed ex ſuppoſitione quod voluerit eam ſibi offerri, non potuit eam repudiare; neque enim repulſam pati poteſt filius benè dilectus, in quo tantoperè ſibi complacet Pater; nec rejici propter reverentiam filius coæqualis & conſubſtantialis, quem à Patre non ſeparat Deitas, non dividit poteſtas, non diſcernit majeſtas; quia non eſt filius adoptivus, ſed proprius; non aliunde creatus, ſed ex ſubſtantia Patris genitus, nec de alia natura ipſi factus comparabilis, ſed de ſua ſubſtantia ſibi natus æqualis, ut S. Leo proſequitur *ſerm. de Transfigurat.*

Quæres à qua virtute proceſſerit ſatisfactio Chriſti; ab aliqua enim procedere debuit, omne quippe opus meritorium ab aliqua virtute elicitur.

Reſpondeo, omiſſis variis Authorum placitis, in quibus referendis confutandiſque nec expedit, nec vacat immorari: Dicendum quod licèt in ſatisfactione Chriſti eminenter contineatur plurium virtutum honeſtas, in ea enim reſplendet miſericordia in humanæ miſeriæ ſublevatione; fulget gratitudo pro beneficiis acceptis tantæ referens dignitatis opus; enitet religio Deum ſummoperè honorans; effunditur magnificentiæ largitas, Deo non æquale modò pro offenſis, ſed & ſuperabundans reddens; & idem patet de obedientia, humilitate, aliarumque virtutum comitatu, quibus veluti totidem gemmis ſatisfactio Salvatoris relucens diteſcebat: Licèt, inquam, hoc ita ſit, tamen quia per ſe & primariò ad reſarciendum jus divinum læſum ſatisfactionem ſuam ordinabat Chriſtus tanquam vas & fidejuſſor humani generis lapſi; inde fit ſatisfactionem illam à virtute juſtitiæ commutativæ immediatè proceſſiſſe, cùm ad illam virtutem ſpectet injurias illatas reparare, & pro illis aliquid æquale offerre. Qua de cauſa in Scripturis appellatur hæc ſatisfactio, *pretium*, & *emptio* 1. Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno.* Et 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati.* Imò & *Pſal.* 88. vocatur commutatio: *Exprobraverunt commutationem Chriſti tui.*

Dices: Juſtitia commutativa eſt tantùm inter æquales, ideoque ſecundùm Philoſophos Morales non datur inter patrem & Filium, inter dominum & ſervum; ſed Chriſtus ut homo, ſub qua ratione ſatisfaciebat, non erat æqualis, ſed minor Patre. Joan. 14. *Pater major me eſt.* Imò ſervus non raro nominatur: Ergo talis ſatisfactio non procedebat à juſtitia commutativa, ſed potiùs à charitate & benevolentia erga nos; non enim tenebatur hujuſmodi ſatisfactionem exhibere, oblatus quippe eſt, quia ipſe voluit.

Reſpondeo non eſſe univerſaliter verum, juſtitiam commutativam exerceri ſolùm inter æquales, ſatis enim eſt quod reddat æquale: ſic ſubditus Regi, cui inæqualis eſt, dum pecuniam debito æquivalentem tradit, ex juſtitia commutativa ſolvit. Sed utut ſit, quis neget Chriſtum ratione ſuppoſiti fuiſſe Patri æqualem, habuiſſeque plenum jus & dominium in proprias actiones, quo in humanis caret ſervus nondum emancipatus? Nec obeſt, quod Chriſtus non eſſet abſolutè obligatus ad ſatisfaciendum pro nobis, quia ad id tenebatur ex ſuppoſitione ſuæ nimiæ charitatis, quâ voluit ſuſcipere & portare iniquitates noſtras.

Urgebis: Quando debitor ſolvit ex juſtitia commutativa, creditor tenetur eadem juſtitia eſſe tali ſatisfactione contentus; quomodo enim ſatisfacerem alteri ex juſtitia, niſi alter eſſet ex juſtitia ſatisfactus: Sed Deus non tenetur acceptare ſatisfactionem Chriſti ex juſtitia commutativa; eam enim à Deo *libro* 2. removimus ob imperfectionem inducendi obligationem, à qua impræſcindibilis eſt, & quæ Deo repugnat, cùm nullam obligationem contrahere poſſit: Ergo Chriſtus non ſatisfecit ex virtute juſtitiæ commutativæ.

Reſpondeo in Chriſto fuiſſe juſtitiam commutativam, quia ſervavit medium rei, tantum reddens quantum debebat; & licèt in Deo non ſit juſtitia commutativa illi correſpondens, quia Deus non poteſt induere obligationem, nec debitor conſtitui, ne ſubjectionem inferioris ſe indignam incurrat; hoc tamen non impedit quominus ſit in Chriſto juſtitia commutativa, quia ſufficit quod ex parte Dei correſpondeat aliquid eminenter æquivalens, nimirum ſumma æquiſſimæ ſuæ voluntatis rectitudo. Sicut enim quando extrema relationis non ſunt ejuſdem ordinis, non eſt neceſſe quod relatio realis in utroque extremo inveniatur, v. g. relationi creaturæ non reſpondet relatio creatoris in Deo, quia Deus eſt extra ordinem creaturarum, & omnes creaturæ ad ipſum ordinantur: ita ſimiliter licèt operatio ſatisfactoria Chriſti ſit actus juſtitiæ commutativæ obſervans ad amuſſim omnes virtutis illius conditiones; ex parte tamen Dei nulla juſtitia commutativa correſpondet, quia nulla ſubjectio, nulla ſubjectionis obumbratio eſſe poteſt ſupremo omnium Domino, cui nullum utilitatis emolumentum advenire poteſt. In tantum ergo ex juſtitia eam Deus acceptat, in quantum divinam rectitudinem decet, ut tam ſuperfluentem pretii abundantiam non rejiciat, quanvis eam ut ſupremus Dominus abſolutè repellere & annihilare poſſet, ſed non ut creditor, vel ut læſus.

Reflexio.

Rigoroſam, ſuperabundantem, circumfertam, & coagitatam ſatisfactionem, atque conditionibus omnibus inſtructam perſolvit Chriſtus; Ergo non otioſè, non negligenter, non oſcitanter Domino ſerviamus, cui quantumlibet honoris aut muneris exhibeamus, nunquam tamen perſolvimus quod debemus. Debitum quo ſibi nos Salvator obſtrinxit, ſanguis eſt infiniti pretij, quod nulla poteſt ratione compenſari. Verum ſi non poſſumus pretium reddere, vel hoc faciamus, ne tanto pretio videamur indigni; ſaltem connitamur, ne tam immenſum ſacrificium fruſtra ſit pro nobis exhibitum. Tanto operi cooperatio noſtra reſpondeat, pro ſanguine fuſo reddamus ſanguinem, ſi non corporis, ſaltem cordis, lacrymas ſcilicet amoris & compunctionis. Sicut enim nihil proſunt rorantes nubes, niſi adſit agricolæ labor: ita nihilo magis proderit oblata ſatisfactio, niſi tot pœnis noſtra jungatur pœnitentia. Rectè Magnus Leo *Serm. 2. Epiph. c. 3.* ait: *De cordibus noſtris, quæ Deo ſunt digna promamus. Quamvis enim omnium bonorum ſit ipſe largitor, noſtra tamen fructum quærit induſtria. Non enim dormientibus promittit regnum cælorum, ſed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus, ut ſi dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mereamur accipere quod promiſit.*

Præ oculis habeto, Lector, præclarum Eccleſiaſtici c. 29. monitum: *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam.* Ille non obliviſcitur gratiæ, qui tanti beneficii quotidie memoriam recolit: qui redemptus à ſervitute diaboli, ejus non ſe iterum ſubjicit ſervituti. Ille non obliviſcitur, qui memor eſt laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, & in patiendo dolorum. Ille non obli-

viſcitur,

viſcitur, qui omnibus diebus vitæ ſuæ, ſi non ſemper, ſaltem ſæpè; ſi non ſæpè, ſaltem ſemel recordatur dolorum ejus, convitiorum, ſputorum, clavorum, earumque ſine numero paſſionum, quæ per eum & ſuper eum abundantiùs tranſierunt: ſed nihil proderit cogitatio, niſi etiam acceſſerit imitatio. Alioquin etiam exquiretur à nobis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram: Sanguis ille erit ſuper nos, non ut laver, ſed ut confundat; accuſabunt nos illa vulnera miſericordiam peroratre parata. Nec immunes erimus ab illo tam ſingulari ſcelere Judæorum, quòd videlicet tantæ charitatis immemores, tantæ ingrati bonitatis, ſpiritui gratiæ contumeliam fecerimus, ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerimus, & Filium Dei conculcaverimus.

Nemo ergo ſibi imprudenter aduletur, & de rigoroſa Chriſti juſtitia præſumens poſt tot Salvatoris labores otio flacceſcat, poſt tot dolores delitiis indulgeat, poſt tam plenam abundantiſſimæ ſatisfactionis ubertatem vitam ſanctis operibus vacuam tranſigendam exiſtimet. Certè ſi in viridi ſic factum eſt, in arido quid fiet? Si ita exceptus fuit fidejuſſor quàmlibet innocens quid agetur de reo, & ingrato, & præſumente, & tanto beneficio abutenti? Quid indignius, quàm ex Redemptoris bonitate deteriorem fieri ſervum? Quid immoderatius quàm ex antidoto venenum elicere, ex remedio infirmitatem, ex vita mortis occaſionem nanciſci?

Non excludit ſatisfactio Chriſti pœnitentiam noſtram, ſed eam exigit, ut ſibi unitam perficiat, & ita exigit, ut qui eam non egerint, omnes citra ullam veniæ ſpem ſimul perituros Veritas pronunciarit. Paſſio Chriſti *tanquam cauſa univerſalis*, teſte S. Thoma 3. *p. q.* 49. *art.* 1. *ad* 4. ſalutem operatur: Cauſa autem univerſalis, putà Sol, inferiorum agentium motus non extinguit, ſed excitat; non impedit, ſed confortat; rerumque ſublunarium pulchritudinem non inumbrat, ſed illuſtrat & decorat. Sic planè, ſic ſatisfactio Chriſti in opera pietatis influit, lacrymas noſtras ſuo copulat cruori, laboribus ſuis noſtros conjungit, nec ad aliud prodeſt ſatisfactio tanta, niſi ut nos ad pœnitendum ſuo præmoveat influxu, & quas gratiâ ſuâ donat, emiſſis ſuæ immaculatæ ſanctitatis radiis pœnitentias noſtras colorer, & juſtitias, quæ ſunt ſicut pannus menſtruatæ, veluti illitis meritorum ſuorum pigmentis cohoneſtet, Patrique acceptas efficiat: ſed ſi eas non invenit, utique non evehit, nec ſanctificat. *Poculum quippe immortalitatis* (inquit præclarè S. Proſper) *quod confectum eſt de infirmitate humana & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.*

DISSERTATIO VI.

De dotibus intellectui & voluntati Chriſti eximiis.

IN Chriſto eſſe Intellectum nedum divinum, ſed etiam humanum, in dubium revocari nequit: cùm enim Verbum aſſumpſerit naturam humanam perfectam, conſequens eſt illam omnibus fuiſſe perfectionibus connaturalibus adornatam, inter quas vel primum, vel ſaltem à primo proximum dignitatis locum tenet intellectus. Et quia intellectus, ſi non prorumperet in actus ſuos, inutilis foret & inanis, fit inde intellectionem humanam in Chriſto extitiſſe. Nec impediebatur, vel offuſcabatur humana cognitio oppreſſa ſplendore ſcientiæ divinæ, ſed eà potiùs perficiebatur & clareſcebat. Verbum enim eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Nec exiſtimandum eſt, intellectum humanum Chriſti per increatam intellectionem intelligere potuiſſe. Cùm enim intellectio ſit actio vitalis, quæ neceſſariò à principio interno fluit, non poteſt ab extrinſeco advenire. In quo differt à ſubſiſtentia divina, quæ cùm non ſit actio vitalis, ſed complementum ſubſtantiæ, optimè poteſt naturæ creatæ communicari. Quid enim vetat ens participatum ab ente per eſſentiam ſuſtineri, & portari verbo virtutis ſuæ? At verò intellectio eſt operatio vitæ eſſentialem importans habitudinem ad principium intrinſecum, à quo immanenter egreditur. Unde intellectionem eſſe adventitiam tam repugnat, quàm non eſſe vitalem. Sed de his aliàs dum de beatitudine formali ſermonem habuimus, nec iterum de re evidentiſſima diſputabimus, ne ex crambe recocta, ſeu ex iiſdem rebus pluries iteratis faſtidium creemus. Quare agendum duntaxat ſupereſt de ſcientia intellectus Chriſti, acturi deinde de voluntate ipſius.

CAPUT I.

Privilegia triplicis ſcientiæ Chriſti.

INter innumera præclariſſimorum nominum ornamenta, quibus Chriſtus inſigniri ſolet, inferiorem locum non tenet Doctoris titulus, quem ſibi apertè aſſeruit Joan. 13. *Vocatis me Magiſter & Domine, benè dicitis: ſum etenim.* Et certè cùm ipſe ſit ſapientia Patris, ad ipſum etiam pertinet homines erudire. Tanti Doctoris zelum & prædicationem libro ſequenti contemplabimur: nunc ejus ſcientiam beatam, infuſam, & acquiſitam conſiderabimus.

SPECULATIO I.

Intellectus humanus Chriſti fuit à primo conceptionis momento ſcientiâ beatâ illuſtratus, quâ omnia præterita, præſentia & futura dignoſcebat.

COlligitur prima pars ex illo Joan. 1. *Plenum gratiæ & veritatis.* Plenitudo autem veritatis non invenitur niſi in ſcientia beata, quæ eſt ſcientia conſummata. Ex illo etiam Apoſtoli Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.* Non eſſent autem omnes theſauri ſcientiæ, ſi pretioſiſſimum ſcientiæ beatæ aurum deeſſet. Et ex illo Joan. 3. *Qui de cœlo venit ſuper omnes eſt: & quod vidit & audivit, hoc teſtatur.* Ubi non loquitur Salvator de ſe ipſo ut Deus eſt, quia cùm teſtaretur in quantum homo, etiam ut homo Deum vidiſſe debebat, aliàs vox teſtimonii non reſponderet cognitioni; quomodo enim poterat ut homo loqui & teſtari, niſi in quantum homo vidiſſet? Denique ex illo Joan. 17. *Pater quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Ubi Chriſtus Patrem exorat, ut diſcipulos reddat participes beatæ claritatis, quam ſibi datam profitetur.

Ratio à priori petitur ex unione hypoſtatica. Cùm enim Chriſtus fuerit ab initio conceptionis Deus & homo, habuit proinde omnes proprietates debitas unioni hypoſtaticæ: Sed unioni hypoſtaticæ debetur gratia, non qualiſcunque, ſed conſummata per gloriam; natura quippe ad ſupremum eſſe ſublimata, debuit etiam poſſe ſupremam elicere operationem, quæ eſt viſio beata: Ergo à primo conceptionis exordio intellectus Chriſti fuit ſcientiâ beatâ perfuſus.

Idque totum non parum confirmatur ex dignita-

te

re Chriſti exigentis ut in omni inſtanti vitæ ſuæ fuerit Eccleſiæ caput influens in omnia membra, ſubindeque non minùs in comprehenſores, quàm in Viatores: Ergo à forriori ipſe gloriâ Beatorum potiebatur; nam quod elt in potentia non reducitur in actum, niſi per id qnod eſt actu tale: Ergo Chriſtus, per quem alii reducuntur in actum vitæ æternæ, eo ſemper fruitus eſt.

Dices: Nunquid eſſet perſectius habere gloriam per merita, quàm ſine meritis, cùm glotia dicatur *corona juſtitiæ*, & *merces copioſa*? Ergo Chriſtus gloriam æternam meritis acquiſivit, juxta illud Luc. 24. *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

Reſpondeo tunc ſolùm nobilius eſſe gloriam per meritum obtinere, quando poteſt meritis comparari, ſi nimirum intercedat aliquod inſtans temporis inter meritum & præmium: ſi verò nullum momentum deſignari queat felicitate vacuum, tunc non imperfectio, ſed cumulata perfectio eſt innatam habere beatitatem; hic enim fortunatiſſimus modus ad felicitatem Dei accedit, quam in proprio bonitatis fundo & centro ſine ullo motu divinum numen ab æterno invenit. Quomodo autem felicitatem gloriæ Chriſti compati potuerit triſtitia paſſionis, dicemus libro ſequenti, ubi de paſſione agemus, per quam Chriſtus gloriam corporis meruit, & de hac eſt ſermo loco citato Lucæ.

Secunda pars tradit nitentiſſimum ſcientiæ beatæ Chriſti privilegium, & facilè probatur: Chriſtus per ſcientiam beatam cognoſcebat quidquid pertinet ad ipſius ſtatum, ut de omnibus Beatis in materia viſionis monſtravimus: Sed omnia exiſtentia ſecundùm quamcunque temporis differentiam pertinent ad ſtatum Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ, finis univerſi, Dominus cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, & Judex vivorum & mortuorum. Pertinet autem ad caput habere notitiam membrorum, quæ debet dirigere; ad finem intellectualem cognoſcere media ad ſe ordinata; ad dominum habere notitiam ſubditorum ſuorum; ad Judicem dignoſcere quæcumque ſpectant ad ſuum tribunal, quales ſunt omnes & ſingulæ cogitationes, & actiones ſtricto ipſius examini ſubjiciendæ: & licèt aliquæ ſubſequuturæ ſint judicium, tamen quia pertinent vel ad præmium in Beatis, vel ad pœnam in damnatis, cognoſci debent à Judice, cujus eſt pœnas, vel præmia diſpenſare. Ergo Chriſtus per ſcientiam beatam omnia præterita, præſentia, & futura clariſſimè dignoſcebat; & cùm in eis contineantur infinitæ cogitationes & affectiones per totam æternitatem eliciendæ, fit inde Chriſtum per ſcientiam beatam infinita attigiſſe. Plura ad hanc partem illuſtrandam confirmandamque poſſent addi, niſi eſſent libro primo occupata; ibi namque monſtratum eſt, Beatum quemcunque omnia ad ſtatum ſuum pertinentia intueri, necnon lumen gloriæ ex diſpenſatione divina futura contingentia ex libero Dei decreto pendentia detegere. Quanvis enim viſio beata ex vi & efficacia ſua id ſolùm manifeſtare nata ſit, quod formaliter, & neceſſariò in Deo relucet, quales non ſunt cogitationes cordis, aliaque contingentia; tamen ſuppoſita divinæ voluntatis directione, immutato lumine & invariata viſione, decreta divina, & quas connotat, creaturæ innoteſcunt.

Objicies primò: Si ſcientia beata Chriſti poſſet infinita cognoſcere, poſſet etiam attingere omnia poſſibilia, quæ ideo duntaxat cognoſci non poſſunt à ſcientia finita, quia infinita ſunt. Conſequens eſt contra torrentem Theologorum. Ergo.

Reſpondeo certum eſſe, ſcientiam beatam non poſſe in eſſentia divina omnia poſſibilia intelligere, aliàs poſſet omnipotentiam Dei, ſubindeque ejus eſſentiam comprehendere; ſiquidem ex vi penetrationis illius penetraretur terminus adæquatus divinæ virtutis, nec poteſt perfectiùs cognoſci cauſa, quàm ſi in ea intelligatur, ſeu intus legatur terminus adæquatus potentiæ ejus, nec alia ratione Deus omnipotentiam ſuam comprehendit. Eſt ergo magna diſparitas inter creaturas futuras & poſſibiles, quia futuræ non ſunt ſimpliciter & omnibus modis infinitæ, nec eis viſis exhauritur divina cognoſcibilitas: at verò poſſibiles ſunt omnibus omninò modis infinitæ, & terminus adæquatus divinæ poteſtatis. Unde repugnat ſcientiam beatam Chriſti omnes creaturas poſſibiles in eſſentiæ & omnipotentiæ divinæ theſauris latitantes introſpicere potuiſſe, quia etiam ad hoc indiguiſſet lumine infinito, quo veluti divinitatis fundum pervadere potuiſſet, quod apertè repugnat.

Dices: Ergo ſaltem extra Verbum potuit Chriſtus cognoſcere omnia poſſibila; tunc enim ea non cognoſceret ex vi penetrationis cauſæ, ſubindeque non egeret lumine infinito.

Reſpondeo, nullo prorſus modo Chriſtum ſive intra, ſive extra Verbum omnia poſſibilia potuiſſe cognoſcere. Tum quia, ut ſæpe inculcat D. Thomas, omnis potentialitas, tam naturalis, quàm obedientialis Chriſti debuit reduci in actum, ſi nulla ſit repugnantia cum dignitate ejus: cognitio autem omnium poſſibilium, ſi haberi poſſet, dignitati Chriſti utique non repugnaret, ſed eam immensùm decoraret. Tum quia cognitio omnium poſſibilium, etiam extra Verbum, arguit infinitatem; quia nimirum in illa poſſibilium collectione includuntur ſpecies aliæ aliis in infinitum excellentiores, quia nullâ creatâ, vel creabili exhauritur unquam divina virtus: Ut ergo ſcientia Chriſti illa omnia attingeret, alterutrum neceſſe eſſet; vel quod haberet infinitas ſpecies, quod implicat; vel quod haberet aliquas, quæ infinita illa objecta repræſentarent, quod non minùs implicat; quia ad repræſentandum infinita objecta, nedum numero, ſed etiam ſpecie & perfectione in infinitum creſcente diverſa, exigitur vis repræſentativa infinita, quæ nulli ſpeciei finitæ, ſed ſoli Verbo increato competere poteſt.

Inſtabis: Scientia Chriſti attingebat infinitas ſubſtantias poſſibiles in Verbo, ſuppoſito quod ad omnia præterita, præſentia, & futura ſe extenderet; & tamen non habebat lumen infinitum: Ergo ad attingenda infinita objecta ſpecie diverſa non requiritur lumen infinitum. Probatur major: ſcientia Chriſti videns in Verbo præterita, præſentia, & futura, ea utique comprehendebat, aliàs ea valde imperfectè & diminutè cognuviſſet: Sed ea non potuit comprehendere, niſi in ipſis viderit omnes ſubſtantias poſſibiles, quæ continentur in potentia earum, v. g. comprehendens materiam primam, virtutemque cœlorum, elementorum, & mixtorum collectivè ſumptorum, videt ex earum actione & reactione infinitas ſubſtantias natas eſſe produci, ſi eorum motus in æternum duraret: Ergo ſcientia beata Chriſti infinitas ſubſtantias poſſibiles in Verbo cognoſcat.

Reſpondeo Chriſtum per ſcientiam beatam non cognoſcere omnes ſubſtantias poſſibiles, nec infinitas ex poſſibilibus, cùm S. Thomas, aliique Theologi uno ore atteſtentur, Chriſtum per ſcientiam beatam ea ſolùm cognoſcere, quæ Deus ſcientiâ viſionis attingit; quæ tamen ad merè poſſibilia non fertur. Nec obeſt quod ſcientia beata creaturas in eſſentia divina viſas comprehendat: non obeſt, inquam. Tum quia ad comprehēſionem requiritur & ſufficit, quod cognoſcatur res quantum cognoſcibilis eſt ſecundùm rationes abſolutas, non verò quoad rationes reſpectivas ad quæcumque in particulari, ut in mate-

ria

via de Angelis obſervavimus. V. g. ut comprehendatur materia non oportet cognoſcere omnes formas poſſibiles, ſed ſufficit cognitio capacitatis ejus ad quamcunque formam; ſicut ad comprehenſionem vaſis non requiritur cognitio omnium liquorum, quia per unum ſicut abundè impletur, ita & cognoſci valet capacitas illius. Tum quia ad cognitionem comprehenſivam alicujus ſat eſt cognoſcere quidquid in ejus virtute adæquatè continetur; ſi autem inadæquatè ſolùm contineatur, quia ab aliis cauſis dependet, tunc ex vi comprehenſionis non penetratur: infinitæ autem ſubſtantiæ non continentur adæquatè in virtute cœlorum & elementorum, ſed dependent eorum effectus ex cauſis inferioribus, ad quas et cauſæ univerſales concurrunt. Maximè quia cùm ſola cauſa prima determinet ad individuum, nec infinita individua poſſunt in cauſis ſecundis diſtinctè & dearticulatè, ſed ſolùm indeterminatè confuſéque cognoſci.

Objicies ſecùndò: Si ſcientia beata Chriſti attingeret ea quæcumque diximus, ſequeretur triplex inconveniens. Primò Chriſtum plura cognoſcere ut hominem, quàm poſſit facere ut Deus; repugnat enim produci infinitum actu. Secundò ſequeretur Chriſtum habere cognitionem creatam æquè perfectam ac ſit ſcientia viſionis Dei, atque adeo ſcientiam viſionis ab altera comprehendi, ſicut comprehenditur objectum ejus. Tertiò ſequeretur, Chriſtum habere lumen creatum infinitum; ſi enim ad attingendum objectum unum requiritur lumen ut unum, ad attingenda duo lumen ut duo, profectò ad cognoſcenda infinita lumine infinito opus erit.

Reſpondeo ad primum, multa eſſe quæ ſimul poſſunt cognoſci, tametſi non poſſint ſimul produci, ut partes temporis & motus. Quid ergo mirum, ſi infinita multitudo licèt non poſſit ſimul coëxiſtere, poſſit tamen ſimul cognoſci? Sanè hoc argumento probaretur etiam intellectum divinum non cognoſcere infinita, quæ produci ſimul non poſſunt.

Ad ſecundum dicendum, quod cùm ſcientia viſionis ſit eadem formaliſſima entitas ac ſcientia ſimplicis intelligentiæ, habens idem objectum formale, ſcilicet divinam eſſentiam, diſtincta ſolùm penes objectum materiale; fit inde ſcientiam beatam Chriſti ſcientiæ viſionis perfectionem nec exæquare, nec comprehendere, quia quantumvis objectum materiale illius attingat, primarium tamen minimè comprehendit, & tamen ex objecto primario ſcientiæ perfectio cenſenda eſt.

Ad tertium demùm reſpondeo, tunc ſolùm lumen debere eſſe infinitum, quando infinita objecta quæ attingit, ſeſe ſpecie, vel ordine excedunt; quia ſicut unum individuum non addit perfectionem eſſentialem ſupra aliud, ita nec cognitio plurium individuorum ſpecie perfectiorem cognitionem exigit, ſed vel duntaxat majorem confortationem, vel ſuperioris ordinis cognitionem. Maximè quia tunc ſolùm poteſt requiri lumen infinitum, quando infinita cognoſcuntur ex vi penetrationis cauſæ: ſcientia autem beata Chriſti infinita non cognoſcebat ex vi penetrationis eſſentiæ, ſed ex libera manifeſtatione detegente præterita & futura; quorum eſſentia eſt ſpeculum liberum, non neceſſarium: cujus ſignum evidens eſt, quod aliquando minùs beatus plura futura vel exiſtentia cognoſcit, ut aliàs vidimus.

Reflexio.

Doctrina de ſcientiâ Chriſti ſicut eſt viris Sanctis plena ſolatii, ita & impiis plena formidinis. Etenim ſi Chriſtus omnia novit; ſi intima quæque ac recondita nuda ſunt & aperta oculis ejus; ſi cordis noſtri receſſus ſinnoſiores & latentiores pervadit, quanta & quàm ampla conſolationis ſeges piis omnibus aperitur, quibus teſtimonium perhibet conſcientia, quod nihil vel in cœlo, vel aliud volunt ſuper terram, niſi Deum cordis ſui, ut ſit pars ipſorum in æternum. Quid, amabò, ſuavius jugi illo bonæ conſcientiæ convivio, quæ in Spiritu & veritate ſemel, iterùm, & tertiò dictitat Salvatori: *Domine tu ſcis, quia amo te.* Tu qui in animis inſides, qui in corda illaberis, qui cogitationum motus, & ut ſic dicam atomos luſtras, qui nec mentis ſimulatæ virtutis oſtentationibus falli, nec falſidicis calumniantium accuſationibus circumveniri, nec temerariis ſuſpicionibus moveri potes: *Tu*, inquam, *ſcis quia amo te*, nec aliam amoris exoptare mercedem, niſi quia parum eſt quod amo, *amem te validius*, ut petebat Auguſtinus. Qui talis eſt, nec æmulorum movetur conviciis, nec formidat os loquentium iniqua, ſed habet conſcientiam bonam, quæ ut ait Hugo lib. 2. de anim. cap. 9. *Titulus eſt religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus ſancti. Quæ omnibus eſt dulcis, nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, quibus poteſt ad beneficientiam: cui Deus nec peccata propria imputat, quia non fecit; nec aliena, quia non approbavit.*

E contra verò quæ major deſolatio eſſe aut concipi poteſt *cauteriatâ conſcientiâ*, cujus *peccatum contra ſe eſt ſemper*, eo quòd Chriſto vidente peccavit, *& malum coram ipſo fecit*? Ejus ſtimulos ſi ſentit peccator, miſer eſt, & anticipatis inferni doloribus circumdatur; ſi non ſentit, nec rugit gemitu cordis ſui, miſerior eſt, quia tenet enim cor durum, quod malè habebit in noviſſimo.

Habeamus ergo præ oculis ſcientiam Chriſti, ut illo vidente ea caveamus, ob quæ ipſo judicante plectemur. Certè ſi teſte Philoſopho Morali *epiſt.* 25. prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe & habere quem reſpicias, & *ſic vivere tanquam ſub alicujus boni viri ac ſemper præſentis oculis*; quanto potiùs id Chriſtiano neceſſarium eſſe Patres omnes ſpiritales conteſtantur? Cogitemus ergo Chriſtum in conſpectu noſtro ſemper non ſolum docentem ſuaviter, verùm etiam ſalubriter terrere non ceſſantem; fomentis lenibus quandoque ſolantem, interdum etiam mordaciſſimum medicamentum tribulationis adjungentem. Quanvis enim ut homo ubique non ſit, ubique tamen videt. Fuge de foro in domum tuam, de locis domus tuæ apertis ſecede in cubiculum, è cubiculo move te in cor tuum: quocumque fugeris ibi videt, nec eſt quò fugias ab ipſo irato, niſi ad ipſum placatum. *Vis fugere ab ipſo, fuge ad ipſum*, inquit Auguſtinus *in Pſal.* 33.

Speculatio II.

Fuit etiam ſcientia indita in Chriſto quatuor prærogativis donata.

Per hanc ſcientiam non intelligimus ſolùm donum illud ſcientiæ juſtis omnibus commune, quod eſt beneficium Spiritus ſancti in juſtificatione cullatum, & cum obſcuritate fidei compatibile; ſed habitum quemdam ſcientificum fidei tenebras minimè compatientem, quo perfuſus intellectus Salvatoris res creatas extra eſſentiam divinam attingebat, per quod diſtinguitur à ſcientia beata per ſpecies infuſas, & ab operatione intellectus agentis minimè pendentes, per quod diſtinguitur à ſcientia acquiſita.

Hac autem ſcientia gaudere intellectum Chriſti, non leviter inſinuat Apoſt. Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ Dei abſconditi.* Non eſſent autem

tem omnes theſauri ſcientiæ, ſi tantæ ſcientiæ monile deeſſet. Et quanvis Apoſtolus de ſcientia beata præcipuum ſermonem habeat, alias tamen ſcientias non excludit; cùm enim ſcientia beata non ſit multiplex, ſed unica, aliquid aliud præter illam intelligere voluit Divinus Apoſtolus, dum dixit, omnes ſcientiæ theſauros in Chriſto extitiſſe; nam ly *omnes theſauri*, copiam & multitudinem ſcientiarum, diverſumque earum habendarum modum ſignificat.

Ratio verò eſt: Anima rationalis eſt capax duplicis ſtatus, nimirum conjunctionis ad corpus & ſeparationis ab illo; & in utroque illo ſtatu ſpecialem habet cognoſcendi modum; ſiquidem in primo cognoſcit per converſionem ad phantaſmata è ſenſibus deſumpta; in ſecundo per ſpecies inditas ob carentiam organorum neceſſariorum ad ſpecies depromendas. Atqui intellectus animæ Chriſti exigit non ſolùm eam perfectionem, quam habet anima in ſtatu conjunctionis ad corpus, ſed etiam illam quam habet in ſtatu ſeparationis ab illo, cum Chriſtus fuerit ſimul viator & comprehenſor: Ergo Chriſtus habuit impreſſas ſibi rerum omnium ſpecies, ſubindeque ſcientiam inditam à beata & acquiſita diſtinctam.

Ex quibus penetrabis rationem S. Thomæ probantis intellectum Chriſti fuiſſe reductum in actum per ſpecies intelligibiles inditas, ex eo quod natura aſſumpta imperfecta non fuit, nec in potentia ad aliquam perfectionem naturalem. Qui diſcurſus nonnullis difficilis viſus eſt, quia non videtur pertinere ad complementum potentiæ naturalis intellectus ſcientia ſupernaturalis & indita, quæ eſt omninò indebita. Sed hujus nodi ſolutionem ferè occupavimus; nam ſpecies inditæ vel ſunt ordinis naturalis, quales ſunt ſpecies Angelicæ, & ſic ad naturalem intellectus Chriſti perfectionem pertinent, cui non ſolùm modus cognoſcendi animæ conjunctæ, ſed etiam ſeparatæ debetur: ſi verò illæ ſpecies ſunt ſupernaturales, debitæ etiam ſunt intellectui Chriſti, non ſecundùm ſua mera naturalia ſpectato, ſed prout erat proprietas naturæ ad unionem hypoſtaticam ſublimatæ. *Quia* (ut ait D. Thom. opuſc. 2. cap. 216.) *Chriſtus ſecundùm humanam naturam non ſolùm fuit reparator naturæ, ſed etiam gratiæ propagator, affuit ei cognitio quâ pleniſſimè cognovit quidquid ad myſteria gratiæ poteſt pertinere.* Nec eſt inconveniens, formam ſupernaturalem eſſe debitam naturæ ad apicem ordinis gratiæ provectæ, ſicut gratiæ debentur virtutes infuſæ, & bonis operibus Regnum cœlorum.

Confirmatur: Scientiam infuſam admittere in Chriſto non ſolùm nos cogit dignitas Verbi Incarnati, quæ cùm in immenſum Angelis antecellat, non minùs quàm Angeli debuit habere intellectum ſpeciebus inditis decoratum, non ſolùm quia juxta ſæpe traditam maximam intellectus Chriſti debuit omni modo perfici, qui non repugnet fini Redẽptionis; non repugnat verò, ſed magis decet Chriſti perfectionem, ſi res omnibus modis perfectionem afferentibus non ſolùm ex parte rei cognitæ, ſed etiam ex modo cognoſcendi intelligat: ſed etiam ad illam ſcientiam admittendam neceſſariò compellimur, ſi velimus in Chriſto ſalvare meritum actuum ſupernaturalium à charitate procedentium. Nam charitas non potuit eſſe principium meriti, ut regulatur ſcientiâ beatâ, quæ non datur ad meritum, ſed ad præmium, imò ipſa eſt tota merces: nec poteſt charitas ſcientiam beatam conſequens eſſe principium actus liberi, ut infrà dicemus; & tamen ſine libertate meritum evaneſcit: non poteſt etiam charitas Chriſti eſſe principium meriti, ut à fide dirigitur, quia fides procul ab ipſo fuit: Ergo indiſpenſabiliter neceſſaria fuit ſcientia indita, ut præeunte ejus luce charitas flammam liberæ & meritoriæ dilectionis conciperet, ut magis capite ſequenti elucidabitur.

Objicies: Si datetur in Chriſto ſcientia indita, in uſu ipſius vel intellectus Chriſti ſe convertebat ad phantaſmata, vel ſine converſione ad illa intelligebat: neutrum dici poteſt: Ergo admittenda non eſt talis ſcientia. Probatur minoris utraque pars, prima quidem; nam Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis meruit, ut antea oſtendimus, & quidem ſub regula & directione ſcientiæ infuſæ, ut jam contendimus; tunc autem nondum comparaverat intellectus Chriſti phantaſmata, quæ non niſi ſucceſſiva facultatum ſenſitivarum actione requiruntur, ac proinde nequibat Chriſtus in uſu ſcientiæ inditæ ſe convertere ad phantaſmata. Altera verò ejuſdem minoris pars etiam oſtenditur; quia ſcientia infuſa conveniebat Chriſto ut viatori, cùm præcipuè ad regulandum meritum (quod viatorum duntaxat eſt) ordinetur: hæc eſt autem conditio viatoris hominis, ut nihil poſſit niſi per converſionem ad phantaſmata intelligere, etiam quando utitur habitibus ſupernaturalibus, quia ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 89. modus intelligendi ſequitur modum eſſendi: modus autem eſſendi animæ in hoc ſtatu eſt cum conjunctione ad corpus; unde modus intelligendi ipſius non poteſt non eſſe cum dependentia à corpore, & à phantaſmatibus.

Reſpondeo Chriſto Domino fuiſſe liberum in uſu ſcientiæ inditæ non ſe convertere ad phantaſmata: poterat quidem non ſe convertere, ſeu abſtinere à phantaſmatum miniſterio, quia ſcientia illa habebat ſuas ſpecies infuſas, non acquiſitas, vel acquiſibiles per ſenſus: poterat verò ſe convertere ad illa, quocumque modo hæc converſio explicetur. Nam vel conſiſtit in eo quod ſimul cum intellectu phantaſia circa idem objectum occupetur; patet autem actum phantaſiæ non eſſe alligatum per actum ſcientiæ inditæ, & ſic potuit unà cum illa operari. Vel conſiſtit in eo quod phantaſia habet vim excitandi intellectum Chriſti ad actum talis ſcientiæ: quid autem vetat, Chriſtum potuiſſe permittere hujuſmodi excitationem phantaſiæ ſuæ ratione ſtatus conjunctionis ad corpus? Vel conſiſtit in hoc, quod ſcientia ipſa excitet imaginationem ad formanda phantaſmata materialia, in quibus objecta quædam inſpicit ſcientia, & hoc etiam poterat, illuſtrando nimirum ſpecies phantaſiæ, eaſque ſibi proportionatas efficiendo.

Unde ad objectionem nego utramque partem minoris. Ad probationem primæ reſpondetur, eâ ſolùm probari, Chriſtum non uſum fuiſſe illa converſione ad phantaſmata ab initio conceptionis, cum quo ſtat in vitæ decurſu potuiſſe illam adhibere. Ad ſecundæ partis probationem dico, Chriſtum non fuiſſe merè viatorem, ſed ſimul comprehenſorem, & ſic potuiſſe intelligere vel more viatorum, vel ad inſtar comprehenſorum. Nec eſt ſimile de habitibus puris viatoribus infuſis, in quorum uſu neceſſaria eſt converſio ad phantaſmata; quia cum illis non ſimul infunduntur ſpecies ſupernaturales, unde ad ſpecies ſenſibus acquiſitas recurrere opus habent. Doctrina verò D. Thomæ 1. *p.* citati, clarè intelligitur de modo intelligendi connaturali, qui debet ſequi modum eſſendi, cum quo ſtat modum intelligendi gratuitum hac lege non aſtringi; eo enim ipſo quod ſupernaturalis eſt, ordinem intelligendi naturalem ſequi minimè tenetur, ſed eſt ſupra ipſum elevatus: unde poteſt vel ipſum tranſcendere, ſi voluerit; vel ipſi aptari, ſi placuerit. Ex quibus

Inferes, intellectum Chriſti Domini in uſu ſcientiæ inditæ potuiſſe diſcurrere, vel non diſcurrere ad libitum; quia ſpecies inditæ, & omnes habitus ſupernatura-

naturales poſſunt indifferentet infundi vel animæ rationali quæ diſcorrit, vel Angelo qui minimè diſcurſivus eſt; quia nimirum perficiunt intellectum creatom non ſecundùm ſpecificam differeotiam, ſed ſecundùm tationem intellectualitatis Angelis & hominibus communem: unde fit quod ſunt ex natura ſua indifferentes ad ſerviendum diſcurſui vel intelligentiæ ſimplici, & conformantur intellectui in quo recipiuntur, ſive Angelico, ſive humano; & humano rurſum ſive ſit dependens à corpore, ſive ab eo immune, ut eſt intellectus Chriſti, ſicur & animarum ſeparatarum: Ergo Chriſtus poterat uti ſpeciebus illis vel ad diſcurſum, vel ad ſimplicem notitiam.

Radix horum omnium eſt, quia ſpecies infuſæ, utpote univerſales, & à divinis ideis exemplatæ, natæ ſunt repræſentare principia veluti concluſionibus fœta, & cauſas effectibus plenas: Ergo poteſt Chriſtus, ſi voluerit, in ſpeciebus infuſis intelligere principia & concluſiones, vel poterit in ſola principiorum notitia ſiſtere, & concluſiones illatione ſui rationalis intellectus deducere, ac proinde vel diſcurrere, vel non diſcurrere pro arbitrio.

Et hoc ſanè conſonat conditioni ſcientiæ inditæ, quæ mediat inter beatam & acquiſitam. De rationa autem medii eſt, quod participet de extremis: igitur ſcientia indita participat conditiones ſcientiæ & beatæ & acquiſitæ: ex beata imitatur modum cognoſcendi per ſimplicem intuitum; ex acquiſita & rationali modum cognoſcendi per diſcurſum, ac ſubinde duplicem illum modum unit; primum quidem ratione ſuæ eminentiæ, ſecundum ratione accommodationis, attemperationis, & condeſcenſus ad ſubjectum in quo recipitur.

Fateor quidem ſcientiam illam nunquam proceſſiſſe de uno habitualiter noto ad aliud habitualiter ignotum, cùm omnium ſpecies ab initio inditas habuerit. Fateor etiam ſcientiam illam ſemper fuiſſe in aliquo actu; tum ut continuaretur abſque interruptione Chriſti meritum, tum ut non cederet ſcientiæ Angelicæ actualitati ſcientia infuſa capitis hominum & Angelorum, tum ut tanquam mundi Rex & Judex videret hominum geſta, & cogitata. Tameo non ſemper erat io actuali cognitione omnium, vel ſi fuit, potuit interdum deſiſtere, quod ſufficit nobis ad ſalvandum diſcurſum, & tibi etiam ſufficiet, Lector, ad ſolvendas quæ emergere poſſunt objectiones.

Secunda pars petit ut ſigillatim exponamus ſcientiæ inditæ privilegia ſingularia. Primum eſt: Scientia indita ſe extendit ad omnia quæ ab intellectu creato cognoſci poſſunt ſecundùm rationes communes & ſingulares. Probatur: Dignitas Chriſti exigit, ut quidquid cognoſcit, perfectiori modo attingat quo poteſt: Sed modus cognoſcendi, quo res attingitur ſecundùm rationes tam communes quàm ſingulares, eſt perfectior, utpote ſimilior divinæ cognitioni, quæ ad omnes individuales differentias ſe extendit, *pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis; & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta oculis ejus*, ut dicitur *Hebr.* 4. Ergo talis modus cognoſcendi non eſt ſcientiæ inditæ denegandus.

Confirmatur: Licèt cognitio individuorum naturæ præſertim materialis non pertineat ad perfectionem intenſivam intellectus ſpeculativi, pertinet tamen ad extenſivam; perfectior enim eſt notitia, quæ ad plura ſe extendit, & inſuper omninò neceſſaria eſt ad perfectionem intellectus practici: prudentia enim, quæ in illo reſidet, exigit memoriam præteritorum, cognitionem præſentium, & providentiam futurorum eventuum ſingularium, & id maximè verum eſt de prudentia Monarchica, Regali & Judiciali, quam nulla agibilia debent præterire, ut omnibus poſſit providere, omnia quoque dijudicare; quales prudentiam habebat Chriſtus tanquam Eccleſiæ Caput, Paſtor. Judex, & ut loquitur Scriptura, *Epiſcopus animarum*, cujus eſt omnibus minimis, & miſerrimis invigilare; Ergo omnia ſingularia ſcientia indita Chriſti attingere debuit.

Dices: debet eſſe proportio inter objectum & ſcientiam, cùm ſcientia ſpecificetur ab objecto: Sed antia ſingularia naturalia non habent proportionem cum ſcientia infuſa, nam hæc eſt diverſi ordinis, ſcilicet ſupernaturalis: Ergo ſcientia infuſa non ſe extendebat ad objecta ſingularia, ad quæ ſe extendit intellectus noſter.

Reſpondeo ex D. Thoma *opuſc. antè cit.* duplicem in Chriſto fuiſſe ſcientiam infuſam, *aliam ad cognoſcenda omnia illa ad quæ naturalis cognitio poteſt ſe extendere; aliam quâ pleniſſimè cognovit quidquid ad myſteria gratiæ poteſt pertinere*. Prima ergo ſcientia infuſa ad naturalia ferebatur, ſecunda ad ſupernaturalia. Scio nonnullos velle Chriſtum per ſcientiam inditam ſupernaturalem cognoviſſe objecta naturalia, quia licèt ſcientia naturalis non poſſit ad objecta ſupernaturalia aſcendere; ſupernaturalis tamen poteſt ad naturalia deſcendere, ſicut cognitio ſuperior infima, cognitio infinita finitum, & divina creatum objectum conſiderare quit. Sed quanvis hæc doctrina ſit vera, tamen contra D. Thomam citatum eſt non admittere in Chriſto ſcientiam inditam ordinis naturalis: eſt etiam contra ordinem, & convenientiam. Quid enim congruentius, quàm aſſerere Chriſtum objecta ſupernaturalia per ſcientiam infuſam ſupernaturalem, naturalia verò per naturalem cognoviſſe? Sicut ſcientia indita ſpeciebus infuſis, acquiſita verò acquiſitis utebatur, ſicut etiam per ſupernaturalem ſcientiam ſupernaturales actus, per naturalem naturales eliciebat. Quod ſi id eſt conveniens, admittendum eſt in Chriſto, in quo omnia fuerunt ornatiſſima, & cum ſumma harmonia & conſonantia.

Sed inquies: Quomodo tot individua, quæ ferè infinita ſunt, poterit ſcientia illa indita naturalis attingere? Cùm ad hoc infinitis fermè ſpeciebus indigeret, in quibus percurrendis & inſpiciendis hæreret intellectus.

Reſpondeo ſcientiam inditam Chriſti etiam naturalem illa omnia ſingularia paucis admodum ſpeciebus attingere, quia nimirum ſpeciebus univerſalibus ab ideis divinis exemplatis, & objecta excedentibus prædita eſt, eo ferè modo, quem aliàs Angelis aſſeruimus.

Secunda excellentia: Scientia indita omnes actus liberos hominum & Angelorum dignoſcebat. Hæc prærogativa non aliunde probatur, quàm ex eadem dignitate Chriſti, quæ requirit ut cognoſcat per ſcientiam inditam quidquid extra Verbum cognoſci poteſt & decet: Atqui ſecreta cordium & futura contingentia poſſunt cognoſci à puris viatoribus extra Verbum dono Prophetiæ: Ergo illa etiam agnovit Chriſti ſcientia indita, quam Deus omnium tam naturalium quàm ſupernaturalium objectorum ſpeciebus adornavit. Id namque exigit ſtatus Chriſti, qui cùm ſit caput omnium, eique omne judicium datum ſit, debet omnia præterita & futura, aperta & occulta cognoſcere, ut omnia regat, trutinet, judicet, puniat, vel coronet.

Confirmatur hoc privilegium, & variæ præoccupantur difficultates. Licèt ſit proprium & connaturala Deo ſcrutari renes & corda, necnon annunciare futura, tamen non repugnat horum notitiæ homines à Deo participes fieri; ſicut quanvis Deus ſit naturaliter ſibi ſoli intuitivè viſibilis, tamen ab aliis do-

no glorioſi luminis videri poteſt. Si autem prædictorum objectorum agnitio Chriſto communicari potuit, certè decuit, tum ut Chriſtus haberet plenitudinem veritatis, quam ei aſſerit Scriptura; tum quia ſicut in corda noſtra influit gratiam & auxilia ſalutis, ita in actus liberos noſtros dominium & juriſdictionem habet, defectu cujus dominii Angelos ſecreta cordium ignorare aliàs diximus. Tum quia tunc ſecreta cordium ab Angelis cognoſcuntur per ſpecies innatas, quando incipiunt ad ſe pertinere, quod fit cùm ad ipſos diriguntur; ſecreta autem illa pertinent ad Chriſtum etiam independenter à directione, quia independenter ab illa eſt omnium etiam ſecretiorum judex, cui proinde debetur rerum judicandarum cognitio.

Objicies: Ex quatuor modis quibus futurum cognoſci quit, non poteſt aſſignari modus quo Chriſti ſcientia indita futura cognoverit. Futura enim vel cognoſcuntur in cauſa proxima, & ſic non potuit prænoſcere futura contingentia, quorum cauſa proxima cum ſit indifferens & indeterminata, non poteſt eſſe medium certum cognitionis eorum: vel ſecundò cognoſcuntur in teſtimonio alicujus revelantis, & hoc modo cognoſcere ad fidem pertinet, vel prophetiam, non ad ſcientiam, cujus eſt cognoſcere res in ſeipſis per cauſas earum: vel tertiò cognoſci queunt in decreto Dei cauſante futuritionem eorum, & hic modus pertinet ad ſcientiam beatam, quæ videt in eſſentia divina ea decreta libera, quæ voluerit Deus revelare: vel denique in ſeipſis immediatè, id eſt per ſpecies illa immediatè repræſentantes, & hic etiam modus competere nequit ſcientiæ inditæ, ſed ut ait D. Th. 1. p. q. 57. art. 3. *Si cognoſcere futura ſolius Dei eſt, qui videt omnia in ſua æternitate, quæ cùm ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & illud includit.*

Reſpondeo Chriſtum cognoviſſe futura contingentia clarè & evidenter in ſpecie, quæ clarè repræſentabat Deum de facto habere decretum de poſitione talis eventus; unde hæc ſcientia non habet obſcuritatem, ſed eſt participatio præſcientiæ Dei, quæ futura cognoſcit in decreto. Nec coincidit hæc ſcientia cum Prophetia: tum quia Prophetia eſt gratis data ad utilitatem aliorum, unde cognoſcit ſolum futura illa, quæ Propheta illis quibuſcum vivit annuntiare debet: unde, ut obſervat D. Thom. *ſuprà, q. 9. art. 8.* Deus licèt agnoſcat futura & ea annuntiet, non debet dici Propheta; quia non ſolùm illa, ſed omnia alia cognoſcit. Sic ergo dici poteſt, Chriſtum Prophetiæ dono cognoſcere futura illa quæ debebant populis manifeſtari, ſed per ſcientiam infuſam cætera omnia. Tum quia per prophetiam cognoſcebat quidem Chriſtus nonnulla futura, ſed non rationes futurorum; quas tamen Chriſtus attingebat per ſcientiam infuſam rerum omnium cauſas, motiva, effectus, circumſtantias intelligentem.

Neque enim probare poſſumus, quod quidam Moderni exiſtimant, ſcientiam inditam cognoſcere futura immediatè in ſeipſis, non ſolùm quia id videtur proprium æternitatis, apud quam ſucceſſiva ſtant, & præſentia ſunt modo aliàs expoſito; ſed etiam quia futura contingentia in ſeipſis non habent propriam veritatem objectivam, ſuntque intrinſecè indeterminata ad exiſtendum, vel non exiſtendum, nec ad alterutram partem determinantur, niſi per extrinſecum Dei decretum: Ergo planè repugnat Chriſtum cognoſcere futura contingentia in ſeipſis immediatè, ſed ſolùm in ſpecie, quæ repræſentet dari de facto decretum Dei de tali futuritione; ſiquidem quod non habet determinatum eſſe, non poteſt repræſentari per ſpeciem immediatam creatam; quia cùm ejus repræſentatio ſit neceſſaria, non exhibet illud quod eſt indifferens; & ideo ſpecies angelicæ non repræſentant futura, quia licèt ut ſubſunt divino decreto ſint determinata, hoc tamen innoteſcere Angelis non poteſt, niſi per ſpeciem repræſentantem divini decreti conſtitutionem. Nec propterea ſcientia indita amittit rationem ſcientiæ reſpectu futurorum, quia cognoſcit ea in ſua cauſa, ſcilicet decreto, non quidem viſo, ſed per teſtimonium noto, non obſcurè, ſed clarè, & manifeſtante Deum ſibi illud revelare, in quo fidei obſcuritatem longo vincit intervallo. Maximè quia hæc cognitio ſcientiæ infuſæ in Chriſto eſt conjuncta & continuata cum cognitione clara & intuitiva divini decreti, quam habet ſcientia beata, ex qua conjunctione ſcientia infuſa ſcientiæ beatæ ſubalternata perfectam rationem ſcientiæ obtinet. Quia licèt non pauci opinentur, ſcientiam ſubalternatam in abſentia ſubalternantis non habere rationem eſſentialem ſcientiæ; nullus tamen ambigit quin ſcientia ſubalternata ſubalternanti conjuncta habeat eſſentiam, ſtatum, & perfectionem veræ ſcientiæ, ut quando habens Muſicam habet etiam Arithmeticam. Tunc enim Muſicus certò & evidenter cognoſcit principia & concluſiones, & has in illa reſolvit. Similiter ergo ſcientia indita cognoſcens futura per ſpeciem repræſentantem divinum decretum, poteſt cognitionem reſolvere in cognitionem beatam, ſicque vera gaudet ratione ſcientiæ.

Tertia excellentia. Chriſtus per ſcientiam inditam omnia entia ſupernaturalia creata comprehenſivè cognoſcit. Probatur ex principio ſæpiùs inculcato: Dignitas Chriſti exigit, ut ſcientia indita objecta ſua omni perfectione poſſibili & decenti cognoſcat; Sed poſſibile eſt ſcientiam inditam comprehendere omnia objecta ſupernaturalia, eorum quippe perfectio cùm finita ſit & limitata, terminos habet ſuæ cognoſcibilitatis, ad quos perveniri poteſt: aliunde verò id maximè decet, quia ſicut Chriſtus omnia alia objecta ſupernaturalia excedit, ita illi debet correſpondere ſcientia omnium creaturum intelligibilitatem excedens: Ergo objecta omnia ſupernaturalia creata ſcientia Chriſti comprehendit, ſeu cognoſcit quantum cognoſcibilia ſunt.

Dices: Quomodo poterit ſcientia indita lumen gloriæ, & viſionem beatam ſibi longè ſuperiora comprehenſione pervadere? Nam tanta debet eſſe vis intellectiva comprehendentis, quanta intelligibilitas objecti comprehenſi. Sed non eſt tanta vis intellectiva in ſcientia, quanta intelligibilitas in viſione; quia tam intelligibilitas quàm intellectualitas fundantur in perfectione entitativa, quæ longè major eſt in viſione beata quàm in ſcientia indita, ut patet: Ergo ſcientia indita beatam non comprehendit, nec ſubinde omnia objecta ſupernaturalia.

Reſpondeo, non eſſe neceſſarium ad comprehenſionem perfectionem entitativam ſcientiæ ſemper adæquari perfectioni entitativæ objecti, modò principiũ radicale talis ſcientiæ adæquet perfectionem entitativam objecti, quia ex principio radicali ſcientiæ & ſcientia ipſa fit cauſa adæquata intellectionis, non quòd ambo concurrant ut cauſæ partiales, ſed quia ſunt partes cauſæ integræ intellectionis; atque adeò licèt objectum excedat perfectionem unius partis principii intellectivi, ſcilicet potentiam proximam, tamen quia principium adæquatum quod integratur ex principio radicali & proximo, adæquat perfectionem objecti, ideo poteſt ſcientia optimè comprehendere objectum. Sic autem eſt in propoſito; nam licèt ſcientia infuſa ſit imperfectior ſcientiâ beatâ, tamen quia agnoſcit pro principio radicali unionem hypoſtaticam, cujus eſt proprietas, quæ quidem unio immensùm ſuperat omnia alia objecta ſupernaturalia, ideo poteſt illa omnia comprehendere; quia non eſt neceſſe quod objectum correſpon-

deat

deat perfectioni ſcientiæ, ſed ſcientis; nec principio proximo, ſed radicali. Quâ doctrinâ aliàs uſi ſumus in materia de Angelis, ad probandum inferiores poſſe comprehendere ſuperiores. Vide ibi.

Urgebis; Si ſcientia infuſa comprehendit ſcientiam beatam, profectò videt etiam terminum habitudinis illius; quomodo enim poſſet comprehendi entitas dicens habitudinem ad terminum, inviſo termino? Terminus autem ſcientiæ beatæ eſt eſſentia Dei, quam utique non videt ſcientia indita; Ergo non comprehendit ſcientiam beatam.

Reſpondeo minimè opus eſſe ad comprehenſionem alicujus entitatis dicentis ordinem ad aliud, requiri cognitionem comprehenſivam termini, ſed ſufficere ſolam apprehenſionem ejus quoad an eſt, modò cæteroquin attingantur omnia prædicata eſſentialia & individualia talis entitatis; aliàs ſcientia indita non poſſet etiam quidditativè cognoſcere ſcientiam beatam; imò nulla creatura poſſet aliam comprehendere, cùm omnes dicant eſſentialem habitudinem ad primum principium & ultimum finem Deum naturaliter inviſibilem: nullus quoque intellectus creatus, etiam beatus, poſſet comprehendere potentiam obedientialem quam habent creaturæ omnes ad effectus ſupernaturales, quia dicit habitudinem ad omnes effectus à divina omnipotentia in ipſa & per ipſam produtibiles; & tamen ſufficienter comprehenditur per hoc quod intelligitur natura, vel effectus formæ ſupernaturalis, cujus eſt capax.

Quarta præcellentia: Scientia indita myſterium Trinitatis quoad an eſt cognoſcebat. Probatur: tum quia Chriſtus ut viator habebat aliquam notitiam ſanctæ Trinitatis; unde myſterium illud debuit cognoſcere per ſcientiam inditam, quia beata competit comprehenſori, nec potuit aliunde eſſe in illo fides Tum quia Chriſtus poterat rogare, & ſæpiùs rogabat Patrem, ad quod ſanè exigitur Patris cognitio. Tum quia merebatur Chriſtus per amorem, pietatem & obedientiam erga Patrem, qui actus non dirigebantur à ſcientia beata, quæ non eſt regula niſi amoris neceſſarii, ſed à ſcientia indita. Tum quia ſcientia indita ſecundùm nos comprehenſivè, & ſecundùm omnes ſaltem quidditativè cognoſcit lumen gloriæ, & viſionem beatam, quæ reſpicit Deum ut trinum: non poteſt autem cognoſci habitus, ſcientia, & actus eorum, niſi cognoſcatur quoad an eſt terminus ad quem dicunt habitudinem. Quod profundiùs penetrabis, ſi conſideres entia ſupernaturalia poſſe dupliciter accipi, primò in ratione effectus, ſecundò in ratione ſpecifica & propria. Licèt autem ut effectus non dicant habitudinem ad Deum ut trinum, ſed ſolùm ut unum, quem reſpiciunt tanquam principium à quo procedunt, vis enim productiva ad extra eſt indiviſa tribus perſonis; cæterùm in ratione ſpecifica dicunt neceſſariam habitudinem ad Deum ut trinum, cui credit fides, quem amat charitas, quem intuetur viſio.

Reflexio

Tot privilegia ſcientiæ Chriſti revereri quidem Chriſtianus debet, ſed exprimere vel imitari nec poteſt, nec fortè ſi poſſet, expediret. Sæpe enim qui addit ſcientiam, auget dolorem, & ſæpiùs dum inflat, poſt conceptum dolorem parit iniquitatem. Hinc de Chriſto, poſtquam in templo cum Doctoribus ſummo omnium ſtupore diſputavit, confeſtim dictum eſt, *Et erat ſubditus illis*, ut ſcientiæ elationem comprimendam eſſe monſtraret. Et deinceps uſque ad 30. annum profundum ſilentium cuſtodivit: Quia parum prodeſt doctrina etiam infuſa, niſi plus luceat opere quàm verbo, & inanis eſt prædicatio, niſi illam virtutum omnium fructus præveniat, comitetur, conſequatur. *Magiſter verus* (ait Chryſologus ſerm. 167.) *quod verbo aſſerit, demonſtrat exemplo. Magiſterium ſtat de ſcientia; ſed Magiſterii auctoritas conſtat ex vita. Docenda faciens obedientem perficit auditorem: docere factis ſola eſt forma doctrinæ: doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis virtus. Scientia ergo illa vera eſt quæ fuerit mixta virtuti. Illa illa divina eſt, non humana. Evangeliſta probat, cùm dicit: Cœpit Ieſus facere & docere.* Certè validiora ſunt exempla quàm verba, & pleniùs opere docetur quàm voce. Sermo vivus & efficax exemplum operis eſt, dum factis monſtratur poſſibile, quod verbis ſuadetur. *Sic doce me, Domine* (orabat Auguſt.) *ut agam, non ut tantummodo ſciam quid agere debeam. Iuſtitiam ille verè dicendus eſt noſſe, qui facit.* Hæc eſt ſuaviſſima virtus harmoniæ quando doctrina cognoſcitur operibus conſonare, quæ ſi diſcrepabili varietate diſſentiant, nequaquam temperatam efficient cantilenam, nec ad cor auditorum veniet, quod ſe mutua contrarietate confundit.

Scientiæ tamen inditæ Chriſti dotes quadantenus exprimemus, ſi orationi jugiter incumbamus. In ea enim illuſtrata mentis acies omne donum deſurſum obtinet deſcendens à Patre luminum. Quid enim non invenit, aut cognoſcit oratio fide fulta, ſpe freta, charitate ſuccenſa? Attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immania. apprehendit noviſſima, ipſam denique æternitatem ſuo illo vaſtiſſimo ſinu quodammodo comprehendit. Pura oratio remotis inſanarum opinionum obſtaculis omnia nuda inſpicit: ſupra ſe Deum, infra ſe mundum, intra ſe immortalem animum conſiderat, vel ut ait Chryſoſtomus, oratio veri ſapientis contemplatur quid ipſe ſit, quid intra ſe, quid infra, quid ſupra, quid contra, quid ante, quid poſtea ſit, ut conſideratio quadripartitum pariat fructum, vilitatem ſui, contemptum mundi, dilectionem proximi, amorem Dei. Oratio mentem purificat, rationem illuminat, affectum regit, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, reficit infirmitates, poſtremo divinarum pariter & humanarum ſcientiam confert. Oratio delectationes dexteræ Dei prægustat, cœleſte experitur manna, quod nemo ſcit niſi qui accipit, æternis inhiat, cum Angelis converſatur, res mundi mundo projicit, & totis viribus adhæret Deo, ut unus ſpiritus ſit cum illo. Vaca, Lector, orationi, conſiderationi incumbe, & ſcientiæ inditæ Chriſti privilegia ex parte exſcribes, ſapies, intelliges, ac noviſſima providebis; ſapies quæ Dei ſunt, intelliges quæ mundi ſunt, providebis quæ inferni ſunt; proindeque inferna horrebis, ſuperna appetes, præſentia & mundana contemnes.

Speculatio III.

In Chriſto fuit ſcientia acquiſita, quam propriis actibus ſucceſſivè comparavit.

De ſcientia acquiſita explicat D. Thom. hîc, *q. 12. art. 2. ad 3.* illud Lucæ, *proficiebat ætate & ſapientia.* Quæ expoſitio conſormis eſt Ambroſio lib. de Incarn. c. 7. *Ideo ætatem antè præmiſit, ut ſecundùm hominem crederes dictum: ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientiâ hominis.*

Probatur: Chriſtus poterat ſcientiam humanam acquirere; præditus enim erat intellectu acutiſſimo, complexione exquiſita, ſenſibus ad recipiendas ſpecies aptiſſimis, intellectu agente ad eas depurandas ſolertiſſimo, cùm ſit perfectus Deus, & perfectus homo, qui aſſumpſit in natura humana quidquid Deus plantavit in illa, ut ait Damaſcenus: Ergo ſcientiam comparavit, ſi acquiſitio illius nullam dicat imperfectionem; omnia enim humana aſſumpſit,

quæ aſſumpſiſſe non dedecet: Atqui ſic eſt, quod acquiſitio ſcientiæ nullam tedolet imperfectionem Chriſto Domino indignam; ſcientia quippe acquiſibilis non erat magis debita Chriſto iu ſtatu infaotili, quàm foret tunc ei debita perfecta quantitas, ſtatura completa, loquela diſtincta, greſſus expeditus, quibus omnibus abſque imperfectionis labe caruit Chriſtus infans, ſicut & ſcientia experimentali, ut fatetur Suares oppoſitsm aſſertiooi noſtræ ſententiam docens. Ergo in Chriſto fuit ſcientia acquiſita.

Confirmatur: Nedum ſcientia acquiſita nulla imperfectione in puero Jeſu ioficiebarur, ſed etiam ejus acquiſitio ooo parvam dicebat perfectionem, Ergo Chriſto denegandanon eſt ſcientia acquiſita. Probatur antecedens: tum quia exercitium actionis eſt perfectio potentiæ operativæ, & cæteris patibus, nobilius eſt agere quàm recipere. Tum quia perfectioni intellectus admodum congruit, ſi non ſolùm omnia objecta cognoſcat, ſed etiam omui modo, ſeu non ſolùm infuſione, ſed etiam acquiſitione. Tum etiam, quia modus habendi ſcieutiam pet partum intellectualem plurimùm ſtatui viatotis cõſonat, cùm ſit omninò connaturalis. Tum demùm, quia licèt imperfectionem tedoleat acquirere ſcienoam per diſciplinam ſub Magiſterio docentis hominis, vel Angeli illumiuantis; tamen non mediocrem perfectionem ſapit ſine ullo Magiſtro ſcientiam à rebus creatis non tam emendicate quàm in illis vel legete, ut in libro, vel colligete, uti flores in horto, vel contemplari, non ſecus ac radios in ſpeculo. Cujus egregiam differentiam adducit D. Thom. *q. 12. art. 3. ad 2.* dicens: *Ille qui addiſcit ab homine, non accipit ſcientiam immediate à ſpeciebus intelligibilibus, quæ ſunt in mente ipſius, ſed mediantibus vocibus ſenſibilibus, tanquam ſignis intelligibilium conceptionum: Sicut autem voces ab homine formatæ ſunt ſigna intellectualis ſcientiæ ipſius; ita creaturæ à Deo conditæ ſunt ſigna ſapientiæ ejus. Unde dicitur Eccleſ. 1. quod Deus effudit ſapientiam ſuper omnia opera ſua: Sicut igitur dignius eſt doceri à Deo quàm ab homine, ita dignius eſt accipere ſcientiam per ſenſibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam.* Ergo in Chriſto Domino præter modum cognoſcendi in eſſentia divina per ſcientiam Beatam, qui eſt modus divinus, præter modum cognoſcendi per ſpecies indiras, qui eſt modus Angelicus, admittendus eſt etiam modus cognoſcendi per ſpecies à ſenſibus acceptas, qui eſt modus humanus.

Dices: Scientia quæ ſenſibus acqoiritur, eſt valde imperfecta, non ſolùm quia paulatim & ſucceſſivè gignitur, proindeqoe de ſtatu imperfecto ad perfectum procedit; ſed etiam quia ſcienna utens ſpeciebus acquiſitis res ſpirituales ut animam rationalem & Angelos valde diminutè, & ad modum rerum corporeatum cognoſcit: Ergo ſcientia acquiſita perfectioni Chriſti derogat; unde ſi in eu fuit, per accidens infuſa eſſe debuit, ſicut in Adamo.

Reſpoodeo ſucceſſionem in acquiſitione ſcienoæ humanæ non importare quidem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, benè tamen perfectionem ſecundùm quid, cooſonam ſtatui creaturæ rationalis, maximè viatotis: ſicur nec infanti Jeſu tepugnabat, ſed potiùs congruebat ſucceſſiva acquiſitio quantitatis, figuræ, & uſus membrorum, & teſte ipſo Suare non iodecens fuit, Chriſtum ab initio caruiſſe ſcientia experimeotali, cujus carentia non erat ignorantia privativa, ſed negativa.

Nec mirum eſſe debet, quod per illam ſcientiam ſpiritualia modo humano, ac ſubinde non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid perfecto cognoverit, quia ut air S. Thom. *q. 12. art. 1. ad 3.* per ſcienriam acquiſitam ea ſolùm noſcebat Chriſtus, *Quæ per lumen intellectus agentis ſunt cognoſcibilia, unde per hanc ſcientiam non cognovit eſſentiam ſubſtantiarum ſeparatarum, nec etiam ſingularia præterita, & futura; quæ tamen cognovit per ſcientiam inditam.* Quod verò dicitur de Adamo, non eſt ſimile, quia Protoparens productus fuit in ætare virili, ut rector & gubernator mundi, quod munus implere minimè potuiſſet, niſi ſcientiam acquiſitam pet accidens infuſam habuiſſet: At Chriſtus in muodum modo aliis communi venire dignatus eſt, unde paulatim ſapientiâ homanâ proficiebat; quanvis cæteroquin ſcientiâ ſuâ per ſe infuſâ & Adamo & cæteris Angelis aotecellebat.

Inſtabis: Scienria acquiſita multa ignorat, qoorum ſpecies non poteſt ſenſibus comparare, v. g. nequit attingere occultas virtutes cœlorum, quorum pulchriora latent, unde & dicitur cœlum à celando; & idem patet de abyſſis maris, de viſceribus terræ. Scientia verò horum omnium oeſcia valde debilis eſt, & Chriſto parum digoa: Ergo ab ipſo relegandа eſt.

Reſpondeo intellectum Chriſti habuiſſe excellentiſſimam vim ratiouis; uode licèt multa ſenſibilia noo fuerint ipſi objectata, *fuerunt tamen* (ait D. Thom. antè citatus) *ſubjecta ſenſibus ejus aliqua, ex quibus potuit in aliorum notitiam devenire.* Quod ſi fuerint ita latentia, ut ex his quæ noverat non potuerit ſurgere ad incognita quæ uon noſcebat, tunc noo inconvenit dicere Chriſtum uſum fuiſſe miniſterio Angelorum, ut ſenſibus objecta illa remotiſſima adducerent, ſicut eorum miniſterio allati ſunt ei panes in deſerto, & Protoparenti adducta ſunt aoimalia illis omnibus nomina impoſituro.

Urgebis: Chriſtus habuit virtutes morales acquiſitas, perfectione naturali cumulatas à primo conceptionis exordio, ſubindeque prudenoam conſummatam, quæ eſt virtutum moraliom auriga, & condimenium: Atqui prudentia perfecta ſupponit perfectam ſcientiam & cognitiouem, tum principiorum, cùm concluſionum univerſalium, à quibus judicium in ſingulis eventibus hîc & nunc decernendum pendet; Ergo intellectus Chriſti fuit omnibus ſcieotiis acquiſitis ab ioitio inſtructiſſimus.

Reſpondeo adduxiſſe nos diſſertatione ſuperiori, *cap. 2.* diſcrimen, quod virtutes morales inter & ſcientias acquiſitas intercedit, quia ſuppoſita ſcientiæ infuſæ luce voluntas Chriſti naturali rectitudine prædita, nullis paſſionum retinaculis impedita, nullaque infirmitate omnibus filiis Adam implantatâ languens, ſtatim in actus omnium virtutum promptè expediteque prorupit, quibus habitus virtutum omnium moralium comparavit, ſubindeqoe prudentiam, de qua falsò dicitur in argumento, quod exigit ſcientiarum omoium acqoiſibilium apparatum; abſurdum quippe eſſet aſſerere, virum omnem prudentem cunctas mathematicas demonſtrationes, dialecticas argutias & præciſiones, metaphyſicas abſtractiones, aſtrologicas prædictiones, medicinæ aphoriſmata callere debere. Quia nimirum prudentia noo curat diſputare, ſed vivere; non argutari, ſed ſecundùm rectam rationem conſiliari, judicare, eligere, imperare, & operari, & hac prudentiâ in gradu ſuperemineori ornatus fuit Chriſtus etiam puer, de quo dictum eſt, quod ſciebat reprobare malum, & eligere bonum.

Inſiſtes: Sanctis ex vi beatitudinis per accidens infuoditur omnis ſcieotia naturalis, quam in via non acquiſiveruot, quia beatitudo implet omne naturale deſiderium, & homo oaturaliter ſcire deſiderat, ut dicitur 1. *Metaph.* Sed Chriſtus fuit beatus ab initio conceptioois: Ergo ſcientias acquiſitas per accidens infuſas habuit ex vi ſtatus beatitudinis in quo erat.

Reſpondeo non eſſe mirum ſcientiam acquiſibilem Beatis per accidens infundi, cùm eam non poſſint

ſibi

ſibi acquirere, & aliunde eam ſtatim exigant, ne intellectus eorum perfectione connaturali, & cum beatitudine compoſſibili careat. Quanvis poſſet dici, capacitatem & deſiderium naturale ſciendi hominibus omnibus inſeminatū eminentiſſimè ſuppleri ſcientiâ beatâ in Verbo rerum omnium ſpecies, proprietates & individua ad perfectionem univerſi pertinentia intuente. Sed utut ſit, magna eſt differentia inter Chriſtum & Beatos, quia ut dixi, Beati in patria non ſtudent, nec poſſunt ſcientias acquirere extra viam: at Chriſtus erat ſimul comprehenſor & viator, unde erat in ſtatu quo ſcientiam ſibi poterat aſciſcere, imò & congruè debebat, ut oſtendimus in probatione ſpeculationis. Nec magis ſcientias acquiſibiles exigebat in via ab initio vi ſtatus beatitudinis, quàm gloriam corporis, quâ tamen in via carebat.

REFLEXIO.

Si proficiebat Chriſtus ſapientiâ, profectò legitima eſt Bernardi *epiſt.* 30. illatio: *Quiſquis in ſchola Chriſti non proficit, ejus indignus eſt magiſterio.* In ſcala myſtica nullum ſtantem vidit Jacob, ſed omnes progredientes, aſcendentes, vel deſcendentes inſpexit. Et de ipſis Seraphinis, qui ſtant ante thronum Dei dicitur *Iſaiæ* 6. quod *duabus pennis volabant.* Quò progredimini, quò pergitis, quò volatis, ô Seraphini in ſupremo hierarchiæ cœleſtia faſtigio cōſtituti? Volent, & inceſſanter volent Angeli ad Archangelos, iſti ad Principatus, hi ad Cherubinos: Vos autem quò, amabo, contēditis? Cavete ne ſi altiùs aſcendere conemini, cum eo corruatis, qui dixit: *aſcendam in cœlum.* Volant Seraphim, anhelant, connituntur non motu ſuperbiæ aſcendendi ſemper, ſed continuæ & nunquam interruptæ operationis greſſu; quia nimirum nullus eſt virtutis gradus tam ſublimis, in quo ſtare debeamus.

Nec dicas Chriſtum fuiſſe otioſum per triginta annos; tunc enim cum hominibus quidem non agebat, ſed cum Deo negotiabatur, verbis nihil docebat, ſed factis prædicabat: gloriam quaſi unigeniti à Patre abſcondebat, ſed humilitatis, omniumque virtutum exemplis lucebat lux ejus coram hominibus, ut viderent opera ejus bona; miracula nondum patrabat, ſed ſanctitatis prodigia edebat, ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus factus; peccatores palam non convertebat, ſed pro peccatoribus clam lugebat; diſcipulos non colligebat, ſed magiſtros recollectionis, & ſolitudinis interdum frequentandæ ſecretum docebat; cum Joſuë non certabat, ſed cum Moſe manus in cœlum tollebat, Scribas & Phariſæos non increpabat, ſed dæmones confundebat; perſequutiones Judæorum non tolerabat, ſed corpus virgineum pœnitentiæ rigore innocens macerabat, & paſſionis carnificinæ præparabat; Eccleſiæ ſuæ ædificium nondum erigebat, ſed alta & inconcuſſa fundamenta jaciebat; opus redemptionis nondum conſummabat, ſed redimendi modum & ideam cogitatione efformabat; non pugnabat, ſed arma acuebat; non piſcabatur, ſed retia texebat; parabatque ſpiritalium pharmacorum apothecas cœleſtis Medicus nondum ſanans, ſed ſanaturus. Verè nunquam minùs ſolus, quàm cùm ſolus, nunquam minùs otioſus, quàm cùm otioſus, ut exemplo confirmaret ſuo maximam illam in vita ſpiritus fundatiſſimam, & Sanctorum omnium unanimi calculo probatam: *In via Dei non progredi, regredi eſt.*

Specialiter verò ſcientiam Chriſti acquiſitam imitantur qui ſacris ſtudiis operam dant, divinorumque verborum & factorum meditationi non perfunctoriè, ſed ſedulò, ſed quotidie, ſed aſſiduè incumbunt. Audiant, quæſo, illi Eccleſiæ Miniſtri & Rectores animarum, qui Deo militare nequaquam poſſunt negotiis ſæcularibus implicari, quique à Deo procul dubio repellentur, quia ſcientiam repulerunt. Quàm reprehenſibilis, quàm Eccleſiæ inutilis, quàm ſibimet ipſi gravis Clericus vel Religioſus ſapientiam non amans, ad quam inclinat natura, hortatur ſacra Scriptura, & ipſa mundi univerſitas invitat; *quocumque* enim *te verteris*, ut ait Auguſt. *veritas veſtigiis quibuſdam quaſi operibus ſuis impreſſis loquitur tibi.* Quàm verò laudabilis, quàm dilectus Deo & hominibus, quàm Eccleſiæ ſibique proficuus, qui verba & opera Domini per ſtudium inquirit, per meditationem rimatur, per contemplationem miratur. Heu quàm multa, quàm innumera in Rempublicam Chriſtianam mala ex ignorantia corrivantur, & quotidie ſcaturiunt. Quando enim non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum, mendacium, adulterium, cæteraque opera tenebrarum inundare incipiunt; anima multorum in ipſis deficit, quia parvulis panem petentibus non eſt qui frangat eis; carnales voluptates perſequuntur, qui ſpiritualibus ſapientiæ deliciis carent, ad æterna cæcutientes, & ad divina caligantes, terrenis ſolùm inhiant; neque enim ea quærere poſſunt aut amare, quæ non conſiderant.

Proficiamus ergo more Salvatoris, ſapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus. *Optabile eſt mihi & præclarum* (inquiebat Gregorius Theologus in Apolog.) *uſque ad ultimam diſcere ſenectutem; quoniam nulla ætas ad perdiſcendum ſufficere poteſt.* Ab omnibus libenter diſce quod tu neſcis, quia humilitas tibi facier eſſe commune, quod natura cuique proprium partita eſt. Sapientior omnibus eris, ſi ab omnibus diſcere volueris; qui enim ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores evadunt. Tandiu diſcendum eſt, quandiu neſcias, id eſt quandiu vivas. Non quantum ſcias, ſed quantum ignoras, conſidera. *Otium ſine literis mors eſt, & vivi hominis ſepultura*, ait Seneca, *epiſt.* 87. Et Divinus Apoſtolus 1. Timot. 4. *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis; hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.*

CAPUT II.

De voluntate & libertate Chriſti, libertatiſque cum impeccabilitate concordia.

Ex fide conſtat, in Chriſto præter voluntatem divinam fuiſſe etiam humanam; ita enim definitum eſt in 6. Synodo generali, actione 4. & 8. contra Monothelitas unicam in Chriſto voluntatem agnoſcentes. Et ratio eſt manifeſta. Nam Verbum aſſumpſit humanam naturam perfectam & integram; ad perfectionem autem naturæ pertinet voluntas, ſeu appetitus rationalis intellectum neceſſariò conſequens; aliunde verò Verbum Divinum per aſſumptionem humanitatis non amiſit propriam & divinam voluntatem, quæ eſt immutabilis: Ergo in Chriſto ſunt duæ voluntates, divina pariter & humana. Quæ ſanè ratio convincit, fuiſſe in Chriſto liberum arbitrium, quod cùm ſit maxima animæ perfectio ex amplitudine virtutis cognoſcitivæ promanans, relinquitur, Verbum Divinum aſſumpſiſſe humanitatem libertate decoratam.

Scio Vaſqueſium contendere, Monothelitas non negaſſe voluntatem humanam in Chriſto, ſed tantùm actionem voluntatis humanæ, addens nullum ante ſe authorem Monothelitani erroris ſenſum penetraſſe. Sed quid cenſes, cordate Lector, de homine illo extollente ſe ſupra omne quod dicitur doctum? Qui ſicut in materia de viſione, ut excuſaret Anomæos, magnum Chryſoſtomum erroris incuſavit, pluresque alios Patres inſimulavit: ſic impræſen-

tiarum pro magno inconvenienti haber, quod hæretici non loquantur conſequenter, admittentes naturam, & ſimul facultatem negantes; & non reputat inconveniens totam Theologorum coronam traducere, & Monothelitanæ hiſtoriæ notitiam ſibi ſoli arrogare; cùm tamen Cajetanus Vaſquis expoſitionem longè ante Vaſquem occupaſſet, dicens *quaſt. 18. art. 1.* Macarium hujus ſectæ coryphæum, non negaſſe potentiam, ſed motum proprium humanæ naturæ; quanvis addat hæreticos illos conſequenter fuiſſe convictos negatæ ipſius voluntatis.

Certè cùm cujuslibet naturæ & facultatis propria ſit operatio, non vendicat ab inconſequentia Monothelitas Vaſques, ſed potiùs majoris inconſequentiæ convincit, dum ait ipſos admiſsâ voluntate operationem ejus perhegaſſe; ſi nullâ, ut ipſe arguit, vel minimâ ſpecie probabilitatis negare potuerunt voluntatem, admiſsâ naturâ; quo, quæſo, probabilitatis colore admiſsâ humanâ voluntate operationem & motum voluntatis inficiati ſunt?

Veritas ergo eſt, Monothelitas & operationem voluntatis, & voluntatem ipſam rejeciſſe, ut clarè patet ex epiſtola Agathonis Papæ definientis dari in Chriſto *duas naturales voluntates, & duas naturales operationes*. Ubi perſpicuè voluntatem ob operatione diſcernit, aliàs foret nugatoria repetitio. Adde quod Papa Agatho ex eo probat dari in Chriſto duas voluntates, quia voluntas ſequitur naturam, unde Monothelitas arguit inconſequentiæ illius, in quam eos non incidiſſe Vaſques prætendit. Verba ſapientiſſimi Pontificis ſunt hæc: *Deus perfectus, & homo perfectus eſt Chriſtus Ieſus: Ergo naturalibus proprietatibus utramque naturam perfectam neceſſe eſt eſſe, & duas in eo operationes & voluntates. Igitur ſicut in tribus perſonis Trinitatis Tres perſonales voluntates aſſerere abſurdum eſt, quoniam una natura eſt, quam ſequitur voluntas una: ita in una Chriſti perſona, quæ duas naturas habet, duas voluntates & duas operationes naturales negare impiū eſt.* Vides Agathonem qualitatem facultatum ex duplici natura ſubinferre; ſubindeque inconſequentiæ hæreticoa arguere.

Adde rurſus quod actione 8. interrogatur hæreticus à Patribus: *An Chriſtus habuerit humanam voluntatem & impeccabilem?* Patet autem hanc interrogationem non eſſe de voluntate ut actus eſt, actus quippe non eſt peccabilis, vel impeccabilis, ſed peccatum, vel non peccatum, & tamen hæreticus Macarius ſimpliciter negativè reſpondit his impiis vocibus: *Non dico duas voluntates, aut duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed unam voluntatem, & Dei-virilem operationem; non tamen duas confiteor, etiamſi membratim incidar, & mittar in mare.* Unde eum cum duobus aut tribus diſcipulis in exilium relegatum pallio Epiſcopali Sacrum Concilium denudavit, & in ejus ſedem Theophanem ſpectatæ religionis virum ſuffecit.

Incepit hæc hæreſis anno 639. ſub infauſto Heraclii Imperatoris patrocinio, qui edictum ſub *Ecthesis* nomine propalavit, quo unicæ Chriſti voluntatis aſſertio ſub graviſſima interminatione pœnarum præcipiebatur. Aucta eſt procella ſub Conſtante Imperatore, qui novum de ſupprimenda duplici Chriſti voluntate edictum, quod *Typum* appellavit, ad S. Martinum Papam tranſmiſit, ut ei Romanus Antiſtes ſubſcriberet, qui coacto Epiſcoprum Occidentalium Concilio, Principis quidem intentionem inquirentē pacem laudavit, ſed propoſitum pacis remedium de tegenda veritate Catholica, ſimulq; Ecthesin Heraclii, & Conſtantis Typum Apoſtolico vigore reprobavit. Ea propter furens Imperator Sanctiſſimum Chriſti Vicarium primùm Conſtantinopolim, deinde in Cherſonneſum deportari tyrannicè jubet, ubi per innumeras clades martyrii palmam adeptus eſt.

Martini Sedi & zelo ſucceſſit Theodorus, qui Pyrrhum è Monothelitarum primoribus unum, relapſum in abjuratam hæreſim damnavit, & convocata Synodo ad tumulum B. Petri, ex Sacro Calice pretioſum Chriſti Sanguinem in atramentum inſtillavit, quo Pyrrhi excommunicati depoſitionem propria manu ſcriptis commendavit. Theodoro ſucceſſit Agatho, qui ad tam violentam ſedandam tempeſtatem, reſarciendaſque Eccleſiæ Catholicæ per hæreticos illatas ruinas ſextam Synodum Conſtantinopoli coëgit, ad quam Legatos quatuor, & epiſtolam divino Spiritu, & omnigena eruditione refertam tranſmiſit, quæ fuit Orthodoxorum Patrum aſſenſu conſecrata, applaudente Conſtantino cognomento Pogonato, Conſtantis filio, ſed paternis moribus immenſùm diſſimili, quippe fidei columine, Romanæ & Catholicæ Religionis amantiſſimo, pœnaſque in hæreticos refractarios novo edicto decernente.

His præmiſſis grandis reſtat difficultas de impeccabilitate voluntatis Chriſti cum libertate ejus componenda. Ut autem dilucidè obſcura materia pro virili procedamus, priùs ſtatuē da eſt Chriſti impeccabilitas, ut ejuſdē cum libertate concordiā exponamus

Speculatio I.

In Chriſto Domino non ſolùm non fuit peccatum, ſed etiam fuiſſe, contradictionem implicat.

PRima pars eſt veritas fidei, quam diſertè tradit Scriptura, Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hebr. 7. *Talis decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Quibus verbis Apoſtolus diſcernit Chriſtum ab aliis juſtis, quorum multi ſunt Sancti, ſed non innocentes, quia vel mortali, vel veniali peccato obnoxii ſunt: aliqui ſunt innocentes, ut pueri poſt Baptiſma morientes; ſed non ſunt impolluti, quia in iniquitatibus concepti ſunt. Eandem immunitatem ab omni peccato, tum actuali, tum originali, tradit Angelus, Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* Quibus verbis Archangelus triplicem immaculati Chriſti conceptus rationem tangit. Prima, quia *Spiritus ſanctus ſuperveniet*: ubi notanda eſt formalis loquutio, quam logici vocant in quarto modo *per ſe*, ſimilis illi, *Pictor pingit*. Ita Spiritus ſanctus, ut talis, ſi agit, non poteſt non effundere ſanctitatem. Secunda, quia *in te, & ex te*, ſcilicet Virgine; Virginis namque fœtus non poteſt non eſſe immaculatus, & ex lilio virginitatis planè oritur flos candidiſſimus, & illibatus. Tertia, quia quod naſcetur, *vocabitur Filius Dei*, cui magis repugnat peccatum, quàm luci tenebræ adverſentur, ut ſtatim oſtendemus. Hac de cauſa id quod naſcetur *Sanctum* in neutro genere vocat, id eſt cumulum ſanctitatis.

Ratio S. Th. *q. 15. art. 1.* convincit: Chriſtus ſuſcepit defectus humanos triplici de cauſa: primò ut pro nobis ſatisfaceret: ſecundò ut veritatem humanæ naturæ comprobaret, tertiò ut nobis virtutis exempla præberet. Sed peccatum ad hunc triplicem finem non conducebat modò, ſed potiùs oberat; peccatum quippe non juvat, ſed impedit ſatisfactionem. Eccl. 34. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus.* Et deinde, quia ſi in Chriſto fuiſſet peccatum, pœna quam ſuſtinuit, fuiſſet ſibi debita: quomodo ergo pro peccatis alienis ſatisfeciſſet? Peccatum etiam non fuit neceſſarium ad demonſtrandam veritatem humanæ naturæ, cùm peccatum ſit contra naturam, rationem, quæ eſt hominis character, ſuſdeque vertens. Denique non poteſt peccatum proponi ut exemplum imitandum, cùm potiùs ſit fugiendum ab eo *veluti à facie colubri*, ut dicit Scriptura: Ergo peccatum longè fuit à Chriſto.

Nec

Nec dicas, quod ut Chriſtus pœnitentiæ exemplum peccatoribus miniſtraret, debuit habere peccatum, de quo ipſe pœniteret. Nam ut egregiè docet D. Thom. citatus ad 5. *Pœnitens laudabile exemplum dare poteſt, non ex eo quod peccavit, ſed in hoc quod voluntariè pœnam ſuſtinet pro peccato. Unde Chriſtus dedit maximum exemplum pœnitentibus, dum non pro peccato proprio, ſed pro peccatis aliorum voluit pœnam ſubire.* Quæ doctrina à viris Apoſtolicis obſervanda eſt; quanvis enim vitam aliàs ſatis innocentem, & à lethalibus peccatis immunem ducant, nihilominus niſi veræ pœnitentiæ exempla præbeant fruſtra pœnitentiam lapſis ſuadebunt. Unde S. Joannes Baptiſta, qui Angelus puritate fuit, vitam ad miraculum auſteram duxit; & in S. Dominico Prædicatorum Patre, & exemplari, neſcio quid mirer magis, an prædicationis ejus fructus uberes, an pœnitentiæ rigidiſſimæ labores incredibiles.

Secunda pars eſt concors doctrina Patrum aſſerentium in Chriſto *non eſſe poteſtatem peccandi, quia non ſolùm homo, ſed etiam Deus erat*, ut ait Anſel. *l. 2. Cur Deus homo, cap.* 10. Brevitati ſtudens ſuperſedeo à recenſendis teſtimoniis Hilarii, & Ruperti, aſſerentium Chriſtum *eſſe omni malitia incapacem*, non ſolùm *peccare nolle*, ſed *nec poſſe*, ipſique non minùs repugnare peccatum, quàm repugnet *amittere quod Chriſtus eſt*. Ubi vides Patres Chriſto aſſerere omnimodam impeccabilitatem, peccandique poſſibilitatem excludere ex ratione unionis hypoſtaticæ, non verò propter ſolam viſionem beatam, quâ ſemper potitus eſt, ut opinantur Scotiſtæ. Vides etiam Patres non ſolùm velle unionem hypoſtaticam eſſe cum peccato incompoſſibilem, ſed etiam Chriſtum non poſſe peccare, & peccando unione privari: manifeſtum eſt enim, Sacros Doctores aliquid amplius Chriſto quàm juſtis ordinariis aſſerere, qui tamen dicuntur peccabiles, non quòd poſſint conjungere gratiam cum peccato, ſed quia peccando poſſunt admittere gratiam. Igitur dum Patres Chriſtum ſimpliciter impeccabilem affirmant, cenſent ipſum nullum poſſe patrare peccatum, quo unio diſſolvatur; aliàs nihil eximium impeccabilitati Chriſti, quam tantopere celebrant, attribuerent.

Fundamentum immobile hujus veritatis jactum eſt à SS. Patribus. & ſic poteſt proponi: Humanitati Chriſti ex vi & efficacia unionis hypoſtaticæ, ſemotis ſive per poſſibile, ſive per impoſſibile quibuſcumque aliis, conveniunt quatuor privilegia ex ineffabili illa unione neceſſariò conſequuta. Primum eſt, ſubſiſtere in Verbo Divino, in quo conſiſtit fides Incarnationis. Secundum eſt, naturam humanam intimè uniri divinæ ſubſiſtentiæ; quippe nexus eſt, quo ambæ naturæ, divina pariter & humana in eadem hypoſtaſi ſubſtantialiter copulantur. Tertium eſt, Chriſtum eſſe Sanctum ſanctitate ſubſtantiali, ut antea demonſtravimus. Quartum, humanitatem regi, moveri, & gubernari à Verbo in omnibus operibus ſuis. Nam ut dicitur in 6. Synodo, act. 8. *Quemadmodum corpus noſtrum regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima noſtra: ita in homine Chriſto tota hominis ejus conſperſio ab ejuſdē Verbi divinitate ſemper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit.* Et ſanè quando duo uniuntur, ſemper quod inferius eſt à ſuperiore regitur, aliàs eſſet ordo præpoſterus: ſic potentiæ inferiores ab intellectu & voluntate diriguntur: ſic membra capitis ſubſunt regimini: ſic corpora ſublunaria univerſi cœlorum impreſſioni ſubjiciuntur: ſic cœli Angelorum impetu cientur: ſic inferiores hierarchiæ à ſuperioribus purgantur, illuminantur, perficiuntur; & idem cernere eſt in politicis. Has quatuor Chriſti prærogativas negare eſt totam myſterii Incarnationis œconomiam ab imis fundamentis ſtirpitus ſubruere: ſed ex illis neceſſariò ſequitur, Chriſto repugnare omne peccatum: Ergo ex vi unionis hypoſtaticæ, & ex proprio ipſius fundo, ſublatis quibuſcumque aliis, repugnat Chriſto omne peccatum.

Probatur minor ex prima excellentia: Si humanitati ſubſiſtenti per ſuppoſitum Divini Verbi poſſet contingere peccatum, actio peccaminoſa refunderetur in ipſum ſuppoſitum divinum; actiones enim ſunt ſuppoſitorum, nedum denominativè, ut quidam dicunt, ſed etiam effectivè, aliàs à ſuppoſito divino nullum valorem haurirent actiones Chriſti meritoriæ; nec Verbum aliter concurreret ad actiones humanitatis, quàm Pater & Spiritus ſanctus, quod quomodo ſalvet noſtri veritatem myſterii, non video. Quanvis enim perſonalitas non ſit operativa, nec principium quo agens influit, eſt tamen principium quod agit. Unde in divinis à Patre exit generatio, non ab eſſentia. Deinde quis admittat ſine piarum aurium offenſione, ſuppoſitum divinum poſſe verè denominari peccatorum, criminibus inquinatum, maculis ſordeſcens?

Id etiam ex ſecunda dote prædicta conficitur, quia omne peccatum committitur per receſſum à Deo, unde de peccatoribus dicitur: *Dereliquerunt me fontem aquæ vitæ.* Et iterum: *Qui elongant ſe à te peribunt.* Ergo humanitati intimè Deo unitæ repugnat peccatum: quo enim aliquis eſt Deo conjunctior, tanto minùs peccati capax eſt, quia tunc magis adhæret regulæ indefectibili, ideoque Deus eſt eſſentialiter impeccabilis, quia eſt ita conjunctus Regulæ omnis ſanctitatis, ut ſit ipſamet regula. Igitur humanitati immobiliter & indiſſolubiliter conjunctæ Verbo Divino ex vi talis unionis repugnabit peccatum multò magis, quàm ex vi viſionis beatæ, cùm illa unio ſit iſtâ potior, fortior, & intimior, ut aliàs monſtravimus.

Ex tertio quoque capite eadem minor convincitur; humanitas enim Divinitate uncta, ſanctitate ſubſtantiali & infinita nitet. Sicut enim ſanctitas quævis expellit immunditiam ſordeſque peccati, ita ſanctitas infinita omnem immunditiam peccati poſſibilis excludit, multò magis quàm gratia habitualis, quæ tamen eſt cum peccato incompoſſibilis, cùm implicet idem ſubjectum eſſe Deo gratum & inviſum, amicum & infenſum. Quanto ergo minùs potent idem ſuppoſitum eſſe filius dilectus, in quo ſibi complacet Pater, & ſimul eſſe objectum odii divini, & filius diaboli? Quæ conventio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial?

Demùm ex quarta prærogativa eadem veritas demonſtratur: Si humanitas à Verbo regatur non ſolùm tanquam à cauſa generali (qua ratione omnia gubernat,) ſed ut à cauſa ſpeciali movente & dirigente, ſicut anima regit corpus, non poterit aliquid ab ea prodire inordinatum, quod non ſtatim refundatur in Rectoris vel infirmitatem, vel malitiam; ſicut dum exorbitat appetitus in ſecundis & voluntatis motibus, accuſatur ratio non cohibens; dum peccat ſubditus, culpatur etiam annuens prælatus; nam ut ait Salvian, lib. 7. de provid. *Probat debere fieri, qui ſciens patitur perpetrari.* Et hac de cauſa diximus aliàs Angelos non poſſe in primo inſtanti peccare; quia Deo, à quo tunc ſpecialiter moveri egent, peccatum attribueretur: Ergo ſimiliter humanitatis lapſus ſuppoſiti ſuſtentantis, & ſpecialiter regentis, vel ſaltem regere debentis defectum argueret.

Dices: His rationibus probari quidem peccatum eſſe ſimul incompatibile cum unione hypoſtatica, ſed minimè ſuaderi, humanitati non poſſe accidere peccatum, quo patrato diſſolvetur unio: ſicut licèt gratia & peccatum ſint incompoſſibilia in anima Juſti,

ſti, Juſtus tamen peccare poteſt, & peccando amittere gratiam.

Reſpondeo ex ratione facta, & in quatuor præfatis privilegiis fundatâ quadruplicem naſci differentiam inter gratiam unionis, & gratiam accidentalem, quæ manifeſtè evincit nullum peccatum poſſe à Chriſto committi, quo ſua unio diſſolvatur. Prima eſt, quia gratia habitualis non conſtituit ſuppoſitum, ſed ei advenit; unde non eſt opus quod omnia opera juſti procedant à gratia, ſed procedunt à perſona, quæ poteſt malè operari, & gratiam fugare. At verò gratia unionis conſtituit ſuppoſitum, cujus omnis operatio non ſolùm non eſt peccaminoſa, ſed etiam eſt infiniti meriti & valoris. Secunda differentia eſt, quia gratia accidentalis non unit Deo immobiliter, ſed ſubjicitur flexibilitati liberi arbitrii: gratia verò unionis indiſſolubiliter humanitatem Deo unit, nimirum mediante ſubſiſtentia Verbi immutabilis. Tertium diſcrimen eſt, quia gratia habitualis eſt ſanctitas finita, quæ licèt peccatum excludat, tamen potentiam expeditam ad peccandum relinquit. At verò gratia unionis eſt ſimpliciter infinita, ſubindeque nedum expellens peccatum, ſed etiam removens potentiam expeditam ad illud; ideoque dicitur inhabitare in Chriſto omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, quia Divinitas omnes ejus potentias replet etiam ſenſitivas & corporeas, in quibus proinde non manet capacitas & potentia, niſi ad actiones theandricas eliciendas. Quarta demùm diſparitas eſt, quia reſpectu Juſtorum ſe habet Deus ut cauſa generalis, quos regit ſuâ providentiâ, quæ ſæpe permittit mala. Sanctos etiã in propria infirmitate relinquit ob rationes aliquando apertas, aliquando occultas ſapientiæ ſuæ inſcrutabilis. At verò reſpectu humanitatis ſe habet ut agens particulare eam dirigens, ſuſtinens, & movens, ita ut ſi per impoſſibile providentia divina ad actiones cauſarum ſecundarum non ſe extenderet ut cauſa prima; tamen ratione unionis hypoſtaticæ regeret, & ſpecialiter moveret humanitatem, utpote ita ſuam, ut per hujuſmodi unionem Deus ſit homo, & homo Deus.

Inſiſtes: Subſiſtentia habet rationem puri termini, nec eſt principium operandi, aliàs variata ſubſiſtentiâ variarentur operationes, quæ non poſſunt eſſe eædem mutato principio: Sed peccatum non refunditur niſi in ſuum principium: Ergo etiamſi humanitas in aliquod peccatum prolaberetur, non propterea illud Verbo aſcriberetur.

Reſpondeo ſubſiſtentiam eſſe complementum principii quod agit, nec propterea operationes humanæ Chriſti ſunt diverſæ à noſtris; quia humanitas, quæ eſt principium formale proximum operationis, eſt eadem ſpecie cum noſtra, ſicut viſiones beatæ Angelorum & hominum ſunt ejuſdem ſpeciei, quia licèt procedant à ſuppoſitis ſpecie diverſis, oriuntur tamen proximè à lumine gloriæ, quod eſt ejuſdem ſpeciei in utriſque. Cum quibus ſtat, actionem profluere nedum à principio proximo, ſed etiam à radicali, quod eſt ſuppoſitum, & perſona, ſive actio mala ſit, ſive bona; & ideo priùs reſpicere ſolet Deus ad perſonam quàm ad opera; priùs ad Abel, quàm ad munera.

Inſtabis: Duo habet humanitas Chriſti, ratione quorum competere videtur ei peccabilitas. Primum quia eſt creatura è nihilo producta; omni autẽ creaturæ innata eſt defectibilitas: cui argumento ſuffragatur tota ſtructura rationum, quibus in materia de Angelis oſtenditur omnem creaturam eſſe peccabilem. Secundum eſt libertas arbitrii, quæ poteſt flecti in bonum, & malum, quam non tollit ſubſiſtentia Divini Verbi, quæ naturam non deſtruit, ſed perficit; ſubindeque modum cum indifferentia voluntati intrinſecum non mutat.

Reſpondeo neutrum obeſſe: non primum, quia licèt humanitas Chriſti ſecundùm rationem mentis creati conſiderata ſit peccabilis, tamen reduplicativè ut unita Verbo Divino peccare non poteſt, quia ſic licèt non ſit ſua regula, eſt tamen ei indefectibiliter unita. Non etiam ſecundum quia potentia peccandi non eſt pars, neque complementum libertatis, ſed defectus & infirmitas illius: imò voluntas Chriſti eo liberior fuit, quo à peccato fuit immunior, & ſummæ bonitati conjunctior. Et radix horum eſt, quia quo magis voluntas adhæret ultimo fini, eo magis eſt independens à mediis, illique minùs alligata; unde poterit illa aſſumere, vel relinquere ad libitum, ſervato ordine finis: & quanto magis creſcit adhæſio ad Creatorem, tanto minuitur adhæſio ad creaturas, quas indifferenter amat, nec illas proſequitur, niſi ut ſunt veluti perfuſæ bonitate divina. Itaq; arbitrium Chriſti erat quidem determinatum ad bonum, ſed non ad hoc, vel illud bonum in particulari: quam præclaram, & felicem libertatem ſignanter commendare videtur Scriptura, *Iſai. 7.* dum ait in hoc poſitam eſſe: *ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quaſi diceret in hoc conſtituendam eſſe perfectionem libertatis Chriſti, quod omne malum reprobaret, & ſolum bonum eligeret. Sed de his uberiùs *cap. ſeq.*

Sequitur primò ex dictis, in Chriſto non fuiſſe fomitem peccati, ſeu inordinatam inclinationem appetitus ſenſitivi ad bona ſenſibilia contra regulam rationis, quam Apoſtolus vocat *concupiſcentiam carnis, & peccatum*; quia ut ait Trid. ſeſſ. 6. *à peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Ratio eſt, quia non ſolùm in Chriſto nullus fuit unquam inordinatus motus appetitus ſenſitivi rationi contrarius & rebellis, qui utique fuiſſet peccatum in Chriſto, quippe qui, ut aliàs diximus; poterat illos motus præcavere; ſed nec etiam fuit potentia ad illos motus eliciendos, quia nimirum ſicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ita & eminens virtutum omnium gradus: proprium autem virtutis eſt ſubjicere appetitum rationi, perfectiſſimæ verò virtutis eſt carnem totaliter comprimere, ut contra ſpiritum concupiſcere non poſſit. Præſertim quia appetitus Chriſti non erat vulneratus in naturalibus, ſicut in aliis hominibus, in quibus quàmlibet heroïcis virtutibus prædi-tis manet fomes *ad agonem*, ut ait Tridentinum.

Dices: Non derogat dignitati Chriſti, ſed potiùs eam auget motus illos pati, non ut ſuccumbat, ſed ut vincat, atq; ut illuſtris victoriæ materiam ſuppeditet inteſtinum certamen, cui ſoli victoria debetur. Nam ut dicitur 2. Timoth. 3. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* Sic tempore paſſionis reluctabatur appetitus præcepto mortis imminentis, quia ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma, ex quo luctamine nata eſt vehemens illa triſtitia ſudorem ſanguineum extorquens.

Reſpondeo, majoris perfectionis eſſe concupiſcentiam ita comprimere, ut non poſſit inſurgere, quàm ejus æſtuantes motus ſedare; quia etſi motus primò primi rationis advertentiam prævenientes in nobis peccata non ſint, fuiſſent tamen in Chriſto, qui poterat motus illos præpedire; nam contra rationem eſt non impedire motus contra rationem pugnantes, dum adeſt coërcendi facultas. Nec propterea defuit Chriſto materies victoriæ, quia licèt internam fomitis impugnationem non ſuſtinuerit, externas tamen mundi, dæmoniſque tentationes ſuperando victor extitit, & coronatus.

Ad id autem quod adjicitur de ingenti illa triſtitia, quâ affectus eſt Chriſtus pridie quàm pateretur, dicendum ex doctrina S. Thom. q. 18. *art. 5. & 6.* quod

licèt appetitus ſenſitivus Chriſti, & etiam voluntas conſiderata ut natura, poſſent aliud velle quàm Deus, non erat tamen in Chriſto contrarietas voluntatum, nec fomes peccati. Tum quia ad contrarietatem voluntatum requiritur, quod diverſitas ſecundùm idem intendatur; unde Rex qui vult ſuſpendi latronem propter bonum publicum, & conſanguineus qui nollet ſuſpendi propter amorem privatum, non habent contrarias voluntates, niſi ille conſanguineus ita amaret bonum privatum, ut vellet impedire publicum: voluntas autem divina, & etiam voluntas rationis ſuperioris humanitatis Chriſti deſiderabant mortem motivo diſtincto ab eo quo refugiebat eam natura & caro, quæ à morte abhorrebat, prout eſt malum naturæ, quod non eſt diſſonum, ſed conforme rationi; nam miſerias mundi tolerare quidem, ſed non amare jubemur, imò nemo quod tolerat amat, quamvis tolerare amet, ut acutè Auguſt. *lib. 10. conf. c. 28.* Ratio autem mortem imperabat non ut malum naturæ, ſed ut medium Redemptionis noſtræ; unde nullus erat in Chriſto voluntatis & appetitus conflictus. Tum etiam, quia tunc ſolùm appetitus ſenſitivus dicitur habere fomitem inclinantem ad malum, & repugnantem rationi, quando in tantum prævalere poteſt quod poſſit vel immutare, vel retardare appetitum rationis: voluntas autem rationalis Chriſti non impediebatur, neque retardabatur appetitus ſenſitivi impetu, ſed omnes ejus motus ad libitum excitabat & temperabat; unde & propaſſiones dicuntur, ut aliàs diximus. Unde in Chriſto non fuit contrarietas carnis ad ſpiritum, ſicut in nobis, in quibus appetitus non ſolùm legem refugit, ſed nititur in vetitum, quod eo ſæpe ardentius cupit, quo diſtrictiùs prohibetur.

Sequitur ſecundò, in Chriſto nec fuiſſe, nec eſſe potuiſſe ullum habitum vitioſum, nec ullum peccatum veniale, nec ullum motum inordinatum, imò nec ullam imperfectioné. Nam infinita ſanctitas divini ſuppoſiti excludit quamlibet maculam, omnemque peccandi propenſionem, quam ſecum affert habitus vitioſus. Suppoſitum etiam divinum non poteſt concurrere ut cauſa particularis ad ullum venialis peccati, vel minimæ imperfectionis motum. Vide, Lector, quàm ſancti Capitis membrum ſis, cujus munditiès exiguæ imperfectionis nec atomum, nec umbram pati potuit.

Reflexio

Si Salvatorem, quia peccata mundi mundaturus advenerat, peccatis omnibus immunem eſſe congruebat, qualis & quantus Chriſti Miniſtris puritatis nitor deſideratur, quibus purgare delicta, ſanctificare animas, & Redemptoris ſanguinem diſpenſare conceſſum eſt? Abſit ut in illis ſordeſcat peccatum, quorum eſt auferre peccata. *Ab immundo quis mundabitur?* Nam ad ſcelus, quod verbo condonat, exemplo trahit. Scio à Miniſtri ſanctitate Sacramentorum efficaciam minimè pendere: veruntamen multùm juvare fidelis diſpenſatoris ſanctimoniam, tum ad occallentia corda emollienda, tum ad delicta liberè intrepidèque corripienda, tum ad arctam ſalutis viam, quæ ſola ducit ad vitam, indigitandam, tum ad ſalubria inſpiranda conſilia, nemo eat inficias. Quantùm verò noceat Miniſtri incuria, complacentia, promerendi ſtudium, veterum neceſſitudinum colendarum cupido, ſententiarum laxitas, divinorum inexperientia, retorridorum Probabiliſtarum in doctrina Patrum hoſpitum & peregrinorum nimia lectio, nullus Sanctorum Doctorum eſt, qui non doleat. Hinc inter mille diligendum eſſe rectorem animarum ajebat Magiſter Avila. & inter decem millia Confeſſariorum quærendum unum ſolidè doctum & pium, addebat S. Franciſcus Saleſius.

Si enim ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Si illi, per quos condiendi ſunt populi, metu vel amore temporalium cœleſtia non ſapiant, ſed quæ ſuper terram; qui erunt homines, per quos ab illis error auferatur? Si lumen tenebræ fiat, quid ſperare licet, niſi opera tenebrarum? *Nemo in Eccleſia amplius nocet* (inquit Gregor. Magn. in Paſtorali) *quàm qui perversè agens nomen vel ordinem ſanitatis vel Sacerdotis habet. Delinquentem hunc redarguere nullus præſumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Quod tradit Bern. *ſerm. 4. Vigil. Nativ.* de Chriſto, applicare licèt Chriſti Miniſtro. *Is peccatum meum tollet, in quem peccatum non cadit: iſte ſine dubio lavare non poteſt, quem conſtat inquinatum eſſe: habens manum apertum luto detergat oculum meum, qui ſine pulvere eſt: iſte mihi feſtucam educat de oculo, qui non habet trabem in ſuo: imò iſte trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in ſuo.* Audiant, quæſo, ac timeant curam animarum habentes; nam qui ad ſatisfaciendum diſtricto Judici de ſua tantummodò anima vix ſufficiunt, de tot animabus rationem ſunt reddituri, quod eorum ſubjectæ ſunt poteſtati.

Speculatio II.

Non obſtante Chriſti impeccabilitate, voluntas Chriſti libera erat etiam in obſervatione præceptorum à Patre ſibi impoſitorum.

Traditur hæc veritas ab ipſo Chriſto Joannis 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Ubi perſpicuâ & mirâ arte conjungit Salvator & mandatum mortis, & liberam mortis electionem, dum aſſerit ſe in acceptione retinere potentiam ponendi animam ſuam à ſeipſo; in qua poteſtate expedita ſitam eſſe libertatem nemo ambigit. Et teſte Philoſopho, *liberum eſt quod ſui cauſa eſt.* Ponere autem animam à ſeipſo eſt eſſe cauſam ſui.

Probatur à priori ex ipſa ratione præcepti, quod non ſolùm non cauſat neceſſitatem, ſed potiùs libertatem ſupponit in eo cui imperat; fruſtra enim præcipitur habenti neceſſitatem agendi; igni enim non præcipitur, ut comburat; cordi, ut moveat; voluntati, ut beatitudinem amet: Ergo eo ipſo quod Chriſto impoſitum fuit præceptum moriendi, argumento eſt ipſum liberè mortem ſubiiſſe; non enim alia de cauſa imponitur lex, niſi ut ſubditus liber, qui in utramque partem ferri ad libitum poteſt, contineat ſe, ne totum faciat quod poteſt, vel ut in aliquem actum prorumpat, à quo poterat abſtinere.

A poſteriori verò ſuadetur: Chriſtus moriendo ex obedientia, cæteraque adimplendo præcepta, meruit apud Patrem; dicitur enim Philip. 2. *Factus obediens uſque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum.* Ubi præmium exaltationis retribuitur obedientiæ Chriſti. Et Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius multi conſtituti ſunt peccatores, ita per obedientiam alterius* (nimirum Salvatoris) *multi conſtituti ſunt juſti.* Ubi apertè traditur Chriſtum obedientiâ ſuâ juſtificationem noſtram meritum fuiſſe. Atqui meritum ſupponit libertatem, cui veluti fundamento innititur: Ergo Chriſtus obediendo præcepto Patris libertatem integram & incolumem ſervavit.

Explicatam præcepti quidditatem ſi penſiculatiùs conſideraſſent plures moderni, in tot modos conciliandi libertatem Chriſti cum præcepto non abiiſſent, quibuſcum vix ac ne vix quidem Chriſti obedientiam ſalvant; quæ tamen adeo cara Chriſto fuit & pretioſa, ut teſte Bernardo, *ne perderet obedientiam,*

perdi-

perdidit vitam. Mirum in quot placita dividantur tenebriores Antithomiſtæ, quibus obedientiæ Chriſti illudunt, adjectiſque nodis indiſſolubilibus difficultatem implicant, ac meritum Chriſti evacoantes, opus Redemptionis ad nihilum ferè redigunt, dum ejus affectant libertati adulari.

Primò enim aliqui putant, ideo Chriſtum in exequutione præceptorum fuiſſe liberum, quia voluntas Chriſti taliter erat affecta & comparata, ut mortem etiam non imperatam libenter pro ſalute humani generis pertuliſſet, mortemque ipſam ultro eſſet electura, niſi electionem occupaſſet imperium, unde juxta tritum & impolitum adagium, *fecit de neceſſitate virtutem.* Vel ſecundò quia mortem ſibi à Patre imponi poſtulavit, ſubindeque neceſſitas præcepti eſt tantùm ex prioris ſuppoſitione voluntatis, quæ non officit libertati. Tertiò alii poſt Cabreram opinantur, præceptum illud fuiſſe Chriſto impoſitum cum facultate illud ratum habendi, vel reſpuendi. Quartò Cardinalis de Lugo cenſet idcirco Chriſtum obediendo fuiſſe liberum, quia præceptorum diſpenſationem impetrare, vel ſaltem commutationem poterat obtinere. Quintò Vaſques & Valentia arbitrantur minimè fuiſſe Chriſto imperatas loci, temporis, & intenſionis actus circunſtantias, circa quas proinde ſuam exercere libertatem potuit.

Quàm variæ ſunt opinandi vices! quàm mira & ſtupenda hujus difficultatis vis! Certè hæc ſententiarum varietas & diſcrepantia illuſtrandæ veritati, & Thomiſticæ aſſertionis victoriæ adornandæ prorſus inſervit. Hæ namque expoſitiones difficultatis ponderi planè ſuccumbunt; in hoc ſiquidem totum hujus controverſiæ momentum ſitum eſt, an & quomodo ſalvetur libertas Chriſti in actibus obedientiæ: quam difficultatem non extricant, ſed fugiunt præfatæ expoſitiones, quæ argumentorum vi oppreſſæ & veluti laſſæ diverticula quærunt, & ut eſt in Græca parœmia, *poſtquam diu laborarunt, iidem ut antea ſunt.*

Prima enim dum recurrit ad voluntatis Chriſti ultrò mortem non imperatam acceptaturi præparationem, utique fatetur moriendi voluntatem, prout ſubeſt præcepto, non eſſe liberam, & hoc ipſum eſt quod quæritur. Secunda etiam ingenuè fatetur, præceptum Patris libertatem Chriſti oppreſſurum, niſi illud ſibi Chriſtus imponi poſtulaſſet. Quæ ſanè poſtulatio nullibi Scripturarum vel Patrum invenitur, quin potiùs ex ſacris litteris habemus, Chriſtum ingredientem mundum dixiſſe; *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ergo in primo inſtanti fuit intimata lex, non poſtulata. Sed quî ſalvabit hæc ſententia libertatem Chriſti cum præceptis naturalibus, quæ utique inconſulta voluntate imponuntur?

Tertia autem poſitio omnem obedientiæ rationem evacuat; mira eſt enim, & planè inaudita præcipiendi forma, quæ non niſi exploratâ ſubditi voluntate aſtringit. Sed quid, amabo, reſponſura eſt ad præcepta naturalia, quæ admittere Chriſtus tenebatur? Quarta ſimiliter obedientiam enecat ſpecie conſervandæ libertatis; præceptum enim quod ita inferioris arbitrio permittitur, ut poſſit ad libitum diſpenſatio obtineri, idolum præcepti eſt, chimæra mandati. Difficile etiam captu eſt, quomodo Chriſtus mortis illius diſpenſationem potuit petere & impetrare, quam noverat infallibili Dei decreto præfinitam: Sicut enim immobilis eſt divinæ voluntatis conſtantia, ita conſtantiſſima humanæ voluntatis Chriſti cum divina conformitas: & ſicut illa reſcindi nequit, ita iſta diſpenſationem petere nequivit. Redit etiam urgens & nunquam ſoluta inſtantia de præceptis naturalibus, quorum diſpenſationem petere nec poterat, nec licebat.

Ultimum denique placitum manifeſtiùs difficultatis oneri ſuccumbit, dum fatetur Chriſtum non meruiſſe per mortem imperatam, ſed per circonſtantias minimè præceptas: Ergo concedit præceptum exterminare, & funditus delere libertatem: quod tamen contra eſſentiam præcepti eſt, quod imponi nequit niſi ſubditis liberis, nec niſi ad exercendam libertatem injungitur. Certè melius & ſatius foret negare cum Lorca ullum impoſitum eſſe Chriſto præceptum, & cum quibuſdam Patribus Græcis verba Pauli non intelligere de obedientia preſsè ſumpta, quæ ſuperioris imperium ſupponit; ſed de pietatis obſequio, ad eum modum quo nos amicis obedire & obſecondare dicimur; quàm tale comminiſci præceptum, quod nihil de circunſtantiis, nihil de cauſis, nihil de ſubſtantia actus præſcribat. Quam abhorrentes à ſimplici & cæca obedientia hæ ſententiæ! cùm Salvator perſpicuè atteſtetur: *Sicut præcepit Pater, ſic facio. Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Ergo non ſolùm rem volitam, ſed etiam modum operis faciendi à Patre determinari obſequentiſſimus Filius avebat. Sed tanti eſt apud neothericos Moliniana indifferentia, omnis determinationis etiam divinæ impatiens, ut ſi quid vel minimum eam tantiſper arctare videtur, vix ulli rei pareant, nulla non devorent abſurda, nulla non confingant effugia, quibus Evangeliſtarum omnium de cæca Chriſti obedientia conſpiratio eludatur.

Enimverò quis neget in Chriſto perfectiſſimam obedientiam, perfectiſſimæque obedientiæ gradum extitiſſe, cùm ipſemet atteſtetur, Joan. 6. *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Atqui perfectiſſima obedientiæ ratio tantum abeſt ut petat ſuam à Superiori explorari voluntatem, quin potiùs præcepto non expectato, Prælati nutum non ſolùm prompriſſimè exequitur, ſed etiam ipſum prævenit, atque ad eum ſe omnimodis componit atque confingit, ut præclarè obſervavit Angelicus Doctor obedientiæ amore & praxi non minùs Angelus, quàm doctrinâ. *Voluntas Superioris* (inquit 2.2.q 104.art. 2.) *quomodocumque innoteſcat, eſt quoddam tacitum præceptum; & tanto videtur obedientia promptior, quanto expreſſum præceptum obediendo prævenit, voluntate tamen Superioris intellectâ.* Quam præclaram maximam non è putidis eorum lacunis hauſit, qui ſubditum opinione probabili munitum expreſſam, & præcepto intimatam Prælati voluntatem poſſe floccifacere cenſuerunt, ſed ex puriſſimis Patrum fontibus derivavit. *Verus obediens* (inquit Bernard. lib de præcept. & diſpenſ.) *parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manum operi, & ſe totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur. Hæc eſt illa, de qua ſignanter Apoſtolus Petrus: Caſtificantes, inquit, corda veſtra in obedientia charitatis. Pulchrè ſe in hoc ſequeſtrans ab illa inerti & ſervili obedientia, nec charitati prompta, ſed obnoxia neceſſitati. Hæc juſti illius, cui non eſt poſita propria lex, non quòd ille perfectus vivere debeat ſine lege, ſed quia non ſit ſub lege.* Quia nimirum vera obedientia amoris opus, ſubindeque puræ libertatis fructus & germana ſoboles eſt: Ergo omnes illæ recitatæ ſententiæ, quæ Patris præceptum à Chriſti voluntate pendere, & diſpenſationi ſubjacere comminiſcuntur, Chriſti obedientiam de medio tollunt, ſubindeque obedientiam ejus cũ libertate non componunt.

REFLEXIO.

Felix obedientiæ neceſſitas, quæ libertatem non minuit, ſed perficit, ſed nobilitat, ſed coronat! *Perfecta obedientia* (inquit laudatus Bernard.) *largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur, ſpontaneo vigore liberalis in infinitam libertatem extenditur.* Sed terque quaterque infelix libertas,

tas, vel potiùs libertinitas omni ſervitute ſervilior, quæ divini præcepti excutit jugum, ut propriæ ſerviat voluntati: nulla miſerior captivitas, nulla miſerabilior eâ, quâ vincula ipſa amantur, ſuſpirantque peccatores ligati non ferro alieno, ſed ſua ferrea voluntate; dum, ut ait Auguſtinus, velle noſtrum tenet inimicus, & inde funes nobis facit, patiens ex voluntate conſuetudinem, ex conſuetudine, cui non reſiſtitur, neceſſitatem, quibus quaſi quibuſdam annulis ſibimet annexis tenet dura ſervitus, & conſummata calamitas, in qua turpia non ſolùm tentant, ſed placent & pertrahunt, deſinitque eſſe remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt.

Ergo exemplo Chriſti obedientiam tanquam veræ libertatis coronamentum diligamus, non ſervili metu, ſed charitatis affectu, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ proſequamur eam; quia, ut Auguſt. *in Pſalm. 66.* tradit: *Non eſt amicus recti, quando, ſi fieri poſſet, mallet id quod rectum eſt non juberi.* Quid ſanctâ obedientiâ nobilius, cui ſe Deus ipſe ſuppoſuit, nec voluit novæ legis dare præceptum, niſi præmiſiſſet exemplum? Quid juſtius? Nihil enim iniquius eſſe poteſt, quàm velle ſibi obtemperari à minoribus, & nolle majoribus, nolle Deo Optimo Maximo obtemperare. Quid Deo gratius, qui tam crebrò, tam amanter cor ſibi præberi poſtulat, ut obediat Conditori. Certè *non potuit Deus*, inquit Ambroſius ſuper Pſalm. *perfectiùs demonſtrare quantum ſit bonum obedientia, niſi cùm prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam, ſola ibi inobedientia obtinet pœnam.* Quid ſuavius, quid dulcius obedientia? Nam, ut pereleganter ait Magnus Leo: *Nihil arduum humilibus, nihil aſperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia præcedit auxilium, & obedientia mollit imperium; nec durâ ibi neceſſitate ſervitur, ubi diligitur quod jubetur.* Quid fœcundius eâ, quæ vel ad omnem virtutem animis implantandam opportunior, vel ad placandum Deum acceptior eſt hoſtia? *Obedientia eſt* (ait Magnus Gregor. lib. 35. Moral.) *quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. Melior eſt obedientia, quàm victima. Obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.*

Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, inquit Doctor Gentium *Philip. 2.* Non quaſi ad arbitrium noſtrum quædam ex mandatis Dei eligamus, ſed omnia compleamus, aſpicientes in omnibus imperantis majeſtatem. Prælatorum vices Dei gerentium parati & non turbati cuſtodiamus mandata, ſuperioribus obſequentes, ſociis congruentes, ſubditis utiliter condeſcendentes, ſed *ſine murmurationibus*, id eſt impigri & alacres excipiamus imperia; forti, alacri, intrepidoque animo labores pro virtute ſuſceptos ſubeamus. Quidquid igitur à Majoribus fuerit commendatum, tanquam de cœlo, vel ſicut de ore Dei prolatum accipe; nihil reprehendas, nihil diſcutias, ſine murmure, mora, aut triſtitia, *corde arido, & affectione recalcitranti*, mandatum comple, totum juſtum, totum utile judica, niſi contra Dei vel Sanctorum ſtatuta attentaverit imperare. Quin etiam eſto ſemper in procinctu obedientiæ, opta juberi; & non ſolùm benè meriturum eſſe te crede, ſi juſſa feceris, ſed etiam nopetium duc loco beneficii. Pulchrè Seneca: *Fertilibus agris non eſt imperandum.* Pulchriùs ex Ambroſio nonnullus: *Extende manum, exere & accipe citò gladium, ne mora ſacrificium decoloret.* Pulcherrimè Auguſtinus: *Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæſitantes, non contra ipſam fidem ſuſpicionibus humanis argumentantes.* Divinè Spiritus S. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Et iterum: *Uſquequò claudicatis in duas partes?* Vel ut habet Hebraïca lectio: *Uſquequò tranſitis ſuper duas cogitationes?*

SPECULATIO III.

Eadem concordia ſolutione objectionum firmatur, & illuſtratur.

SÆpe præcedentibus libris advertere potuit Lector eruditus, omnia quæ contra Angelicam de ſcientia Dei, voluntate, prædeſtinatione, & gratia divina ſententiam intorquentur argumenta, deſumi ex violata voluntatis humanæ libertate. Ad refellendas hujuſmodi objectiones, & Thomiſticam ſententiam immobili fundamento ſtabiliendam oppoſuimus aliàs libertatis divinæ cum immutabilitate concordiam, in qua cauſæ noſtræ præſidia invictiſſima invenimus. Nunc eiſdem opponimus concordiam libertatis cum impeccabilitate Chriſti, quem *oportuit pati*; & tamen liberè paſſus eſt. Et certè ſi ſepoſitis præjudiciis, privatiſque affectibus, quibus mens exoculari ſolet, quæſtionem definiant, veritate coacti fatebuntur omnes, quas ipſi accumulant contra prædeterminationem phyſicam difficultates, his duabus comparatas arenam eſſe exiguam, & ingentem illam argumentorum molem, quam exſtruunt, acervum eſſe ſophiſmatum & fallaciarum, quibus plerique delectantur. Tum quia altiſſima Thomiſticæ doctrinæ principia, unde eruuntur, ſcrutari pauciſſimis datum eſt, & intelligere paucioribus. Tum quia ſemidocti non ſolida & profunda ſectantur, ſed plauſibilia, quæ tenuem & perfuſoriam habent ſpeciem veritatis. Libertatem ergo Dei & Chriſti præ oculis ſemper habe veluti inſtructiſſimum armamentarium, ex quo arma tum offenſiva, cùm defenſiva eruuntur, mille etiam clypei pendent ex eo, & omnis armatura fortiū.

Sed dices: Niſi confugiamus ad aliquem ex refutatis ſpeculatione præcedenti explicandi modis, impoſſibile erit conciliare libertatem cum impeccabilitate Chriſti; ſi enim Chriſtus liberè operatus ſit quod ei à Patre injunctum eſt, utique potuit non operari: ſed ſi potuit non operari, potuit etiam tranſgredi præceptum, quod eſt peccare: Ergo Chriſtus in executione præceptorum vel fuit peccabilis, vel non fuit liber. In ſumma, vel potuit Chriſtus ab operibus imperatis abſtinere, vel non potuit; ſi potuit, peccare potuit; ſi non potuit, liber non fuit.

Reſpondeo Chriſtum etiam ſtante præcepto & urgente obligatione ejus, habuiſſe non moriendi libertatem; præceptum quippe, ut toties dictum eſt, nec dici ſatis impræſentiarum poteſt, libertatem non aufert, ſed ſupponit, eamque ſtimulat, ut exeat in actum. Et ratio eſt, quia non eſt de ratione libertatis poſſe recuſare mortem formaliter ut imperatam, quia hoc eſſet poſſe ferri in malum & peccatum, quæ potentia ad perfectionem libertatis non pertinet, ſed infirmitatem arguit & defectum; ſed ſatis eſt quod mortem ſecundùm ſe ſpectatam nolle Chriſtus potuerit. Itaque mors illa conſiderari poteſt in ſe præcisè, nudè, & negativè ſumpta; & ſic illam potuit Chriſtus admittere, vel repudiare, etiam inſtante præcepto. Secundò poteſt conſiderari ut mala, & privativè; & ſic illam Chriſtus non potuit eligere, quia immaculata Chriſti libertas gratiâ confirmata, & unione hypoſtaticâ in bono immobilitata malum amare nequibat, quia fortis erat & robuſta, victrix malorum, & invicta rectrix bonorum.

Urgebis: Poſſe non mori ſtante præcepto, eſt poſſe peccare, cùm ſit poſſe non obedire, & tranſgredi legem: Sed Chriſtus ſtante præcepto potuit ratione libertatis non mori: Ergo potuit etiam peccare.

Reſpondeo ut plurimùm recurri à multis ad tritas diſtinctiones ſenſus compoſiti & diviſi, potentiæ antecedentis & conſequentis, quæ licèt ſint optimæ, à paucis tamen rectè intelliguntur, à nonnullis ſcholæ noſtræ haud benè deditis, malè applicantur, & eis

ubique opportunè importunè, veluti loco communi utuntur, quod eſt juxta tritum adagium, *ephippium pro omni equo inſtruere.*

Diligenter ergo & attente conſiderari velim, celebrem iſtam diſtinctionem non poſſe æquè deſervire libertati Chriſti in ordine ad præceptum, ſicut deſervit ad libertatem creatam cum decreto & motionib' divinis conciliandam. Primò quia licèt verum ſit dicere, hominem præfinitum vel præmotum ad amorem poſſe odiſſe in ſenſu diviſo, ac potentia antecedente, id eſt retinere potentiam expeditam ad odium quia motio Dei, utpote exequutio omnipotentiſſimæ divinæ voluntatis, ingrediens libertatē, eam per modum liberi determinat; Deus enim cùm ſit cauſa univerſaliſſima, profundens totum ens & differentias ejus, nedum ſubſtantiam, ſed etiam modum libertatis attingat. Aliunde verò non eſt inconveniens admittere in homine præmoto potentiam ad malum, cùm in illo ſit libertas deficiens, boni, malique capax, & poſt Adami lapſum in peccata proclivior; ac proinde homo etiam dum bene agit, retinet potentiam expeditam ad malum, non quidem cum bono conjungendum, ſed ſecundùm ſe ſpectatum, ſeu reſpicit malum ut poſſibile, ſed non ut futurum.

At in Chriſto longè aliter ſe habet (& mirari ſubit nonnullos Doctos id non ſatis penſiculatè enucleaſſe.) Nam dum Chriſtus obediebat Patri, non poterat paternum præceptum non obediendo aſpernari, nedum in ſenſu compoſito, conjunctâ cum præcepto transgreſſione, ſed nec etiam in ſenſu diviſo & potentiâ antecedente, retinendo ſcilicet potentiam ad prævaricandum expeditam, quia hoc ipſo quod erat ab intrinſeco impeccabilis, non retinebat potentiam antecedentem & expeditam ad non obediendum.

Alterum motionem inter & præceptum diſcrimen intercedit non minoris momenti, quia decretum Dei & motio ejus exequutiva libertatē introrſum ingreditur & pervadit, ſicq; attemperat ſe modo illius, imò libertatem ſecum affert & cauſat, quia eſt origo totius entis, & fons omnis bonitatis: at verò præceptum forinſecus duntaxat ſonat, & extrinſecè libertatem creatam dirigit, non interiùs inclinat voluntatem. Unde dicere præceptum eodem modo ſalvare libertatem, quo motio divinæ gratiæ, eſt magna inconſideratio, aliàs præcepta Dei id efficerent reſpectu voluntatis, quod præſtat concurſus Dei, quod nullus hactenus admiſit.

Quare cum grano ſalis, ſeu cum magna diſcretione hujuſmodi diſtinctione utendum eſt, quia nimirū Chriſtus nullam habet ad prævaricandum potentiā, neq; conſequentem ſeu conjunctam cum inobedientia, neque antecedentem, ſeu potentem non obedire; quia inobedientia eſt peccatum, & in Chriſto nulla eſt ad peccandum poteſtas. Aliter ergo hæc diſtinctio adhibenda eſt. Unde ad argumentum ſic clarè reſpōdere potes diſtinguendo majorem: poſſe non mori ſtante præcepto, eſt poſſe peccare, ſi poſſit non mori potentiâ, quæ feratur ad non mortem ut malam & prohibitam, concedo; potentiâ quæ feratur ad non mortem ſecundùm ſe præciſè & negativè ſumptam, nego. Et ſimiliter minorem: Sed Chriſtus potuit non mori, potentiâ quæ reſpiciat non mortem ſecundùm ſe & negativè acceptam, concedo; potentiâ quæ reſpiciat non mortē, ſeu fugam mortis privativè, ſeu ut malam & prohibitam, nego minorem & conſequentiam. Quia libertas Chriſti cùm ſit indefectibilis, non debet poſſe non obedire, quia hoc eſſet poſſe peccare; ſed ſufficit quod poſſit ponere, vel omittere actionem aliquam conſideratam ſecundùm ſe ex modo agendi voluntatis ſupponente indifferentiam judicii, & præciſâ ratione mali, quam objectum induere poteſt. Et ad hunc ſenſum optimè revocari poteſt diſtinctio ſenſus compoſiti & diviſi, modò applicetur ſupra poſſe non mori; ſed nunquam applicanda eſt ſupra poſſe non obedire, quia licèt primùm poſſit Chriſtus in ſenſu diviſo & potentia antecedente, non tamen ſecundum, ut ex dictis patet.

Inſiſtes: Voluntas ſuppoſitâ efficaci intentione finis, neceſſitatur eligere media ad finis aſſequutionem indiſpenſabiliter requiſita: Si verò finis ſit acquiſitus, ex vi amoris & fruitionis efficacis finis obtenti ad ea media proſequenda voluntas aſtringitur, quæ ad ejus conſervationem exiguntur: Atqui voluntas Chriſti Deum ultimum finem nedum efficaciter, ſed etiam neceſſariò amat; aliunde verò ad ejuſmodi finis conſervationem neceſſaria eſt adimpletio actuum, qui cadunt ſub præcepto: Ergo Chriſtus ad actus imperatos non liberè, ſed neceſſariò ferebatur.

Reſpondeo hoc argumentum nimis probare, ex eo enim ſequeretur omnia Sanctorum Angelorum & hominum beatorum opera, etiam externa miniſteria à Deo imperata non eſſe libera, ſed neceſſaria, quod nemo concedit. Dicendum ergo primò, ex amore efficaci finis intenti vel poſſeſſi ſequi neceſſariò electionem medii cum fine eſſentialiter connexi: ſi autem non ſit intrinſeca connexio medii cum fine vel obtinendo vel conſervando, voluntas ad ejus electionem minimè neceſſitatur, ſed manet intrinſeca voluntatis indifferentia circa illum actum, ſicut & indifferentia judicii de bonitate illius medii. Patet autē eſſe intrinſecam connexionem inter amorem Dei & fugam peccati, ideoq; ad peccandum nullam habere Chriſtum libertatem: non eſt autem intrinſeca connexio inter actus à lege externa præceptos cum fine amato, cui ad tempus & accidentariò ſolùm conjunguntur; unde amor neceſſarius Dei ad electionem medii ex ſola æternæ legis impoſitione inclinat quidē, ſed non neceſſitat: implicat enim in adjecto, quod ſola impoſitio præcepti de novo advenientis faciat actum de libero neceſſarium, ſiquidem conſtituit actum obedientiæ, qui libertatē eſſentialiter requirit.

Secundò brevius, & fortè planiùs ac faciliùs ex antea dictis reſpondetur, voluntatem Chriſti amantem Deum tanquam finem, neceſſitari quidem ad amandum medium reduplicativè ut tale, & ad fugiendum quod divertit à tali fine, ſub ea ratione qua divertit: non tamen neceſſitari ad medium illud ſpecificativè conſideratum, id eſt ſecundùm ſuam abſolutam rationem, & ex meritis ſolius objecti præciſi ab omnibus circumſtantiis; quia etiam ſtante amore finis habet voluntas potentiam phyſicam ad actum, vel negationem actus, non ſecundùm quod induuntur privatione regulæ rationis, ſed ſecundùm quod in ſe materialiter, & negativè ſpectantur.

Ad præcedentium omnium lucem præclarè obſervat modernus auctor, à quo nihil non præclariſſimum prodiit unquam; Vincentius, inquam, Baronius in aureo illo de humana libertate & gratia divina operæpretio, tantum abeſſe inviolabilem ultimi finis amorem voluntati circa media neceſſitatem inducere, quin potiùs eo voluntatem eſſe magis ab electione mediorum indifferentium independentem, quo bono infinito fortiùs & intimiùs adhæret; hoc enim ipſo, quod infinito bono contenta eſt, cætera ſibi indifferentia ſunt, quia omnia infra ſe jacent, unde circa illa perfectam retinet indifferentiam, temperatam tamen ſubordinatione ad finem, quo ſolo contenta cæteris omnibus dominatur; amor enim ſequitur cognitionem. Sicut ergo ratio omnia bona privata decurrit, examinat, expendit in omnem faciē vertit, & beneficio judicii univerſalis bona quæcunque creata dum ponderat & appendit in ſtatera, invenit ea minùs habere, & pluribus defectibus ſcatere adverti: ita voluntas bona illa cum indifferentia ſe-

cta-

ctatur. Et radicem hujus doctrinæ aliàs ex D. Thoma adduximus: Sicut ſe habet primum principium in ſpeculabilibus, ita ultimus finis in operabilibus; ſicut enim ratio diſcurrit à principiis ad concluſiones, ita voluntas ab amore finis ad media progreditur: unde ſicut intellectus non neceſſariò adhæret concluſioni contingenter & probabiliter tantùm deductæ, ita nec voluntas minimè alligatur mediis cum fine ex natura ſua minimè connexis. Rurſus ſicut non eſt perfectio, ſed infirmitas intellectus, dum ex veris principiis falſas concluſiones deducit; ita nec eſſentia, nec pars, nec extenſio, nec acceſſio, ſed probrum, vitium, & defectus libertatis eſt malè media eligere ex fine præſtituto. Quia creatura rationalis boni infiniti capax ſolo bono increato ſatiari, ſolo neceſſitari poteſt; cæteris omnibus ſuperior eſt, niſi ſe infra ſe per ſummam ignaviam dejiciat.

Ex quibus libertas Chriſti in adimpletione præceptorum mirandum in modum eluceſcit: cùm enim mors crucis imperata ex præciſa ſua ratione non habeat eſſentialem, & quaſi perpetuam cum Deo dilecto connexionem, ſed ad ſummum accidentariam ex aliqua extrinſeca poſitione, liberè circa illam verſatur: cujus argumentum non leve eſt, quod Chriſtus paratus erat illam deſerere & odiſſe, ſi id exegiſſet ratio finis ſummè & unicè dilecti. Unde manet circa mortem illam indifferentia non extrema & diſſoluta, ſed temperata ordine finis, cui veluti immoto fulcro innititur, ut deinde circa media liberè moveatur.

Scio hanc doctrinam diſplicuiſſe jurato ordinis Prædicatorii & Scholæ Angelicæ hoſti Petro à Valle-Clauſa. Sed condonandum eſt homini paſſionum furore exoculato, cujus immortale odium nec noſtrâ patientiâ & modeſtiâ, nec annorum fluxu mitigandis deliniendiſq; ſimultatibus peropportuno manſueſcere unquam potuit, nec de flagranti exaſperati animi odio vir, ſi ſuperis placet, Chriſtianus, remittere voluit. Sed ſuam inſcitiam furioſus explicavit, dũ rem apertam pernegare & obſcurare ſategit in ſuo famoſo *de religione beſtiarum*, quibus nos accenſet, libello, & in altero contra P. Gibiufum opuſculo nihilo meliori, vel modeſtiori. Quid enim conſtantius apud omnes humanæ vitæ ſcientiarum artiumq; profeſſores, quàm unum certum & fixum conſtituendum eſſe objectum, & finem invariabilem, cui tota diſciplina inconcuſsè nitatur, de quo qui dubitaverit, totius profeſſionis & inſtituti fundamenta convellit, & ſtirpitus evertit? v. g. Medicina valetudinem curandam pro fine intendit, cujus gratiâ molitur quæcumque docet vel operatur; remedia tamen liberè eligit, prout ad ſanitatem ſervandam aut reſtaurandam opitulatur. Sic in moralibus quo amor finis ardentior eſt & firmior, eo voluntas expeditior & liberior eſt ad mediorum delectum. Tunc enim ſubjicimus nobis omnia, cùm nos ſubjicimus rationi, rationem ſubjicimus Deo: tunc regnamus, cùm Deo ſervimus; & tunc nobis contingit vera libertas, cùm vero & ſummo bono indivulsè mancipamur. Non ſecus ac janua faciliùs in utrumque latus, promptiùs circumagitur, & ingreſſum permittit aut prohibet domum accedentibus, ſi cardo ſit immotus.

Ex quibus clarè perſpicies præclaram illam & verè luminoſam Patris Gibiufi ſententiam ab Angelico Doctore mutuatam, quâ omnes libertatis creatæ nodos quàmlibet intricatos ſumma cum facilitate & felicitate diſſolvit. Tria itaque ad libertatis notionem perfectè declarandam præ oculis habeto, radicem ſcilicet, eſſentiam, & proprietatem. Radix eſt triplex căpacitas, amplitudo, ſeu plenitudo creaturæ rationalis in eſſendo, quâ eſt compendium univerſi & parvus mundus; in intelligendo, qua poteſt omnia apprehendere, examinare, judicare; in appetendo, quâ poteſt quæcumque cognita amare, & in ipſum ſummum bonum ferri, quo ſolo ſatiari poteſt infinita cordis humani latitudo. Eſſentia verò libertatis eſt vis electiva mediorum, ſervato ordine finis. Proprietas tandem eſt indifferentia voluntatis, quâ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere vel non agere. Plenitudo enim explicata facit voluntatem præditam eſſe independentiâ ſupra bona finita, quibus proinde tanquam Domina ad libitum utitur. Tum quia capax infiniti boni, repellere poteſt quodcumq; illo minus eſt. Tum quia beneficio intellectus advertentis in omni bono creato defectum vel nævum, poteſt quodlibet faſtidire & repellere. Quid ea libertate ſic expoſita nobilius, vel divinæ libertatis, à qua omnis libertas in cœlo & in terra nominatur, ſimilius & propinquius? *Viderer bruta, Theophile, imitari* (inquit elegãter & juxta nervosè Vincentius Baronius) *ſi dubitarem hanc libertatis notionem habere quiſquam cum beſtiis commune. Quid quæſo à beſtiarum genio alienum magis natura omnium perfectionum capaci, judicio rerum omnium arbitro, appetitu ad bonum infinitum nato & prono? Quid illâ independentiâ à bonis privatis? Quid indifferentiâ ad media, ſeu abſolutam velis, ſeu temperatam ordine finis? Quid horum ineſt nobis commune cum brutis. An omnia eſſe, omnia judicare, omnia poſſunt appetere? An eminent rebus? An utuntur illis cum indifferentia? An eligunt juxta finis exigentiam? Quid ergo nobis brutorum nomen & conſortium objicis? Si hanc obloquendi licentiam tibi arrogas, quid ſalvum & tutum erit à tui calami, & tua lingua licentia?*

Solvitur alia objectio peræquè difficilis.

Objicies ſecundò: Chriſto impoſitum erat præceptum amandi Deum; hoc eſt enim primum & magnum mandatum, quod natura ipſa inſpirat, Scriptura omnibus fermè paginis inſonat, & cunctis hiſtoriis, prophetiis, figuris, myſteriis, promiſſis, minis, documentis inculcat, ut cordibus hominum penitiùs infigatur. Sed in obſervantia talis præcepti Chriſtus non fuit liber; amor enim Dei in Chriſto erat neceſſarius, utpote ſequens claram Dei viſionem manifeſtantem ſummum bonum, in quo nulla poteſt apparere ratio mali: Ergo in adimpletione præceptorum Chriſtus non fuit liber.

Reſpondeo omninò fatendum eſſe, Chriſtum in actibus charitatis fuiſſe liberum, aliàs in Chriſto nullum fuiſſet meritum, quo totum ex amore Dei derivatur in cæteros actus, qui nullius pretii ſunt apud Deum, niſi eos charitas vel eliciat, vel imperet, & ad Deum referat. Vnde in veridica Magni Auguſtini ſententia nulla eſt vera, & ſimpliciter talis virtus ſine charitate, unde ab eodem virtus definitur *ordo amoris.* Quare amorem Dei in Chriſto fuiſſe liberum, nemo iure negare poteſt; ideo namque opus Redemptionis, quo meruit noſtram ſalutem, eximiæ Servatoris charitati tribuunt Patres omnes, juxta illud quod Veritas ait: *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

Verùm enim verò in hujus amoris libertate explicanda non mediocriter deſudant Theologi. Quorum plerique, quos noviſſimè ſequitur ſcholæ noſtræ ſcriptor poſtremus, ſed eruditione inter primos annumerandus Baptiſta Gonet, docent dilectionem Chriſti ut terminatam ad bonitatem divinam, prout eſt ratio diligendi Deum, ejuſque perfectiones neceſſarias, non fuiſſe liberam & meritoriam; ut autem terminabatur ad eandem Dei bonitatem, quatenus eſt ratio diligendi creaturas & deſiderandi Deo bona extrinſeca, gloriam ſcilicet, laudẽ, & honorem, fuiſſe liberam, ſubindeque meritoriam. Unde hæc ſententia arbitratur actum eundem charitatis habere rationem liberi & neceſſarii reſpectu diverſorum: non ſecus ac viſio beata eſt intuitiva reſpectu eſſentiæ, & abſtractiva reſpectu creaturarum poſſibilium, Theologia eſt ſimul ſpeculativa & practica reſpectu diver-

diverſorum; & idem actus liber Dei eſt neceſſarius reſpectu propriæ bonitatis, & liber reſpectu creaturarum.

Porrò hæc doctrina, quamlibet ingenioſè excogitata, parum ſolida, multum difficilis nobis ſemper viſa eſt, & quod caput eſt, Angelico noſtro communiq; Præceptori non ſatis conſentanea. Etenim S. Doctor 1.2.q.4.art.4. formaliter ait: *Voluntas videntis Deum per eſſentiam ex neceſſitate amat quidquid amat ſub ordine ad Deum.* Ergo actus charitatis beatificæ, quæ fertur in creaturas propter Deum, ſeu *ſub ordine ad Deum*, non eſt liber, ſed *ex neceſſitate*. Et ratio ſuffragatur: tum quia durum dictu & creditu eſt, Chriſtum nihil meruiſſe amando Deum ut eſt in ſe, & propter ſe, ſed ſolùm amando creaturas Dei, cùm meritum charitatis potiſſimè conſiſtere debeat in præcipuo ejus actu, qui eſt amor divinæ & amabiliſſimæ bonitatis in ſe & propter ſe. Tum quia non eſt veriſimile, illam divinæ voluntatis eminentiam, quæ in eodem puriſſimo actu libertatem cũ neceſſitate conjũgit, quam hactenus niſi balbutiendo explanare nemo potuit, ſed ingeniorum eſſe torturam nemo non confeſſus eſt: hanc, inquam, eminentiam actui puto eximiam attribui poſſe & debere amori creato, finito, & humano, quis hoc credat? quis capiat?

Quod ſi dicas, in his libertatis concordiis unicum aſylum eſſe admirationem, & quæ non intelligimus, credere nos debere; benè eſt, ſed non ſunt propterea omnia ſus deque miſcenda, vel libertas humana divinæ coæquanda. Unde ſic rurſus inſtauro argumentum: In hoc differt libertas divina à creata, quod divina non eſt per ordinem ad actus, ſed ad objecta, ex quo fit actum liberum Dei non eſſe defectibilem ſub ulla ratione intrinſeca, ſed ſufficit quod ex ejus dominio mutetur objectum, ut primo libro operoſè ſatis expoſuimus. At verò libertas creata eſt per ordinem ad actus, quos voluntas elicit, vel ſuſpendit: Atqui entitas amoris beatifici durante viſione non poteſt ſuſpendi, cùm ſit neceſſaria neceſſitate exercitii: Ergo actus ille non eſt liber libertate eſſentiali creaturæ. Quod ſi dicas, poſſe ſuſpendi connotationẽ ad creaturas, ſic urgeo: Vel illa connotatio eſt aliquid reale per modum actus contingens & defectibile, vel eſt ſola entitas actus neceſſarii. Primum eſt quod intendimus, nimirum amorem liberum Chriſti non eſſe ſolam entitatem actus neceſſarii. Secundum verò eſt prærogativa divinæ libertatis ob infinitam actualitatem ei conveniens. Deniq; optima eſt ratiocinatio S. Thomæ *q.19 art.3.* Chriſt⁹ meruit per charitatem viatoris, ut talis: Atqui ſcientia beata conſtituit comprehenſorem, licèt enim in Chriſto conjungatur ſtatui viatoris, tamen ſtatum illum non conſtituebat: Ergo Chriſtus non meruit per charitatem regulatam ſcientiâ beatâ; charitas quippe ab ea regulata non eſt charitas viatoris, ſed comprehenſoris.

Nec obſunt exempla allata. Non primum de viſione beata, quæ poteſt eſſe intuitiva & abſtractiva reſpectu diverſorum; quia hoc quod eſt eſſe abſtractivum, eſt denominatio extrinſeca petita ab objecto non exiſtenti, quo præſente fit intuitiva: at verò modus libertatis eſt intrinſecus actui, imò ſecundùm plures eſt ipſemet actus ut egrediens à potentia libera, & domina ſuorum actuum, quos poteſt elicere vel ſuſpendere. Illi ergo actui, cui repugnat poſſe ſuſpendi, repugnat libertas indifferentiæ ad merendum neceſſaria, uti definivit Innocentius X. Amor autem beatus utique ſuſpendi ſtante viſione non poteſt. Exemplum quoque è Theologia deſumptum nihilo melius eſt, quia ſpeculatio & praxis non cauſant effectus repugnantes, ſed ſunt ſicut gradus vegetandi, & ſentiendi, & ratiocinandi, qui in inferioribus formis diſperſi, in altiori, ſcilicet anima rationali uniuntur. At verò libertas & neceſſitas cauſant effectus eidem actui repugnantes, nimirum poſſe ſuſpendi, & non poſſe ſuſpendi, qui non minùs ſunt incompoſſibiles, quàm quieſcere ſimul & moveri.

Vera ergo hujus nodi ſolutio traditur ab aliis graviſſimis Thomiſtis, Capreolo, Ferrarienſi, Medina, Soto, aſſerentibus, quod quia amor ſequitur cognitionem, ita triplicem Chriſti ſcientiam, beatam, infuſam, acquiſitam triplex amor comitatur, beatificus ſcilicet comprehenſoribus eximius, ſupernaturalis meritorius viatoribus peculiaris, & naturalis creaturæ intellectuali præſertim integræ & ſanæ proprius. Per primum aut tertium nequibat Salvator mereri, quia ille caret indifferentia ad merendum vel demerendum neceſſaria; iſte intra naturæ limites ſiſtens præmio ſupernaturali dignus non eſt, quia juxta tritum adagium; *In naturalibus nec meremur, nec demeremur.* Tertius ergo duntaxat meriti capax eſſe potuit, quia & libertatis indifferentiâ, & ſupernaturalitatis condignitate præditus erat.

In hujus ſententiæ confirmationem recole quæ ſuperiori capite de ſcientia Chriſto infuſa ſcripta ſunt, quibus ad hujus doctrinæ ubertatem & firmitatem adjice ſcientiam infuſam non ſolùm eſſe ſpeculativam, ſed etiam practicam; cùm enim utramq; hanc dotem adunet Theologia & fides, ſcientiæ infuſæ longè excellentiori id denegari nequaquam poteſt. Ergo ſcientiæ infuſæ eſt actus humanos ſupernaturales modo practico dirigere & regulare, non ut ſiſtat in ſola objecti contemplatione: Atqui ad actus humanos ſupernaturales rectè regulandos ac præſcribendos neceſſe eſt incipere ab intentione finis amati: Ergo ſcientia infuſa dirigebat aliquem amorem Dei ut ultimi finis ſummè dilecti; non amorem merè naturalem, ad quem ſufficit cognitio naturalis; non amorem beatificum, ſcientiæ beatæ corollarium; ſed amorem meritorium ſupernaturalem, ſtatui viatorum conſentaneum.

Sed inſtat P. Gonet: Duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt eſſe in eodem ſubjecto: Atqui amor ſupernaturalis viatorum non differt ſpecie ab actu beati amoris; ideo namque dicitur, quod charitas nunquam excidit, perſeveratque in Patria amor viæ, quia utrobique eſt eadem bonitas divina quæ eſt objectum formale charitatis: Ergo perperam duos amores, viatoris ſcilicet & comprehenſoris in Chriſti voluntate comminiſcimur.

Reſpondeo nihil triplici amore actuali Chriſti triplici ſcientiæ ejus correſpondenti eſſe congruentius, ut ſit menſuratum inter & menſuram, cognitionem & dilectionem debita harmonia & conſonantia. Porrò amores illi non ſolo numero differunt. Et quidem de naturali manifeſtius eſt, quàm probatione egeat, actus namque naturalis & ſpecie & ordine à ſupernaturali diſtinguitur. Amor autem cui prælucet ſcientia infuſa, differt ſpecie modali ab amore quem dirigit viſio beata. Quia ſicut modus libertatis differt ſpecie à modo neceſſitatis, ita actus liber ſpecie modali à neceſſario diſtinguitur, quatenus diverſa eſt utriuſque actus ratio ſe movendi in ratione voluntarii; in actu enim libero voluntas agit cum dominio, in actu verò neceſſario operatur ex pondere naturæ erumpentis impetu rapido in actum. Quæ differentia ſufficit, ut poſſint gemini illi actus eidem ineſſe voluntati, ut multis exemplis confirmant Philoſophi Thomiſtæ, admittentes duas in eodem oculo ſpecies intentionales duo ova repræſentantes, duos modos radicationis in eadem qualitate defixos.

Et ratio eſt, quia accidens habens modum ſpecie diverſum ſibi intrinſecum, pro eodem habetur, ac ſi foret ſpecie diverſum. Quare licèt actus charitatis viæ & patriæ ſint ejuſdem ſpeciei complexæ, quatenus ab eodem habitu procedunt, & idem ob-

jectum

jectum ſub eadem formali ratione tendunt; ſpecie tamen incompleta diſtinguuntur, non ſecus ac partes heterogeneæ ab eadem anima informatæ; vel ſicut actus adorationis, devotionis, orationis, tametſi ab eodem habitu religionis prodeant; vel etiã quemadmodum amor Dei & proximi, qui teſte S. Thoma, ſunt actus ſpecie diſcreti, etſi ab eodem charitatis fonte promanent. Et eodem pacto diſtinguebantur in Chriſto amor cui facem præferebat ſcientia infuſa, & amor quem dirigebat viſio beata.

Quod verò dicitur, charitatem nunquam excidere, intelligitur de charitate habituali; nam cæteroquin actus charitatis viæ non perdurat in patria, ut patet in Sanctis Angelis, quorum amor viæ fuit diſtinctus ab amore patriæ. aliàs non fuiſſet in illis niſi unicum inſtans pro via & pro termino, quod communiter rejicitur. Et ratio eſt, quia mutatio actus liberi in neceſſarium non eſt denominatio extrinſeca, ſed aliquid intrinſecum ab ipſa potentia vitali effluens, & in actu ipſo relucens: Ergo quando actui advenit modus intrinſecus neceſſitatis vel libertatis, debet eſſe novus voluntatis partus, nova proceſſio, nova à principio vitali derivatio. Patet autem quod ſi eſt novum fieri, non continuatur idem actus, ſed novus incipit: in patria ergo non excidet charitas in æternum duratura, ſed novam concipiet flammam in centro puriorem, quâ Deum amabit homo, & amabit totus, amabit dulciter, amabit fortiter, amabit conſtanter, præceptumque implebit, quo Deum ex toto corde, tota anima, totis viribus amare tenemur. Incipe ergo, Lector, hìc amare, ut amor tuus ad ſuum recurrens principium, ſuæ redditus origini, ſuo refuſus fonti, ſemper ex eo ſumat unde jugiter fluat, evadatque ſempiternus ſicut objectum quod diligit. *O jugum ſancti amoris* (exclamat Bernard. lib. de dilig. Deo) *quàm dulciter capis, glorioſè illaqueas, ſuaviter premis, delectanter oneras, fortiter ſtringis, prudenter erudis! O felix amor, ex quo oritur ſtrenuitas morum, puritas affectionum, ſubtilitas intellectuum, deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas.*

Reflexio.

In regno nati ſumus, Deo parere libertas eſt, ajebat Chriſtianè Seneca Paganus. Aliena planè ab omnium ſapientum mente loquuntur, qui putant citra libertatis injuriam non poſſe humanam voluntatem divinæ gratiæ ſubjici poteſtati, cum voluntas ſit eo ſanior quo liberior, & eo liberior, quo divinæ gratiæ ſubjectior, ac divinæ legis amantior. *Liber eſt æſtimandus, qui nulli turpitudini ſervit*, inquit Tullius, quem ſi ut Ethnicum ſpernas, vel ſuſpectum habeas, Lector, audi Auguſtinum lib. de vera Relig. *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber eſſe appetat; & quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo ſubjectus ſit.* Audi Ambroſium: *Ille in quavis conditione ſervitii liber eſt, qui amore non capitur, avaritiæ vinculis non tenetur, metu criminis non alligatur.* Audi Hieronymum: *Sola apud Deum libertas eſt non ſervire peccatis; ſumma apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus.* Quia nimirum nulla eſt in obediendo ſervitus, ubi diligitur quod jubetur. Fingat qui non amat, laborem in præcepto; verùm nihil durum, nihil amarum, nihil grave computat verus amor. Charitas obedientis difficultatis nomen erubeſcit, quia ſuperare per divinam gratiam confidit, quæ ſuperari per divina mandata jubentur. Nullum accipit de impoſſibilitate ſolatium, nullum de difficultate remedium; quia ut ait S. Leo ſerm. 6. in Quadrag. *Dilectio quæ ſimul Deo hominique debetur, nullo unquam impeditur obſtaculo, ut non & ſemper bene velle ſit liberum.* Hoc proprium propria voluntas habet, cùm divinæ legi fuerit refractaria, ut quò magis ſibi ſervit, eo ampliùs crudelioribus vinculis internectatur. Quid enim magis ſerviliùs, quàm eos ſub vitiorum gemere ſervitute, qui Deo adoptante regii obtinuerunt generis dignitatem? Quid turpius quàm terrenis ſeſe cupiditatibus dedere eos, qui ad obtinendam cœleſtem hæreditatem per Chriſti gratiam merentur aſcribi?

Nunquid Deo ſubjecta erit anima mea? Deo inquam, qui cœlorum incorruptos orbes, ſyderum inæquales curſus, elementorum alternas vices, omnes denique res ſuperas inferaſque temperat, gubernat, moderatur. Ne credas lædi libertatem ſubjectione ad illum, cujus ſummæ perfectiſſimæque naturæ nihil magis convenit, quàm ut curam, tutelam, perfectionemque operis ſui & velit, & poſſit. Quidni velit Pater miſericordiarum optimus? Quidni poſſit Omnipotens, ſupra quem vires nullæ, nullæ niſi ab ipſo. Naturæ, gratiæque communis vox eſt; quocumque enim oculos, animum, fidemque convertamus, animata & inanimata, immortalia & peritura, cœleſtia & terrena, divina pariter & humana, Philoſophica & Chriſtiana clamant clarè ac loquuntur, ſubjectione ejus omnia perfici, qui ſumma perfectio eſt, ejuſque influxu & motione beati, qui omnibus non præeſt ſolùm, ſed intereſt, imò ineſt.

Ejus ergo imperiis ultro obſequere, de quibus conqueri jure nemo poteſt, niſi qui obſurduerit & obduruerit contra naturæ vocem. Illum ſequere, cui fruſtra recuſamus obedire; quia aut ſequêre, aut trahêre; ſequêris volens, trahêris rebellis. Ei ſponte pare, cujus omnia ſæcula obaudiunt ſupremam legem. Pudeat videre milites audito ſigno, manibus, pedibus, oculis, animoque intentos currere ad mortem. Cur ergo tu alacris & pleno lætoque gradu detrectas ſequi Imperatorem ad vitam vocantem? Præclarè Juſtus Lipſius lib. 1. de conſtant. c. 15. & 20. *Hoc primum planè ſcutum contra omnia externa, Deo ſubjici, Deum cogitare, & in omni eventu mentem hanc flectere ad magnam illam mundi mentem providentiam. Prima cauſa adeo ſecundas mediaſque non tollit, ut non niſi ordinatim quidem per eas agat. Deus enim ille, qui res creavit, rebus utitur ſine corruptione rerum. Sicut ſupremum illud cœlum inferiores omnes orbes ita ſecum ducit, ut proprium eorum motum non abrumpat, aut ſiſtat. Sic Deus humana omnia trahit, ſed peculiarem cujuſque vim aut motionem non tollit.* Acutè Auguſtinus: *Non enim voluntas cogi poteſt ut velit quod non vult, non enim vellemus, ſi nollemus.* Utinam ſemper benè velimus, & liberiùs cùm Chriſto volemus.

LIBER DECIMUS.

De Deo converſante, ſeu de œconomia vitæ, mortis, & gloriæ Redemptoris.

PRÆLOQUIUM.

TRIPLICI de cauſa Verbum caro factum eſt, nimirum ut cognoſceretur tanta majeſtas, ut amaretur bonitas nimia, ut imitanda proponeretur ſanctitas & perfectio cumulata. Sed nec intellectum erudiret ſapientia incarnata, nec affectum inflammaret charitas effuſa, nec mores reformaret imago Patris demonſtrata, niſi in terris viſa eſſet, & nobiſcum converſata, ut nobis viam veritatis verbis oſtenderet, & factis exemplum daret nobis, ut quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus. Veri enim Magiſtri munus Dominus adimplevit: *In verbis Doctor, & conſummator in factis, docens quid fieret, & faciens quodcumque docuiſſet*, ut ait Cyprian. *ſerm. de lapſis.*

Explicato igitur Dominicæ Incarnationis Sacramento, agendum ſupereſt de myſteriis vitæ Chriſti, quibus & multa fecit, & dira pertulit, ut nos ad ſe perduceret factis, quos verbis non potuerat emollire. Unde ajebat Bernard. ſerm. 2. de Aſcenſ. *Sequemur te per te, ad te; quia tu es via, veritas, & vita; via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Niſi addas quod fuit via in factis, veritas in dictis, vita in benedictionibus dulcedinis, quibus nos prævenit: vel via ut homo, veritas ut Deus, vita ut Homo-Deus. Hæc eſt enim vita æterna ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Hinc eleganter Magnus Leo ſerm. 2. de Reſur. *Mundana ſapientia ita in ſuis gloriatur erroribus, ut quem ſibi quiſque ducem elegerit, ejus opiniones & mores, atque omnia inſtituta ſectetur. Quæ nobis erit communio nominis Chriſti, niſi ut ei inſeparabiliter uniamur, qui eſt, ut ipſe inſinuat, via & veritas, & vita. Via ſcilicet converſationis ſanctæ, veritas doctrinæ divinæ, & vita beatitudinis ſempiternæ.* Vel ut ait Auguſtinus: *Quà vis ire? Ego ſum via: Quò vis ire? Ego ſum veritas: Ubi vis permanere? Ego ſum vita: Ambulare vis? Ego ſum via: Falli non vis? Ego ſum veritas: Mori non vis? Ego ſum vita.*

In propria natura Deus eſt quidem perfectiſſimus, totiuſque fons bonitatis inexhauſtus; verùm lucem habitat inacceſſibilem: homo autem viſibilis quidem eſt, ſed teſtante Scriptura non eſt homo, qui non peccet. Ut igitur nobis ſpeculum ſine macula, & exemplar perfectiſſimum proponeretur, apparuit benignitas Salvatoris noſtri, quem divinitas impeccabilem, humanitas viſibilem, ſubindeque imitabilem oculis noſtris objecit. *Homo ſequendus non erat, qui videri poterat* (ait Auguſt. ſerm. 52. de diverſis:) *Deus ſequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo.*

Hac de cauſa obſervat Athanaſius eam eſſe differentiam Imperatores Ethnicos inter & Chriſtum Legiſlatorem noſtrum, quod illi legum conditores virtutem ſuam uſque ad verba duntaxat prorogaverunt: iſte verò non ſolùm leges verbis ſuis inſtruxit, ſed & ſeipſum in exemplar propoſuit, in ſe velut in tabula quadam veram pietatis depingens formam omnibus veluti archetypum imitatione exprimendum. Unde jam verè impletum eſt quod David Pſalm. 77. exoptabat: *Exurge Domine in præcepto quod mandaſti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Id eſt, ut ibi interpretatur Auguſt. Tu prior comple quod præcepiſti, & ſynagoga populorum te imitantium circumdabit te. Quàm magna gloria Chriſtianis præ oculis habere Deum quem poſſint ſequi! Quàm ſecura via, in qua homo Deus dux eſt, veſtigia premens, ſalebroſa complanans, ſequaces animans, fatigatos portans, & tandem coronans!

Porrò ut meliùs Chriſti converſantis œconomiam intelligamus, præmittenda eſt conſideratio quorumdam ejus ſpecialium attributorum & officiorum, ad quæ implenda vitam ſuam mortemque direxit.

DISSERTATIO I.

De ſpecialibus Chriſti attributis, & officiis.

VERè dixit Ambroſius: *Omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus. Si à vulnere curari deſideras, Medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt.* Verùm quia difficile foret omnia Chriſti Domini attributa perſequi, ideo S. Doctor ad quatuor capita reduxit quæcumque de Chriſto dici poſſunt. Quædam enim Chriſto conveniunt per ordinem ad Patrem, ut eſſe ſervum & filium: nonnulla per ordinem Patris ad ipſum, ut eſſe prædeſtinatum: alia per ordinem Chriſti ad nos, vel noſtri ad ipſum, ut eſſe advocatum, mediatorem, Sacerdotem, ſupremum Dominum adorandum, & Judicem tremendum. Sed quia plura de his vel ſuperiori libro diſſeruimus, vel ſequenti libro diſſeremus, omnia ad duo capita de more revocabimus, in priori officia Chriſti ad Patrem, in poſteriori ea, quæ Chriſto debemus obſequia expoſituri.

CAPUT I.

Varia Chriſti erga Patrem officia diſcutiuntur.

INter virtutes morales non minimum tenet locum pietas erga parentes, quam ſic commendat Ambroſius ſuper Pſalm. Beati Immaculati in via: *Pietas amica parentibus, grata Deo, Dominum conciliat, neceſſitudines fovet. Dei cultura meritis parentum, filiorum ſtipendium.* Unde hæc virtus in eminentiſſimo gradu Chriſtum filium bene dilectum decoravit. Speculemur pii Filii erga amantiſſimum Patrem officia.

SPECU-

Google

Speculatio I.

Chriſto ut homini convenit eſſe ſervum ſubjectum Patri.

Ita docet perſpicuè Scriptura Iſai. 54. *Hæc dicit Dominus, ex utero formans me ſervum ſibi*, Ezech. 34. *Suſcitabo ſuper eos paſtorem unum ſervum meum.* Joan. 14. *Pater major me eſt*, ſcilicet ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam proinde inferior & ſubjectus eſt. 1. Cor. 15. *Cùm ſubjecta illi fuerint omnia, tunc & filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Quibus verbis de futuro non excludit ſubjectionem præſentem, ſed ſignificat Chriſtum ſubjiciendum eſſe, & in ſe & in membris ſuis. Subſcribunt Patres aſſerentes Chriſtum eſſe ſervum Dei ſecundùm humanitatem, *benè, propriè, perfectè, evidentiſſimè*, ut loquuntur Auguſt. Chryſoſt. Athanaſ. citati ab Interpretibus.

Explicatur & probatur ratione contra Vaſquem. Triplex eſt ſervitus, prima moralis & vitioſa, quæ contrahitur per peccatum, juxta illud: *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Secunda eſt humana, ſeu politica & legalis, quâ unus ſecundùm diſpoſitionem juris fit ſervus alterius putà bello, emptione, vel nativitate ex ancilla: unde Juſtinianus *lib. 1. Inſtitut. tit. 5.* ait: *Servi aut naſcuntur, aut fiunt; naſcuntur ex ancillis noſtris; fiunt aut jure gentium, id eſt ex captivitate; aut jure civili, cùm liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus eſt.* Tertia eſt naturalis, quæ fundatur in productione, ratione cujus unuſquiſque ei ſervire tenetur, à quo naturam accepit. Sic homo eſt naturaliter ſervus Dei, à quo creatus eſt, necnon Patris & Matris, à quibus genitus eſt: nam ut dicitur eodem libro, titulo 9. *In poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procreavimus.*

At licèt in Chriſto non fuerit prima & ſecunda ſervitus, quia nec peccato fuit obnoxius, nec jure belli, emptione, aut redemptione Deo acquiſitus; tertiam tamen ſervitutem ei conveniſſe perſpicuum eſt. Nam humanitati Chriſti ſicut omni alteri creaturæ eſſentialis eſt dependentia à Deo Creatore, conſervatore, & primo motore, cujus influxu ſicut ſemper indiget, ita ejus mandatis parere ſemper tenetur. Ergo Chriſtus ſecundùm humanitatem verè fuit ſervus Dei. In qua ſervitute fundatur mirabile Incarnationis, Paſſionis, & ſatisfactionis Chriſti commercium; per hoc enim quod Verbum in humana natura ſubſiſtens Patri ſe ſubjecit, factum eſt Patrem habere adoratorem condignum, qui ipſum quantum adorabilis eſt veneretur, ipſique laſo de rigore juſtitiæ ſatisfaciat. Poteſt etiam Chriſtus appellari ſervus, quia naſcitur ex ancilla; partus enim ſequitur ventrem: Chriſtus autem eſt filius B. Virginis, quæ erat, & à ſeipſa dicebatur ancilla Domini. Et hoc indicatur Pſalm 115. *O Domine quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Signanter autem dixi Chriſto convenire ſervitutem *ſecundùm humanam naturam.* Quia ut ait S. Thom. q. 20. art 1. ad 1. *Sicut non eſt ſimpliciter intelligendum quod Chriſtus ſit creatura, ſed ſolùm ſecundùm humanam naturam, ſive apponatur ei determinatio, ſive non: ita ſimiliter non eſt ſimpliciter intelligendum, quod Chriſtus ſit ſubjectus Patri, ſed ſolùm ſecundùm humanam naturam, etiamſi hæc determinatio non apponatur, quam tamen conveniens eſt apponere ad evitandum errorem Arrii, qui poſuit filium minorem Patre.* Et hujus rationem tradit art. 2. dicens: *Sciendum quod cùm nomen Chriſtus ſit nomen perſonæ, ſicut & hoc nomen filius, illa per ſe & abſolutè poſſunt dici de Chriſto, quæ conveniunt ei ratione ſuæ perſonæ, quæ eſt æterna, & maximè hujuſmodi relationes, quæ magis propriè videntur ad perſonam, vel hypoſtaſim pertinere; ſed ea quæ conveniunt ſibi ſecundùm humanam naturam, ſunt ei potiùs attribuenda cum determinatione, ut dicamus Chriſtum eſſe ſimpliciter maximum, & Dominum, & præſidentem. Quod autem ſit ſubjectus, vel ſervus, vel minor, eſt ei attribuendum cum determinatione, ſcilicet ſecundùm humanam naturam.*

Dices: Servus non communicat cum domino in bonis, nec honore, nec ſede, ut tradit Philoſoph. 1. *Polit. cap. 3.* Ergo ſervitus non competit Chriſto, in quo, ut ait Scriptura, inhabitat omnis plenitudo Divinitatis, ſuntque omnes theſauri ſapientiæ Dei, quem adorant Angeli ejus, & qui ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.

Reſpondeo quod ſicut Beati, tametſi ſervi Dei, fruuntur tamen ſummo bono, & tanto honore dignantur, ut eos ſedere ſecum faciat in eadem menſa in regno ſuo: ita Chriſtus non deſinit eſſe verè & propriè ſecundùm humanitatem ſervus, quantumvis ei innumerabilia ſupra omnem modum bona communicata ſint. Philoſophus autem loquitur de ſervitute politica, quæ excludit ſervum à conſortio bonorum Domini; non verò de ſervitute naturali, communi etiam filiis; qui tamen bonorum bonorumque parentum hæredes ſunt & conſortes. Alias objectiones ſpeculatione ſequenti diluemus.

Reflexio.

Verè in extremis poſitus S. Antonius exclamabat, *Servire Deo regnare eſt*; cùm ad ſerviendum Deo Rex cœli & terræ, Filius Patri conſubſtantialis, qui rapinam non arbitratur ſe eſſe æqualem Deo, formam ſervi acceperit & naturam. Servus factus eſt, nec æqualitatem amiſit, ſed oſtendit; quia ea magnorum indoles eſt, ut quo ſuperiores ſunt, eo ſubmiſſiùs, humiliùſque ſe gerant. *Quantò magnus es* (inquit Eccleſiaſt. cap. 3.) *humilia te in omnibus.* Sola illa magnitudo humiliationem reformidat, quæ fictitia & adſcititia eſt; quia ſicut inopinatò & fortuitò honoris culmine attollitur, ac intumeſcit, ita ſubjectione deprimi pertimeſcit. Infinita verò dignitas, & in proprio fundo nata, non timet humilitate decreſcere, ſed potiùs *deſcenſus* (inquit Greg. Niſſen. orat. cathec. cap. 24.) *eſt quædam inſignis, & redundans copia poteſtatis.* Cui ſententiæ affinis eſt illa Ambroſii: *Humilitas nihil habet diſpendii; qui ſe exinanivit, plenus eſt.* Succinit Bernardus *ſerm. de Aſcenſione*, aliàs relatus. Et ipſe Ethnicus Plinius in Trajan. *Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſeipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ.* Quod ſi ſuperiora inferioribus ſubdi glorioſum eſt, quantò honorificentius erit ſubjici Deo? Ipſi ergo ſervire gloriemur, qui venit miniſtrare, non miniſtrari; tanto permoti exemplo, tantis onerati beneficiis creſcamus ad obſequium, augeamur ad gratiarum actionem, non ad arrogantiam proſiliamus, non ad ſuperbiam turgeamus.

Rurſus ſervire Deo regnare eſt; quia qui ſervit Deo, dominatur in medio inimicorum ſuorum. Nihil ergo tam regium quàm ſubditum Deo animum ſui corporis eſſe rectorem. *Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.* 1. Cor. 7. Quia nimirum Chriſtus, quos alligat, liberat; quos aſtringit, abſolvit, captivamque ducit captivitatem, id eſt ſervitium ſervituti adimit, ſervo libertate donato; *Chriſti enim victoria, victoria libertatis eſt*, inquit Ambroſ. *lib. de Spirit. ſanct. cap.* 4. O nimis amanda captivitas, quâ Deo vinculis voluntariis copulamur! O ſervitus omni regno pretioſior, quâ anima tantò magis libera, quantò Chriſti ſolius ancilla! O terque quaterque beata ſubjectio, quæ dominationem generat ſempiternam, & quæ penes creaturas ſervam ſcelerat libertatem,

tatem, penes Deum credit ſibi futuram liberam ſervitutem.

Regnat igitur qui ſervit Deo; qnia non ei libido dominatur, nec cupiditatum regnum variis contrariiſque tempeſtatibus animum, vitamqne perturbat, nec premitur hinc timore, inde deſiderio; hinc cruciatu rei, quæ diligitur, amiſſæ; inde ardore adipiſcendæ; hinc acceptæ injuriæ doloribus, inde facibus vindicandæ. Regnat quia ſervitus Dei non onerat, ſed honorat, abſtergitque ſervitutis maculam, non inurit. Regnat, quia ſervitutem effugit ſui, eamque inevitabilem noctu & interdiu prementem. Premunt enim proſpera, dum appetuntur; premunt adverſa, dum formidantur. Quàm præclarè Magnus Greg. lib. 30. Moral. cap. 12. *Aſperum jugum & dura ſervitutis pondus eſt ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis deſideriis ab appetitione rerum temporalium ſecuritate mentis exoneratur.* Hæc cùm ita ſint, cur ejus obſequium formidamus, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave & onus leve, & ut modulatè pangebat S. Paulin. *epiſt. 36.*

Quid retrahis fera colla jugo? Mea ſarcina levis,
Suave jugum Chriſti, vox pia, crede Deo.
Hac bona libertas Chriſto ſervire, & in ipſo
Omnibus eſſe ſuper.

Speculatio II.

Chriſtus non poteſt dici Filius Dei adoptivus ſecundùm humanam naturam, ſed eſt ſimpliciter filius naturalis.

PRobatur: Ea ſolùm poſſunt attribui Chriſto ſecundùm humanam naturam, quæ verè & propriè conveniont naturæ humanæ; hac enim de cauſa attribuuntur ei mors, paſſio, ſervitus & dependentia à Deo, quia conveniunt Chriſto per ſe ratione humanitatis. Atqui humanitati non convenit propriè filiatio, ſed ſolùm convenit ſuppoſito; quia filiatio ſequitur generationem paſſivam, ſicut paternitas activam. Unde ſicut paternitas non convenit naturæ, ſed ſuppoſito, ita nec filiatio: quocirca in Divinis iſtæ propoſitiones, *Natura ſeu Deitas generat, vel eſt genita*, ſunt hæreticæ; iſtæ verò, *Pater generat, Filius gignitur*, ſunt orthodoxæ. Quod autem certum eſt de filiatione naturali, eſt etiam proportionaliter verum de adoptiva, quæ definitur, *Gratuita & liberalis aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem.* Ergo Chriſtus non poteſt dici filius adoptivus, etiam ſecundùm humanam naturam, niſi admittantur in eo duæ perſonæ, ſed ſolùm debet dici ſimpliciter filius naturalis.

Hanc etiam veritatem definivit Concilium Francofordienſe contra Elipandum Archiepiſcopum Toletanum, & Felicem Epiſcopum Urgelitanum: nec alio motivo inducta fuit ſacra Synodus, quàm à nobis ex D. Thoma jam allato, ait enim: *Unitas perſonæ, quæ eſt in Dei Filio & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* Nec poteſt dici Concilium loqui de Chriſto ratione humanitatis, quia epiſtola Adriani Papæ actibus illius Concilii inſerta expreſsè tanquam perfidiam rejicit *adoptionem Ieſu Chriſti Filii Dei ſecundùm carnem, quia hoc Catholica Eccleſia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam malè credentibus aſſenſum præbuit.* Et in libro ſacroſyllabo in iiſdem actibus contento, dicitur: *Petrus confeſſus eſt Chriſtum verum Filium Dei, & tu hæretice dicis, Chriſtus adoptivus eſt? Fingeres forſitan & diceres, ſecundùm humanitatem eum Filium Dei confeſſus eſt. Sed quoniam cum additamento dixerat: Tu es Filius Dei vivi, omnium hæreticorum ora fidei pugno attrivit; Chriſti namque nomen ab homine, quem aſſumpſit, accepit.* Ubi expreſsè exploditur diſtinctio de Chriſto ſecundùm Divinitatem, vel ſecundùm humanitatem, negatque quod ſecundùm iſtam poſſit dici Filius adoptivus. Atque ut omnis evaſionis umbram præcluderet, ſubdidit: *De Beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptavit carnem.* Et demùm clariſſimè: *Quam adoptionem praviſſimo ſenſu ad Chriſti voluit transferre humanitatem.*

Dices: Eadem S. Synodus *in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ*, æquè excludit à Chriſto conditionem ſervi, ac injuriam filii; ait namque: *Intelligite duplices diabolicæ fraudis dolos, dum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem Deum colimus & adoramus, ſervum prædicatis, & adoptivum. Conſiderate quale eſt hoc ſcandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Chriſtianorum eſſe ſervum, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi ſumus, non ille nobiſcum adoptivus. Nos per illum à ſervitute liberati, non ille nobiſcum ſervus.* Ubi Concilium pari anathemate ferit aſſertores ſervitutis ac adoptionis Chriſti. Quod ſi poſſit explicari, dum negat ſervitutem, quidni dum æquè negat filiationem adoptivam? Unde diſparitas?

Reſpondeo Elipandum & Felicem affirmaſſe, Chriſtum eſſe ſervum & filium adoptivum, quia credebant plures eſſe perſonas in Chriſto. Unde eos increpans Concilium ait: *Nonne eadem hæreſis veſtra in Neſtorio ab univerſali ſancta Eccleſia refutata etiam & damnata eſt?* Quare ſapiens Concilium æquè relegat & eliminat ſervitutem & adoptionem à Chriſto in ſenſu illo perverſo hæreticorum ſuppoſita in Chriſto geminantium, & ſervitutem æquè atque adoptionem ratione ſuppoſiti creati de Chriſto affirmantium. Porrò quia conditio ſervitutis non ſolùm ratione ſuppoſiti, ſed etiam ratione naturæ convenire poteſt, ſecus verò filiatio, quæ ſolam perſonam conſequitur; fit inde quod in aliquo bono ſenſu Chriſtus eſt & dicitur ſervus, non verò filius adoptivus. Unde ſpecialiter loquens de adoptione, ait Concilium: *Si verò filius, nequaquam adoptivus*; indicans nullo ſenſu, nulloque pacto poſſe dici filium adoptivum. Hæc eſt enim energia illius particulæ *nequaquam*, quam non adhibuit dum de ſervitute loquutum eſt. Eruditè etiam obſervat Joannes à S. Thoma, ſacrum Concilium excludere potiſſimùm à Chriſto voluiſſe ſervitutem peccati, ut patet ex illis verbis, quæ habentur in epiſtola Concilii, ubi dicitur Chriſtum à Propheta nominatum fuiſſe ſervum: *Non ex conditione ſervili, ſed ex humilitatis obedientia, Papa Leone dicente: Aſſumpta eſt de matre Domini natura, non culpa, creata ex forma ſervi ſine conditione ſervili.* Et infrà: *Unde Adam fuit ſervus factus, niſi ex peccato, Apoſtolo Petro atteſtante: Qui peccatum facit, ſervus eſt peccati? Chriſtus autem non fecit peccatum, & ideo ſervus non eſt peccati, ſed magis liberator & Redemptor eorum, qui ſervi ſunt peccati.* Ad hoc tam lucidum teſtimonium nihil habet Vaſquez quò recurrat, niſi ad ſuum ſolitum morem excuſandi hæreticos, dicens Elipandum & Felicem non fuiſſe tam hebetes, impudentes, atque blaſphemos, ut dixerint Chriſtum fuiſſe peccatorum ſordibus inquinatum. Papè quàm grandis charitas Vaſquezii excuſantis Elipandum & Felicem, ut poſſit S. Thomæ de ſervitute Chriſti ſententiam ſugillare! Sed audiat quæſo Adrianum dicentem: *Pudere ſe eorum ſententiam referre*, & quod epiſtola Elipandi, *eſt plena blaſphemiis, veſania, ſtultitia, pravitate omni tergiverſatione deteriori.*

Inſtabis: Non magis inter ſe pugnant ſupremum dominium, & ſervitus, quàm filiatio naturalis & adoptiva: Sed Chriſto propter dualitatem naturarum attribuitur dominium & ſervitus: Ergo ſimiliter poterit illi attribui filiatio naturalis & adoptiva.

Reſpondeo dominium & ſervitutem comitari naturam; cùm ergo in Chriſto ſit duplex natura, altera depen-

dependens, altera dominans, ratione earum poteſt Chriſtus & ſervus & dominus affirmari: at verò filiatio non convenit ſuppoſito mediante naturâ, ſed immediatè ratione ſui; unde non denominat naturam, quæ non dicitur filia, ſed ſuppoſitum, quod dicitur Filius: ac proinde cùm in Chriſto ſit unicum ſuppoſitum, unica etiam eſt filiatio, ſcilicet naturalis.

Inſiſtes: Gratia habitualis eſt forma conſtituens filium adoptivum: Ergo cui communicatur gratia habitualis, communicatur etiam filiatio adoptiva, cùm non poſſit communicari effectus formalis ſine forma: Sed Chriſto communicata eſt plenitudo gratiæ habitualis: Ergo illi etiam filiatio adoptiva collata eſt.

Reſpondeo effectum formalem primarium non poſſe communicatâ formâ non communicari; effectus autem primarius gratiæ non eſt efficere filium adoptivum, ſed reddere ſubjectum Deo gratum & ſanctum: ex quo ſecundariò oritur, ſubjectum illud Deo acceptum in filium adoptari, quando eſt perſona extranea. Et quia Chriſtus non eſt ſuppoſitum Deo extraneum, ideo non eſt capax illius effectus ſecundarii, communi enim ſenſui repugnat, ut filius naturalis fiat filius per ſimilitudinem & imitationem, qualis eſt filius adoptivus.

Urgebis: Chriſtus ut homo eſt filius Dei, nam de illo dictum eſt, *Hic eſt filius meus dilectus*: Sed ut homo non eſt filius naturalis, non enim habet quod procedat in ſimilitudinem naturæ per hoc, quod in humanitate ſubſiſtat, ſed ex hoc quod in Divinitate exiſtat ſimilis Patri: Ergo Chriſtus ut homo eſt tantùm filius adoptivus.

Reſpondeo Chriſtum ut hominem, ſeu ſuppoſitum illud quod in humanitate exiſtit, eſſe formaliter filium Dei, non quidem reduplicativè prout in humanitate exiſtit, quaſi ſubſiſtere in humanitate ſit eſſe filium naturalem; ſed ſpecificativè ſuppoſitum illud, quod in natura divina eſt filius Dei naturalis, non deſinit eſſe tale per hoc quod in humanitate ſubſiſtit, cùm potiùs unione hypoſtatica factum ſit, quod homo ſit Deus, & filius Dei.

Perſiſtes: Ad hoc ut gratia conferat effectum ſecundarium filiationis adoptivæ, ſat eſt quod natura ſit extranea, tametſi perſona ſit intranea: Sed in Chriſto eſt natura extranea, ſcilicet humana: Ergo Chriſto convenit filiatio adoptiva. Probatur major à pari: Natura intranea poteſt facere quod ſuppoſitum extraneum ſit filius, v. g. humanitas unita Verbo Divino facit Verbum eſſe filium B. Virginis, quanvis Verbum ſit de ſe, ſuppoſitum extraneum humanitati: Ergo ſimiliter natura extranea poteſt facere quod ſuppoſitum intraneum, cui unitur, ſit extraneum, & ſi dicere fas eſt, induat extraneitatem naturæ, ratione cujus ſit capax filiationis adoptivæ. Aſſignetur diſparitas quare natura intranea facit ſuppoſitum de ſe extraneum filium naturalem, & natura extranea non poteſt denominare extraneum ſuppoſitum, quod eſt de ſe intraneum.

Reſpondeo grandem eſſe diſparitatem, quia dum ſuppoſitum extraneum fit intraneum, nihil perdit, ſed veluti acquirit aliquid, quo fiat quadantenus domeſticum aſſumptione naturæ ſubſtantialiter ſibi unitæ; at verò ſi ſuppoſitum intraneum fieret extraneum, deberet ea prædicata interiora amittere, quibus intraneum conſtituitur; quod eſſet deſtruere Myſterium Incarnationis, in quo Verbum, quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit. Nulla eſt ergo incompatibilitas quod idem Filius ſit intraneus Patri & Matri; repugnat verò Filium naturalem Patris deſinere eſſe intraneum Patri; quod tamen requireretur, ut poſſet eſſe filius ejus adoptivus. Sicut ſi perſona creata poſſet terminare naturam alienam (ut multi neoterici extra ſcholam D. Thomæ non reputant impoſſibile,) v. g. ſi Carolus filius Philippi terminaret naturam Ludovici filii Mariæ Thereſiæ & Ludovici XIV. tunc Carolus fieret filius Thereſiæ, nec tamen deſineret eſſe filius naturalis Philippi, quanvis natura aſſompta eſſet extranea Philippo. Radix verò omnium jam inſinuata eſt; quia in communicatione idiomatum ea ſola prædicata ſimpliciter dicuntur de Verbo, quæ non repugnant perſonæ Filii; ſi verò repugnant, non dicuntur: hac de cauſa perſona Chriſti non dicitur creatura, quanvis natura ſit creata: Perſonæ autem filii naturalis repugnat eſſe filium adoptivum Patris naturalis.

Ex his ſequitur, Chriſtum non eſſe filium totius Trinitatis; dicitur enim in Concilio Toletano XI. illa verba, *Hic eſt filius meus dilectus*, intelligenda eſſe de Patre Æterno. Neque enim Jeſus etiam Spiritus Sancti, vel ſui filius dici poteſt, aliàs ſui ſimul eſſet & pater & filius, quo nihil abſurdius. Deinde nec illa filiatio reciperetur in perſona, ut ait Suarez, aliàs perſona Chriſti eſſet filius Trinitatis; nec in humanitate, ut docet Vaſquez, quia filiatio ſequitur perſonam, ut ſæpè diximus. Denique licèt omne genitum non ſit filius, ut patet in generatione vermium, fructuum, ovorum; tamen omnis filius eſt genitus: Sed Chriſtus non eſt genitus à tota Trinitate; licèt enim unio humanitatis cum Verbo ſit à tota Trinitate, tamen hæc unio non dicit ordinem geniti, ſed facti. Unde D. Thom. *q. 33. art. 3.* ait: *Nullo modo debet dici Chriſtus filius Spiritus Sancti, neque etiam totius Trinitatis.*

Reflexio.

Si tanta dignitas eſt ſervi Dei, ſi nulla major gloria quàm ſervire Chriſto, ſi jugum Chriſti non atterit, ſed demulcet fructu gratiæ, ſpe remunerationis, purioris conſcientiæ ſuavitate; quid erit filium Dei nominari & eſſe? Quæ gratiarum actio huic beneficio par inveniri poteſt? Quis cordis motus tanto reſpondere amori, quo Dominus moratur in Patrem, qui vult charitate magis quàm poteſtate regnare. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Rom. 8.

Sed amabò, quid eſt eſſe Filium Dei? Attende, Chriſtiane Lector, & agnoſce dignitatem tuam. Filius Dei eſt divinæ conſors naturæ, ſignaculum ſimilitudinis, imago Patris, participatio Verbi, expreſſio Spiritus ſancti. *Omnis filius* (ait doctè Nicetas in orat. 42. Nazianz.) *patris ſui tacita ratio & definitio eſt.* Ergo ſi definitio convertatur cum definito, nihil aliud Chriſtianus erit, quàm Deus abbreviatus. Ergo cùm definitio ſit explicatio naturæ rei, nihil aliud Chriſtianus eſſe poteſt, quàm divinarum perfectionum expoſitio, quæ eas exhibeat cognoſcendas. Ergo ſi definitio debeat eſſe clarior definito, abſcondita Divinitatis arcana in vita Chriſtiani relucere, & eximio virtutum candore veluti aſpectabilia apparere debent, ita ut in eis Deus inviſibilis viſibilis objiciatur, & veluti de facie notus reddatur. Hinc veri Chriſtiani *lux* & *filii lucis*, appellari ſolent. Epheſ. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quia præclaris vitæ geſtis veluti fulgentibus quibuſdam lineamentis gloriam prædicant Deitatis. Unde ſubditur: *Ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & ſanctitate.*

Sed proh dolor! Quàm multis verè & jure objicere poteſt optimus Pater illam Iſaïæ 1. querimoniam: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate; ſemini nequam, filiis ſceleratis.* Quid enim indignius,

quid

quid intolerabilius, quid ingratius eſſe poteſt, quàm Chriſtianos Patre æterno natos, Verbi Divini confratres, Spiritus ſancti conſortes, in filios diaboli morum pravitate converti. Cùm enim cacodæmonis mores & malitiam ſic exprimant, ut ejus ſpiritum ebibiſſe, ejuſque perſonam gerere videantur, meritò illis dici poteſt: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Joan. 8. vel illud Pauli Act. 13. *O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, non deſinis ſubvertere vias Domini rectas.* Erubeſcant Patrem invocare in cœlis, qui nolunt intelligere ſibi genus eſſe de cœlo; deſinant etiam invocare Patrem, cujus nec famuli nomen promerentur; Dei quippe filios ſoli illi ſe probant, qui vitiis non obſcurantur humanis, ſed divinis virtutibus clareſcunt. Quaſi degeneres, & tanto indigni parente rejicientur, qui intrepido mentis obtutu, & toto cordis affectu cœleſtia non intendunt: ſicut Aquila pullos illos reputat ſpurios, qui ſolis perſtricti radiis oculos inflectunt, nec poſſunt tantum ſplendorem inconniventi pupilla contueri.

SPECULATIO III.

Chriſtus eſt noſter Advocatus, Mediator, & Sacerdos in æternum.

PRima pars expreſsè traditur 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem Ieſum Chriſtum.* Hebr. 7. *Semper vivens ad interpellendum pro nobis.* In quem locum Ambroſius, *Chriſtus reſurgens ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem, cujus poſtulatio contemni non poteſt.*

Ratio verò eſt, quia officium advocati eſt orare & intercedere pro eo, qui indiget miſericordia Judicis & Domini: Atqui Chriſto convenit orare pro nobis; oratio ſiquidem nec repugnat unioni hypoſtaticæ, cùm potiùs per eam Deus factus ſit homo, cujus eſt Deum orare & adorare; nec ſtatui beatitudinis, cujus perfecta & cumulata charitas noſtras miſerias non dedignatur, ſed ad compatiendum & ſolandum inclinatur. Nulla eſt etiam in hoc indecentia, ſed potiùs ſumma convenientia; tum ut Chriſtus exerceat actum religionis, quo ſupremum Dei dominium veneretur; tum ut obtineat multa, quæ ſcit ſe non niſi orationis inſtantiâ impetraturum; tum ut omnem propriæ voluntatis affectum divinæ ſubjiciat voluntati, quam inceſſabilis orationis fervore, laude, humilitate, gratiarum actione, mentiſque humiliatione ſemper veneratus eſt: Ergo Chriſto officium Advocati noſtri meritiſſimè convenit.

Dices; Eccleſia non ſolet Chriſtum deprecari, ut oret pro ſe, ſed ut miſereatur ſui, atque exaudiat ſupplicantium vota, quod argumento non levi eſt, Chriſtum non orare, ſed ex pleniſſima poteſtate, quæ data eſt illi in cœlo & in terra, orantes exaudire.

Reſpondeo quod licèt in rigore poſſit Chriſtus exorari, ut pro nobis preces fundat; prudentiſſimè tamen ab hac orandi forma abſtinet Eccleſia, præſertim in publica oratione: tum quia Eccleſiæ oratio dirigitur ad perſonam Chriſti, quæ Deus eſt exaudiens, & conferens dona poſtulata. Tum ad declinandos errores Arrii, & Neſtorii, qui in Chriſto perſonam creatam admittebant. Unde ut veluti in actu exercito tantam blaſphemiam reprobaret Eccleſia divinitus inſpirata, Chriſto eadem reverentiâ ſupplicat ac Patri. Tum demùm, quia dum aliquem alloquimur & rogamus, eum ſemper honorificentiori titulo compellamus: ſicut dum Cardinalem, qui ſimul eſt Abbas, reveremur, non eum Abbatis, ſed eminentiſſimi præfatione ſalutamus.

Secunda pars facilè ſuadetur: Duo requiruntur ad officium Mediatoris: primò, quod ſit medius inter perſonam læſam & reum; ſecundò quod conjungat utrumque: Sed hæc duo conveniunt Chriſto, non quidem ut Deo, quia ſic eſt perſona læſa incapax paſſionis, mortis, & ſatisfactionis activæ; ſed conveniunt Chriſto ut homini, quia ſic diſtat à Deo in natura aſſumpta, & ab homine reo propter dignitatem & innocentiam ſuam; ſic etiam conjungit homines cum Deo, pro eis interpellat, eoſque reconciliat. Ergo Chriſtus eſt Mediator noſter ſecundùm quod eſt homo Deus, juxta illud Apoſtoli 1. Tim. 2. *Vnus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Quia nimirum humanitas eſt principium *quo* eliciebantur operationes ſatisfactoriæ; ſuppoſitum verò divinum eas dignificabat, eiſque valorem infinitum diffundebat. Unde S. Leo ſerm. 1. Nativit: *Salvâ utriuſque proprietate ſubſtantiæ, ſuſcipitur à virtute infirmitas, à Majeſtate humilitas, ab æternitate mortalitas, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem Dei & hominum Mediator, & mori ex uno, & reſurgere poſſet ex altero.*

Tertia pars ſponte fluit ex præcedenti. Nam ut docet D. Thomas *quæſt.* 22. *art.* 1. proprium Officium Sacerdotis eſt eſſe Mediatorem inter Deum & populum, ut cœleſtia dona populo à Deo impetret, & preces populi Deo offerat, ac pro ejuſdem peccatis divinam clementiam imploret, miſericordiam ſollicitet, temperet juſtitiam: Ergo cùm Chriſtus ſit perfectus Mediator Dei & hominum, eſt etiam verus Sacerdos, per quem nobis divina traduntur, & peccatores Deo reconciliantur, juxta illud 2. Pet. 1. *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit.* Et illud Coloſſ. 1. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia.*

Eminentia Sacerdotii Chriſti.

Porrò Sacerdotium Chriſti multiplici fulget dote, quâ aliis Sacerdotibus immensùm præeminet. Primò namque Sacerdotium Chriſti non ſolùm omni humanæ poteſtati; ſed etiam toti Angelorum hierarchiæ infinitè antecellit. Nam ut tradit S. Thomas quæſt. 22. art. 1. ad 1. *Angeli fuerunt miniſtri Sacerdotii ejus, ſecundùm illud Matth. 4 Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* Etenim Filii benè dilecti oratio omnium creaturarum precibus immensùm acceptior eſt, tantoque illis gratior, quanto Deus creaturis pretioſior.

Secunda prærogativa Sacerdotii Salvatoris eſt, quod licèt in veteri lege non eſſet idem Legislator & Sacerdos (unde Dominus ad Moyſem Legiſlatorem dixit Exod. 28. *Applica Aaron fratrem tuum, Sacerdotio fungatur mihi*; Chriſtus tamen utrumque habuit, quia in ipſum confluunt cœleſtium donorum rivi cæteris per patres diſperſi. Unde de eo dicitur Iſai. 33 *Dominus Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter.*

Tertium Sacerdotii Chriſti privilegium eſt, quod Salvator fuit ſimul Sacerdos & hoſtia, juxta illud Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Et nota quod in Chriſto omnium diverſitas hoſtiarum unita refulſit; fuit enim hoſtia pacifica pro ſalute offerri ſolita, Hebr. 5. *Chriſtus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Fuit etiam hoſtia pro peccato remittendo. Rom. 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra.* Fuit etiam holocauſtum quod totum incendebatur, indicans Spiritum rationalem omnibus terrenis affectibus extinctis Deo totaliter uniri debere, quæ quidem unio erit in gloria, quam Chriſtus meruit Sanguine ſuo. Hebr. 10. *Habemus fiduciam per ſanguinem in introitum Sanctorum.* Specialiter etiam Chriſtus fuit holocauſtum, quia vi ardentiſſimi amoris animam ſuam & pro amicis, & pro inimicis poſuit. Epheſ. 2. *Propter*

nimiam

nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos.

Quarta præcellentia Sacerdotii Chriſti in hoc ſita eſt, quod Sacerdotium veteris legis quámlibet effuſo cruore peccata minimè mundabat; quia, ut ait Apoſtolus, non poterat perfectos facere. At Sacerdotium Chriſti expiandorum peccatorum vim efficaciſſimam habet, confert quippe gratiam, quâ peccatorum maculæ, & æternæ pœnæ reatus auferuntur. Hebr. 9. *Si Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Sanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?*

Quinta Sacerdotii Chriſti eminentia eſt, quod incepit prorumpere in actum ab initio conceptionis ſuæ, in qua unitus fuit, conſecratus, & inauguratus à Patre, ut pro toto genere humano ſeſe hoſtiam immaculatam immolaret, quando ingrediens mundum dixit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata & pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi, Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam* ut dicitur Hebr. 10.

Sexta ſacerdotii Chriſti proprietas ſingularis eſt, quod ſacerdotium Chriſti ab initio inchoatum, jugiter in æternum durat, non ſolùm quoad habitum (ſic enim Sacerdotes novæ legis ſacerdotio perpetuo ob indelebilitatem characteris, gaudent,) ſed etiam quoad actum & exercitium quod in morte quidem conſummatum eſt, ſed minimè finitum; perſeverat enim incruenta oblatio in Venerabili Sacramento altaris uſque ad conſummationem ſæculi, & in cœlo mortem ſuam Patri æterno perpetim offert, ac vulneribus hac de cauſa ſervatis, veluti totidem facundiſſimis oribus pro nobis veniam petit, & inſuper per totam æternitatem Sanctis gloriam influet, unde meritò Pſalm. 110. *Sacerdos in æternum* nominatur.

Septima demùm Sacerdotii Chriſti excellentia eſt, quod ſit ſecundùm ordinem Melchiſedech, idque variis de cauſis. Primò, quia Melchiſedech Latino idiomate idem eſt ac Rex juſtitiæ: Chriſtus autem eſt verus Rex ac ſol juſtitiæ, cui Pater omne judicium tradidit. Vel eſt Rex juſtitiæ, id eſt omnis virtutis & ſanctitatis, quæ unicè exigitur in Sacerdote, qui debet eſſe exemplar populorum, forma gregis, & ſpeculum totius perfectionis. Secundò, quia Melchiſedech fuit Sacerdos ſimul & Rex Salem, id eſt pacis: Chriſtus autem utraque dignitate fulget; unde dicitur Pſalm. 2. *Poſtula à me* (ecce munus Sacerdotis orantis) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos*, &c. Ecce orbis tegendi imperium collatum. Fuit autem Chriſtus Rex pacis, manſuetus, & pax noſtra, ut paſſim ait Scriptura, & rationem dat Apoſtolus Epheſ. 2. *Per ſanguinem ſuum pacificavit quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt.* Tertiò, quia non legitur Melchiſedech ſucceſſiſſe alterius Sacerdotio, nec ſuum ſucceſſori olli hæreditate reliquiſſe; & ideo dicitur Hebr. 7. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum. neque finem vitæ habens.* Non quòd reverà non habuerit, ſed quia hujus mentionem Scriptura non facit. Sic Chriſtus nulli ſucceſſit, quia natus eſt ſine patre, nec ſucceſſorem inſtituit, cui Sacerdotium ſuum hæreditario jure obveniret, quia virginitatis illibatum candorem ſervavit; ideoque non dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Aaron, in cujus Sacerdotio filius parentis locum & officium occupabat. Quartò Melchiſedech panem & vinum obtulit, Aaron verò oves & boves, non verò panem & vinum, niſi fortè tanquam partem & condimentum alterius ſacrificii, ut legere eſt *Exod. 29. & Num. 28.* Sacrificium autem Melchiſedech imitatus eſt Chriſtus corporis & ſanguinis ſui ſalutiferum ſacrificium in ultima cœna inſtituens. Denique Melchiſedech erat Sacerdos univerſalis, non verò unius gentis tantùm; unde tabernaculo & templo ad ſacrificandum non egebat: Aaron verò Hebræorum duntaxat Sacerdos erat, Jeroſolymitano templo addictus; unde Judæi everſo templo victimas immolare deſierunt. Similiter Chriſtus Sacerdos omnium eſt conſtitutus, ideoque non in templo, nec intra ſepta civitatis, ſed extra caſtra crucifixus eſt, ut crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi. Sacrificium etiam Venerabilis Euchariſtiæ nulli regioni, loco, vel templo alligatum eſt, ſed per totum terrarum orbem quotidie celebratur, uti prædixerat Malach. c. 1. *A ſolis ortu uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

Reflexio.

Ordinati à Deo ſanctimonia Sacerdotes appellantur à Cypriano Chriſtiani; & ante ipſum, *genus Sancta, genus electum, regale Sacerdotium*, à Principe Apoſtolorum vocati ſunt. Quia nimirum ſacris orationibus ſicut incenſum ad Deum directis, & Sanctis operibus jugiter Deo oblatis ſupremo Domino immolare & ſacrificare ſacrificium juſtitiæ tenentur: *Sacrificium* (inquit Auguſt. lib. 5. de Civit. cap 1.) *eſt omne opus quod agitur, ut Sancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad eum finem bonum, quo beati eſſe poſſimus.* Et Chryſoſt. hom. 11. in epiſt. ad Hebr. *Quid ſunt victima? Modeſtia, temperantia, eleemoſyna, tolerantia, lenitas, & patientia?*

Hujus etiam ratio ulterior eſt, quâ Martyres ſuaviſſimum Deo ſacrificium offerunt; dicitur enim Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Atqui tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt atque martyrium eo illuſtrius, quo longius. *Nemo dicat* (inquit Auguſt. ſerm. 250. de temp.) *quod temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſunt; habet enim & pax noſtra Martyres ſuos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, juſtitiam cuſtodire, avaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, magna pars martyrii eſt.* Sive vivas in ſæculo, ſive degas in ſecreto, non effugies perſequutores, ſi vis vitare peccata. Nam etſi deſint externi conflictus, occurrunt & inteſtina bella, quæ vix ſuſtinet Chriſtianus. *Multò graviores* (inquit Ambroſ. lib. 9. in Luc.) *domeſtici hoſtes, quàm extranei. Nunc avaritia ſtimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat; nunc ambitio movet, nunc terrere tentant ſpiritales nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus. Itaque quaſi quibuſdam urgetur præliis, & quibuſdam terræ motibus quatitur mobilis animi nutantis affectus.*

An non grande ſacrificium, & durum martyrium eſt, ferro quidem horrore mitius; ſed diuturnitate moleſtius paſſionum debellare hoſtes, qui ſine gladii terrore, ſine ſanguinis effuſione mentem hominis frequenter eliduns, qui illecebris magis quàm terroribus expugnantes eo periculoſiùs, quo ſuaviùs inſidiantur. Nullum planè mirabilius ſacrificium, nullum martyrium gravius, ut Chryſoſtomus & Bernardus tradunt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat appetitus. Poteſt qui voluerit, poteſt utique & ſanè debet quilibet tale offerre ſacrificium. Ne quæras ignem comburentem corpus, non gladium ſecantem membra, non ungulas profundè artus intrantes & ſulcantes, non ſtridentes flammis laminas, ſed igne ſpiritus extinguatur amor mundi;

&

Digitized by Google

& gladio ſpiritus nefaria cupiditas coneidatur. Sine ferro & flammis Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſervamus, ſi carnalia deſideria ſpiritali gladio trucidamus. ſi corpus luxuriana & captivans nos in lege peccati mortificantes facti ſimus ſicut oves occiſionis,

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei ut exhibeatn corpora veſtra boſtiam viventem, Sanctam, Deo placentem, Rom. 12. Hoſtiam vocat, quia oceidir viöa mundo mortuus Chriſtianus; ſed viventem appellar, quia in virtutum praxi feliciſſimè vivit. Optimè Chryſoſtomus exponens præfata Pauli oracula: *Sed quomodo corpus, inquies, boſtia fiet? Nibil mali reſpiciat oculus, & facta eſt boſtia: nibil turpe loquatur lingua, & facta eſt oblatio: nibil iniqui committat manus, & facta eſt bolocauſtoma. Imò non ſufficiunt iſta, ſed ut bona etiam faciamus, opus eſt; nimirum ut eleemoſynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, anditus divinis continuò ſermonibus vacet.* Hæc ſi facias, jugi cordis ſacrificio Deum jugiter adorabis, pœnitentiæ hoſtiam Deo gratiſſimam immolabis, quia ſcriptum eſt: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & bumiliatum Deus non deſpiciet.*

CAPUT II.

De triplici, quod Chriſto debemus, obſequio.

VIdimus ſuprà, Chriſti Incarnationem triplici de cauſa fuiſſe exequutioni mandatam, & ut cognoſceretur majeſtas ſumma, & ut amaretur boni-bonitas nimia, & ut proponeretur regula morum hominibus attemperata: Majeſtati cognitæ reverentiam, bonitati nimiæ amorem & charitatem, regulæ indefectibili ſequelam & imitationem debemus, utinam & reddamus.

Speculatio I.

Chriſto debetur latriæ cultus, & adoratio.

ANtequam ſtabiliatur hæc veritas, præmoneo primò, quod reverentia, quam alicui exhibemus, variis ſolet nominibus declarari; dicimur enim aliquem revereri, honorare, colere, venerari, laudare, glorificare, & adorare. Reverentia eſt primum motivum honoris, reverentia enim, qua in aliquem movemur, inclinat ad honorandum eum, facitque ut optemus eum ab aliis honorari. Honor eſt proteſtatio excellentiæ alicujus, quæ ſi ſit ſpeciali fervore exhibita, vocatur veneratio & cultus. Ex quibus prærumpimus in laudes & præconia, quibus ſparſis clareſcit bonitas ejus apud plurimos, & hinc coruſcat gloria, quæ eſt clara cum laude notitia.

Præmoneo 2. Inter varios honorandi modos eminere adorationis cultum, quo alicujus ſuperiorem præcellentiæ gradum ſuſpicientes, ei tanquam inferiores ſubjicimur, & incurvamur. Porrò nomen adorationis derivatur vel ab *Ador*, quod eſt ſpecies frumenti in ſacrificiis adhiberi ſoliti, vel à præpoſitione *Ad*, & verbo *Oro*, quia vix ac ne vix quidem ullus adorationis actus invenitur, quem non præcedat oratio, vel comitetur, vel ſequatur, ut communi fidelium praxi compertum eſt. Non enim eſt adoratio in ſpiritu & veritate, qualem Pater quærit, ſed mera ludificatio, niſi externa venerationis ſigna ab interno ſupplicantis animi cultu proficiſcantur. Et fruſtra proſternitur corpus, niſi ſimul ſubmiſſus animus tum ſupremam Dei excellentiam, cùm noſtram ab eo dependentiam proteſtetur. Perperam Deum labiis honoramus, ſi cor longè ſit ab eo, nec eructet verbum bonum pietatis & Religionis. Quid enim prodeſt flexo poplite, manibus expanſis, capite nudo, pectore tuſo pietatem duplici iniquitate ſimulare, niſi ſimul adſit de corde puro & optimo famulatus. *Pſalmis & bymnis cùm oratis Deum, boc verſetur in corde, quod profertur in ore*, ait Auguſt. in regula. *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ubi cor eſt mutum? Sicut enim vox ſine modulatione eſt quaſi vox porcorum, ſic oratio ſine devotione eſt quaſi mugitus boum*, ait S. Iſidor. *lib. 3. de ſum. bon. cap. 3.* & D. Thomas *2. 2. q. 84. art. 2. ad 2. & in corp.* ſic: *Sicut oratio primordialiter quidem in mente, ſecundariò autem verbis exprimitur; ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori reverentia conſiſtit, ſecundariò autem in quibuſdam corporalibus bumilitatis ſignis. Et quia in omnibus actibus id quod eſt exterius refertur ad id quod eſt interius ſicut ad principalius, jam ipſa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubjiciendum ſe Deo.* Eſt ergo adoratio, *Excellentiæ alicujus teſtificatio ſignis externis exhibita, ex interna mentis ſubmiſſione procedens.*

Præmoneo tertiò, quod ſicut duplex eſt excellentia rerum, creata ſcilicet & increata, ita duplex eſt adorationis ſpecies. Prima dicitùr adoratio latriæ, quæ definiri ſolet: *Cultus religioſus ſoli Deo propter infinitam excellentiam exhibitus, & ſupremi in res omnes creatas dominii proteſtativus.* Secunda dicitur oratio duliæ, quæ ſic definitur: *Cultus religioſus alicui creaturæ ob ejus excellentiam delatus.* Et quia inter puras creaturas eminet B. Virgo Maria ſicut ſol inter aſtra, ideo cultus ſpecialis ei debitus, vocatur cultus hyperduliæ. Iam

Probatur ſpeculatio: Honor & cultus verè & propriè exhibentur toti rei ſubſiſtenti; non enim dicimus quod manus vel pes hominis honoratur, ſed quod homo honoretur; cauſa verò honoris exhibiti eſt excellentia, quâ aliquis eminet: Atqui in Chriſto eſt ſuppoſitum divinum cui debetur latriæ cultus; tota etiã in illo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter, quia nihil excellentius eſſe, vel concipi poteſt: Ergo Chriſto Domino debetur ſummus latriæ cultus, ſubindeque eadem adoratione adoratur humanitas & Divinitas in Chriſto; non quòd humanitas, ſecluſa Divinitate poſſit eſſe ratio adorationis latriæ, ſed quia illi perſonæ, quæ ſimul eſt Deus & homo, unus & ſimplex latriæ cultus indiviſus debetur & redditur. Unde dicitur in Sacro Epheſino Concilio: *Unus intelligitur Chriſtus Ieſus filius unigenitus, qui una adoratione propria cum carne adoratur.* Et in 5. Synodo Conſtantinop. *Si quis non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* Et 7. Synodo, act. 5. *Cùm adoratur Chriſtus, non ſeparatur humanitas à Divinitate, ſed utraque ut unum adoratur latriâ.* Superſedeo à Patribus recenſendis, in quibus expreſsè habetur, humanitatem in Chriſto cũ Divinitate coadorari, non ſecus ac purpuram cum Rege. Sufficient hæc verba Auguſt. in Pſalm. 80. *Caro à Verbo Dei aſſumpta ſine impietate adoratur à nobis; quia nemo carnem ejus manducat, niſi priùs adoret. Sed qui adorat, non terram intuetur, ſed illum potiùs, cujus ſcabellum eſt, propter quem adorat.* Sanè ſi corpori animæ conjuncto idem exhibetur cultus, qui animæ debetur, quia corpus ab anima informatum ejus fit particeps dignitatis; quidni humanitati Divinitate unctæ, ſubſtantiali ſanctitate perfuſæ, ad eſſe divinum, unde infinitam haurit dignitatem, evectæ, latriæ cultus per ſe ſecundò, tãquam parti totius adorandi deferetur? Cùm enim per ineffabile Incarnationis commerciũ humanitas facta ſit natura Verbi, profectò tã benè Verbum fecit eam adorabilẽ, quàm fecit ſuam.

Cum

Cum his tamen ſtat, humanitatem præciſè ſumptam, & ab unione perſonali Divini Verbi mentis operatione abſtractam, non debere latriæ, ſed ſolius hyperduliæ cultu adorari; quia ſic conſiderata humanitas, tametſi ſit donorum & habituum ſupernaturalium plenitudine inſtructiſſima; tamen ut talis intra creaturæ limites circunſcribitur, cui ſupremus cultus ſoli Deo eximius non debetur: Verùm quia ſimpliciter & abſolutè adoratio ad ſuppoſitum terminatur, ne daretur occaſio Neſtoriano errori fingenti duas in Chriſto perſonas, ideo Patres & Concilia unicæ Chriſti adorationis zelantiſſimi fuerunt, nec Verbum à carne ſeponi, aut dividi paſſi ſunt. Porrò excocto errore Neſtorii, poteſt ſine periculo Catholicus de Myſterio Incarnationis orthodoxè ſentiens humanitatem præciſè conſideratam, ipſamque individuum naturæ humanæ à perſonalitate abſtractum venerari: qui cultus licèt imperfectus, & incompletus: nihilominus, ut ſapienter Nazarius obſervavit, pietati profectuique ſpirituali nonnunquam poterit eſſe conveniens, ut ex humanitatis tantopere eminentis cultu ad ſupremam increati Verbi in ea ſubſiſtentis adorationem animus manuducatur. *Sic enim, inquit, vir ſpiritualis, ut cæleſtis ovis alatam ingrediendo per contemplationem ad intima Deitatis, & eam adorando ſuprema adoratione latria, quàm egrediendo per conſiderationem ad humanitatem, & eam adorando hyperdulià, paſcua ſemper inveniet, quibus per incrementa virtutum augeatur.*

Dices cum Vaſquez affirmante humanitatem Chriſti ſeorſum à Verbo conſideratam non poſſe ulla adoratione niſi indecenter adorari; Rex pluribus titulis regiâ dignitate inferioribus cohoneſtatus, non alio honore colitur, quàm eo quo Reges proſequi ſolemus: Ergo ſi humanitati Chriſti debeatur latriæ cultus, impertinenter ei redderetur duliæ adoratio.

Reſpondeo quod ſicut Chriſto nato varia obtulerunt Magi munera, aurum, thus, & myrrham, ita nos varios adorationum diſtinctarum actus ei ad abundantiam pietatis exhibere convenientiſſimum eſt, ut perfectiones ejus modò divinas, modò humanas, modò utraſq; ſimul pro guſtu ſaporis ſpiritalis contemplemur. Quod verò dicitur de Rege pluribus honorum titulis inſignito imprimis falſum eſt; diſtincto enim adorationis modo eum proſequimur in ſolio inſidentem, & in palatio domeſtico converſantem: alia iura, tributa, & vectigalia, aliaſque honoris ſignificationes exigit ut Dux Burgundiæ, v.g. & Comes Pruvinciæ; alia ut ſupremus totius Regni Monarcha. Denique latum eſt diſcrimen, quia homines vident ea quæ patêt; ideo Reges præcipuum ſibi debitum honorem exigere poſſunt ad ſuæ dignitatis ſecuritatem: at Deus ſcrutatur renes & corda, intimaſque reconditæ mentis cogitationes inſpicit, qui eſt intimo noſtro intimior; unde diverſos adorationis motus ex diverſa conſideratione ſequutos ſuſcipit in odorem ſuavitatis; placet enim ei oratio animæ aſtantis à dextris ſuis in veſtitu deaurato charitatis, circumdatæ varietate multiplicis virtutis.

Inſtabis: Quandocumque, & quomodocumque honoretur pars, honor ipſi delatus refunditur in totum, quia non exhibetur ei niſi ut eſt aliquid totius; v.g. qui manum honorat, ipſo facto, & in actu exercito totum hominem veneratur; ſicut qui infert injuriam parti, totum offendiſſe cenſetur: Ergo adoratio exhibita humanitati, quæ eſt pars totius Chriſti, reſilit in ipſum totum Chriſtum: Sed toti illi, qui Chriſtus eſt, nullatenus deferri debet, aut poteſt cultus duliæ, ſed latriæ duntaxat: Ergo cultus duliæ nulla de cauſa, nulla de conſideratione humanitati offerri poteſt.

Reſpondeo, quod licèt pars omnimodis incompleta, qualis eſt manus & pes, non ſit capax ullius venerationis; pars tamen quæ ſub alia conſideratione eſt ſimul totum, coli poteſt, ſi ratione præſcindatur à toto: humanitas autem Chriſti abſtracta per mentem à Verbo eſt quidem pars metaphyſica, quia totum metaphyſicum eſt ens conſtans ex natura totali & ſubſiſtentia; ſed tamen eſt ſimul totum phyſicum conſtans materia & forma unitis; proindeque hæc humanitas ſpecialiter coli, ſpecialiter amari poteſt & debet, cùm ut ſic eximiis donis & excellentus, tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus prædita ſit, ob quas ſine præjudicio majoris cultus minor deferri poteſt.

REFLEXIO.

Profundæ, quam Chriſto debemus, reverentiæ germana ſcaturigo eſt cogitatio Salvatoris. *Non tam ſæpe reſpirare, quàm Dei meminiſſe debemus*, inquit Gregorius Theologus orat. 1. *Cogitemus de Salvatore noſtro*, dictitabat S. Dominicus. Multis ſolo nomine Chriſtianis verè illud Joan. Baptiſtæ objici poteſt: *Medius veſtrùm ſtat, quem vos neſcitis.* Quia nemo ferè eſt, qui infinitam Chriſti dignitatem, inveſtigabiles divitias, theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos, plenitudinem Divinitatis corporaliter inhabitantem, incomparabilium dotum eminentiam recogitet eutde, ut in continua Chriſti adoratione pro virili permaneat. Si ſeriò perpenderemus omnia nus babera in Chriſto, perfectò cum Apoſtolo diceremus: *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Id eſt, ut exponit S. Thomas *ſuper cap. 2. Epiſt. ad Philipp.* quæcumque mundus eximia & præſtantia arbitratur, ita floccifacio, ut mihi pro magno diſpendio ſint ob eminens, ingenſque bonum, quod in Chriſti cognitione poſitum eſt. Quid enim melius eſſe, quid cogitari dulcius poteſt Verbo Incarnato, cui appropinquare, clareſcere eſt; quem timere, gaudere eſt; cui ſervire, regnare eſt. Quis tam hebes vel impius erit, ut in comparatione cogniti Salvatoris omnes orbis divitias, dignitates, voluptates ſtercora non arbitretur, ut ſancto, beatoq; commercio propter Chriſtum obtinendum fiat de paupertate dives, de patientia fortis, de humilitate ſublimis. O planè faſcinatas inſenſatorum hominum mentes, divitias bonitatis Dei in Chriſto non intelligentes, cæciſque illis non diſſimiles, qui pretioſam margaritam manu tenent, & ignoratione abjiciunt! Si, teſte Seneca, nihil fœdius, indignius nihil eſſe poteſt, *quàm comparare veneranda contemptis*; quid erit illa iſtis poſtponere, iſta illis anteferre?

Obverſetur ergo ſemper oculis cordis noſtri adoranda Chriſti dignitas, præponamus illam regnis & ſedibus, divitias nihil eſſe ducamus in comparatione illius, nec comparemus illi lapidem pretioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimemus argentum in conſpectu illius. Pleni erimus cognitione illius, in quo nihil indigetur; in eo ſecuri, in quo nihil metuitur; in eo verè ſemperque glorioſi, *cujus vera & ſempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur*, ait S. Fulgentius. Pulchrè Seneca: *Non poteſt in tanta Solis claritate ſcintilla habere momentum.* Latent ſydera ſplendente ſole, & omnia terrena quãtaquanta ſint, admota cognitionis Chriſti luce teneſcunt, emoriuntur, evaneſcunt. Si Moyſes fide grandis ipſum Chriſti improperium majores divitias exiſtimavit theſauro Ægyptiorum; profectò fide parvus, & ferè infidelis, quin & infideli deterior erit Chriſtianus, qui infinitas Chriſti divitias poſtponit caducis & perituris. Heu Chriſtiane, regni re-

ruinque oblite tuarum, quàm degener nimis animus tuus, quàm ſervilis mens tota tua eſt, quàm brutalis, quæ putido borrore fœtentia perquiris ſtereora, cui jugiter divinus in Chriſti contemplatione adjacet & & promittitur apparatus! Nunquid eſt idolorum ſervitus terrenis inhiare, Chriſtum non appetere, & vix onquam de eo eogitare? *Omnia amamus, omnia colimus* (inquit Jeremias Chriſtianus, Salvianum intelligo lib. 6. de Provident.) *Solus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt.*

Speculatio II.

Sacris Chriſti & Sanctorum imaginibus relativus cultus debetur, & religioſè exhibetur.

PRiuſquam hæc aſſertio Catholica cootra hæreticos modernos ſuadeatur, quædam ex ſacra tum veteris, tum novi Teſtamenti hiſtoria ſunt prælibanda. Sciendunt ergo primò, uſum Sacrarum imaginum non fuiſſe omninò prohibitum in veteri lege, ſed tantùm vetitū eſſe, ne imaginea adoratione latriæ tanquam Dei colerentur. Patet enim Exodi 25. Deom Moyſi præcepiſſe: *Duos Cherubin aureos, & productiles facies ex utraq. parte Oraculi: Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero.* Et Salomon 3. *Reg.* 6. divino afflatu & nutu in Templo non paucas Seraphinorum imagines eollocavit. Neque enim exiſtimandum eſt, uſum imaginum eſſe iure naturæ prohibitum, alias malè Deus hominem ad ſui imaginem condidiſſet; malè Pater æternus in Verbo æterno rationem imaginis ſui impreſſiſſet; malè etiam rerum imagines in aquis, oculis, ſpeculis aliiſque pellucidis eorporibus naturaliter pingerentur. Quorum duo priora blaſphema ſuna, poſteriora verò quia non videt abſurdisſima eſſe? Quare prohibita duntaxat fuit adorario abſoluta latriæ imaginis, vel relativa imaginis alicujus rei creatæ. Vnde ſignaoter Exod. 22. poſt vetitum ſculptilis aut ſimilitudinis uſum, ſubditur: *Non adorabis ea, neque coles: ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis & zelotes.* Idem exprimitur *Levit.* 26. Et ſubtiliter advertit Cajetanus, Divinum Legiſlatorem non dixiſſe abſolutè, *non facies ſculptile*; ſed, *non facies tibi ſculptile*, id eſt ad indulgendum tuæ ſuperſtitiooi propenſæ idolorum cultui. Unde etiam boc præcepto nullatenus prohibitua fuit duliæ cultus Sanctorum hominum, aot Angelorum imaginibus debitus; cùm etiam *Pſalm.* 98. dicatur: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt*: id eſt, Arcam, ſecundum Expoſitores litterales.

Sciendum ſeeuodò, primos imaginum inimicos, & Ieonoclaſtarum omnium anteſignanos fuiſſe Judæos, qui nec ipſas Imperatorum effigies aut ſtatuas pati poterant, nefas arbitrantes imaginea, aut vultus, aut cujuslibet animalis eognomine ſimulachrū haberi. Nec dubitabant pro ea patriæ legis obſervatione Rabinorum multorum aſſenſu & veluti traditione firmata vitam profundere, unde execrandarum imaginum conſpirationē ab eis Marcioniſtæ, Manichæi, Iconomachi, ipſi etiam Turcæ derivarunt, quos poſtea Albigeoſes, Wicleſiſtæ, Lutherani, Zuingliani, Calviniani, aliique filii iniquitatis ſequuti ſunt.

Sciendū tertiò, vehementiorem contra ſacras imaginea tempeſtatem excitatam fuiſſe ab Imperatore Leone Iſaurico, qui ſpirans minarum & eædis, eas ex templis aliiſque locis deturbavit, fideleſque ſibi, ut par erat, reſiſtentes, aut non obtēperantea crudelisſimè infeſtavit: Sanctisſimum Germanum è ſede Patriarchali & urbe Regia ejecit, Anaſtaſio Iconomacho ei ſubrogato: Egregii Doctoris Joannis Damaſceni piarum imaginum ſtreoui defenſoris, dexteram manum à Principe Damaſci amputari fecit; ſed præciſam Dei Genitrix ingenti miraculo reſtituit. Graſſantem in dies furentis Leonis rabiem & impietatem eohibere ſategit Gregorius ſecundus tunc Eccleſiæ clavo aſtans, ſed fruſtra. Verùm quem Eccleſiæ fulmioa deterrere noo potuerunt, ultio divina vindicans vindicavit; nam alliſâ ad Adriaticum littus monitiſſima claſſe in Vicarium Chriſti armata, Regiæque orbis mœniis oon ſine horrendis terræ motibus ſolo adæquatis, infernalem animam diris torminibus actus exhalavit.

Sciendum quartò, Leoni ſucceſſiſſe filium nibilo meliorem, cognomento Conſtantinum Copronymum, ſie dictum ab emiſſorum excremētorum profluvio, quo dum baptizaretur ſacruoi fontem deturpavit, malo omine, ut prædixit S. Germanus præfatus ſignificabatur enim ejus impietate, flagitiis, cacodæmoou convictu, & Eccleſiæ Catholicæ perſequutionibus orbem Chriſtianum inquioatum iri. Ejus erudelitatibus exaſperati populi exauthorare illum conaotur, eique Artabaſdum Curopalatem ſufficere tentant, ſed in caſſum; nam urbem regiam terra marique obſeſſam ad deditionem compulit Conſtantinus, quam plurimos cives excarnificatos interemit, eæteros fortunis omnibus esſpoliavit eum urbis totius eooſternatione. Seoatores namque graviſſimos, & juxtà oobiliſſimos, ob ſervatas vel occultatas ſaeras imagines duriſſimorum nervorum ictibus in medio fori verberari juſſit uſqoe ad internecionem. Mooaſteria militibus ſuæ ſævitiæ miniſtris diſtribuit, eorum prædia & facultatibus fiſco addictis. Monachos autem & Sanctimoniales opprobriis, cōtumeliis, raptatiooibus, & ludibriis inhonoravit, & ad extremam paupertatem redegit. Porrò Anaſtaſio mortuo, quendam Conſtantinum Monachum Pſeudopatriarcham inſtituit, qoi Imperatoris ſatellitio ſtipatus omnes ædes ſcrutabatur, ſacraſq; tabellas abripiens abradebat, dejiciebat, flammis tradebat. Sed eùm ſecretum Imperatoria Chriſti Divinitatem impugnare molientis revelaſſet, poſt ignominoſam per urbis compita flagellationem, in ſordidiſſimo loeo juſſus eſt jugulari. Ipſe verò deteſtandus tyrannus pedum tumore, eorporiſque æſtu exardens, ioextinguibili flamma ſe ob violatum Deiparæ cultum aduri ululabat, & miſericordiam ſeeleſtus poſtolabat, quam oon erat impetraturus.

Sciendum quintò, Copronymo ſueceſſiſſe Leonem filium, fictum initio Catholicum, ſed ſtabilito regno apertum hæreſis profeſſorem. Sed brevi extinctus eſt, quia cùm eoronam earbunculis pretioſiſſimis decoratam è Baſilica majori detractam ſuo capiti ſacrilegè impoſuiſſet, profluxerunt & veluti formicarunt ex ſuperbiſſimo eapite peſtiferi venenatiq; carbunculi, è quorum putredine & tabo ingenerata febris vitam cum morte commutavit. Hujus hæres fuit Conſtantinus puerulus decennis ſub gubernaculis piiſſimæ Imperatrieis Irene, cui nihil Religione Catholica antiquius erat. Curavit ergo non obſtantibus incredibilibus Iconomachorum tumultibus, ut Civitas multiplici anathemate perculſa ad antiquam eommunionem reduceretur, eiq; Orthodoxus Patriarcha Taraſius præficeretur, quo agēte & urgeote, Synodus Oecumenica ab Antiſtite Romano indiceretur. Hæc ſuaviſſima nova lætisſimus audivit Adrianus Papa, qui Nicænam Bithyniæ Metropolin primo Cooeilio generali pridem inſignem elegit, ad quam Legatos ſuo nomine Præſidentes futuros de more tranſmiſit. In hoc venerando conſeſſu trecentis quinquaginta Epiſcopis, plurimiſque ſelectiſſimis Monachis & Archimaodritis conſtanti, anno ſalutis 787. Iconoclaſtarum impietas proſcripta eſt, ſacrarū imaginom religioſa veneratio aſſerta

tan-

tanquam Apoſtolica traditio, à primitiva Eccleſia non interruptâ ſerie derivata, miraculis illuſtrata, ad piam Servatoris Sanctorumque memoriam & imitationem excitandam idonea. Quibus catholicè conſtitutis, Redemptoris imago in medium prolata eſt, & procumbentibus Patribus adorata. Conciliabulū Copronymi juſſu aliàs coactum unanimi conſenſu damnatum, vanæ ejus rationes convulſæ, ac declaratum teſtimonia Scripturarum, quibus idola gentium redarguuntur, nihil Eccleſiæ ritibus adverſari. Ex hac brevi illius hæreſis narratione confutata manet Iconomachia; ſed majoris claritatis & ubertatis ergò.

Probatur ſpeculatio. Vſus Sacrarum imaginum, qualis in Eccleſia Catholica frequentatur, eſt licitus, honeſtus, & utilis. Licitus quidem, tum jure naturæ, quæ rationem imaginis in ſuis operibus delineare non ceſſat, ut antea ponderavimus. Tum jure poſitivo veteris Teſtamenti, in quo Deus duos Cherubinos aureos efformari Moyſi imperavit. Tum jure novi Teſtamenti; Chriſtus enim ejus Legiſlator propriæ faciei imaginem tribus linteis impreſſit, quorum primum Abagaro Regi Edeſſæ miſſum teſtantur Nicephorus, Evagrius, Damaſcenus, & ſecunda Synodus Nicæna *act.* 5. Secundum S. Veronicæ traditum eſt, & Romæ in Eccleſia S. Petri hebdomadâ ſanctâ aſpectabilis proponitur. Tertium Taurini ſervatur, in quo totius Chriſti mortui corpus plagis confixum expreſſum eſt, dum in triduo mortis ea ſacra ſyndone fuit involutum. Negabunt hæc fortè hæretici, ſed exiſtere ſolem negarent etiam veſpertiliones, ſi loqui poſſent. Tum jure Apoſtolico; nam S. Lucas inſignis pictor imaginem Chriſti & Beatiſſimæ Virginis graphicè figuravit, & ſublitis egregiis colorum pigmentis illuſtravit. Celebris eſt etiam Servatoris imago, cujus meminit ſeptima Synodus *act.* 4. quæ à Nicodemo depicta, Gamalieli, & poſtea Apoſtolo Jacobo relicta, imminente Jeroſolymorum excidio in Syriam tranſlata eſt, atque in Civitate Beritana in finibus Tyri & Sidonis ſita, à Judæis capta, ſputis ſordidata, colaphis cæſa, conviciis maledicta, manibus pedibuſque clavis perforata, ſpongia aceto plena potata, capite percuſſa, è latere lanceâ transfixo tantam ſacri cruoris & aquæ copiam effudit, ut ſuppoſitam hydriam impleverit. Tum denique jure Eccleſiaſtico, Eccleſia enim ſub cœlo tota ſacrarum imaginum uſum ab Apoſtolis acceptum, quaſi per manus traditum, ad nos uſque perduxit, & tanquam morem ore tenus à Chriſto vel Spiritu Sancto dictatum, & continua ſucceſſione, cujus nullum initium invenitur, in Eccleſia Catholica conſervatum pari pietatis affectu & reverentia ſuſcepit ac venerata eſt. Patrum & aliorum Orthodoxorum hunc ritum probantium numerum brevitatis gratiâ non refero, quia ſelectiora veterum Sanctorum teſtimonia ſeptima Synodus commemoravit. Miracula quoque quibus Deus uſum illum illuſtravit, quæ eadem Synodus œcumenica recenſet, miſſa facio, ſicut & ſplendidiſſima, totique mundo notiſſima B. Dominici de Soriano imaginis prodigia, ut ad rationem tranſeamus.

Honeſtus eſt etiam uſus ſacrarum imaginum; quid enim decentius quàm veterum præſertim Sanctorum reſervari inſignia ad poſterorum memoriam, ut noſtri erga eos honoris & amoris ſignificationem qualemcunque præbeamus. Inſpirat ſanè rationis naturalis omnibus implantatum dictamen, lumenque illud divini vultus ſignatum ſuper nos, ut virtutem omnibus quibus poſſumus modis pro virili certatim decoremus. Et quia abſentium, vel mortuorum præclaras res geſtas non aliter honorare licet, quàm ſi in debitæ reverentiæ ſignum erigantur ſtatuæ, pingantorque imagines in æternæ obſervantiæ monumentum; ideo non ſuperſtitione, ſed ratione naturali ſuadente, Gentes omnes illud illuſtrium virorum excellentiæ teſtimonium comprobarunt. Etenim verò ſi egregias animi dotes ſcribere, & Heroum virtutum picturam ducere, ſcriptiſque poſteritati commendare licet, quibus totius vitæ imago repræſentatur, quidni ſpirantis vultus majeſtatem, formæ ſpeciem, colorum ſuavitatem, corporis ſtaturam delineare decens erit, & honeſtum? Debemus profectò, debemus gloriæ Chriſti & Sanctorum hujuſmodi amoris & reverentiæ pignus, nec illud poſſumus citra ingratitudinis notam prætterire. Hinc Magnus Gregor. *epiſt.* 53. *ad Secundinum*, ait imaginem ad eum mittere Salvatoris, quò in amore ejus exardeſceret.

Denique perutilis eſt ſacrarum imaginum uſus. Illis enim inerudita plebs compendio myſteria ſalutis, & Sanctorum imitanda geſta docetur; quia, ut Gregorius laudatus tradit, quod legentibus Scriptura, hoc præſtat idiotis pictura cernentibus: in ipſa ignorantes vident quid ſequi debeant: in ipſa legunt, qui litteras neſciunt; *Gentibus pro lectione pictura eſt.* Hinc in memoria præteritorum beneficiorum recordatio excitatur, virtutum conſideratio & admiratio in intellectu concipitur, fervor, imitandiq; propoſitum in voluntate accenditur. Ad hos enim internos ſpiritûs motus ciendos ſacras picturas Eccleſia proponit, optat enim filios ſuos eſſe veros adoratores, Patrem in Spiritu & veritate, id eſt cum fervore ſpiritus & rectitudine intentionis adorantes, orantes ſpiritu, orantes & mente, ac Pſallentes in cordibus ſuis. Quia lex nova *lex Spiritus* ab Apoſtolo nominatur; unaquæque enim res illud meritò dicitur, quod in ea potiſſimum invenitur. *Id autem quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, & in quo tota virtus ejus conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti; & ideo principaliter lex nova eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus*, inquit S. Thomas. Ad pietatem verò modo humano obtinendam ſacræ ceremoniæ, piarumque imaginum uſus diſponit & manuducit, quatenus ex his quæ oculus videt, ſurgit animus ad incognita quæ non novit; viſibilibus imaginibus ſe ad inviſibilia rapit, & per ea quæ uſu didicit, quaſi confricatus incaleſcit, ut per hoc quod ſit notum diligere, diſcat & incognita amare, ut verbis Gregorii utar.

Ex his argumenta hæreticorum præoccupata ſunt, & confutata manent, confutari tamen uberiùs poſſunt, ſi præ oculis ſemper habeas duplicem eſſe adorationem, abſolutam & relativam. Prima exhibetur propter excellentiam inexiſtentem ei qui adoratur, & propter ſe colitur. Secunda eſt cultus alicui rei relatus propter excellentiam alteri inexiſtentem, ad quam ſpecialem importat ordinem & habitudinem: Imagines autem non abſoluto, ſed reſpectivo cultu veneratur Eccleſia propter prototypum, quem repræſentant, & cum quo moralem habent unionem & conjunctionem. Sicut enim media, quà formaliſſimè media ſunt, juxta probabiliſſimam ſententiam, nullâ propriâ & internâ bonitate gaudent, ſed ſolùs finis ratione & bonitate amantur, v. g. amputatio membri, ſectio venæ, cauterii aduſtio nihil in ſe boni habent, quo amentur; tamen propter ſalutem totius periclitantis amantur, eligitque infirmus, ut corpus redimat, ferrum & ignes pati. Eodem planè modo imagines cultu religioſo aut civili proſequimur propter prototypi præſtantiâ, aut dignitatem, vel ſanctitatem, à qua veluti ab extrinſeca forma quadantenus induuntur & afficiuntur, dignæque fiunt quas colamus. Hanc doctrinam ſi attenderent vel perciperent impii Magdeburgenſes, & impuriſſimi Puritani, impudoratè non

comminiſcerentur, Eccleſiam Romanam imagines adorare tanqoam Deos, ut eam idololatriæ per ſummam ignorantiam & majorem impudentiam inſimulent. Certè ſi veritati apertè notæ renunciare non profiterentur, utique non aliter nos adorare confingerent, quàm nos imagines colere intendimus & proteſtamur. Audiant ergo filii iniquitatis has Concilii Tridentini Eccleſiæ Romanæ ſenſum limpidiſſimè exprimentis voces ſeſſ. 25. *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus propter quam ſint colenda, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Per modum objectionum variæ appendites difficultates explanantur.

Objicies 1. Concilium Francofordienſe, & libri Carolini à Carolo magno editi uſum imaginum reprobant. Concilium quoque Eliberinum *cap. 36.* ait: *Placuit in Templis picturas eſſe non debere, ne quando quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Sanct⁹ etiam Epiphanius *epiſt. ad Joannem Epiſc. Jeroſolym.* ait, ſe imaginem in quadam Eccleſia pendentem ſcidiſſe; Ergo uſus imaginum etiam in templis appenſarum non eſt tolerandus.

Reſpondeo Syoodum Provincialem, aut nationalem Francofordii celebratam, quatenus hæreſim Felicis & Elipandi filiationem Chriſti naturalem negantium proſcripſit, probari; quatenus verò ſeptimã & œcumenicam Nicæoam Synodum circa imaginum cultum damnare præſumpſit, omni carere authoritate. Etenim Patres Francofordienſes in multiplices facti errores prolapſi ſunt. Teſtantur enim ſe rejicere Synodum Græcorum, *Conſtantinopoli in Bithynia celebratam ſine conſenſu Romani Pontificis.* Sed Coſmographi minimè mali Conſtantinopolim cum Nicæa confuderunt, Bithyniam cum Thracia; hujus enim, & non illius urbs eſt Conſtantinopolis. Falsò etiam obtendunt, Synodum illam non fuiſſe à Romano Antiſtite approbatam; eam enim Adrianus Papa indixit, præſidentibus Legatis celebravit, & confirmavit. Decipiuntur etiam dum narrant, Nicænam Synodum conſtituiſſe, ut imagines eodem cum Deo cultu colerentur: patet enim ex actione 1. 4. & 7. imagines eſſe venerandas, modò ne latriæ cultu ſoli Deo debito adorentur, quod intelligunt de cultu abſoluto, qualem idolis deferebant Gentes Divinum aliquod numen in illis reſidere exiſtimantes; nam cæteroquin reſpectivus cultus pro exemplarium dignitate, vel latriæ, vel duliæ, vel hyperduliæ deferri poteſt.

Ad libros Carolinos, qui anno 1549. primùm in lucem prodierunt, cùm eſſent antea ignoti, dicendum libros illos ab Iconoclaſta aliquo fuiſſe compoſitos, & à Carolo ad Adrianum miſſos Apoſtolico anathemate feriendos: unde extat Adriani Papæ ad Carolum opus, quo libri illi dicti Carolini ſacras imagines oppugnantes nervosè & accuratè confutantur. Accedit libros illos abſque ulla live loci, ſive typographi nota cuſos barbariem ubique inſonare ab eleganti Caroli ſtylo penitus alienam, multiſque ſcatere apertiſſimis falſitatibus Imperatore illo clariſſimo, & Romanæ Eccleſiæ addictiſſimo prorſus indignis.

Ad canonem 36. Concilii Eliberini dicendum, canonem illum perperam ab Hæreticis objectari; favet enim canon ille ſacris imaginibus, quas ideo parietibus appingi prohibet, ne gentium ludibrio exponerentur; tunc temporis enim in Chriſtianos deſæviebat Paganorum furor, cui ut occurreret Sacra Synodus, voluit ſolùm imagines in Eccleſiis appendi, aut ſuper altaria mobiles collocari, ut irruente perſecutionis procellâ ſubduci, & aliò transferri commodè poſſent. Quâ etiam causâ olim Theodoſius & Valentinianus Imperatores ſignum crucis in ſilice humi inſculpi prohibuerunt, ne incedentium conculcatione victoriæ trophæum conſpueretur, aut injuriâ afficeretur. Suſpicatur tamen Cardinalis Baronius, canonem illum ab Iconoclaſtis ſuppoſitum & adjectum fuiſſe; quia in antiquis canonum Compilatoribus illum non inveniri teſtatur, & nemo veterum Iconomachorum; qui undecumque conquiſita contra ſacras imagines argumenta totâ accuratione collegerant, nunquam tamen Eliberini canonis meminerunt.

Denique ad S. Epiphanium dicendum meritò ipſum imaginem illam pendentem proſcidiſſe, quia erat prophani hominis ducta pictura; ſicut in ſimili S. Martinus corpus cujuſdam pro criminibus ſuſpenſi, & Martyris loco à vulgo habiti, deturbari & ejici de ſacro altari curavit. Addunt quam plures, illud Epiphanii epiſtolæ addimentum fuiſſe ab Iconoclaſta aliquo confictum & intruſum: tum quia nullam habet narratio illa cum epiſtola connexionem. Tum quia verba illa Epiphanii in ſuæ hæreſis confirmationem Iconomachi in Nicæno Concilio minimè protulerunt, ſicut alia ejuſdem Epiphanii verba ex epiſtola ficta ad Theodoſium produxerunt, quæ mendacii revicta ſunt; unde tanquam ſuppoſititia, & adulterina rejicienda ſunt. Tum quia Epiphanius ſemper in communione Baſilii & Gregorii Nyſſeni vixit, qui contra Iconomachiam acerrimè dimicarunt.

Objicies ſecundò: Eccleſia Romana pingit imagines Dei & Angelorum: Sed tales imagines ſunt illicitæ: Ergo uſus imaginum in Eccleſia Romana receptus eſt reprobandus. Probatur minor. Tum ex Scriptura, Deut. 4. *Memento quod Dominus locutus ſit tibi in monte Oreb, vocem verborum ejus audiſti, imaginem nullam vidiſti: obſerva ergo teipſum, ne forte deceptus facias tibi ullam ſimilitudinem,* Iſaiæ 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Act. 17. *Genus ergo cum ſimus Dei, non eſt æſtimandum auro, vel argento, aut lapidi artis, ſculpturæ, & cogitationi hominum Divinum eſſe ſimile.* Tum ex multis Patribus Gentiles non ſemel irridentibus, quod Deos in materia viliſſima figuratos, hominum & animantium veſtibus induerent. *quaſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur,* ut ait S. Auguſt. *lib. 6. de Civit. cap. 10.* Tum ratione, quia ſpiritualia, quales ſunt Angeli, & maximè Deus puriſſimus ſpiritus, corporare & falſum, & abſurdum eſt: omnis autem religioſus cultus veritate & decore conſtare debet.

Reſpondeo, Deum unum & trinum poſſe triplici de cauſa depingi; primò, ut ejus natura oculis viſibilis exhibeatur, & hoc ſummæ inſipientiæ, ſummæ eſſet argumentum impietatis: inviſibilis enim Deus nec depingi, nec figurari ſe permittit. Secundo depingi poteſt Deus ſub illis figurarum ſpeciebus, quib⁹ Deus ipſe apparere dignat⁹ eſt, ut cùm Adamo & Evæ in ſpecie hominis per Paradiſum ambulantia loquutus eſt: cùm tres viri in convalle Mambre Abrahamo apparuerunt, cùm Dominus in flamma ignis de medio rubi Moyſi, & populo per diē in columna nubis, & per noctem in columna ignis viſus eſt: cùm Spiritus ſanctus ſicut columba in Chriſtum deſcendit, vel per modum diſpertitarum linguarum tanquam ignis ſedit ſupra ſingulos Apoſtolos

& Pa-

Digitized by Google

& Pater Æternus Danieli viſus eſt adinſtar antiqui dierum, cujus veſtimentum candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda. Tertiò poſſunt depingi ſpiritualia per analogiam ad res creatas nobis notas, quia per modum rerum corporearum ea in hoc mundo cognoſcimus; v. g. cùm Angelum ſub ſpecie elegantiſſimi juvenis, aligeri, diademate redimiti, armis inſtructi, & totius pulchritudinis pigmentis decorati repræſentamus, ut hac præclara corporeorum ornamentorum pompa præcellentes eorum dotes, ingenii præſtantiam, virtutum apparatum, amabilitatis ſuavitatem, motus celerrimi pernicitatem, virium fortitudinem invictam, ævi immobilem firmitatem, gratiæ theſauros, & gloriæ radios penè infinitos veluti carbone deſignamus. Quibus perſpectis lineamentis idiotæ in eorum cognitionem & amorem ſenſim aſſurgunt; docti verò in metaphoricæ ſimilitudinis amœniſſima contemplatione deliciantur.

Et hoc ſecundo & tertio modo imagines pingi ad populi eruditionem, templorum decorem, & fidelium devotionem honeſtum & utile eſſe probat Eccleſiæ uſus ſempiternus, à nullo Sancto reprobatus, à ſolis hæreticis & quibuſdam moroſis rejectus. Certè ſi Deus ipſe ſæpè ſæpiùs ſub ſpecie corporea aſpectabilem ſe præbuit; ſi Angeli aſſumptis corporibus crebrò apparere dignati ſunt; ſi ipſæ ſacræ paginæ Spiritu ſancto dictante exaratæ divinas perfectiones ſub membrorum corporeorum velaminibus deſcribunt, ut à nobis ſuaviter intelligantur; ſi illi attribuunt oculos videntes æquitatem, aures intendentes in vocem orationis noſtræ, humeros portantes nos, brachium potens, digitos operantes, viſcera miſericordiæ, cor eructans verbum bonum, aliaque; quidni Eccleſia penicillo poterit exarare, quæ Scriptores canonici calamo, chartis & membranis commiſerunt, eo cum moderamine & admonitione, quod corporea illa pictura Dei perfectiones abſolutas, vel relativas adumbrans ſecundùm metaphoram duntaxat eſt intelligenda.

In locis autem adductis prohibetur, ne fiat ſculptura, aut ſimilitudo ad adorandum cultu latriæ abſoluto, eo modo quo gentes divinitatem aliquam in ſimulachris latitare exiſtimatam adorabant, qua de cauſa talem cultum irrident Patres, & nos dum de unitate Dei, pluribus irriſimus. Quid enim magis ridiculum eſſe poterat, quâm idola ex metallo conflata, & fuſilia pro Diis habere, & appellare Deos ſuos, & confidere in illis, eis immolare, ut invenirent cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus levamentum? *Sacrilegii enim vel maximi inſtar eſt* [inquit Minutius Felix in Octav.] *humi quærere, quod in ſublimi debeas invenire.* Et tamen hujuſmodi figmentis corrumpebantur ingenia puerorum, in his fabulis ad uſque virilis ætatis robur adoleſcebant pueri, & in iiſdem opinionibus miſeri conſeneſcebant. Errori tam nefario materiam miniſtrabat malitia dæmonum, qui ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinebant perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis religionibus à Deo ſegregare. Hujuſmodi igitur impuri ſpiritus ſubſtatuis & imaginibus conſecrati deliteſcebant, & veriſimilium oraculorum afflatu auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequebantur; quia præſtigiis inſpirabant vates, immolatorum corporum fibras animabant, avium volatus gubernabant, regebant ſortes, verba reddebant falſis, & amphibologiis pluribus involuta; quin etiam irrepentes occultè corporibus morbos fingebant, membra diſtorquebant, ut ad cultum ſui homines cogerent.

Errabant inſuper vehementer Gentiles, quia creaturas de humano arbitratu in Deos erigentes, nequiſſimos homines pro Diis habebant, quorum ſimulachra adorabant. *Ægyptii* [inquit laudatus Minutius] *hominem ſibi quem colant eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt. Et ille, qui cæteris Deus, ſibi certè homo eſt, velit nolit; nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam. Etiam principibus & Regibus, non ut magnis & electis viris, ſicut fas eſt, ſed ut Diis turpiter adulatio falſa blanditur, cùm & præclaro viro honor veriùs, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines ſupplicant, genium id eſt dæmonem ejus implorant.* Quam miſeriam ſic paucis deplorat: *Næ ille miſerabilis, cujus in homine mortali ſpes omnis innititur; totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur.* Adorabant autem viros ſceleroſos, eorumque imaginibus procumbebant; quia, ut aliàs diximus, patronum ſceleribus ſuis deſiderabant Deum, ut alacriùs peccarent, & dulciùs.

Ex quibus ſequitur, manifeſtam eſſe modernorum hæreticorum calumniam, Eccleſiam Romanam idololatriæ ineptiſſimè inſimulantium; idololatria enim eſt ſuperſtitio, quâ cultus vero Deo debitus creaturæ exhibetur, quando vel in actu ſignato per actum explicitum proteſtatur quis creaturam, quam honorat, eſſe ſuæ creationis principium, & beatitudinis finem, vel in actu exercito per actum implicitum talem creaturæ honorem defert, qui ſoli Deo exhiberi conſuevit: idololatria enim Dei honorificentiam uſurpat, ut eam vendicet creaturæ, dum vota, preces, & ſacrificia, quæ uni Deo debentur, idolis impendit. Catholici autem nec divinitatem imaginibus aſſerunt, nec eis litant, aut vota reddunt, ſed ſolum cultum relativum ad prototypum pertingentem impendunt.

Dices; Rationibus noſtris probatur quidem utilem eſſe, & honeſtum piarum imaginum uſum, ſed minimè ſuadetur aliquem eis cultum eſſe impendendum. Cur enim rebus inſenſibilibus reverentia ſolis creaturis intellectualibus debita exhibebitur?

Reſpondeo honorem relativum, quem ſacris imaginibus impertimur, in ipſum prototypum refundi; ſicut enim reus, dum in tabella ſupplicium ejus effingitur, in morali æſtimatione inhonoratur, ſic vir illuſtris in ſuis imaginibus honoratur. Cùm enim imagines per ſe primò ſint ad repræſentandum inſtitutæ, in earum cultu eſſentialiter colitur exemplar, ad quod neceſſariò referuntur. Certè ſi arca & propitiatorium cultu digna erant, quia erant ſcabellum pedum Domini; ſi ſolvere calceamentum de pedibus Moyſi præcipiebatur, quia locus in quo ſtabat, terra ſancta erat; ſi dies prima erat ſancta atque ſolemnis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis, quia divino erant cultui conſecratæ; cur imagines Chriſto ſacras relativa veneratione proſequi vetitum erit, cùm teſte S. Baſilio: *Quicumque venerantur imagines, ipſum nimirum venerentur exemplar.* Quia nimirum motus adorationis imaginis uſque adeò in exemplar tranſit, ut nec per ullam quantumlibet ſubtilem intellectus præciſionem imago ab exemplari ſeparari poſſit, non ſolùm quia imago non poteſt niſi propter exemplar adorari, ſed etiam quia qui imaginem colit, in ea & per eam veneratur exemplar tanquam materiam proximam adorationis: motus quippe qui eſt in imaginem, quatenus imago eſt, unus & idem eſt cum eo animæ motu, qui eſt in rem, ut profundè ratiocinatur S. Th.

Catholici autem, dum imagines venerantur, non moventur in imaginem, ut res quædam eſt ex auro vel ligno conflata, figura, colore, aliiſque artis ornamentis decorata; ſed ut imago eſt, quatenus nimirum ducit ad exemplar, veluti ad unum totalem & forma-

lem terminum, cujus excellentia amatur, colitur, adoratur. Qua de cauſa non incongruè quidam Theologi poſt Ferrarienſem affirmant, ſoli Chriſto deberi latriam per ſe primò, imagini verò propter aliud, id eſt propter exemplar quod repræſentat. Quo ſenſu nonnulli etiam Patres docent imaginem inferiori adoratione coli ea quæ Chriſto defertur; quia nimirum imago non per ſe, aut propter ſe primò adoratur, ſed duntaxat ſecũdariò propter exemplat, cui præcipuè reverentia exhibetur. Unde ſubtiliter, & ſolidè advertit Caietan⁹, in adoratione imaginem & exemplar habere rationem ejuſdem objecti, quod eſt unum unitate ſpecifica in ratione terminãdi motum adorationis, quatẽus eadem perſona repræſentata terminat actum adorationia, tam in ſeipſa, quàm in ſua imagine; adeo ut unâ non ſolùm ſpecie, ſed etiam numero adoratione ſimul adoretut imago, & exemplar; quia imago ut imago eſt, nec eſſe, nec concipi poteſt abſque prototypo in ea repræſentato.

Quorum omnium profundiſſima radix eſt, quia eadem numero res poteſt exiſtere & in eſſe entitativo & naturali intra ſe; & in eſſe repræſentativo, ac intelligibili in aliqua ſpecie, ſeu imagine, quæ ideo ab exemplari, ut à cauſa formali & exemplari pendet. Hinc fit, imaginem ut imago eſt, non diſtingui ab exemplari abſolutè ſumpto, niſi penea diverſum eſſendi modum, eo ferè modo, quo in frequenti Philoſophorum doctrina ſpecies intelligibilis eſt ipſummet objectum in eſſe intelligibili. Imago quippe reduplicativè quà imago, idem eſt quod exemplat in eſſe repræſentativo; licèt imago, ut res eſt, addat materiam, figuram, & variorum lineamenta colorum. Unde in ſeptima Synodo, *act.* 4. dicitur: *Hoc ſanè rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus ad ipſum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia. ::: Non enim quis in foro regiam imaginem diligentius intuens, Regemque illam dicens, duos Reges fatetur, nimirum ipſam imaginem, & eum cujus eſt imago. Neque ſi quis in tabula pictum indicaverit, dixeritque, Ecce Regem, ob id primum & verum exemplar, ipſum ſcilicet Regem, appellatione privavit. Profectò videtur magis honorem Regis per ejuſmodi confeſſionem ſtabiliviſſe. ::: Divinus Pater Baſilius, veluti lampas & Doctor Eccleſiæ, Chriſti honorem imaginum ad ipſum exemplar primum redire teſtatus eſt. Unde & B. Pater indicavit non eſſe duas adorationes, ſed unam ipſius imaginis, & primi exemplaris, cujus eſt imago.* Vides noſtram doctrinam à ſacro Concilio limpidiſſimè derivatam.

Inſtabis: Ex noſtra ſententia ſequeretur, imagines Chriſti eſſe adorandas latriâ, cùm ſit idem adorationis motus in imaginem, & in rem cujus eſt imago: conſequens eſt contra ſeptimæ Synodi conſtitutionem, *act.* 7. decernentem imaginibus exhiberi *ſalutationem, & honorariam adorationem, non ſecundùm fidem noſtram veram latriam, quæ ſoli naturæ divinæ competit, ſed quemadmodum typo venerandæ & vivificæ Crucis, & ſanctis Evangeliis, & reliquis ſacris oblationibus, holocauſta ſuffituum & luminarium reverenter accendimus.* Ergo.

Reſpondeo ſacrum Concilium removere ſolùm adorationem, quæ primò, per ſe, & propter ſe exhiberetur, cùm nulla imaginibus Divinitas, nulla interna ſanctitas, aut virtus inſit, quæ adoretur. Cæterùm cultum reſpectivum in prototypum refuſum non negat, ſed expreſſiſſimè affirmat Sacra Synodus. Et quia latria ſimpliciter dicta exhibetur primò & per ſe, & ſine ordine ad aliud; ideo veridicè dixit Concilium, latriam ſoli Deo competere. Latria enim perfectiſſima eſt ſummus cultus Deo ut primo rerum omnium principio & ultimo fini debitus: implicat verò exhiberi cultum primo principio, & ultimo fini propter aliud, ultimum enim finem ad alium ordinari repugnat. Imaginibus verò exhibetur reverentia propter aliud, ſcilicet exemplar. Unde non ſequitur, creaturam æquè coli ac Deum, qui ſolus per ſe, & propter ſe adoratur. Maximè quia imago Chriſti non colitur, niſi prout in ſe continet Chriſtum, cum quo non ponit in numero. Res enim inanimatæ nullius cultus capaces ſunt, niſi quatenus aliquo pacto cum creatura intellectuali conjunctæ ſunt.

Objicies tertiò: In ſacrarum imaginum uſu multi permiſcentur abuſus, falſi cultus, errorum & idololatriæ occaſio, obſcœnarum nuditatum repræſentatio: Ergo uſus imaginum eſt de medio tollendus.

Reſpondeo, nihil eſſe tam ſacrum, quod non poſſit eſſe materia ſacrilegii. Verùm emolumenta ex ſacrarum imaginum uſu conſequuta cum infinito fœnore abuſus ex malitia vel infirmitate hominum ortos compenſant. Quia ut ait Tridentinum, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis picturis vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiitur & confirmatur populus in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis: nec ſolùm admonetur beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam quia Sanctorum miracula & exempla oculis fidelium ſubjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum & diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Porrò eadem S. Synodus probè ſciens nonnullos hominum incuriâ, & antiqui hoſtis nequitiâ irrepſiſſe abuſus, eos aboleri vehementer peroptans, ſic ait: *Sancta Synodus vehementer cupit, ut nulla falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Omnis porrò ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihil inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo.*

Certè nihil hac ſacra Tridentini conſtitutione ſanctius, prudẽtius, & moderatius eſſe poteſt. Et planè optandum foret, ut tam ſalutaria documenta præ oculis haberent, qui tot vana, & ſæculi genium ac mores ſpirantia ſacris picturis admiſcent, quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum; quia ſolent magis homines mirari pulchra, quàm venerari ſacra. Id præcipuè in Monachorum templis ægrè ferebat D. Bernardus, & ſanè noſtri ſæculi quamplurimis ſacris ædibus competit, quod S. Pater quibuſdam ſui ævi Monachis in aurea ad Guillelmum Abbatem apologia exprobrabat his verbis: *Dicite pauperes, ſi tamen pauperes, in Sancto quid facit aurum? Et quidem alia cauſa eſt Epiſcoporum, alia Monachorũ: ſcimus namq; quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cùm ſint, carnalis populi devotionem, quia ſpiritualibus nõ poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos verò qui jam de populo exivimus, qui mundi quæq; pretioſa ac ſpecioſa pro Chriſto reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, canorè mulcentia, ſuaveolentia, dulce ſapientia, tactu placentia, cuncta demq; oblectamenta corporea arbitrati ſumus ut ſtercora, ut Chriſtũ lucrifaciamus, quorum quæſo in his devotionẽ excitare intendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus, ſtultorum admirationem, an ſimpliciũ oblectationem? Quid putas in his omnibus quæritur? Pœnitẽtium compunctio, an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum, ſed non vanior quàm inſanior! Fulget Eccleſia*

cleſia in parietibus, & in pauperibus eget! Suos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitu: inveniunt curioſi, quo delectentur; & non inveniũt miſeri, quo ſuſtententur. Ad quid ſaltem Sanctorum imagines non reveremur, quibus utiq; ipſum, quod pedibus conculcatur, ſcatet pavimentum? Sæpe ſpuitur in ore Angeli, ſæpe alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur: & ſi non ſacris his imaginibus, cur vel non parcitur pulchris coloribus? Cur decoras, quod mox fœdandum eſt? Cur depingis quod mox neceſſe eſt conculcari?

Et poſt pauca: *Aſſentio, patiamur & hæc fieri in Eccleſia, quia etſi noxia ſunt vanis & avaris, non tamen ſimplicibus & devotis. Cæterum in clauſtris coram legentibus fratribus quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira quædam deformis formoſitas, ac formoſa deformitas. Quid ibi immundæ ſimiæ, quid feri leones, monſtruoſi centauri? Quid ſemihomines? Quid maculoſæ tygrides? Quid milites pugnantes? Quid venatores tubicinãtes. Videas ſub uno capite multa corpora, & rurſus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda ſerpentis, illinc in piſce caput quadrupedis; ibi beſtia præfert equum, capram trahens retro dimidiam, hic cornutum animal equum geſtat poſteriùs. Tam multa denique, tamque mira diverſarum formarum varietas ubique apparet, ut magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus, totumque diem occupare ſingula iſta mirando, quàm in lege Dei meditando. Pro Deo ſi non pudet ineptiarum, cur vel non piget expenſarum?* Hæc ex Bernardo longiuſculè, & ut opinor quibuſdam ingratè. Sed nihil poſſumus adversùm veritatem, ſed pro veritate; & ſi Scriptor Theologus hominibus placeret, ſervus Chriſti non eſſet. Diſcant etiam inde Novatores, Eccleſiæ Romanæ Spiritum in Conciliis, Patribus, viviſque aliis membris vigentem ab omni ſuperſtitionis, & abuſus cujuſvis umbra ſemper abhorruiſſe, ſemper abhorrere, ſemper horrori habiturum.

Ex dictis hactenus ſequitur primò, in concionibus ad populum, vel in diſputationibus cum hæreticis non eſſe ſimpliciter & ſine limitatione pronuntiandum, imagines Chriſti adorandas eſſe latriâ; quia nomen latriæ ſimpliciter prolatum ſignificat ſupremum cultum per ſe primò alicui exhibitum, propter inexiſtentem illi Divinitatem. Unde in ſeptima Synodo ad propulſandam Iconoclaſtarum calumniam, Patres unanimi aſſenſu ſtatuerunt, ſolum Deum, non imagines adorari latriâ. Similiter nos ad obturandas Lutheranorum impoſturas, ſemper adhibitâ determinatione dicere debemus, imaginem non niſi ratione exemplaris honorari, actumque adorationis in imagine non ſiſtere, ſed ad prototypum pertranſire.

Sequitur ſecundò: non eſſe licitum adorare homines aut Angelos latriâ propter ſimilitudinem imaginis, quam habent ad Deum. Ratio eſt, quia creaturæ rationali debetur reverentia propter ſeipſam, cùm ſit naturæ dignitate, & virtutum gloriâ, & bonorum merito ſpectabilis, & ideo ſi creaturæ rationali, quæ eſt imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, grandis foret erroris occaſio, ut ſcilicet motus adorantis ſiſteret in homine, in quantum eſt res quædam, & non ferretur in Deum, cujus eſt imago. Ex quo non ſine fundamento occaſionem nanciſcerentur hæretici, antiquas Iconomachorum calumnias inſtaurandi, palamq; vociferandi, Catholicos Gentilibus deteriores aut ſuperſtitioſiores eſſe, cùm iſti non omnes indiſcriminatim, ſed Heroas duntaxat divinis afficerent honoribus, nos verò omnibus ſine diſcretione exhiberemus. Quod ſanè erroris vel calumniæ periculum non imminet venerantibus imagines ſculptas vel pictas in materia ſenſibili, quia manifeſtiſſimum eſt illas non propter ſe, ſed propter rem, cujus ſunt imagines, adorari.

Sequitur tertiò, imagines phantaſticas aut ſenſibus exterioribus etiam oranti objectas, & Chriſtum vel Sanctos repræſentantes eſſe per ſe floccifaciendas, ne illuſionibus, ac maligni Spiritus ſeſe in Angelũ lucis transformantis deceptionibus locus detur. Certè cùm rationabile ſit obſequium noſtrum, id eſt debeat rationis eſſe ſale conditum, profectò qui non habet gratiam diſcretionis Spirituum periculo idololatriæ ſe exponit, ſi imagines regulariter illuſorias, & dæmonum arte ſæpiſſimè fabricatas veneretur. Nec dicas cum Vaſquezio *diſp. 18. cap. 5.* ſufficere directionem intentionis ad excuſandum hominem ab idololatria, quia quamvis ibi dæmon adeſſet, ipſi nullo modo aut affectus ſervitutis, aut exterior nota adorationis exhiberetur; unde arbitratur non eſſe opus conditionem aliquam expreſsè apponere, ut rectè & legitimè adoratio fiat. Verum ſi valeret hæc doctrina, fruſtra Patres, fruſtra Theologi ſaluberrimas regulas præfinirent, quibus velut lydio lapide veræ à falſis apparitionibus diſcernerentur, ſi ad excuſandum à peccato, vel ad eximendum à periculo ſola dirigentis intentio à modernis Caſuiſtis veluti generale antidotum adverſùs omnia vitiorum venena commendatum ſufficeret.

Sequitur demùm, veram Chriſti crucem eſſe adorandam ratione contactus corporis Chriſti, & ſanguinis ſacratiſſimi, quo fuit perfuſa; eodem enim adorationis modo proſequimur Regem & veſtimentum ejus. Poſtulat namque glorioſiſſimi imperatoris noſtri Chriſti triumphus, ut ipſum ignominiæ inſtrumentum, quo eum inhonorare Judæi moliti ſunt, gentium eſſet omnium venerationi, atque à genuflectentibus Imperatoribus non propter ſe, ſed propter Redemptoris trophæum adoraretur. Hinc in extremi judicii majeſtate, quando ſubjiceit Chriſtus orbem terrarum, Sole obſcurato, Lunâ non dante lumen ſuum, fulgebit tunc crux, & obſcurabit luminaria cœli, ſeu ut dicitur Matt. 24. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo.* Quia reportatâ de diabolo mundoque victoriâ, decet feliciſſimi certaminis & victoriæ ſplendidiſſimæ vexillum loci ſublimitate, ſplendoris coruſco, & Angelorum miniſterio glorificari. Adorari etiam crux poteſt, quatenus eſt imago Chriſti extenſi figuram repræſentans; ſed quocumque modo cultus deferatur, in Crucifixum totus refunditur, ſicut & totaliter debetur.

Hinc veris Chriſtianis & Catholicis innatus eſt amor crucis, & implantata ejus veneratio; ſicut inſitus eſt Hæreticis & Cacodæmonibus ejuſdem odium & horror. Ab initio naſcentis Eccleſiæ crucis ſigno frontem, pectuſque muniunt fideles, crucis ſigno benedictiones impertiuntur, eo omnia conſecrant & decorant. Hoc ſigno honeſtantur Chriſtianorum Regionum viæ, Regum ſuppellex, Palatiorum vertices, ipſa etiam Magnatum ornamenta ornantur. Crucem Domini Jeſu crucifixi, qui eſt noſtra redemptio, amor, & deſiderium ſemper in mente, ſæpe in ore, frequenter in manu habens boni Catholici, Ad omnem progreſſum, atque motum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad lumina, ad cubicula, & quocumque eos ducit, vel exercet converſatio, frontem crucis ſigno terunt; quia *crux Domini* (inquit S. Martial. epiſt. ad Toloſanos) *armatura eſt invicta contra ſatanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegẽs pectus, clypeus tela maligni repellens.* Uno verbo crux eſt ſignum Chriſtianiſmi, amor crucis, character boni Chriſtiani. De cultu Sanctis, Sanctorumque imaginibus debito alibi commodiùs fortaſſis diſſeretur, & ex dictis facili negotio conjicere Theologus poteſt.

Digitized by Google

Reflexio.

Furores Iconoclaſtarum damnas, Chriſtiane Lector, & tuam Iconomachiam non deploras. Imago quidem Dei, ad quam fortunatus es, inſita atque ipſi impreſſa naturæ, dividi, ſcindique, aut penitus obliterari non valet; in gehenna ipſa uri poterit, non exuri, ardere, ſed non deleri, & quocumque pervenit anima, ſimul & imago erit. Verùm anima Dei imagine inſignita, decorata ſimilitudine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, mundi horizon, ſuperiorum ſpeculum, inferiorum domina, toties denigratur, quoties ſceleribus inquinatur.

Tibi ergo attende, homo, & teipſum ſcito: *Hoc eſt*, inquit Ambroſ. lib. 5. Hexaëm. cap. 12. *non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas poſſeſſiones, quantā potentiam, ſed qualem animā ac mentem, unde omnia conſilia proficiſcuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur. Cui dicit Deus, Ecce ego Ieruſalē pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam, veritatem, ſplendoremque pietatis. Illa anima anima benè picta eſt, in qua elucet divinæ operationis effigies. Illa anima benè picta eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Anima igitur noſtra ad imaginem Dei eſt. In hac totus es homo, quia ſine hac nihil es, ſed es terra, & in terram reſolveris. Hæc eſt ad imaginem Dei, corpus autem ad ſpeciem beſtiarum. In hac pium divinæ imitationis inſigne, in illo cum feris ac belluis vile commercium.*

Hæc cùm ita ſint, appende imaginis pretium ex prototypi dignitate. Pictus es, Chriſtiane, & pictus à Domino Deo tuo. Quàm bonum habes Pictorem, quàm præclaro duceris ab exemplo. Noli, amabò, tuli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgentem, non cerâ expreſſam, ſed gratiâ. Delet picturam corporis mulier, ſi vultum adventitio candore oblinit, acquiſito rubore perfundit, obducit, adulterat, ut picturam meretricis aſſumat. Delet picturam animæ, qui cogitationem voluptati, memoriam illecebris, cor applicat incentivis luxuriæ, quibus obſcurantur imaginis radii, fiuntque abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt. Utrique dicet Deus: Non cognoſco colores meos, non video in te imaginem meam, non cerno vultum quem formavi; nec animam quam creavi. Crudelem planè lituram! Horrendam iconomachiam! Quâ homo per devia vitiorum, & divortia criminum ab hac nobiliſſima conditoris ſimilitudine degener oberrat, comparaturque jumentis inſipientibus, ut ſimilis fiat illis.

Qui major honor creaturæ poterat obvenire, quàm ut ad ſimilitudinem factoris ſui conderetur, & eiſdem virtutum veſtimentis ornaretur, quibus & conditor? Sed quodnam majus homini poteſt eſſe dedecus, aut infelicior miſeria, quàm ut hac ſui conditoris ſimilitudinis gloriâ vel amiſsâ, vel obſcuratâ ad informem & irrationalem brutorum jumentorum delabatur ſimilitudinem? Quocirca *poſt Deum*, inquiebat antiquus Philoſophus, *reverere teipſum*. Diligenter attende primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandam in teipſo ſanctæ Trinitatis imaginem intuere, ut honorem ſimilitudinis divinæ, ad quam creatus es, nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum habere contendas, ut quando apparebit qualis ſit prototypus tunc ei perfectiſſimè ſimilis ſis, qui te mirabiliter ad ſimilitudinem ſuam in primo Adam condidit, mirabiliùs in ſecundo reformavit, mirabiliſſimè in Patria à claritate in claritatem in eandem imaginem transformabit.

Ut autem imaginem tuam peccatorum ſordibus deformatam reformes, ut in te primitivam repares formam, & antiquo illi honori capeſſendo, quem per peccatum amiſiſti, per gratiam præpareris, more Evangelicæ mulieris accende lucernam, everte domum, drachmam require quam perdideras, hoc eſt imaginem Dei tui in te nativo ſpoliatam decore, ſordentem & latitantem ſub pulvere; inventam terge, & tolle de regione diſſimilitudinis, priſtinamque in ſpeciem reformatam conformem fac imagini Filii Dei. Illam æternam, & conſubſtantialem contuere imaginem, quæ cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, portans verbo univerſa, apparuit in ſimilitudinem carnis peccati, ut & reformaret difformem, & debilem confortaret. Imago crucifixi ſæpe oculis, ſemper cordi objiciatur, per vulnera corporis ingredere ad arcanum cordis, & videbis imaginem illam, quam ſic deſcribit Ambroſ. lib. 1. de fide, cap. 4. *Imago iſta veritas eſt, imago iſta juſtitia eſt, imago iſta Dei virtus eſt, non muta, quia Verbum eſt: non inſenſibilis, quia ſapientia eſt: non inanis, quia virtus eſt: non vacua, quia vita eſt: non mortua, quia reſurrectio eſt.* Inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt.

Speculatio III.

Chriſto debemus amorem, debemus & imitationem.

Ars artium eſt ars amoris (inquit Bernard. lib. de natur. amoris divini, cap. 1.) *cujus magiſterium ipſa ſibi retinuit natura, & Deus author naturæ.* Unde ad probandam iſtam ſpeculationem, multis nequaquam opus eſt, quam natura ipſa & omnium conditor Deus inſpirat. *Ipſe enim amor, ipſe docet, ſed docibiles ſui, docibiles Dei*, ſubdit præfatus Bernardus. Verum ad veritatem, quam meritò dixeris totius naturæ & gratiæ vocem, ſtabiliendam non ſolùm infelicitas cordis humani Deum non amantis invitat, ſed quorundā maximè me compellit audacia, qui neceſſitatē actualis amoris divini de medio tollentes, ſe Theologos vocant, cùm nec Chriſtiani nomenclaturam mereantur. Et ſanè puderet me in hoc perhorrendo commento confutando tempus terere, niſi ea eſſet hujus deplorandi ſæculi indoles, ut nihil tam ſit abſurdum, quod non probabiliorum ſententiarum loco, & fuco confidentiſſimè venditetur, & quibuſdam ſolenne eſſet ſemel ebibitos errores, & admiſſa flagitia non ſolùm non abjicere ſed incredibili contumacia adverſùs quoſcumque reprehenſores tutari. Non credebam, Lector, ullius unquam mortalium eò progredi poſſe impietatem, genuinum Dei amorem ad ſalutem neceſſarium negaret, niſi propriis oculis legere in cujuſdam opuſculo licuiſſet: Mortali piaculo præceptum illud non violare, qui nullum unquam divini amoris actum eliceret: & homines teneri ſolùm ad amorem effectus in aliis mandatis imbibitum, *non affectus*, non *præcepto rigoris*, ſed tantùm *clementiæ*. Niſi etiam in alio nihilo meliori, ſed ſimilis, aut etiam majoris iniquitatis libro legere non ſine mœrore licuiſſet: *Præceptum de amando Deo non eſſet ſpeciali tempore implendum, ſed generale imbibitum in omnibus præceptis, & conſequenter præceptum charitatis indirectè ſolùm & ratione alterius obligare.*

Probatur 1. pars expreſſis Scripturæ teſtimoniis. 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.* Quæ verba Pauli non ſunt excommunicantis, ſed execrantis, & æternum interitum denuntiantis iis, qui Chriſtum Dominum non amant, ut benè Eſtius in cōmentario illius loci annotavit. Et decretoriè diſcipulus amoris, cap. 3. ſuæ primæ: *Qui non diligit manet in morte.* Quibus verbis clariſſimè falſitatis convincitur illa dictio octo præcepti rigoris & clementiæ. Nemo enim anathema-

te

re percellitur, nemo ad mortem damnatur, niſi rigoroſi præcepti fuerit prævaricator.

Non poſſunt etiam eludi tam expreſſa teſtimonia, explicando illa de amore affectivo, vel habituali. Nam illâ dilectionē ſub interminatione anathematis Doctor gentium, & ſub pœna mortis Joannes intimant, quam Chriſtus ad ſalutem eſſe neceſſariam pronunciavit. Atqui Legiſperito petenti à Chriſto Luc. 10. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Ubi de rebus neceſſariis ad ſalutem, ſubindeque de rigore præcepti adimplendis interrogat, reſpondit Salvator: *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis?* Ubi de obligatione legis & præcepti Veritas loquitur, *ille reſpondens dixit: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Dixitque illi, *Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Ubi luculentiſſimè ad vitam æternam obtinendam requiritur amor non ſolùm ex totis viribus, qui eſt amor effectivus, ſed etiam ex toto corde, qui eſt amor affectivus, eſtque actus voluntatis Deum ſuper omnia diligentis. Quantumcunque enim nitantur Probabiliſtæ, quantumvis advocent Ariſtotelis categorias, Sophiſtarum argutias, Dialectices ſophiſmata, Caramuelis tricas Tamburini ſonos, Sirmundi defenſiones, nunquam efficient, nunquam monſtrabunt poſſe Chriſtianum amare ex toto corde abſque ullo voluntatis affectu, ſicut nunquā etiā ineptiſſimis perſuadere poterunt poſſe hominem audire, videre, cogitare, & alicujus audiendi, videndi, cogitandiq; præceptum adimplere ſine actu auditus, viſus, intellectus.

Quin etiam opus externum, quodcumque illud ſit, & quāmlibet heroïcum foris appareat, ſi ab intentione & interiori affectu cordis Chriſtum amantis non derivetur, perperam amor effectivus nuncupabitur, ſiquidem ex imperio charitatis amantis non procedet; non enim imperat charitas ſine actu: Ergo operatio ex actuali, vel ſaltem præſuppoſito dilectionis affectu non profluens, chimæra amoris eſt, non amor; merum phantaſma, non dilectio; verus ludus & ludibrium, non vera charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum: Ergo verbum Dei inaniſſimè ludificantur, præceptumque charitatis ad nihilum redigunt, qui hujuſmodi diſtinctionum ſucum adhibent, ut larvâ pro veritate ſuppoſitâ, rem ipſam, id eſt amoris divini obligationem abigant, Chriſtianiſmi characterem deleant, & cor ipſum Religionis invadant. A Patribus recenſendis abſtineo, quia nihil aliud in gentibus voluminibus, quantaquanta ſunt, ſaregerunt, quàm ut amoris divini præceptum hominum animis penitus infigerent. Plura, & quidem luculenta variis in locis hujus operis ſelegimus, quæ paſſim tibi occurrent. Vide dicta dum de charitate, & in frequentibus de amore divino reflexionibus. Sufficiat iſtud Auguſtini teſtimonium, quo omnes diſtinctiunculæ eliduntur: *Rea eſt humana conſcientia, ſi non amaverit redamantem, aut ſi amantem non redamaverit.* Ita *lib. 4. conſ. cap. 9.* Si rea ſit conſcientia: Ergo amare rigoris præceptum eſt.

Probatur ratione: Tria ſunt incentiva amoris, bonitas beneficia, amor. Bonitas quidem, quia objectū voluntatis eſt bonum, ſicut viſûs coloratum, & auditûs ſonorum: unde cum facultas non poſſit objecti ſui ſphæram tranſilire, nequit voluntas niſi bonum amare, vel verum, vel ſucatum: beneficia verò, quia eis ipſa quoque bruta devinciuntur; unde communiter dicitur: *compedes invenit, qui beneficia invenit.* Amor denique amatum ſibi conciliat; durus enim nimis eſt animus, qui amantem non redamat; & qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Unde Seneca epiſt. 6. *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneſica carmine: Si vis amari, ama.*

Atqui hæc tria in Chriſto in gradu eminentiſſimo certatim inveniuntur. In primis incomparabilis fuit bonitas, pulchritudo, & amabilitas Chriſti; ſiquidem in ipſo eſt plenitudo bonitatis & eſſentialis pulchritudinis divinæ corporaliter inhabitantis; eſt plenitudo pulchritudinis omnigenæ gratiæ ſpiritualis, quâ ejus anima ſine menſura decorata eſt; eſt etiam plenitudo eximiæ pulchritudinis corporalis, de Chriſto enim intelligitur illud: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Beneficiis enim indicibilibus nos oneravit, theſauros omnes liberaliſſimæ pietatis ſuæ effudit, poſt dona ſua dedit ſeipſum, dedit ad patiendum & moriendum, dedit indignis, dedit ingratis, & dedit gratis, nullis invitatus meritis, nullis excitatus promiſſis, ſed exaſperatus offenſis per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos oriens ex alto, ut monſtraret ſe amore noſtri flagrare, & eo modo nos diligere, qui eſt ſine modo, & ſuper omnem modum.

Ergo Chriſto debemus amorem, vel ut ait S. Paulinus epiſt. 4. *Ergo illum amemus, quem amare debitum eſt: illum oſculemur, quem oſculari caſtitas eſt: illi copulemur, cui nupſiſſe caſtitas eſt: illi ſubjiciamur, ſub quo jacere, ſupra modum erigi eſt: propter illum dejiciamur, cui cadere reſurrectio eſt: illi commoriamur, in quo vita eſt.* Diligamus eum qui prior dilexit nos, amore prælationis omnia infra ipſum, in ipſo, propter ipſum eligentes, & ut ait Cyprian. lib. de orat. Domin. *Diſcamus Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præpoſuit*; amore teneriſſimæ ſuavitatis, ſeu charitatis charum habentis, guſtantes & videntes, quoniam ſuavis eſt Dominus, & bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde; hinc dulciſſimus eſt labor amantium, ſimilis laboribus venantium, aucupantium & piſcantium, ut ait Auguſt. quia in eo quod amatur non laboratur, aut ſi laboratur & labor amatur. Certè indignus eſt corde, qui ſi non ſemper, ſaltem ſæpe actu non diligit illum, qui illuſionibus ſuis noſtros honores, deſolationibus ſuis conſolationes noſtras, ſervitute ſuâ libertatem noſtram, morte ſua vitam noſtram, & profunda ſui humiliatione peccatorum exaltationem comparavit. Eſtne pectus adeo ferreum, adeo ſupra adamantem durum, quod non emolliat bonitas tam immenſa, quod non demulceat miſericordia tam excedens merita & vota, quod non flectant beneficia tam copioſa, denique quod non transfigat, & ferè extinguat adeo inſperata opprimentis dilectio ſuavitatis?

Ex his ultrò ſequitur ſecunda pars; cùm enim amor non ſit otioſus, ſed operetur magna ſi eſt; ſi autem non operatur, non eſt, planè ex amore Chriſti, vitæ & paſſionum ejus imitatio conſequitur; fruſtra enim daretur amor affectivus, qui in voluntate & animo remanet, niſi in exteriores actus ſeſe diffunderet. Requiritur quidem ad ſalutem ardens ille, tener, & plenus ſuavitatis amor, quo in hac vita velut quibuſdam rivulis aquæ ſalientis in vitam æternam, pias animas nonnunquam conſolatur Deus earum, torrente in patria inebriandas. Sed omninò etiam exigitur, ut interior charitatis affectus, ſi verus ſit, non imaginarius, potentias exequutivas ad opera moveat. Verus Chriſti amor quodammodo duplex eſt, aliquando enim lumine ſplendet, & abundantiâ quadam ſuavitatis circumfluit, dum nimirum infunditur cœleſtis affectio, *quo ſale ſapientiæ condita pingueſcens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini*, ut ait Bernard. *ſerm. 5. in Cantic.* Aliquando verò interno guſtu & ſapore deſtitutus aridè quidem, ſed robuſtè animum ad mandata, manum ad operationem impellit. Unde

ſicut

& gladio ſpiritus nefaria cupiditas concidatur. Sine ferro & flammis Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſervamus, ſi carnalia deſideria ſpiritali gladio trucidamus. ſi corpus luxurians & captivans nos in lege peccati mortificantes facti ſimus ſicut oves occiſionis,

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, Sanctam, Deo placentem, Rom, 12. Hoſtiam vocat, quia occidit vitia mundo mortuus Chriſtianus; ſed viventem appellat, quia in virtutum praxi feliciſſimè vivit. Optimè Chryſoſtomus exponens præfata Pauli oracula: *Sed quomodo corpus, inquiet, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat oculus, & facta eſt hoſtia: nihil turpis loquatur lingua, & facta eſt oblatio: nihil iniqui committat manus, & facta eſt holocauſtoma. Imò non ſufficiunt iſta, ſed ut bona etiam faciamus, opus eſt; nimirum ut eleemoſynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, auditus divinis continuò ſermonibus vacet.* Hæc ſi facias, iugi cordis ſacrificio Deum jugiter adorabis, pœnitentiæ hoſtiam Deo gratiſſimam immolabis, quia ſcriptum eſt: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

CAPUT II.

De triplici, quod Chriſto debemus, obſequio.

VIdimus ſuprà, Chriſti Incarnationem triplici de cauſa fuiſſe exequutioni mandatam, & ut cognoſceretur majeſtas ſumma, & ut amaretur bonibonitas nimia, & ut proponeretur regula motum hominibus attemperata: Majeſtati cognitæ reverentiam, bonitati nimiæ amorem & charitarem, regulæ indefectibili ſequelam & imitationem debemus, utinam & reddamus.

SPECULATIO I.

Chriſto debetur latria cultus, & adoratio.

ANtequam ſtabiliatur hæc veritas, præmoneo primò, quod reverentia, quam alicui exhibemus, variis ſolet nominibus declarari; dicimur enim aliquem revereri, honorare, colere, venerari, laudare, glorificare, & adorare. Reverentia eſt primum motivum honoris, reverentia enim, qua in aliquem movemur, inclinat ad honorandum eum, facitque ut optemus eum ab aliis honorari. Honor eſt proteſtatio excellentiæ alicujus, quæ ſi ſit ſpeciali fervore exhibita, vocatur veneratio & cultus. Ex quibus prærumpimus in laudes & præconia, quibus ſparſis clareſcit bonitas ejus apud plurimos, & hinc coruſcat gloria, quæ eſt clara cum laude notitia.

Præmoneo 2. Inter varios honorandi modos eminere adorationis cultum, quo alicuius ſuperiorem præcellentiæ gradum ſuſpicientes, et tanquam inferiores ſubjicimur, & incurvamur. Porrò nomen adorationis derivatur vel ab *Ador*, quod eſt ſpecies frumenti in ſacrificiis adhiberi ſoliti, vel à præpoſitione *Ad*, & verbo *Oro*, quia vix ac ne vix quidem ullus adorationis actus invenitur, quem non præcedat oratio, vel comitetur, vel ſequatur, ut communi fidelium praxi compertum eſt. Non enim eſt adoratio in ſpiritu & veritate, qualem Pater quærit, ſed mera ludificatio, niſi externa venerationis ſigna ab interno ſupplicantis animi cultu proficiſcantur. Et fruſtra proſternitur corpus, niſi ſimul ſubmiſſus animus tum ſupremam Dei excellentiam, cùm noſtram ab eo dependentiam proteſtetur, Perperam Deum labiis honoramus, ſi cor longè ſit ab eo, nec eructet verbum bonum pietatis & Religionis. Quid enim prodeſt flexo poplite, manibus expanſis, capite nudo, pectore fuſo pietatem duplici iniquitate ſimulare, niſi ſimul adſit de corde puro & optimo famulatus. *Pſalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore*, ait Auguſt. in regula. *Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ubi cor eſt mutum? Sicut enim vox ſine modulatione eſt quaſi vox porcorum, ſic oratio ſine devotione eſt quaſi mugitus boum*, ait S. Iſidor. *lib. 3. de ſum. bon. cap. 3.* & D. Thomas 2. 2. *q.* 84, *art. 2. ad 2. & in corp.* ſic; *Sicut oratio primordialiter quidem in mente, ſecundariò autem verbis exprimitur; ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori reverentia conſiſtit, ſecundariò autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis. Et quia in omnibus actibus id quod eſt exterius refertur ad id quod eſt interius ſicut ad principalius, jam ipſa exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubjiciendum ſe Deo.* Eſt ergo adoratio, *Excellentiæ alicujus teſtificatio ſignis externis exhibita, ex interna mentis ſummiſſione procedens.*

Præmoneo tertiò, quod ſicut duplex eſt excellentia rerum, creata ſcilicet & increata, ita duplex eſt adorationis ſpecies. Prima dicitùr adoratio latriæ, quæ definiri ſolet: *Cultus religioſus ſoli Deo propter infinitam excellentiam exhibitus, & ſupremi in res omnes creatas dominii proteſtativus.* Secunda dicitur oratio duliæ, quæ ſic definitur: *Cultus religioſus alicui creaturæ ob ejus excellentiam delatus.* Et quia inter puras creaturas eminet B. Virgo Maria ſicut ſol inter aſtra, ideo cultus ſpecialis ei debitus, vocatur cultus hyperduliæ. Iam

Probatur ſpeculatio: Honor & cultus verè & propriè exhibentur toti rei ſubſiſtenti; non enim dicimus quod manus vel pes hominis honoratur, ſed quod homo honoretur; cauſa verò honoris exhibiti eſt excellentia. quâ aliquis eminet: Atqui in Chriſto eſt ſuppoſitum divinum cui debetur latriæ cultus; tota etiā in illo inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter, quia nihil excellentius eſſe, vel concipi poteſt: Ergo Chriſto Domino debetur ſummus latriæ cultus, ſubindeque eadem adoratione adoratur humanitas & Divinitas in Chriſto; non quòd humanitas, ſeclusa Divinitate poſſit eſſe ratio adorationis latriæ, ſed quia illi perſonæ, quæ ſimul eſt Deus & homo, unus & ſimplex latriæ cultus indiviſus debetur & redditur. Unde dicitur in Sacro Epheſino Concilio: *Unus intelligitur Chriſtus Ieſus filius unigenitus, qui una adoratione propria cum carne adoratur.* Et in 5. Synodo Conſtantinop. *Si quis non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipſius carne adorat, ſicut ab initio Dei Eccleſiæ traditum eſt, talis anathema ſit.* Et 7. Synodo, act. 5. *Cùm adoratur Chriſtus, non ſeparatur humanitas à Divinitate, ſed utraque ut unum adoratur latriâ.* Superſedeo à Patribus recenſendis, in quibus expreſſè habetur, humanitatem in Chriſto cū Divinitate coadorari, non ſecus ac purpuram cum Rege. Sufficient hæc verba Auguſt. in Pſalm. 80. *Caro à Verbo Dei aſſumpta ſine impietate adoratur à nobis; quia nemo carnem ejus manducat, niſi priùs adoret. Sed qui adorat, non terram intuetur, ſed illum potiùs, cujus ſcabellum eſt, propter quem adorat.* Sanè ſi corpori animæ conjuncto idem exhibetur cultus, qui animæ debetur, quia corpus ab anima informatum ejus fit particeps dignitatis; quidni humanitati Divinitate unctæ, ſubſtantiali ſanctitate perfuſæ, ad eſſe divinum, unde infinitam haurit dignitatem. evectæ, latriæ cultus per ſe ſecundò, tāquam parti totius adorandi defeitur? Cùm enim per ineffabile Incarnationis commerciū humanitas facta ſit natura Verbi, profectò tā benè Verbum fecit eam adorabilē, quàm fecit ſuam.

Cum

Cum his tamen ſtat, humanitatem præciſè ſumptam, & ab unione perſonali Divini Verbi mentis operatione abſtractam, non debere latriæ, ſed ſolius hyperduliæ cultu adorari; quia ſic conſiderata humanitas, tametſi ſit donorum & habituum ſupernaturalium plenitudine inſtructiſſima; tamen ut talis intra creaturæ limites circunſcribitur, cui ſupremus cultus ſoli Deo eximius non debetur: Verùm quia ſimpliciter & abſolutè adoratio ad ſuppoſitum terminatur, ne daretur occaſio Neſtoriano errori fingenti duas in Chriſto perſonas, ideo Patres & Concilia unicæ Chriſti adorationis zelantiſſimi fuerunt, nec Verbum à carne ſeponi, aut dividi paſſi ſunt. Porrò extincto errore Neſtorii, poteſt ſine periculo Catholicus de Myſterio Incarnationis orthodoxè ſentiens humanitatem præciſè conſideratam, ipſumque individuum naturæ humanæ à perſonalitate abſtractum venerari: qui cultus licèt imperfectus, & incompletus; nihilominus, ut ſapienter Nazarius obſervavit, pietati profectuique ſpirituali nonnunquam poterit eſſe convenicns, ut ex humanitatis rantopere eminentis cultu ad ſupremam increati Verbi in ea ſubſiſtentis adorationem animus manuducatur. *Sit enim, inquit, vir ſpiritualis, ut cæleſtis ovicula tam ingrediendo per contemplationem ad intima Deitatis, & eam adorando ſuprema adoratione latriæ; quàm egrediendo per conſiderationem ad humanitatem, & eam adorando hyperduliâ, paſcua ſemper inveniet, quibus per incrementa virtutum augeatur.*

Dices cum Vaſquez affirmante humanitatem Chriſti ſeorſùm à Verbo conſideratam non poſſe ulla adoratione niſi indecenter adorari; Rex pluribus titulis regiâ dignitate inferioribus cohoneſtatus, non alio honore colitur, quàm eo quo Reges proſequi ſolemus: Ergo ſi humanitati Chriſti debeatur latriæ cultus, impertinenter ei redderur duliæ adoratio.

Reſpondeo quod ſicut Chriſto nato varia obtulerunt Magi munera, aurum, thus, & myrrham, ita nos varios adorationum diſtinctarum actus ei ad abundantiam pietatis exhibere convenientiſſimum eſt, ut perfectiones ejus modò divinas, modò humanas, modò utraſq; ſimul pro guſtu ſaporis ſpiritalis contemplemur. Quod verò dicitur de Rege pluribus honorum titulis inſignito in primis falſum eſt; diſtincto enim adorationis modo eum proſequimur in ſolio inſidentem, & in palatio domeſtico converſantem: alia iura, tributa, & vectigalia, aliaſque honoris ſignificationes exigit ut Dux Burgundiæ, v.g. & Comes Provinciæ; alia ut ſupremus totius Regni Monarcha. Denique latum eſt diſcrimen, quia homines vident ea quæ patent; ideo Reges præcipuum ſibi debitum honorem exigere poſſunt ad ſuæ dignitatis ſecuritatem: at Deus ſcrutatur renes & corda, intimaſque reconditæ mentis cogitationes inſpicit, qui eſt intimo noſtro intimior; unde diverſos adorationis motus ex diverſa conſideratione ſequutos ſuſcipit in odorem ſuavitatis; placet enim ei oratio animæ aſtantis à dextris ſuis in veſtitu deaurato charitatis, circundatæ varietate multiplicis virtutis.

Inſtabis: Quandocumque, & quomodocumque honoretur pars, honor ipſi delatus refunditur in totum, quia non exhibetur ei niſi ut eſt aliquid totius; v.g. qui manum honorat, ipſo facto, & in actu exercito totum hominem veneratur; ſicut qui infert injuriam patri, totum offendiſſe cenſetur: Ergo adoratio exhibita humanitati, quæ eſt pars totius Chriſti, refluit in ipſum totum Chriſtum: Sed toti illi, qui Chriſtus eſt, nullatenus deferri debet, aut poteſt cultus duliæ, ſed latriæ duntaxat: Ergo cultus duliæ nulla de cauſa, nulla de conſideratione humanitati offerri poteſt.

Reſpondeo, quod licèt pars omnimodis incompleta, qualis eſt manus & pes, non ſit capax ullius venerationis; pars tamen quæ ſub alia conſideratione eſt ſimul totum, coli poteſt, ſi ratione præſcindatur à toto: humanitas autem Chriſti abſtracta per mentem à Verbo eſt quidem pars metaphyſica, quia totum metaphyſicum eſt ens conſtans ex natura totali & ſubſiſtentia; ſed tamen eſt ſimul totum phyſicum conſtans materia & forma unitis; proindeque hæc humanitas ſpecialiter coli, ſpecialiter amari poteſt & debet, cùm ut ſic eximiis donis & excellentiis, tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus prædita ſit, ob quas ſine præjudicio majoris cultus minor deferri poteſt.

Reflexio.

Profundæ, quam Chriſto debemus, reverentiæ germana ſcaturigo eſt cogitatio Salvatoris. *Non tam ſæpe reſpirare, quàm Dei meminiſſe debemus*, inquit Gregorius Theologus orat. 1. *Cogitemus de Salvatore noſtro*, dictitabat S. Dominicus. Multis ſolo nomine Chriſtianis verè illud Joan. Baptiſtæ objici poteſt: *Medius veſtrùm ſtat, quem vos neſcitis.* Quia nemo ferè eſt, qui infinitam Chriſti dignitatem, inveſtigabiles divitias, theſauros ſapientiæ & ſcientiæ abſconditos, plenitudinem Divinitatis corporaliter inhabitantem, incompatabilium dotum eminentiam recogitet corde, ut in continua Chriſti adoratione pro virili permaneat. Si seriò perpenderemus omnia nos habere in Chriſto, perfectò cum Apoſtolo diceremus: *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Id eſt, ut exponit S. Thomas *ſuper cap. 2. Epiſt. ad Philipp.* quæcumque mundus eximia & præſtantia arbitratur, ita floccifacio, ut mihi pro magno diſpendio ſint ob eminens, ingenſque bonum, quod in Chriſti cognitione poſitum eſt. Quid enim melius eſſe, quid cogitari dulcius poteſt Verbo Incarnato, cui appropinquare, clareſcere eſt; quem timere, gaudere eſt; cui ſervire, regnare eſt. Quis tam hebes vel impius erit, ut in comparatione cogniti Salvatoris omnes orbis divitias, dignitates, voluptates ſtercora non arbitretur, ut ſancto, beatoq; commercio propter Chriſtum obtinendum fiat de paupertate dives, de patientia fortis, de humilitate ſublimis. O planè faſcinatas inſenſatorum hominum mentes, divitias bonitatis Dei in Chriſto non intelligentes, cæciſque illis non diſſimiles, qui pretioſam margaritam manu tenent, & ignoratione abjiciunt! Si, teſte Seneca, nihil fœdius, indignius nihil eſſe poteſt, *quàm comparare veneranda contemptis*; quid erit illa iſtis poſtponere, iſta illis anteferre?

Obverſetur ergo ſemper oculis cordis noſtri adoranda Chriſti dignitas, præponamus illam regnis & ſedibus, divitias nihil eſſe ducamus in comparatione illius, nec comparemus illi lapidem pretioſum; quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimemus argentum in conſpectu illius. Pleni erimus cognitione illius, in quo nihil indigetur; in eo ſecuri, in quo nihil metuitur; in eo verè ſemperque glorioſi, *cujus vera & ſempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur*, ait S. Fulgentius. Pulchrè Seneca: *Non poteſt in tanta Solis claritate ſcintilla habere momentum.* Latent ſydera ſplendente ſole, & omnia terrena quãtaquanta ſint, admota cognitionis Chriſti luce teneбreſcunt, emoriuntur, evaneſcunt. Si Moyſes fide grandis ipſum Chriſti improperium majores divitias exiſtimavit theſauro Ægyptiorum; profectò fide parvus, & ferè infidelis, quin & infideli deterior erit Chriſtianus, qui infinitas Chriſti divitias poſtponit caducis & perituris. Heu Chriſtiane, regni te-

rumque oblite tuarum, quàm degener nimis animus tuus, quàm ſervilis mens tota tua eſt, quàm brutalis, quæ putido horrore fœtentia perquiris ſtercora, cui jugiter divinus in Chriſti contemplatione adjacet & & promittitur apparatus! Nunquid eſt idolorum ſervitus terrenis inhiare, Chriſtum non appetere, & vix unquam de eo cogitare? *Omnia amamus, omnia colimus* (inquit Jeremias Chriſtianus, Salvianum intelligo lib. 6. de Provident.) *Solus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt.*

Speculatio II.

Sacris Chriſti & Sanctorum imaginibus relativus cultus debetur, & religioſè exhibetur.

PRiuſquam hæc aſſertio Catholica contra hæreticos modernos ſuadeatur, quædam ex ſacra tum veteris, tum novi Teſtamenti hiſtoria ſunt prælibanda. Sciendum ergo primò, uſum Sacrarum imaginum non fuiſſe omninò prohibitum in veteri lege, ſed tantùm vetitũ eſſe, ne imagines adoratione latriæ tanquam Dei colerentur. Patet enim **Exodi 25.** Deum Moyſi præcepiſſe: *Duos Cherubin aureos, & productiles facies ex utraq. parte Oraculi: Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero.* Et Salomon *3. Reg. 6.* divino afflatu & nutu in Templo non paucas Seraphinorum imagines collocavit. Neque enim exiſtimandum eſt, uſum imaginum eſſe iure naturæ prohibitum, aliàs malè Deus hominem ad ſui imaginem condidiſſet; malè Pater æternus in Verbo æterno rationem imaginis ſui impreſſiſſet; malè etiam rerum imagines in aquis, oculis, ſpeculis aliiſque pellucidis corporibus naturaliter pingerentur. Quorum duo priora blaſphema ſunt, poſteriora verò quis non videt abſurdiſſima eſſe? Quare prohibita duntaxat fuit adoratio abſoluta latriæ imaginis, vel relativa imaginis alicujus rei creatæ. Unde ſignanter *Exod. 22.* poſt vetitum ſculptilis aut ſimilitudinis uſum, ſubditur: *Non adorabis ea, neque coles: ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis & zelotes.* Idem exprimitur *Levit. 26.* Et ſubtiliter advertit Cajetanus, Divinum Legiſlatorem non dixiſſe abſolutè, *non facies ſculptile*; ſed, *non facies tibi ſculptile*, id eſt ad indulgendum tuæ ſuperſtitioni propenſæ idolorum cultui. Unde etiam hoc præcepto nullatenus prohibitus fuit duliæ cultus Sanctorum hominum, aut Angelorum imaginibus debitus; cùm etiam *Pſalm. 98.* dicatur: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt:* id eſt, Arcam, ſecundum Expoſitores litterales.

Sciendum ſecundò, primos imaginum inimicos, & Iconoclaſtarum omnium antesignanos fuiſſe Judæos, qui nec ipſas Imperatorum effigies aut ſtatuas pati poterant, nefas arbitrantes imagines, aut vultus, aut cujuslibet animalis cognomine ſimulachrũ haberi. Nec dubitabant pro ea patriæ legis obſervatione Rabinorum multorum aſſenſu & veluti traditione firmata vitam profundere, unde ea ecrandarum imaginum conſpirationẽ ab eis Marcioniſtæ, Manichæi, Iconomachi, ipſi etiam Turcæ derivarunt, quos poſtea Albigenſes, Wiclefiſtæ, Lutherani, Zuingliani, Calviniani, aliique filii iniquitatis ſequuti ſunt.

Sciendũ tertiò, vehementiorem contra ſacras imagines tempeſtatem excitatam fuiſſe ab Imperatore Leone Iſaurico, qui ſpirans minarum & cædis, eas ex templis aliiſque locis deturbavit, fideleſque ſibi, ut par erat, reſiſtentes, aut non obtẽperantes crudeliſſimè infeſtavit: Sanctiſſimum Germanum è ſede Patriarchali & urbe Regia ejecit, Anaſtaſio Iconomacho ei ſubrogato: Egregii Doctoris Joannis Damaſceni piarum imaginum ſtrenui defenſoris, dexteram manum à Principe Damaſci amputari fecit; ſed præciſam Dei Genitrix ingenti miraculo reſtituit. Graſſantem in dies furentis Leonis rabiem & impietatem cohibere ſategit Gregorius ſecundus tunc Eccleſiæ clavo aſtans, ſed fruſtra. Verùm quem Eccleſiæ fulmina deterrere non potuerunt, ultio divina vindicans vindicavit; nam alliſâ ad Adriaticum littus muniſſima claſſe in Vicarium Chriſti armata, Regiæque urbis mœniis non ſine horrendis terræ motibus ſolo adæquatis, infernalem animam diris torminibus actus exhalavit.

Sciendum quartò, Leoni ſucceſſiſſe filium nihilo meliorem, cognomento Conſtantinum Copronymum, ſic dictum ab emiſſorum excremẽtorum profluvio, quo dum baptizaretur ſacrum fontem deturpavit, malo omine, ut prædixit S. Germanus præſatus ſignificabatur enim ejus impietate, flagitiis, cacodæmonum convictu, & Eccleſiæ Catholicæ perſequutionibus orbem Chriſtianum inquinatum iri. Ejus crudelitatibus exaſperati populi exauthorare illum conantur, eique Artabaſdum Curopalatem ſufficere tentant, ſed in caſſum; nam urbem regiam terra marique obſeſſam ad deditionem compulit Conſtantinus, quam plurimos cives excarnificatos interemit, cæteros fortunis omnibus exſpoliavit cum urbis totius conſternatione, Senatores namque graviſſimos, & juxtà nobiliſſimos, ob ſervatas vel occultatas ſacras imagines duriſſimorum nervorum ictibus in medio fori verberari juſſit uſque ad internecionem. Monaſteria militibus ſuæ ſævitiæ miniſtris diſtribuit, eorum prædiis & facultatibus fiſco addictis. Monachos autem & Sanctimoniales opprobriis, cõtumeliis, raptationibus, & ludibriis inhonoravit, & ad extremam paupertatem redegit. Porrò Anaſtaſio mortuo, quendam Conſtantinum Monachum Pſeudopatriarcham inſtituit, qui Imperatoris ſatellitio ſtipatus omnes ædes ſerutabatur, ſacraſq; tabellas abripiens abradebat, dejiciebat, flammis tradebat. Sed cùm ſecretum Imperatoris Chriſti Divinitatem impugnare molientis revelaſſet, poſt ignominioſam per urbis compita flagellationem, in ſordidiſſimo loco juſſus eſt jugulari. Ipſe verò deteſtandus tyrannus pedum tumore, corporiſque æſtu exardens, inextinguibili flamma ſe ob violatum Deiparæ cultum aduri ululabat, & miſericordiam ſceleſtus poſtulabat, quam non erat impetraturus.

Sciendum quintò, Copronymo ſucceſſiſſe Leonem filium, fictum initio Catholicum, ſed ſtabilito regno apertum hæreſis profeſſorem. Sed brevi extinctus eſt, quia cùm coronam carbunculis pretioſiſſimis decoratam è Baſilica majori detractam ſuo capiti ſacrilegè impoſuiſſet, profluxerunt & veluti formicarunt ex ſuperbiſſimo capite peſtiferi venenatiq; carbunculi, è quorum putredine & tabo ingenerata febris vitam cum morte commutavit. Hujus hæres fuit Conſtantinus puerulus decennis ſub gubernaculis piiſſimæ Imperatricis Irene, cui nihil Religione Catholica antiquius erat. Curavit ergo non obſtantibus incredibilibus Iconomachorum tumultibus, ut Civitas multiplici anathemate perculſa ad antiquam communionem reduceretur, eiq; Orthodoxus Patriarcha Taraſius præficeretur, quo agẽte & urgente, Synodus Oecumenica ab Antiſtite Romano indiceretur. Hæc ſuaviſſima nova lætiſſimus audivit Adrianus Papa, qui Nicænam Bithyniæ Metropolin primo Concilio generali pridem inſignem elegit, ad quam Legatus ſuo nomine Præſidentes futuros de more tranſmiſit. In hoc venerando conſeſſu trecentis quinquaginta Epiſcopis, plurimiſque ſelectiſſimis Monachis & Archimandritis conſtanti, anno ſalutis 787. Iconoclaſtarum impietas proſcripta eſt, ſacrarũ imaginum religioſa veneratio aſſerta

tan-

tanquam Apoſtolica traditio, à primitiva Eccleſia non interruptâ ſerie derivata, miraculis illuſtrata, ad piam Servatoris Sanctorumque memoriam & imitationem excitandam idonea. Quibus catholicè conſtitutis, Redemptoris imago in medium prolata eſt, & procumbentibus Patribus adorata. Conciliabulũ Copronymi juſſu aliàs coactum unanimi conſenſu damnatum, vanæ ejus rationes convulſæ, ac declaratum teſtimonia Scripturarum, quibus idola gentium redarguuntur, nihil Eccleſiæ ritibus adverſari. Ex hac brevi illius hæreſis narratione confutata manet Iconomachia; ſed majoris claritatis & ubertatis ergò.

Probatur ſpeculatio. Uſus Sacrarum imaginum, qualis in Eccleſia Catholica frequentatur, eſt licitus, honeſtus, & utilis. Licitus quidem, tum jure naturæ, quæ rationem imaginis in ſuis operibus delineare non ceſſat, ut antea ponderavimus. Tum jure poſitivo veteris Teſtamenti, in quo Deus duos Cherubinos aureos efformari Moyſi imperavit. Tum jure novi Teſtamenti; Chriſtus enim ejus Legiſlator propriæ faciei imaginem tribus linteis impreſſit, quorum primum Abagaro Regi Edeſſæ miſſum teſtantur Nicephorus, Evagrius, Damaſcenus, & ſecunda Synodus Nicæna *act.* 5. Secundum S. Veronicæ traditum eſt, & Romæ in Eccleſia S. Petri hebdomadâ ſanctâ aſpectabilis proponitur. Tertium Taurini ſervatur, in quo totius Chriſti mortui corpus plagis confixum expreſſum eſt, dum in triduo mortis ea ſacra ſyndone fuit involutum. Negabunt hæc fortè hæretici, ſed exiſtere ſolem negarent etiam veſpertiliones, ſi loqui poſſent. Tum jure Apoſtolico; nam S. Lucas inſignis pictor imaginem Chriſti & Beatiſſimæ Virginis graphicè figuravit, & ſublitis egregiis colorum pigmentis illuſtravit. Celebris eſt etiam Servatoris imago, cujus meminit ſeptima Synodus *act* 4. quæ à Nicodemo depicta, Gamalieli, & poſtea Apoſtolo Jacobo relicta, imminente Jeroſolymorum excidio in Syriam tranſlata eſt, atque in Civitate Beritana in finibus Tyri & Sidonis ſita, à Judæis capta, ſputis ſordidata, colaphis cæſa, conviciis maledicta, manibus pedibuſque clavis perforata, ſpongia aceto plena potata, capite percuſſa, è latere lanceâ tranſfixa tantam ſacri cruoris & aquæ copiam effudit, ut ſuppoſitam hydriam impleverit. Tum denique jure Eccleſiaſtico, Eccleſia enim ſub cœlo tota ſacrarum imaginum uſum ab Apoſtolis acceptum, quaſi per manus traditum, ad nos uſque perduxit, & tanquam morem ore tenus à Chriſto vel Spiritu Sancto dictatum, & continua ſucceſſione, cujus nullum initium invenitur, in Eccleſia Catholica conſervatum pari pietatis affectu & reverentia ſuſcepit ac venerata eſt. Patrum & aliorum Orthodoxorum hunc ritum probantium numerum brevitatis gratiâ non refero, quia ſelectiora veterum Sanctorum teſtimonia ſeptima Synodus commemoravit. Miracula quoque quibus Deus uſum illum illuſtravit, quæ eadem Synodus œcumenica recenſet, miſſa facio, ſicut & ſplendidiſſima, totique mundo notiſſima B. Dominici de Soriano imaginis prodigia, ut ad rationem tranſeamus.

Honeſtus eſt etiam uſus ſacrarum imaginum; quid enim decentius quàm veterum præſertim Sanctorum reſervari inſignia ad poſterorum memoriam, ut noſtri erga eos honoris & amoris ſignificationem qualemcumque præbeamus. Inſpirat ſanè rationis naturalis omnibus implantatum dictamen, lumenque illud divini vultus ſignatum ſuper nos, ut virtutem omnibus quibus poſſumus modis pro virili certatim decoremus. Et quia abſentium, vel mortuorum præclaras res geſtas non aliter honorare licet, quàm ſi iis debitæ reverentiæ ſignum erigantur ſtatuæ, pingantuſque imagines in æternæ obſervantiæ monumentum; ideo non ſuperſtitione, ſed ratione naturali ſuadente, Gentes omnes illud illuſtrium virorum excellentiæ teſtimonium comprobarunt. Etenim verò ſi egregias animi dotes ſcribere, & Heroum virtutum picturam ducere, ſcriptiſque poſteritati commendare licet, quibus totius vitæ imago repræſentatur, quidni ſpirantis vultus majeſtatem, formæ ſpeciem, colorum ſuavitatem, corporis ſtaturam delineare decens erit, & honeſtum? Debemus profectò, debemus gloriæ Chriſti & Sanctorum hujuſmodi amoris & reverentiæ pignus, nec illud poſſumus citra ingratitudinis notam præterire. Hinc Magnus Gregor. *epiſt.* 53. *ad Secundinum*, mittit imaginem ad eum mittere Salvatoris, quò in amore ejus exardeſceret.

Denique perutilis eſt ſacrarum imaginum uſus. Illis enim inerudita plebs compendio myſteria ſalutis, & Sanctorum imitanda geſta docetur; quia, ut Gregorius laudatus tradit, quod legentibus Scriptura, hoc præſtat idiotis pictura cernentibus: in ipſa ignorantes vident quid ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt; *Gentibus pro lectione pictura eſt.* Hinc in memoria præteritorum beneficiorum recordatio excitatur, virtutum conſideratio & admiratio in intellectu concipitur, fervor, imitandiq; propoſitum in voluntate accenditur. Ad hos enim internos ſpiritûs motus ciendos ſacras picturas Eccleſia proponit, optat enim filios ſuos eſſe veros adoratores. Patrem in Spiritu & veritate, id eſt cum fervore ſpiritus & rectitudine intentionis adorantes, orantes ſpiritu, orantes & mente, ac Pſallentes in cordibus ſuis. Quia lex nova *lex Spiritus* ab Apoſtolo nominatur; unaquæque enim res illud meritò dicitur, quod in ea potiſſimum invenitur. *Id autem quod eſt potiſſimum in lege novi Teſtamenti, & in quo tota virtus ejus conſiſtit, eſt gratia Spiritus ſancti; & ideo principaliter lex nova eſt ipſa gratia Spiritus ſancti, quæ datur Chriſti fidelibus*, inquit S. Thomas. Ad pietatem verò modo humano obtinendam ſacræ ceremoniæ, piarumque imaginum uſus diſponit & manuducit, quaremus ex his quæ oculus videt, ſurgit animus ad incognita quæ non novit; viſibilibus imaginibus ſe ad inviſibilia rapit, & per ea quæ uſu didicit, quaſi confricatus incaleſcit, ut per hoc quod ſit notum diligere, diſcat & incognita amare, ut verbis Gregorii utar.

Ex his argumenta hæreticorum præoccupata ſunt, & confutata manent, confutari tamen obetiùs poſſunt, ſi præ oculis ſemper habeas duplicem eſſe adorationem, abſolutam & relativam. Prima exhibetur propter excellentiam inexiſtentem ei qui adoratur, & propter ſe colitur. Secunda eſt cultus alicui tel elatus propter excellentiam alteri inexiſtentem, ad quam ſpecialem importat ordinem & habitudinem: Imagines autem non abſoluto, ſed reſpectivo cultu veneratur Eccleſia propter prototypum, quem repræſentant, & cum quo moralem habent unionem & conjunctionem. Sicut enim media, quà formaliſſimè media ſunt, juxta probabiliſſimam ſententiam, nullâ propriâ & internâ bonitate gaudent, ſed ſolùs finis ratione & bonitate amantur, v. g. amputatio membri, ſectio venæ, cauteri adustio nihil in ſe boni habent, quo amentur; tamen propter ſalutem totius periclitantis amantur, eligitque infirmus, ut corpus redimat, ferrum & ignes pati. Eodem planè modo imagines cultu religioſo aut civili proſequimur propter prototypi præſtantiã, aut dignitatem, vel ſanctitatem, à qua veluti ab extrinſeca forma quadantenus induuntur & afficiuntur, dignæque fiunt quas colamus. Hanc doctrinam ſi attenderent vel perciperent impii Magdeburgenſes, & impuriſſimi Puritani, impudoratè non

comminiſcerentur, Eccleſiam Romanam imagines adorare tanqoam Deos, ut eam idololatriæ per ſummam ignorantiam & majorem impudentiam inſimulent. Certè ſi veritati apertè notæ renunciare non profiterentur, utique non aliter nos adorare confingerent, quàm nos imagines colere intendimus & proteſtamor. Aodiant ergo filii iniqoitatis has Concilii Tridentini Eccleſiæ Romanæ ſenſum limpidiſſimè exprimentis voces ſeſſ. 25. *Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas, eiſque debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis Divinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant, ita ut per imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur.*

Per modum objectionum variæ appendites difficultates explanantur.

Objicies 1. Concilium Francofordienſe, & libri Carolini à Carolo magno editi uſum imaginum reprobant. Concilium quoque Eliberinum *cap. 36.* ait: *Placuit in Templis picturas eſſe non debere, ne quando quod colitur aut adoretur, in parietibus depingatur.* Sanct⁹ etiam Epiphanius *epiſt. ad Ioannem Epiſc. Ieroſolym.* ait, ſe imaginem in quadam Eccleſia pendentem ſcidiſſe: Ergo uſus imaginum etiam in templis appenſarum non eſt tolerandus.

Reſpondeo Syoodum Provincialem, aut nationalem Francofordii celebratam, quatenus hæreſim Felicis & Elipandi filiationem Chriſti naturalem negantium proſcripſit, probari; quatenus verò ſeptimā & œcumenicam Nicænam Synodum circa imaginum cultum damnare præſumpſit, omni carere authoritate. Etenim Patres Francofordienſes in multiplices facti errores prolapſi ſunt. Teſtantur enim ſe rejicere Synodum Græcorum, *Conſtantinopoli in Bithynia celebratam ſine conſenſu Romani Pontificis.* Sed Coſmographi minimè mali Conſtantinopolim cum Nicæa confuderunt, Bithyniam cum Thracia; hujus enim, & non illius urbs eſt Conſtantinopolis. Falsò etiam obtendunt, Synodum illam non fuiſſe à Romano Antiſtite approbatam; eam enim Adrianus Papa indixit, præſidentibus Legatis celebravit, & confirmavit. Decipiuntor etiam dum narrant, Nicænam Synodum conſtituiſſe, ut imagines eodem cum Deo cultu colerentur: patet enim ex actione 1. 4. & 7. imagines eſſe venerandas, modò ne latriæ cultu ſoli Deo debito adorentur, quod intelligunt de cultu abſoluto, qualem idolis deferebant Gentes Divinom aliquod numen in illis reſidere exiſtimantes; nam cæteroquin reſpectivus cultus pro exemplarium dignitate, vel latriæ, vel duliæ, vel hyperduliæ deferri poteſt.

Ad libros Carolinos, qui anno 1549. primùm in lucem prodierunt, cùm eſſent antea ignoti, dicendum libros illos ab Iconoclaſta aliquo fuiſſe compoſitos, & à Carolo ad Adrianum miſſos Apoſtolico anathemate feriendos: unde extat Adriani Papæ ad Carolum opus, quo libri illi dicti Carolini ſacras imagines oppugnantes nervosè & accuratè confutantur. Accedit libros illos abſque ulla ſive loci, ſive typographi nota cuſos barbariem ubique inſonare ab eleganti Caroli ſtylo penitus alienam, multiſque ſcatere apertiſſimis falſitatibus Imperatore illo clariſſimo, & Romanæ Eccleſiæ addictiſſimo prorſus indignis.

Ad canonem 36. Concilii Eliberini dicendum, canonem illum perperam ab Hæreticis objectari; favet enim canon ille ſacris imaginibus, quas ideò parietibus appingi prohibet, ne gentium ludibrio exponerentur; tunc temporis enim in Chriſtianos deſæviebat Paganorum furor, cui ut occurreret Sacra Synodus, voluit ſolùm imagines in Eccleſiis appendi, aut ſuper altaria mobiles collocari, ut irruente perſecutionis procellâ ſubduci, & aliò transferri commodè poſſent. Quâ etiam causâ olim Theodoſius & Valentianus Imperatores ſignum crucis in ſilice homi inſculpi prohibuerunt, ne incedentium conculcatione victoriæ trophæum conſpueretur, aut injuriâ afficeretur. Sulpicatur tamen Cardinalis Baronius, canonem illum ab Iconoclaſtis ſuppoſitum & adjectum fuiſſe; quia in antiquis canonum Compilatoribus illum non inveniri teſtatur, & nemo veterum Iconomachorum; qui undecumque conquiſita contra ſacras imagines argumenta totâ accuratione collegerant, nunquam tamen Eliberini canonis meminerunt.

Denique ad S. Epiphanium dicendum meritò ipſum imaginem illam pendentem proſcidiſſe, quia erat prophani hominis ducta pictura; ſicut in ſimili S. Martinus corpus cujuſdam pro criminibus ſuſpenſi, & Martyris loco à vulgo habiti, deturbari & ejici de ſacro altari curavit. Addunt quam plures, illud Epiphanii epiſtolæ addimentum fuiſſe ab Iconoclaſta aliquo confictum & intruſum: tum quia nullam habet narratio illa cum epiſtola connexionem. Tum quia verba illa Epiphanii in ſuæ hæreſis confirmationem Iconomachi in Nicæno Concilio minimè protulerunt, ſicut alia ejuſdem Epiphanii verba ex epiſtola ficta ad Theodoſium produxerunt, quæ mendacii revicta ſunt, unde tanquam ſuppoſititia, & adulterina rejicieda ſunt. Tum quia Epiphanius ſemper in communione Baſilii & Gregorii Nyſſeni vixit, qui contra Iconomachiam acerrimè dimicarunt.

Objicies ſecundò: Eccleſia Romana pingit imagines Dei & Angelorum: Sed tales imagines ſunt illicitæ: Ergo uſus imaginum in Eccleſia Romana receptus eſt reprobandus. Probatur minor. Tum ex Scriptura, Deut. 40. *Memento quod Dominus loquutus ſit tibi in monte Oreb, vocem verborum ejus audiſti, imaginem nullam vidiſti: obſerva ergo teipſum, ne fortè decepti facias tibi ullam ſimilitudinem.* Iſai. 40. *Cui ſimilem feciſtis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Act. 17. *Genus ergo cum ſimus Dei, non eſt æſtimandum auro, vel argento, aut lapidi artis, ſculpturæ, & cogitationi hominum Divinum eſſe ſimile.* Tum ex multis Patribus Gentiles non ſemel irridentibus, quod Deos in materia viliſſima figuratos, hominum & animantium veſtibus induerent, *quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur,* ut ait S. Auguſt. *lib. 6. de Civit. cap. 10.* Tum ratione, quia ſpiritalia, quales ſunt Angeli, & maximè Deus puriſſimus ſpiritus, corporare & falſum, & abſurdum eſt: omnis autem religioſus cultus veritate & decore conſtare debet.

Reſpondeo, Deum unum & trinum poſſe triplici de cauſa depingi: primò, ut ejus natura oculis viſibilis exhibeatur, & hoc ſummæ inſipientiæ, ſummæ eſſet argumentum impietatis: inviſibilis enim Deus nec depingi, nec figurari ſe permittit. Secundo depingi poteſt Deus ſub illis figurarum ſpeciebus, quib⁹ Deus ipſe apparere dignat⁹ eſt, ut cùm Adamo & Evæ in ſpecie hominis per Paradiſum ambulantis loquutus eſt: cùm tres viri in convalle Mambre Abrahamo apparuerunt, cùm Dominus in flamma ignis de medio rubi Moyſi, & populo per diē in columna nubis, & per noctem in columna ignis viſus eſt: cùm Spiritus ſanctus ſicut columba in Chriſtum deſcendit, vel per modum diſpertitarum linguarum tanquam ignis ſedit ſupra ſingulos Apoſtolos

& Pa-

& Pater Æternus Danieli viſus eſt adinſtar antiqui dierum, cujus veſtimentum candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana monda. Tertiò poſſunt depingi ſpiritualia per analogiam ad res creatas nobis notas, quia per modum rerum corporearum ea in hoc mundo cognoſcimus; v. g. cùm Angelum ſub ſpecie elegãtiſſimi juvenis, aligeri, diademate redimiri, armis inſtructi, & totius pulchritudinis pigmentis decorati repræſentamus, ut hac præclara corporeorum ornamentorum pompa præcellentes eorum dotes, ingenii præſtantiam, virtutum apparatum, amabilitatis ſuavitatem, motus celerrimi pernicitatem, virium fortitudinem invictam, ævi immobilem firmitatem, gratiæ theſauros, & gloriæ radios penè infinitos veluti carbone deſignamus. Quibus perſpectis lineamentis idiotæ in eorum cognitionem & amorem ſenſim aſſurgunt; docti verò in metaphoricæ ſimilitudinis amœniſſima contemplatione deliciantur.

Et hoc ſecundo & tertio modo imagines pingi ad populi eruditionem, templorum decorem, & fidelium devotionem honeſtum & utile eſſe probat Eccleſiæ uſus ſempiternus, à nullo Sancto reprobatus, à ſolis hæreticis & quibuſdam moroſis rejectus. Certè ſi Deus ipſe ſæpè ſæpiùs ſub ſpecie corporea aſpectabilem ſe præbuit; ſi Angeli aſſumptis corporibus crebrò apparere dignati ſunt; ſi ipſe ſacræ paginæ Spiritu ſancto dictante exaratæ divinas perfectiones ſub membrorum corporeorum velaminibus deſcribunt, ut à nobis ſuaviter intelligantur; ſi illi attribuunt oculos videntes æquitatem, aures intendentes in vocem orationis noſtræ, humeros portantes nos, brachium potens, digitos operantes, viſcera miſericordiæ, cor eructans verbum bonum, abaque; quidni Eccleſia penicillo poterit exarare, quæ Scriptores canonici calamo, chartis & membranis commiſerunt, eo cum moderamine & admonitione, quod corporea illa pictura Dei perfectiones abſolutas, vel relativas adumbrans ſecundùm metaphoram duntaxat eſt intelligenda.

In locis autem adductis prohibetur, ne fiat ſculptura, aut ſimilitudo ad adorandum cultu latriæ abſoluto, eo modo quo gentes divinitatem aliquam in ſimulachris latitare exiſtimatam adorabant, qua de cauſa talem cultum irrident Patres, & nos dum de unitate Dei, pluribus irriſimus. Quid enim magis ridiculum eſſe poterat, quàm idola ex metallo conflata, & fuſilia pro Diis habere, & appellare Deos ſuos, & confidere in illis, eis immolare, ut invenirent cautelam periculis, morbis medelam, ſpem afflictis, opem miſeris, ſolatium calamitatibus, laboribus levamentum? *Sacrilegii enim vel maximi inſtar eſt* [inquit Minutius Felix in Octav.] *humi quærere, quod in ſublimi debeas invenire.* Et tamen hujuſmodi figmentis corrumpebantur ingenia puerorum, in his fabulis adusque virilis ætatis robur adoleſcebant pueri, & in iiſdem opinionibus miſeri conſeneſcebant. Errori tam nefario materiam miniſtrabat malitia dæmonum, qui ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinebant perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere, & alienati à Deo inductis pravis religionibus à Deo ſegregare. Hujuſmodi igitur impuri ſpiritus ſub ſtatuis & imaginibus conſecrati deliteſcebant, & veriſimilium oraculorum afflatu auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequebantur; quia præſtigiis inſpirabant vates, immolatorum corporum fibras animabant, avium volatus gubernabant, regebant ſortes, verba reddebant falſis, & amphibologiis pluribus involuta; quin etiam irrepentes occultè corporibus morbos fingebant, membra diſtorquebant, ut ad cultum ſui homines cogerent.

Errabant inſuper vehementer Gentiles, quia creaturas de humano arbitratu in Deos erigentes, nequiſſimos homines pro Diis habebant, quorum ſimulachra adorabant. *Ægyptii* [inquit laudatus Minutius] *hominem ſibi quem colant eligunt, illum unum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt. Et ille, qui cæteris Deus, ſibi certè homo eſt, velit nolit; nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam. Etiam principibus & Regibus, non ut magnis & electis viris, ſicut fas eſt, ſed ut Diis turpiter adulatio falſa blanditur, cùm & præclaro viro honor veriùs, & optimo amor dulcius præbeatur. Sic eorum numen vocant, ad imagines ſupplicant, genium id eſt dæmonem ejus implorant.* Quam miſeriam ſic paucis deplorat: *Næ ille miſerabilis, cujus in homine mortali ſpes omnis innititur; totum enim ejus auxilium cum extincto homine finitur.* Adorabant autem viros ſceleroſos, eorumque imaginibus procumbebant; quia, ut aliàs diximus, patronum ſceleribus ſuis deſiderabant Deum, ut alacriùs peccarent, & dulciùs.

Ex quibus ſequitur, manifeſtam eſſe modernorum hæreticorum calumniam, Eccleſiam Romanam idololatriæ ineptiſſimè inſimulantium; idololatria enim eſt ſuperſtitio, quâ cultus vero Deo debitus creaturæ exhibetur, quando vel in actu ſignato per actum explicitum proteſtatur quis creaturam, quam honorat, eſſe ſuæ creationis principium, & beatitudinis finem, vel in actu exercito per actum implicitum talem creaturæ honorem defert, qui ſoli Deo exhiberi conſuevit: idololatria enim Dei honorificentiam uſurpat, ut eam vendicet creaturæ, dum vota, preces, & ſacrificia, quæ uni Deo debentur, idolis impendit. Catholici autem nec divinitatem imaginibus aſſerunt, nec eis litant, aut vota reddunt, ſed ſolum cultum relativum ad prototypum pertingentem impendunt.

Dices: Rationibus noſtris probatur quidem utilem eſſe, & honeſtum piarum imaginum uſum, ſed minimè ſuadetur aliquem eis cultum eſſe impendendum. Cur enim rebus inſenſibilibus reverentia ſolis creaturis intellectualibus debita exhibebitur?

Reſpondeo honorem relativum, quem ſacris imaginibus impertimur, in ipſum prototypum refundi; ſicut enim reus, dum in tabella ſupplicium ejus effingitur, in morali æſtimatione inhonoratur, ſic vir illuſtris in ſuis imaginibus honoratur. Cùm enim imagines per ſe primò ſint ad repræſentandum inſtitutæ, in earum cultu eſſentialiter colitur exemplar, ad quod neceſſariò referuntur. Certè ſi arca & propitiatorium cultu digna erant, quia erant ſcabellum pedum Domini; ſi ſolvere calceamentum de pedibus Moyſi præcipiebatur, quia locus in quo ſtabat, terra ſancta erat; ſi dies prima erat ſancta atque ſolennis, & dies ſeptima eadem feſtivitate venerabilis, quia divino erant cultui conſecratæ; cur imagines Chriſto ſacras relativa veneratione proſequi vetitum erit, cùm teſte S. Baſilio: *Quicumque venerantur imagines, ipſum nimirum venerentur exemplar.* Quia nimirum motus adorationis imaginis uſque adeò in exemplar tranſit, ut nec per ullam quantumlibet ſubtilem intellectus præciſionem imago ab exemplari ſeparari poſſit, non ſolùm quia imago non poteſt niſi propter exemplar adorari, ſed etiam quia qui imaginem colit, in ea & per eam veneratur exemplar tanquam materiam proximam adorationis: motus quippe qui eſt in imaginem, quatenus imago eſt, unus & idem eſt cum eo animæ motu, qui eſt in rem, ut profundè ratiocinatur S. Th.

Catholici autem, dum imagines venerantur, non moventur in imaginem, ut res quædam eſt ex auro vel ligno conflata, figura, colore, aliiſque artis ornamentis decorata; ſed ut imago eſt, quatenus nimirum ducit ad exemplar, veluti ad unum totalem & forma-

lem terminum, cujus excellentia amatur, colitur, adoratur. Qua de cauſa non incongruè quidam Theologi poſt Ferrarienſem affirmant, ſoli Chriſto deberi latriam per ſe primò, imagini verò propter aliud, id eſt propter exemplar quod repræſentat. Quo ſenſu nonnulli etiam Patres docent imaginem inferiori adoratione coli ea quæ Chriſto defertur; quia nimirum imago non per ſe, aut propter ſe primò adoratur, ſed duntaxat ſecundariò propter exemplar, cui præcipuè reverentia exhibetur. Unde ſubtiliter, & ſolidè advertit Caietan*, in adoratione imaginem & exemplar habere rationem ejuſdem objecti, quod eſt unum unitate ſpecifica in ratione terminandi motum adorationis, quatenus eadem perſona repræſentata terminat actum adorationis, tam in ſeipſa, quàm in ſua imagine; adeo ut unâ non ſolùm ſpecie, ſed etiam numero adoratione ſimul adoretur imago, & exemplar; quia imago ut imago eſt, neceſſe, nec concipi poteſt abſque prototypo in ea repræſentato.

Quorum omnium profundiſſima radix eſt, quia eadem numero res poteſt exiſtere & in eſſe entitativo & naturali intra ſe; & in eſſe repræſentativo, ac intelligibili in aliqua ſpecie, ſeu imagine, quæ ideo ab exemplari, ut à cauſa formali & exemplari pendet. Hinc fit, imaginem ut imago eſt, non diſtingui ab exemplari abſolutè ſumpto, niſi penes diverſum eſſendi modum, eo ferè modo, quo in frequenti Philoſophorum doctrina ſpecies intelligibilis eſt ipſummet objectum in eſſe intelligibili. Imago quippe reduplicativè quà imago, idem eſt quod exemplar in eſſe repræſentativo; licèt imago, ut res eſt, addat materiam, figuram, & variorum lineamenta colorum. Unde in ſeptima Synodo, *act.* 4. dicitur: *Hoc ſanè rerum natura docet, quod honor imagini exhibitus ad ipſum fontem primum referatur, quomodo etiam contumelia.* ::: *Non enim quis in foro regiam imaginem diligentiùs intuens, Regemque illam dicens, duos Reges fatetur, nimirum ipſam imaginem, & eum cujus eſt imago. Neque ſi quis in tabula pictum indicaverit, dixeritque, Ecce Regem, ob id primum & verum exemplar, ipſum ſcilicet Regem, appellatione privavit. Profectò videtur magis honorem Regis per ejuſmodi confeſſionem ſtabiliviſſe.* ::: *Divinus Pater Baſilius, velati lampas & Doctor Eccleſiæ, Chriſti honorem imaginum ad ipſum exemplar primum redire teſtatus eſt. Unde & B. Pater indicavit non eſſe duas adorationes, ſed unam ipſius imaginis, & primi exemplaris, cujus eſt imago.* Vides noſtram doctrinam à ſacro Concilio limpidiſſimè derivatam.

Inſtabis: Ex noſtra ſententia ſequeretur, imagines Chriſti eſſe adorandas latriâ, cùm ſit idem adorationis motus in imaginem, & in rem cujus eſt imago: conſequens eſt contra ſeptimæ Synodi conſtitutionem, *act.* 7, decernentem imaginibus exhiberi *ſalutationem, & honorariam adorationem, non ſecundùm fidem noſtram veram latriam, quæ ſoli naturæ divinæ competit, ſed quemadmodum typo venerandæ & vivificæ Crucis, & ſanctis Evangeliis, & reliquis ſacris oblationibus, holocauſta ſuffituum & luminarium reverenter accendimus.* Ergo.

Reſpondeo ſacrum Concilium removere ſolùm adorationem, quæ primò, per ſe, & propter ſe exhiberetur, cùm nulla imaginibus Divinitas, nulla interna ſanctitas, aut virtus inſit, quæ adoretur. Cæterùm cultum reſpectivum in prototypum refuſum non negat, ſed expreſſiſſimè affirmat Sacra Synodus. Et quia latria ſimpliciter dicta exhibetur primò & per ſe, & ſine ordine ad aliud; ideo veridicè dixit Concilium, latriam ſoli Deo competere. Latria enim perfectiſſima eſt ſummus cultus Deo ut primo rerum omnium principio & ultimo fini debitus: implicat verò exhiberi cultum primo principio, & ultimo fini propter aliud, ultimum enim finem ad alium ordinari repugnat. Imaginibus verò exhibetur reverentia propter aliud, ſcilicet exemplar. Unde non ſequitur, creaturam æquè coli ac Deum, qui ſolus per ſe, & propter ſe adoratur. Maximè quia imago Chriſti non colitur, niſi prout in ſe continet Chriſtum, cum quo non ponit in numero. Res enim inanimatæ nullius cultus capaces ſunt, niſi quatenus aliquo pacto cum creatura intellectuali conjunctæ ſunt.

Objicies tertiò: In ſacrarum imaginum uſu multi permiſcentur abuſus, falſi cultus, errorum & idololatriæ occaſio, obſcœnarum nuditatum repræſentatio: Ergo uſus imaginum eſt de medio tollendus.

Reſpondeo, nihil eſſe tam ſacrum, quod non poſſit eſſe materia ſacrilegii. Verùm emolumenta ex ſacrarum imaginum uſu conſequuta cum infinito fœnore abuſus ex malitia vel infirmitate hominum ortos compenſant. Quia ut ait Tridentinum, per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis picturis vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, eruditur & confirmatur populus in articulis fidei commemorandis, & aſſiduè recolendis: nec ſolùm admonetur beneficiorum & munerum, quæ à Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam quia Sanctorum miracula & exempla oculis fidelium ſubjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum & diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Porrò eadem S. Synodus probè ſciens nonnullos hominum incuriâ, & antiqui hoſtis nequitiâ irrepſiſſe abuſus, eos aboleri vehementer peroptans, ſic ait: *Sancta Synodus vehementer cupit, ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur. Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Omnis porrò ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate imagines non pingantur, nec ornentur. Poſtremò tanta circa hæc diligentia adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihil inhoneſtum appareat, cùm domum Dei deceat ſanctitudo.*

Certè nihil hac ſacra Tridentini conſtitutione ſanctius, prudentius, & moderatius eſſe poteſt. Et planè optandum foret, ut tam ſalutaria documenta præ oculis haberent, qui tot vana, & ſæculi genium ac mores ſpirantia ſacris picturis admiſcent, quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum; quia ſolent magis homines mirari pulchra, quàm venerari ſacra. Id præcipuè in Monachorum templis ægrè ferebat D. Bernardus, & ſanè noſtri ſæculi quamplurimis ſacris ædibus competit, quod S. Pater quibuſdam ſui ævi Monachis in aurea ad Guilelmum Abbatem apologia exprobrabat his verbis: *Dicite pauperes, ſi tamen pauperes, in Sancto quid facit aurum? Et quidem alia cauſa eſt Epiſcoporum, alia Monachorũ; ſcimus namq; quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cùm ſint, carnalis populi devotionem, quia ſpiritualibus nõ poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos verò qui jam de populo exivimus, qui mundi quæq; pretioſa ac ſpecioſa pro Chriſto reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, canorè mulcentia, ſuaveolentia, dulce ſapientia, tactu placentia, cuncta deniq; oblectamenta corporea arbitrati ſumus ut ſtercora, ut Chriſtũ lucrifaciamus, quorum quæſo in his devotionẽ excitare intendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus, ſtultorum admirationem, an ſimplicium oblectationem? Quid putas in his omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum, ſed non vanior quàm inſanior! Fulget Eccleſia*

ſa in parietibus, & in pauperibus eges! Suos lapides ꞌuit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egeum ſervitur oculis divitu: inveniunt curioſi, quo deꞌentur; & non inveniũt miſeri, quo ſuſtententur. Ad quid ꞌtem Sanctorum imagines non revereamur, quibus utiq; ꞌam, quod pedibus conculcatur, ſtatet pavimentum? Sæpe ꞌitur in ore Angeli, ſæpe alicujus Sanctorum facies calcitunditur: & ſi non ſacris his imaginibus, cur vel non ꞌcitur pulchris coloribus? Cur decoras, quod mox fœdann eſt? Cur depingis quod mox neceſſe eſt conculcari?

Et poſt pauca: *Aſſentio, patiamur & hæc fieri in Ecꞌia, quia etſi noxia ſunt vanis & avaris, non tan ſimplicibus & devotis. Cæterum in clauſtris coram ꞌentibus fratribus quid facit illa ridiculà monſtruoſi, mira quadam deformis formoſitas, ac formoſa deforꞌas. Quid ibi immunda ſimiæ, quid feri leones, monꞌoſi centauri? Quid ſemihomines? Quid maculoſæ tygri? Quid milites pugnantes? Quid venatores tubicinãtes. ꞌeas ſub uno capite multa corpora, & rurſus in uno core capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda ꞌentis, illinc in piſce caput quadrupedis; ibi beſtia prat equum, capram trahens retro dimidiam, hic cornutum mal equum geſtat poſteriùs. Tam multa denique, tamꞌmira diverſarum formarum varietas ubique apparet, magis legere libeat in marmoribus, quàm in codicibus, ꞌamque diem occupare ſingula iſta mirando, quàm in leꞌDei meditando. Pro Deo ſi non pudet ineptiarum, cur non piget expenſarum?* Hæc ex Bernardo longiuſè, & ut opinor quibuſdam ingratè. Sed nihil ꞌſumus adversùm veritatem, ſed pro veritate; & ꞌcriptor Theologus hominibus placeret, ſervus ꞌuiſti non eſſet. Diſcant etiam inde Novatores, ꞌleſiæ Romanæ Spiritum in Conciliis, Patribus, ꞌiſque aliis membris vigentem ab omni ſuperſtiꞌnis, & abuſus cujuſvis umbra ſemper abhorruiſſemper abhorrere, ſemper horrori habiturum.

ꞌEx dictis hactenus ſequitur primò, in concioniꞌ ad populum, vel in diſputationibus cum hæretiꞌon eſſe ſimpliciter & ſine limitatione pronuntiꞌlum, imagines Chriſti adorandas eſſe latriâ; quia ꞌnen latriæ ſimpliciter prolatum ſignificat ſupreꞌm cultum per ſe primò alicui exhibitum, propter ꞌiſtentem illi Divinitatem. Vnde in ſeptima Syꞌlo ad propulſandam Iconoclaſtarum calumniꞌ. Patres unanimi aſſenſu ſtatuerunt, ſolum Deum, ꞌimagines adorari latriâ. Similiter nos ad obtuꞌdas Lutheranorum impoſturas, ſemper adhibitâ ꞌerminatione dicere debemus, imaginem non ꞌratione exemplaris honorari, actumque adoraꞌis in imagine non ſiſtere, ſed ad prototypum ꞌtranſire.

ꞌSequitur ſecundò: non eſſe licitum adorare homiꞌaut Angelos latriâ propter ſimilitudinem imagiꞌquam habent ad Deum. Ratio eſt, quia creaꞌ rationali debetur reverentia propter ſeipſam, ꞌſit naturæ dignitate, & virtutum gloriâ, & boꞌum merito ſpectabilis, & ideo ſi creaturæ ratioꞌ, quæ eſt imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, ꞌidis foret erroris occaſio, ut ſcilicet motus adoꞌis ſiſteret in homine, in quantum eſt res quæꞌ, & non ferretur in Deum, cujus eſt imago. Ex ꞌnon ſine fundamento occaſionem nanciſcerenꞌhæretici, antiquas Iconomachorum calumnias ꞌurandi, palamq; vociferandi, Catholicos Genꞌus deteriores aut ſuperſtitioſiores eſſe, cùm iſti ꞌomnes indiſcriminatim, ſed Heroas duntaxat ꞌis afficerent honoribus, nos verò omnibus ſine ꞌetione exhiberemus. Quod ſanè erroris vel caꞌniæ periculum non imminet venerantibus imaꞌs ſculptas vel pictas in materia ſenſibili, quia ꞌifeſtiſſimum eſt illas non propter ſe, ſed propter ꞌ, cujus ſunt imagines, adorari.

Sequitur tertiò, imagines phantaſticas aut ſenſibus exterioribus etiam oranti objectas, & Chriſtum vel Sanctos repræſentantes eſſe per ſe flocci faciendas, ne illuſionibus, ac maligni Spiritus ſeſe in Angelũ lucis transformantis deceptionibus locus detur. Certè cùm rationabile ſit obſequium noſtrum, id eſt debeat rationis eſſe ſale conditum, profectò qui non habet gratiam diſcretionis Spirituum periculo idololatriæ ſe exponit, ſi imagines regulariter illuſoriaa, & dæmonum arte ſæpiſſimè fabricatas veneretur. Nec dicas cum Vaſquesio *diſp. 18. cap. 5.* ſufficere directionem intentionis ad excuſandum hominem ab idololatria, quia quamvis ibi dæmon adeſſet, ipſi nullo modo aut affectus ſervituris, aut exterior nota adorationis exhiberetur; unde arbitratur non eſſe opus conditionem aliquam expreſſè apponere, ut rectè & legitimè adoratio fiat. Verum ſi valeret hæc doctrina, fruſtra Patres, fruſtra Theologi ſaluberrimas regulas præfinirent, quibus veluti lydio lapide veræ à falſis apparitionibus diſcernerentur, ſi ad excuſandum à peccato, vel ad eximendum à periculo ſola dirigentis intentio à modernis Caſuiſtis veluti generale antidotum adverſùs omnia vitiorum venena commendatum ſufficeret.

Sequitur demùm, veram Chriſti crucem eſſe adorandam ratione contactus corporis Chriſti, & ſanguinis ſacratiſſimi, quo fuit perfuſa; eodem enim adorationis modo proſequimur Regem & veſtimentum ejus. Poſtulat namque glorioſiſſimi imperatoris noſtri Chriſti triumphus, ut ipſum ignominiæ inſtrumentum, quo eum inhonorare Judæi moliti ſunt, gentium eſſet omnium venerationi, atque à genuflectentibus Imperatoribus non propter ſe, ſed propter Redemptoris trophæum adoraretur. Hinc in extremi judicii majeſtate, quando ſubjiceit Chriſtus orbem terrarum, Sole obſcurato, Lunâ non dante lumen ſuum, fulgebit tunc crux, & obſcurabit luminaria cœli, ſeu ut dicitur Matt. 24. *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in cœlo.* Quia reportatâ de diabolo mundoque victoriâ, decet feliciſſimi certaminis & victoriæ ſplendidiſſimæ vexillum loci ſublimitate, ſplendoris coruſco, & Angelorum miniſterio glorificari. Adorari etiam crux poteſt, quatenus eſt imago Chriſti extenſi figuram repræſentans; ſed quocumque modo cultus deferatur, in Crucifixum totus refunditur, ſicut & totaliter debetur.

Hinc veris Chriſtianis & Catholicis innatus eſt amor crucis, & implantata ejus veneratio; ſicut inſitus eſt Hæreticis & Cacodæmonibus ejuſdem odium & horror. Ab initio naſcentis Eccleſiæ crucis ſigno frontem, pectuſque muniunt fideles, crucis ſigno benedictiones impertiuntur, eo omnia conſecrant & decorant. Hoc ſigno honeſtantur Chriſtianarum Regionum viæ, Regum ſuppellex, Palatiorum vertices, ipſa etiam Magnatum ornamenta ornantur. Crucem Domini Jesu crucifixi, qui eſt noſtra redemptio, amor, & deſiderium ſemper in mente, ſæpe in ore, frequenter in manu habent boni Catholici. Ad omnem progreſſum, atque motum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, tum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad lumina, ad cubicula, & quocumque eos ducit, vel exercet converſatio, frontem crucis ſigno terunt; quia *crux Domini* (inquit S. Martial. epiſt. ad Toloſanos) *armatura eſt invicta contra ſatanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegẽs pectus, clypeus tela maligni repellens.* Uno verbo crux eſt ſignum Chriſtianiſmi, amor crucis, character boni Chriſtiani. De cultu Sanctis, Sanctorumque imaginibus debito alibi commodiùs fortaſſis differetur, & ex dictis facili negotio conjicere Theologus poteſt.

re percellitur, nemo ad mortem damnatur, niſi rigoroſi præcepti fuerit prævaricatur.

Non poſſunt etiam eludi tam expreſſa teſtimonia, explicando illa de amore affectivo, vel habituali. Nam illâ dilectionẽ ſub interminatione anathematis Doctor gentium, & ſub pœna mortis Joannes intimarunt, quam Chriſtus ad ſalutem eſſe neceſſariam pronuntiavit. Atqui Legiſperito petenti à Chriſto Luc. 10. *Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Ubi de rebus neceſſariis ad ſalutem, ſubindeque de rigore præcepti adimplendis interrogat, reſpondit Salvator: *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis?* Ubi de obligatione legis & præcepti Veritas loquitur. *Ille reſpondens dixit: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Dixitque illi, *Rectè reſpondiſti, hoc fac, & vives.* Ubi luculentiſſimè ad vitam æternam obtinendam requiritur amor non ſolùm ex totis viribus, qui eſt amor effectivus, ſed etiam ex toto corde, qui eſt amor affectivus, eſtque actus voluntatis Deum ſuper omnia diligentis. Quantumcunque enim nitantur Probabiliſtæ, quantumvis advocent Ariſtotelis categorias, Sophiſtarum argutias, Dialectices ſophiſmata, Caramuelis tricas Tamburini ſonos, Sirmundi defenſiones, nunquam efficient, nunquam monſtrabunt poſſe Chriſtianum amare ex toto corde abſque ullo voluntatis affectu, ſicut nunquã etiã ineptiſſimis perſuadere poterunt poſſe hominem audire, videre, cogitare, & alicujus audiendi, videndi, cogitandiq; præceptum adimplere ſine actu auditus, viſus, intellectus.

Quin etiam opus externum, quodcumque illud ſit, & quàmlibet heroïcum foris appareat, ſi ab intentione & interiori affectu cordis Chriſtum amantis non derivetur, perperam amor effectivus nuncupabitur, ſiquidem ex imperio charitatis amantis non procedet; non enim imperat charitas ſine actu; Ergo operatio ex actuali, vel ſaltem præſuppoſito dilectionis affectu non profluens, chimæra amoris eſt, non amor; merum phantaſma, non dilectio; verus ludus & ludibrium, non vera charitas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum: Ergo verbum Dei inaniſſimè ludificantur, præceptumque charitatis ad nihilum redigunt, qui hujuſmodi diſtinctionum fucum adhibent, ut larvâ pro veritate ſuppoſitâ, rem ipſam, id eſt amoris divini obligationem abigant, Chriſtianiſmi characterem deleant, & cor ipſum Religionis invadant. A Patribus recenſendis abſtineo, quia nihil aliud ingentibus voluminibus, quantaquanta ſunt, ſategerunt, quàm ut amoris divini præceptum hominum animis penitus infigerent. Plura, & quidem luculenta variis in locis hujus operis ſelegimus, quæ paſſim tibi occurrent. Vide dicta dum de charitate, & in frequentibus de amore divino reflexionibus. Sufficiat illud Auguſtini teſtimonium, quo omnes diſtinctiunculæ eliduntur: *Rea eſt humana conſcientia, ſi non amaverit redamantem, aut ſi amantem non redamaverit.* Ita *lib. 4. conf. cap. 9.* Si rea ſit conſcientia: Ergo amare rigoris præceptum eſt.

Probatur ratione: Tria ſunt incentiva amoris, bonitas beneficia, amor. Bonitas quidem, quia objectũ voluntatis eſt bonum, ſicut viſûs coloratum, & auditûs ſonorum: unde cùm facultas non poſſit objecti ſui ſphæram tranſilire, nequit voluntas niſi bonum amare, vel verum, vel fucatum: beneficia verò, quia eis ipſa quoque bruta devinciuntur; unde communiter dicitur: *compedes invenit, qui beneficia invenit.* Amor denique amatum ſibi conciliat; durus enim nimis eſt animus, qui amantem non redamat; & qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere. Unde Seneca epiſt. 6. *Monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama.*

Atqui hæc tria in Chriſto in gradu eminentiſſimo certatim inveniuntur. In primis incomparabilis fuit bonitas, pulchritudo, & amabilitas Chriſti; ſiquidem in ipſo eſt plenitudo bonitatis & eſſentialis pulchritudinis divinæ corporaliter inhabitantis; eſt plenitudo pulchritudinis omnigenæ gratiæ ſpiritualis, quâ ejus anima ſine menſura decorata eſt; eſt etiam plenitudo eximiæ pulchritudinis corporalis, de Chriſto enim intelligitur illud: *Speciosũ formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Beneficiis enim indicibilibus nos oneravit, theſauros omnes liberaliſſimæ pietatis ſuæ effudit, poſt dona ſua dedit ſeipſum, dedit ad patiendum & moriendum, dedit indignis, dedit ingratis, & dedit gratis, nullis invitatus meritis, nullis excitatus promiſſis, ſed exaſperatus offenſis per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit nos oriens ex alto, ut monſtraret ſe amore noſtri flagrare, & eo modo nos diligere, qui eſt ſine modo, & ſuper omnem modum.

Ergo Chriſto debemus amorem, vel ut ait S. Paulinus epiſt. 4. *Ergo illum amemus, quem amare debitum eſt: illum oſculemur, quem oſculari caſtitas eſt: illi copulemur, cui nupſiſſe caſtitas eſt: illi ſubjiciamur, ſub quo jacere, ſupra modum erigi eſt: propter illum dejiciamur, cui cadere reſurrectio eſt: illi commoriamur, in quo vita eſt.* Diligamus eum qui prior dilexit nos, amore prælationis omnia infra ipſum, in ipſo, propter ipſum eligentes, & ut ait Cyprian. lib. de orat. Domin. *Diſcamus Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præpoſuit*; amore teneriſſimæ ſuavitatis, ſeu charitatis charum habentis, guſtantes & videntes, quoniam ſuavis eſt Dominus, & bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde; hinc dulciſſimus eſt labor amantium, ſimilis laboribus venantium, aucupantium & piſcantium, ut ait Auguſt. quia in eo quod amatur non laboratur, aut ſi laboratur & labor amatur. Certè indignus eſt corde, qui ſi non ſemper, ſaltem ſæpe actu non diligit illum, qui illuſionibus ſuis noſtros honores, deſolationibus ſuis conſolationes noſtras, ſervitute ſuâ libertatem noſtram, morte ſua vitam noſtram, & profunda ſui humiliatione peccatorum exaltationem comparavit. Eſtne pectus adeo ferreum, adeo ſupra adamantem durum, quod non emolliat bonitas tam immenſa, quod non demulceat miſericordia tam excedens merita & vota, quod non flectant beneficia tam copioſa, denique quod non transfigat, & ferè extinguat adeo inſperata opprimentis dilectio ſuavitatis?

Ex his ultrò ſequitur ſecunda pars; cùm enim amor non ſit otioſus, ſed operetur magna ſi eſt; ſi autem non operatur, non eſt, planè ex amore Chriſti, vitæ & paſſionum ejus imitatio conſequitur; fruſtra enim daretur amor affectivus, qui in voluntate & animo remanet, niſi in exteriores actus ſeſe diffunderet. Requiritur quidem ad ſalutem ardens ille, tener, & plenus ſuavitatis amor, quo in hac vita veluti quibuſdam rivulis aquæ ſalientis in vitam æternam, pias animas nonnunquam conſolatur Deus earum, torrente in patria inebriandas. Sed omninò etiam exigitur, ut interior charitatis affectus, ſi verus ſit, non imaginarius, potentias executivas ad opera moveat. Verus Chriſti amor quodammodo duplex eſt, aliquando enim lumine ſplendet, & abundantiâ quadam ſuavitatis circumfluit, dum nimirum infunditur cœleſtis affectio, *quæ ſale ſapientiæ condita pingueſcens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini*, ut ait Bernard. *ſerm. 9. in Cantic.* Aliquando verò interno guſtu & ſapore deſtitutus aridè quidem, ſed robuſtè animum ad mandata, manum ad operationem impellit. Unde

ſicut

ſicut inanis eſt interior affectio, quæ non prorumpit in actum, ita planè ad ſalutem inutilis & Phariſaïca eſt exterior obſervatio, quæ eſt Chriſti amore deſtituta. Nam ut ait Auguſt. quæſt. 54. ſuper Deuteron. *Si forinſecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo eſt tam inſulſus, qui præcepta arbitretur impleri.*

Amor affectus, radix eſt; amor effectus, fructus eſt; quia Chriſtiana religio nec ſolis operibus contenta eſt ſine amore, nec ſolo amore ſine operibus. Hinc opera ſine caritate quàmlibet ſplendentia, veluti aurichalcum, vel cum Apoſtolo tanquam inanem æris ſonantis tinnitum, imò tanquam nihil reputat Religio noſtra. Ipſum verò internum affectum, quẽ non comitatur operatio, ut phantaſticũ & fallacem reprobat; nec credit pœnitenti affirmanti interiorem amoris vel contritionis ſenſum ſibi adeſſe, niſi probatione operis fiat exhibitio charitatis; quia hypocriſis amoris, non amor Chriſtianus eſt, qui nullum ex ſe novæ vitæ fructum progerminat. Et illi ſe miſerè & miſerabiliter decipiunt, qui de quodã neſcio quo interiori affectu inertiſſimo ſibi blandiens, nullum in operibus dilectionis efficacis produnt veſtigium. Verbo & linguâ diligunt hujuſmodi, vel ut ita dicam extremis mentis labiis amorem divinum deguſtant, ſed non diligunt opere & veritate, id eſt accuratâ præceptorum obſervatione, & ſpiritus verâ charitate, quæ germanus eſt Evangelicæ profeſſionis character. *Nemo attendat linguam*, inquit Auguſtinus, *ſed facta & cor.* Attendantur facta, ut explodatur ſterilis amoris larvata ſimulatio; attendatur cor, ut penitùs eliminetur fœtens operum cadaver, quod non vivificat charitas animæ anima, amoveaturque ridiculum illud, & planè nugatorium ficticii & illuſorii amoris ſimulachrum. *Non ſibi aliquid credat* (inquit Magnus Gregorius) *quidquid ſibi animus ſine operis atteſtatione reſponderit. De dilectione contrariis mens, & lingua, & vita requiritur.*

Reflexio.

Vide jam quid de Deo tuo ſentias; vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus, & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimavit, imò, qui tanti te fecit, inquit Bernard. *ſerm. 2. Domin. poſt Epiph.* O ſi poſſem excitare te, Lector optimè, & tecum pariter excitari, ut tales eſſemus amatores Chriſti boni permanentis, quales ſunt homines amatores mundi fugientis! O ſi poſſem' amore illius mori, qui amore noſtri mori dignatus eſt! Ama, amabò te Lector. *Ama* (inquit amantiſſimus Auguſtinus lib. 2. de catech. rudib.) *amorem illum, qui amore tui amoris deſcendit in uterum Virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumẽ ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis.* Ama illum, qui nos dilexit dulciter, ſapienter, fortiter; dulciter, dum carnem induit; ſapienter, dum culpam curavit; fortiter, dum mortem ſuſtinuit. Ama prævenientem amatorem tuum, qui te tantillum prior dilexit tantus, tantùm, & talis. Ama Chriſtum Chriſtiane, quia nihil juſtius, nihil fructuoſius diligi poteſt. Ama Chriſtum, & fac quod vis. Quid amore illo facilius? quid tam facile bonæ voluntati, quàm ipſa ſibi? Sed quid magis neceſſarium? Cùm juxta veridicum Auguſtinum, dilectio ſola diſcernat inter filios Dei & filios diaboli. Signent ſe omnes ſigno crucis, reſpondeant omnes Amen, cantent omnes alleluia, baptizentur omnes, intrent Eccleſias, impleant parietes baſilicarum, nondum diſcernuntur filii Dei à filiis diaboli: ſola eſt charitas, quæ diſcernit. Ama benefactorem Chriſtum, quia pro omnibus quæ dedit, quid rependas nihil habes, niſi tantùm ut diligas. Neq; enim melius nec gratius, nec decentius quàm per dilectionem rependi poteſt, quod per dilectionem datum eſt.

Itane Chriſtum amant vecordes Chriſtiani, qui corpus Chriſto præferunt, qui de Chriſto nunquam cogitant, nec ſubinde ipſum diligunt; neceſſe eſt enim, ut quò præceſſerit dilectionis theſaurus, illic etiam cogitationis ſequatur affectus; theſaurus cordis ex amore cognoſcitur, & amor cordis frequentiâ cogitationis penſatur? Itane Chriſtum amant, qui Chriſti virtutes imitari erubeſcunt, & in quorum moribus Chriſtus patitur opprobrium, Chriſtus patitur maledictum? Quia diabolo & mundo renuntiant non moribus, ſed ſolùm vocibus; non actu vitæ, ſed ſono linguæ; non *operibus pronuntiantibus, ſed labiis ſonantibus*, ut loquitur Auguſt. *lib. 4. de Symbol. cap. 1.*

Et tamen nullus eſt, vel eſſe debet qui ſe abſcondat à calore ejus, id eſt, ut interpretatur Hugo Cardinalis, nemo eſt qui poſſit ſe ab amore Chriſti excuſare. Excuſent ſe infirmi à jejunio, ab eleemoſyna pauperes, à labore debiles, ab externis functionibus legitimè impediti; ſed nullam de non amato Chriſto excuſationem afferre poterunt. De virginitate, inquit alicubi Caſſiodorus, datur conſilium, non præceptum: Charitas autem à Deo præcipitur, ipſiuſque mandatum fortiter & enixè, ſub interminatione pœnali cordibus humanis indicitur. Voluit Dominus mandatum hoc cuſtodiri nimis, & ut ipſum cordibus noſtris altiùs veluti clavum infigeret, crebros ictus ſæpiùs ingeminavit, priùs ut diligeremus ex toto corde, poſtea quod ex tota anima, demùm quod ex tota virtute noſtra. Sanè duritia cordis noſtri hãc exigebat inculcationis inſtantiam, ut præceptũ intima mentis viſcera pervaderet; ſicut duro ſtipiti clavus crebrâ percuſſione infigitur, donec interius adigatur. Quis ergo tam lapidei cordis, tam duræ cervicis erit, ut illi ſermoni Dei vivo, efficaci, & penetrabiliori omni gladio ancipiti non obtemperet?

Iterum te provoco, Lector, iterum te compello: ama Chriſtum ibi eſt quidquid amare potes, ibi eſt quidquid deſiderare vales. Pro ipſo vive, qui pro nobis mortuus eſt, pro quo mori optandum eſt, pro quo mori, vita & lucrum eſt. Nec dicas non audere te tam infirmum amorem tuum tanto amatori rependere; Chriſtus enim animum tuum vult, aliud non quærit: ſolus ſufficit amor, ſi totum impendis. Divinè Bernardus ſerm. 83. in Cant. *Non planè pari ubertate fluunt amans & amor, anima & Verbum, ſponſa & Sponſus, Creator & creatura, non magis quam ſitiens & fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, deſiderium ſuſpirantis, amantis ardor, præſumentis fiducia; quia non valet ex æquo currere cum Gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum Sole, charitate cum eo qui charitas eſt? Non, nam etſi minùs diligit creatura, quoniam minor eſt; tamen ſi ex toto ſe diligit, nihil deeſt ubi totum eſt.*

DISSERTATIO II.

De infantia Salvatoris.

TOTAM Redemptoris œconomiam reducit S. Doctor ad quadripartitam conſiderationem. In prima contemplatur ea quæ pertinent ad ingreſſum ejus in mundum. In ſecunda agit de his quæ pertinent ad progreſſum vitæ ipſius in hoc mundo. In tertia tractat de exitu ipſius ab hoc mundo. In quarta ſermonem habet de his quæ pertinent ad exaltationem ipſius poſt hunc mundum, ſeu poſt hujus mundi vitam. Huic ordini inhærentes prius explicamus

Digitized by Google

mus quidquid pertinet ad myſteria infantiæ Chriſti; & quanvis D. Thomas præmittat conſiderationem Sanctiſſimæ ejus Matris, eam tamen in ultimam diſſertationem rejicimus, quia S. Th. agit de illa non ſolùm *quæſt.* 27. 28. & 29. ſed etiam *quæſt.* 35. Unde, ut præclara quæ in diverſis locis ſparſit Angelicus Doctor elogia in unum veluti faſciculum colligamus, ea uno obtutu legenda ultimâ & ſpeciali diſſertatione objicimus.

CAPUT I.

De his quæ pertinent ad conceptionem Chriſti.

QVando venit temporis plenitudo, & fortunatum illud momentum, in quo verbum caro fieri voluit, peracta per Gabrielem Annunciationis B. Virginis legatione, ſtatim ſupremus ille Spiritus, cujus virtus in immenſum porrecta, nec loco clauditur, nec ætate variatur, nec opinione comprehenditur, nec æſtimatione cõcluditur, intra uteri virginalis viſcera claudi voluit, non recedendo unde erat, non veniendo quò non erat, qui totus ubique eſt, ſed aſſumendo humanitatem. Tria circa hanc ineffabilem conceptionem ſpeculabimur, materiam & ſtirpem, ex qua formatus eſt Chriſtus; principium, à quo formatus; modum & perfectionem prolis conceptæ.

Specvlatio I.

Convenientiſſima fuit materia conceptionis corporis Chriſti: convenienter etiam genealogia ejus deſcripta.

PRima pars probatur diſcurrendo per omnia, quæ in illa materia attendi poſſunt. Imprimis valdè conveniens fuit, ut caro illa eſſet ex ſtirpe Adæ. Tum quia Chriſtus humanam naturam aſſumpſit, ut eam à corruptione purgaret: ſola autem caro ab Adamo derivata, infecta erat & vitiata: unde convenienter eam ſibi Deus univit, ut eam aſſumptione curaret. Tum quia conveniens fuit, ut in illa carne exhiberetur Deo ſatisfactio, per quam fuerat offenſus. Tum quia ad majorem hominis dignitatem pertinet, quod ex illo genere victor diaboli natus ſit, quod per diabolum fuerat victum. Tum quia in hoc Dei potentia magis relucet, dum de natura infirma aſſumpſit id quod in tantam dignitatem promotum eſt. Tum quia licèt Chriſtus debuerit eſſe à peccatoribus ſegregatus quantum ad culpam, quam venerat deſtruere, non tamen quantum ad naturam, quam venerat ſalvare, ſecundum quam debuit per omnia fratribus aſſimilari. Et in hoc mirabilior eſt ejus innocentia, quod è maſſa peccato ſubjecta puriſſimam aſſumpſerit naturam; & ideo Chriſtus appellatur 1. Cor. 15. *Secundus homo de cœlo cœleſtis*, non quantum ad materiam corporis, ſed quantum ad puritatem conceptionis, quia licèt corpus ejus fuerit in Adam ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, non tamen ſecundùm ſeminalem rationem, ideo non contraxit originale peccatum, ne debitum illius, ſicut cæteri qui ab Adam per viam vitilis ſeminis derivantur. Non eſt autem ſenſus hujus doctrinæ, corpus Chriſti fuiſſe in Adam tanquam in materiali principio, ita ut aliqua pars corporis Adæ poſſit deſignari ad hoc, ut ex illa determinatè formatum ſit corpus Chriſti, ſed quia in Adamo ſicut in principio activo virtualiter continebantur omnes poſteri, & per virtutem generativam Adæ, & aliorum ab eo deſcendentium factum eſt, ut illa materia præpararetur ad conceptum corporis Chriſti.

Secundò conveniens fuit ut caro Chriſti deſcenderet ex ſtirpe Abrahæ, & Davidis. Tum quia ad illos ſpecialiter de Chriſto promiſſio facta eſt, juxta illud Galat 3. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit, ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Ad David autem dictum eſt, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Tum quia Chriſtus futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos: unde conveniens fuit, ut deſcenderet ex Abraham, qui fuit Sacerdos, & Propheta, ut patet *Geneſ.* 15. & 20. David autem fuit Rex & Propheta. Tum quia in Abraham incepit circuncifio, in David autem maximè manifeſtata eſt Dei electio, juxta illud 1. Reg. 15. *Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum.* Et ideo Chriſtus ſpecialiſſimè dicitur filius Abraham, & filius David, ut oſtendantur eſſe in ſalutem circuncifioni judæorum, & electioni Gentilium.

Tertiò convenientiſſimum fuit, Filium Dei carnem aſſumere ex fœmina. Tum ut tota natura nobilitaretur, dum maſculinus ſex⁹ de fœmineo aſſumptus eſt. Tum ut firmaretur veritas Incarnationis, & præcluderetur error dicentium, Chriſtum non eſſe verum hominem. Tum ut compleretur omnis diverſitas generationis humanæ. Nam Adam ex limo ſine viro & fœmina productus eſt, Eva ex viro ſine fœmina, cæteri homines ex viro & fœmina; Chriſto verò reſervatum eſt, produceretur ex fœmina ſine viro. Tum quia decentiſſimum fuit, ut purus ſpiritus de virgine naſceretur; nullum enim eſt Deo dignius habitaculum, quàm cordis corporiſq; munditia, juxta illud Bernard. *homil.* 2. *ſuper* Miſſus eſt: *Deum hujuſmodi decebat nativitas, quâ non niſi de Virgine naſceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum.* Et ideo corpus Chriſti de puriſſimo inviolatæ Virginis ſanguine formatum eſt, non verò ex ſemine fœmineo, quod eum quadem concupiſcentia reſolvi ſolet. In illo autem conceptu virginali concupiſcentia locum habere non potuit: igitur B. Virgo virtute generativa ſanguinem puriorem & defæcatiorem ad locum generationis naturalis tranſmiſit. Per quod excluditur error & ſomnium quorundam affirmantium, corpus Chriſti ex tribus guttis ſanguinis circa cor Deiparæ exiſtentis fuiſſe formatum. Nam expreſsè dixit Angelus, *Ecce concipies in utero.* Et certè ut B. Virgo ſit verè & propriè Mater Dei, oportuit ut in ejus conceptione ea omnia intervenirent, quæ ex parte fœminæ ſolent concurrere, nimirum ſanguis naturalis digeſtione quadam præparatus, & locus naturalis.

Quartò genealogiam Chriſti convenientiſſimè & ordinatiſſimè ſacri Evangeliſtæ texuerunt enumerantes Patres, & ex quibus Chriſtus proceſſit. Quod ut dilucidè explicetur, atq; præoccupentur plures difficultates, notandum primò Evangeliſtam ut ſatisfaceret conſuetudini Scripturarum, non texuiſſe genealogiam Chriſti per viam matris, ſed per B. Ioſeph Patrem ejus putativum; cum quo tamen ſtat, Chriſtum eſſe ex ſtirpe David, quia B. Virgo ex ſemine David per lineam paternam deſcendit, & non de tribu Levi, aliàs abſolutè Chriſtus non eſſet de tribu Juda, contra expreſſum Apoſtoli *Hebr.* 7. teſtimonium: *Manifeſtum eſt enim, quod ex Iuda ortus eſt Dominus noſter.* Illius enim tribûs verè ac ſimpliciter Chriſtus membrum eſt, ex cujus primo capite per lineam maſculinam ortus eſt. Et ratio eſt, quia *Num.* 36. præcipitur: *Omnes viri ducant uxores de Tribu, & de cognatione ſua, & cuncta fœminæ de eadem Tribu maritos accipiant, ut hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur Tribus, ſed ita maneant, ut à Domino ſeparata ſunt.* Et quanvis de hac lege, ejuſque obligatione magna ſit inter authores diſſenſio; apud omnes tamen conſtans eſt illam ſaltem obligaſſe mulieres,

reo, ad quas pertinebat hæreditas ut patet ex fine legis, quam exprimit ſacer textus, dicens: *Vt hæreditas permaneat in familiis.* Atqui B. Virgo erat filia unica Joachim & Annæ, proindeque ſola hæres poſſeſſionis, & domus eorum: Ergo nupſit viro ejuſdem tribûs, & cognationis. Atqui S. Joſeph fuit de tribu Juda, & de familia David, ut patet *Matth, & Luc.* 1. Ergo B. Virgo fuit de eadem tribu. Unde ſequitur, quod quia eadem erat linea generationis Joſeph & Mariæ, convenienter ſacri Evangeliſtæ filum genealogiæ Chriſti ab Abrahamo ad Joſeph duxerunt; quia ſic & conſuetudini Hebræorum ſatisfecerunt, & ſimul à veritate minimè receſſerunt.

Notandum ſecundò, ad conciliandam apparentem diſſonantiam Matthæi & Lucæ, quorum ille dicit Jacob genuiſſe Joſeph, iſte verò ait Joſeph eſſe filium Heli, plura ſcribi à Doctoribus: ſed ſolidior explicatio traditur à S. Thoma poſt Auguſtinum, & Hieronymum, ut nimirum Matthæus carnalem, Lucas verò legalem genealogiam texuerint. Jacob enim & Heli erant fratres uterini: mortuo autem Heli abſque liberis, Jacob frater ejus duxit uxorem Heli, ut ſemen fratris defuncti ſuſcitaret, juxta præceptum legis *Deut.* 25. Unde Joſeph duos habuit Patres, alterum naturalem, ſcilicet Jacob; alterum legalem, ſcilicet Heli. Alio modo ſatis probabili hanc difficultatem explanat Medina, dicens Lucam texuiſſe genealogiam Chriſti per lineam naturalem, deſcribendo ſeriem generationis per Joachim Patrem B. Mariæ, quem dicit ſignificari aliis duobus nominibus Eliacim & Heli; quia Pater B. Virginis habebat duo nomina, & apud Hebræos nuncupabatur Heli, apud Romanos Joachim, ſicut Apoſtolus apud Judæos Saulus, apud Romanos Paulus dicebatur. Hoc poſito ſic exponi poteſt Lucæ narratio, ut dum ait de Joſeph, *qui fuit Heli*, ſit ſenſus, Joſeph eſſe Filium Heli, non quòd ſit ab eo genitus, ſed quia propter vinculum matrimonii pater filiæ rectè dici ſolet pater mariti ejus. Niſi malis dicere cum M. Cano *lib.* 1. *de locis, cap.* 5. illa verba, *qui fuit Heli*, referri ad Jeſum; illa verò verba, *ut putabatur filius Ioſeph*, legantur per parentheſim, hoc modo: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta (ut putabatur filius Ioſeph) qui fuit Heli*: ubi relativum *qui*, refert Jeſum, non Joſeph proximè nominatum, & ſignificat Jeſum eſſe filium Heli, ſeu Joachim, non immediatè ab eo genitum, ſed mediante Beatiſſima Maria.

Reflexio

Carnem humanam aſſumpſit purus ſpiritus, ut homines carnales efficeret ſpiritales. *Quem terrenum fecerat, fecit eſſe cœleſtem; animatum humano ſpiritu, ſpiritum vivificat in divinum, & ſic eum totum tollit in Deum, ut in eo quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terra eſt, nihil relinquat*, ait Chryſol. *ſerm.* 148. Hic eſt finis Incarnationis, hic fructus, ut ſpiritaliter formetur in nobis Chriſtus, qui ideo voluit concipi de Virgine, non ſolùm quia fas non erat ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta, ſed præcipuè in ſignum ſpiritualis regenerationis, qua non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo naſcimur. Unde Auguſt. *Oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundùm corpus naſci de virgine, ut ſignificaret ſua membra de virgine Eccleſia ſecundùm ſpiritum naſcitura.*

Pulchrè autem obſervat D. Thom. *opuſc.* 60. *art.* 3. tria eſſe ſigna, quibus dignoſcere poſſumus num Chriſtus conceptus ſit in cordibus noſtris. *Beata Virgo* (inquit) *poſt conceptionem tria legitur feciſſe, per quæ tria deſignanter myſticè, quibus qualibet anima ſancta poſt conceptum ſpiritualem Verbi Dei debet inſiſtere.* Primò B. Virgo montana conſcendit, quo ſignificatur virtutum perfectio; anima enim quæ Deum concepit, ſtatim virtutum cacumina greſſu amoris aſcendit, ardua aggreditur, vim ſibi infert, difficultatibus non ſuccumbit, nec adverſitatibus frangitur, nec proſperitate mollitur; quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Secundò B. Virgo ſalutavit Elizabeth, per quod ſignificatur fraterna dilectio, cui anima poſt Deum conceptum operam dare tenetur. 1. Joan. 3. *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Vnde Auguſtin. *Beatus eſt, qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Vbi vera dilectio eſt, quid eſt quod poſſit deeſſe? Vbi vero non eſt, quid eſt quod poſſit prodeſſe?* Tertio B. Virgo Dominum magnificavit, & in laudes ejus, quem conceperat, effuſiſſimè prorupit. Sic anima concepto Deo eructat cantica laudis & exultationis, Deumque magnificare ſatagit, dum omnes & interni hominis affectus, & externi conatus divinis mancipat obſequiis, ſoliuſque Dei cogitatione & amore delectatur.

Speculatio II.

Conceptio corporis Chriſti convenienter Spiritui ſancto tribuitur.

NOn eſt quidem dubium, quin tota Trinitas conceptionem corporis Chriſti fuerit operata, ſicut enim indiviſa eſt Trinitatis eſſentia & virtus, ita indiviſa ſunt opera Trinitatis ad extra. Non etiam dubium quin opus conceptionis illius toti Trinitati commune, ſecundùm aliquem modum attribui poſſit ſingulis perſonis; nam Patri attribuitur potentia, Filio ſapientia, Spiritui ſancto bonitas, quæ in hoc myſterio certatim collucent. Tamen quia Eccleſia ſpecialiter aſſerit Chriſtum conceptum eſſe de Spiritu ſancto conformiter ad illud Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*; ideo hujus convenientiæ ſunt aſſignandæ.

Prima: Quia Spiritus ſanctus eſt amor Patris & Filii, ac ſuaviſſimus voluntatis illorum terminus: Ergo illi peculiariter aſſerendum eſt opus, in quo amor Dei ſeipſum ſuperaſſe videtur; tale autem eſt opus Incarnationis, ut ex toto decurſu hujus libri patet, & declarat Joannes cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Quæ particula, *ſic*, ut benè notat Caietanus, ineffabilem magnitudinem amoris, effabilem modum amandi ſignificat. Vnde Bernard. *Scias amoris fuiſſe, quod plenitudo effuſa eſt, quod altitudo adæquata eſt, quod ſingularitas aſſociata eſt.*

Secunda: Spiritus ſanctus eſt fons totius gratiæ, unde ei attribuuntur ſeptem dona, & Apoſt. 1. *cor.* 12. omnes ei aſcribit gratiarum diviſiones: Ergo illi congruè appropriatur opus, quod eſt gratiarum omnium ſcaturigo, de cujus plenitudine omnes accipiunt, & in quo pura Dei gratia ſummè relucet: tale autem eſt opus Incarnationis, in quo natura humana nullis præcedentibus meritis eò promota eſt, quo non plus ultra. Unde Bernard. in quadam epiſtola: *Nemo hominum novit, nec noſcere poteſt ad plenum, quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad ſapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad ſalutem penes ſeipſam contineat hujus myſterii, ſcilicet redemptionis humanæ, inſcrutabilis altitudo.*

Tertia: Spiritus Sanctus eſt Pater filiorum adoptionis, & author totius Sanctitatis; nam in ipſo clamamus *Abba Pater*, ut dicitur *Gal.* 4. & ipſi dicitur *Spiritus ſanctificationis* Rom. 1. Ergo illi ſingulariter aſſerenda eſt Incarnatio Chriſti, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute *ſecundùm Spiritum ſanctificationis.* Et *Luc.* 1. de Chriſto dicitur; *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur*

bitur

bitur Filius Dei. Quæ ponderans Bernard. *homil. 4. ſuper Miſſus eſt, ait: Attende, quæſo, quàm reverenter dixerit, quod naſcetur ex te Sanctum. Ad quid enim ita ſimpliciter Sanctum, & abſq; additamento? Credo quia nō habuit quid propriè dignève nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de puriſſima videlicet Virginis carne cum ſua anima Unico Patris erat uniendum. Si diceret Sancta caro, vel Sanctus homo, vel Sanctus infans, quidquid tale poneret, parum ſibi dixiſſe videretur. Poſuit ergo indefinitè Sanctum, quia quidquid illud ſit quod Virgo genuit, Sanctum procul dubio, ac ſingulariter Sanctum fuit, & per Spiritus ſanctificationem, & per Verbi aſſumptionem.*

Quarta, Spiritus ſanctus non ſolùm eſt caſtitatis amator, ſed etiam archetypus Virginum, quia intra Deum nihil producit; Ergo illi convenientiſſimè opus illud attribuitur, quod eſt fructus virginei candoris. O quàm pulchra, quàm caſta illa generatio, in qua mater Virgo eſt, author Spiritus ſanctus! Sanè talia principia exigebat Verbum Incarnatum; nam ut præclariſſimè diſcurrit S. Doctor. 4. *contra Gent. cap. 45. & 46.* conveniens erat ut in generatione humana Verbi Dei aliqua proprietas ſpiritualis generationis Verbi reluceret: Verbum autem ſive interiùs conceptum, ſive exteriùs prolatum corruptionem dicenti non affert, ſed magis perfectionis plenitudinem ſignificat. Conveniens igitur fuit, ut Verbum incarnaretur de Virgine, matriſq; integritatem non corrumperet, ſed adornaret. Rurſum: Sicut Verbum noſtrum in mente conceptum inviſibile eſt, exterius autem voce prolatum ſenſibile fit: ita Verbum Dei in corde Patris inviſibiliter exiſtit, per Incarnationem autem nobis ſenſibile factum eſt: unde Verbi Incarnatio eſt ſicut vocalis Verbi noſtri expreſſio: formatur autem vox per Spiritus attractionem: igitur convenienter Incarnatio Verbi ſicut in Virgine, ita per Spiritum ſanctum facta eſt.

Quinta: Sicut potentia Patri, ſapientia Filio, ita bonitas appropriatur Spiritui ſancto, ut aliàs diximus. Sed in opere Incarnationis bonitas Dei præcipuè refulget; tunc enim potiſſimùm manifeſtatur bonitas, quando ſine indigentia dantis communicat Deus bona maximè indebita, & ſibi propria: conſtat autem perſonam divinam nullatenus indigere natura humana, & eſſe bonum omninò indebitum, & Deo propriiſſimum: Ergo in unione divinæ perſonæ cum natura humana bonitas Dei ſingulariter refulget. Unde Bernard. *Quid tantoperè declaravit ejus miſericordiam, quàm quod ipſam ſuſcepit miſeriam? Quid tam pietate plenum, quàm quod Dei Verbum propter nos factum eſt fœnum?*

Sed obſerva primò cum D. Thoma *quæſt. 32 art. 2.* quod Chriſtus debet dici conceptus de Spiritu ſancto, quia præpoſitio, *de*, ſignificat & habitudinem cauſæ efficientis, ut cùm dicimus *Radius procedit de ſole*; & conſubſtantialitatem, ut cùm dicitur, *Filius procedit de Patre.* In Spiritu Sancto autem duplex habitudo conſideratur reſpectu Chriſti; nam ad corpus aſſumptum habitudinem dicit cauſæ efficientis, ad perſonā verò aſſumentē dicit habitudinem conſubſtantialitatis. Licet autem hoc ita ſit, addit tamen S. Doctor, *ad* 1. nō poſſe dici corpus Chriſti eſſe cōceptū de Spiritu ſancto, ſed magis ex Spiritu ſancto, quia ſecundùm Auguſtinum particula, *de*, ſignificat conſubſtantialitatem; particula verò, *ex*, ſignificat efficientiam: corpus autem Chriſti formatum quidem fuit à Spiritu ſancto, ſed illi minimè conſubſtantiale eſt.

Obſerva ſecundo, quod licèt Chriſtus conceptus ſit de Spiritu Sancto, non tamen propterea Spiritus eſt pater filii, nec perfectâ filiatione, quæ conſequitur perfectam generationem, quæ eſt origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ; patet vero hac ratione Chriſtum non procedere à Spiritu Sancto, nec ſecundùm humanam naturam, nec ſecundùm divinam: nec imperfectâ filiatione, quæ ſequitur imperfectam ſimilitudinem, qualis invenitur in homine creato ad imaginem & ſimilitudinem Dei, & recreato ſecundùm ſimilitudinem gratiæ; quia licèt Chriſtus ſecundum humanam naturam ſit creatus & juſtificatus; tamen eſt verus filius naturalis: & illud quod de aliquo dicitur ſecundùm perfectam rationem, non debet dici de eo ſecundùm rationem imperfectam, ut ſuperiori libro oſtendimus, monſtrantes Chriſtum non poſſe dici Filium adoptivum.

Reflexio.

Multa parimus, majora concipimus; & tamen nihil ex nobis naſcitur ſanctum, ſed poſt conceptum dolorem parimus iniquitatem, quia non concipimus de Spiritu Sancto. Seminamus multùm, inferimus parum, imò nihil invenimus in manibus noſtris; quia vel ex ſanguinibus, vel ex voluntate carnis, non ex Deo nati ſumus. Uno verbo, adhuc carnales ſumus, nec Spiritu Dei agimur, ſed quærimus quæ noſtra ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Revelationes carnis & ſanguinis ſemper audimus, ſemper ſequimur. Quid ergo mirum ſi eliciamus opera carnis, nam *quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Joan. 3.

Pulchrè obſervat Hugo Cardinalis, tribus modis cognoſci poſſe, an ſpiritales ſimus, ſicut tria ſunt ſigna Spiritus Dei. Primum ſpiritus ſignum eſt nulla re temporali includi poſſe, unde ſpiritus non ſunt in loco per ſuam ſubſtantiam, ſed per operationem ſubjicientem ſibi locum, & quæq; ſuis ordinantem locis, nuſquam contentam locorum: & de Spiritu Domini dicitur, quod ferebatur ſuper aquas, illis nequaquam immerſus. Sic vir ſpiritalis rebus omnibus eminet, fugitque grandem illam humani cordis perverſitatem, quæ utendis fruitur, & fruendis utitur. Secundò ſpiritus nihil familiare habet cum carne. Luc. ultimo: *Spiritus carnem & oſſa non habet.* Sic in doctrina Spiritus perfectè eruditi omnem parentum, propriique amorem corporis deponunt, & ſponte obſequuntur Veritati dicenti, Matt 10. *Veni hominem ſeparare adversùs patrem ſuum, & filiam adversùs matrem ſuam, & nurum adversùs ſocrum ſuam.* Tertio ſpiritus ſpirat, & flat ad comburendum. Job. 37. *Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cum perflata fuerit terra Auſtro?* Spiritus flat ad liquefaciendum cor hominis per amorem. Pſalm. 147. *Emittet Verbum ſuum & liquefaciet ea; flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Spiritus flat ad maturandum benè olentes virtutum fructus. Cant. 4. *Surge aquilo, veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Spiritus flat ad irrigandam aridam ſeu terram. Job. 37. *Flante Deo creſcit gelu, & rurſum latiſſimæ funduntur aquæ.* Spiritus flat ad animandum. Geneſ. 2. *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Ille ergo verè ſpiritalis eſt, cujus cor concaleſcit intra ſe, & in meditatione ejus exardeſcit ignis, dum amore fervens, & deſiderio ad cœleſtem patriam anhelans in aquas reſolvitur lacrymarum, ut vulneris ſui ſanguinem prodat. Nec lacrymis mentiri doctis contentum eſt, ſed profert quotidie foris fructus honoris & honeſtatis, intus vero bibit aquam illam, ex qua omnis qui bibit, non ſitiet iterum, ſed fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam; quia Deo inchoativè fruitur, nec faſtidit, quo frui magis ſitit. Unde animatur ad pugnam, aggreditur interritus hoſtes, & concupiſcentem adversùs ſpiritum carnem debellat, vincit, & coronatur. Hic eſt ſpiritalis vir è ſpiritu natus, de Spiritu Sancto concipiens, & fructificans in vitam æternam.

Sed quomodo carnalis homo ſpiritalis efficitur? Quomodo poſſunt hæc fieri? Quomodo poteſt ho-

mo naſci, cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire & renaſci? Facit hoc miraculum oratio, quæ incipientibus ſpiritum, proficientibus præſidium, pœnitētibus ſolatium præſtat: per quam quidquid fides inchoat, ſpes cumulat, charitas decorat. Confugiat ergo ad miſericordiam Dei, qui vult ſpiritalis fieri, ut det quod jubet, atque inſpiret gratiæ ſuavitatem per Spiritum Sanctum, faciatque plus delectare quod præcipit, quàm delectet quod impedit. Facit hoc miraculum charitas per quam habitat in nobis Spiritus Sanctus, poſtulatque pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Quis eſt iſte Spiritus* (ait Auguſt. tract. 6. in epiſt. Joan.) *qui interpellat pro nobis, niſi ipſa charitas, quæ in te per Spiritum Sanctum facta eſt. Charitas ipſa gemit, ipſa orat: contra hanc claudere aures non novit qui dedit illam.* Facit hoc miraculum Chriſtus in ſacrificio Altaris, & in pectore noſtro per ſacram Synaxim realiter præſens. Tunc enim maximè impletur quod Auguſtin. dixit in Pſalm. 85. *Ipſe Salvator & orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noſter; orat in nobis, ut caput noſtrum; oratur à nobis, ut Deus noſter. Agnoſcamus ergo & in illo voces noſtras, & voces ejus in nobis.* Denique facit hoc miraculum puritas intentionis, veritas operationis, qua quærentes primùm regnum Dei & juſtitiam ejus, eligimus potiora, & viciniora ſalutis. Nec illos utique carnales Doctores ſequimur, qui ratione ſolius voluptatis poſſe operari creaturam rationalem ſcriptis tradere non erubuerunt. Audiant quæſo, & niſi obſurduerint, confundantur ad hanc Senecæ vocem epiſt. 88. *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit atque abigit, alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit; nec unquam ad illas propter ipſas venit. Scit optimum eſſe modum cupidinum, non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere.* Obſecro hujuſmodi laxones verbis Auguſtini *lib. 4 cont. Iul. cap.* 14. quæ talia ſunt: *Non ſit honeſtior Philoſophia gentium, quàm noſtra Chriſtiana.*

Speculatio. III.

Multa miracula in illa Verbi Incarnati Conceptione nitent.

VErè dixit D. Thom. *quæſt. 33. art.* 4. conceptionem Chriſti eſſe ſimpliciter miraculoſam & ſupernaturalem; quia licèt id quod eſt ex parte materię quam mater miniſtravit, ſit aliquid naturale; ſi tamen conſideretur id quod eſt ex parte virtutis activæ, totum eſt miraculoſum, totum ſupernaturale & divinum; cùm ad hoc tetenderit actio illa, ut terminus totalis conceptionis ſit Deus homo, & homo-Deus. Et quia unumquodque magis judicatur ſecundùm formam, quàm ſecundùm materiam; magiſque ſecundùm agens quàm ſecundùm patiens, id eſt magis ſecūdùm id quod eſt actuale, quàm ſecundùm id quod eſt materiale & potentiale; inde etiam fit, quod conceptio Chriſti debet dici ſimpliciter miraculoſa & ſupernaturalis. Hoc etiam clarebit diſcurrendo per miracula quæ in illa effusè micant.

Primum eſt; Conceptio Chriſti facta fuit in inſtanti; nam ut ait Gregor. 18. Moral. cap. 33. *Angelo nuntiante, & Spiritu Sancto adveniente mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro.* Aſtipulatur Damaſc. lib. 3. cap. 2. *Simul caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata animâ rationali & intellectuali.* Et hujus ſignum eſt, quod Eccleſia celebrat feſtum Incarnationis eodem die quo Annunciatio Angelica peracta eſt, quod ut minimum convincit ad conceptionem illam non fuiſſe requiſita ea temporum intervalla, quæ in ſolitis conceptionibus fluunt. Idem tradunt illi Patres qui docent eandem fuiſſe actionem, quâ humanitas producta, & à verbo aſſumpta fuit, quos ſuperiori libro retulimus, quibus adde quod habetur in epiſt. Sophronii in VI. Synodo generali, *act.* 11. approbata. *Incarnatur Verbum Deus non præfactæ carni copulatus, præformatove, atque in ſeſe præſubſiſtenti aliquando corpori collimitus, vel animæ præexiſtenti conjunctus, ſed tunc iis ad ſubſiſtendum venientibus.* : : : *Sed cum Verbi ipſius naturali conventu ſubſiſtentiam habitura concurrerunt, & ne quantum ictu oculi hanc, quàm illam priorem habentia.* Idem docet Anaſtaſius Papa in fragmento epiſtolæ, quæ habetur in 2. tom. Concil. *Simul atque Virgo protulit ea verba, Ecce ancilla Domini, conceptio carnis, & infuſio animæ, & aſſumptio fuerunt abſoluta.* Et ratio eſt, tum quia tanto aliquod agens poteſt citiùs materiam diſponere, quanto majoris virtutis eſt: igitur agens infinitæ virtutis poteſt in inſtanti materiam ad debitam formam præparare; cōceptio autem Chriſti eſt opus Spiritus Sancti, cujus virtus eſt illimitata. Tum quia humana natura non fuit aſſumpta, niſi in ſua natura perfecta, cùm partes humanitatis non ſint aſſumptibiles niſi ratione totius; nec congruum erat corpus informe aſſumi à Verbo: Ergo in eodem inſtanti, quo B. Virgo materiam miniſtravit, ſtatim formam & figuram humani corporis accepit, ita ut in eodem inſtanti ſanguis cōverſus fuerit in carnem & alia membra organica, creata fuerit anima, & ſimul facta aſſumptio corporis animati in unitatem divinæ perſonæ. Totum verò temp⁹, quo in utero matris ſacrum illud corpus fuit, ſervivit augmento corporis ejus, quod in aliis deſervit converſioni, figurationi, animationi, & augmento, qua in re ſolitis hominum conceptionibus Divina Incarnatio immenſùm antecellit. Nam in aliis hæc ſucceſſivè contingunt, ita quod maris conceptio non perficiatur uſq; ad quadrageſimum diem, ut tradit Ariſtoteles *lib. 9. de animal.* fœminæ autem uſque ad nonageſimum. Porrò in maſculi formatione, ſecundùm Auguſtinum à D. Thom. *in 3. diſt. 3. quæſt. 5. art.* 2. relatum, ſic procedit natura. Semen primis ſex diebus lactis habet ſimilitudinem, novem diebus vertitur in ſanguinem, deinde duodecim diebus ſolidatur, poſtea decem & octo diebus formatur uſque ad perfecta membrorum lineamenta. Vnde verſus: *Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine terni: Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.* Quæ ſucceſſio in Chriſto non fuit.

Adverte tamen quod in cōceptione corporis Chriſti quædam fuerunt præambula, alia verò conſequentia, quæ nō fuerunt in inſtanti. Præambulus fuit motus localis ſanguinis ad locum generationis; conſequens verò fuit augmentum, quo corpus formatum perductum eſt ad debitam quantitatem. Primum quidem non potuit eſſe in inſtanti, quia hoc eſt contra rationem motus localis, de cujus eſſentia eſt, ut partes corporis ſucceſſivè ſubintrent locum. Augmentum pariter non potuit eſſe inſtantaneum, tum quia non eſt ſine motu locali, tum etiam quia procedit ex virtute animæ operantis in corpore formato, quæ non operatur niſi in tempore.

Secundum miraculum: In eodem inſtanti, quo caro fuit formata, fuit etiam unita Verbo Dei, & animata anima rationali. Patet ex dictis, quibus adde, quod ſi caro fuiſſet formata antequam unita Verbo, vel haberet corpus perſonalitatem creatam, qua ſubſiſtere potuiſſet, & ſic eſſent duæ perſonæ in Chriſto; vel debuiſſet perſona Verbi adveniens corrumpere ſubſiſtentiam creatam, quod eſt inconveniens: nā Verbum non venit deſtruere, ſed perficere humanitatem. Adde quod ſic tota conceptio Verbo non poſſet attribui, ſi ab ipſo conceptionis initio non fuiſſet aſſumpta humana natura à Verbo; ac proinde illa generatio non eſſet uniformis, quia non eſſet à principio uſque ad finem conceptio hominis-Dei

ſed

Digitized by Google

ſed in principio puri hominis, & deinde hominis-Dei. Unde nec B. Virgo poſſet dici mater Dei, ſiquidem filium ſuum præexiſtentem Verbum aſſumpſiſſet, ut rectè D. Thomas 4. *cont. Gentes, cap.* 4. intulit.

Ex his ſequitur altera pars, ſcilicet corpus illud in eodem inſtanti fuiſſe informatum animâ rationali. Tum quia Verbum non aſſumpſit corpus, niſi mediante animâ; nec corpus humanum eſt magis aſſumptibile, quàm alia corpora, niſi per ordinem ad animam rationalem, per quam fit corpus humanum. Tū quia poſita perſonalitate hominis generati, neceſſe eſt ponere corpus & animam rationalem; quia hypoſtaſis & perſonalitas eſt ultimum complementum naturæ: Ergo ſi in ipſa conceptione fuit perſonalitas Chriſti hominis, opportuit quod corpus & anima ibi adeſſent. Tum quia inconveniens fuiſſet, ut Verbum quod eſt fons & origo omnium perfectionum & formarum, alicui rei informi, & eſſentialem perfectionem nondum habenti uniretur, corpus autem ſine anima informe eſt, carens complemento ſpeciei ſuæ, & naturæ.

Tertium miraculum: In primo inſtanti conceptionis Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ ſanctificantis animam & corpus. Abundantia enim gratiæ ſanctificantis animam Chriſti derivatur tanquam proprietas ex ipſa Verbi unione, ſecundùm illud Joan. *Vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ergo cùm in primo inſtanti conceptionis corpus animatum fuerit unitum Verbo, planum eſt in illo eodem inſtanti illis gratiarum & chariſmatum donis fuiſſe animam perfuſam, quæ ſuperiori libro deſcripſimus. Et ideo *Luc.* 1. dicitur: *Quod naſcetur ex te Sanctum*, quod ſic exponit Greg. lib. 18. Moral, cap. 35. *Ad diſtinctionem noſtræ Sanctitatis Ieſus Sanctus naſciturus aſſeritur; nos quippe ſi Sancti efficimur, non tamen naſcimur, quia ipſa naturæ corruptibilis conditione conſtringimur: ille autem ſolus veraciter Sanctus natus eſt, qui ex conjunctione carnalis copulæ conceptus non eſt.*

Quartum miraculum: In eodem primo conceptionis inſtanti Chriſtus habuit perfectum uſum operationis intellectus & voluntatis, ſubindeque liberi arbitrii. Quia Chriſto Domino aſſerenda eſt ea perfectio, quæ decet præſtantiſſimam dignitatem Chriſti; magis autem confert dignitati Chriſti, quod intellectus & voluntas ejus habuerint ſuam ultimam perfectionem, quæ non conſiſtit in potentia vel habitu, ſed in operatione; cum teſte Philoſopho, unumquodque ſit propter ſuam operationem: Ergo Chriſtus habuit illam operationem, quæ poteſt in inſtanti haberi, qualis eſt operatio intellectus & voluntatis, in qua conſiſtit uſus liberi arbitrii. Nec enim eſt neceſſe, quod eſſe ſit prius tempore quàm agere; ſed ſufficit quod ſit prius naturâ; quia ſimul atque agens habet eſſe perfectum, incipit agere, niſi ſit aliquid impediens, ſicut ignis ſimul dum generatur, incipit illuminare, quia illuminatio perficitur in inſtanti; & ſimiliter ſubitò & in inſtanti perficitur operatio intellectus, & voluntatis, multò magis quàm viſio corporalis.

Hoc privilegium Chriſti conceptionis tradit perſpicuè Scriptura Hebr. 10. *Ideo ingrediens mundum* (ſcilicet Chriſtus per naturæ humanæ aſſumptionē) *dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio.* Vbi deſcribitur Redemptor in ipſo conceptionis exordio ſeipſum ſponte Deo immolans, ſubindeq; liberum habens intellectus & voluntatis uſum. Colligitur etiam eodem veritas ex illo Ierem. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Vbi clarè indicatur, Chriſtum in utero Deiparæ geſtatum fuiſſe virum, id eſt animæ intellectivæ virtutibus, earumq; uſu perfectè dotatum. Unde Bernard: *homil. 2. ſuper Miſſus eſt*, locum illum verſans ait: *Quæ eſt hæc fœmina? Quis verò iſte vir? Aut ſi vir, quomodo à fœmina circundatus! Aut ſi à fœmina circundari poteſt, quomodo vir? Et ut apertiùs dicam, quomodo poteſt ſimul & vir eſſe, & in utero matris? Hoc eſt enim virum à fœmina circundari. Sè dixiſſet, fœmina circundabit infantem; vel, fœmina circundabit parvulum, nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem qua nihil tale poſuit, ſed dixit virum, quæremus quaſi hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut fœmina circundaret virum, & vir intra fœminei unius corpuſculi membra ſeſe cohiberet? Quid eſt hoc miraculi? Nunquid poteſt homo, ut ait Nicodemus, in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & naſci?* Et poſt multa præclara: *Vir erat Ieſus necdum etiam natus, ſed ſapientiâ, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentiâ membrorum. Neque enim minùs habuit ſapientiæ Ieſus conceptus, quam natus, parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, ſive vagiens in præſepio, ſive jam grandiuſculus interrogans Doctores in templo, ſive jam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu ſancto.*

Ex præcedenti miraculo duplex aliud conſequitur. Primò Chriſtum in primo inſtanti mereri potuiſſe, & de facto meritum eſſe. Secundò, Chriſtum fuiſſe ſimul viatorem & comprehenſorem videndo divinam eſſentiam. Sed circa utrumque nihil aliud addendum occurrit his quæ ſuperiori libro de ſcientia & merito Chriſti diſſeruimus. Hoc ſolùm advertite, quod licèt conceptio Chriſti tot miraculorum gloriâ coruſcet; cum hoc tamen ſtat, Chriſtum eſſe naturalem filium hominis, in quantum habet naturā humanam veram, per quam eſt filius hominis, ſicut cæcus illuminatus videt naturaliter per potentiā viſivam, quam miraculosè accepit; ſicut etiam Adam & Eva, tametſi divina virtute formati, Ille ex limo terræ, hæc ex coſta viri; tamen uterq; erat naturalis & verus homo; & quamvis non poſſent dici filii hominis, quia non erant producti per generationem humanam, quam neceſſariò connotat filiatio naturalis; tamen Chriſtus verè erat filius hominis, hoc ipſo quod B. Virgo concepit & parturivit Deum hominem concurſu materno, ſupernaturaliter tamen adjuto.

Reflexio.

Splendentia & certatim collucentia conceptionis Chriſti miracula in admirationem quidē rapiunt, ſed imitationem excedunt, Illum tamen ſubitū liberæ Chriſti voluntatis à primo inſtanti Deum amantis fervorem quodantenus æmulatur, qui omnem ſolicitudinem & operam in uno ſalutis negotio figens, omnemque virium conatum adhibens, totâ diligentiâ opportunitatem captat, nec procaſtinat, nec in extremam mortis horam rejicit illud *unum neceſſarium*, momentoſum ſcilicet ſalutis æternæ negotium. In re tam juſta nulla eſt conſultatio, ſed cùm Propheta ſincerè canendum eſt: *Dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi.* Quia ſpiritus ubi vult ſpirat, nec poteſt quando vult, qui quando poterat, noluit operari. Et ut graviter dixit Nazianz. orat. 40. *Paris vitio ſunt promptitudo ad vitium, & ſegnities ad virtutem.*

Hinc Veritas ad continuas & indefeſſas pro animæ ſalute excubias crebra inculcatione hortatur, quia neſcimus quâ horâ Dominus noſter venturus ſit, quia neſcimus diem, neq; horam; quia quâ horâ non putamus, Filius hominis veniet. *Ne cùm venerit, repentè* (inquit Marc. 13.) *inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Salutis opus in Scripturis fortis nomine ſæpe vocatur,

quia opportunitatis, ſive occaſionis rationem habet, quæ totâ oculatiſſimi ſtudii vigilantiâ prendenda eſt. Quia ſemel dilapſa teneri nequit, aut revocari. Sapienter Seneca epiſt. 22. *Non tantum præſentis, ſed vigilantis eſt occaſionem obſervare properantem. Itaque hanc circumſpice, ſi videris prende.* Simus quæſo ſemper parati, ne clauſâ ſemel januâ, inter Virgines illas fatuas computemur, quibus noviſſimè venientibus ſponſus dixit, *Neſcio vos.* Feſtinantes deſcendamus in pœnitentiæ piſcinam, quia qui prior deſcenderit, ſanus fiet. Nam *qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus prævidere,* inquit Magnus Gregor. *homil. 12. in Evang.*

Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Gal. 6. Cogitemus non in hominis, ſed in Dei manibus vitæ mortiſque æternæ ſortes eſſe, proindeque falſam ejus eſſe ſecuritatem, qui ſic de ſua ſalute decernit, ac ſi foret in propriis duntaxat manibus conſtituta. Cautè ambulemus redimentes tempus, ſollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, illudque terribile Auguſtini dictum tritum quidem, ſed nunquam ſatis iteratum attoniti auſcultemus ex Sermone 56. de temp. exſcriptum; *Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari. Sed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: Pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipſa moriatur.* Quàm fervidè, quàm nervosè Bernard. ſerm. de triplici cuſtodia! *Nemo veſtrûm, fratres, parvi æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Siquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! O donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio Creatoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo divinam tibi repropitiare deberetas pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Si Chriſtus vix conceptus pro ſalute aliena operari cœpit, nec deſtitit unquam; cur in ſalute propria diverticula quæres, nec omni ſollicitudine & ſtrenuitate adhibitâ ſalutis opportunitatem non nanciſceris, ne è manibus elabatur occaſio, quæ ab omni temporis articulo pendet?

CAPUT II.

De Nativitate Chriſti.

QUamvis Nativitatis nomen dicatur & de nativitate in utero, quæ eſt prolis conceptæ expreſſa formatio; & de nativitate ex utero, quæ eſt viſibilis egreſſus prolis à parente; de hac tamen ſecunda, utpote notiori, ordinariè intelligitur, & de ea impræſentiarum ſermonem habebimus.

SPECULATIO I.

Chriſto Domino attribuenda eſt Nativitas temporalis.

HAnc fidei veritatem nullus Catholicus inficiatur; omnes quippe Orthodoxi duas Chriſti nativitates, alteram ex Patre æternam, alteram è Matre temporaneam confitentur. Teſtatur namque Scriptura Luc. 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Et Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto* Et in 2. Concil. Conſtant. *Si quis non confitetur Dei Verbi duas eſſe nativitates, alteram æternam, alteram temporalem, anathema ſit.* Et publicè Eccleſia in Symbolo Athanaſii canit: *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.*

Ratio eſt, quia terminus nativitatis & omnis generationis eſt natura, quam generans communicat, ut producat ſibi ſimile: Sed in Chriſto ſunt duæ naturæ communicatæ, divina ſcilicet & humana; illa quidem per æternam generationem in ſplendoribus Sanctorum ex cognitione fœcunda & infinita; iſta verò per maternum concurſum in tenebris mediæ noctis ex virgineo partu: Ergo Chriſto præter nativitatem æternam convenit etiam temporalis; non quidem ex neceſſitate, ut eſſet qui ab æterno erat; ſed ex abundantia pietatis, ut repararet quod perierat; non ut ſubſiſteret perſona Filii, ſed ut ad ſuam ſubſiſtentiam advocaret humanitatem. Unde rectè Chriſtus poteſt dici bis natus ſecundùm duas nativitates; ſicut enim dicitur bis currere, qui currit duobus temporibus: ita poteſt dici bis naſci, qui ſemel naſcitur in æternitate, & ſemel in tempore; quia æternitas & tempus multò magis differunt quàm duo tempora, cùm utrumque deſignet menſuram durationis; ſicut ſi beatus eandem rem intelligat viſione beatifica, & cognitione naturali, dicitur bis intelligere, quantumvis nulla ſit intellectionis interruptio, quia diverſa eſt cognitionis menſura.

Dices: Ergo in Chriſto erunt duæ filiationes reales correſpondentes duplici nativitati.

Reſpondeo, quod ſicut in Chriſto ſunt duæ nativitates, ita ſunt duæ filiationes, æterna & temporalis; ſed hæc ſecunda non eſt relatio realis, quia ſubjectum relationis filiationis non poteſt eſſe aliud quàm ſuppoſitum, quod cùm in Chriſto ſit æternum, eſt incapax relationis filiationis tẽporalis. Ac proinde relatio maternitatis B. Virginis ad Chriſtum non eſt mutua, quia reſpicit terminum ſuperioris ordinis, qui eſt incapax relationis realiter advenientis. Nec propterea deſinit eſſe verus, & realis filius B. Virginis; quia ad hoc ſufficit quod ſit relatio realis in matre. Sicut quamvis relatio Domini non ſit realis in Deo, dicitur tamen realiter Dominus ex reali ſubjectione creaturarum ad ipſum.

Ratio autem, quare filiationis realis ſubjectum non poſſit eſſe aliud quàm ſuppoſitum, eſt, quia generatio tendit tanquam via ad totum compoſitum ex natura & ſuppoſito, ut ad terminum adæquatum; nec unquam intelligitur completa generatio ſubſtantialis, donec terminus ſit ſubſiſtens in ſeipſo. filiatio verò ſequitur completum terminum generationis ad modum proprietatis, ſubindeque neceſſariò habet pro ſubjecto ſuppoſitum. Et cum in Chriſto non ſit niſi unicum ſuppoſitum, non poteſt etiam eſſe in ipſo, niſi unica relatio realis filiationis. Quæ ſanè doctrina eſt magis conſentanea doctrinæ Eccleſiæ, quæ ſicut unicam in Chriſto confitetur perſonã, ita unicam in ipſo filiationem affirmare convenientius eſt, ne faveamus errori Neſtorii, qui ſicut duas perſonas in Chriſto, ita & duas filiationes fingebat; vel Elipandi, qui filiationem adoptivam in Chriſto admittebat. Vide D. Thomam *in 3. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. ad 5.* ubi ſic ſcribit: *Ad filiationem requiritur plus quàm ad nativitatem vel ortum, ſcilicet ut quod exit per generationem à generante, ſit completum in ſpecie generantis; & ideo fructus arborum, ova avium, & capilli, & alia hujuſmodi non habent rationem filiationis, quamvis dicantur naſci.*

Inſtabis cum Suarez oppoſitum ſentiente: Quamvis relatio realis filiationis non poſſit recipi in perſona Chriſti, poteſt tamen ſubjectari in humanitate

...te, quæ reſpiciebat B. Virginem, ut cauſam nativitatis, & generationis.

Reſpondeo filiationem non habere naturam pro ſubjecto, ſed perſonam, ad quam maximè pertinet filiatio; unde etiam in Divinis filiatio eſt proprietas perſonalis. Relationi quippe filiationis per ſe & formaliter convenit, ut referat filium ad Patrem, & inſit naturæ per ſubſiſtentiam completæ. Quod adeò verum eſt, ut relatio filiationis divinæ non conſtituat perſonam, ut relatio eſt formaliter exercens munus referendi, ſed ut eſt forma hypoſtatica & ſubſiſtens, ſub qua conſideratione præintelligitur muneri referendi, quia relatio exercita ſemper ſupponit perſonam.

Urgebis: Si B. Virgo foret unita hypoſtaticè Deo, & in eo ſtatu genuiſſet Chriſtum ſicut modò genuit, non minùs haberet relationem matris, quàm modò habet: Ergo ſimiliter licèt Chriſtus filius ſit perſona divina, nihilominus eſt verè capax realis relationis filiationis.

Reſpondeo. in illo caſu B. Virginem eſſe quidem verè Matrem Chriſti maternitate fundamentali, non formali & relativa. Sicut ſi Deus impediret effluxum relationis patris & matris in genitoribus, tunc genitores non eſſent formaliter pater & mater, ſed fundamentaliter; in caſu autem illo impeditur relatio realis maternitatis ob incapacitatem ſubjecti, quod ſupponitur eſſe perſona divina.

REFLEXIO.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis: parvus Dominus, & amabilis nimis. Mirentur qui voluerint divinæ Majeſtatis celſitudinem, parvitatem Dei infantis ſuſpicio magis, proſequor vehementiùs. Magnitudine Dei attoniti ſuſpendantur Angeli, tremant poteſtates; infantiâ Dei naſcentis homines alliciantur. Licet enim diverſis modis humano generi bonitas divina providerit, effuſiſque pietatis ſuæ muneribus multifariam cunctis retro ſæculis clementiæ ſuæ modum, qui eſt ultra omnem modum, oſtenderit, nihilominus dum Deus infans factus eſt, omnem ſolitæ benignitatis abundantiam exceſſit, quando ad peccatores miſericordia, ad errantes veritas, ad mortuos vita deſcendit, Verbumque Dei puerili carne veſtitum, quod nunquam fuerat humanis oculis viſibile, cœpit etiam manibus eſſe tractabile, & ineffabili inclinatione ſuavitatis familiare. Quia nunquam noſtram judicii corrupti erudiviſſet infantiam, niſi infantilia membra ſumpſiſſet. *Nutritor pius* (ait melleâ facundiâ Chryſol. ſerm. 62.) *niſi totus fuerit redactus in parvulum, nunquam parvulum perfectum perducit in virum. Tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, ſenſus ſeponit, infirmat viſcera, abjicit vires, membra diſſolvit, greſſum tardat, geſtit non ambulare, ſed repere, ridere ſimulat, timere fingit, flere mentitur; quia in illo mendacium pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, infirmitas virtus. Sed forte aliquis ſtupeat cum videat nutricium iſta facientem: non irridet, ſi eſt parens; ſi pater eſt, non miratur. Hoc ſtultitiam dicere non poteſt qui ſcit amare.* Quod ſi Deus parvus eſt factus, certò ſciamus, quod niſi efficiamur ſicut parvuli, non intrabimus in regnum cœlorum; parvuli, inquam, non ſenſu, ſed malitia, non annis, ſed innocentiâ, ſed humilitate, ſed manſuetudine: Dominica enim nativitas non ſolùm Sacramento nobis utilis eſt, ſed etiam imitationis exemplo. *Fruſtra enim appellamur Chriſtiani* (ait Magnus Leo ſerm. 5. Nat.) *ſi imitatores non ſumus Chriſti, qui ideo ſe viam dixit eſſe, ut converſatio Magiſtri forma eſſet diſcipuli, & illam humilitatem eligeret ſervus, quam ſectatus eſt Dominus.*

SPECULATIO II.

Deſcribuntur Chriſti naſcentis circumſtantiæ.

PRima eſt circumſtantia loci, qui eſt Bethlehem, in quo natus fuerat David; & ideo ibi naſci voluit Chriſtus, ut ex ipſo loco nativitatis daretur intelligi, Chriſtum eſſe ex ſemine David, cui facta fuerat ſpecialis promiſſio de Chriſto. Secundò ſignificare voluit ſe eſſe panē vivum, qui de cœlo deſcendit, quia Bethlehem domum panis interpretamur: unde ille ibi per naturam carnis apparuit, qui electorum mentes internâ erat ſatietate refecturus. Tum ut per hoc hominum gloriam confutaret, qui gloriantur de hoc, quod ex civitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam præcipuè volunt honorari: Chriſtus autem è converſo in civitate ignobili naſci voluit, & in civitate nobili pati opprobrium. Tum ut poteſtatem ſuæ Divinitatis magis oſtenderet; ſi enim urbem inclytam, putà Romam orbis Dominam, parentesque potentes & regnantes elegiſſet, humanæ poteſtati attribueretur Evangelii promulgatio: ut ergo virtus divina clareret, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam, ut poſtea Roma ſubjiceretur, & per ſacram Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideret religione divina, quàm dominatione terrena. Unde impletum eſt illud Iſaïæ 26. *Civitatem ſublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis*, ſcilicet Chriſti, *greſſus egenorum*, id eſt Apoſtolorum Petri & Pauli. Porrò illa Bethlehem diſtabat à Jeruſalem 35. ſtadiis, vel ſex milliaribus, ut ait Hieronymus, & erat in ſorte tribûs Juda; quæ antiquitus dicebatur Ephrata. Quod nota ut eam diſtinguas ab altera Bethlehem, quæ erat in ſorte tribûs Zabulon, de qua meminit Scriptura *Ioſue* 19.

Secunda circumſtantia eſt locus diverſorii, ſeu ſtabuli, in quo B. Virgo peperit Salvatorem. Qui locus juxta Cajetanum non erat intra urbem, ſed in ſuburbio, ut Sacramentum Virginei partus conſanguineis maneret occultum. Et per Bethlehem, in quo naſciturum Chriſtum promittunt Prophetæ, nō incongruè comprehenduntur ſuburbanæ domus: in cujus ſignum Herodes juſſit occidi omnes infantes intra fines Bethlehem incluſos intelligens per Bethlehem vaticinatum ſpatium Bethlehemiticæ ditionis. Non eniā expediebat, ut Magi ad adorandum Divinū Infantem adventantes viderentur à civibus. Coacta autem fuit ſacra Parens pernoctare in ſtabulo, quia non erat ei locus in diverſorio, id eſt, quia diverſorium illud erat ita plenum hoſpitibus, ut non potuerit inveniri camera pro Beatiſſimis Joſeph, & Mariâ. Unde coacti ſunt Jeſum pannis involutum reclinare in præſepio. Hîc mirantur & jure mirantur omnes humilitatem Salvatoris, qui totum mundum vario veſtiens ornatu, lilia agri ſupra Salomonis majeſtatem decorans, vilibus voluit pannis involvi, & præſepis anguſtiâ contineri, cui cœlum ſedes eſt. Pulchrè etiam notant Chriſtum eſſe natum in via, quia per Incarnationem via factus eſt, quâ ad Patriam peccato perditam reduceremur: & in diverſorio omnibus voluiſſe exponi, qui erat pro ſalute omnium moriturus.

Tertia eſt circumſtantia temporis, quam Deus, qui eſt Rex ſæculorum & moderator temporum convenienter elegit; ideò appellatur Galat. 4. *Temporis plenitudo*, quia tunc natus eſt quando impletæ fuerūt omnes de Chriſto Prophetiæ & promiſſiones. Expoluimus ſuperius, quare Chriſtus nec ſtatim poſt peccatum venerit, nec diſtulerit adventum ad finem mundi. Quare hîc ſolùm notādū ſupereſt Chriſtū na-

tum eſſe tempore illo, quo totus orbis ſub uno Principe vivebat, & pacatis bellorum diſcordiis, quiete profundâ fruebatur, ut ſignificaretur quod venerat, ut congregaret gentes in unum, eſſetque unum ovile, & unus paſtor; implereturque Iſaiæ *cap.* 2. vaticinium: *Non levabit gens contra gentem gladium.* Cur verò elegerit ſilentium noctis, & aſperitatem hyemis? Dicunt Sancti ideò eſſe, ut nos ad nocturnæ orationis quietem, & carnis mortificationem permoveret. Non enim ſine cauſa has circunſtantias elegit ille, qui quando voluit, & quomodo voluit natus eſt, & cujus nutu omnia temporum momenta decurrunt.

Quarta circunſtantia eſt manifeſtatio Chriſti nativitatis, quæ quidem non debuit eſſe omnibus nota. Tum ne impediretur humana redemptio per crucem peragenda; ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Tum ne ſubtraheretur meritum fidei, quæ eſt argumentum non apparentium; & fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum; & beati qui non viderunt & crediderunt. Tum ne daretur occaſio dubitandi de veritate humanitatis; ſi enim nativitas Chriſti ſtatim omnibus fuiſſet manifeſtata, opus fuiſſet aliquo ingenti & aſpectabili miraculo, quo Chriſtus natus ab omnibus poſſet agnoſci: miracula autem in humanitate aſſumpta abſque neceſſitate patrata confirmarent errorem exiſtimantium Verbum non aſſumpſiſſe veram humanitatem, ſubindeque Deus, *dum omnia mirabiliter faceret quod misericorditer fecit*, ut ait Auguſtin. *epiſt.* 3. Tum demùm ut Chriſtus vitæ humilis & abſconditæ præberet exemplum, refugiens gloriam nativitatis, ſeu claram ejus cum laude notitiam, ut impleretur illud *Iſai.* 55. *Verè tu es Deus abſconditus, Sanctus Iſraël Salvator.* Et cap. 13. *Quaſi abſconditus eſt vultus ejus, & deſpectus.*

Quanvis autem hæc ita ſint, convenienter tamen nativitas Chriſti quibuſdam manifeſtata eſt. Tum quia hæc ſacra nativitas nulli fuiſſet proficua, ſi omnibus fuiſſet occulta, juxta illud Eccleſ. 20. *Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Tum quia ordo divinæ ſapientiæ ſolet dona & ſecreta ſua gradatim diſpenſare, non æqualiter omnibus, ſed quibuſdam *teſtibus præordinatis* (ſic vocantur *Actor.* 10.) ea immediatè diffundit, ut per eos in alios deriventur. Tum quia totaliter removeretur fides, ſi à nullo cognitum fuiſſet hoc myſterium, à quo poſſet audiri, & ad alios devenire; fides enim eſt ex auditu, ut dicitur *Rom.* 19. Neque enim ſufficiebat ut ſolis Ioſeph & Mariæ manifeſtaretur, quia teſtimonium eorum, utpote domeſticum, ſuſpectum habitum eſſet, niſi fuiſſet extraneis manifeſtum.

Porrò mirè reſplendet ordo divinæ ſapientiæ in electione perſonarum, quibus Chriſti nativitas manifeſtata eſt. Sicut enim Chriſtus erat Salvator omnium, ita convenientiſſimè omnibus hominum conditionibus declarata eſt ejus nativitas, ſcilicet Paſtoribus, qui erant Iſraelitæ & pauperes; & Magis, qui erant Gentiles, potentes, ſapientes, & peccatores; & viris ac mulieribus, ſcilicet Simeoni & Annæ, qui erant etiam juſti, ut ſignificaretur nullam conditionem à Chriſti ſalute excludi, juxta illud Coloſſ. 3. *In Chriſto Ieſu non eſt maſculus & fæmina, & Gentilis & Iudæus, ſervus & liber*: ut nullus magnus ſuperbiat, nullus infimus deſperet. Addit etiam D. Thom. *quæſt.* 36. *art.* 3. credibile eſſe in aliis mundi partibus aliqua indicia nativitatis apparuiſſe, ſicut Romæ fluxit oleum, & in Hiſpania apparuerunt tres ſoles paulatim in unum coeuntes, ut ſignificaretur non pro una tantùm plebe vel regione naſci, qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium.

Relucet etiam ſingulariter divina ſapientia in mediis ad Chriſtum manifeſtandum ordinatis, ſeu in ſignis & inſtrumentis quibus Salvator indigitatus eſt. Omnis enim manifeſtatio debet fieri per aliquid notius, & per ſigna quæ ſint familiaria illis quibus manifeſtantur. Et quia viris juſtis familiare eſt interiori Spiritus ſancti inſtinctu edoceri abſque ſignorum externorum ſtrepitu; ideo Simeoni & Annæ juſtis manifeſtata fuit nativitas Chriſti per inſtinctum Spiritus ſancti, juxta illud Luc. 2. *Reſponſum accepit à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.* Quia verò alii corporalibus rebus dediti per ſenſibilia ſolent ad intelligibilia adduci; ideo Paſtoribus & Magis, utpote corporalibus addictis, manifeſtata eſt Chriſti nativitas per viſibiles apparitiones Angelorum & ſtellæ. Præſertim quia Judæis (quales erant Paſtores) frequenter fiebant apparitiones Angelorum: magi verò aſſueti erant cœleſtium corporum contemplationi. Ad hoc autem ut ſtella illa fuerit certum Chriſti naſcentis ſignum, præter illam ſpeciem quæ corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, ut abſque errore procederent, & impleretur illud Iſai. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo* [quod eſt lumen divinitus infuſum, intus radians, intus coruſcans] *& Reges in ſplendore ortus tui.* Non enim ex ſola conſideratione novæ ſtellæ poterant in veritatem noſtri pervenire myſterii, cujus ſublimitas omnem ſcientiam humanam, omnem naturæ vim, & univerſam corporum cœleſtium efficacitatem vincit.

Quinta circunſtantia eſt congruum tempus manifeſtationis Chriſti. Nam primò in ipſo nativitatis die declarata fuit Paſtoribus, qui eadem nocte tranſierunt uſque Bethlehem, & venerunt feſtinantes, ut narratur *Luc.* 2. Et ſanè conveniens erat, ut Judæis, utpote populo Dei, & viciniorem nativitatis locum occupantibus primitus nativitas illa foret conſpicua: paſtores autem ſunt primitiæ Judæorum. Secundò, die decimatertia à nativitate, in quo celebratur feſtum Epiphaniæ, viderunt Jeſum Magi; ſi enim non niſi revoluto anno, vel elapſis duobus annis veniſſent, Divinum infantem minimè reperiſſent; quia omnibus ſecundùm legem Domini ritè peractis, reverſi ſunt in Galilæam in Civitatem ſuam Nazareth, ut dicitur *Luc.* 2. Tertiò manifeſtata eſt Chriſti Nativitas Juſtis in templo, ſcilicet Simeoni & Annæ die à nativitate quadrageſimo. Quæ in re planè adoranda Dei conſilia mirari ſubit; Juſtis namque, utpote per fidem propinquioribus, & adventum ejus ardentiùs præſtolantibus, & redemptionem Iſrael expectantibus videbatur Chriſti nativitas debuiſſe priùs manifeſtari. Sed ita ſe benignus Dominus geſſit, tum ut gratuitum Incarnationis beneficium nulli debitum omnia merita & vota excedere demonſtraret; tum ut Sanctorum deſideria dilatione augeret, ut illa poſtea abundantiùs adimpleret & dulciùs; tum ut diſcamus expectare, ſi moram fecerit, ut quærendo, petendo, pulſando viriliter agamus, confortetur cor noſtrum, & ſuſtineamus Dominum, qui tunc ſæpè proximior eſt, cùm longè abeſſe videtur, quique præoccupat eos, qui ſe concupiſcunt, ut ſe priorem illis oſtendat.

Quæres quot & quales fuerint illi Magi?

Reſpondeo, fuiſſe numero tres, ut tota Eccleſiæ traditio fert; nam in perantiquis Catholicorum Templorum totius orbis monumentis & picturis nõ repræſentantur niſi tres Chriſtum adorantes, & munera offerentes. Dicti autem ſunt Magi, vel quia, ut tradit Auguſtinus *ſerm. Epiph.* erant malefici; vel

quia,

quia, ut docent plerique Patres, erant ſapientiſſimi Aſtrologi, qui apud Perſas & Chaldæos Magi vocantor Concors etiam Patrum & Theologorum (pauciſſimis exceptis) ſententia affirmat, eos fuiſſe Reges, & favet Eccleſiæ ſenſus, quæ in die Epiphaniæ indicat in eorum adventu & adoratione impleta fuiſſe illa oracula Pſalm. 71. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Præſertim quia, teſte Cicerone *lib. de divinat.* Plinio *lib. 30. cap. 1.* Nomen Magi & Regis erant ferè ſynonyma, quia nullus niſi magica ſcientia præcellens ad Regiæ dignitatis faſtigium evehi poterat. Placet tamen nonnullis, eos fuiſſe Regulos: tum quia ſine magno apparatu Jeroſolymam venerunt: tum quia non multùm inter ſe diſtabant; unde ſtatim viſa ſtella facilè congregati ſunt, & accincti ad iter ſimul peragendum. Tum quia non Regio apparatu excepti ſunt ab Herode, quanvis dici poſſet eos incognitò veniſſe, vel Herodem pro ſua innata feritate & ſuperbia eos flocciſeciſſe.

Quæres rurſum unde oriundi erant illi Magi?

Reſpondeo ſacrum textum affirmare, eos ab Oriente veniſſe. Quid autem intelligatur per Oriens, varietas eſt ſententiarũ, ſed illa veriſimilior eſt, quæ ait Evangeliſtam ſumere Oriens reſpectivè pro illa regione, ex qua Sol incipit apparere iis, qui ſunt in Civitate Jeruſalem, ita ut intra tredecim dierum ſpatium potuerit iter confici. Alii putant eſſe Chaldæam, ſeu Meſopotamiam, in qua Magorũ ſcientia florebat. Alii Perſidem, in qua Magorum ſcientia pluris fiebat. Alii Arabiam Felicem, propter illud Pſalm. 71. *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Et iterum: *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Necnon propter illud Iſaiæ 6. *Inundatio Camelorum operiet te: dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domini annuntiantes.* Quæ verba conſuetudo Eccleſiæ, quæ eſt in omnibus æmulanda, Magis ad Chriſtum cum muneribꝰ adorandum cernuis applicat. Ait autem Hieronymus, quod Madian & Epha ſunt regiones trans Arabiam. Et certè Arabia inter omnes Orientales plagas auri, thuris, myrrhæ, cæterorumque aromatum ferax eſt. Addit tamen Nazarius, Perſiam, Arabiam, Chaldæam, ſeu Meſopotamiam pro uno ſolo regno poſſe computari, ac proinde Patrum ſententias vocibus tantùm eſſe differentes, quia poteſt Regio vel à toto, vel à parte ſub ea comprehenſa deſignari.

Quæres demùm quid & qualis fuerit ſtella Magis apparens?

Reſpondeo in primis, non fuiſſe unam de ſtellis cœleſtibus, ſed fuiſſe de novo productam, quæ ſecundùm divinam voluntatem movebatur, quandoque conſpicua, quandoque occulta, interdum progrediens, interdum verò ſtans. Porrò tanto erat lumine circumfuſa, ut etiam in meridie radiaret, ut in ſe intuentium oculos animoſque converteret, utque confeſtim adverteretur, non eſſe otioſum quod tam inſolitum videbatur, ut ait S. Leo *ſerm. 1. Epiph.* An autem fuerit producta ex materia cœleſti, non neceſſariò colligitur ex eo quod ſimpliciter ſtella nominetur; quia ſecundùm conſuetudinem Scripturarum res ſæpe nominantur prout extrinſecus apparent: corpus autem illud Magos dirigens, figuram, ſplendoremque cœleſtium ſyderum præſeferebat.

REFLEXIO.

Singulæ expoſitæ circunſtantiæ totidem ſunt morum informandorum documenta; ſed iis meditationi tuæ relictis, illud vehementer demiror, manifeſtatâ Chriſti nativitate ſubſequutam fuiſſe turbationem: dicitur enim Matth. 2. *Quod audiens Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Quare illi qui de tam ſuavi audito nuntio gaudio perfundi debuerant, turbati animi mœrore pręmuntur: Scio quidem ſecundùm Gregorium congruere Chriſti dignitati, *ut terrena altitudo confundatur, cùm celſitudo cœleſtis aperitur.* Scio ſecundùm Auguſtinum hac turbatione judiciariam Chriſti poteſtatem, quâ viſâ homines præ timore areſcent, figurari. Nam *quid erit tribunal judicantis, quando ſuperbum Regem cuna terrebat infantis? Pertimeant nunc neceſſe eſt Regem ad dexteram Patris jam ſedentem, quem Rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem.* Scio cum Magno Leone, hac tumultuoſa Herodis perturbatione diaboli regni dejectionem deſignari; non enim minùs princeps mundi hujus Sathan cœleſtem Regem formidabat, quàm Herodes terrenum regni ſui ſucceſſorem. Sed mirè placet expoſitio Chryſoſtomi *ſuper Matth.* Turbabantur Judæi, qui magis gaudere debebant, quia *de adventu juſti non poterant gaudere iniqui.*

Ita ſanè ſæpiſſimè contingere cernimus. Nihil acceptius hominibus verè Chriſtianis eſſe poteſt, quàm ſana & pura Chriſti Sanctorumque doctrina; & tamen ſi eam liberè prædicaveris, ſi fucatas modernorum uſuras, vel ſimonias damnaveris; ſi uſum orationis mentalis ſæcularibus, vel mortificationis praxim inculcaveris; ſi ludos mundanos, ſi choreas vituperaveris; ſi procraſtinandam abſolutionem procraſtinantibus converſionem, vel arcendos ab altaribus qui non ſe arcent à criminibus dixeris, & veriſſimè dixeris; ſi in mulierum colloquiis, Monachorum maximè cum Monialibus ſemper lucrum ceſſans & damnum emergens inveniri pronuntiaveris, & funeſtis experientiis comprobaveris: Illicò conturbabuntur qui gaudere debuiſſent languentes hujus ſæculi Chriſtiani; illico turbatæ publicæ pacis reus agêris; & quia peſtiferam labem putredinis ſub mollium rectorum indulgentia latentem, & liciti prætenſa veriſimilitudine tectam aperire, & detegendo ſanare ſtuduiſti, illico *Ianſeniſta* Latinè. Italicè *Barbetone*, Gallicè *Petit-colet* audies. Heu quàm deploranda infirmorum Chriſtianorum teneritudo! Quàm meritò retundenda delicata querela hominum, qui ſe duriùs habitos dictitant, cùm illis Catholicæ veritates explicantur! Ubinam gentium ſumus? Nunquid trepidabimus Catholicis annuntiare Evangelium, quod intrepidè infidelibus promulgatum eſt? Anne diſſimulanda falſa Chriſtianorum pax, qui eum ſequuntur ducem, qui non venit pacem mittere, ſed gladium? *Si Frater tuus vulnus habet in corpore* (inquit S. P. Auguſt. in regula noſtra) *quod velit occultari, dum timet ſecari, nonne crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potiùs debes manifeſtare, ne deteriùs putreſcat in corde?* Mactè ergo animo, Lector Theologe, ne illis coacervatis Magiſtris aggregeris, qui pruriunt auribus, & loquentes placentia cæci ſunt, & duces cæcorum. Sed illos infracti animi viros imitare, qui nec Evangelium, nec Sanctorum maximas erubeſcunt.

SPECULATIO III.

Legales cæremoniæ convenientiſſimè in puero Ieſu obſervatæ ſunt.

PRobatur excurrendo per ſingulas. Et primò quidem convenientiſſimè Chriſtus fuit circumciſus, Tum ut oſtenderetur veritas carnis aſſumptæ,

quam Manes phantaſticam, Apollinaris Divinitati conſubſtantialem, Valentinus cœleſtem blaſphemabant. Tum ut approbaret Circumciſionem à Deo inſtitutam, obediendi virtutem nobis ſuo commendaret exemplo, & onus legis in ſe ſubſtinens, nos à legis onere liberaret. Tum ut comprobaret ſe eſſe de genere Abrahæ, Iudæiſque excuſationem præcluderet, ne eum reciperent, ſi fuiſſet incircumciſus. Tum ut humilitatis documenta præberet; & ſicut in ſimilitudinem carnis peccati venerat, ita remedium, quo caro peccati mundari conſueverat, non reſpueret, & in nobis ſpiritualem circumciſionem efficiens omnes à peccato liberaret, & in ſe ſuſcipiendo figuram, in nobis veritatem impleret.

Dicea: Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio; exemplum enim dedit nobis, ut ſicut ille fecit, ita & nos faciamus: Ergo ſi Chriſtus ſit circumciſus, deberemus & nos circumcidi.

Reſpondeo propter hoc argumentum Æthiopes Abyſſinos viventes ſub imperio Petrojani, pueros circumcidere, non ad obſervanda legalia, ſed ad imitandam Chriſti circumciſionem. Cajetanus docet illum ritum tali intentione peractum non eſſe de ſe malum, ſed potiùs actionem de ſe indifferentem tali fine honeſtari. Sed tamen, inquit, ad tollendum ſcandalum, bonum eſſet ut Eccleſia Romana definiret, an talis uſus ſit tolerabilis. Verùm talis uſus eſt verus abuſus, repugnans Scripturæ, Galat. 5. *Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Et *Act.* 15. ſurgentibus quibuſdam de hæreſi Phariſæorum, ut peterent circumciſionem, Petrus de cōſilio Apoſtolorum jugum illud imponi prohibuit. Vſus etiam ille repugnat traditioni, & conſuetudini Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ in omnibus æmulandæ. Et rationem dat S. Thomas *quæſt.* 36. *art.* 1. *ad* 2. quia actio indifferens non eſt bona, ſi ſuo tempore non fiat, unicuique enim negotio eſt tempus & opportunitas, ut dicitur *Eccleſ.* 8. Iam vero non eſt tempus circumciſionis, quæ erat ſignum diſtinguens Judæos à Gentibus. Unde (& ſic ſolvitur objectio) debemus conformari Chriſto in hoc quod ſicut ille circumciſionis ſubivit legem tempore quo erat ſub præcepto, ita nobis ea religioſè obſervanda ſunt, quæ noſtro tempore præcipiuntur. Certè ſi valeret hæc argumentandi ratio, poſſemus etiam manum clavo perforare, imò & univerſam legem Moſaicam obſervare, non ad obediendum Moyſi, ſed ad imitandum Chriſtum; ſicque Chriſtianiſmus eſſet verus Judaiſmus.

Secunda cæremonia eſt impoſitio nominis Ieſu, quod quidem nomen Chriſto maximè congruebat. Tum quia nomina debent proprietatibus rerum reſpondere, præſertim quando divinitus nomina imponuntur; tunc enim ſignificant ſemper aliquid gratuitum eis divinitus datum. Quia igitur Chriſto tanta plenitudo gratiæ collata eſt, ut per ipſum omnes ſalvarentur, ideo convenienter vocatum eſt nomen ejus *Ieſus*, id eſt Salvator. Tum quia ſi multis illuſtribus viris impoſitum eſt nomen, ut Iſmael, *Geneſ.* 16. Abrahamo, *Geneſ.* 17. Joanni Baptiſtæ, *Luc.* 1. Simoni Petro, *Matth.* 16. quia ut ait Ambroſ. lib. 2. in Luc. *Habent hoc merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant*; quantò magis nomen Redemptoris debuit à Deo per Angelum Deiparæ, & Joſeph denonciari? Nomen enim hominis Dei, quod eſt ſuper omne nomen, non decuit primùm ab hominibus appellari. Tum quia ab eo ſolo poteſt imponi nomen, qui in perſonam habet auctoritatem, quam in Chriſtum ſolus habet Pater. Tum quia in illo nomine compendioſè includuntur omnium nominum Chriſtu & Meſſiæ attributorum ſignificata, quæ ad hoc tandem tendunt, ut aliquid ad noſtram ſalutem ſpectans declarent, ut docet D. Thom. *art.* 2. *ad* 1. Et quanvis nomen illud pluribus aliis, ut Nave, Sirach, & Joſedech inveniatur impoſitum, nulli tamen planè congruebat niſi Chriſto, qui non unius tantum populi aut nationis, ſed omnium hominum Salvator exiſtit, cunctos & à morte ſpiritali peccati liberans, & à morte corporis per immortalitatem in reſurrectione generali conferendam.

Porrò in explicando nomine Sacratiſſimo Ieſu effundunt corſuum Sancti Patres, & Sacri Doctores, dum aiunt nomen illud eſſe admirabile, laudabile, amabile. Admirabile quidem; per ipſum enim omnia patrantur miracula. *Hoc nomen*, inquit Chryſol. ſerm. 144. *dedit cæcis viſum, auditum ſurdis, claudis curſum, ſermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli poteſtatem de obſeſſis corporibus virtus hujus nominis effugavit.* Laudabile verò, quia ut ait Rupertus, nomen illud eſt *orationis univerſæ vehiculum*; quia per ipſum orationes noſtræ gratæ ſunt apud Deum; unde Eccleſia in omnibus orationibus ſuis obſecrat, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amabile tandem, quia ut ait D. Bern. infrà citandus: *Aridus eſt omnis cibus animæ, ſi non iſto oleo infundatur, inſipidus eſt, ſi non hoc ſale condiatur: ſi ſcribas, non ſapit mihi niſi legero ibi Ieſum; ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus: Ieſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Hujus amœniſſimi nominis dulcore leniebantur Martyrum omnium ſæviſſimæ paſſiones; ibant enim Apoſtoli gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Hujus auguſti nominis amore præcipuè flagrabat Apoſtolus Paulus, qui propterea dictus eſt *vas electionis, ut portet nomen meum coram Regibus.* Unde in ſuis epiſtolis ducentis ſupra decem & novem vicibus ſuaviſſimum illud nomen iteravit, & capite truncato ter nomen illud mirabiliter pronuntiavit. Non potuit autem Doctor gentiū nominis Ieſu præcellentias altiùs attollere, quàm cùm dixit nomen illud eſſe ſuper omne nomen, & juſtum humilitatis Chriſti pretium. Cùm enim opus paſſionis Chriſti, cæteræque Hominis-Dei actiones ſint infiniti valoris, ad redimendos infinitos mundos ſufficientes nedum, ſed & ſuperabundantes, profectò evehi altiùs non poteſt nomen illud, quàm cùm à Divino Apoſtolo dictum eſt, quod propter humiliationem Chriſti uſque ad mortem crucis, Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Incredibili opus fuit potentiâ ad debellandum orbem terrarum, ſubjiciendas Chriſti jugo gentes, convincendos Philoſophos, humiliandos Imperatores, exarmandos Reges, deturbanda idola, triumphum de Roma reportandum, & ubique plantandam arborem crucis. Ita planè. Sed quibus tandem armis, quo exercitu, quibus copiis, quibus invictis turribus civitatibus munitis, claſſibus inſtructis Dux noſter Chriſtus pugnavit, vicit, triumphavit? Solum nomen Ieſu adhibuit, & orbem ſub cœlo totum ad ſuam ditionem redegit. Marc. 16. *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.*

Nomen ergo illud ſummo ſuavitatis affectu amabile ſemper in corde, crebrò in ore verſetur. Si mortem timemus, vita eſt; ſi febribus concupiſcentiæ æſtuamus, ſalus eſt; ſi alimento ſpiritali indigemus, cibus eſt, ſi ſitimus juſtitiam, aqua eſt ſapientiæ ſalutaris; ſi labore opprimimur, requies eſt; ſi in certamine verſamur, corona eſt. Quàm melliflè Doct. Mellifluus ſerm. 15. in Cant. *O nomen benedictum! ô oleum uſquequaque effuſum! Quouſque? De cœlo in Iudæam, & inde*

in om-

Digitized by Google

in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Eccleſia: Oleum effuſum nomen tuum. Effuſum planè, quia non ſolùm cœlos terraſque perfudit, ſed aſperſit & inferos, adeo ut in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. ::: Et quid mirum ſi ſponſi effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? Nam ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Cur verò oleum? Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, paſcit, & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de ſponſi nomine. Lucet meditatum, paſcit recogitatum, invocatum lenit & ungit. ::: Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit ſerenum. ::: Cui aliquando ſtetit ante faciem ſalutaris nominis duritia, ut aſſolet, cordis ignavia torpor, rancor animi, languor acedia? Cui fons fortè ſiccatus lacbrymarum invocato Ieſu non continuò erupit uberior, fluxit ſuavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, pepulit metum? Cui quæſo, in dubiis æſtuanti & fluctuanti non ſubitò ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adverſis diffidenti, jamjamque deficienti, ſi nomen adjutorii ſonuit, defuit fortitudo? ::: Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus.

Tertia ceremonia fuit oblatio pueri Jeſu in templo, in qua Chriſtus implevit duplex præceptum legis antiquæ de prole nata, quorum altero præcipiebatur *Levitici* 12. ut expletis diebus purificationis maternæ deferretur agnus anniculus in holocauſtum, & pullus columbæ, ſive turtur pro peccato. Quod ſi præ paupertate non poſſet offerri agnus, præcipiebatur, offerri duos turtures, aut duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato; non quidem originali quod Circumciſione deletum erat, ſed pro immunditia & irregularitate legali, quæ dicitur peccatum, ut docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 102. *art.* 5. & *quæſt.* 103. *art.* 2. Niſi per peccatum intelligas fomitem peccati in circumciſis adhuc perſeverantem, quod peccatum dicitur, quia ad peccata inclinat. Poteſt etiam per peccatum intelligi immunditia matris, & corporalis propter ſordes, & ſpiritualis propter libidinem. Et huic præcepto obtemperavit Chriſtus eligens munuſculum pauperum. Tum quia cùm Dives eſſet, propter nos egenus fact⁹ eſt, ut illius inopiâ ditaremur. Tum quia turtur eſt avis loquax, caſta, gemeos, & ſolitaria, ſignificans confeſſionem laudis, puritatem, pœnitentiam, & contemplationem animæ ſe Deo dicantis. Columba verò eſt animal gregale, manſuetum, ſimplex, & fœcundum; & ſignificat vitam activam, in qua relucere debet ſimplicitas, manſuetudo, & bonorum operum copia. Voluit autem Chriſtum redimi quinque ſiclis, ut ſignificaretur Chriſtum Patri oblatum & datum, quinque ſiclis veluti redemptum noſtris utilitatibus conſecrari.

Unde præclarè S. Thomas à Villanova exclamat: *Emitur Redemptor quinque ſiclis à Virgine, qui quinque plagis totum erat mundum redempturus. Venite nunc, ô cupidi; venite ad nundinas, fideles. Venalis hodie Deus in Templo proponitur. Aſtat ſuper gradus Sacerdos omni volenti emere Chriſtum vendens. Properate, emite; non magnum eſt pretium, quinque ſiclis hodie ſalus & vita comparatur. Non de marſupio, ſed de corde hos ſiclos expetit, ut donentur. Da igitur quinque ſiclos, & accipe Deum. Da pro peccatis dolorem, pro beneficiis gratitudinem, pro myſteriis laudem, pro teipſo timorem, pro ſeipſo amorem. O emptionem ſingularem! ô mirabilem redemptionem! ô ſi ſcires Sacerdos, quis eſt quem vendis, non illum pro toto mundi auro, & omnibus pretioſis margaritis dares. Ignoſce Virgo piiſſima; nam ſi ego eſſem ille Sacerdos, non tibi talem venundarem filium. O bone IESV, jam noſter es, & duplici jure es, te nobis Pater dedit, te nobis Pater vendidit; noſter es, quia datus; noſter es quia emptus, duplici te jure poſſidemus.*

Altera lege præcipiebatur *Exodi* 13. ut primogeniti tam in hominibus, quàm in jumentis Deo ſpecialiter conſecrarentur in gratiarum actionem liberationis populi Iſraël à percuſſione, quâ primogenita Ægypti ab homine uſque ad pecus perierunt. Nec obeſt quod loco illo Exodi præcipiatur ſanctificari omne primogenitum, quod aperit vulvam, quam utique Chriſtus non aperuit, qui exivit de clauſo Virginis utero: Nam ly *aperire*, poteſt primò accipi juxta ſignificatum materiale, à quo ſignificatio ejus rigoroſa accepta eſt: & in hoc ſenſu Chriſtus non aperuit vulvam, eam ita dilatando, ut ordine naturæ ſervato infantulus poſſet exire. Secundò verbum illud poteſt accipi formaliter, pro eo ante quod nihil intravit, vel exivit de vulva, quod abſtrahit à corporea dilatatione: & in hoc ſenſu verè Chriſtus aperuit vulvam, eo modo quo *Matth.* 3. dicitur apertos fuiſſe cœlos, & *Act.* 7. Stephanum vidiſſe cœlos apertos; & *Marc.* 8. apertas eſſe aures ſurdi, & alibi non rarò. Quo modo loquendi non ſignificatur ulla corporalis dilatatio, vel fractura; ſed ſublatio impedimenti exitus. In loquutionibus verò magis attendendus eſt uſus, qui congruit ſubjectæ materiæ, quàm proprietas. Ita in propoſito; nam intentio legis erat ut primogenitus formaliter, id eſt primò natus, Deo conſecraretur, ad quod materialiter & accidentaliter ſe habet, quod corporaliter dilatet, vel non dilatet vulvam.

Reflexio.

Gemina, quam expoſuimus, nati Salvatoris circunſtantia, circumciſionis ſcilicet & oblationis, ampliſſimum pietati tuæ campum, Lector, aperit. Sed brevitatis gratiâ hunc tuæ meditationi conceptum proponere ſufficiat; ampliores, qui erui poſſent, tuæ permittimus conſiderationi.

Verbum caro factum exinaniverat ſemetipſum formam ſervi accipiens, & tantâ nondum humilitate contentus, inferiùs deſcendere voluit ad ſimilitudinem carnis peccati, dum circumciditur, dũ offertur uti peccator. Deo ſubjicitur, dum unitur creaturæ Verbum increatum; ſub Angelis minoratur, dum fit caro; ſupponitur hominibus, quia Joſeph & Mariæ obſequebatur, & *erat ſubditus illis*; ſubmittitur dæmonibus, quorum tentationi expoſitus fuit & furori; ſubjicitur nihilo naturæ, mortem eligens, nihilo morali infamiæ & dedecoris, dũ opprobriis ſaturatur; nihilo peccati, dum ſicut peccator circumciditur, & peccata expiaturus offertur. Deo immediatè Angeli ſubſunt; ſub Angelo collocatur homo; ſub homine dæmon ſupprimitur; ſub dæmone eſt nihilum naturæ: melius eſt enim quodcumque eſſe, quàm non eſſe; ſub nihilo naturæ eſt nihilum civile, probrum ſcilicet, & infamia. Unde viris nobilibus trita eſt maxima: *Honor vitâ carior eſt. Pretioſior & potior honor, quàm corporis ſalus.* Quod rectè intelligitur non de honore quatenus ad proprium bonum refertur, hoc enim avere ambitio eſt, & vanitas de illo gaudere; ſed de honore quatenus aliorum ſervit utilitati: potiùs enim exponenda & amittenda

eſt

Digitized by Google

eſt vita, quàm aliquid turpe committatur, unde aliqua bono nomini, de quo habere curam præcipit Scriptura, labes aſpergatur. Sic Chriſtiani cor nobile potiùs vitam in diſcrimen projiciet ſuam, quàm ut alicujus criminis ſuſpicione Chriſtianiſmum inhonoret. Sic generoſus Dux caput & animam priùs ponet, quàm ut de gradu motus ſugam faciat. Denique ſub nihilo naturæ eſt nihilum peccati. Hæc omnia intervalla tranſilivit Salvator, & innocens voluit apparere peccator, ut nos confunderet, qui peccata amantes peccatores haberi nolumus. *Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari; nos eſſe volumus, & nolumus æſtimari*, ait Bernard.

DISSERTATIO III.

De converſatione Chriſti.

VERE impleta eſt Iſaïæ *cap.* 7. Prophetia. *Vocabitur nomen eius Emanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Nam beneficio Incarnationis Deus eſt nobiſcum multis modis. Primò per carnis aſſumptionem. Joan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Secundò per naturæ conformitatem & ſimilitudinem. Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus.* Tertiò per aſpectabilem converſationem. Baruch 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Quartò per ſpiritualem & inviſibilem, realem tamen corporis præſentiam in Sacramento altaris. Matth. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* De tertio modo agimus in præſenti. Et quia converſationem præceſſit baptiſmus Joannis, modus vivendi Chriſti, & tentatio diaboli, de his priùs agemus, quàm ut de converſatione ejus, doctrina, & miraculis fulgente diſſeramus.

CAPUT I.

De Baptiſmo, modo vivendi, & tentatione Chriſti.

PRæmoneo primò convenienter S. Joannem Baptiſtam baptizaſſe, tum ut ſuo baptiſmo aſſueſaceret homines ad baptiſmum Chriſti, quem concurrentibus ad ſuum baptiſmum turbis annuntiabat, ut ſicut naſciturum Dominum naſcendo prævenerat, ita & baptizando baptizaturum præveniret. Tum ut homines quos baptizabat, permoveret ad pœnitentiam, quæ eſt præcipua ad Chriſtum recipiendum diſpoſitio. Cùm enim Joannes eſſet non ſolùm Propheta, ſed pluſquam Propheta (fuit enim terminus legis, & initium Evangelii, ac utriuſque Teſtamenti confinium & horizon, ac talis, quod inter natos mulierum non ſurrexerit major) ad eum pertinebat homines ad omnem ſanctitatem hortari. Nullum tamen erat præceptum de ſuſcipiendo illo baptiſmate; nuſlibi enim legitur Joannem illud per modum legis propoſuiſſe. Unde Domino interrogante, Matth. 21. *Baptiſmus Ioannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus?* Reſponderunt Sacerdotes, *Neſcimus.* Quod ſanè non ignoraſſent, ſi fuiſſet aliquod de illo præceptum; nec de illo tanquam de re dubia Dominus interrogaſſet. Unde D. Thomas *quæſt.* 38. *art.* 2. *ad* 3. ait: *Baptiſmus Ioannis non fuit commendatus aliquo præcepto, ſed familiari quadam revelatione Spiritus ſancti.*

Præmoneo ſecundò, Baptiſmum Joannis non fuiſſe verum Sacramentum, ſed quaſi quoddam Sacramentale ad baptiſmum Chriſti. Quia licèt præfigurando ſignificaret baptiſmum Chriſti, & gratiam in nova lege conferendam; tamen non erat ſignum practicum gratiæ, nec cæremonia ad ſanctificandum per ſe & permanenter inſtituta; ſed ad hoc erat Joanni divinitus inſpiratum, ut per eum populus ad novam legem manduceret; miſſus enim erat, ut pararet Domino plebem perfectam.

Quod autem baptiſmus Joannis de ſe non conferret gratiam, clarè tradit Scriptura. Nam *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Luc.* 3. *Ioan.* 1. *& Act.* 2. expreſsè aſſignatur differentia Joannis & Chriſti baptiſmi, quòd ille baptizaret in aqua, Chriſtus verò in Spiritu ſancto; gratia autem non infunditur ſine Spiritu ſancto, à quo diviſiones gratiarum ſunt. Unde baptiſma Joannis ſolum corpus abluebat, gratiam verò non conferebat, ſed ad eam duntaxat diſponebat erudiendo per doctrinam inducentem ad Chriſti fidem, aſſueſaciendo homines ad ritum Chriſti, & pœnitentiæ neceſſitatem inculcando. Quocirca dicitur quod baptizabat & prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Unde in Concilio Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. ſic pronuntiatur: *Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Et Auguſt. *ſerm.* 37. ait: *Prædicabat in deſerto Ioannes baptiſmum pœnitentiæ, non quo crimina commiſſa deleret, ſed quo emendaret errantes. Nam remiſſio peccatorum Chriſti gratiæ ſervabatur.* Et Chryſol. *ſerm.* 137. ſic: *Per baptiſma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiã, non promovebatur ad gratiam. At verò Chriſti baptiſma ſic regenerat, ſic immutat, ſic hominem reddit ex vetere novum, ut præterita neſciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cœleſtis jam cœleſtia poſſidet & divina.*

Præmoneo tertiò, probabile eſſe Ioannem in adminiſtratione ſui baptiſmi uſum fuiſſe aliqua forma verborum, ut cum Magiſtro docet S. Th. *in* 4. *diſt.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *&* 3. *p. q.* 38. *art.* 4. *ad* 5. Tum quia *Actor.* 19. ait Paulus: *Ioannes baptizavit populum dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent.* Tum quia innuit Hieronymus *in cap.* 2. *Ioëlis*, & in epiſtola de viro unius uxoris, Joannem baptizaſſe in nomine Chriſti venturi. Et Ambroſ. *lib.* 1. *de Spirit. ſanct. cap.* 7. ait: *Ioannes quidem in adventum Ieſu, non in ſuo baptizabat nomine.* Et Auguſt. *lib. quæſtion. nov. Teſtam. quæſt.* 29. dicit, *Baptiſmum Ioannis non fuiſſe ſine Salvatoris mentione.* Tum quia decuit, ut ſicut Joannes erat Chriſto proximior, quàm cæteri Patres, quippe miſſus ad Redemptorem indigitandum: ita baptiſmus ejus habuit ſignificantiùs Chriſtum declarare, quàm veteris legis cæremoniæ: clarior autem ſignificatio habetur per verba materiam determinantia; quam quidem ſignificationem Chriſti venturi non habuiſſet ſimplex ablutio ad multa ſignificanda indifferens. Præſertim quia baptiſmus Joannis conferebatur per modum doctrinæ & inſtructionis ad parandam Chriſto viam, cui fini omninò erant neceſſaria verba. Credibile tamen eſt Joannem nullam inter baptizandum Chriſtum formam adhibuiſſe, quia forma illa ad Chriſtum manifeſtandum ordinata ſuperflua fuiſſet; quia dum Chriſtus baptizabatur, à Patre fuit magnificentiſſimè demonſtratus his verbis: *Hic eſt filius meus dilectus*, quibus eminentiſſimè ſupplevit verba Joannis.

SPECULATIO I.

Convenientiſſimè Chriſtus baptizatus eſt Baptiſmo Ioannis.

PRobatur variis congruentiis à Patribus adductis. Primò ut aquas ſua ſuſceptione conſecraret, & tactu ſuæ mundiſſimæ carnis ſanctificaret, nõ quidem

dem imprimendo eis aliquam qualitatem, ſed eas deſignando in materiam Sacramenti à ſe inſtituti, in quo aqua aſſumitur ut inſtrumentum phyſicum divinæ virtutis. Vnde Ambroſ. *lib. 2. in Luc. cap. ultimo*, ait: *Baptizatus eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Chriſti, qui peccatum non cognovit, baptiſmatis vim haberent.* Secundò quia licèt Chriſtus non eſſet peccator, tamen naturam ſuſceperat in ſimilitudinem carnis peccati; unde ut ſuccurreret indigentiæ noſtræ, in ſua carne voluit baptizari, ut totum veteranum Adam aquis immerſum ſepeliret, & novi homines reſurgerent, ſicut pro nobis mortē ſubivit iñocens, ut reos vivificaret. Tertio quia voluit ipſe prior facere, quod faciendū omnibus imperavit, incipiens facere, & poſtea docere. Quartò ut præberet humilitatis exemplum; nam ſicut voluit apparere infirmus in nativitate, peccator in circumciſione; ita pœnitens viſus eſt in ſuſceptione baptiſmatis pœnitētiæ. Erubeſcat ergo peccator nolens fateri ſe reum, ubi innocens peccatorū actualium in ſe ſuſcipit confuſionem. Nemo refugiat lavacrū confeſſionis, neminē pudeant lamenta pœnitentiæ, quando Chriſtus lavacrum pœnitentiæ non refugit. Formidemus corpus animumq; polluere, non polluta mundare, dum ipſe impollutus & ſegregatus à peccatoribus, inter pollutos ad Joannem cōcūrres conſpici, & iiſdem ablui aquis non dubitavit, ut totum confeſſionis & pœnitentiæ amarorem ipſe guſtaret, & prægustando dulcoraret.

Quæres primo, quo ætatis anno Chriſtus baptizatus fuerit?

Reſpondeo anno trigeſimo inchoante, ut dicitur Luc. 3. *Ieſu baptizato, & orante.:: Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Id eſt erat incipiens annum trigeſimum. Quæ particula, *quaſi*, quia duplicem patitur expoſitionem, ideo duplici ſententiæ occaſionem dedit. Quandoque ſignificat diminutionem, ut cùm dicitur, *Eſt generoſus quaſi Alexander, profundus quaſi S. Thomas, Elegans quaſi Tullius.* Hinc Cajetanus arbitratur, Chriſtum fuiſſe baptizatum paulò ante trigeſimum annum; ſed inde refellitur, quia Chriſtus fuit baptizatus die ſexta Ianuarii, ut fert Eccleſiæ ſenſus: unde ſi nondum inceperat trigeſimum, ſequitur ipſum inchoaſſe tantùm vigeſimum nonum, quia compleverat annum die 25. Decembris; Ergo vel vigeſimū octavum vel vigeſimum nonū; ſi vigeſimū nonum, fuit baptizatus trigeſimo inchoante; ſi vigeſimum octavum, fuit tantùm baptizatus incipiente anno vigeſimo nono; quomodo ergo erat incipiens quaſi annorum triginta?

Accipitur etiam ly *quaſi*, quandoque pro majori expreſſione, ut Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti à Patre.* id eſt, prout decebat unigenitum Dei: ſicut videns Regē multiplici gloriâ & pompâ incedentem, ſi interrogetur qualiter Regē viderit, volens expedire, uno verbo exprimit dicens, ipſū quaſi Regē inceſſiſſe, id eſt conformiter ad Regiā majeſtatem. Ideò Baronius citans plures Patres cenſet Chriſtum fuiſſe baptizatum anno trigeſimo expleto, & trigeſimo primo inchoante. Verùm non videtur congruere Evangelicæ narrationi, quia licet ly *quaſi*, de ſe poſſit plura ſignificare quàm exprimat; tamen quando reſtringitur per aliquid limitans, tunc non patitur varias expoſitiones; in præſenti autem limitatur per ly *incipiens*: unde omninò dicendum, Chriſtum fuiſſe baptizatum anno trigeſimo inchoante; ly verò *quaſi* ſignificare illud initium non eſſe accipiendum mathematicè, ſed moraliter, id eſt circa initium anni trigeſimi inchoantis, nempe die ſexta Ianuarii, quo die Catholica Eccleſia hujus Chriſti baptiſmatis memoriam recolit. Patres verò à Baronio relati ajentes Chriſtum expleto & conſummato trigeſimo fuiſſe baptizatum, non ſunt in rigore mathematico intelligendi, ſed eo ſenſu quo *Marc.* 8. dicitur *Oportet Filium hominis pati, & poſt tres dies reſurgere*: & Luc. 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer.* Et tamen Chriſtus tertio die currente reſurrexit, & octavo currente circumciſus fuit; quia in legalibus & politicis annus inceptus habetur pro completo.

Quæres ſecundò, quo loco Chriſtus baptizatus fuerit?

Reſpondeo in Jordane, ut dicitur *Marc.* 1. Cujus rei nulla litteralis ratio afferri poteſt, niſi divina voluntas: aliquas myſticas affert S. Thomas. Primò, quia per fluvium Iordanis filii Iſraël in terram Promiſſionis intraverunt; unde in aquis illius elegit convenienter inſtituere baptiſmum, per quem introducimur in veram terram promiſſionis, ſcilicet regnum cœlorum. Secundò quia ſicut Elias igneo curru rapiendus in cœlum diviſit aquas Jordanis, ita tranſeuntibus per aquam baptiſmatis, igne Spiritus ſancti patet aditus in cœlum. Tertiò, quia Jordania interpretatur deſcenſus, baptizati autem non aſcendunt per profectum gratiæ, niſi deſcendant per humilitatem, ſicut videmus aquas non aſcendere, niſi ea proportione quâ deſcendunt. Quartò, quia ſicut tranſeuntibus filiis Iſraël aquæ Jordanis converſæ ſunt retrorſum versùs fontem: ſic baptizati ad ſuum principium, è quo exierunt, reverti, & ſuæ refundi origini tenentur.

Quæres tertiò, quibus modis Chriſtum baptizatum Pater honorificaverit?

Reſpondeo, quod ſicut Chriſtus ſubjiciens ſe baptiſmo Joannis ſe profundiſſimè dejiciebat, formam & ignominiā peccatoris actualis ſponte ſubeundo: ita omninò congruebat, ut tantam humilitatem variis modis Pater exaltaret. Primò aperiendo cœlum, ut demonſtraret quod per Chriſtum patet nobis via ad cœlum, & per ejus doctrinam, niſi per nos ſteterit, vitā cœleſtem etiam in terris converſantes degemus. Porrò cœli aperti ſunt non per realem diviſionem, ſed per realem immutationem aëris (qui ſæpe ſæpiùs dicitur cœlum in ſacris paginis) tanto fulgore coruſcantis, ut viderentur cœli aperti; vel per ſpeciem cœli gloriæ impreſſam, aut potentiæ viſivæ, aut imaginationi.

Secundò deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, ut dicitur *Luc.* 2. ut ſignificaretur plenitudinem donorum & chariſmatum eſſe in Chriſto veluti in fonte, unde debent in alios derivari. Quæ quidem columba fuit verum animal, quia ſicut Filius aſſumpſit verum corpus, & nō phantaſticum, quia non decebat ut veritas Patris aliqua fictione uteretur: ita Spiritus ſanctus, qui eſt Spiritus veritatis, veram columbam formavit, in qua appareret, ut docet Auguſt. *lib. de agone Chriſt. cap.* 22. Quia tamen illam columbam non ſibi univit hypoſtaticè Spiritus ſanctus, ideo dicitur Spiritum ſanctum deſcendiſſe corporali ſpecie columbæ, quæ poſtea peracto myſterio deſtructa eſt. Licèt enim De' ſecundùm ſolitam ſuæ providentiæ legem non ſoleat ea deſtruere quæ condidit, quando alioquin corruptio ex propriis principiis non ſequitur; non eſt tamen inconveniens, ſed planè conſentaneum, ut in iis, quæ præter vel ſupra naturæ ordinem ad revelanda myſteria, vel exercendam ſuam juſtitiam facit, poſtea deſtruat, quæ extraordinariè antè creavit, ut contigit in ſtella duce Magorum, & animalculis ad puniendos Ægyptios, quæ abſoluto officio defecerunt; & in flamma, quæ in rubo Moyſi apparuit, quæ ſtatim ceſſavit.

Tertiò audita eſt vox Patris Filium proteſtantis, & dicentis: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè compla-*

complacui. Tum quia baptiſma Chriſti fuit exemplar noſtri, quod conſecratur invocatione & virtute SS. Trinitatis, & in quo efficimur filii Dei adoptivi. Tum quia ut Chriſtus prædicatione populos ad ſe converteret, priùs teſtimonio Patris erat ejus divinitas manifeſtanda, ut ejus doctrina fieret credibilior, & majori cum æſtimatione à fidelibus acceptabilior.

Reflexio.

Antequam Chriſtus prædicaret priùs baptizari voluit baptiſmo pœnitétiæ. Audiant cacozeloſi, qui è ſordibus peccatorum vix emerſi, fœtentes adhuc & ſqualidi Apoſtolica munia non detrectant, non refugiunt, ſed ambiunt, ſed inſequuntur. Ad ſacros Ordines per *extra tempora, & ante tempus* benignitate Sacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ abutentes, non præ devotionis ardore (ut in memoriali ſeu libello ſupplici exponunt) ſed præ captandorum pinguium ſacerdotiorum pruitu intempeſtivè evehuntur. Variis de cauſis anno trigeſimo Salvator baptizatus eſt antequam prædicaret, quas egregiè recenſet Doct. Angelicus *quæſt. 39. art. 2.* Tum ut daretur intelligi quod baptiſmus parit viros perfectos, ſecundùm illud Ephes. 4. *Donec occuramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Tū quia per hoc apparet in eo vera natura humanitatis, quod per temporum incrementa corporaliter profecit: & ne hujuſmodi profectus putaretur eſſe phantaſticus, noluit ſapientiam ſuam vel virtutem manifeſtare ante perfectam corporis ætatem. Sed illæ potiſſimæ ſunt, quas petit ex eo quod omnis Chriſti actio ſit noſtra inſtructio. *Chriſtus* [inquit] *baptizatur quaſi ex tunc incipiens docere & prædicare: ad quod requiritur perfecta ætas, qualis eſt triginta annorum. Unde legitur Geneſ. 41. quod triginta annorum erat Ioſeph, cùm regnare cœpiſſet. Similiter etiam 2. Reg. 5. legitur de David, quod triginta annorum erat, cùm regnare cœpiſſet. Ezechiel etiam in trigeſimo anno cœpit prophetizare, ut habetur Ezech. 1.* Et ad 3. *Chriſtus proponebatur hominibus in exemplum omnium; & ideo oportuit in eo oſtendi id quod competit omnibus ſecundùm legem communem, ut ſcilicet in ætate perfecta doceret.* Ergo ſecundum legem communem ad officia Apoſtolica neceſſaria eſt & ætas perfecta, & præcedens baptiſmus pœnitentiæ. Scio quidem aliquos in benedictionibus dulcedinis præventos, innocentiæ baptiſmalis cuſtodes præter legē communem ante perfectam ætatem officium vel præſidendi, vel docendi non ambiviſſe quidem, ſed juſſos & reluctantes ſuſcepiſſe: *Sed* (inquit S. Th. poſt Nazianzenum) *non eſt lex communis quod rarò contingit; ſicut nec una hirundo ver facit.* Ergo ante perfectam ætatem, ante legitimam vocationem, ante ſalutarem pœnitentiam nemo præſumptuoſè prælationis gradum, & docendi officium aſſumat. Miniſter Chriſti imitetur Chriſtum, qui priùs voluit facere quod faciendum omnibus imperavit. Et hoc eſt quod ipſe dixit: *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*, quia ut ait Ambroſ. lib. 2. in Luc. cap. ult. *Hæc eſt juſtitia, ut quod alterum facere velis, prior ipſe incipias; & tuo alios horteris exemplo.*

Si ſeriò ſacrorum Ordinum dignitatem, Miniſtris Chriſti neceſſariam puritatem, & Eccleſiaſticorum munerum non tam honores quàm onera perpenderemus, nemo ſanè, nemo prorſus ſub tam æquo libratore meritorum Deo, ſub tam intimo ſecretorum inſpectore, cui nec verbum prætervolat, nec ſubterfugit cogitatio, in Sancta Sanctorum præſumeret introire. *Non autem omnes capiunt hoc verbum* (inquit Bernard. epiſt. 42.) *Multi enim non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera. Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò quia ſola attenditur gloria, & non pœna, parum eſſe Clericum erubeſcitur in Eccleſia, ſeque viles æſtimant & inglorios, qui quocumq; eminentiori in loco non fuerint ſublimati. Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores interim quòd virgas evaſerint, quàm quòd meruerint principatum, nec tam illis blanditur adeptum magiſterium, quàm delectat ablatum ſibi imperium. Et hoc quidem in initio, proceſſu verò temporis paulatim inſoleſcentes docti ſunt in brevi vendicare altaria, ſubditorum marſupia vacuare, magiſtris nimirum in hac diſciplinâ utentes idoneis ambitione & avaritiâ :: Curritur in Clero paſſim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tanquam ſine curis jam quiſq; victurus ſit, cùm ad curas pervenerit. Nec mirum de his, qui necdum in ſemetipſis experti ſunt, videntes quippe illos, qui jam proprios humeros cupita ſarcinæ ſubmiſerunt, non ſolùm non gemere tanquam ſub onere, ſed inſuper appetere plus onerari, nō deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, ſed favoribus ampliùs, quos illis invident, provocantur. O infinita ſemper ambitio, & inſatiabilis avaritia! Cùm primos honorum gradus meruerint in Eccleſia; meruerint autem vel vitæ merito, vel pecunia, ſive etiam carnis & ſanguinis, quæ regnum Dei non poſſidebunt, prærogativâ, non ideo corda quieſcunt, duplici ſemper æſtuantia deſiderio, quo utique magis ac magis & dilatentur in plura, & ad celſiora ſublimentur. ::: Crudelis ambitio, & incredibilis, ſi fidem oculi non aſtruerent! Nudè nuda loquor, nec retego verenda, ſed inverecunda confuto. Utinam privatim & in cameris hæc fierent! Utinam ſoli viderimus, & audierimus! Utinam nec loquentibus crederetur! Utinam nobis reliquerint moderni Noe, unde à nobis poſſet aliquatenus operiri! Nunc verò cernente orbe mundi fabulam, ſoli tacebimus? Caput meum undique conquaſſatum eſt, & ego ſanguine circumquaque ebulliente putaverim eſſe tegendum? Quidquid appoſuero, cruentabitur, & major erit confuſio voluiſſe celare, cùm celari nequiverit.* Hæc apoſtolicè Bernardus, ſed huic fortè magis quadrant ſæculo, quàm ſuo. Sed harum & aliarum, quæ non latent, miſeriarum germana radix eſt temerarius ad ſacros Ordines ſine vocatione ingreſſus, & ambitioſus ad Prælaturas progreſſus.

Speculatio II.

Modus vivendi & converſandi, quem tenuit Chriſtus, convenientiſſimus fuit.

PRobatur excurrendo per circunſtantias vitæ Chriſti. In primis minimè congruebat, ut ſemper ſolitariam & abſconditam vitam duceret; quia converſatio Chriſti talis debuit eſſe, ut conveniret fini Incarnationis: triplex autem eſt finis Incarnationis, cui maximè neceſſaria fuit vita ſocialis. Primus finis eſt manifeſtatio veritatis. Joan. 18. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ad hoc autem neceſſe fuit, ut publicè procederet, & propalam prædicaret. Secundus finis eſt liberatio hominis à peccato. 1. Timoth. 1. *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Ad quod neceſſaria fuit converſatio; nam bonus paſtor accedit ad ovem perditam, & medicus ad infirmum. Tertius finis eſt, ut per Chriſtum habeamus acceſſum ad Patrem, ut dicitur *Rom. 5.* quod utique non præſtaret, niſi hominibus ſui copiam dediſſet, & per familiarem convictum demonſtraret nobis per ipſum facilem patere aditum ad Patrem. Certe ſi difficilem ſe præbuiſſet, timorem potiùs incuſſiſſet, & ideo inter homines apparere voluit, ut *ſolita ſuaviſ-maret inſolitis, & inſolita ſolitis temperaret*, ut verbis Auguſtini *epiſt. ad Voluſ.* utar. Sic enim homines familiari conſuetudine, & impenſis benignitatis

officiis

officiis devinctos ſuaviùs trahebat in vinculis Adam, in vinculis charitatis.

Secundò Chriſtus viam mixtam duxit, modò in contemplatione pernoctando, modò per actionem verba vitæ æternæ effundendo. Tum quia licèt vita contemplativa ſit ſimpliciter melior activâ, quæ occupatur circa corporales actus; nihilominus vita activa, quâ quis prædicando & docendo contemplata aliis tradit, eſt ſolâ contemplativâ perfectior, quia abundantiam contemplationis eructantis verbum bonum præſupponit. Tum quia Salvator exemplum dare voluit Prædicatoribus, ut non ſemper publicis functionibus operam darent, ſed ſeſe interdum à turbis retraherent, ut collapſa reſtaurent, diſſipata congregent, & animi evagantia motus ad cor convertentes diſpendia reſarciant.

Tertiò licèt Chriſtus ante prædicationem auſteram vitam duxerit, ut patet in jejunio quadraginta dierum & quadraginta noctium, quod prædicationi præmiſit; tamen dum vitam ſocialem ducere cœpit, in cibo & potu ſe vitæ aliorum quibuſcum tractabat conformavit; qui enim aliis convivit, ne eis moleſtus ſit, debet ſe honeſto eorum vivendi modo accomodare, & omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciat. Tum ne homines exiſtimarent cibos à quibus Chriſtus abſtinuiſſet, illicitos eſſe: ut ergo oſtenderet hominem per id quod intrat in os non coinquinari, nec uſum rerum, ſed libidinem utentium in culpa eſſe, ideo cibos communes non reſpuit. Tum quia Chriſtus vocavit diſcipulos in principio rudes & imperfectos, qui ſubinde non erant ſtatim jejuniorum & abſtinentiarum rigoribus deterrendi. Tum ut confunderet quorumdam ſuperbiam, qui ſummam perfectionis in auſteritate conſtituentes, alios qui non ſunt ejuſmodi flocciſacientes, & imitantes Phariſæum, qui binum hebdomadæ jejunium ſuum magnificans, ſe Publicano præferebat, ſolidarum virtutum charitatis & humilitatis praxi operam non dant, cùm tamen ſcriptum ſit, quod regnum cœlorum non eſt eſca & potus; & quod exercitatio corporalis ad modicum valet, pietas verò ad omnia utilis eſt; & quod ſi tradidero corpus meum ſtammis, charitatem autem non habuero, nihil prodeſt. Tum demùm, quia decuit Chriſtum, qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium, omnium etiam eſſe exemplar virtutum: unde non debuit ſemper eandem vivendi rationem ſervare, ſed aliquando debuit eſſe ſolitarius, ut eſſet archetypus contemplativorum; aliquando jejunans, ut eſſet exemplar pœnitentium; aliquando vitam communem cum peccatoribus degens, ut ſæculares poſſe ſalvari oſtenderet; aliquando prædicans, corrigens, & pertranſiens benefaciendo, ut eſſet idea virorum Apoſtolicorum. Unde Chriſtus eſt verum ſpeculum juſtitiæ, quia omnes ſtatus in eo perfectionis exempla cernere queunt; eſt centrum omnium, in quo omnes diverſarum conditionum lineæ uniri poſſunt, & debent; nam ſicut in Incarnationis mirabili commercio divina humanis, cœleſtia terrenis ſociavit: ita in vita ſua omnes vivendi modos univit, & dum exercuit, conſecravit.

Quartò Chriſtus pauperem vitam in mundo ducebat. Imò S. Thomas *opuſcul. contra impug. Relig. cap.* 7. aſſerit ipſum mendicaſſe, quia in ejus perſona *Pſalm.* 35. dicitur, *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Ubi ſecundùm gloſſam dicitur mendicus qui ab alio petit, & pauper qui ſibi non ſufficit. Et 2. *Cor.* 8. dicitur: *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt.* Hoc etiam ſatis inſinuat Veritas, Matth. 8. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Soli autem mendici hoſpitiolum non habent, & tecto utuntur alieno. Idque fuit valdè conveniens, tum quia Chriſtus venerat ad prædicandum: Prædicatores autem Verbi Dei omninò à rerum ſæcularium cura debent eſſe abſoluti; quibus divites implicari neceſſe eſt. Certè ſi teſtante Veritate ſemen, quod eſt verbum, quod cecidit inter ſpinas, id eſt (ut ipſemet exponit) divitias, ſuffocatur; neceſſe eſt Verbi Dei efficacitas impediatur & ſuffocetur, ſi à corde divitiarum amore irretito proferatur. Secundò, ut oſtenderet divitias bonaque terrena eſſe flocciſacienda, & per paupertatis ſemitas homines faciliùs pervenire ad divitias ſpiritales; quia difficillimum eſt divitem intrare in regnum cœlorum. Tum quia contraria contrariis curare voluit, id eſt corda hominum terrenis plus juſto addicta ſuâ paupertate ſanare. Sicut enim mors ejus fuit origo vitæ, dolor ejus fons conſolationis: ita altiſſima ejus paupertas theſaurus eſt opibus omnibus ſpiritalibus refertiſſimus. 2. Cor. 8. *Propter vos egenus factus eſt, ut illius inopiâ divites eſſetis.* Tum ut honorificaret miniſterium ſuum, divitiarum abdicatione demonſtrans ſe non lucri cauſa cœleſtia eloquia populis annuntiare, ſed unico ſalutis animarum promovendæ deſiderio. Audiant illi (ſi ſuperis placet) Apoſtolici Prædicatores, qui nolunt evangelizare, niſi ſit pingue ſtipendium, ideoque humiles cathedras deſpiciunt, honorificas verò & opulentas & cum anxietate procurant, & ſæpe pro ſolutione eleemoſynæ impudoratè litigant, ſicque Verbi Dei miniſterium tam ſacrum, tam auguſtum in quæſtum convertunt, ſordidant, adulterant. Tum demùm ut Divinitatis clareret virtus à divitiarum ſubſidiis independens, & contemptibilia mundi eligens, ut de divitibus & potentatibus triumpharet.

Itaque Chriſtus fuit pauper in nativitate reclinans in præſepio: pauper in infantia & adoleſcentia laborem manuum ſuarum manducans fabri filius, & ipſe faber: pauper mortuo Patre; veriſimillimum enim eſt, omnia quæ S. Joſeph reliquit (ſi quæ tamen erant) matri ſuæ ceſſiſſe, tradens illi & dominium, & uſum qualiſcumque ſupellectilis, ut ab omnibus nudatus liberiùs proficiſceretur per loca & caſtella ad prædicandum. Pauper fuit poſt baptiſmum, quia licèt aliqua bona in communi cum diſcipulis haberet, ut patet *Ioan.* 4. & 13. ubi dicitur diſcipulos cibos emiſſe, utique ex pecuniis quas ſervabant, quarumque depoſitarius erat Judas, qui loculos habebat, & tamen *Ioan.* 12. vocatur fur, quia bona communia in proprios uſus convertebat: licèt, inquam, ita ſit, tamen ſemper in magna exiguitate res habebat, ut in ſe, & in ſua ſacra familia impleret quod ipſemet diſcipulis injunxit, Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum.* Et 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me.* Ex quibus facilè conciliabis Nicolaum IV. cum Joanne XXII. quorum ille *in cap. Exiit, de verborum ſignificatione in* 6. affirmat Chriſtum & Apoſtolos neque in communi, neque in particulari aliquid poſſediſſe, niſi interdum & rarò, ut infirmorum imperfectionibus condeſcenderet: iſte verò tribus extravagantibus, ſcilicet *Ad conditorem*, & *Cùm inter nonnullos*, & *Quia quorundam*, aſſerit Chriſtum rerum dominium habuiſſe, hocque non minuere perfectionem. Verùm hæc concordantur dicendo Chriſtum utrumque paupertatis genus exercuiſſe.

Reflexio.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Heb. 4. Voluit Chriſtus familiariter cum hominibus convivere, incredibili comitate ſua ad ſe acceſſum facere, eſſe auditu facilè, congreſſu opportunum, conſuetudine manſuetum,

ut omnes indiſcriminatim alliceret, qui erat pro omnium ſalute moriturus. Regum terrenorum alloquiis fruuntur ſoli & pauci aulici, de quibus rectè dicitur, quod *furantur Regem*, ſicut aliàs populus Iſraël apud Davidem conquerebatur. 2. Reg. 19. *Quare te furati ſunt fratres noſtri viri Iuda?* Quia Rex eſt perſona publica, quæ omnibus non ſolùm prælata, ſed & oblata eſſe debet. Ergo illum furantur, qui illius aditu omnibus interdicunt, qui gemitus pauperum, orphanorum clamores, viduarum ululatus ad aures regias non ſinunt pervenire. Planè furantur, qui alienum ſubripiunt: at nonne rem alienam injuſtè tollit, qui communem ſibi aſſerit, qui publicam ſibi vendicat ut peculiarem? At Deum Regem manſuetum nemo furatur, quia qui pro omnibus venit, omnibus dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Omnes expectat, omnibus adeſt & ineſt, & ut præclarè ait Minutius Felix in Octav. *Deus author omnium, ſpeculator omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt, intereſt cogitationibus noſtris. Non tantùm ſub illo agimus, ſed cum illo, ut propè dixerim, vivimus.::: Reges tantùm regni ſui per officia miniſtrorum univerſa novere: Deo indiciis opus non eſt, non ſolùm in oculis ejus, ſed & in ſinu vivimus.* Quàm amandus, quàm familiaris Divinus Rex? Nulla illi prætoria cohors arcens adventantes, nulla armatorum militum cuſtodia circumvallat domum ejus, nullus oſtiarius excubitor in porta, nullus vigil, aut ſpeculator in feneſtra, nullus ſtativorum cuſtodum cuneus durus & intractabilis. Quia Chriſto nemo eſt extraneus & peregrinus, nemo hoſpes & advena, nemo ignotus aut ingratus, ſed omnes ſunt cives Sanctorum, & domeſtici Dei. Quin ipſe Rex optat furati corda noſtra, juxta egregium illud Iſaïæ cap. 8. vaticinium: *Voca nomen ejus accelera, detrahe, feſtina prædari.* Quia nimirum gratiâ præveniente prior occurrit, allicit, invitat, ut cor in creaturas non diffluat, ſed unum uni ſerviat conditori.

Speculatio III.

Repræſentantur convenientia & circumſtantiæ tentationis Chriſti.

IN primis conveniens fuit Chriſtum tentari à diabolo, qui Ieſum in deſerto voluit explorare, cum intentione & conatu impellendi ipſum ad malum. Id autem congruebat, tum ut tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, qui erat mortem noſtram ſua morte ſuperaturus: tum propter noſtram cautelam, ſignificans nullum quantumvis perfectum eſſe immunem à tentatione, cùm potiùs ſæpe ſanctiores vehementiùs tentator invidus perſequatur; tum ut vincendarum tentationum artem doceret dux militiæ noſtræ, ut poſtea dicemus: tum ut fiduciam de ſua miſericordia tentatis largiretur; ſicut enim Chriſtus patiens eſt omnium laborum & dolorum lenimentum: ita & Chriſtus tentatus eſt tentationum noſtrarum ſolatium. Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia abſque peccato.*

Secundò conveniens fuit ut tentaretur in deſerto. Tum ut indicaret vitam ſolitariam alienam à tentationibus mundi patere tentationibus diaboli, qui ſemper invidet ad meliora tendentibus. Tum ut indicaret deſertum eſſe campum certaminis, in quo vincitur diabolus, qui in mundo ſemper ferè vincit, nũquam vincitur. Tum ut doceret neminem debere ingredi deſertum vitæ ſolitariæ, niſi ductus ſpecialiter a Spiritu ſancto, quia licèt vita cœnobitica ſit ſtatio tutiſſima, tamen vita eremetica & ſolitaria grandibus periculis obnoxia eſt, nec niſi viris in vita ſpiritali conſummatis opportuna; ſcriptum eſt enim: *Væ ſoli, quia ſi cadat, non habet ſublevantem ſe.* Et Philoſophus 1. *Polit. cap.* 2. docet aut ſolitarium eſſe beſtiam & infra hominem, ſi ob atram malæ indolis moroſitatem, & refractariam pervicaciam ſe à conſortio ſegreget; aut eſſe divinum & ſupra hominem, ſi id faciat propter contemplandam veritatem. Nemo ergo niſi homine major vitam eremiticam à communitate ſejunctam ducat; nam ut benè alicubi argumentatur Bernard. *Si de Virginibus fatuis es, neceſſaria eſt tibi congregatio; ſi de prudentibus, tu congregationi.*

Tertiò congrua etiam fuit circunſtantia temporis tentationis, quæ poſt jejunium contigit: tum propter exemplum, docens quod per jejunium veluti ſcutum oportet nos contra tentationes armari: unde inter arma juſtitiæ Apoſtolus jejunia commemorat, 2. *Cor.* 6. Tum ut oſtenderet non noſtris meritis & laboribus, ſed potiſſimum divinæ gratiæ nos debere inniti, quia etiam jejunantibus grandis reſtat via, multæque vincendæ difficultates, quibus impar eſt omne jejuniorum præſidium, niſi divinæ opitulationis adjutorium præſto ſit. Tum ut de diabolo gloriosiùs triumpharet, quo ipſum carnis infirmitate tentatori non conſentiente ſuperabat. Tum ut innueret, nullum debere aſſumere prædicationis officium, niſi labore pœnitentiæ fuerit antè purgatus: & ideo Salvator poſt Baptiſmum auſteram vitam duxit, *ut doceret* (verba ſunt S. Doctoris octandiſſima q. 41. art. 3.) *poſt carnem edomitam oportere alios ad prædicationis officium tranſire, ſecundùm illud Apoſtoli: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Obſerva vero, ſignanter addidiſſe Matthæum Chriſtum jejunaſſe quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ne putaremus jejunium ejus fuiſſe ſecundùm conſuetudinem Judæorum in jejuniis nihil interdiu, ſed noctu ſolùm comedentibus.

Ex quibus infcres, rejiciendam eſſe quorumdam ſententiam opinantium, Chriſtum ex tam diuturno jejunii tempore nullam cibi, potuſque indigentiam fuiſſe perpeſſum. Nam licèt fatendum ſit, afflictionem corporis Domini à jejunio illatam fuiſſe divina moderatione temperatam, & appetitum cibi & potus miraculoſa diſpoſitione retentum intra terminos tolerabilis pœnitentiæ, & rationabilis obſequii: nihilominus tamen ex illo jejunio mortificatam eſſe carnem Chriſti dubium non eſt, aliàs jejunium Chriſti non eſſet abſolutum humanorum exemplar jejuniorum, in quibus corporis afflicti tolerantia potiſſimè æſtimatur.

Quartò conveniens fuit ordo & modus tentationis Chriſti, quia ordo conveniens tentationis eſt, ut dæmon paulatim virum ſpiritualem aggrediatur à levioribus ad graviora procedens. Aſtutus enim tentator volens experimentum ſumere, non eodem modo omnibus mala ſuggerit, ſed affectus & propenſiones explorat, & ibi nocendi occaſiones aucupatur, quò non magis ſenſerit inclinati. Hunc autẽ ordinem in tentatione Chriſti ſervavit. Nam primò tentavit eum circa id quod appetunt omnes, quantumvis ſpirituales viri, proponens corpori jejunio fracto neceſſariam ſibi refectionẽ. Secundò vanâ gloriâ, cui interdum ſuccumbunt viri Sancti, eum titillavit, invitans eum ut ad oſtentationem mitteret ſe deorſum. Tertiò divitias & gloriam mundi promiſit ſe adoranti, qua arte carnales ad peccata pertrahit, qui terrenis divitiis, honoribuſque inhiantes ædificant civitatem Babylonis uſque ad contemptum Dei. Conſultò autem inſidioſus tentator hoc triplex telum in Chriſtum vibravit, quia in tribus illis omnium invenitur materia delictorum, nimirum carni-

oble-

oblectatio, ſpes gloriæ, & aviditas potentiæ.

REFLEXIO.

Omoes tentationes devicit Chriſtus hoc proonunciato: *Scriptum eſt*. Et de omnibus animæ hoſtibus facilè triumphabit, qui ad id quod ſcriptum eſt, vel io cordibus ſignato vultus Dei lumine, vel in Evangelio dictante Spiritu ſancto, vel io Traditione Sanctorum calamo exarata, ſemper attendit. *Tene te ad legem*, inquit Auguſt. lib. de Caterhiſ. rudibus, cap. 25. *& non ſequaris pravaricatores ejus; non enim ſecundùm illorum ſenſum, ſed ſecundùm illius veritatem judicaberis.* Non eſt Decalogos regula Lesbya, quâ non factum ad rationem, ſed ratio ad factum accommodatur; quâ lex moribus ſervit, non mores legi; iſta torquetur ad illas, non illi iſti ſubduntur. Sed eſt *virga ferrea*, inquit Seriptura *Pſalm.* 2. id eſt inflexibilis juſtitia, ot exponit Auguſt. Eſt *virga directionis*, Pſalm. 44. non directa aut dirigenda à ratione humana. Eſt *virga æquitatis*, inquit Apoſt. *Hebr.* 1. non favens iniquitati. Quia, ut ait Auguſt. concione 1. in Pſalm 48. *Omnia divina eloquia ſalubria ſunt benè intelligentibus, perniciosa verò his qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere, potiùs quàm ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere.* Ne aſſimileris, Lector, ſi decipi nõ aves, antiquo ſerpenti, qui Protoparentib⁹ blandiens, eos divini mandati falsâ gloſſa & interpretatione ſeduxit. Sed indivolsè legi adhæreſee, & omnibus tentatoribus & palpatoribus cum Nazianzeno, *orat.* 26. reſponde: *Quid mea intereſt, qui res veritatem magis curo, imò ſolùm curo? Hæc enim vel me condemnaverit, vel abſolverit: Hæc miſerum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec aliorum ſomnium.*

Sic comparatus nihil timeas, quia etſi militia ſit vita hominis ſuper terram, habemus Ducem, qui Deus Dominus exercituũ paſſim ſacris in litteris vocitatur, ut vincat hoſtes qui nos feriunt. Laboremus ergo ſicut boni milites Chriſti; quia nemo coronabitur, niſi vicerit; neq; vincet, niſi certaverit; neque certabit, niſi hoſtem habuerit, cui reſiſtat. Quod ſi adhuc formides, ſis armatus, ſis ſollicitus, vigilans in pace, fortis in bello, intrepidus io periculo. Sed importuna nimis, inquis, eſt pugna, dum obſident externi, moleſtant domeſtici hoſtes, & in uno cordenuus homo cum turba luctatur inimicorum; nam concurrit ira, obſtrepit avaritia, accendit libido, ambirio inflat; & nullus eſt locus ab inſidiis immunis, nulla ætas à vitiis libera: ergo difficile eſt, ut non ab aliquo ſuperetur, quia à tot, & tantis, & ubique, & ſemper impugnatur, inſurgitque duplici acie hoſtis antiquus; blandiendo, ut decipiat; minando, ut frangat.

Ita eſt, fateor, & niſi occurrat Chriſtus, non vincit Chriſtianus. Confuge ergo ad Imperatorem tuum, qui vicit mundum eum ſuis terroribus, erroribus, amoribus. *Habes quod pugnes, habes quod expugnes* (inquit Auguſt. in Pſalm. 143.) *ſed & habes quem invoces, ut pugnatorem adjuvet te, & vincentem coronet te.* Si vis vincere, noli de te præſumere; da ejus gratiæ omnipotentiſſimæ totam gloriam, ſi vis habere victoriam. Id etiam in tentationibus præ oculis habe, & in corde ſemper; nemo in hoc certamine vincitur, niſi velit. O fortunata pugna, in qua niſi velis, non ſuperabere! Omnia auferantur corporis & fortunæ bona, omnia anferantur mala, ſtent à latere tuo mille, & decem millia hoſtium à dextris tuis, nondum vinceris, ſi nondum vis. Quam præclarè Auguſt. lib. de vera Relig. c. 46. *Non vincitur niſi ille, cui eripitur ab adverſaris id quod amat. Qui ergo id amat ſolùm quod amanti eripi non poteſt, ille invictus eſt.*

CAPUT II.

De doctrina, & prædicatione Chriſti.

POſtquam Chriſtus omni virtutum praxi operam dedit, effondere ſapientiam populis decrevit. Quia ut docent Sancti, *antè vita quàm doctrina quærenda eſt. Et doctrina cum omni imperio docetur, quando prius agitur, quàm dicatur.* Ipſe etiam Philoſophus Moralis: *Eum*, inquit, *elige Doctorem, quem magis admireris cùm videris, quàm cum audieris.* Explicatâ igitur vitæ & converſationis Chriſti œconomiâ, de ejus doctrina agendum eſt.

SPECVLATIO I.

Chriſtus ſua publica doctrina veris prædicatoribus typum dedit.

PRimò ſervavit ordinem eharitatis, quæ incipit à ſeipſo, & à ſuis, ſibique affinibus, dum exorſus eſt prædicationem à Iudæis. Debitus quippe ordo exigebat, ut Iudæis Deo per fidem propinquioribus, quibuſque factæ fuerant promiſſiones, verba cœleſtia proponeret, per quos in alios ſacrorum eloquiorum fluenta corrivaret. Sic enim eis calumniandi materiam abſtulit, & excuſationem Judæorum Chriſtum non recipientium præcluſit, dum omne pietatis officium eis impendit. *Creator omnium rerum Deus*, inquit Chryſol. ſerm. 50. *poſtquam ſe propter nos noſtro auguſtavit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit civitatis Iudaicæ eſſe civis, parentes habere cœpit parentum omnium ipſe parens, ut invitaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, ſuaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus diſperſerat, & fecerat vis poteſtatis extorres.* Sic verus prædicator zelũ ſuũ in viciniores effundit: ſic veri Paſtores nõ ſuas Eeclesias deſerunt, ot io alienis interdũ temotiſſimis pulpitis fulgeant. Advertant, quæſo, Prælati illi, qui per annos integros Curiam ſuis ſermonibus & doctrinâ decorant quidem, ſed aquas aſportant mari, & interim plebs ipſis commiſſa eſt terra deſerta, invia, & inaquoſa: recordentur Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, id eſt prædicatorem Iudæorum, quia decuit ipſum honorare gentem ſuam, & domeſticos præferre alienis, quibus tamen ſuperabundantiâ pietatis providit diſcipulos. Iſti verò curiales è contra ſuis Eccleſiis per miniſtros & diſcipulos prædicant, alienis verò per ſeipſos. Formident illud Ezech. 34. *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos! Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis, gregem autem non paſcebatis.*

Secundò in prædicatione Chriſti enituit zelus veritatis, ideoque ſæpiùs erat lapis offanſionis & petra ſcandali paſſivi Judæorum, quorum vitia arguebat, & Phariſæos pravis ſuis moribus vitam populi corrumpentes appellabat cæcos, duceſque cæcorum. Audiant prædicatores palpatores, loquentes placentia, vitia publica uſurarum ſub intereſſe umbone, Templorum profanationes, membrorum nuditates diſſimulantes, ne hominibus diſpliceant, quibus ſi placere volunt, ſervi Dei eſſe non poſſunt. *Salus multitudinis* (inquit S. Doctor quæſt. 42. art. 2.) *eſt præferenda paci quorumcunque ſingularium hominum; & ideò quando aliqui ſuâ perverſitate multitudinis ſalutem impediunt, non eſt timenda eorum offenſio à Prædicatore, vel Doctore, ad hoc quod multitudinis ſaluti provideat.* Aureum planè documentum à Paſtoribus ſummoperè retinendum.

Tertiò in prædicatione Chriſti ſupereminuit dul-

cedo charitatis omnes ad ſe vocantis laborantes & oneratos, ſe peccatoribus inclinantis, plebes ſimplicitati infinitam ſuam ſapientiam attemperantis. Hoc documentum præclarè tradit Magnus Gregor. *homil. 34. in Evangel.* ubi docet Chriſtum Publicanos & peccatores murmurantibus Phariſæis admiſiſſe. Verum quidem eſt, Concionatorem zelo Dei tabeſcentem, & perfecto odio peccatores proſequentem in varios fervoris & indignabundi adverſus ſcelera animi motus erumpere. *Sed aliud eſt quod agitur typo ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Quia vera juſtitia compaſſionem habet, falſa juſtitia dedignationem. Quamvis juſti ſoleant rectè peccatoribus dedignari; dedignantur etenim, ſed non dedignantes; deſperant, ſed non deſperantes; perſecutionem commovent, ſed amantes: quia etſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſervant, &c.*

Quartò in prædicatione Chriſti obſervanda eſt communitas, qua nihil in occulto loquutus, publicè omnibus indiſcriminatim verba vitæ ſine invidia communicabat, & honeſtatem illius non abſcondebat verus Sol Juſtitiæ & lux mundi, omnibus expandens inexhauſtæ bonitatis radios. Advertant illi, qui non niſi honorificas audientium coronas ambiunt, viles & ruſticanas animas, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, dedignantes. Advertant etiam invidi, qui aliis antecellere, & ſuper omnes eminere volentes doctrinam ſuam effundere timent.

Quintò in ſacris Chriſti eloquiis ſimplicitas elucebat, quæ ſub parabolarum, & familiarium ſimilitudinum cortice profundioris ſapientiæ arcana recondita exponens, vitia ſine fuco, veritatem candidè proponebat. Quod ſanè non imitantur plurimi adulterantes Verbum Dei, quod tam futilibus ad vanam ingenii oſtentationem ſententiis, inanibus frivolæ eloquentiæ lenociniis, & calamiſtratis comptarum figurarum floſculis infringunt & enervant, prurientes auribus & ad fabulas converſi. Hos non Dei gloria enarranda, non auditorum ſalus procuranda, nō peccatorum conſcientia permovenda, ſed popularis favor, inanis auræ gloria, audientium plauſus ſtimulat: non quid ſanctè, quid utiliter, quid apoſtolicè proferant, ſoliciti ſunt; ſed quid acutè, concinnè, floridè, inanibus rebus, inanioribus conceptibus, inaniſſimis verbis curioſiùs ſectantur; ut cantillent, non ut proſint; ut ſint in admiratione, non ut doceant; ut oblectent, non ut compungant, & eloquia Evangelii caſta fœdant ſermonibus meretriciis. *Non quærit æger medicum eloquentem, ſed ſanantem*, aiebat Seneca, epiſt. 75. *Quid aures meas ſcalpis? Quid oblectas? Aliud agitur, urendus, ſecandus, abſtinendus ſum.* Et præclarè Chryſologus, ipſe amœnus quidem, ſed pius ſemper, ſerm. 18. *Si quid ſpiritualis intelligentiæ lateat, ſcire volumus, verborum floſculos non quærimus. Qui maturitatis fructum quærit, deſpicit amœna camporum. Viola, roſa, lilia, narciſſus grati flores, ſed gratior panis. Quod eſt odor naribus, hoc eſt auribus ſermonis ornatus; quod dat panis vitæ, hoc ſcientia dat ſaluti. Sepoñenda eſt ergo eloquentiæ voluptas, quãdo ſcientia depoſcitur fortitudo.* Imitentur ſermonis Dei præcones ipſum met ſermonem Dei, qui eſt vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum quoq; & medullarum. Nec timeant propterea diſplicere bonis ingeniis, quia ut ait Auguſt. lib. 4. de Doct. Chriſt. cap. 11. *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Non enim vocabulorum opificem* (addit lib. 2. cont. Acad. cap. 11.) *ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem.*

REFLEXIO.

Audiant obſecro prædicatores, qui, ut loquitur Theodoretus, *ſermonem divinum cauponantur*, & exiguâ ſapientiæ & pietatis ſupellectile inſtructi, prædicationi miniſteriorum omnium præſtantiſſimo deſtinantur, vel ſeſe ingerunt & intrudunt, quia vel linguæ volubilitatem experiuntur, vel quadam felicitate memoriæ aliorum libros vel codices terinent & eructant, alienis pedibus ambulantes, alienis oculis agnoſcentes, alienis opibus ſuperbi, non conchæ, ſed canales. Eligantur ergo ad id munus homines, eſto ætate juvenes, ſed ſano ſenſu & incorrupta morum integritate: nec ſint titulo vel pileo tenus Doctores (quæ larva frequenter decipit;) ſed ſint probatæ doctrinæ & vitæ experimentis pluribus teſtatæ, & quos in pectore benè nummoſos quoad rem litterariam eſſe non ſit ambiguum.

Apagè verò modum illum inolitum quorumdam occupandi primaria pulpita, in quæ per ſecularium, vel muliercularum captatos favores intruduntur, ut poſtea eructent non verbum bonum, ſed quod voluptatem titillet, mores non corrigat; animos oblectet, non frangat, atque ad Dei legem inflectat: toti ſe ad inaniſſimas, & ut ipſi autumant, ſubtiliſſimas cogitationes convertunt, quibus effœminant animas, non medentur. Sciant qui è ſuggeſtu loquuntur, debere habere ſe experimentum ejus, qui in ipſis loquitur Chriſtus, pro quo legatione funguntur, cujus perſonam gerunt. Non vendicent ergo levia & fucata pro ſolidis, non ſplendentia pro ſalubribus, non jucunda pro utilibus. *Depoſitum cuſtodi* (dixit aliàs laudatus Lirienſis) *quod tibi creditum eſt; hoc penes te maneat, hoc à te tradatur: aurum accepiſti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia ſubjicias, nolo pro auro plumbum, aut æramenta ſupponas, nolo auri ſpeciem, ſed naturam planè.* Certè auri ſpeciem, vel æramenta meritò dixeris hos futiliſſimos cogitatus auris leviores, ex quibus nullus auditorum fructus, nulla morum correctio ſequitur. Prædicatores ſunt ſal terræ, cujus hæc natura eſt, ut per acrimoniæ mordacitatem tumida & ſuperflua carnium exſiccans reſtringat. *Quod ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur?* Id eſt, ſi concionator placentia loquatur, non vera, & ſevera; ſi ludicra, non gravia intorqueat; ſi vulnera altè ſuffuſa medullis, igne ſananda & ferro, manu parcente contrectet, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggeret; quis fructus proveniet poſt tot ſtudia evanida & meditatas cogitationes, poſt tot elaborata verborum lenocinia, ſive ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinentia; ſive paria paribus, vel contrariis oppoſita? De illis, ſi ſuperis placet, Apoſtolicis Concionatoribus dicitur Oſeæ 8. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam.* Quia in eorum verbis tam micantibus ad gloriam, tam exquiſitis ad plauſum nulla medulla aut vis ineſt, quæ fructus germinet pœnitentiæ; nulla ad ciendos animos energia, vel convertendos efficacia apparet.

SPECVLATIO II.

Chriſtus doctrinam ſuam ſcriptis non commendavit, & quidem convenientiſſimè.

RAtio dubitandi contra hanc poſitionem eſt, quia ſi tam utilis fuit Chriſti Domini prædicatio, ſi verba vitæ profundebat fons ſapientiæ in excelſis, cur tam ſalutaria documenta litteris non mandavit? cur libros non compoſuit, ut omnibus ſæculis tam divina conſilia veluti æternum monumentum relinqueret?

Nihilominus conveniens fuiſſe Chriſtum doctrinam

nem ſuam ſcriptis non commendaſſe, probatur. Tum propter dignitatem ipſius; Chriſto enim qui eſt excellentiſſimus omnium Doctorum, competere debet perfectior modus doctrinæ, qui eſt motio & impreſſio cordis, ad quam verba forinſecus ſonantia, vel ſcriptis conſignata ordinantur; qui modus eſt Deo proprius ſignavit enim ſuper nos lumen vultus ſui. Tum ſecundò propter excellentiam doctrinæ, quæ litteris comprehendi non potuit. Unde dicitur Joan. ult. *Sunt & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros, non* ſpatio locorum, ſed capacitate legentium, ut ait Aug. Si quis enim vellet rerum, vel verborum Chriſti rationem per ſingula ſcribere, nullatenus vel ille, vel mundus ipſe totus poſſet; infinita enim verba hominum unum Dei Verbum attingere nequeunt. Cujus ſignum eſt, quod ab Eccleſiæ exordio, quin & ab origine mundi innumera de Chriſto ſcripta ſunt, & materia nedum exhauſta, ſed nec fermè delibata eſt. Si duraret mundus per æternitatem à parte poſt, ſemper eruendæ doctrinæ opes ſupereſſent. Quam doctrinam advertas velim pro intelligentia illius loci Joannis, qui primo fronte per auxeſin & exaggerationem prolatus videretur.

Tum tertiò, ut in Eccleſia exſuberetur cœleſtis Hierarchia, in quâ doctrina per illuminationis œconomiam diſpenſatur, & ſupremi ſpiritus veritates, quas in fonte Deo hauriunt, gradatim inferioribus propinant: ſic Eccleſiæ Hierarcha Chriſtus Apoſtolos diſcipuloſque immediatè erudivit, ut per ipſos prædicantes & ſcribentes fluenta doctrinæ totum orbem irrigaret, juxta illud: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, & de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.*

Tum quartò, quia lex novi Teſtamenti, totaque ejus virtus in interiori gratia poſita eſt, juxta illud Rom. 3. *Vbi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum?* Et c. 8. *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberavit me à lege peccati, & mortis.* Et ideo doctrina Chriſti, quæ eſt lex ſpiritus vitæ, ſcribi debuit non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibu[illegible]t dicitur 2. Cor. 3. quod prædictum fuerat Jere[illegible]p. 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum.* Ut ergo cognoſcat mundus legem novi Teſtamenti eſſe gratiam & charitatem, quâ diffunditur Spiritus ſanctus in cordibus noſtris, ab omnibus ſcripturis voluit Salvator abſtinere, qui non tam verborum flores, vel ſcriptorum ornatus quærit, quàm cordis membranam, in qua Spiritu Dei nomen Jeſu ſcriptum ſit indelebili amoris charactere.

Reflexio.

Si Chriſtus nihil ſcribere voluit, perfectò non verborum concinnitati, non librorum elegantiæ, non Attico nitori, non Ciceronianis, Horatianis, Terentianis leporibus, ſed ſoli veritati Chriſtiana Religio nitatur neceſſe eſt. Plerumque enim (ut Minutius Felix in *Octavio* annotavit) pro diſſerentium viribus, & eloquentiæ poteſtate, etiam perſpicuæ veritatis conditio mutatur. Idque accidere pernotum eſt facilitate hominum, qui dum verborum lenocinio à rerum intentionibus avocantur, ſine delectu aſſentiuntur dictis amœnis, nec à rectis falſa ſecernunt, non advertentes ineſſe & in credibili verum, & in veriſimili ſæpe mendacium. *Quo imperitior ſermo, hoc illuſtrior ratio eſt; quoniam non fucatur pompâ facundiâ & gratia, ſed ut eſt, recti regulâ ſuſtinetur.* Ergo lex Chriſti vera & immaculata eſt, quæ ſine ſcriptorum ſtrepitu aut apparatu convertit animas, & ſapientiam præſtat parvulis.

Enimverò ſicut à tempore Evangelii divinus cultus nulli loco alligatur, ſed à Solis ortu ad occaſum Deo offertur oblatio munda, & ubiq; terrarum veri adoratores adorant Patrem in Spiritu & veritate, nec neceſſe eſt ei templum exſtruere, quem tot' hic mũdus capere non poteſt; ita non libris, aut ſcriptis, ſed corde amante opus eſt ad Chriſti legem implendam juxta illud ejuſdem Minutii præclariſſimum: *Quod ſimulachrum Deo fingam, cùm ſi rectè exiſtimes, ſit Dei homo ipſe ſimulachrum? Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente? in noſtra immò conſecrandus eſt pectore. Hoſtias & victimas Domino offeram, quas in uſum mei protulit, ut rejiciam ei ſuum munus? Ingratum eſt, cùm ſit litabilis hoſtia bonus animus, & pura mens, & ſyncera ſententia. Igitur qui innocentiam colit, Domino ſupplicat; qui juſtitiam, Deo libat; qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum; qui hominem periculo ſubripit, optimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt. Sic apud nos religioſior eſt ille, qui juſtior.*

Lex itaque Chriſti non in tabulis, ſed in corde exaratur per Spiritum ſanctum: Ergo apud me erit oratio Deo vitæ meæ. Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Cor meum tradam ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit me. In pervolvendis voluminibus non fatigabor, ſed redibo ad cor, ut concaleſcat cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcat ignis. Non aſcendam in montem ad orandum, ut Deo ſim propinquior; quia ille qui in altis habitat, humilibus, dum convertuntur ad cor, appropinquat: Ergo deſcendam, ut aſcendam; vel aſcenſiones in corde meo diſponam, & in valle lacrymarum ibi locum ponam. Audiam Auguſtinum monentem: *Vis orare, in te ora, ſed priùs eſto templum Dei.* Auſcultabo virum Sanctum Thomam à Kempis: *Doctrina Chriſti omnes doctrinas præcellit, & qui Spiritum haberet, abſconditum ibi manna inveniret. Si ſcires totam Bibliam exteriùs, & omnium Philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet ſine charitate Dei & gratia?* Beata anima quæ Dominum in ſe loquentem audit, & de ore ejus conſolationis verbum accipit! Beatæ aures, quæ venas divini ſuſurri ſuſcipiunt, & de mundi hujus ſuſurrationibus nihil advertunt! Beatæ planè aures, quæ non vocem foris ſonantem, ſed intùs auſcultant veritatem docentem! Beati oculi qui exterioribus voluminibus clauſi ſunt, interioribus autem ſunt intenti digito Dei ſcriptis characteribus.

Unde idem vir Sanctus piiſſimè, & juxta opportuniſſimè *lib. 3. c. 2. ait: Dicebant olim filii Iſraël ad Moyſen, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Non ſic Domine, non ſic oro, ſed magis cum Samuele Propheta humiliter ac deſideranter obſecro: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus: non loquatur mihi Moyſes, aut aliquis ex Prophetis; ſed tu potiùs loquere Domine Deus inſpirator, & illuminator omnium Prophetarum. Poſſunt quidem illi verba ſonare, ſed Spiritum non conferunt: pulchriter dicunt, ſed te tacente cor non accendunt: litteras tradunt, ſed tu ſenſum aperis: myſteria proferunt, ſed tu reſeras intellectum ſignatorum: mandata edicunt, ſed tu juvas ad perficiendum: viam oſtendunt, ſed tu confortas ad ambulandum. Illi foris tantùm agunt, ſed tu corda inſtruis, & illuminas. Illi exteriùs rigant, ſed tu fœcunditatem donas. Illi clamant verbis, ſed tu auditui intelligentiam tribuis.*

SPECULATIO. III.

Occaſione nullius à Chriſto exarati libri, apologia pro Authoribus Cyriacis, ſeu Dominicanis adversùs Petrum à Valleclauſa adornatur.

ETſi juxta Sanctorum doctrinam nunquam benè de ſe, nunquam de alio quoquam malè loquendum

dum ſit; Theologum verò præſertim deceat non niſi de ſeriis & ſanctis ſcribere, tantaque curâ ſint ad limam advocanda verba antequam ad linguam veniant, vel calamo fundantur, ut nullum excidere verbum debeat, quod non ſummâ ſit charitate & prudentiâ conditum: Nihilominus tamen hanc ſacram regulam quadantenus prætergredi invitum compellit importuna æmulorum quorundam moleſtia, qui non ſolùm Ordinem inhonorum fecerunt (quod æquo tolerare animo in promptu eſſet & in votis;) ſed & fidem noſtram, tametſi univerſo mundo Catholico probatam, ſuſpectam eſſe effutierunt, & Cyriacorum, ſeu Dominicanorum lucubrationes tanquam Eccleſiæ pernicioſas omnium diris dovovendas propalam traduxerunt, ad eaſque infamandas nullum lapidem non moverunt. Egregiæ (ſcilicet?) eorum charitati ut faciam ſatis, more Apoſtoli ut inſipiens loquar; quia etſi ad cæteras quàmlibet immanes accuſationes ſilentium & patientia ſummæ laudi & majori merito ducantur, ad iſtam tamen obmuteſcere, vel ſeſe cohibere, aut æquis auribus & calamo non excandeſcenti objectum ſibi hæreſeos crimen audire, non ſolùm piaculum, ſed ingentis ſacrilegii genus eſſe reor. *Cum enim hæreſis* (inquit elegans & nihilominùs ſolidus Vincentius Baronius lib. 1. Apologetico, ſect. 1.) *vitæ Chriſtianæ fundamenta convellat, & extinguat ſemina; hoc peſſimum præ cæteris habet, ut excludat à venia omnium, & à curatione futura in promptu, ſi fides ſuperſit; eâ verò per hæreſin ſublatâ, de ſalute actum eſt, nec ſpes veniæ, aut boni reliqua eſt.*

Hîc ergo occaſione nullius ſcriptionis Chriſti ſuperiori ſpeculatione laudatæ, examinanda occurrit, & ſponte ſeſe objicit à moroſis quibuſdam, & juxta ſuperciliuſis oppoſita Dominicano Ordini quidvis aliud quàm pugnam cogitanti, maligna moleſtaque calumnia, quâ ſcriptiones Dominicanorum criminantur. Hos inter Petrus à Valleclauſa, ſpiritu neſcio quo & affectu inconditò actus eſt, veritatem illius antiqui adagii probans, *Homo homini lupus*: id eſt, ut tradit Seneca epiſt. 103. *Ab homine homini quotidianum periculum. Nullum malum frequentius, nullum pertinacius.* Etenim nullus poſt hominum memoriam prodiit liber, in quo maledicendi libido, & effrænis calumniandi licentia manifeſtiùs eminerent. Nō verborum acore contentus fuit tot maledictorum faber & architectus: nun fuit ſatis privatas ſuas & voluntarias ſimultates verbis amarulentis, atque ex impetu vibratis ſignificare, ut antiquæ ſimultati, ſuoque jam dudum inveterato livori indulgeret; ſed omni quâ valet loquentiâ, per ſas & nefas, per infamiam & bonam famam, per arrogatum ſibi ſummum jus, quod ſumma injuria eſt quidquid invidia, furor, & vindictæ rabies erumpere aut moliri ab omni ratione aut humanitate alienū poteſt, id totum in libellum ſuum famoſum, omnium quotquot unquam fuerunt (vel de potentia ſaltem ordinaria eſſe poſſunt) maledicentiſſimum conjecit. Et quanvis à ſcopo continuo aberret, toto tamen opuſculo ſuadere conatur, Scriptores Cyriacos, ſeu Dominicanos continere doctrinam hæreticam, aut hæreſi conterminam, in Sedem Apoſtolicam eſſe irreventes, de Sanctis non agere ſatis ſobriè & cum convenienti obſervantia, opiniones habere minùs ſolidas, mendacia & impoſturas obtrudere, in alienam famam injuſtè graſſari, & immodeſtia atque acerbitate violare charitatem, ut tandem Dominicanorum famâ apud probos omnes profligatâ, eorum jura convellat, ab omnibuſque eos officiis arceat, quibus diuturna, & ferè hæreditaria ſucceſſione funguntur. Paſſim verò Dominicanos Calvinianæ ac Janſenianæ fuliginis exſortes non eſſe, ſed cum Novatoribus fœderatos pronunciat. Denique nullum linquit calumniæ genus, quo Dominicanæ familiæ ſcriptoribus invidiam creet, atro carbone notatam indigniſſimis & juxtà falſiſſimis modis infamet, atque totius impietatis & ignorantiæ extremum tribuat.

Repræſentandum, vel exſcribendum eſſet univerſum opus. Vbique enim crepat, & nihil probans objicit hæreſes, deliriones, hebetudines, ignorantias, aſinitates. Nulla eſt animalis obſcœni vel ſtupidi nomenclatura, quam Dominicanis non imponat, quos identidem canes, moloſſos, cancros, harpyias, ipſam deniq; beſtialitatem urbaniſſimè appellat. Sed quod magis admirationem auget, vel potiùs commiſerationem ciet erga hominem ſalutem ſuam projicientem, & certam ſibi nefandis furioſiſque calumniis damnationem accerſentem, eſt quod non Dominicanos ignotos, obſcuros, & veluti proletarios laceſſere molitur, ſed in primæ notæ Theologos orbi ſub cœlo toti clariſſimos calamum diſtringit, genuinum infigit, & tam elato ſupercilio viros pietate & eruditione ſpectabiles, omnibuſque piis & eruditis notos floccifacit, ut præ ſe uno omnes agreſtes barbaros, ſtolidos, fatuoſque denuntiet, & accitis quibuſdam affectatæ eruditionis oſtentamentis, quæ paſſim venditat, ampulliſque vocum conſtrepentium fucat, Capreolum, Caietanum, Ferrarienſem, utrumque Soto, Sixtum Senenſem, Dominicum Gravinam conterat & conculcet. Nicolaum verò Richardinum, vulgò ob ingenii inſolitam præcellentiam *Monſtrum* appellatum, de quo R. P. Arnoux inſignis Societatis JESU Concionator aiebat: *A Richardio, quem Romæ mirabundus vidi & audivi, æquè diſtant alii hujus ævi inſignes viri, atque à viro pueri diſcrepant.* Nicolaum, inquam, illum verbis adeo mordacib⁹ ac vilibus tam propudiosè & petulanter impetit, ut illi caculam vel bambalionem ferire non haberetur moderatum ab ullo benè morato. Sed præ ceteris illuſtriſſimum Antiſtitem Canarienſem Melchiorem Canum lacerat, qui tamen non Dominicanis tantùm omnibus admirationi fuit præ doctrinæ ubertata, facundiæ melle, & judicii emunctione; ſed pleriſque etiam Societatis Scriptoribus nominatim Poſſevino & Cardinali Palavicino, qui rei evidētiâ victi & veritate coacti luculenta ei viro elogia panxerunt, qui omni fuit laude ſuperior. Illum tamen Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum, quem poſuerat Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, & quem utpote Principem populi maledicere Scriptura prohibet, non uno loco vel obiter, ſed ubivis ferè verbis viliſſimis & mordaciſſimis impudoratè traducit. Et quanvis commiſsâ pugnâ omitti ſoleant nomina dignitatum, ſolaque fortitudo quæratur, Cani tamen doctrina adeo claret, ut Tulliano ejus eloquio nihil politius, exculius, nitidius à Theologo Scholaſtico adhuc prodierit. Scripta verò ejus tersè eleganterque lucubrata adeo fluunt, ut ſecum rapiant Lectores. Quid ergo mirum ſi incognitos dirè excipiat, qui notiſſimos vivos & mortuos perpetua acerbitate inceſſit?

Cohorrui ſanè vehementer ad tam furioſam calumniarum contumaciam (neque enim inſenſibiles decet eſſe filios, dum mater cruentatur. Et deploratâ tantiſper noſtrâ ſorte, lenitoque parum dolore, quo intrinſecè tactus fui, conſiderans tantæ pravitatis imaginem in opere Petri à Valleclauſa delineatam nunquam meliùs intellexi qualis ſit projectæ conſcientiæ & reprobi ſenſus adverſus infeſtam ſibi veritatem furor. Quamvis autem laceſſita ſit familia noſtra criminationibus adeo aculearis, ut nihil horribilius; adeo aſperis, ut nihil atrocius; adeo ab omni veritate veritatiſque ſpecie alienis,

ut nihil ad omnigenæ calumniæ prodigalitatem deſit: decreveram tamen omnia ſilentio prætterire, & exemplo Chriſti nihil ad illa repoſuiſſem, niſi publicus liber iterum cuſus fuiſſet.

Conſolabatur me, fateor, in tam iniqua Religionis meæ obſcuratione identidem menti occurrens dictum Hieronymi: *Apud Chriſtianos non qui patitur, ſed qui facit contumeliam miſer eſt.* Videbatur etiam mihi Magnum Gregorium illud cordi mœſto inſuſurrare, quod *lib. 8. epiſt. 45.* ſcripſit: *Miror dilectionem tuam verbis hominum contriſtatam. Inter verba enim laudantium aut vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt; & ſi in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna triſtitia generari debet, & rurſum ſi in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudant, & conſcientia accuſet? Aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? Habemus Paulum dicentem: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Iob quoque dixit: Ecce in cœlo teſtis meus. Si ergo nobis eſt teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt.*

Enimverò, aiebam intra me, reus continuò habendus non eſt quiſquis calumnioſè accuſatur; quia bonis viris tandiu accuſatores deeſſe non poſſunt, quandiu non deerunt calumniatores. Ad ſilentium etiam alliciebat, & ferè adigebat humilis illa & vera Scholæ noſtræ confeſſio, propalam poſt Auguſtinũ prædicans, quod nullum malum facit homo, quod non faceret alter homo, niſi ille opitularetur, qui pro nobis factus eſt homo. Calumnias ergo diſſimulare avebam, cùm certò ſciam hominibus & peccatoribus conſtare familiam noſtram, in graviora quàm imponat Petrus à Valleclauſa citò ruituris, niſi omnipotentiſſima gratuiti & prædeterminantis adjutorii ad bona inclinantis, & ad ſingulos actus neceſſarii poteſtas nos manuteneret. Nondum nobis ita licuit inſanire, nec Deo dante licebit unquam, ut credamus Ordinem noſtrum eſſe turbam phœnicum, vel Angelorum Societatem. Homines nos eſſe ſcimus, humani à nobis nihil alienum putantes, & poſt exantlatos per quadringẽtos annos Apoſtolicæ vitæ labores, poſt devictos Albigenſes, poſt prædicatum Barbaris Evangelium, poſt promulgatũ Chriſtiano orbi Deiparæ Roſarium, poſt præſervatas ab hæreſum peſte beneficio Inquiſitionis Hiſpanias & Italiæ Regna, poſt ſanguinem fuſum, poſt partos Theologiæ Scholaſticæ & Myſticæ Principes Aquinatem & Granatenſem, poſt decadem Sanctorum ſolenni apotheoſi celebratorum, poſt tres Summos Pontifices pietate non minus quàm Eccleſiæ Præſulatu Sanctiſſimos, poſt varias Cardinalium decades, Epiſcoporum centurias, Doctorum myriades; poſt illa, inquam, ſervos nos inutiles dicimus, peccatores nos ultrò agnoſcimus, ignorantia veri, difficultate recti, heu nimium! laborantes ſinceriſſimè profitemur.

Accedit quod præſcripta lex modeſtiæ, quam initio ſpopondi, & neminem carpendi impoſita mihi à meipſo neceſſitas videbatur exigere, ut ab homine larvato caſtigando compeſcerem, qui cæteris omnibus, etiam dum impugno, defero & applaudo; nec cum illo certamen iniret Theologia mea, quæ poſuit fines ſuos pacem, quæque in ipſis Scholaſticis concertationibus nedum veritatem, ſed & pietatem diſſidii inimicam, rixarumque impatientem ubique pro virili æmulatur. Pietas enim flamma, radius, & flos eſt charitatis, quæ patiens eſt, benigna eſt, vetatque etiam cum hæreticis agentes efferari, nec maledicentem ferire ſinit, ſed imperat benedicere. His cauſis permota mea indoles, cui alioquin ſemper placuit ratio agendi temperata, ſilentium inter ingruentia adverſarii conviciorum ſpicula præcipiebat. Quare omninò decreveram ultrò invidiæ cedere, negligere injurias, nec tam virulentas obtrectationes morari. Nihil mihi optatius, in votis nihil magis erat quàm homini illi inimico dimittere debita noſtra, mollique ſermone frangere iram. Et licèt non poſſem diatribas ejus ſcatentes ſpurciloquiis, ſqualentes maculis, exundantes erratis à continentis calumniæ crimine purgare aut eximere; tamen juxta Sanctorum mandatum ſi non intentionem, ſaltem tentationem excuſabam, condonabam iracundiæ calori, delicatæ ejus teneritudini errorum ſuorum Romanam damnationem ægrè ferenti, & conſequutis ex ea ſubitariis irarum ſtimulis rationem occæcantibus tribuebam quæcumq; molitur. Unde ad contumelias penitus ex patientiæ Chriſtianæ documentis occalluiſſem, niſi ad hanc apologiam breviter texendam iterata tam nefandi libri cuſio coegiſſet, duplexque ratio has à me vindicias extorſiſſet.

Prima & præcipua eſt: Quia cùm horrendus ille liber ad hunc ſcopum unicè collimet, ut probet iniquas eſſe cenſuras, vel librorum confixiones à Sacra Congregatione latas; Ego contrà, ut toti univerſo planum apertumque ſit quàm immeritò impudoratus ille poſuerit in cœlum os ſuum, utque juſtiſſimi judicii Romani æquitas rutilet, planè neceſſarium duxi iniquitatem expoſtulationum ejus prodere, & in partibus præſertim Lugdunenſibus propalare, in quibus virus ſuum concepit, & iteratis clancularis editionibus etiamnum effundit. Si Dominicanos ſolos laceſſere Adverſarius ſtatuiſſet, Schola humilitatis in qua vivimus ſilentium ultrò imperaſſet. Sed cùm totam Curiam Romanam, Eminentiſſimos Cardinales Congregationi Indicis præfectos, ipſumq; Eccleſiæ Catholicæ Hierarcham tam falsò, tam procaciter inſectetur, ſilentium meum non patientis ac moderati animi teſtimonium eſſet, ſed deſertio publica veritatis, & admiſſi ſceleris confeſſio accuſationum mole oppreſſa.

Nec credas, Lector, hæc per exaggerationem dicta, quin potiùs contrahendæ ſunt hic habenæ, ne ſi omnia quæ in Romanam Eccleſiam irreverenter & petulanter ſcripſit, perſequi vellem, excreſceret nimis hujus voluminis moles, creareturque Lectoribus horror ſimul & faſtidium. Carpam ex ampla meſſe paucas ſpicas. En ſertum horridum, ut putens ex adverſarii ſenticeto abſque diligentia collectum. De Joanne XXII. ſic ſcribit diatriba 2. *Joannis inclinatio animi quanta mala in Eccleſiam per illud tempus induxerit, nemo ignorat.* Contra Clementem VIII. non erubuit ſcribere, voluiſſe Paulum V. incolumem ſervare Suarezii doctrinam, *quod in Clementis dehoneſtamentum cedit, ut per ſe liquet.* De cenſuris autem Romanis, quæ fiunt vel per immediatam, vel certè participatam Summi Pontificis authoritatem, quarum proinde contumeliæ in ipſum Eccleſiæ Caput refunduntur, quæ Vallcluſinus effutivit, hæret calamus, horret animus ſcribere. Nam diatr. 9. *Cenſura,* inquit, *librorum eſt negotium perambulans in tenebris, timentibus ſibi cenſoribus à juſta cenſura, ac ſollicitè præcaventibus ne impegiſſe damnatione deprehendantur.* Diatr. 10. ait Theologos illi addictos *Theologiam vix à limine ſalutaſſe*, & ferri ſententias *prout libido tulerit.* Quid plura? Horreſco referens quod ait, *non duci probro proſcriptiones librorum Romanas, nec inde infamiam Authoribus ſic damnatis creari.* Quin uſum Sacræ Congregationis ore blaſphemo appellat *torrens iniquitatis, legem & praxim iratiſſimam, juri naturæ, & uſui gentium adverſantem; & Pilati ſceleratiſſimi judicio poſtponendam. Latebram* rurſum, *& tenebroſam caligi-*

mus, it. ſunitè nominat; addens: *Sunt extra Romam quoque & Italiam Doctores, qui diſcuſſo accuratè libro damnato, de præcipitibus, aut ex affectu incandita latis ſententiis ferant ſententiam.* Vah ſcelus! Et quæ tantum libri portentum inferna vomuerunt? Quis loquitur? Vbinam tam furioſæ voces funduntur? Lugdunenſe prælum tam beſtiale ſpurciloquium iterum emiſerit? Abeo malens indiligentiæ notari, qui tam pauca decerpſerim ex tanta farragine ſannarum, conviciorum, proſciſſionum, quibus homo ſolus iſte bacchatus eſt in Sacram illam Congregationem, quam meritò hæreſeon antidotum dixeris, luxuriantium ingeniorum frænum, & OEcumenicorum Conciliorum congregatu difficillimorum ſupplementum.

Non poſſum hic diſſimolare ſenſum meum, fodicat mihi pectus & laocinat animum ſcribendi ratio, quæ in præfatorum verborum impietate micat. Tam abſurda & crudelia maledicta in Romanam Curiam vibrata, & ſine ullo veri vel tenuiſſimo colore afficta prætermittere non poteſt Chriſtianus; tam inhumana mendacia ab Hæreticis mutuata, à Catholicis millies obtrita, quæ novâ audaciâ Romanæ Curiæ Petrus occinit, diſſimulare Catholicus non debet: tam irreligioſa dicteria toties refutata, & ab adverſario recantata Dominicanus non ſilentio prætorire, ſed allatrare tenetur; quanvis in iis refellendis immorari nec per otium liceat, nec opus ſit, cùm ea ſtatim audita averſetur Chriſtianos pudor, atque animo, ſenſu, auribus exhorreſcat, & apertis execrationibus proſequatur. Ne expecta, Petre, ut totam illam mendaciorum catervam, quam in aciem producis, excutiam. Paucula illa quæ ex te reculi repræſentaſſe, eſt te, opuſque tuum ſatis & plus quàm ſatis refutaſſe. Nam ut qui inſignia aliquot amentiæ, furoris, & rabiei dederunt ſigna, opinione amentiæ, furoris, & rabiei laborant apud omnes; ſic cùm tu in tam horrenda incideris conviciorum, furorum, & Romanæ Curiæ proſciſſionum portenta, in quibus tam manifeſta rationis depravatio & paſſionum æſtus apparent, meritò in aliis etiam minùs manifeſtis corrupti judicii, itaque animi odio & livore exoculati ſuſpectus es. Quare non ſine ſpeciali Dei providentia & judicio in inſignia illa injuriarum tam antichriſtianarum flagitia incidiſti, ut omnes docti pariter & indocti hinc admonerentur, quàm non eſſes in aliis audiendus. Quomodo enim tibi credent poſtquam ea in Sacram Congregationem evomuiſti, ad quæ refellenda ſufficit communis ſenſus, ſufficiunt communiſſimæ pietatis notiones? Longè enim in doctis, longè in populo Chriſtiano, longè in ipſis infidelibus reverentior & modeſtior eſt de Eccleſia Romana ſenſus. Non ſponte homines etiam hæretici tam abſurdi naſcuntur aut maledici: arte, ſtudio opus eſt ad tantum furoris exceſſum ſenſim elaborandum, ad obſcurandas patentes veri falſique notitias, ad corrumpendam aſſuetudine conviciandi rationem.

Vbinam gentium ſumus, Chriſtiane Lector? Quis hæc evomit, aut ubi tam impiæ voces prolatæ? Quis crediſſet Congregationem illam à Deo ejuſque Vicario proviſam Eccleſiæ, ut fermentum malitiæ & nequitiæ diſcerneret ab azymis ſinceritatis & veritatis, caſtigareturque luxurians ſcribendorum reproborum librorum libido, tam petulanter ab homine qui Catholicus videbatur, tamque procaciter habendam? Scripſerunt in Romanam Curiam VVicleſus, Lutherus, Calvinus, Antonius de Dominis, nundinatitius agnitæ veritatis impugnator, aliique Sectarii, qui ut muſcæ morientes quæſierunt exterminare ſuavitatem unguenti, vel ut canes Lazari (ut alicubi Auguſtinus) vulnera lingere voluerunt. Accurrerunt illicò pro Romana Eccleſia Turrecremata, & Cajetanus Cardinales, Canus, Coëffeteus Epiſcopi ex Cyriacis aſſumpti, Romæus, Gravina, aliique Dominicani Theologi. Porrò Sectarii illi præ Petro à Valleclauſa ſcripſerunt temperatè. Quanto ergo juſtiùs homo Catholicus erga unam ex Eccleſiæ Principibus conflatam Congregationem, quam meritò ſalem terræ dixeris, reverenter ſe geſſiſſet?

Non ſit grave Eminentiſſimis Eccleſiæ Principibus agentis eorum cauſam audire ſuggeſtionem. Advertant quæſo ſuâ illâ ſummâ & rarâ ſapientiâ quoſdam reperiri Scriptores totum Orbem Chriſtianum ludificantes, qui ut adverſarios ſuos carpere ſine moderatione poſſint, Sedi Apoſtolicæ in ſpeciem favere videntur, dum ei infallibilitatem etiam in definiendis factis contingentibus aſſerunt; dum verò ipſi à Sede Apoſtolica condemnantur, ea effutiunt adversùs ſanctam Sedem, quibus auditis riget capillus, & à quibus ipſi hæretici abhorrerent. Exemplo ſit Petrus à Valleclauſa. Hic in principio diatribæ 2. ut Dominicanos tanquam Sedi Apoſtolicæ rebelles traduceret, præmittit, & quidem rectè: *Doctrina Sedis Apoſtolicæ eſt lapis lydius Catholiciſmi puri, ac probati terra, purgati ſeptuplum.* Hinc ut vellicet Combefizium, infert omnia quæ ſunt in Martyrologio eſſe de fide, quia tabulas illas comprobavit Gregorius præfixo diplomate ad perpetuam rei memoriam. Deinde ut Cani, & ejuſdem Combefizii mordendorum anſam aſſumat, inquit collaudandam eorum ſententiam, qui aſſerunt divina providentia factum eſſe, *ut nullus unquam Romanus Pontifex, etiam ut privata perſona in Fidem Catholicam peccaret.* Hæc ego ſanctæ Sedi addictiſſimus libens audio, & annuo: ſed vix oculis meis credo, dum cerno Petrum à tam ſpecioſa ergo Summos Pontifices veneratione deſinere in adeo malignam eorum deprecationem, ubi ſe ab ipſis læſum perſenſit; quaſi verò tunc ſolùm honorandos eſſe Summos Pontifices credendum ſit, ſi quid interdum contra Dominicanos agant; reſpuendos verò & floccifaciendos, dum virga cenſoria percutiunt Capniones, Vivezios, Pozas Raynaudos, alioſque quorum apologiam inſtruit *diatrib.* 8 Quaſi verò Pontificibus collata divinitus non ſit poteſtas ſumma, quæ *ſoli Deo debet innocentiam*, ut dicit Ennodius in Apologetico, qui proinde non tenentur reddere factæ à ſe damnationis rationem. ſicut Deo, cujus Papa Vicarius eſt, nemo poteſt dicere; *Quare ita facis?* Quaſi verò prima Sedes non judicet omnia, & ipſa à nemine judicetur, ut reſpondit olim Marcellino Pœnitenti Clerus Romanus; vel ſit Chriſtiani à ſummo Judice rationem expoſcere, & non potiùs exoculatam ei obedientiam præſtare? Quaſi verò demùm ex privatis quorumdam offenſionibus Romana authoritas dimetienda ſit?

Hujus rei ſimile exemplum non ita pridem anni ſuperiores ſuppeditarunt, ut aliàs obſervavi. Quinque propoſitiones ab Innocentio X damnatas nova conſtitutione proſcripſit Alexander VII. & juſtiſſima cenſura perculit & confixit. Vtriuſque diplomata Galliarum Catholici omnes profundâ, ut par erat, veneratione receperunt. Quia tamen nonnulli factum à fide diſcernere voluerunt, propoſitiones quidem illas in ſuo naturali ſenſu ubicumq; proſtarēt damnantes, ſed contendentes eas ſe non potuiſſe totidem verbis legere in libro damnato; illicò in illos conclamarunt quidam *Tolle, Tolle, Crucifige*, tanquam in apertos hæreticos ſupra Lutherum & Calvinum, & ſi quod eſt aliud ominoſum nomen, infamandos. Laudo zelum, ſed utinam ſibi conſtantem! Sub iiſdem temporibus idem Alexander gladio Apoſtolico ſolenniter reſcidit Apologiam Caſuiſtarum, veluti

luti hydram vel gangrænam totius iniquitatis è paludibus fæculentis laxorum Caſuiſtarum in Ethicæ Chriſtianæ cladem infeliciter enatam. Indicibile planè eſt quantum hujus cenſuræ Paſtoris Eccleſiæ ſpiritu planè dignæ impatientes fuerint Apologiæ diſſeminatores. Nam illi iidem qui opportunè importunè adverſariis ſuis opponebant & urgebant Pontificiam authoritatem damnantem quinque propoſitiones, ipſimet (quis crederet, niſi vidiſſet Gallia tota?) indignis ſuſurris, contumelioſis vocibus Eccleſiæ Capiti ea affingebant, quæ referre Catholica verecundia vetat. Sufficiat indicaſſe Auguſtiſſimæ & Sacratiſſimæ Congregationi ingenium Petri à Valleclauſa, aliorumque ei non diſſimilium efflantium ex eodem ore calidum & frigidum, non pro veritate, ſed pro domo ſua. Vera Catholicorum teſſera, quâ etiam Dominicani inſigniri geſtiunt, eſt pontificem etiam damnantem revereri, imò & flagellum, quo nos percutit, oſculari, & dicere: *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Secunda juſtæ hujus defenſionis ratio eſt, quia Familia ſaluti proximi vocatione ſua deſtinata, qualis eſt Religio Ordinis Prædicatorum, adhortante Scripturâ boni nominis curam habere debet; nec à patrandis ſolùm criminibus abſtinere, ſed ipſam umbram, ſuſpicionemque criminum fugere tenetur. Quia ut benè dixit Auguſtin. lib. de bono viduit. cap. 22. *Quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit; quiſquis etiam famam, in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra.* Et Ivo Carnotenſis epiſt. 240. *Cùm omnis caſtæ Religionis profeſſor viſceribus charitatis abundare debeat, ut tam ſaluti proximorum, quàm ſuæ providere ſtudeat, neceſſe eſt ut hæc duo principaliter appetat, puram conſcientiam, & bonam famam; conſcientiam propter ſe, famam propter proximum. Qui enim negligit famam ſuam, crudelis eſt, occidit enim proximum quantum in ipſo eſt.* Ipſe autem laudatus Gregorius immediatè poſt verba antè relata ait: *Quid aliud detrahentes faciunt, niſi in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant? Vocandi ſunt tamen etiam iſti, tranquillè admonendi, eiſque ſatisfieri modis omnibus decet, ſcientes quod de eis Veritas dicit: Ne fortè ſcandalizemus eos.*

Maximè quia licèt pleraque, & ferè omnia moroſorum convicia nihil morari, & juxta S. Ludovici Bertrandi (diebus iſtis Sanctorum albo à Clemente X. inſcripti) conſilium *ſpernere ſperni* tutius ſit: tamen quando ſuſpectæ fidei, vel proditi boni communis inſimulamur, ſilentium hac in parte damnandum eſt; patientia tunc non virtus eſt, ſed conſcientia trepidans à culpa, ab infamia à pœna; & ipſamet tolerantia muta animi eſt veritatis mole oppreſſi teſtimonium, non patientis & moderati. Ad aliorum criminum depulſionem patientia & ſilentium opportuna, & homine Religioſo digna defenſio eſt; ſed de illa, quam nefariè Ordini Apoſtolico impoſuit Valcluſinus, culpa *ulterius tacere, diffidentiæ ſignum eſſet, non modeſtiæ*, inquit S. Hilarius.

Idipſum Sanctorum exemplis illuſtrare promptum eſt, ac facile. Ita enim in primis nos docuit ex aſcetica hiſtoria unus ex eremi Cœnobitis celeberrimus, & juxtà ſanctiſſimus. Illi (ut refert Ordinis noſtri decus & ornamentum P. Vincentius Baronius in epiſtola ad Sereniſſimum Principem de Conty, tomo 3. præfixa) cùm Deus hanc cogitationem immiſiſſet, ut exploraret quid in ferendis æquo & læto animo contumeliis poſſet, ex Eremitis unum rogavit, ſe probaret omni genere conviciorum, nec ab ullo quàmlibet aſpero abſtineret. Non putavit S. Cœnobita recuſandam hanc gratiam, vel hac voto tantæ ſanctitatis fraudandum Eremitam. Itaque virum ad virtutum exercitationem aggreſſus, à minoribus conviciis ad majora proceſſit, & exhauſtis omnium vitiorum nominibus, tandem hæreticum pleno ore vocavit. Exultabat vir ſanctus ad reliqua convitia, & Apoſtolos imitatus triumphabat ſe dignum habitum, qui pro Chriſti nomine calumnias pateretur. Sed ubi hæreſis crimen audivit ſibi impoſitum, non potuit ſe continere, atque ita animi mutationem excuſavit: *Cæterorum*, inquit, *peccatorum me reum agnoſco, & haberi lætor: at hæreſis accuſari non feram, non patiar, non ſinam. Nam licèt omnium criminum genere gravarer, præſto eſſet remedium à fide: at ſi ab illa deficerem, nulla ſalutis ſpes ſupereſſet.* Eodem modo ſe geſſiſſe incomparabilem Archiepiſcopum Bracarenſem, Epiſcoporum gemmam, Bartholomæum à Martyribus (cujus unum nomen pleni elogii, & validæ pro Dominicano, quod profeſſus eſt, inſtituto apologiæ vim & pondus habet) refertur ex aliis in aurea hiſtoria Gallica, *lib. 3. cap. 12.* Cùm enim vir divinus pro officio Paſtoris, quo tam dignè perfungebatur, quorumdam divitum ſcandalorum in viſitatione certior factus, obfirmatè peccantes obfirmatiùs arguiſſet, ſceleſti illi paternis monitis nihilo meliores facti exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & Epiſcopi domum obſidentes, populo clamoribus & inſtrumentis provocato, à nullo quàmlibet aſpero convitio abſtinuerunt, ſed quæ in mentem furentem venire potuerunt vitiorum & ſcelerum propudia, in ſanctum Epiſcopum evomuerunt, quæ nedum patienti, ſed etiam læto animo pertulit. Verùm ad hæretici & Lutherani criminationem ſeſe cohibere non potuit, ratus quoddam ſacrilegii genus eſſe æquis auribus audire ſibi objectum crimen hæreſeos.

Ergo ne mihi vitio vertas, Lector, ſi ad hoc propulſandum calumniæ virus antidotum parem, quantumvis crimen illud, quod totâ diatribâ 1. objicit, ne umbram quidem præferat probabilitatis, ſed cumulum compleat temeritatis. Quia in re tam gravi obmuteſcere non licet, niſi cum aperta horrendi criminis confeſſione & infamia. Non poſſum igitur, nec debeo continere ſenſum meum, nec vulnus fodicati pectoris præterire. Semel ergo pro ſemper comprimenda eorum audacia eſt, qui tam apertè, tam crebrò, tam inſolenter hæretici nomen Ordini fidei zelantiſſimo impoſuerunt. Nam ſi ab accuſatione illa graviſſima pro ipſius gravitate graviter retundenda temperarem, in magnam veniret fides noſtra ſuſpicionem.

Verùm enimverò quid dicam ad ſponte cadentem calumniam amoliendam, quam ſatis per ſe deprimit pondus veritatis? Modus ipſe vivendi, docendi, prædicandi, ſcribendi orbi ſub cœlo toti aſpectabilis, quem hactenus Dominicana Religio duxit, crimen illud depulſu facile, imò jam depulſum idonea exceptione demonſtrat, ac ſatis ſuperque convincit, Petrum ſycophantam eſſe non temerè, ſed conſilio mendacem, eumque obice conſcientiæ remoto, calumniandi libidini & licentiæ obſequium. Certè niſi ſummus mentis tumor ejus animum occæcaſſet, niſi omnem pietatis & judicii ſenſum abjeciſſet, vel ſi veritate, quæ nunquam mutatur, non paſſionum æſtu, quo omne judicium exoculari ſolet, omnia menſus fuiſſet; aut ſi ad illam præjudiciorum vacuitatem, quæ Chriſtianos decet, ſe redegiſſet, vidiſſet profectò tam nefandæ calumniæ artifex, ſe omnis pudoris metas tranſilire, omnem impudentiam prætergredi, & ipſius diaboli mendaciorum patris interpretem eſſe, dum calumniam adeo

malè

malè compactam comminiſci auſus eſt: vidiſſet rectam noſtram in Deum fidem, quam obſcurare molitur, ſe invitum illuſtrare, adeo falſitas ſecum pugnat & ſeipſam perimit. Etenim dum diatribas intendit probare Dominicanus hæreticis abundare, quis non expectaſſet chiliades vel myriades apoſtatarum à fide deficientium? Et tamen intra longiſſima quinque ferè ſæculorum curricula tres tantùm, aut quatuor deſertores invenire potuit ſcrutator ſtudioſiſſimus, qui fuerint à Fide Catholica extorres, nimii illi quidem, ſed tam longè lateque diffuſo cœtui poſt tot temporum clades ineptiſſimè objecti à promittente amplam hæreticorum meſſem. Non enim eſt ſelectior Ordo noſter Arcâ Noë, ubi ex octo hominibus reprobus unus inventus eſt: non ſanctior familiâ Salvatoris, quæ perfidum Judam aluit: non purior cœlo, unde Angeli ceciderunt: non tutior Paradiſo terreſtri, in quo Protoparens corruit, totamq; propaginem maculavit: denique non felicior Eccleſiâ, è qua Arrii, Neſtorii, Pelagii, Lutheri, Calvini, & alii filii iniquitatis prodierunt.

Confugit quidem Petrus ad ſuam ſolitæ aſtutiæ iniquitatem, dum ait: *Alii in hæreſim prolapſi, ac hæreſi immortui, quorum nomina præſtat premere.* Non tibi credimus, Petre, niſi probes. Age ergo; fictam illam tuam exue modeſtiam, quam infirmitati & maledicentiæ tuæ obtendis: hanc tibi veniam ultrò largimur. Non queremur noſtra hæreſeon, ſi quas noſti, flagitia propalari. Prædica ſuper tecta illa occulta dedecoris: exigimus id omnes à te, non modò permittimus. Quàm tu benè notus es nobis! Quàm benè notæ intimæ ſolertiæ tuæ! Quia uni mendacio niteris, uni mendacio ſervis, totus propterea in eo es, ut nihil nominatim explices, ne quid habeamus quod arripiamus, aut refellamus. Hinc continuò tota ſcriptione tua aberras à ſcopo; nam cùm unicum intentum tuum ſit oſtendere libros Cyriacorum non eſſe immunes à cenſura propter contractas omnes doctrinæ labes; ut id aliqua veriſimilitudine ſuaderes, deberes ſignare libros, titulos, capita, ſectiones, paginas, ut fieri ſolet in quæſtionibus facti ſolis oculis determinandis: ſed infirmitatis conſcius ſemper ad fabellas te convertis, quibus librum oppleviſti; indicem generalem promittis, homines citas qui nunquam extitere, vocas ea quæ non ſunt, tanquã ea quæ ſunt; litteras commemoras ad libitum fictas, ut pueri & imperiti, qui tuam in fingendis calumniis audaciam ignorant, conturbentur, qui te riderent, ſi apertas calumnias, quæ non ægrè depelluntur, produceres. Sed fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Novimus reconditas malignitatis tuæ aſtutias, quas etiam ut evidenter revincam, & ex te ipſo probem fidei noſtræ ſinceritatem, & ſingularem ab hæreſi immunitatem, propter illum adversùs hæreticos zelum, quo à prima inſtitutione Ordo flagravit, formo argumentum omni luce clarius, omni nervo firmius, omni demonſtratione efficacius. Hoſtis juratus Dominicanorum per annos plurimos nullum fecit ſtudendi modum vel finem, ſed omnem curam & operam tota animi contentione contulit, ut colligeret quidquid poteſt familiæ Prædicatoriæ turpitudinis notam inurere. Atqui tres tantùm, aut quatuor apoſtatas reperire potuit, & adhuc quoſdam dubios in tam multiplici Dominicanorum chiliade; nullam verò hæreſim in tam multis Cyriacorum voluminibus tanta varietate refertis. Ergo Dominicanorum immunitas ab hæreſi invictiſſimè probata eſt à Petro à Valleclauſa contra Petrum à Valleclauſa. Poſt hoc argumentum nemo, opinor, Petri impoſturas credet, niſi tam iniquo calumniatori noſtro iniquitate non impar.

Sed enim, inquit, Dominicani damnatis Janſenii propoſitionibus adhærent, illiſque favent quantum poſſunt. Ergo ſuſpecta eſt eorum fides, & hæreſis meritò inſimulantur. Itane, Petre, tibi tuique ſimilibus licebit ſemper Chriſtianum orbem ludificare? Itane gratiæ per ſe efficacis divinam & catholicam doctrinam cum quinque damnatis & nobis deteſtatis pronuntiatis ſemper confundes, ut divinæ gratiæ defenſoribus Janſeniſmi terriculamento hæreſis notam malignè juxtà & ignoranter aſpergas? Omnium judicium, omnium fidem appello, ut videant in quem tandem Ordinem minori veri ſpecie tam indigna potuit unquam conferri ſuſpicio. Si ita eſſet ut imbellis æmulus calumniatur, cur Ordo totus Romæ anno 1650. in Capitulo generali coactus, Innocentii conſtitutioni eâ quâ par eſt reverentiâ & unanimi conſenſione ſcripſit, & damnatarum propoſitionum impium quinarium Theologis ſuis operoſiſſimè refutandum præcepit his verbis: *Ut obedientiam & reverentiam erga S. Sedem Apoſtolicam in omni occaſione, uti par eſt, profiteamur, omnibus noſtri Ordinis Religioſis, præſertim Magiſtris, Regentibus ſtudiorum, Lectoribus, & Prædicatoribus in memoriam revocamus, ut conſtitutionem fel. recordationis Urbani VIII. quâ liber Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus Auguſtinus, proſcribitur, omninò juxta ejus tenorem obſervent, eiq; pareant. Aliàs contra inobedientes ad pœnas in eadem conſtitutione contentas procedemus.* Cur in lucubrationibus ſingulis, quæ exinde prodierunt, Authores noſtri ab illis dãnatis erroribus abhorruerunt, & horrorẽ ſuũ fuſiſſimis diſputationibus, & quavis data occaſione Petrus Labat, Bernardus Guyard, Baptiſta Gonet, Vincentius Baronius, aliiq; ſignificaverunt? Cur Innocentii, Alexandrique ſucceſſor Clemens IX. fidei zelo, ſicut & aliis dotibus inter inſigniores Pontifices annumerandus, S. Sabinæ cœnobium noſtrum ſingulis annis plures dies commoraturus adibat, Patrum noſtrorum ibi degentium fidei, religionis, ſtrictæ obſervantiæ, aliarumque virtutum fragantia plus recreatus, quàm Curiæ Romanæ majeſtate? Et tamen (ſi Superis placet) illis iiſdem momentis, quibus Ordo totus cõtra illas propoſitiones armabatur, quibꝰ noſtri Theologi lucubrationes ad fidei Catholicæ, ſeu Romanæ (quæ duo vocabula eſſe modò ſynonyma aliàs notavimus) incrementum, novarum hæreſeon exterminium, morum & fidei informationem, Religionis Catholicæ qualemcunque gloriam pro viribus propagandam meditabantur, adornabantq; opera in ſanctam Sedem reverentiam profundam ſpirantia; iiſdem, inquam, momentis Catholicam Fidem, pro qua millies mori parati ſumus, & non ſumus turbati, & Sacroſanctã Romanam Eccleſiam, cui tot titulis devincti ſumus, cujuſve amor noſtrûm omnium eſt cordis medullis conſignatus, dehoneſtare voluiſſe (riget præ horrore capillus meus, & fortè tuus, Lector,) comminiſcitur Petrus à Valleclauſa. Næ aliud confingere, Petre, debebas, ſi nos volebas veroſimiliùs infamare. Qua enim veri ſpecie obtendis, nos tunc à Romana fide defectionem meditatos, quando extra Romanæ fidei communionem nulli ad ſalutem aditum ullum patêre, accitis omnibus argumentorum copiis Theologi noſtri conteſtantur; quando Romani Pontificis citra condignum quidem, ſed certè ſupra ſolitum conatum cauſam agunt, eique in juribus definiendis infallibilitatem aſſerunt eximiam; & quando demùm primæ Sedis decora & privilegia impari quidem, ſed filiali affectu proſequuntur, implentq; quotidie celebrem illam Honorii III. in prima Bulla confirmationis Ordinis prophetiam, quam meritò totius Petri tenebrionis ſpongiam dixeris: *Honorius Epiſcopus ſervus*

ſervo-

rum Dei dilecto ſilio fratri Dominico Priori ſancti Romani de Toloſa, & fratribus tuis regularem vitam profeſsis & profeſſuris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nos attendentes fratres Ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum cum omnibus caſtris, & poſſeſsionibus habitis & habendis. Et ipſum ordinem, & poſſeſsiones ac iura ſub noſtra protectione & gubernatione ſuſcipimus. Datum Romæ apud S. Sabinam 11. Kal. Ian. indict. 5. anno Incarnat. Domini 1216. Pontificatus primo. Audin Petre, & illos quos tanquam fidei ſuſpectæ traducis, Chriſtus Vicarius *fidei pugiles & vera mundi lumina eſſe & futuros* pronuntiavit.

Sed ſi ità ſit, uti calumniaris, ſi furtivos errores clam ut fingis docemus, te alioſque tibi non diſſimiles ardeliones iterum atque iterum rogamus, ut propaletis & loquamini apertè, quæ in aures ſimplicium immurmuratis. Si quam nobis tam acerbè per ſummam imprudentiam, maiorem impudentiam, maximam iniquitatem objicis cum Ianſeniſtis de retinendis omnique dogmatibus conjurationem ſicut olim cum beſtiis objeceras conſenſionem, veritate conſtareſcis, habes multa tribunalia apud quæ nos reos poſtulare queis; habes Eccleſiæ prælatos, habes catholicas Univerſitates, habes ſacram Cardinalium de fide. Quæſitorum Congregationem, habes Eccleſiæ Catholicæ Hierarcham Romanum Pontificem, apud eos nos defer, nos accuſa, alias conteſtabimur ſemper te in illis fabellis recenſendis *impudentiſsimè mentiri*: Et ſi nos provocare non audes *impudentiſsimum mendacium* tibi objectum ratum volumus. Sic olim R. P. Valerianus Capucinus in paucia celebris calumnias æmulorum feliciter retudit, & maledicentium os oppreſſit. Nec aliud nobis reſpondendum occurrit vel occurret unquam ad confutandas illas maledicorum vagas calumnias, quibus operosè refellendis operam navare abſurdum eſſet. Taceant ergo calumniatores noſtri aut mentiri convincantur, niſi orbi ſub Sole toti ea iuridicè narrent, quæ clam imponunt. Tempus, locum perſonas, ſcripta, litteras, aliaque id genus ſi quæ habent ſuſpectæ noſtræ fidei teſtimonia publicæ luci exponi non ſolum per nos licet, ſed avemus ardenter, ardentius rogamus, impavidè provocamus, ut ante Chriſtiani orbis oculos, quas imponunt labes expandant; ſi detrectent, impoſtores habeantur digniſſimi, qui nunquam credantur.

Quæſtio facti eſt, non iuris, quæ non argumentis confirmanda eſt, ſed ſenſu, ſed oculis, ſed manibus indigitanda & definienda, Cedit Dominicana Religio mores ſuos, cedit verba, cedit libros, cedit paginas, cedit lineas, excutiantur nedum verba, ſed etiam apices: & ſi aliquid in tota regiminis ſerie, in dictis, factis aut nutibus reperiatur quod à Romani Pontificis reverentia diſſideat, imò quod ſingularem filialis cordis obſervantiam non ſpiret, nullam detrectat pœnam, nullam à ſe infamiam deprecatur. Sed quia neminem id præſtare poſſe fidenter prædicamus, planè conſequitur, adverſarium noſtrum omnem ſibi abſtuliſſe non ſolùm probitatis & prudentiæ, ſed etiam ſenſus communis opinionem.

Parce, Lector, juſtæ indignationi ad vindicandam fidei noſtræ integritatem, coercendamq; effrenem quorumdam audaciam in quoſque pro arbitratu deſævientem, neceſſariæ. Niſi enim ita me gererē, niſi duriuſculæ calumniæ atrocitatem repellerem, ſi frigidè eam, vel molliter confutarem, ſi permitterem nos ad libitum falſis criminibus onerari, quæ non obruetur innocentia? Non eſt ergo diſſimulandum, dum fanda nefanda in nos congeruntur, dum hæreſeus, vel à Romana Sede receſſus rei agimur, dum nefaria conſilia ſine ullo vel tenuiſſimo colore affinguntur, dum crudeliſſima, & juxtà abſurdiſſima maledicta quotidie occinuntur, dum in dies impoſturæ plena manu ſparguntur, & qui ſpargunt laudantur, extolluntur, coronantur. Sed nullum expeditius appatet ſanando livori remedium, nullus repellendis maledicentiæ telis opportunior clypeus, quàm ſi illos *impudentiſsimè mentiri* dicamus. Non pluribus retundenda ſunt tam inſulſa mendacia. Enimverò ſicut nullum crimen nobis impudentiùs opponi poterat: ita nullus à bonorum omnium, qui Ordinem norunt, ſuſpicione longiùs abſens.

Ad alias Petri calumniantis minutias non reſpondebo. Tum quia laborem ſibi hunc præripuerunt fortiſſimi Apologiſtæ: tum quia more Sanctorum, & Bartholomæi à Martyribus relato exemplo permotus, ſolam hæreſis ſuſpicionem à Scriptoribus noſtris depellere tenemur. Tum quia ad ſingularia quæ producit facta, ſive vera ſint, ſive falſa, confutanda ſufficiunt illa præjudicia, quæ *lib. 6.* adversùs Amadeum Guimenium munivimus, ubi diximus Prædicatorium Ordinem pro ſolo S. Thom. ſe vadem offerre, nec ea teneritudine laborare, ut velit quidquid emanat à ſuis, Ordinis ingenium referre. Fruſtra ergo Petrus quorundam Dominicanorum lapſus toti Ordini aſſerit, qui errores quoſvis damnat & in ſuis: unde diſſimillimus erit ab eo, quem ſperat, eventus. Petrus quorumdam errata colligit, fictè, an ſyncerè, alii diſcuriant: Ego Dominicanum Ordinem à quocumque errore abhorrentem propugno. Petro propoſitum fuit Chamum imitari, & Sanctum Ordinem polluere: Ego ſtudeo decorem Ordinis mei coram ſuorum labes expurgantis demonſtrare. Petrus contendit proſcribendos eſſe omnes authores Cyriacos, & à muniis quæ in Eccleſia implent, ex quorumdam culpis arcendos: Ego Ordinem Prædicatorium ab Eccleſia fovendum confirmo, quòd errores quoſcūque in quibuſcumque ſine perſonarum acceptione deteſtatur.

Denique Petri calumniantis artes & offutias aperiet & diſcutiet, qui noverit ipſum è numero illorum Probabiliſtarum extitiſſe, qui calumniam è catalogo criminum eximunt, nec illi defuiſſe occaſionem ex opere Theophili Raynaudi, quod inſcribitur *Sol veritatis*, advocandi ſolertiam reſtrictionum mentalium. Quid ergo mirum, ſi Petrus tam furiosè calumnietur, qui nullo conſcientiæ obice à calumnia cohibebatur, quive hoſtes ſuos, & ſine injuſtitia calumniari, & ſine mendacio calumnias poſſe obtrudere arbitratus eſt. Quid enim à calumniæ, mendaciique patrono aliud ſperari poteſt, quam effrenis calumniandi, mentiendique licentia?

REFLEXIO.

Benè patientes erunt, ut annuntient, qui ſunt ex ſuo inſtituto Prædicatores. Iuſtum eſt, Lector, ut illarum virtutum amorem, quem verbis Ordo Prædicatorius inculcare ſatagit, ipſe reducat ad praxim, ne ſit ſciens, & non faciens, & plagis vapulet multis. *Doctrina viri*, inquit Magnus Gregor. hom. 35. in Evang. *per patientiam noſcitur, Tanto ergo quiſque minùs oſtenditur doctus, quanto convincitur minùs patiens. Nec enim poteſt veraciter bona docendo impendere, ſi vivendo æquanimiter neſciat mala tolerare.* Verùm quia virtus animi, quæ patientia dicitur, ingens Dei donum eſt; ora quæſo, ut det nobis, tibique gratam calumniatum tolerantiam, etiam dum eas pro veritate repellimus. Quāvis enim boni cōmunis violatio forti reſponſione cohibenda ſit, quia majoris periculi, aut piaculi nō eſt hæreticos tolerare, quàm veros Catholicos hæreſis inſimulare; unde Hieron. epiſt. 75. *Meam injuriam patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui. In talibus cauſis* (addit S. Cœleſtinus Papa epiſt. ad Epiſc. Gall.) *non caret ſuſpicione taciturnitas.* Tamen

in

in ipſa calumniarum tribulatione & in Domino gaudendum, & ei gratias agendum eſt, ſcientes quod alicubi ſcriptum reliquit laudatus & omni laude ſuperior Gregorius: *Donis ſuis flagella Deus permiſcet, ut nobis omne quod in mundo eſt amareſcat, & ad cœleſtium deſiderium excitet; atque, ut ita dicam, delectabiliter mordax ſuaviter cruciet, hilariter contriſtet.* Ergo, Lector, ſi ploremus, piè ploremus, nolimus cum indignatione, nolimus cum typho ſuperbiæ. *Unde plangat* inquit Aug. in Pſal. 99. *Quod pateris medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, ſi non vis repelli ab hæreditate. Noli attendere qualem pœnam habeas in flagello, ſed quem locum in teſtamento.* Hinc Sancti non ſolùm magis accuſari avent, quàm accuſare, & injuriam pati, quàm facere; ſed aſſentationem, quæ blandæ perſequutionis genus eſt, magis timent quàm detractionem. *Oportet nos, ſi ſapimus,* inquit Iſidor. Peluſ. lib. 5. epiſt. 62. *aſſentatores magis averſari, quàm eos qui nos lædunt, injuriaque afficiunt. Majus enim affert detrimentum non advertentibus honor ille, quàm injuria; & difficilius illud quàm hoc vitium expugnatur.* Unde Chriſtus calumniantibus & exprobrantibus ſuaviter ſemper reſpondit, ut patet *Luc. 11. & Ioan. 8.* At verò accedentibus adulatoribus & dicentibus, Matth. 22. *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,* confeſtim regeſſit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Pſalmographum imitatus Pſal. 69. dicentem; *Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* Et quia injuriis, probris, maledictis, jubente Evangelio, benedictiones reponere tenemur, pacat Deus adverſariis noſtris crimẽ, quod ſolus Deus pro merito punire poteſt; crimẽ, inquã, ipſis (ni fallor) crudelibus calumniatoribus (ſi quod ſanitatis lucidum intervallum habent) pudendum. Non optamus impleri ignominiâ facies eorum qui nos inceſſunt, ſed converti & quærere nomen tuum Domine. Illis gratiam exoptamus ſalutarem & efficacem quâ illuſtrati & præmoti videant unum ad ſalutem aditum patere eis, ſi ſeminatas à ſe calumnias publicè recantent. Imò ad abundantiam charitatis dimittimus illis peccatum, tametſi non reſtituant ablatum; ſed rogamus ut in poſterum ſuo temperent livori, ſuæ conſulant ſaluti.

DISSERTATIO IV.

De Paſſione & Morte Chriſti.

O *Amor, quid te appellem, neſcio! Bonum, an malum? Dulcem, an aſperum? Suavem, an injucundum? Ita enim utroque plenus es, ut utrumque eſſe videaris.* Ab hac exclamatione Salviani *epiſt.* 1. exordiri placet tractationem Paſſionis Chriſti, in qua ſuavitas & rigor amoris præcipuis radiis enituere. Immenſa enim Chriſti charitas in nos quidem effuſa, ſed in ſemetipſum dura, & fermè crudelis fuit. Quia illud eſt ſynceri ingenium amoris, amicis impendi, & ſuperimpendi; amantem lædere, & occidere; fortis enim eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Poterat quidem Deus hominem innumeris aliis modis quàm per Paſſionem Chriſti liberare, cùm apud Deum non ſit impoſſibile omne verbum; illum tamen tam aſperum, tam probroſum, tam calamitoſum elegit, ut cognoſceret homo quantum diligatur à Deo; ut effuſio ſanguinis agni immaculati cor quàmlibet adamantinum frangeret, & humilitatis, obedientiæ, conſtantiæ, cæterarumque virtutum in Paſſione certatim collucentium exempla præberet, juxta illud Venerabil. Drogo Cardin. *Feciſti Domine Ieſu de corpore tuo ſpeculum animæ meæ*; ut homo ſibi non eſſet vilis, qui Chriſto tam pretioſus fuit; ſeque à peccato immunem conſervaret, qui ſe ſanguine Chriſti redemptum cogitaret, juxta illud 1. Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Ut demùm confunderetur ſuperbia diaboli, qui non per ſolam potentiam Deitatis, ſed etiam per humilitatem paſſionis conteri debuit. Ut autem hoc infinitum ſub certis limitibus complectamur; nihilque prætereamus eorum quæ fusè S. Doctor *à quæſt. 46. ad 53.* ediſſerit, hujus cruentæ tragœdiæ hiſtoriam repræſentantes, exceſſus, cauſas, & circunſtantias Paſſionis Chriſti dearticulatè exponemus.

CAPUT I.

Exceſſus, & cauſa Paſſionis & mortis Chriſti.

MEritò Paſſio Chriſti vocatur à Luca *cap. 9.* exceſſus. *Loquebantur* (inquit de Moyſe & Elia in Transfiguratione apparentibus) *cum eo de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem.* Cætera omnia in numero, pondere, & menſura operatus eſt Deus; ſed in iſto immenſus divini amoris modus eſt planè ſine modo, unde & à Paulo vocatur *nimia charitas*, quia & nimia geſſit, & nimia pertulit, qui nos verbo poterat, ſicuti creaverat, recreare.

SPECULATIO I.

Quadruplex exceſſus in Paſſione Chriſti, nimirum triſtitiæ, abjectionis, doloris, & amoris.

TRiplici morbo laborat genus humanum, concupiſcentiâ oculorum, id eſt vanâ lætitiâ; ſuperbiâ vitæ, vana enim gloria eſt primum vivens in corde hominis, & ultimum moriens; & concupiſcentiâ carnis, id eſt ſenſibilis delectationis appetitu, quo homo animalis indeſinenter flagrat. Porrò hujus triplicis ægritudinis radix venenata eſt amor ſui unicuique indivulsè inviſceratus, qui inaniter delectari, & aliis ſupereminere, & corporis voluptati indulgere ſemper urget, ſemper ſollicitat, tam fortiter, ut ferè ſemper vincat; tam ſuaviter & aſtutè, ut ſæpiùs non dignoſcatur. Ad hanc triplicem graſſantem luem curandam voluit Redemptor triſtari, contundi, dolere, & ut radicem ſecuri apponeret, amore potiùs quàm dolore languere voluit, & mori. Et quamvis hi quatuor exceſſus in quolibet Paſſionis Chriſti articulo appareant, utile tamen erit diſcernere, ubinam quilibet ſingulariter eminuerit: quod dilucidè clarebit, ſi ſacram Paſſionis hiſtoriam breviter percurramus.

Primus exceſſus.

Primus ergo exceſſus fuit ingens triſtitia, quam in horto Olivarum expertus eſt, eaque adeo abſorptus fuit, ut dixerit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; id eſt, tam acutus, tam vehemens, tam opprimens eſt cordis mœror, ut mortem continuò inferret, niſi miraculo ad majora ſupplicia conſervaret. Sæpe ſæpiùs inſolita perpetravit Deus miracula ad Sanctos in angustiarum preſſuris ſolandos: ſed Chriſtum miraculo conſervat Deus, ut mœſtitiæ vim pleniùs ſentiat, vividiùs experiatur.

Quinque aſſignari præcipuæ cauſæ hujus tam ſtupendi mœroris poſſunt. Prima, imaginationis Chriſti vigor futura ſupplicia ob oculos mentis immobiliter ponens: viva autem imminentis mali apprehenſio, eſt ſæpe ipsâ damni experientiâ intolerabilior. Secunda radix è triſtitia Matris oriebatur; eam enim cùm unicè diligeret, unicè etiam ejus angoribus ange-

angebatur. Tertia cauſa erat infidelitas diſcipulorum, vel fugientium, vel negantium, vel prodentium. Quarta cauſa fuit ſacrilegium & Deicidium Judæorum in ſuam divinam perſonam patratum, & tot cladibus gentis illius olim Deo prædilectæ luendum. Quinta cauſa fuit prævíſa Chriſtianotum Paſſione Chriſti abutentium iogratitudo.

His de cauſis ita ſe triſtitiæ permiſit, adeoque mœrori babenas laxavit, ut non ſolùm ei vultus conciderit, ſed è toto corpore humi procumbente aquæ, ſanguiniſque ſudoris rivi effluxerint, *volens non ſolu oculis, ſed membris omnibus flere*, ut ait Bernard. *ſerm. 3. in Ram. Palm.* coactuſque fuerit rogare, ut transferret calicem à ſe, vel removendo aut temperando dolores quos pars inferior refugiebat; vel fructum mortis ſuæ in alios transfundendo, ne taotus labor eſſet caſſus. Nisi dicas cum Hilario, Chriſtum non oraſſe ut calix ille præteriret, ſed ut per ſe in alios pertranſiret, unde tunc orabat pro futuris Martyribus, ut ab eis tam amatus calix biberetur ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. Non enim mediocri conſolatione ſublevabatur mœſtitia Redemptoris ex prævíſis præclariſſimis ſtrenuorum Martyrum, invictorum ſenum, heroïnarumque puellarum triumphis, pro quibus tunc Salvator orabat: unde ait S. Leo ſerm. 7. de Paſſ. *Hac vox capitis ſalus eſt totius corporis; hac vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres armavit.*

Oratione quidem roboratus, & Angelica viſitatiooe confortatus fuit Chriſtos: ſed novis mœſtitiæ ictibus oppetitum fuit cor ejus in proditione Judæ oſculo tradentis, pignore amoris vulnus infligenos, officioſo pacto ſanguinem fundentis, & poſt conceſſum Apoſtolici ordiois honorem, poſt impertitam miraculorum gratiam, poſt effuſam ſui corporis communiooem, pedum lotionem, diuturnam converſationem, & impenſa omnia totius charitatis officia, illum trigiota denariis vendentis, qui pro Juda ſanguinem obtulit, ut haberet remiſſionem peccatorum, niſi deſperatus obiiſſet. Nam, ut ait Magnus Leo ſerm. 1. & 3. *Quod remedium nec te, Iuda, tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum. Sed cordis tui ſequutus es rabiem, ut quia facinus tuum omnem menſuram ultionis exceſſerat, te haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem.*

Majora ſuſcepit amaritudo Chriſti crementa propter fugam diſcipulorum, ſed ob trinam Petri negationem maxima, dum ille, qui paulò antè ſeſe inani faſtu efferebat, animumque interritum tumidè oſtentans venditabat, ad unius mulierculæ vocem Magiſtrum abnegavit, Chriſtum ejuravit, & à fidei cooſeſſiooe deſcivit. *Concorditer Evangeliſtæ* (obſervatio eſt Chryſoſt.) *negationem Petri ſcripſerunt, non diſcipulum accuſantes, ſed nos erudire volentes, quantum malum ſit non Deo totum concedere, ſed in ſemetipſo confidere, & quo erga peccantes duriorem ſententiam propriis caſus intuitus temperaree.* Non leve tamen mœſtitiæ Chriſti ſolaoum attulit ſubita, & non procraſtinata Petri pœnitentia; nam egreſſus foras flevit amarè, & lacrymarum rivis peccati ſordes abſterſit. *Felices lacrymæ tuæ, ſancte Apoſtole* (inquit Magnus Leo ſerm. 9.:) *quæ ad diluendam culpam negationis virtutem ſacri habuere baptiſmatis.* Noo ſufficit Petro peccatum verbis, quæ fallere poſſunt, expiare; lacrymas fundit, quibus falſum ſubeſſe non poteſt. Licèt enim ſint aliquæ lacrymulæ doctæ mentiri, tantus tameo lacrymarum fluvius à Petro ſuſus oon potuit non procedere de corde bono & optimo. Præclarè Ambroſ. ſerm. 46. *Utiliores lacrymarum preces ſunt, quàm ſermonum. Sermo fortè fallit, lacryma omninò non fallit; & ideo Petrus jam non utitur ſermone, quo fefellerat, ne per id etiam non credatur ad confitendum, quo uſus fuerat ad negandum. Maluit cauſam ſuam flere, quàm dicere; & quod voce negaverat, lacrymis confiteri.*

Secundus exceſſus.

Secundus exceſſus Chriſti patientis fuit ſumma depreſſio & abjectio Salvatoris omni dedecore, probro, & infamia affecti, & ludibriis dehoneſtari; quæ ſanè pœna eo gravior eſt, quo hooor inter præcipua vitæ ſocialis bona enumeratur. Irruit ergo in Chriſtum militum caterva, & vinculis arctè adſtrictum per plateas raptabant ululante plebe, clamore & ſibilis inconditè explodente. Hinc ductus ad Annam alapâ feritur à ſervo; dehinc non minori ignominiâ traductus ad Caipham, ſaturatus opprobriis fuit, & auguſta facies Aogelis ipſis reverenda percuſſa colaphis, cooſpurcata ſputis, velata faſciis, totuſque Jeſus vilipenſus, exinanitus, & ut loquitur Tertullianus, nullificatus fuit.

Congeminata ſunt convicia, & conduplicatæ calumniæ coram Pilato, quibus non niſi modeſtiâ, gravitate, & ſilentio reſpondit. Porrò Judex prætenſi rei inoocentiâ coovictus, reſponſorum, ſi quæ dabat, pondere & tranquillitate permotus, & conſcientiâ actus, judicium ferre recuſans, eum arbitrio Judæorum permiſit. Sed ipſi cooteſtantur, non licere ſibi occidere qoemquam, & quidem abſurdiſſimè; nam, ut rectè ait Auguſt. *Itáne omnem ſenſum nimiâ malitiâ perdidiſtis, ut ideo vos à ſanguine innocentis impollutos eſſe credatis, quia eum fundendum alteri traditis?* Et Magnus Leo ſerm. 6. *Qua lege Iudæi, quod vobis non licet facere, licet velle? Qua ratione quod corpora polluit, corda non lædit?*

Conatur Pilatus variis, ſed crudelibus artibos Judæorum furorem mollire, ſed fruſtra. Mittit eum ad Herodem Regem; ſed in ejus aula ut ſtultus traductus eſt, hacque de cauſa veſte alba indutus. Nondum ſatis erat Chriſtum blaſphemum, factioſum, turbidum, guloſum, magumque audire: deerat tot contumeliis coronis, debuitque amens haberi ſapientia Patris, non apud plebem, ſed in aula. Tentavit etiam Pilatus Chriſtum ad ſe ab Herode remiſſum oovo ſtratagemate, ſimulque novo probro liberare, arbitranſque non auſuros Judæos Jeſum Barrabæ homioum ſceleſtiſſimo poſtponere, utrumque componit, utrumque eorum indignationi proponit, ut alterutri pro more in honorem Paſchatis exſoluto condonarent. Et tamen inſanus populus per ſummam iojuriam Barrabam prætulit, Jeſum crucifigeodum iteratis vociferationibus poſtulavit. Unde ioter tot præjudicia, quem omnes volebant perire, oon audebat Pilatus abſolvere.

Excogitavit novam ad permovendos Iudæos aſtutiam, ſed poſt homioum memoriam ignominioſiſſimam. Ergo illum flagellandum, & laniandum militibus tradit. Et præter flagella, quibus ſoli latrooes vel mancipia feriuntur, cum auctario tota nocte illuditur, & ut Rex Theatralis ficta & irriſoria purpura induitur, arundineo ſceptro inſignitur, corooa ſpioea redimitur. Et cooonuò plebi ſpiranti ſanguinis oſtendit formam vultus deformatam, corpus ſanguine madens, & etiamnum ſtillans cruorem, caput perforatum, extincta oculorum lumina, os pallore ſuffuſum, genas ſputis ſanguine concretis ſordentes: in eo habitu exhibet Jeſum ab omoibus derelictum, à militibus calcatum, à Phariſæis accuſatum, à Rege illuſum, & à ſolo Pilato nondum damnatum. *Ecce homo*, inquit; ſi tamen homo dicendus eſt, non cadaver: *Ecce homo*, vel potiùs vermis, & noo homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis: *Ecce homo*, non aliter eo nomine dignus, niſi quia vir dolorum eſt. Si ipſius gloriæ tot miraculis demonſtratæ

invidetis, jam, quæſo, parcite, dum tam abjectum videtis; ceſſet ignominia, frigeſcat invidia: inimicos animos mitigate, & exſaturatis invidiæ odiis ne ultra petite perſequendum, quem tot modis videtis afflictum.

Poſt viſum tam tragicum ſpectaculum, nihilo mitiora facta ſunt corda ferina Judæorum novo tumultu vociferantium: *Crucifige, crucifige eum.* Ad hanc imaginem crudelium pictorum manu elaboratam, dum non cientur Judæi, ſaltem commoveantur Chriſtiani. *Ecce homo.* Ecce ad quas ultimæ calamitatis anguſtias peccatis noſtris adactus eſt. Quouſque irruimus in hominem, cujus opprobria renovamus, quin & exaggeramus, dum peccata committimus? Hominem quærebat Paralyticus, à quo officioſè projiceretur in piſcinam, & invenire non valens, dicebat: *Hominem non habeo.* Et *ecce homo*, qui eſt expectatio gentium, offerens piſcinam ſanguinis ſui, cujus una ſtilla ſalvum facere totum mundum poteſt ab omni crimine. *Ecce homo*, ſatisfactionem rigoroſam, & ſuperabundantem offerens Patri, ut juſtitiam infinitam, infinitâ peccatorum maliâ ſuccenſam mitiget ſatisfactio infinita. *Ecce homo* velut arcus in nubibus variis ſputorum & cruoris mixtis coloribus interſtinctus, ſignum fœderis antiqui, reconciliationis novæ, ad cujus intuitum exarmetur mentò indignata juſtitia. Cùm autem in deſceret ira fremituſque clamantium, Pilatus addic t iniquo populo juſtum, à quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſerat, & ſomnio uxoris novetat, relinquens judicium proprium, ut in crimen tranſiret alienum, ait S. Leo.

Tertius exceſſus.

Fuit dolor corporis, qui fuit omnium hujus vitæ maximus, juxta illud Thren. 1. *Attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Et hujus quadruplicem rationem tradit D. Thom. *quæſt. 46. art. 6.* Prima petitur ex cauſa doloris, ſcilicet ex læſione corporali, quæ eſt acerbiſſima in crucifixione, qua configuntur partes nervoſæ, & ſuper omnes alias maximè ſenſibiles. Ipſum etiam corporis pondus ſolis clavis profotantibus innixum, & diuturnus languor ſic morientium incredibiliter auget dolorem. Secunda petitur ex delicato corporis Chriſti habitu, cujus temperatiſſima complexio operatione Spiritus ſancti formata, ſenſu tactus plurimum vigebat, ex cujus perceptione acutiſſimus dolor conſequebatur. Tertia ratio accipitur ex doloris puritate, quippe qui nullo ſolatio vel refrigerio temperatus fuit, unde ipſe dicebat: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* quia purum dolorem abſque ulla conſolationis permixtione expertus eſt, qua in re dolor Chriſti omnes Martyrum paſſiones immensùm excedit. Eorum namque preſſuratum acerbitatem deliniebat infuſa ſuavitas. Quarta ratio deſumitur ex proportione ad finem, ad quem aſſumptus fuit dolor paſſionis, cui Chriſtus ultrò ſe ſubjecit propter liberandos homines à peccatis eorum. Ergo eum graviſſimi doloris ſenſum aſſumpſit, qui eſſet proportionatus magnitudini fructus inde naſcituri. Sicut ergo fructus ille eſt incomparabilis, ita & dolor.

Id etiam clarebit brevi tormentorum inductione. In flagellatione ſic lacerata, & conciſa fuit caro, ut facilè oſſa dinumerari poſſent. Prohibuerat olim Moyſes, ne verberum numerus quadragenarium excederet: ſed odio Chriſti qui nullam ſolverat legem, leges omnes ſolutæ ſunt, & quinis millibus ictuum non tam verberatus, quàm contuſus & excarnificatus fuit. Huic tormento ſucceſſit cruciamentum omnibus retro ſæculis ignoratum, dum caput ſentiſcoſis ſpinarum aculeis compunctum & transfixum fuit; & poſtea ſuper humeros jejunii inediâ, & vigiliâ languidos, ictibus comolitos, fuſi ſanguinis copiâ fermè inanimes apponunt crucis pondus, quod mente quidem alacri, ſed incurvo corpore, genibus tremulis, labili greſſu, demiſſis oculis, ſudabundâ fronte, corde præ deliquio labaſcente, inter crepitantes collidentium armorum ſonitus, confluentis multitudinis tumultuoſos clamores, micantium haſtarum fulgores perferebat ſemivivus, ſemimortuus, ſed magis peccatorum ſarcinâ prægravatus, quàm onere oblíſus, vel itinere fatigatus portavit. Voluit etiam triumphi ſui portare trophæum, ut invictæ patientiæ præberet exemplum, & ipsâ operis ſui imagine omnes imitatores ſuos confirmaret, quibus antea dixerat: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.*

Tandem opitulante Simone Cyrenæo, quem angariaverant, crucem quam vix, ac ne vix quidem ſolus portaſſet, ad montem moriturus geſtavit. Ibi veſtes cruentas carni inſtar viſci adhærentes, renovatis vulneribus, vel potiùs unica totius corporis obductâ cicatrice refricatâ & redintegratâ extraxerunt. Nudum deinde in lecto crucis componunt, ibique ſtratus, ferreo clavo fibulatur dextera. Ad locum vulneris confluit quidquid ſupererat ſanguinis & ſpirituum, totum ſe corpus contrahit, replicantque nervi illuc advocantur; ſed ut vix pervenerunt, ſiniſtram revellit alter carnifex tantâ extorſione, ut ſacrum pectus luxatum, ſuâque ſede depulſum fuerit. Idem proportione ſervata in confixione pedum crudeliſſimè contigit: Sicque clavis ſuffixum corpus erigitur non ſine mediocri cerebri cordiſque concuſſione. Suſpenſi corporis, ſolique clavorum fulcimento ſubnixi cruciatus deſcribere ſuperſedeo, cùm nec vix ſine terrore imaginario apprehendat penduli corporis æquilibrium coactum, quo ad neutram partem tantiſper ſe inflectere quibat. Et inter has languoris luctas, inter obruentes agones purus dolor animam à corpore disjunxit, ſicut mala voluptas mortem animæ inferens, homines fecerat eſſe mortales.

Quartus exceſſus.

Quartus denique exceſſus eſt amoris & charitatis animæ. Nam cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, id eſt ſummum dilectionis teſtimonium circa finem vitæ ſuæ potiſſimùm in ipſa ara crucis monſtravit. In primis præcipuum erga Patrem amorem oſtendit; quanvis enim fateretur ſe à Patre propter humani generis peccata eſſe derelictum, nihilominus non ſolùm in horto voluntatem ſuam divinæ ſubjecit, ſed etiam in ipſa crucis agonia Spiritum ſuum Patri commendavit, & ſui curam deponens, ſe totum arbitrio Patris, nulla interpoſitâ conditione, vel exceptione permiſit. Verè ille amor filialis eſt, cordique indivulsè infixus, quo quis ſe potenti etiam verberanti, etiam necanti, abdicato totius voluntatis arbitrio tradit.

Quanta verò fuerit vis amoris & pietatis adversùm Matrem ſacram Dei Genitricem Mariam facilè æſtimaverimus, ſi conſideremus Chriſtum ſui oblitum, Matri tamen de filio providiſſe, & vicarium amoris ſui Joannem ſubrogaſſe, dum dixit: *Mulier* (mulierem vocat, non matrem, ne ad tam teneram nomenclaturam reſolutum cor maternum ſcinderetur.) *ecce filius tuus.* Uique moriens impleret præceptum omnibus impoſitum de honorandis parentibus, eam Adminiſtratricem totius Eccleſiæ præfecit, & ſuæ auctoritati ſuffecit, dum Joanni præſenti, & in ejus perſona toti Eccleſiæ dixit: *Ecce mater tua:* Quaſi apertè diceret, Sicut nemo poteſt ſalvari niſi per meritum crucis & mortis meæ; ita nullus ſanguinis illius particeps erit, niſi interceſſione matris meæ.

Ille

Digitized by Google

Ille ſolus filius dolorum meorum reputabitur, cui Maria mater erit. Vulnera gratiarum fontes perennes & patentes ſunt, ſed ad nullos derivabuntur rivi, niſi per Marianum canalem & aquæductum. Fruſtra me invocabit Patrem, qui Mariam non fuerit veneratus ut matrem. Tu ipſemet, prædilecte diſcipule Joannes, ſi me amas, eam ama; tantum enim à me amaberis, quantum eam amaveris. Uno verbo, Ecce mater tua. Compendio dixi quid à te illi præſtari volo, dum moriens te hæredem meæ filiationis ſcribo.

Ad quem verò gradum ſeſe provexerit amor Chriſti morientis in peccatores, clariſſimè ſignificavit ipſa prima vox in cruce prolata, quæ pro hoſtibus ipſum actu tam dirè crucifigentibus oravit. *Pater ignoſce illis*, illoſque excuſavit: *Non ſciunt quid faciunt.* Et tamen, ut docet S. Thom. *quæſt. 47. art. 5.* Ignorantia eos non excuſabat à crimine, utpote affectata; videbant enim evidentia ſigna Divinitatis ipſius; ſed ex odio, & invidia Chriſti ea pervertebant. Unde eis dicit, Joan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Ubi apertè ſignificatur, quod ex odio viſis tot mirificis operibus, Chriſtum filium Dei non cognoverunt. Quæ ſanè ignorantia culpam aggravat; oſtendit enim hominem ſic eſſe vehementer affectum ad peccandum, quod delectatur in ignorantia, ne peccatum vitet, ſimilis illis, de quibus ſcribitur Job 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Præſertim quia ſi Prophetias de Meſſia Deo inſpirante conſcriptas, magna Spiritus humilitate, & fuſis ad Deum precibus lectitaſſent; ſi Chriſtum ipſum in cordis ſimplicitate interrogaſſent, ſicut Samaritana, & Nicodemus, utique divino lumine illuſtrati fuiſſent. Sed illi ſuperbiâ tumidi, odio & invidiâ flagrantes, Chriſtum docentem aut aſpernabantur, aut malignè audiebant, aut inſidiosè interrogabant, ut caperent eum in ſermone; ideo peccatum inexcuſabile peccaverunt. Et tamen perorat Chriſtus in cruce, quo excuſetur impietas: ipſe offenſus fit offendentium advocatus, & ſi verba non ſufficiunt, offert ſanguinem meliùs clamantem quàm Abel, quia iſte juſtitiam, ſanguis Chriſti miſericordiam interpellabat.

Non contentus hac benevolentiæ ſignificatione Chriſtus, amori affectivo addidit effectivum, convertens è peccatoribus unum, latronem ſcilicet, cui plenariam ſubitò contulit indulgentiam, & introitum in Regnum cœlorum. *Hodie* inquit, *mecum eris in paradiſo. Quis potentiam tam miræ commutationis enarret? Exiguo temporis puncto longorum ſcelerum reatus abolctur; & cui propria impietas intulit pœnam, Chriſti gratia dat coronam*, ait Magnus Leo *ſerm.* 4. Sed dum illum ſalvat, omnes ſalvare ardentiſſimè concupiſcit: *Sitio*, inquit. Quid cauſæ eſt, quod de ſiti queritur, qui de cruce ſilet? Flagellatus, contritus, perforatus obmutuit, & ſiti lamentatur, quia aquæ tribulationum multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina ſanguinis obruere illam. Auguſt. in Pſalm. 68. *De cruce cùm diceret Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat: Pater ignoſce illis.* Et S. Thom. in c. 19. Joan. lect. 3. *Per hoc quod dicit Sitio, oſtenditur ardens ejus deſiderium de ſalute generis humani. Vehemens autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim.*

Reflexio.

Poſt hos exceſſus verè dixit Chriſtus, *Conſummatum eſt.* Jam impletæ prophetiæ, finiti labores, coronatum redemptionis opus. Quid ultrà potuit facere, & non fecit? Quid ultrà pati, & non pertulit? Ad ſummum pervenit ſummus amoris exceſſus, nec poſſumus ampliùs deſiderare, niſi aliquid quæramus poſt omnia. Unum duntaxat deeſt, ut nimirum ſicut Redemptor nimia charitate dilexit nos, ſic in mandatis ejus cupiamus nimis. Chriſtus è cruce prædicat conſummatum opus ſalutis, & Prædicator veritatis Paulus aſſeverat: *Adimpleo quæ deſunt Paſſioni Chriſti in carne mea.* Si conſummatum eſt opus, quid illi deeſt? Vel ſi deeſt aliquid, quomodo conſummatum eſt? Abſit ut à veritate diſſonet diſcipulus veritatis; vel de Paſſione Chriſti diminutè ſentiat, qui Chriſto confixus erat cruci. Quidquid eſt ex parte Chriſti completum eſt, copioſa eſt ejus redemptio, plena, ſuperabundans, infinita; conſummatum eſt opus ſalutis, fontes ſalutis aperti, inſtituta Sacramenta, mors devicta, princeps mundi hujus ſuperatus. Et tamen totum illud opus quàmlibet immenſo valore dives, inane prorſus erit, niſi Paſſioni compatiamur, niſi exceſſui triſtitiæ ejus pœnitentia noſtra, exceſſui abjectionis humilitas noſtra, exceſſui doloris mortificatio noſtra, exceſſui amoris charitas noſtra reſpondeat. Ne te ultro decipias, Lector Chriſtiane, ne voluntariè erres. Si in viridi ſic factum eſt, in arido quid fiet? Si peccatorum vadi & fidejuſſori condonatum non eſt, quodnam de vero peccatore judiciũ feretur? Si umbra & ſimilitudo peccati tanta animadverſione multata eſt, vera & realia peccata, tam crebra, tam quotidiana, tam gravia quomodo plectentur? *Inſpice*, amabò, *inſpice vulnera pendentis*, quæ quotidie renovant culpæ: *inſpice ſanguinem morientis* quotidie percalcatum, *pretium redimentis* quotidie floccifactum. Inſpice *caput ad oſculandum inclinatum*, ſi reſipiſcas; *cor apertum ad diligendum*, ſi redamare non pigeat; *brachia extenſa ad amplexandum*, niſi reſiſtas; *totum corpus expoſitum ad redimendum*, ſi redimi velis, ſi vincula peccatorum dirumpi ſinas, *ut totus figatur in corde, qui totus pro nobis fuit fixus in cruce.* Si Chriſtum è Cathedra crucis per vulnera loquentem non audis, perperam ad te hortandum tempus tero, perperam oleum & operam perdo. Totum corpus Chriſti morientis lingua fuit: tot ora, quot vulnera; ſed dum ſanguis ejus meliùs clamat, quàm Abel, hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

Speculatio II.

Longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum in quatuor cauſis operis redemptionis nitent.

De Chriſto Domino intelligunt Interpretes verba illa Apoſtoli, Epheſ. 3. *Ut comprehendere poſſitis cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quæ emphatica verba variis illuſtrant expoſitionibus Chriſto applicatis, cujus charitatis in œconomia redemptionis eminentis dimenſiones Paulus deſcribit, ut patet ex illis verbis, *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*; necnon ex antecedentibus.

Et primò poſſunt accipi hæ dimenſiones de Chriſto, quà Deus eſt, quia ſubdit, *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Licèt enim Deus nullis circumſcribatur dimenſionibus, qui totus ubique eſt, & ut aiebat Empedocles, *circulus eſt cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam*: metaphoricè tamen dimenſiones illas Deo ſcriptura aſſerit, Job 11. *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno eſt, & unde cognoſces? Longior terrâ menſura ejus, & latior mari.* Per latitudinem intelligunt Doctores extenſionem divinæ ſapientiæ, quam effudit Deus ſuper omnia opera ſua, ut dicitur *Eccleſ.* 1. Per longitudinem deſignatur æternitas. Pſalm. 9. *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo in longitudinem dierum.* Per ſublimita-

tem accipiunt nobilitatem divinæ naturæ, quæ omni creatâ & creabili immensùm præſtat. Per profunditatem intelligunt judicia divinæ providentiæ, quæ ſunt abyſſus multa. Quæ Dei perfectiones in opere redemptionis mirè collucent. Ibi enim apparet ſapientia in adinventione medii tam opportuni ad ſatisfaciendum Deo, ad mortem morte ſuperandam, & ad eum, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vincendum. Splendet æternitas, tum quia in cruce exequutioni mandatum eſt æternum Dei decretum: tum quia cruci contulit virtutem æternam; ex ea enim promanant omnes gratiæ, & gloriæ profluvia per totam æternitatem duratura; imò, ut multi volunt, ipſa crux materialis Chriſti, quaſi trophæum in cœlis in æternum permanebit. Relucet nobilitas & majeſtas divinæ naturæ: Nam per mortem crucis exaltatus fuit Chriſtus, datumque illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ipſa etiam Crux Chriſti olim ignominiæ inſigne, jam à Regibus adoratur: quid autem ſublimius illo, qui tam vili, tam probroſo inſtrumento tantam contulit dignitatem? Denique profunditas Judiciorum divinorum occurrit, tum in applicatione fructuum crucis uni præ altero, tum in eo quod per infirmitatem crucis & mortis potentiſſimos hoſtes devictos contriverit.

Et in hujus rei ſignum, ut obſervat S. Thomas *lect.* 5. Chriſtus, in cujus poteſtate fuit eligere genus mortis quod vellet, elegit mortem crucis, in qua prædictæ quatuor dimenſiones ſunt; ibi enim eſt latitudo in ligno tranſverſo, cui affixæ ſunt manus: ibi eſt longitudo in ligno erecto, à terra ſurſum uſque ad lignum tranſverſum: ibi eſt ſublimitas in ea parte, quæ ligno tranſverſo ſupereminet, & cui affixa erat tabella cauſam crucifixionis continens: ibi denique erat profundum in ea ligni parte, quæ terræ infixa videri non poterat. Quibus omnibus ſignificatur virtutem crucis ad omnem locorum latitudinem, ad omnium temporum longitudinem pertingere, ut homines provehat ad cœleſtis gloriæ ſublimitatem per profundam Chriſti morientis humilitatem.

Alii aliis adhuc modis non improbandis juxta quadruplicem ſenſum myſterium quatuor dimenſionum harum explicant: quibus omiſſis unico contentus ero, qui eo magis placet, quo ad infinitam materiam methodicè, ordinatéque pertractandam commodior eſt. In illis ergo quatuor dimenſionibus quadruplex cauſarum genus invenio, ad quod omnes de Paſſione fuſiſſimi diſcurſus reduci poſſunt. Latitudo charitatis eſt finis operis redemptionis. Longitudo cauſalitatis Chriſti morientis in omnia loca & tempora, & perſonas influentis, explicat cauſalitatem effectivam operis, ſeu beneficii illius inæſtimabilis. Sublimitas ſubjecti patientis, qui Deus & homo ſimul erat, ex parte cauſæ materialis infinitè exaggerat hujus operis granditatem, & ita in ſublimè attollit, ut tantùm Deum honoret, quantùm honorabilis eſt. Profunditas humiliationis, Paſſionis, & mortis Chriſto illatæ, cauſa formalis eſt hujus operis, in quo ille, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus ſe eſſe æqualem, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, & reverà moriens. Excurramus parumper quatuor illos totius pietatis ubertimos campos.

Latitudo charitatis.

In primis charitatem fuiſſe finem Paſſionis Chriſti, ſatis ſuperque patet ex dictis de motivo Dominicæ Incarnationis, quod nullum fuiſſe aliud quàm puram benignitatem, putam miſericordiſſimæ charitatis effuſionem, *diſſert* 2. *cap.* 2. demonſtravimus. Ad doctrinæ tamen ubertatem adverte ex D. Bernardo, quem refert & explicat D. Thom. *opuſc.* 61. decem eſſe gradus amoris, qui omnes in Paſſione Chriſti nitentiſſimè micant. Primò enim amor *facit languere utiliter.* Cant. 5. *Nuntiate dilecto, quia amore langueo.* Languens deſiderium pro nobis moriendi ſignificavit Chriſtus, Luc. 12. *Baptiſmo habeo baptizari* (id eſt baptiſmo Paſſionis; aquæ enim in Scripturis tribulationem ſignificant.) *& quomodo coarctor?*

Secundò amor *facit quærere inceſſanter*; nam vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis. Chriſtum autem ſalutem noſtram quæſiviſſe, exprimit Eccleſia, dum canit: *Quærens me ſediſti laſſus, redemiſti crucem paſſus.* Expanſus etiam in cruce, vulneribus veluti totidem linguis ſalutem noſtram quærit, & ait: Si quis ſitit, veniat ad me: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.

Tertiò amor *facit operari indeſinenter*, amor enim nunquam otioſus operatur magna, ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt. Probatio etiam dilectionis exhibitio eſt operis. Verus etenim amor operatur multa, & reputat pauca, & dum plura facit, majora cupit, quia nihil feciſſe pro amato ſe credit; operatur diu, & reputat breve tempus præ amore, ſicut Jacob videbantur dies pauci præ amoris magnitudine; quia magno amori nihil magnum, ſicut parvo nihil parvum videtur. Porrò quid, quantum, & quàm indeſinenter operatus ſit amor in Paſſione Chriſti, nemo non videt, cùm actus martyrii ſit apex charitatis, & martyrium Chriſti fuerit omnium maximum.

Quartò amor *facit ſuſtinere infatigabiliter*, quia omnia dura amanti dulcia ſunt, & in eo quod amatur non laboratur; aut ſi laboratur & labor amatur. Patientiam autem Salvatoris ipſe præſes, ipſi Iudæi mirati ſunt: nullo verbo, nullo geſtu impatientis animi ſignum edidit, ſed potiùs inter ultimæ feritatis cruciamenta, inconcuſsè intrepidi animi firmitatis ſignificationem omnibus aſpectabilem oſtendit.

Quintò amor *facit appetere impatienter*; amor enim non accipit de difficultate remedium, neque de impoſſibilitate ſolatium. *Hoc habet impatiens amor*, inquit Hieronymus, *ut quod deſiderat, ſemper invenire ſe credat*; & ideo cum vehementia appetit, quod ſe obtinere confidit. Quàm ardens, quàm vehemens, quàm ſitibundus fuerit amor Chriſti patientis, ſatis indicant ſuprà ponderata verba illa, *Sitio*; quia, ut ait Laurent. Iuſt. lib. de agon. cap. 19. *Sitis hæc de ardore dilectionis de amoris fonte, de latitudine naſcitur charitatis. Sitiebat nos, & dare ſe nobis deſiderabat.* Væ nobis ſi fontem vitæ non ſitiamus, qui nos ſitivit. *Contentus eſt te Deus tuus* (ait Cyprianus,) *& tu non eris contentus Deo tuo?*

Sextò amor *facit currere velociter*, juxta illud Bernardi: *Qui amat ardentiùs, currit velociùs, & apprehendit citiùs.* Chriſtus autem exultavit ut Gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus; id eſt à ſummo Patris cœleſtis ſinu egreſſus, per omnes miſeriarum vias tranſivit, donec perveniret ad ſummum erectæ cacumen crucis, quam etiam alacriter humeris impoſitam geſtavit.

Septimò amor *facit audere vehementer.* Nam, ut dicitur 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et Bernard. *Præceps amor nec judicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi ſubjicitur.* Quàm vehementer auderet amor Chriſti in Paſſione, patet ex eo quod militibus ipſum quæritantibus generosè occurrens ſeipſum oſtendit, dicens: *Quem quæritis, ego ſum.*

Octa-

Octavò amor *facit ſtringere indiſſolubiliter*; amor enim eſt vis unitiva transformans corda amantium. Unde dicebat Auguſt. lib. 4. Conf. cap. 6. *Ego ſenſi animam meam, & animam amici mei unam fuiſſe in duobus corporibus.* Unio autem Chriſti cum peccatoribus tanta fuit, ut præ amore eorum peccata induiſſe videretur. *Supra dorſum meum*, inquit in perſona ejus David, *fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Et ideo dicit Apoſtolus, Chriſtum factum eſſe peccatum, quia peccatorum delictis onerarus, alienas culpas amore fecit ſuas.

Nonò amor *facit ardere ſuaviter*; amor enim ignis eſt in quo eſt calor, fervor, & ardor. Unde amorem definivit Plato in convivio: *Amor ardor eſt animi in proprio corpore morius, in alieno viventis.* Chriſtus autem ardorem & fervorem amoris ſignificavit vehementiſſimum. Cùm enim poſſet etiam non moriendo ſuccurrere, voluit tamen hominibus moriendo ſubvenire; quia videlicet nimis nos amare credidiſſet, niſi damna quæ auferre venerat, ad tempus ipſe ſuſtineret.

Decimò amor *facit ſimilari totaliter*. Scito anima, inquit Hugo citatus à D. Thoma, quia quidquid diligis, vi amoris in ejus ſimilitudinem transformaris. Et juxta trita Hieronymi adagia: *Amicitia pares facit, aut invenit. Ubi inæqualitas, alterius eminentia, & alterius ſubjectio, ibi non tam amicitia, quàm adulatio eſt. Sit amicus eadem anima.* Chriſtus autem in Paſſione factus eſt ſpeculum noſtris miſeriis perfectè ſimile. Nam homo factus eſt hominis factor: ſugere ubera voluit, qui mundum paſcit, eſurire panis, ſitire fons, obſcurari lux, falſitatis accuſari veritas, infirmari virtus, fatigari fortitudo, judicari innocens, puniri æquitas, mori vita: denique miſerias omnes hominis in ſe deſcribere, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam crearat.

Longitudo cauſalitatis.

Ut comprehendere poſſimus longitudinem virtutis, efficientiæ, ac cauſalitatis Chriſti patientis & morientis, primùm conſiderandus eſt modus efficiendi, deinde explicandi ſunt varii ejus effectus. Paſſio etenim Chriſti ſecundùm quod comparatur ad Divinitatem, cui unitur humanitas, agit per modum efficientiæ: in quantum comparatur ad voluntatem animæ Chriſti, agit per modum meriti: ſecundùm verò quod conſiſtit in ipſa carne Chriſti, agit per modum ſatisfactionis, quatenus per eam liberamur à reatu pœnæ; per modum verò redemptionis, quatenus per eam liberamur à ſervitute culpæ; per modum autem ſacrificii, quatenus per eam reconciliamur Deo. Hæc omnia ſigillatim expono, effectus deinde Paſſionis præcipuos diſcuſſurus.

In primis Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum cauſæ efficientis. Nam, ut poſtea videbimus, humanitas Chriſti eſt inſtrumentum phyſicum omnium gratiarum hominibus ad ſalutem collatarum; quia infirmitas carnis Chriſti languentis unita Divinitati haurit ex ea virtutem efficacem, juxta illud 1. Cor. 1. *Verbum crucis his qui ſalvi fiunt, eſt virtus Dei.* Et iterum: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Unde Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 3.* ait: *Una mors noſtri Salvatoris duabus mortibus noſtris* (animæ & corporis) *ſaluti fuit.* Ad cujus intelligentiam conſiderato, quod licèt aliqua inſtrumenta divinæ virtutis, hoc ipſo quod aſſumuntur ut inſtrumenta, ſimul cum Deo concurrant ad productionem effectus, ſi nullus interponatur obex; tamen ſunt aliqua inſtrumenta, quæ in actum ſecundum non prorumpunt, niſi temporibus à Deo conſtitutis, in quo imitantur divinæ cauſalitatis eminentiam; quæ licèt ſit actus purus, nihil tamen producit niſi ſecundùm prædefinitionem ſuæ ſapientiæ & voluntatis. Et ita Paſſio Chriſti eſt inſtrumentum generale omnium gratiarum per cuncta ſæculorum curricula collatarum ſecundùm modum à divina voluntate præſtitutum. Quod diximus de Paſſione, proportionaliter de morte dicendum eſt; quia mors in fieri eſt ipſa Paſſio violentè mortem inducens; mors verò in facto eſſe eſt corpus vitâ privatum, quod virtute Divinitatis, cui ſemper unitum manſit, fuit ſalutiferum gratiæ inſtrumentum, non quidem per modum meriti, cujus principium eſt anima, quæ ſupponitur ſeparata, ſed per modum efficientiæ; unde ad omne gratiæ auxilium, quod ubique terrarum in triduo mortis Chriſti conferebatur, corpus Chriſti ut inſtrumentum phyſicum concurrebat virtute Divinitatis unitæ.

Deinde Paſſio Chriſti operata eſt ſalutem per modum meriti; quicumque enim in gratia conſtitutus voluntariè patitur propter juſtitiam, ex hoc ipſo meretur: Chriſtus autem maximè propter juſtitiam & veritatis defenſionem paſſus eſt, necnon ex ardentiſſimæ charitatis motivo; unde Paſſio ejus fuit ſalutis noſtræ meritoria.

Et quamvis Chriſtus ab initio conceptionis meritoria opera valoris infiniti elicuerit, ſingulariter tamen ſacra eloquia meritum ſalutis noſtræ Paſſioni eximium paſſim aſſerunt, quia licèt quodlibet Chriſti opus fuerit ſuperabundans ad merendum, & cumulatiſſimè ſatisfaciendum; tamen ex parte hominis, qui non ſolum fortiter, ſed etiam ſuaviter redimendus erat, multa erant impedimenta ſolâ Chriſti Paſſione congruenter amovenda. Nam per paſſionem, dum charitatem ſuam commendavit, noſtram accendit; dum totius humilitatis, obedientiæ, patientiæ actus elicuit, nobis reliquit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus; & dum peccati ſervitutem ſanguinis pretio redemit, lethalis culpæ granditatem & horrorem inculcavit, quæ quia ſunt ad ſalutem penitus neceſſaria, ideo Paſſioni Chriſti ſpecialiter ſalutis meritum aſcribitur. *Chriſtus à principio conceptionis* (inquit Doctor Sanctus quæſt. 48 art. 1.) *meruit nobis ſalutem æternam: Sed ex parte noſtra erant quædam* (ſcilicet ignorantia divinæ dilectionis, multitudo vitiorum, & peccandi pronitas) *quibus impediebamur conſequi effectum præcedentium meritorum. Unde ad removendum illa impedimenta oportuit Chriſtum pati.*

Idipſum aliter, ſed egregiè, explicat Doctor Angelicus *quodlib. 2. quæſt. 1. art. 2.* Quia ad emptionem duo requiruntur, ſcilicet quantitas pretii, & deputatio ejus ad emendum. Si quis enim non dat pretium æquivalens, res non dicitur empta ſimpliciter, ſed partim empta, & partim donata, ſi verò detur majus pretium, quod tamen non deputetur ad emendum, ſed ad gratificandum, vel ad alium finem, non dicitur emptio, ſed liberalitas, vel aliquid hujuſmodi. Si ergo loquamur de quovis opere Chriſti quantum ad quantitatem pretii, ſic quodlibet etiam ſeclusâ morte ſuffeciſſet ad humani generis redemptionem propter infinitam perſonæ dignitatem: ſi autem loquamur quantum ad deputationem pretii, dicendum eſt opera Chriſti non eſſe à Deo Patre ad humanam redemptionem deputata independenter à morte Redemptoris. Nec ipſe Chriſtus quemlibet actum obtulit tanquam plenum meritum, integrum, & totale; unde per ſolam mortis Paſſionem Redemptionem conſummavit, cùm vitam ſuam in noſtrum commodum diſpendere voluit. Tum ut pretium redemptionis humanæ non ſolùm eſſet infiniti valoris, ſed etiam eſſet ejuſdem generis, ut ſcilicet nos de morte per mortem redimeret. Tum ut mors Chriſti non ſolùm eſſet pretium redemptionis, ſed etiam exemplum

virturis, ut videlicèt veri Chriſti diſcipuli non timerent pro veritate mori. Tum ut mors Chriſti eſſet etiam Sacramentum ſalutis, quatenus virtute mortis Chriſti nos peccato, concupiſcentiis, proprioque affectui moreremur. 1. Petr. 3. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu.*

Prætetea Paſſio Chriſti cauſavit noſtram ſalutem per modum ſatisfactionis. Sed de hoc ſatis operosè ſuprà, dum de merito & ſatisfactione Chriſti diſputavimus, ubi monſtravimus ſatisfactionem Chriſti eſſe tantæ bonitatis, amabilitatis, dignitatis, & excellentiæ, ut malitia cujuſvis peccati, vel peccatorum multitudinis immensùm præſtet, juxta illud S. Thom. quæſt. 48. art. 2. *Ille propriè* (id eſt ſtrictè, rigorosè, & ad amuſſim) *ſatisfacit pro offenſa, qui exhibet offenſo id quod æquè, vel magis diligit, quàm oderit offenſam. Chriſtus autem ex charitate & obedientia patiendo, magis Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompenſatio totius offenſæ humani generis.* Idque conſonat Apoſtolo dicenti Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

Inſuper Paſſio Chriſti operata eſt per modum ſacrificii. Nam ſacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, ad eum placandum; unde ait Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 6. *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, ut charitate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter boni eſſe poſſimus.* Atqui Chriſtus ſeipſum obtulit in paſſione pro nobis ex magna charitate publicè & ſolenniter in holocauſtum pro peccatis humani generis: Ergo Paſſio Chriſti fuit verum ſacrificium, & valde conveniens; ut enim ait Auguſt. lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro iis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tam mundandis vitiis mortalium, quàm ſine contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in utero, & ex utero virginali? Et quid tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificii noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri?* Vide ſuperiùs dicta de Sacerdotio Chriſti.

Denique Paſſio Chriſti operata eſt ſalutem noſtram per modum redemptionis. Nam Paſſio Chriſti fuit quoddam pretium, quo liberati ſumus à triplici obligatione ſervitutis, quam contraximus per peccatum. Prima eſt captivitas peccati; nam *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, ut dicitur *Joan.* 8. Secunda eſt captivitas diaboli, cui homo conſentiens mancipatur, juxta illud 2. Petr. 2. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Tertia eſt captivitas pœnæ, cui homo reus manſit obligatus ſecundùm legem juſtitiæ divinæ; ad captivitatem quippe pertinet, quod homo patiatur quod non vult, ſicut liberi hominis eſt vivere prout vult. Atqui ab hac triplici ſervitute liberavit nos Paſſio Chriſti, non quidem opulentos pecuniarum theſauros, ſed pretioſum & incontaminatum ſanguinem fundendo, quo & peccata lavit, & caput draconis contrivit, & juſtitiæ Dei punitivæ ſatisfecit.

Jam ad ſpeculandam longitudinem cauſalitatis Paſſionis Chriſti conſiderandus eſt multiplex effectus illius. Primus eſt liberatio à peccato, quia Paſſio Chriſti eſt inſtrumentum omnis noſtræ juſtificationis, & ex ea fluxerunt Sacramenta deſtillantia medicinam ſalutarem pro peccatis. Tum quia per fidem Paſſionis inflammatur charitas, quâ conſequimur remiſſionem peccatorum; ei enim peccata multa dimiſſa ſunt, quæ dilexit multùm, ut dicitur *Luc.* 7.

Secundus effectus eſt depulſio diabolicæ tyrannidis, quia dum attentavit machinari in Chriſtum innocentem, meritò perdidit jus quod habebat in peccatores. Tum quia per paſſionem infunditur gratiæ lumen, quo eruimur à poteſtate tenebrarum, & miniſtrantur nobis auxilia, quibus adverſus colluctantes poteſtates dimicamus.

Tertius effectus eſt liberatio à pœna peccati, maximè originalis, directè quidem per exhibitam ſatisfactionem ſuperabundantem; indirectè verò per infuſionem gratiæ & charitatis, quâ tollitur etiam reatus pœnæ; non enim Paſſio Chriſti ſortitur effectum, niſi in illis quibus applicatur per fidem, charitatem, & Sacramenta. Hujus autem effectus ſignum eſt, quod baptizatis nulla pœnitentia ſatisfactoria imponitur, quia ſunt totaliter liberati per ſatisfactionem Chriſti, cui conſepulti ſunt per baptiſmum in mortem, ut dicitur *Rom.* 6. Peccantibus tamen poſt baptiſmum ſalutaris imponitur pœnitentia, quia *Chriſtus ſemel tantùm pro peccatis noſtris mortuus eſt*. ut dicitur 1. *Pet.* 3. Ideo homo non iterum baptizatur, ut configuretur morti Chriſti, ſed accedere debet ad Sacramentum Pœnitentiæ, quo conformatur Chriſto patienti, aliquid in ſeipſo pœnalitatis ſuſtinens; quæ tamen multò minor ſufficit, quàm eſſet condigna peccato, cooperante ſatisfactione Chriſti, cujus erimus cohæredes; ſi tamen compatimur, ut conglorificemur. Et tunc etiam non liberabit à pœnalitatibus toti naturæ lapſæ inflictis rebellione carnis, morte corporis, juxta illud Rom. 8. *Et ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Aliæ verò pœnæ temporales, quas Sancti in hac lacrymarum valle perpetiuntur, licèt non auferantur, ſed potiùs ſæpe augeantur ad agonem, & coronam; Paſſione tamen Chriſti ineffabiliter condiuntur, & veluti inunguntur ſacro illo cruore omnem amaritudinem temperante.

Quartus effectus eſt reconciliatio hominum ad Deum. Nam per Paſſionem ſublata eſt odii cauſa, nempe peccatum, quod diviſerat inter Deum & nos; oblatione enim ſacrificii immaculati, cujus effectus eſt Deum placare, condonantur injuriæ per obſequii tam accepti exhibitionem.

Quintus effectus eſt apertio januæ cœleſtis; nam *habemus fiduciam in introitum Sanctorum in ſanguine Chriſti.* Cùm enim per eum remittatur peccatum originale, quod eſt impedimentum generale præcludens omnibus aditum regni cœleſtis, & ideo ante Paſſionem Chriſti nullus intrare poterat; remittantur etiam in virtute ejus peccata actualia, quæ ſunt obſtacula prohibentia homines ab ingreſſu regni cœleſtis, in quod nihil inquinatum intrat, juxta illud Iſaiæ 35. *Via illa ſancta vocabitur, & non tranſibit per eam pollutus*; ideo per Paſſionem Chriſti aperta eſt nobis janua regni cœleſtis. Ultimus effectus eſt exaltatio Chriſti, ſed de eo dicemus poſtea.

REFLEXIO.

Omnes quidem virtutes in Paſſione Chriſti nitent, omnibus totius Sanctitatis gemmis quatuor cornua crucis ornantur, à dextris obedientia, à ſiniſtris patientia, in profundo radix virtutum humilitas, ſed ſuper omnia charitas eminet, quâ dilexit nos Chriſtus dulciter, ſapienter, fortiter. Dulciter, dum ſanguinem fudit; ſapienter, dum peccati morbum curavit; fortiter, dum mortem ſuſtinuit. Quid tibi eſt, ô bone Jeſu, exclamant Bernardus, & Anſelmus? quid feciſti innocentiſſime Salvator, ut ſic judicareris? Quid commiſiſti, ut tam viliter tractareris? Quod ſcelus tuum? Quæ noxa tua? Quæ cauſa mortis? Quæ occaſio damnationis? Mori nos debuimus, & tu ſolvis? Nos peccavimus, & tu luis? Nos tui ſumus cauſa doloris: nos tuæ culpa occiſionis: nos Paſſionis tuæ livor: nos cruciatus tui labor: nos tui cor-

poris

potis flagellum, tuæ vindictæ flagitium. Quin peccatum tuum amor eſt, noxa tua charitas eſt; nimis enim nos diligis, qui nos ſic diligis. Ergo diligendo peccas, ſed amore peccas. At *quid honeſtius culpâ benignitatis?* Paſſio tua opus eſt ſine exemplo, gratia ſine merito, ſed charitas ſine modo. Intueor opus, cerno modum, ſed allicior cauſa. In opere patientia, in modo humilitas, ſed in cauſa charitas: patientia ſingularis, humilitas admirabilis, ſed charitas inæſtimabilis: inæſtimabilis, inquam, ſed amabilis nimis. Talis enim amor, & tantus erga tantillos amor amorem omnioò noſtrum ſibi vendicat, devotionem blandiùs allicit, juſtiùs exigit, arctiùs ſtringit, afficit vehementiùs.

Et tamen cùm hæc ita ſint, talem amatorem redamare piget filios Adam ſuper adamantem duros, & adduratos, & obduratos, quos non emollit tanta flamma, tam ingens ardor amoris non liquefacit, nec reſolvit Agni immaculati ſanguis fuſus. Cerne, Lector, caput Angelicis tremendum ſpiritibus denſitate ſpinarum punctum, & compungaris. Cerne faciem præ filiis hominum ſpecioſam Judæorum ſputis detur patam, & peccatorum tuorum majores ſordes deplora. Cerne oculos lucidiores ſole in morte caligantes, & oculorum tuorum lacrymas funde. Cerne aures Angelicis melodiis natas obſtrepentium hoſtium rugitibus tumultuariis obtuſas, & divinæ vocis ſuſurro auditum præbe. Cerne pedes, quorum ſcabellum adoratur, cruci clavo affixos, manus cœlorum formatrices in ligno extenſas, & viam curre mandatorum, ac quæcumque potuerint manus tuæ, inſtanter operare. Cerne linguam, quæ ſola manſit libera, ut pro te oraret, & non ama, ſi potes, dum vides Chriſtum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, clavis confoſſum, patibulo affixum, opprobriis ſaturatum omnium dolorum oblviſci, non recordari quàm fortiter indigna, quàm ſuaviter aſpera & dura verba, duriora verbera, duriſſima ſupplicia pertulerit; non videra hinc miſerias corporis, hinc dolores cordis, hinc guttas & undas ſanguinis decurrentis in terram; ſed horum omnium immemorem pro te orare, pro te cauſam dicere: *Ignoſce illis.* Cerne tandem & ſi præ lacrymis non potes, affer digitum tuum huc: mitte manum tuam in locum clavorum, & noli eſſe inſenſibilis, ſed amans. Continge, continge viſcera Chriſti, quæ ut ait Bernard. *Miſericordiâ affluunt, nec deſunt foramina per quæ defluant. Patet enim arcanum cordis per foramina corporis, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.*

Speculatio III.

Proſequutio ejuſdem materiei: Sublimitas, & profundum Paſſionis Chriſti exponuntur.

Duæ adhuc explicandæ ſuperſunt dimenſiones divini operis redemptionis, ſublimitas ſcilicer ſubjecti patientis, & profunditas generis mortis, quæ eſt cauſa formalis hujus myſterii.

Sublimitas autem ſubjecti patet ex eo, quod cùm in Chriſto ſit unica perſona, & hypoſtaſis, verè dicitur Filius Dei ratione naturæ humanæ paſſus, crucifixus, mortuus, ut patet ex dictis ſuprà *diſſert. 3. cap. 1.* ubi de communicatione idiomatum. Quis ad tantam attonitus non obſtupeſcit ſublimitatem omni admiratione majorem? Itàne Deo parum viſum eſt propriis Divinitatis juribus, gloriâ, & honore ſeſe evacuare, niſi hanc vacuitatem opprobriis, doloribus, morte cumularet? *Non ſimplex, aut modica illa exinanitio fuit* (inquit Bern. ſerm. 11. in Cant.) *ſed ſemetipſum exinanivit uſque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis dignè penſet quanta fuerit humilitatis, manſuetudinis, dignationis Dominum majeſtatis carne inſtrui, multari morte, turpari cruce?* Hominem mortalem mori durum quidem eſt, ſed humanum; terribile, ſed neceſſarium. At Deum per incarnationem poſſe pati, poſſe crucifigi, poſſe mori, quis caperet, quis crederet, quis ante fidem ſuſpicaretur? Et tamen hoc fecit divinus amor dignitatis neſcius, dignatione dives, triumphans de Deo. *Quæ eſt prima miſericordia?* (inquit Auguſtin. tract. 36. in Joan. *Creator hominis homo eſſe dignatus eſt. Quid huic miſericordiæ addi poteſt? Et tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri, ſed voluit etiam ab hominibus reprobari, & exhonorari: Parum erat exhonorari, & occidi voluit; ſed & hoc parum eſt, morte crucis.*

Sed quod auget admirationem, ipſe Chriſtus poſuit animam ſuam, ut dicitur *Joan. 10.* Et ut ait Paulus Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum.* Et Gal. 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Licèt enim perſequutores fuerint cauſa directa mortis ipſius, inferentes ei manus violentas cum intentione occidendi, & effectu ſubſequuto; tamen Chriſtus fuit cauſa Paſſionis & mortis indirectè, quia poterat Paſſionem & mortem ſuam impedire, vel adverſarios reprimendo, vel corpus ſuum ab omni læſione divinitus præſervando. Unde ait Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Spiritus Chriſti non deſeruit carnem invitus, ſed quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit.* Et Magnus Leo ſerm. 19. *Ita Dominus uſus eſt malitia Judæorum, ut de intentione facinoris, voluntas ſit impleta miſerentis.* Et hujus ſignum eſt, quod Chriſtus ut oſtenderet quod Paſſio illa à ſe invito animam non tollebat, vigorem corporis in ſua fortitudine conſervavit, ut etiam in extremis poſitus voce magna clamarit. Quod videns miranſque Centurio ajebat: *Verè hic homo Filius Dei erat,* ut dicitur *Marc. 15.* Cujus ergo vel ſaxeum pectus tanta & talis, à tanto & tali ſuſcepta mors non emolliat? *Luce clariùs patet* (inquit Bern. ſerm. 11. in Cant.) *quantum modò pro te, ô homo, diſpendium fecit, de Domino ſervus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Filio hominis filius fieri non deſpicit. Memento jam te, etſi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia, & per totos triginta annos operatus eſt ſalutẽ tuam in medio terræ. O quantum laboravit ſuſtinens carnis neceſſitates, hoſtis tentationes! Nonne ſibi crucis flagravit ignominia, quam mortis cumulavit horrore?*

Dices: Ipſe Pater tradidit Chriſtum paſſioni, juxta illud Rom. 8. *Proprio filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis tradidit illum.* Sed aliquis non traditur à ſeipſo, & ab alio: Ergo Chriſtus non tradidit ſemetipſum morti.

Reſpondeo nullam eſſe contrarietatem in hoc quod Pater tradiderit Chriſtum, & Chriſtus tradiderit ſemetipſum. Quia eatenus Pater tradidit filium, vel quatenus æternâ ſuâ voluntate præordinavit Paſſionem Chriſti ad humani generis liberationem, & hoc modo Chriſtus ut Deus tradidit ſemetipſum eadem voluntate & actione, quâ Pater, cùm ſit eadem utrique voluntas: vel quatenus Pater inſpiravit Chriſto voluntatem patiendi pro nobis, & huic inſpirationi ultrò & liberè conſenſit Salvator: vel quatenus Pater Chriſtum non ſuſcepit adverſùs quoſvis tutandum, ſed potiùs eum perſequentium furori permiſit, & huic etiam diſpoſitioni libentiſſimè Chriſtus obſequutus eſt.

Inſtabis: Iniquum, crudele, & contra jus naturæ eſt, ut innocens ſeipſum morti, & quidem truculentiſſimæ tradat, & ideo execrationi eſt Judas, vituperantur Judæi, accuſatur Pilatus, quòd Chriſtum morti tradiderint: Ergo Chriſtus nec à ſe, nec à Patre morti traditus eſt.

Reſpondeo iniquum & crudele eſſe cogere inno-

 cen-

nocentem invitum ad mortem: Pater autem non coëgit Chriſtum, ſed ei libertimam patiendi voluntatem inſpiravit, ut pro toto genere humano, cujus Chriſtus erat individuũ, ſatisfaceret, & bono communi, pro quo glorioſè & honorificè ſeſe pars exponit, provideret. Unde Paſſio Chriſti licet prout intentata à perſequutoribus eſſet graviſſimum peccatum, & omnium poſſibilium peccatorum atrociſſimum; tamen inquantum oblatio ſacrificii Chriſti erat operum omnium acceptiſſimum. Eadem namque actio diverſimodè vel bona, vel mala judicanda eſt, ſecundùm quod ex diverſa radice procedit. Pater autem tradidit Chriſtum, & ex zelo juſtitiæ, quæ peccatum ſine pœna non dimittit, & ex abundantia bonitatis in hoc, quod cùm homo ſufficienter ſatisfacere non poſſit, ei vadem, & adæquatum ſatisfactorem dedit. Chriſtus verò ex mera charitatis dignatione ſeipſum tradidit, Judas autem tradidit ipſum ex cupiditate, Judæi ex invidia, & Pilatus ex timore mundano diſplicendi Cæſari, relinquens judicium proprium, ut in crimen tranſiret alienum.

Inſtites: Fundatur noſtra doctrina in illis verbis, *Ego pono animam meam*; quæ tamen patiuntur difficultatem. Nam in Chriſto ſunt tria, Verbum, anima, & caro: Sed Chriſtus non poſuit animam ut Verbum, aliàs anima eſſet à Verbo ſeparata; non poſuit etiam ut anima, aliàs anima ſepararetur à ſeipſa: non poſuit etiam ut corpus, quod non agit in animam.

Reſpondeo primò cum Auguſt. *tract.* 74 *in Ioan.* carnem animam ſuam poſuiſſe, & iterum eam ſumpſiſſe, non poteſtate ſua, ſed Verbi inhabitantis carnem, & permittentis carnem ab anima ſeparari. Secundò Chriſtus poſuit animam ratione ſuæ voluntatis, cui ſeparatio illa ſubdebatur. Tertiò anima poſuit ſeipſam, non ipſam à ſeipſa ſeparando, ſed auferendo animationem ſui à corpore. Quartò Chriſtus poſuit animam, id eſt, vitam, eo ſenſu quo dicit Veritas: *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.*

Denique profunditas operis Incarnationis apparet ex cauſa formali paſſionis & mortis Chriſti, quæ tanta eſt, ut profundiùs deſcendere non potuit divina ſublimitas; nam per eam non ſolùm ſuppoſitum divinum obſcuratum, exinanitum, evacuatum, exhauſtum, & omnibus ſplendoribus Sanctorum, in quibus fuerat in utero ante Luciferum genitum, orbatum; ſed etiam omnis motus voluntatis humanæ contritus & extinctus eſt: ad duo enim tendit humanus appetitus, ad vitam nimirum, & honorem Chriſtus autem & mortuus eſt, & morte turpiſſima condemnatus.

Porrò circa mortem Chriſti conſiderandum eſt primò, conveniens fuiſſe Chriſtum mori: tum ad ſatisfaciendum pro genere humano morti condemnato; eſt enim conveniens ſatisfactionis pro alio modus, dum aliquis ſe ſubjicit pœnæ, quam alius meruit. Tum ut aſſumptæ naturæ oſtenderet veritatem, morte ſua comprobans corpus non eſſe phantaſma. Tum ut diſcipulos & ſectatores in periculis intrepidos redderet, atq; à mortis timore liberaret, ut dicitur *Hebr.* 2. Tum ut ſpiritaliter moriandi, & carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis mortificandi præberet exemplum. Tum ut per mortem reſurrectioni locum daret, quâ & virtutem ſuam oſtenderet, & ſpem reſurrectionis noſtræ confirmaret; ſicque mors ejus fuit fons vitæ dum ſua morte noſtram deſtruxit, & cunctas Sanctorum animas vivificavit. *Crux tua* (inquit Magnus Leo ſerm. de paſſ.) *omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Dices: Si Chriſtus mortuus eſt, ſeparata eſt anima à corpore vel ſolâ Chriſti voluntate, vel vi vulnerum & dolorum. Si ſola voluntate: ergo ſibi ipſi manus intulit Chriſtus, proindéque ſuicida fuit. Si vi vulnerum: ergo falſum eſt illud Joan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Præſertim quia cùm quis plagarum impetu, & dolorum immanitate exſpirat, ille & virium deliquium, & extremam membrorum debilitatem patitur: Chriſtus autem vigorem corporis magnæ vocis clamore paulò ante quàm exſpiraret, ſignificavit: Ergo Chriſtus convenienter mortuus non eſt.

Reſpondeo Chriſtum mortuum fuiſſe & efficaciâ ſupplicii, & propriâ voluntate; quia cùm poſſet virtus ejus præſervare carnem, ne à quocumque læſivo inflicto opprimeretur, ut fortitudine vocis oſtendit; permiſit tamen, ut caro illato nocumento ſuccumberet, & ſic vulneribus & propriâ voluntate vitam finivit: nec propterea ſuicida fuit, quia ad impediendam mortem minimè tenebatur, ſed potiùs ad eam pro ſalute humana permittendam, & paterno præcepto aſtringebatur, & immenſa charitate ſua permovebatur. Unde ſequitur mortem Chriſti fuiſſe ſimul violentam, naturalem, & liberam ſub diverſa ratione. Fuit violenta, quia principium ejus fuit extrinſecum, paſſo non conferente vim, ſed reſiſtente, nempe cruciamentorum & torturarum carnificina: fuit verò naturalis, non miraculoſa, quia ſuppoſitis & introductis illis nocivis diſpoſitionibus, mors naturaliter ſubſequuta eſt, parte ſuperiore permittente inferiori agere & pati quæ propria. Fuit demùm libera, quia poteſtatem habebat ponendi, vel conſervandi animam ſuam, non minùs quàm habitator manendi in domo, vel exeundi ab ea liberâ gaudet facultate, quæ eſt comparatio D. Thomæ *quodlib.* 1, *art.* 5. conformiter planè ad doctrinam Patrum uno ore dicentium, Chriſtum *ſponte ſpiritum dimiſiſſe, ſua poteſtate exſpiraſſe*, ut loquuntur Cyprian. *lib. de idol. vanit.* & Chryſoſtom. *homil.* 89, *in Matthæum*, aliique non pauci.

Conſiderandum ſecundò profunditatem humiliationis Chriſti per mortem ejus apparere ex eo quod ſuppoſitum divinum manſerit unitum cadaveri, unde vera erat iſta propoſitio, *Cadaver eſt Deus.* Inferiùs non potuit deſcendere abyſſus humilitatis ejus. Ratio verò, cur manſerit Verbum unitum carni mortuæ, eſt quia dona Dei ſunt ſine pœnitentia, nec unquam revocat Deus abſque culpa, quod ſemel per gratiam largitus eſt: Sed in Chriſto nullum fuit, nec potuit eſſe peccatum: Ergo ſicut caro Chriſti ante mortem unita erat hypoſtaſi filii Dei, ita poſt mortem ei unita remanſit, juxta illud tritum Damaſceni proloquium: *Verbum quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Nec propterea corpus vivificabatur à Verbo, quia Verbum, tametſi ſit fons vitæ, non vivificat formaliter, ſed tantùm effectivè, cùm nequeat eſſe forma corporis, ſicut anima, quâ informante corpus fit formaliter vivum, eâ verò abeunte, remanente etiam Verbo, fit formaliter mortuum. Imò erroneum pronuntiat S. Thomas dicere, Chriſtum in triduo mortis manſiſſe animal, vel hominem; quia hoc deſtruit veritatem mortis Chriſti, quæ eſt articulus Catholicæ fidei. Nota tamen, cadaver non ex primaria intentione, per ſe & propter ſe aſſumptum fuiſſe à Verbo, ſed conſequenter ad aſſumptionem naturæ mortalis de facto morituræ, & poſt triduum reſurrecturæ: unde cadaverica natura fuit aſſumpta veluti in via ad vitam immortalem poſt expletum Chriſti agonem, & ſalutis humanæ ſacramentum inchoandum.

Quæres, utrum fuerit idem numero corpus Chriſti viventis & mortui?

Reſpondeo cum Magiſtro noſtro Angelico, non

fuiſ-

fuiſſe corpus mortuum idem totaliter cum vivo, propter diverſitatem formæ ſubſtantialis, quæ erat in utroque: Etenim corpus vivum informabatur anima rationali, mortuum vero forma cadaverica. Nihilominus erat idem corpus ſimpliciter & abſolutè: tum quia erat idem utriuſque ſuppoſitum divinum, quod nunquam receſſit. Tum quia erat eadem materiæ portio cum relatione ad eandem animam poſt triduum reſtituendam. Tum quia erat eadem quantitas & figura, ſi non numero, propter reſolutionem uſque ad materiam primam, ſaltem ſpecie. Hinc eam corporis identitatem ſimpliciter, & ſine addito Scripturarum & Patrum oracula affirmant. Matth. 27. *acceſſit* (Joſeph) *ad Pilatum, & petiit corpus IESV.* Athanaſ. *epiſtol. ad Liber.* aſſeverat, idem fuiſſe corpus, eandamque carnem, quæ paſſa, quæ patibulo crucis affixa, quæ mortua, quæve glorioſa reſurrectione vitæ reſtitura fuit. Et eleganter Magnus Leo ſerm. 1. Aſcenſ. *Ad ſananda infidelium cordium vulnera, clavorum & lanceæ erant ſervata veſtigia, ut non dubiâ fide, ſed conſtantiſſimâ ſcientiâ teneretur, eam naturam in Dei Patris conſeſſuram throno, quæ jacuerat in ſepulchro.* Idem luculenter atteſtantur Primores Eccleſiæ Patres, à quorum textibus paſſim obviis referendis ſuperſedeo. Metaphyſicas quaſdam ſpinas, quibus Theologi nonnulli de pluralitate formarum, de forma corporeitatis, de ſigillatione materiæ hanc pientiſſimam materiam implicant, lubens prætereo: conſiderantı enim ſpinas Salvatoris, importuni ſunt ſpinoſi Theologaſtrorum eculei ad Philoſophiam relegandi.

Reflexio.

Tot pœnæ mala paſſus eſt talis & tantus: Ergo ſi remoto opinionum velo res inſpiciantur, pœna non mala, ſed bona eſt. Quidni dicemus bonum, quod tantopere utile eſt? Utile enim ita illabitur, ita ſe inſinuat in animos, ut blanda quadam vi vincat non invitos; irrepat potiùs quàm irrumpat; ſuadeat, non cogat; & tam facilè duci nos ab utilitate patiamur, quàm à neceſſitate trahi. At quid pœnâ utilius, quæ ſalutem noſtram cum innumeris fructibus noſtris, commodiſque conjunctam æterna ſapientia mercata eſt? Quomodo mala pœn.? imò potiùs bona, quæ à bono procedens tot bona contulit, majora collatura. Origo cladium à Deo Patre eſt, & in Filium Chriſtum profluxit. At quomodo à ſummo bono, bonorum omnium auctore, capite, fonte malum profluet, cùm ab arbore bona non poſſit fructus malus proſilire? Non minùs repugnat ſummo bono malum facere, quàm eſſe. Illi tantùm ſalutaris & benefica vis ineſt. Nulla ei benefaciendi cauſa, quàm natura. Erras, ſi putas illum nocere velle, vel poſſe: nec accipere injuriam quit, nec facere. Erras iterum ſi exaſperari eum putas, aut iraſci, ut noxia quædam ſpargat tela in humanum genus. Ira, vindicta, ultio, furor humanorum affectuum in imbecillos tantùm cadentium nomenclaturæ ſunt, non attributa Deitatis. Altè & verè Seneca: *Primus Dei cultus Deum credere, deinde reddere illi majeſtatem ſuam, reddere bonitatem ſuam, ſine qua nulla majeſtas eſt.* Ergo bona eſt pœna, quam æterna immittit benignitas velut medicamentum ſenſu carni triſte, te ſalubre, & paſſione Chriſti ſuave.

Quomodo non bona & amanda pœna, cujus bonus ſemper eſt exitus, & ad bonum finem directus? Habere quidem pœnam amarores ſuos, & ſordium admixtum aliquid, non negaverim, quatenus per impurum hominum derivatur canalem; at pura eſt, & liquida, ſi è puriſſimo paſſionis Chriſti fonte, ſi è vulneribus Salvatoris hauriatur. Dum ergo premeris [premendum enim te ſcias, ſi piè vivere in Chriſto velis,] ne lictoris reſpicias manum, ſed arbitrium reſpice jubentis Dei, qui proprio filio non pepercit, *qui meliùs judicavit de malis bona facere* (inquit Auguſtinus) *quàm mala nulla permittere*; qui è malo bonum elicier, & quæ moliuntur hoſtes in perniciem, vertet in ſalutem; qui Medicorum more theriacæ ſuæ viperam admiſcet, eâ ſalubriùs profuturam; qui infinitæ charitatis ſuæ igne malorum omnium virus decoquit, & abſumit; qui pœnarum vim & acorem, dum fel & acetum bibit, fregit aut temperavit; qui omnes tandem clades ad bonum perdocit exitum, tametſi cæca mens non videat, aut tarda non pertingit. Ut enim alicubi elegans Lipſius annotavit: *Latent nos ſæpe veri cladium fines, ad quos tamen, ignaris nobis, pervenient: non aliter quàm fluvii quidam, quærepti oculis, & ſub terram reconditi, feruntur, nihilominus ad ſuum mare.*

Si ipſa innocentia Chriſtus tot pœnarum flagella ſuſtinuit, planè neceſſaria eſt peccatoribus pœna, quæ pædagogi vice fungens eos in officio contineat, & peccata vindicet, & effrenem peccandi licentiam intercludat, & de vulnere corporis eliciat animæ ſanitatem. Si dolorem corporis appetendum ſufferendumque ſibi Salvator putavit, quis ſapienter evitat? Si infirmitatibus ſuis gloriabatur crucis diſcipulus Paulus, quis rationabiliter carne fortis eſſe præſumit? Prorſus neceſſaria eſt infirmitas preſſurarum & tentationum Crucifixi adoratoribus, ut cognoſcant in profectu quid acceperint, in defectu quid ſint, & ſic ſubtiliſſima *interni judicii moderatione* (inquit Greg. Magn. lib. 9. Moral. cap. 6.) *infra ſumma, & ſuper infima in quodam medio anima libretur*, ut caro tribulationis ſale aſperſa à peccatorum putredine liberetur; niſi enim aſſiduis quodammodo tentationibus ſaliatur, continuò defluit, reſolvitur, relaxatur, ut hoſtes vincamus in pœnis, à quibus ſemper vincimur in deliciis. Quia ut præclarè obſervavit pluribus locis Auguſtinus, *Adam victus eſt in Paradiſo, Iob fuit in ſtercore victor: ibi victus eſt à diabolo per mulierem, hic vicit diabolum & mulierem. Quidquid ergo proſperum venit, Fratres, magis metuendum eſt.* O mentes Epicureorum hujus ſæculi Chriſtianorum amentes! Quis eſt hic tantus libidinum veſtrarum non error, ſed furor, ut tribulationem ſummum malum arbitremini? Voluit vos Dux veſter & Legifer veſter Chriſtus tot preſſurarum exemplo terrere ſuo, ne in luxuriam fluerens: vos nec contriti minis, nec illecti promiſſis, nec permoti exemplis, nec à libidine temperatis nec voluptatem, cui litatis, inter totæ ærumnas invenitis. Heu vos miſeros, qui nec calamitatem fugere poteſtis, & calamitatis utilitatem perditis!

CAPUT II.

Circumſtantiæ, & fructus Paſſionis, & Mortis Redemptoris.

De *dilecto nunquam ſatis.* Objectum dilectionis Chriſtianorum eſt Chriſtus Crucifixus, de eo deberemus ſemper loqui, & continuò cogitare juxta illud Apoſtolicum vel præceptum, vel conſilium: *Recogitate eum qui talem adversùs ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem.* Quia in hac materia *non poteſt deficere quod dicatur, dum nunquam poteſt ſatis eſſe quod dicitur. Quid inter opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis noſtræ & oblectat, & ſuperat, ſicut Paſſio Salvatoris?* ait S. Leo *ſerm.* 11. Præcipuè verò circumſtantias ejus frequenter meditari, & ex eis velut faſciculum pietatis texere expedit. Sic ſolebat Bernardus, ſicut ipſe teſtatur exponens illud Canticorum, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi*; ait

enim

enim: *Et ego, Fratres ab ineunte mea converſione pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum ex omnibus amaritudinibus, & anxietatibus Domini mei colligere, & inter ubera mea collocare curavi.* Porrò circumſtantiæ aliæ ſunt concomitantes, aliæ ſubſequentes, ad quas reducuntur fructus Paſſionis Salvatoris. De ſingulis ſigillatim ſermonem habebimus.

Speculatio I.

Septem circumſtantiæ concomitantes Paſſionem Chriſti ponderantur.

Circumſtantiæ ſunt quædam accidentia actuum humanorum conſideratorum in eſſe moris, ex quarum concurſu non parum augetur vel minuitur operis dignitudo, & hoc vulgari verſu comprehenduntur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo quando*, Singulas Paſſioni Chriſti applicemus.

Quis patitur? Homo-Deus, ut ſatis ſuperque ſpeculati ſumus, conſiderantes ſublimitatis dimenſionem. Patitur ſanctitas & innocentia ipſa; & quod magis mirum, nec minùs verum eſt, patitur Beatus. Sed quomodo beatus, ſi patitur? Quomodo paſſionis dolorem non extinguit beatitudo? Et tamen inaudito miraculo in Chriſto ſicut Divinitas & humanitas, ita felicitas & miſeria obviaverunt ſibi, oſculatæ ſunt, ſociatæ ſunt. Intellectus enim Chriſti ab inſtanti conceptionis Deum clarè & intuitivè videbat, eoque viſo voluntas amans fruebatur: & quia dona Dei ſunt ſine pœnitentia, utique viſione, & fruitione (in quibus eſſentia & complementum beatitudinis conſiſtit) nunquam caruit: Ergo inter medios angores & agones Chriſtus beatus erat.

Quomodo autem beatum gaudium cum triſtitia, & tanta triſtitia, quæ foret uſque ad mortem, copulari, & veluti ferruminari potuerint, varii variè explicare conati ſunt. In primis Doctiſſimus Melchior Cano *lib. 12. de locis, cap. 14.* prætermiſſa communi ſolutione aſſerente in parte ſuperiori animæ cumulatam viguiſſe lætitiam, ablegatâ in partem inferiorem omni triſtitiâ, ſicque ſimul & ſemel ſummum gaudium, ſummamque triſtitiam ſecundùm diverſas partes, quod non repugnat, coïviſſe: novam deinde ſolutionem ſui ingenii (quod erat fœcundiſſimum, & juxtà poriſſimum) partum exponit, aſſerens quod ſicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quaſi premabat, ne in corpus efflueret; ſic in cruce continuit gaudium ſuapte natura ex clara Dei notitia proditurum. Licèt enim gaudium ex Deo viſo naturaliter naſcatur, non ſecus atque ex ſole lumen, & ex igne calor; tamen ſicut aliquando ſol radios retraxit ſuos, & ne calefaceret præpeditus eſt ignis; ita nihil mirum ſi in hominum redemptione Chriſti doloribus explenda gaudium omne repreſſum eſt. Nec obſtat, inquit, quod beatitudinem Benedictus XII. definivit in viſione & fruitione conſiſtere? Chriſtus autem beatus fuit. Nam præterquam quod Pontifex de beatitudine Patriæ loquebatur, præter quod agebat de beatitudine conſummata, & dici poſſet Chriſtum habuiſſe quidem tunc eſſentiam beatitudinis, non tamen conſommationem, quia potiùs, teſte Apoſtolo, decebat eum per patientiam conſummari, addit fruitionem ſine gaudio intelligi poſſe; fruitur enim arboris ſuæ fructibus tunc etiam homo, cùm per morbum nullam voluptatem capit ex eis: ita Chriſtus Deo viſo fruebatur, ſed derelictus, & omni penitus ſolatio deſtitutus non gaudebat, ut miris omninò modis & charitatem in nos ſuam commendaret, & exempla præberet. Additque pientiſſimus Theologus, ſibi ideo ſingularem illum dicendi modum arriſiſſe, quod majores in nobis igniculos excitet, tum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis.

Sic ſentit eruditè & piè graviſſimus Theologus, acumine ingenii, felicitate & copia argumentorum nulli ſecundus, elegantiâ verò & eloquentiæ lepore Scholaſticorum omnium (abſit verbo invidia) facilè princeps. Verùm quia S. Thomas conſtanter affirmat gaudium fruitionis perſeveraſſe ſemper in Chriſto, non obſtante extremo dolore, ideo aliter explicanda eſt hæc difficultas ex eodem Angelico, qui pluribus locis eam verſat, ſed eam divinè elucidat *in 3. diſt. 14. quæſt. 2. art. 3. quæſt. 2. ad 5. & q. 26. de verit. art. 10. ad 9* Cujus doctrinæ ſuccus hic eſt: Certum eſt gaudium & triſtitiam eſſe animæ affectiones diſcrepantes & contrarias, præſertim in ſummo gradu; verùm quando contraria non ſunt eidem ſubjecto ſecundùm idem, ſed in diverſis potentiis, vel in eadem ſecundùm diverſas operationes, vel de diverſis objectis, tunc nihil prohibet illa in eodem ſuppoſito convenire, præſertim ſi unum conveniat per ſe, & aliud per accidens: ſicut cùm aliquis in navi deambulans fertur in contrarium ejus ad quod navis movetur; ita in anima Chriſti erat gaudium per ſe, quia per actum proprium, dolor verò per accidens, quia per corporis paſſionem. Maximè quia tunc dolor ſenſibilis nullo modo gaudium fruitionis impedit, quando ipſemet ingreditur materiam gaudii: dolor autem Chriſti erat materia gaudii fruitionis, in quantum gaudium illud ſe extendebat ad omnia illa, quæ apprehendebat Chriſtus ut Deo placita, ſicut accidit in pœnitente, qui dolet; & de dolore gaudet.

Ratio verò à priori horum omnium eſt, quia omnis triſtitia ſecundùm Philoſophum *7. Ethic.* impedit delectationem per quandam redundantiam, quatenus nocumentum unius potentiæ in aliam profluit. Talis autem redundantia non fuit in Chriſto, niſi quando ipſe volebat; unde gaudium ſuperioris partis non derivabatur in inferiorem, ut ab ea dolor & triſtitia tollerentur, nec ſubinde in corpus diffundebatur; ſed nec è converſo ſuperior pars animæ impediebatur dolore inferioris, cujus impetus in ſuperiorem Deo cohibente non irruebat.

Quamvis autem hæc ita explicari poſſint, fatendum tamen eſt, illud doloris gaudiique connubium ineffabile prorſus, & continuum in Chriſto miraculum extitiſſe, quod in admirationem rapit attentos. *Videas, ſi attendas* (inquit S. Bernard. *ſerm. 2. ſuper* Miſſus eſt) *contriſtari lætitiam, pavere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari.* Triplicem unionem virginitatis cum fœcunditate in Deipara, fidei cum intellectu in Chriſtiano, & Perſonæ Divinæ cum natura humana in Chriſto miratur, & jure miratur idem Pater Mellifluus. *Admirabiles*, inquit, *ſunt iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diverſa, tamque diviſa ab invicem potuerunt conjungi.* Sed hanc triplicem unionem immensùm ferè excedit prodigium charitatis Chriſti, quod contemplamur. Quid enim ſuſpiciendum magis portento illo vincente quodvis miraculum, quo gaudia comprehenſoris calamitatibus viatoris univit, ut pro nobis pati poſſet. Tanti eſt paſſione demonſtrare amorem in nos ſuum, ut oportuerit vel ſuſpendere, vel dividere gaudium ſuum! Hoc ſtupendum quidem: unum tamen eſt, quod magis mirari ſubit, hujus ſcilicet ævi (ſi ſuperis placet) Chriſtianos, qui corporearum delectationum fluxibus dediti, & volutabris immerſi porcorum, unam crucem veluti ſummum malum refugiunt, cui ſecundùm graves Theologos gaudium felicitatis Salvator propoſuit? Quid portentoſum, vel monſtruoſum magis eſſe poteſt, quàm membra delicata ſub capite ſpinis redimito vegetari?

Quid

Quid patitur? Vel potiùs, quid non patitur Chriſtus? Omne genus paſſionum humanarum, ut docet S.Doctor *quæſt.46 art.5* Quod quidem conſiderari primùm poteſt ex parte hominum, à quibus paſſus eſt; paſſus eſt enim & à Gentilibus, & à Judæis, & à maſculis, & à fœminis accuſantibus Petrum; & à Principibus, & à miniſtris; & à Judicibus, & à tortoribus; & à Regibus, & à populo; & à Pontificibus, & à Phariſæis; & ab extraneis, & à domeſticis, ut Juda, & Petro Unde impletum eſt illud Pſ.2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſùm Chriſtum ejus.*

Rurſum paſſus eſt in omnibus, in quibus poteſt homo pati; in amicitia, deſertus ab amicis; in honore, ſaturatus opprobriis, irriſionibus, contumeliis; in fama, traductus per blaſphemias; in rebus, veſtibus ſpoliatus; in anima, confectus triſtitia, tædio, & timore; in corpore, flagellis contuſus, vulneribus excarnificatus.

Tandem in omnibus corporis membris paſſus eſt, in capite ſpinarum aculeos, in fronte ſudorem, in oculis ſputa, lacrymas, & intuitum Matris, & Diſcipuli dilecti; in facie alapas, in auribus ſtrepitus; in naribus fœtorem cadaverum mortuorum Calvariæ; in ore fel & acetum, in humeris pondus crucis, in pectore anhelitus oppreſſionem, in manibus & pedibus clavorum fixionem, in toto corpore verbera, flagellationem, ſuſpenſionem. Unde ſicut Chriſtus ſuper omnes alios in donis ſublimatus eſt, & omnibus gratiis cumulatus; ita infra omnes alios per ignominiam paſſionis dejectus eſt, doloribus omnibus oppletus, unde in perſona ejus dicitur Pſalm.87. *Repleta eſt in malis anima mea.* Imò dolores inferni circumdederunt ipſum, & vita ejus inferno appropinquavit; quia in corde vermis non morituri triſtitiam ſenſit, dum in agonia poſitus cœpit pavere, tædere, & mœſtus eſſe; in corpore pœnam ſenſus, dum ſupra dorſum ejus fabricaverunt; vel ut alii legunt, araverunt peccatores, expertus eſt: pœnam denique damni guſtavit, dum ut loquitur Ambroſius, ſequeſtrata delectatione divinæ æternitatis, & in partem ſuperiorem relegata, pars inferior relinquitur deſolata.

Vbi paſſus eſt? In civitate Jeroſolymitana, & quidem propter varias rationes. Tum ut ſicut in illa figuralia mortis Chriſti Sacrificia offerebantur; ſic verum etiam Paſſionis & Mortis Redemptoris ſacrificium conſummaretur, ut veritas figuræ reſponderet. *Huic enim Sacramento*, ait Magnus Leo ſerm.3. *univerſa præcedentium ſæculorum myſteria ſervierunt; & quidquid hoſtiarum differentiis in propheticis ſignis & legalibus inſtitutis ſacra diſpenſatione variatum eſt, hoc prænuntiavit diſpoſitum, hoc promiſſi impleudum.* Tum ut deſignaretur Paſſionis Chriſti plenitudo, quæ ſicut erat per totum mundum diffundenda, ita erat in medio terræ habitabilis ſubeunda, juxta illud Pſal. 73. *Deus autem Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ*, id eſt Jeruſalem, quæ dicitur umbilicus terræ tunc temporis notæ & habitabilis. Nam, ut ait Hieronymus in illum locum Pſalmi, *Ieruſalem à parte Orientis cingitur Aſiâ, à partibus Occidentis Europâ, à Meridie Libyâ & Africâ, à Septentrione Scythiâ & Armeniâ atque Perſide, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium poſita eſt.* Unde Beda *lib.3. de Locis Sanct.* refert hos verſus Victorini Pictavienſis:

Eſt locus ex omni medium quem credimus orbe:
Golgota Iudæi patrio cognomine dicunt.

Tum ut oſtenderet à Principibus populi Judaïci coeptam eſſe iniquitatem occidentium ipſum, & ideo Jeroſolymis voluit pati, quia ibi principes morabantur. Unde dicitur Act.4. *Convenerunt in iſta civitate adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſraël.* Et *Luc.13.* dicitur: *Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem.* Tanta enim erat illius civitatis iniquitas, ut ſcelus occiſionis Prophetarum aliis non permitteret, ſed ipſa omnes occideret, ut Cajetanus exponit.

Sed potiſſimùm ea in civitate paſſus eſt Chriſtus; ut paſſionis & tolerantiæ cumulo nihil deeſſet: & ſicut turpiſſimum indigniſſimæ mortis genus elegit; ita ad humiliationis *conſummationem in loco tam celebri, in civitate tam populoſa, & tempore illo hoſpitibus referiſſima, ipſa meridie confuſionem tantam pati non recuſavit. Hanc etiam circumſtantiam non parum exaggerat ſpecialis locus ſupplicii, nempe mons Calvariæ extra portam civitatis exiſtens, cujus plures ſunt rationes myſticæ. Tum quia vitulus & hircus ſolenniſſimo ſacrificio ad expiationem totius multitudinis oblati, extra caſtra comburebantur, ut patet *Levit.16. & Hebr.13.* Tum ut ſignificaretur eos, qui volunt Paſſionis Chriſti eſſe participes, debere à mundana converſatione exire. Tum ne crederetur ſacrificium pro illa tantum plebe oblatum; ſed ut ſcias (ait Chryſoſtom.) *ſacrificium eſſe commune, quod totius terræ eſt oblatio, quod communis eſt purificatio.* Cui ſuccinit Magnus Leo ſerm 8. *Foris & extra caſtra crucifixus eſt, ut veterum victimarum ceſſante myſterio, nova hoſtia novo imponeretur altari, & Crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi.* Sed etiam in monte tam aſpectabiliter paſſus eſt ad totius infamiæ complementum.

Quibus auxiliis, id eſt, quibus cauſis & inſtrumentis paſſus eſt? Suprà expoſuimus quomodo Chriſtus & Pater æternus ſint cauſa Paſſionis Chriſti: jam duo inſtrumenta ſuperſunt explicanda, activum ſcilicet, & paſſivum. Activum ſunt occiſores, paſſivum eſt crux, in qua occiſus eſt. Paſſionem Chriſto intulerunt Judæi & gentiles, ut ab omnibus perſecutionem pateretur, qui pro omnibus moriebatur. Non potuit major oſtendi charitatis abundantia. *Tanta eſt bonitas noſtri redemptoris, ut etiam vos* (occiſores) *poſſitis conſequi veniam ſi Chriſtum Dei Filium confitendo, illam parricidalem malitiam relinquatis.* Et ſerm.3. *Sic ad omnium redemptionem utebatur malitiâ perſequentium, ut in mortis ejus reſurrectioniſque Sacramento etiam interfectores ſui poſſent ſalvi eſſe, ſi crederent.*

Paſſus eſt autem in cruce, cujus præclaras rationes affert D.Thomas *quæſt.46.art.4.* Tum ut Chriſtianus nullum genus mortis timeret, poſtquam Chriſtus genus illud pertulit mortis, quo nullum erat execrabilius & formidabilius. Tum ut affixus ligno mortem, quæ per lignum venerat, mortificatam redderet ipſe per lignum, & ſatisfaceret pro peccato patrato in eſu pomi ligni vetiti. Tum ut ſicut terram ambulans, aquas baptizans, ſic aërem contagio diaboli per aëra vagantis impurum mundaret ſuſpenſus, & conſecraret. Tum ut exaltatus à terra aſcenſum nobis pararet ad cœlum; & omnia traheret ad ſeipſum. Tum ut ſicut crux quatuor angulis omnes mundi reſpicit partes; ſic Paſſionis virtus in omnes profflueret, & ut ait Chryſoſtom. *Expanſis manibus moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus ſunt, trahat.* Tum ut conſummatæ patientiæ exempla præberet, eligens ſupplicium omnium acerbiſſimum & turpiſſimum, quo ſit pœna productior & contumelioſior, ut tanto dolore & ſummâ infamiâ quidquid in mundo floret ac ſplendet, nos conculcare doceret, exſpolians principatus & poteſtates, palam triumphans ipſos in ſemetipſo. Tum ut gloria Chriſti ex morte omnium turpiſſima atque ignominio-

minioſiſſima ſplendidior conſurgeret & illuſtrior, convertens in trophæum tam diræ mortis ſupplicium; eo enim glorioſior fuit reſurrectio Chriſti, quo obſcurior erat mors. Præſertim quia in ipſa crucis ignominia, Divinitatis gloriam & triomphum Redemptor reſtatus eſt, ut eleganter deſcribit Hilar. lib. 10. de Trinit. *Triumphus planè eſt ſtare ad ſententiam mortis, ſed inde conſeſſurum à dextris virtutis Dei; configi clavis, ſed pro perſequutoribus orare; acetum potare, ſed Sacramentum conſummare; deputari inter iniquos, ſed paradiſum donare; elevari in lignum, ſed terram tremere; pendere in cruce, ſed ſolem ac diem fugere; exire à corpore, ſed revocare animas in corpora; ſepeliri mortuum, ſed reſurgere Deum; ſecundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, ſed ſecundùm Deum in his omnibus triumphare.*

Reflexio.

Unam ex potiſſimis cauſis cur Chriſtus in crucem actus eſt, expreſſit ipſe Redemptor, Joan. 12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Quibus verbis Paſſionis ſuæ vim mirificè declaravit loquens de ſe tanquam de Duce cum diabolo pugnante. Solet namque Athleta eo fortior & adverſario ſuperior eſſe, quo è loco altiori pugnat. Unde Chriſtus ſignificavit ſe è cruce ſua veluti ex arce alta, nec minùs munita pugnare, & omnes hoſtes ſuos expugnare. Exaltatus ergo omnia ad ſemetipſum traxit, ſicut aquila in ſublime volans prædam trahit. Hoſtes traxit Chriſtus, ut vincat; ſed omnes animas vocavit, ut trahat & ſalvet. Væ nobis ſi Chriſto trahere volenti impedimentum ponamus. Trahit autem Chriſtus moriens non invitos, ſed voluntarios; trahit amore, trahit voluptate, trahit poſt ſe, ut in odorem unguentorum ejus curramus. Chriſtus moriens trahit auxiliis, trahit exemplis. Durus planè, & obduratus valde, qui ſe Chriſto trahenti non permittit. Nam omnia quæ in Chriſto moriente relucent, ingentem habent alliciendi efficaciam, & ſeriò meditantes ſolicitant in affectum. Quid ad trahendum ſuperborum corda hominum humilitate aptius Crucifixi, quâ longè meliùs quàm Orpheus non homines modò, ſed ipſa inſenſibilia ad ſe allexit, juxta illud Magni Leonis ſerm. 8. de Paſſ. *O admirabilis potentia crucis? Traxiſti enim, Domine, omnia ad te, cum confitenda majeſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit, cùm in execrationem Judaici ſceleris unam protulerunt omnia elementa ſententiam; cùm obſcuratis luminaribus cœli, terra quoque motibus quateretur inſolitis, univerſaque creatura impiorum ſe uſui denegaret.*

Sed adverte Chriſtum trahentem varios variè ſequi, aliter & aliter patientem imitari. Aliqui enim coacti crucem ferunt, ſervorum aut jumentorum ritu onera pœnitentiæ bajulantes, Simonem Cyrenæum imitati, quem Judæi angariaverunt. Alii ſequuntur Chriſtum ſponte quidem, ſed reptantes. Hi ſunt tepidi, qui non guſtantes quàm ſuavis ſit Dominus, mundi voluptatibus, & negotiis ſæcularibus citra mortalem noxam immerſi, rarò levant ſe ſupra ſe, ſed repunt. Alii ſequuntur Chriſtum euntes, qui nimirum ambulantes in innocentia cordis ſui, per ſolitas æquitatis ſemitas conſtanter incedunt. Alii ſequuntur Chriſtum currentes, ferventes ſcilicet, qui corde dilatato, & in benedictionibus dulcedinis prævento, alacriter & expeditè eunt de virtute in virtutem. Alii ſequuntur volantes, viri nimirum Apoſtolici, quorum converſatio in cœlis, nec terram incolunt, niſi ut terrenos homines ad cœlum manuducant. Alii ſequuntur vecti, divina patientes magis quàm agentes, & ea experientes, quæ non licet homini loqui.

Speculatio II.

Proſequutio ejuſdem materiei.

Tres ſuperſunt circunſtantiæ concomitantes expendendæ, *Cur, Quomodo. Quando.*

Cur paſſus eſt Chriſtus? ex motivo miſericordiæ, ut ſatis *diſſert. 2.* oſtendimus: ex motivo charitatis, ut capite præcedenti explicantes latitudinem operis Redemptionis monſtravimus; nunc expendenda eſt obedientia, ex cujus motivo mortuum eſſe Chriſtum affirmat S. Præceptor *quaeſt. 47. art. 2.* juxta illud Philip. 2. *Factus obediens uſque ad mortem.* Id enim congruebat, tum ut ſicut per unius hominis inobedientiam, peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obedientiam juſti conſtituantur multi. Tum ut perfectiſſimum crucis ſacrificium, obedientiâ, quæ melior eſt quàm victima adornaretur. Unde Chriſtus ingrediens mundum dixit: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*; ut oſtenderet ſe ab obedientia non ſecus ac à corde, quod vitæ principium eſt, vivendi fontium haurire, atque ad obedientiam Patri à primo uſque ad ultimum inſtans exhibendam ſe totum componere, & quidquid in ſe fuerit, uni Patris voluntati adimplendæ deputare; unde ſubdidit, *Sacrificium & oblationē noluiſti; aures autem perfeciſti mihi*; vel ut ait Paulus: *Corpus autem aptaſti mihi*, ideſt, totum me ad obediendum confinxiſti. Nam *verus obediens*, teſte Bernard. lib. de præc. & diſpenſ. *Parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, & ſe totum colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Et ſicut non priùs vitam quàm obedientiam accepit, ita libenter ne perdat obedientiam, perdit vitam. Hinc de Chriſto veriùs dicere licet, quod de nonnullo ſancto Antiſtite dicebat Ignat. Mart. epiſt. ad Philadelph. *Compoſuit ſe ad mandata Dei, ut chorda ad citharam*; quia nimirum nihil in Chriſto remiſſum, nihil contractum erat, ſed omnes erant vires ejus in obedientiam extenſæ, & veluti expectantes divinæ voluntatis pulſatum.

Porrò quàm ſpontanea voluntate, quanta alacritate, gaudio, & conſtantiâ Chriſtus præcepto paterno obediverit, patet tum ex illis verbis Luc. 9. *Et ipſe faciem ſuam firmavit, ut iret in Ieruſalem.* Tum ex illa vehementi reprehenſione, quâ Petrum à morte perferenda deterrere volentem objurgavit, Matth. 16. *Vade retro, Satana, ſcandalum es mihi es.* Tum ex animi celſitudine, quâ militibus ad ſe corripiendum armans obvius prodiit, quærentibus occurrit, trepidos provocavit, proſtratos erexit, turbatos confirmavit, & proditorem oſculi dignatione ſuſcepit. Denique Petrum in ſui defenſionem gladium educentem compreſſit, dicens Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et ideo, teſte Magno Leone, fœminarum lacrymantium fletus Salvator prohibuit, quia illi ſolùm impendendæ ſunt lacrymæ commiſerationis, qui invitus patitur, non illi qui ſponte ſe ad patiendum conferebat. *Iſtum planctum*, inquit ſerm. 10. de Paſſ. *Dominus Ieſus dedignabatur impendi: Quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Vbi eſt triſtitia crucifigendi? Vbi formido morituri? Non terret paſſuri animum mora ſupplicii, non eſt quod dolere in me debeatis: Ergo crucem libens patior, & mortem in me, quam ſum perempturus, admitto.*

Quomodo paſſus eſt? multa ad hanc circunſtantiam illuſtrandam hîc occurrerent, quæ partim in ſuperioribus delibata ſunt; nam ad modum Paſſionis pertinent virtutum omnium exempla, quæ præbuit; eſt enim charitatis, humilitatis, & obedientiæ modus ſuper omnem modum. Modus etiam patientiæ, quâ ut loquitur Tertull. lib. de patient. cap. 3. *Saginari volens deſpuitur, verberatur, irridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus corona-*

coronatur, eſt ipſa admiratione major. Ipſum etiam ſilentium Præſes ipſe mirabatur vehementer, quia animi libertatem & ſpontaneam patiendi voluntatem ſignificabat, juxta illud Chryſol. ſerm. 23. *Tacet qui volens patitur: clamat qui laniatur invitus* : Sed hunc uberrimum patientis Chriſti virtutum omnium in gradu heroico campum meditationi tuæ percurrendum relinquo.

Unum duntaxat attingam ad modum paſſionis non impertinens, quod nimirum inter duos latrones crucifixus ſit; qui ſanè moriendi modus infamiam crucis non mediocriter adauxit. Non enim aliud intendebant Judæi, dum Jeſum duos inter latrones crucifixerunt, quàm ut eorum ſuſpicionis foret particeps. Sed Chriſtus & humilitatis exempla præbere voluit, dum inter noxios quaſi noxius ſuſpenſus, & & cum ſceleratis reputatus eſt. Voluit etiam in ipſa patibuli ſpecie futuri judicii præſignare diſcretionem; ſicut enim latronum unus ad dexteram, ad ſiniſtram alter collocatur, ſic facturus eſt de vivis & mortuis, electos ad dexteram hœdos, ſeu reprobos ad ſiniſtram poſiturus. Voluit etiam hac circumſtantiâ monere parum eſſe pati, crucifigi, mori, niſi hæc de charitatis radice procedant, quia non facit Martyrem pœna, ſed cauſa. Uterque latro cum Chriſto æquè in crucem actus, non tamen uterq; cum Chriſto peræquè ſalvatus: quia etiam tolerata mors ſine charitate nihil prodeſt. His tropologicè ſignificantur, inquit Venerabilis Beda, illi qui ſub fide & confeſſione Chriſti, vel agonem martyrii, vel quælibet arctioris diſciplinæ inſtituta ſubeunt. Sed qui hoc pro æterna gloria ferunt, dextri latronis fide deſignantur. Qui verò humanæ laudis intuitu, ſiniſtri latronis mentem imitantur & actus.

Quærunt aliqui, an Chriſti Domini pedes uno fuerint clavo confixi, vel pluribus?

Reſpondeo hac in re certum eſſe de fide Chriſti manus & pedes fuiſſe clavis perforatos, ita enim ſentit tota Eccleſiæ traditio, & evidenter colligitur ex dicto Thomæ, Joan. 20. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum.* Certum eſt etiam latrones fuiſſe clavis cruci affixos, tum quia ſimpliciter Evangeliſtæ dicunt duos latrones fuiſſe cum Chriſto crucifixos. Tum quia in inventione S. Crucis grandis erat diſcernendę veræ crucis difficultas, quæ tamen nulla extitiſſet, ſi latrones ſuis crucibus ſine clavis alligati fuiſſent, nulla etenim foramina in eis apparuiſſent, ſicut in cruce Chriſti patebant. Unde omninò reprobanda eſt eorum pictorum licentia, qui latrones non clavis, ſed funibus alligant cruci, ut ſupplicium eorum à tortura Chriſti falſa pietate diſtinguant: ſed non indiget veritas mendacio, & inanis eſt pietas, quæ non eſt ſubnixa veritati. Sed pictoribus, atque Poëtis fingendi eſt data facultas.

Quod autem clavis Chriſtus confixus ſit cruci, non eſt ita certum. Nemo quidem ambigit quin quælibet manus ſuo fuerit clavo perforata; ſed de pedibus eſt majus dubium. Opinatur enim S. Gregorius Turonenſis *de gloria Martyr. cap.* 6. pedes disjunctim, tabella ſuppoſita & pedibus ſubſtante, fuiſſe ſuo ſpeciali clavo confixos. Idem ſentit B. Birgitta *lib.* 4. *cap.* 7. tabellæ tamen ſuppoſitæ non meminit, ſed indicat pedes cancellatos & decuſſatos diſtincto clavo perforatos. Illi etiam ſententiæ favere videtur modus loquendi Cypriani, & Auguſtini, quorum ille *ſerm. de Paſſ.* ait: *Clavis ſacros pedes terebrantibus.* Iſte verò *cap.* 6. *Medit.* ait: *Immaculata Chriſti veſtigia diris confixa clavis.* Alii tamen Patres, & Doctores, quibus ſuffragari videtur communior Eccleſiæ uſus, pedes unico clavo transfixos affirmant. Verùm res hæc eſt valde incerta, & vix definiri poteſt.

Quando paſſus eſt? Utique convenienti tempore. Sicut enim omnia loca ſunt in manu Dei, ita & omnia tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate & voluntate, quâ agendorum omnium circumſtantias decernit infinita illâ ſapientiâ, quæ omnia non minùs fortiter, quàm ſuaviter diſponit. Tria in circumſtantia temporis obſervanda ſunt. Primò Chriſtum paſſum eſſe immediatè poſt Paſchalis feſtivitatis ſolennia (nimirum lunâ 15. manducarat enim pridie quàm pateretur Paſcha cum diſcipulis lunâ 14. ut in materia de Euchariſtia pleniùs contra Græcos oſtendetur, ut in tanto populorum concurſu ignominioſiùs traduceretur, atque ut figuræ veritas reſponderet. *Oportebat enim* (ait Magn. Leo ſerm. 7.) *ut manifeſto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promiſſa myſterio; ut ovem ſignificativam ovis vera removeret, & ut uno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum. Nam omnia illa, quæ de immolatione agni divinitus per Moſem fuerant præſtituta, Chriſtum prophetarant, & Chriſti occiſionem propriè nunciarant. Ut ergo umbræ cederent corpori, & ceſſarent imagines ſub præſentia veritatis, antiqua obſervantia novo tollitur Sacramento, hoſtia in Hoſtiam tranſit, & legalis feſtivitas dum mutatur, impletur.* Secundo ponderanda eſt hora Paſſionis, quæ contigit hora ſexta, ſeu meridie, ut aſpectabiliùs ſuſpenſus omnium oculis, omnium ludibrio exponeretur. Tertio conſideranda eſt ætas Chriſti, qui in ætate juvenili voluit pati, ut dilectionem commendaret erga nos ſuam, vitam tunc pro nobis tradens, quando ſtatu perfectiſſimo & florentiſſimo vigebat.

Reflexio.

Circumſtantiæ Chriſti morientis Paſſionis opus amplificant, patientis amorem exaggerant in immenſum: & circumſtantiæ earum quas fers tribulationum, te ad Chriſto hilariter compatiendum mirum in modum acuere debent, & inflammare. *Quis patitur*, quando pateris? Peccator, divinæ læſæ majeſtatis reus, ſuppliciis dignus & addictus ſempiternis. Utilis ſanè & vehementer utilis peccatoribus tribulatio, quæ aut eluit peccata & deterit, aut ab eiſdem deterret & arcet; eſtque loco flagelli, cum peccaverint; loco fræni, ne peccent. Dignum planè & juſtum eſt, ut dormientes pungat Chriſtus & excitet, plagas infligens aliquot, quibus admoniti ad ſe redeant, & ad Deum: non ſecus ac prodigus paternarum deliciarum deſertor, damnatuſque ad porcos quibus vivebat, nec convivebat, in ſe reverſus: *Ibo*, inquit, *ad Patrem.* Quidni fortunam eripiet Deus ea uſis ad luxum? Quidni libertatem tollet ea abuſis ad licentiam? Quidni ſanitatem auferet eam corrumpentibus ad libidinem? Quidni poculum mœrorum abſynthio helleboroque concretis plenum tibi cœleſtis Medicus propinabit, cum morbus tuus id poſtulet & corruptio? Providè etiam inciſâ venâ ſanguis minuitur, frequenter etiam in anteceſſum medicina adhibetur, non quia æger ſit qui curatur, ſed ne ægreſcat. Sic peramanter Deus, qui internos morbos ab imis radicibus novit, adhibitis cladibus materiam vitiorum præcludit & fomitem.

Quid pateris, quando pateris, ut tantopere conqueraris? Momentaneum & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operaturum, ſi volueris. Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſti, & licèt reſtitiſſes, quid tum? Anne pretioſior ſanguis tuus Chriſti cruore? Nunquid pro tua tu ſalute fundes reus, quod ille pro aliena fudit innocens?

Ubi pateris, quicumque pateris? In valle miſeriarum, in convalle plorationis, in loco exilii, in campo pugnæ & certaminis, in palæſtra, in qua Deus ſuos ad robur inſtituit & virtutem, ac per multa aſpera exercet, ut vincant; impellit adverſitatum flabris, ut penitùs in virtutibus radicentur; ſeverè diligit ut pater, ne ſpecie dulcium enerventur & corrumpantur liberi.

Denique in gymnaſio probationis, in quo Gymnaſtes & exercitor noſter Chriſtus è legionum ſuarum numeris ut ignavos expungit & imbelles, quos non videt nedum ad ſudorem, ſed & ad cruorem comparatos.

Quibus auxiliis pateris, quæ pateris? Inter exempla & Sacramenta; hinc vallatus præſidiis, inde permotus Sanctorum geſtis & documentis. Sed Chriſti præſertim exemplum velut quoddam lumen præit, & è rivis ſanguinis illius conſtantiam bibere poſſumus & virtutem. *Quid verò tu trepidas* (inquit Bernardus epiſt. 1.) *quem fratrum unanimitas armatorum circummuniet, cui Angeli aſſiſtant à latere, quem Dux belli Chriſtus praibit, ſuos animans ad victoriam, & dicens: Confidite, ego vici mundum. Securus potes pugnare, ubi ſecurus es de victoria. O verè tuta cum Chriſto & pro Chriſto pugna, in qua nec vulneratus, nec proſtratus, nec conculcatus, nec miles (ſi fieri poſſit) occiſus fraudaberis à victoria: & beatus, ſi pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Va autem ſi declinando pugnam perdis & victoriam ſimul & coronam.*

Cur pateris? Attende, quæſo, quod ſicut cladium cauſa amor Dei in nos eſt, non odium; ſic finis non læſio noſtra, ſed fructus noſter eſt. *Nihil mihi videtur infelicius eo*, inquiebat Demetrius, *cui nihil evenit adverſi.* Succinit Boëtius: *Infeliciſſimum fortunii genus eſt ſemper fuiſſe felicem*, felicitate nimirum temporali & caduca. Quia nimirum falſæ mundi felicitatis, & miſeriæ finis æterna calamitas eſt miſeriarum verò pro Chriſto toleratarum exitus, felicitas infinita. In ſtadio ergo reſpice coronam, ſi vis habere victoriam. *Fili non te frangant labores*, inquit Thomas à Kempis, *quos aſſumpſiſti propter me, nec tribulationes te dejiciant uſquequaq; ſed mea promiſſio te roboret, & conſoletur. Non diu hic laborabis, nec ſemper gravaberis laboribus. Veniet una hora, quando ceſſabit omnis labor & tumultus. Modicum eſt breve omne quod tranſit cum tempore. Nonne pro vita æterna cuncta laborioſa ſunt toleranda? Leva igitur faciem tuam in cœlum, &c.*

Quomodo pateris? Non ſponte, ſed ægrè; non alacriter & impavidè, ſed coactè. Quia nimirum amore mundi plenus, charitate Chriſti vacuus es. Si enim Crucifixum ſincero proſequeris amore, nihil durū, nihil grave, nihil amarum, nihil lethale computares; quia charitatis impenetrabilis lorica reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet; ſi amor eſt, vincit omnia, ut proſequitur Chryſolog. *ſerm.* 40. Quin verus Crucifixi amor nedum durum nihil reputat, ſed amara quæque dulcia præ dilectionis abundantia arbitratur. Placebat ſibi in infirmitatibus amore Chriſti æſtuans Paulus. Tripudiabant & triumphabant toto licèt lacero corpore & ebulliente cruore Martyres, ſubmittente ſenſus non ſtupore, ſed amore. Stabant Sancti in magna conſtantia adverſus anguſtiantes ſe; uri, vulnerari, occîdi, alligari non ſolùm juvabat, ſed libebat; nihil accidere bonis illis mali poterat; quidquid eveniebat, in ſuum colorem trahebant; nec crucem timebant, ſed avebant, ut preſſurarum fortiſſimis argumentis ſuum erga Chriſtum amorem ſignificarent. At tu qui Chriſtum vix amas, nulla à te in pœnis lætitia, nulla in laboribus voluptas percipitur; quia nihil tibi minùs in votis eſt, quàm Chriſtum de tua erga ipſum charitate certiorem reddere.

Denique *quando pateris?* Tunc nimirum, quando utilis & meritoria poteſt eſſe pœnitentia; quando honorifica, & illuſtris eſt voluntaria pro Chriſto tribulatio. Patiuntur homines in hoc mundo, patiuntur damnati in inferno: utrobique miſeria, ſed diſpar cauſa; ibi libertas valet ad meritum, hic neceſſitas inane reddit ſupplicium. Velis nolis, crucem ſemper invenies: ſi volueris plora, ambula ubi vis, quære quodcumque volueris, & non invenies, inquit laudatus Thomas à Kempis, niſi aliquid ſemper pati debere aut ſpontè, aut invitè; aut enim in corpore dolorem ſenties, aut in animæ ſpiritûs tribulationem ſuſtinebis. Crux ſemper parata eſt, & ubique te expectat. Non potes effugere ubicumq; cucurreris, quia quòcumque veneris, teipſum tecum portas, & ſemper teipſum invenies. Converte te ſupra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, & in his omnibus invenies crucem. Ergo neceſſitatem converte in virtutem, dum tempus habes, nec adeſt nox, in qua non poteris operari. Ergo crucem libenter porta, ut portet te; ne invitè portes, quod vitare non potes.

Speculatio II.

Expenduntur circumſtantiæ mortem Chriſti conſequentes.

HÆ circumſtantiæ ſunt potiſſimùm tres, nimirum prodigia, quæ in morte Chriſti contigerunt; ſepultura corporis, & deſcenſus animæ ad inferos. De ſingulis quædam ſelecta notabimus.

Inter prodigia inſignia infimum locum non tenet converſio Latronis; nam, ut ait Chryſoſt. hom. 48. in Joan. *Latronem in cruce convertere, & in Paradiſum inducere, non minus fuit, quàm concutere petras.* Apparuit enim victricis gratiæ omnipotentiſſima vis qua inſidiator viarum, publicus homicida uſque ad crucem reus, factus eſt Chriſti repentè confeſſor: & inter acerrimos corporis animique cruciatus mirâ converſione mutatus petiit regnum Chriſti. *Qua iſtũ fidem exhortatio perſuaſit?* (ait Magn. Leo ſerm. 2.) *Qua doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, ceſſaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum: ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortē.* Certè ille ſolus intus egit, intus movit, qui confitenti paradiſum repromiſit: quæ ſanè promiſſio non tam de ligno crucis, quàm de throno editur poteſtatis. Similem virtutem oſtenderat in converſione Petri, cujus paventem animum Chriſtus *mox ut reſpexit, erexit, & in fletum pœnitudinis incitavit: citòque in ſoliditatem ſuam rediit petra, tantam recipiens fortitudinem, ut quod tunc in Chriſti expaverat Paſſione, in ſuo poſt ſupplicio non timeret*, ait idem Leo *ſerm.* 9.

Huic interiori miraculo acceſſerunt alia ſtupenda, & ad confirmationem veritatis doctrinæ Chriſti adjicitur totius atteſtatio creaturæ. Moriente enim Chriſto elementa conquaſſata tremuerunt: denſis tenebris ſplendor ſolis obductus meridiem commutavit in noctem: ſtabilitatem ſuam concuſſa terra non tenuit, ac petrarum firmiſſimarum confracta ſoliditas: Velum Templi ſciſſum eſt: monumenta patuerunt, ut in Judæos cœlum & terra ſententiam ferrent, ſuoque authori teſtimonium, famulatumque præberent.

Multiplicavit etiam Chriſtus ea viſibilia & ingentia miracula ad reprimendam Judæorum audaciam, qui fixuris clavorum addentes tela linguarum, dicebant: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei.* Chriſtus autem noluit deſcendere, ut Paſſionem conſummaret, & voluit miracula edere, ut potuiſſe ſe deſcendere invictiſſimè confirmaret. *His vocibus*, inquit perelegantер Magnus Leo ſerm. 10. *ſtultis atque blaſphemis reddunt omnia elementa reſponſum, & unam in vos ſententiam ferunt cœlum, terra, ſol, ſyderaque indignos vos ſuo miniſterio proteſtantur terribili motu, inſolitoque defectu tenebras mundo veſtra cæcitatis oſtendũt. Quod ſi ad arguendum vos nec cœleſtia, nec inferna ſufficiunt, & crucem Chriſti magis potuerunt petra atque monumen-*

menta, quàm corda veſtra ſentire, ſaltem quod in Templo altum eſt ſcienter advertite. Velum, cujus objectu includebantur ſancta ſanctorum, à ſummo uſque ad ima diruptum eſt. Repudiatos itaque vos debuiſtis agnoſcere, & omne jus Sacerdotii perdidiſſe. His ergo miraculis oppilavit iniquitatem, & obtruſit os loquentium mendacia, etiamſi non deſcenderet de cruce, nec Paſſionis labores mitigatet qui omnia Paſſionum genera percurrere, & conſtanter tolerare voluit, ut exemplo doceret inter præſentis vitæ pericula non tam optandū eſſe nobis declinando iſta effugere, quàm tolerando ſuperare. Nec Judæos convertiſſet à cruce deſcenſus, quos petrarum non potuit ruptura emollire. Maluit ergo in cruce perſiſtere ut pœnitentibus, & militibus ſuis perſeverantiæ neceſſitatem inculcatet, & ad labores Chriſtianæ militiæ fideli conſtantia tolerandos ejus permoveremur exemplo, quem nullæ contumeliæ, nulla convitia, nulla vanæ inſultationis opprobria à ſui via propoſiti dimoverunt. Ejus ergo auxilio per patientiam in vigiliis, in laboribus, in jejuniis, in orationibus, in caſtitate, cæteriſque chriſtianæ ethicæ officiis curramus, & non deficiamus. Callido tentatori, qui nihil vacuum à ſuis relinquit inſidiis, ad mortem uſque reſiſtamus, *ut quamvis impugnare non deſinat, neminem tamen, quem expugnet, inveniat*, ut ait S. Leo *ſerm.* 17. *de Paſſ.*

Mortem Chriſti ſequuta eſt corporis ſepultura, quæ fuit valdè conveniens. Tum ad veritatem mortis demonſtrādam; nullius enim corpus in ſepulchro reponitur, de cujus mortis veritate non conſtet. Unde & Pilatus corpus Chriſti ſepeliri non conceſſit, niſi præviâ diligenti mortis ejus inquiſitione. *Sepulturam patitur* (ait Chryſol. ſerm. 68.) *ne mortem non adiiſſe ut vinceret, ſed ſimulaſſe ut eluderet, ab impiis jactaretur.* Tum ut glorioſior appareret reſurrectio de ſepulchro; nam ut ait idem Chryſol. ſerm. 60. *Mortem ſuſcepiſſe, & viciſſe; intraſſe inferos, & rediiſſe; veniſſe in jura tartari, & tartari jura ſolviſſe, non eſt fragilitas, ſed poteſtas*. Humanum quippe eſt ſepeliri, ſed ſepulchri petram reſurgendo penetrare divinum. Hìc ergo nō offendat tumuli auditus, ubi reſurrectionis gloria abſcondit, & illuſtrat tenebras ſepulturæ. Et ideo dicitur Chriſtus *inter mortuos liber*, quia nec ſepulchri incluſione, nec lapidis poſitione reſurrectio potuit impediri. Tum ut ſpem reſurrectionis noſtræ futuræ non minueret horror ſepulturæ: Sicut enim crucifixus eſt, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum; mortuus, ut mors morte ejus moreretur: ita *ſepultus* (ait Chryſol. ſerm. 59.) *ut ex illius ſemine corporis, omnis humanorum corporum ſatio vitalem ſurgeret & levaretur in meſſem.* Tum ut exemplo præmonſtraret eos, qui per Chriſti mortem peccatis ſuis immoriuntur, latentia debere quærere ſepulchra, quibus abſcondamur à conturbatione hominum, juxta illud Coloſſ. 2. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto.* Mortificatæ enim paſſiones citò reviviſcunt, citò putari repullulant pravorum habituum rami, citò reſilit coopertus pœnitentiæ cinere concupiſcentiæ ignis, niſi frequenter tradamur ſepulturæ, id eſt à ſæculi commercio ſecedentes, ſolitudini corporis & animæ diligenter incumbentes, abſcōdamur in abſcondito faciei Dei, ut quæ converſantes perdidimus, ſolitarii reſarciamus. Et licet ſemper putationis tempus ſit, ſicut ſemper eſt opus; ſeligendæ tamen ſunt & in diebus horæ, & in menſibus dies, & in anno hebdomadæ, ut ſacris exercitiis uni neceſſario unicè cum Maria vacemus, poſtquam reliquo tempore ſolliciti, & erga plurima ſicut Martha turbati fuimus. Deniq; ſepulturâ immanſam charitatem & humilitatem oſtendit Deus-homo, propter nos non dedignatus ſepulturæ vilitatem. Quia, ut dicitur in Concilio Epheſino: *Nihil horum, quæ ſalvant hominem, injuriam Deo facit, quia oſtendunt eum non paſſibilem, ſed clementem. Nihil putat injuriam Deus, quod eſt occaſio ſalutis hominibus.* Et tamen contra intentionem occidentium Chriſtus fuit honorificè ſepultus, à magnatibus cum ingenti aromatum copia tumolatus, nimirum à Joſeph ab Arimathia nobili decurione, & à Nicodemo Principe Judæorum; quia humilitatis ſemper gloria eſt comes; & qui ſe humiliat exaltabitur. Et benè obſervavit Chryſoſt. *tract. adverſus Gent.* quod in aliis hominibus florent corpora viva, mortua putreſcunt, & fœtent; *Sed in Chriſto eſt totum contrarium; nam ante crucem omnia ſunt mœſta, & infirma. Ut autem crucifixus eſt, omnia clariora ſunt facta, ut noſcas non purum hominem crucifixum.* In ſepultura ergo humilitas humanitatis, in incorruptione virtus Divinitatis enituit, quæ non dedit ſanctum ſuum videre corruptionem.

Obſervat autem S. Thomas, Chriſtum ſepultum fuiſſe in horto, ut ſignificaretur, quod per mortem & ſepulturam ipſius liberamur à morte, quam incurrimus per peccatum Adæ in horto Paradiſi commiſſū. Addit verò, ideo Salvatorem in aliena poſitum eſſe ſepultura, quia pro aliorum ſalute moriebatur; atque etiam ut extremæ paupertatis exempla præberet, ut ſicut vivens non habebat domum, moriens non habebat veſtem, ſic mortuus ſepulchrum proprium non haberet. In novo autem ponitur monumento, ne poſt reſurrectionem ſurrexiſſe alius fingeretur. Ratio autem cur corpus Chriſti manſerit in ſepulchro una die & duabus noctibus, tradetur poſtea dum de reſurrectione ejus agetur.

Corpore autem in ſepulchro remanente, anima ejus deſcendit ad inferos, ut ſicut nos moriens liberavit à morte, ſic deſcendens ad inferos nos ad cœlos traheret; omnis enim Chriſti humiliatio eſt noſtra provectio; & ut bellè ait Leo ſerm. 7. & 19. de Paſſ. *In noſtra humilitate contemptus, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro eſt dolore crucifixus. Paſſionem enim mortalitatis noſtræ ob hoc miſericordia ſubiit, ut ſanaret; ob hoc virtus recepit, ut vinceret. In his omnibus ſunt & humilitas hominis, & celſitudo Deitatis, nec miſericordiæ ratio majeſtatem miſerentis obſcurat; quia de ineffabili potentia factum eſt, ut conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per ſupplicium, vita per mortem.* Unde dicitur, Oſeæ 13. *Ero mors tua, ô mors; ero morſus tuus inferne.*

Decebat etiam triumphum Chriſti, ut diabolo Paſſione ejus devicto, vinctos ejus in inferno detentos eriperet, principatuſque ac poteſtates exſpoliaret, & in nomine JESU omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flecteretur; unde nihil dignitatis humiliatione illa amiſit Chriſtus, ſed dum ſe dejecit ad infima, actum ſimul auctoritatis exercuit, Sicut Rex carceres ex dignatione viſitans, ut liberet mancipatos, inclinatur quidem, ſed in liberatione poteſtas regia illuſtratur. Qui enim in altiſſimo dignitatis faſtigio conſtituuntur, unicum habent creſcendi medium, ſi deſcendant. Similiter ergo Chriſtus ad inferna deſcendere dignatus eſt, ſed ſtatim tenebrarum, & mortis principem colligavit, legiones illius perturbavit, portam inferni, vectes ferreos confregit, captivos in libertatem revocavit priſtinam, peccatorum tenebris occæcatos ſplendida luce perfudit, & omnes juſtos, qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſolvit, ut proſequitur Auguſtinus *ſerm.* 137. *de temp.*

Ex his confutata manet hæreſis Beſæ aſſerentis inferni nomine intelligi ſepulchrum, in quod Chriſtus deſcendit, dum ſepultus eſt: ſed ex Symboli contextu clarè liquet. Chriſtum & mortuum, & ſepultū, & ad inferos deſcendiſſe; ſi autē inferi ſignificarēt ſepulchrum, bis idem articulus in Symbolo poneretur.

tur. Contradicit etiam hæc hæreſis toti Eccleſiæ traditioni, quæ infernum eſſe locum in infima terræ parte ſitum conſtanter aſſirmat. Confutatus etiam manet error Durandi opinantis, animam Chriſti eatenus ad inferos deſcendiſſe, quatenus merito ſuæ Paſſionis aliquem ibi effectum produxit, nimirum claritatem, quâ Patres expectantes illuminati ſunt. Sed hunc errorem reprobat Petrus *Act. 2.* ubi loquens de Chriſto, ait: *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* In cujus confirmationem allegat illud Pſalm. 15. *Quoniam non derelinquet animam meam in inferno.* Quæ verba non poſſunt intelligi de deſcenſu ſolùm virtuali penes operationem, non enim computatur inter beneficia quod Chriſtus virtutem ſuſpenderit. Ratio etiam confutat illam Durandi novitatem; nam ſi ſolùm ſecundùm virtutem effuſam anima Chriſti deſcendit ad inferos, poſſet etiam dici ad cœlos aſcendiſſe, quia paradiſum latroni contulit, Angelos gaudiis perfudit, eorumque ruinas aſcito tanto tot veterum Patrum numero implevit. Poſſet etiam eadem facilitate aſſeri, Chriſtum totum orbem peragraſſe, varias in diſſitis partibus gratias conferendo: necnon & ad purgatorium veniſſe, animabus in eo detentis effectum Paſſionis ſuæ applicando. Urget etiam hîc maximè regula Ticonii ab Auguſtino *lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 10. & 16.* approbata: Verba Scripturæ ſemper in propria ſunt ſignificatione accipienda, quando nullam habent, vel inferunt abſurditatem. Quid autem abſurdi eſt aſſerere, Chriſtum ad infernum propriè dictum, quod eſt in corde terræ, deſcendiſſe, præſertim cùm *Matth. 12.* expreſsè dicatur: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ*, id eſt, ut exponit Hieron, in cap. 2. Jonæ: *Sicut cor in medio eſt animalis, ita infernus in medio terræ eſſe perhibetur.*

Dices: Si ille deſcenſus ad inferos ad litteram intelligatur, poterit etiam explicari de inferno damnatorum; quod tamen repugnat communi ſenſui Fidelium.

Reſpondeo animam Chriſti ad infernum damnatorum minimè per ſuam eſſentiam deſcendiſſe, quia Chriſtus non accedit, niſi ut ſpeciale beneficium infundat; ejus enim ſpecialis præſentia imitatur divinam, quæ uni operationi innititur: nullum autem beneficium erat anima Chriſti collatura inferno damnatorum, quia ibi nulla eſt redemptio. Dici tamen poteſt, animam Chriſti per effectum ad infernum damnatorum deſcendiſſe, effectum ſuæ potentiæ aliqualiter ad illos extendens, damnatorum incredulitatem & malitiam confutans. Nec obeſt, quod *Act. 2.* dicitur, Deum Chriſtum ſuſcitaſſe *ſolutis inferni doloribus.* Nam in illa parte inferni, in qua Sancti Patres detinebantur, licèt non eſſent ſenſibilium dolorum cruciatus, erat tamen quidam dolor de dilatione ſperatæ gloriæ, juxta illud Proverb. 13. *Spes quæ differtur affligit animam.* Solvit etiam Chriſtus inferni dolores reſpectu ſui, non quòd eis ſubjectus fuerit, ſed eos irritos efficiendo, ne teneretur ab eis, ſicut ſolvi poſſunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.

Dices rurſus: Si Chriſtus deſcendit ad inferos, vel deſcendit ſecundùm ſe totum, vel ſecundùm partem; non ſecundùm ſe totum; nam corpus ejus manſit in ſepulchro: non ſecundùm partem, quia nomen *Chriſtus*, ſupponit pro perſona, quæ non habet partes: Ergo Chriſtus non deſcendit ad inferos.

Reſpondeo ex Capreolo *in 3. diſt. 23.* nomen hoc *Chriſtus*, quatuor modis ſumi poſſe. Primò pro perſona Filii Dei abſque alia connotatione, & in hoc ſenſu ait Auguſt. lib. 3. de Symb. cap. 7. *Chriſtum eſſe ſemper ubique totum.* Hoc eodem ſenſu plerique Patres, & Concilia dicunt Ieſum Chriſtum ex Patre natum deſcendiſſe de cœlis, & incarnatum eſſe; idque conſonat verbis Chriſti, Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis qui eſt in cœlo.* Ubi Filius hominis dicitur deſcendiſſe de cœlo, quantumvis ſolum Verbum de cœlo deſcenderit; quia propter idiomatum communionem, & perſonæ Chriſti unitatem, nihil de Verbo dici quit, quod non de Chriſto pariter valeat aſſirmari. Secundò ſumi poteſt nomen *Chriſtus*, pro perſona filii connotante naturam humanam ſibi hypoſtaticè unitam. Tertiò pro perſona filii connotante partes humanitatis ab invicē ſeperatas, ſed à ſe nequaquam dimiſſas. Quartò ſumi poteſt Chriſtus pro cōpoſito conſtante perſonâ Filii, & humanitate integra. Iam facilè apparet, in vero ſenſu dici poſſe Chriſtum totum fuiſſe in ſepulchro; quia cùm per mortem, diſſoluta unione corporis & animæ, perſeveraverit unio perſonæ Chriſti cum utraq; parte disjuncta, fit inde totum Chriſtum fuiſſe in ſepulchro, non totalitate naturæ, ſed totalitate perſonæ, pro qua ſupponit hoc nomen Chriſtus.

Quæres, an Chriſtus moram fecerit in inferno?

Reſpondeo, quod ſicut corpus Chriſti manſit in ſepulchro per diem integrum & duas noctes: ita tantūdem temporis anima manſit in inferno. Conveniens quidem fuit, ut eodem tempore, quo corpus eductum fuit de ſepulchro, anima etiam educeretur de inferno, ut ambæ partes ſicut paſſionum & humiliationum fuerunt earumdum participes; ita eſſent ejuſdem in reſurrectione honoris ſociæ. Cùm his tamen ſtat Chriſtum ſtatim atque ad infernum deſcendit, Sanctos ibi exiſtentes liberaſſe, non educendo eos de inferno, ſed eos luce gloriæ illuſtrando; & in hoc ſenſu dixit Salvator latroni: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quia licèt ad cœlum corporeum non aſſumptus fuerit, divinæ tamen gloriæ viſione donatus eſt; quæ viſio totam paradiſi felicitatem cùm conſtituat, meritò paradiſus appellatur.

Quæres ſecundò, utrum Chriſtus præter SS. Patres, aliquos ex aliis receptaculis inferorum liberarit?

Reſpondeo nullos. In primis enim nullum de inferno damnatorum eripuit, quia illis ſolis conferri poteſt Paſſionis Chriſti fructus, qui Chriſto per fidem charitate formatam conjunguntur: damnati autem, vel fide omninò carent, ut infideles; vel charitate & gratiâ, ut alii: Ergo nullus damnatorum ab inferno redemptus fuit. Idem dicendum eſt de animabus puerorum cum originali peccato decedentium, qui nec per proprium fidei & charitatis motum, nec per ullum Sacramentum Chriſto conjuncti fuerunt. Et hoc quidem non contigit propter Chriſti impotentiam, ſed propter hujuſmodi animarum conditionem, quæ ſunt in ſtatu termini, in quo in quamcunque partem ceciderit arbor, ibi erit. Nec obeſt illud Rom. 5. *Si unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Ieſu Chriſti in plures abundavit.* Quod non videtur verum, ſi nulli damnati, vel pueri per gratiam Chriſti liberati ſunt. Non obeſt, inquam: quia ut ait S. Thom. quæſt. 52. art. 7. *Ly, plures, non eſt accipiendum comparativè, quaſi plures numero ſint ſalvati per gratiam Chriſti, quàm damnati per peccatum Adæ; ſed abſolutè, ac ſi diceret, quod gratia unius Chriſti abundavit in multos, ſicut & peccatum unius Adæ pervenit ad multos. Sed ſicut peccatum Adæ ad eos tantùm pervenit, qui per ſeminalem rationem carnaliter ab eo deſcenderunt: ita gratia Chriſti ad illos tantùm pervenit, qui ſpirituali regeneratione ejus membra ſunt facti*, vel charitate formata illi uniti; quod utique non competit pueris in ori-

ginali

ginali mortuis, nec adultis ob peccatum mortale æternis flammis addictis.

Quantum ad animas Purgatorii docet S. Doctor *art. 8.* illas, quæ fuerunt tales, quales nunc ſunt, quæ in Purgatorio detinentur, non fuiſſe liberatas per deſcenſum Chriſti; ſed illas duntaxat, quæ fuerunt tales, quales ſunt illæ, quæ jam à piacularibus illis flammis eximuntur. Quia Paſſio Chriſti non habuit tunc majorem efficaciam, quàm habeat nunc, cùm ejus virtus ſit ſempiterna. Cùm ergò deſcenſus Chriſti non fuerit liberatorius, niſi in virtute Paſſionis Chriſti, ſequitur quod tunc nihil ampliùs contulerit animabus illis, quàm quotidie confertur animabus ſufficienter ſecundùm divinæ juſtitiæ leges purgatis; proinde cenſet S. Doctor, per deſcenſum Chriſti nullum ſpeciale beneficium animabus illis eſſe collatum, ſed illas duntaxat fuiſſe liberatas, quæ præfinitum ſibi purgationis tempus impleverunt, vel quæ dum eſſent in corpore, *meruerunt per ſingularem fidem & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente liberarentur à Purgatorii pœna.* Quibus ultimis verbis indicat S. Doctor, ob deſcenſum Chriſti, necnon in gloriam triumphi ejus aliquos fuiſſe ſpecialiter liberatos, ſuppoſita tamen conditione fidei & devotionis ſpecialis eorum, qua ſperarunt, ut eo deſcendente liberarentur; ſubindeque reſpectu illorum deſcenſus Chriſti fuit executivus & applicativus beneficii crediti & ſperati. Credibile tamen eſt, animam Chriſti patientes animas fuiſſe ſolatam & notitiâ adventus ſui, & expectatione liberationis per ſacrificium Miſſæ à ſe inſtitutum, aliiſque Chriſtianæ Religionis ſacris ritibus & ſuffragiis notis eas non mediocriter recreaſſe.

REFLEXIO.

Chriſtus mortuus eſt: Ergo qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt; quia ſi ſecundùm carnem vixerimus, moriemur, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus. Sit nobis vivere Chriſtus, & mori lucrum, id eſt, ut exponit Ambroſ. lib. de fid. Reſurr. *Commoriamur cum Chriſto, ut vivamus cum eo. Sit quidam quotidianus uſus in nobis affectuſque moriendi, ut per ſegregationem à corporis voluptatibus, anima noſtra ſe diſcat extrahere, & tanquam in ſublimi locata, quò terrenæ adire libidines, & eam ſibi glutinare non poſſint, ſuſcipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat.*

Diſputant quidam Theologi, utrum Adamo non peccante Verbum incarnatum eſſet? Verùm nullus ambigit, nemo in dubium, aut controverſiam vocat, utrum peccato non exiſtente Verbum aſſumpſiſſet carnem paſſibilem? Solum ergo peccatum paſſibili illud carne induit, paſſionibus obruit, mortem diriſſimam intulit. Ipſum ſuperbia noſtra exinanivit, ambitio exhonoravit, gula felle & aceto potavit, luxus denudavit, luxuria laniavit. Heu quale monſtrum, quo author vitæ interfectus eſt! Ergo malorum omnium ſummum & ſumma, imò malum unicum peccatum eſt. Et tamen, proh dolor! Peccatum amant, peccato inhiant, peccatum ſicut aquam bibunt hujus ſæculi Chriſtiani. Rurſuſque crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, ſuper dolorem vulnerum ejus addunt, Chriſtum Dei conculcant, ſanguinem Teſtamenti, in quo ſanctificati ſunt, pollutum ducunt, ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt, Divinitatem quantum in ipſis eſt occidunt, dum Deum, qui eſt animæ anima, ab anima dividunt, manus ingratitudine ligant; pretium infinitum vili brevis voluptatis, aut commodi commutatione vendunt, ſupra Iudam proditores, ſuper tortores diri, ſuper Judæos puniendi. Quod enim nefarii Paſſionis Miniſtri ſemel juſſi, vel ſponte perpetrarunt, hoc noſtri Chriſtiani, vel potiùs antichriſtiani & graviter, & facilè, & crebrò, & quotidie ſacrilegâ renovant manu, & conſuetudine peccandi ſuave inveniunt, quod ipſi fuit Pilato formidandum. *O homo* (inquit Chriſtus moriens apud Bernardum) *vide quæ pro te patior! Nonne ſatis pro te vulneratus ſum? Cur addis afflictionem afflicto? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. Non eſt dolor ſicut is quo crucior. Vide pœnas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior; cùmque tantus ſit dolor exterior, interior eſt planctus gravior, cùm te ingratum intueor.*

Eſt etiam Chriſti in Cruce morientis intrepida conſtantia & invicta perſeverantia viris Religioſis ſpiritalibus ſummè obſervanda. Spondebant Judæi ſe in Chriſtum, ſi deſcenderet à cruce, credituros; & tamen Chriſtus tam ſpecioſo procurandæ ſalutis deſpecto prætextu, in cruce maluit interire, quàm inconſtantiæ ſigna præbere. Docere voluit exemplo, quod verbo antea prædicarat: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Heu quot videmus & deploramus, qui ſplendentia propagandæ Dei gloriæ accersendæque peccatoribus ſalutis prætexunt negotia, ut arctarum vitæ communis obſervantiarum jugum excutiant, & extorto privilegio vulnus inferant legi, quam profeſſi ſunt. *Non deerunt concionatores, qui tibi ſufficiant, tametſi non prædices* (inquiebat vitæ regularis columna R. P. Gabriël Ranquet Ordinis noſtri;) *ſed ægre invenientur, qui pro peccatis tuis jejunent.* An neſcis quod in caſſum bonum agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur; & quod, teſte Gregorio, fruſtra velociter currit, qui priùs quàm ad metas venerit, deficit. Sed agitur, inquis, Ordinis exiſtimationis caput, agitur Chriſtianæ Reipublicæ gloria, ſalus agitur animarum. Benè eſt, probo zelum, laudo conatum: ſed illum non inflammat, ut par eſt, charitas, niſi informet ſcientia, firmetque conſtantia. Videtur quidem fervidus, ſed nec circumſpectus eſt, nec invictus. Nam quomodo invictus & conſtans, qui deſcendit de cruce, & mittens manum ſuam ad aratrum reſpicit retro? Alios ſalvare copis, & ſalutem negligis tuam? Alios ut ſtent promiſſis in Baptiſmate emiſſis hortaris, & tu non reddis Domino vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua? Quid prodeſt tibi univerſum mundum lucrari, animæ verò tuæ detrimentum pati? Aut quam commutationem dabis pro anima tua? Quin & paucos, vel nullos lucraberis, niſi fueris & diſciplinæ cuſtos, & obſervantiæ tenax. Quomodo enim pœnitentiam ſuadebit deſertor pœnitentiæ? *Delicatus Magiſter eſt*, inquit Hieronymus ad Nepot. *qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Delicata doctrina eſt pugnanti ictus dictare de muro; & cùm ipſe unguentis delibutus ſit, cruentum militem accuſare libidinis. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent.*

Porrò quàm damnanda ſit eorum ignavia, qui nulla gravi urgente infirmitate, carnis & ſanguinis ſolis revelationibus ducti abjiciunt ſuſceptam reformationem, & arctioris vitæ inſtitutum, nemo non videt. Nonne de his verè dicitur: *Effuſi ſunt greſſus eorum*, quorum ſpes lapſæ, in vanum effuſus labor, vota ſunt deſtituta. Vidimus plures per aliquot annos habuiſſe ſtudium probitatis, caſtitatis cuſtodiam, vitæ arctioris affectum, piæ propoſitum ſervitutis, ſedulæ obſervationis officium; & ſubito tædio mutatos diſceſſiſſe de obſervantia, vale dixiſſe jejuniis, indulgere deliciis, ſtudere luxuriæ, & ea omnia diſciplinæ ſepta irrumpere, quæ ad Sanctiſſimi inſtituti indemnitatem Patres ſui appoſuerunt. Sed quid faciam, inquis, qui aliter facere non poſſum; continua abſtinentia, diuturna jejunia, noctis vigiliæ corpus debilitant, complexionem evertunt: legumina ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, caules ſto-

triunt melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno ant de lutoſa aqua meæ protinus complexioni non congruunt. Verùm his molliculi aoimi rui artificiis jamdudum occurrit Bernardus *ſerm 66. in Cant. & ſerm. 30. & epiſt. 1.* & alibi his ferè verbis: Benè ſcio quod delicatus es, & quod mollibus aſſuetus modò duriora non poſſis. Sed quid ſi potes facere, or poſſis? Quæris qnomodo? Surge, præcingere, tolle otium, exere vires, move brachia, comploſas explica manus, exercitare in aliqno; & ſtatim ſenties ſola te appetere, quæ famem rullant, non fauces demulceant. Olus, faba, pultes, paniſque cibarius cum aqua quieſcenti quidem faſtidio ſunt, ſed exercitato magnæ videntur deliciæ. Vigilias times, & jejunia, manuumque laborem? Sed hæc levia ſunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deiode tenebratum exteriotum facit non horrere ſolitudinem. Si futuram cogitas de verbis otioſis diſcuſſionem, non valdè diſplicebit ſilentium. Fletus æternus & ſtridor ille dentium ante cordis oculos reductus pares tibi reddet mattam & culcitram. Denique ſi ſicut de nocte quod regula præripit, benè ad Pſalmos vigilaveris, nimis durus erit lectus, in quo quietè non dormias. Quale eſt hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellariis reperiri vix poſſit quod comedas? Puta re quæſo Monachum eſſe, non medicum; nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione. Audi Bernardum & fluxa corporis conſtitutione debilem, & pœnitentiæ rigore contritum, & ſtudiis, laboribus, itineribus fractum, de ſe tamen ſic loqnentem: *Abſtineo à vino, quia in vino luxuria eſt: aut ſi infirmus ſum, modico utor, juxta conſilium Apoſtoli. Abſtineo à carnibus, ne dum nimiùm nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſtudeo ſumere, ne onerato ventre, ſtare ad orandum tadeat, & ne improperet etiam mihi Propheta, quod panem meum comederim cum ſaturitate. Sed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtenſio ſanè ventris uſque ad titillationem pertingat libidinis.* Sed ſi his nondum argnmentis moveare, Crucifixom, ipſumque & carne molliorem, & membris teneriorem, & ſentiendi facultate poſt hominum memoriam maximè præditum intuere, & exclama: *Nolo ampliùs eſſe ſine vulnere, cùm jam te video vulneratum.*

DISSERTATIO V.

De exaltatione Chriſti.

DOCET S. Thomas *quæſtione 49. art. 6.* Chriſtum Paſſione ſua quadruplicem exaltationem promeruiſſe. Æquum enim eſt, ut *cùm aliquis ſibi ex juſta voluntate ſubtrahit quod debebat habere, mereatur ut ſibi ampliùs ſuperaddatur, quaſi merces juſtæ voluntatis.* Et inde eſt. quod ſicut dicitur Luc. 24. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*; Chriſtus autem in ſua Paſſione ſeipſum infra ſuam dignitatem quadruplici homiliatione dejecit: nam & amariſſimæ morti, & horridæ ſepulturæ, & ignomioioſiſſimis probris, & humanæ ſubditus eſt poteſtati. Ergo dignum & juſtum fuit, ut vulneribus & morte cooſciſſum ſaccum circondaret reſurrectionis lætitia, ut corpns in ſepulchro latitans, & animam in inferiores partes terræ deſcendentem aſcenſio ſuper omnes cœlos ſublimaret; ut reputatum cum peccatoribus conſeſſus paternæ dexteræ ſuper omnes Angelos eveheret, & in nomine ejus omne genu flecteretur, qui Judæorum fuerat probris & pedibus per ſummum dedecus conculatus; ut demùm ſupremam in omnes haberet indeclinabilis judicii poteſtatem, qui à peccatoribus fuerat accuſatus, & iniquiſſimè condemnatus. De Chriſti judiciaria poteſtate alicubi diſſerim⁹, de aliis tribus impræſentiarũ diſputabimus. Et quia ad Chriſti exaltationem non parum conducit collata Chriſto eximia poteſtas, quam habet in cœlo & in terra in ordine ad quæcumque patranda miracula; ideo de illa etiam agemus.

CAPUT I.

Gloria Reſurrectionis, & triumphus Aſcenſionis Chriſti.

SOlenne eſt Deo amicorum calamitates temperare, quia potum dat in lacrymis io menſura, & ſecundùm multitudinem dolorum ipſorum, conſolationes ejus lætificant animas ſanctas. Unde nec corpus Chriſti diu in ſepulchro jacere, nec Mariam luctu obrui, nec Apoſtolos mœrore conſumi permiſit. Sed triſtitiæ lætitia, opprobrio gloria, dolori incorruptibilitas, morti nova reſurrectionis vita, ſepulturæ aſcenſio ſuper omnes cœlos ſucceſſit, ut ſequentibus ſpeculationibus clarebit.

SPECULATIO I.

Reſurrectio Chriſti fuit neceſſaria.

NEceſſaria, inquam, tum ad commendandam divinam juſtitiam, cui ſoleone eſt deponere potentes de ſede, exaltare humiles: tum ad illuſtrandam, firmandamque fidem, quæ uni innititur reſurrectioni, ſine qua *inanis eſt prædicatio noſtra, inanis & fides noſtra*, ut *1. Cor. 15.* dicitur: tum ad ſpem fidelium ſublevandam; reponitur enim hæc ſpes reſurrectionis in ſinu membrorum, dum ſciunt caput ſuum reſurrexiſſe, & mortuum revixiſſe Redemptorem: tum ad informandos Chriſtianorum mores; oam mori peccato, & in novitate vitæ ambulare tenentur, qui Chriſtum reſurgentem adorant: tum ut reſorgens Chriſtus ea nobis bona conferret, quæ ſuâ fuerat Paſſione promeritus; quæ enim fuiſſet utilitas in ſanguine ejus, ſi deſcendiſſet in corruptionem? Denique gloriam reſurrectionis jure merito corpus illud exigebat, quod erat unione hypoſtaticâ decoratum.

Dices: Si reſurrectio Chriſti fuit Chriſti morientis præmium, cur non ſtatim poſt mortem Chriſtus reſurrexit? Si reſurrectio Chriſti eſt futuræ noſtræ exemplar, cur non uſque ad finem mundi, ſicut noſtra, dilata eſt?

Reſpondeo Chriſtum inter mortoos liberum, nulla mortis neceſſitate, nullis ſepulchri vinculis detentum, tandiu reſurrectionẽ diſtuliſſe, quandiu ad noſtræ fidei inſtructionem deſiderabatur. Exigebat autem fides Divinitatis ejus, ut ſubitâ reſurrectione demonſtraretur: poſtulabat verò fides humanitatis aliquam mortem inter & reſurrectionem inveniri moram, qoia ſi nulla interceſſiſſet, de veritate mortis, & conſequenter reſurrectionis dubia ſuborta fuiſſent, quæ dilatâ ad tertium diem reſurrectione exuncta ſunt. Unde non debuit Chriſti reſurrectio ſtatim fieri, nec ad finem uſque mundi differri: neque in hoc Chriſti reſurrectio eſt exemplar noſtræ, ſed in eo quod corpus noſtræ humilitatis reformabit, & corpori claritatis ſuæ configurabit in reſurrectione noſtra definitis à Deo temporibus executioni mandanda.

Dices iterum: Reſurrectio non fuit neceſſaria vel ſufficiens ad Chriſti Divinitatem comprobandam, ſi contigerit multis aliis: Atqui ſic eſt; nam in veteri Teſtamento per Eliam & Eliſæum aliqui ſuſcitati leguntur, quorum meminit Apoſtolus Hebr. 11. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Narrat etiam Matthæus *cap. 27.* tempore Paſſionis Chri-

ſti

ſti aperta fuiſſe monumenta, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, reſurrexiſſe: Ergo reſurrectio Chriſti non fuit neceſſaria.

Reſpondeo reſurrectionem, qualis Chriſto obtigit, fuiſſe illi ſoli eximiam. Licèt enim aliqui tam in veteri, quàm in novo Teſtamentu à morte fuerint ad vitam reparati, tamen quia ſurrexerunt iterum morituri, ideo reſurrectio eorum imperfecta valde fuit. At Chriſtus non ſolùm à morte, ſed etiam à poſſibilitate moriendi primus liberatus eſt; Chriſtus quippe reſurgens jam non moritur. Unde & pervenit ad vitam omnimodis immortalem, quæ eſt vera & perfecta reſurrectio, quia quandiu aliquis vivit ſubjectus neceſſitati moriendi, quodammodo mors ei dominatur; illud enim quod poſſibile eſt eſſe, ſecundùm quid, nimirum potentialiter, dicitur eſſe. Hinc Chriſtus ab Apoſtolo *primogenitus ex mortuis, primogenitus mortuorum, primitiæ dormientium* nominatur, quia priùs tempore & dignitate reſurrexit.

Porrò de illis Sanctis, quorum corpora cum Chriſto reſurrexerunt, gravis eſt inter ipſos Patres controverſia. Plerique enim eos ad vitam immortalem reſurrexiſſe contendunt, tum ut glorioſâ reſurrectione congrui eſſent reſurrectionis Chriſti teſtes, haberetque Chriſtus aliquos reſurrectionis ſocios, ſicut aſcendens in altum captivam duxit captivitatem, ut triumphi ſui participes haberet. Tum quia animæ glorioſæ corpori glorioſo uniri connaturale eſt, nec citra miraculum cohiberi poteſt quatuor redundantiom dotium effluxus. Tum quia ſi Sancti illi morituri reſurrexiſſent, mors conſequuta à principiis intrinſecis non proveniens à Deo fuiſſet illata; pœnam autem, & talem pœnam, qualis eſt mors, Deus ſine culpa non infligit. Nec propterea, inquiunt, ſequitur Chriſtum non eſſe primogenitum mortuorum. Tum quia potuit reſurrectio Chriſti Sanctorum illorum reſurrectionem aliquo inſtanti reali præcedere. Tum quia ad dictorum Apoſtoli veritatem ſufficit reſurrectionem Chriſti fuiſſe aliis naturâ & cauſalitate priorem. Tum demùm, quia reſurrectio eſt aliis prior prioritate, ſeu primitate dignitatis, quatenus ſolus Chriſtus fuit cauſa reſurrectionis ſuæ, juxta illud Joan. 10. *Nemo tollit animam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Licèt enim corpus & anima Chriſti ſecundùm virtutem naturalem conſiderata ſeſe invicem reunire nequiverint; tamen per virtutem unitæ ſibi Divinitatis, & corpus aſſumpſit animam, quam depoſuerat, & anima corpus, quod dimiſerat, iterum vivificavit, juxta illud Corint. ultimo: *Crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed vivit ex virtute Dei.*

Alii tamen primæ notæ Patres, inter quos Auguſtinus, arbitrantur Sanctos illos iterum morituros reſurrexiſſe. Tum quia *Matth.* 27. ſatis apertè ſignificatur Sanctos illos tempore Paſſionis ante reſurrectionem fuiſſe ſuſcitatos voce Chriſti morientis, ut ait Chryſoſtom. *hom.* 8. *in Matth.* Nemo autem ante Chriſtum ad vitam ſimpliciter immortalem reſurrexit. Tum quia ſi aliquis Sanctorum reſurrexiſſet ad immortalem vitam, maximè David; durum enim videtur, inquit Auguſtin. ut in ea reſurrectione ille non fuerit, ex cujus ſemine Chriſtus commendatur: David autem ad vitam ſimpliciter immortalem non reſurrexit. Teſtatur enim Petrus *Act* 2. verba illa, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, non poſſe intelligi de David: *Quoniam defunctus eſt, & ſepultus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.* Hæc ratio non videtur adverſæ ſententiæ cogens, quia ad veritatem dicti S. Petri ſatis fuit, quod ſepulchrum ſemel ingreſſum ſit corpus David corrumpendum, & quia non eſt neceſſe David inter reſurgentes annumerare, quia privilegia ex divina voluntate ob rationes ſæpe nobis occultas diſpenſantur. Sed tamen urget Auguſtinus, quia ſi tunc quando Petrus loquebatur, corpus David non erat in monumento, nihil convincebat Petri ratiocinatio. Dicere verò reſurrectioni Chriſti non adfuiſſe Davidem, qui poſt Moyſem fuit Prophetarum omnium excellentiſſimus, ut ait S. Thom. *2. 2. quæſt. 174. artic. 2. & 4.* creditu durum eſt & difficile.

Denique ſi corpora illa reſurrexiſſent ad immortalem vitam, ſimul etiam cum Chriſto aſpectabiliter aſcendiſſent in cœlum; & tamen de aſcenſione corporum illorum nec in actis Apoſtolorum Lucas, nec alibi Sacri Doctores meminerunt. Et communis Catholicorum ſenſus eſt, nullum præter Chriſtum & Deiparam in cœlo animæ corporiſque gloriâ potiri. Et ſanè ſi alicui concedi deberet hoc privilegium, congrueret planè in Sanctiſſimo Job, vel inter natos mulierum majori Joanni Baptiſtæ aſſereretur: illi ob ſcatentia ulcera, iſti ob eximias quidem dotes; ſed nominatim ob illibatum candorem puritatis, cujus etiam victima fuit. Et tamen prior ait cap. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Poſterioris verò caput Romæ, brachium in Eccleſia Prædicatorum Perpiniani etiamnum religiosè ſervatur, & colitur. Ergo nullus Sanctorum veteris Teſtamenti ad vitam immortalem reſurrexit. Idque indicat Apoſtol Hebr. 11. *Et homines teſtimonio probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid meliùs providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Si autem Sancti illi ad vitam ſimpliciter immortalem ſurrexerunt, fuerunt ſine nobis contra dictum Apoſtoli conſummati.

Denique alii docti Theologi mediam ineunt viam, dicentes Patres illos ad vitam ſimpliciter mortalem, vel immortalem non ſurrexiſſe, ſed ad vitam immortali ſimillimam, quatenus eorum corporibus glorioſas dotes non per modum habitus permanentis, ſed per modum diſpoſitionis tranſeuntis Deus impertitus eſt. Eo ferè modo quo Chriſto transfigurato claritas, ambulanti ſuper aquas agilitas, egredienti de clauſo Virginis utero ſubtilitas, inſtituenti divinam Euchariſtiam impaſſibilitas, ne à comedentibus divideretur, ad modum paſſionis tranſeuntis collatæ ſunt. Mors autem deinde conſequuta eſt non per alterationem aut corruptionem naturalem, ſed per ſimplicem animæ à corpore ſeparationem divinitus factam, quæ tamen rationem pœnæ non habet, quia non reſurrexerat corpus niſi ad tempus, diſſolutaque eſt unio jubente Domino, conſentientibus Sanctis, abſque læſione, dolore, vel infirmitate ulla.

Reflexio.

Macte animo, Lector, ſurge miles Chriſti, ſurge, excutere de pulvere. O homo nudus & pauper, inſer & miſerabilis, natus de muliere cum reatu, brevi vivens tempore cum metu, repletus multis miſeriis, nec ſine fletu, tandem aliquando reſurges, quia Chriſtus reſurrexit. Conſolare, conſolare Jeruſalem, anima ſancta, & dum te quaqua verſum vertis, nihil à calamitate vacare vides, cui infirmitas corporis, fatuitas cordis, ſterilitas mentis cumulatur traduce ſortis, mortis addictione. Expecta Dominum, viriliter age, dabit Deus his quoque finem. Reſurget hæc miſera caro, quæ fuit ſperma fœtidum, quæ eſt vas ſtercorum, quæ erit eſca vermium. Hoc reſurget corpus diſtillans fœtores, pruriens concupiſcentiis, occupatum infirmitatibus, involuntariis pollutum illuſionibus, plenum ignominia & confuſione; cujus materia, terra & cinis; cujus conceptus, culpa; cujus nativitas, pœna; cujus vita, labor; cujus mors, anguſtia; cujus omnis gloria, tanquam flos fœni; cujus ſplendor, vapor eſt ad modicum parens, um-

bra eſt citò tranſiens, & vanitas vanitatum.

Vide quod ſicut per momenta temporum arbuſta foliorum viriditatem amittunt, à fructuum prolatione ceſſant; & ecce ſubitò quaſi ex areſcente ligno folia erumpunt, fructus grandeſcunt, & tota arbor redivivo colore veſtitur; ſicut ex parvo ſemine, quod in terram jacitur, immenſa pullulat arbor, quantumvis non comprendamus ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum latitabat: ſic caro quæ in putredinem vertitur, quæ in pulverem redigitur, quæ in cineres deſinit, rurſum carnibus veſtietur, & mortalis in ſordibus nata immortalis renaſcetur in gloria. Nam, ut rectè proſequitur Minutius Felix in Octavio: *Quis tam ſtultus aut brutus eſt, ut audeat repugnare, hominem à Deo ut primùm potuiſſe fingi, ita poſſe denuò reformari? Porrò difficilius eſt id quod non ſit incipere, quàm id quod fuerit iterare. Tu perire & Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetibus ſubtrahitur? Corpus omne ſive areſcit in pulverem, ſive in humorem ſolvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis, ſed Deo elementorum cuſtodia reſervatur. Vide adeo quàm in ſolatium noſtri reſurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit, & naſcitur: Aſtra labuntur, & redeunt flores occidunt, & reviviſcunt: poſt ſenium arbuſta frondeſcunt: ſemina nonniſi corrupta revireſcunt. Quid feſtinas, ut cruda adhuc hyeme reviviſcas, & redeas? Expectandum nobis etiam corporis ver eſt.*

Verùm ejus non reſurget caro cum Chriſto, cujus ſpiritus non reſurgit à peccato, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita & ipſe in novitate vitæ incipiat ambulare. Nun enim ad cœleſtem Chriſti reſurget vitam, cujus fides mortua eſt. Porrò fidei vitam nova & bona opera conteſtantur. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu dignoſcimus, ita & fidei vitam ex vitæ colligimus ſanctitate. Quem ergo videris in bonis operibus ſtrenuum, peccato mortuum, mundo crucifixum, & fervore converſationis hilarem, reſurrexiſſe ipſum non dubites, cujus indubitata vides novæ vitæ argumenta. Quem autem videris aliquot fleviſſe diebus, compunctioni, orationi, pœnitentiæ diebus aliquot incubuiſſe, & poſt confeſſionem paſchalem recidere in peccata, aſſimilari cani reverſo ad vomitum, & ſui loræ in volutabro luti, id eſt inveniri mondi amantem ut antè, verboſum & detractorem ut antè, cæteriſque implicitum vitiis, quæ tam anxiè deplorare videbatur mentita iniquitas ſibi; lotos pedes iterum inquinare, exutam veſtem iterum induere, redire comeſſationes, repeti cubilia luxuriæ, relaxari concupiſcentiis fræna: illum, inquam, ſic relapſum non reſurrexiſſe, nec Paſcha celebraſſe credendum eſt; eſt enim Paſcha reſurrectio, tranſitus, tranſmigratio: at ille non reſurrexit, ſed recidit; non tranſivit, ſed rediit; non tranſmigravit, ſed remeavit; pœnituitque verbo & lingua, non ſpiritu & veritate. Illi, ut proſequitur S. Bernard. *ſerm. 3. Paſch.* nundum Chriſtus eſt natus; quomodo enim operatur ejus humilitas, qui ſemetipſum exinanivit, in eo cujus ſuperbia aſcendit ſemper? Quæ veſtigia Chriſti naſcentis in eo, qui diviriis & honoribus inhiat? Illi nondum paſſus eſt Chriſtus, qui labores fugit, & voluptatibus diffluit. Illi nondum reſurrexit, quia ſpiritalem conſolationem non recipit homo carnalis, nec æternam recipiet, niſi ſeriò converſus novam meat viam nova creatura.

Speculatio II.

Reſurrectionis Chriſti gloria, manifeſtatio, efficacitas exponuntur.

In primis reſurrectio Chriſti fuit glorioſa. Primò, quia fuit prompta; reſurrexit enim Redemptor tertia die, & juxta ipſiuſmet Prophetiam, *Matth. 12.* manſit tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ, non quidem integris, ſed per ſynecdochem à parte denominatis. Cùm enim Chriſtus reſurrexerit in aurora diei Dominicæ, quæ dicitur dies prima Sabbathi, id eſt prima poſt Sabbathum, à quo Judæi ducebant hebdomadam; unde ait Matth. *Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi*, id eſt nocte, quæ ſequitur diem Sabbathi deſinente, & crepuſculo incipiente: aliunde verò ab hora nona diei Paraſceves, ſeu Veneris, uſque ad principium diei Dominicæ non poſſint eſſe tres integri dies, cùm ſint tantùm quadraginta horæ, neceſſe eſt Scripturas affirmantes Chriſtum tertiâ die reſurrexiſſe, non de completa, ſed de inchuata die eſſe intelligendas. Sicut tres noctes intelliguntur de tribus partibus noctium, nimirum de medietate noctis Paraſceves, duplici medietate Sabhati, & medietate noctis Dominicæ. Dies enim integer à media nocte in mediam noctem numeratur.

Secundò, quia hæc reſurrectio fuit myſteriis fœta. Per hoc enim quod Chriſtus tertiâ die reſurrexit, ſignificatur (ait D. Thomas quæſt 53. art. 2.) *quod Chriſtus una morte ſua, quæ fuit lux propter juſtitiam,* duas noſtras mortes deſtruxit, ſcilicet corporis & animæ, quæ ſunt tenebroſæ propter peccatum. Per hoc etiam ſignificatur, quod per reſurrectionem Chriſti tertium tempus incipiebat; nam primum fuit ante legem, ſecundum ſub lege, ternum ſub gratia. Incepit etiam in Chriſti reſurrectione tertius ſtatus Sanctorum; nam primus fuit ſub figuris legis, ſecundus ſub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ. quam Chriſtus inchoavit reſurgendo. Chriſtus autem reſurrexit circa diluculum, illuſceſcente jam die (addit S. Doctor *ad 3.*) ad ſignificandum, quod per ſuam reſurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat: ſicut mortuus eſt adveſperaſcente jam die, & recedente in tenebras, ad oſtendendum quod per ſuam mortem deſtrueret tenebras culpæ & pœnæ.

Tertiò, quia in reſurrectione verum & integrum Chriſti corpus reſtitutum eſt, ut ſubſiſtat veritas reſurrectionis; ſicut enim gratia non deſtruit, ſed perficit naturam: ita gloria reſurrectionis veritatem corporis non abſtulit, ſed decoravit. *Corpus Chriſti,* inquit S. Thom. art. 2. *in reſurrectione fuit ejuſdem naturæ, ſed alterius gloriæ. Unde quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Chriſti reſurgentis.* Omnes igitur potentiæ, facultates, organa, humores in Chriſto reſurgente permanſerunt in ſtatu perfectiſſimo, & numeris omnibus abſoluto. Unde Auguſt. epiſt. 148. *Quodlibet quiſquis addat* (Chriſto reſurgenti) *corruptionem addere caveat, ne ſuæ fidei ſanitatem caſtitatemque corrumpat. Valet enim divina potentia de iſta viſibili atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates, ut abſit labes, abſit effigies, abſit motio, abſit fatigatio, abſit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſſitas.*

Quartò: Corpus Chriſti reſurgentis fuit luçidiſſimum, & ſplendidiſſimum. Quia ex pleniſſima animæ beatitudine redundat in corpus plenitudo ſanitatis, incorruptionis vigor, & ſplendor immarceſſibilis. Et quanvis ex divina diſpenſatione factum ſit, ne ab anima Chriſti in ipſo conceptionis momento Deo fruente redundaret effuſio beatitatis, ut noſtræ poſſet redemptionis myſterium conſummari; tamen hoc diviniſſimo peracto negotio, ſtatim anima in corpus per reſurrectionem reſumptum gloriæ beatiſſimum effluxum corrivavit. Sanè cùm cauſa ſit potior cauſato, & exemplar exemplato, reſurrectionem Chriſti ingens debuit gloria comitari, cùm ſit exemplar futuræ Sanctorum reſurrectionis, in qua fulgebunt Juſti ſicut ſol in regno Patris eorum, &

corpus

corpus ſeminatum in ignobilitate ſurget in gloria.

Sed dices: Qoomodo poterant impurtabiles glorioſæ reſorrectionis radii à mortalium infirmis ocolis irretorta acie ſuſtineri? Quomodo palpari potuit corpus ſubtilitate donatum? Quomodo poterat manducare & bibere corpus à mortalis vitæ neceſſitatibus immune? Et tamen Chriſtus poſt reſurrectionem viſus, palpatuſque fuit, atque cum diſcipulis non ſemel comedit.

Reſpondeo corpus glorioſum eſſe viſibile, quia cùm perfectè ſubdatur animæ, poteſt ejus ſplendor ita videntibus attemperati, ut ſine læſione ſenſos cerni poſſit. Eſt etiam corpus glorioſum palpabile, quia non ſolùm habet tangibiles qualitates, qoibus natus eſt immutari ſenſus tactûs; ſed etiam ſoliditatem, quâ tangenti reſiſtere poteſt, ſi velit anima, cui ad notum obſequitur. Poteſt etiam comedere non alimenti indigentiâ, ſed facultate naturali vitali, quæ integra perſeverat. Et licèt cibus non convertatur in ſubſtantiam comedentis, qui eſt extra ſtatum generationis, corruptionis, augmentationis, & cujuſvis alterationis; ſed reſolvatur in præjacentem materiam, non eo modo quo terra ſitiens abſorbet aquam, ſed quo eam ſolis radius calens abſumit, non ſibi uniendo, ſed in vapores convertendo; tamen corpus reſurgens talis eſt naturæ, in quam poteſt cibos converti, unde verè poteſt comedere; habet enim tria ad veræ & formalis comeſtionis rationem reqoiſita, facultatem convertendi cibum in propriam ſubſtantiam, actionem exercitam naturalibus inſtrumentis, & à principio vitæ, anima ſalicet & facultate comedendi prodeuntem.

Dices iterum: Cicatrices gloriæ corporis derogare videntor, ſicut aperturæ vulnerum repugnat integritati: Atqui Chriſtus reſurrexit cum cicatricibus & vulnerum apertura. Ioannis 20. *Infer digitum tuum huc, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Ergo corpus Chriſti non reſurrexit glorioſum.

Reſpondeo cicatrices ſervatas corporis Chriſti reſurgentis gloriam non minuere, ſed aogere. Non ex impotentia curandi, inquit Beda, cicatrices Dominus ſervavit, ſed ut in perpetuum victoriæ ſuæ circumferat triumphum. Sunt enim inclytæ virtutis inſignia, & generoſæ pugnæ, ac illuſtris victoriæ teſſeræ. Unde etiam S. Auguſt. credit in corporibus glorioſis Martyrum vulnerum cicatrices futuras conſpicuas. *Non enim* (inquit 22. lib. de Civit. c. 22.) *deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quadam, quanvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit.* Congruebat etiam ſacra illa infiniti amoris pignora conſervari, tum primò ad firmandam reſurrectionis fidem, ut non aliud corpus reſurrexiſſe credamus, quàm quod cruciatu mortuum fuit. Secundò, ut Patri irato miſericordiæ monumenta identidem demooſtraret, & veluti totidem amabiliſſimæ facundiæ oribus clementiam ſuaderet. Tertiò, ut Chriſtianis tam dura morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adjuti, quámve Deo pretioſi ſint, oſtenſis immenſi pretii indiciis inſinuaret, atque ad ſingularem fiduciam & amorem his incentivis provocaret. Quartò, ut in judicio impios ingratitudinis & injuſtitiæ convictos, his ferè Auguſtini verbis *lib. de Symb. cap.* 8. increparet: *Ecce hominem, quem crucifixiſtis; videtis vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcitis latus, quod pupugiſtis; quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.* Porrò cicatrices Domini eſſe apertas, & cum foraminibus in æternum duraturas, patet ex eo quod Dominus Thomæ præcepit, ut in latus manum mitteret. Noo potuiſſet autem Thomas digitos in loca clavorum immittere, niſi cum iiſdem aperturis Chriſtus ſurrexiſſet, cum quibos corpus de cruce depoſitum ſepulturæ traditum eſt. Si autem ſacra illa foramina Chriſtus reſurgens retinuit, profectò ſemper remanebunt, quia poſt reſurrectionis gloriam nunquam ampliùs corpus immutatur.

Seconda pars ſpecolationis petit ut explicemus, an & quando Chriſti reſurrectio fuerit manifeſtata, non quidem omnibus, ſed teſtibus præordinatis à Deo, ut dicitur *Act.* 10. Qoia hæc eſt ſolita divinæ providentiæ lex, ut ſopernaturalia, ea potiſſimùm quæ ad futuram gloriam ſpectant, non immediatè omnibus revelentur, ſed deferantur ad inferiores mediantibos ſuperioribus, quibus ſecreta cœleſtia primitus panduntur, ut paulatim cæteris pateſcant. Primò igitor ſe manifeſtum præbuit Chriſtus ſuæ Sanctiſſimæ Matri; decebat enim ut eam quam ante omnes, & præ omnibus doloris gladius pertranſiverat, primus etiam Chriſti aſpectus ſolaretor, & ſecoodùm multitudinem dolorum conſolationes Dei animam ejus lætificarent. Et certè communis Eccleſiæ ſenſus per manos majorum ad nos uſque traditione delapſus credit, Deigenitricem, quæ cæteris omnibus præcipua in filium dilectione præſtabat, prima etiam, & potiora reſurgentis filii repenſa dilectionis ſigna ſenſiſſe. Conſtans enim eſt Saoctorum & piorum omnium ſententia, & maxima receptiſſima, omnes & ſingulas gratiæ prærogativas aliis Sanctis diſperſas, cum auctario divinæ Mariæ fuiſſe conceſſas.

Deinde manifeſtata fuit reſurrectio Sanctis mulieribus, ſicut patet *Marc.* 16. ut mulier quæ primò nuntium mortis ad hominem detulerat, prima etiam ſpem vitæ in reſurrectione Chriſti nunciaret: ut etiam ſignificaretur ſexum fœmineam nullum ex infirmitate ſua pati detrimentum in his quæ ad ordinem gratiæ & ſtatum gloriæ pertinent. Quia ſi charitate hominibus mulieres antecellont, majori etiam gloriâ ſine acceptione perſonarum potientur: ſicut mulieres qoæ Dominum arctiùs amaverant, nec à ſepulchro Dominico Diſcipulis recedentibus receſſerant, primò Dominum in gloria reſurgentem videre meruerunt. Et quia Mariam Magdaleoam incredibilis vis amoris accenderat, & teſte Gregorio Magno *hom.* 15. *in Evang.* exquirebat quèm non inveniebat, flebat ioqoirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, ejus quem ablatum credidit, ardebat deſiderio. Et quanvis monumentum corpore vacuum vidiſſet, & ſublatum Dominum nuntiaſſet; tamen iterum ſe inclinabat, iterum videre deſiderabat, quia *amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit, & vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.* Ideo Chriſtus *ſurgens mane prima Sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia,* ut dicitur *Marc.* 16. Ubi *primò*, non derogat prior apparitioni B. Virgini Matri conſpicuæ, ſed ſignificat inter teſtes illos ad annuntiandam reſurrectionem præordinatos Mariam Magdalenam tenere primatum, unde & Apoſtolorum Apoſtola nominatur, & ſingularis Ordinis Prædicatorum Apoſtolicam vitam docentium Patrona habetur & colitur.

Poſtea frequenter diſcipulis apparuit ad firmandam reſurrectionis veritatem. Noluit tamen cum eis continuò converſari, ne videretur reſurrexiſſe ad talem vitam, qualem priùs ducebat: & ut alternâ ſui demonſtratione ſignificaret, plenum in hac valle miſeriarum gaudium haberi non poſſe, ſed conſummatam conſolationem in futura vita expectandam; unde & Diſcipulis Veritas dixit, Joan. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Cæterùm Chriſtus ſic manifeſtationem ſuam diſpenſabat & temperabat, ut pro diverſa Diſcipulorum diſpoſitione ſeſe diverſimodè exhiberet. Et quia divina à rectè diſpoſitis ſecundùm veritatem percipiuntur, à malè autem diſpoſi-

tis

tis cum quadam dubietatis & erroris confuſione; ideo Chriſtus diſcipulis ad credendum apparatis in ſua effigie ſe videndum exhibuit: illis autem in alia effigie apparuit, qui videbantur in fide tepeſcere, & ut ait S. Greg. talem ſe exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente; quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à fide, ire ſe longiùs finxit, ſcilicet ac ſi eſſet peregrinus. Apparuit autem Chriſtus in alia effigie, non per immutationem corporis, vel lineamentorum vultus, ſed quatenus ex cõditione glorioſa reſurrectionis non ſolùm erat in poteſtate Chriſti, ut corpus ſuum videretur, vel non videretur; ſed etiam ut occultaretur aliquid de naturali corporis habitu, ratione cujus occultationis dicitur in alia ſpecie apparuiſſe. Vnde & ideo dicitur Lucæ ultimo: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent*, id eſt occultabatur illis connaturalis corporis Chriſti diſpoſitio. Credunt tamen aliqui Patres & graves Theologi, oculos eorum fuiſſe tentos vel caligine à dæmone inducta, vel nimia triſtitia abſorbente attentionem, vel vehementi applicatione & anxietate animi, dum loquebantur de his quæ Magiſtro acciderant. Sed omnis hæc mœſtitiæ confuſique animi caligo, cunctaque dignoſcendi Chriſti impedimenta *in fractione panis*, id eſt participata corporis Chriſti veritate ſublata ſunt. Vnde & Divina Euchariſtia à Patribus *Cœna lucis* nominatur, ad quam accedentes illuminantur, & facies eorum non confunduntur. Sed nota, quod non fuiſſent aperti oculi diſcipulorum, nec cognoviſſent Dominum in fractione panis, niſi attuliſſent corda flammantia, ut ipſimet teſtati ſunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?*

Vltima pars aſſerit, reſurrectionem Chriſti fuiſſe efficaciſſimam. Tum ad convincendum intellectum; & ideo dicitur quod Chriſtus diſcipulis apparuit per quadraginta dies in multis argumentis, in quantum ſignis evidentibus ſe reſurrexiſſe demonſtravit, ita ut diſcipuli haberent evidentiam reſurrectionis, non in ſeipſa per rationes intrinſecas, quia cùm ſit ſupernaturalis, & rationem humanam excedat, ſciri in hac vita non potuit, ſed credi; ſed evidentiam in atteſtante Chriſto, qui eis ſuam reſurrectionem revelavit, & innumeris ſcripturarum promiſſionibus, ac operationibus ſupernaturalibus confirmavit, egreſſu nimirum de ſepulchro, ingreſſu ad diſcipulos januis clauſis, aſcenſu ad cœlos, quæ Chriſtum glorioſi corporis dotes obtinuiſſe evidenter convincebant. Nec tam reſurrectio in ſeipſa patebat, quia niſi illis nota fuiſſet vitæ & converſationis Chriſti ſanctimonia, perſpectaque fuiſſent ſacrarum Paginarum oracula, dubitare potuiſſent, num à phantaſmate, vel ſpiritu in corpore aſſumpto illuderentur. Dici tamen poteſt, quod licet ſingula ſigna & argumenta reſurrectionis non ſufficerent ad reſurrectionem Chriſti perfectè manifeſtandam, quia multis dubitationibus & calumniis poterant eſſe obnoxia; omnium tamen ſignorum ſimul ſumptorum concurſus Chriſti reſurrectionem perfectè manifeſtabat, maximè propter Scripturarum teſtimonium, Angelorum præſentiam, & Chriſti ipſius aſſertionem miraculis confirmatam. Veritatem enim reſurrectionis corporis ſuadebant corpus palpabile, naturalis effigies, & vulnerũ cicatrices. Animæ verò reunionem demonſtrabant opera vitæ nutritivæ per comeſtionem, ſenſitivæ per viſum & auditum, intellectivæ per diſcurſum de Scripturis loquutione expreſſum. Divinitatem verò oſtendebant miracula capturæ piſcium. Gloriam autem corporis ſignificabat dum cœnaculum penetravit, & ſubitò evanuit ab oculis eorum.

Deinde reſurrectio Chriſti eſt efficax, quia eſt cauſa reſurrectionis corporum futuræ, & reſurrectionis animæ per gratiam juſtificantem. Eſt quidem cauſa reſurrectionis corporum, tum quia primum in unoquoque genere eſt cauſa cæterorum; reſurrectio autem Chriſti eſt prima ſimpliciter in genere reſurrectionis glorioſæ, unde 1. Cor. 15. dicitur: *Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Tum quia principium humanæ vivificationis eſt Verbum Dei, de quo dicitur in Pſalm. *Apud te eſt fons vitæ.* Et Joan. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius, quos vult, vivificat.* Ergo tribuit vitam immortalem corpori ſibi naturaliter unito, & per ipſum operabitur reſurrectionem in omnibus aliis. Siquidem habet hoc naturalis ordo rerum divinitus inſtitutus, ut quælibet cauſa operetur in ſubjectum propinquius, & per illud actionẽ ſuam in remotiora diffundat; ſicut ignis prius aërem vicinum quàm remota corpora calefacit: & priùs Deus Seraphinos, & per eos inferiores Angelorum choros illuminat. Tum quia primordialis cauſa reſurrectionis humanæ eſt divina juſtitia, ut ſcilicet corpora in ſocietatem præmii vel ſupplicii veniant animarum, quarum meriti, vel peccati conſortium habuerunt. Sicut ergo Pater omne judicium dedit Filio, in quantum Filius hominis eſt; ita virtus effectiva reſurrectionis Chriſti ſe extendit non ſolùm ad bonos, ſed etiam ad malos, qui ſunt ejus judicio ſubjecti. Præcipuè tamen reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis Sanctorum, quia licèt virtus effectiva illius ſe extendat ad omnium futuram reſurrectionem, *exemplaritas tamen ejus* (verba ſunt S. Thomæ quæſt. 56. art. 2. ad 3.) *ſe extendit propriè ſolùm ad bonos, qui ſunt facti conformes filiationi ipſius*, ut dicitur Rom. 8. Porrò dicitur reſurrectionis noſtræ cauſa & effectiva inſtrumentalis, modo ſequenti capite explicando; & exemplaris, non quòd Deus ſuſcitans à mortuis egeat exemplari extra ſe, ſed ex parte reſurgentium, quos oportet reſurrectioni ejus conformari, & configurari corpori claritatis ipſius; ſi tamen Chriſto patienti & morienti in hac vita paſſibili & mortali conformes fuerint, juxta illud Rom. 6. *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Sed de his plenior habebitur ſermo dum de reſurrectione omniũ, ubi declarabitur quomodo in reſurrectione generali reſurrectionem Chriſti quantum ad corporis integritatem, decorem, aliaque id generis ornamenta imitabimur.

Deniquè reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis animarum, tum effectiva, cùm humanitas Chriſti per reſurrectionem reparata ſit cauſa inſtrumentalis omnis noſtræ juſtitiæ, & ſanctitatis; quia ejus eſt inſtaurare omnia, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Tum exemplaris, quia Chriſti reſurrectioni debet animæ noſtræ reſurrectio conformari, ut ſicut ille reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: & quemadmodum ipſe reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; ita & exiſtimemus nos mortuos eſſe peccato, ut non iterum vivamus in illo.

REFLEXIO.

Omnia tempus habent, inquit Sapiens. *Vicibus diſpoſita res eſt*, addit Tertullian. *lib. de ſpect. cap.* 28. Pactum eſt immutabili Dei lege ſancitum, quod nemo declinare, vel irritum facere poteſt; omnis, velit, nolit, ſubire tenetur; nimirum ut hyemis injuriis veris lætitia atque deliciæ, labori quies, maris procellis tranquillitas, ſuaviſque portus ſuccedant. Oportebat igitur Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Dura planè & incredibiliter auſtera, quæ Chriſtus pertulit. *Sed quid fautes?* inquit Salvian, lib. 4.

ad

ad Eccleſ.) *Non licet rerum mutare naturas. Niſi duris non itur ad Regnum.* Hic naturalis eſt rerum ordo, hæc immutabilis ſeries, ut ſicut ex ſecundis rebus moleſtæ veniunt, & tantum impiis datur tormentorum, quantum fuerunt in deliciis: ſic ex moleſtis lætæ, & ſecundæ redeunt. Sanè ſicut, teſte Tertulliano, lux quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt, ſydera defuncta viveſcunt, dies moritur in noctem, & uſquequaque ſepelitur, funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur, ſordentibus, ſilentibus, ſtupentibus cunctis; & tamen rurſus cum ſuo cultu eadem & integra reviviſcunt: ita à fortiori in lege gratiæ fructus gloriæ non niſi præcedentibus tribulationibus ac laboribus matureſcunt. *Nonne contra naturam vivunt, qui hyeme concupiſcunt roſam, fomentoque aquarum calentium, & calorum apta mutatione, brumâ lilium florem vernum exprimunt?* Sed nonne contra gratiam agunt, nonne fructus ante tempus comedere feſtinant, qui volunt ad dexteram, vel ſiniſtram Chriſti ſedere, nec calicem ab ipſo guſtatum bibere poſſunt? Siquidem quandiu in ſtadio currimus, ſeminandi, non metendi; flendi, non ridendi; tribulationes perferendi, non deliciis fruendi opportunum eſt tempus.

Erras, Chriſtiane Lector, erras, & vehementer erras, ſi aliter obtinere credideris reſurrectionis gloriam, quàm fuerit ille conſequutus, quem teſte Apoſtolo, decebat paſſionibus conſummari, nec Regis nomen aut honorem ſibi aſſeri permiſit, donec regium veſtimentum in purpureum fulgorem cruor tingeret paſſionis. Similis factus eſt Chriſtus grano ſinapis, quod in hortum virginei ſinus miſſum, minimum quidem fuit omnibus ſeminibus, ſed crucis in arborem crevit, ac ſuaviſſimum dedit fructus ſui ſaporem; ſed ſuam minimè explicaſſet virtutem, niſi fractus contrituſque paſſione fuiſſet. *Nam*, inquit Chryſol. ſerm. 98. *ſicut in integritate grani ſinapis virtus habetur occulta, apparet verò virtus ejus vehementiſſimè ſi teratur: ita Chriſtus corpore teri voluit, qui ſuam noluit latere virtutem.* Nonne te puderet retributionem ſine merito, exaltationem abſque humiliatione, & felicitatem alia tibi ratione comparare, quàm Chriſto obtigerit, de quo ait Paulus Philip. 2. *Exinanivit ſemetipſum, propter quod & Deus exaltavit illum.* Ponderaly *propter quod.* Id eſt, inquit Chryſoſtom. homil. 7. *Extremam Chriſtus pertulit obedientiam, propterea accepit & ſupremum honorem.* Id eſt, inquit Auguſtin. tract. 104. in Joan. *Humilitas claritatis eſt meritum: claritas humilitatis eſt præmium. Vt enim reſurgeres* (addit idem Pater in Pſalm. 109.) *mortuus es: ut aſcenderes, reſurrexiſti; ut ſederes ad dexteram Patris, aſcendiſti. Ergo ut ad dexteram Patris ſederes, mortuus es. De morte enim reſurrectio, de reſurrectione aſcenſio, de aſcenſione ad dexteram ſeſſio. Hoc totum ergo cœpit à morte; excellentia claritatis hujus principium habet humilitatis.* Igitur caſtigemus corpus noſtrum, facta carnis ſpiritu mortificemus, ut infirmitati virtus, ignobilitati reſurrectionis gloria ſuccedat. Non enim reſurgent impii in judicio, quia omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. *Reſurgent impii incorrupti* (ait Auguſt. epiſt. 146.) *integritate membrorum, ſed corrumpendi dolore pœnarum.*

SPECULATIO. III.

Admirabilis Aſcenſionis Chriſti neceſſitas, & gloria exponuntur.

IN primis neceſſaria fuit Chriſti aſcenſio, tum ut aſſignaretur proportionatus locus Chriſto reſurgenti, cujus ſtatui incorruptibili mundus iſte corruptioni & generationi obnoxius minimè congruebat, ſed deſiderabatur locus corruptioni impervius, nimirum cœleſtis. Et quanvis nil ei accreverit, inquit S. Thomas *quæſt. 57. art. 1. ad 1.* quantum ad ea quæ ſunt de eſſentia gloriæ, ſive ſecundùm corpus, ſive ſecundùm animam; tamen accrevit ei aliquid quantum ad loci decentiam, quod pertinet ad benè eſſe gloriæ. Tum quia fuit utile Eccleſiæ, ut præſentiam ſuam corporalem ſubtraheret, & ut fides, quæ eſt de non viſis, amplius haberet meritum; & ut ſpes ſublevaretur membrorum, eò pervenire confidentium, quò caput præceſſit; & ut in cœlos erigeretur charitas, quæ ibi cor ſuum figere tenetur, ubi theſaurus invenitur; & quia Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt quærere, quæ ſurſum ſunt ſapere invitatur, non quæ ſuper terram: denique ut noſtra erga ipſum reverentia augeretur, dum à tempore Aſcenſionis Chriſtum non ſicut hominem terrenum, ſed ut Deum cœleſtem veneramur.

Dices: Chriſtus aſcendit ad cœlos vel motu continuo, vel motu diſcreto. Neutrum dici poteſt; non quidem quod aſcenderit motu continuo ſucceſſivo, quia cùm inter cœlum & terram ſit diſtantia fermè infinita, indiguiſſet Chriſtus perlongo annorum curriculo, ut ad Empyreum perveniret; non motu diſcreto, quia corpus non poteſt moveri de extremo in extremum, non pertranſito medio.

Reſpondeo corpus ullum non poſſe in inſtanti localiter moveri, & ad extremum diſtans pervenire, omne etenim corpus hoc ipſo quod quantum eſt, legibus loci obnoxium eſt: unde ſicut continetur à loco, ita motum localem corporis loco commenſurari neceſſum eſt; ſubindeque quemadmodum corpus partibus conſtat, ita loci partes poſt partes acquirit: ſicut è contra aliàs diximus, Angelum poſſe tranſire de extremo in extremum, intacto medio, quia nullis loci conditionibus purus ſpiritus alligatur. Itaque Chriſtus non ſolùm motu continuo ſucceſſivo aſcendit à monte Oliveti uſque ad eam aëris regionem, in qua evanuit ab oculis intuentium; ſed etiam eodem motu pervenit ad cœlum Empyreum, breviſſimo tamen tempore, & incredibili pernicitate corporibus glorioſis ob dotem agilitatis eximiâ.

Inſtabis: Si cœlum eſt locus debitus & proportionatus Chriſto reſurgenti, debuiſſet Chriſtus ſtatim poſt reſurrectionem aſcendere: Atqui Chriſtus non ſtatim aſcendit, ſed ut ait Lucas *Act.* 1. Diſcipulis præbuit ſeipſum vivum in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis: Ergo non fuit neceſſarium Chriſtum aſcendere in cœlum.

Reſpondeo, quod licèt incorruptibili Chriſti reſurgentis corpori locus incorruptus debetur, ex divina tamen diſpenſatione ſapientiſſimè diſpoſitum eſt, ut per aliquot hebdomadas aſcenſionem ſuam Salvator diſtulerit, tum ad reſurrectionis veritatem multis argumentis firmandam & inculcandam; tum ad Apoſtolorum, cæterorumque Diſcipulorum ſolamen; tum ut loqueretur de regno Dei, ut dicitur *Act.* 1. id eſt, quibus mediis obtinenda eſt cœleſtis futuræ vitæ felicitas, quæ veros Chriſti diſcipulos, doctrinæ ipſius ſectatores, & vitæ æmulatores in æternum beabit. Vel quia ſæpe regnum cœlorum in ſacro Eloquio præſens Eccleſia intelligitur, ut Gregorius Magnus obſervat, voluit Salvator per illa quadraginta dierum interſtitia de Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, quam redemit ſanguine ſuo, momentoſis negotiis pertractare, Hierarchiam Eccleſiaſticam diſtinguere, ſacros ritus diſcipulos edocere, Rempublicam Chriſtianam toto orbe propagandam optimis legibus & inſtitutis exornare & communire, Divinarum Scripturarum ſenſum aperire, recondita ſalutis arcana, quæ ante Paſſionem portare non poterant, explanare, aliaque id genus præſtare, quæ ſponſum amantiſſimum, & Epiſcopum animarum decent.

Inſiſtes: Si Chriſtus aſcendit in cœlum, vel aſcendit

ſcendit ſecundùm humanam naturam, vel ſecundùm perſonam divinam. Neutrum dici poteſt; non quidem quod aſcenderit ſecundùm humanam naturam; tiam ut dicitur Joan. 2. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.* Et Eph. 4 *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit.* Chriſtus autem non deſcendit ſecundùm humanam naturam. Non poteſt etiam dici, quod aſcenderit ſecundùm divinam naturam; nihil enim eſt Divinitate altius, quò poſſit aſcendere Deus, cujus immenſitati repugnat omnis motus localis: Ergo Chriſtus non aſcendit in cœlum.

Reſpondeo, quod ſi conſideremus conditionem aſcendentis, id eſt rationem ſubjecti recipientis motum aſcenſionis, in hoc ſenſu aſcenſio convenit Chriſto ſecundùm humanam naturam, quæ loco contenta motui ſubjicitur: ſi verò conſideretur cauſa aſcenſionis, in hoc ſenſu dici debet Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, non ſecundùm humanam naturam, ſed ſecundùm divinam, ex cujus virtute Chriſtus in cœlum aſcendit, juxta illud Auguſtini ſerm. de Aſcenſ. *De noſtro fuit, quod Filius Dei pependit in cruce; ſed de ſuo, quod aſcendit.* Unde qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit, quia eadem perſona, quæ exinanivit ſemetipſam, ut formam ſervi acciperet, ipſamet naturam aſſumptam ſupra cœlos evexit.

Gloria autem ſingularis in aſcenſione Chriſti refulſit. Primò, quia Chriſtus propriâ virtute aſcendit, nec curru, vel Angelis ſublevatus dicitur; ſed qui fecerat omnia, ſuper omnia ſua virtute ferebatur. Tanta enim eſt obedientia corporis glorioſi ad animam beatam, ut teſte Auguſtino, ubi vult Spiritus, ibi protinus corpus ſit. Et licèt aſcendere ſurſum ſit contra naturam humani corporis, ſecundùm ſtatum præſentem, in quo corpus quod corrumpitur aggravat animam; id tamen non erit violentum, ſed omninò conſentaneum corpori glorioſo, cujus tota natura eſt omninò ſpiritui ſubjecta. Unde Chriſtus aſcendit in cœlum propria virtute, id eſt & virtute Divinitatis ſibi hypoſtaticè unitæ, & virtute animæ beatæ beneficio doris agilitatis corpus ad libitum cientis, juxta illud Iſaïæ 63. *Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.*

Secundò, quia corpus Chriſti ſuper omnes cœlos elevatum eſt. Tum quia corpori nobiliori ſuperior debetur locus; corpus autem Chriſti omnibus aliis præſtat, ob præclaras quibus eminet gloriæ dotes. Tum quia debetur Chriſti humilitati; nã ſicut Chriſtus ita ſe dejecit ad inferiores partes terræ, ut inferiùs deſcendere non poſſet; ita ſuper cœlos adeo debuit exaltari, ut aſcendere altiùs non poſſet. Hanc rationem tangit Apoſtol. Eph. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Et ideo *Hebr. 4.* dicitur, Chriſtum penetraſſe cœlos, & factum cœlis excelſiorem, quia ſupra convexam cœli ſuperficiem evectus eſt, & plantis pedum ſupremi cœli verticem calcat.

Tertiò, quia corpus Chriſti ſedem habet ſuperiorem omni loco creaturarum etiam ſpiritualium; quia licèt ſecundùm naturæ corporeæ conditiones ſpectatum ſit infra ſpirituales ſubſtantias, attentâ tamen unione perſonali ad Divinum Verbum, omnibus creaturis dignitate immensùm antecellit. Unde ei deſignatus eſt locus ſublimior, qui ſit veluti ſolium Cœleſtis Principis, ubi conſtituitur ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & ſupra omne nomen, quod nominatur, ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro, ut habetur *Eph. 1.* Quomodo autem ſupra cœlum Empyreum, ſi ſit perfectè ſphæricum, vel perfectè planum & quadratum, ſecundùm alios, poſſit inveniri locus altior aut minùs altus, vix poteſt definiri, & ut ait Cajetan. *Mittamus hæc ſupernaturalia futuri ſæculi ſcientia futuri ſæculi.* Hoc tamen certum eſt, quod licèt omnes partes Empyrei in ordine ad centrum mundi eſſent omninò æquales, tamen per ordinem ad ſedem ſupremo Principi deſignatam diſcerni poteſt diverſitas & inæqualitas manſionum.

Quartò, quia Chriſtus ad paternæ dexteræ conſeſſum ſublimiter erectus eſt. Patri enim conſidet, qui eandem cum Patre regnandi, judicandique poteſtatem habet. Localem namque dexteram in Patre, qui incircumſcriptibilis ſpiritus, non admittimus, ſed dexteram Patris dicimus gloriam & honorem Divinitatis. *Sedere ad dexteram Patris*, inquit S. Thomas quæſt. 57. art. 2. *nihil aliud eſt, quam ſimul cum Patre habere gloriam divinitatis, & beatitudinem, & judiciariam poteſtatem, & hæc immutabiliter, & regaliter.* Quæ nitentiſſima privilegia conveniunt Chriſto ut homini, quia licèt humanitas ſecundùm præciſas naturæ ſuæ conditiones non habeat gloriam, beatitudinem, & poteſtatem judicandi Divinitati eximiam, tamen quia ratione unionis hypoſtaticæ Chriſtus ſecundùm quod homo eſt Filius Dei ob divini ſuppoſiti unitatem, ita & ſedens ad dexteram Patris dici debet. Unde Auguſtinus *ſerm. de Symbolo*, ait: *Ipſam dexteram intelligite poteſtatem, quam accepit ille homo ſuſceptus à Deo, ut veniat judicaturus, qui priùs venerat judicandus.* Et ideo non minori proſequimur honore Filium in natura aſſumpta, quàm Patrem veneremur. Quod ſanè ingens privilegium ita eſt Chriſto proprium & ſingulare, ut dixerit Apoſtolus Hebr. 1. *Ad quem Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis?* id eſt ad nullum. Cùm enim dicere Dei in ordine ad creaturas idem ſit ac facere, dixit enim & facta ſunt, ſi Deus nulli Angelorum, & multò minùs hominum dixit, ut ad dexteram ſuam ſederet, nullus profectò talis conſeſſûs factus eſt particeps, cùm Deus & dicendo facere, & faciendo dicere ſoleat. Nec etiam ullus Sanctus talem ſeſſionem ambire, vel aſcendere præſumeret, aliàs illi regereretur quod ſuperbo illi, cujus elevatum eſt cor in decore ejus, & dixit, Aſcendam in cœlum, ſedebo ad latera aquilonis; cui confeſtim repoſitum eſt, Tu autem ad infernum detrahêris. Nec obeſt quod interdum dicantur in Scripturis Sancti conſidere cum Chriſto in cœleſtibus, conregnare, ſedere ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraël; hæc enim, aliaque intelligi ſemper debent aſſeri Sanctis in gradu inferiori, & dependente à Chriſto.

Ultimò, quia Aſcenſio Chriſti eſt cauſa noſtræ ſalutis, & ex parte noſtra, & ex parte Chriſti. Ex parte quidem noſtra expedivit nobis ut abiret, ut ſurſum corda traheret, & fieret converſatio noſtra cœleſtis, ex quo ille qui amor & deſiderium noſtrum eſt, cœpit habitare in cœlis. Ex parte ipſius etiam, quia pandens iter ante nos, & paraturus nobis locum aſcendit, ut ubi ipſe eſt, & nos ſimus, eóque perveniant membra, quò caput præceſſit. Tum quia Pontificem noſtrum Sanctuarium ingredi congruebat, ut aſſiſteret Deo pro populo, interpellaretque pro nobis amantiſſimus Advocatus, qui inſtantiâ precum, & eloquentiſſima exhibitione vulnerum cauſam eorum ageret benigniſſimus orator, pro quibus humanæ naturæ vilitatem aſſumpſerat. Denique ut excelſior cœlis factus, de rore cœli ſtillicidia gratiarum effunderet ſtillantia ſuper terram, pluviamque voluntariam ſegregaret hæreditati ſuæ Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, id eſt totus ſaluti omnium propenſus, & comparatus.

Reflexio.

Surſum corda, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Qui natus eſt nobis, nobis etiam aſcendit; vocatur enim nomen ejus admirabilis, Pater

ter futuri ſæculi, vel ut legit Vatablus, *Pater æternitatis*, filios aſcenſione generans ad gloriam, quos in doloribus conceperat Paſſionis. Aſcendit theſaurus, ut homines cœlo & immortalitati natos, æternitatiſque candidatos ad ſe ſublevans inciperent mortales ad immortalia rapi, & terrenorum inanitate contempta, immenſum gloriæ pondus ob oculos ponerent, quo ad virtutis ſtadium indefeſsè percurrendum eo acriùs ſtimularentur, quo incomparabilis eſt cœleſtis bravii magnitudo.

Et tamen, proh dolor! Homines quantiquanti ſunt, terram amant, mundo agglutinantur, ipſas ſæculi amaritudines ſapiunt, bona fugientia ſequuntur, labentibus adhæreſcunt, & in fugacibus ſæculi defluentis bonis conquirendis ſe invicem protrudunt. Quouſque igitur caro miſera, inſipiens, cæca, & protſus inſana tranſitorias & caducas quæres conſolationes, imò deſolationes? Quouſque amplexaberis ſtercora, quæ omnia hæc ut ſtercora debueras arbitrari? Quouſque fallacem, præſtigiatoremque mundum, aliter res proponentem quàm in earum natura ſint, *bracteatam, & perſonatam felicitatem*, ut loquitur Seneca, id eſt deludificantem & fucatam illuſtrium bonorum ſpeciem ac cruſtam deauratam pro veris, ſolidis, & perpetuis objicientem adorabis? An neſcis quod laus impiorum brevis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti? An neſcis quod præterit figura hujus mundi? *figura*, inquam cum Theophylacto & Chryſoſtomo, id eſt effigies, ſpecies, habitus externus, & larva, quæ apparens ſolo terminatur aſpectu, nullo fundamento ſubſiſtit. *Nam etſi divitias objeceris, ſi gloriam, ſi delicias, ſive aliud quodcumque ex iis, quæ magna eſſe videntur, figura tantummodò ſunt, non ipſius, quæ in rebus eſt, veritatis demonſtratio.* An neſcis nihil eſſe in rebus humanis ac negotiis præter umbram auramque leviſſimam ſine mora prætervolantem, & illa ipſa quæ ſuperbam faciem, turgidum habitum, lucem vibrantem, colorem fucatum oculos animoſque pellicientem, hominesque dementantem exteriùs habent, veras eſſe aranearum telas ſubtiliſſimas, ſtipulas inutiliſſimas, vacua idola veritatem mentientia, quæ ſunt ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam evellatur exaruit?

Quod ſi illa non ignoras, ſi proprio experimento convictus ſis, ſplendentia ſæculi bona pueriles eſſe nugas, quiſquilias, ludicra, ludos infantium in arena, in quo quæ capitur oblectatio ſimol deſinit cum ſtudio, quod ponitur in iis quæ facta ſunt; quare ludis infantilibus delectaris? Quare vir factus loqueris ut parvulus, cogitas ut parvulus, nec quæ ſunt parvuli evacuas? *Uſquequò parvuli* (inquit Sapiens Prov. 1.) *diligitis infantiam; & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam?* Uſquequò more puerorum parva hianti ore ſuſpiciemus, magna & cœleſtia deſpiciemus? Magna enim non ſunt quæ videmus, niſi quia parvi ſumus: nec illis ex natura ſua, ſed ex vilitate noſtra magnitudo ineſt. Uſquequò tandem, inquit Chryſoſt. *hom. 4. in epiſt. 1. ad Cor.* pueros imitabimur, qui latronibus domum depilantibus arrident, calathulum, ſiſtrum, pupam, vel pomum auferentibus indignantur. Sic nos ad diabolum cœli hæreditatem, & bona auferentem velut amicum ridentes accurremus; ſi autem poſſeſſionem, aut divitias, aut puerile aliquid abſtulerit, irâ & furore diſcerpimur? O quàm anguſtus eſt animus, quem terrena delectant! Planè homo vanitati ſimilis factus eſt, qui ad ſimilitudinem Dei factus fuerat, dum caduca & fragilia, puerilibuſque crepundiis conſentanea cœleſtium perennitati anteponit, dum cœleſtium globorum contemptis præclariſſimis intervallis, punctum terræ inſectatur, in puncto materiam gloriæ, honoris ſedem quærit. *Punctum eſt iſtud,* inquit Seneca lib. 1. quæſtion. nat. *in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis.* Ergo Chriſtum aſcendentem intueamur. Agnoſcamus nobis genus eſſe de cœlo. Oculos erigamus ad ſidera, ne oblectamentis & illecebris nos ſuis terra dejiciat. Sordeſcat tellus, dum cœlum aſpicimus. Ne detineant nos nugæ nugarum. Utamur hoc mundo tanquam non utentes, ſeu ut loquitur Auguſtinus, adhibeamus res utentis modeſtiâ, non amantis affectu. Aſpernamus mundum, qui mentitur, ut fallat, blanditur, ut noceat; bonum promittit, ut malum inferat; vitam, ut perimat, pollicetur. Enitamur per anguſtam viam, ut perveniamus in amplam poſſeſſionem hæreditatis æternæ. Incipiamus eſſe quod futuri ſumus; habituri in regno ſine interventu noctis ſolum diem, noctu & interdiu in lumine gratiæ vigilemus; & daturi ſemper & acturi gratias Deo, hîc cum Deo quantum poſſumus converſemur. Etenim inter occurrentes mundi preſſuras non modicum animis credentium ſolatium eſt, promiſſa fidelibus bona dulci cogitatione præſumere, & in paradiſo jam animis deambulare. Fortiter igitur, animoſeque dimicemus: ipſa Veritas, Dei Verbum Deus, reſurrectionem carnis in vitam æternam & ſpopondit docens, & probavit reſurgens, & confirmavit aſcendens. *Oportet* (inquit Magnus Gregor. homil. 29. in Evang.) *oportet, fratres chariſſimi, ut illuc ſequamur corde, ubi Chriſtum credimus corpore aſcendiſſe; & ſi adhuc tenemur infirmitate corporis, ſequamur tamen eum paſſibus amoris; quia is qui placidus aſcendit, terribilis redibit.*

CAPUT II.

De potentia & miraculis Chriſti.

AD exaltationem Chriſti pertinet ſupremæ collatio poteſtatis. Unde & poſt reſurrectionem dicebat Veritas, Matth. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Illi*, inquit Hieronymus, *poteſtas data eſt, qui paulò ante crucifixus, qui ſepultus in tumulo, qui poſtea reſurrexit.* Et quia poteſtas in miraculorum patratione præcipuè relucet, ideo de miraculis Chriſti ſermonem ſubnectemus.

Speculatio I.

Humanitati aſſumptæ non quidem omnipotentia, ſed excellentiſſima poteſtas collata eſt.

PRima pars eſt certa, quantumcunque enim humanitas fuerit unione ad Verbum ſupra quod dici poteſt ſublimata; remanſit tamen diſtincta à natura divina, propriamque retinuit impermixtam, & inconfuſam. Sed nulli naturæ creatæ vel creabili competere poteſt omnipotentia, quæ eſt naturæ divinæ character, & proprietas eximia; quia ſicut Deus ſolus habet eſſe incircumſcriptum, ita & potentiam activam inexhauribilem. Ergo humanitas Chriſti non habet omnipotentiam, ſed eſt virtutis finitæ, dependentis & ſubordinatæ Deo. Cui ſubinde non convenit virtus creandi, quæ infinitam in creante vim præſupponit, ut alias oſtendimus. Poteſt tamen homo Chriſtus dici omnipotens, ſicut dicitur Deus, non quòd ſit alia potentia hominis & Filii Dei, ſed quia una & eadem eſt perſona hominis, & Dei omnipotentis.

Dices: Matth. 11. dicebat Veritas: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et cap. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Quid autem eſt omnis poteſtas, niſi omnipotentia?

Reſpondeo hæc teſtimonia intelligi de poteſtate excellentiæ, quæ in Chriſto fuit ſumma, quam ſibi poſt reſurrectionem fuiſſe collatam ideo Chriſtus aſſeruit, quia tunc potiſſimùm virtus ejus enituit; & tunc res dicitur fieri, quando innoteſcit.

Secunda pars probatur, & declaratur. Chriſtus ut homo ratione unionis hypoſtaticæ poterat ad libitum exercere quæcumque opera ſupernaturalia, & patrare quælibet miracula; non quidem virtute humanitati innata, ſed quia quidquid volebat voluntate humana, à Deo ſine mora impetrabat. Si enim Deus voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit: ſi oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, hoc eſt, ut exponit Salvianus lib. 2. de Provid. *Id quod dicit, divinas aures in precibus ſemper eſſe juſtorum, non audientia tantùm Dei, ſed quadam quaſi obedientia deſignatur. Quomodo enim in precibus juſtorum divinæ aures ſunt? Quomodo, niſi ut ſemper audiant, niſi ut ſemper exaudiant, niſi ut promptè audita tribuant, niſi ut illicò exaudita concedant?* At quantò magis id verum erat de precibus filii dilecti, in quo ſibi tantopere complacet Pater? Unde ſecurus ajebat Joan. 11. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.*

Tres autem præcipuæ conveniebant poteſtati Chriſti dotes, quibus virtutibus aliis Sanctis collatis immensùm antecellebat. Prima erat facilitas ſumma, quâ mirabilia quæque extemporaneè operabatur, ut ex decurſu Evangelii perſpicuum eſt. Solo namque verbo, geſtu, tactu, motu, greſſu morborum omnium diſtillabat medicinam, ſedabat procellas, cæcos illuminabat, mortuos revocabat. Secunda erat univerſalitas, quia ut ait D. Thomas *quæſt. 13. art. 2.* ſecundùm quod humanitas eſt inſtrumentum Verbi ſibi uniti, habuit virtutem ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad finem Incarnationis, qui eſt inſtaurare omnia, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt; unde & in Angelos, & in homines ſuarum corrivabat fluenta gratiarum. Tertia eſt fœcunditas. Et nota quod tunc aliqua virtus cenſetur perfecta, quando poteſt ſibi ſimilem producere, quia tunc fit effuſio plenitudinis bonitatis: Chriſto autem Domino data eſt virtus miraculorum cum tanta prærogativa, ut non ſolùm ipſe miracula ad nutum ederet, & veluti plena manu ſpargeret; ſed etiam Diſcipulis miraculorum patrandorum virtutem copioſiſſimè transfuderit. Unde dicitur *Matth.* 10. quod convocatis duodecim Diſcipulis, dedit eis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Atque ex iis varii confutantur errores, vel potiùs deliramenta eorum, qui Chriſti miracula vel arti magicæ, vel exquiſito temperamento, vel efficaciæ imaginationis Chriſti aſſerebant. Nam talia miracula patravit, quæ magorum omnium ſuperant facultatem. Mortui enim quatriduani à morte revocatio, cæci nati illuminatio, ſui ipſius ſuſcitatio, & videntibus omnibus in cœlum aſcenſio, magorum & dæmonum vim omninò excedunt. Præſertim quia nulla eſt, vel fuit unquam gens, vel ſecta à magicis ſuperſtitionibus, & diabolicis illis præſtigiis ac incantamentis Chriſtianâ magis abhorrens. Quodnam verò, obſecro, temperamentum eſſe poteſt, quantumvis ad pondus & ad juſtitiam (ut loquuntur Philoſophi) eſſe fingatur, quæve illa imaginationis efficacia, quibus præſto ſit imperare dæmonibus, excitare ſepultos, prædicere futura, cordis arcana detegere, & alia id genus facere, quæ nullus niſi Chriſtus, vel nomine Chriſti efficere hactenus potuit? Sed quod magis ſtupendum, nec minùs verum eſt, mira illa operabatur Salvator, non ut propriis ſerviret commodis, indulgeret deliciis, divitias aſciſceret, honores ambiret; ſed ut pœnitentiam, paupertatem, humilitatem verbis ſuaderet & ſignis, ſicut monſtrabat exemplis. Unde elegans Leo Magnus ſerm. 10. de Paſſ. *Quid Ieſum gravari ſinis, ô Pilate, de affectata potentia, cujus ſpecialis fuit de humilitate doctrina? Paupertatem elegit, obedientiam ſuaſit, manſuetudinem prædicavit: : Diſcute diligentiùs, Præſes, quid de poteſtate ejus compertum ſit? Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis donavit eloquium; febres abegit, dolores reſolvit, dæmonia ejecit, mortuos vivificavit. Hanc ergo Iudæi objiciant poteſtatem, & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cæleſtia perſequuntur?*

Dices: Quædam Chriſtus voluit, quæ tamen facta non ſunt. Nam ut dicitur Matth. 7. *Ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere.* Et *cap.* 9. cæcis illuminatis comminatus eſt, dicens: *Videte ne quis ſciat.* Illi autem exeuntes diffamaverunt illum per totam terram illam. Sed qui non facit quæ vult, non habet excellentiam poteſtatis: Ergo.

Reſpondeo ad primum locum, Chriſtum noluiſſe ingreſſum ſuum in illam domum manifeſtari per ſeipſum, permiſiſſe tamen, ut per alios innoteſceret; unde nihil contra voluntatem ejus factum eſt. Ad ſecundum teſtimonium reſpondeo ſolutione optimâ, & juxtà moraliſſimâ S. Thomæ quæſt. 13 art. 4. ad 2. *Sicut Gregorius dicit, per hoc quod Dominus præcepit taceri virtutes ſuas, ſervis ſuis ſe ſequentibus exemplum dedit, ut ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent; & tamen ut alii eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Sic ergo præceptum illud deſignabat voluntatem ipſius, qua humanam gloriam refugiebat, ſecundùm illud Ioan. 8. Ego gloriam meam non quæro. Volebat tamen abſolutè, præſertim ſecundùm divinam voluntatem, ut publicaretur miraculum factum propter aliorum utilitatem.* Hæc D. Thomas conformiter ad Auguſtinum *ſerm. 44. de Verbis Domini*, dicentem: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus non tantùm miracula propter miracula faciebat, ſed ut illa quæ faciebat, mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus*: id eſt, utilia ad acquirendam veritatem & virtutem, quæ ſunt vera & deſiderabiliora miracula. Nam ut ait Chryſoſtomus ſuper Matth. *Mirabilius eſt videre hominem convitia paſſum, & non motum, quàm hominem vulneratum & percuſſum, & non cadentem.*

Reflexio.

Attentâ tam præcellenti Chriſti potentiâ non deſino mirari, tam paucos hujus efficaciſſimæ virtutis influxus experiri, cùm cæteroquin & bonorum ſuorum ſummè diffuſivus, & humanæ ſalutis ſitibundus Salvator exiſtat. Nonne Chriſtus Deus eſt, & Deus ſol, qui ut ait Dionyſius, non cogitatione aut voluntate, ſed eo ipſo quod eſt, omnia illuſtrat, *omnibus totius bonitatis radios emittit.* *Nonne*, ut ait Cyprian. epiſt. 2. *ut ſponte ſol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat: ita ſe Spiritus cæleſtis infundit?* Nonne Chriſtus totus clementia eſt ad benefaciendum prona, cui nihil vel naturalius, vel antiquius, quàm apertâ manu omnia implere bonitate? Nonne, teſte Chryſoſtomo orat. de S. Philog. *Quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum; ita ille cupit effundere miſericordiam ſuam*, cujus impetum & prorumpentem copiam nemo prohibere, continere nullus poteſt? Nonne, ut ait Clemens Alexandrinus, *cùm ſit bonus, ſi ceſſaret unquam benefacere, ceſſaret & eſſe?* Nonne teſtante Scripturâ, reſpiravit dum hominem condidit, ut oſtenderet tam ſibi proprium eſſe benefacere, quàm viventi naturalis ſit reſpiratio? Nonne expectat Dominus, ut miſereatur noſtri Deus noſter,

Deus

Deus ſalvos faciens, nobis datus, nobis natus, totus ad ſalvandum comparatus, totus in ſalute exoptanda procuranda, adhibenda occupatus.

Ita planè, ita eſt: hæc Dei natura, hoc ejus ingenium, hæc illi ingenita vis eſt, & totas in gratis hominibus impertiendis Deitatis vires exercet. Sed quod in paucos diffluant divini Solis radii, perennis fontis aquæ, ne mirere, inquit P. Granatenſis. Agens non agit in diſtans. requiri approximationem agentis ad paſſum, Philoſophorum proloquium eſt. Porrò ad Deum accedimus non pedibus, ſed affectibus; non motibus corporis, ſed cordis ſuſpiriis; non aſtantium præſentiâ membrorum, ſed humili & jugi oratione. Quid ergo mirum ſi mundus ferè ſub cœlo totus ſit terra deſerta, invia, & inaquoſa, cùm nullos è fontibus hauriat Salvatoris. & mortalium penè omnium tepeſcat charitas, frigeſcat oratio, & peccatorum tenebris obſcurata mens in doctrina Spiritus caliget? Bona ſua Chriſtus quàmlibet potens & miſericors, non niſi quærentibus, petentibus, pulſantibus, ſine intermiſſione orantibus, & minimè deficientibus largitur. Non alio dona ſua concedit pacto, quàm ipſe recepérit: Chriſtus autem, cui omnis erat uberrimè poteſtas collata, in oratione pernoctans ea poſtulabat, quæ erat impetraturus, ut S. Thomas *art. 4. ad 3.* his notandiſſimis verbis obſervavit: *Chriſtus orabat, & pro his quæ virtute divina facienda erant, & pro his etiam quæ voluntate humana erat facturus; quia virtus & operatio animæ Chriſti dependebant à Deo, qui operatur in nobis velle & perficere*, ut dicitur *Philip. 2.* Tunc viliori pretio emes, quod Chriſto tam carum fuit.

Ne itaque miremur, cur diabolo per Chriſtum debellato, victo, protrito, tanta ſuperſit in homines, ipſoſque redemptos poteſtas? Dæmon namque, ut S. Auguſt. *ſerm. 197. de temp.* tradit, per Chriſtum alligatus eſt, quemadmodum canis catenis vinctus, à quo nullus morderi poteſt, niſi qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Ejectus foras princeps hujus mundi, in te non poteſt quidquam, niſi cum aſciveris. Omnia potes in eo, qui te confortat; virtus etiam in infirmitate tua perficietur, & jam cùm infirmaberis, Chriſto opitulante potens eris, niſi cum adverſario tuo fatale fœdus inieris. *Iam videte* (verba ſunt Auguſtini) *quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates ſæculi noli conjungere, & ille ad te non præſumet accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere niſi volentem omninò non poteſt; non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet; nec extorquet conſenſum, ſed petit.*

Speculatio II.

Miraculorum Chriſti gloriâ expanſâ virtus ejus thaumaturga declaratur.

PRæmoneo primò convenientiſſimum fuiſſe Chriſtum aliqua edidiſſe miracula. Tum ad confirmandam veritatem tam ſublimis doctrinæ, quam è ſinu Patris delatam enarrabat, cui ægrè homines adhibuiſſent fidem, niſi fuiſſet miraculis veluti ſigillis communita, ſicut facilè deſpicerentur diplomata, niſi eſſent appoſito Regis ſigillo obſignata. Tum ut oſtenderetur, Deum ſpeciali modo præſentem eſſe in Chriſto; quando enim aliquis facit opera Dei, qualia ſunt miracula, haud difficilè creditur Deum habitare in ipſo. Unde dicebat Nicodemus Joan. 3. *Nos ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter; nemo enim poteſt hæc ſigna facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Tum quia nullus prudenter credit, ſubindeque nec ad credendum tenetur, niſi qui ſibi proponuntur articuli, ſint evidenter credibiles, vel per interiorem Spiritus ſancti cor aperientis manifeſtationem, vel per externorum ſignorum apparatum, quorum concentum in diſſertatione præambula libri tertij latè expoſuimus: Atqui niſi Chriſtus miracula patraſſet, ejus doctrina rationem humanam immensùm excedens non fuiſſet evidenter credibilis. Unde ipſemet dicebat, Joan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Et ratio eſt, quia ad ſimplicem Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, aliorumque difficillimorum Myſteriorum propoſitionem homo non teneretur adhibere fidem, niſi per aliqua ſigna moveretur, & manuduceretur intellectus ad hujuſmodi veritatum tam ſublimium aſſenſum; aliàs non eſſet potior ratio, cur illis crederemus, quàm eis oppoſitis aſſertionibus; nec eſſet rationabile obſequium intellectus noſtri, niſi videret quod humanitate Chriſti ſuccumbente injuriis, Divinitas in ipſa inhabitans fulgeret miraculis.

Præmoneo ſecundò, miracula Chriſti ſufficienter ejus Divinitatem demonſtraſſe: tum propter operum præcellentiam, quæ omnem creatæ virtutis poteſtatem tranſcendebant, ut illuminatio cæci nati, excitatio mortui quatriduani & fœtentis. Tum ex modo operandi, verbo imperans, non orans, oſtendens ſe ea propriâ virtute patrare. Tum ex ipſa doctrina, quam prædicabat, aſſerens ſe eſſe Deum; quod niſi verum fuiſſet, tantam blaſphemiam miraculis tam inſolitis & ingentibus Deus non confirmaſſet. Unde licèt alii Prophetæ, & Apoſtoli ſtupenda etiam miracula ediderint, nullus tamen dixit ſe eſſe Deum, ſed potiùs ea prodigia in confirmationem Divinitatis Chriſti perpetrarunt.

Dices: Pſeudoprophetæ faciunt etiam portentoſa opera, juxta illud Matth. 24. *Dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Et 2. *Theſſalon.* 2. de Antichriſto dicitur: *Cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Quare ergo miracula Chriſti potiùs atteſtantur Divinitatem ejus, quàm Divinitatem Antichriſti? Unde nam veluti lydio lapide diſcernetur Chriſti miracula eſſe vera, Antichriſti falſa?

Reſpondeo diſcretionem verorum miraculorum deſumi tum ex ſubſtantia operis facti omnes naturæ vires exſuperantis, tum ex perennitate eorum; licèt enim arte dæmonis corpus mortuum poſſit vivum apparere, tamen hæ præſtigiæ non diu durant, nec opera vitalia in eo dignoſcuntur, ſicut in illis qui à Chriſto, vel Sanctis ejus ſuſcitantur. Tum ex circunſtantiis præcipuè finis; falſa enim miracula ad quærendam propriam gloriam perpetrantur, vera ad eam fugiendam; falſa ad morum corruptionem, vera ad vitæ reformationem ordinantur. Chriſti autem miracula ſummâ cùm humilitate conjuncta erant; eligebat quippe contemptum ſui, & ſanctitatem audientium. Joan. 8. *Si ego glorifico me, gloria mea nihil eſt. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et cap. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Inſtabis: Ut conſtet miracula Chriſti eſſe vera, debet innoteſcere illa non patrari arte dæmonis; ſed id non clarè innoteſcebat, unde Phariſæi dicebant: *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Ergo miracula Chriſti non erant cogentia Divinitatis ejus argumenta.

Reſpondeo clariſſimè apparuiſſe Chriſti miracula non fuiſſe ope dæmonis edita. Tùm quia ante, vel poſt Chriſtum non legitur cacodæmonem tam mira prodigia patraſſe. Tùm quia cacodæmon ſuis portentis ambiebat haberi Deus. Chriſtus verò ad hunc

errorem de mundo eliminandũ miracula multiplicabat: non potuit ergo illi favere dæmon, qui ſe per Chriſtum ejici ſotas cernebat. Tum quia miracula ſatanæ & falſorum Prophetarum fiunt *in omni ſeductione iniquitatis*, ut loquitur Apoſtolus, & patet in Gentilibus, apud quos tam frequens erat morum corruptela, ut diuturna aſſuetudine vix damnaretur improbitas, depravatiſque moribus tam ingens ſtudebat patronorum exercitus, ut palam ſpecioſo virtutum titulo venditata crimina obtruderentur. At verò miracula Chriſti combibitos pravos mores damnabant, virtutes in animo veluti ſcalpro imprimebant, & ad omnia pietatis officia permovebant: unde à Chriſto converſi homines mores ex accuratiſſima totius ſanctitatis amuſſi dirigebant. Sed de his operosè libro 4. diximus.

Præmoneo 3. Chriſtum non debuiſſe miracula facere ante perfectam ætatem, quia miracula Chriſti ad doctrinæ ipſius confirmationem ordinabantur. Sicut ergo Chriſtus non prædicavit ante perfectam ætatem, ita nec ante illam miracula patrare debuit. Tum quia ſi in prima ætate ſeu pueritia Chriſtus miracula edidiſſet, exiſtimaſſent homines phantaſma eſſe Incarnationem, unde initium ſignorum Jeſu fuit in Cana Galilææ, quando aquam in vinum convertit, ut manifeſtaret gloriam ſuam. Nam, ut ait Auguſtin. *Ipſe fecit vinum in hydriis, qui omni anno hoc facit in vitibus; ſed hoc aſſiduitate amiſit admirationem. Itaque ſervavit ſibi Deus inuſitata quadam quæ faceret, ut tanquam dormientes homines ad ſe colendum mirabiliter excitaret, qui ſicut Dominus elementa mutabat.* His præmiſſis parumper excutiamus per ſingulas miraculorum ſpecies, quas Chriſtus edidiſſe legitur.

In primis convenienter Chriſtus ſuis miraculis egit in dæmones, ejiciendo eos à corporibus obſeſſis, ut oſtenderet virtute Divinitatis ſuæ conterendam eſſe dæmonum poteſtatem. Obſervat tamen Evangeliſta, quod Chriſtus non ſinebat dæmones loqui, tum ut oſtenderet nos verba dæmonum debere floccifacere. Tum ut monſtraret periculoſa eſſe eorum colloquia, quia veritati frequenter mendacia immiſcent. Tum quia non decebat Chriſti gloriam linguâ tam fœtidâ enarrari, non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum. Obſervant etiam ſemel Chriſtum dæmones ad eorum preces miſiſſe in porcos, non quaſi à dæmonibus perſuaſum, ſed ut oſtenderet nocumentum dæmonum hominibus inſidiantium, quos ducunt in infernum, ſicut animalia illa præcipitaverunt in mare. Tum ut monſtraret dæmones nec adversùs ipſos porcos aliquid poſſe, niſi Deo permittente. Tum ut in porcorum hoſpitio dæmonum turpitudo pateret, *Vide* (inquit Chryſol ſerm. 17.) *ubi Satanas ſedem deſiderat collocare. Habitacula ſœtida & immunda perquirit, ſordibus delectatur & cœno, qui utique ſemper ſœtore criminum, & ſqualore paſcitur vitiorum.* Obſervat etiam ibidem, porcos tametſi fœtoribus innutritos, dæmonum fœtorem tolerare minimè potuiſſe, ideoque præcipitium tali hoſpitio prætuliſſe. Et tu fortè, Lector, dæmonem per peccatum mortale ſuſtines, & non ſentis, & comedis, & dormis.

Secundò congruum fuit, ut Chriſtus miracula faceret circa corpora cœleſtia, ut cùm tempore Paſſionis obſcuratus eſt ſol, in quantum divina virtute factum eſt, ut Solis radii ad terram non pervenirent per interpoſitionem Lunæ inter nos & Solem. Ratio eſt, quia miracula Chriſti ad demonſtrandam ejus Divinitatem referebantur; quod quidem non ita aperte oſtendebatur per corporum inferiorum tranſmutationes, quæ ab aliis cauſis effici poſſunt, ſicut ſignificabatur per cœleſtium corporum, cujus tranſmutationem, quorum mutatio eo mirabilior eſt, quo cœleſtia corpora ſunt à Deo immutabiliter ordinata.

Porrò in illo prodigio eclipſis Solis quinque miracula obſervat D. Thomas *quæſt. 44. art. 2. ad 2.* quæ apud ipſum vide, ad accuratam enim eorum explicationẽ multa ex ſphæra, vel Aſtrologia advocanda eſſent.

Tertiò convenientiſſimum fuit, ut Chriſtus circa homines plura miracula feceri; ſiquidem propter eorum ſalutem venerat, unde ad eam promovendam debuit miraculosè operari; & ſpiritalia, revelando ſecreta, corda immutando, ſimplices & ignaros Diſcipulos erudiendo, juſtificando, ſapientiam infundendo, alliciendo, terrendo, ſtupefaciendo; & corporalia, vitam mortuis, ſurdis auditum, cæcis viſum, & quidem perfectiſſimè conferendo. Quæ perfectio in duobus poſita erat: primò, quia integrâ corpus incolumitate in inſtanti donabat, juxta illud Hieronymi in cap. 8. Matth. *Sanitas quæ confertur à Domino, tota ſimul redit.* Secundò, quia corpori optimum valetudinis habitum conferens, animæ etiam languores curabat; quia Dei perfecta ſunt opera: non eſſet autem operatio perfecta, niſi finem conſequeretur; finis autem externæ curationis eſt ſanitas animæ.

Quartò decuit Chriſtum miracula circa creaturas irrationales operari, ut oſtenderet omnem creaturam Divinitatis ſuæ virtuti eſſe ſubjectam, ut cùm juſſu Chriſti mare ſedatum eſt, piſces capti, panes multiplicati, ficulnea ſiccata, & tempore paſſionis diviſum velum, apertum monumentum, terra mota, petræ ſciſſæ, & alia innumera.

Sed inter ſplendidiora Chriſti miracula meritò annumeratur Transfiguratio Chriſti, in qua futura Sanctorum gloria præmonſtrata eſt, ut concepta tanti præmii ſpe, Diſcipuli labores alacriter ſuſciperent, dolores intrepidè tolerarent. Non enim ſentit itineris tædia mercator, dum per mare, per terras currit ad aurum. Ut corpus redimat, ferro & igni ſupponit membra infirmus: algores & vulnera Ducis temperat & inungit gloria ſperata triumphi: pondus diei & æſtus ſuſtinet operarius ex condicto denarii diurni. Quantò magis Chriſtiani fide freti, poſt præoſtenſam Transfigurationis claritatem, momentaneum & lene tribulationis æternum gloriæ pondus operaturum lætabundi perferent? *In Transfiguratione illud quidem principaliter agebatur* (ait Leo Magnus hom. de Transfig.) *ut de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas paſſionis. : : : Et exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut licèt non oporteret de beatitudinis promiſſionibus dubitare, intelligeremus tamen inter tentationes hujus vitæ priùs nobis tolerantiam poſtulandam eſſe, quàm gloriam; quia tempora patiendi non poteſt felicitas prævenire regnandi.*

Porrò in Transfiguratione Chriſti nonnulla obſervanda ſunt. Primò corpus Chriſti fuiſſe transfiguratum, non quòd priſtinam formam vel faciem perdiderit, vel aſſumpſerit corpus phantaſticum, vel aëreum, ſed quia manente ſubſtantiâ, facies reſplenduit ſicut ſol, & veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix, ut ait ſacer textus. Nec ſola facies illuſtrata fuit, ſed etiam totum corpus; ſi enim glorioſus fulgor in veſtes ex anima redundavit, à fortiori in membra quæ informabat. Meminerunt tamen Evangeliſtæ de ſola facie, utpote parte principaliori, & aſpectabiliori.

Obſervandum rurſus, ſplendorem illum & ex gloria animæ redundaſſe, & ex operatione Divinitatis ſuppoſiti Divini Verbi. Ex anima quidem, quia ex plenitudine viſionis & fruitionis Dei nata eſt anima per modum proprietatis effundere eas ſupernaturales dotes, quæ ad ſtatus glorioſi cumulum deſiderantur; ſicut cùm dat corpori eſſe ſubſtantiale, omnem etiam perfectionem accidentalem appendicem naturali ſequela per modum corollarii communicat.

Verùm

Verùm quia anima erat tantum principium *quo* hujus ſplendentis effluxus, ſuppoſitum verò Divini Verbi erat principium *quod*; ideo poſt Patres affirmat D. Thomas, ſplendorem Transfigurationis & ab humanitate, & à Divinitate Verbi proceſſiſſe.

Dices: Si hoc ita ſit, Transfiguratio corporis Chriſti non erit miraculoſa, ſed potiùs miraculum fuit, quod ſemper corpus Chriſti transfiguratum non ſit, ſi connaturaliter debebatur animæ corpus fulgor: ſicut non eſt miraculum quod ignis comburat, ſed grande foret prodigium, ſi caloris dimanatio naturaliter debita denegaretur igni.

Reſpondeo primò cum Nazario, animam Chriſti conſideratam ſecundùm operationes ſupra facultatem corporis elevatas, intellectionem ſcilicet & amorem, qui per corporis organum non exercentur, fuiſſe glorioſam & impaſſibilem ab inſtanti conceptionis: nihilominus tamen eandem animam conſideratam ut formam corporis ſentientis & vegetantis, fuiſſe paſſibilem, & ea ratione naturaliter ſe obicem præbuiſſe reſultantiæ gloriæ corporis, aliàs ex plenitudine gloriæ redundaturæ: unde in Transfiguratione fulgor ille fuit glorioſus, utpote durante animæ paſſibilitate conſequutus.

Secundò, & fortè magis perſpicuè reſponderi poteſt, quod quando aliquis ſtatus miraculoſus divina ordinatione eſt perenniter duraturus, ſi ex aliqua divinæ voluntatis diſpenſatione per modum tranſeuntis talis ordo mutetur, tunc hæc momentanea conſtituti ordinis tranſpoſitio meritò miraculis accenſetur: v. g. procul dubio miraculoſum eſt accidentia Eucharitica in diviniſſimo Sacramento ſine ſubjecto exiſtere, & conſervari; ſi tamen hæc accidentia factâ conſecratione evaneſcerent (ut evanuiſſe ſpecies pretioſi Sanguinis ad demonſtrandam ſacrilegi Sacerdotis indignitatem, ſacræ referunt hiſtoriæ,) tunc hæc accidentium vel deſtructio, vel occulatio, miraculoſa jure merito cenſeretur. In propoſito autem conſtituerat omnium naturarum author Deus, ut gloria animæ Chriſti non redundaret ad corpus, ut inter labores noſtræ expleret redemptionis myſteria. Quod ergo momentaneum gloriæ fluxum in Transfiguratione permiſerit per modum paſſionis tranſeuntis, non per modum qualitatis permanentis, miraculum, imò duplex miraculum fuit. Primum, quia impediebatur gloriæ derivatio per modum dotis permanentis: alterum, quia contra ſtatutum ordinem ſplendorem tranſeunter effluere, diſpenſavit pro conſolatione Apoſtolorum, quorum oculi nequaquam fuerunt tam ſplendenti lumine hebetati, quia ut obſervavit S. Thom. in 3. diſt. 16. quæſt. 72. art. 1. ad 4. *Claritas illa erat ſimilis glorioſi corporis claritati, quæ viſum non corrumpit, ſed demulcet, & delectat. Unde Apocal. 21. comparatur claritati jaſpidis, quæ viſum demulcet & delectat. Et hoc quidem contingit, quia provenit ex claritate ſpirituali animæ, quæ quidem non corrumpit proportionem oculi ad visus animæ, ſed magis confortat.*

Obſervandum præterea, convenientiſſimè Chriſtum Transfigurationis ſuæ teſtes adhibuiſſe è novo & veteri Teſtamento. E novo quidem, ut de illa præmonſtrata gloria gentes minimè dubitarent, quam Petro, Jacobo, & Joanni conteſtibus ſcirent eſſe oſtenſam: nam in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne Verbum. E veteri verò Teſtamento ideo Moyſes & Elias ad hoc teſtandum electi ſunt, quia Moyſes mitiſſimus Legislator, Elias autem gloriæ Domini zelantiſſimus æmulator fuit: ut igitur contunderetur calumnia Judæorum Chriſtum tranſgreſſionis legis & blaſphemiæ accuſantium, voluit Dominus hæc duo Prophetarum capita adeſſe, ut oſtenderet nihil ſe Legi, nihil Prophetis, nihil veritati docere contrarium. *Quid hoc ſtabilius* (ait Magnus Leo laudatus, ſed nulla unquam hominum laude æquandus,) *quid firmius verbo, cujus prædicatione veteris & novi Teſtamenti concinit tuba, & cum Evangelica doctrina antiquarum poteſtationum inſtrumenta concurrunt? Aſtipulantur enim ſibi invicem utriuſque fœderis pagina, & quem ſub velamine myſteriorum præcedentia ſigna promiſerant, manifeſtum atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit.* Porrò Elias in proprio corpore miniſterio Angeli tranſlatus apparuit è loco in quem raptus fuerat: Moſes verò non apparuit in proprio corpore, quod ante reſurrectionem Chriſti reſurgere non decuit, ſed ejus anima per aliquod corpus aſſumptum adfuit. Aliqui tamen Patres à Suare relati temporaneam corpori Moyſis reſurrectionem aſſerunt.

Obſervandum inſuper, convenienter Petrum, Joannem & Jacobum præ aliis ad intuendam transfigurati Chriſti gloriam fuiſſe aſſumptos, quia illi erant in Collegio Apoſtolico potiores. Petrus enim dilectione Chriſti & poteſtate ſupra totam Eccleſiam paſcendam commiſſâ eminebat: Joannes verò privilegio amoris Chriſti virginitatem ejus diligentis præcipuus fuit; ſublimitate etiam doctrinæ cœleſtis ſupervolabat non ſecus ac aquila. Jacobus verò prærogativa martyrii primus decoratus eſt. Eorum autem animi adhuc in fide teneri, nec altè in charitate radicati, illâ gloriâ illuſtrati, illâ ſuavitate ineſcati, illaque Moſis & Eliæ præſentiâ confirmati ſunt. Unde Petrus mundana ſpernens, & terrena faſtidiens in Chriſti gloriam mentis rapiebatur exceſſu, & gaudio viſionis impletus, ibi optabat habitare cum Jeſu, ubi aperta ejus gloria coruſcabat. Unde conceptum deſiderium continere non valens, dixit: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Quia nimirum præventus in benedictionibus dulcedinis animus contrà mundana floccifacit; & qui cœleſtis vitæ ſuavitatem, inquantum humana poſſibilitas admittit, perfectè cognoverit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit; fortis enim ut mors dilectio, ſicut corpus interimit, ſic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit, & quem perfectè abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit, tormenta deſpicit, temporalia præmia calcat, ut Gregor. Magn. *hom. 12. in Evang.* proſequitur, & unctione magis quàm lectione addiſcitur.

Obſervandum demùm, ad coronamentum gloriæ Chriſti transfigurati convenienter auditam fuiſſe vocem paternam: *Hic eſt filius meus dilectus*, Transfiguratio enim ad firmanda diſcipulorum corda in doctrina Chriſti, non obſtantibus paſſionis cõtumeliis ordinabatur. Præcipuus autem, & Cardinalis totius doctrinæ Chriſti articulus, quo omnes alii veluti fulcro innituntur, eſt Divinitas ejus, unde ad eam ſuadendam congruentiſſimè Pater Chriſtum filium eſſe ſuum teſtatus eſt: Pater, inquam, qui ſolus conſcius eſt generationis æternæ. Advertunt tamen Doctores, eandem vocem protuliſſe quidem Patrem in Baptiſmate Salvatoris, ut ſuprà vidimus; ſed cum hac differentia, quod in Baptiſmo Pater non addidit, *ipſum audite*, ſicut in Transfiguratione, cujus differentiæ multiplex eſt ratio. Tum quia in Baptiſmo nullos habebat Chriſtus diſcipulos, quibus præciperetur ipſum audire, ſicut tempore Transfigurationis. Tum quia ante Baptiſmũ Chriſtus jejunii pœnitentiam non egerat, quo tamen maceratus fuerat tẽpore Transfigurationis. Ut ergo ſignificaretur illos prædicatores, vel potiùs declamatores indignos eſſe qui audiantur, quos antea jugis multiplicis pœnitentiæ & orationis labor non exercuit, dum Chriſtus baptizaretur non dixit Pater, *ipſum audite*; ſed ſolum in ejus Transfiguratione. Tum quia, ut ait D. Thom.

quæſt. 45. art. 4. ad 3. Chriſtus venerat actualiter gratiam dare per Baptiſmum, gloriam verò verbis ſuis promittere. Ad ea autem quæ dantur, non tam requiruntur auditus quàm guſtus & perceptio experimentalis; ad ea verò quæ promittuntur, requiritur auditus; quia de illis futuris exigitur magna fides, fides autem ex auditu. Hic videtur eſſe planior ſenſus, brevis quidem, ſed admodùm reconditæ & ſubtilis ſolutionis D. Thomæ, de qua vide alios Interpretes, ſi lubet.

Reflexio.

Miraculorum perpetrandorum vim in Eccleſia perenniter durare, libro 4. oſtendimus; id tamen fatendum eſt, illa non eâ facilitate & copiâ crebiò videri, ſicut in primis naſcentis Eccleſiæ cunis ſcintillabant. Hujus penuriæ duplex occurrit cauſa: prima eſt languor fidei in dies tepeſcentis, in dies per peccata morientis: Merito autem fidei gratia miraculorum potiſſimè aſſeritur, Matt. 21. *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis, ſi monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.* Alteram aſſignat Gregor. lib. 27. Moral. cap. 11. *Tunc Sancta Eccleſia miraculorum adjutoriis indiguit, cum eam tribulatio perſecutionis preſſit. Nam poſtquam ſuperbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum ſigna, ſed ſola merita operum requirit, quamvis & iſta per multos cùm opportunitas exigit oſtendit.* Et homil. 29. in Evang. *Signa neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt, ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia & nos cum arbuſta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit.* Itaque jam Prædicatori Apoſtolico non deſiderantur miracula, ſed ſancta opera; non enim benè docentur verbis, quæ deſtruuntur exemplis; nec unquam erit efficax inſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis ſui cordi affixerit audientis. Temerariè enarrat juſtitias Dei, & aſſumit teſtamentum Dei per os ſuum, qui odit diſciplinam, & projicit ſermones Dei retrorſum. Ille ſolus apoſtolicè, ille cum imperio docet, qui priùs agit quàm dicat: nam doctrinæ ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam. Oculis potiùs, quàm auribus fidem facere jus gentium eſt. Niſi ergo Prædicatoris mens & manus, verba & vita concordent, confundent loquentem opera ejus. Ridiculus eſt Medicus, qui ſe ægrum negligit, aliorum ſanandorum ſolicitus. Delicatus eſt Magiſter, qui pleno carnibus ventre de jejuniis & ciborum delectu diſputat. Quo animo avaritiam ſimoniacus, qua fronte luxuriam obſcœnus, ſuperbiam ambitioſus accuſabit? Egregius concionator Apoſtolus in veritate *ad Philip.* 4. pronuncians: *Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite.* Ubi Chryſoſt. *Hæc optima docendi ratio eſt, ſeipſum in omnibus monitionibus formulam præbere, perinde ac ſi diceret: Et factis, & verbis vos pravi.*

Hæc ſunt deſiderabilia miracula, externiſque portentis, bonis maliſque communibus præferenda. Hæc ſanctitatis ſigna juvante Deo, ſi volumus, facimus. Fulgentia portenta edere & mali poſſunt, benè autem vivere niſi boni non poſſunt. Multis quippe in die judicii patrata prodigia venditantibus Veritas reſpondet: *Non novi vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Concludamus ergo cum Magno Gregorio loco ultimùm laudato: *Nolite ergo, fratres chariſſimi, amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi communia: ſed charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occulta; & de quibus apud Dominum eo major ſit retributio, quo apud homines minor eſt gloria.*

Speculatio III.

Humanitas Chriſti eſt inſtrumentum phyſicum miraculorum, & cujuſvis gratiæ.

HÆc poſitio omninò conſonat dignitati Chriſti, cui perfectior agendi modus eſt aſſerendus. Etenim poſt gratiam unionis humanitati collatam nulla alia rationabiliter denegari poteſt, niſi repugnet vel abſolutè in ſe, vel fini Incarnationis. Sed poſſe concurrere ad effectus ſupernaturales & miraculoſos, non ſolùm moraliter eos impetrando, ſed etiam phyſicè in eos influendo, eſt quid nobilius. Tum quia ſicut agere dicit perfectionem, ita agere non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, dicit majorem perfectionem. Tum quia concurſus phyſicus eſt perfectior morali; iſte quippe non tam agit, quàm ſuperioris cauſæ actionem obtinet; ille verò effectum veluti è ſinu ſuo emittit: aliunde verò concurſus ille phyſicus non repugnat; ſi enim ignis inferni virtute ſibi divinitus traditâ in ſpiritales creaturas, quas torquet, agit; quidni poterat ſacra humanitas virtute Divinitatis, quâ uncta eſt, phyſicè concurrere ad opera ſupernaturalia? Ergo ille concurſus phyſicus non eſt humanitati Chriſti denegandus, aliàs nihil humanitati illi aſſereretur eximium, quod non fuerit Sanctis aliis conceſſum.

Et hoc ſanè privilegium Chriſto paſſim aſcribunt Patres & Concilia non obſcurè affirmantia carnem Chriſti eſſe *vivificatricem, vivificam, cooperatricem Divinitati, & quâ Divinitatis ſunt operatricem*, ut legere eſt in Concilio Epheſino, Cyrillo, aliiſque. Patet autem, quod caro non poteſt eſſe inſtrumentum morale impetrans talium effectuum productionem, ſed duntaxat phyſicum. Quin etiam illud non mediocriter inſinuat Scriptura, quæ ait Chriſtum dediſſe Spiritum ſanctum *inſufflando*, Lazarum ſuſcitaſſe *clamando*, & præcipiendo, *Lazare veni foras*: imperium autem virtutem Phyſicam indigitat, & quod *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Unde S. Thom. doctrinæ patrum rigidus æmulator expreſsè ait *q. 8. art. 1. ad 1.* Chriſtum cauſare gratiam *& per meritum, & per efficientiã*. Et rurſum *quæſt. 13. art. 2.* ait Chriſti humanitatem non poſſe eſſe inſtrumentum creationis, benè tamen omnis operationis miraculoſæ. Ubi clarè indigitat, ſe loqui de phyſico inſtrumento, cùm cæteroquin manifeſtum ſit, poſſe eſſe cauſam moralem creationis per orationem & meritum. Imò non poſſet ſtrictè humanitas inſtrumentum Divinitatis appellari, ſi moraliter duntaxat ad gratiam concurreret; ſiquidem Divinitas ad miracula patranda non moraliter per merita & ſatisfactionem, ſed phyſicè per influxum agit: Ergo ut illi inſtrumentum conformetur, debet etiã phyſicè in effectus ſupernaturales influere.

Objicies; Quatuor requiruntur ad rationem inſtrumenti phyſici. Primò ut exiſtat; nam operari ſupponit eſſe, & in terminis implicat cauſam non exiſtentem dare exiſtentiam effectui. Secundò, ut realiter contingat ſubjectum in quod agit; non enim poteſt agere in diſtans, v. g. ſerra non facit cathedram, niſi lignum tangat. Tertiò ut habeat actionem propriam & præviam, aliàs non eſſet cauſa, ſed purum vehiculum delativum virtutis cauſæ principalis: Quartò ut recipiat aliquam virtutem à cauſa principali, quâ de impotente reddatur intrinſecè potens.

Atqui humanitati Chriſti deſunt hæ quatuor conditiones in ordine ad productionem gratiæ, & effectuum ſupernaturalium. Prima quidem; nam humanitas Chriſti antequam exiſteret, cauſavit gratiam in antiquis Patribus; & Paſſio Chriſti jam præterita cauſat vitam noſtram ſupernaturalem; ſicut reſurrectio ejus Sanctorum futuram reſurrectionem, ut pluries docet S. Th. Res autem antequam exiſtat, vel poſtquam præterit, non poteſt eſſe niſi inſtrumentum

mora-

morale, quatenus nimirũ merita Chriſti præterita vel futura divinæ miſericordiæ oculis oblata eam movẽt ad gratiam erogandam. Secunda etiam; nam humanitas Chriſti exiſtens in cœlo non contingit homines, quos juſtificat in terra; nec dum erat in mundo, tangebat phyſicè illos, quos ſola voce ſanabat etiam abſentes, ut ſervum Centurionis, filium Reguli. Tertia quoque; nam multa miracula Chriſtus fecit, quæ non niſi creatione patrata ſunt, & per ſuſpenſionem concurſus divini, ut cùm columba in ejus baptiſmo creata eſt, & cùm ambulando ſuper aquas corpori Chriſti denegatus eſt concurſus ad gravitandum, & aquis ne defluerent ſub ipſo. Nulla autem creatura poteſt habere actionem propriam circa ſubjectum creationis, quod eſt nihilum, nec in concurſum Dei, cujus actio eſt ipſa ſubſtantia Dei. Demùm deſunt quarta; nam illa virtus derivata & perficiens humanitatem Chriſti, vel erat ſpiritualis, & ſic non poterat recipi in carne Chriſti, vel corporalis, & ſic in anima ſubjectari nequibat: nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Ergo humanitas Chriſti non potuit eſſe inſtrumentum phyſicum operum miraculoſorum.

Reſpondeo, omnes conditiones ſalvari: primam quidem, quia quando dicimus humanitatem Chriſti producere gratiam phyſicè, id intelligimus de ipſa exiſtente; unde antiquorum patrum gratiæ non fuit cauſa niſi moralis; noſtræ tamen Paſſio & Reſurrectio Chriſti eſt cauſa phyſica, quia licèt non exiſtant modò in ſe, cùm prætereierint, remaneant tamen in aliquo effectu phyſico, ſcilicet in cicatricibus, & dotibus glorioſis corporis Redemptoris. Hoc enim futuram inter & præteritam rem intereſt, quod prima nõ exiſtit, nec in ſe, nec in aliquo effectu ſuo, cùm effect⁹ non exiſtat ante cauſam: at res præterita etiam dum deſinit, poteſt relinquere virtutẽ productivam alicujus effectus, ſicut pater deciſo ſemine poteſt mori, & ipſo mortuo generabitur filius. Vide dicta ſuperiori diſſertatione de cauſalitate Paſſionis Chriſti.

Non deeſt etiam ſecunda conditio; nam licèt humanitas non contingat contactu ſuppoſiti ſubjecta in quæ ſupernaturaliter operatur, contingit tamen contactu virtutis ſuæ ad illa uſque derivatæ; & hoc ſufficit, quia modò virtus cauſæ perveniat ad ſubjectum, quid intereſt quod cauſa ſit abſens? Sicut nihil vetat diſtantia cœlorum ab abyſſis terræ, quin eorum influxus perennis deſcendat ad ima terræ viſcera, in quibus tam pretioſa metalla parturit.

Tertia etiam conditio ſubſiſtit, & inſtantiæ adductæ ſupponunt falſum: nam columba illa creata non eſt, ſed ex præjacente aëris vel aquæ materia generata, non ex nihilo creata. Expeditus etiam & intrepidus ſuper aquas inceſſus non ex divini concurſus ſubtractione, ſed ex dotis agilitatis corporis Chriſti tunc redundare permiſſæ eſſluxu, ſicut & Transfiguratio ex dotis claritatis profuſione oriebatur. Quod ſi in aliquibus fortè miraculis contigit vel creatio, vel divini concurſus ſuſpenſio, de illis non intelligitur noſtra ſententia, ſed de omnibus ad quæ poteſt ſe cauſalitas inſtrumenti protendere.

Quarta denium ſalvatur conditio; nam ut docetur in materia de Sacramentis, virtus ſpiritualis poteſt recipi in ſubjecto corporeo, ſi habeat eſſe tranſiens & incompletum; quæ monon non eſt perfectior gratiâ ſanctificante in eſſe entis ſimpliciter, ſed ſecũdùm quid in ratione virtutis cauſativæ: ſicut ſemen ab animali deciſum eſt imperfectius entitativè animali producto, eſt tamen quadantenus perfectius in ratione virtutis cauſativæ. Crediderim tamen hanc eſſe differentiam inter humanitatem Salvatoris, & alia divinæ virtutis inſtrumenta, putà Sacramenta, quòd licèt hæc indigeant virtute ſuperaddita viali, & tranſeunte, vel ſaltem per modum tranſeuntis diſpoſitionis communicatæ, qua ad effectum excedentem eleventur; id tamen humanitati Chriſti minimè eſt neceſſarium. Et ita tradit Aſturicenſis *in releℏ. de grat. Chriſti, quæſt. 6.*

Ratio hujus opinationis eſt; quia ſicut in naturalibus, licèt inſtrumenta ſeparata adhibita & aſſumpta indigeant aliqua motione & influxu, quo ad effectum altiorem attingendum roborentur; inſtrumenta tamen innata & conjuncta tali motione actuali non egent, ut tradunt Philoſophi; calor v. g. animalis novo influxu non eget ad producendas carnes, nec calor ignis ad producendum alium ignem; quia eo ipſo quod eſt virtus animalis, vel ignis manet habitualiter ſubordinatus, elevatus, & ut ita dicam, vigoratus ad effectus illos perfectiores. Quid ergo prohibet aſſerere, humanitatem Chriſti divinitate unctam, illique inſeparabiliter unitam, ex vi illius unionis habitualiter coaptari ad quoſcumque effectus ſupernaturales tanquam inſtrumentum conjunctum eliciendos?

Confirmat hunc explicandi modum energica phraſis Patrum aſſirmantium, ideo carnem Chriſti eſſe vivificam & miraculorum operatricem, quia eſt *Verbo conjuncta, Divinitati unita*; & quia ſicut ferrum candens, eo quòd habeat calorem ignis, habet ignis operationes (ſimilitudo eſt Euthymii *in cap. 7. Luc.*) ita ſancta Chriſti caro Divinitati unita, quæ Divinitatis ſunt operatur. Sicut ergo calor ignis non indiget actuali & repentâ elevatione, ita nec caro unita Verbo Favet etiam D. Th. ait enim quæſt. 13. art. 2. *Anima Chriſti ſecundùm quod eſt inſtrumentum Verbi ſibi uniti, habuit inſtrumentalem virtutem ad omnes operationes miraculoſas.* Et rurſum art. 3. *Poteſt conſiderari anima Chriſti ſecundùm quod eſt inſtrumentum unitum Verbo Dei in perſona, & ſic ſubdebatur ejus poteſtati totaliter omnis diſpoſitio proprii corporis.* Igitur ſentit S. Doctor, ex vi illius unionis humanitatem Chriſti eſſe inſtrumentum Divinitatis, & non ex motione aliqua ſuperaddita; nam per motionem ſuperadditam quæcumque alia res poteſt eſſe inſtrumentum Dei: & tamen Patres & D. Th. aliquid ſpeciale volunt tribuere humanitati ratione unionis hypoſtaticæ. Et hoc etiam multum conducit ad dignitatem humanitatis Chriſti, quæ ſicut ſemper erat unita Verbo, ita ſemper & veluti connaturaliter poterat patrare miracula cum ſolo concurſu generali, ſuppoſitâ illâ ineffabili unione. Unde Baſilius Seleuc. *orat. 33.* expendens miraculum multiplicationis quinque panum ait, in manibus Chriſti *effloruiſſe panes inaratos abſque ruſticano ſudore, excluſo agro, area, mola, clibano, quia aderat Creator*, & præſto erat ad nutum humanæ Chriſti voluntatis, regens, & verbo virtutis ſuæ portans omnia.

Dices: Humanitas etiam ſuppoſitâ unione hypoſtaticâ manebat intrinſecè in ſua eſſentia invariata: Ergo non poterat aliquid amplius operari, quàm antè, niſi aliqua virtute phyſicâ intrinſecè receptâ roboraretur; concurſus enim generalis ſimultaneus nihil ponens in cauſa ſecunda, vigorem non addit, ſed ſupponit. Qua de cauſa admitti ſolet in Sacramentis virtus aliqua gratiæ cauſativa, tranſeunter recepta.

Reſpondeo inſtrumentum conjunctum eſſe ex natura ſua permanenter habile ad operationes ſuppoſiti per illud exercendas, nec adventitiâ indigere virtute præviâ ab ipſo realiter diſtincta, ſed ex ingenita & connaturali ſubordinatione ad potentiam animæ per actum imperii moventem facilè reduci de actu primo ad ſecundum. Sacra autem humanitas eſt inſtrumentum Divinitatis in una Verbi perſonalitate conjunctum, ex qua unione manet habitualiter elevatũ & conſtitutum in actu primo ad opera miraculoſa, quotieſcumq; Chriſtus voluerit, perpetranda,

da. Sicut enim per hanc ineffabilem unionem evehitur humanitas ad conſortium eſſe divini, ita & per eam coaptatur, ut aſſumatur à ſuppoſito Verbi, tanquam inſtrumentum ſibi intimè conjunctum ad operationes Divinitati proprias efficiendas. Vnde humanitas non indiget virtute ſuperaddita, ut poſſit patrare miracula; ſed ſola applicatione, ut agat. Quocirca aliis miraculorum inſtrumentis, & miniſtris immenſum præſtat: tum quia humanitas eſt inſtrumentum conjunctum Divinitati, Sancti ſunt inſtrumenta ſeparata: tum quia humanitas operatur miracula virtute proprii ſuppoſiti, quo ſubſiſtit; Sãcti virtute divina tranſeunter participata: tum quia Chriſtus ut homo miracula ad libitum, quotieſcumq; volebat, edebat; Sancti verò non pro ſuæ voluntatis arbitrio, ſed ad nutum Domini miracula edebat, nimirum per unionem hypoſtaticam & aſſiſtentiam divinam ſupereminenter ſupplentem omnem perfectionem & munus actus primi; Sancti autem per multiplicem gratiarum gratis datarum inſtructum miracula patrabant, quia ut docet Apoſtolus, diviſiones gratiarum ſunt, & alii datur gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, &c.

Quæri etiam hîc ſolet, an Chriſtus ſit cauſa principalis gratiæ, ſed hanc difficultatem ſatis in materia de gratia verſavimus, oſtendimuſque, ſolum Deum eſſe cauſam principalem phyſicam gratiæ. Cum quibus tamen ſtat, Chriſtum eſſe cauſam principalem moralem omnium effectuum ſupernaturalium, quia nullam aliam cauſam moralem præſupponit, quæ ſit cauſa principalis per modum orationis, meriti, & ſatisfactionis, per ordinem ad quam ſacra humanitas habeat rationem inſtrumenti moralis; nullam ſiquidem agnoſcit humanitas ſupra ſe cauſam, niſi Deum, cui ut ſic repugnat oratio, meritum, & ſatisfactio. De ratione autem inſtrumenti eſt præſupponere cauſam principalem ejuſdem ordinis ſibi proportionatam, & eſſe medium inter cauſam principalem & effectum productum, ut per illud virtus cauſæ principalis in effectum derivetur. Ex quibus facilè interpretaberis locum aliàs difficilem S. Th. *in 3. diſt. 16. q. 1. art. 3.* aſſerentis, quod ejus ſolius eſt immutare legem & curſum naturæ impoſitum, qui naturam inſtituit & ordinavit; quod ſolus Deus facit. *Et ideo nec aliqua virtus corporalis, nec ſpiritualis, aut animæ, aut Angeli, nec etiam anima Chriſti potuit ad immutationem legis naturæ impoſita divinitus, niſi per modum orationis, aut interceſſionis.* Quibus verbis primâ fronte videtur Doctor Sanctus humanitati Chriſti rationem phyſici inſtrumenti denegare; ſed verus ejus ſenſus eſt, nullam poſſe dari cauſam phyſicam principalem immutationis ordinis naturalis præter Deum; poſſe tamen dari cauſam principalem moralem, quæ orando, merendo, ſatisfaciendo opus miraculoſum principaliter obtineat.

REFLEXIO.

Solus Deus mirabilia magna facit, ſicut ſolus poteſt; & tamen miracula non ſolet Deus operari niſi ad preces Sanctorum, & per concurſum phyſicum Salvatoris. Vnde hoc? Nunquid alligata, aut abbreviata eſt manus Domini? Abſit, abſurdum eſt, Deo injurium eſt. Sed ſignificare vult Deus ſe ad magna propter nos patranda eſſe proclivem, ſi totis animi viribus, toto niſu atque conatu totum quod in nobis eſt virtutis impendamus, omnes animi nervos intendamus, ſedulamque operam navantes Deo agenti coagamus, moventi nos permittamus, prævenientem ſequamur, operanti cooperemur. O quàm magna molitur, quàm incredibilia meditatur & animo verſat ſuo Deus, quàm incredibilia ſunt quæ præparat bona, non otioſis & inertibus, ſed fidelibus, & ſollicitis, qui diligunt illum! Quàm bonus Iſraël Deus, id eſt quàm benignus & liberalis, quàm magnificus & diffuſivus, ſed his qui recto ſunt corde! Nam ad eum ferè modum in gratiæ ſuæ donis, auxiliiſque elargiendis nobiſcum agit omnipotens, quo cum ipſo nos agimus. Quia ſicut in velum laxum, inquit Chryſoſtomus, ventus incidens nihil operatur, ſic etiam Spiritus ſanctus in anima remiſſa, & ſegni permanere non ſuſtinet.

Verum quidem eſt, Deum operari in nobis velle & perficere pro bona voluntate; in nullo nobis gloriandum, quando nihil eſt noſtrum, ut totum detur Deo; bonorum operum noſtrorum menſuram divini auxilii menſuræ omninò reſpondere; omnia pietatis officia tanto magis minuſve poſſe hominem adimplere, quanto magis minuſve adjuvatur gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; à nobis habere quidquid mali habemus, ab illo eſſe quidquid boni ſumus; & ubi nobis deficit gratia, deficere nos, ſubtractâ gratiâ mox caſuros. Verum, inquam, illud & veriſſimum eſt, ſed non illud minùs verum, ſingulis Deum pro uniuſcujuſque meritis dona largiri, & ſtrenuis uberiora, & oſcitantibus minora rependere. Non temerè, vel caſu miracula ſpargit & profundit Deus; ſed *tantum influit, quantum fides vas ſibi oblatum invenerit*, inquit S. Iſidorus Peluſiota *lib. 3. epiſt. 271.* Quandam contractus ſpeciem init Deus, ut retribuat nobis ſecundùm juſtitiam noſtram, & ſecundùm puritatem manuum noſtrarum in conſpectu oculorum ejus. Talem ſe erga nos gerit, quales ipſi fuerimus: cum bono bonus eſt, cum viro innocente innocens eſt, & cum electo electus eſt, & cum perverſo pervertitur, non mutatus, ſed talis unicuiq; apparens, qualis ipſe fuerit dignus, obdormiens tepidis, laborantibus vigilans, recto rectum, obliquo obliquum ſeſe exhibens, neglectus negligens, in qua mẽſura menſi fuerimus remetiẽs nobis, quemadmodum ſi plurimi radios mundani Solis aſpiciant, pro captu videntis aut pallidus, aut clarus, & ipſis noctuis moleſtus videtur & noxius. Graviter Seneca epiſt. 41. *Sacer intra nos Spiritus ſedet, bonorum malorumque noſtrorum obſervator & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita ipſe nos tractat.*

Miraculis fœta eſt gratia divina, eaque eniti vehementer concupiſcit; ſed qui excipiat, non invenitur, & ut dicitur Zachar. 11. *Contracta eſt anima mea in eis, ſiquidem & anima eorum variavit in me.* *Omnes nobis cauſamur* (inquit Bernardus ſerm. de triplici juſt. & ſerm. 1 in cap. jejun.) *deeſſe gratiam. Sed juſtiùs forſitan ipſa ſibi queratur gratia deeſſe nonnullos. Gratiarum ceſſat decurſus, ubi recurſus non fuerit; nec modò nihil augetur ingrato, ſed & quod acceperit, vertitur ei in perniciem.* Audiamus Apoſtolum, non tã monentem, quàm inculcantem, ne quis deſit gratiæ Dei; ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, ne negligamus gratiam Dei, quæ in nobis eſt, qui de ſemetipſo dicebat: *Gratia Dei in me vacua non fuit*, vel ut legit Ennodius, *Gratia Dei in me egena non fuit*, quaſi diceret Paulus: *Chriſtus in me, quem digne aut abundanter muneraretur invenit; non enim pauper eſt divina gratia, ſed meritorum noſtrorũ putatur quadã macie, aut exilitate tenuari, quæ tunc nõ ſuis æſtimatur viribus ſoveri, quãdo de ſuis curſibus ariditatis noſtra vena nihil recipit.* Igitur nõ deerit inſignium patratio miraculorum, ſi non deficiat inſtrumentum; quia habenti dabitur, & abundabit: gratia quippe de gratia naſcitur, & profectus profectibus ſerviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, ut de plenitudine ejus omnes accipiamus, & gratiã pro gratia, ſi primis gratiæ donis fideles inveniamur. Nam ut ait S. Proſper lib. 2. de vocat. gent.

cap.

cap. 35. *Implenda voluntatis Dei ita eſt præparatum effectum, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationis ſpaut incrementa meritorum. Nec ſufficeret eligentis gratia* (addit Eucherius Lugdunenſis) *niſi invigilaret collaborantis induſtria. Quia* (ratio eſt egregia Magni Leonis ſerm. 5. Quadr.) *rationales lapides ſumus, & viva materies, ſic nos authoris noſtri extruit manus, ut cum opifice ſuo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia ſe humana non ſubtrahat, ne ab illo bono, ſine quo bona eſſe non poteſt, deficiat.*

DISSERTATIO VI.

Marialogia , ſeu de incomparabilibus Deiparæ Mariæ Virginis Dotibus.

I, teſte Philoſopho, *relata ſunt ſimul naturâ & cognitione*, non decet Filium hominis, qui eſt Chriſtus Dominus, à Mariæ matris ejus tractatione ſejungere, quem ab ea non poſſumus etiam cogitatione ſeparare. Ergo ad tractatus de Chriſti Incarnatione coronamentum pertinet ſermo de Maria, quia utriuſque *gloria non tam communis, quam eadem eſt*, inquit Petr. Damian. *orat.* 2. Itaque auſpicatus hunc librum à Chriſto, finiam in Maria. Sed quid de ea dicam, quæ major eſt omni laude? Quomodo unâ diſſertatione complectar immenſorum librum elogiorum, in quo Pater Æternus Verbum ſuum increatam Sapientiam exaravit? Sed qui ab ejus quantumcunque omni præconio ſuperioribus virtutibus pro virili enarrandis temperabo, *ad quam*, ut S. Ildephonſus *ſerm.* 1. *Aſſumpt.* ſcribit, *concurrunt omnia eloquia Prophetarum, omnia ænigmata ſcripturarum. Nam de hac, & ob hanc, & propter hanc omnis ſcriptura facta eſt*, inquit S. Bernardus *ſerm. in Salve Regina.*

Et certè quanvis immenſa tantæ materiæ dignitas me ab ea tractanda deterreret, adigeretque ad ſilentium imperſcrutabilis Mariæ gloria, & inenarrabilis dignitudo; quanvis, inquam, deſponderet Theologia mea de illa diſſerere, quæ ut ait Epiphanius ſerm. de laud. Virgin. *cæli terræque myſterium eſt*; & jure formidaret recondita evolvere arcana Mariani voluminis, quod ut inquit Gregorius Nicom. orat. de obl. Deip. *ſignavit ſigillis ſeptem ipſe qui ſcripſit Deus; ut à nemine legi poſſet, quantumvis ſciens ſit litterarum.* Nihilominus non poſſum citra ingratitudinis noxam ab ea pro modulo extollenda continere, quæ non ſolùm mortales omnes benigniſſima obæravit, non ſolùm erga familiam Prædicatoriam matrem meam viſcera maternæ pietatis effudit, ſed me etiam ſervulorum minimum innumeris beneficiis devinctum oppignoravit. Quantum ergo colam & obſervem matrem honorificatam, quàm erga ejus venerationem afficiar, hac quantulacumque grati animi ſignificatione demonſtrare operæpretium eſt.

Enimverò ſolusne ego à Mariæ laudibus abſtinebo, in cujus amorem & cultum uno ſenſu atque judicio confluunt univerſi, ut meritò dixerimus de Maria, quod de Providentia ſcripſit Plinius lib. 2. hiſt. natur. cap. 7. *Pariterque & eruditum vulgus, & rude in eam curſu vadit.* Certè hic omnium gentium, Principum & plebeiorum, virorum & fœminarum cordibus tam inſitus, tam implantatus de colenda Deipara ſenſus, quid aliud eſt quàm teſtimonium quanto verum, tanto ſimplicius; quanto ſimplicius, tanto vulgarius; quanto vulgatius, tanto communius; quanto communius, tanto naturalius, quanto naturalius, tanto divinius. *O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!* exclamabat olim Tertullian. omnium de Deo invocando conſpirationem meditatus. *O teſtimonium animæ naturaliter Marianæ!* exclamemus neceſſe eſt, dum omnium & ſingularum nationum in Maria honoranda conſenſionem contemplamur. Quod ſi juxta ipſius vaticinium beatam illam dicunt omnes generationes, quia ut ait Bernard. *ſuper* Salve Regina, *Omnibus eſt amabilis, omnibus delectabilis, ſedes ſapientiæ, fluvius clementiæ, radius Deitatis, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*; quidni ad ejus præconia compellat, in cujus materno gremio multa ſunt, quæ me juſtiſſimè tenent: tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, ut in ſimili loquitur Auguſtinus.

Porrò ut argumentum infinitum certis limitibus præfiniamus, ſicut omnia bonorum genera ſub quadruplici ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypoſtaticæ continentur: ita Mariæ prærogativas ad aliquam ex his quatuor claſſibus reducemus. Nec verba noſtra deſpiciet benigniſſima Mater Verbi; ſi enim ſimile ſimili gaudet, *Quid* (ait Damaſc. orat. 2.) *Verbi Matri amplius, quàm ſermonem offeremus?*

CAPUT I.

Privilegia naturæ, gratiæ, & gloriæ eximiæ Mariæ.

VEtè dixit Arnoldus Carnotenſis: *Quidquid Creator ſingulis diſtribuit, ut juſtum cenſuit, Matri adornandæ congeſſit.* Quia quæ in ſingulis diſperſa ſunt bonorum omnium ornamenta, in unâ Mariâ unita cumulatiſſimè inveniuntur. Unde D. Th. *in* 4. *diſt.* 30. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. ait: *In Beata Virgine debuit apparere omne illud, quod fuit perfectionis.* Quibus compendioſis verbis S. Doctor nec magis potuit dicere, nec minus debuit. Omnes enim complexus eſt naturales & ſupernaturales theſauros, quos Matri Dei aſſeruit. Et meritò, nam ut ait S. Laurent. Juſtinian. lib. de caſt. conn. cap. 9. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid eſt gloriæ, totum fuit in Maria.* Quæ propterea *ſinus, centrum*, & *gremium* bonorum appellatur, quia in eam omnia omninò dona & cœtutum confluunt, & copioſiſſimè inundant, & ſuaviſſimè conquieſcunt. Hinc à Beato Bernardo ſerm. 2. Pent. *Medium terræ* appellatur. *Ad illam enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; qui ſequuntur, ut glorificentur. Et Beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli. In te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum.* Sed gradatim, & priùs naturalia Mariæ ornamenta expendamus, quàm ut cœleſtia gratiarum chariſmata demiremur.

SPECULATIO. I.

Perſtringuntur naturales Mariæ perfectiones.

QUia naturalia dona quàmlibet præcellentia minimo loco ſunt apud æquum rerum æſtimatorem Deum; ideo paucis documentis omnia complectemur, quæ pertinent ad ætatem, patriam, proſapiam, parentes, corporis, animique dotes, aliaque hujuſmodi naturalia Mariæ decora.

Sciendũ primo, beatã Virginem quindecim annis ante Chriſtum natam, poſt exactos tres primos annos in Templo præſentatam, & divino cultui mancipatam, S. Joſeph fuiſſe deſponſatã anno ætatis decimoquar-

quarto, peperiſſe verò Salvatorem anno decimoquinto, ut ex Evodio Antiocheno teſtatur Nicephorus, mortuam autem fuiſſe ætatis anno vel ſexageſimo tertio, ut vulgi opinio fert, vel ſeptuageſimo ſecundo, ut docet Epiphanius, quia teſtatur S. Dionyſius ſe Deiparam vidiſſe; Dionyſius autem Chriſtianiſmum non eſt profeſſus, niſi poſt annum decimumoctavum à morte Chriſti: Ergo B. Virgo, quæ tempore mortis Chriſti nata erat annis 49. omninò exceſſit annum ſexageſimum ſextum.

Sciendum ſecundò Circa locum conceptionis & partus B. Virginis diverſitatem eſſe ſententiarum. Veriſimilior opinio fert illam conceptam fuiſſe in oppido Nazareth, natam vero in civitate Jeroſolymitana, undecim annis moratam in templo, quindecim cum ſacra familia in oppido Nazareth, poſtea ſequutam fuiſſe Chriſtum prædicantem, aſtitiſſe morienti, mortuam eſſe tandem vi amoris. Circa nobilitatem & genealogiam B. Virginis, videſis dicta ſuperius de Genealogia Salvatoris, ex quibus facilè colliges, Mariam radicaſſe in populo honorificato, & filiam eſſe Regum, matrem Regis Regum. Quibus tamen non obſtantibus Maria pauperrimam vitam ducebat, labore manuum vitam ſuſtentans ſuam, artem *lanariam* ſecundùm Anſelmum exercens, vel *induſiariam*, ut tradit Epiphanius; vel ut Hieronymo & Bedæ placet, *textricem* ex lana, lino, ſerico, & byſſo. Colligitur etiam ejus paupertas tum ex conditione mariti fabri, tum ex circumſtantiis nati & converſantis filii.

Sciendum tertiò, parentes Mariæ fuiſſe Joachim & Annam ſexagenariis majores, & ſteriles, *ut infæcundam ſe natura cognoſceret ad Dei Matrem producendam* (inquit Damaſc.) *& ut ad maximum miraculum via per miraculum ſterneretur*. Erant autem parentes illi ſanctitate præcipua ornati. Tum quia neminem Deus ad finem aliquem, officiumque obeundum eligit, quin dignum eum efficiat, effusâ donorum beatiſſimâ copiâ. Hac enim de cauſa ingentia fuiſſe præcurſoris, Apoſtolorum, & ipſius Matris, Dei merita profitemur: Atqui SS. Joachim & Anna ad eminentiſſimum dignitatis gradum, ſcilicet parentum Mariæ, & avorum Chriſti evecti ſunt, quo nihil ſublimius, cùm nullum præſtantius vel divinius præmium ad egregias Abrahæ Davidiſque virtutes compenſandas habuerit Deus, quàm ortum Chriſti ex ſemine ipſorum. Quod ſi eſſe Patrem Chriſti poſt plura ſæcula naſcituri, ſit immenſi honoris faſtigium, & gloria inæſtimabilis, quid erit, vel quid non erit immediatè genuiſſe Dei genitricem? Tum ſecundò, quia Mariam fuſis ad Deum precibus & vitæ ſanctimoniâ promeruerunt: Ergo ſicut filia precum eorum donum eſt ineffabile, ita ſanctitas parentum fuit eximia. Tum tertiò, quia quo aliquis eſt principio perfectionis propinquius, eo perfectionem illam abundantius & melius percipit; ſic aquæ juxta fontem puriores ſunt, ſic viciniora ſolis aut ignis corpora magis de luce ac calore participant. Atqui fons ſupernaturalis ordinis Chriſtus eſt, gratiarum verò aquæductus Maria: Ergo in parentes ejus derivata ſunt fluenta gratiarum pleniſſima. Certè ſi in primo Mariæ ad Elizabeth acceſſu tantus profectus extitit, ut ab ſalutationem Deiparæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu ſancto mater infantis: quantū putamus parentibus accidiſſe gratiæ partu & viſu ſanctiſſimæ infantis. Tum demùm, quia parentes Mariæ non ſolùm habuere dominium proprietatis, & naturalem juriſdictionem in Reginam mundi, ejuſque bona; ſed potiſſimum jus habebant, ut à Maria amarentur: neque enim ab hoc de amandis colendiſque parentibus præcepto immunis eſſe potuit filiarum omnium amabiliſſima & amantiſſima. Atqui purus Mariæ amor efficaciſſimus eſt ad bona impetranda, & ad omnia mala, præſertim culpæ, avertenda potentiſſimus: Ergo parentibus ſuis copioſam bonorum cœleſtium ſupellectilem impetravit.

Sciendum quartò, corpus Marianum more ſolito conceptum & formatum fuiſſe, fingere enim ridiculoſa & Patribus incognita miracula quibuſdam Novatoribus placentia, non decet; nec enim fictitiis & phantaſticis eget honoribus immenſa Mariæ gloria, quæ veris abundat. Sua tamen, & quidem egregia non defuit Mariano corpori perfectio, temperamentum optimum, ſanitas firma, elegans pulchritudo. Tum primò, quia corpus ejus non ſine miraculo productum eſt ex parentibus ſterilibus: dona autem etiam naturalia, miraculo collata, exquiſita ſunt, quia Dei perfecta ſunt opera. Tum ſecundò, quia decuit corpus illud numeris eſſe omnibus abſolutum, ex cujus ſubſtantia formatum eſt perfectiſſimum corpus Salvatoris. Tum tertiò, quia perfectæ animæ debitur corpus egregiè elaboratum, ut habitatori reſpondeat inquilino, & hoſpitium hoſpiti conformetur. Anima autem Marianum corpus informans omnibus eſt naturæ præclariſſimis muneribus inſignita, ad cujus præcellentiſſimas operationes corpus exquiſitiſſimum deſiderabatur. Tum quartò, quia naturæ indoles, temperamenti harmonia, paſſionum conſonantia non parùm facit ad virtutem animi. Cùm ergo virtutum Mariæ gradus fuerit perfectione conſummatus, relinquitur corporis & temperamenti ejus habitum fuiſſe perfectè conſtitutum. Tum quintò quia decet ſpecialem eſſe matris cum filio ſimilitudinem; unde dicitur communiter, quod filii matrizant: perfectio autem corporalis Chriſti fuit inſignis, unde à Patribus appellatur ſapientiæ domus, ædes regalis, templum auguſtum, in quo corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis, urna aurea reconditam habens Divinitatem, arca Teſtamenti ex auro & lignis Sethim facta, indumentum Verbi, in quo tota ejus gloria conſpicua reddebatur & aſpectabilis, quantum oculis corporeis eſt viſibilis; quia in ejus labiis diffuſa erat gratia; ex ejus oculis emicabant radii pulchritudinis, & ſcintillæ latentis Deitatis; ex ore fluebant divinæ verba facundiæ: Ergo ſicut Chriſtus ſpecioſus forma fuit præ filiis hominum, nec ullus illo extitit pulchrior, modeſtior, in membris ornatior, in greſſibus maturior, in ſermonibus gratior, in aſpectu venuſtior, artuum integritate, ac partium ſcitâ proportione, coloris concinnâ ſuavitate amœnior: ita Mariæ pulchritudo fuit incomparabilis, ita ut amore ſui omnes intuentes caſtiſſimè ſuccenderet, omnium mentes impleret ſui admiratione, omnes converſantes morum comitate demulceret, penderentque omnes audientes in mellifluis gratiæ verbis, quæ procedebant ex ore ejus.

Sciendum quintò, perfectionem etiam animæ Marianæ fuiſſe ſingularem, ut perfectiſſimas operationes dignitati Matris Dei congruas elicere facilè & ſuaviter poſſet. Unde fuit in illa ingeniū ſagax, ſubtile perſpicax; judicium acre, ſolidum, & maturum; memoria expedita, & tenax, contemplatio continua ſine fatigatione, indefectibilis ſine errore prudentiſſima abſque inconſideratione. Fuit voluntas firma ſine levitate, recta abſque ulla inordinatione, ad omnem virtutem propenſa & comparata ſine reſiſtentia, libera ſine peccato. Fuit phantaſia pacata ſemper & placida, nec paſſionibus obſcurata, nec ſomno præpedita, nec evagationib⁹ diſtracta; nullis demùm offuſcata erroris, vel deceptionis tenebris. Fuit denique appetitus rationi obſequens nunquam reſiſtens, nunquam præveniens, nunquam impediens defixam in Deum mentis attentionem, ardentem cordis amorem, ſuaviſſimum cœleſtium experimentum.

Reflexio.

Sed quorſum à bonis externis, quæ Maria flocci-fecit, Mariam extollo? à ſola gratia Mariam Angelus commendavit; nomen ejus, proſapiam, pulchritudinem corporis, ingenii præcellentiam reticuit, quia præclarius ipſi nomen, ſplendidius genus, ampliores divitiæ, ſpecioſior forma, ſublimior cognitio à ſola debebant gratia parari; *quia*, teſte Hieronymo, *quidquid in Maria geſtum eſt, fuit opus gratiæ.* Hinc Damaſcen. *orat. 1. de Maria nat.* ait Deiparam debuiſſe ex matre ſterili generari, quia non ſufficiebat natura ut eam pareret, quam ſibi gratia totam erat vindicatura, & in opus ſuum formatura eam, in qua elaboranda vires omnes ſuas exſereret, theſauroſque ſuos profundens penè exhauriret, niſi author gratiæ foret infinitus. Prætermittamus, quæſo, bona naturæ, dum efferimus eam, quam *ex omnibus generationibus ſolam elegit gratia*, inquit Gregor. Neocæſ. *orat. 1. de Annuntiat.*

Dicat quantum voluerit, & verè dicat Nazianzenus in tragœdia de Chriſto patiente, *Virginem forma nitore ceteris præire.* Exclamat Anſelmus pro virili lib. de orat. *O Virgo pulchra ad videndum! O admirabilis ad contemplandum! O Virgo mirabiliter ſingularis, & ſingulariter mirabilis!* Prædicetur ab Andrea Jeroſolym. *ſculpta à Deo ipſo ſtatua*: ab Hugone à S. Victore, *tota dulcis, tota ſuavis, unicè pulchra, ſingulariter ſpecioſa*: à Gregor. Nicomedienſi, *pulcherrima omnium pulchritudinum pulchritudo, & pulchrorum omnium ſummum ornamentum.* Malim tamen cum Angelo gratiâ plenam ſalutare, quia ſolam gratiam Maria quærebat, & apud Dominum invenit: ſola Mariæ gratia non ſolùm cœleſtes ſpiritus in admirationem rapuit, ſed ipſum penè Deum ſtupefecit, vulneravit, excordavit. Non extollenda à divitiis pauperis mater, ſponſa fabri, ſolas divitias veras reputans, quæ nos divites virtutibus efficiunt. *Vera enim illa ſunt divitiæ*, inquit Auguſtinus, *quas cùm habuerimus, perdere non poſſumus; ſæculares verò animum Chriſtianum nec debent, ſi accedant, extollere; nec debent frangere, ſi recedant.* Non efferenda à generis nobilitate Maria eſt, quia neſcit Chriſtiana religio perſonas, ſed animas inſpicit, non conditiones. *Ille apud Deum præſtantior, non quem nobilitas generis, nec dignitas ſæculi, ſed quem devotio fidei, & ſancta vita commendat*, inquit Hieronym. epiſt. ad Celant. *Ille clarus, ille ſublimis* (addit Chryſoſt. ſuper Matth.) *ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, & ab eis non ſuperari. Quid enim prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe ſe vacuum ab omnibus bonis oſtendit, qui gloriatur in Patribus.* Nequaquam celebranda, aut plurimi facienda à corporeo ornatu Maria eſt. Quia ut veridicè ſcripſit Auguſtinus, *neglecta munditiei, & inculta veſtis cultus ipſe ſine cultu. Neglecta decoris cura* (addit Ambroſius) *plus placet; & hoc ipſum quod nos non ornamus, ornatus eſt.* Nullam pulchritudinem majorem æſtimabat Maria decore Virginis, quæ amatur à Rege, probatur à judice, dedicatur Domino, conſecratur Deo; quæ meruit à Sapientia æterna eligi, ut eſſet Dei templum, in quo corporaliter plenitudo Divinitatis habitaret.

Unum tamen eſt in Mariani corporis forma & habitu imitatione exprimendum, nimirum æmulari decet inſignem Mariæ modeſtiam in externis actibus elucentem, verba, inceſſum, geſtus omnes & motus ita moderatos ac modulatos, ut internum moderatiſſimi animi candorem veluti in ſpeculo viſendum exhiberet. Mirabantur omnes gravitatem inceſſus, honeſtatem veſtitus, verecundiam vultus, ſermonis gratiam, morum prudentiam. Erat enim in Maria tanquam in imagine deſcripta pietas, & velut in ſpeculo refulgebat ſpecies caſtitatis, & forma virtutis: & ut proſequitur Ambroſius lib. 2. de Virginib. *Erat Maria corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere; nullum lædere, benè velle omnibus, aſſurgere majoribus. ::: Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior; ut ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis figura probitatis. ::: Nullo meliore cuſtode ſui quàm ſeipſa, quæ inceſſu, affatuque venerabilis non tam veſtigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret; quia quidquid egerit, diſciplina eſt. Sic Maria implebat virtutis officia, ut non tam diſceret, quàm doceret.* Ergo more Mariæ modeſtia noſtra nota ſit omnibus hominibus; luceat lux noſtra coram hominibus, ut videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum qui in cœlis eſt. Ut virtus animi nullis retinaculis corporalibus impedita, vel immodeſtis geſtibus obſcurata tanquam lucernæ lux intus poſita foris luceat. Quia, ut laudatus dixit Ambroſius; *Bona domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci.* Audiamus Petrum *epiſt. 1. cap. 2.* monentem: *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis.* Audiamus Coapoſtolum ejus Paulum Philipp. 2. *Ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* Quia nimirùm modeſtia, & compoſitus corporis & converſationis ſtatus facundus eſt prædicator, iter in cœlum non concionibus, ſed factis demonſtrans, in omnium animos & oculos lumen effundens. Sed iſtiuſmodi prædicatores vix ulli inveniuntur, qui tamen ſoli ſufficerent; nam ut dixit S. Paulinus epiſt. ad Aprum: *Sufficit univerſorum inſtitutioni forma paucorum, ut credentibus exemplo ſit, induratis teſtimonio.*

Speculatio II.

Duodecim Mariæ gratiarum prærogativæ proponuntur, & ſuadentur.

PRimò conſiderandus eſt ſtatus gratiæ naſcentis, ſeu excellentia gratiæ, quæ illi primò collata eſt in utero B. Annæ (non diſputo utrum in primo, vel ſecundo inſtanti, propter reverentiam Apoſtolicis S. Sedis conſtitutionibus debitam.) Quæ certè prima gratia tanta fuit, ut crediderim Mariæ primam gratiam ibi incepiſſe, ubi aliorum omnium gratiæ deſinunt; ita ut primitivus Marianæ gratiæ gradus fuerit major, perfectior, & intenſior, quàm gratia omnium Angelorum & hominum quotquot fuerunt ab origine mundi, & ad finem uſque futuri ſunt. Unde Maria novem Angelicarum Hierarchiarum, & totius prædeſtinatorum turbæ, quam dinumerare nemo poteſt, dona gratiæ quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumulo primo die conceptionis habuit; & etiam ſi totus contra Mariam ſigillatim juſtorum appendatur chorus, invenietur trutina gratiarum ponderibus à Mariæ parte depreſſa. Fundamenta enim Mariæ fuerunt in montibus ſanctis, & portæ ejus, id eſt ingreſſus in vitam, ſuper omnia tabernacula Jacob, id eſt omnia Sanctorum merita, Maria eſt præparatus mons domus Domini in vertice montium, quia gratia quæ aliis vertex & apex fuit, Mariæ fuit radix & fundamentum. Maria fuit vellus Gedeonis totum ebibens rorem, quo tota area implenda erat. Unde Bernard ſerm. de aquæductu: *Cœleſti rore aream rigaturus totum vellus priùs infudit: redempturus humanum genus, pretium univerſum contulit in Mariam.*

Ratio eſt, quia debet eſſe proportio inter diſpo-

ſitio-

ſitionem & formam: atqui prima gratia collata Mariæ fuit idonea diſpoſitio ad maternitatem Dei, quæ eſt forma quandam dignitatis infinitatem habens: Ergo ſicut maternitas illa omnium purarum creaturarum dignitatem immensùm exſuperat; ita prima gratia ad maternitatem illam diſpoſitiva omnium Sanctorum gratiis collectivè ſumptis antecellit, quia per eam magis accedit ad principium ſontale gratiarum Chriſtum Jeſum, ad quem dignè generandum gratia illa diſponit. Certè ſi, juxta veridicam S. Thomæ maximam, amor Dei eſt infundens & creans bonitatem in rebus quas amat, quia facit objectum dilectionis ſuæ, non ſupponit; profectò immenſum gratiarum cumulum in prima effuſione largitus eſt Mariæ, quam gratificavit in ordine ad maternitatem Dei, & ex tunc voluit ei majus bonum, quàm omnibus Sanctis unquam voluerit. Nam *illam* (inquit S. Laurent. Juſtin.) *adhuc in matris utero decubantem adamavit Verbum, ſibique genitricem delegit.* Qua dilectione nulla major eſſe, aut concipi erga puram creaturam poteſt: Ergo gratia illa fundamentalis, quâ ædificabatur domus, non homini, ſed Deo, cunctis gratiarum omnium lapidibus pretioſis ornata fuit, ut impleatur illud Iſaiæ 54. *Fundabo te in ſaphiris.* Et de illa verum eſt illud, quod Eſther quondam dictum eſt; *Introduxit eam Rex in cubiculum ſuum, & dilexit eam plusquàm omnes.*

Secundò gratiæ Mariæ primùm collatus fuit virtutum omnium infuſarum ornatus in gradu heroïco, eſſentiæ enim correſpondent proprietates conſentaneæ: Ergo immenſam Mariæ gratiam comitata eſt innumerabilis honeſtas virtutum, quibus promptè, expeditè, & perfectiſſimè poſſet operari in ordine ſupernaturali, modo Matri Dei convenienti. Data eſt etiam ei donorum Spiritus ſancti beatiſſima copia, quâ veluti dote Divinus Paraeletus Mariam ſibi ſubarrhavit, & oppignoravit, atque eam in omnibus animi motibus, & corporis greſſibus ſemper dirigeret, quæ nunquam erat in ullam peccati venialis, vel imperfectionis labem ruitura. Gratiæ etiam gratis datæ, ſi nondum datæ, quia nondum neceſſariæ, illi tamen paratæ ſunt; quia nihil illi deeſſe potuit, ſed totum habuit, quæ paritura erat Deum, ſecundùm quod conveniebat conditioni ipſius.

Tertiò gratia Mariana triplicem habuit refuſionem, nimirum in animam ad vitandum omne peccatum, & operandum omne bonum: deinde in corpus, ut ex carne ſua poſſet generare Deum: demùm in omnes homines, talem enim ei Deus contulit gratiam, quâ Maria eſſet *plena ſibi, & ſuperplena nobis*, ut ait S. Bernardus. Hanc veritatem præclarè illuſtrat S. Thomas *quæſt. 27. art. 5.* docens in Maria triplicem fuiſſe plenitudinem, *diſpoſitionis, formæ & finis.* Sicut enim in rebus naturalibus eſt perfectio diſpoſitionis, ut cùm lignum habet calorem diſponentem ad formam ignis; eſt perfectio formæ, ut cùm forma ignis in materiam ligni introducitur; eſt perfectio finis, ut cùm ignis genitus ad locum ſurſum aſcendit. Sic in Maria fuit plenitudo diſpoſitionis, per quam reddebatur idonea ad maternitatem Chriſti; fuit plenitudo formæ in inſtanti conceptionis Verbi; fuit plenitudo finis in die aſſumptionis.

Quartò gratia Mariæ quámlibet in ortu plena, creſcere tamen potuit. Id enim exigit ſtatus viæ, in quo ſemper Maria vixit. Ergo Maria actibus virtutum, tolerantiâ paſſionum, ſuſceptione Sacramentorum innumera aſcivit crementa gratiarum, ejuſque ſemita quaſi lux ſplendens proceſſit ſemper, & crevit uſque ad perfectum diem. Quanvis enim gratia Mariæ primùm collata fuerit idonea diſpoſitio ad maternitatem Dei juxta exigentiam primæ diſpoſitionis, non tamen habuit totum illum diſpoſitionum apparatum, quem maternitas Dei ſucceſſivè poſtulabat.

Quintò incrementum Marianæ gratiæ eſt immenſurabile, cùm enim B. Virgo toto gratiæ, virtutumq; conatu egerit, nulla hominum vel Angelorum lingua effari quit gratiæ ipſius augmentum, quod continuò per annos 72. crevit, nulla occupatione, imò juxta plures, nec ſomno interruptum. *Illic* (ait Ambroſius *lib. 2. de Virgin.* loquens de S. Maria,) *nulla intermiſſa tempora: dormiendi non priùs cupiditas, quàm neceſſitas fuit; ut tamen dum quieſceret corpus, vigilaret animus.* Quia ſcientia Mariæ infuſa independens à phantaſmatibus, non minùs tempore ſomni, quàm vigiliæ poterat operari, ſubindeque ejus face accenſa voluntas indeſinenter amore flagrabat, atque adeo charitas & gratia ſingulis fermè momentis altero tanto congeminata duplicabantur, ſecundùm totam habitus latitudinem, & gratiæ operantis activitatem. Quin aliquando ex novo amoris impetu & fervore ſupra præcedentis gratiæ perfectionem operabatur. Quibus omnibus ſi addas, Mariæ gratiam multipliciter ex opere operato fuiſſe auctam in conceptione Verbi, in ſuſceptione Euchariſtiæ, in præſentia Salvatoris in ſinu geſtati, inter brachia ſugentis mammas, in cruce morientis, in adventu Spiritus ſancti, facilè colliges cumulum & abyſſum gratiæ, quam Maria in fine vitæ habuit, nullâ oratione enarrari, nulla Arithmetica numerari, nullo intellectu apprehendi poſſe; ſed à ſolo Deo, qui eam largitus eſt, poſſe æſtimari.

Sextò Marianæ gratiæ crementum triplicem effecit plenitudinem, ut ex D. Thoma *opuſc. 60* colligitur. Prima eſt *plenitudo ſufficientiæ*, quam habuit meritum naſcens. Secunda eſt *plenitudo abundantiæ*, quam habuit meritum creſcens. Tertia eſt *plenitudo ſingularis excellentiæ*, quam habuit meritum in fine vitæ deſinens. Ratione cujus triplicis plenitudinis, donorum abyſſus, gratiarum omnium mare, ineffabile gratiæ privilegium à Patribus appellatur. *Maria*, inquit Beda in cap. 1. Matth. *eſt ſancti Spiritus gurgite plena. Spiritus ſanctus*, addit Petrus Damian. ſerm. 22. de Joan. Baptiſt. *totâ majeſtate Virginem inundavit. Mariam tota Divinitatis plenitudine ſine menſuræ diſcretione perfudit, ut totum caperet, qui fecit totum.* Et Beatus Amadeus hom. 3. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in ubertate, in affluentia, in plenitudine; cúmque repleverit te, erit adhuc ſuper te*, veluti innatans. Imò, inquit Sanctus Bonavent. in ſpec. B. Virg. cap. 13. *Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut etiam ipſa gratioſa Virgo, gratia quodammodo dici poſſit.*

Septimò gratiæ Angelorum & hominum Mariæ gratiæ comparatæ ſunt velut arena exigua in conſpectu illius. Cùm enim prima Mariæ gratia fuerit omnium aliorum donis ſimul ſumptis ſuperior; & aliunde ineffabilia ſint gratiæ illius per ſeptuaginta duos annos crementa, planè relinquitur, quod *Virgo* (verba ſunt Petri Damiani ſerm. de Aſſumpt.) *inter animas Sanctorum & Angelorum choros ſupereminet, merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit, & ſic Spirituum hebetat dignitatem, ut ſint quaſi non ſint. Nullâ comparatione* (addit S. Ephrem orat. de laud. Virg.) *cœleſtibus exercitibus ſupereminet, præſtantiſſimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona, ob fulgorem inacceſſa.* Nec dubitavit aſſerere S. Bernard. *conc. 61.* quod *excepto Chriſto, tanta Virgini data eſt gratia, quantum uni puræ creaturæ dari eſſet poſſibile.* Quod de potentia ordinaria, & juxta præſtitutum à Deo gratiæ curſum dictum intelligito. Quo etiam modo intelligendus venit S. Thom. dum opuſculo de charitate, poſt Bernardum ait: *Fecit hanc Deus bonitatis ſuæ infinitam imaginem.* Et hujus aliqualis infinitatis rationem dat Andreas Cretenſis ſerm. de dormit. Deip. *Si quid quod nos ſuperat divina operata eſt gratia,*

rem

nemo miretur, intuens ad novum & ineffabile, quod in ea peractum eſt myſterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.

Octavò plenitudinem Marianæ gratiæ comitatum eſt in intellectu lumen fidei. *Beata quæ credidiſti*, aiebat S. Elizabeth *Luc.1.* quæ quia fuit perfecta, firma, & tempore etiam Paſſionis inconcuſſa; ideo meritò ejus omnium hæreſeon victoria aſſeritur. Fidem adornabat intellectualium donorum in eminentiſſimo gradu comitatus. Unde jure: *Maria* (inquit Bernard.) *Sole perhibetur amicta, quia profundiſſimam Dei ſapientiæ abyſſum, ultra quam credi poteſt, penetravit: ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.* Et rationem dat Dionyſius Carthuſianus, quia ſuperfluens ſons ſapientiæ Chriſtus Dominus in nullum potiùs ſapientiæ unctionem transfunderet, quàm in propriam Genitricem. Ex quo ſequitur omnem prudentiæ, ſcientiæ, habituumque intellectualium ſupellectilem ſtatui viatricis convenientem, & eximiis ejus officiis, ac ſanctitati ſingulari congruentem in illa extitiſſe. Unde Damaſc. *orat.1. de Nativit.* Mariam vocat *librum novum, cujus auctor ſit Deus Pater, cujus doctrina ſit Verbum Sapientia Dei, cujus calamus Spiritus Sanctus.* Idipſum etiam ſignificat Mariæ nomen, quod non ſolùm ſignificat Dominam maris, ſtellam maris, myrrham maris, mare amarum, ſed etiam illuminatricem & illuminatam: quæ omnia ſonant Mariæ dominium, gratiarum copiam, protectionis benignitatem, & mentis lumen ſingulare.

Contendit tamen S. Doctor *quæſt.27. art. 3.* Beatiſſimam Virginem adhuc in utero matris exiſtentem non habuiſſe rationis, vel liberi arbitrii uſum. Quod nomen *uſus* ſapientiſſimè à S. Doctore adhibitum eſt, ſignificat enim perſeverantem, ſtabilem, & habitualem expeditæ rationis & libertatis facultatem, quam meritò negat S. Doctor, quia nullibi Scripturarum, vel Patrum aſſeritur. Sed non inficiatur propterea S. Præceptor, B. Virginem tranſeunte rationis & voluntatis motu in momento elicito ad ſuam ſe ſanctificationem diſpoſuiſſe. Quia juxta ſæpè inculcatam à Sanctis maximam, quidquid gratiæ aut privilegii alicui Sanctorum conceſſum fuiſſe creditur, totum multò perfectiùs & ubetiùs Deiparæ credendum eſt eſſe donatum. Atqui Joanni exultanti in utero matris inſtantanea rationis voluntatiſque operatio conceſſa creditur. *Habebat enim*, inquit Ambroſius, *intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Et Spiritum Prophetiæ intra viſcera matris accepit*, ut ait Magnus Leo. Ergo hæc prærogativa non poteſt rationabiliter B. Virgini denegari.

Nonò ex Mariæ gratia conſequuta eſt rectitudo voluntatis ejus, quæ fuit virtutum Sacrarium, Divinitatis Templum, totiuſque boni ſedes. Tanta autem fuit voluntatis illius ſanctitas, ut nunquam culpâ ullâ etiam veniali maculata fuerit, ut unanimis Catholicorum omnium conſenſus tenet. Et certè peccatum nullum compatitur eximia Matris Dei puritas, & intima cum Chriſto affinitas, quâ fuit Deo plena, Verbo fœta, & ipsâ ferè uncta Divinitate, quæ ſuo ingreſſu peccandi poſſibilitatem abſtulit à Maria. Redundaſſet etiam in filium Matris ignominia; gloria enim filiorum Patres eorum. Unde non fuit in illa dubietas, quando Angelo reſpondit, *quomodo fiet iſtud?* Sed ſtupor & admiratio. Non fuit murmuratio, dum dixit Filio duodenni: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Sed eximia materni cordis ſolicitudo. Non ex vana gloria miraculum converſionis aquæ in vinum poſtulavit, ſed ex miſericordia erga convivas. Nec illam Chriſtus reſponſione objurgare voluit, quam facto honoravit, ſed docere voluit in miraculis patrandis ſe non habere acceptionem perſonarum, & in Apoſtolicis muniis exercendis non eſſe habendam rationem carnis & ſanguinis.

Decimò Mariana gratia non ſolùm excluſit omne peccatum, ſed etiam peccandi moralem poſſibilitatem, tum propter extrinſecam Dei invigilantis peccandiq; occaſiones avertentis providentiam: tum propter cõtinuam gratiarum efficacium ſeriem, quibus prævetita & facienda noverat, & bona cognita inceſſanter exequebatur: tum ob aſſiduam mentis erga Deum attentionem, voluntatis ardorem, ſenſuum cuſtodiam, fomitis ligamen vel extinctionem, ratione cujus Deipara nihil omninò habuit cum terrenis affectibus commune, nec eam unquam vel tenuiſſimus concupiſcentiæ fumus attigit, nec vermis voluptatis læſit, nec ullus motus indelibetatus ſtimulavit. Credit tamen S. Doctor *quæſt.27. art.3.* fomitem non eſſe extinctum in prima ſanctificatione Mariæ, ſed tantùm ligatum per abundantiam gratiæ effuſæ, & per providentiam divinã ſenſualitatem ejus ab omni inordinato motu prohibentem. Poſtmodum verò, inquit, in ipſa cõceptione carnis Chriſti, in qua primò debuit refulgere peccati immunitas, credendum eſt quod ex prole redundavit in matrẽ, totaliter fomite ſubtracto. Et rationẽ horum dat, quia abſq; virtute Chriſti nullus fomite liberatur. Quanvis enim ſecundùm ſpiritualem Chriſti fidem aliqui ante Incarnationem ſint ſecundùm ſpiritũ ab ejus damnatione liberati, tamen quod ſecundùm carnem ab ejus damnatione liberentur, non videtur fieri debuiſſe niſi poſt Incarnationem ejus, in quo primò debuit immunitas damnationis apparere: ſicut ante immortalitatem carnis Chriſti nullus fuit carnis incorruptibilitatem adeptus, ut ſic verum ſit, primum in unoquoque genere eſſe cauſam cæterorum; & principium ac conſummationem carnis ſibi invicem reſpondere. Cum quo tamen ſtat, fomitem, ſeu concupiſcentiam appetitus ſenſibilis, quæ proclivis eſt ad malum, & difficultatem facit in bono, ligatum ſemper fuiſſe, id eſt in nullum motum inordinatum, etiam primò primum prorupiſſe. Ex quibus argumentis Suaris oppoſitum ſentientis facili negotio occurres.

Undecimo ex Mariana gratia fluxerunt virtutes eminentes & heroicæ. Nam *quidquid in Maria geſtum eſt, totum puritas & ſimplicitas, totũ gratia & veritas fuit, totum miſericordia & juſtitia, verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt omnia florũ genera, & odoramenta virtutum* ut ait Sophronius *ſerm. de Aſſumpt.* Ratio eſt, quia actibus virtutum obtinuit illum Sanctitatis gradum, qui foret congrua diſpoſitio ad maternitatem Dei: Ergo ſicut dignitas Matris Dei eſt fermè immenſa, ita & perfectiſſimæ ſunt virtutes illius meritoriæ. Tũ quia virtutes ſunt paſſiones connaturales gratiæ: Ergo ſicut Marianæ gratiæ modus eſt ultra omnẽ modum, ita & virtutum ejus, quarum ornatus aſſimilatur veſtitui deaurato, circumdato varietate; virgulæ fumi aſcendenti ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & omnis generis pigmentarii, pigmentorum ſuffitui, paradiſo malorum punicorum cum pomorum fructibus. Hinc Patres vocant Mariam ſolam puram & ſanctam, in cujus virtutum luce aliorum omnium extinguitur ſplendor virtutum, quarum conventus venerandum ſibi thalamum in Maria conſecravit, ita ut Maria ſit ipſa imago virtutis, de qua velut ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis.

Duodecimo quatuor fuerunt Mariæ gratiæ & charitatis ejus dimenſiones. Sublimitas per ordinem ad Deum, longitudo & latitudo per ordinẽ ad proximũ, profunditas per ordinem ad ſeipſam. Ad Deum quidem ſublimis ferebatur ob continuã divinæ bonitatis contemplationem, nec ſomno interruptam; ob familiarem cũ Chriſto plurimorum annorum converſationem, ob attentam & maturè ponderatam inæſti-

mabilium beneficiorum ſibi collatorum effuſionem ob divinæ ſuavitatis experientiam, quâ charitate vulnerata amore languebat. Qui ſanè amor fuit fortis & invictus, ut paret ex eo quod beata patiens juxta crucem interrita, & infracta ſtetit; & dum terra tremuit, & tota natura concuſſa eſt, ſola Maria intrepida, ſola impavida, ſola immobilis extitit. Fuit etiam amor ille patiens, quia ut conformaretur filio morienti, non verebatur probra, non refugiebat tormenta, ſed avebat, & omnes quas in corpore Paſſiones Chriſtus pertulit, ipſa in corde toleravit, dum juxta Simeonis Propheticam ipſius animam doloris gladius pertranſivit. Fuit ardens; lampades enim ejus lampades ignis atque flammarum. Quamvis enim omnes Mariæ paſſiones eſſent moderatæ, id eſt rationi conſonæ, non tamen fuerunt remiſſæ. Quin potiùs tanta fuit amoris illius vehementia, tantus impetus, ut corpus Marianum alteratit, ſpiritus exhauſerit, vim nutritivam debilitarit, & demum temperamentum ſolverit. Neque enim legimus Mariam aliqua paſſione ab extrinſeco illata fuiſſe extinctam, nec vi morbi conſumptam, nec ſenium exhauſiſſe corpus adeo vegetum & temperatum. Solus ergo amor intenſiſſimus, deſideriis æſtuans, languore tabeſcens, fervore exardeſcens, deliquia patiens, cupiens diſſolvi & eſſe cum objecto dilectionis, filio animam à corpore disjunxit. Maria namque aſcendit quaſi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii, id eſt, concremata intus in holocauſtum ardentiſſimi amoris incendio, & æſtuantis charitatis deſiderio.

Ad proximum etiam diffundebatur longitudo & latitudo Marianæ charitatis. Tum quia amor Dei dilectionem proximi inſpirat, & qua proportione creſcit primus, creſcit etiam alter. Tum quia debuit amor Mariæ amori filii conformari: Chriſtus autem propter ſuam nimiam charitatem tradidit ſemetipſum pro nobis. Nec poteſt amare caput noſtrum Chriſtum, quin nos membra ejus amet. Tum quia Maria inſtituta eſt Mater fidelium à Chriſto pendente, qui hoc illi imponens officium, etiam illi maternum affectum effuſiſſimè largitus eſt; ſolet enim Deus dicere & facere. Unde Sancti aſſerunt amorem matris amabilis & amantis tam mirabilem, tam intenſum, tam profuſum, ut non ſolum vitam ſuam propter nos prodigere, & ſuppliciis omnibus diriſſimis devovere parata eſſet, ſed etiam filium ſuum unigenitum delicias cordis ſui morti tradere, & ſi Deus voluiſſet, crucifigere pro humano genere non dubitaſſet. Quia nimirum in affectum charitatis omninò tranſierant Mariæ viſcera, ex quo in ejus utero ipſa, quæ Deus eſt, charitas novem menſibus corporaliter requievit. Et ideo omnibus omnia facta eſt, copioſiſſima charitate ſe debitricem omnibus exhibuit, omnibus miſericordiæ ſinum aperiens, libenter ſe propriis meritis exuiſſet, proprio filio non pepercisset, & anathema eſſe pro bonis optaſſet, ut de plenitudine ejus acciperent omnes univerſi.

Erga ſeipſam denique profunda fuit Mariæ charitas, propter demiſſiſſimam humilitatem, quâ toto vitæ curſu honorē fugit, gloriam deſpexit, abjectionem & contemptum peramanter proſequuta eſt. Nam & ad Angeli laudes turbata cohorruit, & ad Maternitatis Dei auguſtiſſimam dignitatem nuntiatam ſe ancillam profeſſa eſt; & Deo plena pergit ad Elizabeth, ſuperior ad inferiorem, & humili voce intonat, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; & fabro nupſit, & Deum in ſtabulo peperit, & Chriſto pendēti aſtitit, opprobriis ejus ſaturanda; & Dei majeſtatem cōtinuò contemplata ſemetipſā abjiciebat; deponebat; confundebat, annihilabat; & Filium Dei exinanitum, ſibiq; ſubditum ſuſpiciens, uſq; ad abyſſos, ad centrum terræ cernua procumbebat, optimè ſciens primum & ultimum ad ſolidam pietatem gradū, fundamentum & faſtigium ſanctitatis, imò gradus omnes abſolutiſſimæ virtutis ſolam eſſe humilitatem, quâ ut docent Patres, Deum traxit ad terras; virginitate enim placuit, ſed humilitate concepit, ut ait Bernard. Effulſit etiam præcipuè Mariana humilitas in viſitatione S. Elizabeth, non ſolùm quia laudata, elogia diſſimulans in gratiarum ſuarum ſurrexit authorem, & plauſui, congratulationi, & benedictioni conſobrinæ reſpondit celeberrimo cantico, *Magnificat anima mea Dominum*; ſed etiam quia tantâ ſui dejectione inferiorem ſalutatione prævenit. Quod inimitabile virtutis exemplum rectè ponderat Bernard. *hom. I. & 4. ſuper Miſſus eſt*, his verbis: *Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit? Non magnum eſt, eſſe humilem in abjectione. Magna prorſus & rara virtus humilitas honorata. Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatē. Sed quāta putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem? Audis Virginem, audis humilem. Potes ſine virginitate ſalvari, ſine humilitate non potes. Poteſt placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amiſſam: ſine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuiſſet.*

REFLEXIO.

Prudens Virgo non ſapientiam, ſicut Salomon; non divitias, non honores, ſed gratiam requirebat. Nimirum ſola eſt gratia, quâ ſalvamur. Quid nos alia cōcupiſcimus, fratres? Quæramus gratiā, & per Mariā quæramus, quia qui quærit, invenit, & fruſtrari non poteſt. His præclariſſimis Mellifluí Doct. verbis admonemur, omnes ſtudiorū noſtrorum curas in ſolius Dei gratiæ advocandæ, cōſervandæ, adaugendæ amorem converti oportere. Vita noſtra, animæ anima eſt gratia Dei, cui ſervire, quem amare, quem timere eſt *omnis homo*, id eſt, teſte Chryſoſtomo, *hoc eſt vere homo*; teſte Hieronymo, *ad hoc natus eſt omnis homo*; teſte Bernardo, *ſine hoc nihil eſt omnis homo*; teſte Caietano, *hoc dumtaxat divinum eſt, fixum, ſtabileque bonum in omni homine.* Et rationem optimam dat Chryſoſtom. *Neque enim à figura, ſed ab actione, quod eſt, unumquodque intelligitur, cæteroquì communione nominis dicitur id quod dicitur. Solus ille verus eſt homo, qui conſervata imagine à Deo conceſſam pulchritudinem minimè fœdavit.* Homo ad imaginem Dei eſt; ſine gratia autem imago diaboli eſt: Ergo ſine gratia homo verus non eſt, ad nihilum redactus, & neſciens. Quia nimirum vera hominis natura, vera potiſſimùm Chriſtiani eſſentia ſola Dei gratia cenſetur, quâ qui carent, *ſuperficie vocabuli infamant veritatem*. Quia dicuntur homines, & non ſunt, ut docet Tertull. Ergo in gratia Dei procuranda omnem curam adhibeamus, operam totam navemus; de perdenda toti anxii, toti ſoliciti timeamus; ad amiſſam reſtaurandam, vel tepeſcentem inflammandam nullum laborem defugiamus, nullos pœnitentiæ rigores detrectemus, quia ſola eſt gratia quâ egemus.

Cætera quævis quæ extra nos, vel circa nos ſunt, ut aliena vel perniciosa reſpuamus. Ne attendamus carni, neque ea quæ carnis bona videntur, ſtudio impenſiori ſectemur. Sanitatem corporis, membrorum decorem, vultus elegantiam, carnis delicias, veſtium cultus, ſæculi divitias, ambitionis gloriam, turgidam humanæ dominationis potentiam pro nihilo habentes, ſoli gratiæ attendamus, ſolam excolamus, ſoli omnibus curis, & ſtudiis conſulamus. Quin etiam ingenii dotes affabrè excolant politi, ſibi habeant litteras ſuas Grammatici, ſibi concinnos ſplendentium figurarum lepores vendicent Oratores, ſibi ſapientiam ſuam Philoſophi, ſibi theſauros ſuos divites,

vites, ſibi regna ſua Reges: Chriſtianis gloria, poſſeſſio, regnum, ſapientia gratia Dei eſt. Gratia, inquam, quam in tribus conſiſtere cum Bernardo arbitror, In odio præteritorum criminum, in contemptu præſentium bonorum, in amore & deſiderio futurorũ & æternorum. Gratia, inquam, quæ animæ deſideranti feſtiva occurrit, cœleſti rore circumfundit, unguentis ſuaviſſimis delibutam oblinit, fatigatam recreat, eſurientem reficit, aridam impinguat, à terrenis, à ſeipſa ſublevat. Gratia, inquam, quæ animam Dei imagine inſignit, decorat ſimilitudine, deſponſat in fide, dotat in ſpiritu, conſecrat Deo, deputat cum Angelis, capacem beatitudinis hæredem bonitatis conſtituit, & Deo dignam. Gratia, inquam, quę præoccupatum ſæcularibus deſideriis animum, & negotiis implicatum declinat; quia vana veris, æterna caducis, ſpiritualia carnalibus, ſumma imis, quæ ſurſum ſunt iis quæ ſuper terram miſceri nequaquam poſſunt. Gratia, inquam, quâ perfuſa anima felix eſt. Nam quomodo non felix quæ cœlum eſt, cujus ſol juſtitia, cujus aſtra virtutes cujus lucerna agnus? Quomodo non felix, quam Dei pietas reſpicit, humilitas ſubjicit; quam clementia ducit, pœnitentia reducit, obedientia conducit, devotio introducit, perſeverantia perducit, charitas ad ſummum bonum inducit.

Hæc cùm ita ſint, unam tantùm gratiam Dei ob oculos ponamus, quæ ad eam ducunt, plurimi faciamus; quæ ad eam nihil adjumenti afferunt, ut vilia aſpernemur. Illud unum neceſſarium magni æſtimemus, ex quo ipſi quàm optimi futuri ſumus. Veram hominis magnitudinem ex gratia dimetiamur, ponamus patrimonium, pondaious honores, aliaq; fortunæ mendacia, corpus ipſum exuamus, ab animi quoq; dotibus præſcindamus, ex gratia qualis & quantus ſit intuemus, ut benè proſequitur Chryſoſtom. *hom. 7. de pœnit.* ponderans illud Pſalmi 45. *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Vidiſti, inquit, *dictionis ſubtilitatem, & manifeſtam diviſionem. Non enim dixit, cùm multiplicata fuerit gloria ejus; ſed gloria domus ejus. Oſtendens ſane alteram quidem eſſe hominis gloriam, alteram gloriam domus. Domus quidem gloria porticus, deambulatoria, laquearia pulchra, pavimentum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, ſervorum multitudo, ſumptuoſaque ſuppellex, quorum nihil ad hominem. Hominis verò gloria fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, manſuetudo, aſſidua oratio, eleemoſyna, & cætera virtutis membra.*

Solam ergo gratiam quæramus, & ſolùm quæramus, & ſemper. Quæramus inveniendam, quæramus inventam. Id eſt, unum verum optimum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nullus uſus expedit. Quæramus gratiam Dei, dum inveniri poteſt, & ſi nolumus fruſtra quærere, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perſeveranter. Nun quæramus pro illa aliud, nec cum illa aliud, nec ab illa ad aliud quærendum convertamur; quia ſic quærens non inveniet, ſic petens non accipiet, ſic pulſanti non aperietur. Quæramus theſaurum illum abſconditum, quem ſi non venderis omnia, non emes; quem ſi non reliqueris omnia, non invenies; quem cum inveneris, beatus es, & benè tibi erit. Quæramus denique gratiam, ſed per Mariam quæramus, quia *ſic eſt voluntas Dei, qui totum nos habere voluit per Mariam, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria: ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare,* inquit Bernardus. Quia, addit Hieronymus: *Cæteris per partes præſtatur gratia, Mariæ verò ſe totam infundit gratiæ plenitudo. In Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſicut in capite influente, in Maria verò ſicut in collo transfundente.*

Speculatio III.

Immenſum Marianæ gloriæ, & felicitatis pondus.

VErè fecit Deus Mariæ magna, qui potens eſt, quia Marianæ gloriæ juſta menſura ſola Deiparitotia eſt. Qui igitur exprimam triumphum gloriæ ejus, quæ ut ait Gregorius Magnus, *Meritorum verticem uſq; ad ſolium Divinitatis erexit?* Quæ verè magna ſunt, ſola debent admiratione laudari, ſolo ſilentio declarari. Unde notat Scriptura, mundum ſub cœlo totum Alexandri magnitudinem animi ſtupore & ſilentio celebraſſe. *Siluit terra in conſpectu ejus. 1. Mach. 1.* Atqui Mariana gloria eſt miraculorum Dei operæpretium; non ergo verbis efferendus foret, ſed reverentiâ prætermittendus Mariæ triumphus, qui cœleſtium in ſe concitabat admirationem ſpirituum una voce dicentium: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum?* Et meritò. Licèt enim ſemper & ubiq; Maria miraculum fuerit, & ut aiunt Patres, officina miraculorũ, Divinæ artis ſpecimen ſoli artifici notum, opus elaboratum, cui extrema omnipotentis manus acceſſit: fatendum tamen eſt, quod ſicut omnes lineæ à circuitu ad centrum concurrunt, omnes lucis radii per aëra diſperſi coëunt in corpus ſolare, omnia flumina intrant in mare: ſic omnes gratiarum rivi, omnes ſacrorũ chariſmatum ſplendores per totum Marianæ vitæ curriculum ſpatii in ejuſdē triumphi diem confluxerunt, ut fluminis impetus civitatem Dei lætificaret, & tam ſanctam converſationem infinitæ gloriæ præmium coronaret. Unde Bernard. *ſerm. 1. Aſſumpt.* ait: *Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quod ſi oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; quæ præparavit gignenti ſe, & diligenti præ omnibus, quis loquatur?*

Verùm ut materiæ illimitatæ modum aliquem præfigam, ſciendum duplicem eſſe magnitudinem, quæ ut docet S. Th. 2. 2. *quæſt.* 124 & *quæſt.* 129. duplici virtuti morali ſplendidiſſimæ materiam ſuppeditat. Prima eſt magnitudo bonorum, altera magnitudo honorum; illa magnificentiam, iſta magnanimitatem ſpecificat. Prima bona effuſiſſimè diſtribuit, & quidem modo ſplendido & auguſto: ſecunda actiones honorificas & gloriâ refertas eum animi amplâ diſpoſitione cogitat & diſponit, quam Ariſtoteles virtutum omnium ornamentum jure appellat, quia omnium virtutum actibus magnitudo operantis animi dat nitorem. Primò igitur honorum beatiſſimam copiam meditabimur, quibus Mariam Deus ditavit; & deinde honorum cumulum, quibus eam affecit, ſpeculabimur.

Nullum verum eſt bonum extra gloriam cœleſtē, quæ propterea appellatur à Theologis ſummum bonum, & à Boëtio, ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus. Unde Hieronymus explicans illud Davidis ad habitatores Galaad, *Retribuat vobis Dominus miſericordiam & veritatem,* ſic exponit: *Miſericordiam in præſenti, & veritatem in futuro, quia miſericordia quæ in præſenti ſæculo tribuitur, in comparatione futura mendacium eſt.* Et ideo Lucifer, qui bona illa amiſit, *in veritate non ſtetit.* Maria verò, cui bona illa ſuperabundanter impertita ſunt, ait: *In me eſt omnis gratia viæ & veritatis.* Excutiamus tantiſper, & enumeremus illa vera bona, quibus donata eſt.

Primum bonum eſt viſio Dei; licèt enim admodũ probabile ſit, B. Virginem per modum tranſeuntis divinam eſſentiam aliquando vidiſſe, conſtans tamen eſt, illam non continuò, permanenter, & ſtabiliter Deum intuitam eſſe, cum ex Scriptura conſtet, illam habuiſſe fidem: *Beata* inquit Elizabeth *quæ credi-*

diſſi. Fides autem eſt eum viſione ſaltem permanenti ineumpoſſibilis: Ergo ſolum poſt mortem Deum ſtatim vidit. Nihil enim purgandum Virgini Immaculatæ remanebit.

Secundò viſio illa, ſubindeque Mariæ gloria erat intenſione fermè immenſa, & in ea poſſumus conſiderare quatuor dimenſiones, ſublimitatem, profunditatem, longitudinem, latitudinem. Sublimitas viſionis reſpondet humilitati ejus; nam qui ſe humiliat, exaltabitur; qui humilitatus fuerit, erit in gloria; & reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: *ecce enim* (en cauſam exaltationis) *ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Profunditas eſt voluptas beatitudinis; quæ dicitur torrens voluptatis, & mare deliciarum correſpondens toleramiæ paſſionum, ſicut profunditas tormentorum ex proportionis legibus illicitarum voluptatum ſtudio & fluxui commenſuratur, juxta illud: *Quantum fuit in deliciis, tantũ date illi tormentorum*. Longitudo viſionis, ſeu æternitas reſpondet meritorum perſeverantiæ; nam qui perſeveravit uſque in finem, hic ſalvus erit: & tenere præcipimur quod habemus, ne alius accipiat coronam noſtram. Denique latitudo reſpondet charitati, cujus eſt dilatare cor. Nam ut peregregiè dixit S. Thom. 1 p. quæſt. 12. art. 6. *Vbi eſt major charitas, ibi eſt majus deſiderium: & deſiderium quodammodo facit deſiderantem aptum, & paratum ad ſuſceptionem deſiderati*.

Atqui Mariæ humilitas abyſſus eſt planè immenſurabilis, ut ſpeculatione præcedenti demonſtravimus. Tolerantia paſſionum fuit omninò incomparabilis; cor enim Mariæ, ut ait S. Laur. Juſtinianus, *clariſſimum fuit paſſionu ſpeculum, & perfecta mortis imago*. Quia ut tradit Guelricus Abbas, ſemper languebat *timore, dolore, amore*. Imò addit Arnoldus Carnutenſis, unum holocauſtum Chriſtus & Maria offerebant, *hæc in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis*. Vnde Mariæ cordis martyrium communem in mundi ſalutem cum paſſione Chriſti effectum obtinuit. Cõſtantia etiam Mariæ in operibus meritoriis exercendis fuit incredibilis; quid enim aliud fuit totius Marianæ vitæ curſus, quàm operum ſanctorum praxis, & heroicarum virtutum texura? Charitas denique Mariæ fuit immenſa, quia ut ait S. Ildephonſ. ſerm. 1. Aſſumpt. *Beatam Mariam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit, ut in ea non ſentiretur niſi tantùm ignis amoris Dei*.

Ergo Mariana gloria eſt planè indicibilis, & ut ait S. Bonaventura in ſpeculo: *Cælum eſt Maria, terra eſt, abyſſus eſt, quis hujus cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem, quis unquã Mariæ immenſitatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolùm in gratia & gloria, ſed etiam in miſericordia tã latam, tam altam, tam profundam operatus eſt*. Ergo ſicut in mari plures ſunt aquæ, quàm in omnibus fluminibus, fontibus, ſtagnis, torrẽtibus: ita Marianæ gloriæ gradus aliorũ Sanctorum omniũ beatitudini immensùm antecellit. Nã ut ait idem Bonaventura, verè plena eſt Maria gratiæ inundatione, tãta nempe exundatio gratiæ, tanta profunditas & magnitudo fuit, *ut ipſa mare plenum dici poſſit*. Ergo ſicut in ſole plus invenitur lucis, quàm in omnibus ſtellis ſimul: ita in muliere amicta ſole major invenitur & cumulatior gloria, quàm in omnibus Sanctis Angelis ſimul & hominibus. Ergo de Maria verum eſt illud Sapientis: *Multa filia congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*. Verum illud Pet. Damiani ſerm. de Nativ. *Attende Seraphim, & videbis, quidquid majus eſt eſſe minus Virgine, ſolumque opificem opus iſtud ſupergredi*. Et ſerm. de aſſumpt. *Gloria utique glorioſa, quam non novit, niſi qui dedit, & cui donare dignatus eſt*. Verum illud S. Ildeph. ſerm 2. de Aſſumpt. *Sicut eſt incomparabile quod geſſit, & ineffabile quod percepit, ita eſt incomprehenſibile præmium gloriæ quod accepit*. Verum illud Laur. Iuſtiniani orat. de Laudibus Virg. *Nulla comparatione ſuperis omnibus cæleſtibus glorioſior, omnium Sanctorũ corona ob fulgorem inacceſſa*. Verum illud doctiſſimi Idiotæ: *Sanctorum omnium privilegia, ô Virgo, habes omnia in te congeſta: nemo æqualis eſt tibi, nemo major, niſi Deus*. Ergo novâ & ſingulari gloriâ Deus Mariam donavit, ut ſicut novum & inauditum fecerat Dominus ſuper terram, quando fœmina circumdedit virum; ita novum, & Angelis ignotum fecit Dominus ſuper cœlum, quando fœminã circundedit Deus. Nam *quidquid ſeleniam* (inquit S. Thomas ſerm. de Aſſumpt.) *eſt in ſingulis Sanctis, totum abundat in Maria*. De qua propterea dicitur, quod eſt in plenitudine Sanctorum detentio ejus, quia inde incipit Marianæ gloriæ cumulus, ubi finitur Sanctorum aliorum cõſummatio. Ita ut quanvis viſio beata Dei Genitricis ſit ejuſdem ſpeciei cum viſionibus aliorum Sanctorũ hominum & Angelorum, ob rationes libro primò allegatas; tamen Mariana beatitudo ſpecialem gradum, ordinem, & velut hierarchiam ſola conſtituit ſoli beatitati Chriſti inferiorem, cæteris omnibus etiam collectivè ſumptis ſuperiorem,

Tertiò extenſiva perfectio viſionis B. Virginis eſt etiam incomparabilis, quia plures creaturas in Verbo detegit & poſſibiles, & futuras. Poſſibiles quidem, quia eo plures penetrantur in omnipotentia, quo intenſior eſt viſionis gradus, qui in Maria eſt omnium maximus. Plures etiã futuras inſpicit, quia unuſquiſq; beatus ea ex vi viſionis cognoſcit in eſſentia divina determinata per decretum, quæ pertinent ad ſtatum ſuum: atqui ad ſtatum Mariæ nulla ferè ſunt quæ nõ pertineant: quia cùm ſit Regina mundi, omnium Domina, præcipuum executionis prædeſtinationis inſtrumentum, donorum omnium aquæductus, Eccleſiæ collum, pauca invenientur, quæ ad ipſius eminentiſſimum ſtatum non attineant. Ergo plures creaturas una Mariæ viſio detegit, quàm tota Beatorum corona.

Quartò ex tam eximia poſſeſſione ſummi boni viſione obtenti conſequutus eſt per modum corollarii amor beatificus, quo una Maria plus Deum diligit, quàm tota creaturarum collectio. Quia ſi in via, quando innixa erat ſuper dilectum, Seraphim ardore ſuperavit, quid erit, aut quid non erit, qualis & quanta erit amoris flamma, poſtquam in dilectũ immerſa intravit in gaudium filii ſui? Non enim probo quod quidam dicunt, Deiparam non perfectius amare Deum in cœlo, quàm amarit ſuper terram; quia, inquiunt, ex toto impetu gratiæ & charitatis ſingulis actibus duplicatæ Deum ſemper amavit. Non probo, inquam, quia amor ſequitur cognitionem prælucentem: Ergo perfectiorem notitiam perfectior dilectio comitatur: atqui omnium de Deo cognitionũ num præſtantiſſima eſt viſio beata: Ergo amor Marianus, quo Deum proſequitur in cœlo, longè perfectior eo eſt, quo flagrabat in terra; quia licèt dum viveret, ex toto charitatis impetu operaretur, diverſus tamen eſt charitatis impetus, diverſus conatus pro diverſitate luminis dirigentis; attemperantur enim & accommodantur infuſi habitus modo ſubjecti, quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, & teſtante Evangelio ſecundùm propriam mẽſuram talenta diſpenſantur: at voluntatis fidem ducẽ ſequentis modus planè diſtinctus eſt ab eo, quem ſub viſione beata habet: Ergo quantumvis aliquis Deum in hac vita amet, amor tamen ille ſemper inferior erit, ſemper decoloratior amore patriæ; ſicut lux matutina ad meridianæ lucis perfectionem nunquam accedit, nec ad virilem conſummationem pertingit unquam elegantia quantaquanta puerorum. Idque Veritas indicavit, Matth. 11. *Inter natos mu-*

lierum

hiernum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cœlorum major eſt illo.

Quintò viſionem, & amorem comitatur gaudium ineffabile, ut ſicut Maria degens in terris fuit mare amaritudinis, ita in cœlis ſit immenſæ voluptatis immenſus oceanus. Felicitatis etiam ejus appendices fuere tres animæ dotes, viſio, ſeu claritas reſpondens fidei; comprehenſio, ſeu præſentia, quæ eſt præmium ſpei; & delectatio, ſeu quies in bono amato, quæ eſt merces charitatis. Decorata eſt etiam Maria triplici aureolâ, Virginum ſcilicet, ob inſignem puritatem; Doctorum, quia Apoſtolos & Evangeliſtas erudivit; & Martyrum, quia in paſſione quadantenus Martyr fuit.

Sextò ex his animæ dotibus ſingularis effluxit gloria in corpus. In primis non dedit Deus Sanctum illud corpus videre corruptionem. Quia, ut rectè diſcurrit S. Auguſtinus *tract. de Aſſumpt. tom. 9.* Potuit Chriſtus Mariam à putredine & pulvere alienam facere, qui ex ea naſcens potuit virginem relinquere. Putredo namque & vermis humanæ eſt opprobrium conditionis. Si ergo hoc poteſt JESUS qui omnia poteſt, quidni voluit filius benigniſſimus? Tum quia caro Chriſti eſt caro Mariæ, unde illa ſuſcepta eſt: at quomodo corrumpi patietur Chriſtus carnem illam, ex qua propriam ſumpſit ſubſtantiam? Tum quia tam pretioſum Mariani corporis theſaurum dignius eſt cœlo ſervari, quàm terrâ. *Iſtud ergo ſacratiſſimum corpus, de quo Chriſtus carnem aſſumpſit, & divinam naturam humanæ univit, eſcam vermibus traditum communi ſorte putredinis, & futurum de vermibus pulverem, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco,* inquit Auguſt. Tum quia ſi Deus inter crepitantes ignium flammas non ſolùm puerorum corpora ſervavit illæſa, & ipſa veſtimenta inuſta, cur abnuet in matre propria, quod elegit in veſte aliena? Si Jonam in ventre ceti præter naturalem uſum conſervavit incorruptum, cur Mariam incorruptam præter naturam non ſervabit gratia? Servatus eſt Daniel ab intemperatiſſima fame Leonum, & non ſervanda fuit Maria ab eſu vermium?

Deinde corpus illud incorruptum animæ iterum unitum fuit. De ejus corporis reſurgentis elegantia, cultu, ſplendore, & gloria nihil audeo ſcribere, quia nulla mens, nulla lingua, nullus calamus in ejus corporis celebrando nitore invenientur idonei, quod Patres vocant *cœlum animatum*; quia nec aſtrorum ignes in ſerena nocte, nec ſolis majeſtas in ſua rota magis nitent, quàm Mariani corporis ſcintillantes, micantesque variè radii; ut ſicut fuit meriti animæ ſocius, ſic & in conſortium gloriæ veniat. Nam in exiguum illud corpus natura & gratia concluſit & collegit quidquid eximium habet quod oculis placet, quod demulcet auditum, quod titillat olfactum, quod guſtui ſapit, quod tactui delectat. Unde plus gloriæ accidentalis ex illius ſolius corporis intuitu percipient Sancti, quàm ex conſideratione totius Paradiſi. Et certè, Lector, ſi hortus peramœnus aptè in areolas ſuas pulvilloſque diſpoſitus, florum herbarumque copiâ, raritate, novitate diſtinctus & ornatus animum ſenſuſque non tam capit, quàm paſcit; ſi oculi faſcinantur, dum circumſpiciunt agmina florum, & augmenta; dum vident illum è calice, hunc è vagina, alium è gemma protuberantem, unum morientem ſubitò, alterum ſubnaſcentem; dum defiguntur in nitores & pigmenta colorum; dum cernunt figuram & faciem mille modis parem, mille diverſam, dum mirantur hilari & hianti acie hinc nativam purpuram, hinc ſanguinem ferè fluentem, hic ebur, iſtic nivem, illic flammam, & ubique aurum & colorum gemmas, quas artificii penicillo æmulari quidem fas eſt, ſed non imitari: denique ſi odorum fragrantia, ſuaves habitus, colorum laſcivia, rivulorum decurrentium murmur, pellucida aquarum cryſtallus ſit verè fons innocentis gaudii & liquidæ voluptatis, quâ curæ falluntur & labores; quæ oborietur, quæſo, voluptas conſiderantibus illam, quam Greg. Nicomedienſis *orat. in Præſent. Deip.* vocat *pulcherrimam omnium pulchritudinum pulchritudinem, & pulchrorum omnium ſummum ornamentum?*

Jam de magnitudine honoris Mariæ delati paucis agendum eſt. In primis *aſcendenti Mariæ Chriſtus*, inquit Sophronius, *totus feſtivus occurrit, aliàs quomodo implevíſſe creditur quod in lege præcepit: Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Accurrerunt Angelorum chori lætantium, & dicentium: *Sic honorabitur quam Rex voluerit honorare.* Deinde omnes ſupergrediens Angelorum hierarchias advocata eſt à Rege gloriæ dicente; *Accede igitur, & tange ſceptrum.* Opinantur multi Doctores, Mariam ſpecialem occupare locum; ſed quia non eſt bonum hominem eſſe ſolum, ideo Cœleſtis Salomon ſedit ſuper thronum ſuum, & ex æquo poſitus eſt thronus matris Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. *Angelicam tranſiens dignitatem* (ait S. Auguſt. ſerm. Aſſumpt.) *uſque ad ſummi Regis thronum es ſublimata; ubi poſuit idem Rex filium tuum, quod ex te ſuſcepit, ibi te poſuit Reginam, de qua illud ſuſcepit: neque enim fas eſt te alibi eſſe, quàm ubi eſt quod à te genitum eſt.*

Sed quis enarrare ſufficiat magnificum, quo excepta eſt, apparatum, eloquiorum dulciorum ſuper mel & favum ſuavitatem, quibus eam tota Trinitas dignata eſt, introducentium Angelorum plauſum & ſtuporem, coronam ſtellarum duodecim capiti ſuperpoſitam, ſed plus ornatam à Maria, quàm ornet eam? Sed præcipuè cur Mariæ liquefactum eſt, ut dilectus loquutus eſt, & dixit, ut meditatur Guelricus Abbas: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: in te mihi ſedem regni conſtituam, per te judicia decernam, per te preces audiam. Tu dediſti mihi quod homo ſum, ego tibi dabo quod Deus ſum; quia concupivi ſpeciem tuam deſiderantiùs, quàm tu meam; nec ſatis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris.* In terra fuit Maria centrum Chriſti, qui propterea, ut Bernardus tradit, dicitur operatus ſalutem in medio terræ: quidni ergo thronus, ſedes, requies, & centrum ſuaviſſimum Chriſti erit Maria in cœlo? In terra Maria fuit torus caſtiſſimus, in quo homo Rex fecit nuptias, quando Pater Filium humanæ naturæ conjunxit; & in cœlo Maria eſt pulvinus ſedentis judicis, currus triumphantis, tribunal miſericordiæ, thronus pietatis omnes tranſcendens creaturarum cunctarum ſedes. Nam ut dixit Bernardus ſerm. 1. Aſſumpt. *Non eſt in mundo locus dignior utero virginali, in quo Dei filium Maria ſuſcepit; nec in cœlis ſolio regali, quo Mariam Dei Filius ſublimavit.*

Reflexio.

Si teſte Damaſceno ſerm. 4. Aſſumpt. *Virgo regalis ad thronum Dei Patris evecta, & in ipſius Trinitatis ſede repoſita naturam etiam Angelicam ſollicitat ad videndum;* æquum planè eſt, ut *dilectiſſima ſponſa, mater, & filia in medio Trinitatis Beatiſſimæ introducta*, qualem vocat S. Bernardinus, noſtram alliciat contemplationem, rapiat attentionem, cor ſibi noſtrum vendicet totum. Mirantur Angeli ſupereminentem gloriam Patris æterni filiæ aſtantis à dextris Dei in veſtitu deaurato; matrem Filii in conſortium prolis vocatam: quocirca Bernardus *ſerm. 1. Aſſumpt.* dixit: *Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit?* Sponſam Spiritus ſancti radii ſponſi coruſcantis ſupernorum Reginam civium, quos copioſis cumulat gaudiorum augmentis. Quidni ergo nos Matrem noſtram honorificatam, ex tota ſe adhærentem Deo,

tota virtute amantam quod videt, ſumma felicitate habentem quod amat, ſuſpiciamus attoniti, revereamur cernui, diligamus devoti, confiſi ſuſpitemus, ut in nobis mittat radices, cujus eſt in plenitudine Sanctorum detentio poſita, quæ æterni Filii recepta conſeſſu eſt, ejuſque gloriæ ſociata in throno, qui ſuæ naturæ copulatus fuit in utero.

Verùm ſi Mariæ gloriam in vita tua diligis, fac ut in morte ab ea non ſeparetis; ſi Mariam amas (quis autem tam durus non amet matrem pulchræ dilectionis, matrem amabilem, & juxtà amantem?) illò pergere feſtina, quo ipſa pervenit; ſi Mariæ aſſumptæ gratularis, iis quæſo greſſibus incede, quibus ipſa iter fecit ad cœlum. & ut in ſimili dixit Auguſt. epiſt. 125. *Ita vivas, ut illic, ubi ipſa eſt, eſſe merearis.*;: *Nam utique ſi amares, cum illa eſſe poſt mortem deſiderares, quod profectò non eris, ſi qualis es, talis eris.*

Quatuor vectus rotis triumphalis Mariæ currus cœlos penetravit; eam quippe occîdit charitas, ſuſcitavit puritas, exaltavit humilitas, perſeverantia coronavit: Ergo non tepidis provenit regnum cœlorum, nec otio & deſidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. Ergo laſcivis & mollibus denegabitur torrens voluptatis æternæ, ſed quantum fuerunt in deliciis, tantum dabitur tormentorum; eſt enim, teſte S. Hieronymo, luxuria ignis infernalis, cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus ſcintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immundina, cujus finis gehenna. Ergo magna eſt miſeria ſuperbus homo; ſi enim vix toleratur dives ſuperbus, pauperem ſuperbum quis ferat? Quomodo ſuperbus aſcendet ad cœlum, poſtquam ſuperbia de Angelo diabolum fecit, & homini mortem intulit, & conceſſa beatitudine vacuavit, omnium malorum parens, initium peccati, ſcelerum fons, vena nequitiæ, peſtis virtutum? *Excelſa eſt patria*, inquit Auguſtinus, *humilis eſt via: Ergo qui quærit patriam, quid recuſat viam? Cogitas magnam conſtituere fabricam celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Ergo non inſtabilibus, non volentibus & nolentibus, pigris, non ſurgentibus, & in iterata flagitia recidentibus, non ſemivolentibus & ſeminolentibus;. ſed firmis, ſed infractis, ſed intrepidis ſpondetur incommutabilium perſeverantia gaudiorum. Ut enim dixit Bernardus epiſt. 129. *Abſque perſeverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum.*

Intueamur igitur Mariæ gloriam. Curramus & ſequamur Mariam in odorem unguentorum ejus. Nullus labor durus, nullum tempus longum videatur, quo gloria æternitatis acquiritur. Turpe ſit cedere oneri, & luctari cum Chriſtianæ vitæ officiis, quibus aſtricti ſumus. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; grandis enim violentia eſt generatum in terra cœlum quærere, & naturam gravem corde, id eſt deorſum tendentem, ad ſuperna contendere. Sed non eſt Mariæ cliens fortis ac ſtrenuus, qui laborem ſugit; nec ſatis ejus potentiam novit, cui animus ipſa rerum difficultate non creſcit. Maria via eſt, per quam vita Chriſtus advenit, & per quam Chriſtiani acceſſum habemus ad vitam. Per ipſam nos ſuſcipiet, qui per ipſam datus eſt nobis. Invocata in laboribus, in neceſſitatibus, in tribulatione aderit, quæ non vocata præſto eſt. Ipſam cogitantes non errabimus, ipſam cogitantes non deſperabimus, ipſam ſequentes non deviabimus; ipſa tenente, vel tenentes eam, non corruemus; ipſa protegente, non metuemus; ipſa duce, non fatigabimur; ipſam maris ſtellam ſupremo cardini Deo proximam attendentes inter fluctus hujus ſæculi non jactabimur ſuperbiæ ventis, non frangemur ſcopulis alliſi tribulationum, non abſorbebimur voragine voluptatum, ſed ipſâ propitiâ inoffenſo curſu proſperè ad portum quietis æternæ perveniemus.

CAPUT II.

Maternitatis Dei veritas defenditur, eminentia ſuſpicitur, Virginitas celebratur.

Quæ hactenus diximus, præludia ſunt vel accidentia eminentiſſimæ, quam contemplandam aggredimur, dignitatis. Hactenus in veſtibulo verſati ſumus, nunc ingrediendum nobis eſt interiora velaminis, & ſuſpicienda illa ineffanda maternitas, quam Auguſtinus *formam*, ſeu expreſſionem Dei; Chryſologus, *tantam, ut quantus ſit Deus, nuſquam melius inſpici, quàm in ea poſſit*; Andreas Cretenſis, *divini archetypi imaginem*; Andreas Hieroſolymitanus, *dioptram Dei perſpectivam*, qua divinarum perfectionum magnitudo & ſublimitas, quantum fas homini eſt, innoteſcere poteſt; Damaſcenus denique, & S. Thomas, *immenſam & infinitam dignitatem* appellant.

Speculatio I.

Hæreticum eſt negare, Beatam Virginem eſſe Matrem Dei.

Ita expreſsè definitum eſt in Concilio Epheſino contra impietatem Neſtorii, qui novo & nefario dogmate Mariam Virginem negavit eſſe *Θεοτόκον*, id eſt Deiparam, ſolumque illi Chriſtiparæ nomen afferebat; quia cùm duas in Chriſto perſonas affingeret, divinam nimirum, & humanam, Beatam Virginem ſolam humanam progenuiſſe effutiebat. Huic peſti graſſanti, & virus ſuum longè lateque propaganti ſe infracto animo Cyrillus Alexandrinus oppoſuit, & Mariæ dignitati eximiæ in diſcrimen vocatæ ſuppetias tulit. Sed cùm Hæreſiarcha nollet ab ebibito errore reſilire, nec à laceſſenda Eccleſiæ pace deſinere, poſt indultos ei per ſummam benignitatem decem dies, quibus rediret ad cor, & impietatem publicè ejuraret, ſedulò ejus libris litteriſque examinatis, hæreticus pertinax, præfractus, & obſtinatus declaratur, Epiſcopatu abdicatur, de fidelium communi ſocietate reſecatur, in priſtinum Monaſterium relegatur, & ne Monachos falſa doctrina perverteret, Oaſim mittitur, ubi miſeram vitam miſeriori exitu concluſit, ſcaturientibus è blaſphema lingua, non ſine intuentium horrore vermibus. Sic autem habetur in canone 1. Concilii Epheſini: *Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundùm veritatem Emanuel, & propter hoc Dei Genitricem Sanctam Virginem, anathema ſit.*

Probatur ratione S. Thomæ *quæſt.* 35. *art.* 4. Ex hoc dicitur aliqua mulier alicujus mater, quòd eum concepit, & genuit: Atqui verè dicitur Deum eſſe conceptum & natum ex Virgine. Quia concipi & naſci attribuitur perſonæ ſecundùm naturam, in qua concipitur & naſcitur; perſona autem divina concipitur & naſcitur in humana natura ex Virgine, per hoc quod in principio conceptionis humana natura fuit aſſumpta à divina perſona: Ergo B. Virgo verè eſt mater perſonæ divinæ. Et quia omne nomen ſignificans in concreto naturam aliquam, poteſt ſupponere pro qualibet hypoſtaſi illius naturæ; idcirco hoc nomen, *Deus*, quanvis ſit commune tribus perſonis, tamen poteſt ſupponere pro qualibet perſona in particulari. Cùm ergo ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis verè ſit filius Mariæ Virginis, relinquitur B.

Virg-

Virginem verè eſſe, & ſimpliciter dici debere matrem Dei.

Confirmatur: Non poteſt negari, B. Virginem eſſe matrem Dei, niſi dicatur quod vel humanitas fuit priùs concepta, vel nata, quàm homo ille fuerit Filius Dei; vel quod humanitas non fuit aſſumpta in unitatem perſonæ Verbi Dei; quia in utroque illo caſu purus homo eſſet genitus, & non HomoDeus. Si autem in eodem inſtanti fuit concepta humanitas, & à perſona Divini Verbi aſſumpta, non poteſt negari quin terminus conceptionis Marianæ ſit HomoDeus; ſiquidem terminus conceptionis & generationis eſt perſona & hypoſtaſis, quæ in Chriſto genito non eſt alia, quàm Verbi. Atqui hæreticum eſt aſſerere cum Photino, humanitatem fuiſſe priùs conceptam, quàm homo ille fuerit Filius Dei; vel dicere cum Neſtorio, humanitatem non fuiſſe aſſumptam in unitatem perſonæ: Ergo hæreticum eſt negare, B. Virginem eſſe matrem Dei. *Abſit*, inquit Vincentius Lirinenſis, *ut quiſquam Sanctam Mariam Divinæ gratiæ privilegiis aut ſpeciali gloria fraudare conetur. Eſt enim ſingulari quodã Domini ac Dei noſtri, filii autẽ ſui munere veriſſimè ac beatiſſimè Θεοτόκον confitenda. Sed non eo modo Θεοτόκον, quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ aſſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicendam, quæ cum ſcilicet pepererit hominem, qui poſtea factus eſt Deus: ſicut dicimus Presbyteri matrem, aut Epiſcopi matrem, non jam Presbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea Presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam, S. Maria Θεοτόκος; ſed ideo potius, quoniam in ejus ſacro utero ſacroſanctum illud myſterium perpetratum eſt, quod propter ſingularem quandam, atq; unicam perſonæ unitatem, ſicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus eſt.*

Dices: Mater dat initium exiſtendi Filio: Sed Deus non accepit initium exiſtendi ex Virgine: Ergo B. Virgo non eſt Mater Dei.

Reſpondeo B. Virginem eſſe & dici matrem Dei, non quòd ſit mater Divinitatis, ſed quia perſonæ habentis Divinitatem & humanitatem eſt mater ſecundùm humanitatem. Quod optimè explicat D. Thomas poſt S. Cyrillũ exemplo animæ rationalis, quam licèt non producat mater, tamen ſimpliciter dicitur mater hominis geniti, & ineptiſſimè diſtingueretur mulierem eſſe genitricem carnis, & non animæ; quia terminus generationis eſt homo conſtans ex anima & corpore: ita inſulsè, & tergiverſanter diceretur Mariam eſſe matrem humanitatis illius, quia terminus generationis illius eſt perſona conſtans ex humanitate & Divinitate. Unde neceſſarium eſt confiteri, Verbum Dei natum eſſe ſecundùm carnem ex muliere, quæ proinde eſt mater Verbi Divini. Unde dicitur Luc. 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* Galat. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt nobiſcum Deus. Ad quorum omnium veritatem ſatis eſt, quod actio à Virgine prodiens terminetur ad humanitatem ſubſiſtentem in Verbo. Nec propterea dicitur Deipara cauſa Dei, ſicut mulier non dicitur cauſa animæ rationalis à Deo creatæ, licèt ſit mater hominis ex corpore & anima coaleſcentis.

Inſtabis: Ut B. Virgo ſit mater Dei, debuit concurrere activè vel ad unionem hypoſtaticam, vel ad generationem prolis conceptæ; ſi enim nihil in productione Dei-hominis egerit, non videtur quomodo poſſit eſſe mater illius. Atqui nec ad unionem hypoſtaticam phyſicè concurrere potuit, ut ſuprà dum de cauſis Incarnationis demonſtravimus; nec activè egit in productione prolis, quia ut docet D. Th. *q. 32. art. 4.* Mulier in generatione prolis nihil agit, ſed ſolam materiam miniſtrat, virtute autem maris activa cum ſemine tranſmiſſa proles concipitur, ut tradit Ariſtoteles *lib. 1. & 2. de generat. animal.* Ergo Beata Virgo non eſt mater Dei.

Reſpondeo, quod ut Maria ſit mater Dei, ſufficit ut in generatione Chriſti totum faciat quod aliæ matres in conceptione prolis præſtant: Ergò cùm aliæ matres non phyſicè influant in ſubſiſtentiam, nec ſint inſtrumenta illius, & in ſententia Philoſophi ſolam materiam in generatione prolis miniſtrent, fruſtra & perperam aliquid amplius deſideratur in generatione Deiparæ. Veritas tamen eſt, quod licèt B. Virgo ad actum formalis conceptionis activè non egerit, quia B. Virgo nõ accepit quod eſſet pater Chriſti, ſed mater; *operata tamen eſt*, inquit S. Thom. loco adducto, *ante conceptionem aliquid activè, præparando materiam, ut eſſet apta conceptioni. Quia potentia generativa* (addit ad 2.) *in fœmina eſt imperfecta reſpectu potentiæ generativæ, quæ eſt in mare. Et ideo ſicut in artibus ars inferior diſponit materiam, ars autem ſuperior diſponit formam: ita etiam virtus generativa fœminæ præparat materiam; virtus autem activa maris format materiam præparatam.* Quam doctrinam illuſtrat Angelicus Doctor *in 3. diſt. 3 quæſt. 2. art. 1.* advertens in conceptione prolis triplicem actionem intervenire, nimirum completam & ultimam, quæ eſt formatio & organizatio corporis, & reſpectu hujus ſolus pater eſt agens, mater verò ſolam materiam miniſtrat: alia actio dicitur præparatoria, ſeu præâbula, cùm enim generatio naturalis ſit ex determinata & convenienti materia, non ex quacumq; aſſignanda eſt aliqua virtus agens, quâ materia ad conceptum præparetur, & hæc virtus eſt in matre. Tertia dicitur concomitans, nam ſicut locus facit ad bonitatem generationis, ita & bona diſpoſitio matricis operatur ad bonam prolis cõſtitutionem. In prima actione nihil fuit ex parte Virginis quod eſſet activum, ſed id quod B. Virgo miniſtravit, ſe habuit materialiter tantùm ad hanc actionem: virtus autem Spiritus ſancti obumbrantis fecit totum, quod in aliis conceptionibus fit à Patre per virtutem ſeminis. In cæteris verò B. Virgo activè operata eſt, ſicut aliæ matres. Unde & verè mater fuit, cùm quidquid eſt de neceſſitate generationis ex parte matris, totum in B. Virgine inveniatur. Qua diſtinctione triplicis actionis omnia argumenta elides, quibus Scotus probare nititur matrem activè in generatione prolis operari.

REFLEXIO.

Illa eadem quæ mater eſt Dei, eſt mater Chriſtianorum; omnibus enim in perſona Joannis dictum eſt: *Ecce mater tua.* Et ſanè conſonum eſt, ut mater capitis ſit membrorum parens, per quam veluti canalem fidelibus omnibus derivat Deus fluenta gratiæ, reſarciuntur protomatris damna; unde à Patribus appellatur *Evæ correctio.* Quod ſi Maria omnia in nos pietatis officia implet, ſi nos in gratia filiolos parturit, donec formetur in nobis Chriſtus, ſi nos adoptat in filios, ſi nos juxta Crucem in doloribus peperit, ſi nos diligit peramanter, ſi protegit fortiter, ſi defendit feliciter, ſi ſolatur ſuaviter, denique ſi mater eſt, ubi eſt honor ejus, ubi amor, ubi obſequium, ubi obedientia filiorum? *Hoc unum de Maria dicere, quod Mater Dei eſt, ſuperat omnia quæ ab Angelo, vel ab homine dici poſſunt*, inquit Petrus Damian. Et hoc unum de Maria addere, quod mater noſtra ſit, omnia ab hominibus poſſibilia rependi pietatis officia exigit, omnem devotionem blandè allicit, omnem reverentiam juſtè repetit, arctè ſtringit, afficit vehementer.

Si mater eſt, ubi honor Mariæ debitus? Mariæ, inquam, quæ ut ait Arnoldus Carnotenſis, *conſtituta eſt ſuper omnem creaturam; & quicumque IESU curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat.* Quidni er-

go totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc venerabimur, quam Trinitas honore præcipuo cohoneſtavit, quam Pater filiam, Filius matrem, Spiritus ſanctus ſacrarium elegit; quam Angeli profundè colunt, quam Eccleſia ſub cœlo tota à ſuis incunabulis ſummis laudibus exornavit; quam beatam dicunt omnes generationes, nulla enim eſt natio, quam non pervaſerit Mariæ obſervantia; nullus locus, quem non impleverit; nullum ſæculum, quo non certatim floruerit. Quia ſicut miſericordiâ & beneficentiâ ejus plena eſt terra, ita & nominis illius majeſtate, quam prænuntiarunt Prophetæ, præmonſtraverunt figuræ, & in qua celebranda Pontifices & Reges, Reſpublicæ & Civitates, ſexus omnes & ætates unanimi conſenſione conſpirarunt. Et meritò, nam dignitati præcellenti, potentiæ tam eximiæ, gratiæ tam copioſæ non quidem latriæ cultum (ut olim Collyridiani, vel potiùs Cullyridianæ blaſphemabant, quæ teſte Epiphanio *hæreſ.* 79. cultum latriæ debitum Deiparæ deferebant, eique quandam formam panis *collyram* dictam in ſacrificium immolabant;) ſed ſpecialem hyperduliæ venerationem deferendam eſſe nemo niſi hæreticus eat infitias. Nullus ergo annus, nullus menſis, nulla dies, hora nulla prætereat quin aliquod obſervatiæ penſum venerabundi perſolvamus. Amplectamur adgeniculati Mariæ veſtigia, & devotiſſimâ ſupplicatione beatiſſimis illius pedibus provolvamur. Nam honor matris redundat in filium, & glorificantes eam glorificat. Vult planè ab omnibus honorari, qui primus honoravit, eamque exaltavit ſuper omnes creaturarum choros, cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium, ut poſt nomen Jeſu, in nomine Mariæ omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Si mater eſt, ubi eſt amor ejus? In Materia omnia collucent amoris illicia, & ſuper adamantem durus & obduratus eſt, qui tam amabilem matrem non amat. Planè amens eſt eam non amans, & parum Chriſtianus, nullatenus verò Catholicus cenſendus eſt, qui non eſt ex corde Marianus. Quomodo enim charitas Dei manet in eo, qui unumquemque proximum ſicut ſeipſum diligere juſſus, Sponſam & Matrem Dei, divinorum attributorum animatum ſpeculum, & Sacrarum hypoſtaſeon cælaturam non diligit ſupra ſeipſum? Quomodo Jeſum toto corde amat, ſi Mariam non diligit adeo conjunctam Salvatori, ut teſte Ezychio orat. 2. *ſi Chriſtus ſol, Maria cœlum; ſi Chriſtus gemma, Maria arca; ſi Chriſtus flos, Maria planta exiſtat?* Quomodo ipſum bonum amat, ſi non diligit Mariam, in qua omnia naturæ munera, omnia gratiæ dona, omnia gloriæ bona, bonorumque plenitudo congeſta ſunt, totiuſque pulchritudinis collecta univerſitas? Vulneravit Divini Sponſi cor Mariæ pulchritudo, & homines non excordabit? Profectò excors eſt, qui tantam amabilitatem neſcit amare. Imò non amat ſeipſum, qui Mariam non amat; omne enim donum, quod deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, totum fluit per Mariam: ſi quid ſpei, ſi quid gratiæ, ſi quid conſolationis & ſalutis eſt, totum ab ea novimus redundare, quæ diligit diligentes ſe, clientesque ſuos ſuaviter amat ut mater; conſtanter protegit, ut regina; fortiter defendit, ut caſtrorum acies ordinata. Qui ergo non odit animam ſuam, qui rectè vivere cupit, qui pacificè optat mori, & in æternum regnare concupiſcit, amet nutricem, mediatricem, protectricem, auxiliatricem, ſine qua nihil poſſumus obtinere. Magna ſanè impoſita eſt nobis neceſſitas te amandi, ô Maria, quia ut ſemel, & iterum ſcripſit Anſelmus: *ſicut qui ad te converſus eſt, & à te reſpectus, impoſſibile eſt ut pereat; ſic qui averſus eſt, & à te deſpectus, neceſſe eſt ut pereat. Qui autem in dilectionis erga Mariam ſuavitatem tranſit, non diffidendum quin in retributionis ejus participium tranſiturus ſit.*

Speculatio II.

Quindecim prærogativæ Matris Dei.

PRima prærogativa eſt, quod habeat veram & realem relationem maternitatis ad Filium Dei unigenitum. Quod ingens privilegium Patres ſuſpendit, & in altam admirationem rapit, *Hic taceat*, loquit Petrus Damian. ſerm. 1. Nativ. *& contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem.* Quin non ſolùm ingenuè fatentur Sacri Doctores, tantam dignitatem humani vires captumque ingenii excedere, ſed neque ipſam quoque Mariam *explicare poſſe, quod capere potuit*, ut ait Auguſt. ſolùmque Deum, qui fecit eam, dimetiri poſſe. Vnde Anſelmus lib. de excell. Virg. cap. 3. *Intendat mens humana, intendat & videat, & admiretur. Vnicum filium ſibi conſubſtantialem Deus progenuit; hunc ſibi tam unicum, & in omnibus omninò æqualem non eſt paſſus remanere ſolummodò ſuum, ſed eundem ipſum voluit eſſe B. Mariæ unicum, & dilectiſſimum, & naturalem filium, ut unus & idem ipſe, qui filius Dei eſt in una perſona, filius eſſet S. Mariæ; & qui filius S. Mariæ, idem filius eſſet Dei.* Iam paternitas ferè deſinit eſſe nomen & corona primæ Trinitatis perſonæ, ex quo unicus Patris Filius Mariæ cœpit eſſe communis.

Secunda prærogativa eſt, quod mater Dei habet dignitatem ſimpliciter infinitam; ut docet S. Thomas 1. p. *quæſt.* 25. *art.* 6. *ad* 4. his verbis: *Beata Virgo ex hoc quod eſt Mater Dei, habet quandam infinitatem ex bono infinito, quod eſt Deus; & ex hac parte nihil poteſt fieri melius, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Ratio eſt, quia relatio ſicut ſpecificationem, ita perfectionem, & perfectionis menſuram deſumit à termino: terminus autem maternitatis B. Virginis eſt Deus homo, utiq; infinitus: Ergo ſicut non poteſt dari terminus perfectior, ita maternitas illa eſt dignitas, quâ major nec eſſe, nec cogitari poteſt. *Majorem mundum poteſt facere Deus* (inquit Bonaventura in ſpeculo, cap 8.) *majorem matrem quam matrem Dei facere non poteſt. Non poteſt* (addit Albertus Magnus) *intelligi major gratia participari creatura, quàm eſſe matrem Dei.* Hanc rationem breviter, ſed compendioſè, ſed divinè tangit Matth. cap 1. *De qua natus eſt* Jeſus. Quia eſſe matrem Jeſu, eſt omnium poſſibilium elogiorum epitome. Si vis Virginem cognoſcere, qualis & quanta ſit, in ejus filium oculos conjicito, & ex ejus excellentia poteris excellentiam matris intelligere, inquit Magnus Greg. *in lib.* 1. *Reg.* Et Albert. Magn. *Marial. cap.* 230. ibi: *Filius inſinuat matris bonitatem, omnis enim arbor ex fructu cognoſcitur.* Et Mariæ dignitas penſatur ex Filio totam ſuam dignitatem in matrem modaliter refundente; & ideo dicitur Deipara ſole amicta, quia dignitate filii veluti induitur, & circundatur.

Tertia prærogativa: Maria habet affinitatem, cognationem, & ſi dicere fas eſt, conſanguinitatem cũ Deo, ratione cujus divinam nobilitatem participat; quia non ſolùm eſt filia Patris, & ſponſa Spiritus ſancti, ſed etiam mater filii, quâ cognatione nulla propinquior, nulla intimior eſſe poteſt. Ad cujus majorem claritatem conſiderato, nobilitatem divinam quadruplici ordine participari poſſe. Primò ordine naturæ, in quo veluti in veſtigio divinæ bonitatis effuſus ſplendor relucet. Secundò ordine gratiæ, in quo creatura rationalis divinæ fit conſors naturæ. Tertiò in ordine gloriæ, in quo cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, & Deiformes, imò & Dii in eſſe intelligibili efficiemur. Quartò in ordine hypoſtatico, in

que

quo natura creata per unionē ſubſtantialē ad eſſe divinū evehitur: Ergo ſicut ordo hypoſtaticus eſt omnium præſtantiſſimus, & nobiliſſimus, cùm ordinē illum perſona increata conſtituat; ita quæ ad ordinē illū pertinent, cæteris omnibus tanto nobilitate præſtant, quanto propinquiùs accedunt: Atqui mater Dei non poteſt non proximè pertinere ad ordinē hypoſtaticum; mater quippe non eſt extra ordinem filii, cùm relata ſint ſimul naturâ & cognitione. Ergo Mariæ nobilitas omnis puræ creaturæ poſſibilis nobilitatem immenſùm antecellit.

Quarta prærogativa: Dei maternitas eſt perfectiſſimum omniū Dei ſimilitudinū ſignaculū, expreſſiſſima imago, & ſplendidiſſimum ſpeculum. Unde præclarè Bernard. ſerm. in Signū Magnum: *Quàm familiaris ei fieri meruiſti! In te manet, & tu in eo; veſtis eum veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te gloriâ majeſtatis: veſtis ſolē nube, & ſole ipſa veſtiris.* Et ratio eſt, quia in Maria relucet notio Patris, unde poteſt Maria verè dicere Verbo æterno incarnato, *Filiꝰ meꝰ es tu. Hic eſt filius meus dilectus.* Tum quia ſicut Pater generando Filium Virgo, & prima Virgo eſt; ita Maria pariens Chriſtū Virgo, & Virginū exemplar eſt. Tum quia divina attributa in Maria certatim collucēt. Infinitatem enim, immenſitatem, & univerſalitatem Divinitatis æmulatur matris Dei dignitudo: actus puritatem ſimpliciſſimā imitatur Mariæ Virginitas. In ipſius intellectu ſapientiam, in voluntate virtutes omnes depinxit Sapientia divina. Unde meritò dixit Auguſt. ſerm. de nat. *Si formam Dei te appellem, digna exiſtis.* Et Andreas Cretenſ. orat. 2. Aſſumpt. *Maria divini archetypi imago rectè deſcripta, & divinarum attributorum epitome.*

Quinta prærogativa: Inter Matrē Dei, & Deum eſt unio remota ſubſtantialis, & identitas quadantenus invenitur. Quia filii & matris una, eademq; ſubſtātia eſt: unde caro Jeſu caro eſt Mariæ multò ſpecialiùs, quàm Joſeph Judæ, cæterorumq; fratrum ejus, quibꝰ dicebat: *Caro noſtra & frater noſter eſt.* Et certè ſi vir & uxor duo ſunt in carne una, quantò magis mater & filius? Ad cujus majorem evidentiam conſidera, totā materiam uniendā animæ Chriſti & Verbo Dei, miniſtratam fuiſſe à B. Virgine in formatione ſacratiſſimi corporis Chriſti, deinde novem menſibus intra uterum virgineū ſacrum fœtū puriſſimæ matris ſanguine nutritum adoleviſſe; egreſſum verò ex utero pluribus menſibus ſubſtantiam matris lacte manantem ſuxiſſe. Ex quo fit, ſubſtantiam à B. Virgine derivatā, non quidem immediatè, ſed mediatè proximè fuiſſe Verbo Dei copulatā. Et quia valdè probabilis eſt eorum Philoſophorum Medicorùmque ſententia affirmantiū partes viventiū primigenias in utero matris primitus ſuſceptas nunquam vi caloris naturalis ita reſolvi, quin earum aliquid ad mortē uſq; perſeveret, fit inde nonnihil Marianæ ſubſtantiæ in Chriſto adhuc remanere, ita ut Beata Parens illis indigitatis partibus dicere poſſit illud Gen. 2. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Hinc Patres non rarò affirmant, nos in divina Euchariſtia Marianâ ſubſtantiâ paſci. Auguſt. in Pſ. 95. *De carne Mariæ carnem accepit, & ipſam Mariæ carnem nobis manducandam ad ſalutē dedit.* Andreas Cretenſ. homil. de dormit. Deip. *Quæ ipſam Sapientiam ſecundùm carnem genuit, totā ſeipſam tanquam cœnam myſticam & cæleſtem paravit.* Petrus Bleſenſ. tract. de Euchariſt. cap. 1. *Eadem caro de Virgine nata, & caro nunc Verbo vitæ de pane ſacrata.* Ergo inter Mariam & Chriſtum eſt quædam ſpecies identitatis, qualis nimirum invenitur inter matrem & filium, quæ adeo arcta eſt, ut Philoſophus 8. *Ethic*, prohibet non admitti juſtitiam inter parentes & filios, quia filius eſt pars parentum, & idem cum illis. Et 1. *Magn. Moral.* affirmat filium eſſe *quadammodo membrum parentis.*

Sexta prærogativa: Deipara habet dominiū & poteſtatem in Chriſtū. Quia quod eſſentialiter & ex jure naturæ maternam dignitatem comitatur, nō poteſt rationabiliter Matri Dei reſpectu filii ſui denegari; ordo enim gratiæ naturæ ordinem non deſtruit, ſed perficit; nec venit Chriſtꝰ ſolvere legē, maximè naturalē, ſed adimplere. Atqui omnis mater eſſentialiter & ex jure naturæ habet poteſtatē in filium; unde nulla natio tam fera, tam barbara eſt, quæ primùm Deo, deinde parentibus obſequium præſtari debere nō agnoſcat; cùm etiam hujus obſequii veſtigia conſpicua in animantibus, ciconiis potiſſimùm cernamus. Ergo ſi illis lege non ſcripta, ſed ingenita; non inciſa in tabulis, ſed ſculpta in cordibus; ad quā non docti, ſed nati ſunt omnes filii, immunis nō fuit filiorū omniū piiſſimꝰ, qui proinde non minùs matri ſervire & obſequi tenebatur, quàm honore & amore proſequi. Et hoc immenſum privilegiū totis viribus, ſed citra condignum evehunt Patres. Ildephonſ. *lib. de Virginit. Deipar. cap.* 8. ſuſpenditur, dū miratur, quod *haberet ancilla Dominum in ſubdito, ancillam Dominus in prælato.* Bernard. *ſerm. 2. ſuper Miſſus eſt*, expendens illud Luc. 2. *Erat ſubditus illis*, ait: *Mirare utrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſive Filii Dei benigniſſimā dignationem, ſive Matris excellentiſſimā dignitatē. Utrinq; ſtupor, utrinq; miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas ſine exemplo, & quod Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.* Petrus Damiani: *Accedis ad aureum illud divinæ ſeveritatis tribunal, non rogans, ſed imperans; domina, non ancilla: quomodo enim poteſtati tuæ obviare poterit poteſtas illa, quæ de tuis viſceribus traxit originem?*

Nec hæc naturalis ſubjectio Salvatoris adverſatur dignitati Regis univerſalis totius entis creati. Nō adverſatur, inquā, quia jus Regni, quod unio hypoſtatica tribuit Chriſto, petit ſolùm ut Chriſtus nō teneatur obedire matri in his quæ poſſent regiminis univerſalis bonum & œconomiam impedire; quia bono communi, quod divinus eſt, & Rex, & mater Regis obtemperare tenentur. Sicut ergo non tenemur obedire parentibus contra legem Dei, & in cauſa ſalutis per calcatū pergere patrem, per calcatam pergere matrē jubemur, quia magnū pietatis opus eſt hac in re eſſe crudelem: ita in his quæ ſpectant ad bonum monarchiæ parentibus obedire Rex minimè tenetur, ſed ab eorum poteſtate jure regni quodammodo emancipatur. Cæterùm in aliis omnibꝰ filiū, qui dependenter à parentibus recipit eſſe, parentibus obſequi teneri nemo, niſi à communi naturæ ſenſu alienus, negare poteſt. Unde refert Valerius Maximus *lib.* 4. quod cū Decius Imperator filium ſuum imperiali proponeret dignitate inſignire, reſpondit moratiſſimꝰ filius: *Malo non eſſe Imperator, ſed humilis filius, quàm Imperator & filius indevotus. Imperet pater meus, meum imperiū ſit parére humiliter imperanti.* Dico filium, qui *dependenter à parentibus recipit eſſe*, ut excipiam Filium æterni Patris, quia cùm in filio illo coæquali & conſubſtantiali nulla ſit dependentia, ſed ejuſdē numerò naturæ identitas, nulla etiam in filio illo ſubjectio, vel ſubjectionis obumbratio eſſe poteſt. At poſtquā Filius ille exinanivit ſemetipſum formā ſervi accipiens, ſicut Patri ratione naturæ humanæ, ita & Matri ſubditus factus eſt, ut etiam ex dictis ſuprà de ſervitute Chriſti liquere ampliùs poteſt. Neq; hæc ſubjectio ullā redolet imperfectionē, ſed dignationem & pietatē, ut rectè notat Ambroſius *in cap. 2. Lucæ*, inquiens: *Quid magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret? Non utique infirmitatis iſta ſubjectio eſt, ſed pietatis.*

Septima prærogativa: Matri Dei cultum, & honorē debebat Chriſtus. Probatur: Parentibus cultū & honorem debent filii, ut tam crebrò inculcatur in ſacris litteris. Exod. 22 *Honora Patrem tuū, & Matrē tuam.* Epheſ. 6. *Honora Patrem tuū & matrem tuam, quod eſt mandatū primū in promiſſione.* Unde Philo *lib. de Decal.* vocat hoc præceptū ambarū tabularum *confiniū*, ſicut parentes ſunt naturæ immortalis mediū & horizon; mortalis quidem propter cognationem cum hominibus; immortalis vero, quia gignendo referunt Deum. Unde quidā dixerunt, parentes eſſe Deos conſpicuos & aſpectabiles, & Deum eſſe parentē inviſibilem. Et certè hunc cultū natura tota clamat & inſpirat, ut claret in ciconiis, quibus ſeneſcentibꝰ, ſubindeq; volandi impotibus & in nido remanentibus, prognatæ aere mariq; volitantes, omnia pene fragrantes cibos afferunt. Deniq; hoc præceptū tam innatum, tam in communi omniū ſenſu implantatum eſt, ut nullus ſive Judæus, ſive Græcus, ſive Ethnicus

ſive Turca attentare illud unquam auſus ſit. Et tamẽ (horreſcu referens) inveniuntur nonnulli, ſi Superis placet, Chriſtiani, & Theologi, & Caſuiſtæ in Catholicæ Religionis probrum nati, in quibus Chriſtus patitur opprobrium, in quibus lex Domini im̃aculata convertens animas patitur maledictũ, qui com̃uniſſimis pietatis notionibus renuntiantes, ſcribere non erubuerunt, filios poſſe mortem patris non ut malũ Patris, ſed ſpe hereditatis, ſpe ſucceſſionis appetere. Quis crederet tam feram & crudelem aſſertionem in mentẽ mentiſq; primam apprehenſionẽ, non Chriſtianorum, ſed hominum venire potuiſſe? Quis non crederet tã portentoſæ execrationis architectos eſſe in mundo ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nulluſq; habere parentes, quorum ſic provocant in dignationem? Abſit verò ut mundanæ hæreditatis cupiditate, vel ſucceſſionis libidine, vel paternæ dignitatis ambitu abſtergatur filiorum impietas, & major Caſuiſtarũ horum doctrinæ impuritas, quæ adjectis tam ſordidarum intentionum fæcibus ſordeſcit magis & graviùs olet Sanctũ ex objecto opus deturparet tam ſordida intentio, & impium ſcelus ſanctificabit? Formidant Sancti, & jure formidant, ne præſtantiſſima, quæ edunt opera, lucri temporalis, honoris, vel ſui nimius amor corrumpat, ideoque conantur non ſolùm prava opera fugere, & mundi hujus inquinamenta devitare, ſed & bona quæ agunt cum magna cautela tenere, ne per hoc quod ab eis rectè geritur, favor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, int⁹ à mercede vacuetur, ut *homil. 12. in Evang.* proſequitur Magnus Gregorius. Et illis motivis, quibus inficitur ſanctitas, mundabitur iniquitas? Scilicet.

Ergo cùm Chriſtus fuerit filiorum omnium piiſſimus, ab hoc officio nequaquam deſcivit. Salvator quippe, qui teſte Gregorio, ad hoc apparuit in carne, ut humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, reſurgendo repararet, verbo & exemplo debitum parentibus honorem firmavit; nam non ſolũ quandiu vixit, erat ſubditus Matri, ſed & moriens eam amantiſſimo diſcipulo com̃endavit. Unde Ambro. ep. 82. *Si religioſum eſt, quod latroni datur venia; multo uberioris pietatis eſt, quod à Filio Mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus; ecce mater tua. Teſtabatur de cruce Chriſtus, & inter matrem atq; diſcipulum dividebat pietatis officia. Cõdebat Dominus non ſolũ publicum, ſed etiam domeſticũ teſtamentũ: & hoc ejus teſtamentum ſignabat Ioannes dignus tanto teſtatore teſtis.* Et Auguſt. tract. 59. in Joan. *Facit Chriſtus quod faciendum admonet, & exemplo ſuo ſuos miniſtros inſtruit præceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, in quo fixa erant membra morientis, etiã cathedra fuerit Magiſtri docentis.* Imò Chriſtus, ut notat Ambroſius, poſt hanc exhibiti matri honoris ſignificationem emiſit ſpiritum, ut *omne myſterium bono fine pietatis conſummaret.* Ut in illius honore exſpiraret, & vitam finiret, in cujus utero primum humanæ vitæ ſpiraculum hauſerat.

Octava prærogativa: Mater Dei jure exigit à Chriſto amorem. Tum quia amorẽ non minùs impendere parentibus filii, quàm honorem & obſequiũ tenentur, cùm etiam omne obſequiũ, omniſq; cultus nihil vel parũ placeant, ſi de amoris radice nõ procedant. *Qui de amore non venit honor*, inquit Bernardus, *non honor, ſed adulatio eſt.* Ergo Chriſtus nõ minori amore quàm honore Mariã proſequebatur. Tum quia in Maria matre dilectionis concurrebant omnia amabilitatis motiva & illicia, nimirũ bonitas & perfectio exquiſita, pulchritudo elegãtiſſima, indoles ſuaviſſima, ſanctitas eximia, ſumma cum filio ſimilitudo, cognatio, proximitas, amor erga Chriſtum ſingularis, qui amorem Chriſti ad ſe rapiebat, denique effuſa beneficentia, quâ pia mater, provida nutrix & tutrix filii ſibi oppignorarat amicitiam.

Nona prærogativa: Mater Dei eſt Regina & Domina omniũ creaturarũ, quæ in cœlo & ſub cœlo ſunt; unde ſimpliciter, & per antonomaſiã vocatur *noſtra Domina.* Tũ quia mater ſupremi omnium Regis, omnium quoq; domina eſt; ſi enim parentes ſunt domini filii, quanto potiùs bonorum, quæ ſunt ſub poteſtate filii? Hinc Chryſol. ſerm. 142. *Mariã naſci & vocari Dominã & Reginã, ipſa ſui germinis, hoc eſt Chriſti filii ſui fecit & impetravit authoritas.* Aug. ſerm. 35. de Sanct. *Sufficere debet notitia humana, hanc verè fateri Reginam cœlorũ, pro eo quod Regem peperit Angelorum.* Et Arnoldus Carnot. tract. de laud. Virgin. *Nec à dominatione vel poteſtã filii mater poteſt eſſe ſejuncta. Una eſt Chriſti & Mariæ caro: & filii gloriam cũ matre non tam communem judico, quàm eandem.*

Decima prærogativa. Maternitatem Dei nulla pura creatura, nec ipſa etiã B. Virgo de condigno mereri potuit. Quia meritũ B. Virginis procedebat à gratia ſanctificante, quæ tendit ſolum vel ad ſui augmentũ, vel ad gloriam promerendam, nec poteſt ordinẽ hypoſtaticum condignè obtinere. Sed ſi B. Virgo meruiſſet de condigno maternitatem Dei, promeruiſſet etiam ordinem hypoſtaticum, & Incarnationem Verbi; qui enim meretur antecedens, meretur etiã conſequens cum ipſo eſſentialiter connexum; maternitas autem Dei & Incarnatio perſonæ divinæ ſunt correlativa eſſentialiter cõnexa: Ergo Maternitas Dei excedit omne omninò meritũ cujuſvis creaturæ de condigno. Quia cùm in maternitatis merito includatur meritum Incarnationis, conſequens omnino eſt, ut ſicut meritum condignum Incarnationis, utpote infinitũ, nulli poteſt creaturæ competere, ita nec meritum maternitatis Dei. Confirmatur: ut opus bonum condignè promereatur aliquod præmium, requiritur prorſus, ut illud opus ſit intra eundem ordinem, in quo eſt præmium; hac ſola de cauſa per opera naturalia non poſſumus præmium ſupernaturale, nec per opera gratiæ unionẽ hypoſtaticam promereri; quia nimirũ totus ordo inferior quantumcunq; intra proprios limites creſcat, nunquã tamen ordinem ſuperiorẽ adæquabit. Atqui omne opus à gratia adoptionis procedens erat ordinis inferioris, quã eſſet Maternitas Dei, quæ ingreditur ordinem hypoſtaticum, & ad fines Divinitatis propiùs accedit: Ergo nullum opus, quàmlibet ſanctum, & à gratia adoptionis intentiſſima promanans, potuit maternitatem Dei condignè mereri, ſed opus illud condignũ recipit præmiũ, dũ augetur gratia, vel gloria confertur.

Quin etiã adeo præcellens eſt hæc dignitas, ut nulla creatura, quàmlibet Sancta, nec ipſa quoq; B. Virgo quantaquanta ſit ejus ſanctimonia, potuerit mereri etiam de congruo electionem & prædeſtinationẽ in matrẽ Dei, ita ut merita prævisa ſint cauſa electionis ad tantam dignitatem; quia, ut aliàs diximus, principium meriti non poteſt cadere ſub meritum: Sed electio B. Virginis fuit principium omnis gratiæ Mariæ collatæ, theſauri enim gratiarum illi collatarũ, gloriæ etiã pondus illi præfinitum, ſupponunt electionẽ ad maternitatem Dei; ideo quippe electa fuit ad tantã gratiæ gloriæq; menſurã, quia ſic gratificari, ſic exaltari Dei Matrem decebat. Ergo nulla creatura mereri potuit, ſive de congruo, ſive de condigno electionem Mariæ ad maternitatem Dei. Cum quibus ſtat B. Virginẽ ex gratiæ plenitudine ſibi collatæ ſi promeruiſſe ſanctitatis & puritatis gradum, quo congruè ad maternitatem Dei diſponebatur. Imò & maternitatẽ ipſam, ſicut & Incarnationis acceleratiõnẽ, operibus ſanctis, ſanctis deſideriis, inſtantiis fervidis & humillimis multò meliùs quàm Sancti Patres promeruit. Sicut enim Deus prædeſtinat Sanctos ad gloriam ſine meritis, quam tamen in exequotione non confert, niſi per merita: ita Deus ex gratuita voluntate elegit Mariam in Matrem; ad illam tamen dignitatem in exequutione non niſi per merita pervenit. Et ſic intelligitur illud Luc. 1. *Inveniſti gratiã apud Deũ. Ecce concipies, & paries.* Et illud Hieron. epiſt. 22. *Tanta puritatis Maria extitit, ut mereretur effici mater Dei.* Et illud Petri Damiani ſerm. 2. Aſſumpt. *Singularis ejus ſanctitas hoc promeruit, quod ſuſceptione ſingulariter digna eſt judicata.* Denique illud quod ait Eccleſia, B. Virginem dignum Dei habitaculum effici, Deumque portare meruiſſe.

Hac diſtinctione ordinis, intentionis & exequotionis, facilè Patrum dicta conciliabis, & ab iis te difficultatibus extricabis, quib⁹ mirum in modum implicantur

plicantur

plicantur recentiores. Si enim Maria ex meritis præviſis prædeſtinata ſit ad maternitatem Dei, neceſſariò principium meriti ſub meritum cecidit; cùm enim merita Mariæ ex meritis Chriſti proficiſcantur, ſi Maria meruit electionem ad maternitatem Dei, meruit etiam Incarnationem Chriſti in illa incluſam ex meritis Chriſti: Ergo merita Chriſti erunt cauſa meritoria Incarnationis, cùm ſint cauſa operum Mariæ merentium Incarnationem. Adde quod principium phyſicum Incarnationis Chriſti eſt principium meriti Chriſti, quod omninò ſupponit Incarnationem exiſtentem; atqui Chriſtus meretur matrem, quæ eſt principium phyſicum Incarnationis: Ergo Chriſtus meretur principium ſui meriti. In ſumma: Eſſe matrem Dei eſt concurrere ad unionem hypoſtaticam; Ergo quod meretur maternitatem Dei, meretur etiam unionem hypoſtaticam: Sed Mariæ opera præviſa per ſe meruerunt maternitatem Dei & electionem ad illam: Ergo Maria meruit Chriſti unionem hypoſtaticam: atqui unio hypoſtatica eſt principium omnis meriti Mariæ: Ergo Maria meruit principium ſui meriti.

Mirum eſt quot & quantas ſubtilitates excogitarint neoterici, ut ſe ab illa vulgari difficultate expedirent. Alii cum Hurtado fingunt duas actiones totales & adæquatas, unam à ſolo Deo, alteram à Deipara dependentem, & poſita priori, Chriſtum meruiſſe produci per poſteriorem. Alii Duce Cardinali de Lugo comminiſcuntur Chriſtum jam adultum tempore paſſionis, cùm nullo modo pendebat à Virgine, illam potuiſſe matrem mereri. Alii videntes primam ſolutionem repugnare veræ Philoſophiæ, quæ duas actiones totales ejuſdem effectus, velut impoſſibiles cum Thomiſtis, vel ut inutiles cum omnibus aliis explodit: ſecundam verò ſolutionem per ſeipſam ruere, cùm tempore paſſionis Chriſtus jam natus & adultus matre non indigeret, & Theologum non deceat res graviſſimas ad inaniſſima figmenta reducere; hoc, inquam, videntes, dicunt cum P. Georgio de Rhodes, Deum priùs decreviſſe Chriſtum eſſe futurum ab aliqua matre, deinde verò ſtatuiſſe illum à tali matre futurum. In priori ſigno, inquiunt, Chriſtus matrem ſuam meritus eſt, quia tunc non dependebat à matre; in poſteriori mater per opera ſua Deum hominem producere meretur. Unde principium meriti non cadit ſub meritum, quia Chriſtus in primo ſigno eſt principium Mariæ, à qua pro tunc nondum dependet.

Verùm illa ſolutio nihilo meliùs ſatisfacit. Tum quia per ſe videtur abſurdum, Deum decreto vago & confuſo decernere Chriſtum futurum ab hac vel illa matre, ſicut aliàs diximus dedecere divinæ providentiæ actualitatem, ſi decreviſſet Chriſtum incarnandum abſtrahendo à carne paſſibili, vel impaſſibili. Tum quia veræ Philoſophiæ repugnat aſſerere, Deum poſſe prævidere hunc Chriſtum futurum, niſi dependenter ab illa determinata matre, & per illam determinatam actionem; quia hic numero determinatus effectus ab hac numero cauſa, & ab hac numero actione eſſentialiter pendet: Ergo prævidere Chriſtum futurum ab aliqua matre, & non ab hac determinatè, eſt prævidere Chriſtum poſſibilem non exiturum, quia exiſtentia eſt poſitio & velut ſiſtentia effectus extra omnes cauſas. Certè ſicut non poteſt Chriſtus actu meritoriè operari, niſi ut exiſtens & productus ab una determinata matre, ita non potuit prævideri meriturus antequam ab ulla determinata matre naſciturus.

Denique ex illa doctrina ſequeretur, hominem poſſe primam gratiam mereri, ſi Deus in uno ſigno prævideat opus meritorium per aliquod auxilium indeterminatum, & in poſteriori homo mereatur hoc auxilium potiùs, quàm aliud. Sequeretur etiam, Chriſtum potuiſſe mereri ſuam unionem hypoſtaticam, ſi nimirum in primo ſigno prævideat Deus unionem aliquam vagam & indeterminatam, in ſecundo verò hanc potiùs quàm illam Chriſtus mereatur. Et licèt hæc inconvenientia ultrò devorent adverſarii, tamen quantum à veritate aliena ſint, patet ex dictis libro ſuperiori, dum de cauſis Incarnationis. Illud etiam ab adverſariis avere ſcirem, quodnam eſſet illud præmium ſecundi ſigni correſpondens merito primi inſtantis rationis: mater enim illa confusè cognita primo inſtanti, unio illa hypoſtatica indeterminata, auxilium illud primum confuſum, quæ ſunt principia meriti, quid amabò obtinent in ſecundo ſigno, quod non haberent in primo? Habet, inquies, Chriſtus hanc matrem, & antea habebat aliquam. Sed in rei veritate quid addit hæc ſupra aliquam? Ergo in rei veritate fictitium eſt præmium, fictitium eſt meritum. Unde omninò retinenda eſt doctrina illa de merito Incarnationis in intentione & in exequutione, quâ omnis difficultas evacuatur. Nam Chriſti intentius eſt cauſa meriti Mariæ, & merita Mariæ Chriſti incarnandi exequutionem mereri potuerunt, ut de Sanctis Patribus aliàs diximus, nec iterare opus eſt.

Dices: Priùs decerni poteſt, & debet exiſtentia finis, quàm exiſtentia mediorum; qui enim ordinatè vult, priùs vult finem, quàm media! Sed exiſtentia Chriſti eſt finis, maternitas autem Mariæ, & ejus concurſus ſunt media ordinata ad Chriſtum, propter quem eliguntur & amantur: Ergo priùs decrevit Deus exiſtentiam Chriſti futuri, quàm determinaverit matrem, per quam Chriſtus eſt exiturus.

Reſpondeo, hoc argumentum manifeſtè nimis probare; ſi enim Chriſti opera præviſa meruerunt maternitatem Dei, in qua includitur ſecundariò Incarnatio, planè conſequitur, Chriſtum meruiſſe Incarnationem ſui, ſubindeque principium meriti omninò cadere ſub meritum, quod repugnat. Dicendum ergo, priùs in ordine intentionis decerni exiſtentiam finis, quàm exiſtentiam mediorum; tamen in ordine effectionis ſeu exequutionis priùs decerni poſitionem mediorum, quàm finis; quia prior eſt efficacitas mediorum, quàm actualis conſequutio finis. Ex quibus argumento facto & aliis innumeris, in quibus fit ſemper tranſitus ab ordine intentionis ad ordinem exequutionis, perſpicuè ſatisfacies. Diſtingue ergo majorem: Priùs decerni debet exiſtentia finis quàm mediorum, decreto intentivo, concedo; decreto exequutivo, ſeu exequutionem prædefiniente, nego. Et conceſsâ minori diſtingue conſequens: Priùs decrevit Deus decreto intentivo, ſeu ordine intentionis ſtatuente exiſtentiam Chriſti futuri, quàm determinaverit matrem, tranſeat (dico tranſeat, quia id intelligi volo ſalvis iis, quæ de motivo Dominicæ Incarnationis ſuperiori libro diſſeruimus.) Decreto exequutivo, nego. Ex quibus nihil ſequitur in favorem adverſarii, quia Deus non prædefinit exiſtentiam & merita Chriſti cum omnibus individualibus circumſtantiis futura, niſi ſuppoſito decreto efficaci de exequutione Incarnationis. Deus enim res futuras prædefinit in individuo, & ſecundùm omnes circumſtantias; nihil quippe verè, propriè, & ſimpliciter in abſtracto, ſed in individuo futurum eſt. Incarnatio autem Verbi individuatur ſecundùm hanc numero humanitatem aſſumptam ex hac Virgine concurrente, & puriſſimum ſanguinem virtute Spiritus ſancti miniſtrante.

Undecima prærogativa: Dignitas Matris Dei eſt major dignitate filii adoptivi Dei, quæ obtinetur per gratiam ſanctificantem. Negat hanc prærogativam Suares contendens quod licèt maternitas Dei accepta cum omnibus donis & privilegiis, quibus inſtruitur

ſtruitur, ſit præſtantior dignitate filii adoptivi; non tamen ſi ſolitariè ſumatur, & præciſa per rationem ab aliis gratiarum ornamentis, quæ ſecum advehit. Probatur tamen: Perfectio ſuperioris ordinis præciſè & ſolitariè ſumpta antecellit quanvis perfectionem ordinis inferioris, quia ſecundum Dionyſii doctrinam, ſupremus infimi ordinis accedit ſolùm ad infimum ſupremi; & infimus ſupremi ordinis excedit ſupremum infimi ordinis: Atqui maternitas Dei eſt ordinis ſuperioris ad dignitatem filii adoptivi, cum ingrediatur ordinem hypoſtaticum, & ut loquitur S. Thomas, fines Divinitatis proximè attingat; & ideirco vidimus nullum opus ex intenſa quãtumvis gratia procedens poſſe mereri etiam de potentia abſoluta maternitatem Dei, quia inter opera ordinis gratiæ & præmium pertinens ad unionem hypoſtaticam, nulla intrinſeca æqualitas, nulla proinde condignitas eſſe poteſt: Ergo maternitas Dei omni dignitate filiorum adoptionis immensùm fermè præſtat. Cujus etiam ſignum eſt, quod Matri Dei debetur cultus hyperduliæ, qui diſtinguitur ſpecie à cultu duliæ; maternitas enim Dei cùm ſit ordinis ſuperioris, cultum omnem filiis adoptionis debitum antecedit. Maximè quia gratiarum omnium comitatus, & ſupernaturalium donorum inſtructus, ipſa quoque Marianæ gloriæ menſura habent rationem proprietatis, appendicis, & collarii maternitatis Dei; plenitudinem enim gratiæ, & gloriæ ejus non aliâ regulâ metimur, quàm maternitate Dei, cui omnes cœleſtium donorum theſauri connaturaliter debiti ſunt; Sed eſſentia & radix eſt perfectior proprietatibus; Ergo Maternitas Dei celſiorem confert dignitatem, quàm gratia adoptionis.

Dices: Sæpe Patres aſſerunt B. Virginem *beatiorem fuiſſe mente, quàm ventre, & felicius Deum geſtaſſe corde, quàm carne.* Ergo dignitas filii adoptivi præſtat dignitate Matris Dei, Idque Veritas indicaſſe videtur, dum dixit: *Quin imò beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Reſponden. quod ſicut charitas moraliter ſpectata eſt melior viſione Dei, phyſicè tamen conſiderata longè imperfectior eſt: ita ſimiliter eſſe filium adoptivum & amicum Dei in eſſe moris melius cenſetur, quàm eſſe Matrem Dei; & in hoc ſenſu B. Virignem fuiſſe beatiorem mente, quàm ventre.

Reſpondeo ſecundò, maternitatem Dei poſſe conſiderari & in eſſe formæ, & in eſſe dignitatis. In eſſe formæ gratia ſanctifieſnſ eſt perfectior, quia eſt ipſa formalis ſanctitas creata intrinſecè afficiens animam, quod non convenit maternitati. At verò in ratione dignitatis Maternitas Dei eſt potior, quia Virginem in gradu eminentiori collocat. Idque poteſt aptiſſimo exemplo explicari ex Proſpero Fagnano deprompto. Cardinalatus, inquit, ſi conferatur cum Epiſcopatu in ratione entis, profectò inferior eſt; Cardinalatus enim præciſè ſumptus nullum intrinſecum imprimit characterem, ſicut imprimit ſacer Epiſcopatus Ordo, ſubindeque in eſſe entis & ſpiritalis poteſtatis inferior eſt. Si tamen Cardinalatus conſideretur in ratione dignitatis, quatenus nimirum Patrem Purpuratum Eccleſiæ Principem, Vicarii Chriſti Conſiliarium, ſupremi judicii Senatorem, & veluti membrum ipſius Pontificis conſtituit, ſub hac ratione Cardinales ſupremum Sacerdotii gradum occupant, ipſos Epiſcopos judicant, quia Epiſcoporum Epiſcopi Romani Antiſtitis corpus moraliter ingrediuntur. Sicut etiam Archidiaconi, qui dicuntur oculi Epiſcoporum, licèt non ſint Sacerdotes, ratione dignitatis Presbyteris præcellunt, Presbyteros viſitant, Presbyteros corrigunt & judicant; ita ſimiliter Maternitas Dei in eſſe formæ intrinſecæ gratiæ ſanctificanti cedit, quam in ratione dignitatis longè antecellit.

Reſpondeo tertiò, maternitatem Virginis bifariam poſſe rurſum conſiderari: primò ut eſt conjunctio cum Chriſto, quatenus homo eſt, ſeu prout eſt miniſtratio præciſa carnis & ſanguinis; & in hoc ſenſu verè dicunt Patres, maternitatem Virginis eſſe imperfectiorem gratiâ. Alio modo poteſt conſiderari maternitas illa prout eſt productio Hominis-Dei, affinitas cum Deo-Homine, & quatenus concurſu materno fines Divinitatis attingens ingreditur ipſum ordinem hypoſtaticum; & in hoc ſenſu Maternitas Dei eſt nobilior omne gratiâ adoptionis, cùm ordo hypoſtaticus ſit ordine gratiæ ſuperior. Unde Damaſcenus *orat. de dormit. Deip.* ait: *Matris Dei, & ſervorum Dei infinitum diſcrimen eſt.*

Urgebis: Si Maternitas Dei Mariam ſupra filios adoptionis attolleret, ſequeretur maternitatem illam ſolitariè ſumptam conferre vel formaliter, vel eminenter ſanctitatem, inducere incompoſſibilitatem cum peccato, efficere ſe ſolâ Mariam Deo gratam & amicam, ac æternâ vitâ dignam: Conſequens autem eſt ſalſum, & in Schola Theologica peregrinum: Ergo & antecedens.

Reſpondeo hac in parte diviſas eſſe Theologorum Divinæ matris amantium ſententias, graviſſimis hinc inde rationibus ſubnixas. In primis aliqui contendunt, Maternitatem Dei ſeorſim, & ſolitariè ſumptam, ſeu ab omnibus gratiæ ornamentis præciſam, nullatenus Mariam ſanctificare poſſe. Quia ſãctitas formalis, ut Tridentinum docet, eſt forma Inhærens & intrinſecè recepta in anima, qua homo regeneratus, & renovatus ſit formaliter juſtus & Sanctus, nec ſufficit quod ſit forma moralis, aut denominatio extrinſeca, vel mera relatio ad Deum amantem, & adoptantem; ſed eſt qualitas phyſica diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, & radix virtutum infuſarum.

Atqui maternitas Deiparæ non eſt forma phyſica afficiens intrinſecè animam Virginis: Ergo præciſa ab illis ornamentis quæ invehit, non ſanctificat formaliter Mariam. In quo diſtinguitur maternitas ab unione hypoſtatica, quâ formaliter humanitatem ſanctificari, ſuperiori libro demonſtravimus: & ratio differentiæ eſt, quia perſona Verbi phyſicè afficit naturam, immediatè ungit, terminat, implet, dum vices propriæ ſubſiſtentiæ gerit, quod de maternitate Dei dici nequit.

Alii non ignobiliores Theologi quos ſequitur Ripalda *tom. 2. de ente ſupernat. diſput. ult.* cenſent maternitatem Dei formaliter eminenter ſanctificare Mariam. Quia maternitas Dei Mariam in ſublimiori collocat gradu proximitatis cum Deo, quàm gratia adoptionis: Sanctitas autem formalis nihil eſt aliud, quàm conjunctio cum Deo. Tum quia effectus formalis gratiæ eſt reddere perſonam Deo amabilem & amicam; ex quo fit, arceri ab illa peccatum, quod eſt objectum odii divini, dignificari opera illius, & conſtitui filium Dei & hæredem Regni cœleſtis: Atqui maternitas Dei reddit Mariam Deo amabiliorem & gratiorem, quam quævis gratia adoptionis, cùm invehat jus exigens amorem Chriſti, ut ſuprà vidimus: Ergo maternitas Dei formaliter eminenter ſanctificat, efficiens Mariam Deo altiori modo acceptam, intimiùs cum Deo copulatam, magis peccato adverſam & repugnantem, utpote excludentem ipſum peccatum veniale cum gratia ſociabile, habentem jus in omnia gratiæ & gloriæ dona. Tum quia maternitas Dei eſt titulus, ratione cujus non ſolùm debetur Mariæ cultus ſuperior omni veneratione Sancto ulli exhibenda, cultus nempe hyperduliæ; ſed etiam ratione illius filius Dei Mariam honore, amore, imò & ſubjectione, & obſequiis proſequi

tene-

Google

tenetur: Atqui nulli debetur cultus, niſi ratione ſanctitatis; nec Chriſtus amare, honorare niſi ſanctitatem poteſt: Ergo maternitas Dei confert veram ſanctitatem. Nec obeſt quod ſit relatio, quia in ſententia Thomiſtarum relatio non eſt denominatio extrinſeca, ſed entitas realis & phyſica diſtincta modaliter à fundamento, ſubindeque relatio maternitatis intrinſecè afficit Mariam, ſicque ſalvatur Tridentini de gratia inhærente doctrina. Quanvis dici poſſet ſacrum Concilium de gratia filiorum adoptionis loqui nec ſermonem habere de gratia maternitatis, quæ cùm ad ſpecialem ordinem pertineat, à communi etiam regula excipitur, ſicut & à numero eximitur.

Hæc ſunt momenta rationum, quibus utrique ſententiæ veriſimilitudinem vindicant authores ſui. Quæ ſaltem evincunt maternitatem illam, ſi nõ immediatè ſanctificet & formaliter, radicaliter tamen, & remotè, ac ſi dicere fas eſt, exigitivè Mariam ſanctificare, quatenus poſtulat & connaturaliter infert gratiarum omnium comitatum pleniſſimum, qui tantam decet matrem. Nec propterea ſequitur, gratiam adoptionis eſſe maternitate perfectiorem, ſicut malè inferretur radicem eſſe fructu ignobiliorem.

Duodecima prærogativa : Omnium prædeſtinatorum, qui ſunt puræ creaturæ, prima eſt Mater Dei. Nam in honorem Chriſti, qui eſt prædeſtinatorum omnium caput, prædefinivit ab æterno Deus entidere illi in tempore matrem omnibus illis naturæ, gratiæ, & gloriæ donis inſtructam, quæ tantæ ſunt dignitati conſentanea; unde illi efficaciſſimè præparavit omnem gratiæ diſpoſitionem, omnem vitæ puritatem, omnem virtutum heroïcarum ornatum, omnem cum Chriſto morum ſimilitudinem, omnem totius ſanctitatis apparatum, omnem denique cœleſtium benedictionum cumulum pleniſſimum, quibus ad immenſam illam dignitatem viam ſterneret atque muniret. Et ideo illi applicant Catholici Interpretes illud Proverb. 8. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum* (id eſt, quaſi rem ſuam perdilectam, & in corde amante præſentem, quaſi peculium & theſaurum ſuum, quo veluti in tempore diteſceret, habuit; id enim nomen poſſeſſionis ſignificat.) *Ab æterno ordinata ſum*, id eſt, ad nobiliſſimam totius creaturæ dignitatem, ad ſupremum honorum faſtigium & culmen deſtinavit. Vel ut alii legunt: *A ſæculo teſſellata ſum*, id eſt, teſſerâ Matris Dei inſigniter cohoneſtata, Vel cum aliis: *Ab æterno Regina inaugurata ſum*, id eſt, virtutum omnium gemmis coronata, & in mundi Reginam delecta. Vel juxta alios: *A ſæculo conflata ſum*, id eſt, ſapientia & amor Dei in me incarnandi Verbi templo elaborando certarunt, ut gratias omnes & gradu intenſiſſimas, & ſuper omnem numerum extenſas prodiga manu, & quadam veluti contentione effunderent, & electam ex omnibus eveherent ſupra omnes.

Hinc Patres Mariæ prædeſtinationem eximiis commendant elogiis. Hinc à Cypriano, *Vas totius electionis* Maria nominatur: à Damaſceno, *Negotium omnium ſæculorum*, Maria dicitur, *quam Pater prædeſtinavit, Spiritus ſanctus prærigavit, Filius demùm in ea commoratus eſt*. Ab Andrea Jeroſol. *Profundorum Divinæ incomprehenſibilitatis declaratio, & ſcopus ante ſæcula excogitatus*: ab Auguſtino, *Æterni conſilii opus*; quia *antequam Filius de ea naſceretur, in prædeſtinatione noverat matrem*: à Baſilio Seleuco, *ſæculis omnibus vixiſſe dicenda quodammodo eſt, cùm nullum tempus ejus imagine vacuum fuerit*: à Chryſologo *ante conceptum mater*, nimirum in ideis & decretis divinis. *Quomodo non ante conceptum mater, aut genitrix quando non, quæ ſæculorum genuit authorem?* Ab Ambroſio *initium operum Dei*, & ideo *non mirum ſi Dominus redempturus mundum operationem ſuam inchoavit à Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* Ab Andrea rurſum & Damaſceno laudatis, *Primitiæ communionis & conjunctionis omnium genitoris cum ſuo figmento; Sanctum Dei fermentum, quo tota generis humani maſſa conſperſa eſt; maſſæ noſtræ primitiæ*, quia fuit primus redemptionis fructus ſpeciatim præcipuo jure Deo dicatus, alios prædeſtinatos ſanctificans.

Decima tertia prærogativa: Mater Dei eſt prima creaturarum, non quòd voluntas producendi Mariam ſit prior decreto condendi mundi (cùm enim Maria ſit prædeſtinata mater Redemptoris, cujus adventus ſupponit peccatum & exiſtentiam Adæ, procul dubio voluntas creandæ Mariæ poſterior eſt naturâ voluntate creandi Adamum.) Sed primitate dignitatis, ratione cujus Maria inter omnes creaturas primatum tenet, & à S. Bern. *primogenita Redemptoris* nominatur; quia ejus producendæ conſilium eſt priùs volutate mundi non condendi, ſed per Chriſtum reſtaurandi. In quo ſenſu Anſelmus & Andreas Jeroſolym. ajunt, Mariam ante omnem creaturam in mente divina præordinatam, utpote proximè accedentem ad Deum opificem univerſorum. Vide aliàs dicta de motivo Incarnationis, ut oſtẽdimus, quod licèt ordo gratiæ primùm Angelis, Adamoq; collatæ ſit prior in intentione ordine naturæ, tamen gratia reparata ordinem naturæ præſupponit. Ex quibus

Sequitur, decretum exiſtentiæ Mariæ fuiſſe prius decreto Incarnationis. Quia in ſententia D. Thomæ & graviorum Theologorum, Maria ſaltem debitum peccati originalis contraxit, unde & ipſa fuit incluſa in pacto quod fecit Deus cum Adamo de gratia in poſteros transfundenda, vel peccato propagãdo. Atqui illi ſoli includi potuerunt in pacto, quorum exiſtentiam decreverat Deus pactum iniens: Ergo Deus Mariæ exiſtentiam decreverat ante prævifum Adæ peccatum: Sed decretum Incarnationis ſupponit prævifum Adæ peccatum: Ergo & ſupponit decretum exiſtentiæ Mariæ per Chriſtum redimendæ. Cum quo tamen ſtat, Deum produxiſſe Mariã propter Chriſtum, quia poſt decretum Incarnationis ex omnibus mulieribus futuris elegit Deus benedictam illam inter mulieres, & reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, quam propterea eximiis naturæ dotibus, exquiſitâ temperie, præclarâ indole ingenio ad omne bonum propenſo & comparato adornavit, ut idoneum templum, dignum habitaculum, reclinatorium aureum, Sapientiæ Incarnatæ ſacrarium efficeretur. Et ſic intelligendi veniunt Patres, qui Deum Mariam propter Chriſtum fabricatum eſſe teſtantur; loquuntur enim de Maria non ut abſolutè extitura, ſed ut inter omnes mulieres benedicta, & ex omnibus agri floribus tanquam lilium candidiſſimum ſeligẽda.

Sequitur ſecundò Mariam electam eſſe ad maternitatem Dei priùs naturâ quàm ad ſublimem gratiæ, meritorum, & gloriæ cumulum eligeretur. Quia omnis ordinatè volens priùs vult finem, quàm media, ut ex aliàs dictis de prædeſtinatione gratuita liquet: Atqui eximius donorum omnium Mariæ collatorum inſtructus decretus eſt à Deo tanquam medium efficax ad gloriam maternitatis Dei diſponens & conducens; ideo namque Deus eam bonorum omnium beatiſſimâ copiâ implevit, quia matrem ſuam ita gratiis cumulari decebat; ideo voluit, ut Maria eſſet mons in vertice montium, quia erat eam in domum Domini præparaturus; ideo gratiarum ejus modum eſſe ultra omnem modum, *quia* ut ait Petrus Cellenſis l. de panib. c. 21. *quidquid de Maria dixeris, infinitè minus eſt nomine ac dignitate Dei matris.* Et in hoc ſenſu intelliguntur Patres, qui dicunt, Mariam factam ut eſſet mater ejus in terris: Ergo prædeſti-

natio Mariæ ad maternitatem Dei prior ratione fuit præviſione meritorum ejus, & prædeſtinatione ad gratiam & gloriam. Et hoc totum confirmat quod antea dicebamus, maternitatem Dei omnia excedere merita & vota; & quod licèt ejus executionem aliqua merita de congruo præceſſerint, tamen ejus electionem nulla prorſus merita movere potuerunt: unde fit maternitatem illam eſſe meritis in intentione priorem, ſed in exequutione poſteriorem.

Nec obeſt, quod maternitas collata habeat rationem præmii meritorum: voluntas autem dandi præmium non poteſt præcedere voluntatem dandi gratiam & merita, quæ ſunt cauſa præmii, cùm decretum abſolutum & efficax alicujus effectus præſupponat neceſſariò decretum de exiſtentia principii & cauſæ talis effectus; cùm repugnet effectum eſſe futurum ante ſuam cauſam. Non obeſt inquam; quia licèt cauſa in ordine exequutionis ſit prior effectu, tamen effectus, qui produci intenditur & habet rationem finis, eſt in ordine intentionis prior, cùm moveat agens ad parturiendum effectum, juxta commune proloquium *primum in intentione eſt ultimum in exequutione*. Et licèt Deus omnia unico, ſimpliciſſimo, & indiviſibili actu velit; tamen ſecundùm noſtrum concipiendi modulum idem ordo, eademque diſtinctio in divinis decretis obſervatur, qui in objectis relucet. Patet autem, quod finis eſt ratio amandi media. Sed de his plura dum de prædeſtinatione Sanctorum.

Decima quarta prærogativa: Mater Dei eſt complementum Trinitatis, ut multi Doctores tradunt uſurpantes verba Heſychii *orat. 2. de laud. Virgin.* Tum quia per Mariam Trinitas manifeſtata eſt, quæ erat ante Incarnationem ignota. Athanaſius lib. quæſt. q. 4. *Dei ſermo quamvis ante ſecula à Deo & Patre natus eſt, non tamen manifeſtatur hominibus, & ex ter caſtiſſima Maria manifeſtus factus eſt.* Tum ſecundò, quia generatio temporalis Chriſti ex Maria eſt ad generationem æternam via & manoductio, & in hoc ſenſu ejus conſummatio per modum declarationis, & imaginis dici poteſt. Ambroſ. de benedict. Patriarch. c. 11. *Sicut illam ex Patre generationem intelligimus: ita etiam ad conſummationem fidei generationem Mariæ intelligimus.* Tum tertiò, quia cætera opera procedunt à Deo ut uno, quia omnipotentia per quam fiunt, eſt indiviſa perſonis, & abſoluta ſunt naturâ priora relativis. At Mater Dei eſt opus Trinitatis ſingulare, quia Maria producta eſt ut eſſet mater Filii Dei, ac proinde debet ſpecialiter à Trinitate procedere, ſine qua non eſſet mater æterni filii. Hinc Heſychius citatus: *Maria univerſum Trinitatis complementum, quandoquidem Spiritus ſanctus adveniebat atque hoſpitabatur, & Pater adumbrabat, & Filius in utero geſtatus inhabitabat.* Tum quartò, quia opera Trinitatis ad extra completa & conſummata ſunt per Mariam. Hinc præclarè B. Albertus Magnus *in Mariał. cap. 202. In beatiſſima Virgine fuit perfecta operum conſummatio quia omnia creata in uno homine uniuntur cum Creatore, & principium fit ultimum, & ultimum primum. Non enim eſt perfectio motus vel operis, niſi in circulo.* Et ideo dicitur, quod gyrum cœli circuivit ſola, quia (inquit Richardus à S. Laurentio) *Chriſtum qui eſt gyrus ingyrabilis, circuivit gremio uteri ſui.* Vel quia per Incarnationem facta eſt *creaturarum regyratio*, ut loquitur S. Thomas, quia creaturæ quæ à Deo per Verbum creationis exierunt, ad Deum per Verbum reverſæ ſunt, ſicque factus eſt circulus, vel gyrus mirabilis à Deo, in Deum, per Deum revolutus. Tum quintò, quia Maria Trinitatem magnificavit, non ſolùm virtutibus, quibus in ſua ſimilitudine creſcit Deus, amplior enim Deitatis ſpecies deſiliit ex grandiore virtutibus animo, in quo Divinitatis imago cuſa eſt: non ſolùm etiam, quia Trinitatem, ut mox vidimus, per Incarnationem explicavit, exundantem in tres perſonas Divinitatis plenitudinem, quæ in una tantùm hypoſtaſi incluſa & veluti complicata credebatur, expandit; ſed potiſſimùm quia concipiendo Deum hominem, protulit adoratorem Dei æqualem Deo, fidejuſſorem pro peccatis de rigore ſatisfacientem, qui Deum quantû honorabilis eſt, honoraret; amaret quantum amabilis, & infinitum jus læſum ad amuſſim reſarciret. Quod ſanè ad complementum Trinitatis adorandæ, amandæ, ſatisfaciendæ deſiderari videbatur. Hinc ipſa canebat, *Magnificat anima mea Dominum.* Et Concilium Eph. c. 6. *Salve Virgo, per quam Sancta Trinitas in univerſo orbe glorificatur & adoratur.* Tum ſextò, quia omnium, quæ in nos à Trinitate dimanant, beneficiorum conferendorum voluntas completur Dei Genitricis precibus. Hinc à Patribus Maria *Vena Trinitatis, Vena ſalutis* nominatur; quia ſicut ſanguis, qui eſt vita carnis, occultè decurrit & irrepit per venas; ſic gratia, quæ eſt vita animæ, per Mariam diſpenſatur, & refluit. Totam hujus prærogativæ doctrinam optimè complectitur Bern. ſerm. 98. *Maria omnibus omnia facta eſt; ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſimâ charitate debitricem ſe fecit; omnibus miſericordiæ ſinum ſuum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi, captivus redemptionē, æger curationem, triſtis conſolationē, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriã, Filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut nō ſit qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ergo ſicut plenitudo Mariæ in omnia diffunditur, ita meritò complementum Trinitatis appellatur.

REFLEXIO.

Decimaquinta prærogativa: Mater Dei plures importat habitudines & relationes ad homines. Hanc ultimam prærogativam loco reflexionis ſufficimus, quia tota eſt ad ciendos affectus proclivis & comparata. *In nomine Verbi importatur relatio ad creaturas*, inquit S. Thomas 1. *part. quæſt.* 34. *art.* 3. Ergo & in nomine matris Verbi. Per Verbum omnia facta ſunt, ſine matre Verbi omnia refecta non ſunt; Verbo Domini principaliter homines redempti ſunt, juxta illud Oſeæ 13. *Ego Dominus Deus tuus, & Salvator non eſt præter me.* Mater Verbi nobis protulit Redemptorem; unde & ipſa quadantenus redemptrix dici poteſt, juxta illud S. Ephrem. orat. ad Virg. *Per te reconciliati ſumus Chriſto. Deo meo, filio tuo: tu captivorum redemptio, & omnium ſalus.* Et illud Bernardi *ſerm. in* Signum magnum: *Fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum & viris & mulieribus propinavit. Illa, nempe, Eva miniſtra ſeductionis; hæc, nempe Maria, propitiationis; illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.* A verbo Domini ſicut unguentum à capite, ſicut ros Hermon gratiarum deſcendunt rivi in montem Eccleſiæ Sion: & per Matrem Verbi pertranſeunt, quia ut ait Bonav. in Speculo: *Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat univerſos*: teſte Petro Damiani, ſerm. Annuntiat. *Maria benedictionis nova fluentum totum abſterſit maledictionis contagium*: teſte Idiota, *Per Virginem, & cum ipſa, & ab ipſa habet mundus & habiturus eſt omne bonū*: teſte S. Ignatio, *Impoſſibile eſt aliquem peccatorem ſalvari, niſi per tuum, Virgo, præſidium & favorem; quia quos non ſalvat Dei juſtitia, ſalvat ſua intercesſione Mariæ miſericordia.* Verbum peccatores venit ſalvos facere, & Mariæ conſenſum expectat, ut ſalvet. *Pande ſinus roſeos Virgo perpetua* (ait Ang. *fides tua mundo aut aperit cœlum, aut claudit.* Et Bern. *homil.* 4. *ſuper* Miſſus eſt: *Expectat Angelus reſponſum, expectamus & nos, ô Domina, Verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi.*

Ipſa

Ipſe quoque omnium Rex & Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum deſiderat & reſponſionis aſſenſum, in qua nimirum propoſuit ſalvare mundum. Verbum Domini mediator eſt: & Maria orando intercedit, pacta deferendo pacem ſancit, quia ei miſeriarum noſtrarum notitia non deeſt, nec charitas, nec poteſtas, Ipſa eſt, inquit Andreas Cretenſis, *commune propitiatorium, vita ſuppeditatrix, vita viventium, & cauſa vitæ.* Verbum denique amat nos, quia nobis datum, nobis natum eſt: & Mater Verbi eſt mater pulchræ dilectionis, tota noſtra eſt, ut miſericordes illos ſuos oculos ad nos convertat, quia non ſolùm miſericors & humana, ſed teſte Bernardo, *pura eſt humanitas in Maria, non modò pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ*; quia in Chriſto tametſi homine, fratre, tentato per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret, majeſtatem reveremur divinam, quòd licèt factus ſit homo, manſerit tamen Deus: in Maria verò pura & impermixta clementia invenitur.

Igitur ſi Maria tota ad nos refertur, quia Mater Dei non dedignatur ſe dicere matrem noſtram; quidni *animas noſtras*, ait Damaſcenus, *ad ſpem tuam, ô Maria quaſi ad firmam anchoram alligamus*; Quidni amantem redamabimus, auxiliantem venerabimur protectricem invocabimus? Iuſtum eſt planè, ut illius honoris propagandi zelo flagremus, ſed ardenti, ſed inſatiabili, ſed conſtanti; ardeat excogitando magna, aggrediendo ardua, ſuſcipiendo difficilia; non ſatietur laboribus, non fatigetur difficultatibus, ſed creſcat; non terreatur oppoſitionibus, non extinguatur perſequutionibus, ſed accendatur, & vigeat. Iuſtum omninò ut amplectamur veſtigia ejus, & devotiſſima ſupplicatione pedibus illius pervoluti teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, quia ſub ejus tutela tuti ſumus, nec poteſt devotos repellere, nec à filio ſuſtinere repulſam. Sit ergo ad ipſam perpetuus in votis, in negotiis, in opportunitatibus, in periculis, in tribulationibus cum omni firmitate recurſus.

Iuſtum denique eſt, & prorſus neceſſarium, ut eam totis viribus imitemur; fallax enim in Mariam pietatis ſpecies eſt, & gravis deceptio, cùm quis de coërcendis cupiditatibus, de deponendis vitiis, id arctis Evangelii ſolidæque pietatis ſemitis capeſſendis vix ac ne vix quidem cogitans, bene erga Mariam ſe religioſum arbitratur, paratumque ſibi ejus in mortis articulo patrocinium ſpondet, modò certas precationum formulas balbutiat, modò expedita quædam & obſervatu facilia externæ pietatis officia uſurpet, modò Roſarium brachio circumvolutum geſtet vel collo ſuſpendat, & quaſdam panni lacinias circomponat.

Non ſolùm magna ſed leviſſima quæque in Mariam frequentata pietatis cultuſque officia è charitatis radice nata totis viribus extollo; ſed contendo obſequia quævis non facilè Mariæ placitura, niſi ſeria de vita mutanda cogitatio ſubeat & voluntas; falſamque illam eſſe pacem & temerariam in Mariæ patrocinio fiduciam, quâ fallaci & noxia ſecuritate foventur ſcelera, nec flagitia ſyncerâ animi converſione eluuntur. Quomodo enim deputabit inter veros cultores ſuos pauperes Chriſti pauper parens viros divitiarum? Quomodo in clientum numerum aſcribet Virgo perpetua & Sanctiſſima cœno voluptatum aſſiduè immerſos, mundo inhiantes, quibus nulla vera, nulla ſtabilis, nulla firma cordis in Deum converſio; ſed deluſoriis & deſultoriis mutationibus incorrupta? Vera in Mariam pietas vitæ mutationem, arctæ viæ ingreſſum, charitatem, puritatem, continentiam, pœnitentiam, peccati fugam, operum bonorum praxim, & tandem perſeverantiam efficit & impetrat. Solida in Mariam pietas gravis eſt, ſevera eſt, non ingerit periculoſam peccatoribus ſecuritatem, non infringit Evangelii diſciplinam, non favet tepidorum languori, non æſtimat ſolos exteriores ritus quàmlibet conſpicuos, per ſe quidem optimos, per ſe laudabiles, per ſe ad pietatem ſua ſponte moventes, ſed ſæpe ſæpiùs, imò ſemper utentium vitio exitioſos, ſi illis arreptis morum converſio negligatur. Salutaris in Mariam pietas externa officia implet, interna non deſerit; hæc facit, illa non omittit; Mariam amat non verbo ſolùm & linguâ, ſed opere & veritate. Nam ſicut Pater, ita Mater Dei tales adoratores quærit, qui adorent ipſam in ſpiritu & veritate; illos Maria protegit, ut pugnent; pugnantes roborat, ut vincant; vincentes firmat, ut coronentur.

Speculatio III.

Illibata Deiparæ Virginitas propugnatur, & illuſtratur.

HAnc Orthodoxam Eccleſiæ Catholicæ veritatem tam conſtanter profitentur fideles, ut apud ipſos B. Maria, & B. Virgo ſynonyma ſint, & experientiâ noſtra compertum ſit illud Epiphanii hæreſ. 78. pronuntiatum: *Quis unquam, aut quo ſæculo proferre auſus eſt nomen S. Mariæ, & interrogatus non ſtatim intulit Virginis nomen. Non altera videtur S. Maria vox, & Virgo; & non mutabitur, impolluta enim permanſit.* Patrum teſtimonia in decurſu ſpeculationis adducemus.

Probatur rationibus S. Thomæ: Tum quia virginitatem matris exigebat Patris mittentis dignitas, quæ cùm ſit character primæ perſonæ, non debuit creaturæ communicari, ut contingeret ſi Chriſtus habuiſſet Patrem ſuper terram nec conceptus fuiſſet ex Virgine. Nec obeſt, quod nobis adeſt pater ſuper terram, qui etiam Patrem invocamus in cœlis. Nam ſolus terrenus univocè pater eſt, transfundens ſpecificæ naturæ ſimilitudinem: Deus verò analogicam duntaxat ſuarum perfectionum ſimilitudinem nobis largitur. Si autem Chriſtus ex virili ſemine conceptus fuiſſet, duplicem patrem univocum reſpectu geminæ naturæ agnoſceret. Tum ſecundò, quia id requirebat puritas Verbi, quod cùm abſque corruptione cordis concipiatur, conveniens fuit, ut etiam ſine corruptione matris conciperetur. Vnde in Concilio Epheſino dicitur: *Neque noſtrum verbum, cùm paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum ſubſtantialem partem eligens peremit virginitatem.* Quare ſicut Verbum non ſolùm in corde abſque corruptione concipitur, ſed etiam ex corde abſque corruptione procedit: ita Chriſtus ex Maria. Tum tertiò, quia immaculatam Chriſti humanitatem, quæ peccatum ſublatura venerat, non decebat iis eſſe obnoxiam ſordibus, quibus caro ex concubitu nata ſubjecta eſt. Tum quartò, quia finis Incarnationis eſt ut homines renaſcantur in filios Dei, non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo: ergo convenienter ſpiritalis generationis exemplar in Chriſti debuit conceptione prælucere, ut ſicut caput noſtrum de virgine naſcebatur, ita & membra de Virgine Eccleſia ſecundum ſpiritum naſcerentur. Tum quintò, quia effectus Incarnationis eſt ſanctificatio noſtra, quâ mundamur ab omni corruptione peccati: Ergo non fuit conveniens ut Verbum incarnatum virginitatem Matris naſcendo corrumperet. *Fas non erat*, inquit Auguſtinus, *ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta.* Nec congruebat, ut matris honorem naſcendo minueret, qui parentes præceperat honorari.

Dices: His rationibus probatur quidem B. Mariam concipiendo & pariendo Chriſtum virginita-

tem integram conſervaſſe; ſed minimè convincitur Mariam ſemper Virginem permanſiſſe, cum potiùs oppoſitum Evangeliſtæ ſignificare videantur, dum dicunt, quod Maria inventa eſt in utero habere de Spiritu ſancto, antequam convenirent, quod non poteſt dici, niſi de conventuris, ſicut nemo dicit de non pranſuris, antequam oranderent: item cùm dicitur quod *Ioſeph accepit uxorem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Vbi *ly donec*, ſignificat determinatum tempus, quo fit illud, quod uſque ad id temporis dilatum eſt. Per *ly* etiam *primogenitum* ſignificatur, Chriſtum habuiſſe fratres ſubſequentes, quod etiam indicatur *Ioan. 2.* ubi refertur Chriſtum deſcendiſſe Capharnaum cum matre, & fratribus ſuis.

Reſpondeo quod, ut optimè ait Angelicus Doct. *q. 28. art. 3.* abſque omni dubio deteſtandus eſt error Elvidii, qui dicere præſumpſit Matrem Chriſti poſt partum à Ioſeph eſſe carnaliter cognitam, & alios filios genuiſſe. Tum quia hoc ſputciloquium derogat Chriſti perfectioni, qui ſicut in æternitate eſt unigenitus Patris adæquans & exhauriens totam principii plenitudinē, ita in tempore decuit ut eſſet unigenitus matris, tanquam perfectiſſimū germen illius. Secundò, hic error Spiritui ſancto injurius eſt, dum ejus Sacrarium uterum virginalem virilis ſeminis cōmixtione polluere non erubuit. Tertiò, Matris Dei dignitati & eximiæ ſanctitati derogat hæc blaſphemia; impia enim & ſuper omnē modum ingrata Virgo videretur, ſi ſancto filio non contenta virginitatem in conceptione Chriſti miraculo conſervatam prodigere & perdere per carnalem copulā permiſiſſet. Quartò denique hæc impietas prudentiſſimum Ioſeph intolerabilis præſumptionis accuſat, ſi eam, quam de Spiritu ſancto concepiſſe noverat, temerario auſu polluere attentaſſet. Vnde hanc fœdiſſimam obſcœnitatem Catholica ſemper Eccleſia execrata in ſolennioribus ritibus ſuis Mariam ſemper Virginem, perpetuam Virginem, Virginem priùs & poſteriùs, unanimi & feſtiva conſenſione celebrat. Hujus etiam Mariæ monilis propugnandi Synodi Orthodoxæ, & Patres zelantiſſimi fuerunt. Vnde in V. Synodo generali dicitur: *Maria Virginitas ante partum, in partu, & poſt partum interminabilis.*

Ad ea, quæ in contrarium difficultatem præ ſe ferunt, dicendum quod particula *antequam*, nō ſemper ſignificat eventum ſequuturum: ſicut ſi diceretur, antequam nautæ oranderent in portu, navigarunt, non ſignificarentur nautas in portu pranſiſſe, ſed ſolitos prandere abiiſſe impranſos: ita ſimiliter cùm Evangeliſta ait, antequam Maria & Ioſeph convenirent, non ſignificat quod poſtea convenerint, ſed ſolum quod dum ſecundùm opinionem hominum videbantur conventuri, conceptionem prævenit Spiritus ſanctus, nec tamen poſtea convenerunt. Particula verò *donec*, interdum quidem in Scripturis ſignificat determinatum tempus, quandoque tamen ſignificat tempus infinitum, ut dum dicitur: *Oculi noſtri ſemper ad Dominum, donec miſereatur noſtri*: ex quo non datur intelligi, quod poſt impetratam miſericordiam oculi avertantur à Deo, qui ad eum tunc magis converti tenentur. Similiter ergo dum dicitur Ioſephum non cognoviſſe Mariam, donec peperit filium, ſenſus eſt Mariam peperiſſe filium, tametſi uſque ad partum à marito nullatenus cognita fuiſſet, ut à fortiori inferamus, multò minus Deiparam poſt partum fuiſſe cognitam. Porrò Chriſtus dictus eſt primogenitus, tametſi unicus, quia ſecundum cōſuetudinem Scripturarum primò natus dicitur primogenitus, ſive alii ſequantur fratres, ſive non. Illi verò qui Chriſti fratres dicuntur, non uterini, ſeu naturā tales fuerunt, ſed cognatione, quia ejus cōſanguinei; quanvis de gradu aut modo conſanguinitatis, nihil certi ex Scriptura, aut Patrib⁹ elici poſſit.

Igitur ſimpliciter aſſerendum eſt, quod mater Dei ſicut virgo concepit, & virgo peperit, ita etiam & virgo poſt partum in æternum permanſit. Unde in quodam rhithmo, qui habetur *in Biblioth. veter. Patr. tom. 13.* dicitur: *Non corrumpit roſa florem, imò reddit pulchriorem roris ſtillicidium: ſic Meſſiæ genitura ſalvum fecit à læſura Mariæ triclinium.* Ex pluribus Scripturarum teſtimoniis, quæ in medium proferri poſſent, unum ſeligam non minùs apertum, quàm illuſtre, quod habetur Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuël.* Quod teſtimonium quoad particulam *Virgo*, omnes verſiones quàmlibet variæ retinent, omnes Patres & Doctores probant. Mitto innumeras figuras, quæ veritatem Mariæ præſignarunt, qualis eſt virga Aaronis, quæ nullo recepto more floruit, & fructus emiſit: & rubus, quem vidit Moſes ardentem & incombuſtum. Unde ad primam figuram alludens Auguſt. *ſerm. 1. in Dominica ante Nativit.* ait: *Virga ecce protulit quod antè non habuit, non radicata plantatione, non defoſſa ſarculo, non animata ſucco, non fœcundata ſeminariis; & tamen cùm ſibi deeſſent univerſa jura naturæ, protulit virgo, quod nec ſemine ſuggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces edere, Virgo non poterit contra naturæ jura Deum filium generare?* Mitto Conciliorum definitiones, Symbolorum proteſtationes, ipſorum Rabinorum confeſſionem, Sibyllarum limpidiſſima vaticinia, Doctorum conſpirationem, ut pauliſper modum conſervatæ in partu virginitatis explicemus.

Et quidem omiſſis hæreticorum blaſphemiis petulantiſſimè affirmantium poſt Jovinianum, Deiparam pariendo virginitatem amiſiſſe, quibus plures è noſtris Calviniſtis adhæſerunt, quia magnam exiſtimant aſſumpſiſſe religionem, ſi nullam reſpuant falſitatem, & eam profiteantur ſectam, quæ ex omnium hæreſum colluvione nata ſit: omiſſis etiam quibuſdam luxuriantium Theologorum opinationibus à trito Patrum tramite aberrantium, & ponentium vel cum Durando Chriſtum ex Mariano utero, impetranſito medio prodiiſſe, quod veritati ac proprietati partus repugnat, vel cum Eraſmo factam fuiſſe dilatationem uteri virginalis in partu abſque corruptione & dolore, ut contigiſſet in ſtatu innocentiæ, quod dictum dum clauſtra Mariæ pudoris rumpit, ejus virginitate adverſatur: omiſſis, inquam, his erroribus, aliiſque deliramentis, quæ recenſeantur indignis; dicendum cum S. Thoma, Chriſtum è ſacro Virginis utero, uterique parte ad partum à natura deſtinatâ exiiſſe, illæſa virginea integritate abſq; materni uteri dilatatione, abſq; Chriſti quantitatis compreſſione, abſque fractura ulla vel apertione, ſed miraculoſa penetratione, ſimili illi, qua corpus Chriſti è ſepulchro clauſo egreſſum eſt, & qua foribus clauſis intravit ad diſcipulos.

Id explicant Patres exemplo fructus maturi ultro ab arbore bajula elabentis, nec vellicari indigentis, quia ſponte prodit ex arbore illæſa: ſic inquit Cyprianus, Chriſtus nullo dolore, nulla naturæ contumelia, abſque ullo obſtetricantis obſequio natus eſt. Exemplum etiam adhibent ſyderis, quod abſque læſione ſuum emittit radium, & abſque corruptione Virgo peperit filium: nec ſyderi radius, ait Bernardus, ſuam adimit claritatem, nec Virgini filius ſuam adimit integritatem. Sicut etiam ſplendor ſolis vitrum abſque læſione perfundit, & penetrat, ejuſque ſoliditatem inſenſibili ſubtilitate pertrajicit, nec cùm ingreditur violat, nec cùm egreditur diſſipat: ſic Dei Verbum ſplendor Patris virgineum habitaculum

lum adiit, & inde clauſo utero prodiit, quia Mariæ puritas ſpeculum eſt illibatum, quod nec lucis repercuſſu finditur, nec radiorum cuſpide feritur, ſed innocuo tramite præ her fulgori communicatum. Rurſus ſicut radius in vitrum purus ingreditur, incorruptus egreditur; colorem tamen vitri induit quod irradiat: ſic Dei filius puriſſimum Virginis uterum ingreſſus purus egreſſus eſt, ſed colorem Virginis, id eſt humanam ſuſcepit naturam, humanæque ſpeciei decorem induit, & præcinxit ſe. *Quid ſplendius eâ*, inquit Ambroſius, *quam ſplendor elegit? Quid caſtius eâ quæ corpus ſine corporis contagione generavit?* Denique exemplu fontis utuntur; quia ſicut homo pellucidum reſpiciens fontem propriæ ibi imprimit faciei imaginem: ſic Dominus reſpiciens humilitatem ancillæ ſuæ, ſtatim divinæ puritatis & fœcundirans imago in Mariam vibrata refulſit. *Maria fons*, inquit Richardus à S. Laurentio, *vicem ſpeculi ſupplet: facies Patris Filius eſt; hanc autem faciem nobis reddidit fons iſte reſpiciente Patre humilitatem ancillæ ſuæ.*

Nec mirum, quia cùm hujus conceptionis author ſit Spiritus ſanctus, qui eſt exemplar Virginum, & amator earum, quia in Deo nec gignit, nec generatur, nec ullo prorſus modo operatur intra Deum, non potuit in Maria aliquid niſi Sanctum, niſi immaculatum, niſi virgineum naſci, cùm omne agens producat ſibi ſimile quantum poteſt. & ideo *ſimul*, ut ait Magnus Leo ſerm. 8 Nativ. *per Spiritum ſanctum fœcundata Virginitas ſine corruptionis veſtigio edidit & ſui generis ſobolem, & ſuæ ſtirpis authorem.* Supervenit itaque Spiritus ſanctus *totam eam, rapturus*, ait Petrus Damianus, præclariſſimum totius Sanctitatis operæpretium operaturus, & ſacrum fœcunditatis cum virginitate commercium initurus. Hinc quidam Patres Mariam vocat *hortum patris, & pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti.* Hinc Mariæ venter appellatur *acervus tritici, vallatus liliis.* Quam immaculatus, quem ſepiunt lilia! Quam fœcundus, ex quo Chriſtus panis vivus excitur, frumentum electorum, & vinum germinans virgines! *An non acervus tritici venter ejus, qui grano illo intumuit, quo omnis renatorum ſeges excrevit? Liliis vallatus dicitur, eo quòd uteri materni perennis integritas comprobetur*, inquit Amadeus *hom.* 5. Hinc Deipara hortus concluſus, fons ſignatus nominatur. *Concluſus*, ait Sophronius ſerm. Aſſumpt. *ut neſciat violari, nec corrumpi; ſignatus ſigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat. Hoc ſiguaculo*, ſubdit Richardus à S. Laurent. lib. 9. de laud. Virg. *impreſſus eſt ei decor divinæ ſimilitudinis expreſſius quàm alicui creaturæ*; quia nimirum puritatis ſigillum illud impreſſit Spiritus ſanctus in Mariam, ut eſſet *Virginitatis primicerta, ſine corruptione fœcunda; ſine gravamine gravida, ſine dolore puerpera*, inquit S. Bern.

Dices: Non eſt cur tantopere Mariam à Virginitatis laude celebremus, quæ in veteri lege, ſub qua ipſa degebat, dedecori erat & opprobrio: & idcirco *Exodi* 23. prohibetur: *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua.* Et ipſemet S. Thom. *quæſt.* 28. *art.* 1. fatetur, quod tempore legis oportebat generationi inſiſtere tam mulieres, quàm viros; quia ſecundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur. Imò *ad* 1. addit: *Quod videbatur eſſe lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram.* Quin tritum erat apud Judæos adagium, cujus Auguſtinus, Hieronymus, aliique Patres meminerunt: *Maledictus omnis, qui non ſuſcitat ſemen in Iſraël.*

Reſpondeo ſterilitatem ex impotentia naturali fuiſſe probroſam, non tamen ex virginitate & continentia ſequutam. Ad cujus evidentiam, & præcepti illius quod refert S. Thom. intelligentiam, ſciendum quod in principio conditi orbis impoſitum fuit præceptum incumbendi propagationi ſpeciei, & procreationi liberorum, juxta illud Geneſ. 1. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quia ut ait Hieronym. *lib. adverſ. Jovinianum*, neceſſe erat priùs plantari ſylvam & creſcere, ut eſſet quod poſtea poſſet excidi, id eſt priùs erat implendus orbis terrarum, quàm ut aliqui ab aliis ſegregari ſine communitatis detrimento Angelorum vitam agerent, qui nec nubent, nec nubentur. Urgebat etiam præceptum illud in lege Moſaïca, quia ut ait Auguſtinus *lib. de bono conjugali, cap.* 9. propter Dei populum propagandum, per quem & prophetaretur & naſceretur Princeps & Salvator omnium populorum, uti debuerunt Sancti Patres non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario bono nuptiarum. Verùm propagata ſufficienter humana ſpecie, & religione dilatata, non obligabat præceptum nuptiarũ, ſed poterat qui præſertim Divino Spiritu afflabatur, virginitatem cuſtodire, & de illa cuſtodienda voto ſe aſtringere. Etenim ut diſcurrit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 152. *art.* 2. *ad* 1. non ſolùm neceſſarium eſt humano generi quod multiplicetur corporaliter, ſed etiam ſpiritualiter proficiat; & ideo ſufficienter providetur humanæ multitudini, ſi quidam carnali generationi operam dent, quidam verò ab hac abſtinentes contemplationi Divinorum vacant ad totius humani generis pulcritudinem & ſalutem. Sicut etiam in exercitu quidam caſtra cuſtodiunt, quidam ſigna ferunt, quidam gladiis decertant; quæ tamen omnia debita ſunt multitudini, ſed per unum impleri non poſſunt. Unde plures in veteri lege viri Sancti reperti ſunt virginitatis cuſtodiâ inſignes, ut Elias, Elizæus, Jeremias, Daniel, tres pueri Babylonis, Eſſeni, qui teſte Ioſepho *lib.* 18. *antiq. Iudaic. cap.* 2. in communi vitam ducentes caſtitatem impensè colebant, nec propterea præceptum tranſgrediebantur, quia ut optimè ratiocinatur S. Doctor *in* 4. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. medium virtutum accipitur ſecundùm proportionem circumſtantiarum ad rationem; & quia tempus eſt una de circumſtantiis, non eſt inconveniens aliquid eſſe illicitum uno tempore fiat; & ideo ſi in tempore, in quo Deus ad multiplicationem generis humani, vel cultus divini inſiſtere homines volebat operi conjugali, aliquis proprio motu incorruptionem ſervaſſet, à crimine non excuſaretur. *Sed poſteà factâ multiplicatione generis humani, & locupletato ſatis cultu divino, certe non peccaſſet virginitatem ſervans, vel in lege Moiſi, vel in ſtatu naturæ integræ; nec feciſſet contra præceptum, quia multiplicatio poterat fieri per alios.*

Inſtabis: Ut virginitas ſit laudabilis, debet eſſe integritas mentis & corporis cum propoſito ſervandæ hujuſmodi integritatis, & voto propoſitum firmante, quo integritas carnis creatori animæ & carnis promittitur, conſecratur, ſervatur. Atqui B. Maria non potuit habere tale propoſitum, ſiquidem Mariâ inter & Joſeph verum initum fuit matrimonium, quod virginitati prorſus repugnat; nam non ſolùm nubere, ſed etiam velle nubere virginibus damnabile eſt: Ergo in B. Maria non fuit perfecta virginitas.

Reſpondeo hac inſtantia contineri ſatis gravem difficultatem, ad cujus planam & eruditam reſolutionem quædam ſunt ex D. Thomæ inexhauſto theſauro doctrinæ gemmæ eruendæ. Sciendũ ergo primo, certum eſſe abſolutè, Mariam ex voto virginitatem Deo nuncupaſſe; perfectionis enim opera laudabiliora ſunt & Deo acceptiora, ſi ex voto celebrentur: unde quia virginitas in Maria præſtantiſſima fuit, relinquitur quod Deo fuit ſpeciali voto conſecrata. Verùm quia B. Maria plenè in principio neſciebat, num aliquando rerum vellet Deus ſe marito

alligati, ideo affirmat S. Præceptor, Mariam ab initio uſus rationis virginitatem habuiſſe in deſiderio, & voviſſe virginitatem non ſimpliciter, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret. Poſtquam vero ſibi innotuit votum illud abſolutè emiſſum Deo eſſe acceptum, virginitatem abſolutè ſpopondit, etiam antequam ab Angelo ſalutaretur, ut patet ex eo, quod Angelo annuntianti Virgo reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod utique non dixiſſet, niſi priùs ſe virginem Deo voviſſet, ſibique conſuetudine viri interdixiſſet; ſed ſemper ſub conditione ſi Deo placeret, id eſt, ſi Deus qui vovendi deſiderium inſpiraverat, oppoſitum ſibi magis placere non ſignificaret.

Sciendum ſecundò, verum fuiſſe matrimonium inter Mariam & Juſeph. Tum quia id expreſsè affirmat Scriptura, Matth. 1. *Cùm eſſet deſponſata mater ejus Maria Ioſeph. Ioſeph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Quod repetitur Luc. 1. Quibus verbis non ſignificatur quidem copula carnalis, ut fingunt hæretici, ſed nec ſola futuri matrimonii promiſſio, ſed verum & perfectum matrimonium verbis de præſenti contractum. Etenim ratione matrimonii illius Maria & Joſeph abſq; ulla hominum admiratione aut honoris detrimento vel periculo convivebant, quod utique fieri minimè potuiſſet, ſi ſola fuiſſet mutuæ promiſſionis obligatio. Accedit quod Joſeph Mariæ prægnatione obſtupefactus voluit occultè dimittere eam: ſola autem uxor ſub mariti poteſtate conſtituta, non ea quæ promiſſione ſponſa eſt, propriè dimitti poteſt.

Porrò hujus matrimonii plures ex Patribus congruentias ſelegit Doctor Angelicus. 1. Ne ab infidelibus tanquam illegitimè natus Chriſtus abjiceretur. 2. Ut conſueto modo per virum ejus genealogia texeretur. 3. Ut partus ejus celaretur diabolo, qui cùm non ſit ſemper in actu ſecundo ſuarum ſpecierum, potuit non ſemper conſiderare, an inter Mariam & Joſeph copula maritalis intervenerit, necne. Maximè quia ad ordinem divinæ providentiæ ſupernaturalis pertinet dæmones à multis impedire, quæ virtute naturali, ſi ſinerentur, agerent. *Et hoc modo,* inquit S. Thomas ad 3. *poteſt dici quod virtute natura ſua diabolus cognoſcere poterat matrem Dni non fuiſſe corruptam, ſed virginem; prohibebatur tamen à Deo cognoſcere modum partus divini.* Idque conveniebat, quia in infantia Salvatoris conveniebat provideri tutelæ ipſius, & cacodæmonis malitiam cohiberi, ne eum acriùs perſequeretur ea ætate, quâ nec Chriſtus pati diſpoſuerat, nec virtutem ſuam declarare, ſed in omnibus aliis pueris ſe ſimilem exhibere, quantitate parvum, alienæ opis indigentem, fandi impotentem, & nulla ab humanæ infantiæ generalitate diſcretum. Hoc pacto explicari debet hæc ratio, quã afferunt Patres omninò multi, quam propterea Scotus & Maldonatus non debebant faſtidire. Quartò conveniens fuit illud Matrimonium, ut Chriſtus à S. Joſeph nutriretur, qui propterea pater nutritius Chriſti dictus eſt. 5. Ne Virgo lapidaretur ut adultera, & turpitudinis infamiã incurreret, ut fornicaria. Nec obeſt quod inde obumbrata fuit gloria partus virginalis, dum multi crediderunt Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum, quia ut ait Ambroſius: *Maluit Dominus aliquos de ſuo ortu, quàm de Matris pudore dubitare; ſciebat enim teneram eſſe virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, nec putavit ortus ſui fidem matris injuriis aſtruendam.* 6. Ut Mariæ à Ioſeph miniſterium, auxilium, ſolatium exhiberetur. 7. Ut fides virginalis partus magis firmaretur in nobis, affirmante Ioſepho locuplete teſte pudoris, quod teſtimonium certius eſt, quàm ſi ſola pro ſe Maria loqueretur. 8. Ut in perſona Mariæ & virginitas, & matrimonium honorarentur contra blaſphemias hæreticorum alterutri eorum maledicentium. Ergo conveniens fuit illud matrimonium & ex parte Chriſti & ex parte Virginis & ex parte noſtra.

Sciendum tertiò, ex duobus præcedentibus documentis inſtaurari propoſitam in inſtantia difficultatem; votum enim ſyncerum, & matrimonium ratum dicunt voluntates incompoſſibiles & planè repugnantes; matrimonium quippe eſt conſenſus in copulã carnalẽ, cùm ſit contractus, quo datur poteſtas in corpus propriũ; unde mulier ſecundùm Apoſtolum non habet poteſtatẽ in corpus ſuum, ſed vir: votum verò virginitatis non ſolùm non conſentit in copulam carnalem, ſed ab ea prorſus abhorret: Ergo vel Maria non emiſit votum virginitatis, vel invalidum fuit, & duntaxat apparens ejus matrimonium, quia in veritate non potuit Maria dicere Joſeph, *Volo eſſe tua*, niſi tradendo poteſtatem corporis ſui in ordine ad uſum conjugalem, ita ut teneretur reddere debitum marito petenti: quod quomodo cum voto perpetuæ virginitatis conciliari poſſit, nõ mediocriter difficile eſt. Verùm ad hujus nodi ſolutionem

Sciendum quartò, conſenſum in conjugium nullatenus officere virginitati mentali, quia in illo non continetur copula carnalis, niſi implicitè, in potẽtiã, & in radice, & ſemper clauſula, & cautione appoſita, ſi Deo jubenti placeret; tunc enim conſenſus in copulam conjugalem tendit ſolùm ad obediendum Deo, nec reſpicit copulam carnalem, niſi per modum materiæ remotæ, & divini beneplaciti conditione vallante & communiente virginitatem: quæ ſanè cõditio hoc ipſo quod conſenſum in copulam divino ſubdit præcepto, avertit animum ab amore copulæ, conſenſumque conjugii transfert & ſupponit propoſito virginitatis, cujus deſiderium firmatur, & obedientiæ adjectione decoratur. Nec votum etiam virginitatis matrimonii veritati obfuit, quia votum erat duntaxat cõditionale: nec matrimonium propoſito virginitatis officit, quia dum corpus marito ſubdidit, ambo copulam carnalem nonniſi Deo jubente exercere conſenſerunt. Unde integra manſit, formalis, ſpecifica, & eſſentialis ratio matrimonii: forma enim conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Maximè quia, ut ait S. Th. in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 2. *B. Virgo antequam contraheret cum Ioſeph fuit certificata divinitus, quod Ioſeph in ſimili propoſito erat, & ideo ſe non commiſit periculo nubens. Nec tamen propter hoc aliquid veritati deperit, quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum; talis enim conditio, cùm ſit contra matrimonii bonum, ſcilicet prolem procreandã, matrimonium tolleret.* Et ad 3. *Copula carnalis cecidit implicitè in conſenſu B. Virginis, ſicut actus implicitè in potentia: potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito B. Virginis, ſed erat jam certificata, quod actus nunquam ſequi deberet.*

Quæ ultima verba ſi quidam recentior carpendorum Patrum prurigine laborans legere voluiſſet, ſententiam hæreticorum hujus temporis affirmantium, Mariam deſponſatam Joſeph corpore potiùs quàm affectu virginem extitiſſe, & morem nubentiũ ſuæ gentis ſequutam liberorum generationi operam dare propoſuiſſe; ſententiam, inquam, tam faventem Angelico Doctori Marianæ Virginitatis tam acri, tam luculento defenſori, quibuſdam ejus verbis ſumma vi, majori præfidentia, & maximâ perfrictæ frontis audaciã detortis aſſerere minimè auſus eſſet. Virgineum Mariæ candorem tribus articulis integris, & undecim rationibus præclariſſimis illuſtravit: hæreticorum præſidia convulſis quatuordecim eorum

argu-

argumentis ab imis fundamentis ſubruit, & tamen ſi Superis placet, & ſtulti pruriginoſo præ modeſtia nō nominando credamus, ſententia S. Th. parum diſtat à ſententia hæreticorum? Petrus Martyr, Bucerus, Centuriatores dicunt, Mariam habuiſſe propoſitum incumbendi generationi liberorum: & D. Th. expreſſè ait art. 4. *Virginitas in matre Dei præcipuè debuit pollere, & ideo conveniens fuit, ut virginitas ejus ex voto eſſet Deo conſecrata.* Et ad 1. & 2. *Non ſimpliciter Virginitatem vovit Dei Genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret: poſtquam autem innotuit hoc eſſe Deo acceptum, abſolutè vovit antequam ab Angelo annuntiaretur. Sed poſt deſponſationem ex communi voluntate ſimul cum ſponſo ſuo votum virginitatis emiſit.* Et ultimo loco ſententiarum: *Actum* (ſcilicet carnalis copulæ,) *nunquam fuit in propoſito B. Virginis, ſed erat jam certificata, quòd actum nunquam ſequi deberet.* Quid apertius? Quid obſcœnitatibus hæreticorum repugnantius?

Ex hac S. Th. doctrina claret difficultatis reſolutio. Deipara enim non habuit voluntates adverſantes, & ſecum pugnantes, quia una erat alteri ſubordinata, & Deo qui facit concordiā in ſublimibus, omninò ſuppoſita. Inviolata ergo fuit Virginitas etiam mentalis Mariæ, quia actum copulæ nunquam concupivit: & ſimul ſyncerum ratumq; fuit matrimonium, quod eſſentialiter conſiſtit in traditione voluntaria & mutua, quâ conjuges tradunt ſibi invicem dominium, jus & poteſtatem in ſua corpora. Quod dominium poteſt eſſe ligatum, & non expeditum, ut cùm aliquis habet verum dominium in rem cujus liberum uſum non habet: ſicut pupilli paternorum bonorum domini ſunt, Religioſi etiam nonnulli poſt emiſſa vota ſimplicia retinent dominium facultatū, conjugati etiam mutua conſpiratione caſtitatem promittentes non perdunt ſuam in corpora poteſtatem, & tamen uſus illis omnibus illicitus eſt; unde vetitis illis utentes contra obedientiam vel religionem, ſed minimè contra juſtitiam peccarēt. Ergo jus ab uſu præſcindi poteſt, proindeque tradi dominium in corpus, non cogitando de uſu. Non potuerunt tamen conjuges conditionem virginitatis apponere, licèt uſus diſtinguatur à dominio: tum quia cōditio illa repugnat fini matrimonii, qui eſt educatio prolis, ſubindeq; matrimonium tolleret. Tum quia Maria certior facta de divina voluntate matrimonium imperante, non poterat citra Dei revelantis injuriam matrimonio apponere conditionem, quia Deo revelanti vel non crediduſſet, vel non cæca obedientia obtemperaſſet; & ideo divinæ revelationi, & Spiritus ſancti impulſui innixa habitans in adjutorio altiſſimi, & in protectione Dei cœli commorata, nullâ conditione conſenſum in matrimonium limitavit, quia aliàs non matrimonium, ſed larva matrimonii extitiſſet. Nec propterea periclitabatur Mariæ puritas, quia ut antè docebat S. Th. *B. Virgo fuit certificata Divinitus, quod Joſeph in eodem propoſito erat.* Unde nulli ſe periculo expoſuit, quia idem erat utrique commune virginitatis conſiliū, cōmune votū. Felix matrimonium, cujus vinculū pudor fuit, & gratia S. Spiritus utrique ſupervenientis, utriq; obūbrantis; cujus finis, tutela Chriſti, honor Mariæ: cujus dos, virtutū theſauri, & gratiarū ſpiritalium ſupellex: cujus nexus, amor caſtus, ſimilis illi quo Angeli ardēt in cœlis, quo in Deo flagrant perſonæ, amor ſuavis ſine rixa, ſine contentione, ſine ulla ſuſpicione; amor reverens, quo Maria Joſephum ut ſponſum, tutorem, cuſtodem, & patronum amabat; Joſeph verò Mariam ut Dei matrem & Dominam redamabat: cujus proles, Chriſtus, Deus-Homo, ſolius quidē Mariæ caro, ſed Joſephi jucunda poſſeſſio: cujus author, Trinitas conſecrans conjuges; cujus paranymphi Angeli, tam auguſtæ familiæ, & Trinitatis create increatam adumbrantis venerabundi: cujus convivium nuptiale, ſacrarum torrens conſolationum, dulciorum ſuper mel & favum: cujus deniq; epithalamium caſtitas vallata liliis, ſpirans odores honoris & honeſtatis, tam ſacrum decorans & coronans conjugium non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu. Unde ut rectè notat S. Th. matrimonium iſtud habuit etiam ſecundariam perfectionem, nempe fortunatiſſimam prolis educationem, quâ maledictum ſterilitatis tanta benedictione commutatur, tam copioſa fœcunditate compenſatur. Unde Bernard. *hom.* 3. *ſuper* Miſſus eſt: *Aperi Virgo ſinum, expande gremium, præpara uterum; quia ecce factura eſt tibi magna qui potens eſt, in tantum ut pro maledictione Iſraël beatam te dicant omnes generationes. Nec ſuſpectam habeas fœcunditatem, quia non auferet integritatem: concipies, ſed ſine peccato; gravida eris, ſed non gravata; paries, ſed non cum triſtitia; neſcies virum, & gignes filium. Qualem filium? Iſtius eris mater, cujus Deus eſt pater: filius paternæ charitatis erit corona tuæ caſtitatis; ſapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis; Deum denique paries, & de Deo concipies.*

REFLEXIO.

Deipara virgo eſt, cujus nec carnem libido, nec mentem cogitatio maculavit: quin non ſolùm virgo, ſed *Virginum prima* à Nazianzeno, *Virginum vexillifera, virginitatis Magiſtra* ab Ambroſio, *gloria totius virginitatis* à Damaſceno, *Virginitatis primiceria* à Bernardo, *virginitatis primipila* à docto Idiota, *virginitatis typus & forma puritatis* à Germano Conſtantin. *Virginum gloria* à S. Jacobo in Liturgia, *Virginitatis corona* à S. Cyrillo *hom.* 6. *cont. Neſtorium*, appellatur. Ergo vetus Mariæ ſervus, genuinus filius, ſolidè pius, puritatis eſt amans, & caſtitatis mentis, cordis, corporis ſtudioſus. Maria propria ſponte mentem ſuā Deo corpuſq; ſacravit, ut in carne præter carnem vivens Angelicam vitam duceret; nulla urgente lege, nulla veteris Teſtamenti pagina vel præcipiente, vel conſulente, vel hortante, ante omne conſilium vel exemplum caſtitatem amavit, puritatem elegit; quia unctio docebat eam de omnibus, & ſermo Dei antè illī factus magiſter quàm filius, priùs inſtruxerat mentem, quàm indueret carnem. Et tu cliens Mariæ vocari aves, ſodalitiis ejus aſcribi zelas, ejuſque famulatu gloriaris, quem infernalis luxuriæ ignis abſumit, quem ventris ingluvies, membrorum libido, mollities veſtium, deliciarum fluxus, otii ſoporiſque reſolutio turpiſſimè fœdant, enervant, effœminant.

Solus ille Mariæ filius, & eo auguſto nomine dignus eſt, qui tantæ matris puritatem moreſq; æmulatur. Quid prodeſt hanc interpellare vocibus, niſi etiā virtutum ejus exempla teneamus? Nunquid etiamſi defuerit nobis manſuetudo pudoris, ſi humilitas mētis, ſi munditia cordis, negligentiam noſtram donorum Mariæ ſingularitas excuſabit? Summa devotio imitari quod colimus, ut ſicut concepit Maria Chriſtum in matrice carnis, ſic deferamus & nos in viſceribus mentis; ſicut reficiebat Maria Chriſtum teneris labris lac uberum exprimentem, ita reficiamus & nos variis bonorum operum deliciis. Debemus enim nos mater eſſe Chriſti, ſi veri volumus eſſe Chriſtiani; debemus Chriſtum concipere fide, Chriſtum formare bona voluntatē, Chriſtum enixi deſiderio, Chriſtum parere bonis operibus. Tales agnoſcit Maria ſibi devotos, quos gaudens cernit virtutum ſuarū imitatores. Nec ſit ullus perfugii locus, nemo cauſetur Mariæ virtutes ſicut admiratione majores, ita & imitatione ſuperiores. Talis enim fuit Maria, inquit Ambroſius, ut ejus vita omnium ſit diſciplina. Dilectarum dilectiſſima, addit Rupertus, cæterarum exemplum eſt animarum. Imitabilis Mariæ fides, quę cœlum aperuit, cùm Angelo nuntianti cōſenſit. Quid

ni æmulabimur ardorem charitatis, non fortè quâ mortua eſt, ſed quâ vixit? Quidni humilitatem, quæ eſt religionis introitus, fundamentum ſanctitatis, quâ laudata Deum magnificavit: patientiam, quæ opus perfectum habuit, dum ipſius animam doloris gladius pertranſivit: clementiam, à qua adeo nullus patitur repulſam, ut laudes Mariæ ſilere poſſit, qui illam fideliter invocatam, ſenſerit unquam ſuis ſibi in neceſſitatibus defuiſſe; aliaque virtutum certatim ſplendentium ornamenta exprimemus? Quidni ex Maria ſumemus exempla vivendi, in qua una virtutum omnium emicant ſpecies, in qua velut in ſpeculo omnis omninò refulget forma pietatis, ubi tanquam in exẽplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeam' oſtẽdũt.

Filius eſt imago Patris; filii matriſant, quia maternum præcipuè ingenium ebibunt in utero, ſugunt è mammis. Atqui Mariæ indoles & proprietas characteriſtica puritas eſt, & uſque adeo eſt, ut probabiliſſima ſit graviſſimorum Theologorum ſententia, aſſeverans quod quanvis maternitas Dei ſit omnium puræ creaturæ dignitatum apex & faſtigium, data tamen optione virginitatis & maternitatis, Maria ſine dubio potiùs virginitatis candorem, quàm maternitatis decorem elegiſſet; quia charitas in gratiam Dei ſummè dilecti ſæpe bona in ſe præſtantiora poſtponit. V. g. melius eſt amari à Deo, quàm Deum amare, meliùs videre, quàm amare: & tamen Sancti & Beati ex inclinatione charitatis magis eligunt amare quàm amari; magis diligere, quàm videre. Quia nimirum charitas in gratiam dilecti magis propendet dare, quàm accipere. Per maternitatem autem Maria à Deo ingens donum recipiebat & innumerabilem honeſtatem per manus illius; ſed per virginitatem aliquid Deo dabat, corpus nempe & animum ſuum offerebat hoſtiam viventem, Sanctam, Deo placentem: Ergo Virginitatem Maternitati prætuliſſet, nec aliter eligere potuiſſet Virgo illa, quam teſte Anſelmo, decuit ea puritate nitere, quâ major ſub Deo nulla poteſt intelligi. Ergo non Mariæ filius, ſed hoſtis eſt homo obſcœnus, quámlibet ſodalitiis ejus aſcriptus.

Sed Roſarium, inquies, defero: Scapulari induor, cingulo Mariano præcingor. Benè eſt. Anne homo pictus verus homo cenſendus eſt, quia hominis ſimulachrum? Mariæ fateor externas teſſeras defers, labiis eam honoras, ſed cor tuum longè eſt ab illa. Túne Mariæ ſimilis, qui quotidie impuritatis idololitas & adoles? Túne cum Maria matriſas, qui mollitie & luxu diffluis, & in obſcœna quæque effuſus in immunditiis volutaris? Maria Virginitatem tanti fecit, ut ei maternitatem omnium honorum culmen poſtpoſuiſſet, & tu caſtitati caducam delectationem, momentaneam præfers voluptatem. Maria uſque adeò puritatem ſpirabat, ut teſte Ambroſio, *ſi quos inſeret, caſtitatis inſigne conferret*; teſte S. Ephrem, *Maria erat hominibus fons ſpiritus æterni, & pudicitiæ atque incorruptionis præceptum*: teſte Gerſone ſerm. de Nativit. *Extinguebat libidinem divinus ille aſpectus, quaſi frigidus quidam ros virgineus ex ejus oculis exſpiraret, vel efflueret ex mente ſua ſanctiſſima*. Ergo nec illi, nec illæ Mariæ filii nomenclaturâ digni ſunt, qui fronte, oculis, vultu laſcivam produnt & ſtillant, quæ pectoris nuditate caſtitatem venalem offerunt, quæ faciem adulterinis fucant pigmentis, picturamque Dei deleot, dum vultum materiali candore oblinunt, exquiſito rubore perfundunt, collum catena conſtringunt, ut intuentium corda devinciant; quibus cura eſt, ut veſtes benè oleant, ut crines calamiſtro rotentur, ut digiti annulis radient, ut opus Dei & facturam ejus adhibitis colorum pigmentis adulterent, maluiſque Deo inferentes, quod ille formavit, reformare inaniſſimè contendant.

Ne ergo, Lector, te periculosè decipias, arbitrans ſalutem tuam in tuto poſitam, ſi alicui Mariæ ſodalitati nomen dederis, vel ſi aliquo externæ pietatis officio fungaris, tametſi de vita ſeriò mutanda non cogites, ſed in eiſdem flagitiis perſeveres. Dic, ſodes, Roſarium, Scapulare, Cingulum ſunt ne aliquid Euchariſtiâ ſanctius, aut ſecurius? Minimè gentium, inquies, & rectè dices. Et heu quot & quantis cibus ille vitalis mortem affert! Sed inſtabis; De confratribus Roſarii dictum eſt, *Nemo Mariæ cliens æternùm peribit*; de geſtantibus Scapulare revelatum eſt, *In quo quis moriens æternum non patietur incendium*. Sed amabò, nonne de Euchariſtia, & quidem Chriſto conteſtante, & authore canonico ſcribente dictum eſt: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*? & poſt tam expreſſum Veritatis teſtimonium, quot myriades, quot chiliades Chriſtianorum de pane illo edentes judicium ſibi manducant & bibunt, graviùs procerto damnandi, quòd cibum illum immortalitatis ſacrilego ore accipere attentarint? Omnia externa pietatis obſequia ad honorem Mariæ ab Eccleſia inſtituta vel probata, nemo niſi hæreticus reprobare poteſt, qui tantum ſibi, tantum Eccleſiæ patrocinium invidens, Mariæ præſidium & innocentibus ſalutare & pœnitentibus opportunam poſt naufragium tabulam repellit. Beatus planè ſit, terque quaterque beatus S. Dominicus, qui Roſarii ſalutifero inſtituto orbem ſub cœlo totum Mariæ præconibus diu & interdiu ſalutantibus implevit. Beati illi omnes, qui ritus laudabiles adinvenerunt & paſſim in Eccleſia celebrarunt ſacras ceremonias hominum naturæ corpore ſimul & anima conſtanti apprimè conſentaneas, quibus Catholica pietas in ſenſibiles actus ſeſe diffundit, & externis ſtimulis alligatus interior componitur & exſuſcitatur affectus. Nihil nimii habet, imò nec ſatis habet quidquid divinæ matris amantium in ejus honorem religioſus fervor effudit.

Verùm omnis ille ſacrarum obſervantiarum apparatus ad nihilum valet, niſi de charitatis fonte naſcatur habeatque ſolidas virtutes annexas, quibus verus Deiparæ amor à falſo & ſpurio pietatem ficta imitatione mentiente ſejungitur. Parum vel nihil proderunt externa officia, niſi charitati, bonis operibus, diligenti mandatorum obſervantiæ, paſſionum caſtigandarum ſtudio, jugi pœnitentię adjuncta ſint. Ad divinam miſericordiam, advocãdam, impetrandamque perſeverantiam Mariæ potiſſimùm opem implorare expedit: verùm non inertibus duntaxat precibus, ſed Marianarum præcipuè imitatione virtutum quæcunq; petimus efficaciùs conſequemur. Et rationem hujus ſolidam eleganter tradit quidam recentior: *In precibus enim unus amor divinam miſericordiam flectit; unus quod poſcit, impetrat. Amor autem nullus penitus otioſus: quantus eſt, tantum agit, tantum illud quod amat, moribus exprimit. Ergo qui Mariam multùm imitatur, multùm amat: qui nullo modo imitatur, non amat omninò; adeoque nec precatur, quantumvis totos dies immurmurandis precationibus conterat.* Non minùs abutuntur quamplures Mariæ patrocinio, quàm divinâ miſericordiâ, de qua multi confidentes, & juſtitiam nihil veriti, inanem ex ea ſalutis ſuæ ſecuritatem hauriunt. Unde de Mariæ cultu dicere licet, quod de fiducia in Dei miſericordia alicubi ſcripſit Bernardus. Tria ſunt genera eorum, qui non habitant in adjutorio Altiſſimi, nec in protectione Mariæ, aliud non ſperantium, aliud deſperantium, aliud fruſtra ſperantium. Primi habitant in meritis ſuis, ſecundi in pœnis, tertii in vitiis: primi ſibi confiſi Mariæ protectionem floccifaciunt, & ſunt ſuperbi & præſumentes: ſecundi multitudine & gravitate ſcelerum obſtupefacti de Mariæ poteſtate diffidunt: ter-

ti

tii de miſericordia ejus ſibi blandientes, à peccatis non emendantur. Primorum habitatio ſtulta, & impia: ſecundorum anxia & miſera: ultimorum periculoſa, inanis, & immunda.

Et hîc ſit finis differendi de illa, quæ ut ait Damaſcenus, *omnem encomiorum laudem excedit; nec ſi omnes in toto orbe diſperſa linguæ in unum coëant, ejus laudes oratione conſequi poſſent.* Pudet me ſanè tam præclarum argumentum adeo jejunè tractaſſe; non parum tamen me ſolatur quod olim S. Caſimirus in ſua quotidiana oratione pangebat: *Quanvis ſciam, quod Mariam nemo dignè prædicet; tamen vanus & inſanus eſt, qui eam reticet. Quanvis muta & polluta ſciam mea labia; præſumendum, non ſilendum eſt de tua gratia.* Hîc, inquam, ſit differendi finis, ſed non amandi, quia ubi deſinit ſpeculatio, inde incipere debet dilectio Chriſti & Mariæ, ſine qua inanis eſt omnis fidei conſideratio; quia, ut ait Magnus Leo: *Charitas robur eſt fidei, fides fortitudo eſt charitatis; & tunc verum nomen eſt, ac verus eſt fructus ambarum, cùm inſolubilis manet utriuſque connexio. Vbi enim non ſimul fuerint, ſimul deſunt, quia invicem ſibi & juvamen & lumen ſunt, donec deſiderium credulitatis impleat remuneratio viſionis, & incommutabiliter videatur & ametur, quod nunc & ſine fide non diligitur, & ſine dilectione non creditur,* ut oportet ad ſalutem.

ELOGIUM CHRISTI SALVATORIS.

Compendio doctrinæ S. Thomæ, à quæſt. 1. 3. p. ad 26. & à 34. ad 58.

DUM ſcriberet tertiam partem Aquinas, audivit, Benè ſcripſiſti de me Thoma.

Conſecravit ſcripturam Thomæ character Patris.

Perfectiones Patris exhaurit Verbum unum.

Et elogia omnia exhauſit Chriſtus verbo uno.

Verbum benè, *omnes poſſibiles laudes complectitur.*

Omnia bona promittuntur, dum dicitur juſto, Quoniam benè.

Omnia præconia aſſeruntur Thomæ, dum dicitur ei, Scripſiſti benè.

Propoſitio indefinita æquivalet univerſali:

Et laus indefinita eſt infinita.

Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.

Vidit Chriſtus quæ Thomas ſcripſerat, & erant valde benè.

Poſt approbationem Dei, creaturas non damnat niſi Manes:

Poſt approbationem Chriſti, doctrinam Thomæ reprobans eſt ferè Manichæus.

Vera eſt laus, quam non tacet Deus.

Veritas eſt, quæ probat: veridicus ergo eſt, qui probatur.

Thomam laudat Chriſtus in cruce moriens.

Inde extollit Thomam, ubi peperit Eccleſiam.

Crux morientis fuit Cathedra docentis, & inaugurantis Thomam.

Septem verba protulit Chriſtus in cruce:

Octavum proferre voluit in laudem Thomæ.

Adulari non ſolent morientes, vel obſcurè loqui:

Et fallere vel falli non poteſt Deus moriens.

Pange ergo, Thoma, inveſtigabiles divitias Chriſti, qui es vox Verbi.

Chriſtus, inquit, miraculorum vertex, & compendium.

Operum Dei conſummatio, operis artificis mixtura inconfuſa.

In eo longitudo brevis, latitudo anguſta, ſublimitas demiſſa, profunditas plana.

In eo colliguntur & bona Dei, & ipſe Deus.

Chriſtus eſt opus amoris, œconomia ſalutis.

Exhauſerunt ſe attributa Dei, ut in illo operæpretio certatim collucerent.

Effudit ſe infinita bonitas modo qui eſt ultra omnem modum.

Quàm immenſus amor, quo idem fit Dominus & ſervus!

Quàm ingenioſus, quo creditor fit debitor, & læſus ſatisfaciens!

Quàm potens, quo infinitus reſtringitur, immenſus anguſtatur, æternus innovatur!

Non plus ultrà: Deus fit homo, & homo Deus.

Homo ſibi, & Deus nobis.

Deus afferens remedium, homo præbens exemplum.

Deus ut diligeret effectu, homo ut amaret affectu.

Homo ut miſericors fieret, Deus ut miſeriæ ſubveniret.

Homo-Deus, ut eſſet multus ad ignoſcendum.

Intra Deum non poterat creſcere amor: humanando ſe quomodo creſceret invenit.

Audi aliquid divinius, ac miraculo majus, & non ama, ſi potes.

Dilexit nos, & indignos, & hoſtes, & ingratos.

Opponebant ſe ejus amori peccata; & ſi non fuiſſet peccatum, non veniſſet.

Venit quærere quod perierat, & non juſtos ſalvare, ſed peccatores.

Ferè ſe crederet miſerum, niſi miſeris opem ferret.

Implet omnem menſuram amor ille, & excedit.

Verbum fit caro, ut exprimat divini cordis affectum.

Artifex fit opus, ut obliteratam reformet imaginem.

Splendor gloriæ ſub nube latet, ut ſublucendo fiat aſpectabilis.

Virtus infirmatur, ut debiles confirmet.

Panis Angelorum in lac liqueſcit, ut hominum cibus fiat.

Ros lucis concreſcit in margaritam, ut emi poſſit.

Nihil eſt in homine quod non aſſumat, ut totum hominem deificet.

Solam ſubſiſtentiam conſumit, ut naturam conſummet.

Triplici gratiâ plenus fuit ſibi, ſuperplenus nobis.

Triplici ſcientia cognovit, ut nobis multipliciter vigilaret.

Voluntatem creatam ſociavit divinæ, ut omnibus modis nos amaret.

Liber fuit & impeccabilis, ut deſtrueret peccati ſervitutem.

Nullam diſcordiam deſideriorum gignebat pugna appetitus & rationis:

Nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis.

Non habebat paſſiones, ſed propaſſiones, ut nos ſenſibiliter amaret.

Concipitur intra uterum Matris, ut in ſinu Patris:

Vtrobique habet ſinum virgineum Verbum incorruptum.

Fit infans, ut poſſit ulciſci.

Quàm magnus in forma Dei! Quàm parvus in forma ſervi!

In illa magnus, & laudabilis nimis:

In iſta parvus, & amabilis nimis.

Nec parvitate magnitudo minuta: nec magnitudine parvitas oppreſſa.

Alligatur faſciis, ut ligetur funiculis charitatis juſtitia.

Immenſus anguſtatur, ut totum poſſimus amplecti.

Lacte paſcitur, ut ſeveritas Dei dulceſcat.

Tanto tempore in cœlis tonavit, & non ſalvavit:

In cunis vagit, & ſalvavit.

Naſcitur in ſtabulo, ut ſit omnibus obvius.

Advocat Paſtores & Reges, qui vult omnes ſalvos facere.

Nondum

Nondum vocatur IESVS, & incipit ſalvare nationes.
Avidus ſalvandi vix conceptus ſanctificat Ioannem.
Avidus redimendi vix natus fundit ſanguinem.
Particulas offert cruoris, & totum libentiùs impendiſſet.
His guttis quaſi arrhâ datâ totum ſanguinem oppignoravit.
Sufficiebant hæ ſtillæ redemptioni, ſed non ſufficiebant amori.
Interim vocatur IESVS, verè vir nominis ſui.
Poſt quadragenos dies ſupplicat Patri, æqualis Patri.
Quin dum ſe ſiſtit Patri, fit illo minor & inæqualis, ut fit ſimilis nobis.
Qualis exceſſus! occultare ſimilitudinem Dei, & aſſumere ſimilitudinem carnis peccati.
Amor hominum non invenit eum hominibus parem, ſed fecit.
Fugit exulis Ægyptum, ut exules filios Adam revocet ad Patriam.
Duodennis docet in Templo, & relinquit matrem.
Iucundior eſt illi noſtra ſalus ſuaviſſima gremio Matris.
Ne quære quid egerit triginta annis.
Amans amabat te, & meditabatur artes magis amandi.
Et opus amoris coronaturus in ligno, tyrocinium ponebat ſub fabro.
Latuit triginta annis, nec erat ſolus.
Quomodo ſolus, qui cum Maria & Ioſepho convivebat?
Quomodo ſolus, qui erat Deus & homo?
Quomodo ſolus, qui te & me habebat in corde?
Planè non minùs ſolus quàm cùm ſolus, nec minùs otioſus quàm cùm otioſus.
Converſatur deinde cum hominibus, ut effundat verba vitæ Verbum Patris.
Ne mirere, quod ſit hominibus familiaris, qui factus eſt homo.
Simplicitate doctrinæ abſcondit ſapientiam, ut explicet amorem.
Mavult apparere ineruditus, quàm minùs amans.
Doctrinam firmat miraculis, & maximum miraculum eſt vita docentis.
Imperat mari, morbis, & morti: & mallet imperare cordi tuo.
Poſt verba ſuſtinet verbera; quia diligit opere, & veritate.
Dederat ſe vadem pro peccatoribus, & cautionis ſolvendum fuit.
Expiare voluit culpas noſtras, & fieri peccatum innocentia.
Faller, peccavit IESVS, qui teſte Apoſtolo, nimis dilexit.
Hoc eſt unum IESV peccatum amor hominum.
Sed quid honeſtius culpâ benignitatis?
Non repugnat innocentiæ tale peccatum, ſed auget & decorat.
Animam agit in horto, & miraculo ſervat vitam, ut patiatur diutiùs.
Per omnes contumelias volutatur, ut omnes conſecret, & nobis ſuaves reddat.
Geſtat crucem, & ſub onere cadens ſuccumbit Deus.
Prorſus infinitum eſt malum, quo opprimitur Deus.
Incarnatione exhauſerat ſe potentia, ſed nondum amor.
Fecerat in hoc opere Deus, quod melius poterat:
Sed nondum pertulerat amor, quod pati poterat.
Exaltatur in cruce, ut omnes trahat ad ſe.
Clavis configitur, ut non poſſit punire.
Clavis perforatur, ut poſſit effundere gratiam & medicinam.
Moritur Chriſtus, & pullâ veſte induitur lugens natura.
Ipſe Deus lugeret, ſi flere poſſet.
Moritur vita, ſed non moritur amor.
Ex corde enim mortui fluxit aqua, & ſanguis:
Illa qua abluat, iſte qui redimat.
Deſcendit ad viſcera terræ Sol juſtitiæ, producturus non aurum, ſed paradiſum.
Reſurrexit glorioſus, & pars gloriæ fuerunt vulnera, amoris pignora.
Feneſtram retinuit, per quam amantis cordis ardor pateret.
Aſcendit in cœlum, ut pararet locum quem nobis meruit.
Sedet ad dextram Patris, ut interpellet pro nobis.
Conceptus de Spiritu ſancto mittit ſpiritum ſanctum;
Quia Incaenationis initium & finis amor eſt.
Anathema ſit, qui non amat Ieſum tam amabilem, tam amantem.
Anathema, qui non adit cum fiducia gratiæ thronum & fontem.
Omnia novit, in quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.
Omnia poteſt, cui uncta dedit Pater in manus.
Omnia vult, omnia dabit, qui ſemetipſum donavit.

ELOGIUM MARIÆ DEIPARÆ.

Compendio doctrinæ S. Thomæ, à q. 27. 3. p. ad 35.

PRIMVS cibus Thema infantis fuit nomen Maria.
Mariam priùs lingua guſtavit, quàm laudavit.
Mariam ſcivit antequam ſtuderet:
Priùs diſcipulus Marianus, quàm Doctor Angelicus.
Audiamus quæ ſcripſit de Matre, qui de Filio bene ſcripſit.
Non benè ſcripſiſſet de Filio, ſi malè de Matre.
Relativa ſunt ſimul cognitione, quidni ſcriptione?
Maria eſt miraculorum compendium, & ſummum ipſa miraculum.
Arcanorum Dei judiciorum theſaurus à Deo obſignatus.
Cœlum animatum ejus, qui fecit cœlum & terram.
Cœlum cœlo altius, ad ſolium uſque divinitatis erectum.
Mons in vertice montium, virtutum domicilium:
Vitæ theca, gratiarum abyſſus:
Auguſta divinorum cum hominibus contractuum officina:
Divini ſplendoris intellectuale ſpeculum:
Terra Deo culta, & maſſa humanæ in Chriſto deificatæ delibatio.
Quidquid non eſt Deus, minùs eſt Virgine.
Solus opifex opus iſtud ſupergreditur.
Menſura illius ſola eſt omnipotentia facientis.
Si quæras qualis ſit Mater, quære priùs qualis ſit filius.
Filius non minùs matris, quàm Patris imago eſt.
Infirmitas Patris eſſet Filium genuiſſe minorem:
Et infirmitas Filii eſſet feciſſe matrem, quâ perfectior darè poſſet.
Paternitas, ait Cyrillus, eſt myſterium Divinitatis in faſtigiis:
Et Maternitas eſt faſtigium creatæ dignitatis.
Nobilius quadantenus eſt eſſe Patrem, quàm eſſe Deum.
Et Matrem Dei ſolus ſuperat Deus.
Ex plenitudine ſcientiæ eructat Pater Verbum bonum:
Ex plenitudine gratiæ effundit Mater verbi bonitatem.
Majorem mundum poteſt facere Deus:
Majorem Matrem facere non poteſt Deus.
Concipitur ex ſterili, ut in ea emineret ſola gratia, & tota.
Natura gratiæ ceſſit, tremula ſtetit, progredi non ſuſtinuit.
Natura vim ſuperabat opus, intra quod omnes colliguntur gratiæ.
Et gratiæ vim ſuperaret, niſi author gratiæ eſſet infinitus.
Non naſcitur nuda, quæ fuerat intra uterum virtutibus induta.
Procedit ad Templum animatum Dei Sacrarium.
Triennis ingreſſa eſt, quia priùs incedere non poterat.
Creſcebat interius puella magis gratiâ, quàm ſubſtantiâ.
Totidem momenta totidem erant gratiarum crementa.
Ioſepho deſponſatur, ut protegeret virginitatem, non violaret.

Innexi ſunt conjuges corde, non carne.
Sic unitur prima virgo Trini cogitatione & affectu:
Sic conjunguntur aſtra & planetæ, non corpore ſed lumine.
Sic nubent palmæ, non radice, ſed vertice.
Egreſſa è Templo facta eſt Templum Verbi.
Mittitur à Deo Angelus, ut exploret conſenſum.
Ab ejus aſſenſu pendere voluit Deus, à quo omnia pendent.
Quomodo fieret Mater, explicare neſcivit Angelus.
Hoc myſterium Spiritui ſancto reſerandum reliquit.
Debuit eo Doctore ſciri, quo Authore.
Doceri non potuit niſi à donante, nec addiſci niſi à ſuſcipiente.
Reſpondit Maria verbum, & ſuſcepit Verbum.
Protulit ſuum, & concepit divinum.
Emiſit temporarium & amplexa eſt ſempiternum.
Dixit Verbum, & omnia facta ſunt:
Dixit Maria, & Verbum caro factum eſt.
Dedit authori ſubſtantiam, & ſit Patris Mater:
Altoris nutrix, geſtatrix Conſervatoris.
Tribus digitis Deus appendit orbem:
Et ſinu ſuo Maria appendit portantem orbem.
Quid eſt quod non portet, quæ portantem omnia portat?
O uterum cœlis ampliorem, qui immenſum concluſit!
O ventrem Beatum, qui factus eſt Dei centrum!
O Matrem infinitam, quæ fines Divinitatis attigit!
Quomodo gignere potuiſſet Deum, niſi quodammodo facta Dea?
Non est Dea, ſed Mater Dei.
Mater eſt & Virgo, quia concepit de Spiritu ſancto.
Non timendus fuit æſtus libidinis ſub tanto umbraculo Sanctitatis.
Non frangunt pellucidam cryſtallum ſolis radii.
Et Maria eſt Solis juſtitiæ tabernaculum.
Confeſtim exſurgit Maria Deo fœta.
Vt fieret Mater gratiæ, poſtquam facta eſt Mater Verbi;
Et Deum magnificaret, quem parvum fecerat.
Peperit Deum, & lacte pavit.
Providet Deus univerſis, providet Maria proviſori.
Aperit manum ſuam Creator, & implet omne animal benedictione:
Aperit ubera ſua Mater, & dat Chriſto eſcam in tempore opportuno.
Elationes maris quaſi pannis infantiæ obvolvit Deus.
Domitorem maris pannis & faſcia cingit Maria.
Siſtit puerum Deo, & auxit dominium Dei.
Subjicit enim Patri æqualem Patri.
Ne mirere ſi ſubſit Deo, qui ſubditur matri.
Obediente Deo voci hominis, Sol ſtetit.
Obediens Chriſtus voci Mariæ per triginta annos ſtetit.
Elige quid mirere magis, vel Deum obſequentem, vel mulierem imperantem.

Qualis prudentia, quæ increatam ſapientiam regit?
Quam recta voluntas, cui Chriſtus conformis fuit!
Deus eſt ſua regula, Maria regula Chriſti fuit.
Myſteria Chriſti omnia vidit, & myſteriorum pars magna fuit.
Aſtitit morienti, & commori voluit.
Vulnera Chriſti pendentis erant plagæ matris dolentis.
In Calvaria Chriſtus carnem, Maria animum immolabant.
Vnum holocauſtum Chriſtus & Maria offerebant:
Hæc in ſanguine cordis, ille in ſanguine carnis:
Chriſtus paſſione, Maria compaſſione.
Mortuum revocavit lacrymis, quem incarnandum advocarat ſuſpiriis.
Aſcendentem vidit, & diſſolvi voluit, ſed non debuit.
Vt naſcentem Chriſtianiſmum regeret, quæ Chriſtum gubernarat infantem.

Impatiens tandem cœlum vocavit Reginam ſuam.
Non ſatis glorificatus videbatur Filius, quandiu Mater aberat.
Moritur deliquio amoris, cujus vita amor erat.
Fertur in cœlum, & obvius occurrens filius ait:
Accepi à te quæ hominis ſunt, dabo tibi quæ Dei.
Veſtiſti me ſubſtantiâ carnis, veſtieris à me gloria majeſtatis.
Denique tali honore excepta eſt, qua tantum decet Filium;

Cum ea gloria, quæ decet eam, quæ exceperat Deum.
Erectus eſt ei thronus; ut miſericordiam exercet,
Qui omnibus patet, etiam dum iraſcitur Deus:
Et partem gloriæ credit, relevare hominum ærumnas.
Nullus Mariæ cliens æternùm perit;
Sed non eſt cliens, qui religiosè non colit;
Nec verè colit, qui eam non amat:
Nec ſyncerè amat, qui eam non imitatur.
Charitas cultus eſt Dei, cultus eſt & Mariæ.

Finis Libri X. Theologiæ Mentis & Cordis.

LIBER

LIBER XI.

De Deo Salvatore, & de Fontibus ſalutis, ſeptem ſcilicet novæ legis Sacramentis.

PRÆLOQUIUM.

OMNES *ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite abſque ullo argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Iſaiæ 55. Quantum, & quàm ardenter bona ſua creaturæ rationali profundere Deus optimus maximus aveat, variis quidem amoris ſui ſignificationibus teſtatus eſt, at Sacramentorum inſtitutione planè perſuaſit; Omnes vocat, nullum excludit, qui publicos fontes, patenteſque canales, quibus cœleſtis gratia jugiter defluat, aperuit. Sitientes invitat, & pro ratione ſitis, pro guſtuum varietate modò aquas, vinum & lac indiſcriminatim & juxtà liberaliter propinat. Aquam fundit pœnitentibus, quâ peccata abſtergant; lac præbet incipientibus, qui præventi in benedictionibus dulcedinis, guſtantes quoniam ſuavis eſt Dominus, & memoriam ſuavitatis ejus eructantes incipiunt caducas peccatorum voluptates faſtidire, ſuumque ita in Deo gaudium collocare, ut ab eo divelli grande foret illis ſupplicium. Vinum denique dat perfectis, ne deficientes in via retroque reſpicientes, benè cœpti operis fructum vel mentis inſtabilitate, vel laboris tædio, vel tentationum impetu amittant.

Sed illud quod ponderetur, niſi meus me fallit animos, digniſſimum eſt. *Emite*, inquit, *abſque ullo argento, & abſque ulla commutatione.* Quî emitur quod ſine argento, ſine ullâve commutatione comparatur? Sanè quod gratis & pro nihilo conceditur, non emitur, ſed donatur. Quæ Sancti & Interpretes in ejus loci lucem protulere, omnia non referam, ſelectiora notabo. Dici in primis poteſt, nos gratiam emere, quia nulli infunditur habitualis gratiæ ſanctimonia, niſi multiplici piorum motuum apparatu diſpoſito; emitur tamen gratia ſine argento, quia totus ille diſpoſitionum conatus ab auxilio Dei moventis, ſine quo nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium, proficiſcitur. *Noſtrum eſt velle*, inquit Auguſt. lib. de bono viduit. cap. 27. *ſed voluntas ipſa movetur, ut ſurgat; & ſanatur, ut valeat; & dilatatur, ut capiat; & impletur ut habeat.* Rurſum emimus ſine argento, quia ſola bona voluntate Deus contentus eſt, ſi per ipſam non ſtet quin deſiderium ſeſe exerat, fundaturque in opus. Si ergo verè ſitiamus, vivam illam aquam dabit nobis, ex qua qui biberit, non ſitiet in æternum; ſcriptum eſt enim: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, Matth. 5. Unde præclarè exclamat Nazianzenus orat. 40. *O ingentem benignitatis celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! Hoc bonum ſolâ voluntate venale tibi proponitur. Sitit ſitiri; cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur; jucundiùs dat, quam alii accipiant.* Denique emitur gratia ſine argento, quia in Sacramentis ex meritis Chriſti infunditur: ergo emitur, cujus pretium eſt ſanguis Salvatoris, & emitur ſine argento, quia propriis meritis non tribuitur, nec debetur. Hauriamus ergo aquas de fontibus Salvatoris; immenſum divinæ bonitatis pelagus ad participandum expanſum; quod omnibus præſto eſt, cum fiducia adeamus, non amaras, vel ſalſas hauſturi maris lymphas, ſed lacteas divinarum mammarum undas potaturi.

Oeconomia & ordo hujus tractationis.

Ubi S. Doctor D. Thomas de Deo-Homine latè diſputavit, & Incarnationis Dominicæ miracula ad miraculum expoſuit, convenienter de Sacramentis novæ legis, quæ idem Angelicus Præceptor in prologo lib. 4. ad Annibald. *dominicæ incarnationis reliquias*, eleganter appellavit, ſermonem inſtituit. Congruebat enim ut poſt præclaras de myſteriis Chriſti, ac potiſſimùm de paſſione ejus diſſertationes, continenti, & non interrupta ſerie de Sacramentis verba faceret, quæ totam hauriunt à paſſione Redemptoris virtutem, quæve è latere Chriſti fluxiſſe jure merito à Patribus dicuntur. Cùm enim Sacramentorum tota quanta eſt efficacitas à meritis Chriſti proficiſcatur, ſpeciali quadam ratione paſſioni Salvatoris aſſeritur, quæ fuit conſummatum meritorum Chriſti complementum. In cujus ſignum (obſervatio eſt S. Thom. *quæſt. 62. art. 5.*) de latere Chriſti in cruce pendentis aqua fluxit & ſanguis; quorum illa ad Baptiſmum, iſta ad Euchariſtiam pertinet, quæ ſunt potiſſima religionis Sacramenta. Virtus itaque paſſionis ſalutiferæ nobis ſuſceptione ſacramentorum quadantenus copulatur: & licèt aliqua ante paſſionis ſacrificium inſtituta inveniantur, ex ea tamen proximè futura virtutem divinitus ſortita ſunt, non ſecus ac antiqui Patres gratiæ fluenta ex agno ab origine mundi occiſo, id eſt paternis Dei oculis præſenti, in anteceſſum ſibi derivarunt. *In ejus cruci gloriamur*, ait S. Cyprianus de baptiſ. Chriſti, *cujus virtus omnia peragit Sacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exſurgit ſublimitas, & profundum, & longè, lateque diffunditur plenitudo gratiarum.* Succinit Bernardus *ſerm. de ablut. pedum*, & *ſerm. de baptiſ. & cœna*, his verbis: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus, & in quem peccatum non cadit? Appropinquans enim paſſioni Dominus de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur.*

Ad cujus majorem lucem ſciendum eſt, quod licèt Sacramenta ad gratiam ſignificandam potiſſimè ſint inſtituta, quod etiam de Sacramento Euchariſtiæ verum eſt, cùm non ſignificet Chriſtum ut in ſe aliquid ſacrum & ſanctum eſt, ſed quà cibus eſt noſter, mediante gratiâ, & ut loquitur S. Thomas, *ſpiritum pinguedine*, animas paſcens & ſaginans; attamen Sacramenta Chriſtiana paſſionem Redemptoris ſpeciali quadam ratione ſignificant, cùm non ſolùm ſigna ſint demonſtrativa gratiæ præſentis, & prognoſtica gloriæ futuræ, ſed etiam præteritæ paſſionis Chriſti

Chriſti rememorativa, ut S. Thomas *art.* 3. egregiè declarat. Etenim Sacramenta novæ legis gratiam non utcunque, ſed ut medicinalem & ſanativam ſignificant, quæ utique ad ſalutem, ut ad finem; ad ſanguinem Chriſti, qui eſt peccatorum medicina, ut ad cauſam effectricem ordinem important. Convenientiſſimè igitur explicato opere redemptionis, traduntur pharmaca criminum, quia non eſſet completum Salvatoris negotium, niſi per eum darentur nobis inſtrumenta ſalutis.

Porrò antequam ſingulares gratiæ cœleſtis canales in ſpeciali aperiat Doctor Sanctus, de Sacramentis generatim diſſerit; quia tamen Sacramentorum conſideratio non ſolùm ſpeculativa eſt, ſed etiam moralis & practica, non minùs quàm medicina; quia ſicut hæc corpus ſanandum, ſic illa animam inſtaurandam intendit; ideo methodum utriuſque ſcientiæ accuratè ſervavit. Speculativa univerſalia contemplatur: moralis & practica niſi individua minutatim expendat, omni fructu caret: illa methodo reſolutionis ab infimis ad ſuprema, ab effectibus ad cauſas, à mediis ad finem aſſurgit; iſta compoſitionis methodo à fine ad media, à principiis per varias concluſiones accedit ad opus. Vtraque via inceſſit S. Doctor; nam & præclaras de Sacramentis veritates contemplatus eſt, & quid in eorum ritibus obſervandum ſit, ſigillatim expoſuit, Angelis ſcalæ Jacob non diſſimilis, quorum alii ad Deum & ſuperiora volabant; alii inſpectis divinis regulis, ad opus exequendum deſcendebant. Illi pro virili parte morem geremus. Et quanvis materia ſacramentalis à b infinitis tractatoribus verſata, exhauſta penè videatur; verumtamen ab ea modulo meo exponenda non deterrebor, quia doctrina S. Thomæ auri fodina eſt altiſſima & inexhauſta. Levium metallorum fructus in ſummo eſt, ajebat Seneca; illa opulentiſſima ſunt, quorum in alto latet vena aſſiduè pleniùs reſponſura fodienti. Doctrinæ, quibus capitur vulgus, tenuem & perfuſoriam habent eruditionem veri ſpecie oblitam; S. Thomæ doctrina alta profunditas eſt, ab antiquis Interpretibus aperta, non exhauſta; & quia ſupra omnium diſcipulorum captum eminet, plura ex ea quotidie eruuntur, ſi non nova, certè novè. Preſſis ergo ab Angelico duce veſtigiis inhærentes, primùm de Sacramentis generatim diſputabimus, quam ut ea ſingulatim expendamus.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis univerſim.

IN multiplici acceptione nomen ſacramenti à variis uſurpatum eſt. Primò ſumebatur olim pro pecunia ſacro in loco depoſita, ſponſione apud Pontificem facta, pactoque inito, pecuniam ei perituram, qui cauſâ tandem caderet, ea tamen lege ut ærario publico appoſita in boni communis utilitatem cederet: videatur de hac acceptione Tullius oratione pro Milone. Secundo adhibetur in jure nomen ſacramenti pro juramento, & re ipſa juramento firmata; unde ſacramenta ſpontè facta inviolabiliter cuſtodiri jura tam religioſè præcipiunt. Tertiò ſignificat in Scripturis ſacramenti nomen rem aliquam occultam & abſconditam, ſive myſterium, juxta illud Tob. 2. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* Et illud Apoſtoli Epheſ. 1. *Vt notum faceret ſacramentum voluntatis ſuæ.* Porrò per myſterium, teſte Chryſoſtomo *homil. 7. in epiſt. 1. ad Cor.* intelligimus arcanum aliquod, quod unis amicis communicamus, quod intus occultamus, quod vulgò non efferimus, quodve explicari omnibus minimè decet, qui ſic ait: *Myſterium appellatur, quoniam non quæ videmus intuemur, ſed alia inſpicimus, & alia credimus. Et quemadmodum pueri cùm libres intuentur, vim literarum minimè intelligunt, neque norunt quæ occulterum ſenſu percipiunt; quin potiùs vel ipſi viro literarum ignaro eadem uſu veniunt; qui verò peritus eſt in literis, atque exercitatus, multam in eis conditam vim, & integras vitas & hiſtorias reperiet: & epiſtolâ quidem acceptâ, literarum expers chartam & atramentum eſſe putabit; at expertus & vocem audiet, & alloquetur abſentem, & quodcunque voluerit, per literas rurſum ſignificabit. Idem quoque in myſterio ſolet accidere: infideles quidem, tametſi audiunt, non tamen audire videntur: fideles verò per ſpiritum experientiam aſſequuti, reconditorum virtutem inveniunt.*

Denique accipitur ſacramentum pro viſibili rei alicujus ſacræ ſigno; & in hac acceptione nomen illud frequentabimus, & reverà coincidit cum nomine myſterii apud Græcos familiari. Per myſteria enim Græci, teſte Hieremia Patriarcha Conſtantinopolitano *cap. 1. cenſuræ*, illud intelligunt, quod in ſignis ſub ſenſum cadentibus effectum habet occultum, ſeu ſignum aſpectabile rerum ſenſibus minimè ſpectabilium, ut quemadmodum homo ex animo inviſibili, & corpore viſibili conſtat; ita quoque myſterium ex rebus partim ſub ſenſum cadentibus, partim oculos fugientibus coaleſcit. Neque valet calumnia Calvini effutientis, nomen illud eſſe peregrinum, & à Theologis confictum: non valet, inquam, ſed hæreticus ignorantiam prodidit ſuam; Apoſtolus enim matrimonium, quo unio Chriſti cum Eccleſia, & Verbi Divini cum humanitate ſignificatur, *Sacramentum magnum* appellat, *Epeſ. 5.* Eo etiam nomine Patres uſi ſunt: Cyprianus lib. *2. epiſt. 72. Eſſe Filii Dei poſſumus, ſi utroque ſacramento naſcamur*, id eſt Baptiſmate & Confirmatione. *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*, inquit Auguſtinus *tract. 8. in Ioan.* Unde licèt nomen illud in Scripturis nequaquam legeretur, meritò tamen adhiberetur, non ſecus ac nomen conſubſtantialitatis, & incarnationis, quod tametſi à ſacris literis non uſurpatum, per venerabilis tamen traditionis uſus conſecravit, quia res nominibus illis ſignificata verbo Dei expreſſa eſt. Cùm ergo rem ſacramenti nomine expreſſam habeamus, id eſt ſacras cæremonias à Chriſto inſtitutas; rem ſacram, id eſt divinam gratiam hominem Deo conſecrantem ſignificantes teneamus: moroſi eſt nomen illud, ad ſignificandum quod intendimus peropportunum repudiare. Plenam porrò Sacramentorum notitiam habuerimus, ſi eorum eſſentiam, neceſſitatem, cauſam & effectus exponamus.

CAPUT I.

Eſſentia, neceſſitas, & cauſa Sacramentorum explicantur.

EXiſtentiam Sacramentorum probaverimus, quando eorum fuerit neceſſitas demonſtrata: ſuavis namque divini Numinis providentia neceſſaria nulla ſubtrahit, quæ multa aſſolet etiam ad ornatum & delitias effundere. Et quanvis in ſcientiis exiſtentia objecti ſupponatur, vel priùs demonſtretur, quàm ejus eſſentia declaretur; in ſcientia tamen ſupernaturali (qualem eſſe Theologiam alibi oſtendimus) priùs debet objecti ſupernaturalis natura deſcribi, ut cognitâ ejus eſſentiâ, faciliùs & ſuaviùs in ejuſdem exiſtentiæ perſuaſionem manuducamur. Proclive enim eſt arcani cujuſvis quàmlibet naturalem ordinem excedentis exiſtentiam credere, vel ſaltem non inficiari, cujus eſſentiam non modò non repugnare, ſed convenientiis aptiſſimis adornari, & muniri cognoverimus.

SPECULATIO I.

Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, conſtans rebus & verbis determinatis, iiſque immutabilibus.

EXplicatis ſingulis hujus ſpeculationis partibus, eſſentia ſacramenti, in quo ſita ſit, liquidò clarebit: plurimarum etiam de eſſentia ſacramentorum metaphyſicarum & ſpinis obſitarum quæſtionum, quibus moralis hæc materia à Recentioribus ſepitur, reſolutio veluti ſponte ſua fluet, & præciſo importunarum tricarum circuitu pellucidè conſtabit.

In primis Sacramentum dicitur ſignum, propter habitudinem, quam cæremonia divinitus inſtituta ad rem ſacram importat. Illa autem habitudo non poteſt eſſe niſi ſigni, & non cauſæ, ſive materialis, cùm res illa in ſacramento adhibita non ſit ſubjectum ſanctitatis; ſive formalis, cùm non ſit forma ſanctitatis; ſive finalis, cùm potiùs ſacramentum medium ſit ad efficiendam ſanctitatem inſtitutum; ſive efficiens, quia in veteri lege vera erant inſtituta Sacramenta, quæ tamen gratiam minimè efficiebant. Ergo habitudo ſacramenti ad rem ſacram eſt tantum ordo & relatio ſigni. Accedit, quod Sacramentum eſt eſſentialiter aliquid ſenſibile, cùm ſit externa veræ Religionis proteſtatio: ſi autem ſacramentum non aliam ad rem ſacram, quàm cauſæ habitudinem importaret, non per ſe peteret aliquid ſenſibile, cùm cauſa inſtrumentalis ſanctitatis æquè poſſit eſſe ſpiritalis & inviſibilis, ac corporea & ſenſibilis. Ergo ſacramentum eſt ſignum rei ſacræ.

Secundò, dicitur ſacramentum ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos, id eſt gratiæ habitualis. Neque enim ſufficit, ſicut Cano, Bellarminus, & Suarez arbitrati ſunt, ut ſit ſignum cujuſvis ſanctitatis, putà legalis, alioquin aqua luſtralis, ſuſceptio ſtatus Eccleſiaſtici, aut Regularis forent ſacramenta, cùm conſerant aliquam conſecrationem, & divino cultui ſanctitatem legalem longè excedentem, addicant ſuſceptores. Unde Tridentinum *ſeſſ. 1. cap.* 3. approbat illam definitionem, *Sacramentum eſt inviſibilis gratia viſibilis forma.* Gratia autem inviſibilis non eſt alia, quàm gratia habitualis.

Tertiò dicitur ſacramenta conſtare verbis & rebus; quod de ſacramentis novæ legis intelligendum præmonemus: id enim non exigit generalis ſacramenti notio; ſiquidem ſacramenta veteris legis, quæ veram ſacramenti rationem obtinebant, abſque verborum prolatione conficiebantur. Unde *Geneſ. 17.* ritus Circumciſionis, & *Exod. 12.* cæremonia Agni Paſchalis, & *Levitici* 8. ordinatio Sacerdotum ſine ulla verborum forma præſcribuntur. Et ratio etiam id ſuadet, quia in ſola re ſenſibili ſine verbis miniſtrata ſalvatur & natura, & definitio ſacramenti; cùm quælibet res ſenſibilis, Deo benè volente ad gratiam effundendam inſtituta, rem ſacram, nullis adhibitis verbis ſignificaret. Quod autem omnia novæ legis ſacramenta rebus unà & verbis conſtent.

Probatur contra Durandum. Tum ex Concilio Florentino in decreto fidei affirmante, cuncta novæ legis ſacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſonâ miniſtri verba proferentis. Tum inductione per omnia ſacramenta facta. In omnibus Sacramentis verba & res invenire eſt: in Baptiſmo quidem mundatur fidelis lavacro aquæ in verbo vitæ, ut *Epheſ.* 5. Apoſtolus ait. Idem quoque manifeſtiſſimum eſt de Confirmatione, Euchariſtia, Extrema unctione & Ordine, ut palam erit cùm de illis ſingulatim Sacramentis agemus. De Pœnitentia verò & Matrimonio, in quibus major eſt difficultas, idem ſuadetur, & ſimul occupantur Durandi argumenta. Et primò quidem pœnitentiam conſtare verbis, ex forma abſolutionis à Sacerdote prolata perſpicuum eſt, colligiturque ex illo Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ubi Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus judiciaria traditur ſolvendi, ligandique poteſtas, utique verbis proferenda. Materia autem hujus ſacramenti ſunt actus pœnitentis confeſſione expreſſi, ut fuſiùs, & juxtà opportuniùs, dum de pœnitentia diſſeremus. Idem denique de matrimonio comprobatur; licèt enim ad illud non requirantur verba ſimpliciter, id eſt ore prolata, cùm matrimonium à mutis contrahi validè poſſit; requiritur tamen aliquid quod vices verborum gerat, quales ſunt nutus, vel ſcripta, quibus contractus ſignificatio perficitur: res verò hujus ſacramenti ſunt ipſi contrahentes corpora mutuo tradentes conſenſu, qui quidem conſenſus conjugalis prout corpus tradit, materiam ſubminiſtrat; prout verò eſt oblati corporis acceptatio, formam præbet. Idque in omnibus relationibus mutuis clarum eſt, relativum à correlativo ſpeciem ſortiri, eique viciſſim ſpeciem ſub diverſa ratione donare: ſic paternitas qua filiationem inſpicit, ſpecificatur; ut verò filiationem terminat, ſpeciem filiationi veluti naturali reſtitutione largitur.

Ratio verò conveniens hujoſce veritatis ex ſacramentorum novæ legis præcellentia petenda eſt; cùm enim ſacramenta chriſtiana perfectiſſima ſint, decet ea perfectiſſimum ſignificandi modum ſortiri: verba autem longè perfectiùs & limpidiùs ſignificant, quàm res ſenſibiles, de ſe ad aliud quodvis extra ſe ſignificandum indifferentes. Et certè niſi hoc novæ legis ſacramentis privilegium aſſeramus, non præſtabunt veteris legis ſacramentis, quæ ſubobſcura duntaxat ſigna erant, gratiam novi Teſtamenti muſſitantia potiùs quàm loquentia, eamque magis adumbrantia, quàm ſignificantia. Ergo ſicut excellentior & præſtantior vis novæ legis ſacramentis ineſt, ita nobilior eis congruit ſignificandi modus, qui verbis rem apertiùs indicantibus habetur. Verba enim, ut Auguſtinus tradit, ſignificandi principatum inter homines obtinuerunt.

Quartò addidimus, verba & res, quibus ſacramenta conſtant, eſſe determinata & immutabilia. Quod quidem ex perenni Eccleſiæ traditione conſtat, quæ omnis in materia ſacramentorum novitatis fuit impatiens. Et ratio hujus à priori in ſequentibus fuſiùs exponetur, quia nimirum cùm inſtituendorum ſacramentorum poteſtas uni Chriſto ſit eximia, præſcriptas à Salvatore materias & formas nulli licet immutare: & ſicut Eccleſia nova dogmata cudere nequit, ſed tradita duntaxat interpretari; ita nova ſacramenta condere, novas materias & formas, in quibus ſacramenti eſſentia ſita eſt, adinvenire ſibi nunquam aſſumpſit, ſed ſacramentalia duntaxat inſtituere, & ſacros ritus, ſalvis materià & forma, adornare. Certè ſicut res ſenſibiles à ſolo Deo poſſunt ad gratiam conferendam evehi, ita ad illum pertinet res illas ſeligere, quibus gratia conferatur.

Unde ſequitur, graviter illum peccaturum, non ſolùm qui verba corrumperet, ſed etiam qui prætermiſſis conſuetis Eccleſiæ Catholicæ verbis, æquivalentibus uteretur; quia gravis adeo res cuilibet arbitrio non permittitur, nec poteſt præceptum Eccleſiæ, cui omnes ſubjici par eſt, in re adeo momentoſa citra culpam violari. Nulli tamen dubium eſt, quin verbis æquipollentibus validè ſacramenta conficiantur, cùm in omnibus linguis validè celebrentur, & tunc ſolùm eſſentialis verbis mutatio contingat, cùm naturalis eorum ſenſus pervertitur; non cum integer perſeverat. Immò concedit D. Thomas, verba ex loquentis imperitia malè prolata verè conficere ſacramenta; quia licet ex inſtitutione nihil ſignificent, ex uſus tamen accom-

accommodationem & ſignificantia accipiuntur. Unde Papa Zacharias illius ignari Sacerdotis formam eſſe legitimam declaravit, qui *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta* baptizarat. Porrò idem Pontifex advertit, verba illa continere formam, quia fuerunt ex ignorantia prolata. Unde qui callens linguam Latinam advertenter ſic verba proferret, non videretur practicè illud intendere, quod Chriſtus inſtituit, utpote ſpontè verba illa eligens, quibus nullam de ſe ſignificandi vim ineſſe apprimè ſciret. Quare in ignaris dumtaxat & balbis tolerabilis eſt hujuſmodi forma, quia non ita verba corrumpuntur, quin dent locum uſui & accommodationi intelligentium.

Idem proportione ſervatâ, de additione verborum, judicium ferendum eſt; ſi enim verus ſacrorum verborum uſus & ſenſus hoc additamento non auferatur, peccaret quidem qui privata auctoritate quidpiam addere præſumeret, puta ſi in nomine Patris omnipotentis, & Filii ſapientis, & Spiritus ſancti conſolatoris baptizaret; ſacramentum tamen validè conficeret. Si autem additus ſenſum vel naturalem, vel catholicum corrumperet, utique ſacramentum irritum foret, & nullum, ut ſi quis in nomine Patris majoris, & Filii minoris, ſenſu Ariano baptizaret. Si verò quidpiam aliud adjiceretur, putà in nomine B. Virginis vel Sanctorum, dicitur communiter cum S. Thoma, quod ſi miniſter qu æternitatem perſonarum invehere intenderet, vel Baptiſmati virtutem & authoritatem Sanctis peræque ac Deo aſſerere non dubitaret, invalidum utique & ſacrilegum baptiſma celebraret: ſecus ſi ex levitate, vel devotione ea duntaxat ſuperadderet, quia tunc eſſentiæ formæ nihil hujuſmodi additamentum incommodaret. Quod de verborum additione diximus, de eorumdem detractione peræquè dicendum, niſi quod longè faciliùs adjectione verborum, quàm diminutione ſenſus ſalvus & integer conſiſtit. Idem pariter de verborum tranſpoſitione & ſitu cenſendum; idemque ferè judicandum de interruptione: neceſſe eſt enim ut talis ſit, quæ nec proferentis intentionem, nec genuinum verborum ſenſum ſecundùm moralem prudentum æſtimationem auferat.

Objectis contra ſingulas partes militantibus occurritur, variaque dubia incidentia occupantur.

Objicies 1. contra primam partem: Sacramentum ſignum dici non poteſt, ſive naturale, ſive ad placitum; non quidem ſignum naturale: naturæ enim aquæ per ſe non convenit internam animi munditiam repræſentare; nec etiam ad placitum, ſignum enim ex inſtituto, ſive ad placitum, non eſt quid reale, ſed merum ens rationis, ſi vera eſt Thomiſtarum Philoſophia. quid verò abſurdius, quid inſulſum magis, quam ſacramenta, quibus nihil in tota Religione auguſtius, per ens rationis, quo nihil inanius eſſe, vel excogitari poteſt, conſtituere?

Reſpondeo ſacramenta eſſe ſigna ad placitum Chriſti inſtituta, nec propterea ſequi, ſacramenta eſſe mera entia rationis. Sacramentum enim, ſicut omne aliud nomen concretum, duo ſignificat, materiale & formale: putà nomen cæcus de materiali animal, de formali privationem viſus importat: ſic ergo ſignificatum materiale nominis ſacramenti eſt ſacra cæremonia à Chriſto inſtituta; ſignificatum verò formale eſt habitudo ſigni ad animæ ſanctitatem; quæ habitudo cum ex libera Chriſti voluntate pendeat, quid reale eſſe non poteſt. Nec ſequitur, quod ſuſcipiens ſacramentum recipiat ens rationis, quia ſacramentum pro ſignificato materiali in communi loquendi uſu ſupponit: unde ſicut non dicitur, Cæcus eſt privatio, album eſt accidens, cathedra eſt figura; ſed dicitur, cæcus eſt homo, album eſt ſubſtantia, cathedra eſt lignum: ita non rectè dicitur, Sacramentum eſt ens rationis, cum id ſupponat pro materiali, quod reale, imò ſenſibile eſſe certiſſimum eſt. His adde, Sacramenta ex vi inſtitutionis eam habere ſignificationem, quæ moraliter, nemine cogitante perſeverare cenſetur, ſicut eodem modo vocibus ſemel inſtitutis, & uſu receptis vis ſignificandi moraliter, & jugiter ineſt. Unde qui recipit ſacramentum, non recipit ens rationis, præſertim in nova lege, ubi Sacramenta non ſignificant modò, ſed & gratiam efficienter infundunt.

Objicies 2. contra ſecundam partem: Quod conſtituit eſſentiam ſacramenti, non debet aliis à ſacramento eſſe commune; cùm juxta tritam Dialecticæ regulam, definitio omni, ſolique definito conveniat. Atqui eſſe ſignum rei ſacræ convenit ſacrificio, quod utique ad fidelium ſanctificationem ordinatur; convenit ſacramentalibus, cruci, ſacris imaginibus, aliiſque res ſacras ſignificantibus, ipſis potiſſimùm verbis Salvatoris, quibus peccata remittebat, & cœleſtem gratiæ medicinam inſtillabat. Ergo non eſt accurata ſacramenti definitio à nobis explicata.

Reſponſioni præmitto, ſacramentum ſignificare gratiam, non utcumque, ſed practicè, id eſt in actuali ſacramenti ſuſceptione percipiendam; quod utriuſque legis ſacramentis commune eſt, nam etiam veteris Teſtamenti ſacramentis ritè perceptis permovebatur Deus ad gratiam non ponentibus obicem impertiendam. Unde ſicut veſtimentum dicitur quo veſtimur, ornamentum quo ornamur, ita ſacramentum dicitur quo ſacramur, quòve nobis aliquid ſacrum intus datur, intus infunditur per Spiritum Sanctum, qui in ſacramentis nobis datur.

Præmitto rurſum, ſacramentum eſſentialiter eſſe ſignum ſenſibile, publicum, & ſolenne; cùm enim ſacramentum debeat eſſe ſignum humanum, neceſſe eſt ut hominis naturæ accommodetur: homo autem eſt ita comparatus, ut nequeat ad ſpiritalia niſi per ſenſibilia manuduci; maximè quia cùm teſte Auguſtino *lib. 9. contra Fauſt. cap.* 11. ſacramenta ſint ſigna, quibus in unum Religionis nomen fideles colligantur, neceſſe eſt, ut ſint ſigna viſibilia, propalam, ſolenniter & aſpectabiliter celebrata. Debent etiam eſſe permanenter inſtituta, ſeu ſtabili & immutabili lege ſancita, ſicut invariabilis eſt Religio, in qua Chriſtiani hujuſmodi ſignis aduoantur. Signum porrò humanum, teſte Auguſtino *lib. 1. de doctrin. chriſt.* illud eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. Et hoc ita verum eſt, ut meritò dixerit Joannes à S. Thoma contra Sotum & Vaſquem, quos ſequitur Joannes Baptiſta Gonetus, non potuiſſe à Deo inſtitui ſacramenta ex rebus inſenſibilibus; quia licet Deus poſſit actum internum & merè ſpiritalem ad producendam inſtrumentaliter gratiam evehere, ille tamen internus actus non erit ſacramentum, quia non erit viſibile ſignum, cujus viſibili & patenti conſortio in commune Religionis nomen homines coadunentur; nec etiam Angeli, quia ſacramentum debet poſſe recipi ab omnibus qui eandem religionem profitentur; actus autem vitalis & immanens, qui non tranſit de ſubiecto in ſubjectum, nulla poteſt ratione ab aliis recipi. Nec poteſt in illo materia, forma, & miniſter, quod in omnibus ſacramentis eſſentialiter exigitur, inveniri. His præmiſſis,

Reſpondeo omnia veteris legis ſacrificia non fuiſſe ſacramenta, quia etſi gratiam vel poſtularent, vel à Chriſto donandam præſignarent, eam tamen practicè minimè conferebant. Fateor tamen ita interdum ſacramentum & ſacrificium convenire, ut eadem res ſacramentum unà & ſacrificium eſſe poſſit, ut patet in Euchariſtia,

& in Agno Paſchali ejus figura. Cum his tamen ſtat, hanc geminam ſacramenti, ſacrificiique rationem eidem rei materiali obvenientem formaliter & eſſentialiter eſſe diverſam ; ſacrificium namque immediatè & per ſe ad Dei cultum refertur, unde res oblata deſtruitur, & Deo authori vitæ & necis in ſignum ſupremi dominii & ſupereminentis præcellentiæ immolatur. Sacramentum verò per ſe ad ſuſcipientium ſanctimoniam vel infundendam, vel augendam ordinatur. Quam diſcriminis rationem compendiosè D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 101. *art.* 4. expreſſit, dicens : *Sacrificia ad cultum Dei, ſacramenta ad ſanctificandum Dei cultores referuntur.*

Ex quibus ſine negotio aliis exemplis ſatisfit, ſacri enim ritus, religioſæ imagines, aqua benedicta, aliaque hujuſmodi devotionem quidem excitare nata ſunt, & aliquid ſacrum repræſentant ; gratiam tamen non infundunt, unde ſacramentis acceſſeri nequaquam poſſunt. Verba porrò, & opera Servatoris, tametſi gratiam profunderent, quia virtus ex illo exibat, & ſi prophani elegantibus verbis chriſtianè uti liceat, quaſi plenus rimarum hac atque illac perfluebat : attamen verba illa æternæ vitæ, benefica ille opera ſpiritalem undique diſtillantia medicinam ſacramenta non erant, quia non fuerant ad gratiam permanenter effundendam inſtituta.

Objicies 3. contra tertiam partem : Quod diximus, ſacramenta conſtare rebus una & verbis, intellectu eſt perdifficile ; ſi enim res ſenſibilis & verba prolata unum intrinſecè componant ſacramentum, utique ſimul utraque eſſe neceſſe eſt, ut poſſint in compoſitionem venire ; & tamen in ſacramento Baptiſmi & ablutio verba, & verba viciſſim ablutionem præcedere poſſunt : ergo res & verba non ſunt eſſentiales ſacramenti partes.

Reſpondeo fatendo res ſenſibiles & verba rationem partium intrinſecarum iis in ſacramentis obtinere, quæ in uſu conſiſtunt. Tum quia res & verba ſe habent tanquam materia & forma ſacri illius compoſiti divinâ arte inſtituti, quatenus ſignificatio, quæ in rebus ſenſibilibus eſt magis indifferens, ſubindeque materiæ aſſimilatur, verbis expreſſè & diſtinctè determinatur, quæ proinde rationem & officium formæ implent. Tum quia ad rem ſacram, quam impertiunt, ſignificandam ambo concurrunt. Si enim res ſenſibiles in veteri lege inſtitutæ aliquid ſacrum ſignificabant, quidni idem competet rebus ſenſibilibus nova in lege à Sapientia Incarnata aptiſſimè deſignatis. Unde videmus Chriſtum ſacramentorum authorem res eas elegiſſe, quæ rei ſignificatæ ſimilitudinem referrent, ſicut v. g. aquæ ablutio corporis maculas abſtergens, ad cordis munditiem, peccatorumque remiſſionem peropportunè aſſumpta eſt. Quod & in aliis ſacramentorum materiis clarere ſuis in locis declarabitur. Tum denique, quia ſicut res & verba à Deo aſſumuntur, ut ſint gratiæ concauſæ ; ita & uniuntur ut unum ſignum efficiant, unumque integrent ſacramentum.

Nec obeſt objectio facta, quia ut res & verba per modum materiæ & formæ in Sacramentis copulentur, ſufficit moralis utriuſque ſimultas. Modò ergo non ſit notabilis interpolatio, ſed ſecundum moralem prudentum æſtimationem verba rebus applicari cenſeantur, reſultabit ſi non phyſica & realis, certè moralis compoſitio, quæ ad rationem ſigni ad placitum abundè ſufficit. Adde, quod in entibus ſucceſſivis, quæve in actione & uſu conſiſtunt, partes per hoc ſufficienter uniuntur, quod ſibi immediatè ſuccedunt : ablutio autem, & verborum prolatio ſunt entia ſucceſſiva, ut nulli non compertum eſt.

Dixi, *in ſacramentis quæ conſiſtunt in uſu*, ut exciperem Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, non in actione tranſeunte, ſed in re permanenti ſitum. Unde peculiare eſt huic ſacramento, ut materia & forma non ſint intrinſecæ illius partes, niſi in fieri ; quia in facto eſſe, dum gratia infunditur, ſacramentumque ſacra communione percipitur, verba dudum tranſierunt ; unde non poſſunt cum ſpeciebus Euchariſticis ad modum partium intrinſecarum integrare ſacramentum permanens ; ex eo enim, quod tranſit & non eſt, cum eo quod eſt, fieri unum, & permanenter unum, nec dici, nec intelligi poteſt. Nec placet, quod ajunt nonnulli, verba præterita in determinatione paſſiva ſpecierum ſacramentalium permanere, utpote quæ ex vi eorum remanent determinatæ & modificatæ ad Corpus & Sanguinem Chriſti per modum cibi & potus ſenſibiliter ſignificandum. Non placet, inquam : tum quia fictitius videtur modus ullus ex verbis in ſpeciebus relictus ; quid enim faciunt aliud conſecrationis verba, quàm ſubſtantiam panis in corpus Chriſti ex vi eorum realiter præſentis tranſmutare ? Sanè nihil ſpeciebus accidentalibus & ſenſibilibus verba imprimunt, ſed potiùs connaturale earum ſubjectum ſubtrahunt, Deo orbitatem ſubjecti omnipotentiâ ſuâ ſupplente, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ. Tum quia modus ille commentitius gratis conceſſus, non eſt ad conſtituendum ſacramentum idoneus, cùm ſacramentum ſit eſſentialiter ſignum ſenſibile ; modus autem ille nullo ſenſu percipitur, & vix ab intellectu intelligitur. Tum demùm eo adhuc gratis admiſſo, quid inde inferre poſſunt adverſarii, quam Sacramentum Euchariſtiæ in facto eſſe ex ſpeciebus & modo illo compoſitum ? Sed nunquam evincent ex rebus permanentibus, & verbis dudum præteritis conſtare. Quamobrem ut generalis doctrina à Sancto Thoma ſtabilita, & à Concilio Florentino firmata, aſſerens ſacramenta cuncta novæ legis ex verbis unà & rebus coaleſcere, vere probetur, ſatis eſt Sacramentum Euchariſtiæ in ſuo fieri, id eſt in actuali materiæ conſecratione, intrinſecè rebus & verbis, ſicut alia ſacramenta conſtare.

Difficilis contra ultimam partem objectio proponitur, & ſolvitur ; magiſque Sacramentorum immutabilitas ſtabilitur.

Objicies tandem contra ultimam partem aſſirmantem ſacramenta novæ legis rebus & verbis perenni à Chriſto lege ſtatutis, iiſque immutabilibus conſtare. Videmus materias & formas ſacramentorum reapſe in Eccleſia mutari, vel certè mutationi eſſe obnoxias ; idque in omnibus ſacramentis cernere eſt. Etenim Eccleſia Græca in baptiſmate conferendo perſonam miniſtri baptizantis, ſicut Latina non exprimit, ſed hanc adhibet formam : *Baptizetur ſervus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Similiter ejuſdem Eccleſiæ Græcæ uſus ab Eccleſia Latina multoties comprobatus eſt, quo abſolutio in ſacramento Pœnitentiæ per formam deprecativam impenditur, ut ex Græcorum Orthodoxorum Euchologiis clariſſimum eſt. In Ordinationibus etiam Græcorum cùm promovetur Sacerdos, nullus porrigitur calix cum patena, nec illa à Latinis Epiſcopis proferri ſolita forma uſurpatur, quæ ſic habet : *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium* ; ſed manus duntaxat cum pallio ab Antiſtite Græco imponitur Diacono, cum his verbis deprecatoriis : *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo ut veniat ſuper eum gratia ſanctiſſimi Spiritus.* Quâ ferè forma utuntur, dum Subdiaconum ad Diaconatum evehunt, nec ulla Evangeliorum traditione utuntur, ſolâ manuum impoſitione contenti.

Forma quoque conſecrationis Calicis longo illo verborum tractu caret, qui in Eccleſia Latina

ſolennis

ſolenne eſt. Denique mataria ſacramanti Matrimonii in ipſa Eccleſia Latina mutata eſt: ſacrum enim Tridentinum Concilium ſtatuit conſenſum partium verbis, valaliter expreſſum, qui una erat olim hujus Sacramenti mataria, ad matrimonium non ſufficera, niſi coram Parocho & duobus teſtibus declaretur. Ergo fatendum omninò videtur, reſidere in Eccleſia mutandarum, augeodatum, minuendarumva materiarum & formarum ſacramentalium divinitùe conceſſam facultatem. Alioquin, quod cogitatu horrendum eſt, Eccleſia Græca, etiam illa quæ cum Latina communicat, nullos Sacerdotee, nullos Epiſcopoe, nullos Miniſtroe, nulla Sacramenta haberet. Et quod adhuc dictu horribilius eſt, omnes Oriantis Orthodoxi per tot ſæculorum curricula ab Eccleſia Romana omnium magiſtra deluſi eſſent, quippe quæ & Græcorum Catholicorum ritus, & ordinationum praxee nadum poſt accuratum examen probavit, ſed ad aoe etiam in propriie Eccleſiie ſervandos ſub lethalis pœna criminis diſtrictè præcepit. Imò diu apud Latinoe ordinandis ad Diaconatum, vel Presbyteratum nihil traditum, aut porrectum fuiſſe, ſed ſolae manue impoſitae fuiſſe, viri eruditiſſimi tradunt. Præſertim ſi veræ ſunt Joannie Morini Illuſtriſſimæ Congregationie Oratorii ornamanti conjecturæ, quibue perſuaſue contendit, annie plus quàm octingentie nullam in ordinandie Diaconie, vel Sacerdotibus inſtrumentorum traditionem viguiſſe.

Quorum omnium ratio à priori eſſe poteſt, quia Chriſtue in cœlum aſcendene reliquit Apoſtoloe & Eccleſiæ Prælatoe, in Cocilus præſertim œcumenicie congregatos, ipſumque præ cæterie Eccleſiæ Catholicæ Primatem Romanum Antiſtitem, ſuæ poteſtatis Vicatios; unde & amplam, & illimitatam ligandi ſolvendique facultatem abſque reſtrictione eie largitue eſt. Hinc Apoſtolus 2. Cor. 2. *Nam ego*, inquit, *quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*, id eſt, ac ſi Chriſtue ipſe donaſſet. At Vicariue in abſentia ajue, cujus vices gerit, ea poteſt quæ poſſet ſupremue Dominus, ſi adeſſet. Ergo Eccleſiæ abſente Chriſto, inſtituendorum, mutandorumve ſacramentorum facultas inaſt. Hac de cauſa Saoctue Cyprianue *ſerm. de lotione pedum*, dixit, Chriſtum inſtituiſſe Euchariſtiam, & in cæterie habere homines *Spiritum* ſanctum.

Reſpondeo, hac difficultate victoe multos Theologos in varia placita abiiſſe, & circa ordinationem præſertim Diaconi & Praebyteri, varia & pugnantia ſenſiſſe. Porrò antequam ad ſingularia deſcendamus, non eſt contemnenda generalis eorum teſponſio, qui dicunt, Chriſtum Dominum materiam & formam omnium ſacramentorum veluti, genericè, ſed non ſpecificè determinaſſe. Id eſt, ſancivit Chriſtus ut loco materiæ adhibetetur ſignum aliquod ſenſibile ad gratiam ſacramentalem ſignificandum idoneum; & loco formæ varba illa uſurparentur, quæ effectum ſacramenti opportunè explicarent. Quibue autem rebus, quibuſve ſingulatim verbie itendum foret, non præfinivit, ſed Eccleſiæ ſuæ à Spiritu ſaocto regendæ judicio, & prudentiæ permiſit.

Itaque ut ad ſingula raſpondaamus, licèt ſit diverſitas materialie in forma Baptiſmi, Pœnitentiæ, conſecrationis calicis, & ordinationis Græcorum Latinæ Eccleſiæ totidem verba non adhibentium; unitatem tamen formalem, quæ nimirum ad aundem effectum ſignificandum, cauſandumque ordinatur, utraque Eccleſia petæquè retinet.

Verùm quia in Sacramento Ordinie major videtur eſſe diverſitae, majorque proinde inde enaſcitur difficultas, ideo operoſiùs de illo agete non erit inutile. Inprimis autem nemo niſi doctrinæ Eccleſiaſticæ prorſue ignarue negaverit, Eccleſiam ubique & ſemper impoſitionem manuum ad ordinationem Diaconorum, & Sacerdotum deſideraſſe; adeoque deſideraſſe, ut in antiquiorum Patrum, Cnnciliorumve monimentis vix, ac ne vix quidem ullum traditionis inſtrumentorum veſtigium appareat, uniuſque manuum impoſitionie memoria habeatur. Quin & ipſæ ſacræ literæ, dum de ſacris ordinationibue ſermonem habent, uniue manuum impoſitionie meminerunt, ut *Actorum 6. & 14. & 1. Timoth.* 1. perſpicuum eſt. Hujue rei gratià ſacrum Tridantinum Concilium *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ait: *Sacerdotem ritè ordinari per manus impoſitionem.* Et *ſeſſ.* 23. *can.* 4. anathemate percellit eoe, qui dicunt per ſactam ordinationem non dari Spiritum ſanctom, & fruſtra Epiſcopum dicere: *Accipite Spiritum ſanctum.* Verba autem illa profert Epiſcopus, dum manus imponit: atgo cenſet ſancta Synodue per manue impoſitionem conferri gratiam ſacramentalem, juxta illud Ambroſii de dignitate Sacerdotum cap. 5. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam.* Et illud etiam D. Thom. quæſt. 37. ſupplementi, art. 5. *Per manus impoſitionem datur plenitudo gratiæ, per quam Miniſtri ad magna officia ſint idonei; & ideo ſolis Diaconibus & Sacerdotibus fit manus impoſitio, quia eis competit diſpenſatio ſacramentorum.*

Deinde certum eſt, etiam Græcos Sacerdotes per ſolam manuum impoſitionem ordinatos eſſa veroe & legitimoe Preebyteros, ut rectè probat objectio: poteſtque confirmari, tum quia clerici Græci à ſchiſmate ad gremium Catholicæ Eccleſiæ reverſi, tametſi ab Epiſcopis ſchiſmaticis ritu Græco ordinati, ad ſacra miniſteria citra ullam ordinationem, vel ordinationie iterationam admittuntur. Tum quia Romani Pontificas Lao IX. Cœleſtinus III. Innocentius III. Concilium Lateraoenſe IV. Gregorius X. Concilium Lugdunanſe, & tandem Concilium Florentinum, poſt tota accurationa examinatos annum integrum ritus Græcos, Orientalie Eccleſiæ ordinationee ſola manuum impoſitione peractae probarunt. Quin Clemens VIII. Romæ excipieodis clericis Græcie Collegium à fundamentis inſigni liberalitate etexit, ut inibi more Græco ſacra fierent, & ſpeciali Coaſtitutione, quæ eſt in Bullario 34. ut Romæ Epiſcopue Græcus, iſque Catholicue commoraretur, edixit, qui Græcos idoneos græcanico ritu ordinaret.

Ex quibue liquidum eſt, manus impoſitionem non eſſe nudam & accidentalem cæremoniam; apartè namque repugnat ritu merè accidentali ſacramenti eſſentiam conſtitui, & Eccleſiæ Dei miniſtros ritè ordinari. Certè cùm teſte Apoſtolo 1. *Timoth.* 4. & 2 *Timoth.* 1. per manuum impoſitionem gratia conferatur, manifeſtum eſt, manuum impoſitionem pertinere ad eſſentiam ſacramenti, cùm ſacramentum nihil aliud ſit, quàm ritus ſacer & ſenſibilis, cui annexa eſt divinæ gratiæ promiſſio. Innumara proferri poſſent Conciliorum, Pontificum, & Patrum teſtimonia, quibue apertè docent, gratiam manuum impoſitiooe infundi. Narrae etiam Metaphraſtee in vita Chryſoſtomi, quod cùm Flavianus Epiſcopus Antiochenus Chryſoſtomum in Presbytatum ordinaret, lapſam eſſe in caput Joannis columbam, dum manuee i Epiſcopus imponerat, quo ſignificaretor, in ea cæremoria dari Spiritum ſanctum, qui in forma columbæ tunc viſibiliter deſcenderat. Quin etiam in Ecclaſia Africana, quæ Latinæ Eccleſiæ portio eſt, ſola manuum impoſitione Diaconi, Preebyteri, & Epiſcopi ordinabantur, ut vidara aſt in Concilio Carthaginenſi IV. à canone ſecundo uſque ad octavum inclnſivè. Nec poteſt dici, Concilium illud impoſitionie quidem ſolius meminiſſe, porrectionem taman inſtrumantorum non excluſiſſe; neque enim Patree & Cooncilia libros rituales ſcripſerunt, ſed multa in Eccleſia fieri ſolita ſuppoſueruot. Non, inquam, id dici poteſt: nam poſtquam Coocilium Carthaginenſe *can.* 2. 3. & 4. dixit Epiſcopum, Presbyterum, & Dia-

& Diaconum eſſe manuum impoſitione ordinandum, *canone 5. & 8.* de Subdiacono ait: *Quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum.* Quaſi diceret, eos qui manus impoſitione ordinantur, non indigere porrectione inſtrumentorum, ſed eos duntaxat, quibus manus non imponuntur.

Verùm cum aliunde ex praxi Eccleſiæ Catholicæ columnæ veritatis, & quæ nullum circa fidem pati poteſt defectum, ut S. Bernardus ait; & ex decreto Eugenii IV. approbante ſacro Florentino Concilio, edito conſtet, *Ordinis materiam eſſe illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus per libri Evangeliorum dationem, & formam Sacerdotii eſſe talem: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia, &c.* cùm, inquam, id conſtet, ut ſolidè Eccleſia Græca cum Latina, imò & Latina cum ſeipſa concilietur, neceſſariò fatendum reor, Chriſtum Dominum ad ſacras ordinationes manuum impoſitionem eſſentialiter pertinere voluiſſe, tanquam materiam indiſpenſabilem, ab utraque Eccleſia neceſſariò adhibendam. Fatendum rurſus, Chriſtum poteſtatem Eccleſiæ contuliſſe determinandi in ſpeciali certum, fixumque modum, quo ſpecialiùs connotetur poteſtas Miniſtris in ſingulis Ordinibus collata; quem modum Eccleſia immutare, augere, minuere pro ſua prudentia poſſit. Qua de cauſa Eccleſia Latina ritu dudum vigente, ut patet ex libello Alcuini Caroli Magni Præceptoris, de Ordine Romano edito, inſtrumentorum traditionem ad ſignificandam conceſſam ordinandis poteſtatem, peridoneam deſignavit. Quia ut dictum eſt, etſi Chriſtus formas & materias ſacramentorum ſecundùm rationem genericam, vel ut alii dicunt, formalem inſtituerit; materiam tamen & formam ſecundùm ſpecificam, vel ut alii loquuntur materialem minime determinavit, ſed ea omnia judicio Eccleſiæ à Spiritu ſancto gubernandæ permiſit. Certè niſi hac neceſſaria diſtinctione uteremur, vix ſalvare poſſemus, non eſſe immutatam Diaconatus materiam. Cùm enim initio naſcentis Eccleſiæ nullus eſſet conſcriptus Evangeliorum liber, primus namque à Matthæo prodiit anno Chriſti *41.* vel ut aliis placet, anno 60. & aliunde notum ſit plures longè antè Diaconos fuiſſe ab Apoſtolis manuum impoſitione ordinatos, fateamur neceſſum eſt, ſacramentorum ſpecificas & materiales rationes ac Eccleſia determinandas Salvatorem reliquiſſe.

Ex quibus inſtantiæ à materia matrimonii petitæ ſine negotio ſatisfactum manet, ſi addas ſolùm, Chriſtum contuliſſe Eccleſiæ ſuæ poteſtatem apponendi rei ſacramentariæ conditiones, ſine quibus non erit unquam peragendi ſacramenti exiſtentia. Unde licèt ad valorem matrimonii ſufficeret ante Tridentinum clandeſtina partium conſenſio, jam tamen nulla eſt; ſicut è contra in multis caſibus non ſufficiebat olim mutuus partium conſenſus propter multa impedimenta dirimentia, quæ Lateranenſe & Tridentinum Concilium ſuſtulerunt. Quod exemplo ſacramenti Pœnitentiæ clarere magis & illuſtrari poteſt. Etenim poſt collatam in ordinatione Sacerdotibus omnibus abſolvendi à peccatis indefinitam poteſtatem, remittere tamen peccata Sacerdos nequit, niſi tradita ab Epiſcopo juriſdictione. Nec ſufficit, ſi dicas ideo ſimplicem Sacerdotem non poſſe ſibi traditam remittendi, retinendique facultatem ad praxim redigere, quia oves non habet, aut ſubditos, in quos receptam in ordinatione poteſtatem exerceat. Non ſufficit, inquam, quia Parochi ipſi etiam Epiſcopi, qui ſola ad proprias Eccleſias addictione oves habent ſibi ſubjectas, nequeunt tamen à caſibus ſuperioribus majoribus reſervatis abſolvere; adeo verum eſt, collatam ex vi ſacræ ordinationis remittendorum peccatorum facultatem, appoſitâ ab Eccleſia conditione poſſe reſtringi. Etſi ergo peccata ex inſtitutione Chriſti ſint materia pœnitentiæ, attamen quòd hæc vel illa peccata hujus vel iſtius Sacerdotis judicio ſubjiciantur, vel ad ſuperius tribunal referantur, Eccleſiæ Chriſti prudenti arbitrio & judicio relictum eſt.

Addidi etiam ad illum è matrimonio haud mediocriter intricatum nodum diſſolvendum, matrimonium in lege gratiæ duplici dote conſtare, quarum una alterius baſis eſt, & fundamentum: nam & contractus humanus eſt legi naturæ innixus, & ad ordinem ſupernaturalem divinitus evectum eſt. Quando ergo ſacra Synodus Tridentina nonnihil circa ſacramentum matrimonii immutavit, id ſolùm immutaſſe jure merito cenſenda eſt, quod ad rationem contractus humani & naturalis pertinet, dum quaſdam perneceſſarias conditiones ad peſtifera clandeſtinorum conjugiorum portenta præcavenda, contractus valori ſaluberrimè appoſuit. Si enim Reſpublica humana, & Princeps ſæcularis ſubditorum ſuorum contractus certis nonnullarum conditionum metis reſtringere poſſunt, quidni Concilia œcumenica populi Chriſtiani contractibus ob commune Religionis bonum conditiones apponere poterunt? Quamobrem Tridentinum materiam à Chriſto præfinitam non mutavit, ſed conſpicuam eſſe juſtiſſimis de cauſis voluit; veritum ne ſub ſacramenti ſpecioſo umbone concubinatus tecta laſcivia lateret. Contractum ergo occultum irritavit; & quia ſacramentum matrimonii ſupponit contractum, cui innititur, annullato per ſolenne Eccleſiæ decretum contractu, tam invalidum effici ſacramentum neceſſe eſt, quàm convulſo fundamento ſuperſtructum ædificium corruere, & ſolo adæquari.

Sed de his ſatis, & niſi meus me fallit animus, pluſquam ſatis: præſertim quia inter explicandas uniuſcujuſque ſacramenti materias & formas, de his iterum ſermo redibit; eaque fortaſſis adjiciemus (ita me Deus benè amet) quibus obſcuriſſimæ difficultati non parum lucis affulgebit. Supereſt ut rationi à priori in contrarium oppoſitæ quam breviſſimè occurramus.

Dicendum ergo, quod ſicut creatio univerſi præſupponitur actioni cauſarum ſecundarum, quæ mundum nec è nihilo creare potuerunt, nec creatum diſtinguere, nec diſtinctum eo modo ornare, quo a Deo decoratus eſt; nec creatum, diſtinctum, ornatumque eſſentialiter immutare: ita, inquit præclarè de more S. Thomas *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 1. q. 3.* fundatio mundi ſpiritualis, qui eſt Eccleſia à Chriſto condita, operationi cauſarum ſecundarum illius ordinis ſupernaturalis, ſeu Miniſtrorum functionibus præſupponitur. Quis autem neſcit Eccleſiam Chriſti in fide, charitate, & ſacramentis, quibus in unum Religionis nomen colligamur, divinitus eſſe fundatam? Quocirca nec Apoſtolis, nec eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, nec Epiſcoporum Principi Romano Antiſtiti, nec univerſæ Eccleſiæ in Oecumenico Concilio canonicè coactæ fidem, vel ſacramenta unquam, vel uſquam mutare conceſſum eſt. Eandem doctrinam his verbis egregiè illuſtrat idem Doctor Angelicus *q. 64. art. 2. ad 3.* ſic: *Apoſtoli, & eorum ſucceſſores ſunt Vicarii Dei quantum ad regimen Eccleſiæ conſtitutæ per fidem & fidei ſacramenta. Unde ſicut non licet eis conſtituere aliam Eccleſiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque inſtituere alia ſacramenta; ſed per ſacramenta, quæ de latere Chriſti pendentis in cruce fluxerunt, dicitur eſſe fabricata Eccleſia Chriſti.*

Ad locum verò Cypriani, dicendum S. Doctorem loqui de cæremoniis & ritibus ab Eccleſia, Spiritu ſancto duce, ſalubriter in ſacramentorum celebratione inſtitutis. Porrò *illa quæ aguntur in ſacramentis per homines inſtituta*, verba ſunt D. Thomæ laudati in reſponſione ad 1. argumentum; *non ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſed ad quandam ſolennita-*

rem, quæ adhibetur ſacramentis, ad excitandam devotionem & reverentiam in his qui ſacramenta ſuſcipiunt. Ea verò quæ ſunt de neceſſitate ſacramenti, ab ipſo Chriſto inſtituta ſunt, qui eſt Deus & homo. Et licèt non ſint omnia tradita in ſcripturis, habet tamen ea Eccleſia ex familiari Apoſtolorum traditione, ſicut Apoſtolus dicit 1. Cor. 11. Cætera cùm venero diſponam. Quare Apoſtoli nullius prorſus ſacramenti authores habendi ſunt, cùm & Apoſtolus qui plus omnibus laboravit, apertiſſimè conteſtetur 1. *Cor.* 4. *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Diſpenſator autem, atque œconomus bona domini facta largitur, non facit; diſtribuit, non inſtituit; dividit, non cauſat.

Reflexio.

Sacramentum ſignum eſt: ergo præter rem, quam ſenſibus objicit, efficit etiam ut alterius rei notitiam capiamus. Sed cujus ſodes, rei cognitionem excitat ſacramentum? Triplicis, inquit D. Thomas *q.* 60. *art.* 3. Nam & cauſam ſanctificationis, quæ eſt paſſio Chriſti, & formam ſanctificationis, quæ eſt gratia; & ultimum finem ſanctificationis noſtræ, quæ eſt vita æterna, ſignificat, rememorativum paſſionis præteritæ, demonſtrativum gratiæ præſentis, prognoſticum vitæ futuræ. Hanc triplicem ſignificationem ex Apoſtolo eruit Doctor ſanctus; cùm enim *Rom.* 6. ait Paulus: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; non obſcure docet, idcirco baptiſmum ſignum eſſe dicendum quòd nos dominicæ admoneat Paſſionis. Cum verò Doctor Gentium ſubdit: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; & quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*; clarè indigitat, baptiſmum præſentis eſſe gratiæ ſignum, quâ novam vitam inſtituentes, omnia veræ pietatis officia creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis exequamur. Demum cùm addit vir divinus: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*; perſpicuè demonſtrat, baptiſmum futuræ gloriæ pignus eſſe.

Hæc, Lector optime, ſignificant chriſtiana ſacramenta, & practicè ſignificant, & ſenſibiliter ſignificant. Sed, amabò, quis experitur, quis videt, quis ſentit? Quis credat Chriſtianos ſacramenta frequentantes in Chriſti morte baptizatos eſſe, cum illoque conſepultos in mortem, qui nec per horæ quadrantem immenſum paſſionis Chriſti beneficium nulla unquam oblivione delendum recolunt, nec ejus doloribus compatiuntur, nec tam obruentie, & obduratos quoſvis, ſi recogitarent corde, emollire nati beneficii reminiſcuntur; ſed deliciis & voluptatibus diffluentes, non membra Crucifixi, ſed diſcipuli cernuntur Epicuri? Certè ſi totus ille figeretur in corde, qui totus, & tantus, & talis, & taliter pro tantillis, & talibus fixus eſt in cruce, non ad illam deveniſſet Chriſtianiſmus fermè ſub cœlo totus deplorandam calamitatem, ut in pleriſque Chriſtus patiatur opprobrium, patiatur & Crucifixus maledictum.

Sed fortè gratiæ præſentis, & novæ vitæ ſigna exhibent Chriſtiani? O ubi eſtis fontes lacrymarum, ubi lacrymarum non tam undæ, quàm cruores? Illine novam vitam ineunt, qui vix ac ne vix quidem ſacramentis ſuſceptis, adhuc ſanguine Chriſti rubentes, & commiſſa flere deſinunt, & iterum flenda committunt, per eandemque viam unde venerunt redeuntes, rurſum regno Herodis, id eſt diaboli ſubjiciuntur ſervituti? Scio quidem quam gratiam conferunt ſacramenta, reconditam eſſe & inviſibilem, Spiritu ſancto intus lucente, intus radiante, intus coruſcante; ſed illud etiam nullum latêre arbitror mediocriter eruditum, gratiam in operibus relucere bonis, internam cordis ſanctimoniam in operâ fundi, ibique oſtendi atque probari. *Habet omnis amor vim ſuam,* (& eſt virtus ordo amoris,) *nec poteſt vacare amor in anima amantis*, ait Auguſt. *in Pſalm.* 121.

Quomodo tandem pignus & arrham gloriæ futuræ ſuſcepiſſe credendi ſunt, qui terrenis inhiant, terrena ſapiunt, quæ ſuper terram ſunt quærunt, quos occupant cupiditates, quos inflammat libido, avaritia ſtimulat, luxus effœminat, luxuria decolorat, ſternit ambitio, exſiccat invidia, & negotiorum ſæcularium immenſa cura ſolicitat? Illorumne converſatio in cœlis eſt, qui non cogitant, velle quod non decet, miſerrimum eſſe; nec tam miſerum eſſe adipiſci quod malè volunt, quàm adipiſci velle quod non oportet, cùm juxta Auguſtinum libro de vita beata: *Plus malè pravitas voluntatis afferat, quam fortuna cujuſcunque boni.* Auſculta, quæſo Chriſtiane, Ambroſium ſerm. 58. *Quantum poſſumus, cum Dei adjutorio laboremus, ut nomen chriſtianum non ſit falſum in nobis, nec in nobis chriſtiana ſacramenta patiantur injuriam.*

Speculatio II.

Poſt peccatum neceſſaria ſunt homini lapſo ſacramenta, quæ nulla in ſtatu innocentiæ extiterunt.

PRior pars præclaris D. Thomæ rationibus paululùm illuſtraris comprobatur: prima petitur ex conditione humanæ naturæ. Providentia divina attingens à fine ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter, unicuique naturæ contulit ſecundùm conſentaneum conditioni ipſius modum. At conditio hominis poſtulat, ut in ſpiritualia & intelligibilia per corporalia & ſenſibilia manuducatur; nam ut ait Dionyſius cap. 1. cœleſtis hierarch. *Impoſſibile eſt nobis* (potentiâ ordinariâ, & naturis rerum ſeſe accommodante) *lucere divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum.* Ergo convenienter divina Sapientia humano generi auxilia ſalutis contulit ſub viſibilibus ſenſibilium ſignorũ ſacramentis. *Medicamentum*, inquit Gregorius Theologus orat. de Baptiſmate, *partim corporale, partim ſpirituale aptiſſimè convenit in eos agrotos, quorum natura corpore & ſpiritu continetur. Si incorporeus eſſes*, addit os Chryſoſtomi aureum homilia 62. in Matthæum, *incorporea dona tibi Deus nuda tradidiſſet: ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.*

Nec obeſt ſi dicas, exercitationem corporalem non ad modum, ſed teſte Apoſtolo, ad modicum valere Chriſtianis, viris ſpiritualibus, in ſpiritu ambulantibus, veris adoratoribus Patrem in Spiritu & veritate adorantibus. Non obeſt, inquam, quia exercitatio per uſum ſacramentorum adhibita non eſt merè corporalis, ſed quadantenus ſpiritalis, tum propter donorum ſpiritalium ſignificationem, tum propter eorumdem cauſalitatem, ad quam unam efficiendam ſunt inſtituta; tum propter ſuavem divinorum experimentum, quod impertiunt; tum propter puri cordis caſtimoniam, quam exigunt ſuos ut effectus ſuſcipientibus infundant. Non enim proſunt, ſed officiunt ſacramenta, niſi fuerint in ſpiritu & veritate ſuſcepta; ſola enim litera, ſolus externus ritus occidit, ſpiritus autem vivificat; nam & ipſa ſacratiſſima & vivifica Chriſti in Euchariſtia realiter præſentis caro non prodeſt quidquam, niſi ſpiritus pietatis & fides per charitatem operantis interſit; eſt enim mors malis, & vita bonis, & paris ſumptionis diſpar planè exitus. Unde Dionyſius *cap.* 5. *Eccleſ. Hier.* medium ait tenere locum Eccleſiam inter veteris Teſtamenti legalem, & Paradiſi cœleſtem ſanctitatem: *Cùm ſit media*,

inquit, *ſocietate quadam extrema ſibi vendicat, cum cœleſti quidem communes habent ſpirituales contemplationes; cum legali verò ſigna, quæ ſenſum movent, quorum etiam varietate diſtinguitur, & per ea piè, præclarèque ad Deum deducitur.* Illo enim diſcrimine ſtatus Chriſtianorum inter Judæos, ac Beatos interjectus eſt, ut Chriſtum Beati poſſideant nullis figuris, nullis velaminibus obtectum. Judæi contrà non ipſum Chriſtum habuerunt, ſed Chriſti tantùm figuras, atque velamina: Chriſtiani verò Chriſtum quidem in Euchariſtia verè ac realiter poſſident, ſed adhuc ſub figuris & velaminibus huic ſtatui conſentaneis occultum. *Tria*, inquit eleganter Eucherius, *ſibi Deus tabernacula fecit: Synagogam, quæ umbras habuit ſine veritate; Eccleſiam, quæ veritatem & umbras habet; cœlum, ubi nullæ ſunt umbræ, ſed nuda veritas.*

Secundam rationem deſumit Doctor Angelicus ex ſtatu hominis poſt peccatum. Etenim homo peccando à divinis & ſpiritalibus, incommutabilibuſque bonis abſcedens, nefanda perverſitate rebus ſeſe corporalibus per affectum ſubdidit, viſiblium ſpecioſa voluptate ineſcatus. Ergo conveniens fuit, ut corporalium rerum uſu in Deum, à quo receſſerat, rediret, & morbo lapſis ſacramentorum ſenſibilium medicina adhiberetur. Probatur conſequentia; tum quia ibi debet medicinæ ſalutare remedium apponi, ubi patitur morbum infirmus; & corporalibus ſubinde perſanari, qui fuerat corporalibus infirmatus. Tum quia ſi merè ſpiritalia ægroto homini nudè proponerentur, nec eſſent corporeis ullis veſtita tegumentis, non poſſet æger animus corporalibus nimiùm deditus, divinis & cœleſtibus, ad quæ factus & natus eſt, applicari. Tum quia ſicut homo perverſo corporalium uſu adverſus Deum indignè ſuperbiens contra Omnipotentem roboratus eſt; ita æquum eſt, ut tanta viliſſimæ creaturæ præſumptio humilietur, edometur, comprimatur; ut cognoſcat homo ſe corporalibus ſubditum, quorum ab initio donatus fuerat principatu. Dum enim ſenſibilibus elementis ſubjici cogimur, Deo obtemperare compellimur, à quo antea impiè defeceramus, ut mundi elementis ſerviremus. Hanc rationem a recentiori Theologo, à Clero Gallicano tam impensè laudato, ſic expreſſam alicubi me olim legiſſe memini: *Sicut Deus*, inquit, *cùm rerum omnium abundantiam, vitamque feliciſſimam tribuiſſet Adamo, omnia deinde in unum pomum concluſit, a quo tota illa magnificentia, felicitaſque penderet, ut humilitas, fideſque primi hominis in illa rerum præſtantia probaretur: ſic cùm gratiarum redundantiam, copioſamque, redemptionem nobis ſua morte profudiſſet, ejus gratias, eamque redemptionem in res per ſe minimas, & naturâ ſuâ deſpicabiles recondidit, ut eam ab illarum parvitate, dejectâ mentium noſtrarum altitudine, petere ac mendicare cogamur, naturæ noſtræ repugnantiam fidei obeditione domantes.*

Tertiam rationem depromit S. Doctor ex ſtudio & inclinatione humanæ naturæ, quæ circa corporalia occupari amat, ſicut non niſi per corpus agit, & in corpore vivit. Ergo convenienter ei corporalia ſacramentorum exercitia proponuntur; tum ut in illis ſalubriter occupetur, & mentem in latentium myſteriorum meditatione exerceat, dum manus & oculi in ſacramentorum & ſacramentalium, aliorumque eis affinium celebratione verſantur. Tum ne homini durum eſſet, ſi totaliter à corporalibus actibus abſtraheretur. Etſi enim homo Chriſtianus & ſpiritualis meliori ſui parte, id eſt mente vivere debeat, ſpiritalibus tamen & merè internis exercitiis indeſinentem operam dare nec poteſt ſemper, nec expedit ſæpè. Neque enim Chriſtianiſmus ſpirituum religio eſt, ſed hominum è ſpiritu unà & carne concretorum. Tum denique quia his ſalutiferis exercitiis præſervatur homo à noxiis operibus, vaniſque ſuperſtitionibus, in quæ poſt primigenii peccati labem admodum proclivis eſt. *Morem ergo Deus nobis geſſit*, inquit Dominicus Soto in 4 diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 1. *ut ſacramentorum varietate oblectati ad noſtram comparandam ſalutem eſſemus propenſiores. Delectat enim nos nunc baſilicas exſtruere, mox ſacrificia celebrare, deinde orare, & nonnunquam hymnos, canticaque intonare divinos. Alias incumbis ſacramenta miniſtrare, atque alias expedit ſuſcipere, per quæ quidem virtutum munera a cunctis idolorum ſervitutibus diſtrahimur. Id quod in illis neophytis novis crebis experimento comperitur. Mirum enim in modum in iſtiuſmodi cæremoniis exhilarantur, per quas à ſua idololatria ſemoventur.*

Quartam rationem affert S. Præceptor in argumento *Sed contrà*, cæteris nihilo minus eruditam. Ad humanam ſalutem neceſſarium eſt, homines in unum veræ Religionis nomen adunari; hoc enim exigit Eccleſiæ viſibilis & aſpectabilis ſacrum commercium, & ſuavis fratrum in Chriſto ſocietas; bonum quippe & jucundum eſt habitare fratres in unum, hoc exigit fides, quam in hominum conſpectu propalam profiteri, & notam facere tenemur; hoc poſtulat charitas, quæ tunc maximè inflammatur, cùm nos arctiſſimis ritibus colligatos, & unius corporis membra ex ſacramentorum communione effectos eſſe recordamur; hoc exigit cæterarum virtutum chriſtianus apparatus, quæ tunc libentiùs in opera funduntur, quando in ejuſdem communionis participes beneficia effundunt ſua. Atqui in nullum communis Religionis nomen, ſeu verum, ſeu falſum coadunari homines ſolent, vel poſſunt, niſi in aliquo externorum rituum conſortio. Ergo ſacramenta ſunt ad humanam ſalutem, ad Religionum characteriſticam differentiam, ad fidelium communionem perneceſſaria, & ſalubriter inſtituta. *In nullum Religionis nomen homines coadunantur, niſi aliquo ſignaculorum, aut ſacramentorum viſibilium conſortio*, inquit Auguſt. *lib. 19. cont. Fauſt. cap. 11.* Et S. Cyprian. ſeu author tractatus de reſurrectione Chriſti, inter opera ejus: *Ex diverſis*, inquit, *familiis una ſit domus, una ſit tribus; ſignificantia & res ſignificata, res & ſigna, virtus inviſibilis & viſibilia ſacramenta ſic faciunt unum corpus, ſicut caro & ſpiritus; & quod videtur, & nomine, & virtute Chriſti corpus cenſetur.*

Dices: In lege naturæ & Moſaica nulla erant ſacramenta, nec erant neceſſaria, quia tunc unius actibus interioribus homines juſtificabantur, & parvuli ob fidem parentum gratiam recipiebant, uti Magnus Gregorius *lib. 4. Moral. c. 2.* docet. Ergo abſolutè poſt peccatum neceſſaria non ſunt homini lapſo ſacramenta.

Reſpondeo indubitatum eſſe, ante adventum Chriſti neceſſaria fuiſſe, & de facto aliqua extitiſſe ſacramenta: ita enim diſertè id docent Patres, ut nullo poſſint ſubterfugio luculentiſſima eorum teſtimonia eludi. *Credendum non eſt*, inquit Auguſtinus lib. 5. cont. Julianum. cap. 9. *ante datam circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides carne venturi, nullo ſacramento eos opitulates eſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſariâ cauſâ Scriptura latere voluerit.* Ubi S. Doctor & circumciſionem fuiſſe ſacramentum tempore legis Moſaicæ, quo circumciſio vigebat, & alia inſuper fuiſſe in lege naturæ ſacramenta, tametſi nobis ignota, perſpicuè docet. Idque depromſerat ex S. Cypriano *lib. de cardinalibus Chriſti operibus*, ubi Beatus Martyr hæc ſcripſit: *Sanè originale peccatum quod à primis parentibus in totam hujus generis ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiare.* D. etiam Thomas hic, *art. 3.* abſolutè affirmat, ante Chriſti adventum neceſſe fuiſſe quædam ſacra-

Digitized by Google

ſacramenta inſtitui , quibus homo & fidem ſuam de Chriſto venturo profiteretur , & internam ſanctitatem , ac gratiæ divinæ perfuſionem adipiſceretur. Quæ profectò rationes pro omnibus hominis lapſi ſtatibus peræquè militant. Et certè ſi ex lege Moſaica ſacramentum aliquod pro mulieribus circumciſionis incapacibus ; & pro parvulis ante octavum diem mortem obeuntibus inſtitutum eſt, quidni in lege naturæ providiſſe Deum generalia ad ſalutem inſtrumenta confitebimur, qui vult omnes ſalvos facere, ex eaque voluntate omnibus media in finem ſalutis promoventia , tam naturalia , quàm gratuita cōmuniter proponit, ut non ſemel S. Thomas aſſeruit.

Ad argumentum ergo dicendum, & actus interiores adultorum, & fidem parentum parvulis opitulantem ſenſibili aliquo ſigno in lege naturæ declarari ſolitam eſſe. *Probabile eſt*, inquit D. Thom. quæſt. 70. art. 4. ad 2. *quod parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo exiſtentibus, aliquas preces Deo funderent , vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam ſignaculum fidei) ſicut adulti pro ſeipſis preces & ſacrificia offerebant.* Quamobrem ad remittendum peccatum originale & actuale vera erant in lege naturæ ſacramenta. *Ante legem ſcriptam*, ait S. Doctor in 4. diſt. 1. q. 1. art. 2. quæſt. 3. ad. 2. *erant quædam ſacramenta neceſſitatis , ſicut illud fidei ſacramentum , quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis, & ſimiliter pœnitentia , quæ ordinabatur ad deletionem actualis.*

Inſtabis : In lege naturæ nulla erant determinata ſacramenta, ut fatetur D. Thomas art. 3. ad 2. *Quia*, inquit , *ante legem non fuit determinatè præfixum hominis, quibus ſacramentis uteretur.* Atqui ſacramenta conſtant rebus determinatis. Ergo in lege naturæ nulla erant ſacramenta.

Reſpondeo ſacramenta fuiſſe determinata in lege Chriſti , & lege Moſaica. In lege quidem Chriſti, in qua ſeptem agnoſcimus ſacramenta ſigillatim poſtea exponenda. In lege etiam Moſis , in qua Baptiſmo Circumciſio , Euchariſtiæ Agnus Paſchalis , Pœnitentiæ variæ expiationes & purificationes reſpondebant: Circumciſione in ſtatu colendi Deum homines conſtituebantur ; Agno paſchali ea quæ ad divinum cultum pertinent, conſumebantur : expiatoriis purificationibus divini cultus exercendi impedimenta removebantur. Nulla tamen Confirmationi, vel Extremæ-Unctioni, vel Matrimonio ſacramenta in veteri lege reſpondebant , quia tunc nondum erat plenitudo gratiæ confirmatione præſignata ; nondum patebat aditus regni cœlorum, ad quod introducit Extrema-unctio; nondum conjuncta erat vel humanitas cum Verbo, vel Chriſtus cum Eccleſia, cujus unionis matrimonium ſignum eſt.

Porrò in lege naturæ nulla erant ſigna determinata à Deo per Scripturas nondum acceptas ; interiori tamen Dei ad ſuum cultum fideles permoventis inſtinctu determinabantur. *Sicut in ſtatu legis*, inquit D. Thomas quæſt. 69. art. 5. ad 3. *homines nulla lege exterius data , ſed ſolo interiori inſtinctu movebantur ad Deum colendum ; ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum uterentur.* Quare non erat tunc in facultate hominum poſitum ſacramenta inſtituere , nec arbitrio eorum permiſſum res ſenſibiles eligere ; ſed ad ea aſſumenda interioris inſtinctus legem externam ſupplentis afflatu determinabantur. Quare non eſt abſolutè dicendum cum nonnullo recentiore , ſacramenta legis naturæ in mero hominum relicta eſſe arbitrio ; quia id repugnat mox laudatis S. Thomæ verbis, quibus affinia ſunt quæ habet 1. 2. *quæſt.* 103. *art.* 1. his verbis : *Quia ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico ſpiritu pollentes , credendum eſt , quod ex inſtinctu divino , quaſi ex quadam privata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conveniens eſſet interiori cultui , & etiam congrueret ad ſignificandum Chriſti myſteria.* Ergo non uni hominum arbitratui permiſſum erat quæcunque vellent in ſacramenta aſſumere, ſed interiori Dei motu præſcribebatur earum rerum electio , quibus divinam gratiam obtinerent. Cujus rei veſtigia invenire eſt Job ultimo, ubi Deus amicis Job dixit: *Sumite vobis ſeptem tauros & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis.* Geneſis etiam 14. eatenus Melchiſedech dicitur Sacerdos Dei altiſſimi, quia res in ſacrificium offerendas, panem ſcilicet & vinum, Deus præfixerat. Quæ utique determinatio ſemel nota ita fideles obligabat, ut non poſſent aliis ullis rebus in ſacramentis uti. Et ratio ex dictis perſpicua eſt, quia ſacramenta ſunt practica gratiæ ſigna , ſanctificationem animorum ex opere operato activè vel paſſivè producentia. Paſſivè, inquam, id eſt Deo ad eorum præſentiam gratiam infundente, & hujuſmodi erant veteris legis ſacramenta : activè verò , id eſt ad ſanctitatem per modum phyſici inſtrumenti ad gratiam efficiendum concurrendo ; quod eximium ſacramentorum novæ legis privilegium eſt. Atqui practica gratiæ ſigna , cœleſteſque ſanctificationis canales ſolus ille determinat convenienter, qui cùm ſit author gratiæ & ſanctitatis , illam poteſt alicui ſigno alligare.

Atque ex his quædam Patrum teſtimonia interpretari , & D. Thomam cum ſeipſo conciliare facilè poſſumus. Cùm enim Gregorius Magnus *lib. 4. Moral cap. 2.* & Bernardus *epiſt. 77.* hoc egiſſe ajunt apud veteres fidem pro parvulis , quod valet apud nos aqua baptiſmatis , & infantulis ſolam profuiſſe, imò ſuffeciſſe fidem : cùm S. Thomas in geminis commentariis in quartum Sententiarum, *diſt.* 1. *q.* 2. formaliter aſſeverat, probabilius eſſe, *quod parvulis ſufficiebat ſola fides cum ſolo motu interiori , ſine exteriori ſigno.* Cùm, inquam , ea ſacri iſti Doctores ſcripſerunt , eatenus internis tantùm motibus contentos fuiſſe dicendum eſt , quatenus ordinariè nullum erat fixum in Republica Fidelium ſignum ſolemni proteſtatione celebratum, & apud omnes fideles idem , quo ab infidelibus populus Dei ſecerneretur. Sed non excluſerunt externa ſigna ab interiori moventis Dei inſtinctu inſpirata. Nec opus eſt dicere , commentariorum in Sententias teſtimonia illa S. Thomam retractaſſe , quæ facili interpretamento in concordiam vocari ſine negotio poſſunt.

Quid de ſtatu innocentiæ.

Poſterior ſpeculationis pars negans ulla in ſtatu innocentiæ extitiſſe ſacramenta , unis probari conjecturis poteſt ; in iis enim , quæ ex Dei voluntate pendent , & in Scripturis , vel perenni Eccleſiæ traditione non patent , vix aliquid definiri certum poteſt. Motiva porrò noſtræ aſſertionis ſunt ; tum quia non eſt admodum veriſimile, Deum auguſtiſſima ſacramentorum myſteria perenni lege ſancire, quæ nulli eſſent uſui futura : in quem verò ſacramenta uſum redigenda , quemve fructum paritura fuiſſent in tempore brevibus anguſtiſſimi temporis horis concluſo , haud ſatis apparet. Tum quia in illa perfectiſſimi ſtatus felicitate, & Deo ratio, & rationi appetitus, & appetitui caro pacifica conſpiratione ſubdebantur : ergo in illa tam ſublimi , meréque ſpiritali conditione non indigebat homo corporeis illis ſenſibilium ſacramentorum adjumentis , quibus lapſus ad ſpiritalia manuducitur, quia in eo jam ſtatu degit, in quo priùs quod animale, deinde quod ſpiritale eſt , invenitur.

Dices : Rationibus illis probari quidem, nulla de facto ob breviſſimi temporis anguſtias inſtituta fuiſſe in ſtatu integritatis ſacramenta; ſed non evinci,

ſtatu

ſtatu illo perſeverante, nulla fuiſſe inſtituenda ſacramenta, vel ad remedium peccatorum actualium, ſi contigiſſent; vel in commune communis Religionis vinculum, ſi nullum ſubintraturum fuiſſet peccatum.

Reſpondeo ad veritatem noſtræ ſpeculationis ſatis eſſe, nulla de facto in ſtatu innocentiæ inſtituta fuiſſe ſacramenta; an autem in ſtatibus illis conditionatis extitura fuiſſent, quis novit ſenſum Domini, aut quis coofiliarius ejus fuit? Præſertim cum virtus divina nullis alligata ſacramentorum formulis, innumeris fine finemodis in theſauris ſapientiæ & omnipotentiæ ſuæ reconditis poſſit creaturam & lapſam reparare, & ſtantem perficere, & perfectam cumulare. Nolimus ergo altum ſapere, nolimus eſſe apertum quod Deus voluit eſſe occultum. Itane quæ ad ſtatus poſſibiles, vel ad ſummum conditionatè futuros, & nunquam reapſe extituros pertinent, humanarum ratiuncularum conjecturis dimetiemur? Itáne divina conſilia humanis ſunt judiciis definienda, vel ad cogitationes hominum timidas, incertaſque providentias exigenda? Abſit, abſurdum eſt, nec ſatis infinitæ Majeſtati conſentaneum.

Certè ſi qoid facturus eſſet Deus, ex iis conjicere velimus quæ fecit, probabilius apparebit, nulla extitura in ſtatu permanſuræ integritatis ſacramenta. Cùm enim videamus, ſacros omnes tum Moſaicæ, tum Evangelicæ legis ſacrameotorum ritus in unam ſpiritualium à peccato inflictorom vulnerum medicinam veluti in ſcopum collineare, cùm perſpicuum ſit Baptiſmum ad reſtituendam gratiæ extinctæ vitam, Pœnitentiam ad delenda propriæ voluntatis delicta, Confirmationem & Extremam Unctionem ad infirmitates ex peccati nefanda ſtrage relictas perſanandas, vireſque vel debiles, vel convaleſcentes roborandas; Euchariſtiam ad continuas concupiſcentiæ animum depaſcentis jacturas cœleſti cibo reſarciendas; Matrimonium ad frænandum venerearum libidinum æſtum, Ordinem ad efformandos animarum errantium & infirmarum rectores & medicos: cum, inquam, illa cernamus, aliis de cauſis in ſtatu ionocentiæ duraturæ ſacramenta deſignare, comminiſci eſt, divinare eſt, Prophetam agere eſt, non Theologum.

Accedit præclarum illum rationum inſtructum à D. Thoma apparatum, quibus ſacramentorum neceſſitatem ſtabilivit, ceſſare prorſus in ſtatu perennis innocentiæ. Eatenus enim ſacramentorum neceſſitatem in hoc miſero ſtatu agnoſcimus, ut homo per ſenſibilia erudiatur, ſenſibilibus nimis addictus; ut dependentiâ à corporalibus humilietur, corporalibus nimiùm abuſus; ut à pravis operibus, ſacrilegiſque ſuperſtitionibus ſalubri exercitio præſervetur, io vana & noxia nimis propenſus. At in ſtatu permanſuræ innocentiæ, nec ſenſibilibus erudiri eguiſſet, ſuaviſſimâ & præcellenti divinorum contemplatione infra viſionem beatam ſummâ refectus; oec corporalibus ſubjici decuiſſet, corporalia utentis modeſtiâ adhibens; nec ſacramentorum exercitiis debuiſſet occupari, quibus ſeſe à ooxiis operibus temperaret, cum ex ſuppoſitione permanſuræ integritatis nulla vanarum ſuperſtitionum objectacula occurriſſent.

Sed inſtabis cum Suare oppoſitum ſentiente: Præter rationea ea D. Thoma à nobiapro ſtabilienda ſacramentorum neceſſitate depromptas, alias adjici nihil vetat, quæ in ſtatu innocentiæ locum peræquè haberent. Primùm etenim ſacramenta nedum ad primam gratiam conferendam, ſed ad eam etiam augendam ſunt inſtituta, ut patet in ſacramentis vivorum, quæ primam gratiam per ſe ſupponunt. At in ſtatu innocentiæ gratia nova quotidie crementa ſuſcipere potuiſſet. Ergo convenienter in eo ſtatu permanſuro inſtituta fuiſſent ſacramenta.

Deinde: In omni ſtatu neceſſaria ſunt ſigna cultum divinum publicè conteſtantia; at ſigna illa ſacramenta ſunt quibus in unum Religonis nomen colligimur: ergo ſicut durante illo ſtatu perennis & aſpectabilis fuiſſet Religio, Religioniſque profeſſio ita & publica ſacramenta extitiſſent.

Reſpondeo conſilia divina perperam humanis nos congruentiis dimetiri; quia licèt omne illud, quod Deus vult, congruum ſit, non tamen omne illud continuò Deus vult, quia nobis congruum eſſe videtur, cùm oppoſitum ejus, quod noſtro judicio congruum eſt, aliis de cauſis ſæpe patentibus, ſæpe latentibus congruentius eſſe poſſit. Et ratio radicalis hujus obſervandæ veritatis eſt, quia ut docet D. Thomas, ſicut ſcientis Dei, ita & voluntas à rebus creatis minimè menſurantur, ſed ſunt cauſæ rerum; unde non ideo Deus aliquid vult, quia rei congruentiis allicitor, ſed potiùs ideo congruum eſt, quia indefectibili Dei voluntati omnia ex infinitæ ſapientiæ regulis operanti conſonum eſt.

Itaque ſicut Adamo non peccante Verbum minime incarnatum fuiſſe Patres poſt Scripturas teſtantur, quia licèt multæ à oobis proferri poſſint hujus adveotus, etiam non exiſtente peccato, convenieotiæ; attamen quia præcipuus & unua Incarnationis finis ſacra in traditione expreſſus, una eſt a peccato redemprio; ideo ſepoſitis humanarum rationum quàmlibet ſpecioſis veriſimilitudinibus, Verbum Adamo non peccante incarnatum non fuiſſe incunctanter aſſerimus. Ita in propoſito, quia ſacramenta per ſe ſunt ſpiritales morborum animi medicinæ, ſublatâ ægritudine, non eſſent neceſſaria ſpiritalis phamaca ſanitatis, nec ex vi præſentis decreti eſſent pro ſtatu integritatis ullatenus inſtituta, quia non eſt opus valentibus Medicis, ſed malè habentibus.

Nec oppoſitæ convenientiæ urgent, quæ eo ipſo quod convenientiæ ſunt, urgentes eſſe non poſſunt. Ad primam dico, ſacramenta etiam vivorum ad gratiam, vel regenerativam, vel ſanativam adaugendam eſſe inſtituta; gratiæ verò juſtitiæ originalis augmento non fuiſſe neceſſaria, quia aliunde gratia integritatis actum fervore & frequentiâ oova abunde crementa ſuſcepiſſet, ſicut ſi ſtatus viæ Angelorum productior fuiſſet & diuturnior, iteratis caſti amoris actibua abſque ullo ſacramentorum adminiculo novos ſibi gratiæ gradus cœleſtes Spiritua aſciviſſent. Connaturaliùs enim eodem modo augetur gratia, quo infunditur. Sicut ergo gratia Angelis & Protoparentibus, ſemotis cæremoniarum ritibua, per unam Sanctorum actuum ab auxilio Dei proficiſcentium diſpoſitionem infuſa eſt; ita & eodem modo adaucta fuiſſet.

Ad ſecundam reſpondeo, ad externam cultus divini profeſſionem, ſolennemque proteſtationem neceſſaria eſſe in omni ſtatu ſacrificia, ſed illa quoque ſine ſacramentis ſufficere in ſtatu ſano abſque ſacramentorum remediis uni infirmitati opportunis, veridicè contendimus. Satis enim, ſuperque publicis ſacrificiorum ritibus in unum Religionis nomen felices illibati ſtatus homines fuiſſent colligati, ſatis ad celebrandum debitum Deo cultum, profitendumque ſupremum Creatoris dominium, inſtitutis ritè hoſtiis conſpiraſſent. Quamvis enim ſacrificiis purgentur peccata, ſi patrata inveniant; ad ea tamen abſtergenda per ſe minimè referuntur, ſed ad unum Dei cultum ſolenni ſacrarum cæremoniarum profeſſione & auguſtiori pompa celebrandum ex natura ſua collimant. Unde juxta D. Thomam *2. 2. q. 85. art.* 1. ſacrificia ſunt de jure naturali; quod utique jus ab æterna lege derivatum, & cordibus hominum ſignato divini vultus lumine ſatum culpam quamlibet antecedit.

Urgebis: Matrimonium quod in natura integra viguiſſet, verum extitiſſet ſtatus illius ſacramentum: verba enim Apoſtoli Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia,*

Digitized by Google

Eccleſia, Patres ad matrimonium Protoparentum extendunt, unde conjugium illud unionem Chriſti cum Eccleſia præſignaſſe deducunt. Unde Tertullian. *Quodcunque*, inquit, *limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Ergo malè omnia ſacramenta à ſtatu innocentiæ eliminamus.

Reſpondeo cum D. Thom. *quæſt.* 61. *art.* 2. *ad* 3. matrimonium fuiſſe in ſtatu innocentiæ inſtitutum, non ſecundum quod eſt ſacramentum, ſed quatenus eſt officium naturæ & ſpeciei propagandæ neceſſarium; ex conſequenti tamen aliquid circa Chriſtum & Eccleſiam futurum ſignificaſſe, ſicut & cætera omnia, quæ in figura veteribus, teſte Apoſtolo, contingebant. Abſit tamen ut dicamus, omnes Chriſti figuras & allegorias vera ſacramenta extitiſſe. Accedit hoc argumento nihil effici pro ſtatu condionatæ innocentiæ indeſinenter permanſuræ; tunc enim Chriſti cum Eccleſia unionem in illo ſtatu minimè futuram ſignificare matrimonium minimè potuiſſet. Ergo in ſtatu innocentiæ innumeris privilegiis decorato non neceſſaria, ſed ſupervacua, & parum conſentanea fuiſſent externorum rituum ſacramenta. Tunc enim, ut loquuntur Patres, erant Protoparentes Angeli terreni, virtutum velamine ante prævaricationem operti, pudicitiâ armati, temperantiâ compoſiti, claritate ſplendidi: ipſos miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat juſtitia, pax imperturbata fovebat, niſi ſe tot bonis propriâ malitia ex adipe tot gratiarum, obſtetricante ſuperbiâ, prodeunte orbaſſent. Videſis Nazianzenum *orat.* 42. ubi primum hominem vocat *alterum Angelum, mixtum adoratorem, viſibilis creaturæ ſpectatorem, myſtam intelligibilem, eorum quæ in terra ſunt Regem terrenum pariter ac cæleſtem.*

R E F L E X I O.

Sicut in omnibus vitæ Chriſti myſteriis miſcentur humana divinis, & in rebus viſibilibus inviſibilia exercentur negotia, quia *Chriſtus*, inquit Chryſol. ſerm. 50. *ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet; & ſi non impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio:* ita in omnibus, quæ in nos effundit, beneficiis ita ſua temperat dona, ut dum vilitatem noſtram ſupra modum evehit, unà noſtræ conſulat humilitati, ſine qua & bona illa ſubtraheret quæ donavit. Unde ſicut placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes, & in ligno crucis evacuare chirographum decreti, quod erat contra nos, ac per deſpicabilem carnis aſſumptæ paſſionem & mortem nos transferre in gloriam filiorum Dei: ſic ſenſibilib⁹ elementis voluit nobis cœleſtia chariſmata impertiri, ut ex una parte gratiarum aquas in fontibus Salvatoris facilè hauriremus, & ex alia ne tot bonorum beatiſſimâ copiâ elati, gratiarum profluvio obicem poneremus ingrati.

Ne mirare, Lector, ſi minimis & abjectis rebus nos ſubjecerit, cùm tota fortitudo noſtra ſit infirmitatis propriæ in veritate cognitio, & in humilitate confeſſio, atque ut ad Cteſiphontem ait Hieronymus: *Hæc una vita præſentis perfectio eſt, ut te infirmum & imperfectum agnoſcas.* Infirma mundi elegit Deus, fortia confuſurus, ut nihil noſtris meritis tribuamus, ut totos nos Deo permittamus; quia etſi nihil nos, omnia tamen Deus poteſt, qui his vilibus tot mirabilia operatur. Ergo ſi cogitas ſacramentorum uberes fructus percipere, ſi aves Chriſtiani ædificii fabricam erigere, de fundamento priùs cogita humilitatis, ſit in medio tui humiliatio tua; alioquin nullo poterit pacto in anima tua virtutum ſtructura conſurgere, niſi priùs jacta fuerint veræ humilitatis ſolida firmamenta, quæ perfectionis valeant culmina ſuſtinere. At certò in una ſuæ infirmitatis notitia firmitatē inveniet Chriſtianus, poſtquam infirmitati crucis, & deſpicabilium elementorum ſignis totam chriſtianæ vitæ fortitudinem alligavit Chriſtus, dicente Auguſtino tract. 15. in Joan. *Fortitudo Chriſti te creavit, infirmitas te recreavit: fortitudo Chriſti fecit ut quod non erat eſſet, infirmitas Chriſti fecit ut quod erat non periret.*

Alium ex ſtabilita veritate fructum elicere & reportare eſt. Si pro omni ſtatu ſacramenta Deus immenſa liberalitate inſtituit, ſi in nova potiſſimùm lege fontes aquæ vitalis ubique aperuit, hanc profuſam divinæ bonitatis largitatem pietatis & miſericordiæ officiis imitari licet & proſus decet. Túne tam durus, tam Chriſto eris ingratus, ut nihil Salvatori velis rependere, nec illi quod ſupereſt, digneris dare, qui tibi & omnibus dona ſua dedit & ſeipſum? Sed Chriſtum, inquies, non video, cujus largitati bonorum meorum effuſione reſpondeam. An neſcis in pauperibus eſſe Chriſtum? Audi Auguſtinum *ſerm.* 25. *&* 27. de verbis Domini: *Da petenti, ut poſſis accipere; tribue pauperi, ſi non vis flammis exuri; da in terra Chriſto, quod tibi reddat in cœlo. Ne quis veſtrûm dicat: O beati qui Chriſtum ſuſcipere in propriam domum meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus illis natus es, quando jam Dominum non vides in carne; non tibi abſtulit iſtam dignationem. Cùm uni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Cur ergo tam moroſus, tam difficilis pauperibus, illum contemnis, qui ut idem Auguſt. *ſerm.* 145. *de tempore*, dixit: *Unde dares dedit, qui teipſum, qui dares, dedit; qui tibi Chriſtum, cui dares, dedit, qui tibi diceret: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ecce ut des, paſcis, & eſurit propter te; donat, & eget: quando donat, vis accipere; quando eget, non vis dare: eget Chriſtus, quando eget pauper.*

Sed nunquid, addis, utar rebus, quas poſſidere me Deus voluit. *Utere*, inquit Cyprianus *lib. de opere & eleemoſynis*, & alibi, *ſed ad res ſalutares; utere, ſed ad bonas artes; utere, ſed ad illa quæ Deus præcepit*, ad illa quæ ubique, in ſacramentorum potiſſimùm inſtitutione quàm liberaliter oſtendit; utere magis ad retinenda, quàm ad augenda peccata; utere, ut quo amplior fuerit bonorum copia, eo major ſit bonorum operum impenſa. Sed timeo, replicas, ne patrimonium mihi fortè deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperim. Modicæ fidei, quare dubitaſti? *Neſcis miſer*, inquit laudatus Cyprianus, *quia dum times, ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit; & dum ne quid de re minuas attendis, non reſpicis quod ipſe minuaris, amator magis mammonæ, quàm animæ tuæ, & dum times, ne patrimonium tuum pro te perdas, ipſe pro patrimonio tuo peris. Patrimonium Deo creditum nec Reſpublica eripit, nec fiſcus invadit, nec calumnia aliqua forenſis evertit: in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo cuſtode ſervatur.* Non timet agricola perdere quod in terram projectum multiplici fœnore ſibi recurrente anno reſtituitur. An neſcis, quod Spiritu ſancto atteſtante, Proverb. 19. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis?* Quia ut Gregorius Magnus *lib.* 8. *Regiſtri, epiſt.* 20. & Magnus item Leo *ſerm* 6. *de jejunio decimi menſis, cap.* 2. interpretantur, quidquid tribuitur pauperibus, ſi ſubtili conſideratione penſetur, non eſt donum, ſed mutuum; quia quod datur, multiplicato ſine dubio fructu recipitur. Unde qui pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potiùs ſanctum fœnus exerceat, & hac uſurarum arte diteſcat, ut non hominum laborantium captet neceſſitates, nec per doloſa officia in laqueos incidat inſolubilium debitorum; ſed illius ſit creditor, illius fœnerator qui dixit: *Date, & dabitur vobis.* Conſulo, audio, in poſterum, ô homo, nec in craſtinum fortaſſis victu-

ſis victure, ſed ſi conſulis, benè conſule; & qui ſtudes terreno magis quàm cœleſti patrimonio filios ditare tuos, illi aſſigna facultates tuas, qui tibi non habenti dedit, ſi eas effuderis abundantiùs largiturus: fac ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias ſæculares divinâ Majeſtate protector; quia dum non præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, doceſque eos patrimonium plus amare quàm Chriſtum, & illos perdis, & teipſum; illos quibus delinquendi materiam præbes; teipſum, qui non niſi multis cum ærumnis, multiſque peccatis opes cumulas perituras.

Ergo ne dubites dare pauperi de bonis Dei. Imitare Deum omnibus providentem, dantem eſcam omni carni, qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum, qui omnibus gratiam exhibet, omnibus publica ſacramenta inſtituit. Et ſi non te flectit calamitoſi pauperies, moveat te Chriſti rogantis inſtantia, qui ſibi datum conclamat, quod in manu pauperis fuerit ſeminatum. Præclarè Cyprianus libro memorato: *Quid potuit nobis majus*, inquit, *Chriſtus edicere? Quomodo magis potuit juſtitiæ ac miſericordiæ noſtræ opera provocare, quàm quod præſtari ſibi dixit quidquid egenti præſtatur & pauperi: Ut qui reſpectu fratris in Eccleſia non movetur, vel Chriſti contemplatione moveatur; & qui non cogitat in labore atque in egeſtate conſervum, vel Dominum cogitet in illo ipſo quem deſpicit conſiſtentum.*

Speculatio III.

Sacramentorum cauſa præcipua Chriſtus eſt, inſtrumentalis homo Chriſti miniſter.

De cauſa ſacramentorum agit S. Thomas *q. 64.* De ea tamen impræſentiarum diſſerimus, tum ut brevitati ſtudeamus; tum quia ad ſacramentorum exiſtentiam, de qua potiſſimum agendum eſt, pertinet notitia cauſæ ſacramenta inſtituentis, & miniſtrantis.

Prima pars non niſi authoritate Conciliorum & Patrum probari efficaciter poteſt, cùm ſit quæſtio de facto, & res ex mere Dei voluntate dependens. Eam autem docet Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 1.* his verbis: *Si quis dixerit, omnia ſacramenta novæ legis non fuiſſe à Chriſto Jeſu Domino noſtro inſtituta, anathema ſit.* Nec poteſt explicari ſacrum Concilium de mediata inſtitutione, quatenus inſtituendorum ſacramentorum Eccleſiæ contulerit facultatem: non, inquam, id dici poteſt; quia idem ſimiliter ſacra Synodus aſſerere potuiſſet de cæremoniis & ſacramentalibus ab Eccleſia poteſtate ſibi à Chriſto facta inſtitutis, cujus oppoſitum tradit *ſeſſ. 21. cap. 1.* docens Chriſtum Eccleſiæ facultatem contuliſſe augendi vel immutandi in celebratione ſacramentorum, pro neceſſitate temporum, ſalvâ eorum ſubſtantiâ. Accedit controverſiam inter Authores potiſſimùm de Extrema unctione & Confirmatione exiſtere, affirmantibus Magiſtro Sententiarum, Alenſi, D. Bonaventura, & Hugone à S. Victore, Extremam Unctionem à D. Jacobo fuiſſe inſtitutam, ſicut Confirmationem à Concilio Meldenſi; & tamen ſancta Synodus *ſeſſ. 14. cap. 1.* docet, Extremam Unctionem à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutam, & à D. Jacobo duntaxat promulgatam. Hac de cauſa Apoſtolus 1. *Cor. 4.* ſe, alioſque Coapoſtolos *miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei* appellat. A Patribus hanc paſſim veritatem affirmantibus ſuperſedeo, hoc uno Ambroſii *lib. 4. de ſacram. cap. 4.* apertiſſimo teſtimonio contentus: *Author ſacramentorum quis eſt, niſi Dominus Jeſus?*

Non eſt etiam neceſſarium rationum congruentium momentis hanc veritatem confirmare, cùm ex dictis de immutabili ſacramentorum ſubſtantia Eccleſiæ judicio & arbitrio non commiſſa, ſatis ſuperque liqueat, ſolum Chriſtum ſacramenta inſtituiſſe, ſupremâ quidem authoritate tanquam Deum, cui affectum ſacramentorum principalem producere eximium eſt; inſtrumentali, ſed præcellenti actione tanquam hominem, non quidem per ſolam ſacramentorum applicationem, (ſic enim eſſe inſtrumentum ſacramentorum puris hominibus commune eſt,) ſed per ſingularem excellentiam quadruplici privilegio decoratam: nam & Chriſtus nobis ſuis actibus gratiam ſacramentalem meruit; & in nomine ejus ſacramenta adminiſtrantur; & ipſe ſacramenta inſtituit, ſignaque ſalutaria elegit, quibus vim ſanctificandi impertivit; & denique licèt gratiam & ſanctitatem per illa velut totidem canales diffundat, non eſt tamen illis alligata virtus Salvatoris, cui omnis data eſt in cœlo & in terra poteſtas; ſed pro ſuo arbitratu poteſt aliis, aliiſque modis fluenta gratiæ diffundere, & hominum peccatis indulgere.

Hujuſce veritatis ſignum à poſteriori habemus, quòd materia & forma ſacramentorum nulli ſunt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principi ſuppoſitæ, ſed in ſacris literis, & vel perenni traditione determinatas accepimus, & acceptas immutabiliter retinemus. Nec alicui in lege naturæ, vel Moſis, vel gratiæ ſcimus inſtituendorum ſacramentorum collatam eſſe poteſtatem. Ergo hanc eximiam ſacramentorum inſtituendorum facultatem uni Chriſto Deus reſervavit, ut ſicut illum unicum Redemptorem agnoſcimus, ſic ad ipſum tanquam ad unum animarum medicum, & ſalutis authorem confugiamus. Certè ſi Corinthii, Apoſtolo teſte, & objurgante, ſciſſuram charitatis experiebantur, dum alii, Ego ſum Pauli, dicebant; alii, Ego Cephæ, quia ab illis fuerant baptizati: quantò magis, quantòque promptiùs illa diſcordiarum ſemina protuliſſent, ſi Apoſtolos agnoviſſent ſacramentorum inſtitutores? *Potuit Jeſus Chriſtus*, inquit Auguſtinus tract. 8. in Joan. *ſi vellet tradere poteſtatem alicui ſervo ſuo, ut daret baptiſmum tanquam vice ſua, & transferret à ſe baptizandi poteſtatem. Hoc noluit ideo, ut in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent.*

Unde non ſunt audiendi Hæretici novatores, exiſtimantes parùm referre, quibus verbis utantur miniſtri, quòd credant ea non eſſe conſecratoria, ſed duntaxat concionatoria; hoc eſt ad inſtructionem duntaxat recipientis, non ad illi ſanctitatem inſtillandam ordinata. Verùm hic error & toti traditioni, quam libenter homines ſuperbiſſimi flocci faciunt, & ſacræ Scripturæ, cui uni ſe adhærere mentiuntur, apertiſſimè contradicit. Nam *Matth. ultimo*, nedum docere omnes gentes Apoſtolis Veritas imperavit, ſed etiam ſacra verba ſelegit, dum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quæ verba non eſſe merè concionatoria, inde manifeſtè colligitur, quod pueri, quibus baptiſma conferri poteſt & ſolet, inſtructioni ſuſcipiendæ ſunt impares. Quod verò nonnulli fingunt, pueros Chriſtianos præmaturo rationis uſu in celebratione baptiſmatis donari, commentum eſt anilibus fabulis vel ſomniantium exercitationibus accenſendum; præſertim cùm pueri, ut obſervat Auguſtinus *epiſt.* 57. non raro reclament, renitantur, reluctentur.

Quæres, an ſaltem inſtituendorum ſacramentorum facultatem potuerit Deus puro homini impartiri?

Reſpondeo affirmantes, contra Scotum, Durandum, & Vaſquem. Probatur ex D. Thoma *quæſt. 64. art. 4.* Poteſtas inſtituendi ſacramenta eſt facultas eligendi ſigna illa, ad quorum præſentiam & applicationem gratia confertur; ea enim duntaxat ratione dicitur Chriſtus ut homo inſtituendorum ſacramentorum excellenti poteſtate fuiſſe donatus. Atqui hanc poteſtatem puræ communicari creaturæ nihil vetat, quia non invehit vel arguit facultas illa infinitatem; ſi enim eſſe phyſicum gratiæ, & ſanctificationis inſtrumentum finitam creaturæ divinitus evectæ facultatem non excedit; ita nec eorundem ſeligen-

ſeligendorum ſignorum poteſtas limitatam creaturæ ſuperat poteſtatem, cùm & humanitati Salvatoris fuerit conceſſa. Ergo nulla repugnantia apparet in hoc, quod Deus puræ creaturæ largiatur tantam gratiæ plenitudinem, ut aliis gratiam ſaltem de congruo promereatur; ut ad ejus invocationem, ſeu in nomine ejus quædam ſigna ſanctificentur, & ſanctificata miniſtrentur; ut ad eorum ſignorum præſentiam ſuſcipientibus gratia infundatur; ut pro illius creaturæ arbitrio, actu externo vel interno, applicatione vel imperio ad ſacramenti effectum gratia efficiatur.

Sed dices: Ad ſacramenti inſtitutionem non ſufficit mera & ſingularis ſigni delectio, quæ homini in ſtatu naturæ antè legem competebat; ſed exigitur etiam vis imprimendi ſignis illis efficacem producendæ gratiæ poteſtatem. Atqui hanc vim rebus ſenſibilibus ſolus Deus impertiri quit, qui ſolus habet in ſua poteſtate gratiam; ſolus enim ille inſtrumentorum gratiæ poteſt eſſe inſtitutor, qui eſt gratiæ author. Ergo nulli creaturæ ad unionem hypoſtaticam non evectæ convenire poteſt arbitraria inſtituendorum ſacramentorum poteſtas.

Reſpondeo ad inſtituenda ſacramenta ſatis ſuperq; ſufficere, habere à Deo hominem inſtrumentalem productionis gratiæ virtutem, & delegatam deſignandorum ſignorum poteſtatem, ſive ſigna illa gratiam effectivè producant, ſive non; hoc enim perinde eſſe in ſacramentis veteris legis patet. Certè ſi Rex Proregi vel Legato liberandi captivos, & ſigna inſtituendi, ad quorum exhibitionem libertate donentur, facultatem prærogativo jure largiri quit, quantò magis id Deus poteſt, qui omnia poteſt. Nec ſequitur, in lege naturæ ſacramenta inſtituiſſe homines, quorum optioni inſtinctu interiori præventæ ſignorum æternorum deſignatio committebatur: non, inquam, id ſequitur; tum quia cæremoniarum determinatio non eſt ſacramenti inſtitutio, ſed divinæ inſtitutionis applicatio; tum quia illius ſtatus homines nec aliis gratiam promerebantur, nec ad eorum invocationem gratia diffundebatur, nec eam poterant actu interno vel externo, imperio vel applicatione ad libitum largiri: unde illis poteſtas excellentiæ minimè conveniebat, ratione cujus ſacramentorum inſtitutores dici poſſent.

Inſtabis. Ergo nihil Chriſto ratione unionis hypoſtaticæ aſſerimus eximium, quod non poſſit puris creaturis eſſe commune. Nego ſequelam: quia collata puro homini inſtituendorum ſacramentorum facultas longè poteſtate Chriſti futura eſſet inferior, tum quia non titulo connaturalitatis, ſicut Chriſto, ſed citra omne meritum & debitum conveniret; tum quia gratiam per ſacramenta collatam non de condigno, vel ſaltem de rigore juſtitiæ, ſicut Chriſtus, ſed de congruo duntaxat pura creatura promeretur.

Cauſa miniſterialis Sacramentorum.

Secunda ſpeculationis pars, aſſerens ordinarium Sacramentorum miniſtrum eſſe hominem, expoſitione magis quàm longa probatione eget. Sanè cùm ſacramenta rebus & verbis ſenſibilibus conſtent, illos duntaxat congruit eſſe Sacramentorum miniſtros, qui ſenſibiliter & vitaliter loqui poſſunt. Rurſum cùm ſolis viatoribus ſacramenta recipere conceſſum ſit, illa etiam miniſtrare ſolis eſt viatoribus peculiare, cùm ſacramenta ſint ſolius Eccleſiæ Militantis ſigna, quibus in unum Religionis nomen fideles adunantur, & quaſi unum corpus coagmentantur, viſibilique vinculo connectuntur. Ergo licet Angeli poſſint eſſe extraordinarii Sacramentorum miniſtri, cùm virtus divina nulli ſigno, nulli ſit alligata miniſtro, licèt id à fortiori de hominibus comprehenſoribus ſit verum, propter characterem, quem indelebilem æternùm retinent; ſolis tamen hominibuſque viatoribus proprium eſt ſacramenta ordinariè miniſtrare, tametſi ex ſpeciali diſpenſatione Angelos & Epiſcopos ordinaſſe, & Euchariſtiam diſtribuiſſe, & templa conſecraſſe variis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis proditum ſit.

Denique cùm ſacramenta ex Chriſti inſtitutione pendeant, quæ ſolis ſcripturis, vel apoſtolicis traditionibus innoteſcere poteſt, illis ſolis ſacramenta miniſtrare convenit, quos Chriſtus alloquutus eſt, vel quos traditio agnoſcit idoneos Sacramentorum miniſtros. Atqui Chriſtus in inſtitutione Sacramentorum ſolos eſt homines alloquutus; ex traditione verò conſtat ſolos homines eſſe ſacramentorum diſpenſatores, hancq; poteſtatem eſſe conſecratorum hominum prærogativam: unde nec mulieres ordinari, nec ordinare poſſunt, ſolumque baptiſmum in caſu extremæ neceſſitatis, abſente, vel impotente miniſtro deſtinato, conficere poſſunt. Ergo ſoli homines viatores ſunt ordinarii Sacramentorum miniſtri.

Reflexio.

Sacramentorum author Chriſtus eſt, homo miniſter. Ergo quicunque tanto miniſterio dignaris, vide quid ſis, vide cujus ſis, vide quid agas. Agnoſce dignitatem, perpende miniſterium tuum, & quod tractas imitare. Sanè ſicut Chriſti inſtrumentum es, ut alios ſanctifices; ita divinam in te Chriſti ſanctimoniam quandatenus æmulari, & pro virili parte exprimere teneris, ut non ſolâ poteſtate, ſed etiam ſanctitate Vice-Chriſtus jure dicaris. Etſi enim mali miniſtri, quoniam non ſuâ, ſed Chriſti virtute ſacramenta conficiunt, ſacramentorum efficientiam iniquitate non impediant, ſi ſe Eccleſiæ intentioni conforment, & ſuſcipientes poſito obice fontium Salvatoris fluxum non impediant; cum diſertiſſimè Apoſtolus dicat 1. Cor. 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Quibus clariſſimè Doctor Gentium ſignificavit, nihil vitii miniſtrorum culpâ ſuſcipientibus contrahi, quemadmodum arboribus nihil eorum obeſt improbitas, aut immunditia, quarum ſemina ſordente manu ſata, aut impurâ rigata ſunt.

Quamvis, inquam, hæc ita ſint, attamen niſi miniſtri, & animata Servatoris inſtrumenta, quam fundunt ſanctitatem ſectentur, puréque ad ſacramenta miniſtranda accedant; ſed ſi poſthabitâ morum integritate, & vitæ munditiâ, ſacramenta polluto corde conficiunt, in nefandum illos ſacrilegium incurrere, miniſterium inhonorare, & Deum ipſum iniquitatibus ſuis facere ſervire nemo inficiabit. Attendant ergo Sacerdotes, ſe miniſterio quidem ſuo infinitam quadantenus dignitatem tenere, ſed ad eximiam ſanctitatem teneri. *Nihil eſt in hoc ſæculo excellentius Sacerdotibus*, ait Ambroſius lib. 1. de dignit. Sacerdot. cap. 1. *Si quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini; ne ſit honor ſublimis, & vita deformis; ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio.* Et S. Chryſoſtom. *lib. 3. de Sacerdotio*, poſtquam dignitatem Sacerdotalem attonitus ſuſpexit, & ſupra omne creatum meritò extulit, ſic infert: *Idcircò neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in cœlis ipſis collocatus inter illas cœleſtes virtutes medius ſtaret; terribilia namq;, atq; horrifica ſunt quæ adminiſtrat.* Quam eandem concluſionem deducit idem os aureum *hom. 60. ad popul. Antioch.* his elegantibus verbis: *Quo igitur non oportet eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem, os quod ſpirituali igne repletur, linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Si iis qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ea quæ in cœlis ſunt, tractare commiſſum eſt, quidni in cœleſtibus converſabuntur, & mente cœlum aſcendent, quorum virtute cœlum in terram deſcendit? Si ſacerdotibus datum eſt, ut poteſtatem illam habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis voluit eſſe communem, quidni Angelicam ducent vitam, qui oneri Angelicis humeris formidando ferendo pares ſint? Sed de his fortaſſis alibi.

CAPUT II.

De efficacia Sacramentorum novæ legis, de eorumque effectibus, necnon de conditionibus ut ſuos ſortiantur effectus, cùm ex parte miniſtri, tum ex parte ſuſcipientis neceſſariis.

SI unumquodque ex ſuis effectibus cognoſcitur, quia cauſa ſimilem perfectionis ſuæ imaginem effectibus imprimit quantum poteſt, quid, & qualia ſint novæ Legis ſacramenta, tametſi ex dictis capite ſuperiori poſſit eſſe perſpicuum, ex eorum tamen virtute & effectibus ampliùs, & veluti in ſpeculo clarebit. Licèt enim aliqua fuerint olim ſigna ob eam tantùm rem à Deo hominibus commendata, ut aliquid ſignificatione ſua admonerent, cujuſmodi fuerunt legis purificationes, panis azymᵒ, & alia permulta, quæ ad Moſaici cultus cæremonias pertinebant: attamen alia Deus inſtituit, quæ non ſignificandi modò, ſed efficiendi etiam vim haberent. Et in hoc poſteriorum ſignorum genere numeranda eſſe novæ legis ſacramenta, ex ſequentibus liquidò apparuerit, ſi priùs nonnulla, quæ apud omnes in confeſſo ſunt, præmittamus.

Tria magni momenti fundamenta jaciuntur.

Primum principium: Sacramenta gratiam ex opere operare efficiunt,

Præmoneo primò, certum eſſe contra hæreticos noſtri temporis, ſacramenta novæ Leges nedum fidem, quâ gratia producatur excitare, ſed eam etiam ex opere operato, id eſt propriâ & infinitâ vi efficere. Definita eſt hæc veritas Catholica in Florentino decreto unionis, ubi dicitur, hoc veteris Legis ſacramenta à noſtris differe, *quòd illa non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant: hæc verè noſtra & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Idem tradit Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 6.* hac definitione: *Si quis dixerit ſacramenta nova Legis non continere gratiam, quam ſignificent, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa ſint accepta per fidem gratiæ, vel juſtitia, & nota quadam chriſtiana profeſſionis, quibus homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Et Canone 8. *Si quis dixerit per ipſa nova Legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere, anathema ſit.* Scripturarum, Patrumque teſtimonia in ſequentibus referemus, dum phyſicam ſacramentorum gratiæ cauſalitatem ex iiſdem confirmabimus.

Ratio verò eſt: Sacramenta conferunt gratiam parvulis, in quibus nulla poteſt excitari fides. Et certè ſi ad ſolam excitandam, & veluti refricandam fidem ſacramenta adhiberentur, minimè opus foret omnes, & ſingulos baptizare, ſed baptiſmo unius alii aſtantes una fidei excitatione fructum perciperent ſacramenti; quod perpetuæ traditioni, & non interruptæ Eccleſiarum omnium praxi planè repugnat.

Fatemur quidem, ſacramente in adultis exigere & fidei Chriſtianæ motum, & aliarum virtutum apparatum, ut quibus plena ſunt, gratiarum chariſmata diffundant, & etiam juxta ſanctiorem ſuſcipientis diſpoſitionem, quæ opus operantis dicitur, uberiores pariant fructus. Verùm ex propria virtute ſibi divinitus ea mentis Chriſti data ſpecialem largiri, & efficere gratiam conſtantiſſimum eſt. Alioquin fruſtra ad frequentem ſacramentorum uſum nos Sancti præclariſſimis ſcriptis, Prælati ſanctionibus iteratis, Paſtores quotidianis hortamentis excitarent, ſi nihil ex eis ſpeciale reportaremus. Et tamen non ſolùm Patres, non ſolùm ſacra Concilia, ſed Paſtorum & Prædicatorum una vox monere non ceſſat, ut ſacramentis ad communem omnium ſalutem à Chriſto clementiſſimè inſtitutis piè, religioſéque utamur; ſi tamen ſimus ita comparati, ut nec peccatis moralibus obnoxii, nec erga venialia affectiſſimus.

His de cauſis tam ſæpe, & nunquam ſatis ſacramentorum dignitatem & fructum auribus fidelium inculcant, ut ad eorum frequentiam exſtimulentur; quia, inquiunt, & veridicè quidem, ideò ſacramenta à Domino Servatore noſtro, à quo nihil niſi ſalutiferum proficiſci poteſt, inſtituta ſunt, ut cum gaudio haurire aquas de publicis Salvatoris; fontibus valeamus. Hinc, addunt quàm piiſſimè, ſacramentis ritè miniſtratis, ritéque ſuſceptis, Spiritus ſancti intima cordis noſtri permeantis efficaciſſimum numen præſto eſt, ut omnes animæ facultates ſuaviſſimi hoſpitis effuſionibus expandamus. Hinc rectores animarum præceptis Patrum ſalutaribus moniti, & tam divina inſtitutione formati (quales hoc ſæculo nequam, Domino Deo benedicente, plures cernere, plures deſiderare eſt) commiſſas ſibi oves docent, chriſtiana ſacramenta admirabili, & certâ curandarum animarum virtute prædita eſſe, per eaque immenſas Dominicæ paſſionis divitias derivari, ſi nos ad pietatem exercentes purè ad ſacramenta accedamus. Ergo ringant licèt Calviniſtæ hæretici totius pietatis everſores, Eccleſiæ Catholicæ, & verè fidelium communis ſenſus, communis & notio eſt, gratiam quidem à Chriſto capite, ſed per ſacramentorum canales veluti aquæductus profluere. *Totum Chriſtianum ædificium*, inquit præclarè Catechiſmus Romanus part. 2. titulo de Sacram. num. 31. *firmiſſimo quidem lapidis angularis fundamento innititur: verùm niſi verbi Dei prædicatione, & ſacramentorum uſu undiq; fulciatur, magnoperè verendum eſt, ne magna ex parte labefactatum concidat. Ut enim per ſacramenta in vitam ſuſcipimur: ita hoc veluti pabulo alimur, conſervamur, augemur.*

Nec obeſt illud Auguſtini tract. 80. in Joan. *Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur.* Non obeſt, inquam, quia ut S. Thomas *quæſt. 60. art. 7.* interpretur: *Verbum operatur in ſacramentis, non quia dicitur, id eſt non ſecundùm exteriorem ſonum vocis: ſed quia creditur, id eſt ſecundùm ſenſum verborum, qui fide tenetur.* Unde idem Pater ſui interpres *epiſt. 23.* ſi habet: *Non ſcriptum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide; ſed, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto. Quæ eſt tanta virtus aquæ*, inquit loco ipſo in objectione relato, id eſt tract. 80. in Joan. *ut corpus tangat, & cor abluat?*

Scio noſtros Reformatos ſi Superis placet, admodum ſpiritales, contendere his elementis, præſertim verò Romanæ Eccleſiæ, quam deteſtantur, rituum varietate indutis averti animum à Deo; ſed non advertunt viri moroſiſſimi, hoc ſenſibilium elementorum, multiplicíſque cæremoniæ apparatu homines faciliùs, ſuaviùs, & connaturaliùs in divina manuduci, ipſoſque Angelicam inviſibilium ſpirituum vitam ambientes in brutorum animantium inſenſibilitatem degenerare. Cernant, ſi nondum mentis oculum nefanda hæreſis occæcavit, ita eſſe naturâ comparatum, ut ad intelligibilia & ſpiritalia, non niſi per ea, quæ aliquo ſenſu percipiuntur, hominibus è corpore, animóque concretis aſpirare non liceat. Unde ut quæ occulta Dei virtute efficiuntur, faciliùs intelligeremus, divinâ providentiâ diſpoſitum ſapientiſſimè eſt, ut arcana illa virtus aliquibus ſub ſenſum cadentibus ſignis declaretur, ut luculentis Dionyſii & Chryſoſtomi ſententiis ſpeculatione 2. expoſuimus.

Secundum principium: Sacramentorum alia primam alia ſecundam gratiam efficiunt.

Præmoneo ſecundò, ſacramentorum alia ad primam

Digitized by Google

mam gratiam producendam, alia ad ſecundam efficiendam per ſe ordinari. Illam porrò dicimus primam gratiam, quâ primùm anima perfunditur; ſecundam appellamus, quæ animæ jam ſanctificatæ advenit, & præexiſtentem gratiam adauget. Ratio eſt, quia ex inſtitutione Chriſti, à qua virtus, quam per ſe habent ſacramenta, proficiſcitur, ſolum Baptiſma ad remittendum gratiâ regenerativâ peccatum originale, ſola Pœnitentia ad delenda per gratiam ſanativam peccata actualia per ſe referuntur: alia verò vitam ſpiritalem ſupponunt, quam roborent, ut Confirmatio; quam alant, & ſpiritaliter impinguent, ut divina Euchariſtia; quam muniant vel propagent, ut in Ordine & Matrimonio; quam in ultimo conflictu protegant & conſervent, ut in Extrema Unctione: ideircò duo priora ſacramenta mortuorum, quinque poſteriora ſacramenta vivorum communi Theologorum conſenſu nuncupantur.

Pro ſolutione infinitarum inſtantiarum habeto præ oculis, quod quia ſacramenta omnia ſunt inſtrumenta Paſſionis Redemptoris, quæ ad remittenda peccata, infundendamque primam quamlibet gratiam per ſe refertur; ideò aliquando contingit, ſacramenta vivorum primam gratiam producere. *Cum quis eſt in peccato mortali*, inquit D. Thomas quæſt. 79. art. 3. *cujus conſcientiam & affectum non habet, forte enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed devotè, & reverenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem peccati.* Contingit etiam ſacramenta mortuorum non primam gratiam producere, ſed productam augere, ut cùm quis nulla mortali labe inquinatus ad pœnitentiæ tribunal mortalia præterita, vel venialia dumtaxat accuſaturus accedit, gratiam quidē per ſe reſuſcitantem, & primæ gratiæ productricem percipit; ſed quia ſubjectum vivum invenit, vitam fovet, non largitur. Quorum omnium radix eſt, quia ſacramenta ut ſunt Chriſti inſtrumenta, eam gratiam producere nata ſunt, ad quam cauſa præcipua Chriſtus Dominus ea applicare juxta ſubjecti diſpoſitionem conſtituit, ſive illa gratia prima ſit, ſive ſecunda. Cum quibus tamen ſtat, ſacramenta quæque ad gratiam peculiarem producendam ſuavi Dei providentiâ deſtinari, eorumque nonnulla primam, cætera ſecundam, juxta ſolitum agendi modū producere. Quæ ſi penetrantiùs inſpexeris, Magiſtrum Nuño exiſtimantem, quælibet ſacramenta ex ratione cōmuni ſacramenti quamcunq; gratiam poſſe producere, ſive primam, ſive ſecundam, tametſi ad unam ex illis ex ratione propria ſint ordinariè deſignata; illum, inquam, Authorem cum aliis Thomiſtis facilè conciliabis, inter quos vix in rei veritate contentio eſt niſi de nomine.

Dices cum Cardinali de Lugo, opinante ſacramenta mortuorum nonquam producere primam gratiam: Sacramenta vivorum ad augendam, roborandam, reficiendam, vel muniendam, fovendamq; primam gratiam ex inſtitutione Chriſti ordinantur. Nam Confirmatio & Euchariſtia ſe habent in ordine ſupernaturali, ſicut potentia augmentativa & nutritiva in ordine naturali; unde ſicut hæ potentiæ vitam naturalem præſupponunt, ita hæ ſacramenta vitam ſupernaturalem ſacramentis mortuorum impertitam. Ergo ſacramenta mortuorum nunquam etiam per accidens primam gratiam communicant, ſicut nec cibus, quàmlibet exquiſitus, vitam mortuo reſtituere poteſt.

Reſpondeo ſacramenta vivorum ex propria ratione ad gratiam ſemel collatam augendam, ornandam, perficiendamq; referri; nihilominus tamen omnia primam gratiam poſſe conferre, quia omnia peræque ſunt inſtrumenta paſſionis Chriſti, qui eſt fons & cauſa omnis gratiæ. Ex quibus patet diſcrimen, quod inter potentias illas naturales, cibumque mortuo appoſitum ex una parte, & ſacramenta novæ Legis ex alia intercedit; quia priora illa ex virtute naturali quidquid poſſunt operantur; inſtrumenta verò non niſi ut ab agente præcipuo permota operantur: unde nihil mirum ſi cauſa principalis inſtrumenta diverſimodè applicet, modo ad primam gratiam producendam, modò ad illam pro diverſa ſubjecti diſpoſitione augendam. Unde D. Thomas *quæſt. 79. art. 3.* omnes illas inſtantias, aliaſque ſine fine pullulantes verè, & compendiosè occupaturus, agens de Euchariſtia dixit: *Virtus hujus ſacramenti poteſt conſiderari dupliciter; uno modo ſecundùm ſe* [id eſt ſecundùm rationem ſacramenti, & medicinæ ſpiritalis] *& ſic hoc ſacramentum habet virtutem ad remittendum quæcumque peccata ex paſſione Chriſti, quæ eſt fons & cauſa remiſſionis peccatorum. Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum qui recipit, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi hujus ſacramenti effectum.* Deinde verò ait, quod licèt ille, qui accedit cum conſcientia peccati mortalis, non poſſit perceptione Euchariſtiæ recipere remiſſionem peccatorum, quia non poteſt ſpiritaliter nutriri qui vult ſpiritaliter mori; attamen qui ad hoc ſacramentum devotè & reverenter accedens ſine conſcientia peccati mortalis vitalem cibum percipit, *conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati.*

Tertium principium: Character eſt trium ſacramentorum effectus ſecundarius.

Præmoneo tertiò, quod præter primarium & per ſe intentum ſacramentorum effectum, gratiam ſcilicet ſanctificantem, quam ſignificant, tria ſacramenta, Baptiſmum ſcilicet, Confirmationem & Ordinem, ſecundarium effectum producere, videlicet, characterem. Ita expreſsè definitur in Concilio Florentino *in decreto unionis*, his verbis: *Inter hæc ſacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpiritale quoddam ſignum à ceteris diſtinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem accipiunt.* Idem docet Tridentinum ſeſſ. 7. can. 9. *Si quis dixerit*, inquit, *in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima; hoc eſt ſignum quoddam ſpiritale, & indelebile, unde & iterari non poſſunt, anathema ſit.* Ipſe etiam Scripturarum loquendi modus non parum huic aſſertioni favet. Cùm enim Apoſtolus 2. *Cor.* 1. ait: *Unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*; voce illa, *ſignavit*, non obſcurè characterem deſcripſit, cujus aliquid ſignare & notare proprium eſt. Eandem veritatem ducunt Patres: Dionyſius *cap. 2. Eccleſiaſt. Hierarch.* ubi ait, hominem baptizatum perfici *communicatorem divinorum per characterem*. Cyrillus *præfat. in Catecheſes*, appellat baptiſma *ſignaculum ſanctum & indelebile*. Idem fusè, & luculenter tradit Baſilius *orat.* 13. verbis poſteà referendis. Denique omiſſis aliis, Auguſtinus non ſolùm characteris ſæpè meminit, ſed illum etiam à gratia & charitate diſtinguit tract. 1. in Joan. *Si baptizatus*, inquit, *charitatem non habet, habet tamen characterem impoſitum, ſed deſertor vagatur.*

Ratio verò eſt, quia tria præfata ſacramenta iterari nequaquam poſſunt, ut ex continenti Eccleſiæ Chriſtianæ traditione liquet, nec inficiantur moderni hæretici, tametſi ſint characteris inimici. Ergo manifeſto argumento eſt, iis ſacramentis inſigne aliquod inamiſſibile in animam imprimi, quod deleri nequaquam poteſt, ſed ei perpetuò inhæret, ratione cujus nullâ iteratione opus ſit, quantumcumque poſt acceptum Baptiſma, Confirmationem, vel Ordinem, Chriſtianiſmo, vel ſacræ Unctioni, vel Ordini nefandâ apoſtaſiâ renuntiatur. Et certè ſi triplex hoc ſacramentum non ſecus ac cætera unam gratiam ſanctificantem efficeret; ſicut per infidelitatem, apoſtaſiam, aliaq; ſcelera gratiā illam homines amittunt; ita ad eam reſarciendam ea iterum ſacra-

menta ſuſcipere neceſſe foret, ſicut propter eandem rationem Pœnitentia & Euchariſtia denuò recipiuntur, vel ad reſtaurandam perditam gratiæ vitam, vel ad eam novis argumentis & fomentis perficiendam. Ergo ſignum eſt, triplici illo ſacramento aliquid imprimi, quod nullâ poteſt liturâ deleri, nullo quàmlibet immani flagitio expungi, nullâ iteratione augeri, vel perfici.

Nec ſatis eſt, ſi ad intentionem, inſtitutionem, vel præceptum Chriſti ea iterari prohibentis recurras: non, inquam, ſatis eſt; tum quia hæc intentio, hæc inſtitutio, hocve præceptum nullibi Scripturarum legitur, ſed ſolâ traditione dignoſcitur, ex qua etiam admittendum eſſe characterem pariter conſtat: tum quia illius Chriſti intentionis & præcepti nullum aliud rationabile fundamentum afferri poteſt. Denique congruentia S. Thomæ optima eſt; ſi enim in Republica, in Senatu, in exercitu, in familia Regis, & Magnatum, quibuſdam inſignibus & teſſeris diſtinguuntur qui variis miniſteriis deputantur, ut Præſides, Duces, Senatores, ephebi, aliique; idem quoque in ſpiritali Chriſti Regno fieri convenientiſſimum eſt, eo duntaxat diſcrimine, quòd in humana ſolâ Reipublicæ, vel Principis deſignatione nihil in miniſtrum imprimente officia committuntur: at verò in regno Eccleſiæ, miniſtris electis gratiam & characterem Deus realiter imprimit, quia non ſterilis, vel otioſa eſt divina electio, ſed unà dicit & facit; benedicit, & bonum fundit; amat, & objectum amoris ſui creat, ut nimirum ſacri miniſtri his internis virtutibus perfuſi & diſtincti, ſua munia & ſuaviùs, & promptiùs, & firmiùs obeant.

Sed dices: Cur triplici illi duntaxat ſacramento characterem producere eximium eſt? Nunquid etiam per cætera ſacramur, & ſacerdotii Chriſti participes efficimur, qui propterea à Principe Apoſtolorum *gens ſancta, regale ſacerdotium* nominamur?

Reſpondeo, iis dumtaxat ſacramentis imprimi characterem, quibus perficitur anima in his quæ pertinent ad cultum divinum ſecundùm ritum Chriſtianæ vitæ; & deſignantur miniſtri familiæ Chriſti, vel per modum recipientis, vel per modum agentis divina. Sic ergo in Baptiſmo imprimitur character, ſeu nota Chriſtianiſmi, quo fidelis ab infideli diſcretus jus habet ad alia quævis ſacramenta ſuo tempore ſuſcipienda. In Confirmatione etiam character, ſeu teſſera militi Chriſtiano imprimitur, quo eam poteſtatem naneiſcimur, quæ ad fidem publicè & intrepidè adverſus religionis hoſtes profitendam neceſſaria eſt: quâ nota ſpiritaliter in vita Chriſtiana provecti, ab infirmis & imbellibus, de quibus dicitur, *quaſi modò geniti infantes*, ſecernuntur. Denique in ſacra ordinatione initiandis character confertur, quo à Chriſtiana plebe Miniſtri Chriſti diſtinguuntur, daturq; poteſtas cùm ad ſacras functiones implendas, tum ad ſacramenta aliis ex officio miniſtranda.

Inſtabis: Euchariſtia maximè pertinet ad cultum divinum: ergo ſi character iis ſacramentis imprimatur, quibus in ordine ad cultum divinum anima perficitur, in Euchariſtia character vel potiſſimè imprimetur.

Reſpondeo fatendo Euchariſtiam non ſolùm ad cultum divinum maximè pertinere, ſed in ipſa etiam quatenus Eccleſiæ ſacrificium eſt, totum Religionis cultum ſitum eſſe; cùm enim in eo Chriſtus ſe, & totam Eccleſiam ardentiſſima charitate tanquam amoris holocauſtum Deo Patri offerat & conſecret, nullus poteſt excogitari cultus auguſtior, quàm quo Chriſtus Deus & homo adorator eſt, qui Patrem tantum colit, quantum colendus eſt. Sed non propterea per Euchariſtiam imprimitur character: *Quia*, inquit D. Thomas quæſt. 63. art. 6. *per hoc ſacramentum non ordinatur homo ad aliquid ulteriùs agendum, vel recipiendum in ſacramentis, cùm potiùs ſit finis & conſummatio omnium ſacramentorum: Continet tamen in ſe ipſo Chriſtum, in quo non eſt character, ſed tota ſacerdotii plenitudo.*

Hoc triplici præſtructo principio, ad totam hanc de virtute & effectibus ſacramentorum doctrinam pleniùs intelligendam neceſſariò tria ſuperſunt explicanda. Primò, quid ſint effectus ſacramenti, quid nimirum gratia ſacramentalis importet, quid character impreſſus? Licèt enim ab omnibus ſacramentis gratiam produci, à tribus etiam characterem imprimi Catholici omnes adverſus Calviniſtarum omnia peſſundantium impietatem confiteantur; quid ſit tamen gratia ſacramentalis, quid character, variè explicant Theologi. Secundò difficultas eſt, quomodo ſacramenta novæ legis ſint gemini illius effectus cauſæ inſtrumentales, num phyſicæ, num morales? Tertiò inquirendum, quot & quæ deſiderentur tum ex parte miniſtri, cùm ex parte ſuſcipientis conditiones, ut ſuos ſacramenta ſortiantur effectus.

Speculatio I.

Primarius Sacramentorum effectus eſt gratia ſacramentalis aliquid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens. Secundarius verò eſt character, ſeu poteſtas ſpiritalis in intellectu indelebiliter recepta ad divina recipienda, vel peragenda.

PRima pars poſita eſt ad explicandum primarium ſacramentorum effectum, in quo nimirum ſita ſit gratia ſacramentalis; eamque docent Nunno & Joannes à S. Thoma adverſus quoſdam Recentiores, à quibus ſtat P. Gonetus.

Probatur: Sicut omnibus ſacramentis commune eſt gratiam producere, vel productam augere, ſi tamen nullum poſitum obicem inveniant; ita ſingulis ſacramentis ſingularis, & eximia gratia reſpondet: tum quia cùm ſacramenta illud producant quod ſignificant, ſingulares eſſe eorum effectus conſtare debet, cùm diſtinctas eſſe eorum ſignificationes clareat: tum quia fruſtra adhiberetur præclara illa ſacramentorum varietas, niſi diverſos fines proximos reſpicerent, ad diverſoſque effectus producendos inſtituerentur: tum demùm, quia ille qui fervidis amoris, & pœnitentiæ actibus extra ſacramentum juſtificatur, gratiam ſacramentalem non recipit, tametſi gratiâ ſanctificante, virtutibus infuſis, & donis Spiritus ſancti circumamictâ adornetur. Signum ergo eſt luculentum, gratiam ſacramentalem aliquid gratiæ habituali communiter dictæ adjicere, ne fruſtra velimus eſſe ſacramenta inſtituta. Atqui illud quod addit gratia ſacramentalis, id quod dictum eſt importat, nimirum modum intrinſecum gratiam habitualem interno additamento perficientem, & ad quoſdam ſpeciales actus gratiam determinantem: tum quia, ut ait D. Thomas art. 2. ad 3. *ratio ſacramentalis gratiæ ſe habet ad gratiam communiter dictam, ſicut ratio ſpeciei ad genus*; ſpeciei, inquam, ſi non perfectæ & completæ, certè incompletæ & modalis, eo pacto quo modi majoris intentionis ſpecie diſtinguuntur, quo actio & paſſio, quo appetitus ſenſitivus in homine & in bruto, quo Petrus ſedens & Petrus ſtans, quo tabula rotunda & tabula quadrata, calor ignis & calor animalis, lux ſolis & lux candelæ in ordine ad diverſos effectus producendos, aliaq; innumera ſecernuntur. Speciem autem ſive completam, ſive modalem aliquod internum additamentum importare, in confeſſo eſt apud omnes. Tum quia quidquid aliud à ſacramentis affici dicamus, ſi non intrinſecum non ſit, erit tantum denominatio extrinſeca, vel aliqua moralis relatio: hoc autem ſi ſemel admittamus, vix ac ne vix quidem evincemus ſacramenta novæ Legis veteribus antecellere, cum etiam ex vi ordinationis, vel electionis veteris Teſtamenti Sacerdotes ad ſua ex officio peragenda miniſteria deputarentur; imo nihil præſtabunt humanis officiis Chriſti familiæ dignitates, ſi nihil internū ſpecialiter habeant Chriſtiani milites, ſeu propugnatores fidei, & ſacrorum adminiſtri. Quin vix contra Durandū efficiamus, characterem non in ſola externa denominatione conſiſtere, ſi effectus principalis ſacramenti in denominatione, vel concomi-

tione

tione morali ſitus ſit. Tum denique, quia gratia ſacramentalis ordinatur ad diverſos effectus operandos, diverſoſque defectus reparandos: ergo ſpeciale aliquid importat diſtinctum à gratia communiter dicta, novus enim effectus ſi novam cauſam, certè novam in cauſa virtutem & modũ agendi præexigit.

Ut hæc materia ſummè utilis & juxtà neceſſaria profundiùs intelligatur; ſuaviùs guſtetur, & ad praxim in receptione ſacramentorum non ſine fructu redigatur, conſiderandus eſt uniuſcujuſque ſacramenti finis. Ad cujus claritatem præ oculis habendæ ſunt rationes illæ, quas Theologi poſt D. Thomam ad ſeptenum ſacramentorum numerum convenienter ſuadendum adhibent. Homini, inquiunt, ad vivendum, vitamque ſervandam & fovendam quinque neceſſaria ſunt; ad ſpeciem verò propagandam & bonum in Republica pacificè gubernandum duo alia deſiderantur: debet nimirum homo in lucem edi, natus augeri, & cibis convenientibus ali; ſi verò in morbum incidat, ſanari, & inter ſuperſtites morbi reliquias refici. Et quia homo animal ſociale eſt, debet etiam pro ſalubri Reipublicæ emolumento, Magiſtratuum regimine & authoritate bonum commune adminiſtrari, & legitima ſobolis propagatione humano generi conſuli. Hæc eadem homini ſpiritali, & novæ in Chriſto creaturæ neceſſaria ſunt, ad eaq; conferenda totidem ſacramenta inſtituta ſunt. Nam Baptiſmus ſpiritalem nativitatem & regenerationem impertit: Confirmatio in Chriſto renatum auget & roborat: Euchariſtia alit & ſuſtinet: Pœnitentia infirmum ſanat: debilem munit Extrema-Unctio: Chriſtianæ verò Reipublicæ miniſtros functiones ſacras obeuntes Ordo ſuppeditat: & filios ad Dei cultum, & Chriſtiani populi conſervationem procreat & educat Matrimonium; unde Chriſtiano nihil eorum, quæ cùm ad vitam privatam, tum ad publica munia laudabiliter implenda requiruntur, deeſt. Idem planè videre eſt, ſi ſacramenta conſiderentur ut ſunt ſpiritales medicinæ in remedium peccati ordinatæ. Nam Baptiſmus mortuum peccato animum vivificat; Confirmatio trepidum virtute ex alto induit, viribus munit, & auget: Euchariſtia innatam labendi pronitatem cibi vetiti nefario eſu immensùm auctam retinet, ne in arcta ſalutis via fluente, fallentéque veſtigio in inferos præcipites agamur; Pœnitentia peccato actuali poſt Baptiſmum patrato medetur; Extrema-Unctio reliquias peccatorum per pœnitentiam haud ſufficienter ſublatas, aut negligentiâ, vel ignorantiâ remanentes exſtirpat: Ordo diſſolutæ multitudinis confuſioni conſulit; Matrimonium concupiſcentiæ frænum, & mortalitatis noſtræ remedium eſt.

Ex his perſpicuè apparet, quiſnam ſit proprius & characteriſticus cujuslibet ſacramenti finis, quiſnam ſpecialis gratiæ ſacramentalis modus. Etenim gratia baptiſmalis eſt vis quædam gratiæ ſuperaddita ad novam vitam inſtituendam, eique ſe conformandum, cujus filii facti ſumus. Gratia Confirmationis robur addit internum ad fidem etiam cum vitæ diſcrimine alacriter profitendam. Gratia Euchariſtiæ ex propria ratione interna ſuavitate, ſpiritus pinguedine, victrici delectatione animum implet. Gratia Pœnitentiæ ſpiritum compunctionis ingenerat, & peccati horrorem inſpirat. Gratia Extremæ Unctionis vim habet eximiam, tum ad mitigandos corporis infirmi dolores, tum ad languores animi ſpiritalibus lenimentis inſtaurandos, tum ad ultimos aſtuti tentatoris conatus exſuperandos. Gratia Ordinis ſingularem ſacris miniſtris virtutem indit ad ſacras functiones ſanctè & religioſè obeundas, ad eamque vitæ caſtimoniam Eccleſiæ Miniſtrie tantoperà neceſſariam obtinendam. Gratia Matrimonii virtutem adjicit ſalutarem, quæ & ad frænandam libidinem, & ad familiæ tranquillitatem, & ad prolis piè educandæ propagationem non parum confert. Hujus miniſterii gratiæ è fontibus Salvatoris jugiter manantis meminit Tertullianus *lib. de reſurr. carnis*, his verbis: *Corp⁹ abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur; caro manûs impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur; caro corpore Chriſti & ſanguine veſcitur, ut anima Deo ſaginetur.* Hanc porrò ſpecialem emaculationem, conſecrationem, illuminationem, ſpiritalemque ſaginam diverſis modis intrinſecis ſubobſcurè explicamus, quia ut rectè S. Thomas *quæſt. 27. de verit. art. 1. ad 12.* ait, *defectus peccati contra quos ſacramenta inſtituuntur, latentes ſunt, unde ſacramentorum effectus proprium nomen non habent.*

Dices: Nonne ſufficit gratiam ſacramentalem ſuperaddere jus ad auxilia ex vi ſuſcepti ſacramenti à Deo obtinenda, prout ſeſe neceſſitas, & occaſio in ordine ad finem ſacramenti obtinendum obtulerint? Ergo non eſt neceſſarium aliquod intrinſecum additamentum gratiæ communiter dictæ per ſacramentalem adjectum.

Reſpondeo, fateri nos ultrò quidem, ritè ſuſcipientibus ſacramenta, nonnulla ſpecialia auxilia à Dei miſericordia concedi. Sicut enim Salvator noſter cùm nobis peccatorum veniam, cœleſtem gratiam, & divini Spiritus effuſionem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus; atque adeò fidelem in promiſſis futurum certò crederemus: ita in receptione ſacramentorum, dum per illa gratiam fundit, unà auxilia illa conferre miſericorditer conſuevit, ſine quibus ſpecialem ſacramenti finem nequaquam conſequeremur. An autem ritè ſuſcipientes habeant jus ad illa auxilia, non auſim dicere: tum quia auxilia gratiæ, donum præſertim perſeverantiæ, quibuſcumque dantur, miſericorditer dantur; quib⁹ autem non dantur, ex juſtitia non dantur, in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis. Tum quia nullum poteſt eſſe in creaturis jus vel meritum in ordine ad auxilia divina; quia ut ex D. Thoma in diſſertatione de merito diximᵘ, auxilia gratiæ ſe tenent ex parte principii meriti, & ſunt effect⁹ gratuitæ Dei voluntatis; unde non poſſunt cadere ſub meritũ, non minùs quàm prima gratia ſanctificans.

Sed utut ſit de hoc, vel illud jus, in quo adverſarii gratiam ſacramentalem conſtituunt, eſt aliquid intrinſecum, vel denominatio tantùm extrinſeca. Primum eſt id quod propugnamus; modò enim concedatur gratiam ſacramentalem reale aliquid importare, quod non habet gratia communiter dicta, contenti ſumus. Secundum verò dici non poteſt, tum propter rationes ſuprà allatas, tum quia per gratiam ſacramentalem homo permanenter, & ad libitum operatur: ergo aliquid permanens includit illa gratia, quo homo quando voluerit, utatur: auxilia autem Dei non ſunt aliquid permanens, nec illa ita habemus ad manum, ut ea ad libitum advocemus, quamvis eis ſemel datis liberrimè utamur. Tum quia gratia ſacramentalis procedit effectivè à ſacramentis, cùm ſit ſpecificus ſacramentorum effectus; auxilia autem Dei non efficiuntur à ſacramentis. Hæc omnia paucis expreſſit S. Thomas *art. 2. quæſt. 62.* dicens: *Gratia ſacramentalis datur in remedium quoad præterita peccata, quæ tranſeunt actu, & remanent reatu.* Vult ergo gratiam ſacramentalem aliquid permanens importare, quo reatui permananti permanens remedium apponatur.

Inſtabis: D. Thomas *art. 2.* inquirens quid gratia ſacramentalis habituali ſuperaddat, reſpondet addere *quoddam auxilium divinum ad conſequendum ſacramenti finem neceſſarium*. Ergo nihil gratiæ intrinſecum per ſacramenta additur.

Reſpondeo auxilium illud ſupponere aliquid intrinſecũ ſanans & reparans defectus peccati, ad cujus exigentiam concedatur; nec apud S. Doctorem novum eſt, ut benè obſervat Joan à S. Thoma, ut auxilii nomine aliquid habituale & permanens intelligatur: nam 1. 2. *quæſt. 109. art. 7.* docet, *requiri auxilium gratiæ ad hoc, quod homo reſurgat, & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiorem Dei motionem.* Per auxilium ergo intelligit vigorem permanenter auxiliantem, ſpecialis effectus productivum.

Unde *quæſt. 27. art. 7. ad 2.* ait idem Doctor Sanctus, quod *gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam gratum facientem aliquod effectivum ſpecialis effectus, ad quod ordinatur ſacramentum.*

Urgebis: Internum illud additamentum, ſive habitus, ſive modus aſſeratur, nec ad ſanctificandum hominem exigitur, cùm ille ſit connaturalis gratiæ communiter dictæ effectus; nec ad exercendas chriſtianæ vitæ operationes deſideratur, cùm ille ſit infuſarum virtutum affectus, quarum beatâ copiâ Chriſtianus in juſtificatione ditatur. Ergo ſupervacaneus eſt modus ullus gratiæ communiter dictæ ſuperadditus.

Reſpondeo internum illud additamentum eſſe impreſſionem quandam, & permanentem confortationem ex Paſſione Chriſti derivatam, & per ſacramenta productam, qua Chriſtianus intrinſecè & permanenter ad opera vitæ Chriſtianæ roboratur, eo modo quo lux, prout à ſole vim ſpecialem ſortitur in ordine ad ſpeciales effectus, quam non habet lux ab aſtris & igne proficiſcens. Quorum omnium radix reddita eſt, quia operationes diſtinctæ connaturaliter efficiendæ diſtinctum principium, vel diſtinctam ejuſdem principii virtutem præſupponunt; unde gratia ſacramentalis, quæ ad diverſos effectus efficiendos, diverſoſque defectus reparandos ordinatur, aliquid permanens omninò importat, alioquin fruſtra multiplicabuntur ſacramenta, cùm gratia communiter dicta virtutibus infuſis ſtipata in unoquoque ſacramento habeatur. Unde ad operationes Chriſtianas veluti ex officio, & tanquam membrum Chriſti eliciendas, interno dono per ſacramenta collato permanenter opus eſt, ratione cujus ipſa auxilia ſpecialia ſpecialem habeant proportionem cum gratia, quæ confertur in uno potiùs quàm in alio ſacramento.

Quid ſit character à tribus ſacramentis impreſſus?

Secunda pars naturam characteris, & perfectam ejuſdem diſtinctionem tradit, ſimulque varias antiquorum, & recentiorum ſententias explodit, ut ſingularum expoſitione particularum apparebit. Supponit autem hæc definitio contra Durandum, characterem eſſe aliquid reale. Et certè nihil præſtabunt miniſteria novæ Legis antiquis, ſi realem characterem quædam ſacramenta non imprimant ſuſcipientibus. Etenim ex vi ordinationis ſacerdotes veteris legis ad miniſteria ſua ex officio peragenda deputabantur. Imò charactere & poteſtatem per illum collatã humanorum officiorũ dignitatibus & muneribus non antecellere, ac proinde nihil indelebile imprimere, ſed externam dumtaxat, & denominativam poteſtatẽ conferre, ſimilem illi quam habet Judex vel Conſul ex inſtitutione Regis facultatem illam valentis pro arbitrio mutare, augere, ampliare, reſtringere, vel penitus ſolo verbo vel literis patentibus auferre, & abſque ulla intrinſeca perſonæ mutatione abolere. Ergo improbabilis eſt Durandi ſententia exiſtimantis, characterem non niſi denominationẽ extrinſecam eſſe, & habitudinem rationis in illa fundatam; ſed potiùs dicendum omninò eſt, characterem eſſe ſignaculum quoddam, quod ut ait Ambroſius lib. 7. de Spiritu ſancto, cap. 6. *fit non ſolùm per ſpeciem viſibilem* (ſicut olim fiebat in Judæis, qui ut ait Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. *obſignati erant circumciſione, quemadmodum pecudes,*) *ſed veritate in corde.* Non enim minùs fœcunda eſt divina electio, quàm amor: ſicut ergo amor divinus objectum dilectionis ſuæ non ſupponit, ſed facit, infundens & creans bonitatem in rebus; ſic divina electio ſacramentorum diſpenſatores non invenit, ſed efficit, inditque poteſtatem ad ſacra miniſteria peragenda, juxta illud ab Apoſtolo 2. *Cor.* 3. pronuntiatum: *Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti.* Hoc præmiſſo exponendæ ſunt unà & probandæ ſingulæ præfatæ characteris definitionis particulæ.

In primis character dicitur poteſtas ſpiritalis ad divina vel agenda, vel ſuſcipienda: putà character Ordinis confert initiato poteſtatem exercendarum actionum hierarchicarum, putà conſecrandæ Euchariſtiæ, vel abſolvendi à peccatis. Character Baptiſmatis ad cætera quæque Chriſti ſacramenta recipienda habilem hominem efficit: character Confirmationis ad fidem ex officio propugnandam poteſtatem confert; per characterem enim à triplici ſacramento impreſſum nihil aliud hactenus quiſpiam intellexit, quiſpiam intelligit, quiſpiam intelligere poteſt; idque negare eſt Chriſtianæ Religionis rudimenta inficiari, & de vocibus inaniſſimâ contentione altercari. Ergo cùm character ſit ejuſmodi poteſtas, neceſſariò ad illam qualitatis ſpeciem reduci debet, quæ principium productivum definitur; principium, inquam, vel activum, vel paſſivum, quis utrumque ad eandem ſpeciem revocatur. Atqui tale principium eſt potentia, ſeu poteſtas, ut ex terminorum penetratione patet. Ergo ad potentiam reducitur character, & poteſtas ſpiritalis agendorũ, vel recipiendorum divinorum meritò nominatur, quâ homo actionum chriſtianarum, vel hierarchicarum inſtrumentum conſtituitur.

Confirmatur penetrantiùs, & omnes P. Suaris oppoſitum ſentientis, & à D. Thoma in hac parte advertenter recedentis inſtantiæ occupantur. Juxta ſolitam divinæ providentiæ œconomiam & proprium Dei authoris ſupernaturalis agendi modum, ſolet illud intercedere diſcrimen inter miniſtros à Deo conſtitutos, & eos quos humana eligit authoritas, quòd hæc idoneos ad implendas commiſſi muneris partes non facit, ſed ſupponit. At verò Deus Optimus Maximus, cujus voluntas eſt cauſa rerum eligendo miniſtros ad munia præſertim chriſtiana & hierarchica obeunda, nullam in eo impoſiti miniſterii exercendi facultatem ſupponit, ſed confert, benedicens ſimul & benefaciens; aptans in omni opere bono, & idoneos inſtituens miniſtros novi Teſtamenti. Ergo dum characterem imprimit, non moralem dumtaxat, quali etiam humanorum officiorum adminiſtri non carent, ſed phyſicam & realem indit poteſtatem ſacrorum vel effectricem, vel certè ſuſceptricem. Ergo character eſt divinorum agendorum, vel patiendorum poteſtas ſpiritalis, ut in priore definitionis particula aſſeruimus.

Secundò diximus, characterem eſſe poteſtatem in intellectu receptam, & probatur. Actus ad quem ordinatur character, eſt actus intellectus, cultus enim divinus, in quem collimat omnis ſingulorum characterum poteſtas, eſt quædam fidei proteſtatio, ac proinde illius facultatis actus eſt, in qua fides ipſa recipitur, quam utique in intellectu ſubjectari nemo ambigit. Ergo character in intellectu recipitur; intellectu, inquam, non ſpeculativo, ſed practico; qui cùm cæteras potentias imperio moveat, in illo etiam debet collocari character, qui ad ea quæ circa divinum agenda ſunt, ac proinde in operationem totus quantus proclivis eſt.

Tertiâ demùm particulâ diximus, characterem in intellectu indelebiliter recipi, ita ut poſt hanc vitam nedum in Beatis ad ornatum, ſed in damnatis quoque ad confuſionem perſeveret. Et quidem in Beatis perſeverare characterem, per ſe claret; character namque eſt ſpiritalis conſecratio, quæ tandiu manere ſolet, quandiu res conſecrata perſeverat, ſicut calix integer & impollutus nunquam amittit conſecrationem. At beatitudine non ſolùm non amittitur integritas, ſed pleniùs, & omnimodis conſummatur: ergo in cœlo ſacrum illud ſignaculum perſeverat, quo Deus miniſtros ſuos adornavit.

De damnatis idem quoque, tametſi non eodem modo, probatur. Si ſemel receptus in intellectu character deſtrueretur, vel id contingeret immiſſione alicujus contrarii, vel merito perverſæ vitæ, quam impii duxerunt; vel deſtructione ſubjecti, quo pereunte nequit ſubſiſtere. Atqui nihil horum contingit; poteſtas namque ſpiritalis nullum agnoſcit ſen-

titque contrarium: demerita etiam illum non convellunt, alioquin in hac vita patratis nefandis ſaltem ſceleribus, putà apoſtaſiâ, vel blaſphemiâ, aut certe atheiſmo, character deleretur, unde hujuſmodi impii iterum baptizari, iterum confirmari, iterum ordinari deberent; quod Apoſtolicis traditionibus, & Catholicæ Eccleſiæ praxi prorſus repugnat. Denique nunquam deſinit characteris ſubjectum, cùm ſemper maneat intellectus immortalis. Ergo indelebiliter character in intellectu recipitur; neque enim Deus formas ullas deſtruere, vel conſervativum earum concurſum ſuſpendere, niſi ad alicujus cauſæ ſecundæ exigentiam conſuevit.

Sed cur, inquies, remanebit potentia characteris in inferno, nullum actum per totam, quàm latè patet, æternitatem exercitura; ibi enim nullus Deo cultus exhibetur, nulla hierarchica functio celebratur, nullus denique ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ergo ſicut fide privantur damni, ut alibi diximus, ita & charactera juſtis de cauſis ob patrata flagitia orbantur.

Reſpondeo, quod ſicut potentia augmentativa, generativa, aliæque vires non ceoſentur io aliâ vita inanes, quia etſi nullum in actum ſint proruptruræ, id non ex defectu virtutis proficiſcitur, ſed ex ſtatu immobili, cui hujuſmodi operationes minimè conſentaneæ ſunt. ita character ſemel impreſſus, tametſi nullam functionem elicituru, fruſtra non conſervatur, quia ſemper exigit naturâ ſuâ permanere, ut Chriſtianos & miniſtros ab aliis interſtinguat; beatos quidem ad gloriam, reprobos in opprobrium ſempiternum. Nec eſt ſimile de fide, quæ cùm piæ voluntatis mooonem exigat, in eis permanere non poteſt, quibus pietas omnis repugnat.

Derivatis quibuſdam corollariis prædicta characteris definitio magis ſtabilitur, & Angelici Doctoris ſententia ab Recentiorum inſtantiis vindicatur.

Ex dictis quædam breviter colligemus corollaria, & adverſus ſtabilitam S. Thomæ ſententiam objectiones fieri ſolitas, Deo benè vertente, facili negotio refellemus.

Sequitur ergo primò contra Scotum, characterem non eſſe relationem. Tum quia poteſtas non eſt relatio. Tum quia ad relationem non datur per ſe motus, id eſt, nulla ad illum directè actio terminatur: tria autem ſacramente memorata per ſe characterem producunt. Tum quia nullum dari poteſt diſtinctum à poteſtate ſtabilita relationis hujuſce fundamentum; non gratia vel fides, quæ poſſunt permanente charactere deperire; oon anima vel facultas naturalis, quæ ſæpe charactere caret; non ſuſceptio ſacramenti, quia tranſeunte ſacramenti ſuſceptione character perſeverat. Tum demùm, quia relatio non eſt activa, character autem eſt divioorum agendorum, vel patiendorum principium. Nec obeſt quod character à Patribus dicatur ſignum, quod relationem ad rem ſignificatam importat: ooo obeſt, inquam; quia ſignum accipiuot pro ſigillo impreſſo, eo modo quo ſigillum ceræ, vel alibi inſculptum dicitur ſignum; quo cicatrix impreſſa io circumciſione Judæis, dicitur ſignum; & quo ea quibus ab aliis diſcernimur & internoſcimur, ſigna appellare conſuevimus.

Sequitur ſecundò, characterem non reduci ad ſecundam ſpeciem qualitatis, ſeu habitum, uti Suarez exiſtimavit. Tum quia character ad potentiam revocetur, ut oſteoſum eſt: ergo ooo eſt habitus. Tum quia habitus actibus intenditur, & contrariis deſtruitur: character autem nec actibus ullis augetur, nec ulla impietate deletur. Tum quia, ut diſcurrit S. Thomas *quæſt. 63. art. 2.* oullus habitus eſt, qui ſit ad bonum & malum indifferens; nam habitu virtutis nullus malè utitur, & habitu vitii nullus benè. At character ad utrumque ſe habet, eo etenim quidam benè utuntur, alii verò malè; unde character otrumque permittit, modò ad religioſum cultum, modò ad ſacrilegum concurrens; ſicut intellectus modò verum, modò falſum attingit; & voluntas modò bonum, modò perverſum objectum proſequitur. Ergo character non eſt habitus, ſive bonus, ſive malus, id eſt in opus bonum per ſe determinatus; ſed utriuſque capax, utriuſque ad modum potentiæ productivus. Quanvis enim character, ſicut & omnis potentia, bonum objectum habeat, ſcilicet cultum divinum; ſubjectum tamen indeterminatum relinquit, quod charactere benè, vel malè uti poteſt; ſicut prophetiâ & donis gratis datis in bonum objectum proclivibus malè uti poteſt, qui eis ornatur, ut patet in Balaam, Caipha, & aliis, quos ſe neſciturum Veritas teſtata eſt.

Dices cum Suare Nulli trium characterum, quos Catholica agnoſcit Eccleſia, convenire poteſt ratio potentiæ. Non quidem characteri Baptiſmatis, cui ſi quæ potentiæ ratio conveniret, maximè ratio potentiæ paſſivæ cæterorum ſacramentorum, ut iſtentur ii qui ad potentiam illum revocant. Atqui character Baptiſmi nõ eſt potentia receptiva aliorũ ſacramentorum, ſeu gratiæ vel characteris ab aliis ſacramentis producti; ſi enim character ipſe Baptiſmi abſque præcedentis characteris apparatu recipitur, quidni ſimiliter alii characteres in potentia animæ obedientiali recipi poterunt abſque prævia baptiſmalis characteris diſpoſitione? Non convenit etiam ratio potentiæ characteri Confirmationis; etenim potentia dat ſimpliciter poſſe, ſicut habitus facilitatem & ſuavitatem operandi ingenerat: character autem Confirmationis, nec ad Ordines ſuſcipiendos eſt ſimpliciter oeceſſarios, cùm non confirmatus validè ad Ordines promoveatur; nec ad profitendam publicè fidem deſideratur, cùm non confirmatus interno religionis & virtutum infuſarum adjumento, Dei præſertim auxilio roboratus, pro fide fortiter pugnare poſſit. Idem quoque de charactere Ordinis demonſtratu facile eſt; Ordinis enim character non ſecum invehit, ſed operandi facultatem ſupponit: character v. g. Acolyto impreſſus, non confert candelabri deferendi, vel urceolorum miniſtrandorum poteſtatem, character Sacerdotalis verborum proferendorum non ingenerat facultatem: neque enim ſupra verba, ut ſunt quidam ſonus, requiritur aliud præter motionem inſtrumentariam, quam Deus verbis prolatis, ſicut cæteris ſacramentis, tranſeunter infundit. Ergo character oon poteſt ad illam qualitatis ſpeciem, quæ dicitur potentia, revocari.

Reſpoodeo his argumentis ita perſuaſum fuiſſe Suarem, ut crediderit nullam eis, vel probabilem ſolutionem poſſe adhiberi; pro ſua tamen in D. Thomam revereotia addere, ſe invitum à S. Doctoris ſententia diſceſſiſſe, indiſſolubilium vi & veritate argumentorum coactum. Verùm hæc omnia ex dictis ſoluta & occupata manent, & eruditi Theologi pace dixerim, quantamquantam eorum argumentorum difficultatem ex chriſtianorum characterum dignitate & majeſtate haud ſatis attenta proficiſci; de characteribus enim illis tam divinis nimis humanè & philoſophicè, nec ad illam eorum tam ſublimem, quam ſacri Doctores efformarunt, ideam ſatis conſentaneè P. Suarem diſputaſſe.

Unde ad ea, quæ coorra potentiam characteris Baptiſmi opponit, reſpondeo neceſſariò fateodum eſſe, characterem Baptiſmatis eſſe potentiam aliorum ſacramentorum receptivam, cùm nullum, niſi eo præhabito, validè ſuſcipi queat. Et quanvis non improbabiliter dici poſſit, characterem illum fundamentalem eſſe ſubjectum quo alii characteres recipiuntur, ſicut mediâ quantitate cætera accidentia ſubjecto inhærent; id tamẽ ad rationẽ potentiæ paſſivæ minimè neceſſariom eſt; ejus enim ſolùm eſt reddere ſubjectum capax formæ ulterioris, vel actus, ad

quem forma recipienda ordinatur. Sicut mollities licèt ſigilli figuram non recipiat, quia tamen ceram reddit ad recipiendum ſigillum idoneam, ab Ariſtotele *cap. de qualitate*, ſub ſpecie potentiæ paſſivæ collocatur. Et cùm dicitur ipſum Baptiſmi characterem immediatè recipi in ſubjecto abſque prævii characteris diſpoſitione, verum dicitur; ſed malè inde colligitur, idem eſſe de aliis exiſtimandum. Lapis namque fundamentalis aliis ſubſternitur, ſed nulli ipſe innititur: & ſimiliter Baptiſmus, quia eſt novæ creaturæ nativitas, nihil aliud in ordine ſupernaturali ſupponit, tametſi ipſe cæteris præſupponatur.

Id etiam, quod contra potentiam characteris Confirmationis objicitur, nihilo magis urget. Actus enim proteſtationis fidei non poteſt ex officio, niſi à confirmato proficiſci. Nec ad hanc fidei confeſſionem ſola ſufficit externa deputatio, quâ ſemel admiſſâ, tota corruat characterum neceſſitas, tota chriſtianæ familiæ ſpiritalis œconomia labatur neceſſe eſt. Non ſufficiunt etiam internarum virtutum & gratiæ præmoventis adjumenta, quia jam ſequeretur characterem nedum non eſſe potentiam, ut contendit adverſarius, ſed nec habitibus eſſe accenſendum; fruſtra enim admittitur characteris Confirmationis habitus ſpecialis, ſi intrepida militis Chriſtiani pugna & victoria ab internis virtutum & auxiliorum opitulationibus derivetur. Dicendum ergo, religionem & fortitudinem infuſas multa in Dei honorem poſſe agere, multa & pro cauſa Dei pati: verùm quos actus bonos eliciunt, ſub determinata proprii objecti honeſti ratione reſpiciunt, at verò character eoſdem actus ſub univerſaliori ratione attingit, prout nimirum fidem propugnant, & adverſantibus Chriſtianiſmi impetibus reſiſtunt; neque hanc pugnam ſub determinata honeſtatis ratione reſpicit miles Chriſti, ſed ſub ratione ampliori indifferenti ad bonum & malum ex parte ſubjecti; character enim effectiue productionem reſpicit, non ſecundùm convenientiam, vel diſconvenientiam ſubjecti, ſed ut agenti præcipuo, cujus inſtrumentum eſt, inſerviat. In ſumma, religio reſpicit cultum divinum ſanctè faciendum, character eundem cultum validè exercendum intendit: nam fortis pro fide conflictus vanâ gloriâ inquinatus, non à virtute infuſa, benè tamen à charactere procedere poteſt. Idque poteſt familiari exemplo illuſtrari. Quilibet in caſu neceſſitatis invadentem Regni hoſtem arcere poteſt & debet, nemo tamen ex officio adverſus eum arma capeſcit, niſi miles vel dux, qui nomen dedit & conſcriptus eſt: Ita ſimiliter licet adverſus communes hoſtes omnis homo miles ſit, ex officio tamen ſoli confirmati ad fidem tutandam & glorificandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, deſpectis injuriarum & laborum incommodis armantur, ſoli vincunt, ſoli triumphant.

His adde, virtutes infuſas multa quidem præclara in Dei cultum efficere, eis tamen non alligari poteſtatem hoſtibus efficaciter reſiſtendi, eoſdem confundendi, de iiſque triumphum reportandi. At verò ſacro illo charactere inſtructi, induti virtute ex alto, veluti ſcuto circumdari, armiſque cùm defenſivis, tum offenſivis muniti in ſpirituale fidei certamen deſcendunt, & repetitis ictibus ac petitionibus hoſtes religionis ſuſtinent intrepidè, aggrediuntur generosè, & tandem conficiunt fortunatè. Quod Apoſtolorum exemplo claret; illi enim ante paſſionem Domini, vel ſub ipſam paſſionis horam adeò infirmi, remiſſique fuerunt, ut Domino comprehenſo ſtatim ſe in fugam conjecerint; Petrus verò Apoſtolorum Princeps, & Eccleſiæ Petra poſtea deſignandus, qui egregiam animi magnitudinem à virtutibus infuſis inſpiratam paulò antè præ ſe tulerat, unius mulierculæ voce perterritus ſe diſcipulum Chriſti ſemel, iterum, & tertiò negaverit, & poſt ipſam quoque reſurrectionis gloriam omnes propter metum Judæorum incluſi domi ſe continuerint. At verò poſt acceptũ in die Pentecoſtes Confirmationie robur, gratiam ſcilicet & characterem, non modò antiquam teneritatem & molliciẽ evacuarunt ſed adverſus coeuntes mundi & diaboli impetus facti robuſtiores, commiſſum ſibi Evangeliũ non in ſola Judæorum regione, ſed in univerſo quàm latiſſimè patet orbe interritè prædicarunt, & impavidè diſſeminarunt, nihil ſibi felicius accidere poſſe exiſtimantes, quàm ſi digni haberentur, qui pro nomine Jeſu contumeliam, vincula, tormenta, mortem, aliàque omnia paterentur; à quibus antea tantoperè abhorrebant. Idem in clariſſimo Martyrum noſtrorum triumpho enituit, qui inter verbera, feras, ignes, & omnem excogitabilem carnificinam ſtabant non ſolùm fortiter, ſed etiam alacriter: unde hoc quæſo, unde hoc? Non faciebat hoc ſtupor, ſed amor religionis à charactere inſitus; non amittebatur ſenſus, ſed virtute Confirmationis ſubmittebatur; nec deerat dolor, ſed charactere impreſſo ſuperabatur.

Ad id denique, quod contra Ordinis characteris potentiam objicitur, dico characteres Ordinum inferiorum eſſe potentias paſſivas reſpectu Ordinum ſuperiorum, maximè Ordinis Sacerdotalis, pro quo tanquam principaliori ſignificato ſupponit character Ordinis. Nec obeſt, quod iſte poſſit per ſaltum, haud ſuſceptis inferioribus Ordinibus ſuſcipi: non obeſt, inquam, quia ſic promotus ordinem majorem non jure ſuſcipit, ſed uſurpat; eſt autem character potentia jure, & ritè ſuſcipiendi & patiendi divina. Adde characteres Ordinum inferiorum non incommodè dici poſſe potentias activas exercendi actus proprios, putà deferendi candelabri, miniſtrandorum urceolorum, cantandi Evangelii; quæ quidem munia non debent phyſicè dumtaxat & materialiter accipi (ut modo nimium humano accipit arguens,) ſed ut ordinem ad Euchariſtiam important, quâ habitudine carent eædem actiones ab aliis minimè promotis elicitæ. Sicut licèt quilibet Doctoris pileum, Mareſcalli radium aut bacillum, Senatoris inſigne materialiter & phyſicè geſtare poſſit, eas tamen teſſeras nemo niſi Doctor, Mareſcallus, vel Senator reſpectivè ex officio defert: ita pariter ſacras functiones exercere nullus quit, niſi charactere inſignitus, & divinis conſecratus. Maximè quia nonnullæ functiones characteris Sacerdotalis (pro quo potiſſimùm ſupponit Ordinis character) à nullo, quam à Sacerdote exerceri queunt: ſolis namque charactere ſacerdotali ſignatis peccata remittere, gratiam producere, panem in corpus Chriſti tranſſubſtantiatione commutare, & divinis miniſteriis ex officio fungi licet. Licèt enim poſſit Deus quamlibet creaturā ad hujuſcemodi effectus inſtrumentaliter producendos aſſumere, ad illos tamen connaturalem coaptationem & proportionem ſolus character habet, ſicut ſolus calamus aptatus ad ſcribendum idoneus eſt.

Sequitur tertiò, characterem non recipi in eſſentia animæ. Probatur contra *Suarem* & *Vaſquem*. Character eſt ſpiritalis poteſtas ad agendum vel patiendum divina ordinata: ergo in potentia illa recipitur, quam ad agendũ, vel recipiendum idoneā reddit. *Sicut eſſentia animæ*, inquit D. Thomas q. 63. art. 4. ad 2. *per quam eſt naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, quâ anima ſpiritualiter vivit; ita potentia naturalis animæ perficitur per ſpiritualem potentiam, quæ eſt character.* Et licèt potentia naturalis in eſſentia animæ recipi debeat, à qua per modum proprietatis dimanat, potentia tamen ſupernaturalis deſuper adveniens, in potentiis reſidet, quas perficit.

Sequitur quartò, characterem non ineſſe voluntati, ut poſuit Scotus. Probatur: Habitus voluntatis ad ſtudioſè, vel vitioſè vivendum inclinant; cùm enim voluntas ſit potentia boni malique moralis capax, ad bonum vel malum vaſta illa capacitas & indifferens amplitudo habitibus determinatur. Neque enim admitti ullâ ratione poteſt (quod tamen probabile cenſet eſſe P. Suarez,) dari in voluntate poſſe

habi-

habitum ad bonum malumve indifferentam, cùm habitus proprium ſit latam potentiæ indifferantiam determinata, ideoque habeat objectum potentiæ indiffereotiam determinare, ideoque habeat objectum potentiæ objecto minùs univerſala, iſtiuſque latitudinem contrahens: quomodo autem quod indiffereos aſt voluntatis indifferantiam reſtringet, & in bono malòve determinatam firmabit & figet? Adde quod habitus ullus non niſi actibus generari poteſt. Cùm ergo nullus dari poſſit indifferens in individuo actus, nihil aſt, quo habitus indifferans generetur. Hoc autem ſuppoſito clarum eſt, charactèrem non poſſa in voluntate recipi, quia cùm ex ſe ſit ad bonum malumque actum indifferens, nec per ſe curet ut actus ſanctè & piè, ſed validè etiam à miniſtro ſacrilago exerceatur, in illa profectò facultata non recipitur, quæ oon niſi qualitatihus determinatè malis informatur.

Dices: Character eſt diſpoſitio ad gratiam & ſanctitatem: ergo ſicut gratia & ſanctitas vel in eſſentia animæ, vel in voluntate inſunt, ita character in alterutro recipitur.

Reſpondeo fatendo, characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam & ſanctitatem, non quidem illam quæ à ſacramento illo producitur, à quo & character imprimitur; ſed ad illam, quæ vel in aliis ſacramentis recipitur, vel in exercitio ſacrarum functionum datur vel augetur. Probatum enim & cartum mihi ſemper fuit [quod à Chriſti Miniſtris obſervari pervelim] in exercitio operationum à charactera imperatarum, ſivæ in miniſterio divini cultas ex officio exerciu, novam gratiam infundi, nova ſaltem auxilia conferri, ſi ea quâ per eſt, raligiona fiant. Veridicè nanique D. Thomas *quaſt. 63. art. 4. ad 1.* inquit: *Character directè & propinquè diſpenit animam ad ea, quæ ſunt divini cultus exequenda: & quia hæc idoneè non fiunt ſine auxilio gratiæ, quia ut dicitur Ioan. 4. eos qui adorant Dnũ, in ſpiritu & veritate adorare oportet, ex conſequenti divina largitas recipientibus characterẽ* (vel illum rectè exercentibus) *largitur gratiã; per quam dignè impleant ea, ad quæ deputãtur.*

Sad non benè inda colligitur, characterem non ſecus ac gratiam vel charitatem in eſſentia animæ, vel voluntate recipi oportere. Neque enim neceſſa eſt, ut diſpoſitio eidem ſubjecto proximo inſit, in quo illud reſidet, ad quod diſponit, ni ſitum cùm de illud idem, quod erat anteà diſpoſitio, fit deinde perfectio; ſicut calor qui erat diſpoſitio ad ignem ignis perfectio evadit. ſecus verò eſt quando diſpoſitio & perfectio differunt, nam operatio ſenſibilis eſt diſpoſitio ad intellectualem, nec tamen in intellectu recipitur; & actus fidei ad amorem diſponit, nec tameo in voluntate, ſicut amor recipitur. Non eſt ergo opus, ut charactere ad gratiam & ſanctitatam diſponens ibi immediatè inſit, ubi gratia & ſanctitas inveniuntur; ſed cùm ad fidei proteſtationem ordinetur, illi facultati ineſt, in qua eſt fides ut ſacros ritus ordinet, & functiones Chriſtianæ familiæ validè exerceat.

Sequitur ultimò, primarium ſacramentorum effectum eſſa gratiam, ſecundarium verò characterem. Cùm enim novæ legis ſacramenta ſint quædam ſpiritalia pharmaca ad parſanandos animi morbos per ſe inſtituta, unde & definiuntur ſigna gratiæ ſanctificantis nos; planè relinquitur, ſanitatem animæ, quam gratia largitur, primarium aſſe, & per ſe intentum ſacramentorum effectum.

Dices ex D. Th. *art.* 4. character diſponit immediatè ad cultum divinum, qui cùm non bene ſine Dei gratia exerceatur, ideò ex conſequenti Daus largitur gratiam. Quod autem ex conſaquenti datur, non primarius, ſed ſecuodarius effectus jure merito cenſatur. Et ratio eſt, quia ille effectus eſt potior, qui ad finem intentum ſimpliciter necaſſarius eſt, quive à cauſa ſemper producitur; ſicut illa proprietas præcipua reputatur, quæ eſſentiam ſempar comitatur; illa verò effectus minùs præcipuus habetur, qui ad finem obtinendum non ſimpliciter, ſed ad melius deſideratur; quive interdum ab agente prætermittitur. Atqui character ad finem trium ſacramentorum ſimpliciter naceſſarius: finis namque Baptiſmatis eſt reddera hominem ad ſacramenta novæ Legis ſuſcipienda idoneũ; finis Confirmationis eſt hominem in defenſione fidei impavidum reddere: finis Ordinis eſt ſacram conficere Euchariſtiã, aliaſque actiones hierarchicas exercere, ad quæ omnia character ſimpliciter naceſſarius eſt, gratia verò nõ niſi ad melius, id eſt ad ſancta illa ſanctè obeunda deſideratur. Character etiã ſemper ab illis ſacramentis, non obſtante quocũquo obice, imprimitur, ſecus verò gratia. Ergo character aſt triũ præfatorũ ſacramentorũ finis primarius.

Reſpondeo hæc argumenta finem characteris cum fina ſacramanti confuodere; licèt anim primarius characteris finis ſie cultus divinus ex officio validè peragendus (quod unum loco adducto intendit S. Doctor) falſum tamen eſt, eundem eſſe ſacramenti finam principalem. Unde primùm intentum Baptiſmatis eſt oovam in Chriſto efficere creaturam, & à paccato primigenio mundatam in divinam filiationem evehere; ſed finis characteris baptiſmalis eſt Chriſtianum ad divina agenda & recipienda idoneum efficere. Finis Confirmationis eſt invictum gratiæ cœleſtis robur impertire, quo renatus ſpiritaliter auctus perſequutionis furores interrito & chriſtiano animo valeat ſuſtinere: finis verò characteris Confimationis eſt actus proteſtationis fidei dirigere, hoſtes aggredi, aggredientes confundere, & de confuſis triumphara. Danique finis ſacramenti Ordinis eſt gratiam illam impertiri, quæ ad ſancta ſanctè tractanda raquiritur, finis verò characteris Ordinis eſt ſacras functiones ritè & validè exercere. Ad id quod dicitur, effectum illum eſſe potiorem, qui ſemper producitur; reſpondeo perpetuum effectum non ſamper eſſe principalem: arbor enim ſemper folia, non ſamper fructus utiqua potiores producic; imò potiſſimus effectus ſæpe non prodit, quia quo perfectior eſt, eo magis exquiſitum prærequirit diſpoſitionum, quæ ſæpe deſunt, apparatum.

Reflexio.

Poſtquam audivimus, ab unoquoque ſacramento ſpecialem promanara gratiam, à tribus imprimi ineffabilis virtutis characterem, cur ad excuſandas excuſationes in peccatis de gratia conquerimur, cujus multiformi, beataqua copia nedum ad neceſſitatem, ſed ad dalicias in tot ſacramentis abundamus. An oobis deeſſe Deum cauſabimur, qui cùm nobis peccatorum veniam, cœlaſtemque divini Spiritus effuſionem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus eum quaſi pignoribus obligatum haberemus, atque adeò fidelẽ in promiſſis futurum certiſſimè credaremus. Quis ſimilis tui in fortibus, Domina; quis in auxiliando ſimilis tui? Magnificus plenè in ſanctitate qui tot modis, tot ſacramentis ad nos venis, pulſaſque ad oſtium, ut lapſoa erigas, infirmos ſanes, arrantes corrigas, debiles adjuves, trepidos confirmes, perfectos paſcas, certantes defendas, victores tandem perpetuâ viſionis coronâ muoeraturus. Magnificus, inquam, qui animæ deſideranti te totus feſtinus, totus faſtivus occurris, cœleſti rora circumfuſus, unguentis optimis delibutus, ut animam recreas fatigatam, reficias eſurientem, aridam impingues, terrenorum oblitam, ſuique immemorem, memoriâ facias abundantiæ ſuavitatis tuæ eructare. Magnificus, inquam, in ſanctitata, qui omnibus omnia factus, & parvulis vitam, & adultis robur, & fortibus cibum, & pœnitentibus veniam, & languentibus medicinam, & popolis miniſtros, & conjugibus libidinis frænum tam affuſè ſeptam ſacramentis impendis. Verè omnia habemus in Chriſto, & omnia in nobis Chriſtus. Si vulneramur, madicus eſt; ſi febribus æſtuamus, fons eſt; ſi gravamur iniquitate, redemptio aſt; ſi egemus auxilio, virtus eſt; ſi mortem metuimus, vita aſt; ſi tenebras fugimus, lux eſt; ſi ad cœlum tendimus, via eſt; ſi falli nolumus, varitas eſt; ſi baari cupimus, vita eſt ſempiterna.

Quomodo ergo tot gratiarum varietate inſtructi,

tot muniti præſidiis, tot cæleſtibus imbribus ad abluendos ac vegetandos animos irrorati, ut nulla ſit ætas, nullus ſtatus, nulla infirmitas, cui non ſuum ſacramentum paratum ſit; quomodo, inquam, nec divina ſapimus, nec in via ſpiritus proficimus, jejuni, aridi, languidi, relapſi, aſſimilati terræ deſertæ, inviæ, & inaquoſæ; vel montibus illis maledictis, in quos neque ros, neque pluvia defluebat? Unde hoc, unde hoc, unde inter tot fluenta ſiccitas animi; unde inter tot lumina tenebræ tantæ? Ne mirare, quia ut Gregorius & Bernardus tradunt, nauſeat ſuper cibo mannæ leviſſimo, qui cepas Ægypti concupiſcit; & præoccupatum ſæcularibus deſideriis animum ſacramentorum delectatio ſancta declinat. Miſceri non poſſunt vana veris, æterna caducis, ſpiritalia carnalibus, ſumma imis, ut pariter ſapiamus quæ surſum ſunt, & quæ ſuper terram. Sanè ſicut non conſolatur Chriſti inſantia parvolos, non conſolantur Chriſti lachrymæ cachinnantes, non conſolantur panni ejus ambulantes in ſtolis, non conſolatur ſtabulum & præſepe amantes primas Cathedras; ita nihil haurit è fontibus Salvatoris, qui purum, ſolidum, & profundum vas recipiendis ſacris fluentis non parat. *Ubi crapulam ructantis*, inquit Bernardus, *inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua dulciora ſuper mel & favum menti propinare non dignatur. Ubi curioſa ciborum diverſitas, ubi divitis ſupellectilis diſcolorum varietas oculos pariter paſcit & ventrem, cæleſtis panis jejunam deſerit mentem.* Hæc circa gratiam ſacramentalem meditari licet: de charactere verbum unum aut alterum ſubjicio.

Hortabatur olim Baſilius *orat. 13.* catechumenos, ut Baptiſmum ſine mora reciperent, hac vivida oratione: *Quarum, noſtrarum, an adverſariis, partium ſis, nemo te noverit, niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus divini; niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices: Dei ſum, ſigna non oſtendens? An ignoras, quemadmodum ſignatas domos in Ægypto exterminator prætereat, in non ſignatis verò primogenita peremit? Theſaurus non obſignatus furibus facilè patebit: ovis item abſque nota inſidiis propinius eſt obnoxia.* Verùm proh dolor! ſignaculum illud divinum, religionis inſigne, teſſeram gloriæ noſtræ turpiſſimis ſcelerum maculis infuſcamus, obſcuramus, inhonoramus; & quod magis mirum, nec minùs verum eſt, vexillum militiæ noſtræ, Chriſtianiſmi characterem & nomen non erubeſcunt modò, ſed deſpiciunt & calcant hujus ſæculi Chriſtiani, adeòque frontem durant, ut criminibus, quibus dejectiores fieri deberent, procaciùs ſuperbiant. O Chriſtiani, hæccine flagitia facere nos? Hæc nos admittere indigna nomine noſtro? Nihilne in familia Chriſti tam ſacrum, quod ſacrilegium non inveniat? Si ſapimus tandem, conſideremus characterem, recogitemus pactum, conditionem attendamus, militiam noſcamus: characterem, quo ſignati ſumus; pactum, quod ſpopondimus, conditionem, ad quam acceſſimus; militiam, cui nomen dedimus. Quos miramur omnes Sancti, hoc charactere inſtructi mundum & infernum deſpexerunt, hoc omnes pacto pugnaverunt, hac omnes conditione vicerunt, hac militia omnes triumpharunt.

Speculatio II.

Sacramenta novæ Legis ſunt cauſæ inſtrumentales, nedum moraliter, ſed & phyſicè gratiam efficientes.

Hanc ſacramentorum novæ Legis eximiâ prærogativâ plures poſt Vaſquem Recentiores inficiati ſunt, arbitrati ſacramenta eſſe quidem cauſas gratiæ, ſed morales duntaxat, quatenus iis applicatis, ritéque ſuſceptis, Deus ad gratiam non ponentibus obicem infundendam permovetur; vel quatenus merita Salvatoris & pretioſi ſanguinis ejus vim continent. Sicut enim nummus aureus, vel argenteus ex Principis inſtitutione venditæ mercis valorē moraliter continet; ita Chriſto diſponente, virtus quæ ex copioſa redemptione manavit, hoc eſt gratia ſalutaris, quam nobis in ara crucis promeruit, per ſacramenta veluti numiſmata nobis quadantenus venditur, & quaſi per alveum quemdam in nos jugiter derivatur.

Sed licèt hæc vera ſint, neque enim negandum eſt, ſacramenta ut Chriſto ſubordinata gratiæ pretium continere, atque eſſe ſacras apothecas, & pyxides Chriſti meritis pleniſſimas, unde remedia ad animarum ſalutem vel recuperandam, vel tuendam præſto ſunt, ad quarum eorum præſentiam effundit Deus gratiarum profluvia. Hæc, inquā, verè dicuntur, ſed non ſatis; nam præter concurſum moralem, phyſicum etiam eſſe ſacramentis novæ Legis aſſerendum.

Probatur primò ex D. Thoma, qui expreſsè hanc prærogativam ſacramentis novæ Legis vindicavit. Nam *quæſt. 62. art. 1.* docet & probat, ſacramenta eſſe cauſas inſtrumentales, per quas Deus, qui eſt cauſa principalis, gratiam operatur, ſicut ſecuris eſt inſtrumentum quo artifex lectum efficit. Verba S. Doctoris ſunt hæc: *Duplex eſt cauſa agens; principalis, & inſtrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem ſuæ formæ, cui aſſimilatur effectus, ſicut ignis ſuo calore calefacit. Et hoc modo nihil poteſt cauſare gratiam, niſi Deus. ::: Cauſa verò inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolùm per motum, quo movetur à principali agente; unde effectus non aſſimilatur inſtrumento, ſed principali agenti; ſicut lectus non aſſimilatur ſecuri, ſed arti, quæ eſt in mente artificis. Et hoc modo ſacramenta novæ Legis cauſant gratiam.*

Et paulò antè poſt relatam eorum opinionem qui ſacramenta gratiam duntaxat moraliter cauſare aſſerebant, non aliquid operando, ſed quia Deus ſacramentis adhibitis gratiā operatur, ſicut, inquiebant, denarius plumbeus, quē aliquis afferens ex Regis ordinatione centum libras recipit, eſt cauſa moralis ſolutionis illius: poſt relatam, inquam, hujuſmodi ſententiam ſubdit S. Doctor: *Sed ſi quis rectè conſideret, iſte modus non tranſcendit rationem ſigni. Nam denarius plumbeus non eſt niſi quoddam ſignum regiæ ordinationis de hoc, quod pecunia recipiatur ab iſto. Secundùm hoc igitur ſacramenta novæ Legis nihil plus eſſent, quàm ſigna gratiæ; cùm tamen ex multis Sanctorum authoritatibus habeatur, quod ſacramenta novæ Legis non ſolùm ſignificant, ſed cauſant gratiam.* Quā doctrinam luculentiſſimè tradiderat, & omnia adverſariorum ſubterfugia occuparat idem S. Doctor *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 1*, ubi refert, aliquos opinatos in tantùm cauſalitatem ſacramentis convenire, quatenus increata virtus ſacramentis aſſiſtit per quandam Dei ordinationem, & quaſi pactionem; ſic enim ordinavit, & quaſi pepigit Deus (aiebant) ut qui ſacramenta ſuſcipit, à Deo gratiam recipiat: quæ eſt apertiſſima Neotericorum doctrina. *At illa ordinatio*, inquit S. Præceptor, *ſive pactio, nihil dat eis de ratione cauſæ, ſed ſolùm de ratione ſigni.* Non poterat Doctor accuratiſſimus luculentiora verba ſeligere, quibus noſtram ſententiam ſignificaret.

Ratio fundamentalis hujus aſſerti non eſt alia præter eam, quam laudatus inſinuat D. Thomas, quàmve ſacra Concilia, Florentinum & Tridentinum, illud *in decreto unionis*, iſtud *ſeſſ. 7. can. 6. & 8.* tradiderunt. Sacramenta novæ Legis verè cauſant gratiam, atque ſpecialiori modo quàm cauſarint veteris Legis ſacramenta; hæc enim eſt communis Patrum vox. *Sicut ipſe Spiritus*, inquit Auguſtinus *epiſt. 25. ita aqua noſtræ regenerationis eſt cauſa. Dictum eſt* (verba ſunt Chryſoſtomi) *homil. 25.* expēdentis illud Servatoris, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*)

ſancto (producat aqua reptile animæ viventis : ex quo autem Iordanis alveum ingreſſus eſt Chriſtus, non amplius reptilia animalium viventium ; ſed animas rationales & ſpirituales aqua producit. Hinc præclarè Magnus Leo *ſerm. 4. & 5. de nativit.* comparat Baptiſmum Mariæ utero virginali ; & ſicut in iſto Chriſtus phyſicè conceptus, ex eoque phyſicè natus eſt ; ita in illo renaſcitur Chriſtianus: *Omni homini renaſcenti aqua Baptiſmatis*, inquit, *inſtar eſt uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & Virginem : ut peccatum quod ibi evacnavit ſacra conceptio, hic ſolvat ablutio ; virtus Altiſſimi, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem.* Denique Patrum, Conciliorumque una ſententia eſt illud inter utriuſque Legis ſacramenta intereſſe diſcrimen, quòd gratiam ab antiquis ſignificatam nova producant : *Illud planè conſtat*, inquit poſt Patres Catechiſmus Romanus part. 2. titulo de Sacramentis, num. 27. *excellentiorem & præſtantiorem vim ſacramentis novæ Legis ineſſe, quàm olim veteris Legis ſacramenta habuerant : quæ cùm infirma eſſent, egenaque elementa, inquinatos ſanctificabant ad emundationem carnis, non animæ ; quare ut ſigna tantùm earum rerum, quæ myſteriis noſtris perficienda eſſent, inſtituta ſunt. At verò ſacramenta novæ Legis ex Chriſti latere manantia emundant conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi ; atque ita eam gratiam, quam ſignificant, Chriſti ſanguinis virtute operântur.*

Atqui ſi ſacramenta novæ Legis non cauſarent phyſicè gratiam, ſacramenta non dicentur ſimpliciter cauſa gratiæ, ſubindeque ſemper impropriè Patres, & ſacræ Synodi loquuti ſunt. Nullum etiam intercedit diſcrimen antiqua inter & nova ſacramenta; nam etiam in veteri Lege ſacramentis Judaico ritu celebratis movebatur Deus ad gratiam promiſſam impertiendam ; illis quoque aſſiſtebat Deus ut gratiam in eorum uſu conferret, per illaque ex Dei pacto merita mortis Chriſti venturi applicabantur. Ergo nihil diſcriminis inter utraque ſacramenta interit, proindeque ſacramenta noſtra, non ſecus ac vetera, dici peræquè poterunt infirma, egenaque elementa, ſi quam ſignificant gratiam, Chriſti ſanguinis virtute minimè operentur. Unde ſi Chriſtiana cum Judaicis conferamus, inveniemus noſtra nec eſſe virtute efficaciora, nec utilitate uberiora, nec ſanctitate auguſtiora, ſi unam fortaſſis excipias Euchariſtiam, ob realem Salvatoris præſentiam. Quia nimirum tota noſtrorum ſacramentorum cauſalitas non excedet rationem ſigni, cùm illis non competat cauſalitas ratione actus moralis, putà meriti, ſatisfactionis, authorationis; ſed tantùm ratione actus moralis, putà pacti, aut promiſſionis Chriſti, eo modo quo chirographum vel ſigillum eſt, ſuppoſitâ Regis inſtitutione, ſignum regiæ voluntatis.

Confirmatur hæc ratio, cùm à priori, tum à poſteriori. A priori quidem : Concurſus phyſicus gratiam inſtrumentaliter producens non eſt impoſſibilis : ſi enim non repugnat ignem corporeum virtute Dei producere effectum ſpiritalem, ſcilicet verum dæmonibus & animabus damnatis impreſſum ; quidni poterit creatura à Deo mota ſpiritalem gratiæ effectum in animam immittere, ut ſerviat divinæ bonitati, ſicut ignis ſervit juſtitiæ ? Nunquid utrumque attributum peræquè potens eſt, peræquè poteſt inſtrumenta eligere quibuſcum operetur ? Aliunde verò admiſſâ hujuſmodi cauſalitate cum omni proprietate, explicantur crebra Patrum & Conciliorum loca, quæ invertere, vel violentis expoſitionibus intorquere Theologis religioni eſſe debet ; optimè etiam intelligitur differentia ſacramentorum utriuſque legis, & quomodo nova veteribus antecellunt ; ſalvatur etiam juſta proportio & conformitas in inſtrumentis ſalutis, ut ſicut ſacroſancta benedicti Redemptoris humanitas, quæ divinitate uncta divinitatis eſt inſtrumentum conjunctum ; ſicut, inquam, illa humanitas eſt omnium gratiarum & miraculorum cauſa phyſica, ut libro de Deo-Homine operoſiùs demonſtrabimus, ità ſacramenta, quæ ſunt ſeparata Chriſti inſtrumenta, Chriſto tamen ſubordinata, hunc phyſicum operandi modum imitentur. Cùm, inquam, hæc ita ſint, ut ex ſolutione objectorum magis magiſque clarebit, non poteſt phyſicus cauſandi modus Chriſtianis ſacramentis rationabiliter denegari.

A poſteriori verò idem colligere eſt ex quibuſdam ſacramentis, ſacramentorùmve formis, quæ vix, ac ne vix quidem ſine phyſico gratiæ influxu explicari minimè poſſunt. Ad veritatem formæ ſacramenti Pœnitentiæ v.g. requiritur ut Sacerdos verè & realiter nomine Chriſti peccata dimittat, cùm dicat : *Ego te abſolvo.* Non poteſt autem nomine Chriſti verè peccata dimittere, niſi gratiam peccati remiſſivam phyſicè producat : ſi enim Sacerdos per illa verba Deum tantùm permoveat ut gratiam producat, forma illa contra torrentem Theologorum, & naturalem verborum ſenſum non erit judicialis, ſed deprecatoria. Idem non minùs ex verbis colligitur conſecrationis, ad quorum veritatem planè requiritur, ut ad panis vinique converſionem phyſicè concurrant. Cùm enim verba illa in perſona Chriſti proferantur, ut ait D. Thomas *quæſt. 78. art. 4* opus eſt, ut ſicut Chriſtus mirabilem illam tranſſubſtantiationem phyſicè operatus eſt, ita verba in perſona ejus prolata eodem modo concurrant. Placet Angelici Doctoris verba in medium proferre, quia noſtræ omninò ſententiæ confirmandæ ſunt peropportuna. *Quidam dixerunt*, inquit, *nullam virtutem creatam eſſe, nec in prædictis verbis* (formæ ſcilicet Euchariſtiæ) *ad tranſſubſtantiationem faciendam, nec etiam in aliis ſacramentorum formis, vel etiam in ipſis ſacramentis ad inducendos ſacramentorum effectus. Quod ſicut ſuprà habitum eſt, & dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati ſacramentorum novæ. Unde cùm hoc ſacramentum ſit præ cæteris dignius, conſequens eſt, quod in verbis formalibus hujus ſacramenti ſit quædam virtus creata ad converſionē hujus ſacramenti faciendā, inſtrumentalis tamen, ſicut & in aliis ſacramentis. Cùm enim hæc verba ex perſona Chriſti proferantur, ex ejus mandato conſequuntur virtutem inſtrumentalem à Chriſto.*

Proponuntur, & ſolvuntur objecta.

Objicies primò. Cauſalitas phyſica gratiæ productiva eſt impoſſibilis ; de ratione enim inſtrumenti eſt, ut diſpoſitivè operetur ad effectum principalis agentis inducendum, habeatque actionem propriam & præviam, quæ elevationem inſtrumenti ſaltem naturâ præcedat : ex quo principio probat S. Thomas *1. p. q. 45. art. 5.* nullam creaturam poſſe eſſe inſtrumentum creationis. Atqui non poteſt quidquam materiale, quale eſt omne ſacramentorum, aliquam actionem propriam exercere, quæ diſponat ad gratiæ productionem : tum quia abſolutè repugnat rem merè corpoream effectum merè ſpiritualem in ſubjectum merè ſpiritale producere, alioquin poſſet proprii objecti metas & ſphæræ ſuæ ambitum tranſilire : tum quia res corporea, quâmlibet evecta, nequit animæ immediatè uniri ; & tamen inſtrumentum phyſicum eſſe debet cum paſſo, in quod agit, immediatè conjunctum : tum demùm, inexplicabilis, & inintelligibilis eſt illa actio prævia animam ad gratiæ receptionem diſponens. Ergo ſacramenta novæ Legis gratiam phyſicè non efficiunt.

Reſpondeo fatendo etiam, inſtrumenta divinæ virtutis habere ſemper actionem propriam & præviam, quâ actionem agentis præcipui participare queant, alioquin forent mera vehicula, & media delativa actionis agentis, cui non coagerent, ſed merè paſſivè deſervirent. Illud porrò diſcrimen inter inſtrumenta Dei & cauſarum ſecundarum intercedit, quòd cauſæ creatæ ea inſtrumenta aſſumant, quæ habeant actionem propriam, non utcumq; ſed cum effectu producendo coaptatam ; ſicut ſcriba ad exarandos characteres non aſſumit haſtam, ſed calamū:

Deus

Digitized by Google

Deus autem ſupremus & omnipotens artifex, quolibet poteſt etiam diſparato inſtrumento uti, quin & in ſpeciem contrarium interdum adhibet, ut cùm appoſitione luti cæcum illuminavit, cùm dat nivem ſicut lanam, & nebulam ſicut cinerem ſpargit; cùmque aquam igne conſumpſit. Quam mirabilem Dei virtutem Sapiens *cap.* 16. miratur in his verbis: *Quod mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex eſt enim orbis juſtorum. Quodam enim tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios miſſa erant animalia: & quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat undique. Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant. Hic autem iterum ut nutrirentur juſti, etiam ſuæ virtutis oblitus eſt. Creatura enim tibi factori deſerviens exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Quod & capite ultimo, quatuor ultimis verſibus ſuſpicere non ceſſat. Itaque quolibet ad quodlibet uti quidem poteſt Omnipotens, ſed neceſſarium eſt tamen, ut illud inſtrumentum, quod eligit, actionem propriam exerat, ut per eam in ratione agentis cauſæ primæ ſubordinetur. Quæ actio propria ex vi motionis à Deo receptæ ſubjectum, in quo præcipuus effectus recipitur, contactu virtutis attingit. Quomodo autem cum his ſtet, creaturam non poſſe eſſe inſtrumentum creationis, diffusè ſatis expoſitum eſt *tom. 1. lib. 4. diſſert. 1. cap. 2. ſpecul. 3.*

Ex his facilè patet reſponſio ad ſingula; ſingulis enim ſacramentis actionem propriam aſſignare eſt: aqua v. g. Baptiſmatis corpus abluit, ut cor mundet; Sacerdos verba profert, ut animam ſanet; ſacra Unctio corpus linit, ut animum roboret. Et licèt nulla cauſa extra adæquatam virtutis ſuæ ſphæram ferri poſſit, ſi operatur tanquã cauſa principalis; benè tamen ſi agit ad modum inſtrumenti. Et ratio diſparitatis eſt, quia virtus principalis ab objecto & termino adæquato ſpeciem ſortitur: unde ſi eos limites prætergrediatur, jam deſtruitur ſpecies, nec eadem remanet virtus principalis. At verò inſtrumentum, quà inſtrumentum eſt, nullo peculiari termino præſcribitur, nec alios agnoſcit limites quàm quos habet agens præcipuum, cùm non in ſua, ſed in agentis principalis virtute operetur. Quia ergo Deus, cujus virtus nullis metis circumſcribitur, poteſt & corporalia, & ſpiritalia producere, inſtrumenta quoque Dei ad effectus illos quàmlibet inſtrumentorum vim excedentes, evehi certiſſimè poſſunt. Hac de cauſa Deus & igne torquet ſpiritus nequam, & lavacro aquæ mundat animas ſordidas.

Ad id, quod dicitur, inſtrumentum debere eſſe cum paſſo immediatè conjunctum, reſponderi in primis poteſt, ſufficere ut inſtrumentum ſit compoſito conjunctum, tametſi parti, cui immediatè imprimit effectum, non immediatè uniatur; ſicque ſacramenta tangendo corpus abluere animã. Secundò magis profundè, & fortaſſis magis verè dici poteſt, quod licet im̃ediatus ille contactus inſtrumẽtis cauſarũ ſecundarũ ſit neceſſarius, in inſtrumentis tamẽ divinæ virtutis minimè deſideratur. Nam humanitas Salvatoris in cœlo exiſtens gratiam in nos producit, quos tamen non contactu ſuppoſiti, ſed virtutis dumtaxat & cauſalitatis contingit. Quorum omnium ratio eſt, quia Deus, cujus inſtrumenta ſunt ſacramenta, eſt immenſus; ac proinde licèt ſubjecto diſtanti non adſit cauſa inſtrumentalis, adeſt tamen principalis, in cujus ſolius virtute operatur: unde & Deus inſtrumenti abſentiam ſupplet, ejuſque actionem in paſſum quàmlibet diſſitum trajicit. Quod ſi hæc cauſalitas intellectu vel explicatu difficilis appareat, non eſt tamen propterea hæc eximia prærogativa à Patribus aſſerta deneganda ſacramentis, quam Sancti ſummè extollunt & mirantur; mirari autem niſi res difficiles nemo prudens ſolet. Sanè præclarum Auguſtini ingenium nutabundum cõ exclamaſſet tract. 80. in Joan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat; & cor abluat!* niſi magnum aliquid, & reconditũ in ſacramentis ineſſe exiſtimaſſet. Nam ut ait Seneca: *Magno nihil magnum, parvo nihil parvum.* Quia nimirum amplũ, ſublimeque ingenium facilè deſpicit, quod mediocre attonitum ſuſpicit. Hanc magni Auguſtini juſtiſſimam admirationem ponderans Catechiſmus Romanus ſuprà laudatus, ſic habet: *Quo pacto tanta res, & tam mirabilis per ſacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Auguſtini ſententiâ celebratum eſt, aqua corpus tangat, & cor abluat, id quidem humana ratione atque intelligentiâ comprehendi non poteſt. Conſtitutum enim eſſe debet, nullam rem ſenſibilem ſuapte naturâ ea vi præditam eſſe, ut penetrare ad animam queat: at fidei lumine agnoſcimus, Omnipotentis Dei virtutem ſacramentis ineſſe, quâ id efficiant, quod ſua vi res ipſa naturales præſtare non poſſunt.*

Inſtabis: Productio gratiæ, aut eſt creatio, uti pluribus placet, aut eſt creatione perfectior, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 9. ſed nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis. Ergo nec productionis gratiæ.

Reſpondeo, impotentiam creaturæ ad creandum etiam inſtrumentaliter oriri ex eo, quod creatio nullum ſupponit ſubjectum, circa quod inſtrumentalis actio occupetur: at juſtificatio ſupponit potentiam obedientialem animæ, ex qua educat gratiam; unde ad iſtam poteſt creatura aſſumi, & divinitus applicari.

Urgebis: Quando producitur gratia ſacramenti, jam ſacramentum non eſt, putà forma Baptiſmi non adeſt, ſed præteriit, quando producitur gratia Baptiſmalis. Sed quod non eſt, phyſicè operari non poteſt, cùm operari ſequatur eſſe, & ſine exiſtentia res ſit in ſtatu meræ poſſibilitatis, in quo nihil fit. Ergo impoſſibile eſt, ſacramenta ad gratiam phyſicè producendam concurrere.

Reſpondeo ſacramentum producere gratiã quando in facto eſſe eſt ultimo completum. Quia cùm ſacramenta noſtra producant quod ſignificant, tunc effectum dumtaxat producunt, quando ejus productionem ſignificant, non ſignificant autem ſacramentorum formæ, niſi cùm ultimùm prolatæ ſunt *Verba quibus fit conſecratio*, inquit S. Thom. quæſt. 87. art. 4. ad 3. *ſacramentaliter operantur. Unde vis converſiva, quæ eſt in formis horum ſacramentorum, conſequitur ſignificationem, quam prolatione ultimæ dictionis terminatur. Et ideò in ultimo inſtanti prolationis verborum prædicta verba conſequuntur hanc virtutem, in ordine tamen ad præcedentia.* In ultimo ergo inſtanti terminativo ſacramentum virtutem gratiæ productricem divinitus recipit, gratiamque divinitus producit. Nec propterea fruſtra adhibetur antecedens vel rerum, vel verborum apparatus; tum quia ſacramenta & producunt & ſignificant, & ad ſignificationem ſaltem conferunt quæcumque productionem antevertunt. Tum maximè, quia ut ſacramentum in ultimo ſui eſſe producat, debuerunt cætera præceſſiſſe; non enim eſſet ultimum inſtans, niſi priora fluxiſſent: quare licèt non debeant tunc eſſe, debuerunt tamen extitiſſe, quia non eſt quidpiam ultimum, niſi in ordine ad præcedentia.

Inſiſtes: Ut ſacramenta phyſicè gratiam producant, debent in actu primo perfici, ut in actum ſecundum prorumpant; quod enim eſt intrinſecè impotens ad producendum effectum excedentem, ſemper impotens remanebit, niſi intrinſecè perficiatur. Atqui nihil poteſt aſſignari, quo ſacramentum intrinſecè roboretur, fiatque potens producere effectus ſupernaturales; tum quia quidquid tandem receperit, vel eſt ſpiritale, vel corporeum: primum nequit recipi in ſubjecto corporeo, ſecundum verò ad efficiendum effectum ſpiritalem nihil juvaret. Tum quia virtus illa corroborans, vel in toto, vel in parte ſacramenti reciperetur, non in toto, quia cùm ſacramentum ſit ens ſucceſſi-

vum

ſivum, illa virtus adveniens tranſiret de ſubjecto in ſubjectum; neque enim virtus indiviſibilis ſecari poteſt, ut in diverſis ſacramenti partibus diſtribuatur; non in parte ſacramenti, quia totius entis ſucceſſivi partes etiam ſucceſſivæ ſunt. Ergo ſacramenta phyſicè gratiam non producunt.

Reſpondeo, varia eſſe Theologorum placita in eo deſignando, per quod inſtrumenta divinæ virtutis evehuntur. In primis aliqui cum P. Suare exiſtimant virtutem, quâ res creatæ in ratione inſtrumenti divini conſtituuntur, eſſe quandam potentiam obedientialem activam, creaturis omnibus ingenitam, ratione cujus poſſit Deus abſque ullius virtutis additamento quolibet ad quodlibet uti. Verùm hanc potentiam obedientialem veteribus omnibus ignoratam, tanquam novum & repugnans inventum pluribus exploſimus, dum de viſione beata, à quibus cum cruce & faſtidio Lectoris iterandis abſtinendum eſt.

Secundò Capreolus, Paludanus, aliique antiquiores Thomiſtæ, benè videntes, non poſſe Sacramenta conſtitui divinæ virtutis inſtrumenta, abſque alicujus acceſſione virtutis, volunt illud ſuperadditum, cujus adjectione Sacramenta idoneæ gratiarum cauſæ conſtituuntur, eſſe qualitatem ſupernaturalem, quam vialem ſatis energicè appellant, quia Sacramentis non niſi tranſeunter communicatur, nec eſt tam accidens ſubjecti quod complet, quàm termini, in quem collimat. Hiſque non improbabilibus rationum momentis permoventur. Primò: Quòd Sacramentum gratiæ complete productivum efficit, nequit eſſe una agentis præcipui applicatio, cùm hæc actum primum in actum ſecundum reducendum ſupponat: ergo in aliqua qualitate motioni actuali præſuppoſita virtus illa completiva ſita eſt. Ad hæc: Effectus Sacramenti non ſolùm modum agendi, ſed etiam facultatem Sacramenti exſuperat: ergo non ſolùm motione applicante, ſed qualitate etiam elevante opus eſt. Unde licèt præmotio phyſica, quam ad ſingulos cauſarum ſecundarum actus deſiderant S. Thomæ diſcipuli, non foret qualitas, ſed motio; attamen de virtute Sacramenta complente, dici idem nequaquam poſſet; quia præmotio illa præſupponit cauſam ſecundam vel virtute naturali, vel certè auxilio ſufficiente completam. At verò inſtrumentum merè ſenſibile, quod in Sacramentum eligitur, & in cauſam effectus ſpiritalis & ſupernaturalis aptatur, nihil in ſe habet, quo effectum, ad quem aſſumitur, producere queat: ergo ſicut ut agat, motione applicante eget, ita ut poſſit agere, qualitatem poſtulat, quâ viribus inſtruatur.

Tertiò: Cajetanus, Dominicus Soto, aliique recentiores non pauci, ſolâ motione contenti ſunt, Sacramentum unà elevante ut poſſit, & applicante ut agat; iiſque rationibus veriſimilibus innituntur. Motio divina, utpote divinæ virtutis expreſſio, virtutem operandi ſi non invenit, ſemper invehit, ut patet in auxilio actuali ſupernaturali, quo permotæ humanæ facultates, actus eliciunt ſalutares, priuſquam aut gratiâ habituali, vel beatâ virtutum infuſarum copiâ animus inſtruatur. Ergo eo ipſo, quòd Sacramenta ad gratiam producendam moventur, illius producendæ virtutem continuò recipiunt. Præterea: Si Sacramenta qualitatis ullius additamento eveherentur, jam non inſtrumenta gratiarum, ſed etiam cauſæ principales evaderent, utpote inſtructa virtute permanenti miraculorum operatrice; quæ tamen virtus toti D. Thomæ doctrinæ adverſatur, eamque ex profeſſo reprobat S. Doctor 2. 2. *quæſt.* 178. *art.* 1. *ad* 1.

Utut ſit de probabilitate utriuſque ſententiæ, quam Lectoris judicio permittimus; & quidquid tandem illud ſit, quo Sacramenta conſtituuntur, illud porrò certum haberi debet, virtutem illam, vel motionem Sacramentis divinitùs impreſſam, eſſe ſpiritalem, quia cùm ad terminum ſpiritalem, gratiam ſcilicet producendam tendat, termino potiùs quàm ſubjecto conformari eam, neceſſe eſt.

Perſiſtes adhuc: Accidens corporeum nequit etiam tranſeunter in ſubjecto ſpiritali recipi: ergo nec accidens ſpiritale in ſubjecto corporeo etiam tranſeunter inhærere.

Reſpondeo, diſcrimen eſſe toto cælo diverſum: tum quia virtus corporea, utpote extenſa, ſupponit partes in ſubjecto, quod informat: & licèt poſſit ab actuali extenſione ſejungi, non tamen à radicali divelli, quam proinde in ſuo ſubjecto præſupponit. At verò accidens ſpirituale poteſt eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte; unde non exigit ſubjectum indiviſibile, & ſpirituale, ſicut ipſum eſt. Idque manifeſto animæ rationalis exemplo claret, quæ tametſi ſpiritalis, & indiviſibilis ſit, corpus tamen organicum varias in partes extenſum informat. Tum quia natura inferior per elevationem ad ſuperiorem non deſtruitur, ſed perficitur; natura verò ſuperior per dejectionem ad inferiorem depreſſà deſtruitur, ideo ſubjectum corporeum formâ ſpiritali adornatum, perfectione cumulatur: ſi verò ſubjectum ſpiritale accidenti corporeo informaretur, à ſua perfectione decideret; cùm enim recipere ſit quoddam pati, & informare quoddam agere, ut Ariſtoteles ait; unde & forma dicitur actus, nihil indignius, & juxta repugnantius eſſe poteſt, quàm ſubjectum ſpiritale actuari, déque perfici formâ corporeâ. Certè id non minùs implicare dixerim, quàm ſi aſſererem, aurum acceſſione plumbi vel luti clareſcere; & prodigum Evangelicum nobilitatis ſibi gradum aſciviſſe, quando à paterna domo ad porcus profectus eſt.

Quibuſdam inconvenientibus obviam itur.

Objiciunt ſecundò Adverſarii quædam inconvenientia, quæ ex phyſicæ Sacramentorum cauſalitatis aſſertione conſequi, & ſponte fluere videntur. Primum eſt: Quædam Sacramenta gratiam non niſi moraliter producunt, ut negare ſaltem nemo poteſt, cùm Sacramenta recedente fictione ſuum effectum pariunt, quem tunc phyſicè efficere nequeunt; quod enim non eſt, phyſicè influere non poteſt, nec motionem agentis præcipui recipere valet; exiſtentia namque ad agendum vel recipiendum eſt indiſpenſabiliter requiſita, nec præteritum ſi non ſit, magis operari poteſt quàm futurum antequam ſit. Ergo idem de omnibus novæ legis Sacramentis uniformiter aſſerendum eſt, & inconveniens eſt, diſtinctum eis agendi modum tribuere, cùm omnia peræquè ex meritis Chriſti operentur, omnia ſint peræquè inſtrumenta gratiæ, omnia peræquè novæ legis Sacramenta, omnia peræquè ab antiquæ legis Sacramentis diſtincta, eiſque præſtantiora. Et tamen eximiæ illæ prærogativarum dotes, quas illis vindicare ſatagimus, non obtinent, ut ſemper phyſicè operentur: ergo id nunquam exigunt, cùm ſine illo phyſico influxu aliquo in caſu velimus nolimus aſſerta illis præcellentia ſalvetur.

Secundum inconveniens eſt, quia ſequeretur, Sacramenta alio modo juſtificationis gratiâ efficere, quàm efficiant mors & reſurrectio redemptoris;

quæ cùm jam præterierint, non poſſunt niſi moraliter in noſtram ſatisfactionem influere. Conſequens autem eſt inconveniens, cùm tota Sacramentorum vis ex paſſione Chriſti proficiſcatur, nec cauſent gratiam ſalutarem, niſi quia merita tam pretioſæ mortis continent.

Tertium inconveniens hujuſmodi eſt: Phyſicus Sacramentorum influxus parum videtur Patrum loquendi modo conſentaneus; quid enim crebriùs apud Patres legimus inculcatum, quàm non homines, vel creaturam ullam, ſed ſolum Deum dare Spiritum ſanctum, ſolum Deum operari intrinſecùs gratiæ beneficium, ſolum Deum ſolvere vincula culpæ. D. etiam Thomas non magis phyſicæ illi cauſalitati favet. *Ejus ſolius eſt immutare legem, & curſum naturæ impoſitum*, inquit in 3. diſt. 16. quæſt. 1. art. 3. *qui naturam inſtituit & ordinavit, quod ſolus Deus facit. Et ideo nec aliqua virtus corporis, nec ſpiritualis aut animæ, aut Angeli, nec etiam animæ Chriſti poteſt ad immutationem legis naturæ impoſitæ divinitùs, niſi per modum orationis & interceſſionis.* Quin & 3. p. *quæſt.* 62. *art.* 4. *ad* 1. ait, quòd in Sacramento recipitur virtus ſpiritualis, *ſicut in ipſa voce ſenſibile eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis. Et hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.* Patet autem, vim ſpiritualem in voce exiſtentem, ad intellectum hominis excitandum, non niſi moralem eſſe.

Reſpondeo ad primum inconveniens, Sacramenta fictè ſuſcepta, recedente fictione, gratiam moraliter dumtaxat efficere, ſaltem ſi in aliqua virtute relicta non permaneant. Etenim Sacramenta eo modo producunt gratiam, quo ſunt: Sacramenta autem præterita jam non ſunt, ſed moraliter ſolùm perſeverant. Præclaras enim illas dotes, quas illis maximas aſſeruimus, non niſi Sacramentis exiſtentibus vindicavimus. Certè, ſicut merita Chriſti cauſæ dumtaxat morales fuerunt gratiæ antiquis Patribus Chriſto nondum nato impenſæ, phyſicæ tamen cauſæ fuerunt & ſunt omnis gratiæ à Chriſto nato effuſæ: ſic etiam Sacramentis Chriſti inſtrumentis non exiſtentibus, alius convenit gratiæ producendæ modus ab eo, qui exiſtentibus aſſeritur. Dixi, *ſi in aliqua virtute relicta non permaneant*; quia non eſt improbabile, Sacramenta illa, quæ etiam fictè accedentibus characterem imprimunt, gratiam medio charactere operari; ad rationem enim agentis phyſici ſatis eſt, ut in aliqua virtute à ſe relicta permaneat, ut innumeris è Phyſica aſportatis exemplis confirmare in promptu eſſet.

Ad ſecundum inconveniens dicimus, Sacramenta non nobiliori modo gratiam efficere, quàm Paſſio, vel Reſurrectio Salvatoris; ſed negamus Paſſioni & Reſurrectioni Chriſti moralem dumtaxat gratiæ producendæ vim aſſeri debere; oppoſitum namque expreſsè tradit S. Thomas 3. *p. quæſt.* 48. *art.* 6. quia licèt Paſſio Servatoris præterierit, remanent tamen in corpore glorioſo fixuræ clavorum, & ſtigmata redemptionis; quibus pietatis monumentis non ſolùm Patrem orat & exorat hominum Mediator, ſed etiam redemptis gratiam veluti perennibus canalibus phyſicè & jugiter infloit. Videſis dicta ſuperiùs, *diſſert.* 10. *cap.* 1. *ſpecul.* 2. & *diſſert.* 11. *cap.* 2. *ſpecul.* 33.

Ad tertium inconveniens è Sanctorum locis petitum, dicendum, nihil aliud velle Patres, quàm Deum eſſe cauſam gratiæ principalem. Cùm enim ſolus Deus homines juſtos efficiat, ejuſque proprium ſit, in corda & mentes illabi, ſolus etiam ſimpliciter dicitur cauſa juſtitiæ & ſanctitatis. Cum quibus ſtat, Sacramenta à Deo ipſo per Chriſtum inſtituta eſſe, ut gratiam virtute divinitùs indita operentur. Solus ergo Deus dicitur author ſalutis, cujus unius omnipotentiſſima virtute fit res tanta, tamque mirabilis, ut aqua cor tangat, & cor abluat. Cùm enim nulla res ſenſibilis ſuapte natura eâ vi prædita ſit, ut penetrare ad animam queat, meritò Patres illud tam grande miraculum in ſolam Omnipotentis virtutem refundunt, cujus unâ poteſtate efficitur, ut res ſenſibiles id producant, quod ſua vi præſtare minimè poſſunt.

Ad teſtimonia D. Thomæ reſpondeo, S. Doctorem priori loco negare ſolùm, ullam creaturam eſſe cauſam immutationis miraculoſæ principalem phyſicam; poſſe tamen dari moralem, quæ gratiam orando & intercedendo impetret, non inficiari: addit enim ſolutione ad 4. humanitatem Chriſti non quidem virtute propriâ, ſed virtute Divinitatis, (quod eſt eſſe phyſicum inſtrumentum,) immutare naturæ curſum. In poſteriori verò loco nobis minimè adverſatur. Licèt enim virtus ſignificativa vocis non ſit aliquid phyſicum, ſed morale, ex hominum beneplacito pendens; vis tamen, quam ſuppoſitâ vocis ſignificatione, habent voces, immittendi ſpecies ſuas in ſenſorium auditoris, & per eas loquentis conceptionem in audientem transfundendi, phyſica eſt & realis: unde ſimiliter Sacramenta ex Chriſti inſtitutione gratiam moraliter ſignificant; ſed eâ ſuppoſitâ ſignificatam gratiam phyſicè ad modum inſtrumenti producunt, ſicut voces ſignificativæ ſemel prolatæ & vim auditivam immiſſione ſpecierum immutant, & audientis animum phyſicè excitant.

R e f l e x i o.

Si juxta Magnum Gregorium, facta & miracula Chriſti habebant linguam ſuam, quia cùm Chriſtus Verbum ſit, etiam factum Verbi verbum nobis factum eſt, ita ſimiliter dicere poſſumus: Quia Chriſtus Deus eſt, & Deus actus purus, quidquid geſſit, quidquid pertulit, quidquid inſtituit, activum eſt, & niſi obicem invenerit, continuò operatur. Quid ergo cauſæ eſt, quòd Chriſti verbis, vivis illis quidem, & efficacibus, & teſte Apoſtolo, *Hebr.* 4. penetrabilioribus omni gladio ancipiti, & pertingentibus uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, minimè ciemur, & Sacramentorum jugiter manantium activitatem minimè experimur? Cedò, mi Theologe, unde hoc? Cur lignum plantatum ſecùs decurſus aquarum, fructum non dat in tempore ſuo? Cur tot præſidiis vallati, ab irrumpentibus hoſtibus quotidie vincimur, quotidie proſternimur? Cur inter tot cæleſtium opum gazas non modò non diteſcimus, ſed miſeri ſemper ſumus, & miſerabiles, & nudi, & egeni? Quotidie lavari, & nunquam mundari? Quotidie comedere, & nunquam ſaturari, ſed marceſcere, tabeſcere, & tandem deficere? Ubi eſt Sacramentorum cauſalitas cauſaliſſima? (phraſis eſt Bernardi) ubi phyſicus Sacramentorum influxus? Gratiæ effectus, ut docet idem Pater *ſerm.* 7. *in Cantica*, nedum agnoſcimus, ſed experimur, quia mox ut gratia venerit, expergefacit dormitantem, movet otiantem, mollit obduratum, ſanat & infirmum. Incipit quoque evellere & deſtruere, ædificare & plantare, rigare arida, colere ſenticoſa, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, nec-non mittere aſpera in vias planas. Si his effectibus in Chriſtianis relucentibus probanda eſſet cauſalitas Sacramentorum, deſperatam cauſam ſuſcepimus.

Ne mirare tamen, inquit Gregorius Magnus in 1. Reg. lib. 1. cap. 1. *ſi negligentes comedunt, & ſaturari non poſſunt; quia licèt Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti non replentur: à virtute ergo Sacramenti jejunant, quia repleti fuerunt; ſalutis quippe fructum non percipiunt, quia ea, quibus ſe repleverunt, flagitia portant in mente. Non ſaturantur ergo niſi famelici, qui à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.* Quàmlibet ad efficiendum proclivia ſint Sacramenta, virtute Chriſti plena ſibi, ſuperplena nobis; nihil tamen in re operatura confidas, ſi otio torpeas, ſi à virtutum ſtrenuo exercitio languidâ dejectione diſcedas, ſi negligis inchoare bona, aut incepta perficere faſtidis. Non dormientibus promittitur regnum cælorum, nec in otiantes influit virtus Sacramentorum. Ubi *Pſalm.* 17. nos legimus: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*; alia lectio ſic Prophetam alloquentem Deum inducit: *Cum benigno benignus eris, cum liberali liberalis eris, cum ſincero & candido ſincerè & candidè agis, & cum perverſo perversè agis.* Uno verbo, talem ſe Deus exhibet, quales nos invenit: qua menſurâ menſi fuerimus, eâdem remetitur & nobis; & copioſiſſimè operantur Sacramenta, ſi cooperantes inveniant.

Phyſicum etiam Sacramentorum operandi modum imitantur, qui egenti proximo non moralibus dumtaxat, ſed phyſicis opitulationibus ſuccurrunt. Videre eſt multos in ſpeciem pios, in recitandis orationibus liberales, in dandis conſiliis affabiles, in conſolandis afflictis teneros; ſed ex pumice potiùs undas extundes, quàm ex marſupio etiam pleno nummum ſublevandæ alienæ calamitati extrahas. Quam frontem habes petendo ad patrem tuum, qui non agnoſcis fratrem tuum? Epicurei aſſerebant Deum otioſum & inexercitum, & ut ita dicam, neminem humanis rebus: at Chriſtiani Deum actum purum adorant, cujus oculi in pauperem reſpiciunt, ut ſit illi cura de omnibus. More ergo Dei *charitatis ingenium bonum* (ſic vocatur ab Apoſtolo 2. *Cor.* 8.) non diligit verbo, neque lingua, ſed opere & veritate, Deique activitatem jugiter æmulatur: ut ſicut miſericordia Dei, reſte Bernardo *ſerm. de Annunt.* non ceſſat, nec Deo dat ſilentium, ſed pio quodam ſuſurro paterna pulſans viſcera, jugiter clamat: *Nunquid obliviſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira miſericordias ſuas?* ita & chriſtiana filiorum Dei charitas exhibitione operis probetur. Hac efficaci & reali bonorum communione Sacramentorum efficientiam, & Authoris Sacramentorum Dei beneficentiam exprimemus. *Si miſericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te ſermo hortatur, niſi ut Deus fias, tanquam formatus & inſignitus propriâ notâ Deitatis?* inquit Gregorius Nyſſenus *lib. de beatitudinibus.* Nec minùs eleganter Gregorius Nazianzenus orat. de pauperum amore: *Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.*

Sæpe datâ & acceptâ occaſione, Chriſtiane Lector, te ad opera miſericordiæ exſtimulare ſoleo, quia cùm ratione ſtatus mei voluntariam paupertatem profitentis, eleemoſynis peccata mea redimere non poſſim, id mihi unum ſupereſt, ſi aliis amorem pauperum inſpirare Deo benè favente ſtudeam, quibus niſi unis ſubvenire votis, mea non ſinit conditio. Sinas, amabò, ut iterum, & iterum te moneam, nihil eſſe dignius, quàm ut homo ſit ſui imitator Authoris; nihil fœcundo pauperum agro uberius, qui citò reddit donantibus fructum. Ergo ſi vis eſſe mercator optimus, fœnerator egregius, da quod non potes retinere, ut recipias quod non poteris amittere; da modicum, ut recipias centuplum; da temporalem poſſeſſionem, ut conſequaris hæreditatem æternam; da terram, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum. Si ſapis, ſi tibi conſulis & ſaluti, da quod accipias, ſparge quod colligas, ſere quod metas; da pauperi, ut detur tibi, quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, alter habebit. Denique facito ut pecuniæ tuæ ſint quadrantenus ſacramenta: ſicut enim vilibus elementorum ſignis gratiam Deus efficit ſalutarem, ſic de calice aquæ frigidæ monet Dominus, ut in nomine ſuo præbeatur; quia hæc, quæ per ſe ſunt vilia, fides efficit pretioſa. Aqua Baptiſmatis Sacramentum eſt, quia corpus tangens cor abluit; at nònne de eleemoſyna pariter dictum eſt: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum?* Sacramentis alligavit Chriſtus gratiam, eleemoſynis gloriam Chriſtus annexuit, cùm paratum à conſtitutione mundi regnum non niſi paſcentibus eſurientes, potantibus ſitientes, operientibus nudos ſit largiturus.

Speculatio III.

Ut Sacramenta ſuos ſortiantur effectus, multa tum ex parte Miniſtri, cùm ex parte ſuſcipientis deſiderantur. Expenduntur ſingulæ conditiones.

Diximus ſuprà in fine Speculationis 3. *cap.* 1. quiſnam ſit ordinarius Sacramentorum miniſter: ſed quia multa deſiderant Theologi, ut Sacramenta validè, licitéque celebrentur, operæ pretium eſt quas ſingulas exigunt conditiones, diſtinctè exponere, & quæ apud omnes Catholicos in confeſſo ſunt, apertè dilucidéque declarare.

Prima conditio: Intentio faciendi & recipiendi quod fit in Eccleſia.

Concors Catholicorum omnium ſententia eſt, ad valorem & efficaciam Sacramentorum tam in miniſtro conferente, quàm in perſona Sacramenta recipiente intentionem faciendi quod facit Eccleſia, vel recipiendi quod fit in Eccleſia, reſpectivè deſiderari. Ita enim Concilia Oecumenica, Florentinum & Tridentinum diſſertatione ſequenti referenda, clariſſimè definiverunt. Et certè cùm Sacramenti ſive collatio, ſive ſuſceptio ſit actio humana, nequit ſine vera intentione conſiſtere.

Sed quia de hoc operoſior inquiſitio diſſertatione proximè futura inſtituetur, illud ſolùm impræſentiarum ſupponimus, teneri cùm recipientem, tum conferentem Sacramenta, intentioni ſeſe Chriſti & Eccleſiæ conformare, nec debere utrumque Sacramentum peragere velle, ſed etiam Sacramenti fructum & conferendo impertire, & Sacramentum recipiendo percipere; à qua intentione ſine grandi ſacrilegio nemo recedere, & multò minùs ei intrinſecùs repugnare poteſt: unde uterque in corde ſentire debet, quod proferrt in ore; eaque tenetur velle peragere aut participare, quæ verba ſignificant. Et quamvis propter humanam infirmitatem id actu ſemper velle, ſemperque intendere nequeat ſive miniſtrans, ſive ſuſcipiens, quia ſæpe cor noſtrum derelinquit nos; illa tamen intentio Chriſti intentioni cõformis, virtualiter perſeverare debet, eo modo quo perſeverat in illo, qui ſuſceptũ

propter Deum iter aggreditur, in progreſſu tamen de Deo non ſemper cogitat, nec ſubinde Deum actu intendit; virtualiter tamen propter Deum viam proſequitur, quia ex prioris intentionis non retractatæ virtute procedit.

Quare neque miniſter, neque ſuſceptor habituali debent intentione eſſe contenti, quæ cùm nihil influat in opus, vix intentionis nomen, quod quandam mentis attentionem, & advertentis animi ſtudium ſonat, meretur. Non debet etiam interpretativa intentio miniſtro ſufficiens exiſtimari, quia hæc intentio non eſt, ſed eſſet, ſi agens adverteret; unde in ebrio & in dormiente, qui tamen Sacramenta validè non conficiunt, invenitur. Et quamvis hæc intentio interpretativa ad peccatum, atque etiam ad validam Sacramenti ſuſceptionem ſatis ſit, non tamen ad ejuſdem adminiſtrationem ſufficit. Et ratio diſcriminis eſt, quia Sacramenti adminiſtratio per modum actionis humanæ, & eccleſiaſticæ exerceri, ſubindeque actu, vel virtute intendi debet: ſola autem intentio interpretativa, quam habent dormiens, vel ebrius, non facit actum illum eſſe humanum, & libera applicatione exercitum. At verò peccatum ut inficiat animum, non debet neceſſariò intendi per modum actionis, ſed per modum objecti, à quo voluntas malitiam haurit, quomodocumque tandem illud amet, vel ſit amare diſpoſita; unde qui eſt ita comparatus, ut libenter peccaret, ſi ſciret ibi eſſe peccatum, continuò peccati reus efficitur. Similiter recipiens Sacramentum, merè paſſivè ſe habet (ſi unum Pœnitentiæ Sacramentum excipias, in quo actus Pœnitentiæ ſunt Sacramenti materia neceſſaria:) unde modò non ponat Sacramento obicem poſitivum, & ſit aliunde ita diſpoſitus, ut Sacramentum recipere vellet, ſi miniſtraretur, non requiritur per ſe alius actus; ideóque Baptiſma dormienti catechumeno, Baptiſmi alioquin ſtudioſo collatum, nunquam iteravit Eccleſia, & parvulis proprio actu carentibus quotidie confertur. Et in hoc ſenſu dixit Innocentius III. *cap. Majores: Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem.* Quia nimirum in voto Baptiſmi anteà concepto, ſufficiens intentio moraliter & interpretativè perſeverat. Cum quibus tamen ſtat, recipientem vigilem intentionem recipiendi quod fit in Eccleſia, habere oportere, quia humano modo Sacramentum non recipit, niſi qui recipere conſentit. Unde adultus receptioni Baptiſmi apertè & expreſsè contradicens, nihil recipit; paſſum enim, quod non eſt inanime, ſed rationale, humano modo recipere debet, quod ei ab Eccleſia datur.

Si autem quæras, quid dicendum ſit de intentione conditionata, irritétne Sacramentum, vel ejus effectum ſuſpendat?

Reſpondeo, intentionem conditionatam poſſe eſſe de præſenti, & includere conditionem ipſum Sacramentum concernentem, ut ſi quis dicat: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et tunc intentio conditionata non irritat Sacramentum, ſed cavet, ne iteretur. Unde hujuſmodi forma in Sacramentis dubiis, characterem præſertim imprimentibus, adhibetur, quia ſicut ea recipere neceſſarium, ita ea iterare, nefarium eſt.

Si verò conditio ſit de futuro, ſemper irritat Sacramentum; ut ſi quis pœnitentem eâ lege abſolveret, ut poſt octo dies illatum damnum reſarciret, quo reparato, ſuſpenſa abſolutio ſuum ſortiretur effectum. Quia nimirum nunquam conficitur Sacramentum, niſi ſimul materia, forma, & intentio concurrant. Patet verò, quòd quando apponitur conditio de futuro, intentio non actu præſens eſt, ſed ſuſpenditur.

Si autem conditio ſit de præſenti, includatque aliquid, quod ipſum Sacramentum non concernit, ut cùm Epiſcopus initio ordinationis declarat, ad Ordines nolle ſe excommunicatum promovere; ſicut etiam cùm quidam Epiſcopus abhinc aliquot annis propalam ſignificavit, ſe non intendere ullum Janſeniſtam, ſi quis adeſſet, ordinare, (in qua ordinatione ſacro Diaconatus Ordine ipſe initiatus ſum,) in illis, inquam, caſibus difficultas eſt, utrùm excommunicatus, vel in recenſita ordinatione Janſeniſta occultus ad Ordines promoverentur? Nam ex una parte jura nolunt excommunicatum occultum iterum ordinari, ſed ab Ordinum ſuſceptorum muniis obeundis manere ſuſpenſum; & aliunde intentio Epiſcopi, quæ eſſentialiter ad ordinationis valorem deſideratur, illum apertè excluſit. Crediderim tamen, hanc Epiſcopi proteſtationem eſſe tantùm comminatoriam, & ad incutiendum terrorem ſalutarem præmitti: poſtquam verò non apparet Epiſcopo, nullum ibi adeſſe excommunicatum, nullum in ordinatione noſtra fuiſſe Janſenianum, tenetur Prælatus habere intentionem abſolutam, & eam reapſe habet hoc ipſo, quòd formam abſolutam profert: & ideo jura hoc ſupponentia nolunt ſacram ordinationem iterari.

Secunda conditio: Fides. Tertia conditio: Sanctimonia, ſine quibus illicita quidem Sacramenta, valida ſunt tamen.

Certum eſt etiam, Sacramenta illicitè ſive conferri, ſive ſuſcipi, ſi fides chriſtiana & catholica deſit, & ſacrilegè etiam Sacramenta miniſtrare, vel eorum participem fieri, qui ad ea cum conſcientia peccati mortalis verâ pœnitentiâ non expiati accedit. Ratio eſt manifeſta; illicitè enim, & injurioſè Sacramenta tractat, qui eorum effectum, ad quem inſtituta potiſſimùm ſunt, impedit. At qui recipit Sacramenta à miniſtro hæretico, vel ipſe hæretica pravitate deceptus, vel perverſa peccandi voluntate inquinatus, gratiæ potiſſimo Sacramentorum effectui obicem ponit. Ergo illicita eſt Sacramentorum ſive collatio, ſive ſuſceptio à fide & ſanctitate deſerta.

Hinc *Exodi* 14. *Levit.* 19. *& Iſaiæ* 58. ſanctitas & munditia, quæ ſine fide & gratia haberi nullo modo poſſunt, miniſtris & Sacerdotibus tam accuratè præcipitur, quod à fortiori de miniſtris novi Teſtamenti egena ſolùm elementa non miniſtrantibus, dicendum eſt. Hinc Patres tam feriò monent, malos bonorum Sacramentorum miniſtros ſeipſos duntaxat lædere, & Sacramenta cùm obſint indignè tractantibus, prodeſſe tamen per eos dignè ſumentibus. Meminerint ergo Paſtores, meminerint quivis Sacramentorũ miniſtri, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ in illis ineſt, nunquam amittere; at impurè miniſtrantibus æternam perniciem & mortem afferre tamen: ſancta enim, quod ſemel, atque iterum, ac ſæpiùs admonere oportet, ſanctè & religioſè tractanda ſunt.

Ut autem tanti momenti veritas ſacrorum miniſtrorum cordibus penitiùs infigatur, animadvertant quæſo ſacrarum rerum tractatores, ſe publicos eſſe Chriſti miniſtros, cujus ſicut poteſtate vigent, ita ejus referre ſanctitatem obligantur, ne illi, cujus vices gerunt, injurii ſint; unde & illis *Levit.* 19. injungitur: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Videant, imitari ſe debere

quod

quod tractant, & ſicut Sacramenta unam ſanctitatem, ad quam efficiendam inſtituta ſunt, redolent; ita caveant, ne polluta manu contrectent, quæ non niſi profunda veneratione, & ſacro quodam reverentiæ horrore agenda ſunt. Reminiſcantur conſecrationis ſuæ, in qua ſpecialem, & ſacramentalem eis gratiam benigniſſimus Dominus impertivit, ut eâ quâ par eſt religione munus poſtea ſacris perfungantur: quam gratiam fruſtratur & extinguit peccator, qui divinis ſe myſteriis ſordido animo celebrandis, temeritate ſuper diabolicam audaciore, (dæmones enim credunt, & contremiſcunt,) ingerit. Certè ſi tanta eſt divini Numinis Majeſtas, ut homini peccatis contaminato non ferat, aut ſinat Deus de divinis texêre ſermonem, dicente Propheta Regio Pſal. 40. *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam?* Quantum, quàm immane ingentis ſacrilegii ſcelus putandum eſt ab eo patrari, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius, nec tamen ſacra myſteria polluto ore conficere, vel in ſordidas manus ſumere, atque aliis porrigere & miniſtrare vereatur? Cùm præſertim apud Dionyſium ſcriptum ſit, *Malis ſymbola*, (ita enim Sacramenta appellat, *cap. 2. eccleſiaſt. hierarchia*,) *ne contingere quidem, permiſſum eſſe.* Sed ne orationis impetu in reflexionem præmaturè abripiamur, eò, unde paulùm, & fortaſſis non incommodè digreſſi ſumus, redeamus.

Secunda pars, quæ aſſerit fidem & ſanctimoniam ad licitam Sacramentorum miniſtrationem tantoperè neceſſariam, ad eorum tamen valorem, & integritatem non eſſentialiter deſiderari, magnopere fuit olim tertio Eccleſiæ ſæculo agitata propter Agrippinum Carthaginenſem Epiſcopum, D. Cyprianum, alioſque perplures Africæ Epiſcopos, qui baptizatos ab hæreticis rebaptizandos eſſe, mordicùs defendebant; nec-non propter Donatiſtas, qui Sacramenta à malis miniſtris, & peccati mortalis conſciis celebrata, nulla eſſe poſuerunt. Qui error non ſolùm in Tridentino *ſeſſ. 7. can. 4. & 12.* proſcriptus eſt, his verbis: *Si quis dixerit*, ait priori loco S. Synodus, *Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum, anathema ſit. Si quis dixerit*, inquit poſteriori loco, *miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Sed etiam in antiquioribus Conciliis damnatus eſt, in quibus, ut docet Auguſtinus *lib. de Baptiſmo*, ſententia glorioſi Martyris Cypriani, quam cum aliis Africanis Coëpiſcopis in Synodo Provinciali docuerat, baptizatos nimirum ab hæreticis, eſſe iterum baptizandos, penitùs extincta fuit. Unde etiam poſtea Patres Conſtantienſes quartum Wiclefi articulum condemnârunt, in quo ſic habebatur: *Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.*

Ratio verò fundamentalis hujus orthodoxæ veritatis, à Tridentino inſinuata eſt, quia à Sacerdote in hæreſim lapſo, vel criminibus lethalibus polluto, poſſunt omnia Sacramenta eſſentialia adhiberi: ergo tunc verum conficiet Sacramentum. Neque enim propter hæreſim, vel impietatem conficiendorum Sacramentorum poteſtatem, quæ in charactere indelebili ſita eſt, amiſit. Hanc rationem perpetuò confirmat Auguſtinus, quia Eccleſiæ Sacramenta vim à Chriſto Sacramentorum authore, non à meritis hominum conſequuntur: ergo per miniſtri infidelitatem, vel iniquitatem, nequaquam impeditur divinæ profuſio bonitatis, cùm inſtrumentum agentis præcipui virtute agat, poſſitque proinde quam non habet, transfundere bonitatem. Unde ſicut impertinens eſt curationi ægroti, utrùm medicus ſanus ſit, an æger; impertinens culturæ agri aut vineæ, num agricola probus ſit, an improbus; modò tamen & ille opportuna remedia, & iſte optima ſemina excultæ & idoneæ terræ mandet: ita effectui Sacramentorum impertinens eſt fides, vel ſanctitas miniſtri, ea modò, quæ Chriſtus inſtituit, ſeriò apponat. *Quid ibi facit malus miniſter*, inquit Auguſtinus tract. 5. in Joan. *ubi bonus eſt Dominus? Non contaminatur donum Chriſti, quia per illum* (miniſtrum malum) *purus fluvius tranſit, & venit ad fertilem terram. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans, ſed tamen in hortis plurimum fructum affert.* Sicut ergo nihil refert, ut ait Auguſtinus *lib. 3. contra Creſconium*, an lotis, vel illotis manibus ſemen jaciatur, ut fructum ferat; nihil refert luminis Solis aut lucernæ, quòd per cœnoſa diffundatur, ut ſplendeat; Nihil refert, inquit Nazianzenus *orat.* 40. an ſigillum ſit ferreum, vel aureum, ut in cera figuram imprimat ſuam; nihil refert, utrùm fiſtula, per quam tranſit medicina, argentea ſit, vel plumbea, aut lutea: ita nihilo magis refert, quòd Deus per bonum vel malum miniſtrum, per bonum vel meliorem gratiæ ſuæ dona largiatur, cùm etiam malis & improbis gratias gratìs datas liberaliſsimè impertiri Deum, certiſsimum ſit. Quare ſicut cerea fax (comparatio eſt Nicolai Papæ ad conſulta Bulgarorum) ſibi quidem detrimentum præſtat accenſa, aliis tamen unde ſibi damnum accerſet, gratiſsimum lucis commodum affundit; ſic malus miniſter pollotis manibus Sacramenta porrigens, eo ſibi opere nocumento eſt, quod aliis eximio eſt emolumento. Ergo nihil à miniſtri impietate timendum eſt, *Quoniam*, inquit Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo, cap. 29. *ſive Judas, ſive Paulus baptizet, Chriſtus peccatum lavat, abſolvit, & delet.*

Nec te moveat plurium antiquorum Epiſcoporum, & regionalium Synodorum oppoſitum decernentium authoritas. Fateor enim, diu initio naſcentis, vel adoleſcentis Eccleſiæ, magna animorum contentione, atque etiam incondito zelo diſputatum fuiſſe, valeretne Baptiſma ab infidelibus collatum. Nam & in Africano Concilio, præſidente Agrippino, Carthaginenſis Civitatis Epiſcopo, nec-non in aliis tribus Synodis Africanis à Cypriano coactis, & in pleniore etiam Africæ & Numidiæ Concilio decretum eſt, nullum eſſe prorſus Baptiſma ab hæreticis collatum; quia ſicut unus Deus, & una fides, ita unum tantùm eſſe Baptiſma, quod nimirum à ſolis Catholicis celebratur, credendum eſſe dicebant. Fateor etiam, eximium Doctorem Cyprianum, accepto Stephani Papæ tunc Eccleſiæ Catholicæ clavo aſtantis reſcripto, Africanorum Conventuum ſanctiones Apoſtolicâ primæ Sedis authoritate reprobantis, contra Pontificias literas plenam querelarum epiſtolam ſeptuageſimamquartam ad Pompejum ſcripſiſſe, in eaque ſolitæ moderationis, & debitæ in Apoſtolicum Thronum obſervantiæ limites, (quæ hominum etiam ſanctorum infirmitas eſt) tranſiliviſſe.

Hæc, inquam, fateor; ſed quid aliud inde deducitur,

ducitur, quàm homines & cæſpitare ſæpe, & interdum labi, ut & Concilia, quibus Romanus Antiſtes reſragatur, nullius eſſe authoritatis. Quantum verò ad perſonam Cypriani attinet, dico, bonam fidem, & indivulſam cum Romana Eccleſia conſenſionem & communionem, ipſum ab hæreſi formali excuſaſſe; moderationis verò prætergreſſos limites ſuſo ſanguine expiaſſe. *Martyrem Cyprianum,* inquit Auguſtinus à D. Thoma *art. 9. ad 2.* relatus, *qui apud hæreticos, vel ſchiſmaticos datum baptiſmum nolebat cognoſcere, tanta merita uſque ad triumphum martyrii ſequuta ſunt, ut charitatis, quâ excellebat, luce obumbratio illa fugaretur; & ſi quid purgandum erat, paſſionis falce tolleretur. Unde?* inquit epiſt. 48. *niſi quia hærens in diffuſione vitis, radicem non deſeruit unitatis.* Unde *lib. unic. de baptiſmo, contra Petilianum, cap* 14. ait, quòd Cyprianus cum Stephano *in Catholicæ unitatis communione perſtiterit.*

Hinc etiam patere poteſt, quanti referat, utrùm quis bonâ, vel malâ fide operetur, ut ab labe hæreſis in ſola pertinacia ſitæ, innoxius ſit. Ob illam enim bonam fidem, nec Cyprianus priſtinâ ſanctitate excidit; nec Cardinalis Ludovicus Alemannus, Arelatenſis Arcpiepiſcopus, qui Eugenio IV. obſtitit, & Antipapam in Eccleſiam bona fide, recta intentione, ejus temporis prudentum conſilio, nulloque humano ductus affectu, obtruſit, ab illa ſanctimonia receſſit, ob quam poſt obitum non pauca miracula edere meruit. Similibus peritiori rationibus S. Vincentius Ferrerius, S. etiam Petrus Luxemburgus, Petri de Luna partes ſchiſmaticas rationibus ſibi probatiſſimis perſuaſi, citra ullum eximiæ ſanctitatis detrimentum ſectati ſunt, & ſub ſchiſmatico Pontifice nihil ſchiſmatis habuerunt. Unde & priorem viris Apoſtolicis Eccleſia Catholica accenſere non deſiit; ſecundus verò Avenione apud PP. Cæleſtinos jacens, innumerabilibus ſulget miraculis, & tanquam tutelaris Civitatis Patronus, cum incredibili populi concurſu religioſiſſimè colitur. Et longè antè Paſchaſius, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, qui Laurentii ſchiſma bonâ fide, & ſincerâ intentione foverat, non amiſit illam ſanctimoniam ſingularem, quæ poſt obitum viri Dei miraculorum gloriâ illuſtrata eſt, quamvis ebibiti erroris, & foti ſchiſmatis pœnas in Purgatorio, ut S. Gregorius in dialogis refert, tulerit. Quod de Cypriano dixi, de Magno etiam Baſilio intelligendum velim, qui *epiſt. canonica ad Amphilochium, can. 1.* hæreticorum nullum eſſe baptiſmum, ſed omninò iterandum affirmat. Quin & *can.* 47. in eam propendet ſententiam, ut cenſeat ſchiſmaticos eſſe rebaptizandos, reque ipſa ſe ſolitum eſſe rebaptizare fatetur, optans, ut cæteri quoque idem præſtarent, utque id Epiſcoporum Concilio ſtatueretur. Quamvis enim Patres ſectari gloriemur, in illorum tamen commentaria (quæ humana infirmitas eſt) errores interdum irrepere non inficiamur.

Dices: Soli Eccleſiæ collata eſt conferendorum Sacramentorum poteſtas, quia illi ſoli Chriſtus Sacramentorum author, indiſſolubili unione copulatur: ergo extra Eccleſiam per membra à Chriſti familia, proindéque à Chriſto ſejuncta, nulla validè conferri poſſunt Sacramenta.

Reſpondeo, ſoli Eccleſiæ datum eſſe & validè, & cum fructu conferre poſſe Sacramenta, quæ extra Eccleſiam hæretici validè, ſed ſine fructu, qui gratia eſt, peragunt. Maximè, quia hæretici ab Eccleſia recedentes, characterem, quem in Eccleſia indelebilem receperunt, ſuâ apoſtaſiâ non amittunt: quamvis ad conferendum baptiſmum nullus ſit character neceſſarius, quia ſicut ejus materia eſt omnis aqua, ita ejus miniſter eſt omnis homo intendens facere, quod facit Eccleſia, Deo ita propter baptiſmi neceſſitatem ſuaviſſimè diſponente, ut dum de baptiſmo agemus, ampliùs conſtabit. Verè ergo dicunt aliqui Patres, baptiſmum ab hæreticis collatum, ſanctificationem minimè conferre, non ſanare, ſed polluere libere illum, & citra neceſſitatis indiſpenſabilis articulum ſuſcipientes, quia gratiam, ad quam conferendam per ſe inſtitutus eſt, non impertit: non enim rectè ad ea diſpoſitus, ſed fictus accedit, qui contra Dei præcepta extra Eccleſiam ſalutem quærit. Quòd autem hæretici non ſint membra Chriſti, nihil vetat; quia ſat eſt, eos eſſe inſtrumenta, quibus cauſa præcipua Chriſtus ad characterem imprimendum utitur: ſicut etiam per improbos Prophetas vera interdum oracula fundit, & per homines iniquos miracula patrat. Extra Eccleſiam ergo rata ſunt Sacramenta, ſed propter hæreticam, vel ſchiſmaticam communionem nihil proſunt. Sacramentum enim ab effectu Sacramenti in liberatione à peccato, & rectitudine cordis conſiſtente, omnino diſtinguendum eſt. Quòd ergo effectus Sacramentorum ab hæreticis haberi non poſſit, non probat invalida eſſe apud eos Sacramenta; ſicut Scripturas eos habere, negandum non eſt, propterea quòd verus apud eos non extet Scripturarum ſenſus, ſed perverſiſſimus intellectus. Aliquo tamen ſenſu rectè dicitur, vera non eſſe apud hæreticos Sacramenta, quia verum illud appellari aſſolet, quod operationem habet naturæ ſuæ conſentaneam; & quia eâ carent Sacramenta in communione hæretica peracta, veris hæreticos carere Sacramentis, à nonnullis Doctoribus dici potuit. Quo autem ſenſu ordinationes ab hæreticis factæ irritæ dicantur, in diſſertatione de Sacramento Ordinis ampliùs elucidabitur. Ex quibus omnibus, quæ in contrarium adduci poſſunt argumentis, à Patrum præſertim authoritate petitis, abſque negotio occurres.

Corollaria derivantur.

Ex dictis ſequitur primò, intra Eccleſiam per malos miniſtros non ſolùm vera Sacramenta peragi, ſed etiam eoſdem Sacramenti effectus conferri, qui per bonos miniſtros habentur. Quia Sacramenta ex opere operato, non ex meritis miniſtri effectum ſuum producunt per virtutem ab uno Salvatore manantem: ergo non minorem gratiam à malo, quàm à bono, vel à minùs bono, quàm à meliori Sacramenta ſuſcipientes, benè diſpoſiti obtinent, ne ſpem ponant in homine, nec dicant: *Ego ſum Pauli, ego verò Cephæ.* ſed illud verum probetur: *Neque qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* Poteſt quidem bonus miniſter, ſicut & boni fideles queunt recipienti Sacramenta pios motus precibus & lacrymis ſuis impetrare, qua de cauſa monet S. Thomas *3. p. quæſt. 32. art. 6.* utiliùs eſſe, Miſſam boni, quàm mali Sacerdotis audire, quia offerentis, & Sacramenta miniſtrantis devotio aliquam gratiam à Deo pro circumſtantibus exorare poteſt; ſed hæc gratia non eſt ſacramentalis, ſed acceſſoria, quæ poteſt etiam à quovis pio fideli minimè miniſtrante impetrari.

Sequitur ſecundò, Miniſtros ſpeciali conſecratione ad conficienda Sacramenta deſtinatos, qui & miniſtri ſolennitatis dicuntur, non poſſe ſine ſacrile-

crilegio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis peragere. Patet hoc corollarium ex dictis; cùm enim oſtenderimus, illicitam eſſe ſacramentorum ſive miniſtrationem, ſive receptionem à fide & ſanctimonia deſertam, manifeſtum eſt miniſtros cum peccato mortali ſacramenta ſolenniter celebrantes in reverentiæ Deo debitæ læſæ, & contaminationis rei ſacræ reatum incurrere. Quod corollarium intelligendum dixi de miniſtro ſolennitatis, ut exciperem cum D. Thoma miniſtrum neceſſitatis, qui urgente charitatis præcepto extremè indigenti ſubvenit, vel Corpus Chriſti in terram projectum colligit; qui tunc an ſit paratus, non debet attendere, ſed periclitanti ſuccurrere, & Chriſti reverentiæ conſulere. Quam tamen exceptionem ita arctari velim, ut ſi miniſter ille neceſſitatis temporis anguſtiis minimè prematur, nec ullum ſit in mora periculum, tenetur ſancta ſanctè tractare, & Chriſti ſeſe ſanctitati conformare, & divina miniſteria reverenter peragere, quia ut veridicè ſcripſit S. Thomas *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 2. Hoc eſt de jure naturali, ut homo ſancta ſanctè pertractet.* Certè ſicut ordinarius Regis famulus & domeſticus eo debet veſtium ornatu indui, qui regium deceat comitatum & obſequium; ab eo tamen apparatu excuſatur, qui in urgenti neceſſitate Regi cadenti, vel ægrotanti ex improviſo aſſumitur; ſi tamen tempus ſupperat Regi etiam ægrotanti, citra contemptum Regiæ Majeſtatis non ſervit, qui ad ejus obſequium ſordibus fœtens, & immundus accedit.

Scio Cajetanum, & aliquos recentiores docere, non ſufficere ad peccatum mortale, ut miniſter ex officio miniſtret, niſi tale miniſterium exerceat, quòd ſit actio ſacramentalis, id eſt confectiva ſacramenti. Unde inferunt aliqui, quòd qui ſacramentum jam confectum miniſtrat, putà qui Euchariſtiæ conſecratas ſpecies diſtribuit, in mortale non incurrit, cùm tunc non adſit actio ſacramentalis, ſed mera ſacramenti peracti applicatio. Ex quo etiam deducunt, Diaconum, vel Subdiaconum, & multò minùs inferiores Clericos, nec-non Concionatores verbi Dei, non peccare mortaliter, dum officia ſua exercent, quia nulla ibi actio ſacramentalis intervenit. Sed utut ſit de ſpeculativa horum conſectariorum probabilitate, crediderim tamen ingens eſſe periculum, & majorem temeritatem, tam auguſta ſacrarum rerum myſteria fœdâ manu ſumere, contrectare, atque aliis porrigere. Certè qui altam, ut par eſt, de noſtris myſteriis & hierarchicis functionibus ideam formaverit, & non minorem reverentiæ ſenſum erga illa expertus fuerit, ad altaria, vel alia quævis ſacra munia pollutus non ſe obtrudet, ad quæ etiam nihil ſibi conſcius, niſi tremebundus & ſacro horrore perfuſus non accedit. *Non eſt dubium*, inquit doctus à Domino S. Thomas art. 5. *quin mali exhibentes ſe miniſtros Dei & Eccleſiæ in diſpenſatione ſacramentorum non peccent.* Et in dicta diſt. 24. *Quidquid homo, quod ſibi competit ex ordine, facit indignè, quod juſtum eſt injuſtè exequitur, ac per hoc mortaliter peccat.* Et Gregorius XI. *cap. Quæſitum, titulo de temp. ordin.* de Sacerdotibus & Clericis agens: *Si non pænituerint*, inquit, *monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis Ordinibus non miniſtrent.* Extollunt Patres Centurionis humilitatem atque modeſtiam, qui Chriſtum domo excipere non eſt auſus, indignum ſe eſſe conteſtans; qui tamen fide per dilectionem operante plenus totum meruit impertrare quod petiit; unde ad domum ejus *non perrexit Dominus, ſed perrexit Domini medicina; non viſitavit ægros Salvator, ſed viſitavit ſanitas Salvatoris*, ut ſcitè dixit Ambroſius *ſerm. 26. in dedicat.* Si Baptiſta poſt Angelicam in humano corpore vitam peractam nec levi famine maculatam contremuit, & non auſus eſt tangere ſanctum Dei verticem; ſi ſanctiſſimi Viri eo nomine ab Euchariſtia interdum abſtinent, ne frequentiore uſu, quo majora quæque vileſcunt, debita diviniſſimo Sacramento veneratio ſenſim remittatur & langueſcat, & ne ex quotidiano eſu ad inadvertentiam defluant; quid de illis dicendum eſt, qui tremenda Angelis myſteria & miniſteria cum conſcientia peccati mortalis contrectare & exercere præſumunt?

Sequitur tertiò, licitum eſſe à miniſtro tolerato Sacramenta recipere. Quia, ut ait D. Thomas quæſt. 64. art. 6. ad 2. *Ille qui ad Sacramenta accedit, ſuſcipit Sacramenta à miniſtro Eccleſiæ, non in quantum eſt talis perſona, ſed in quantum eſt miniſter Eccleſiæ: & ideo quamdiu ab Eccleſia toleratur in miniſterio, ille qui ab eo ſuſcepit Sacramentum, non communicat peccato ejus, ſed communicat Eccleſiæ, quæ eum tanquam miniſtrum exhibet. Si verò ab Eccleſia non toleratur, (putà, cùm degradatur, vel excommunicatur, vel ſuſpenditur,) peccat, qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipſius.* Quamvis autem hæc abſolutè vera ſint, quia multò magis urgente neceſſitate licet petere emolumentum ſpiritale ab eo, qui illud ex officio largiri tenetur, quàm in neceſſitate petere mutuum ab uſurario, qui tamen ſine peccato non fœneratur, quod tamen citra culpam fieri poſſe docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 78. art.* 4. attamen ex lege charitatis tenemur alios miniſtros, ſicut & alios fœnerantes adire, ſi abſque gravi incommodo fieri poſſit. Etenim verus Dei amans & injuriam Dei, & peccatum proximi in omnibus ſemper & ubique pro virili parte etiam cum aliquo ſuo incommodo impedire conatur, niſi fortè vel ratione vitandi majoris mali, putà ſcandali; vel inobedientiæ Prælatis ſuis & Paſtoribus ordinariis debitæ, vel ob alia adjuncta, moderante chriſtianâ prudentiâ, non negligentiâ, jure ſuo uti, & officio ſatisfacere compellatur. Porrò per miniſtros toleratos juxta Extravagantem Martini V. in Concilio Conſtantienſi editam, ii intelliguntur, qui non ſunt manifeſti & noti Clericorum percuſſores, vel qui ob alia crimina non ſunt publicè, ſpecialiter, & expreſsè denuntiati. Unus tamen excipitur articulus mortis, in quo etiam à Sacerdote hæretico notorio licet ſacramenta recipere, qui propterea in illa neceſſitate, ut docet ſacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 14. cap.* 7. poteſt quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & cenſuris abſolvere; ſicut etiam ab hæretico, & quocunque infideli licitè petitur, ut baptizet parvulum animam agentem, ſi nullus fortaſſis præter eum formam baptiſmatis nôrit.

Reflexio.

Si juxta vulgatum Philoſophorum pronuntiatum, ab objectis ſpecificentur, & veluti appendantur potentiæ; ſi menſura dignitatis iſtarum, illorum eſt dignitudo: vide quàm ſacrum, quàm auguſtum, quàm divinum ſit miniſtrorum Eccleſiæ officium, quámve eminens divinitùs illis collata poteſtas, quæ in rebus adeò ſacris, auguſtis, & divinis conficiendis, contrectandiſque tota verſatur. Quanta porrò eorum debeat eſſe vitæ caſtimonia, qui ad ea miniſtranda ſemper debent eſſe

accincti, quæ exerceri ſine ſacrilegio non poſſunt, nemo non videt. Hinc tantam SS. Patres & ſacra Concilia in Clericis & Sacerdotibus ſanctimoniam deſiderant. Hinc quæ in ore laïcorum nugæ ſunt, in ore Sacerdotum blaſphemias eſſe Bernardus pronuntiavit; talibuſque aperire linguam indignum eſſe credidit, quæ verbo Dei & Chriſti corpore & ſanguine conſecratur. Hinc Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 60. decernit, *Clericum ſcurrilem, & turpibus verbis jocularem ab officio removendum.* Hinc eadem ſacra Synodus, cui inter alia primæ magnitudinis ſydera interſuit Auguſtinus, ſtatuit, ut *ex pœnitentibus Clericus quamvis bonus non ordinetur: ſi per ignorantiam Epiſcopi factum ſit, deponatur à Clero, quia ordinationis tempore non prodidit ſe fuiſſe pœnitentem.*

Cernebant nimirum affuſo ſibi Spiritus ſancti, in quo erant congregati, lumine SS. Patres, quàm eximium ſanctitatis gradum poſtulet Clericalis Ordinis decor, cujus teſſera una eſt innocentia, una eſt ſanctimonia. Hinc viri ſanctiſſimi, quos Dei gratia impleverat, ſuoque amore ſuccenderat, diviniſſimorum myſteriorum juſto ſacroque horrore perculſi, à divinis agendis aut tractandis identidem ſuperſedebant, quo animum jejuniis, gemitibus, orationibus, majorique pietatis ſtudio & cultu interim eâ intercapedine componerent & compararent, ut in vita SS. Bonaventuræ, Ignatii, & Bartholomæi à Martyribus legere eſt, cujus etiam præclara reverentiæ exempla in vitis Patrum, & alibi omnibus obvia occurrunt.

Quid dixiſſent, amabò, ſancti illo Eccleſiaſtico ſpiritu pleni de miniſtris illis, qui poſt ingentia ſcelera & ſcelerum monſtra, in luto adhuc hærentes tremenda myſteria tractant quàm familiariter? Siricius Papa *epiſt. ad Himerum Tarraconenſem Epiſcopum, cap.* 14. ait: *Illud quoque par fuit nos providere, ut ſicut pœnitentiam agere non conceditur cuiquam Clericorum* (loquitur de pœnitentia à ſacris canonibus criminibus, ſeu peccatis mortalibus præſcripta, ſupponens vitam Clericorum ita ab illis eſſe immunem, ut pœnitentiâ pro illis imponendâ non egeant; nam pœnitentiam pro venialibus, quæ innocentes omnes decet, non excludit) *ita poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam liceat laicorum Clericatus honorem adipiſci.* Quod ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſecundùm quod ſcriptum eſt, *Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo?* teſtatur Magnus Leo *epiſt.* 92. Quodnam, quæſo, judicium de iis tuliſſent ſupremi illi, ſummique Antiſtites, qui nullâ peractâ de graviſſimis peccatis pœnitentiâ, non ſe arcent ab altaribus ſacriſque muniis obeundis?

Sed quid, ſodes, cogitaſſent de illa indiſcreta Clericorum aſſumptione, & citâ manuum impoſitione, quâ boni malique ad ſanctos Ordines non tam eliguntur, quàm acervantur: de cœno ad altaria, de muneribus ſæcularibus ad officia Angelicis humeris formidanda, nullâ Dei vocatione, unis humanis favoribus evehuntur? Nunquid ſapientiores ſumus Patribus noſtris, qui unam ad ſacra miniſteria diſpoſitionem cordis, & morum illibatam munditiam neceſſariam arbitrati ſunt? Sed fortè ſumus Seraphico viro Franciſco vel lumine divino perfuſiores, vel zelo ardentiores, qui tamen ſacerdotalem gradum conſtanter detrectavit, quia illum in ſe vir humillimus non agnoſcebat vitæ candorem, qui ſibi fuerat ab Angelo ſub aquæ pellucidæ ſymbolo præmonſtratus. An ignoramus illud ab Ambroſio in quodam ſermone literis commendatum: *Ex inordinata & indiſciplinata multitudine Sacerdotum hodie datur contemptus Redemptoris noſtri venerabile ſacramentum.*

Quid exiſtimaſſent de illis Miniſtris ſuæ dignitati injuriis, ſtatus ſui, & quas tractant, rerum majeſtatis oblitis, qui ut fusè proſequitur Hugo Victorinus, legem Dei nec ſciunt, nec diſcunt; qui à comeſſationibus, lautis conviviis, & inſanis ludis non ceſſant; qui terrenis inhiantes nimis ſeſe ſæculi negotiis implicant, quibus ſoli de Eccleſia contemptibiles debuerant operam dare; qui ſunt in plateis, vel hortis aſſidui, in Eccleſia rari; tardi ad inveſtigandum peccata ſibi commiſſi gregis, parati ad quærendum veſtigia leporis; ad congregandos canes aut equos peræquè propenſi, atque ad arcendos pauperes; qui falconi libentiùs panem porrigunt, quàm egeno, pluresque ambiunt menſæ quàm Miſſæ habere ſocios, vel miniſtros; quorum thalamus eſt Eccleſiâ ornatior, menſa altari nitidior, ſcyphus calice pretioſior, veſtis caſulâ pulchrior, ſubtilior ſubucula quàm alba, & quod horribile dictu eſt, elaboratius & excultius interdum ſtabulum, quàm templum? Quis crederet, niſi videret, tot miniſtros Chriſti adeò à ſtatus ſui ſanctimonia potuiſſe deſciſcere, & ad tantam inertiam devenire? Quis crederet adeò obſcurari potuiſſe aurum, mutari colorem optimum, & diſpergi lapides Sanctuarii in capite omnium platearum? Unica, niſi me mea fallat ſententia, tantæ prolapſionis origo eſt eorum, quæ contrectant vel ignoratio, vel inconſideratio: unde tremenda myſteria uſu quotidiano facta illis vilia nullam incutiunt miniſtrantibus reverentiam. Hæc autem dicta velim adverſùm miniſtros ſtatum ſuum cæteris omnibus immenſùm præſtantem, morum dedecore obſcurantes. Abſit enim, ut ponam in cœlum os meum, abſit ut in illos invehar, à quibus Chriſtianus factus ſum, vel divinam conditionem nulli niſi Deo inferiorem privatorum miniſtrorum improbitatis cenſurâ deprimam; quin potiùs profunda, quam Dei benignitas viſceribus meis inſevit in Eccleſiæ miniſtros, reverentia illas in eos criminationes à me extorſit, qui gradum vitiis proculcant ſuum, quem tamen etiam in hoc ſæculo nequam innumerabiles alios juxta præceptum Apoſtoli honorificare, & illud quod tractant, imitari incredibili gaudio cernimus & gratulamur.

DISSERTATIO II.

AD PRÆCEDENTEM APPENDIX.

De intentione Miniſtri operoſiùs inquiritur. Ubi oſtenditur, Sacramenta ſeriò, & prudenter cum materia & forma debitis peracta, nullâ Miniſtri intentionem ſuam retinere volentis, malitiâ annullari.

DE intentione Miniſtri breviter Speculatione ultima præcedentis diſſertationis loquuti, prolixiorem pro rei gravitate tractationem in hanc ſpecialem appendicem rejecimus, ut ſummi momenti quæſtionem & enucleatiùs diſcutere, & profundiùs ingenio pervadere, & accuratiùs definire valeremus. Unde à ſolita in capita & varias ſpeculationes diſſectione abſtinebimus, ut in hac ſola ſpeculanda omnes animi nervos contendamus, eaque tibi (Lector optime) exponamus, quæ Viris doctiſſimis & piiſſimis tutiſſima & certiſſima viſa ſunt. Alios enim, præſertim eccleſiaſticâ

doctrina

doctrinâ inſtructiores, hac in difficultate audire maluerim, quàm quidpiam proprio judicio definire.

§. I.

Quod de intentione Miniſtri apud omnes Catholicos in confeſſo eſt, præmittitur; in quo diſſentiant, dilucidè proponitur.

Lutheri dogma proſcribunt omnes Theologi, qui res & verba à miniſtro jocante, irridente, & ſine intentione faciendi quod facit Eccleſia operante, ad valorem & integritatem ſacramenti ſufficere arbitratus eſt. Qui error & à Florentina Synodo decreto de Armenorum unione cum Latinis, & à Tridentina *ſeſſ. 7. can. 11.* verbis luculentiſſimis proſcriptus eſt. *Omnia ſacramenta*, inquit Florentinum, *tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & perſonâ miniſtri conferentis ſacramentum.* Succinit Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 11. Si quis dixerit*, inquit, *in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Ratio verò hujus orthodoxæ veritatis ſuprà inſinuata eſt, & ſic iterum proponitur: Adminiſtratio ſacramentorum eſt actio humana, non caſu & temerè, ſed humano modo exercenda: nulla autem eſt, vel eſſe poteſt actio humana ſine intentione eam ſeriò efficiendi; quam quidem demonſtrat ſe non habere, qui rem joco, ludo, vel deriſoriè, aut contumelioſè facit. Ergo ad valorē Sacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſeu ritum illum ſeriò peragendi, qui in Eccleſia ſanctus & religioſus habetur. Et certè cùm Chriſtus Dominus homines delegerit, qui ſacramenta in Eccleſia miniſtrarent, voluit etiam, ut iidem homines ſacramenta cum ratione, judicio, & voluntate celebrarent. Unde planè requiritur, ut miniſter ſit rationis compos, ut ſciat illum in religione chriſtiana religioſum haberi, ut modo ſerio, & per modum miniſterii materiam adhibeat, verbáque proferat: quod non facit v. g. Sacerdos, qui ſacrum Evangelium legens in refectorio panibus inſtructo, verba conſecrationis refert; nec ille, qui joci cauſa vas aquæ è feneſtra in prætereuntem catechumenum effundit, verbáque interim minimè profert.

De his nemo Catholicus ambigit, ſed difficultas graviſſima, & juxta utiliſſima eſt, utrùm ad valorem Sacramenti ſufficiat intentio faciendi ritum illum externum, quem religioſum apud Chriſtianos haberi miniſter probè ſcit; ex qua intentione verba ſeriò proferat, & res ab Eccleſia præſcriptas adhibeat, ſolicitus, ne quidquam neceſſarium ab Eccleſia exiſtimatum prætermittat: ſed ita tamen, ut malitiâ ſuâ vel retineat intentionem faciendi quod Chriſtus intendit, vel etiam poſitivè nolit intentioni Chriſti, vel Eccleſiæ conformari.

Evaſit hæc difficultas celebrior propter caſus non ita pridem magno rumore ſparſos de quibuſdam ſceleſtis Sacerdotibus, eò impietatis prolapſis, ut nullum Sacramentum neque conficere, neque conferre, ſed ſuſcipientes diris potiùs devovere ſe occulta intentione voluiſſe declarârint. Incredibile eſt, & narratu difficile, quantùm inde turbarum excitatum ſit, quantùm inde Eccleſiæ Catholicæ incommodare hæretici adniſi ſunt, quibus de Sacerdorum lapſibus non parum ſibi plaudere, ſolenne eſt. Hac de cauſa momentoſam iſtam difficultatem à modernis Theologis ſatis perfunctoriè pertractatam, ſi accuratâ indagine excuterem diligenter, operæpretium me facturum putavi.

Prior ergo in hacce difficultate ſententia ſtatuit, ad valorem Sacramenti non ſufficere ſolam intentionem faciendi ſeriò ritum externum, ſed requiri inſuper intentionem faciendi & perficiendi, quod Chriſtus per Sacramentum intendit eſſe faciendum, ſeu intentionem faciendi ritum illum ut ſacramentalem, id eſt, ſicut Chriſtus eum inſtituere decrevit, referendo illum ad finem inſtitutionis, & volendo illum quia inſtitutum, & prout inſtitutum; ita ut ſi miniſter malitiâ ſuâ intentionem illam retineat, Sacramentum ſit irritum & inane, quantumvis miniſter ſeriò operari velit, & reapſe operetur. Ita plures Theologi recentiores, cùm noſtrates, tum extranei.

Poſterior ſententia eſt graviſſimorum, & juxtà doctiſſimorum Theologorum, tam antiquorum, quàm modernorum, ſacræ præſertim Pariſienſis Facultatis Doctorum, & publicorum apud Sorbonam Profeſſorum, qui mordicùs docent, eam in miniſtro ſufficere intentionem, quâ ritum illum, qui in Eccleſia religioſus habetur, ſeriò & attentè peragere vult, tametſi ritum illum intus impietate irrideat, vel infidelitate deteſtetur: unde inferunt, Sacramentum à miniſtro prudenti ſeriò, & ſervatis diligenter ſervandis peractum, nullâ miniſtrantis malitiâ, nulla occulta intentionis retentione, vel corruptione impediri; imò nec ejus faciendi, quod facit Eccleſia, intentionem deperire, quia qui deliberatè & ſeriò, ſciens & prudens facit, quod faciendum Eccleſia præcipit, utique vult facere, quod facit Eccleſia, cùm illud reverà volens faciat; unde nullâ occultæ voluntatis intentione, vel intentionis retentione Sacramentum invalidum reddere poteſt.

§. II.

Ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem ſeriò peragendi externi ritus, qui Chriſtianis religioſus eſt, eaque ſtante nulla miniſtri intentionis retentione, vel perverſitate ſacramentum irritari, incunctanter aſſerendum eſt.

Proferuntur Theologi longè præſtantiſſimi hujus aſſertionis ſectatores, & primùm antiquiores.

Hæc ſecunda ſententia non ſolùm tuta, & ab iterandorum ſacramentorū characterem imprimentium periculo aliena, ſed unica vera, unica certa, ſalvo meliori judicio, mihi videtur. Ne autem in re graviſſima, qualis eſt ſacramentaria, novitatis aut ſingularitatis inſimuler, antequam authoritatum & rationum momenta, quibus hæc noſtra aſſertio innititur, proferamus in medium, juvat ad moroſorum retundendos aculeos, vel potiùs vitilitigationes paululùm dejiciendas, oſtendere, ſententiam hanc non ſolùm ante Tridentini tempora, ſed hac etiam ætate plures omni exceptione meliores habere defenſores. Præclaram ergo illam Theologorum catervam in aciem producamus, ut palam ſit hanc aſſertionem numeroſo omnium Ordinum comitatu ſeptam eſſe.

In primis hanc ſententiam docuit Magiſter Sententiarum *in 4. diſt. 27. littera C*, ubi tradit, malitioſam contrahentis matrimonium intentionem ſacramenti valorem non impedire, ſi dolus & violentia abſint. *Si contrahentes*, inquit, *conſentiant mente, & non exprimant verbis, vel aliis notis ſignis, nec talis conſenſus efficit matrimonium: ſi autem verbis explicant, quod tamen corde non volunt, ſi non ſit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum, quibus conſentiunt, dicentes: Accipio te in virum, & ego te in uxorem, matrimonium facit.* Si ergo ad integritatem

ratem matrimonii verba ſeriò & liberè prolata, dolo tamen & vi ceſſante, ſufficiant, quantumvis voluntas interiùs renitatur, & nubere nolit nec intendat, profectò juxta Magiſtrum ad ſacramentorum integritatem ea intentio ſufficit, ex qua ritum externum à Chriſto & Eccleſia præfinitum quis ſeriò facere vult & intendit; intendit verò quoties ex deliberatione illum liberè exercet.

Idem docuit Petrus Paludanus ex Ordine Prædicatorum ad Patriarchatum Hieroſolymitanum ob ingentia merita aſſumptus. Nam *in 4. diſt. 6. quæſt. 2.* propoſit: à opinione aſſerente malitioſam intentionis retentionem vim ſacramentis eripere, ſubdit: *His non obſtantibus poteſt ſuſtineri opinio, quòd ſola verborum expreſſio ſufficiat*, modò illa expreſſio, ut poſteà addit, ſit *congrua*, id eſt ſeriò & advertenter à miniſtro prolata. Et rationem aſſignat, quia miniſter tantummodò inſtrumentum eſt, & veluti nuntius, & procurator Chriſti: ad effectum autem inſtrumenti, nuntii, & procuratoris ſufficit ſincera, & recta agentis præcipui & Domini intentio: ſicut ſervus legitimè vendit, & dominium rei transfert, ſi dominus vendere velit, & ſervus verba congrua ſeriò etſi præter & contra intentionem proferat; ſimiliter, inquit, cùm quis per interpretem peccata ſua Sacerdoti pandit, licèt interpres intus ſacramentum illudere intendat, ſi tamen pœnitens ſincerè peccata ſua declarare velit, & diſpoſitus ſit, beneficium abſolutionis conſequetur. Quod tamen exemplum non omninò congruit, nam etſi interpres exteriùs luderet & jocaretur, modò tamen peccata verè recitaret, id pœnitenti ſufficeret, quia iſte non exigit interpretem ſeriò agentem, ſed clarè exponentem peccata ſua. Sed utut ſit de illius exempli vi, ſatis eſt, eo ſimili mentem ſuam Paludanum dilucidè explicaſſe: Denique ſicut cùm aliquis, inquit, per nuntium, vel procuratorem matrimonium contrahere intendit, verum peragitur matrimonium, ſi congrua à procuratore intus licèt repugnante verba proferantur.

Confirmat id ipſum vir doctiſſimus in ſolutionibus argumentorum. Tum quia miniſter ſe habet ſicut qui applicat ignem ad ſtupam, quam utique combureret quidquid in contrarium applicans velit; quia virtus ignis ſemel applicata ab applicante non pendet. Ergo quia ſacramentorum virtus à ſolo Chriſto proficiſcitur, ſemel applicatis illis divinæ gratiæ aquæductibus, verbiſque prolatis, nullâ applicantis occultè intentionem retinentis malitiâ ſacramentorum profluvium impeditur. Tum quia ſicut ad hoc, quòd medicina ſanet, ſufficit, quòd illa ipſa, quæ ſanativa eſt, adhibeatur, & natura infirmi cooperetur, quamvis pharmacopola applicans velit occidere, vel certè non intendat ſanare; ita ſacrorum Pharmacorum vis malignâ miniſtri intentione minimè ſuſpenditur. Tum quia licèt miniſter impius interiùs ludere, & illudere malitioſè velit, Eccleſia tamen, cujus ſe vicarium ſeriò exhibet, per eum decipere, vel ſuſcipientes fruſtrari non intendit. Unde *ſi Miniſter diceret*, (verba ſunt Petri de Palude, quæ obſerventur digniſſima) *quòd intendebat ludere, non baptizare, ei credendum non eſſet ad rebaptizandum; ſicut non creditur ei, qui verba matrimonii protulit, ſi dicat, quod non intendebat. Imò ipſemet qui certus eſt* (ſe tam perverſam habuiſſe intentionem,) *rebaptizare non debet, quia verus Baptiſmus fuit: & ſi rebaptizaret, puniendus eſſet.*

Aſtipulatur Angelus de Clavaſio, ſeu Author Summæ Angelicæ, verbo *Baptiſmus*, *cap. 5. §. 7.* ubi ait, quòd licèt miniſter credat Baptiſmum eſſe *deceptionem & truffam* (verba ſunt ejus) effectum ſuum habet Baptiſmus tamen, modò non intendat ſolùm lavare, ſed velit ſeriò facere ritum illum, quem fieri ab Eccleſia ſcit, & quem ſuſcipiens petit.

Subſcribit Sylveſter, Juris Canonici peritiâ nulli fortaſſis ſecundus, *in Summa, verbo Baptiſmus, titulo 3.* ubi adductis variis pro hac ſententia Authoribus, ſic cum D. Thoma, quem refert, concludit: *Miniſter ſacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter: in verbis autem, quæ proferuntur, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem ſacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri & recipientis ſacramentum.* Favet etiam aſſerto noſter Chryſoſtomus Javellus *part. 5. Philoſophiæ Chriſtianæ, tract. 2. de Baptiſmo, cap. 6. in fine.*

§. III.

Referuntur Theologi, qui eandem ſententiam à tempore Concilii Tridentini ex profeſſo propugnavère.

Eandem quoque ſententiam apertè docuerunt clariſſimi Theologi, qui à tempore Concilii Tridentini de hac quæſtione diſſeruerunt.

In primis pro hac aſſertione fortiter decertavit in ipſo Concilio Tridentino Ambroſius Catharinus, ex Dominicana familia primùm ad Epiſcopatum Minorenſem, deinde ad Archiepiſcopatum Compſæ profectus, qui uno pòſt anno librum de hacce materia ſcripſit, ubi Concilium unà ſecum ſentire, & ejus decreta juxta ſuam ipſius ſententiam intelligi oportere teſtis ocularus, & cui credatur, digniſſimus aſſeverat. Quo potiſſimùm permoveretur motivum poſtea referemus.

Catharino ſuffragatur Alphonſus Salmeron, qui cùm concilio Tridentino à Summo Pontifice ob eximiam eruditionē juſſus interfuerit, ejuſdem ſacræ Synodi mentem apprimè calluit, illique religioni fuiſſet ab Oecumenici Concilii fide & mente vel latum unguem in re graviſſima diſcedere. Sic autem habet libro 1. Commentariorum ſuper Paulinas Epiſtolas, 3. part. diſput. 2. *Advertendum duplicem poni intentionem miniſtri conferentis ſacramentum; alteram quidem publicam, & Eccleſiæ ipſius, cujus miniſterio perfungitur, quicumque ille ſit qui ſacramentum diſpenſat. Hæc autem intentio ſatis exprimitur in ipſis ſacramentorum formis, ut, Ego te abſolvo, Ego te baptizo, Hoc eſt corpus meum. Intendit enim Eccleſia Catholica, ſicut & Chriſtus, ſacramentorum author, per hujuſmodi verba baptizare, & abſolvere, & panem in Chriſti corpus convertere. Hæc autem intentio inſeparabilis eſt ab ipſis verbis, ſi integrè, ut debent, proferantur: & ideò miniſtri ſolliciti eſſe debent, ut formam ipſam integrè pronuntient, nec illam aliquo verbo contrario vitient, quò ſic perficiant ſacramentum, & ſacramenti effectum dignè accedentibus conferant. Altera verò intentio privata eſt, & particularis ipſius miniſtri, qui aut nihil credit eorum quæ facit, aut deriſoriè* (intrinſecùs ſemper) *facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi ſacramenta, aut eorum effectus, etiamſi ſacramentum in forma Eccleſiæ conſueta adminiſtret. Hæc intentio privata etſi neceſſaria ſit, ne miniſter peccet, ut conformetur intentioni Eccleſiæ; tamen tam fortis & efficax non eſt, ut vitiare ſacramentum poſſit.* Hanc ſententiam tam luculentis verbis expreſſam decem ibi argumentis confirmat, & illuſtrat.

Eandem quoque ſententiam exertè docuit Joannes Viguerius Dominicanus, Theologiæ apud Toloſanos Profeſſor, & ipſe Toloſanus, è conter-

mino

mino Toloſæ oppido Granatâ, non ex Granatenſi, Hiſpaniarum Civitate, ut Poſſevinus nominum æquivocatione deceptus exiſtimavit, oriundus. Sic autem ſcribit libro ſuo inſtitutionum, capite 16. de Sacramentis in genere: *Notandum, quòd duplex eſt intentio Eccleſiæ, Prima eſt, quod materia & forma applicetur; ſecunda, quòd per illam applicationem conferatur gratia & alii effectus. Prima intentio recta ſufficit in miniſtro, qui eſt inſtrumentum animatum; per eam enim ſe ſubjicit principali agenti. Sicut ſervus, qui ex præcepto domini ſui tradit aliquid alicui, habet voluntatem tradendi quod dominus jubet, licèt non habeat intentionem transferendi dominium rei traditæ, quia ſufficit quòd illa intentio ſit in Domino.* Quæ verba adeò perſpicua nullâ ponderatione egent.

* Succinit Guillelmus Eſtius, Academiæ Duacenſis eximiâ magis eruditione quàm Cancellarii dignitate decus. Sic enim habet in 4. diſtinct. 1 §. 23. *Neque ſufficit intentio operis, ut eſt opus qualecumque; nam hoc modo nuſquam deeſſe poteſt illi actioni intentio ad veritatem ſacramenti neceſſaria, etiamſi ludo aut joco, vel etiam deriſoriè, imò & contumelioſè ageretur, dummodo foret actio humana. Sed requiritur & ſufficit intentio vel explicita & actualis, vel ſaltem implicita ſive virtualis faciendi quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit.* Unde cum Magiſtro infert: *Et proinde eum qui tantùm jculariter, aut mimicè aliquem immergit, etiam prolatis ſacramenti verbis non verum Baptiſma conferre.* Explicans verò quid ſit intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſubdit: *Ea porrò dicitur intentio faciendi quod facit Eccleſia, quâ quis intendit actionem, non ne eſt actio prophana, aut vulgaris, vel etiam mimica, aut deriſoria, ſed ut eſt ſingularis quædam actio, quæ in Eccleſia, id eſt apud Chriſtianos, ſolenni more fieri conſpicitur. Cum hac autem intentione manifeſtum eſt conſiſtere erroneam ac perverſam opinionem, non tantùm de ipſo ſacramento, ejuſve effectu, verùm etiam de Chriſto & Eccleſia, & quibuſcumque fidei articulis.* Deinde verò præmiſsâ diſtinctione intentionis generalis faciendi quod fit in Eccleſia; & particularis, quam habet perverſus miniſter, ſic concludit: *Non enim quia particulari intentione excluſum vult ſacramenti effectum, idcircò revera excluditur, quia divino operi vim ſuam adimere non poteſt, quidquid demùm ſit, quod in particulari intendit, modò ea adſint omnia, quæ ex inſtitutione divina requiruntur; quomodo & medicamentum aliquod efficax curabit ægrotum, qualiſcumque fuerit medici porrigentis intentio.* Fateor tamen eundem Eſtium § 24. ſequenti, & *diſt.* 4. §. 10. & 11. ſubobſcurè hanc difficultatem, præſertim dum Auguſtinum interpretatur, expoſuiſſe. Verùm allatis verbis germanam noſtram ſententiam declaravit.

Hanc eandem ſententiam ex profeſſo ſuſtinet, & duodecim argumentis confirmat Scribonius, Ordinis Minorum S. Franciſci Recollectorũ Theologus inſignis, *in ſua Theoſimia, diſput. 1. de ſacramentis in genere, quæſt.* 7. ubi ſic fatur: *Duplex poteſt in miniſtro ſacramenta conferente eſſe intentio; una ſpeculativa in intimis ejus præcordiis reſidens, de qua nullum prorſus ſignum, nullumque exterius veſtigium apparet, & de hoc non judicat Eccleſia: alia ad actum redacta, & in actum externum proſiliens. Silentio itaque prætermitto illam internam in intimis medullis deliteſcentem, quia prodeſſe, nec obeſſe poſſe reor, niſi aliter Eccleſia Catholica decreverit, ſed ſufficere illam practicam ad opus externum procedentem.*

Idem tenet Zacharias Paſqualigus Clericus Regularis *diſput.* 72. *ſect.* 4. ubi ſic habet: *Dicendum eſt, ſufficere intentionem, quæ moveat miniſtrum ad proferenda verba ſupra determinatam materiam, quam adhibeat ſimul cum ritu Eccleſiæ; & in hoc ſalvari intentionem faciendi quod facit Eccleſia; ita ut ſtante tali intentione, etiamſi adeſſet intentio miniſtri non conficiendi ſacramentum, adhuc conficeret.* Quod aſſertum quinque eò loci munit argumentis, & oppoſitæ ſententiæ argumentis optimè ſatisfacit.

Denique omiſſis aliis, eximii Sorbonici Doctores ad conſulta eorum reſpondentes, qui ſe baptizatos, aut ordinatos ajebant ab illis Catholicis Miniſtris, qui nullam ſibi conferendorum ſacramentorum voluntatem fuiſſe declaraverant, intrepidè dixerunt, ſacramenta hæc non eſſe de integro repetenda, nec etiam ſub conditione iteranda, quia nullâ intentionis occultâ retentione Sacramenta ſeriò à prudentibus peracta ullatenus impediri potuerunt. Quin non ita pridem in theſibus publicè apud Sorbonam, alibique Pariſiis propugnatis, hanc poſitionem defenderunt Bacchalaurei eruditi: *Intentionis defectus irritum ſacramentum facit, & quidem ſi quis non intendat facere quoad ritum externum, quod facit Eccleſia.*

Dominus etiam Sanbovius Regius in Sorbona Profeſſor, & præſtantiſſimæ eruditionis famâ doctis omnibus notus, in publicis prælectionibus docuit, dummodò miniſter velit ponere rem exteriorem ſacram, quidquid tandem contrarium habeat in animo, valere ex mente S. Thomæ ſacramentum: nec intentionem faciendi quod facit Eccleſia includere voluntatem in miniſtro faciendi ſacramentum ut ſic, quia multi validè Sacramentum Baptiſmi adminiſtrant, etiamſi neſciant quid ſit Sacramẽtum, aut quòd Baptiſmus ſit ſacramentum; quamvis ſciant eſſe quemdam ritum, qui Chriſtianis religioſus eſt.

Dominus quoque Antonius Arnaldus, vir Eccleſiaſticæ doctrinæ, ſi quis alius, abundantià refertiſſimus, toti Orbi Chriſtiano ob præclara opera ſpectabilis, & nominatim propter aureum de perpetuitate fidei circa Euchariſtiam opus, quo Calviniſmum profligavit, & totam Religionem Catholicam ſibi promeruit, eidem ſententiæ aſſenſus fuit. Rogatus enim, an iteranda eſſent Sacramenta, ab impio quodam Eccleſiæ miniſtro collata, qui ſibi conficiendorum Sacramentorum animum omninò defuiſſe aſſeruerat, ritibus tamen externis ſeriò, prudenterque ſervatis, indubitanter reſpondit, omninò id fieri minimè oportere. Quia nimirum voluntate, quàm ſibi defuiſſe ajebat, vim Sacramentis ab ipſo collatis eripere non potuit. Poſito enim, impium Sacerdotem nihil in rebus ob oculos poſitis, & ab aliis miniſtris fieri ſolitis omiſiſſe vel adjeciſſe, unde poſſit contraria ſignificari voluntas, ſed potiùs eundem eccleſiaſticis ornamentis indutum, tum cæremonias omnes extrinſecùs obſervaſſe, tum verba neceſſaria protuliſſe, nihil ut ſcurrilitatis aut nimici joci viſum ſit; hoc, inquam, poſito, nihil ad valorem Sacramenti, quantaquanta fuerit interior animi repugnantia, deſideratur. Etenim conſiderandum eſt, inquiebat præfatus Doctor, primùm Sacerdotem eſſe duntaxat miniſtrum, ſacrorum rituum exequutorem, Chriſtum verò per ipſum baptizare, quia teſte Apoſtolo: *Hic eſt qui baptizat.* Deinde miniſtri voluntatem idcirco neceſſariam eſſe, quia cùm homines à Chriſto in miniſtros electi ſint, certè rationis compotes & modo humano operantes eſſe præcepit, ut quid agendum ſit, judicio diſcernant, & voluntate deliberatâ, quod agendum eſt, peragant. Quare licèt perverſa voluntate conficere Sacramenta

menta nolint, ſi tamen volentes quod facit Eccleſia faciunt, illud ipſum quod fit ab Eccleſia, ſibi faciendum proponunt, eo ipſo quòd illud exequuntur, quod ſciunt in Eccleſia religioſum haberi & ſacrum. Ita etiam alii quamplures Doctores Pariſienſes, & Theologiæ omnium Ordinum Profeſſores apertiſſimè ſenſerunt, & docuerunt.

§. IV.

Eadem ſententia Patrum authoritate, S. Auguſtini præſertim clariſſimis teſtificationibus ſtabilitur.

QUamvis inter referendos hujus noſtræ ſententiæ Authores ſundamenta, quibus innititur, attigerimus, placet tamen ea paulò diffuſiùs in toto ſuo ſplendore expendere, & quàm gravibus rationibus permoti ſint, aperire.

Primum igitur hujus ſententiæ motivum petitur ab authoritate SS. Patrum. Favet enim in primis noſtræ ſententiæ Chryſoſtomus *hom. 85. in Joan.* ubi generatim docet, miniſtri voluntatis perverſitatem valori ſacramenti officere non poſſe, nec eſſe cur metuamus tum, cùm vel ab improbiſſimis Sacerdotibus quæ adminiſtrant, ſacramenta accipimus, ſi quâ decet diſpoſitione accedamus: *Quia Sacerdos*, inquit, *linguam & manus præbet: neque enim juſtum eſt propter alius malitiam ad ſalutem noſtram accedentes offendi.* Offenderentur autem vehementer accedentes, in eoſque damnum deſperatum & irreparabile conferretur, ſi intentionis retentione, quæ non niſi à malitia proficiſcitur, vis ſacramentis eriperetur. Ergo quotieſcumque qui piè ad Sacerdotes linguam & manus ſeriò & citra omnem joci, & deriſionis ſpeciem præbentes accedunt, nuſquam offenduntur, nunquam ſacramentis, ſacramentorúmve fructibus ſecundùm Chryſoſtomum defraudantur.

Eandem ſententiam clariùs & ſingulariùs docuit S. Auguſtinus *lib. 7. de Baptiſmo, cap. 53.* ubi Baptiſma cum interna ſive dantis, ſive recipientis ſimulatione adminiſtratum, Majorum à quibus id fuerat definitum, authoritate permotus, prohibet iterari, ſed ſimulatos deinde detectos, vel Eccleſiæ cenſuris puniendos, vel pœnitentiâ ſanandos eſſe pronuntiat.

Id pleniùs, apertiuſque clarebit, ſi totum Auguſtini caput penſiculatè, articulatim, diſtinctèque diſcutiamus, & quas ſingulas de Baptiſmo ibi proponit, reſolvitque quæſtiones, ſingulatim expendamus.

Quærit Doctor ſanctiſſimus 1. *Utrùm approbandum ſit Baptiſma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, ſi fortè curioſitate aliqua didicit quemadmodum dandum ſit?*

2. *Utrùm nihil interſit, quo animo accipiat ille cui datur, cum ſimulatione, an ſine ſimulatione?*

3. *Si cum ſimulatione, utrùm fallens ſicut in Eccleſia, vel in ea quæ putatur Eccleſia; an jocans, ſicut in mimo?* In qua quæſtione duas involvit; aliter enim confert, ſuſcipitque Baptiſmum *fallens in Eccleſia vera, vel putata*; aliter *jocans*, ſicut contingit *in mimo.*

4. *Quid ſit ſceleratius, in Eccleſia fallaciter accipere, an in hæreſi vel ſchiſmate ſine fallacia, id eſt animo non ſimulato?*

5. Quid ſit item ſceleratius, *utrùm in hæreſi fallaciter* (accipere) *an in mimo cum fide, ſi quiſquam inter agendum repentinâ pietate moveatur?* Comparat Auguſtinus in hac quinta quæſtione Baptiſmum à mimo repentè mutato cum fide ſuſceptum, cum Baptiſmo hæretici fallaciter, & cum ſimulatione in ſua ſecta hæretica ſuſcipientis; non verò cum Baptiſmo Catholici in ſua communione, ſed fallaciter & animo ſimulato ſuſcepto; quia fallaciter, & animo ſimulato recipere, ſive in Catholica Religione, ſive in ſecta hæretica, perinde valere exiſtimavit; unde immediatè ſubnectit: *Quanquam talem* (fallaciter in hæreſi accipientem) *ſi etiam illi conferamus, qui in ipſa Catholica fallaciter accipit, mirum ſi dubitatur, quis cui præferendus ſit. Quid enim proſit animus veraciter dantis fallaciter accipienti,* (ſive in Catholica, ſive in hæreſi,) *non video.*

6. Ulteriùs pergit, & punctum, quam verſamus difficultatis attingit de valore Baptiſmatis fallaciter collati, fallaciterque ſuſcepti Baptiſmi, in quo conferendo, & recipiendo, omnes religioſi ritus accuratè ſervantur; ſed tamen ſive miniſtrans, ſive ſuſcipiens interiùs reluctatur, nec Sacramentum dare vel accipere intendit; & ideo dicitur fallaci, & ſimulato animo uterque, vel alteruter agere. Si ergo inquirit Auguſtinus: *Cùm & tradens, & accipiens fallaciter agunt in ipſa unitate Catholica, utrùm hoc magis Baptiſma ſit acceptandum, an illud quod in mimo datur, ſi quis exiſtat fideliter ſubitò accipiens commotus; an quantùm ad ipſos quidem attinet homines, plurimùm diſtet, utrùm credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia, ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil interſit?*

His quæſtionibus ut ſatisfaciat Auguſtinus, principium ponit ſibi ſuoque tempore in Eccleſia indubitatum, nimirum nihil intereſſe ad integritatem Baptiſmi in Eccleſia dati & ſuſcepti, utrùm fallaciter, an veraciter ſive detur, ſive recipiatur: quod idem eſt, ac ſi diceret, malignam ſive miniſtri, ſive recipientis intus latentem ſimulationem Sacramenti integritati nihil officere. Ex quo principio, quod indubium ſupponit, infert non videre ſe, cur non integrum ſit extra Eccleſiam ſuſceptum Baptiſma, ſi tamen ille qui accipit, cum fide & pietate ſubitò mutatus accedit. En verba Auguſtini: *Si enim nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Catholica, utrùm id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cùm tamen hoc idem utrique agant,* (vides, quomodo ſupponat Auguſtinus id, quod in controverſiam vocant Recentiores, nihil nempe intereſſe ad integritatem Sacramenti internum veraciter, aut fallaciter agendi animum, modò idem exteriùs peræquè ſeriò, peræquè prudenter agant) *cur extra interſit, non video, quando ille, qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus eſt.*

Et ut ſententiam illam confirmet, quæ vult, Baptiſmum in mimo initio jocante, & deinde repentè mutato, eſſe validum, in quam propendebat Auguſtinus, tametſi fatebatur, nondum eſſe ab Eccleſia definitam: ut, inquam, illam ſententiam adhuc dubiam & indeciſam confirmet, probetque Baptiſma in membro ultimo ſexti caſus, id eſt extra Eccleſiam cum fide repentina ſuſceptum, non minùs eſſe integrum, quàm ſit Baptiſma in primo membro illius caſus, id eſt intra Eccleſiam ſimulatione ſuſceptum, unum aſſumit tanquam indubitatum & conſtans, ut nihil minùs certum, ſed ſibi veriſimile inferat; aſſumit nimirum Baptiſmum in Eccleſia animo ſimulato datum vel ſuſceptum, eſſe validum, idque ab omnibus receptum ſupponit, ut inde concludat, Baptiſmum in mimo initio jocante, ſed ſubita pietate commoto, eſſe etiam integrum; ait enim: *An plus valent ad confirmandum*

Sacra-

Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quàm ad fruſtrandum illi fallaces, a quibus agitur, & in quibus agitur? Et tamen ſi poſtea prodatur, (id eſt, ſi occulta dantis, vel recipientis fallacia detegatur) *nemo repetit, ſed aut excommunicatione punitur illa ſimulatio*, (ſive dantis, ſive recipientis,) *aut pœnitendo ſanatur.* Ergo Auguſtini tempore, Auguſtino ipſo teſte, Baptiſma ſimulato ſive dantis, ſive recipientis animo peractum, à nemine in Eccleſia Catholica repetebatur. Repeti autem debuiſſet tantæ neceſſitatis Sacramentum, ſi perverſa retinentis, vel corrumpentis intentionem ſimulatione nullum evaſiſſet. Quin addit, ideò Baptiſmum in Eccleſia vera, vel putata, etiam cum interna ſimulatione datum, vel receptum, eſſe validum, & à nemine ſuo tempore in Eccleſia repeti, quia veritas habebatur *præteritis Majorum temporibus definita*, de qua nullus ſuo tempore Catholicus dubitabat; ait namque: *Sicut jam præteritis Majorum ſtatutis non dubito etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt, Ex nobis exierunt.*

Ex ſuppoſitione ergo certæ veritatis primi illius membri procedit Auguſtinus ad difficultatem alterius membri enodandam, quid nimirum dicendum ſi. de illo, qui Baptiſmum *jocans* ſuſcipit, ſicut contingit *in mimo* extra Eccleſiam repentè mutato? Cui ut reſpondeat, præmittit pro ſua ingenita modeſtia Doctor humillimus, tutum ſibi eſſe in ea non progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario in Concilio terminata fuerit; quia id ſolùm fiduciâ ſecuræ vocis audet aſſerere, *quòd in gubernatione Domini Dei noſtri & Salvatoris JESU Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Quo præmiſſo ſubdit, ſi Concilio illi plenario, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, intereſſet, & quid ipſe ſentiret ad dicendum urgeretur, ſe in illam propendere ſententiam, declaraturum, nullâ miniſtri ſimulantis malitiâ Sacramentum fideliter ſuſcipientibus deperire. Verba Auguſtini ſunt hæc: *Verumtamen ſi quis fortè me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret, ut dicerem, quid ipſe ſentirem, ſi eodem modo affectus eſſem, quo eram, cùm iſta dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum, qui ubicumque, & à quibuſcumque illud verbis evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent.*

Quæ ultima verba perperàm illi interpretantur, qui etia ad Baptiſmi integritatem deſideraſſe, Auguſtinum volunt, verba nimirum evangelica, nullam in ſuſcipiente ſimulationem, & aliquam in iſto fidem. Etenim Auguſtinus eò loci manifeſtè loquitur de mimo initio jocatore, repentinâ tamen deinde pietate commoto, de quo in quinto ſuprà poſito caſu, & in ſecundo membro ſexti caſus inquiſiverat. De aliis verò non loquitur, neque his tribus conditionibus alligavit Auguſtinus valorem Baptiſmatis, qui ubique Baptiſmi veritatem à fide eſſe independentem, exertè docuit & inculcavit; unde caſum duntaxat mimi reſolvit, qui initio comœdiæ jocandi animum ludicrum, conſiliumque ſuſcepit, repentinâ tamen pietate commotus, baptiſmum accipit, *non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus.*

In illam porrò de mimo pietate repentinâ mutato ſententiam nondum definitam, nec proinde certam, ex altera *Majorum ſtatutis* definita, & apud omnes ſuo tempore certâ eundum ſibi putavit Auguſtinus, ratus, quia ſi intra Eccleſiam ſuſcipientis fallacia Sacramenti integritati nihil intereſt, cur intererit, quando ille, qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed religione mutatus eſt? Ex uno ergo certo, rato, & conſtanti principio, atque Majorum ſtatutis determinato nondum certum, nondumque determinatum conſectarium derivare voluit. Illud porrò principium certum in Eccleſia tempore Auguſtini ſine ulla dubitatione receptum iſtud eſt: Integrum eſſe Baptiſma, etiamſi qui in Eccleſia ſive dat, ſive accipit, *fallens, fallaciter, cum ſimulatione* occulta totum peragat; unde deinde retectâ fallaciâ, Baptiſmus à nemine repetitur, ſed fallaces vel excommunicatione puniuntur, vel pœnitentiâ ſanantur.

Hæc Auguſtini verba Sole ipſo clariora, adeo perſpicua viſa ſunt Cardinali Bellarmino, ut viro ſincero & erudito nihil aliud reſpondendum occurrerit, quàm Auguſtinum fluctuantem ita ſcripſiſſe de re, quæ plenario Concilio nondum definita, cùm nunc in plenariis Florentina & Tridentina Synodis deciſa ſit. Sed tanti viri veniâ dixerim, Auguſtini mentem penitùs eum non pervaſiſſe. Etſi enim aliqua ibi Auguſtinus dubius propoſuerit, dubiusque reſolverit, unum tamen, quod nimirum impræſentiarum ſtatuimus, indubitanter aſſeveravit. Incunctanter enim affirmavit, imò & ſuppoſuit tanquam *præteritis Majorum ſtatutis* determinatum, *nihil intereſſe ad integritatem Sacramenti, utrùm id aliqui fallaciter, an veraciter agant.* Quod & ad Baptiſmum in Eccleſia putata, ſeu in hæreſi collatum, extendendum indubiè exiſtimavit. *Non dubito*, inquit, *etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia.*

Duo tamen ſunt caſus, in quibus dubius hæſit & pendulus Auguſtini animus. Primus, an integer ſit Baptiſmus illius, qui initio jocans, repentinâ deinde pietate mutatur; quamvis enim in aſſerendam illi Baptiſmati integritatem propenderet, ſeque affectum, ut ipſe ait, ſentiret; dubitare tamen ſe ſatis oſtendit, eo ipſo quòd id à nullo Concilio regionali, vel plenario fatetur eſſe deciſum, & aliorum ſe non detrectare conſilia, quorum fortaſſis in Concilio ſententias ſequi mallet.

Alter eſt caſus, quem reſolvere noluit Auguſtinus, quémve circa finem illius capitis his verbis proponit: *Ubi autem neque ſocietas ulla eſſet ita credentium, neque ille qui id accipit, ita crederet, ſed totum ludicrè, & mimicè, & ioculariter ageretur, utrùm approbandus eſſet Baptiſmus, qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem.* Et hæc ſunt dubia illa tempore Auguſtini inſoluta, quæ Florentina primùm, Tridentina deinde Synodus fuſis ad Deum precibus determinavêre. Hoc unum fuiſſe Tridentini conſilium, apertè indicant verba illa *ſeſſ.14. cap.6. & can.9.* ubi declarat, Sacramentum non perfici, *ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi deſit; nec eum eſſe, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimum, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.* Et ita bene vidit in ſua hiſtoria Concilii Tridentini Cardinalis Pallavicinus poſteà referendus.

Auguſtini mentem multò minùs aſſequuti ſunt, qui dicunt, Auguſtinum per fallaces illos eos intelli-

Digitized by Google

telligere, qui ad Sacramentum non ſe præparant, ſed ad illud in ſtatu peccati mortalis accedunt, quos etiam fictus jam appellare Theologi ſolent, non fictione Sacramenti, ſed præparationis. Verùm huic effugio totus Auguſtiniani capitis textus evidentiſſimè contradicit, valde ut mirandum ſit, tam exturtam expoſitionem Eſtio & Sylvio probari potuiſſe. Etenim in primis planum eſt, eò loci nunquam in aliquo ex ſex caſibus relatis inquiſiviſſe Auguſtinum, utrùm qui cum conſcientia peccati accedit ad Sacramentum, validè illud accipiat? Unde ut reſponſiones Auguſtini propoſitis ſibi à ſeipſo quæſtionibus reſpondeant, patet reſponſionem ejus non eſſe de illa fictione intelligendam, quam habent, qui in ſtatu peccati ad Sacramentum accedunt. Unde nullus Theologus ex eo capite argumenta deprompſit, ad probandum, fictionem peccati Sacramenti integritati non officere. Deinde ita clarè loquitur Auguſtinus, ut interprete non egeat; per fallaces enim, ut ipſemet exponit, intelligit agentes *cum ſimulatione, animo ſimulato*, quos etiam vocat *irridentes in Eccleſia*, id eſt, agentes intentione ſimulata & deriſoria. Id etiam evidentiſſimum eſt ex eo, quod in quæſtione quarta ſuprà poſita ſupponit, poſſe Baptiſmum *in hæreſi vel ſchiſmate* ſuſcipi *ſine fallacia*; & in toto capite ſupponit, in Eccleſia putata poſſe eſſe *fallaces & veraces*. Ergo manifeſtiſſimè non loquitur de fallacia præparationis, ſed Sacramenti, cùm certum ſit, in hæreſi non poſſe conferri, nec ab adulto ſuſcipi Baptiſmum ſine fallacia præparationis, id eſt, ſine ſtatu gratiæ, in quo non ſunt, qui fide carent; nec poſſint eſſe veraces veracitate ſanctæ diſpoſitionis. Ergo per fallaces oppoſitos illis veracibus in hæreſi etiam baptizantibus, intelligit eos, qui exteriùs quod agit Eccleſia, faciunt, ſed interiùs agere nolunt, in quo vera fallacia, vera ſimulatio ſita eſt. Plura adderem, niſi pigeret in re clariſſima, & quam ſola Auguſtini lectio indicabit, immorari; nec eam reſponſionem ab Auguſtini textu evidenter abhorrentem retuliſſem confutandam, niſi in præfatis Theologis aliàs eruditis inveniſſem.

§. V.

Eadem ſententia authoritate Summorum Pontificum & Conciliorum munitur. Mens Tridentini diligenter expenſa.

EAndem noſtram ſententiam non minùs perſpicuè tradiderunt Summi Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites, & ſacra Concilia. In primis internam ſuſcipientis intentionis retentionem, & occultam voluntatis etiam repugnantiam non officere Sacramenti veritati, declaravit Adrianus I. *epiſt.* 8. quæ habetur *tom.* 2. *Conciliorum Galliæ*, ubi determinat Saxones verè Sacramentum ſuſcepiſſe Baptiſmatis, *etſi foris tantùm, non intus conſenſerant*. Id eſt, quia externum forinſecus ritum liberè ſuſceperant, tametſi intrinſecùs Baptiſmi ſuſceptioni reluctati ſint, quod eſt ad Baptiſmum cum retentione intentionis, & animo ſimulato accedere; ille enim ſimulat, qui aliquid exteriùs facit, cui intus non conſentit.

Idem luculentè tradidit doctiſſimus Pontifex Innocentius III. 3. *part. Decretal. tit.* 42. *cap. Majores*, ubi licèt declaret oportere & teneri accedentem ad Sacramenta, velle ſacros ritus ſincerè recipere, aut certè nullum in ſe contrariæ voluntatis obicem ponere; nihilominus tamen affirmat, retentam ſuſcipientis intentionem non poſſe impreſſionem impedire characteris, ſi modò Sacramentum ſuſcipiens, cùm poſſit exteriùs reſiſtere, non reſiſtat. Verba Innocentii ſunt hæc: *Is qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis, ſicut & is qui fictè ad Sacramentum accedit, & characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ.*

Unde ſic formatur argumentum: Non minùs requiritur intentio in adulto ſuſcipiente Baptiſmum, quàm in miniſtro illum perficiente, ut fatentur adverſarii, quia non minùs debent humano modo Sacramenta recipi, quàm conferri. Unde D. Thomas *quæſt.* 68. *art.* 6. *ad* 2. ait, *quòd ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus*. Et Auguſtinus *lib.* 24. *contra Donatiſtas, cap.* 24. cùm dixiſſet, valere parvulis Baptiſmum, cùm alii pro eis reſpondent, quia ipſi reſpondere non poſſunt, ſubjunxit tamen: *At ſi pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet.* Atqui retenta interior voluntas ſuſcipientis non impedit quominus velit facere forinſecus quod facit Eccleſia, recipiátve characterem; quia licèt invitus coactuſque recipiat, ſubindeque intus nolit, vult tamen urgente metu ritum externum, qui Chriſtianis religioſus eſt, recipere, tametſi nec Sacramentum credat, nec ejus collationi interiùs conſentiat. Ergo ſimiliter retenta miniſtri fictè conferentis intentio invalidum non facit Sacramentum, tametſi coactus, ſubindeque intus repugnans, intus non intendens, quod deteſtatur, Sacramentum conferre. Quod à fortiori verum eſt de eo miniſtro vel Prælato, qui conſiderationibus humanis inductus, vel commodis concupiſcentiam illicientibus ineſcatus, ritus chriſtianos ſibi inviſos, & à ſe intus deriſos peragit; cùm ea quæ à concupiſcentia proficiſcuntur, moltò magis voluntaria, quàm ea quæ metus extorquet, cenſeantur, ut poſtea probabimus.

Illud ipſum tradit Concilium Toletanum IV. expreſsè decernens, eos chriſtianam fidem retinere oportere, qui jampridem ad Chriſtianitatem inviè ſuſceptam coacti ſunt, ſicut factum eſt, inquit, temporibus Siſeburi, *quia jam conſtat, eos Sacramentis divinis aſſociatos Baptiſmi characterem ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini extitiſſe participes*. Ergo omnia modò exteriùs quæ Eccleſia facit, ſeriò adhibeantur, nullà miniſtri, vel recipientis intentionis retentione, vel perverſitate Sacramentum evacuatur.

Idem colligitur ex Concilio Rhotomagenſi non multò poſt ſacrum Tridentinum, præſide Cardinali Carolo Borbonio, anno 1581. celebrato, ubi mos eorum reprehenditur & interdicitur, qui dubitantes de valore Baptiſmi à Calviniſtis collati, *eò quòd non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum*, ab illis hæreticis baptizatos iterum ſub conditione baptizabant: hujuſque reprehenſionis & prohibitionis rationem propoſito noſtro peropportunam ſubnectit: *Quia conſtabat, Calviniſtas in cœtu publico baptizare in forma verborum, & materia à Chriſto inſtituta, nec de hoc facto ambigi poterat.* Id quod deinde totidem verbis confirmavit Concilium Aquenſe anno 1585. coactum. Ergo cenſent Concilia ad valorem Baptiſmatis, qualiſcumque tandem fuerit privata miniſtrantis intentio, ſatis eſſe, ſi conſtet miniſtrum publi-

publicè in forma verborum, & in materia à Chriſto inſtituta, baptizaſſe.

Id etiam ex facto Tridentino Concilio non obſcurè deduco, & quia ejus authoritatem nobis opportunè importunè objiciunt Adverſarii, non abs re erit, ſi ſanctæ Synodi germanam mentem paulò diligentiùs indagemus. Ex eo enim, quòd Tridentinum *ſeſſ.7. can.11.* verbis ſuprà memoratis definiat, ad valorem Sacramenti præter materiam & formam requiri miniſtri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, inferre conantur Adverſarii, quòd ſicut Eccleſia intendit facere cæremoniam ſacram, & ritum illum exercere, ut eſt actio quædam formaliter ſacramentalis, ſi miniſter malitiâ ſuâ intentionem illam retineat, vel oppoſitam habeat, invalidè conficiet Sacramentum. Etenim, inquiunt, per intentionem intelligit aliquid diſtinctum ab applicatione materiæ & verborum prolatione: materia autem non poteſt applicari, nec poſſunt verba proferri ſine intentione faciendi ritum externum, cùm in illis ritus externus ſitus ſit; & actus exterior advertenter elicitus cum voluntate eliciendi illum, non ponat in numero, ſed pro eodem reputetur. Ergo præter intentionem faciendi actum externum, illumque foris peragendi, deſiderat ſacrum Concilium intentionem faciendi actum illum, ut eſt ſacramentalis, ſeu exigit interiorem voluntatem faciendi, quod Chriſtus & Eccleſia faciendum per Sacramenta intenderunt.

Verùm quàm ſophiſtica, quàm à Concilii Tridentini mente aliena ſit hæc argumentatio, paucis demonſtrandum ſuſcipio. In primis ſi valeret hæc argumentatio, probaret etiam, ad valorem Sacramenti deſiderari intentionem ſanctificandi homines, & effectus Sacramenti producendi; ſicut enim, ut Adverſariorum argumento utar, Eccleſia intendit facere ceremoniam ſacram, ut eſt actio quędam ſacramentalis productiva gratiæ, & aliorum effectuum ſupernaturalium; ſi miniſter malitiâ ſua intentionem illam retineat, vel oppoſitam habeat, invalidum efficiet Sacramentum, utpote non habens intentionem faciendi, quod intendit Eccleſia, nec interiorem voluntatem faciendi, quod Chriſtus & Eccleſia faciendum per Sacramenta intenderunt. Et tamen fatentur Adverſarii, non requiri ad valorem Sacramenti intentionem conferendi, vel recipiendi effectum Sacramenti, cùm ea careat is, qui ſine neceſſitate ab hæretico Sacramentum ſacrilegè ſuſcipit, & tamen validè ſuſcipit. Ergo per intentionem faciendi quod facit Eccleſia à Tridentino deſideratam, malè intelligunt Adverſarii voluntatem efficiendi actionem ut ſacramentalem id efficientem, quod Chriſtus & Eccleſia faciendum intenderunt.

Quare ad præcludendam æquivocationem, & radicem deceptionis detegendam, adverte Adverſarios confundere id, quod facit Eccleſia cum eo quod intendit Eccleſia. Quod facit Eccleſia, eſt ritus externus ſacer in certa materia & forma; quod intendit Eccleſia, eſt hominū ſanctificatio, ad quam ſigna illa ſunt inſtituta. Ad valorē ergo Sacramenti requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, indubitatum apud Catholicos eſt, & fide certum aſſerimus; ſed illam habere eum contendimus, qui quod facit Eccleſia, ſeriò & liberè facit: non enim deliberatè ſeriò ageret ritum illum, niſi illum ſeriò ſibi faciendum proponeret, ſeu quod idem eſt, facere intenderet. Cæterùm ad valorem Sacramenti non requiritur ea in miniſtro intentio, quam Chriſtus & Eccleſia habent; quia in Chriſto & Eccleſia ſemper recta & immaculata eſt; in miniſtro ſæpè corrupta. Diligenter ergo, & accuratè obſervanda ſunt verba Concilii; non enim dixit, in miniſtro ad integritatem Sacramenti deſiderari intentionem conformantem ſe intentioni Chriſti & Eccleſiæ, & ſibi proponentem, quod ſibi Eccleſia proponit; ſæpe enim utriuſque diverſiſſima intentio eſt: ſed neceſſariam eſſe ait intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, id eſt, talem intentionem, ex qua id efficaciter & accuratè agere velit quod Eccleſia facit: & hanc intentionem non habere non poteſt, qui deliberatè facit, quod fieri in Eccleſia videt, ſive illud infidelitate non credat, ſive impietate intus irrideat, ſive malitiâ effectu ſuo privare intendat.

Unde etiam vehementer falluntur illi, qui dicunt, intentionem faciendi ritus externi, qui Chriſtianis religioſus eſt, non diſtingui ab applicatione materiæ, & verborum prolatione, in quibus ritus ille ſitus eſt: unde, inquiunt, non poteſt materia applicari, nec verba proferri ſine intentione faciendi ritum externum in hujuſmodi rebus & verbis poſitum: & tamen Tridentinum præter applicationem, & verborum prolationem, requirit intentionem. Falluntur, inquam, vehementer, cùm manifeſtiſſimum ſit, materiam poſſe diverſimodis applicari, formam diverſimodis proferri; aliter enim applicat materiam, & verba profert, qui modo jocoſo mimico, ludicro, & deriſorio applicat & profert; aliter qui accuratè & ſeriò, & tanquam ex officio quod gerit, ea adhibet & miniſtrat: prior non intendit facere, quod facit Eccleſia, ſed tale quid repræſentare duntaxat, ut fit in pictura vel theatro; poſterior verò intendit facere, quod facit Eccleſia, cùm reverà illud liberè prudens facit, nec quidquam eorum, quæ in Eccleſia fieri ſcit, prætermittat.

Ne autem quis exiſtimet, voluntariam eſſe noſtram Tridentini intelligentiam, quam tamen verba ipſa ſatis indicant, nolo alium Tridentini interpretem, quàm Tridentinum mentem ſuam non obſcurè aperiens *ſeſſ.14. cap.6.* & *can.9.* ubi declarat Sacramentum non perfici, *ſi Sacerdoti animus ſeriò agendi deſit; nec eum eſſe niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimum, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.* Ergo per intentionem faciendi quod facit Eccleſia, intelligit S. Synodus *animum ſeriò agendi*, qui deeſt, *cùm Sacerdos joco abſolvens cognoſcitur.* Ergo ad validi Sacramenti integritatem ſatis eſſe, S. Synodus arbitrata eſt, ſi miniſtrum ſeriò operari extrinſecùs appareat; tumque duntaxat jocandi animum Sacramenti integritati officere, cùm jocularis & ludicrus miniſtri agentis modus eſt recipientibus conſpicuus.

Id benè vidit Cardinalis Pallavicinus in ſua Concilii Tridentini hiſtoria *part.2. lib.12. cap.10.* Ponderans enim præfata Tridentini verba, ſic ſcripſit: *Ex hiſce poſtremis verbis* (quæ nimirum mox retulimus) *conjicere poteſt quiſquis ea legerit, haud eſſe expunctam ſententiam Catharini, aliorumq; Theologorum opinantium Sacramento, quò ratum ſit, ſufficere in miniſtro voluntatem ſeriò agendi, & obeſſe tantummodò jocum, quem Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit.* Ita ex Italico idiomate P. Joan. Baptiſta Giattinus Panormitanus Latinè reddidit.

* * *
* *

§. VI.

Eadem aſſertio perſpicuis S. Thomæ teſtimoniis confirmatur.

PLura poſſent in hanc noſtram confirmandam ſententiam Angelici Doctoris S. Thomæ clariſſima ex utroque in ſententias ſcripto teſtimonia proferri; ſed rem totam conficit locus iſte 3. *p. quæſt.* 64. *art.* 8. *ad* 2. ubi verſans illam difficultatem, quomodo ſtante neceſſitate miniſtri, poſſit haberi ſecuritas, & ſcrupulus omnis ac ſolicitudo ex ſuſcipientis animo revelli, cùm ſemper dubitare meritò poſſit, num miniſter veram habuerit perficiendi Sacramenti voluntatem; hanc, inquam, inquieti animi anxietatem pacare volens Doctor ſanctus, ſic ſcribit: *Dicendum, quòd circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum: ſed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum, ſupplet Chriſtus, qui interiùs baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc ſatis poſſet dici, quantum ad ultimum defectum, qui eſt juſtificatio à peccatis; ſed quantum ad effectum, qui eſt res & ſacramentum, ſcilicet quantùm ad characterem, non videtur, quòd per devotionem accedentis poſſit ſuppleri; quia character nunquam imprimitur, niſi per Sacramentum. Et ideò alii meliùs dicunt, quòd miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter: in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exteriùs exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum.*

Hæc verba videntur Sole clariora, nec ullis poſſunt effugiorum metaphyſicorum nebulis obſcurari. Etenim S. Præceptor volens eorum paci & ſecuritati conſulere, qui dubitare poſſunt de occulta impii miniſtri intentionis retentione, non fuit contentus dicere, ad evellendas illas animi ſollicitudines ſufficere humanam, & moralem certitudinem, quæ apud homines tamdiu habetur, quamdiu contrarium non conſtat, (quæ tamen perpetua, & una eſt Authorum adverſæ ſententię reſponſio;) ſed poſitivè eorum opinionem explodit, qui mentalem intentionem ſe conſormantem intentioni Eccleſiæ, validum ut ſit Sacramentum, deſiderant; ſed eos meliùs dicere ait, qui volunt ſufficere, ſi ritus ſeriò peragatur, & verba illa proferantur, quibus intentio Eccleſiæ exprimatur; quia ut benè explicat *art.* 10. corrupta miniſtrantis intentio incorruptam Eccleſiæ intentionem interrumpere non poteſt. *Perverſa intentio* (verba ſunt ejus) *pervertit opus intendentis, non autem opus alterius; & ideo ex perverſa intentione miniſtri pervertitur id, quod agit in Sacramentis, in quantum eſt opus ejus, non in quantum eſt opus Chriſti, cujus eſt miniſter. Et eſt ſimile, ſi miniſter alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus eleemoſynam, quam dominus rectà intentione mandaret.* Et quamvis in illo articulo 10. loquatur S. Thomas de rectitudine intentionis, quantum ad Sacramenti uſum, quâ caret, qui Sacramentum peragit, ut peccet; ea tamen protulimus verba, quia ad explicandam articuli 8. doctrinam peridonea ſunt: maximè, quia eodem articulo agit etiam de perverſitate intentionis neceſſariæ ad valorem, quæ tunc ſolùm tollit veritatem Sacramenti, ut ibidem ait, *cùm aliquis intendit deriſoriè aliquid agere; & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exteriùs manifeſtat.*

Sentit ergo S. Doctor, tunc ſolùm annullari Sacramentum, quando miniſter non ſeriò, ſed deriſoriè agit; ſicut contingit, cùm quis ducens puerum ad balnea, ipſumque animi gratiâ immergens, nihilque de baptiſmo conferendo cogitans, verba formæ jocando proferret: vel dum juvenis, ut interdum jocando fieri ſolet, ancillæ vel puellæ, cum qua familiariter convivit, recreationis gratiâ etiam præſente vel convivante Parocho dicit, *Accipio te in meam*; Et illa viciſſim reſpondet, *Accipio te in meum.* Tunc, & in aliis ſimilibus caſibus intentio agendi deriſoriè ex modo agendi, & ut ajunt, in actu exercito ſatis nota pervertit, annullatque Sacramenti veritatem. At verò, qui ut miniſter requiſitus agit, & prudens agit, ac ſeriò, quantumvis malitiâ ſuâ deriſoriè agere velit, hoc ipſo quod ſeriò, & non deriſoriè agit, ſeriò agere vult; non enim ſeriò liber agit, qui ſeriò agere non vult, cùm opus externum liberum à voluntate deliberata profiſcatur.

Neque dicas, hanc D. Thomæ *quæſt.* 64. *art.* 8. doctrinam, in ſpeciem nobis faventem, intelligendam eſſe juxta ea, quæ in corpore articuli ex profeſſo ſtatuit, ubi docet, ad veritatem Sacramenti in miniſtro intentionem faciendi quod facit Eccleſia, deſiderari. Non, inquam, id dicas, ſed potiùs cùm ad corpus articuli appelles, ad corpus articuli libenter ibimus, ubi noſtram ſententiam clarè oſtendit; Sic enim loquitur: *Quando aliquid ſe habet ad multa, oportet quòd per aliquid determinetur ad unum, ſi illud effici debeat. Ea verò, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimodis agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujuſmodi; & ideo oportet, quòd determinetur ad unum, id eſt, ad ſacramentalem effectum per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.* Vides Angelici Doctoris conſtantiam, & doctrinæ conſonantiam: nam quia ablutio in actu exercito, & in modo agendi aſtantibus ſatis conſpicuo poteſt referri, & de facto refertur modò ad lotionem meram, modò ad ſanitatem, modò ad ludum, ut fit in comœdia, requiritur intentio, quâ ſeriò ablutio illa ad ſacrum ritum determinetur; quæ intentio per verba ſeriò prolata, quæ in adminiſtrandis Sacramentis dicuntur, innoteſcit. Ergo ſufficit intentio per verba ſeriò prolata expreſſa, quidquid aliud perverſus miniſter intus velit, intus molietur, intus intendat.

Id confirmat reſponſione ad primum, ex diſcrimine, quod inſtrumenta inanimata inter, & rationalia intercedit, in eoque poſitum eſſe ait, quòd licèt priora ſolâ agentis præcipui motione effectum producant, poſteriora tamen non niſi ſe movendo illum efficere queunt, nec ſe movere poſſunt, niſi ex præintenti finis amore. *Inſtrumentum inanimatum* (verba ſunt ejus) *non habet aliquam intentionem reſpectu effectus, ſed loco intentionis eſt motus, quo movetur à principali agente. Sed inſtrumentum animatum, ſicut eſt miniſter, non ſolùm movetur, ſed etiam quodammodò movet ſe ipſum, in quantum ſuâ voluntate movet membra ad operandum. Et ideò requiritur ejus intentio, quâ ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia.* Atqui miniſ-

dicun

dum ſeriò & accuratè ritum externum ſervat, & verba ſacramentalia liberè & diligenter profert, agit ut inſtrumentum animatum, ſe movet, ſubjicit ſe principali agenti ſolam miniſtri liberam & ſeriam applicationem moventem membra ad operandum ſacrum ritum præcipienti; intendit facere quod facit Eccleſia, cùm illud reverà faciat, & prudens faciat, & ex officio requiſitus faciat. Ergo qualiſcumque aliunde ſit illius occulta intentionis perverſitas, Sacramentum peraget: nec illius fructu ſuſcipiens, modò devotè accedat, carebit.

Idem etiam colligo ex iis, quæ ſuprà *quæſt. 60. art. 7. ad 3.* tradit, quamvis locum illum nobis Adverſarii opponant; ita enim eò loci habet: *Ille, qui corruptè verba ſacramentalia profert, ſi hoc ex induſtria facit, non videtur intendere facere, quod facit Eccleſia, & ita non videtur perfici Sacramentum.* Qui locus quomodo faveat Adverſariis, ægrè probabit, qui evacuatis præjudiciis, rem perpenderit. Etenim qui corruptè verba formæ prudens profert, ſi hoc ex induſtria facit, manifeſtè ludit, & ludum ſuum exteriùs manifeſtat. Ergo non intendit facere, quod facit Eccleſia, qui liberè aliud facit, quàm facit Eccleſia. Ergo qui è contra verba incorruptè profert, facere intendit, quod facit Eccleſia, cùm ſeipſa quod Eccleſia facit, ipſe ſeriò & accuratè faciat.

Major apparet difficultas in eo, quod S. Doctor *quæſt. 68. art. 7. ad ſecundum* docet, quatenus ait: *Quòd ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus: ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Atqui, ut ſuprà dicebamus, non minùs requiritur in miniſtrante intentio perficiendi Sacramentum, quàm in ſuſcipiente intentio illud recipiendi. Ergo in caſu quo miniſter baptizans intentionem retineret ſuam, baptiſma foret ſaltem ſub conditione iterandum.

Verùm ex dictis facillimè explicatur, interprete S. Thoma, ille D. Thomæ locus; quid enim certiùs, quàm in ſuſcipiente deſiderari intentionem? Unde peræquè certum eſt, adultum vera intentione carentem, eſſe rebaptizandum, ut contingit, quando baptizatus ignorat ritum illum in Eccleſia religioſum haberi; vel quando oppoſitam intentionem apertè & forinſecùs demonſtrat, aut certè ex modo agendi in actu exercito extrinſecùs ſubindicat. Quin potiùs inde inſtauro argumentum: Rebaptizandus eſt adultus, quando illi deeſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum: ergo è contra non eſt rebaptizandus, quando habet intentionem ſuſcipiendi Sacramentum: atqui qui liberè accedit ad Sacramentum, ſacramque ceremoniam ſeriò recipit, habet intentionem Sacramentum recipiendi; non enim illud liberè reciperet, niſi recipere intenderet. Ergo qui ſeriò & liberè ad Sacramentum accedit, quidquid intus ſuâ perverſitate prætendat, verum accipit Sacramentum, nec eſt rebaptizandus.

Confirmatur efficaciter, & mens Angelici Doctoris planiùs elucidatur. Ex D. Thoma, qui vi propulſi ad Sacramentum Baptiſmatis accedunt, in quibus dubio procul non eſt Chriſti intentioni ſeſe conformans intentio, tamen ſi perverſam intentionem non exerant, ſed ſeriò ſacrum ritum ſibi notum accipiant, non quidem rem, fructumque Sacramenti, Sacramentum tamẽ reverà accipiunt. *Si ſit coactio ſufficiens,* (inquit D. Thomas *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 3.*) *ita quòd principium ſit ex toto extra, nihil conferente vim paſſo, ut cùm aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum ſuſcipit, nec rem Sacramenti; ſi autem ſit coactio inducens, ſicut minis vel flagellis, ita quòd baptizatus potiùs eligat baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, non rem Sacramenti.* Idem repetit *in 4. ad Annibaldum, diſt. 6. quæſt. unica, art. 2. quæſtiunc. 2.* Ex quibus ſic inſtauratur ratio pro noſtra ſententia.

Si nulla ſuſcipientis occultè intentionem ſuam retinentis malitia obſtare poteſt, quominus Sacramentum reverà ſuſcipiat, qui cùm poſſit externùs obſiſtere, non tamen reſiſtit; (nam qui vi, & flagellorum, aliorúmve ſuppliciorum uno metu adactus ad Baptiſmum accedit, procul dubio ſuam intentionem retinet, cùm Baptiſmum ſola temporalis periculi declinandi gratiâ intus invitus, intus reluctans recipiat;) ſi, inquam, intentionis retentio non impedit, quominùs ſuſcipiẽs vi ad baptiſmum impulſus ſufficienter intendat, quod facit Eccleſia, ſibi fieri; quomodo miniſter, qui vel vi, vel commodis, vel promiſſis, vel conſiderationibus humanis & politicis ſerviens, ritum ſacrum ſeriò peragit, perversâ occultæ intentionis voluntate Sacramenti valorem evacuabit, & ad nihilum rediget? cùm juxta certiſſimam Ariſtotelis, & D. Thomæ ſententiam ab omnibus receptam, à nobiſque dum de actibus humanis ageremus, demonſtratam, quæ à concupiſcentia procedunt, longè magis voluntaria iis ſint, quæ ab extorquente metu proficiſcuntur.

Neque dicas, eundem S. Præceptorem *q. 68. art. 7.* exigere ſinceram in ſuſcipiente, & non ſimulatam intentionem; non itaque id dicas, ibi enim manifeſtè loquitur D. Thomas de intentione ad rem, effectumque præcipuum Sacramenti, gratiam ſcilicet recipiendam neceſſaria, ut ex ratione, quam in corpore articuli profert, perſpicuum eſt. Sic enim diſcurrit: *Reſpondeo dicendum, quòd per baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ novitatem::::: Et ideo ſicut ad hoc, quòd homo moriatur veteri vitæ, requiritur ſecundum Auguſtinum in habente uſum liberi arbitrii, voluntas quâ eum veteris vitæ pœniteat; ita requiritur voluntas, quâ intendat vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio Sacramenti; & ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, ſeu intentio ſuſcipiendi Sacramentum.* Si autem eò loci de intentione ad integritatem Sacramenti neceſſaria loqueretur, nihil prorſus efficeret, cùm ſecundùm omnes omninò Theologos baptiſmus fictâ præparatione, ſubindeque ſine veteris vitæ pœnitentia, ſine vitæ novitate ſuſceptus, integer, validuſque cenſeatur. Ergo manifeſtè ibi de intentione ad baptiſmi gratiam percipiendam S. Doctor ſermonem habet. Quod non minùs apertè in reſponſione ad primum declarat his verbis: *In juſtificatione, quæ fit per baptiſmum, non eſt paſſio coacta, ſed voluntaria: & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Juſtificatio autem, quæ fit per baptiſmum, nihil aliud profectò eſt, quàm gratia, & ſanctitas, quam Deus baptizato ritè parato largitur, quæve potiſſimus eſt baptiſmi, & omnium Sacramentorum effectus.

§. VII.

Multiplici rationum momento eadem ſententia ſuadetur.

Quia ſacri Doctores, à quorum authoritate hactenus argumẽtati ſumus, non niſi graviſſimis

nis permoti rationibus, hanc ſententiam docuerunt, plures etiam inter eorum verba proferenda & ponderanda rationes attigimus, quibus ſatis, ſuperque demonſtrata videtur hæc aſſertio: operæ tamen pretium viſum eſt, aliquot efficaciores ſeligere rationes, quibus docilis, ni fallor, animus perſuadebitur.

Prima ratio, à valore Baptiſmi ab infidelibus collati.

Primùm igitur argumentor ab uno principio apud omnes omnino Catholicos recepto, in hunc modum: Nullus dubitat, quin baptiſmus validè poſſit ab infidelibus, hæreticis nimirum, Judæis & Ethnicis celebrari, ut cum Eccleſia Speculatione ultima diſſertationis ſuperioris monſtravimus. Atqui infideles illi, ſaltem Judæi & Pagani, licèt poſſint velle peragere ritus illos, quos vident in Chriſtianiſmo peragi, nunquam tamen habent voluntatem conformandi ſe intentioni Chriſti: quomodo enim Judæus, qui nec Sacramentum eſſe Baptiſmum credit, ſed ſacrilegam ſuperſtitionem, nec Chriſtum potuiſſe inſtituere Sacramenta putat, cenſetque Eccleſiam eſſe congregationem impietatis, & baptiſmum ſupra corporis meram lotionem non addere, niſi ludibrium, poteſt expreſſam, formalem, vel virtualem faciendi, quod fecit Chriſtus, & intendit Eccleſia intentionem habere? Intentio enim eſt actus efficax voluntatis ex amore finis in mediorum electionem prorumpens: quomodo ergo efficaciter poteſt intendere Sacramentũ conferre, & ex illa voluntate ad opus externum ſe accingere, qui Sacramentum non agnoſcit, ſed pernegat? Certè cùm voluntas ſit potentia cæca, ductum prælucentis rationis ſequens, ſicut incognita velle nequit, ita ea, quibus non aſſentitur intellectus, non poteſt efficaciter velle, cùm firmitas voluntatis uni judicii aſſenſus firmitati innixa ſit. Unde conſtans eſt, infidelem illum nihil aliud prorſus intendere, nec in ſenſu compoſito ſuæ infidelitatis poſſe intendere, quàm ritum illum externum celebrare, quem ſcit apud Chriſtianos haberi religioſum & ſacrum. Ergo de miniſtro in ſpeciem Catholico, & in Eccleſia Catholica celebrante, quamlibet intrinſecus impius, intrinſecùs infidelis, intrinſecùs lupus rapax, & myſteriorum deriſor, imo & atheus ſit, ſine dubio dicendum eſt, validum Sacramentum conficere, quod rogatus ſeriò peragit, & vi poteſtatis & officii quod exercet, liberè facit, quantumvis intentionem ſuam retinere, vel iniquitate, vel interiori infidelitate moliatur.

Quare hinc duæ ſunt repugnantes in pravo illo miniſtro voluntates; nam & cordis perverſitate non vult, vel non vellet facere quod facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit; & tamen mentitur iniquitas ſibi: nam ut tempori, rebuſque ſuis ſerviat, id facere vult, quod facit Eccleſia, cùm illud reverà faciat, & nihil faciendorum ſeriò & accuratè non obſervat. Hujus duplicis ſecum pugnantis voluntatis exemplum cernere eſt in iis, quæ fiunt ex metu; putà cùm mercator ingruente tempeſtate, quas amat retinere merces, eas projicere vult, ne pereat. Idem etiam in peccatoribus illis claret, qui Deum offendere ſe nolle, ſed uni luxuriæ indulgere velle ſe ajunt; & tamen Deum offendere hoc ipſo volunt, quòd ſcelera, quibus Deus offenditur, liberè perpetrant. Ita in propoſito perverſus ille miniſter intentionem retinens ſuam, & non vult facere, quod facit Eccleſia, velletque Sacramenti fructum à ſuſcipiente non percipi; & tamen reverà velle convincitur hoc ipſo, quòd ea, quæ Chriſtus inſtituit, liberè, ſubindeque voluntariè facit. Unde non minùs ſibi contradicit, quàm ſibi repugnaret ille artifex, qui materiam & formam entis artificialis liberè applicaret, & nollet tamen opus artificiale inde conſurgere; quàmve ſibi Medicus ille adverſaretur, qui congruam & ſaluriferam adhibere vellet medicinam, ægrotum tamen non ſanari averet, ſed occidi. Certè cùm facta meliori modo declarent animum quàm verba, ut jura omnia clamant, & ex ſe patet, quia factum liberum non poteſt eſſe ſine voluntate faciendi; manifeſtè relinquitur, eum intentionem faciendi quod facit Eccleſia, ſufficientem habere, qui reapſe facit, quod facit Eccleſia, facit prudens, facit requiſitus, facit ex eo, quo in Republica Chriſtiana perfungitur officio.

Secunda ratio, ab inſtitutione Chriſti.

Cùm Chriſtus Sacramentorum valorem independenter à miniſtri intentionis perverſitate inſtituere potuerit, ſicut independenter ab ejus ſanctitate & fide ea valida ſecundùm omnes eſſe voluit, efficaciter aſſertionem noſtram probaverimus, ſi inſtitutionem Chriſti noſtræ favere ſententiæ oſtendamus. Id autem ſic oſtendimus: Chriſtus Dominus Sacramenta humano modo in Republica Chriſtiana peragenda eſſe inſtituit, cùm Chriſtianiſmus non Angelorum, ſed hominum cœtus ſit: ergo eo modo voluit ſacra miniſteria peragi, quo miniſteria ordinaria in Rebuspublicis validè exerceri, ſolenne eſt, ut chriſtiana ſocietas viſibilis, & hierarchia aſpectabilis, firma, ſecuraque conſiſteret. Atqui in Republica benè ordinata ad valorem actuum, contractuum, proceſſuum, functionumque juridicarum, ſicut non ſufficit actio, ludicra aut jocnlariter facta, ita ſufficiens omnino eſt actio ſeriò cum formulis ſolitis à Reipublicæ deſignato miniſtro confecta. V. G. cùm Notarius tabulam ludicrè conficit, vel eo fine inſtrumentum delineat, ut tyronem quomodo inſtituenda ſit tabula, doceat, utique nihil validum efficit, quia ut Reipublicæ adminiſter non agit. At verò ſi rogatus à partibus, prudens & ſciens quòd rogatur, inſtrumentum exaret, quanvis deinde retentam intentionem ſuam reclamet, validum actum effecit tamen, quia illum ut Reipublicæ vicibus fungens ſeriò operatus eſt. Judex ſimiliter, qui joculariter in menſa inter cachinnos & pocula ſententiam ediceret, nihil prorſus efficeret. At verò dum ſedens pro tribunali, cunctis auſcultantibus, voce gravi, vultu & habitu magiſtrali ſeriò ſententiam pronuntiat, validum decretum efficit, quidquid interiùs privatâ voluntate & intentione concupiſcat.

Ergo ſimiliter in Republica Chriſtiana licèt qui ſacramenta joculariter perageret, miniſtrum Eccleſiæ non ageret, ſed mimum, ſubindeque nihil efficeret, ſed facientes irriſoriè imitaretur, vel potiùs effingeret, & ementiretur; attamen dum ſeriò quæ Chriſtus inſtituit & Eccleſia facit, operatur, tunc ut miniſter Eccleſiæ agit, ſubindeque integrum ſacramentum cõficit hoc ipſo, quod in officio illo conſtitutus & poſtulatus facit, & aliter ſe agere nec ſignificat, nec ex modo agendi apparet; cùm poſtulantis intentionem ſequi illum in moralibus neceſſe ſit, quiſquis ei volens obſequitur; & in humanis (quibus Eccleſiaſtica munia ſuperſtructa ſunt) ille ſemper ut miniſter, & ex officio agere cenſe-

cenſcatur, qui quæ muneris ſui ſunt, ſeriò implet, quidquid ille aliò ſpectans cogitet, & quæcunque tandem illum intentio pulſet. Quod ſuprà exemplis ſervorum heri nomine ſeriò, ſed reluctante voluntate vendentium, & procuratoris Regis abſentis nomine contractum in viro licèt animo ineuntis, & omnibus humanæ vitæ officiis explicuimus.

Id etiam ampliùs illuſtrat quidam recentior Theologus exemplo Aman, qui licèt Mardochæum humili illo obſequio, ad quod Regis imperio adactus eſt, honore afficere non intenderet, reverà tamen intentio Regis Mardochæum honorare volentis, repugnante Amani intentione minimè dependebat. Nec poteſt dici hoc ideò eſſe, quia hæc honoris ſigna, utpote ſpeculativa, non egebant intentione, quâ vim ſignificandi obtinerent: non inquam, poteſt id dici; etenim externa illa honoris exhibitio tam ad jocum & irriſionem, quàm ad cultum & obſervantiam referri poterat, nec niſi ex intentione ſeriò agentis & reverentiam in actu exercito ſignificantis dignoſci, determinarique poterat. Sed quia Mardochæus hanc reverentiam Amano ſeriò, & ut miniſter Regis deferebat, etiamſi contrarium ipſe vellet, ipſe ſentiret, non poterat honorem à Rege intentum non impendere. Ergo ſimiliter Sacerdos, quidquid intus prava ſua intentione pervelit, ſi tamen illud exteriùs ſeriò peragit, quod ſcit à ſe miniſtri nomine requiri, intentionem Chriſti & Eccleſiæ perverſitate occultâ non impedit, niſi internam ſimulationem in opus externum fundat.

Tertia ratio, à conſuetudine Eccleſiæ.

Conſuetudo Eccleſiæ Catholicæ, ut docet D. Thomas, eſt in omnibus æmulanda; unde illud Auguſtini lib. 2. de Baptiſmo, cap. 9. *Conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hac ſola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Et lib. 7. cap. 53. *Id ſolùm ſecura voce aſſerere tutum eſt, quod in gubernatione Domini Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Atqui nunquam talis fuit in Eccleſia Catholica conſuetudo, ut iterum ſacris Baptiſmatis fontibus intingerentur fideles ob unam miniſtri occultam intentionis retentionem, vel malignæ intentionis intus conceptæ, nec foris patentis perverſitatem, modò tam miniſter, quàm initiatus ſeriò & prudenter egerint, quidquid in Eccleſia Chriſti fieri ſolet.

Sæpè quidem à ſummis Pontificibus, & ſacris Conciliis ſtatutum eſt, Baptiſmata dubia & ſuſpecta iterari oportere, qualia eſſe dixerunt, quorum non inveniebantur notiſſimi teſtes, ut patet ex Concilio Carthaginenſi V. *cap.* 6. Zacharias etiam Papa *epiſt.* 11. ad Bonifacium, quæ habetur *tom.* 1. *Conciliorum*, decrevit Baptiſmum illis repetendum eſſe, qui ab hæreticis non baptizantibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti eum accepiſſent. Denique omni ætate diligenter & accuratè quæſitum eſt, utrùm congrua materia, ſolitaque forma adhibita fuerit, ejuſque rei teſtes haberentur locupletes? At de occulta intentione malitiosè retenta à miniſtris alioquin ſeriò & prudenter agentibus, nunquam & nuſquam inquiſiverunt Eccleſiæ Antiſtites, vel ſacra Concilia, quamvis graviſſimas de illa impiorum miniſtrorum perverſa retentione dubitandi rationes habuerint. Cùm enim cōſtet, multos eſſe miniſtros ſceleratos, qui myſteria religionis intus odio proſequuntur, parum proinde de intentione curantes, gravis ſubeſt, rectéque fundata ſuſpicio parum illus de intentione ſemper habenda, omittenda, vel retinenda eſſe ſolicitos; imò monſtro ſimile foret, ſi non hanc impietatem ſuam uſu ſæpiſſimè frequentarent, cùm nullo fidei, vel pietatis obice à retinenda intentione prohibeantur. Et tamen nunquam Eccleſiæ Præſules ſciſcitati ſunt, nunquam ſciſcitandum Concilia præcepêre, utrùm conſtaret de non retenta illa intentione; nunquam venit in ſuſpicionem eorum intentio, qui & Sacramenta, & religionem nedum irrident, ſed etiam execrantur. Quin potiùs quibuſdam de valore Baptiſmi à modernis hæreticis à fide defectionem non rarò impietatis acceſſione cumulantibus collati ſubdubitantibus, & Baptiſmum ſub conditione iterandum cenſentibus, omni iteratione interdixerunt Concilia Provincialia ſuprà laudata; quia ſufficit, inquiunt, hæreticos in cœtu publico cum formulis à Chriſto inſtitutis, & in Eccleſia uſitatis baptizaſſe.

Huc referunt aliqui hiſtoriam S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui baptizatos à puero Athanaſio catechumenos iterum baptizari noluit, quia licèt ludendo ſuper oram maris id geſſiſſet, ritum tamen Eccleſiæ accuratè obſervârat. Verùm quia de hoc facto dubitant viri doctiſſimi, non in eo noſtræ opinionis robur ullum ponendum reor. Præſertim cùm irrefragabili ſacri Tridentini authoritate ſuaſi baptiſmum ludo collatum, nullum eſſe aſſerendum cenſeamus. Huc etiam nonnulli baptiſmum S. Geneſii à mimo peractum, & ratum habitum referunt. Sed in hoc etiam facto noſtræ ſententiæ nervum non ponimus; tum quia, ut vulgò dicitur, privilegium paucorum non facit legem communem; tum maximè, quia baptiſmum joco in mimo collatum, invalidum eſſe, ſacra Tridentina Synodus determinavit. Sed in hoc inſiſtimus, hoc urgemus, quòd licèt quandoque impii Epiſcopi & Sacerdotes nullam niſi perverſam in conficiendis Sacramentis ſibi fuiſſe intentionem declarârint, & de aliis ſceleſtiſſimis, tametſi id non declarantibus, juſtiſſima dubitandi ratio fuerit; nunquam tamen Eccleſię Pręſules de iterandis collatis ab illis baptiſmis vel ordinationibus in ulla regionali vel plenaria Synodo conſilium ſuſceperunt, nec hujus rei vel in Eccleſiaſtica hiſtoria, nec in ſacris Conciliis veſtigium ullum apparet: quod tamen prætermiſſum non fuiſſet, cùm perverſorum miniſtrorum ad retinendam intentionem proclivium exempla nec defuerint unquam, nec Prælatos latuerint.

Ergo juxta mores Eccleſiæ ſacramenta illa valida cenſenda ſunt, quæ ſeriò à miniſtris materiebus & formis uſitatis, ſervandis ſervatis peracta ſunt, tametſi retentione aut perverſitate intentionis Sacramenta irrita facere, & ad nihilum redigere malitiosè voluerint. Ac proinde flocciſacienda ſunt illæ perverſorum miniſtrorum declarationes, qui poſt peractos ſeriò ritus in illis officiis, quibus in Republica Chriſtiana perfungebantur, poſtea nihil ſe conficere voluiſſe dictitant. Ex conſuetudine enim Eccleſiæ manifeſtiſſimè liquet, nonquam ad valorem Sacramentorum aliam intentionem, ſicut nec aliam fidem, quæ intentionem dirigat, Eccleſiæ Præſules deſideraſſe, præter illam Eccleſiæ, quæ facto ipſo ſeriò peracto, & verbis formæ prudenter pronuntiatis continetur.

Hac de cauſa olim Patres in controverſia Donatiſtarum, aſſerentium nullum eſſe collatum extra Eccleſiam Baptiſmum, de debita miniſtri intentio-

ne nihil diſputarunt, an ſcilicet adfuerit, vel abſuerit, id ſolùm curantes, ut materia & forma obſervari ſolita ritè & ſeriò fuerit ab infidelibus, quidquid tandem intendentibus, applicata. Hac etiam de cauſa Romani Antiſtites interrogati, an baptizati à Paganis vel Judæis eſſent rebaptizandi, reſponderunt, non eſſe repetendum baptiſma, ſi adhibita eſſet aqua naturalis, & ſervata forma Eccleſiæ uſu conſecrata, de occulta miniſtri intentione nihil ſoliciti. Hac pariter de cauſa non ſolent fideles perquirere miniſtros ſanctiſſimos, in quibus nulla hærere poteſt ſuſpicio, ne per malitiam Sacramenta evacuent; ſed ad omnes indiſcriminatim pro pueris baptizandis, pro Clericis ordinandis confugiunt, rati per malos miniſtros ſeriò, & ex officio operantes bona perfici Sacramenta, privatamque eorum malitiam illis quidem officere, ſuſcipientibus tamen nihil gratiæ detrahere. Hac denique de cauſa ob ſimilem aliquam miniſtrorum declarationem in tota quàm latè patet Eccleſiaſtica hiſtoria nunquam legitur aliquem alicubi juſſu Prælatorum iterum baptizatum, iterum ordinatum, vel connubium aliquod fuiſſe diſſolutum.

Ultima ratio, ab inconvenientibus.

Deniqoe argumentor ab infinitis & immedicabilibus oppoſitæ ſententiæ inconvenientibus. Si perverſa intentionis occultæ retentione perverti, irritarique Sacramenta poſſent, miſera planè, & miſeranda foret Chriſtiani populi conditio. Supponamus enim (quòd non ita pridem in Galliis accidiſſe multi dicunt) Sacerdotem curæ animarum præfectum, & populoſæ Civitatis Paſtorem in pueris baptizandis, pœnitentibus abſolvendis, fidelibus divino Euchariſtiæ cibo paſcendis intentionis occulta retentione nolle Sacramenta intus peragere, quæ tamen ſeriò adminiſtrat; ſi vera eſt adverſariorum ſententia, & innumeri pueri decedentes poſt ſuſceptum baptiſmum Deo æternùm carebunt, & nullus peccator abſolvetur, & nullus fidelis cibo cœleſti reficietur: denique, quod horrendum dictu eſt, & ex adverſa ſententia neceſſariò, conſequitur tamen, nulla erunt in illa Eccleſiâ Chriſtianâ & Catholicâ Sacramenta. Et cùm id poſſit miniſtrorum improbitatem contingere, dubii ſemper erimus & penduli, utrùm tandem ex animo, necne, Sacerdotes nobis Sacramenta contulerint.

At enim, inquies, caſus eſt de raro contingentibus. Id ego libenter crediderim, libentiùs optarim, & utinam res ita ſit, utinam his corruptiſſimis temporibus nullus metuendi locus eſſe videatur, nimis illi frequenter caſus ne accidant. Verùm enim verò etſi factum rarum eſſe concedamus, & ita rarum, ut unoquoque ſæculo ſemel tantùm accidat, non deerit tamen juſta anxietatis, & ſolicitudinis cauſa. Etenim ab illo impio Sacerdote intentionem ſuam retinente & corrumpente, poterit puer ille baptizari, qui Presbyter, & decurſu temporis Epiſcopus evadat; qui amplæ diœceſi præpoſitus diuturno annorum curriculo maximam Sacerdotum partem Ordinibus initiet, & totum paulatim Clerum renovet; quid inde? Illud ſanè deplorandum, nulla in amplo protenſæ diœceſis tractu Sacramenta peragi, neminem baptizari, neminem abſolvi, neminem ſacrâ Euchariſtiâ paſci, neminem ordinari; Sacramenta quippe ſine Sacerdotibus non celebrantur, nec fiunt ſine vero Epiſcopo Sacerdotes, nec verus poteſt eſſe Epiſcopus, qui non fuerit baptizatus.

Supplebit, inquies rurſum, ſuâ providentiâ Deus, ſuccurretque periclitanti Eccleſiæ mediis opportunis, qui rebus etiam quotidianis inſolita, & inſperata remedia parat. O dictum benè! Si ad providentiam Dei recurrendum dicis, cur non potiùs dixerim providiſſe Deum, ne id unquam miniſtrorum malitiâ poſſet obvenire? Cùm certum ſit, quòd ſicut Chriſtus noluit, ut ſacramentorum valor à miniſtri ſanctimonia penderet, ita potuit inſtituere, ut nullâ miniſtri intentionem retinentis iniquitate Sacramentum annullaretur, ut ſic & magis virtus ſua ſplenderet, & meliùs fidelium paci conſuleretur, & infinita mala præcluderentur, quæ alioquin miniſtrorum improbitate fuerint exortura.

His benè addit Salmeron, quòd ſi perverſi miniſtri intentione retentâ Sacramenti valor evaneſcit, liberum erit dubitare de omnibus, qui baptizantur, vel abſolvuntur, vel qui ſanctiſſimum Chriſti corpus in Euchariſtia adorant & recipiunt, num verè baptizati, verè abſoluti, verè Chriſti corpore refecti ſint, & an ritè conſecratam hoſtiam venerentur; quin & an ulli ſint Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, atque ita de tota Eccleſiaſtica Hierarchia, atque adeò de tota Eccleſia dubitare cogeremur. *Per hanc ergo doctrinam* (verba ſunt Salmeronis, quæ notentur digniſſima) *redderetur nobis Eccleſia inviſibilis, imaginaria, & mathematica, & miſera Chriſtiani populi conditio, quia Chriſtianus propter defectum intentionis miniſtri nunquam certus eſſe poteſt de baptiſmo, abſolutione, & ordinatione. Atque hac ratione in infinitum poſſet procedi, & omnia eſſent in dubium revocanda, & Academici omnes, & nutantes redderemur.*

Ergo adverſa ſententia tam incommoda, tam moleſtiſſimæ ſolicitudinis plena non videtur ſuavi Chriſti Sacramentorum authoris providentiæ conſentanea. Maximè, quia per illam non ſolùm fidelium paci, non ſolùm Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordini & tranquillitati, ſed etiam familiarum & conjugiorum quieti turbatio graviſſima imminet. Cùm enim in Sacramento matrimonii partes contrahentes ſint miniſtri, ſi intentionis privata retentio Sacramentum annullet, dubia erunt quamplurima matrimonia. Nam alterutram partium, & interdum utramque parentum, quibus reluctari non audent, imperio contrahere matrimonium notum eſt, de quarum proinde ſincera intentione dubitare ſine temeritate poſſumus. Imò adoleſcens, ut parentibus morem gerat, cum ea contrahens quam non amat, ſi adverſa opinione imbutus intentionem retineat, aliudque in pectore claudat quàm linguâ promat, poterit deinde fugere, & alibi cum alia validè matrimonio jungi: quo ſemel admiſſo (non admitti verò non poteſt, ſi vera eſt adverſariorum doctrina) omnia ſuſque deque miſcebuntur, & iterandorum matrimoniorum nullus erit finis. Et tamen nunquam, vel nuſquam hactenus in Eccleſia ſub cœlo tota ob unam intentionis retentionem ullum prorſus matrimonium diſſolutum eſt, vel ſub conditione iteratum. Et quidem ita Chriſtum Dominum inſtituiſſe, ſenſit Eccleſia, ut valida eſſe tum Sacramenta quævis cenſeremus, cùm à miniſtris prudentibus ſeriò peracta eſſe conſtat.

§. VIII.

§. VIII.

Convelluntur oppoſitæ ſententiæ fundamenta.

NOn deſunt, ut verum fatear, plures cùm nonullis, tum aliorum Scholarum Theologi exiſtimantes, ad valorem Sacramenti non ſufficere intentionem ritus externi, qui Chriſtianis religioſus eſt; ſed requiri inſuper intentionem intus ſe intentioni Chriſti conformantem, ita ut ſi miniſter malitiâ ſuâ intentionem illam retineat, quantumvis advertenter & ſeriò operetur, Sacramentum inane reddetur & nullum. Ad triplicem porrò claſſem ſuas probationes reducunt. Nituntur enim primùm authoritate Conciliorum Florentini & Tridentini ſæpe memorata, deinde nonnullis S. Thomæ locis ſuam fulcire ſententiam ſatagunt, demùm quibuſdam petitis à ratione argumentis permoventur. Verùm quia mentem Conciliorum apertè, ni fallor, nobis non adverſari demonſtramus, D. etiam Thomas, quàm nobis faveat evicimus, nec quidquam afferunt adverſarii, quod non occupaverimus; reliquum eſt, ut rationes, quibus innituntur, refellamus.

Objicies ergo: Ex ipſa Sacramentorum inſtitutione colligendum videtur, intentionem eam in miniſtro requiri, quæ ſacrum ritum ſacramentaliter perficere velit. Etenim cùm Salvator *Joan.* 20. Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus remittendorum peccatorum contulit poteſtatem, judices illos conſtituit, & proferendæ ſententiæ eis authoritatem contulit. Atqui offenſam non remittit, qui eam remittere non vult; & ſententia à judice ſine interiori intentione prolata invalida eſt. Ergo ad valorem Sacramenti non ſufficit in miniſtro intentio faciendi ritum externum, niſi adſit intentio Sacramentum juxta Chriſti voluntatem celebrandi.

Confirmatur: In inſtitutione Euchariſtiæ miniſtris præcepit Chriſtus, ut illam in ſui commemorationem peragerent; non poſſunt autem in Chriſti commemorationem agere, qui ſine intentione conformante ſe intentioni Chriſti Miſſam celebrant. Ad perficiendum etiam Extremæ-Unctionis Sacramentum præcipit Jacobus *cap.* 5. inducere Presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper infirmum; ſine intentione autem præfata nequit ulla oratio fundi, nec poteſt pro aliquo quis orare, quod non deſiderat; nec deſiderare, quod non intendit. Denique matrimonium ſine partium conſenſu invalidum eſſe omnes fatentur; at conſentire quomodo poteſt, qui initium matrimonium non intendit. Ergo ad Sacramentorum veritatem deſideratur in miniſtro intentio, quâ ſe Chriſti & Eccleſiæ intentioni ſincerè conformet.

Reſpondeo, his rationibus juvari magis ſententiam noſtram, quàm infirmari. Etenim ſententia Judicis ſedentis pro tribunali ſeriò prolata, rata habetur & valida eſt, quidquid judex interiùs moliatur, aut intendat; & velle abſolvere reum ille convincitur, qui quamvis interiùs reluctetur, abſolutoriam tamen ſententiam ſeriò profert, maximè, ſi judex ſit ſuperioris judicis inſtrumentum, ut contingit in Sacramentis, cujus authoritate ſententiam proferre duntaxat habeat; nec alia de cauſa ſubalterni judicis voluntas deſideretur, quàm ut quid agendum ſit, judicio diſcernat, & voluntate deliberata, quæ ſine vera intentione eſſe non poteſt, quod agendum eſt, peragat. In Chriſti etiam commemorationem facit, qui quod à Chriſto inſtitutum eſt, liberè ſeriòque obſervat, non enim voluntariè faceret quod faciendum Chriſtus imperavit, niſi illud ſibi faciendum proponeret, ſeu quod idem eſt, verè intenderet. Nomine etiam Eccleſiæ ſuper infirmum orat, qui orationes ab Eccleſia præſcriptas advertenter & attentè fundit. Matrimonium etiam ratum habetur, quod verbis conſenſum clarè exprimentibus & liberè prolatis celebratum eſt, quamlibet partes intrinſecus renitantur, ut tam multis toto diſſertationis decurſu monſtratum eſt. Unde in hoc hallucinantur adverſarii, quòd intentionem faciendi quod facit Eccleſia, & faciendum Chriſtus juſſit, cum intentione ſe conformante intentioni Chriſti & Eccleſiæ confundunt; quòd duplicem in perverſo miniſtro ſecum pugnantem intentionem non diſcernunt; & quòd ſupponunt negare nos, non exigi intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, quam tamen ita à miniſtro ſeriò operante indivulſam eſſe cenſemus, ut intentionem faciendi quod facit Eccleſia, non habere eum non poſſe, contendamus, qui quod facit Eccleſia, liberè facit; nec illam ſuam intentionem neceſſitate ſuppoſitionis neceſſariam, poſſe privatam aliam perverſæ voluntatis intentionem extinguere.

Sed dices: Si Sacramenta non ſunt iteranda, quantumvis miniſter dicat ſe intentionem retinuiſſe ſuam, poterit quis hac doctrina perſuaſus, intentionem ſuam in Sacramentorum adminiſtratione retinere. Ergo noſtra doctrina non eſt tuta, quippe quæ ad impietatem aditum pandit, & ad ſacrilegia viam ſternit.

Reſpondeo, id minimè ſequi, nec periculum illud ex noſtra doctrina, ſed potiùs ex adverſa imminere. Etenim vel miniſter eſt probus & pius, vel improbus & impius. Si probus, intentionem ex ea retinere ſuam prohibebitur, quòd ſciat miniſtrum Chriſti & Eccleſiæ intentioni ſeſe minimè conformantem, graviſſimè peccare, cùm boni diſpenſatoris munus ſit, fidelem Domino operam præſtare, nec aliud animo privatim intendere, quàm quod Domino cordis ſcrutatori gratum & acceptum eſſe cognoverit. Si verò miniſter improbus fuerit, profectò de retinenda intentione non cogitabit, qui perſuaſum habuerit, perverſâ illâ intentionis retentione nullatenus Sacramentum impeditum, vel fruſtratum iri. Sin contrà crediderit, intentionis retentione poſſe ſe ſuſcipienti, qui ſibi fortaſſis hoſtis eſt, officere, ad retinendam intentionem ſuam, propriis ut cupiditatibus ſerviat, faciliùs tentabitur, & procliviùs allicietur, qui hoc uno tandem modo non mediocrem poterit de inimico vindictam ſumere. In hoc ergo Theologorum opinantium conflictu utrinque pro lege pugnatur, hinc ut Conciliis intentionem præcipientibus miniſtri pareant, illinc ut iiſdem Conciliis baptiſmum iterari prohibentibus obſequamur; hinc baptiſmi neceſſitas, iſtinc urget periculum ſacrilegii. Sed illud porrò temperamentum tutius, ſalvo meliori judicio, videtur, quo fit, ut miniſtri intentionem nunquam retinere ſuam, vel de ea retinenda non cogitare convincantur; boni, ne in peccatum incidant; mali, in vanum ne laborent. Et hoc unum, niſi meus me fallit animus, emolumentum ex hac noſtra ſententia elicimus & reportamus.

Inſtabis: Sæpè diximus, & in diſſertatione de probabilitate omni genere argumentorum demonſtravimus in moralibus, in re potiſſimùm ſacramentaria, non ab hominum opinationibus, ſed

ab

ab una Chriſti inſtitutione pendente, ſectandâ eſſe tutiora, & à peccandi periculo remotiora. Atqui oppoſita ſententia eſt tutior, & à peccandi periculo remotior qui eam ſequitur; non enim peccat qui intentioni Chriſti ſe conformat. Ergo oppoſita ſententia noſtræ eſt anteponenda.

Reſpondeo, hoc argumentum merâ æquivocatione laborare, eodemque vitio infici, ac ſi in favorem Donatiſtarum ſic quiſpiam argumentaretur. In moralibus, & in re maximè ſacramentaria ſectanda ſunt tutiora, & à peccandi periculo remotiora. Atqui ſententia Donatiſtarum aſſerentium ad Sacramenti integritatem fidem & ſanctimoniam deſiderari, eſt tutior, & à peccandi periculo remotior qui eam ſequitur: non enim peccat qui cum fide & ſanctitate Sacramenta miniſtrat. Ergo ſententia Donatiſtarum eſt anteponenda. Viden', ſimilis formæ ſophiſma, & quod in nos adverſarii telum intorquent, in ipſos manifeſtè retorqueri.

Dicendum ergo, oppoſitam ſententiam non ſolùm non eſſe tutam, ſed etiam certo peccandi periculo eſſe obnoxiam. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, duo ab oppoſita ſententia affirmari; non ſolùm enim ait teneri miniſtros in omni intentione ſua Chriſti ſeſe & Eccleſiæ intentioni conformare, ſed ita teneri addit, ut ſi malitiâ ſuâ intentionem retinere ſuam nitantur, Sacramentum irritum faciant, quod proinde eſt de integro repetendum. Quatenus dicit teneri ex præcepto miniſtros nihil privatim intendere, quod non ſit intentioni Chriſti conſentaneum, verum utique dicit, ſed nihil ſingulare tradit; de hoc enim nulla eſt, aut fuit unquam inter Theologos vel Chriſtianos controverſia: quatenus verò addit, non ſolùm ad id miniſtros ex præcepto obligari, ſed etiam illi præcepto intus repugnantes Sacramenta annullare, ac proinde baptizatos ab eis iterum baptizandos, ordinatos iterum ordinandos, abſolutos iterum abſolvendos; ſingulare quidem aliquid affert illa ſententia, ſed illud à peccato immune, & ab iteratorum Sacramentorum ſacrilegio remotius eſſe, nemo qui terminos penetraverit, affirmaverit. Ab hoc verò periculo remotiſſima eſt noſtra ſententia, quæ intentione faciendi quod facit Eccleſia, rebus & verbis ſolitis ſeriò adhibitis ſufficienter expreſſâ contenta eſt, illud Cypriani, vel authoris ſermonis de ablutione pedum, præ oculis habens: *Baptiſmum repeti Eccleſiaſtica prohibent regula, & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere; quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſanctificat; vel alia ſanctificatio emendaret, quod ſemel ille ſtatuit & confirmat.*

Reflexio.

Hunc in primis ex hactenus dictis fructum, Lector optime, reportes pervelim, ut ab cenſoriis ſeveritatis notis orthodoxis Catholiciſſimorum Doctorum ſententiis inurendis, & à carpendorum aliorum pruritu nonnullis tam intquè familiari abſtineas. Hujus ſalutaris monitii alibi traditi hîc recolendi occaſionem libens nanciſcor, ob intolerandas quorundam hac in controverſia recentiorum cenſuras, quibus hactenus confirmatam ſententiam, tot authoritatum & rationum momentis munitam plectunt, quam ut erroneam, vel certè ut temerariam non ſatis ſobriè, & vix ſtatum quæſtionis pervadentes, tamen proſcribunt. Ob illud arrogatæ ſibi alios damnandi poteſtatis, ſoli Eccleſiæ Catholicæ eximæ, vitium, cùm quidam recentior Theologus, turbis inter fideles ob quemdam nefarium Sacerdotem, qui nullum ſe Sacramentum conficere velle declararet, excitatis conſulturus, hanc noſtram ſententiam ſibi longè veriſſimam expoſuiſſet, & diſcipulos docuiſſet; ipſum continuò ſemidoctorum vulgus inſurgere clamitare, queritari, vociferari aſſertionem novam ex impuris Lutheri cineribus apud Catholicos ſuſcitari. Qui quantum in Eccleſiaſtica doctrina peregrini ſint, ſatis monſtrarunt, nec præ oculis habuerunt præclaram illam Auguſtini ſententiam, quam nobis *lib. de unitate Eccleſiæ, cap.* Doctor ſanctiſſimus reliquit, & his verbis expreſſit: *Nemo eſt turpi notâ inſigniendus, niſi prius manifeſtiſſimis documentis probetur, ad eum meritò notam illam pertinere.* Certè ſi non ferendæ temeritatis reus eſt, qui tantum hoc crimen, quale hæreſis eſt, in alterum ſine probationum *manifeſtiſſimis documentis* confert; nemo non videt quàm comprimenda illa audacia ſit, quæ ſententiam à viris Catholicis ante & poſt Concilium Tridentinum traditam, authoritatibus Patrum, graviſſimorumque Theologorum omni exceptione melioribus judiciis, & rationum momentis ad demonſtrationis evidentiam accedentibus munitam, hæreticam confidenter appellant. In ferendis ergo judiciis purus eſto, Lector, & integer, atque à præjudicatis, vel olim non ſatis fortaſſis attentè ebibitis opinationibus exutus, ut puriùs veritas pateſcat & certiùs. Et hic ſit primus hujus diſſertationis fructus.

Alterum ex hac etiam diſſertatione fructum elicere eſt: Soliciti ſunt nonnulli, & ſuperſtitioſa fermè anxietate exeduntur, ne perverſorum miniſtrorum retentâ intentione Sacramentis illi vacui ſint, quibus in facie Eccleſiæ omnibus ſervandis ſeriò ritéque ſervatis initiati ſunt; & ne in vacuum gratiam Sacramenti receperint, eamque ad nihilum vitæ ſuæ pravitate redegerint, non formidant, & trepidantes ubi non eſt timor, hic ubi opus eſt, non verentur, illic ubi nihil opus eſt, ibi verentur. De ſuſcepto Baptiſmo anxii ſunt, de oſtendendo operibus bonis Baptiſmo parvipendunt.

Et ſanè attentâ baptiſmi dignitate, plenitudine, & effectuum ſuo infrà loco ordine referendorum beatiſſimâ copiâ, quis crederet hujus corruptiſſimi ævi Chriſtianos eſſe baptizatos, in quibus nullus baptiſmatis fructus apparet? Manet quidem in illis character, quia nullâ criminum, flagitiorumque liturâ deleri poteſt; at certè non niſi ad augendum illorum crimen, ad augendam eorum infelicitatem manet. Nam quò major eſt baptiſmi gratia, quo major de ſuſcepto baptiſmo ſecuritas, quò celſior divini, in quem aſſumpti ſunt, ſtatûs eſt dignitas, quò fœcundior primi ſacramenti ubertas, eò deteſtabilior eſt Chriſtianus, qui violata baptiſmi ſanctitate infra infideles ſe dejicit, & peccatorum granditate & frequentiâ in ſtatum decidit longè miſeriorem, quàm ſit Turcarum aut Infidelium conditio.

Chriſtianiſmus eſt ſtatus innocentiæ & ſanctitatis in baptiſmo largiſſimè à Deo diffuſæ, & à baptizatis promiſſæ: & quid aliud ſunt Chriſtiani noſtri, quàm totius iniquitatis & nequitiæ profeſſores, in opprobrium ſacramentorum nati, & ſponſionis & fidei fractores nefandiſſimi? Nam mala inceſſabiliter malis addunt, peccata peccatis cumulant, & apponentes iniquitatem ſuper iniquitatem,

tatem, ex eis nominis celebritatem captant, quæ celari, & ſempiterno, ſi fieri poſſet, ſilentio obrui oporteret. Hic jam eſt curſus rerum, hæc inducta apod pſeudochriſtianos lex, ut honeſti, honeſtaque jaceant. Tempora periculoſa noo inſtant, ſed extant, quibus vitiis nomen virtutis imponitur, & fraudé, circumveotione, & iniquitate mundante ſuper tertam, ſornicationis culpa ſeſtiva jocantis animi licentia dictitatur; adulterium, quod in graviſſimis ſceleribus ſemper fuit, ſortunatioris loco ſottis habetur; ſimulario & fallacia virtus aulica exiſtimatur; impietas ingenii firmitati, juramentum & blaſphemiarum audacia venuſtati ſermoois, præſtigiæ & mendacia negotiandi periuæ, comeſſationes vitæ honeſtari, perpetui ludi inſania urbanitari, impunitatis licentia effrænis felicitati, uſuræ & ſimooiæ artes prudentiæ adſcribi, imputarique ſolent.

De Chriſtianitatis ſuſcepto charactere veremut. de extincta Chriſtianiſmi ſanctitate nihil trepidamus. Per baptiſmum deletur peccatum originale, & tamen omnes naturæ corruptæ fæces, omnes primigenii peccati ſordes in Chriſtianurum operibus gtaviſſimè olent. *Per baptiſmum*, inquit Auguſtinus lib. 1. de peccat merir. cap. 21. *id agitur, ut evacuetur caro peccati: evacuatur autem, non ut concupiſcentia innata repentè abſumatur, & non ſit; ſed ne obſit renato, quæ inerat nato. Nam ſi poſt baptiſmum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit.* Et baptizatos cernimus implentes carnem peccatis, & in plerisque renatis concupiſcentia fœdiot apparet, quàm in multis oatis; nec ibi habent cum qua pugnent, ſed cui obediant; nec tantùm cui obſequantur, ſed quàm prçveniant ſæpè voluntate deteriores, quàm fuerant naturæ corruptiooe.

Per Baptiſmum & Sacramenta Chriſtum induimus, & ita formatur in nobis Chriſtus, ut in veris Chriſtianis viva Chriſti ſpecies refulgeat: at quomodo novum hominem induunt, qui nullos Chriſti mores imitantur? Recordare, Lector, quòd baptiſmus ſepultura eſt, qua mundo mortui, cùm Chriſto velnti ſepeliontur, dicente Apoſtolo Rom. 6. *Conſepulti ſumus et per baptiſmum in mortem.* Ergo vita mortui, vita oobis ſepulti ducenda eſt. Sepultus ſeparatur à ſocietate, nullum habet cum viventibus commercium. Ergo baptizatus damnandis operibus debet omninò oon vivere, nec cum peccatoribus fœdera iniquitatis inire. Sepultis nulla ſpes eſt redeundi ad ſæculi vitam: ergo baptizatos cum mundo & maximis mundi inimicitiam gerete capitalem, immortalem, implacabilem, & citra omnem reſtituendæ & integrandæ amicitiæ expectationem obligatur. Sepultus eſt in loco oblivionis, juxta illud Pſal. 87. *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* Ergo bapuzatus, tametſi recogitare debeat anoos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, omnium tamen peccandi incentivorum delere memoriam debet, ne iterum labatur in ſcelera, ſed quæ retrò ſuor, obliviſcens, & ad aoteriora extendens ſemetipſum, illam vulgarem, ſed egregiam Hieronymi præ oculis habeat ſententiam: *Felix, qui non conſiderat, quid heri fecerit, ſed quid hodie faciat, ut quotidie proficiat.* De ſuſcepto ergo baptiſmo ſecuri, de extincta baptiſmi gratia ſimus anxii, ut in timore & tremore ſalutem operantes, illa ſedulò caveamus, quæ Sacramentorum uſum meritò faciunt eſſe ſuſpectum. Id experiri connitamur, quod de ſe *epiſt. 2. ad Donatum*, narrat Cyprianus his verbis: *Ergo poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cæleſtis Spiritu ſancto in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit, mirum in modum protinùs confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur, geri poſſe quod impoſſibile putabatur, ut eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viveret.* Satagamus ergo, ſicut vocationem noſtram, ita baptiſmum per bona opera certum facere, nimirum morte criminum, vitâ virtutum: ut ſicut fuimus in prima nativitate polluti, ita ſimus ſecunda mundati; in prima captivi, ſecundâ liberi; io prima terreni, ſecundâ cæleſtes; per illam filii iræ, per iſtam filii gratiæ; & quod priùs fuerat deponentes, corporis licèt manente compage, veterem hominem animo ac meote mutemus.

DISSERTATIO III.

De Sacramentis ſingulatim: & primùm de Baptiſmate.

SEptem Sacramentorum à Chriſto Servatore ad nuſtram ſanctificationem inſtitutorum ſpeciales convenientias inter explicandam gratiam ſacramentalē cuivis Sacrameoto propriam & characteriſticam, ſuperiori diſſertatiooe tradidimus, cùm eam juxta proportionem & analogiam vitæ corporalis & civilis ad ſpiritalem interpretati ſumus: ut ſicut in productione carnis priùs generatur proles, poſtea augetur, deinde alimentis ſota reficitur, & ſaginata invaleſcit, remediis deinceps in infirmitate curatur, & languor ex infirmitate relictus, linimentis aliisque ſolatiis depellitur: ita nova in Chriſto creatura Baptiſmo regeneratur, Confirmatione adoleſcit & munitur, Euchariſtiâ paſcitur, medelam invenit io pœnitentia, io extrema unctione vigorem. Rurſum, quia homo eſt animal civile, conſuetudinis & ſocietatis amans, duo poſtulat, ſine quibus Reſpublica ſive politica, ſive Chriſtiana, felicem & florentem perennitatem aſciſcere oequaquam poteſt; propagationem nimirum ſpeciei, & multitudinis regimen: horum priori matrimonii, quo genus humanum renovatur & perenoat, beneficio; poſteriori ſacratum ordinationum ritu & miniſtrorum hierarchia proviſum eſt.

Convenieoter igitur, ut cum Salomone Proverbiorum 9. loquar, *Sapientia*, (id eſt, Chriſtus Sapientia Patris) *ædificavit ſibi domum*, (id eſt Eccleſiam, quam eſt uſque ad conſummationem ſæculi incultorus,) & *excidit columnas ſeptem*, id eſt, ſeptem Sacramenta, quibus Eccleſiam munivit, & inſtruxit. Hæc ſunt planetæ ſeptem, quibus Eccleſiæ cælum adornatum, gratiarum fluenta pleniſſima io animos irrigandos, vegetandosque derivat. Hæc ſunt oculi ſeptem ſuper lapidem unum, ut verbis Zachariæ *cap. 3.* utar, quibus Deus Eccleſiæ lapidi angulari innixæ neceſſitates proſpiciens, auſert iniquitatem terræ, ut ibidem dicitur. Hæc ſunt ſeptem lucernæ, de quibus allegoricè *Exodi 25.* dictum eſt: *Facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo,*

adverſo. Illis enim tota illuſtratur Eccleſia. Hæc ſunt ſtellæ ſeptem, quas Joannes in dextera Chriſti venerabundus vidit Apocalyp. 1. *Et habebat*, inquit, *in dextera ſua ſeptem ſtellas.* Quibus Salvatoris benefica manus radios lucis, & fœcunditans influxus jugiter fundit. Hæc ſunt ſeptem lampades ardentes, quas idem Joannes vidit ante thronum: *Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.* Illis enim fidelium accendit lumen tenſibus, infundit amorem cordibus, & ſeptem Spiritus ſancti donorum beatiſſimam copiam largitur. Hæc denique ſunt ſeptem crines Samſonis, in quibus tota erat ſita fortitudo ejus, ut habetur Judicum 16. *Vocavit tonſorem*, inquit ſacer textus de Dalila, *& raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & a ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.* In ſeptem ſiquidem Sacramentis omnes Eccleſiæ nervi, vires omnes conſiſtunt, quibus vel infrequenti uſu ſublatis, vel ſacrilegâ conſcientiâ ſuſceptis, ſtatim à fidelibus ſpiritualis fortitudo diſcedit. Sed in his hærere ampliùs non vacat, quia magis illa clareſcent poſtquam ſingulorum Sacramentorum naturam & dotes explicuerimus. Illud tamen minimè prætermittendum eſt, ſeptenarium numerum perpetuo Eccleſiæ uſu retentum, & à Concilio Florentino in decreto Armenis tradito, nec-non Tridentino *ſeſſ. 7. can.* 1. definitum, Lutheranos primùm, Calvinianos deinde Chriſti Eccleſiæ, & totius pietatis hoſtes convellere niſos eſſe, quorum ſophiſmatis ſine negotio occurres, ſi advertas primùm, quòd licèt numerus formalis Sacramentorum in Scripturis non exprimatur, ſatis eſt tamen, quòd res numeratas, unde concluditur numerus, indigitent. Secundò veriſſimum eſt, quod ajunt Patres, Chriſtum pauciſſima inſtituiſſe Sacramenta; tum quia comparatione veterum cæremoniarum & ſacrificiorum nullo certo numero comprehenſorum pauca, imò & pauciſſima ſeptem Sacramenta dicuntur. Tum quia nec omnia omnibus conferuntur, & quorumdam ſemel ſuſceptorum alia nunquam, alia raro iterantur.

CAPUT I.

Quæ de Baptiſmo apud omnes in confeſſo ſunt, ſtatuuntur.

AB illo Sacramento primordia meritò ſumimus, quo in vita ſpiritali generari, & in Chriſto naſci datum eſt, quod eſt chriſtianæ vitæ janua, per quam in novæ vitæ ſocietatem ingreſſi, Evangelii præceptis obligamur. Hinc Dionyſius baptiſmum *principium ſanctiſſimorum mandatorum* appellavit. Hinc etiam Auguſtinus *tract. 11. in Joannem*, præclarè ſcripſit: *Duæ ſunt nativitates, una de terra, alia de cœlo; una de carne, alia de ſpiritu; una de mortalitate, alia de æternitate; una de maſculo & fœmina, alia de Deo & Eccleſia: illa facit filios carnis, hæc ſpiritus; illa filios mortis, hæc reſurrectionis; illa filios ſæculi, hæc filios Dei; illa filios iræ, hæc filios miſericordiæ; ac per hoc illa peccato originali obligatos, iſta omni vinculo peccati liberatos.*

Porrò, quia in tam auguſtarum rerum, qualia ſunt Sacramenta, tractatione operæpretium eſt, quæ de illis unanimis Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tradit, à dubiis ſcholæ controverſiis ſejungere, ne rebus graviſſimis pondus ſubtilium permixtione detrahamus, hoc capite, quæ apud omnes certa ſunt, ſupponemus, ſequenti, ſi quæ ſunt, ſcholaſticas difficultates deciſuri.

SPECULATIO I.

Baptiſmatis eſſentia, exiſtentia, forma, nec-non miniſter, atque ſubjectum exponuntur.

EſSentia Baptiſmatis ex ejus definitione, & variis illius nominibus, quibus à Patribus inſignitum eſt, innoteſcet.

Definitio & nomina Baptiſmi.

Eſt autem hæc legitima Baptiſmi definitio: *Baptiſmus eſt externa corporis ablutio, facta ſub præſcripta verborum forma a Chriſto inſtituta, interiorem animæ à peccato liberationem, & ſpiritalem regenerationem cauſans.* Dicitur *externa*, quia Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia & aſpectabilia. Dicitur *ablutio*, quia ut ait D. Thomas, Sacramenta hominem in ſui applicatione ſanctificant, aqua verò non niſi ablutione applicatur. Cæteras particulas intelliges, ſi ea recolas, quæ de Sacramentis generatim oſtenſa ſunt, eâ nimirum materiâ & formâ conſtare, illorum authorem eſſe Chriſtum, & cuilibet proprium reſpondere effectum, ſigillatim deinceps exponendum.

Eſſentiam hujus Sacramenti meliùs intellexerit, qui nomina, quibus à Patribus & Doctoribus inſignitum eſt, perpenderit. In primis appellatur Baptiſmus à Græco Βάπτω, vel Βαπτίζω, id eſt, immergo, quia in Baptiſmo aqua aſpergimur. Imò in primiva Eccleſia, etſi Baptiſmus per aſperſionem & effuſionem aquæ interdum celebrabatur, ut plurimùm tamen immerſione miniſtrabatur, quòd hujuſmodi cæremoniâ figura ſepulturæ Chriſti expreſſiùs ſignificaretur. Qui uſus tempore ſancti Thomæ erat familiaris, uti teſtatur ſanctus Doctor *quæſt. 66. art. 7.* his verbis: *Quamvis tutius ſit per modum immerſionis baptizare, quia hoc habet communior uſus; poteſt tamen fieri Baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis.* Quia, ut addit reſponſione ad 1. *ea quæ ſunt per accidens, non variant ſubſtantiam rei. Per ſe autem requiritur ad Baptiſmum corporalis ablutio per aquam, unde & Baptiſmus lavacrum nominatur, ſecundùm illud Epheſiorum 5. Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ. Sed quòd fiat ablutio hoc vel illo modo, accidit Baptiſmo, & ideo talis diverſitas non tollit unitatem Baptiſmi.* Viget etiam modò in Eccleſia Orientali immerſio, unde quia totos infantes in aquam mergunt, eam calefacere ſolent. Attamen Eccleſia Catholica ſoli ablutionis aſperſione, & perfuſione, nec ſine Spiritus ſancti afflatu contenta eſt; tum propter miniſtri debilitatem, qui baptizandum, præſertim adultum ſuſtinere vix poſſet; tum ob tenerrimorum parvulorum ſalutem, quibus poſſet ex trina immerſione imminere periculum. Et certè cùm *Actorum 7. & 4.* nunc tria millia, nunc quinque millia hominum uno die Apoſtolos baptizaſſe dicatur, non eſt veriſimile tantam multitudinem immergi potuiſſe. Uniuſcujuſque tamen Eccleſiæ, qui jam obtinuit, ritus religioſè retinendus, nec privatâ authoritate mutandus eſt. Hinc Gregorius Magnus *lib. 1. epiſt. 41.* ſic habet: *De trina merſione baptiſmatis nihil reſponderi veriùs poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis, quia in una fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa.* Videatur Cyprianus *libro 4. epiſt. 4.* ubi ait: *Nec quemquam movere debet, quòd aſpergi, vel perfundi videntur ægri, cùm gratiam divinam conſequuntur*, (qui propterea

Clinici,

Clinici, id eſt, in lectulis baptizati olim dicebantur;) quando Scriptura ſacra per Ezechiam Prophetam loquitur, & dicit: *Et aſpergam ſuper vos aquam mundam. Unde apparet, aſperſionem quoque aquæ ſalutaris lavacri ſalutaris obtinere; & quando hæc in Eccleſia ſiunt, ubi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia, & conſummari ac perfici poſſe majeſtate Domini, & fidei veritate.*

Appellatur etiam Baptiſmus *regeneratio*. Ad Titum 3. *Per ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.* Ubi alludit ad verba Salvatoris: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, ut habetur *Joan.* 3. Quia per Baptiſmum filii hominum filii Dei evadunt, & primam gratiam recipiunt, qui peccato originali ſordebant. Unde Auguſtinus *libro 3. de Symbolo, cap.* 10. hæc ait: *Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita, prævenit gratia etiam ipſam infantiam, ut ſint liberi per Chriſtum liberati, qui à diabolo in Adam tenebantur ante captivi.* Et S. Chryſoſtomus hom. ad baptizandos: *Et ob quam, inquit, cauſam, ſi lavacrum nobis omnia peccata dimittit, non lavacrum remiſſionis dicitur, nec lavacrum purificationis, ſed lavacrum regenerationis? Quia nobis ſimpliciter peccata dimittit, nec ſimpliciter nos puros à delictis oſtendit, ſed tanquam denuò generatos efficit. Nam denuò nos condit & efficit, non de terra componens iterum, ſed ex alio elemento aquarum natura nos procreans. Non enim vas ſimpliciter purgat, ſed integrum iterum conflat.* Quia nimirum ad priſtinam gratiam & divinæ naturæ imaginem protoparentis peccato amiſſam, Baptiſmo reformatur, quemadmodum artifex, qui materiæ alicujus perditam formam reſtituit, regenerare, ac reformare imaginem dicitur.

Vocatur prætereà Baptiſmus ab Apoſtolo *Hebr.* 6. & 10. Sacramentum illuminationis. *Impoſſibile eſt*, inquit priori loco, *eos qui ſemel illuminati ſunt, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam. Rememoramini priſtinos dies*, addit poſteriori loco, *in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* Tempus inibi ſignificans, quo fuerant baptizati. Quia nimirum in hoc Sacramento habitus ſupernaturalis fidei infunditur, quâ homo cœleſtium veritatum luce illuſtratur; ideoque baptiſma *Sacramentum fidei*, ab Ambroſio *lib. 1. de Spiritu ſancto, cap.* 3. & ab Auguſtino *epiſt.* 23. & à Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 7. dicitur. Hinc Baſilius oratione quâ adhortatur ad Baptiſmum, ſic fatur: *Neque corpus non reſpirans, neque anima Conditorem non cognoſcens, fieri poteſt ut illud vivat, hoc conſiſtat. Quippe Dei ignoratio mors eſt animæ; qui verò non baptizatus eſt, non illuminatus eſt: abſque luce autem neque oculus quæ ſua ſunt, videre poteſt, neque anima ſpeculationem aſſumere valet.* Et antea ipſum Dionyſius *cap. 3. Eccleſiaſtica Hierarch.* ſcripſit: *Sic etiam ſacroſanctum divinæ generationis Sacramentum, quoniam homines primi luminis participes facit, principiumque eſt omnium divinarum illuſtrationum, ex eo quod efficitur, vero illuſtrationis nomine celebratur. Etſi enim commune eſt omnium etiam cæterorum, quæ Pontificem attingunt, eos qui initiantur, ſacri luminis participes facere; attamen hoc mihi primum videndi munus conceſſit, ejuſque lumine, quod principatum tenet, ad alia Sacramenta videnda illuſtror.*

Nominatur etiam ab aliis generale Chriſtianorum *ſigillum*, ſeu *ſignaculum*, ut videre eſt apud Damaſcenum *lib. 4. cap.* 10. quo publicâ fidei proteſtatione ab infidelibus diſcernimur, ita ut nemo quantumvis omnia Chriſtianæ Religionis dogmata corde teneat & credat, inter fideles tamen non computetur, niſi hoc fuerit ſolenni ſigno initiatus. Unde catechumeni, quâmlibet ſincero corde articulo fidei crederent, & ore etiam Symbolum recitarent, nunquam tamen, teſte Auguſtino *lib. 8. confeſſ. cap.* 2. & *tract. 11. in Joannem*, in numero fidelium habiti ſunt, quamvis parvulos nec per ſe corde credere, nec ore profiteri fidem valentes, fidelibus ſuis ſemper Eccleſia accenſuerit. Hinc Auguſtinus *epiſt.* 28 baptiſmum *Sacramentum Chriſtianæ ſocietatis* appellavit.

Denique ab aliis Baptiſmus *cuſtodia*, ſeu *præſidium* nominatur, quia per ipſum ad familiam Chriſti pertinentes ſpecialiori divini Numinis providentiâ, tanquam cives Sanctorum & domeſtici Dei gubernantur. Vel etiam, quia per Baptiſmum datur nobis Spiritus ſanctus, qui quod Chriſtus nobis acquiſivit, cuſtodit in nobis, juxta illud præclarum Auguſtini *ſerm. 1. feriæ 2.* Pentecoſtes: *Venit Vicarius Redemptoris Spiritus ſanctus, ut beneficia quæ Salvator Dominus inchoavit, Spiritus ſancti virtute conſummet; & quod ille redemit, iſte ſanctificet; quod ille acquiſivit, iſte cuſtodiat.*

Sunt & alia nomina, quæ Baptiſmus ſortitur, apud veteres obvia, quibus tanti Sacramenti virtus & præſtantia adverſus eos, qui Sacramentis omnem internæ ſanctificationis vim adimunt, nudamque ſignificationem aſſerunt, exprimitur. Nec mirum eſſe debet, uti Nazianzenus oratione in ſanctum lavacrum obſervat, ſi Baptiſmus tot nominibus deſignetur, cùm Chriſtus in ipſo tam mira operans, multis ac diverſis nominibus appelletur. Unde ut ibidem ait, hoc Sacramentum *donum dicitur, quia iis qui nihil priùs contulerunt, datur. Baptiſmus, quia peccatum in aqua ſepelitur. Unctio, quia ſacer & regius; hujuſmodi enim ea erant, quæ ungebantur. Illuminatio porrò, quia ſplendor & claritas. Indumentum, quia ignominiæ noſtræ velamen eſt. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conſervatio eſt.* Tot ergo donatur Baptiſma nominibus, quòd tot mirabilia paucis aquæ guttis, & nonnullis verbulis divinâ virtute operatur, quæ fidem tametſi non ſuperent, admirationem tamen cient & rapiunt. Unde præclarè Tertullianus *lib. de Baptiſmo*, dixit: *Qualia decet eſſe opera Domini, niſi ſuper omnem admirationem? Mirandum ſane, quòd ſine pompa, ſine apparatu, ſine ſumptu in aqua demiſſus, inter pauca verba tinctus, inde exſilit innocentior. Ne mireris propterea hæc ſimplicia, quaſi vana; hæc magnifica, quaſi impoſſibilia: quia alias denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem.* Cui conſonat illud Auguſtini, in alia tamen materie uſurpatum. *Sed nova ſunt, ſed inſolita ſunt, ſed contra naturæ curſum notiſſimum ſunt; quia magna, quia divina, & eò magis vera, certa, firma.*

Exiſtentia & inſtitutio Baptiſmi.

Exiſtentia Baptiſmatis ex inſtitutione Chriſti demonſtrabitur; non enim poteſt illud in Eccleſia non exiſtere, quod eſt ad hominum ſanctificationem à Chriſto permanenter inſtitutum. Quamvis autem Baptiſmum à Chriſto inſtitutum fuiſſe, clariſſima novi Teſtamenti teſtimonia ſignificent, de tempore tamen inſtitutionis ambigunt Theologi.

logi. Quorum alii tunc inſtitutum fuiſſe baptiſma cenſent, quando Dominus *Joan.* 3. Nicodemo dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Alii inſtitutionem in illud tempus rejiciunt, quo Chriſtus in cælum aſcenſurus diſcipulis dixit, Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Sed longè probabilior eſt opinio S. Thomæ *quæſt.* 66. *art.* 2. docentis Baptiſmũ fuiſſe ante Chriſti mortem inſtitutum, eo videlicet die, quo à Joanne in Jordane Salvator impleturus omnem juſtitiam, baptizatus eſt. Ita enim colligitur ex illo Joan. 3. *Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli ejus in Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat,* per manus ſcilicet diſcipulorum, ut habetur *cap.* 4. *ſequenti,* his verbis: *Quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Quod intelligi non poteſt cum Alenſi, de Baptiſmo Joannis. Tum quia diſcipuli Joannis adversùs illud Chriſti baptiſma admurmurantes, apud Joannem conqueſti ſunt; quod utique non feciſſent, ſed potiùs gaudere debuiſſent, nec fuiſſet locus invidiæ, ſed lætitiæ, ſi Baptiſmum Ioannis Chriſti diſcipuli adminiſtraſſent. Tum ipſemet Baptiſta non ſemel ſuum inter & Chriſti Baptiſmum diſcrimen inſtituit, quòd ſuus erat tantùm diſpoſitio ad Chriſtianum; unde diſcipulis conquerentibus dixit: *Non ſum ego Chriſtus, ſed quia miſſus ſum ante illum, illum oportet creſcere, me autem minui.* Creſcit autem Chriſtus, & ejus fides per filiorum ſpiritalem in Baptiſmo procreationem. Unde certum eſt, ante Paſſionem Chriſtum ſuo baptiſmate baptizaſſe, ut docet Auguſtin. *lib. de unit. Eccleſiæ, cap.* 21. & *tract.* 5 *in Ioan.* & *lib.* 3. *de anima & origine, cap.* 9. *epiſt.* 108. & alibi. Tum quia ordo conveniens exigebat, ut priùs Apoſtoli chriſtiani baptiſmatis lavacro mundarentur, quàm ut Sacerdotes & Epiſcopi conſecrarentur; quos tamen ante Paſſionem fuiſſe in ſacrorum miniſtros inſtitutos, certiſſimum eſt. Unde priùs diſcipulos baptizarat, qui etiam ad eorum pedes lavandos poſtea ſe demiſit.

Id ipſum videtur Patribus magis conſonum; ſacri enim Doctores communiter aſſerunt, Chriſtum in Jordane contactu ſuæ mundiſſimæ carnis, aquas ſanctificaſſe: *Baptizatus eſt Domin*⁹, inquit Ambroſius lib. 2. in Luc. cap. ultimo, *non mundari volens, ſed mundare aquas, ut abluta per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, baptiſmatis jus haberent.* Et Auguſtinus *ſerm.* 1. *Dominica infra octavam Epiphaniæ, ſeu* 36. *de tempore: Quale baptiſma, ubi purior eſt fonte ille, qui mergitur; ubi dum ſuſceptum aqua diluit, non ſordibus inficitur, ſed benedictionibus honoratur! Quale baptiſma, inquam, in quo purgantur potiùs fluenta quàm purgant! Novo enim ſanctificationis genere Chriſtum non tam lavit unda, quàm lota eſt. Ex quo enim Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumq; fontium venas myſterio baptiſmatis conſecravit, & quiſquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluit, quàm Chriſti unda purificat: Salvator autem ideo baptizari voluit, ut non ſibi munditiam acquireret, ſed ut nobis fluenta mundaret.* Unde & tunc Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparuit, & vox Patris audita eſt, ut ſimul cum materia, & forma in nomine Trinitatis proferenda deſignaretur. Unde Auguſtinus *lib. de mirabilibus Scripturæ, cap.* 5. ait, apparuiſſe columbam, & cælum apertum fuiſſe, *ut Baptiſmi Sacramentum quid valeret, oſtenderet.* Non quòd vim aliquam inſitam regenerativam omnibus aquis contulerit, ſed quia Baptiſmi inſtitutione eas ad regenerandos homines ordinaverit, & ordinatione illa conſecraverit, ut ait S. Maximus hom. 1. Epiphaniæ: *Sicut veteris paternæ traditionis inſtruimur, ferunt hodie Chriſtum Dominum noſtrum ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, conſecraſſe fluenta Iordanis, ſuumq; ſimul purificaſſe Baptiſmum.*

Ratio etiam S. Thomæ optima eſt. Tunc enim videtur aliquod Sacramentum inſtitutum, quando virtutem ſuos producendi effectus accepit: hanc autem virtutem habere cœpit baptiſma, quando Chriſtus eſt baptizatus; tum quia juxta Patres, tunc aqua in materiam Baptiſmi deſignata, & veluti conſecrata eſt. *Ex quo Chriſtus aquis immergitur,* inquit Auguſtinus ſerm. 36. *ex eo omnium peccata abluit aqua.* Tum quia cùm Chriſtus Baptiſmum ante Paſſionem inſtituerit, nec aliud poſſit inſtitutionis ante Paſſionem tempus convenientius deſignari, relinquitur eo die Baptiſmum fuiſſe inſtitutum.

Fateor tamen, tunc adhibendi baptiſmatis neceſſitatem minimè indictam fuiſſe. Tum quia circumciſionis uſus uſque ad paſſionem duraturus erat; nam toto tempore paſſionem antecedente, teſtibus Hieronymo & Auguſtino, legalia nec mortifera erant, nec mortua, cùm ipſe Chriſtus leproſo præceperit ſecundùm legem Moſis adire Sacerdotem, & Agnum Paſchalem in ultima cœna ipſemet immolaverit. Non verò congruebat homines duplici Sacramento ad eandem primam gratiam conferendam, idemque primigenium peccatum delendum gravari. Unde in una duntaxat Chriſti paſſione figuralia omnia Sacramenta terminata ſunt, quibus Baptiſmus, & alia novæ legis Sacramenta ſucceſſerunt. Tum quia per Baptiſmum configuratur nova creatura paſſioni & reſurrectioni Chriſti, in quantum peccato mortuus homo novam incipit viam juſtitiæ, juxta illud Apoſtoli Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Ubi Chryſoſtomus *hom.* 10. ait: *Quid eſt in morte? Scilicet ut nos ipſi cum illo moriamur. Crux eſt nobis Baptiſma. Quod Chriſto crux & ſepulchrum, hoc etiam Baptiſmus nobis fuit. Ille carni mortuus & ſepultus eſt, nos peccato.* Et ideo oportuit Chriſtum priùs pati, priùsque reſurgere, quàm ut hominibus neceſſitas ſe morti & reſurrectioni Redemptoris configurandi, præceptúmque imponeretur. Nam per Baptiſmum non ſolùm peccato mori dicimur, ſed etiam ſepeliri, & reſurgere, juxta illud Apoſtoli Coloſſ. 2. *Conſepulti Baptiſmo ei, in quo & reſurrexiſtis.*

Nec obeſt, quòd ante Paſſionem dixerit Dominus Nicodemo, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Non obeſt, inquam: tum quia ut *art.* 2. *ad* 3. ait ſanctus Thomas, *Hoc magis videtur ad futurum reſpicere, quàm ad præſens tempus.* Tum quia, ut docet Bernardus *epiſt.* 77. tunc privata erat baptiſmatis & legis novæ explicatio, cujus poſtea præceptum & generalis obligatio imponi debebat. Unde verba illa appellat præceptum vitæ, cæleſte edictum, novi myſterii decretum, etſi adhuc ſecretum; legem prolatam, etſi nondum promulgatam. Quia, ut dictum eſt, in ſola Paſſione Chriſti omnes legales cæremoniæ extinctæ ſunt, quemadmodum etiam in ejus morte velum templi ſciſſum eſt. Hinc Magnus Leo *ſermone* 7. *de Paſſ.* hæc profert: *Traxiſti, Domine, omnia ad te, quoniam ſciſſo templi velo, Sancta ſanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, ut figura in veritatem, prophetia*

in

in manifeſtationem, & lex in Evangelium verteretur, ut quod in uno Judææ templo obumbratis ſignificationibus tegebatur, aperto Sacramento univerſarum nationum devotio celebraret. Unde non magis verbis illis ad Nicodemum Chriſtus Baptiſmum inſtituit, quàm cùm diſcipulis & turbis Judæorum dixit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde *epiſt.* 4. *cap* 3. idem S. Leo docet, poſt reſurrectionem Dominum tradidiſſe diſcipulis formam, & omnes ad Baptiſmum obligandi poteſtatem. *De quo utique eos etiam ante Paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi, regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe.* Et *cap.* 6. *ejuſdem epiſtolæ*, dicit Chriſtum tunc regenerationis potentiam ſanxiſſe, quando de latere ipſius profluxerunt ſanguis redemptionis, & aqua baptiſmatis. Non quòd tunc ſolùm Baptiſma inſtitutum ſit, ſed quia eo tempore comparatum eſt meritum conſummatum, & perſolutum pretium, ex quo Baptiſmus, & cætera Sacramenta virtutem ſortiuntur. Qua de causâ dixit Auguſtinus *tract.* 15. *in Joan.* de latere Chriſti Sacramenta Eccleſiæ fluxiſſe. Itaque poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti, extinctâ lege Moſaicâ, Baptiſmi, & novæ Legis obligatio cœpit. Tranſlato enim ſacerdotio, ut dicitur *Hebr.* 7. neceſſe eſt, ut legis tranſlatio fiat. Tunc, laudatus Magnus Leo proſequitur, umbræ ceſſerunt corpori, antiqua obſervantia novo excluſa eſt Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſiit, ſanguine ſanguis ablatus eſt, & legalis feſtivitas, dum mutata, impleta. Quia nimirum in ſacrificio mortis Redemptoris, & Agni immaculati, ſacerdotium Aaron in Chriſtum tranſlatum eſt; unde *Hebr.* 9. dicitur: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æternâ redemptione inventâ.*

Dices primò: Judæus auditâ Chriſti doctrinâ, viſiſque ſtupendis ejus miraculis, tenebatur Chriſti ſe legi mancipare, & effici Chriſtianus: ſed ſine Baptiſmo id non poterat, cùm Baptiſmus ſit primus religionis illius ingreſſus, prima ad ſalutem via. Ergo ante Paſſionem Chriſti Baptiſmi ſuſcipiendi lex obligabat. Maximè, quia Ethnicus, qui ad Chriſtum nondum paſſum convertebatur, in remedium peccati originalis non circumcidi debebat, ſed baptizari.

Reſpondeo, omiſſis variis ſolutionibus, toto illo temporis interſtitio Judæum, vel Gentilem ad Chriſtum converſum, debuiſſe Chriſto obtemperare, & divinis ejus conſiliis morem gerere: quia cùm ipſe ſit Sacramentorum author, & gratiam juſtificationis abſque illis inſtrumentis nondum inſtitutis vel indictis conferre poſſit, (ſicut Magdalenæ peccata ſine pœnitentiæ Sacramento remiſit,) ideò ſincerâ præceptorum ejus obſervantiâ à fide Chriſti profectâ Chriſtiani facti fuiſſent, & ut veriùs crediderim, Baptiſmo etiam abluti fuiſſent, ſicut plures à Chriſto per diſcipulos fuiſſe baptizatos legimus, *Joan.* 3. Et Apoſtolos ante Paſſionem fuiſſe baptiſmate ablutos, eſt veritati conformius, ut colligit Auguſtinus ex illo Joan. 13. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* Lotus autem erat Petrus, quia jam Baptiſmo Chriſti erat antè baptizatus. Addit idem Pater *epiſt.* 163. non eſſe veriſimile, Chriſtum voluiſſe Euchariſtiam non baptizatis diſtribuere.

Dices ſecundò: Poſt Reſurrectionem Chriſti Apoſtoli circumciſionem, & alios legales ritus frequentârunt, ut ex Actibus Apoſtolorum liquet, & ipſe Apoſtolus legis gratiæ tantoperè ſtudioſus, qui que Petrum Eccleſiæ Principem circa legalia nimis ſolicitum, in faciem reſiſtens reprehenderat, Timotheum *Actorum* 16. ipſe circumcidit. Princeps etiam Apoſtolorum, approbante ſacro Coapoſtolorum Concilio, afflante Spiritu ſancto, legalia quædam, abſtinentiam nimirum à ſuffocato, ſanguine, & ab immolatis ſimulachrorum retinuit, & mandavit. Ergo non ſtatim à Paſſione & Reſurrectione Chriſti urgere cœpit baptiſmatis obligatio; quippe quæ non erat ante prædicationem Evangelii ſufficienter promulgata, nec promulgari debuerat, niſi completis Religionis Chriſti myſteriis, Aſcenſione nimirum, & miſſione Spiritus ſancti, ſacro die Pentecoſtes peractâ.

Reſpondeo, quòd ſicut homines mortui aliquantulùm ſervantur, ut honorificentiùs ſepeliantur, ita legalia, quæ antiqui piè & fideliter obſervabant, Apoſtoli omnibus omnia facti, ut omnes ſalvos facerent, aliquandiu retinuerunt; tum ne Judæos paternarum traditionum æmulatores exaſperarent; tum ne Judæorum ritus ex ſe abominabilis crederetur, ſi non ſeciùs ac Gentilium ceremoniæ, ſubitò abigeretur. *Nam Gentilitatis ritus,* inquit S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. ad 1. *repudiabatur tanquam omninò illicitus, & à Deo ſemper prohibitus. Ritus autem legis ceſſabat tanquam impletus per Chriſti Paſſionem, utpote à Deo in figuram Chriſti inſtitutus. Non autem peccavit Petrus* (addit ad 2.) *in hoc, quòd ad tempus legalia obſervabat* (quæ etiam Paulus obſervavit; quâ autem fronte, ut Hieronymus ait, quâ audaciâ Paulus in faciem reſiſtens Petrum reprehenderit, quod ipſe commiſerat, dum Timotheum circumcidit, dum nudipedalia exercuit de cæremoniis Judæorum, dum caput raſit, dum obtulit ſacrificia, & hoſtias immolavit, ne ſcandalizarentur, qui ex Judæis erant;) *ſed peccabat in hoc, quòd circa legalium obſervantiam nimiam diligentiam adhibebat, ne ſcandalizaret Judæos; ita quòd ex hoc ſequeretur Gentilium ſcandalum.* Abſtinentias porrò præfatas retinuerunt ad tempus Apoſtoli, *non ad obſervandum ceremonias legis*, inquit ibidem ſanctus Thomas ad 3. *ſed ad hoc, quòd poſſet coaleſcere unio Gentilium & Judæorum ſimul habitantium. Judæis enim propter antiquam conſuetudinem ſanguis & ſuffocatum erant abominabilia; comeſtio autem immolatorum ſimulachris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad idololatriam: & ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante causâ ceſſavit effectus, manifeſtata evangelica doctrina veritate, in qua Dominus docet, quòd nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, ut dicitur Matth.* 15. *& quòd nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut* 1. *Timoth.* 4. *dicitur. Fornicatio autem prohibetur ſpecialiter, quia Gentiles non reputabant eam peccatum.* Quòd verò dicitur, legem Baptiſmi non fuiſſe ſufficienter à Chriſti reſurrectionis tempore promulgatam, probat quidem, excuſatos fuiſſe eos, qui illius juris poſitivi ignorantiâ ad Baptiſmum ſuſcipiendum non accedebant; ſed non convincit ejus legis conſcios fuiſſe à baptiſmate recipiendo immunes. Nec debuit expectari myſteriorum omnium Chriſti complementum, ſicut jam non expectatur judicii Chriſti, quod omnium functionum ejus coronis eſt, & conſummatio. Cùm præfer-

præſertim ea tunc conſummata eſſent myſteria, unde totam haurit Baptiſmus efficacitatem, dicente D. Thoma 1. 2. quæſt. 103. art. 3 ad 2. *Myſterium redemptionis humani generis completum fuit in paſſione Chriſti; unde tunc Dominus dixit, Conſummatum eſt, ut habetur Ioan. 19. Et ideo tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, quaſi jam veritate eorum conſummata. In cujus ſignum in paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum, Matth. 27. Et ideo ante paſſionem Chriſti Chriſto prædicante, & miracula faciente, currebant ſimul Lex & Evangelium; quia jam myſterium Chriſti erat inchoatum, ſed nondum conſummatum. Et propter hoc mandavit Chriſtus Dominus ante paſſionem leproſo, ut legales cæremonias obſervaret.* Quæ verba S. Doctoris de paſſione ut completa per reſurrectionem, juxta ſuperiùs dicta, intelligenda eſſe arbitramus, ſecundùm illud Auguſtini à D. Thoma *art.* 4 memoratum, & *ex lib. 19. contra Fauſtum, cap.* 16. excerptum: *Chriſtus jam non promittitur naſciturus, paſſurus, reſurrecturus, quòd illa Sacramenta quodammodo perſonabant; ſed annunciatur, quòd natus ſit, paſſus ſit, reſurrexerit; quod hæc Sacramenta, quæ à Chriſtianis aguntur, jam perſonant.*

Remota baptiſmatis materia eſt aqua naturalis, proxima verò ablutio.

Prior pars infinitis poſſet Scripturarum, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis comprobari; ſed quid egemus teſtibus ad eam veritatem confirmandam, quam traditio perennis, & communis Eccleſiæ ſenſus, ac praxis manifeſtant? Convenienter porrò hæc materia à Chriſto Domino electa eſt; tum quia cùm Baptiſmus ſit omnibus maximè neceſſarius, eâ congruè materiâ conſtare debuit, quæ nunquam, & nullibi non præſtò eſt; quæve ubique, & ab omnibus abſque negotio poteſt inveniri. Tum quia cùm ad abſtergendas corporis ſordes aqua ſit peridonea, præclarè effectum Baptiſmi, cujus eſt veteris hominis inquinamenta mundare, deſignare nata eſt. Et licèt hanc ſpiritalem mundandorum animorum virtutem aqua naturâ ſuâ non habeat, eam tamen divinitùs obtinet, ut his egregiis verbis docet Magnus Leo ſerm. 5. de Nativit. *Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte baptiſmatis: & obumbratio Spiritus ſancti, quæ fecit ut Maria pareret, eadem facit ut aqua regeneret.* Et ſerm. 4. *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis inſtar eſt uteri virginalis eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum quod ibi evacuavit ſacra conceptio, hic ſolvat ablutio.* Ultrà progreditur Auguſtinus, dum ſermone 36. de tempore, ſic ſcribit: *Penè majori munere, quàm Maria, unda ditata eſt. Illa enim ſibi tantùm meruit caſtitatem, iſta nobis contulit ſanctificationem. Illa meruit, ne peccaret; iſta, ut peccata purgaret: illa propria delicta à ſe repudiat, iſta in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi eſt collata virginitas, iſti eſt donata fœcunditas: illa unum procreavit, & pura eſt; iſta generavit plures, & virgo eſt: illa præter Chriſtum neſcit alium filium, iſta cum Chriſto mater eſt populorum.* Alias congruentias reflexione proxima referemus.

Diximus autem, aquam illam debere eſſe naturalem, ut docet Tridentinum *ſeſſ. 4. can.* 2. & ut ait D. Thomas, ſimplicem, id eſt elementatem, nec ita mixtam, ut ſolvatur ejus natura & ſpecies. Unde omnes aquæ artificiales, ſeu humores & ſucci è floribus aut plantis eliquati; aquæ etiam adeò liquoribus aliis perfuſæ, ut hujuſmodi mixtione corrumpantur; aquei etiam humores, ut ſudor, ſaliva, lacrymæ, non ſunt idonea Baptiſmi materia. Sed circa hæc legendi ſunt Theologi Morales, & Manualia Clericorum, nec-non D. Thomas *art.* 4. *& ad argumenta*

Poſterior pars affirmans, ablutionem eſſe proximam hujus Sacramenti materiam, ſuadetur. Applicatio materiæ remotæ à forma ſtatim determinatæ eſt materia proxima ſacramenti: ablutione autem applicatur aqua, quæ eſt remota hujus Sacramenti materia à verbis abluentis miniſtri determinata. Ergo ablutio proxima eſt Baptiſmi materia. Accedit, quod cùm Sacramentum Baptiſmi non in aliquo permanente, ſed in uſu & actione aliqua ſucceſſiva & fluente conſiſtat, nulla potiùs, vel opportuniùs aſſignari nequit, quàm ipſa ablutio, quæ & actionē baptizantis, & paſſionem ſignificat baptizati. Unde ad eam motus aliquis ſucceſſivus, & continuus requiritur, ratione cujus corpus verè ablui dicatur. Quare propriè ablutus minimè diceretur, qui unam aquæ guttulam in extremitate digiti reciperet. Hinc ſequitur, in glacie, nive, grandine, non valere baptiſmum; quia licèt hæc juxta plures Philoſophos ab aqua eſſentialiter non differant; quia tamen non fluunt, non ſunt ad abluendum idonea, donec liqueſiant. An autem ablutio debeat eſſe immerſio, vel aſperſio, ſuprà expoſitum eſt inter explicandum nomen Baptiſmi. Et præ oculis habendum eſt, quod licèt traditiones divinæ ab Apoſtolis tanquam Chriſti miniſtris traditæ nullâ poſſint authoritate mutari; ea tamen, quæ Apoſtoli, tanquam Paſtores & Præfecti Eccleſiarum conſtituerunt, ſummus Eccleſiæ Paſtor, ſi juſta cauſa interceſſerit, mitigare, & mutare conceſsâ ſibi divinitùs authoritate poteſt. De hac traditionum differentia alibi ſatis dictum eſt.

Porrò pulchrè obſervat Catechiſmus Romanus *part. 2. titulo de Baptiſmo, n.* 6. materiam Baptiſmi, aquæ nimirum ablutionem, variis eſſe & figuris, & Prophetarum oraculis præſignatam. Diluvium enim, quo mundus purgatus eſt, quando nimirum omnis caro corruperat viam ſuam, & tota humani cordis cogitatio intenta erat ad malum, hujus aquæ figuram, & ſimilitudinem geſſiſſe, Apoſtolorum Princeps in priori ſua epiſtola ſignificat. Maris etiam Rubri tranſitum hujus aquæ ſalutaris typum fuiſſe Apoſtolus 1. *Cor.* 10. oſtendit. In Naam Syri ablutione, quæ 4. *Regum* 5. commemoratur, & in probaticæ piſcinæ vi, hujus noſtri baptiſmatis myſteriorum ſymbolum extitiſſe nemo non judicabit. Non eſt etiam dubium, quin baptiſmum Chriſtianorum non prænuntiarit & Iſaias, dum omnes ſitientes venire ad aquas *cap.* 55. tam liberaliter invitavit; & Ezechiel, dum *cap.* 47. aquas è templo egredientes in ſpiritu vidit; & Zacharias, dum fontem patentem domui David paratum in ablutionem peccatoris & menſtruatæ, *cap.* 13. præmonſtravit.

Sed dices: Si aqua abluens ſit chriſtiani baptiſmatis materia, cur *Matth.* 5. ſit oppoſitio inter baptiſmum Joannis, & baptiſmum Chriſti, quòd ille eſſet in aqua, iſte in ſpiritu & igne; Cur etiam Stephanus II. in reſcripto ad Monachos Britannici Monaſterii, *cap.* 11. ait: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adſcribitur culpa; infantes ſic permaneant in baptiſmo.*

Reſpondeo, hanc ideò poſitam fuiſſe inter baptiſmum Joannis & Chriſti differentiam, quia baptiſmus Joannis erat tantùm in aqua, non in ſpiritu; baptiſmus autem Chriſti eſt in ſpiritu, non quòd

ſpiritus

ſpiritus materia ejus ſit, ſed quia à Spiritu ſancto totam haurit efficacitatem, ut ſpiritum humanum ſanctificet. Additur autem, *& igne*, vel ut ſignificaretur copioſa illa Spiritus in Apoſtolos effuſio in die Pentecoſtes futura, quando Spiritus ſanctus in Apoſtolos in linguis igneis deſcendit; vel ut indicaretur cordis contribulati pœnitentia, quâ animus expurgatur, juxta illud Chryſoſtomi, ſeu Authoris Operis imperfecti, hom. 3. in Matth. *Tentationis, & tribulationis baptiſmum igni comparat; comburit enim carnem, & eam coquit, ut nec citò concupiſcat, nec germinet concupiſcentias.* Unde patet, quàm graviter aberrârint Seleuciani, qui referentibus SS. Auguſtino & Epiphanio opere de hæreſibus, baptizandos adurebant, cùm ignem illum de elementari nunquam Patres, nunquam Eccleſiæ Paſtores intellexerint. Ad reſcriptum Stephani reſpondeo, vel non eſſe authenticum, vel ineptè conſtructum, unde ſic debet legi: *Nulla ei aſcribitur culpa, ſi ſic infantes permaneant.* Non quòd baptiſmum tanquam validum approbârit Pontifex, ſed excuſari voluerit à peccato, vel excommunicatione Presbyterum, qui in illo periculo extremo, nullâ inventâ aquâ, vinum per ſimplicitatem adhibuerat.

Inſtabis cum Calvino, aquam etiam metaphoricè intelligente de mortificatione aut tribulatione, quomodo accipitur in illo verſu Pſalmi 68. *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam:* vel de gratia Spiritûs ſancti, quæ aquæ *Joan.* 4. in Chriſti cum Samaritana colloquio comparatur: Non eſt major ratio, cur aqua quàm ignis metaphoricè intelligantur: ſed ignis metaphoricè accipitur in illo loco Matth. 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.* Ergo etiam cùm dicitur Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, aqua metaphoricè accipitur.

Reſpondeo, non minùs eſſe impium Calvini interpretamentum, quàm antiquum Seleucianorum errorem, utpotè peræquè à traditione Eccleſiæ, ab Apoſtolis derivata, & in plenariis Conciliis firmata, alienum. Nam SS. Patres aquam elementarem veram & naturalem, tanquam à Chriſto præceptam, ſemper adhibuerunt; ignem verò vel de linguis igneis in Apoſtolos delapſis, vel de proprietatibus Spiritus ſancti, qui inſtar ignis concupiſcentiam adurit, charitatem accendit, mentem illuſtrat; vel de purgatione in extremo judicio futura, ſemper interpretati ſunt, & quidem ad ipſam Scripturam conſentaneè. Nam ut benè obſervat Eſtius *in* 4. *diſt.* 3. §. 7. in loco Matthæi ignis poſtponitur Spiritui ſancto, *ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne:* in loco verò Joannis aqua præponitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*; ut daretur intelligi, ignis vocabulum adjunctum, id quod antecedit, determinare, & proprietatem Spiritus ſancti deſignare; aquam verò priori loco nominatam, non proprietatem Spiritus ſancti, ſed puræ aquæ naturam ſignificare. Cujus ſignum eſt, quòd Chriſtus facto doctrinam probans, & veluti interpretans, poſt illum cum Nicodemo habitum ſermonem, in Judæam in aqua baptizaturus, digreſſus eſt.

Legitima Baptiſmi forma eſt hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Ad tam conſtantem ſuadendam veritatem nihil opus eſt authoritatum momenta, quæ ubique proſtant, producere in medium; ſed ſatis erit, S. Thomæ convenientiam, quam profert *art.* 5. declarare. Valde congruit, ut cauſa Baptiſmi in ejus forma exprimatur, non ſolùm miniſterialis, quæ Sacramentum perficit; ſed etiam principalis, à qua tota verborum virtus ſacramentalis derivatur: forma autem præfata & miniſtrum exprimit, cùm dicitur: *Ego te baptizo*; & cauſam præcipuam deſignat, cùm dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Quæ ratio optimè quidem declarat, quàm congruè verba illa omnia Salvator deſiderârit; ſed non proptereà concludit, in omnibus Sacramentorum formis cauſarum Sacramenti mentionem fieri debere. Quamvis etiam addi poſſit, id ad formam Baptiſmi ſpeciali quadam ratione exigi, quia cùm baptiſma ſit omnium Sacramentorum janua, & totius vitæ ſpiritalis baſis & fundamentum, nihil juſtiùs eſt, quàm ut in exordio ſalutis Authorem ſalutis agnoſcamus, in ejuſque fidem, amorem, & gratiarum actionem effundamur, à quo creati in Chriſto Jeſu novum eſſe recipimus, & divinæ conſortes facti naturæ, à Patre per Filium in Spiritu ſancto regeneramur.

Sed operæpretium eſt, ſingulas particulas interpretari. Particula *Ego*, miniſtrum indicat, quamvis ly *ego*, non ſit de eſſentia; Eccleſia enim Catholica ritum formæ Græcorum approbat, in quo miniſtri perſona explicitè non ſignificatur. Eſt autem forma Græcorum hujuſmodi: *Baptizatur*, (non baptizetur, ut plerique Latinorum exiſtimant; in Græco enim habetur Βαπτίζεται, non Βαπτίζει, id eſt, baptizatur, non verò baptizetur) *ſervus Dei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Unde idem eſt utriuſque Eccleſiæ ſenſus, qui æquè per activum, atque per paſſivum exprimitur. Utuntur porrò Græci hoc modo loquendi, quia non defuerunt in Oriente, nec deinde in Africa hæretici, qui ſeipſos primarios Baptiſmi & Sacramentorum authores ſuperbiſſimè conſtituebant. Contra illos agit Auguſtinus *lib.* 50. *homiliarum, hom.* 23. eoſque modeſtiâ & humilitate Salvatoris confundit, qui Magdalenæ dixit, Dimittuntur ei peccata multa; nec virtutem dimittendorum peccatorum ſibi licèt eximiam verborum faſtu ſuæ poteſtati aſſeruit. *Medicus bonus*, inquit, *ægros non ſolùm præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat: futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, Ego juſtifico, Ego ſano, quemcunque baptizo.* Quæ ſuperbia tempore etiam Apoſtolorum fundamenta & ſemina jecerat in illis, quorum alii ſeſe baptizatos à Paulo, alii à Petro, alii ab Apoſtolo gloriabantur, quos Paulus 1. *Cor.* 1. reprehendit. Hinc Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Acta Apoſtolorum*, ponderans illud Salvatoris, *Vos autem baptizamini*, ait: *Non dixit Chriſtus, Vos verò ego baptizo in Spiritu ſancto; ſed, Baptizamini: nos docens, ut modeſtè de nobis ſentiamus.* Et *homilia* 8. *in Joannem*, eam extollit Chriſti modeſtiam, his verbis: *Intuere modum loquendi Chriſti ab omni jactatione, & oſtentatione alienum. Non enim dixit, Sanum te feci; ſed, Sanus factus es, jam noli peccare. Neque dixit, Ne te puniam; ſed, Ne deterius tibi aliquid contingat. In neutro perſonam ponens, & oſtendens, ſanitatem priùs tribuendam eſſe gratiæ, quàm meritis.* Ad conterendam igitur illam in Oriente exortam hæreticorum præſumptionem, modus loquendi paſſivus invaluit; & quia Latini de principali Sacramentorum Authore Chriſto orthodoxè ſemper ſenſerunt, ideo activum loquendi modum ſemper retinuerunt. Multa enim pro ratione temporum, locorum, & perſonarum prudens Eccleſia Mater conſtituit, quæ ceſſantibus illis circum-

ſtantiis non curat. Sic tempore Ignatii Martyris ob errorem Manichæorum, Sabbatho in honorem Dei Conditoris jejunantium, jejunio Sabbathi fidelibus interdixit. Sic propter eoſdem Manichæos ſpeciem vini in Euchariſtia non conficientes, ne veritatem mortis Chriſti fateri cogerentur, utriuſque ſpeciei uſum omnibus fidelibus indixit Magnus Leo *ſerm. 4. de Quadrageſima*; quem tamen non eſſe omnibus fidelibus neceſſarium, œcumenica Concilia declararunt.

Particula verò *Baptizo*, neceſſariò debet exprimi, quia ſignificat actum baptizandi more chriſtiano; cùm enim ablutio hominis in aqua variis de cauſis fieri poſſit, oportet ut verbis formæ ad quid fiat, determinetur. Particula verò *Te*, perſonam exprimit baptizandam; cùm enim Baptiſmi Sacramentum in uſu & applicatione materiæ conſiſtat, congruit ſubjectum, cui applicatur, exprimi. Particulæ *in nomine*, virtutem divinam toti Trinitati communem ſignificant; & ideo dicitur *in nomine*, non *in nominibus*, quia in nomine idem eſt, ac in auctoritate & virtute, quæ una & eadem tribus convenit perſonis; maximè, quia in hoc Sacramento fidei debemus eſſentiæ unitatem ſincerè, & ſolenniter profiteri. Denique exprimuntur nomina *Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Cujus congruentiam affert S. Thomas *ad 7*. Quia ſicut aqua aſſumpta eſt ad baptiſmum, quia ejus uſus ad abluendum communior eſt; ita ad tres Trinitatis perſonas deſignandas illa nomina adhibentur, quibus perſonæ divinæ communiùs & ſignificantiùs exprimuntur.

Unde communiter rejicitur ſententia Cajetani, exiſtimantis, validè poſſe conferri Baptiſma *in nomine Genitoris, & Geniti, & ab utroque Procedentis*; expreſsè S. Thomæ contradicentis, qui loco ultimùm citato ait, quòd *in aliis verbis non perficitur Sacramentum*. In quibus aliis verbis ea complexus eſt, quæ Cajetanus valida eſſe arbitratus eſt, ut patet ex argumento, ad quod reſpondet, in quo verba illa recenſentur. Nec valet gloſſa Cajetani dicentis, non perfici licitè Sacramentum; hæc quippe gloſſa textum deſtruit: licèt enim peccaret, qui inſolitis verbis uteretur, attamen ſi validè ageret, utique perficeret Sacramentum. Nec exiſtimandum eſt, hæc vocabula eſſe ſynonyma; tum quia nomen Geniti latiùs patet nomine Filii; ſubindeque nomen Genitoris nomine Patris: in nobis enim generantur vermes, qui non ſunt filii. Tum quia in divinis nomina Patris & Filii ſignificant relationes, quibus perſonæ conſtituuntur; nomina verò Genitoris & Geniti actus ſignificant notionales, qui ſunt relationum, & divinarum hypoſtaſeon fundamenta. Eadem ratione non valeret Baptiſma, ſi nomini Patris, & Filii, & Spiritus ſancti ſufficeremus nomen ingeniti, imaginis, vel ſplendoris, & doni.

Hinc etiam contra eundem Cajetanum infertur, baptiſmum in nomine ſolius Trinitatis, aut Chriſti collatum, eſſe invalidum. Id enim colligitur, tum ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine in omnibus æmulanda; tum ex inſtitutione Chriſti, ſingulas perſonas diſtinctiſſimè exprimentis; tum ex capite *In Synodo, de conſecrat. diſt.* 4. Ubi Zacharias Papa definit: *Qui vel unam de Trinitate perſonam in Baptiſmo non nominaret, illud Baptiſma eſſe verum non poſſet.* At qui baptizaret in nomine Trinitatis, nullam ſingulatim perſonam nominaret; qui verò in nomine ſolius Chriſti baptizaret, duas non nominaret: ergo verum baptiſma ex mente illius Pontificis non conficeret. Idem patet ex capite, *Si revera*, ubi Pelagius Papa declarat, baptizatos in nomine ſolius Domini (id eſt, Chriſti, ut patet ex contextu) eſſe in ordinaria forma iterum baptizandos. Et ratio S. Thomæ eſt perſuadens, quia ſicut ad Sacramentum requiritur forma ſenſibilis, ita & forma conſpicua, diſtincta, & aperta: unde non ſufficit expreſſio ſolius Trinitatis, tres perſonas implicitè involventis, ſed dearticulata exigitur ſingularum appellatio perſonarum, ſenſibilibus, conſpicuis, & communibus nominibus expreſſarum.

Nec obeſt, quòd *Actorum* 8. in nomine JESU Chriſti dicantur viri & mulieres baptizati. non obeſt, inquam, tum quia, ut ait S. Thomas *qu. 66. art. 6. ad* 1. ex ſpeciali Chriſti diſpenſantis revelatione Apoſtoli in primis naſcentis Eccleſiæ cunis, in nomine Chriſti baptizare potuerunt, ut nomen illud, in quo nos oportet omnes ſalvos fieri, quòd verat Gentibus & Judæis inviſum & exoſum, honorificum & glorioſum evaderet per hoc, quòd ad ejus invocationem Spiritus ſanctus baptizatis daretur. Tum quia, ut Cypriano *epiſt. 75.* placet, eatenùs Apoſtoli in nomine Domini Jeſu baptizabant, quatenus venerabile illud Nomen in forma Baptiſmi honoris gratiâ exprimebant, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti.* Tum etiam, quia ut Catechiſmus Romanus *part. 2. tit. de Baptiſ. nu. 16.* ex Ambroſio & Baſilio tradit, certum non eſt, Apoſtolos in nomine ſolius Chriſti baptizaſſe, ſed adeò in nomine Chriſti baptizaſſe dicuntur, ut illis verbis ſignificaretur, Apoſtolos non Ioannis, ſed Chriſti baptiſma miniſtraſſe; tametſi à communi, uſitataque forma præcepto Chriſti trium perſonarum nomina exprimente, non diſcederent. Quo etiam loquendi genere Paulus *Galat. 3.* uſus videtur, dum dixit: *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Significans eos Baptiſmum à Chriſto inſtitutum ſuſcepiſſe, ſed formam ab ipſo Chriſto præſcriptam non excludens. Videſis Melchiorem Cano *lib. 6. de locis, cap. 8. ad 7.* ubi eruditè obſervat, quòd cùm Scriptura dicit, aliquid in Chriſti nomine fuiſſe geſtum, non continuò ſequitur, ſub conceptis unius Chriſti verbis rem geſtam, adminiſtratamque fuiſſe: in Scripturis enim id in alicujus nomine fit, quod ejus authoritate perficitur, ut variis poſſet exemplis illuſtrari. Unde non eſt neceſſe ſentire, Apoſtolos præceptorum Chriſti tenaces, ſolitam formam immutaſſe; nam & hodie nos verè in Chriſti nomine, hoc eſt, ejus loco, vi, & authoritate baptiſma conficimus, tametſi formam conſuetam adhibeamus. Denique hujus non leve ſignum eſt, quòd *Actorum* 19. Paulus nonnullos, qui ſe Chriſtianos profitebantur, interrogavit, *An Spiritum ſanctum accepiſſent?* Illiſque reſpondentibus: *Neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus*; replicavit Apoſtolus: *In quo ergo baptizati eſtis?* Hâc replicâ innuens, non ſolere quemquam, niſi cum expreſſione trium perſonarum baptizari; alioquin ſi in nomine duntaxat Chriſti baptizati fuiſſent, potuerant nomen Spiritus ſancti non audiviſſe. Quamvis etiam dici poſſit, replicam à Baptiſmo petitam urgere potuiſſe Apoſtolum, quia non conferebatur Baptiſmi Sacramentum, niſi prælibato præcipuorum Religionis myſteriorum catechiſmo, ſubindeque præmiſſa trium perſonarum explicatione.

Inſtabis: Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum poſtulantium, quid eſſet agendum de illis, qui à quodam Judæo baptizati fuerant, reſpondit, ut *de conſecrat. diſt. 4. cap. A quodam Judæo,* refertur

Ib

Hi profectò, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti (ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur) baptizati ſunt, unum quippe, idemque eſt, ut Sait Ambroſius, rebaptizari non debent. Ergo poteſt conferri baptiſmus in ſolo nomine Chriſti.

Reſpondeo, omiſſa ſolutione Soti & Sylvii, dicentium, Nicolaum I. tanquam privatum Doctorem ad coofulta reſpondiſſe, ſuamque peculiarem falſam ſententiam expoſuiſſe, cujus oppoſitam alii deinde Pontifices in Conciliis œcumenicis tradiderunt: omiſſâ, inquam; quia incredibile eſt tantum Pontificem, etiam ut privatum Doctorem baptiſmi eſſentialem formam ignoraſſe, & in re tam perſpicua à fidelibus Chriſti interrogatum tantopere ceſpitaſſe, dicendum eſſe, Nicolaum eodem modo exponendum eſſe, quo Ambroſium, ad quem ſe refert, interpretamur. Nunquam autem ea Ambroſii meus fuit, ut in baptiſmi forma ſolius Chriſti nomen exprimi ſatis fuerit, alioquin cùm de Spiritu ſancto idem dicat, valere nimirum baptiſma in nomine ipſius, approbaret etiam baptiſmum in ſolius Spiritus ſancti nomine collatum; quod hactenus in nullius Theologi mentem venit. Perſpicua ergo Ambroſii *lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 2.* mens hæc eſt, quòd in ſacro textu nomen Chriſti Domini, vel nomen Jeſu non excludit, quin baptiſmus in aliarum quoque perſonarum nomine ſit collatus; nam in libro de Sacramentis, *cap. 7.* refert, ad ſingulas immerſiones ſolitum fuiſſe ſuo tempore interrogari catechumenum: *Credis in Patrem?* in prima; in ſecunda verò: *Credis in Filium?* in tertia: *Credis in Spiritum ſanctum?* Maximè quia non ibi intendit S. Ambroſius agere de forma baptiſmi, ſed propoſitum unum ejus eſt, quòd ubicumque aliqua operatio in Scripturis alicui perſonarum aſſeritur, reliquæ non excludantur, ſed intelligi debeant, perinde ac ſi de aliis expreſſa mentio fieret: unde cùm in notiſſima baptiſmi forma perſonæ ſingulæ exprimantur, infert locis illis Actorum, ſolius Chriſti mentione alias perſonas minimè excludi. Similiter ergo Nicolaus ad ſenſum Ambroſii explicandus eſt, nomen ſcilicet Chriſti, vel Trinitatis non excludere trium perſonarum expreſſionem, cùm manifeſtum videatur formam in nomine ſolius Chriſti (etiamſi tempore Apoſtolorum viguiſſe dicatur) non potuiſſe adhuc ſuo tempore permanere; nec valeat ſummus Pontifex in formis Sacramentorum à Chriſto immobiliter inſtitutis diſpenſare. Declarat ergo baptiſmum illum à Judæo collatum, eſſe ratum, ſi in nomine Chriſti, id eſt, ſi chriſtianum baptiſma conficere intenderit, & non baptiſma aliquod Judaïcum; quod utique intendit, ſi in nomine, ſeu authoritate Chriſti, vel Trinitatis, adhibitâ tamen formâ conſuetâ, baptizare voluit.

Miniſter Baptiſmi.

Licèt miniſter extraordinarius ſit quælibet utriuſque humani ſexus perſona, ut miniſtrum ubique obvium, ſicut materiam maximè communem habeat tantæ neceſſitatis, imminente præſertim in mora periculo, Sacramentum; attamen miniſter ordinarius, ſeu ex officio baptizans, ſolus eſt Sacerdos, qui cùm in Republica Chriſtiana polleat authoritate, non ſolùm circa corpus Chriſti naturale in Euchariſtiæ venerabili Sacramento conficiendum, ſed etiam in myſticum Eccleſiæ corpus, ejuſque membra, qui ſunt fideles, ad Sacerdotem etiam pertinet alios in Chriſti familiam inducere, recipere, & incorporare. Diaconus tamen ex commiſſione ſolenniter baptizare quit; ut enim ex Actorum capite 8. liquet, Philippus Diaconus ab Apoſtolis ad baptizandum & prædicandum miſſus eſt; & inter Diaconorum munia Antiſtes in eorum ordinatione facultatem baptizandi recenſet. Non tamen ſine Epiſcopi aut Sacerdotis conceſſu hoc Sacramentum ſolenniter celebrare præſumet; quia ſicut de corpore Chriſti in Euchariſtia, ita nec de corpore ejus myſtico debet ſe citra licentiam ingerere, ſed eorum juſſa expectare, qui cùm ad Euchariſtiam conſecrandam, tum ad Eccleſiam regendam inſtituti ſunt, & ordinariam ex vi ſui characteris poteſtatem receperunt. In adminiſtrandis quippe Sacramentis unitatis & pacis, pacem ſervari maximè congruit, id eſt tranquillitatem Ordinis, & hierarchicam dependentiam conſervari.

Licèt autem in cauſa neceſſitatis quilibet idoneus ſit hujus Sacramenti miniſter, & à tam neceſſarii Sacramenti adminiſtratione nemo etiam infidelis excludatur; quia ut dixi, ſicut ex parte materiæ ſufficit quæcumque aqua, ita ſufficit ex parte miniſtri quicumque homo, divinâ benignitate ita diſponente: attamen non ita promiſcuè omnibus adminiſtratio illa permiſſa eſt, quin in concurſu plurium ordo ſervandus non ſit, præcipiente Apoſtolo, ut omnia in nobis ordinatè fiant. Unde in præſentia Sacerdotis, vel Clerici laïcus à baptiſmo conferendo abſtinet, & mulierem coram viro baptizare non decet, niſi fortè vir non ſit baptiſmi conficiendi peritus, vel puer eò loci ſit, ubi non poſſit à viro, & multò minùs à Clerico contrectari, putà quando nondum eſt ex materno utero omninò egreſſus. Alioquin Presbyteri omninò advocandi ſunt, quibus in perſona diſcipulorum dictum eſt, Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Nam ſicut ait gloſſa Bedæ in cap. 10. Lucæ: *Sicut in Apoſtolis eſt forma Epiſcoporum, ſic in ſeptuaginta duobus eſt forma Presbyterorum.*

Porrò cùm dixi, unumquemque in neceſſitatis articulo poſſe eſſe validum baptiſmi adminiſtrum, non ita id velim intelligas, ut poſſit etiam quis in extremæ neceſſitatis caſu ſeipſum baptizare. Nam forma à Chriſto inſtituta, & in Eccleſia Catholica ſemper retenta, miniſtrum à ſuſcipiente diſtinguit. Et ſanè ſicut in generatione naturali nullus eſt ſibi exiſtendi cauſa, nullus ſuæ generationis author; ita nullus in ſupernaturali regeneratione ſeipſum in Chriſto innovare poteſt. Nec tamen homo diſtincto miniſtro orbus remedio propterea carebit, quia baptiſmo flaminis, amore & pœnitentiâ eum voto Sacramenti conjunctis, novam aſciſcere ſibi vitam, & æternam cum Dei auxilio comparare ſalutem poteſt.

Illud etiam obſervandum eſt, quòd cùm antiqui Patres, Tertullianus *lib. de baptiſmo.* Hieronymus *dialogo adverſus Luciferian.* docent Sacerdotem non poſſe ſine commiſſione Epiſcopi ſolenniter baptizare, vel loquuntur de baptiſmo qui certis anni diebus ſolenni cæremoniâ conſueverat in primitiva Eccleſia ab Epiſcopo celebrari, putà in vigilia Paſcharis, vel Pentecoſtes: vel volunt quemcunque Presbyterum Epiſcopo ſuo volenti baptizare cedere debere, eique deferre, & præſentem honorare: cum quibus ſtat baptizandi provinciam inferioribus Sacerdotibus in Eccleſia ſemper eſſe relictam, cùm Epiſcopi majoribus Eccleſiæ negotiis, orationi præſertim, ſtudio, & prædicationi ſedulam navare operam debeant. Unde Paulus 1. Cor. 1. *Non miſit*, inquit, *me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Et Apoſtoli, quibus Epiſcopi ſuccedunt, *Actor. 6.* profitentur: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei. Nos verò orationi & mini-*

niſterio verbi inſtantes erimus. Vel certè loquuntur de ſimplici Sacerdote ſecundùm præciſam ſuam ordinationem conſiderato, quia licèt in ea baptizandi receperit poteſtatem, ut eam tamen ad praxim reducat, juriſdictione eget ab Epiſcopo, vel illo, cui Epiſcopus commiſerit, qualis eſt Parochus, ſibi conceſſa. Eccleſiaſticas enim functiones & Sacramentorum ſolennes adminiſtrationes ſoli Paſtores exercendi ordinariam habent facultatem. Nec propterea ſequitur, baptiſmum ſine hujuſmodi data juriſdictione eſſe irritum, ſed tantùm illicitum, quia juriſdictio ad baptizandum non ad valorem Sacramenti, ſed ad ſervandam ordinatam miniſtrorum hierarchiam deſideratur. Nec eſt ſimile de Sacramento Pœnitentiæ, quod ſine juriſdictione invalidum eſſe ſuo loco demonſtrabimus; quia Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii in ſubditos exercetur, nec habet ſubditos qui juriſdictione caret: at baptiſmus non confertur ſubditis, cùm ille qui baptizatur, ſit ante baptiſmum extra Eccleſiam: uſurpat tamen jus alienum, qui ex altera parochia oriundum ſine licentia baptizat, quia hoc jus proprio Parocho, ut omnia ordinatè fierent, Eccleſia impertivit: validum tamen eſt baptiſma ubicumque, & à quocumque acceptum fuerit. *Unde non poteſt dici non datum, quamvis rectè dici poſſit illicite datum,* ut ait Auguſt. *lib. 2. contra epiſt. Parmeniani.*

Dices: Nemo dat quod non habet: ſed infidelis non habet baptiſmi characterem: ergo illum aliis dare nequit, ſubindeque baptiſmi miniſter eſſe non poteſt.

Reſpondeo, neminem dare poſſe per modum cauſæ principalis, quod non habet, cùm cauſa præcipua effectum ſibi ſimilem producere connitatur: ſed aliquid per modum cauſæ inſtrumentalis dare poteſt qui non habet; unde ſicut aqua poteſt eſſe inſtrumentum gratiæ, quam non habet, ita infidelis inſtrumentum characteris quo caret; nam nudum in illo miniſterio opus ſufficit, quia Chriſtus eſt qui baptizat, ut dicitur *Joan.* 1.

Dices rurſus: Canone 47. Apoſtolorum dicitur, diſcernendos eſſe veros Sacerdotes à falſis, eoſque rebaptizandos, quos falſi Sacerdotes baptizarunt: ergo Miniſter baptiſmi non eſt omnis homo.

Reſpondeo, canonem illum (ſi tamen Apoſtolicus ſit, nec ſit ab aliquo corruptore in Apoſtolicos obtruſus) intelligendum eſſe de illis qui ſe Sacerdotes ementiuntur, ut myſteria Chriſtianorum irrideant, & ea inſtar fabulæ repræſentent; quorum proinde baptiſmus defectu intentionis ſeriò faciendi quod facit Eccleſia, nullus factus omninò iterandus eſt. Veriùs tamen eſt, canones Apoſtolicos fuiſſe ab hæreticis depravatos, ſicut & libros conſtitutionum Apoſtolicarum S. Clementis Romani, in quorum 6. *cap.* 15. præcipitur rebaptizari eos qui ſunt ab hæreticis baptizati, propterea quòd hæretici veri non ſunt Sacerdotes. Sed adulteros eſſe eos libros inde argumento manifeſto eſt, quòd Philippus, qui *Actorum* 8. Simonem Magum baptizaſſe dicitur, Apoſtolus aſſeratur; quod apertiſſimum mendacium eſt.

Quæres, utrùm poſſint plures miniſtri eundem baptizare.

Reſpondeo, non poſſe plures miniſtros eundem partialiter baptizare, ſive dividatur materia à forma, ita ut unus abluat, & alter verba proferat; ſive dividatur intentio, ratione cujus unuſquiſque partialiter duntaxat concurrere intendat, ſicut duo trahentes navim eam partialiter movent. Ratio eſt, quia licèt poſſint abſolutè plures eundem baptizare applicando aquam, & ſimul pronuntiando formam, modò tamen quiſque non intendat effectum Sacramenti dividere; ſicut plures ſacerdotes poſſunt ſimul celebrare, & reapſe eandem hoſtiam ſimul in die ordinationis conſecrant: attamen non poſſe plures modo dicto partialiter baptizare, ex ipſa baptiſmi forma colligitur, ad cujus veritatem requiritur, ut qui eam profert, reverà baptizet & abluat, totumque effectum baptiſmi conferat, cùm verba efficiant quod ſignificant. Atqui ſi baptiſmus partialiter aliquo ex dictis modis conferatur, in veritate non poteſt dicere, *Ego te baptizo,* qui non abluit, nec totum baptiſmi effectum confert, qui partialiter baptizare intendit. Ergo hujuſmodi baptiſma irritum foret & nullum. Et ita docet D. Thomas *q. 66. art. 5. ad 4.* ibi. *Si convenirent duo, quorum unus eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba, & alius carens manibus, qui non poſſet exercere actum, non poſſent ambo ſimul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.*

Id ipſum optimè elucidat *quæſt. 67. art. 5.* ibi. *Conſiderandum eſt*, inquit in corpore articuli, *quòd ex tali forma, Te baptizamus, exprimitur talis intentio, quòd plures conveniant ad unum baptiſmum conferendum. Quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſterii; homo enim non baptizat niſi ut miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens. Unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita unum oportet eſſe miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet. Propter quod ſignanter Apoſtolus dicit Epheſ. 4. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Si verò uterque diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; uterque exprimeret ſuam intentionem, quaſi ipſe ſingulariter baptiſmum conferret. Quod poſſet contingere in eo caſu, in quo contentioſè uterque aliquem baptizare conaretur: & tunc manifeſtum eſt, quòd ille qui priùs verba proferret, daret baptiſmi Sacramentum; alius verò quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret; & ſi verba pronuntiare præſumeret, eſſet puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omninò ſimul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi, & non de iteratione baptiſmi; quia uterque intenderet non baptizatum baptizare, & uterque quantum eſt in ſe baptizaret. Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum; ſed Chriſtus, qui eſt unus interiùs baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.*

Idem confirmat Angelicus Doctor reſponſione ad 3. *Integritas baptiſmi*, inquit, *conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ. Et ideo neque ille qui tantùm verba profert, baptizat, neque ille qui immergit. Et ideò ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens. Neque enim poterit dici, Ego te baptizo, cùm ipſe non immergat, & per conſequens non baptizet; neque etiam poterit dici, Nos te baptizamus, cùm neuter baptizet. Si enim duo ſint, quorum unus unam partem libri ſcribat, & alius aliam, non eſt propria loquutio, Nos ſcripſimus librum iſtum, ſed ſynecdochia, in quantum totum ponitur pro parte.* Quibus clariſſimus teſtimoniis ſententiam noſtram S. Thomas & apertè docuit, & invictè probavit, ut mirum planè ſit, oppoſitum à Cajetano tradi ſine manifeſta S. Doctoris deſertione potuiſſe.

Dices cum Cajetano: Optimè uſurpari poteſt forma iſta, *Nos te baptizamus,* à duobus hominibus,

nibus, quorum alter mutus, alter mancus ſit; non quidem prout baptizare idem eſt ac abluere, ſed prout idem eſt ac integrum baptiſmi Sacramentum conferre. Licèt enim neuter eo in caſu Sacramentum ſeorſim perficiat, uterque tamen illud conjunctim efficit: ſicut duo judices, quorum neuter ſine altero ſententiam ferre poteſt, eam proferentes, verè dicunt, Nos te judicamus. Et ratio eſt, quia ubi invenitur materia, forma, & miniſter, ibi verum Sacramentum reperitur: hæc autem tria concurrunt, qando plures baptizant; nam & aquæ ablutio, & verborum prolatio, & miniſter abluens & proferens non deſunt; quid ergo deeſt, quando duo partialiter agentes uni totaliter agenti æquivalent? Quid vetat à duobus ex parte fieri, quod ab uno totum peragi ſolet? Cùm non repugnet Sacramentorum inſtitutioni, ut duo miniſtri per modum unius Sacramenti cauſæ adhibeantur, ut in Sacramento Pœnitentiæ, & clariùs in Sacramento Matrimonii perſpicuum eſt.

Reſpondeo, verba formæ baptiſmi ſignificare actionem illam externam, ablutionem nimirum, à proferente proficiſci; unde ſi non abluit ille qui verba profert, fallax eſt, ſubindeque nullum efficit Sacramentum. Ex quibus patet ad rationem reſponſio; in illo namque caſu, neque eſſet forma verax, neque materia à proferente applicata, neque unitas miniſtri requiſita. Exemplum autem Judicum ratione nihilo melior eſt. Judices enim veridicè ajunt, *Nos te judicamus*, cùm uterque judicium protulerit, tametſi unicus ſententiam intimet. At miniſter, qui dicit, *Ego te baptizo*, dum alter abluit, verum non profert, ſed reapſe mentitur. Exempla etiam matrimonii & pœnitentiæ non ſunt urgentiora; quia primum per modum contractus pluralitatem eſſentialiter requirentis celebratur; ſecundum per modum judicii, actionem rei, & Judicis ſententiam omninò poſtulantis, perficitur.

Inſtabis: Plures miniſtri ſolitam ſimul formam proferentes, & unà abluentes, validum conficiunt baptiſma, ut docet D. Thomas ſuprà memoratus, & nos etiam con feſſi ſumus, atque exemplo Sacerdorum eandem hoſtiam in die ordinationis conſecrantium confirmavimus. Ergo pluralitas miniſtrorum veritati formæ per ſe non adverſatur.

Reſpondeo, tunc ſolùm pluralitatem miniſtrorum Sacramentum añullare, cùm veritatem formæ deſtruunt; quando autem plures miniſtri per modum cauſæ totalis formam proferunt, & materiam applicant, tunc veritas formæ ſubſiſtit, quia quilibet baptizat ut unus, & per accidens duntaxat, & materialiter pluralitas invenitur. At verò in caſu Cajetani pluralitas ſe habet per ſe, & ex vi formæ ſignificatus aliquid falſum, nempe ablutio, quam proferens dicit ſe facere, & reverà non facit. Nec tamen in noſtro caſu ſunt plura baptiſmata, etiamſi ablutio in duabus partibus non contignis, mediâ non ablutâ fiat, quia unicum Sacramentum per plures miniſtros Chriſtus tunc efficit; unitas quippe baptiſmi non à partium ablutarum, ſed à ſuppoſiti baptizati unitate, ſicut baptiſmatum diverſitas à perſonarum baptizatarum diſtinctione deſumitur, ut cùm per unicam formam plures intinguntur. Nec eſt inconveniens, eundem effectum à pluribus inſtrumentis totalibus proficiſci, quia non ab eis per ſe pendet effectus, ſed ab una cauſa principali, quæ pro ſuo arbitratu unum, vel plura poteſt inſtrumenta aſſumere. Unde virtutes & actiones inſtrumentariæ materialiter tunc diverſæ, formaliter in ratione Sacramenti uniuntur, propter ejuſdem ſignificationis, ejuſdemque effectus unitatem, uniuſque characteris impreſſionem.

Subjectum & neceſſitas baptiſmi.

Utrumque connectimus, quia unum ab alio tractatione divelli nequaquam poſſe, ſtatim clarebit. Dicendum ergo, quòd ſicut omnis creatura, conſtans corpore & anima rationali, eſt ſubjectum capax baptiſmi, ita ad illud percipiendum neceſſitate medii tenetur. Expreſsè enim dicitur Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Quibus clariſſimis verbis quatuor hæreticorum errores Veritas confudit. Primo Anabaptiſtarum, negantium pueris baptiſmum eſſe conferendum. Secundò, Pelagianorum, credentium baptiſmum ad remiſſionem peccati originalis minimè eſſe neceſſarium, ſed ſolùm ad conſequutionem regni cælorum; qua in re pugnantia hæretici loquebantur, quia ſi pueri nullum habent ingreſſus regni cælorum impedimentum (non haberent porrò, ſi nulla primigenii peccati labe inficerentur) profectò ad conſequendum regnum cœlorum nequaquam erit illis baptiſma neceſſarium. Ternò Wiclefi blaſphemantis, nullatenus baptiſma eſſe neceſſarium; quia, inquiebat, puer tametſi non baptizatus, ſi tamen prædeſtinatus ſit, conſequetur certò vitam æternam. Non advertens vir hæreſeos tenebris occæcatus, eo ipſo puerum prædeſtinationis ſigno notari clariſſimo, quòd cum baptiſmo antequam malitia mutet intellectum ejus, diſcedit. Quartò Calvini impiè pronuntiantis baptiſmum fidelium infantibus minimè eſſe neceſſarium, quòd credat omnes in utero materno ſanctificari. Quibus omnibus opponit Mater Eccleſia ſplendidiſſimum Servatoris oraculum paulò antè memoratum. Ratio etiam S. Thomæ eſt ſuppoſitâ fide perſuadens: quia nullus niſi per Salvatorem Chriſtum Jeſum ſalutem conſequi poteſt. Chriſto autem nemo niſi per baptiſma unitus & incorporatur, fitque membrum corporis ejus, quod eſt Eccleſia: ergo baptiſma omnibus eſt ad ſalutem omninò neceſſarium.

Nec valet argumentum Anabaptiſtarum, ex illo *Matth.* 28. petitum: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ubi Chriſtus iis baptiſmum conferri præcipit, qui ſuam fuerint legem docti: parvuli autem ante diſcretionis uſum chriſtianâ nequeunt doctrinâ imbui. Non valet, inquam, quia gentibus & adultis omnibus præmiſſâ doctrinâ conferendum eſt baptiſma, ut priùs erudiantur qui propria voluntate in familiam Chriſti aſcribuntur; propterea tamen parvulos eò loci Salvator non excluſit, qui tanto amore dicebat Matth. 19. *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum.* Certè ſi circunciſio, quæ figura baptiſmi fuit, pueris octavo die ſolenni ritu applicabatur, & gratiam conferebat, quidni baptiſma novæ legis proderit infantibus? Anne in lege gratiæ minùs erit copioſa redemptio? Denique ſi per Adami peccatum pueri ex origine noxam contrahunt, quidni per Chriſtum gratiam conſequi poterunt? cùm teſte Apoſtolo Coloſſ. 2. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vitam regnabunt per unum Jeſum Chriſtum?* Unde in Concilio Milevitano ſub Innocentio I. *can.* 2. ſic pronuntiatur: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema ſit.* Hinc Bernardus adverſus quoſdam, qui ſe Apoſtolicos dicebant, & potiùs apoſtaticos dicendos, invehit ſerm. 66. in Cant. *Videte detractores, videte canes.*

Digitized by Google

tantes. Irrident nos, quia baptizamus infantes. Quid enim ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis ſui, fratris ſui, & talis fratris (Chriſti) *clamat ad Deum de terra? Aſtat, & clamat nihilominus Mater Eccleſia. Quid tamen infans? Nonne & ipſe tibi videtur inhiare de fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, ſuſque vagitibus clamitare: Domine vim patior, reſponde pro me. Flagitat auxilium gratiæ, qui vim patitur ab origine. Clamat innocentia miſeri, clamat ignorantia parvuli, clamat infirmitas addicti. Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui Mater* (Eccleſia) *impendit ſuam.*

Inſtabis: Si tanta foret baptiſmi neceſſitas, nullatenus deberet baptiſma differri, ſed ſtatim natis confeſtim conferri. Atque Eccleſia baptiſmum nedum pueris, ſed etiam adultis ſæpe differt, & in primitiva Eccleſia magis differebatur. Ergo neceſſitas baptiſmi non eſt abſoluta, & indiſpenſabilis.

Reſpondeo, Eccleſiam fideles magnopere hortari, ut pueros quamprimùm ſine periculo fieri poteſt, ad Eccleſiam ſolemnibus cæremoniis baptizandos deferant; quia cùm pueris nulla extra baptiſmum ſalutis comparandæ ratio relicta ſit, gravi ſine dubio culpa ſeſe obſtringunt, qui eos diutiùs Sacramenti remedio privant, quàm neceſſitas poſtulet; cùm præſertim tenerrimæ ætati infinita vitæ pericula impendeant. Aliter tamen erga adultos & rationis uſu præditos ſe gerit Eccleſia; quia iſti ad baptiſmum nedum invitandi, ſed etiam apparandi ſunt, ut novam vitam poſt baptiſmi regenerationem ineant. Nec illa dilatio periculum, quod pueris imminet, conjunctum habet, cùm baptiſmi votum, & ſincera malè actæ vitæ pœnitentia ſatis futura ſint ad juſtificationem & gloriam, ſi repentino caſu à ſalutiferis aquis impediantur. Et deinde emolumenta ex diſcreta adultorum baptiſmatis dilatione enata, juſtum & ſanctum probant eſſe Eccleſiæ morem. Explorandum enim eſt, num adultus fuco, an vero animo accedat; non enim omni ſpiritui credendum eſt, ſed probandi ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Deinde in vitæ Chriſtianæ inſtitutionibus priùs erudiendus eſt catechumenus, quàm illi nomen detur; ſi tamen nullum vitæ periculum inſtet. Denique baptizandi adulti non ſolùm probandi ſunt, num ſponte ſua, & libenti animo baptiſmum ſuſcipiant, ſed etiam novæ vitæ initia ratione, & diſciplina quandam in fide ſtabilitatem, in pœnitentia veritatem, in bonorum operum praxi conſtantiam demonſtare Eccleſiæ debent; quæ propterea adultis baptiſmum citra mortis periculum differre conſuevit, & olim duo tempora, Paſchæ ſcilicet, & Pentecoſtes præſcribebat, in quibus tantùm citra mortis periculum miniſtrandum erat ſacrum Baptiſma, ut *epiſt. 1. Siricii Papæ, epiſt. 4. S. Leonis,* & variis capitulis *diſt. 4. de conſecratione*, claret: rata nihil baptiſmi gratiæ adeò repugnare, quàm nullum peccandi finem facere; cùm alioquin baptiſmi fructum non ſint recepturi, ſed impio ſacrilegio Sacramentum polluturi, qui Chriſtum non induunt, qui ſecundùm carnem, non ſecundùm ſpiritum militant, quibuſque in vitiis & peccatis perſeverare propoſitum eſt. Nam Paulus *ad Rom. cap. 6.* ſcribens, docet omninò ei, qui baptizatur, moriendum eſſe peccato; monetque, ne exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viventes. Et Princeps Apoſtolorum probè ſciens, non ſolùm baptizandis fidem, ſed ſinceram etiam cordis pœnitentiam deſiderari, magnæ illi multitudini, quæ ab illo quid faciendum eſſet, perverat, reſpondit Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm.* Et cap. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Nec obeſt authoritas Ambroſii vel Ambroſiaſtri *in commentario ad Romanos*, dicentis omnia gratis in baptiſmo condonari, nullumque luctum requiri. Non, inquam, obeſt; hoc enim intelligitur de luctu, qui in pœnalibus operibus à pœnitentibus poſt abſolutionem percipiendus eſt: catechumenis quippe baptizatis etſi deſideretur pœnitentia baptiſmum antecedens, nulla tamen imponitur pœnitentia; quippe qui ab omni culpa, & reatu pœnæ etiam temporalis liberati per baptiſmum ſunt, ut docet D. Thomas *q. 68. art. 5. & 6.* Non eſt etiam multùm curandus commentarius ille in Paulum Ambroſii nomine inſcriptus, ſed ab Hilario hæretico Luciferiano elaboratus.

Quare baptiſmus olim à Chriſtianis duplici de cauſa differebatur, nimirum vel animo licentiori vitæ, mundaniſque delitiis, quas poſt baptiſmum ſeveriùs interdictas ſciebant, liberiùs & ſecuriùs indulgendi; vel ut totum interſtitium ad animum omni piorum opere exercendum, præparandumque conferretur. Prior cauſa ſemper Eccleſiæ fuit inviſa, & à Patribus vehementer reprehenſa, ut patet ex Nazianzeno *orat.* 40. Chryſoſtomo *hom. 1. in Acta*, & Concilio Neocæſarienſi *can.* 12. ubi baptiſmum in mortem differentes, ut interim licentiùs viverent, & tunc ſimul & ſemel ab omnibus culpis & pœnis eximerentur, ordinari vetat, ſi ſupervixerint. Poſterior Eccleſiæ probata, & Sanctis omnibus ordinariè neceſſaria viſa eſt. Dico ordinariè, qui tantus poterat eſſe catechumeni fervor; tam viſibilis & ſenſibilis Spiritus ſancti operatio in illo interdum potuit relucere, ut baptiſmi differendi nullam adeſſe neceſſitatem Paſtores clariſſimè perviderent. Sed caſus rariſſimi non ſunt regulæ, ad quos ſanandarum animarum ars exigenda ſit. Prior cauſa ab incuria, torpore & duritie & animorum graviſſima peſti proficiſcebatur: poſterior à ſpiritu pietatis & prudentiæ, quo paſtores regi, & pœnitentes cieri debent, enaſcebatur. Porrò baptiſmus agnita vera ſuſcipientis diſpoſitione, non debet differri, quia cùm ſit Religionis exordium, naturâ ſuâ poſtulat, ut quamprimùm ſuſcipiatur, unde multò minùs differri debet, quàm confeſſio vel abſolutio; qui non ad ſolam remiſſionem peccatorum, ſicut pœnitentia, inſtitutum eſt; ſed etiam ut homo charactere Chriſti inſigniatur, ut Eccleſiæ incorporetur, ut ſit aliorum Sacramentorum capax, conveniatque cum aliis Chriſtianis in ejuſdem fidei profeſſione, & in eorumdem communione Sacramentorum. Cum quo tamen ſtat, debere adulti baptiſma ſuſcipientis debitam diſpoſitionem agnoſci & probari; quia, ut benè S. Thomas *art. 4. q. 68.* dixit: *Nullus habens voluntatem peccandi poteſt ſimul à peccato mundari, ad quod ordinatur baptiſma.* Unde Auguſtinus toto libro de fide & operibus eos refellit, qui volebant omnes promiſcuè ad baptiſmum admitti, eò quòd populus Iſraël priùs tranſivit per mare rubrum, & poſtea legem, quâ diſceret quemadmodum viveret, accepit. Quibus reſpondens *cap. 11.* ait: *Ipſam ab Ægyptiis ſeparationem* (quæ tranſitum anteceſſit) *ſignificare diſceſſionem à peccatis, quam baptizati profitentur.* Et quamvis *Actor.* 8 referatur quòd eunuchus ſtatim ac dixit, *Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*, baptizatus eſt: reſpondet tamen Auguſtinus cap. 9. *Quemadmodum Scriptura*

in

ratu eo quòd ait, Baptizavit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt in Scripturis gratiâ brevitatis omittantur, tamen ſerie traditionis ſeimus implenda (qui ſunt ſacri ritus, vel interrogationes, & inſtructiones ab Eccleſia frequentatæ) *pari modo in eo quod ſcriptum eſt, Evangelizaſſe Philippum ſpadoni Dominum, nullo modo dubitandum eſt, & illa in catechiſmo dicta eſſe, quæ ad vitam, moreſque pertinent ejus, qui credit in Dominum Jeſum.*

Urgebis: Sicut *Joannis* 3. dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ita *Joan.* 6. dicitur, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Atqui ex poſteriori loco non colligimus, omnes etiam parvulos ad recipiendam ſacramentaliter Euchariſtiam teneri. Ergo perperam ex priori colligimus, teneri omnes omninò ad baptiſma ſuſcipiendum.

Reſpondeo, non dixiſſe Chriſtum, *niſi quis manducaverit*, ſed *niſi manducaveritis*; dixiſſe tamen, *niſi quis renatus fuerit*, innuens ſermonem ſuum de Euchariſtia ad adultos, talis manducationis ſolos capaces dirigi; dictum verò de Baptiſmo omnes, nemine excepto, complecti. Et ratio diſcriminis eſt, quia Euchariſtia datur per modum cibi; cibus verò iis duntaxat neceſſarius eſt, in quibus aliquid deperditur; pueri autem, qui actuali peccato nihil deperdunt, cibo illo non egent. Cibus etiam ille divinus requirit in manducante probationem, quam tantoperè 1. *Cor.* 11. inculcat Apoſtolus, cujus tamen pueri incapaces ſunt: at verò Baptiſmus eſt ſpiritalis regeneratio, & novæ vitæ initium, cujus omnes etiam infantes capaces ſunt. Unde univerſalius intelligendum eſt quod de Baptiſmo, quàm quod de Euchariſtia Veritas pronuntiavit. Quamvis ergo in adultis requiratur præparatio, in parvulis tamen ſufficit, quòd non reperiatur obex contrariæ voluntatis. *Parvulus*, inquit Auguſtinus epiſt. 23 *etiamſi fidem nondum habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit, unde Sacramentum ejus ſalubriter percipit.*

Inſiſtes: Si omnibus omninò neceſſarium foret baptiſma, multi parvuli, putà intra uterum maternum mortem obeuntes, unico carerent ad ſalutem medio, ſubindeque æternùm perirent. Conſequens non videtur conſentaneum miſericordiæ illius, qui vult omnes ſalvos facere, & neminem vult perire. Non eſt etiam copioſæ novæ legis redemptioni congruum; ſi enim olim ante promulgatam circumciſionem fides parentum, teſte Magno Gregorio *lib.* 4. *Moral. c.* 2. parvulis ſatis erat, cur anguſtiorem factam ſalutis viam, impoſitâ lege baptiſmi aſſeremus? Quidni præſtabit parvulis votum parentum, quod præſtat adultis votum baptiſmi, & omnibus martyrium? Ergo hæc Chriſti lex exceptiones patitur, nec omnibus omninò neceſſarium eſt baptiſmatis Sacramentum.

Reſpondeo, nullum planè à baptiſmo ſuſcipiendo, & ab illa lege, *niſi quis renatus fuerit*, &c. eſſe immunem, *Utique nullum excipit*, inquit Ambroſius lib. 2. de Abraham, cap. ultimo; *non infantem, non aliqua præventum neceſſitate. Noli credere*, addit Auguſt. lib. 3. de anima, c. 9. *noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præventos pervenire poſſe ad originalem indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Et lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 27. *Quoniam*, inquit, *de ovibus ejus eſſe non incipiunt parvuli, niſi per baptiſmum, profectò ſi hoc non accipiunt, peribunt.* Quod & alii Patres & univerſa traditio docent, ſignificatque illa Eccleſiæ Matris ſolicitudo ad Baptiſmum parvulis procurandum, quam etiam Pelagius, tametſi peccatum originale inficiaretur, nunquam negare auſus eſt, quia videbat eſſe conſtantem univerſalis Eccleſiæ obſervationem. Nec propterea via ſalutis arctata eſt, vel fidei virtus imminuta; quia ubique propagatâ Chriſtianâ Religione, fons ſalutis omnibus apertus eſt: aqua omnibus obvia, & miniſter omnis homo eſt, etiam infidelis: regnum etiam cœlorum olim ante Chriſtum occluſum, puerulis baptizatis patet. Quòd autem aliqui parvuli ſine baptiſmo moriantur, ad juſta, ſed inſcrutabilia Dei judicia referendum, & in primi peccati granditatem rejiciendum eſſe millies docet Auguſtinus. Quòd verò adulti voto Baptiſmi, vel parvuli martyrio ſalvari ſine actuali baptiſmate poſſint, docent Patres & Eccleſiæ traditio, quæ verba illa, *niſi quis renatus fuerit*, de re, vel de voto disjunctivè interpretatur. Exceptio etiam martyrii habetur ex Scriptura & Patribus, uti capite ſequenti oſtendemus. Generales autem Scripturæ aſſertiones ſine Eccleſia, vel Patribus inflectere, vel excipere non debemus. Ut enim alibi diximus, cùm Deus legem generalem edit, omnes exceptiones removet, niſi eam ipſemet exprimat: unde qui contendit aliquem ab hac lege eſſe immunem, huic probandæ hujus exceptionis onus incumbit. Cùm ergo nullus Scripturæ, vel Patrum proferri poſſit locus, quo puerorum non baptizatorum extra martyrii ſingularem caſum ſalus aſtruatur, omnis exceptio à rationibus & convenientiis humanis petita ſine ulla majori inquiſitione repellenda & damnanda eſt: & qui eam adhibent, manifeſto adulteratæ divinæ legis crimine eo ipſo tenentur, quòd eam unis convenientiis nixam eſſe fatentur. Hinc Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis, cap. 23. *Nulla*, inquit, *ex arbitrio noſtro ſalus æterna præter baptiſmum Chriſti promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus rationibus præferenda.* Unde nullatenus probandus eſt Gabriëlis Biel, Cajetani, & Jannis Gerſonis zelus non ſecundùm ſcientiam conceptus, qui exiſtimaverunt parvulos in maternis uteris exiſtentes, vel natos in aquæ penuria morientes, fide & precibus parentum, aliorúmque fidelium, adhibito præſertim crucis, vel alterius piæ cæremoniæ cum invocatione Trinitatis ſigno, ſalvari poſſe. Hæc enim ſententia univerſæ traditioni repugnat, quæ ſemper ad occulta Dei judicia, tametſi juſtiſſima, retulit quòd parvulorum alius ad baptiſmum accedat & ſalvetur, alius non perveniat & pereat, etiamſi ſalutem ejus parentes ſummoperè exoptent, & quantùm in ipſis eſt, omni ſolicitudine procurent. *Quiſquis dixerit*, inquit Auguſtinus epiſt. 28. *quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe.* Nec obeſt, filios fidelium appellari ab Apoſtolo 1. *Cor.* 7. Sanctos. Non obeſt, inquam; ſancti enim dicuntur, non quòd tales naſcantur, ſed fiant, & ad ſanctitatem vocentur, & baptiſmo ſanctificentur, ſine quo tamen nec ſanctitatem, nec ſalutem conſequuntur: unde carmine de ingratis ait Proſper, multos ſanctis genitoribus ortos, nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum.

Perſiſtes: Hæc omnia rectè quidem probant, Baptiſmum parvulis imminente mortis periculo eſſe conferendum, ſed citra tale periculum eis mi-

niſtran-

niſtrandum non perſuadent ; cùm potiùs baptiſmum in adultam ætatem differri magis expediat, ut baptizati baptiſmi myſteria meliùs intelligant, pro ſeipſis reſpondeant, percepti Sacramenti, & ſponſionis jactæ meminiſſe poſſint, tuncque Chriſtiani, dum diſcere, doceri, & noſſe Chriſtum poſſunt : & ita videtur ſenſiſſe Nazianzenum, *orat.* 40. *in ſanctum Baptiſma*, ubi triennium expectari, aut aliquantò brevius, aut longius temporis ſpatium præſtare docet.

Reſpondeo, his omnibus humanæ prudentiæ conſiliis ſanctæ Matris Eccleſiæ ſenſum & uſum anteponendum eſſe; & periculum jacturæ ſalutis, in quam incidere poteſt puer repentinâ morte raptus, fructu ex dilatione Baptiſmi expectato nullimè compenſari; cùm cæteroquin parvulis, cùm adoleverint, catechiſmi eruditio ; quâ quid promiſerint, cui fidem dederint, cui renuntiaverint, quâ gratiâ dignati fuerint, docebuntur, non defutura ſit, ſed ab Eccleſiæ miniſtris, parentibus, & præceptoribus procuranda. Unde illud differre, tutum non eſt, quod ad ſalutem omnino & indiſpenſabiliter neceſſarium eſt. Quapropter propter inopinatos & repentinos periculorum impetus, quique nullâ ope atque auxilio propulſari poſſunt, lavacro communiri parvulos, condocibilius eſt. Unde Nazianzeni privatum conſilium nunquam recepit Eccleſia, cujus ipſe periculum ibidem ſatis agnovit. Nec dicas, hinc ſequi, parvulos, cùm adoleverint, non poſſe ad vitam chriſtianè inſtituendam compelli, utpote quam propriâ voluntate non ſpoponderint. Ne, inquam, hæc dicas; cogi enim ad fidem, moreſque chriſtianos ſine ipſorum injuria parvuli poſſunt, qui Eccleſiæ tum ratione parentum, tum ratione ſuſcepti Baptiſmatis ſubditi ſunt, & ſolici neceſſitate ad id, quod in eorum maximam utilitatem cedit, adiguntur : ſicut olim pueri Judæorum ad legem Moyſis, tametſi in infantili ætate circumciſi fuiſſent, abſque ulla excuſatione tenebantur. Unde Tridentinum *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. ſic dicens: *Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quòd patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt ; & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtia, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.*

Sed dices : Unde habemus, adultis repentinâ morte ſublatis, votum baptiſmi ad ſalutem ſufficere, ut gratis exceptionem illam non appoſuiſſe videamur? Reſpondeo, hanc exceptionem clarè haberi in Conciliis & Patribus. Concilium enim Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. docet, juſtificationem eſſe translationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: *Quæ quidem translatio poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt.* Id ipſum luculenter tradiderat Ambroſius *de obitu Valentiniani*, *aliquantulum ante medium*, his verbis: *Quis me conſolabitur, à quo alii petunt conſolationis officium? Quoniam quem in Evangelio eram generaturus amiſi, ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit . . . Audio vos dolere, quòd non acceperit Sacramenta Baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt, niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, & proximè ſe baptizari à me velle, ſignificavit : non habet ergo gratiam, quam deſideravit ? Non habet quam popoſcit? Certè quia popoſcit, accepit.* Et ratio etiam eſt, quia per deſiderium baptiſmi à fide per dilectionem operante proficiſcens, homo interius ſanctificatur à Deo, cujus virtus nullis eſt viſibilibus Sacramentis alligata : Sanctitas autem eſt diſpoſitio ſufficiens ad ſalutem. Sed de his pleniùs capite ſequenti, agentes de diviſione Baptiſmatis in Baptiſmum fluminis, flaminis, & ſanguinis, diſſeremus. De neceſſitate porrò intentionis ad ſuſcipiendum baptiſmum in catechumeno neceſſaria, ſatis patet ex iis, quæ ſuperiori diſſertatione de intentione ad valorem Sacramentorum neceſſaria, latiſſimè dicta ſunt.

R e f l e x i o.

Sacris undis abluimur, mundati lavacro aquæ in verbo vitæ. Ergo ſi ſcire aves, Lector Chriſtiane, num gratiam baptiſmo collatam ſervaveris, vel perditam pœnitentiâ recuperaveris, ex his aquæ proprietatibus & notis conjicito. Primùm, aqua ex montibus, locisque excelſis in ima fluit, juxta illud Davidicum, Pſal. 107. *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Non diſſimili modo gratia ab excelſo Deo in corda humilium deſcendit, qui humilia reſpicit, ſuſcitat à terra inopem, & de ſtercore elevat pauperem. *Cum humilitate vallem facite*, ait Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli, *imbrem ſuſcipite; depreſſa implentur, alta ſiccantur: gratia pluvia eſt.* Et certè cùm baptizatos mortuos, & in Chriſto conſepultos appellet Apoſtolus, hujuſmodi ſuperbia non decet. Gratiam ergo ille habet baptiſmi, qui fudit in ſe fundamentum humilitatis, ut perveniat ad faſtigium charitatis ; illeque ſolus capit celſitudinem Dei, qui priùs induit humilitatem Chriſti. Ergo non minùs quàm ingratitudo ſuperbia eſt ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, *fluenta gratiarum*. Secundò, aqua corpus lavat & mundat, ac ſordes abſtergit: gratia pariter baptiſmatis maculas abluit animarum. Ezechiel. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ergo ſi putre membrum es, quod reſecari mereatur; ſi ſis diſtortum, de quo erubeſcatur; niſi ſis pulchrum, aptum, & ſanum; niſi hæreas corpori, vivens Deo de Deo ; ſi potiùs ſordentibus formis, imaginibuſque terrenis vitiorum & cupiditatum conſuetudine inculcatis ita obducaris, ut jam nihil loci in mente tua divinarum rerum cogitationi relinquatur, pectus verò tuum in terra que adeò defixum, atque immerſum ſit, ut paululum illud attollere, atque in cælum erigere non valeas, profectò à gratia baptiſmi deſertus es; unda enim cæleſtis in cælum ſalit, unde promanat: nam & aquæ eò altiùs reſiliunt, quò demiſſiùs ad ima prolapſæ ſunt, & ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur. Hinc Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacramentis, part.* 6. *cap.* 14. hæc profert: *In ſolo elemento aquæ Sacramentum Baptiſmi conſecrari, inſtitutum eſt, quia hæc ſolam plenam habet ac perfectam mundationem. Alii liquores omnes aquâ purificantur & ſi quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aquâ abluitur, ut emendetur; propterea in ſola aqua Sacramentum emundationis conſiſtit.* Tertiò, aqua refrigerat, & caloris ardores attemperat : ſic baptiſmi gratia paſſionum æſtus, & concupiſcentiæ flammas ſi non extinguit planè, ita certè moderatur & caſtigat, ut rationem in conſenſum flagitii non pertrahant. *Quemadmodum aqua*, inquit Catechiſmus Rom. titulo de Baptiſmo, n. 10. *refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic baptiſmo cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur.* Ergo ſi concupiſcentia in te non minuitur, ſed augetur; ſi fœdiſſimarum cupidi-

cupiditatum viſco miſerandum in modum irretitus, & paſſionem igne ambuſtus, in iiſdem ſemper delictorum ſordibus hæreas, ſi motiones illas auxiliantis Dei gratiæ non experiaris, quibus Spiritus ſanctus, quem Eccleſia *dulce refrigerium* appellat, cupiditatē ſedat, mentem illuminat, voluntatem accendit, pietatem inſpirat, & ſalutares cæleſtium negotiorum cogitationes immittit, ſine dubio gratiam Baptiſmi in vacuum recepiſti, quoniam in te non concupiſcentia refrigeſcit, ſed una charitas elangueſcit. Quartò, aqua omnia fœcundat, ex ea enim & reptilia terræ, & volucres aëris eduxit Creator, ut patet *Geneſ.* 1. Per eam tota natura ardoribus, vel algoribus in ſterilitatem contracta, reviviſcens ſe exerit, & priſtinum induit habitum fœcunditatis, dicente Scriptura Pſal. 146. *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluviam; qui producit in montibus fœnum, & herbam ſervituti hominum.* Baptiſmi pariter gratiâ irrigatus Chriſtiani animus, fit hortus amœniſſimus florum & fructuum beatiſſimâ copiâ feraciſſimus. Si ergo ſincera, & certa Deo placendi voluntas re & effectu in te perſpicitur; ſi humilitas clareat in converſione, ſtabilitas in fide, in factis juſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina; ſi injuriam facere potens, eam non ſolùm toleras, ſed bonum pro malo retribuis, vincens in bono malum; ſi cum fratribus pacem tenes, ſi Deum toto corde diligis, toto odio mundum proſequeris; ſi amas in Chriſto, quòd pater eſt, ſi times, quòd Deus eſt; ſi nihil illi præponis, qui nec nobis quidquam præpoſuit; ſi charitati ejus inſeparabiliter adhæres, cruci ejus fortiter ac fidenter aſſiſtens, calamitates & ærumnas prompto animo, & chriſtiana fortitudine toleres, baptiſmi te gratiâ perfuſum in Domino confide: ſi contrà parum allaboras, ut vitam tuam ad Evangelii normam dirigas, ut te verum Chriſti diſcipulum factis probes, ut anguſtam cæli viam ingrediaris, ut à mundi corruptelis illecebriſque te expedias, dubio procul tam ab gratia baptiſmi, quàm fides ab infidelitate, vel à die nox differt, diſcedis. Quintò, aqua ſedat ſitim, quæ eſt appetitus frigidi & humidi: ita non impari modo baptiſmi gratia omnia cordis noſtri deſideria, quibus fruſtrà terrenis bonis ſatisfacere adniſi fueramus, cæleſtibus implet, juxta illud Servatoris, Ioannis 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* quia nimirum gratia eſt ſummi boni conſortium, & participatio feliciſſima, quo omnis noſter appetitus impletur. Si ergo carnalibus deſideriis totus adhuc plenus, tui ipſius amore abundas, & ſæculo miſerandum in modum aſtrictus ſis, atque arctiſſimo fœdere immaniter deditus; ſi interrogantem te quid ames, Babylonis te civem amor tui, & terrena deſideria demonſtrant; ſi terrena charitate malorum omnium radice cum cæleſti charitate bonorum omnium regina & fonte velut adverſâ fronte confligas; ſi avaritiæ, ſuperbiæ, incontinentiæ deſideriis, & aliorum vitiorum proluvie ex amore proprio tanquam ex proprio fonte proficiſcente, tanquam ex germana radice pullulante æſtuas, profectò habens Chriſtianiſmi ſpeciem, virtutem ejus & gratiam abnegaſti. Tibi ita comparato, ita amore mundi ebrio, ita ſæculi faſcinatione undique occupato, non tibi promitto ſatiandam unquam beatitatis ſitim à Deo, qui, ut ait Scriptura, replet ſolùm in bonis deſiderium tuum. Et quomodo hominibus promitterem, quod non promiſit Deus? Quomodo ſerpentem illum malignum imitarer, qui Deo mortem protoparentibus vetitæ arboris fructum decerpentibus denuntiante, non morituros eos impudentiſſimè ſpopondit! Audi Gregor. lib. 2. in 1. Reg. *Non ſaturantur niſi famelici, & à vitiis perfectè jejunantes.* Audi Evangelium Matth. 13. *Solicitudines ſæculi iſtius, & fallaciam divitiarum*, id eſt, quidquid anxii homines in hoc mundo quaſi innocenter conſectantur, damnans.

Speculatio II.

Varii baptiſmi effectus ordine recenſentur.

EX quo aquæ à ſpiritu Dei, qui initio mundi ferebatur ſuper eas, fœcundatæ ſunt, innumeri ex eis effectus profecti ſunt, unde meritò dixit Tertullianus lib. de baptiſ. cap. 3. *Quot prodigia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot ſolennia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes, religionem aquæ ordinaverunt?* Non minùs in nova lege aquæ contactu mundiſſimæ, & juxta efficaciſſimæ carnis virgineæ Salvatoris ubertatem eam ſortitæ ſunt, quam ſancti Patres in ſuperioribus relati, DEiparæ ſemper Virginis fœcunditati & comparârunt, & quadantenus prætulerunt. Patebit id enumeratione præcipuorum ejus effectuum, quos ſacra baptiſmatis unda producit.

Primus effectus eſt remiſſio omnis omninò peccati, tum originalis, cùm actualis. Per baptiſmum enim Chriſtianus fit novus homo creatus in Chriſto Ieſu: ſi autem aliquid de vetuſtate peccati poſt ſuſceptum baptiſma permaneret, non fieret nova creatura, ſed vetus adhuc fermentum, vetus adhuc homo ſubſiſteret, nec ſpiritalis creatio omnia renovans, & ex mero nihilo ſubjectum producens obveniret. Hinc S. Proſper epiſt. ad Demetriadem: *Aliud eſt*, inquit, *quòd viſibiliter agitur, aliud quod inviſibiliter celebratur: nec idem eſt in Sacramento forma, quod virtus; cùm forma humani miniſterii exhibeatur obſequio, virtus autem per divini operis præſtetur effectum. Ad cujus utique potentiam referendum eſt, quòd cùm homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit nova creatura de veteri; vaſa iræ in vaſa miſericordiæ transferuntur, & in corpus Chriſti convertitur caro peccati.* Unde ſacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 5. can.* 5. peccata in baptiſmo non abradi tantùm definit, ſed prorſus etiam tolli & radicitùs evelli; ita ut in renatis nihil oderit Deus, nihilque damnationis ſit his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui verè eum Chriſto conſepulti ſunt per baptiſma in mortem, qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt.

Quam doctrinam ſacra Synodus ex Scripturis, & Apoſtolica traditione deprompſit. Nam de baptiſmo ab Ezechiele *cap.* 36. prænuntiatum eſt: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Apoſtolus etiam 1 *Cor.* 6. poſt longam peccatorum enumerationem ſubjecit. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis.* Quibus conſonè Auguſtinus *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſione, cap.* 5. ſcripſit: *Generante carne tantùm contrahitur peccatum originale: regenerante autem ſpiritu, non ſolùm originalium, ſed etiam voluntariorum peccatorum fit remiſſio.* Et S. Hieronymus epiſt. 85. *Omnia*, inquit, *in baptiſmate condonata ſunt crimina.* Cujus etiam veritatis expreſſam figuram intueri licet in hiſtoria Naam Syri leproſi, qui ut 4. *Reg.* 9. refertur, cùm ſepties aqua Iordanis ſe abluiſſet, ita à lepra mundatus eſt, ut ejus caro, caro pueri videretur.

Nec obeſt, quòd ſuſcepto baptiſmate concupiſcentia vel fomes ad agonem renatis relinquatur. Non obeſt, inquam, quia concupiſcentia, tametſi à peccato ſit, ad peccatumque inclinet, unde & interdum peccatum nominatur, reapſe tamen à peccati natura longè abeſt, ſi voluntatis conſenſum conjunctum non habet, vel illius in reprimendis cupiditatis motibus negligentiam. Igitur per baptiſmum *rejiciuntur in profundum maris omnia peccata noſtra*, ut prædixerat *capite* 7. Michæas, ut ſicut Ægyptii in mari ob-

ruti ſunt, ita in baptiſmo immerſa & extincta intelligantur omnia peccata. *Quis ergo dicit*, ait Magnus Gregorius lib. 9. epiſt. 39. *peccata in baptiſmate funditùs non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Et Bernardus *ſerm* 39. in Cantica: *Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de ſæculo: ibi proſternitur Pharao, hic diabolus: ibi ſubvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia & ſæcularia deſideria, quæ militant adverſus animam, ſubruuntur: illi in fluctibus, iſti in fletibus: marini illi, amari iſti.* In hoc ergo Sacramento dat nobis Deus cor novum, & ſpiritum novum; cor mundum creat in nobis, & ſpiritum rectum primi peccati granditate amiſſum, innovat in viſceribus noſtris. *Conſiderandum*, inquit Hieronymus *in cap.* 36. Ezechielis, *quòd cor novum & ſpiritus novus detur per aſperſionem & effuſionem aquæ.* Hinc Ambroſius *præfatione in Pſalm.* 118. docet, *in baptiſmo ſtatim fieri plenam purgationem.* Quam etiam Auguſtinus in Enchirid. cap. 64. *Magnam indulgentiam* appellat, *in qua ſolvatur omnis reatus & ingeneratus & additus.* Unde *lib.* 14. *de Trinitate, cap.* 17. ſic concludit: *In baptiſmo fit renovatio remiſſione omnium peccatorum, neq; enim vel unum quantulumcunque remanet, quod non remittatur.*

Secundus baptiſmi effectus eſt totius pœnæ peccatis debitæ plena relaxatio. Nam per baptiſmum ita copioſè communicatur virtus Paſſionis, ut per ipſum, teſte Apoſtolo, Chriſto commori, & conſepeliri dicamur. Unde D. Thomas *quæſt.* 69. *art.* 2. hanc mirabilem conſequentiam intulit: *Ex quo patet, quòd omni baptizato communicatur paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe paſſus, ac mortuus eſſet. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter ſatisfeciſſet pro peccatis ſuis.* Quorum verborum ſenſus eſt, eodem modo remitti pœnam baptizatis, ac ſi in Chriſto, & cum Chriſto mortui fuiſſent, & mortem Hominis-Dei in ſe pertuliſſent, Deoque illam pro peccatis obtuliſſent. Ad cujus reconditæ doctrinæ (quâ baptiſmus ita attollitur, ut evehi altiùs non poſſit,) claritatem conſiderandum eſt, intimam eſſe caput noſtrum Chriſtum inter, & membra myſtica ſeu fideles unionem, ratione cujus quæ ad Eccleſiam, & viva ejus membra ſpectant, ſibi Chriſtus tanquam propria aſſerat. Sic *Pſal.* 21. delicta fidelium facit ſua Redemptor amantiſſimus: *Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Hinc Paulo Eccleſiam inſequenti, dixit Actor. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ratione ejuſdem ineffabilis communionis, quæ ad Chriſtum caput ſpectant, fidelibus etiam membris ejus attribuuntur, præſertim verò paſſio & mors, quam non pro ſe, ſed pro membris ſuis benigniſſimus Servator toleravit. Quia ergo per baptiſmum potiſſimè virtus nobis applicatur Paſſionis, conſepulti enim ei ſumus per baptiſmum in mortem; hinc fit, eodem nos planè modo per baptiſmum conſequi remiſſionem totius culpæ ac pœnæ, ac ſi cum Chriſto mortui fuiſſemus, divino ejus cruori immerſi, lavantes ſtolas noſtras, & candidas eas facientes in ſanguine Agni.

Dicunt Philoſophi, quòd corruptio unius, eſt generatio alterius; ſed ita tamen reſpōdet genitum corrupto, ut proportio quædam, & conſonantia ſerventur; ex corruptione quippe frumenti non lolium germinat, ſed frumentum; quia agens quod corruptione unius aliud generare intendit, ſimile ſibi efficere nititur, quantùm poteſt. Ergo ex corruptione & morte Hominis-Dei, quâ non virginea quidē caro corrupta fuit, ſed unio animæ cum corpore diſſoluta, generantur filii tali mortuo digni, id eſt, parvi Dii, juxta illud Pſal. 81. *Ego dixi, Dii eſtis*; id eſt, novæ creaturæ, divinam naturam gratiæ perfuſione participantes, juxta illud 2. Petr. 1. *Magna & pretioſa nobis donavit, ut divinæ ſimus conſortes naturæ*; id eſt, parvi Chriſti, juxta tenerrimam illam magni Apoſtoli vocem, Gal. 4. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus*, id eſt, tandem filii Dei, juxta illud diſcipuli amoris oraculum 1. Joan. 2. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Rurſum, quia juxta probabiliorem Ariſtotelis & S. Thomæ ſententiam, in generatione ſubſtantiali fit totalis uſque ad materiam primam reſolutio, ita ut nihil prorſus, materiâ nudâ exceptâ, maneat in genito, quod erat in corrupto: ſic in generatione iſta ſpiritali, nihil prorſus veteris hominis perſeverat, ſed generantur filii adoptionis abſque ruga ulla & macula, & abſque omni prorſus pœnæ reatu. Unde, ut docet D. Thomas *q.* 68. *art.* 5. nulla adultis poſt immania quæque ſcelera baptizatis imponitur pœnitentia, quæ paſſioni & morti Redemptoris foret injuria; illi enim baptizati incorporantur, & pretioſi ſanguinis pretium ſin totaliter, certè ſibi totum ebibunt ad ſalutem.

Dices: In primitiva Eccleſia Gentilibus & Judæis ad fidem converſis, aliiſque catechumenis longa jejunia, orationes, eleemoſynas, aliaque pietatis officia indicere ſolenne erat, antequam aquis baptiſmatis mundarentur. Ergo ſignum eſt, totam peccatis debitam pœnam minimè condonari, alioquin fruſtra impoſita fuiſſet tot dierum pœnitentia.

Reſpondeo, ritu illo ſalutari, non tam peccatorum ſatisfactionem proximo baptiſmate obtinendam præcipuè inſpexiſſe Eccleſiam, quàm filios piam Matrem admonere voluiſſe, tum grandem eſſe baptiſmatis dignitatem, ad cujus ſuſceptionem deſiderabatur jejuniorum, orationum, aliorumque piorum officiorum eximius apparatus. Tum intelligere eos volebat Eccleſia, qualis futura eſſe deberet veri Chriſtiani mundo mortui vita, quæ & à peccatoribus, & ab innocentibus poſtulat pœnitentiam, quâ illi peccata luant, iſti peccata præcaveant, & ingentem meritorum copiam cum Dei gratia ſibi aſciſcant. Tum ad conciliandum in eorum animis verum internumque animi dolorem ex peccatis ante baptiſmum patratis conceptum, & ad gratiam baptiſmi recipiendam, declarante ſacro Tridentino *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. omninò neceſſarium: ſicut enim juxta Bernardum humiliatio humilitatem parit, ſic externis pœnitentiæ officiis ad internum mœrorem via ſternitur ac munitur.

Dices rurſus: Si per baptiſmum omnis peccato debita pœna condonaretur, deberent etiam per ipſum omnes vitæ hujus pœnalitates auferri, deberent baptizati ab omnibus hujus vitæ miſeriis liberari, atque in illum optatiſſimum beatitatis gradum, in quo protoparens conditus fuerat, ſacræ ablutionis virtute transferri; non enim eſt major ratio, cur tollat omnem pœnam peccato debitam, & non tollat pœnalitates, quæ ex peccato profectæ ſunt. Conſequens autem eſt contra experientiam quotidianam, quâ in corpore mortis hujus gemere etiam renatos compertum eſt. Ergo per baptiſmum non omnis remittitur pœnæ reatus.

Reſpondeo, præſentis vitæ ærumnas & labores, aliaſque quas pœnalitates vocant, per baptiſmum in hoc ſæculo non auferri, ſed ejus virtute in futura vita ablatum iri, quando mortale hoc induet immortalitatem, quando quod ſeminatum eſt in corruptione, ſurget in incorruptione; quod ſeminatum eſt in ignobilitate, ſurget in gloria; quod ſeminatum eſt in infirmitate, ſurget in virtute. Nec ſanè decuit ita nos reparari, ne propriæ miſeriæ obliti, naturæ vigori tribueremus, quod à gratia ſperandum eſt. Accedit, non debere per baptiſmum Chriſtianos ab aliis calamitatibus liberari, quibus caput noſtrum Chriſtus obnoxius fuit, quem oportuit pati, & ita intrare in gloriam

ſuam,

ſuam; ſed potiùs congruebat, ut in ærumnis illis plenam ſegetem, & materiam virtutis haberemus, ex qua deinde ampliora gloriæ præmia conſequeremur; nam Chriſto compatientes, conregnaturos quoque certiſſimum eſt; & bonum certamen certantes, curſum conſummantes, fidem ſervantes, immenſum manere gloriæ pondus, eiſque repoſitam eſſe coronam juſtitiæ, fides catholica veriſſimè docet. Ergo ad baptiſmum accedentes, non præſentis vitæ commoda, caduca illa quidem & incerta, ſed futuræ vitæ præmia, vera illa & æterna ſperent & conſectentur. Interim Domini noſtri Jeſu Chriſti morti inſiti, & ſimilitudini mortis ejus complantati, Crucifixum ducem læti ſequantur, crucem libenter ferant, in hujusque ærumnoſæ vitæ ſtadio ſeipſos exerceant, ut in acie invicti ſtantes, nullis laboribus fatigentur, nullis adverſitatum moliminibus concutiantur, nullis demum periculis, aut objectaculis retardentur, quominùs ad ſupernæ vocationis bravium omni ſtudio ſine intermiſſione contendant. Præclarè Auguſtinus in Enchir. cap. 66. *Grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium; ut etiam parvulos videamus poſt lavacrum regenerationis diverſorum malorum afflictione cruciari; ut intelligamus totum, quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertinere.* Maximè, quia renovatio, quam per baptiſmum obtinemus, ſecundùm ſpiritum eſt, non ſecundùm carnem, juxta illud Apoſtoli Rom 8. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vivit, propter juſtificationem.*

Tertius baptiſmi effectus eſt infuſio gratiæ ſeu divinæ illius qualitatis in anima inhærentis, quâ divinæ efficimur conſortes naturæ, Deoque grati efficimur. Neque enim per baptiſmum eripimur ſolùm à poteſtate tenebrarum, ſed etiam transferimur in regnum Chriſti, & adoptionem filiorum Dei, atque hæreditatem vitæ æternæ. Hac de cauſa vocatur baptiſmus regeneratio, renovatio, juſtificatio, ſanctificatio, juxta illud Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti.* Et 1. Cor. 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Hinc Chryſoſt. *hom. ad Neophitos*, cujus meminit Auguſt. lib. 7. contra Julian. cap. 6. *Benedictus*, inquit, *qui fecit mirabilia ſolus, qui fecit univerſa, & convertit univerſa. Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò antè captivi; & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & juſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim tantùm ſunt liberi, ſed & ſancti; non tantùm ſancti, ſed & juſti; non ſolùm juſti, ſed & filii; non ſolùm filii, ſed & hæredes; non ſolùm hæredes, ſed & fratres Chriſti; nec tantùm fratres Chriſti, ſed & cohæredes, ſed & membra; non tantùm membra, ſed & templum; non tantùm templum, ſed & organa Spiritus. Vides, quot ſint baptiſmatis largitates. Et nonnulli deputant cæleſtem gratiam in peccatorum tantùm remiſſione conſiſtere: nos autem honores computavimus decem.*

Quartus effectus eſt infuſio virtutum gratiam comitantium, quibus ad chriſtianæ vitæ officia inclinamur. Hanc virtutum beatiſſimam copiam indicat Apoſtolus *ad Titum 3.* dum teſtatur, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritum ſanctum *effundi in nos abundè.* Et certè, ſi in catechumenis tantus aliquando fidei, charitatis, & aliarum virtutum fervor appareat, ut pro Deo & fratribus animã ponere ſuam ſint parati; ſi Spiritus ſanctus domicilium ſibi præparans, tanta catechumenis dona effundit, quantùm credendus eſt ſecum afferre gratiarum, cùm jam venit ad inhabitandum, atque domum ſibi à ſe paratam ingreditur. Venit profectò innumerabilis honeſtas per manus illius, & omnia bona pariter cum illo. Hinc Proſper *lib. de vocat. Gent. cap. 18.* ait: *Originem veræ juſtitiæ in regenerationis ſacramento poſitam eſſe, ut ubi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas creatur.* Ratio etiam eſt clara, quia virtutes infuſæ ſunt proprietates à gratia indiviſæ, ut in tractatione de Virtutibus ex profeſſo demonſtravimus, ibique Patrum, & Concilii præſertim Viennenſis nitentiſſima teſtimonia produximus. Ergo ſicut gratia, ita & virtutes per baptiſmum infunduntur.

Nec obeſt, quòd in baptizatis difficultas ad bonum, & pronitas ad malum inveniatur: ergo baptiſmo non ingeneratur ſuavis illa facilitas, quæ genuinus eſt virtutum fructus. Reſpondetur enim, ſuperſtitem illam difficultatem recti in juſtificatis permanentem, probare quidem, virtutes illas nondum in actus prorupiſſe ſuos, & frequenti exercitio moras nondum corporis peccati animam aggravantis rupiſſe; ſed minimè efficere, non fuiſſe nobis miniſtrata arma ſalutis, quibus & concupiſcentiæ impetus ſuſtinere, & illos etiam impugnare valeamus. Datur ergo nobis in juſtificatione enſis ſpiritualis, ſed veluti in vagina hæret; noſtrum eſt diſtringere, eoque vitia jugulare. Sed de his ſatis loco de virtutibus memorato. Addit etiam S. Thomas *quæſt. 69. art. 4. ad 3.* quòd ſicut *per baptiſmum diminuitur concupiſcentia, ut non dominetur; ita etiam diminuitur difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, ne homo ab his ſuperetur.* Hinc Auguſtinus lib. de peccatorum meritis, cap. 39. *Nec grandibus*, inquit, *id præſtatur, niſi fortè miraculo omnipotentiſſimi Creatoris, ut lex peccati, quæ ineſt in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non ſit; ſed ut quidquid malum ab homine factum, dictum, cogitatum eſt, cùm eidem concupiſcentiæ ſubjecta mente ſerviret, totum aboleatur, ac veluti factum non fuerit, habeatur; ipſa verò ſoluto reatus vinculo maneat in certamine.*

Ex illa gratiæ, & virtutum infuſione, quâ novus homo Chriſto incorporatur, & divini luminis abundantia, & uberrima bonorum operum fœcunditas derivantur, ut docet D. Thomas *art. 5.* qui eſt quintus baptiſmi effectus. *Per baptiſmum*, inquit, *aliquis incorporatur Chriſto quaſi membrum ipſius. Sicut autem à capite naturali derivatur ad membra ſenſus & motus, ita à capite ſpirituali, quod eſt Chriſtus, derivatur ad membra ejus ſenſus ſpiritualis, qui eſt per gratiæ inſtinctum; unde Ioan. 1. dicitur: Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine ejus omnes accepimus.* Sanè ſicut ad veterem hominem pertinet non ſolùm peccatum, verùm etiam ignorantia & tenebræ; ita ad novum non tantùm ſanctificatio per gratiam, ſed etiam illuminatio per fidem attinet. Hinc, ut ſupra à nobis obſervatum fuit, baptiſmus apud Patres Sacramenti illuminationis nomen ſortitum eſt. Hinc etiam Apoſtolus rememorari nos priſtinos dies, in quibus illuminati ſumus, *Hebr. 6.* monet. Et ad Coloſſ. 1. *De tenebris*, inquit, *nos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Et ad Epheſ. 1. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Hinc Auguſtinus docet, cæcum natum typum eſſe generis humani, primi peccati prævaricatione occœcati; & ſicut cœcus ille, tametſi priùs à Chriſto inunctus, non priùs tamen lumen recepit, quàm in natatoria Siloë lavaretur; ita catechumenus fidei lumine, vel certè luminis illius abundantiâ priùs non perfunditur, quàm ſacris baptiſmatis undis intingatur. Quod lumen eam demùm fidem eſſe ait, quæ charitatem conjunctam habet. Quia abjicere opera tenebrarum, induere arma lucis, in luce ambulare, opera lucis efficere, Scripturæ ſacræ variis in locis præcipiunt. Unde infert Ioannes *cap. 1.* ſuæ primæ: *Tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.*

Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc. Quòd ſi odium tenebræ ſunt, profectò Chriſtianorum lux charitas eſt, vel certè fides per dilectionem operans.

Sextus baptiſmi effectus eſt animi pax, & ſacra tranquillitas, quæ exſuperat omnem ſenſum, unde bona, pacata, & ſuavis conſcientiæ requies proficiſcitur, quam Princeps Apoſtolorum *cap.* 3. ſuæ primæ epiſtolæ, *conſcientiæ bonæ interrogationem ad Deum* appellat; quia qui verè regeneratus eſt, accedit ad Deum *de corde puro, & conſcientia bona*, ut dicitur 1. *Timoth.* 1. Et quamvis cum Petro *Luc.* 5. humilitatis conſcius dicat: *Exi à me, Domine, quia peccator ſum*, cum Centurione indignum ſe divina familiaritate profiteatur, cum muliere illa evangelica ſanguinis fluxum patiente, retrò accedat, fimbriam veſtimenti timens & tremens attingere contentus; cum celebri, & ubicumque prædicatum fuerit Evangelium, celebranda peccatrice & pœnitente pedes oſculetur ac lacrymis riget, ratus cum Bernardo *ſerm. de Magdalena*, difficillimum profectò & præſumptuoſum ſaltum eſſe, à veſtigiis ad verticem Domini tranſvolare; immenſâ tamen Chriſti dignatione præventus, & penè obrutus, poſt lavatos cõpunctionis unguento Chriſti pedes, poſt miſſos legatos pro ſuis doloribus lacrymas, ut Eccleſiæ Romanæ ſcripta ad Cyprianũ epiſtola loquitur, jam familiaris effectus, os Domini tremendum cum Sponſa oſculatur, & cum pœnitẽte multùm diligente caput ungit, tùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulat, & poſt pœnitentiæ luctum ad caſtos tranſilit amplexus, à mœrore tranſit ad pacẽ. Cujus exemplum in Auguſtino habemus, qui *lib* 9. *confeſſ. cap.* 4. de ſeipſo nondum renato ita ſcribit: *Fides me ſecurũ eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tunc remiſſa nondum erant.* De ſeipſo tamen jam regenerato addit: *Et baptizati ſumus, & fugit à nobis ſollicitudo vitæ præteritæ*, utpote animæ beatam ſerenitatem non ſine ingenti ſpiritus conſolatione conſequutis.

Septimus baptiſmi effectus eſt januæ cæleſtis apertio, quæ propter peccatum priùs erat intercluſa; non quòd janua cælorum fidelibus ſtatim atque baptizati ſunt, reſeretur; ſed quia opportuno tempore beatam vitam conſequuturi ſunt, cujus pignus in baptiſmate acceperunt, quo omne impedimentum obſtans, ne homines in cælum ingredi poſſint, tollitur, aliunde impedimento, quod ſe tenet ex parte naturæ, ſublato per Chriſtum, cui baptizatus incorporatur. Hinc Nazianzenus orat. 40. *Regni cæleſtis clavem* Baptiſmum appellat. Hinc Gloſſa Bedæ in illud Lucæ 3. *Apertum eſt cælum*, ait: *Oppoſita quondam noxiis romphæa extinguitur ignea, dum frigentibus aquis caro innoxia tingitur. Virtus hic baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cùm egreditur, regni cæleſtis ei janua reſeratur.* Et Matthæi 3. *Poſt acceptum baptiſma cæleſtis regni aditum patefactum monſtravit, ac flammeum gladium, quo Cherub cuſtos, excluſo primo Adam, paradiſum intercluſerat, ſecundus Adam in baptiſmo extingui, manifeſtavit.* Et Marci 1. *Quòd poſt baptiſma cælos apertos vidit, noſtri utique gratiâ factum eſt, quibus per lavacrum undæ regeneratricis janua panditur regni cæleſtis, quæ peccantibus quondam Protoplaſtis, ac paradiſo ejectis, toti generi humano (interpoſitis Cherubim & flammeo gladio) clauſa eſt. Extinguitur namque flamma hac unicuique fidelium, dum aquis vitalibus tingitur, adeò ut ſi percepta fidei Sacramenta puro corde & corpore ſervaverit, ſtatim ſolutus carne, regna poſſet intrare cæleſtia.* Hinc etiam Auguſtinus *lib. de nuptiis & concupiſcentia*, ſic accipiendum docet, quod ait Apoſtolus: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi.* Sic, inquam, accipiendum docet, ut omnia prorſus hominum mala chriſtiani lavacri ſanctitate tollantur, quo mundat Eccleſiam ſuam Chriſtus, ut eam ſibi non in iſto ſæculo, ſed in futuro non habentem maculam exhibeat. Et *lib.* 6. *cont. Julian.* ſic exarat: *Gratia perfectè hominem novum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamque felicitatem ipſa perducit.... Sed ad illam quoque perfectionem, quæ ſperatur, eodem baptiſmate, quod hic accipitur, pervenitur.* Et *cap.* 18. ſic: *Baptiſma totius fit cauſa ſanitatis, per quod & incipitur omnis novitas, & impletur.* Quorum, aliorumve Auguſtini teſtimoniorum ſenſus non ille eſt, quem moderni hæretici impiè comminiſcuntur, ut voluerit S. Pater, ſolâ Baptiſmi recordatione omnia per fidem remitti peccata, & januam cæli ipſa ſine pœnitentia aperiri. Nunquam enim hujuſmodi ſententiis intendit Doctor ſanctiſſimus pœnitentiæ neceſſitatem, Sacerdotis abſolutionem, aut claves Eccleſiæ excludere, ſed baptiſmum toti vitæ chriſtianæ utilem eſſe voluit, cùm de parvulo baptizato, qui ætatis acceſſu propriâ actione malus futurus eſt, *epiſt.* 23. diſertiſſimè dicat: *Tunc propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur.* Baptiſmo ergo & totius vitæ ſanctimonia, & cælorum ingreſſus eo modo aſſeruntur, quo nativitati, & his, quæ à parentibus naſcentes accipimus, robur & virilis perfectionis complementum tribuitur, & acceptum refertur, quamvis nec ſine aliis adminiculis conſervetur illæſum, nec reparetur læſum. Cùm enim per baptiſmum prima vita collata ſit, niſi baptiſmus præcedat, nullus eorum ſperandus eſt fructus, quæ poſtea adhibentur, juxta illud ejuſdem Auguſtini lib. 1. de nuptiis, cap. 33. *Quid prodeſſet, vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet?*

Sed contra hunc effectum objici multorum poteſt Patrum authoritas, qui Chriſtianos Clinicos, id eſt, in lectum uſque mortis baptiſmum procraſtinantes, evitaturos quidem illos ſupplicia ajunt, gloriam tamen minimè aſſequuturos; ita enim indicat Nazianzenus *orat.* 26. & in oratione, quâ ad baptiſmum adhortatur: & Baſilius in adhortatione ad baptiſmum, circa finem: & Nyſſenus in exhortatione ad eos, qui tardiùs baptiſmum, ubi homines futuræ vitæ in tres claſſes diſtinguit: prima eſt *dignorum & juſtorum*, ſecunda eorum, *qui nec honore, nec ſupplicio afficientur*; tertia eorum, *qui peccatorum pœnas luunt*; additque, homines funeri proximos baptiſmum recipientes, in ſecundi ordinis numero reponi. Verùm hæc Sanctorum dicta ſignificant ſolùm mox baptizatos acceptum baptiſmi talentum nullâ ſpirituali negotiatione cumulantes, minimo felicitatis gradu eſſe donandos, non verò illam gloriam aſſequuturos, quæ ſtrenuè certantibus & emeritis, & veteranis militibus per modum mercedis debetur.

Octavus baptiſmi effectus eſt character, de quo ſatis ſuperque diſſertatione ſuperiori ſermonem habuimus. Imprimitur itaque per baptiſmum ſpiritualis quædam poteſtas ad ea participanda, quæ toti fidelium populo ſunt communia, quâ veluti quadam teſſerâ civis Eccleſiæ ab infidelibus diſcernitur, & jure chriſtianæ civitatis donatur, omnium illius commodorum & privilegiorum particeps factus. Quæ quidem nota ita indelebilis eſt, ut nullo ſcelere, nulla defectione, nullis inferni flammis obliterari poſſit, ſicut, inquit Auguſtinus *lib.* 2. *cont. epiſt. Parmenian. cap.* 13. regale ſignum monetæ impreſſum etiam inter hoſtes, & peregrinos, & à Rege remotiſſimos, illam etiam contra Regem adhibentes permanet. Hac de cauſa Baptiſmus iterari nequit: tum quia character baptiſmalis

ſinalis nullâ unquam malitiâ delendus, baptiſmi iteratione non eget. Tum quia Chriſtianus eâ characteris obſignatione indelebili Deo æternùm conſecratus manet; res verò Deo ſemel conſecrata, cùm ex ipſa conſecrationis natura perpetuò talis maneat, iteratâ conſecratione non eget. Tum, quia ſicut naturali virtute ſemel tantùm generamur, & in lucem edimur, ita unica eſt ſpiritalis regeneratio: *Quemodo uterus non poteſt repeti*, ait Auguſtinus tract. 11. in Joan. *ſic nec baptiſmus.* Tum, quia per baptiſmum ſimilitudini mortis Chriſti complantamur, in morte ipſius baptizati, conſepulti cum illo per baptiſmum in mortem, ut ſicut Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, ut patet *Rom.* 6. At *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ut ibidem ait Apoſtolus. Et Princeps Apoſtolorum *cap.* 3. ſuæ 1. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt.* Ergo ſemel tantum Chriſto per baptiſmum commori, conſepeliri, conreſurgere datum eſt. Hinc Apoſtolus *Heb.* 6. ait, impoſſibile eſſe eos, qui ſemel illuminati ſunt, id eſt baptiſmate ſuſcepto, ad fidei lumen vocati, ad pœnitentiam renovati, id eſt, iterum baptizari, rurſum ſibi crucifigentes baptiſmi iteratione Filium Dei. Denique baptiſma in remedium peccati originalis primò, & per ſe inſtitutum eſt: ergo ſicut peccatum originale deletum ſemel, nunquam revocatur, ita ex perpetua Eccleſiæ traditione unanimi Patrum & Conciliorum conſenſione firmatâ, non niſi ſacrilegè baptiſmus iteratur; quin nec ſi iteretur, baptiſmus eſt, ſed impia ablutio, ſicut hoſtiæ conſecratæ nova conſecratio, non ſacrificium Altaris, ſed nefandum eſt ſacrilegium.

Et quamvis poſt ſolicitam diligentis examinis diſcuſſionem, quando incertum eſt, an aliquis ſit baptizatus, poſſit baptiſmus miniſtrari, qui fortè aliàs collatus eſt, quia ut Magnus Leo *epiſt.* 92. ait: *Si nulla extant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe, doceantur; agendum eſt, ut renaſcantur, ne manifeſtè pereant. In quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, ut videatur iteratum.* Cui conſonat illud Innocentii III. *extra de Presbytero non baptizato*, cap. *Veniens. Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum; nec male de Sacramento ſentitur, cùm illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit.* Attamen ex Alexandri III. *extra de baptiſmo & ejus effectu*, decreto, baptiſmus tunc non abſolutè, ſed ſub conditione miniſtrandus eſt. Et quamvis eo ſapientiſſimo conſilio iterationi proviſum ſit, non tamen propterea ob quamcunque levem in contrarium ſuſpicionem debet hæc conditionata adminiſtratio frequentari: *Ne dum ſpeciem quandam cautionis tenemus*, inquit *epiſt.* 37. Magnus Leo, *in damnum regenerandarum incidamus animarum.* Hinc Catechiſmus Romanus *titul. de baptiſ. num.* 56. ſeriò monet, baptiſmum ſub conditione, magna eſſe cum cautela miniſtrandum; quia tunc ſolùm conceditur, quando re diligenter perquiſitâ, dubium juſtum relinquitur, an baptiſmus ſuſceptus fuerit: alioquin nunquam fas eſt baptiſmum cum adjunctione, ſeu conditione alicui miniſtrare: tum, ne baptiſmi inſtitutioni repugnemus, ſi ſubjecto incapaci adhiberi tentatur; tum, ne contra reverentiam Sacramenti agamus, quaſi ſemel datū eſſet inſufficiens; tum, ne baptiſmi ſignificationi adverſemur, qua Chriſto ſemel tantùm pro nobis mortuo, commori perhibemur. Et præ oculis habenda eſt ſolida illa Innoc. III. ſuprà laudati maxima: *De illo, qui natus ex Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probetur.* Unde ſcrupulus Sylvii *quæſt.* 66. *art.* 3. *quæſito* 3. exiſtimantis, baptizatos quoſcumque ab hæreticis noſtri temporis, eſſe ſub conditione baptizandos, minimè probatur, cui ex dictis de Sacramentis in communi, ubi de conditionibus ad integritatem Sacramenti neceſſariis actum eſt, ſatis ſuperque ſatisfactum manet.

Dices: Si baptiſmus tot effectibus fœtus & fœcundus ſit, vel eos omnibus baptizatis peræquè infundit, vel inæqualiter: non poteſt autem dici, effectus illos eſſe æquales, cùm ad oculum videamus, in quibuſdam baptizatis nedum adultis, ſed etiam parvulis, ampliorem teneriore virtutum gratiam; quoſdam enim puerulos videre eſt ad omnia pietatis officia comparatos & veluti fictos, alios verò cernimus indocilis ingenii, indolis intractabilis, ad malumque pronos ab adoleſcentia. Ergo non tot gratiarum rivi, quales deſcripſimus, à baptiſmi ſacro fonte derivantur.

Reſpondeo ex D. Thom. *quæſt* 69 *art.* 8. baptiſmum non ſolùm characterem, qui cùm ſit potentia, augmenti vel inæqualitatis incapax eſt, in omnibus æqualem producere, ſed etiam ſpiritalis vitæ per gratiam novitatem æqualem in omnib⁹ efficere, qui æqualiter ſe habent ad baptiſmum. Unde quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad baptiſmum utpote qui non in fide propria, ſed Eccleſiæ baptizantur, omnes æqualem in baptiſmo percipere effectū neceſſe eſt. Adulti verò, inquit, quia per propriā fidem ad baptiſmū accedunt, non æqualiter ſe habent ad baptiſmum; quidam enim cum majori, quidā cum minori devotione accedunt; & ideò quidam plus, quidam minùs de gratia novitatis accipiunt: ſicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licèt ignis, quantùm eſt de ſe, æqualiter ad omnes ſuum calorem effundat. Unde non mirum, ut in reſponſione ad 2. obſervat, ſi in adultis major, vel minor gratia pro ſuſcipientis inæquali devotione refulgeat. Maximè, quia æqualem gratiam in baptiſmo perceptam non æqualiter omnes liberi arbitrii cooperatione colunt; ſed un⁹ ſtudioſiùs in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deeſt. Nec obeſt major illa ingenii intractabilis pervicacia in quibuſdam parvulis, qui non ſunt ſortiti animam bonam, erumpens; quia ex diverſa corporis & temperamenti diſpoſitione, ad quam perſanandam baptiſma inſtitutum non eſt, proficiſcitur. Unde S. Thomas concupiſcentiæ extinctionem, vel majorem mitigationem, ſicut & corporis ſanitatem è baptiſmate interdum ſequutas, effectus per accidens appellat; quia illos divina virtus in hoc Sacramento miraculosè operatur. Et tales effectus non ſolùm in parvulis, ſed nec etiam in adultis, etiam cum æquali devotione accedentibus, æqualiter ſuſcipiuntur, ſed ſecundùm divinæ ordinem providentiæ diſpenſantur. Unde baptiſmus eum effectum, ad quem producendum eſt inſtitutus, in omnibus æqualiter accedentibus æqualem habet. Hinc Cyprianus *lib.* 4. *epiſt.* 4. docet, quòd ſicut manna ab omnibus æqualiter, videlicet ad menſuram gomor, colligebatur, ut patet *Exodi* 16. ita baptiſmi indulgentia & cæleſtis gratia, quæ per baptiſmum datur, æqualiter omnibus dividitur. *Planè eadem gratia ſpiritualis*, inquit, *quæ æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in converſatione atque actu noſtro poſtmodum vel minuitur, vel augetur; ut in Evangelio dominicum ſemen æqualiter ſeminatur, ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam vel triceſimi, vel ſexageſimi, vel centeſimi numeri fructu exuberante cumulatur.* Hinc etiam Auguſtinus lib 3 contra Creſconium cap. 6. *Per miniſtros diſpares*, inquit *Dei munus æquale eſt, quia non illorum, ſed ejus eſt.* Quod & alibi perſæpè inculcat.

Scio Eſtium eorum non improbare ſententiam, qui docent, quòd ſicut quis propriâ devotione Deo magis appropinquat, ideoque plus gratiæ percipit; ita etiam aliena devotione, velut dum ſanctiores pro uno magis quàm pro alio orant, majoris etiam gratiæ unus præ alio particeps fit. Nihil enim prohibet, quominùs alicui auctior à Deo gratia conferatur propter merita, vel orationem alterius, etiamſi ipſe actuali devotione ad talem effectum non concurrat; quandoquidem & prima gratia converſionis, ſeu bonæ voluntatis ſimili modo datur etiam averſis & malè operantibus. Scio etiam alios opinari, majorem gratiam parvulis interdum ratione prædeſtinationis conferri.

Sed utraque opinio à S. Thomæ mente, uti vidimus, aliena eſt; parum etiam veritati videtur conſentanea, & in re gravi abſque Scriptura & Patribus, conjecturis nimium indulgens. Etenim cùm Deus prædeſtinat ad gloriam beneficiorum omnium finem, media etiam ordinaria ad illum finem aſſequendum, juxta ſolitum providentiæ ſuæ curſum præparat: Baptiſmus autem, vel aliud quodvis legis novæ Sacramentum, non eſt medium ordinarium ad auctiorem gratiam, ſine auctiori recipientis diſpoſitione habendam; unde ſicut ratione prædeſtinationis non ſalvatur parvulus ſine Sacramento, vel martyrio; ita nec cum Sacramento majorem gratiam accipit, qui æqualem diſpoſitionem affert: alioquin ſi conjecturis agendum eſt, dicam etiam, extra Sacramenti rationem & intuitu prædeſtinationis inæqualem gratiam inæqualiter merentibus conferri. Nec ad hoc producendum baptiſmalis gratiæ incrementum juvant miniſtrorum, vel aſtantium preces: ſi enim id ſemel concedatur, noxia erit Patrum doctrina, unâ voce dicentium, per malos miniſtros nihil Sacramentorum effectibus deperire; falſum erit baptiſmum effectus ſuos vi operis, ut ajunt, operati efficere, nec ullam contingere effectus varietatem, niſi varius ſit ſuſcipientis apparatus; falſa denique erit illa communi Theologorum calculo probata ſententia, gratiam habitualem juſtum aliis non aliter promereri, niſi quatenus bonum quemdam animi motum precibus ſuis impetrat, quo afflatus ille, pro quo orat, pias ſuſcipit de ſua converſione, vel profectu ampliore cogitationes, cujus pueros incapaces eſſe, per ſe notum eſt.

REFLEXIO.

Oſtende fidem tuam ex operibus, oſtende baptiſmum ex effectis. Unum baptiſmi effectum, characterem nimirum, Chriſtiani retinent, quem amittere iniquitate ſua non poſſunt; cæteros baptiſmi effectus, quos tamen lavacro aquæ effundi, Apoſtolus teſtatus eſt, in illis deſideramus, in quibus nulla ſplendet gratiæ ſanctimonia, non virtutum vigor, non pietatis ſenſus, non cæleſtis luminis radii, non vitæ interioris motus percipiuntur. A fructibus eorum, ab effectibus ordine recenſitis cognoſcetis eos. Pietatis illi quidem ſpeciem habent, Chriſtiani nomen & ritus; virtutem autem abnegant, quia ſinceram & certam Deo placendi voluntatem non habent, quâ ſe præditos opinantur, cùm veræ pietatis vim & notionē perſpectam non habent. Gratia baptiſmi re & effectu perſpicitur. Effectus porrò, non verba ſunt, ſed opera, ſed religioſus Dei cultus, ſed accurata divinæ voluntatis obſervantia, ſed fidelis cæleſtium mandatorum obedientia. Quicumque ergo baptizatus es, ad temetipſum retrorſum recurre, ut Magni Gregorii verbis utar; baptiſmi gratiam num habeas, exquire, nec tamen citò credas, quidquid animus ſine operis atteſtatione reſponderit: gratiam baptiſmi latentem operibus ſanctis demonſtra, otioſam operibus excita, virum te nominis tui, id eſt Chriſtianū, Chriſti imitatione proba: alioquin tibi gratiâ Baptiſmi te præditum affirmanti, ut aſſentiar, nihilo magis adduci poſſim, quàm ut Dei verbo fidem, ſanctis Patribus aſſenſum derogem, non uno aut altero loco, ſed ubivis, ſed paſſim, ſed univerſa ſacrorum librorum mole conteſtantibus, Chriſtiani hominis pietatem ſanctorum operum fructu dimetiri nos oportere. Lege, ſi placet, ſacros Codices, & ad libri aperturam invenies, ſolos illos beatos eſſe cenſendos, quorum in lege Domini voluntas, qui ambulant in lege Domini, qui mandata cuſtodiunt nimis, qui ea toto corde exquirunt, qui in via mandatorum delectantur ſicut omnibus divitiis, qui in mandatis exercentur; quorum meditatio mandata Dei, quorum conſilium juſtificationes ejus; qui adorant Patrem in ſpiritu & veritate, qui non diligunt verbo, neque lingua, ſed opere & veritate; qui ſicut Chriſtus ambulavit, & ipſi ambulant, & alia in idem paſſim obvia invenies.

Sæpè ſæpiùs hæc cogitatio accepta ab eximio Concionatore P. le Jeune, dicto Cæco, qui à multis annis oculis orbus, prædicare non deſtitit, & beatas aures meas reor, quibus virum adeò apoſtolicum audire datum eſt, animum pulſat. Chriſtianiſmus, inquiebat, religio eſt, cujus fundator Chriſtus, cujus propagatores Apoſtoli, cujus regula Evangelium, cujus vota promiſſiones in Baptiſmo nuncupatæ, cujus Præpoſitus Generalis Summus Pontifex, hujus verò aſſiſtentes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales; cujus Provinciales Epiſcopi, cujus proximi Superiores & Rectores Parochi, cujus ceremoniæ Sacramenta, cujus Capitula Concilia & Synodi, cujus teſſera charitas Dei & proximi. Quàm auguſta religio eo authore ſata, iis legibus munita, iis Superioribus gubernata, iis cæremoniis illuſtris! Quàm deploranda Lutheranorum & Calviniſtarum ſors ab iis omnibus religionis notis deſerta! Porrò Chriſtianiſmus religio eſt: ergo Chriſtiani Religioſi ſunt; ſi Religioſi ſunt, ergo ad regulam à fundatore noſtro Chriſto latam mores exigere ſuos tenentur, quam divinus Legiſlator priùs exequi voluit, quàm verbo propalare, vel à diſcipulis ſuis ſcriptis evangelicis tradi paſſus ſit; cœpit enim facere & docere. Hac de cauſa communem vitam inſtituit; hominis in morem vivere voluit Deus-homo, quò accommodatam, & tam variis diverſorum ſtatuum & ordinum hominibus vitæ formam ineffabili charitatis ſuæ omnibus omnia factæ dignatione præberet. Si Chriſtiani Religioſi ſunt, profectò Chriſtianiſmi deſertores cenſendi ſunt, irreligioſam vitam agentes: aſcriptitii duntaxat, & titulo tenùs Chriſtiani appellandi ſunt, qui latam à Chriſto regulam non cuſtodiunt, qui ab evangelio perverſis moribus deflexerunt, quia ad Baptiſmi votorum præſtationem ſe redigi non ſinunt; uno verbo, qui ambulare, ſicut Chriſtus ambulavit, non ſatagunt. O tempora, ô mores, ô Chriſtianæ Religionis damnandam oblivionem, & proculcationem! Solam in Monachis & Regularibus reformationem, & ad priſtinæ fundatorum ſuorum regulæ reſtitutionem probamus, Chriſtianorum Chriſti Religionis Profeſſorum inſtaurationem non modò non ferunt hujus ſæculi Chriſtiani; ſed ſi qui ſunt, qui Chriſtianorum inſtaurandorum morum cogitationem ſuſcipiunt, ſtatim eos accuſant novitatis, heterodoxiæ, Lutheraniſmi, Janſeniſmi, & cujus non? Ubinam gentium ſumus? Quò tandem devenimus? Illosnè ſolos Chriſtianæ Religionis amantes dicemus, qui Chriſtianas regulas conſuetudine & tempore antiquari, probabilitate enervari, diſtinctionibus eludi opinantur? Illine Antichriſtiani ſoli credendi ſunt, qui ad Evangelica inſtituta & mores exigunt ſuos, & alios exigere docent; qui arctā cæli viam ex Evangelii præcepto incedentes, manifeſtas Evangelii corruptelas, Romanæ & Catholicæ

lica

licæ Eccleſiæ decretorum depravationes, diſciplinæ everſiones, ſacræ Hierarchiæ diſturbationes clauſis oculis non ſuſcipiunt, non probant, non laudant, quaſi Theologi hoc corruptis Chriſtianis pro ſervitio debeant, conari manibus, pedibus, dum lenimenta cupiditatibus quærant, noctesque & dies capitis periculum adire, dum proſint laxitati? Abſit, abſit prorſus; indignum eſt Chriſtianæ Religionis ſanctimoniâ & majeſtate. Solus ille novator, ſolus Antichriſtianus, ſolus etiam Antichriſtus cenſendus eſt, qui Chriſtum negat; Chriſtum verò negat, qui à Chriſto, Chriſtique Eccleſia vel hæreſis perverſitate, vel morum iniquitate recedit. Opportunè Auguſtinus *tract. 3. in 1. Joan. cap. 2.* expendens illud Diſcipuli amoris: *Quicumque negat quòd Jeſus non eſt Chriſtus, ipſe eſt Antichriſtus*, ſic ait: *Jam ergo quæramus, quis neget, & non attendamus ad linguam, ſed ad facta. Si enim omnes interrogantur, omnes uno ore confitentur Jeſum eſſe Chriſtum. Quieſcat paululùm lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, ſi ipſa Scriptura nobis dixerit, quia negatio non tantùm linguâ ſit, ſed & factis; certè invenimus multos Antichriſtos, qui ore profitentur Chriſtum, & qui moribus diſſentiunt à Chriſto. Quiſquis factis negat Chriſtum, Antichriſtus eſt. Non audio quid ſonet, ſed video quid vivat. Opera loquuntur, & verba requirimus.*

Speculatio III.

Sacræ baptiſmi ceremoniæ, variique ritus ordine exponuntur.

Tametſi cæremoniæ in baptiſmi celebratione ab Eccleſia Catholica divinitùs inſpirata adhibitæ, Sacramenti naturam non attingant, ſubindeque iis omiſſis validum ſit, integrumque Sacramentum; illicitè tamen miniſtraret, qui citra urgentis & moræ impatientis neceſſitatis articulum iis prætermiſſis Sacramentum illud perageret. Et certè tanta eſt Eccleſiaſticarum cæremoniarum ritè, piè, & graviter obſervatarum utilitas, tanta ſanctitas & majeſtas, ut ſicut Deo authore Sacramenta inſtituta ſunt, ita eodem inſpiratore ſacros illos ritus ab Eccleſia præſcriptos eſſe credendum ſit, quibus res eximiæ in Sacramentis latentes velut ob oculos ponuntur, & Chriſtianæ Religionis ſanctimoniam fidelium mentibus altiùs imprimunt; ut deinceps animus ad divina per hujuſmodi ritus manuductus, atque ad ſublimium myſteriorum cogitationem erectus, ad fidem, ſpem, charitatem, divinorumque venerationem, quæ præcipua ſolidæ pietatis argumenta ſunt, interiùs concitetur. Unde meritò ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 6. can. 13.* definivit in hunc modum: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolenni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.* Id in baptiſmatis longè auguſtiſſimis cæremoniis ampliùs clarebit, quarum aliæ baptiſmum antecedunt, aliæ comitantur, aliæ conſequuntur.

Prima cæremonia eſt aquæ conſecratio. Solet enim Eccleſia in vigilia Paſchatis & Pentecoſtes fontes baptiſmales ſolenniter benedicere, & magnâ religione ad baptizandum conſecrare. Quo in ritu Spiritum ſanctum invocat, ut aquas arcanâ ſui Numinis virtute fœcundet, quo ſanctificatione conceptâ, ab immaculato ſacri fontis utero in novam renata creaturam progenies cœleſtis emergat; ut procul omnis ſpiritus immundus abſcedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis abſiſtat; ut malignus ſpiritus nihil hic loci habeat, nec inſidiando circumvolet, nec latendo ſubrepat, nec inficiendo corrumpat. Quanvis enim Chriſtus Dominus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis aquas in Jordane ſanctificarit, undarum tamen purificationem Eccleſia poſtulare non deſinit; quia etiam illa, quæ Deus gratis & liberaliter dat, libenter etiam precibus noſtris impertitur: ſicut enim prædeſtinationem ad preces Sanctorum exequitur, ita effectus Sacramentorum orationibus Eccleſiæ largitur. Hac ergo de cauſa Deum orat Eccleſia, ut aquas ſimplices benedicat, quò præter naturalem emundationem, quam lavandis natæ ſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces.

Secunda cæremonia eſt ſtatio ad fores Eccleſiæ. Non enim domum Dei ingredi debent, qui nondum ſunt cives Sanctorum, & domeſtici Dei; ſed tandiu debent ab ejus introitu prohiberi, quandiu ſub peccati jugo tenentur, quo per Sacramentum depulſo, in Dei familiam excipientur.

Tertia cæremonia eſt Catechiſmus, quo præcipua Chriſtianæ Religionis capita exponuntur. Cùm enim baptiſmus ſit Chriſtianæ fidei Sacramentum, neceſſe eſt ut baptiſmate initiandus fidei veritates imbuat, ac proinde de illis erudiatur, ut ſciat cujus gratiæ in baptiſmo fit particeps, & cui jam debitor fiat deinceps. Et licèt pueri uſu rationis carentes doctrinæ capaces non ſint, tamen ut ex Auguſtino docet S. Thomas, ſicut mater Eccleſia accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, & aliorum cor, ut credant: ita etiam eis aliorum aures, ut audiant, accommodat; aliorum etiam intellectum, ut per alios inſtruantur.

Quarta cæremonia eſt patrini reſpondentis, & de ſacro fonte levaturi præſentia. Ex antiquiſſima enim conſuetudine patrini adhiberi ſolent, qui olim ſponſores, ſuſceptores, & fidejuſſores vocabantur, baptizandorum patres ſpirituales futuri, quorum operâ pueri in Chriſto ſemel generati, & in familiam Eccleſiæ aptati educantur, ac chriſtianæ vitæ ſanctiſſimis inſtitutis erudiuntur. Cùm enim Prælati, ipſi etiam populoſarum parœciarum Rectores infinitis occupationibus ſæpe diſtenti, his ſingularibus officiis vix ac ne vix quidem, eâ ſaltem quâ par eſt, accuratione ſedulò vacare poſſint, convenienter aliquis eligitur, qui vice nutritii ſpiritalis & pædagogi fungens, novitium & tyronem in fide ad omnem chriſtianæ vitæ rationem inſtituat, ut paulatim in Chriſto adoleſcat, donec tandem vir perfectus juvante Domino evadat.

Unde patrini meminiſſe debent, ſe hac potiſſimùm lege obſtringi, ut ſpiritales filios teneriori charitatis affectu proſequantur, eos ſibi perpetuò commendatos habeant, Eccleſiæ nomine doceant, & datâ ſibi authoritate paternè corrigant; ſua enim intereſſe ſibi perſuadere debent, ut ſpiritales filii tales ſe in omni vita præbeant, quales eos futuros eſſe ſpoponderunt. Quapropter non ſolùm filios ſpirituales ſuos Symbolum fidei Catholicæ, Orationem Dominicam, Decalogi præcepta, aliaque Chriſtianæ Religionis rudimenta vulgari & aperto idiomate docere debent; ſed eos etiam ſedulis adhortationibus commonere, ut mundi nequitiæ, pompis & vanitatibus renuntient, juſtitiam diligant, charitatem teneant, ad Evangelii ſacram regulã mores ſuos exigant, Eccleſiam Catholicam ament, Prælatos venerentur, divinis obſequiis, ſacriſque Concionibus, Parochorum præſertim, per hebdomadam Chriſtiani officii ſummam ad populum edicentium, inſtructionibus interſint; denique ſanctimoniam ſectentur, ſine qua nemo videbit Deum. Sed his temporibus patrini ſolo nomine contenti ſunt, nec conſiderant eum, qui ſe alterius pædagogum & cuſtodem profeſſus eſt, minimè pati debere, illum eſſe deſertũ, quem ſemel in fidem & clientelam ſuam recepit, illum ſi præſidio ſuo egere intel-

lexerit. Et quamvis ab ea cura liberi ſint; cùm filios à parentibus diligenter ad fidem & pietatem egregiè informari ſciunt; ſi tamen parentum incuriam vel ignorantiam perſpectam habent, filiorum ſpiritualium ſaluti pro virili curam impendere tenentur, memores illius S. Thomæ *q. 67. art. 8.* ſententiæ: *Unuſquiſque obligatur ad exequendum officium quod accepit. Dictum eſt autem, quod ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de illo.*

Quinta cæremonia eſt exorciſmus, ſeu adjuratio, quâ dæmon compellitur ut exeat, quo humanæ ſalutis nefarius hoſtis expellitur, ne ſalutem hominis impediat, qui omnes vellet ſuæ perditionis ſocios, ſuæ pœnæ participes. Fideli etiam datur intelligi, non eſſe ſibi ſolùm colluctationem adverſus carnem, ſed etiam adverſus poteſtates tenebrarum harum; & adverſarium noſtrum diabolum, tanquam leonem rugientem circuire ſemper, & quem devoret quærere: in qua tamen contentione animo frangi, aut debilitari chriſtianum hominem non decet; cùm communis hoſtis & paſſione Chriſti contritus, & Eccleſiæ precationibus infirmatus, nulli nocere poſſit niſi volenti. Quam quidem dæmonis per exorciſmum expulſionem ſignificat exſufflatio, qua poteſtas diaboli repreſſa & coërcita oſtenditur, ne procuranda per baptiſmum hominis ſalus quoquo modo impediatur. De hoc ritu ſermonem habet Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 34. *Quid in parvulo*, inquit, *agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non tenetur?* Et lib. 1. de ſymb. cap. 1. *Ideo parvuli exſufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, quæ decepit hominem, ut poſſideret homines.* Videatur S. Pater *lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 29.* ubi hunc ritum *antiquiſſimam traditionem* appellat, ex qua etiam probat, peccatum originale in parvulis. Hinc *lib. 2. cap. 18.* ait: *Accuſas* (Pelagius) *Eccleſiam toto orbe diffuſam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exſufflantur, niſi ut ab eis princeps mundi mittatur foras. Tanquam ipſe*, addit lib. 6. cont. Jul. cap. 2. *à toto orbe exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, quâ princeps mundi etiam à parvulis ejicitur foras, contradicere voluiſſes.* Hac enim de re Celeſtinus I. *in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, cap. 12.* ſic ſcribit: *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo mundo ſancta Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu; cùm ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorciſmis & exſufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo priùs alligatur fortis, & deinceps vaſa ejus diripiantur in poſſeſſionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.* Hujus etiã cæremoniæ meminerunt Tertull. *lib. de idololatria*, Dionyſius *lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2.* Ambroſius *lib. de Sacramentis, & de initiandis*, Cyrillus Hieroſolymitanus *catech. 1.* Cyprianus *lib. 4. epiſt. 7.* ubi docet, quòd ſicut olim Pharao per Moyſen & Aaron ante tranſitum Maris Rubri repreſſus quidem fuit aliquantulum, ſed non niſi poſt tranſitum Maris Rubri penitus oppreſſus, & in aquis demerſus, ac ſuffocatus fuit: ita diaboli poteſtas ante baptiſmum nonnihil exorciſmis coërcetur, ſed profligatur omninò per baptiſmum, qui niſi ſequatur, diabolus antiquo jure totum hominem poſſidet.

Sexta cæremonia eſt ſalis appoſitio, quâ ſignificatur, baptizandum fidei doctrinâ, & ſapientiæ diſcretione eſſe imbuendum, ut à peccatorum putredine liberetur, ſaporem bonorum operum percipiat, & divinæ ſapientiæ pabulo reficiatur & delectetur; quatenus baptizandus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, & ſermo omnis ejus ſit ſale conditus.

Septima cæremonia eſt benedictio, quâ puero Sacerdos manus imponit, ejuſque frontem, oculos, pectus, humeros, & aures crucis notâ obſignat: tum ut cacodæmon ab illis partibus ejiciatur; tum ut ſenſus ad præcepta divina excipienda, intelligenda, atque ſervanda aperiantur; tum ut totam Chriſtianorum vitam in cruce & perpetuo martyrio ſitam eſſe ſignificet.

Octava cæremonia eſt linitio, quâ aures & nares ſalivâ perfunduntur: ut quemadmodum cæcus Evangelicus luto è terra & ſaliva confecto lumen recuperavit, ſic intelligamus eam ſacræ ablutionis vim eſſe, ut menti ad divina perſpicienda lumen afferat. Hinc Ambroſius *lib. 1. de Sacramentis, cap. 1.* repetitâ Evangelicâ hiſtoriâ, ubi dicitur *Epheta*, quod eſt adaperire, ait: *Ideo tibi ſacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad ſermonem; nares, ut bonum odorem percipias pietatis æternæ, ut cum Apoſtolo dicas, Chriſti bonus odor ſumus; & ſit in te fidei, devotioniſque plena fragrantia.*

Nona cæremonia eſt baptizandi profeſſio, quâ qui nomen Chriſto daturus eſt, atteſtatur ſe ſathanæ operibus, & pompis ejus abrenuntiare; fruſtra enim jugo ſe ſubjiceret Chriſtianæ legis, qui mundi & diaboli non excuteret ſervitutem. Deinde ad ipſum baptiſmi fontem conſiſtens fidem confitetur, quia fides eſt ſalutis exordium, & ſperandarum ſubſtantia rerum. Poſteà expreſſam aperit ſuſcipiendi baptiſmatis voluntatem, quia neminem niſi voluntarium militem, ſibique de corde puro & ſincero ſervientem Imperator noſter admittit.

Decima cæremonia eſt inunctio chriſmatis, quâ Sacerdos baptizati ſummum verticem chriſmate oblinit, ut intelligat baptizatus, ſe Chriſtianum eſſe, & Chriſto (à chriſmate, ſeu unctione ſic dicto) conjunctum eſſe. Chriſto porrò nemo conjungitur, niſi qui Chriſti moribus, prout valet, coæquatur. Hac etiam unctione ſignificatur jugis Chriſti ſuavitas, quâ victricis gratiæ delectatione omnis præceptorum difficultas mollitur: cui enim ſapientia Chriſtus dulceſcit, mundi gloriâ, vel carnis voluptatibus non abducitur; cui veritas Chriſtus luceſcit, ſpiritu mendacii & erroris non ſeducitur, quem virtus Dei Chriſtus confortat, nullis adverſitatibus fatigatur. Rectè ergo caput Chriſtiani ungitur, cui cœleſtis ſuavitas inſtillatur, cui nomen Chriſti Jeſu lucet prædicatum, quem paſcit recogitatum, quem lenit & ungit invocatum: ejus quippe gratiæ condimentum amarorem pœnitentiæ abſtergit, exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, caſtas fovet affectiones. Hinc alicubi Hilarius: *Quid jugo Chriſti ſuavius? Quid onere levius? Probabilem fieri, ſcelere abſtinere, bonum velle, amare omnes, odiſſe malum, æterna conſequi, præſentibus non capi, nolle inferre alteri quod ſibi perpeti ſit moleſtum.*

Undecima cæremonia eſt candidæ veſtis amictus, quo baptizatus induitur, ut & peccatorum omnium ablutio, & innocentiæ reſtitutio, & immaculatæ in poſterum vitæ ducendæ obligatio, & futuræ reſurrectionis gloria baptizatis promiſſa ſignificentur. Nullus enim habitabit in tabernaculo Dei, nec requieſcet in monte ſancto ejus, niſi innocens manibus & mundo corde. Hinc diſcipulis parvulorum non ætatem vel inſcitiam, ſed innocentiam Salvator præcepit: *Niſi*, inquit Matth. 8. *efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Non præcipitur*, inquit Hieronymus lib. 3. comment. in Matth. cap. 18. *ut ætatem habeant parvulorum, sed ut innocentiam,*

&

& quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam, ut malitiâ, non ſapientia parvuli ſint. Sicut iſte parvulus (cujus vobis exemplum tribuo) non perſeverat in iracundia, non læſus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur: ſic & vos niſi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis regnum cœlorum intrare. Hinc idem Salvator *Matth.* 11. dicit: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Ubi Chryſoſtomus hom. 39. *Non dixit, Stultis revelaſti, ſed parvulis; ac per omnia nos docet ſtatum ſuperbia omninò eſſe fugiendam, ac ſimplicitatem æmulandam.* Hujuſmodi ergo amictu albo mentis ſimplicitas & innocentia deſignatur, quam ſancti Patres mirum in modum extollunt. Nihil, loquiunt, ditius viro ſimplici ſua pueritate contento: nihil illo beatius, qui ſicut nihil habet in mundo quod appetat, ſic nihil eſt quod de mundo pertimeſcat. Quia mali nihil aliis vult vel facit, nihil etiam eſt, quod ab aliis pati formidet. Simplicitas & ingenui candor animi miram habet ſine arte artem, quâ Dei cor vulnerat, & homines demeretur. Quòd ſi pati innocentem contingit, inter ipſa tormenta fruitur conſcientiæ bono, quia ubique illæſa eſt, ubique ſecura innocentia; dum tentatur, proficit; dum humiliatur, erigitur; ſi pugnat, vincit; ſi occidit, coronatur. Quàm amanda virtus, quæ in ſervitute libera eſt, in periculo tuta, in cuſtodia læta, ipſis etiam perſequentibus amabilis!

Denique cereus in manu baptizati accenſus traditur, & nomen illi ab aliquo Sancto deſumptum imponitur. Accenditur quidem cereus, ut Chriſtianus virginibus illis fatuis non ſit ſimilis, quæ extinctâ lampade, id eſt charitatis flammâ, à janua ſponſi repulſæ ſunt; ſed potiùs bonorum operum luce & calore virtutes in ſe foveat, & in aliis ædificet, juxta illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Nomen verò alicujus Sancti in Eccleſia celebrati imponitur, tum ut ad ejus imitationem Chriſtianus ſtimuletur, tum ut eum patronum habeat, qui ſibi adjutoria ad officium Chriſtianum implendum à Deo impetret. Unde in variis Synodis ne imponerentur Gentilium nomina interdictum eſt, niſi fortè iis viri aliqui ſancti inſigniti ſint. Quare eorum probare morem ægrè poſſum, qui nomen Sancti in baptiſmate ſibi ab Eccleſia impoſitum repudiant, in illis præſertim religioſis inſtitutis nomen familiæ ſæcularis retinentibus, in quibus nonnulli malè feriati Superiores nomen ſuum nobiliuſiùs propagare affectantes neſcio qua cacoëthe, & arrogata ſibi Adamo olim tradita poteſtate, Religionis candidatis quos induunt, ſuſceptum in baptiſmate nomen auferunt, ut ſuo eos nuncupent. Quodnam iſtud pietatis genus paternum ſæculi nomen ſervans, & conſecratas inter baptiſmales vivificas aquas nominis oblivíſcens, quod præcipuo amori eſſe debet & venerationi? Certè in illis Monaſteriis, in quibus ut majorem abdicationem præ ſe ferant, omne quo in ſæculo vocati ſunt, nomen deponunt, probari id poſſit (quamvis Illuſtriſſimo Archiepiſcopo authore ſatius eſſet familiæ abjecto nomine donatam in baptiſmate nomenclaturam retinere:) certè in illis qui patrio nomine retento pretioſum ab Eccleſia nomen deſignatum abjiciunt, nec probare poſſum, nec ferri debet. Addantur, ſi placet, baptiſmali nomini alia ad libitum vel devotionem; ſed traditum ab Eccleſia Matre nomen ne flocci faciamus: ſit nobis charum pignus illud maternæ Eccleſiæ pietatis; illius potiſſimùm interceſſionibus confidamus, cujus nos clientelæ Eccleſia commiſit, quem nobis dedit amicum, tutorem, & patrem, cui bona noſtra commiſit, & ejus mandavit fidei. Credito mihi, Lector, Sanctum illum ne deſeras, cui animam tuam atque omnem vitam Eccleſia credidit, & ille in fidem ſuam recepit. Quod ab Eccleſia accepiſti, acceptum ſerva. Unum hoc ſcio, Sanctum illum patrociniis ſuis meritum eſſe, ut memor eſſes ſui, ne abs te illum ſegregares.

REFLEXIO.

Baptiſmi cæremonias longiuſculè expoſuimus, quia hujus ſæculi Chriſtianos adeò ignavos cernere eſt, ut quid in baptiſmo geſtum ſit, cui nomen dederint, quid ſpoponderint, quibus conditionibus in Chriſti familiam cooptati ſint, nec ſciant, nec ſcire aveant, nec ſcire cogitent. Cæremonias ſacras adhibet Eccleſia divinitùs inſpirata, ut ſancta ſanctè tractentur, ut myſteria Religionis honore majori habeantur, ut mens in Deum dirigatur, intellectus exerceatur, memoria divinarum rerum imaginibus impleatur, affectus inflammetur. Hæc intendit Eccleſia, & in filiis non obtinet, quia non eſt qui recogitet corde, qui conſideret vota, quæ Domino coram omni populo ejus reddidit in atriis domus Domini, cùm ad fores Eccleſiæ diaboli, mundique pompis renunciavit; nec velit reddere Domino vota ſua, quæ per ſponſores diſtinxerunt labia ſua.

Laudabilis planè, & omni acceptione dignus piorum illorum Chriſtianorum mos, qui ſingulis annis anniverſario ſui baptiſmatis die renovantur ſpiritu mentis ſuæ, & ea corde recolunt, & de integro repetunt quæ in baptiſmate promiſerunt. Ad implenda chriſtiana officia, non novâ quidem ſeſe obligatione aſtringunt, ſed antiquæ, quâ obſtricti ſunt, reminiſcuntur: eam novo fervore concipiunt ſinceram Deo veri ſerviendi voluntatem, conceptam confirmant; & memoriam abundantiæ divinæ ſuavitatis in ſeipſos per baptiſmum abundè effuſæ eructantes, ita ſe voluntate comparant, ut ſi nondum eſſent per baptiſmi vota Deo ligati (unde & Religio nomen accepit,) ſi nondum fluxis ſæculi pompis renuntiaſſent, Deo ſe totos devoverent, mille præ Dei amore mundis vale dicerent. His motiger eſto, Chriſtiane Lector, & felici votorum baptiſmi neceſſitate te in meliora compelle, & cave, ne quid aliquando eorum reſumas, quæ renuntians abjeciſti.

Sed proh dolor! Nemo attendit, quid promiſerit, quibus abrenuntiaverit, cui militiæ nomen dederit, cui ſe regulæ addixerit, quibus ſe ſubjecerit inſtitutis. An neſcimus, quòd Deus non irridetur, eique diſplicet ſtulta promiſſio. Ergo poſtquam novum hominem induiſti, cur in novitate vitæ ambulare non ſatagis? Cur exſpoliatam veterem tunicam iterum induis? Teipſum Deo dediſti, & datum revocas, & dediſſe te pœnitet, & teipſum Deo furaris? Deo, inquam, cujus, ut ait Scriptura, *Diligens eſt judicium, & odio habens rapinam in holocauſto?* Adeóne te ignavum probas? Adeóne porrò ingratum, aut inhumanum, aut ferum, ut neque te Chriſti amor, neque tui pudor commoveat, neque commoneat, ut ſerves fidem? *Nullum ſacrilegii crimen reperitur deterius*, inquit Bernardus epiſt. 353. *quàm in voluntate ſemel oblata Deo te accipere poteſtatem.* Si fidem homini datam fallere eſt nefas, quantò magis quam Deo ipſi ante aras publica teſtificatione, hominibus atque Angelis ſpectantibus

bus dederis? Sanè infideli deterior eſt, qui chriſtianæ profeſſioni, cui ſolenni ſacramento caput devovit, vitæ & morum teſtimonium negat. Quâ ergo fronte Chriſtiani adumbratum & inane nomen geris, qui fœdus diviniſſimum, pactionemque ſanctiſſimam cum ipſo in baptiſmate initam diſſolviſti ac fregiſti, Chriſtum pedibus obtriviſti, in crucem rurſus per temetipſum ſuſtuliſti, ſanguinem ejus polluiſti, ſpiritui gratiæ contumeliam feciſti? Quàm benè Ambroſius *lib. de initiandis, cap.* 2. ait: *Ingreſſus es regenerationis ſacrarium, repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renuntiaſti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus, ac voluptatibus. Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, ſed in libro viventium. Præſentibus Angelis loquutus es: non eſt fallere, non eſt negare.*

CAPUT II.

Graviores de baptiſmate difficultates reſolvuntur.

EMenſis iis, quæ vel apud omnes certa, vel certè determinatu faciliora ſunt, id ſedulò agendum ſupereſt, ut tres difficultates ſatis impeditas illas quidem expediamus. Prima eſt circa diviſionem baptiſmatis in baptiſmum fluminis, flaminis & ſanguinis. Secunda, an, & quomodo baptiſmus fictè ſuſceptus ſuum recedente fictione ſortiatur effectum. Tertia circa pueros infidelium, an nimirum ſint invitis parentibus baptizandi.

SPECULATIO I.

Optima eſt diviſio baptiſmatis in baptiſmum fluminis, flaminis & ſanguinis. Martyrium pro Chriſto perpeſſum gratiam ex opere operato producit. Porrò Martyres non ſunt, qui contagioſa lue afflictis hominibus inſervientes eo in obſequio mortem obeunt.

PRima pars eſt communis Theologorum aſſertio, tria baptiſmata diſtinguentium. Baptiſmus fluminis eſt ordinarium baptiſmi Sacramentum in aqua ſub trita verborum forma peractum, de quo toto capite ſuperiori ſermonem habuimus. Baptiſmus flaminis eſt ſinceræ contritionis, & veræ converſionis motus à Spiritu ſancto afflante immiſſus, à perfecto Dei amore profectus, & à baptiſmi aquæ voto indivulſus, de quo *Matth.* 3. dicitur: *Ille baptizabit vos Spiritu ſancto.* Baptiſmus ſanguinis eſt mors pro Chriſto tolerata, ſeu martyrium, in quo proprio ſanguine pro Chriſto fuſo fidelis abluitur, antequam præ temporis anguſtiis vivificis baptiſmi undis regeneretur. Appellatur autem baptiſmus, propter illud Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptiſmo, quo ego baptizari?* Et illud Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſquedum perficiatur.* Hinc Auguſtinus *lib.* 4. *contra Donatiſtas, cap.* 22. ita docet: *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, de latrone illo, cui dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo, Beatus Cyprianus non leve documentum aſſumpſit. Quod etiam atque etiam conſiderans, invenio non tantùm paſſionem pro nomine Chriſti id quod baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.*

Et certè valde congruit, ut qui animam pro Chriſto ponit, eam non perdat, ſed magis ſervet atque ſanctificet, dicente Veritate Matth. 16. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Unde de Martyribus dicitur Apocal. 7. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lavarunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Congruit etiam, ut qui ad Deum ſincerè, perfecteque convertitur, qui eum totis viribus quærit, qui omnia media à Chriſto inſtituta, ſi poſſibile ſibi ſit, aſſumere paratus eſt, ſic Deum caſto amore diligens, eique *in ſpiritu judicii, & in ſpiritu ardoris*, ut loquitur *cap.* 4. Iſaias, placere avens, à Deo etiam diligatur, ſubindeque gratiâ ſanctificante perfundatur, cùm ſcriptum ſit *Proverb.* 8. *Ego diligentes me, diligo.* Et ſanè, cùm innumeris Scripturæ locis credentibus, invocantibus, diligentibus, fide petentibus, ſpe quærentibus, charitate pulſantibus ſalutem Deus ſpoponderit, & cor contritum & humiliatum ſe non deſpecturum promiſerit; his promiſſis legis naturalis æquitati innixis non derogat illud, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, non poteſt introire in regnum Dei.* Cùm etiam poſt hanc latam de baptiſmi neceſſitate legem dicat Apoſtolus Rom. 1. *Omnis qui credit in illum, non confundetur; & omnis quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Hinc *Actorum* 10. Cornelius vir juſtus & timens Deum, aliique antequam baptizarentur, Spiritu ſancto repleti ſunt. Hinc Ambroſius in fine ſpeculationis 1. capitis præcedentis memoratus, Valentinianum voto baptiſmi ſalvatum docuit. Hinc Bernardus *epiſt.* 77. ponderans illud Salvatoris: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*, advertit Chriſtum non addidiſſe, *qui baptizatus non fuerit*, quo ſignificaretur, abſque baptiſmo re ſuſcepto poſſe quempiam baptiſmi voto in neceſſitate ſalvari; quia quod volumus, pro facto reputatur, ubi factum excludit neceſſitas. Hinc denique Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. declarat, *poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, neminem juſtificari.* Et *ſeſſ.* 7. *canone* 4. anathemate ferit dicentem, *ſine eis* (Sacramentis) *aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam juſtificationis adipiſci.* Et *ſeſſ.* 14. docet, *etſi contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum* (pœnitentiæ) *actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam.*

Quòd ſi aliquando Patres nunquam, niſi ſuſcepto baptiſmo, dimitti peccata, aſſeverare leguntur, ſermonem eos habere, credendum eſt, non de eo quod in neceſſitate baptiſmi copiam excludente contingit, ſed de eo, quod ordinariè, & regulariter fit. Vel certè de eis loquuntur, qui datâ opportunitate, baptiſmũ recipere negligunt, vel contemnunt, illudque in finem vitæ, quo liberiùs vitiis indulgeant, rejiciunt. Unde Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo, cap. 21. *Tunc*, inquit, *impletur invincibiliter confeſſio fidei, cùm myſterium baptiſmi, non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.* Et cap. 25. *Converſio cordis poteſt quidem ineſſe non percepto baptiſmo, ſed contempto baptiſmo, non poteſt: nec ullo modo dicenda eſt converſio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur.*

Volunt ergo Patres, baptiſmum fluminis ſemper eſſe ad ſalutem neceſſarium, non ſolùm quia negligi non debet, aut contemni (ſic enim Confirmatio, & alia Sacramenta ſunt neceſſaria, quorum tamen non tanta, quanta Baptiſmi neceſſitas eſt;) ſed quia cùm haberi poteſt, omninò ſuſcipi; cùm haberi non poteſt, omninò deſiderari debet, divina miſericordia propter quærentis fidem, & deſiderantis charitatem in neceſſitate, quod ex parte Sacramenti deeſt, ſupplente. Quod ſic expreſſit Bernardus ſuprà

lauda-

laudatus: *Si quis voluerit, & petierit baptizari, ſed mortis praeoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, charitas ſincera, hunc ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omninò poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere ſpem, nec excidere charitatem, tanquam ſi aquam non contemptus, ſed ſola, ut dixi, prohibeat impoſſibilitas.* Et adductis Ambroſii & Auguſtini teſtimoniis, ſubnectit: *Ab his duabus columnis difficilè avellor, credens & ipſe ſola fide* (per dilectionem operante, ut patet ex contextu) *hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi baptiſmum, ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcumque vis invincibiliter obviarit.* Quibus omnibus conſentiens Innocentius III. *cap. Debitum, titulo de Baptiſmo*, ſic de Judæo non verè baptizato pronuntiat: *Si continuò deceſſiſſet, ad patriam protinus evolaſſet propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum.* D. etiam Thomas hanc veram ſententiam perſpicuè docet *quæſt. 68. art. 2.* his verbis: *Sacramentum baptiſmi dupliciter poteſt alicui deeſſe, uno modo & re, & voto; quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt; quod manifeſte ad contemptum Sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent uſum liberi arbitrii. Et ideò hi, quibus hoc modo deeſt baptiſmus, ſalutem conſequi non poſſunt, quia nec ſacramentaliter, nec mentaliter Chriſto incorporantur, per quem ſolum eſt ſalus. Alio modo poteſt Sacramentum baptiſmi alicui deeſſe re ſed non voto, ſicut cùm aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu prævenitur morte antequam baptiſmum ſuſcipiat. Et talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cujus potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur.*

Dices: Expreſsè, & diſertè dixit Salvator Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, non poteſt introire in regnum Dei.* Ergo gratis ab illa tam generali regula quempiam excipimus, & ſolo baptiſmi voto ſalvari poſſe contendimus. *Utique nullum excipit* (Chriſtus,) inquit Ambroſius lib. 2. de Abraham, cap 11. *non infantem, non aliqua præventum neceſſitate.* Hinc tam crebrò Auguſtinus, quòd aliquis ab aliqua neceſſitate erui non poſſit, in qua poſitus baptizari fonte baptiſmatis non poteſt, ad inſcrutabilia Dei judicia refert. Unde etiam in celebri ad Honoratum epiſtola 180. quantùm detrimenti in perſequutionis tempore fuga Paſtoris inferat, expendit; quia abſente miniſtro non poterunt intingi catechumeni, atque adeo nec ſalvari. *An non cogitamus* (verba ſunt ejus) *cùm ad iſtorum periculorum pervenitur extrema, nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu atque ab omni ætate concurſus, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi ſi miniſtri deſunt, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vita æterna requie non habebunt?* Timeret autem Auguſtinus, ubi non eſſet timor, ſi Sacramenti voto Sacramenti non re ſuſcepti poſſet effectus obtineri. Hinc Concilium Bracarenſe I. *can.* 35. oblationes & ſacrificia pro catechumenis abſque baptiſmo è vita migrantibus prohibet. Quod & Chryſoſtomus *hom. 3. in epiſt. ad Philipp.* docet. Quia, inquit *hom. 24. in Joan.* catechumenum perire neceſſe eſt, ſi quo caſu ſine baptiſmo hinc migret, etiamſi innumera bona feciſſet. Ergo ad conſequenda baptiſmatis effecta, nunquam ſufficit baptiſmi votum.

Reſpondeo, legis à Salvatore latæ optimum interpretem eſſe Eccleſiæ Catholicæ morem à traditione profectum. Et quia verba illa, *niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Eccleſia traditioni innixa, & clariſſimis Patrum teſtimoniis freta de baptiſmo in re, vel in voto ſuſcepto interpretatur, ſic intelligendum eſt illud Chriſti oraculum, ut nulla poſſit homini ſalus obvenire, niſi baptiſmum vel reapſe adultus ſuſcipiat, vel ſincerum habeat illius ſuſcipiendi propoſitum; cùm cæteroquin ſacræ literæ atteſtentur, quòd *omnis qui petit, accipit*, Matth. 7. Quòd *omnis qui vivit & credit in me* (id eſt Chriſtum) *non morietur in æternum*, Joan. 12. Quòd *nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Eccl. 2. Quòd *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit eis quòd minùs ſanctificati ſunt*, 2. Paralip. 3. *Quoniam non eſt confuſio confidentibus in te*, ut Daniel. 3. dicebant tres pueri, dolentes quòd extra Jeruſalem poſiti iis eſſent ſacrificiis deſtituti, quibus divinam miſericordiam exorarent.

Patres poriò memorati, vel de parvulis loquuntur, vel certè de iis, qui baptiſmum negligunt ſuſcipiendum. Abſentiam verò Paſtorum ideo tantoperè exaggerat Auguſtinus, quia vitæ æternæ ſubſidia, quantum in eis eſt, fidelibus ſubtrahit. Maximè quia juxta veridicam graviſſimorum Theologorum noſtrâ ſtabiliendam doctrinam, non ſemper habent catechumeni ratum illum perfectæ charitatis gradum, qui valeat ſine Sacramento juſtificationis gratiam promereri, quam tamen imperfectione dilectione præparatis baptiſmus, aliaque Sacramenta conferrent. Magnis ergo non ſolum ſolatiis, ſed etiam Sacramentorum fructibus abſentiâ Paſtorum populi defraudantur. Hinc ſacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 7. de reformatione*, animarum rectorum in reſidendo negligentiam tam graviter reprehendit; quia cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, oves agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere, quæ omnia ab iis nequaquam præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, ingentis criminis rei ſunt, qui à ſibi commiſſo grege abſcedunt. Concilium porrò Bracarenſe, & ipſe Chryſoſtomus pro catechumenis illis offerri ſacrificia interdicunt, qui ſua culpâ baptiſmi undis regenerati non ſunt; quod præcipuè de illis intelligendum eſt, qui baptiſmum in provectiorem ætatem, ſuis interim ut cupiditatibus ſe dederent, rejiciebant.

Inſtabis: Si baptiſmum aquæ baptiſmi votum, ſeu baptiſmus flaminis ſuppleret, plenum baptiſmi effectum, integram videlicet culpæ, pœnæque remiſſionem ſine baptiſmo re ſuſcepto conſequeremur, ſubindeque nulla nobis ſupereſſet pro patratis ſceleribus in alio ſæculo pœna luenda, ſed continuò ſic decedentes ad cæleſtem patriam protinùs evolaremus, ut cum Innocentio III. paulò antè dictum eſt. Conſequens autem eſt falſum, & ſancto Thomæ repugnans; quæſtione enim 68. *art. 2. ad 2.* ſic diſertè loquitur: *Si quis catechumenus ſit habens deſiderium baptiſmi, talis decedens non ſtatim pervenit ad vitam æternam, ſed patietur pœnam pro peccatis præteritis; ipſe tamen ſalvus erit ſic quaſi per ignem, ut dicitur 1. Cor. 3.* Unde Ambroſius in obitu Valentiniani: *Pio, inquit, requiem ejus poſcamus*

mus effectu. Animam piam noſtris oblationibus proſequamur. Ergo baptiſmum aquæ non ſupplet baptiſmus flaminis.

Reſpondeo, quòd licèt voto baptiſmi à fide & charitate proficiſcente juſtificationis gratiam quis conſequi poſſit, non tamen eam bonorum copiam recipit, quâ ille qui baptiſmi actualis fit particeps, in ſacro fonte ditatur. Etenim qui cum fide, & charitate ad baptiſmum juſtificati accedunt, & novo auctioris gratiæ incremento ex Sacramenti operato opere manante, & concupiſcentiæ ampliùs coërcitæ debilitatione; & plenâ temporalis pœnæ indulgentiâ, & majori remiſſorum peccatorum ſecuritate, majore proinde tranquillitate, conſcientiæ ſerenitate, denique ſacra Chriſtianiſmi teſſerâ, ſeu baptiſmali charactere, quem nemo niſi baptiſmo re ſuſcepto conſequitur, cumulantur. His pro coronide adjicitur externa in Chriſti familiam cooptatio, civitatis Sanctorum jus, & ſacræ Religionis privilegiorum conſortium. Quibus omnibus prærogativis catechumeni nondum ſacro lavacro initiati excidunt, quàmlibet viva Chriſti membra fide per dilectionem operante effecti ſint, quàmlibet etiam pietatis ardore ſuccenſi interdum in Patriam protinus evolent, ut de illo Judæo baptiſmi deſiderio flagrante laudatus Innocentius piè exiſtimavit.

Urgebis: Ergo baptiſmus flaminis perperàm baptiſmi nomine inſignitur, ſi quos omnes ſacra unda impertit, effectus non ſupplet.

Reſpondeo, quòd cùm potiſſimus baptiſmi effectus ſit peccatorum remiſſio, & animi renovatio, meritò baptiſmi votum à fide & charitate profectum baptiſmi nomine donatur, quo effectus, à baptiſmo producti, per ſe natus obtinetur, præſertim cùm non niſi baptiſmi intuitu habeatur.

Baptiſmus ſanguinis operoſiùs commendatur.

Secunda pars, quæ affirmat martyrium ex opere operato pro Chriſto paſſum juſtificare, probatur ratione D. Thomæ *q. 66. art.* 12. Eatenus baptiſmus aquæ gratiam ex opere operato confert, quia virtutem haurit ex Paſſione Chriſti, cui baptiſmus nos configurat; & quia Spiritum ſanctum Sacramentum ad gratiam producendam movet. Atqui hæ duæ cauſæ *excellentiſſimè*, ut ait eò loci S. Thomas, operantur in baptiſmo ſanguinis, nam in baptiſmo fluminis paſſio Chriſti per quandam figuralem repræſentationem operatur; in baptiſmo flaminis per quandam hominis deſiderâtis affectionem; at verò in baptiſmo ſanguinis per operis imitationem. Quid enim eſt martyr pro Chriſto patiens, quàm Chriſti morientis ducta pictura, & animatum ſimulacrum: Similiter virtus Spiritus ſancti in lavacro per latentem virtutem, in baptiſmo pœnitentiæ per contriti & humiliati cordis commotionem, at in baptiſmo ſanguinis per potiſſimæ dilectionis immiſſum fervorem operatur, juxta illud Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ergo baptiſmus ſanguinis gratiam ex opere operato confert. Hinc *quæſt.* 87. *art.* 1. *ad* 5. concludit Doctor Sanctus: *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & ideò purgat ab omni culpa & veniali & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Et 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 2. *ad* 1. ait: *Effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmatis; unde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem meritum Chriſti operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occiſis propter Chriſtum meritum martyrii Chriſti operatur ad palmam martyrii conſequendam.*

Favet huic aſſertioni communis Eccleſiæ Catholicæ ſenſus, quæ Sanctorum Innocentium martyrium religiosè colit, quos inter multi procul dubio incircuncisi mactati ſunt; & licèt omnes circumciſos fuiſſe daremus (quod in illis cruenti temporis anguſtiis incredibile eſt) eorum tamen ſolennia non propter gratiam in circuncisione perceptam, ſed ob unum pro Chriſto ſanguinem fuſum Eccleſia ſancta inſtituit. *Quàm beata ætas,* (inquit Auguſtinus ſerm. 9. de Sanctis,) *nondum opportuna vulneri, & jam idonea paſſioni! Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obviam venit! Incurrunt quidem inter ipſa primordia, & accepta lucis periculum, & finem ſalutis; ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Contulit martyrium laudem,* (addit Chryſoſtomus hom. 3. in varios Matth. locos,) *quibus negaverat natura ſermonem. O beata lactentium gloria, quibus pro Chriſto contigit dedicare martyria! Experiuntur tempore uno nativitatem & mortem, ingreſſum & exitum, principium & occaſum: ut ipſis poſſet contingere tempore uno, & ingredi mundum, & dedicare martyrio cælum. Mercantur pœnâ martyrium, gloriam ſanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant. Ille,* ſubjungit Bernardus ſerm. de Innocentibus, *pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptivos filios numerari: alioqui quomodo oevos ſibi pueros puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, pateretur occidi? Quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis provideret: ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circuncisio, nunc verò baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem; ſic nihilo minùs pro eo ſuſceptum martyrium illis proficeret ad ſanctitatem.* Similia habet Auguſtinus ſerm. 66. de diverſis: *Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam parvulis baptiſmum prodeſſe non æſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum crederetis; ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſionem ſuſtineretis.* Sentit ergo Eccleſia, ſentiunt docti à Domino ſancti Patres, mortem pro Chriſti cauſa latam juſtificationis gratiam ſic obeuntibus vi ſua, quod idem eſt ac ex opere operato, impertiri.

Nec dici poteſt, id quidem in parvulis propriæ voluntatis uſu carentibus habere locum, ſecus in adultis, qui cùm propriæ voluntatis ſint domini, non ex opere operante, ſed ex opere operantis juſtificationem martyrio conſequuntur. Non, inquam, id dici poteſt; quia quòd in adultis propriæ voluntatis motus deſideretur, non impedit quominùs martyrium gratiam ex opere operato in adultis peræquè atque in parvulis producat: ſicut licèt baptiſmus in adultis ſanctarum diſpoſitionum, pœnitentiæ, & amoris Deum juſtitiæ fontem diligere incipientis apparatum requirat; attamen tum baptiſmus, tum pœnitentiæ Sacramentum gratiam ex opere operato omnibus ſuſcipientibus impertit. Et ratio eſt manifeſta, quia quòd vi propriâ in parvulos nulla diſpoſitione paratos gratiam fundit, à fortiori gratiam in adultis diſpoſitis, eamque pro ratione diſpoſitionis ampliorem largitur: neque enim recipientis diſpoſitio agentis vim elevat, ſed allicit & invitat. Ergo ſi martyrium pro Chriſto toleratum gratiam juſtificationis infantibus etiam in utero matris occiſis impendit, non minùs, ſed multò magis eam adultis divina charitate ſuccenſis confert. Abſit enim, abſit prorſus illa injuſtitia, ut tum marty-

Digitized by Google

martyrium minùs potens, minuſque efficax ſit, cùm fide, ſpe, charitate, fortitudine, aliarumque virtutum ſatellitio inſtructum & ornatum Deo magis placet, quod vel Cyprianus in præfatione tractatus de exhortatione ad Martyres, baptiſmo aquæ his elegantibus verbis præfert: *Nos qui Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes, hoc eſſe baptiſma* (martyrii) *in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius: in quo Angeli baptizant; baptiſma, in quo Deus, & Chriſtus ejus exultant; baptiſma, poſt quod nemo jam peccat; baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat; baptiſma, quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aqua baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio, in ſanguine corona virtutum.*

Non eſt ergo, quod parvulis pro Chriſto mactatis concedimus, intrepidis athletis voluntariam mortem conſtantiâ impavidâ ferentibus denegandum, quos Patres miris præconiis evehunt. Et meritò; quid enim illis Chriſti teſtibus illuſtrius, qui Fidei Catholicæ ſuo ſanguine ſubſcripſerunt, in quibus charitas Chriſti diabolum vicit & mundum? Omnibus ergo laudibus prædicandi ſunt fortiſſimi milites, & tonis vocis, ſcriptorumque præconiis invicti eorum pectoris robur extollendum eſt, qui intuentes Chriſti vulnera, ſua non ſenſerunt, & Redemptoris ipſis patientis exemplo animum erigentes, redditi ſunt ad tolerandum fortiores; qui inter preſſuras ſtantes, in tormentis tripudiantes, toto licèt lacero corpore, & rimante latera ac ſulcante membra ferro, triumpharunt: qui ſacrum è carne ſua ebullire cruorem non modò fortiter, ſed & alacriter circumſpexerunt. Ubi ergo tunc animæ veſtræ, ô Martyres interriti? In tutu ſanè, nempe in foraminibus petræ, in viſceribus Jeſu, in latere Chriſti, in vulneribus Salvatoris: ex petra fortitudo veſtra potens ad bibendum calicem Domini; petra autem erat Chriſtus. Nihil ergo mirum, ſi exules à corpore, dolores non ſenſerunt corporis; ſi intrepidos facit non ſtupor, ſed Chriſti virtus & amor ſubmittens ſenſum, non extinguens; non dolorem evacuans, ſed infuſâ victrici delectatione devincens. Quàm ſpecioſa Martyrum noſtrorum gloria triumphi, quibus ſupplicia ceſſerunt, quos ad hoc diu lanienа gravior inceſſit; non ut ſtantes proſterneret, ſed ut finem doloribus, quem productiora tormenta non dabant, darent coronæ. Quàm acceptum, quàm Deo dignum ſpectaculum, ubi cernere eſt pugiles invincibiles voce libera, mente incorrupta, virtute divina telis quidem ſæcularibus nudos, ſed armis fidei ardentis armatos, & pulſatis, laniatiſque membris pulſantes ac laniantes ungulas ſuperantes! *Inexpugnabilem fidem*, inquit eloquens & nihilo minùs elegans Cyprianus lib. 6. epiſt. 2. *ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita; quamvis ruptâ compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſequutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſervis ſuis & pugnavit, & vicit!*

Nec homines ſolum uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem tolerarunt, ſed etiam heroinæ mulieres fortiſſimis fortiores ad imitationem capitis ſui flagella non timuerunt, ſuſtinuerunt irriſiones, & tot Deo de ſe obtulere ſacrificia, quot ante mortem pro Chriſto ſupplicia pertulere: ex utroque namque ſexu militiæ ſuæ cuneos inſtruxit, acieſque compoſuit Rex exercituum Chriſtus, ut mirabiliter in viris, mirabiliùs triumpharet in fœminis. Oſtenditur ſanè in illis divina virtus operata, quâ & titillantia carnis incentiva perdomuerunt, & illata ſibi horrifica pœnarum tormenta calcarunt. Quàm novum, quàm divinum, quàm ſtupendum pugnæ genus, in quo virgo fortis in bello, loricâ præmunita fidei, armis patientiæ ac geminæ charitatis accincta pro duobus caſtris ſtabat una bellatrix; hinc pudicitiæ clauſuram, illinc impreſſum ſponſi ſui charactere fidei ſignaculum defenſura! Totum corporis cruorem fundebant unum pudoris ſanguinem retinentes, ut illo fidei ſubſcriberent, iſto inter oblata voluptatis illicia caſtitatis verecundia rubeſceret, haberetur que in una hoſtia duplex martyrium, pudoris & religionis. Intuere Agnetes, Agathas, Dorotheas, Margaritas, in quarum corpuſculis nullus fuit vulneri locus; quæ, ut Ambroſii verbis utar, ſtridentium gravibus tractibus catenarum, nunc furentis tyranni militibus totum offerebant corpus, nunc inter ignes virgineas Chriſto manus expandebant, & in ipſis ſacrilegis focis victoris Domini trophæum ſignabant; nunc ſerratis colla manuſque ambas nexibus unâ animi retentâ libertate inſerebant; nunc ad ſupplicii locum lætæ ſucceſſu, gradu feſtinæ, & totæ feſtivæ procedebant; nunc vitæ ferè prodigæ, quam ferè nondum hauſerant, jam quaſi perfunctæ donabant; nunc poſt exaratum variis pœnis corpus, poſt confoſſa multiplici exquiſitorum ſuppliciorum membra, non deſerebant pugnam, ſed acriùs iterabant; nunc inter orationes, & hymnos cervicem adeò alacres inflectebant, tantaque tranquillitate offerebant lictori, ut miro modo putaremus illis patientibus alias torqueri, eaſque vegetare ſupplicia, non extinguere. Intuere Apolloniam, & Pelagiam Antiochenâ cum ſororibus & matre; quarum illa in ignem quem paraverant carnifices, majori Spiritus ſancti flammâ, & ſpeciali afflatus intus accenſa ſponte proſiluit; iſtæ verò, ut Auguſtinus *lib. 1. de Civit. cap. 26.* refert, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, ſe in fluvium dejecerunt; & ut venuſtè ait Ambroſius *lib. 3. de Virginibus*, conſertæ manibus tanquam choros ducerent, in medium progreſſæ ſunt alveum. Si virtus Chriſti fecit ut torti, tortæque mulieres eſſent tortoribus fortiores, proſternerentque diabolum, qui per fœminam proſtraverat virum, eadem illis gratiam juſtificationis, eximiam illam quidem & eminentem infudit. Hinc Auguſtinus *in Pſalm. 67.* Martyribus applicat illud, *Principes Juda, Duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali*; docens Martyres in Eccleſia tenere principatum, & horum nominum myſterium eis apprimè congruere, quia Juda confeſſionem, Zabulon habitaculum fortitudinis, Nephtali dilatationem in ſacra lingua ſignificat; & ſic ſubjungit: *Quæ omnia nomina veriſſimè nobis inſinuant Principes Eccleſiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Eccleſiis locum ſummum tenent, atque apice ſanctæ dignitatis excellunt. Jam verò in martyrio prima confeſſio, & pro illa quidquid accidit, tolerantia aſſumitur fortitudo; deinde poſt omnia tolerata finitis anguſtiis latitudo conſequitur in præmio. Principes ergo Juda, Principes Zabulon, Principes Nephtali, Principes confeſſionis, fortitudinis, latitudinis, Principes fidei, & charitatis.* Hinc etiam D. Thomas 2. 2. *citata, art. 3.* docet martyrium inter cæteros actus humanos eſſe perfectius ſecundùm ſuum genus, quaſi maximæ charitatis ſignum; quia tantò magis oſtenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit pati. Manifeſtum eſt autem, quod inter omnia alia bona præſentis vitæ, maximè amat homo ipſam vitam, & è contrario maximè odit ipſam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum obeundam, quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abſtrahuntur, ut libro octuagintatrium quæſtionum, *quæſt. 36.* docet laudatus Auguſtinus.

Sed objices generalem illam regulam Salvatoris ſæpiùs memoratam: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, non poteſt introire in regnum Dei.* Ergo perperam ab illa Martyres eximimus.

Reſpondeo regulam illam exceptione martyrii non elevari, ſed ampliùs ſtabiliri, cum juxta tritum effatum, exceptio firmet regulam. Illa porrò excep-

tio immobile in traditione & Patrum conſenſione fundamentum habet, qui de illo Martyrum privilegio nunquam dubitarunt. Eam etiam non obſcurè indicat Scriptura, nam ut ait Auguſtinus lib. 13. de Civit. cap. 7. *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm ſi ablverentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum, alia ſententiâ iſtos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Et alio loco: Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Hinc eſt, quod ſcriptum eſt:* Pretioſa *in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Quid enim pretioſius quàm mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiùs augeantur? Neque enim tanti ſunt meriti, qui cùm mortem differre non poſſent, baptizati ſunt, deletiſque omnibus peccatis ex hac vita migrarunt; quanti ſunt hi, qui mortem differre cum poſſent, ideo non diſtulerunt, quia maluerunt Chriſtum confitendo finire hanc vitam, quàm eum negando ad ejus baptiſmum pervenire.* Et certè ſi ab illa Salvatoris regula excipiuntur, qui ſincerè ad Deum baptiſmo pœnitentiæ converſi à deſiderato baptiſmo neceſſitate aliqua excluduntur, ut ſuperiori parte oſtenſum fuit; quantò magis id de illis ſentiendum eſt, quorum tam recta eſt in Deum fides, tam ardens dilectionis fervor, ut pro ea etiam mortem oppetant? Unde Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap. 16. *Si quidem*, inquit, *in certamine pro pietate ſuſcepto per veritatem, & non per imitationem* (ut fit in baptiſmo fluminis) *mortem pro Chriſto ſuſtinent, nihil indigent ſymbolis aquæ ad ſalutem, eo quod in proprio ſanguine baptizati ſunt.*

Inſtabis: *Si* tanta eſt virtus martyrii, ut tantundem, vel plus etiam per ſe valeant, quàm ſacri fontis lavacrum, ſicut ex relatis Patrum elogiis conſtare diximus, non tenebitur Martyr baptiſmum aquæ deſiderare, cui paſſio pro baptiſmo deputatur; cùm etiam Patres illis duntaxat ſufficere in articulo neceſſitatis baptiſmatis aquæ votum aſſeverent, quibus ſine ſua culpa aqua deeſt; vel qui nolentes negare Chriſtum, antequam baptizarentur, occiſi ſunt: non enim *Sancti* Patris martyrii exceptionem tam ſtudioſè adhibuiſſent, ſi martyrium ſine voto baptiſmi non idem quod præſtat baptiſmus, conferret; non dicerent martyrium eſſe baptiſmi genus ipſo lavacro excellentius; non aſſereret Cyprianus epiſtola ad Jubajanũ, Martyres glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo baptizari, de quo Dominus in Evangelio dicebat, habere ſe alio baptiſmo baptizari; id etiam exemplo parvulorum non confirmarent, quibus abſque baptiſmi voto martyrium ſalutem affert, cùm de eis dicat Chryſologus *ſerm. 132.* quod *coronam rapiunt ignorantes*; & Bernardus *ſerm. de Innocentibus* obſervat, quod ſicut in Stephano fuit martyrii opus & voluntas, in Ioanne ſola voluntas; ita in ſanctis Innocentibus ſolum opus, quod tamen ad ſanctitatem ſatis fuit. Unde concludit: *Sit Stephanus apud homines martyr, cujus voluntaria paſſio evidenter apparuit: ſit Ioannes apud Angelos martyr, quibus tanquam ſpiritualibus creaturis ſpiritualia devotionis ſigna certiùs innotuerunt. Hi* (pueri pro Chriſto occiſi) *ſunt planè martyres tui, Deus, ut in quibus nec homo, nec Angelus meritum invenit, ſingularis gratia tuæ prærogativa evidentiùs commendetur.* Sanè ſi martyribus neceſſarium eſſet baptiſmi votum, baptiſmus ſanguinis non eſſet ſpecialis, ſed in baptiſmo flaminis includetur; nec ei aliquid eximium aſſereretur, quod non aliis præclaris heroicarum virtutum operibus, quæ tamen ſine baptiſmi voto non juſtificant, attribuatur. Conſequens autem eſt falſũ, alioquin ad præceptum baptiſmatis implendum martyres non tenerentur, cùm tamen ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 4.* nulli poſt Evangelium promulgatum juſtificatio poſſit ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto obvenire. Hinc Cyprianus *lib. 5. epiſt. 2.* lapſos priùs reconciliari vult, quàm ut ad martyrium in perſequutione prodirent. Ergo martyrium ex opere operato gratiam juſtificationis non infundit.

Reſpondeo, quod licèt martyrium propriâ vi, & ex opere operato gratiam impertiat, quatenus culpam & omnis pœnæ reatum tollit, & in parvulis ſine actu, & in adultis debitè præparatis; non propterea tamen adimplendorum præceptorum, vel adhibendorum mediorum à Chriſto præſcriptorum obligationem aufert, cùm martyrium non ſit medium ad tollendum peccatum per ſe inſtitutum, ſed potiùs remiſſum peccatum, hominemque Deo amicum, atque ex ejus amore ſupplicia tolerantem ſupponat. Unde inſtante licèt martyrio tenetur catechumenus baptiſmum, baptizatus relapſus confeſſionem præmittere, & uterque vera ſe contritione præparare, quæ ut ait Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 4.* fuit quovis tempore neceſſaria ad impetrandam veniam peccatorum. Unde graviter peccarent parentes, qui parvulos ſuos propterea baptizari non curarent, quia inſtare martyrium pernoſcerent, cùm & S. Romanus ſtatim pro Chriſto occidendus S. Laurentium his verbis ſolicitarit: *Feſtina me baptizare.* Graviter etiam peccarent adulti, nihilque eis martyrium prodeſſet, qui peccati mortalis conſcii ſinceræ contritionis motu Deo reconciliari negligerent. Et certè ſi paſſio pro Chriſto ſuſcepta in ſchiſmatico aut hæretico peccatum hæreſis aut ſchiſmatis non remittit, niſi priùs homo Eccleſiæ Catholicæ fuerit aggregatus; ita in Catholico peccatore peccata ſine pœnitentia martyrium non remittit, cùm non minùs peccatoribus pœnitentia, quàm fides omnibus ſit neceſſaria. Nuda ergo ſubeundæ pro Chriſto mortis voluntas ſine formali, vel certè virtuali pœnitentia à ſpe veniæ & ſincera Dei dilectione profecta nequaquam ſufficeret, cùm multi ſint qui mori mallent quàm fidei Orthodoxæ renuntiare, qui variis tamen mortalibus peccatis affecti & addicti ſunt. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 13. *Si tradidero*, inquit; *corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Hinc etiam S. Thomas quæſt. 66. art. 12. ad 2. *Effuſio ſanguinis*, inquit, *non habet rationem baptiſmi, ſi ſit ſine charitate.* Ille autem profectò ſine charitate eſt, qui poſt patrata ſcelera nec ſincerè dolet, nec ullum caſtæ dilectionis actum exercet. Cum tunc potiſſimùm præceptum dilectionis inſtante morte urgeat, quod ante mortem implendum omninò eſt; non enim Deum in termino videbit, qui ipſum in via non dilexit, cùm viſio, quæ eſt tota merces, uni reſpondeat dilectioni.

Unde nullatenus eorum recentiorum, quibus etiam Gonetus ſubſcripſit, recens doctrina probari poteſt, quæ tenet præceptum dilectionis per ſe quidem obligare, præſertim in articulo mortis; ab ea tamen obligatione per accidens liberari, qui pro Chriſto, Chriſtique fidei defenſione vitam profundit, vel qui motu attritionis ſine dilectione concepti baptiſmum, vel ſacramentum mortuorum reciperet. Hanc enim doctrinam, quæ meo quidem judicio totum novæ legis puritatem evertit, dum dilectionem, quâ unâ lex gratiæ continetur, ad nihilum redigit; hanc, inquam, doctrinam Apoſtolus & S. Thomas laudati manifeſtè refellunt, cùm inane martyrium eſſe atteſtentur, quod non à charitate profectum fuerit. Nec reſponderi poteſt, Apoſtolum, & Beatum Thomam de charitate illa eſſe loquutos, non quæ antecedit, ſed quæ martyrium conſequitur; quia illam paſſio pro Chriſto ſecum invehit, unde martyr ſine charitate nunquam decedit. Hanc enim S. Doctor reſponſionem prævidit & occupavit 2. 2. quæſt. 124. art. 2. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ad actum martyrii inclinat quidem charitas, ſicut primum & principale motivum per medium virtutis imperantis;*

perantis; fortitudo autem ſicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde eſt, quod martyrium eſt actus charitatis ut imperantis; fortitudinis autem ut elicientis: inde etiam eſt, quod utramque virtutem manifeſtat. Quod autem ſit meritorium, hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus; & ideò ſine charitate non valet. Charitas autem, quæ *inclinat ad actum martyrii*, quæ eſt martyrii *primum & principale motivum*, quæ ad martyrum ciet *per modum virtutis imperantis*, quam *martyrium manifeſtat*, à qua habet martyrium *quod ſit meritorium, ſicut & quilibet virtutis actus*, maniſeſtiſſimè martyrium antecedit, non illud conſequitur.

Urgebis: Martyrium non eſt fattamentum, ut expreſsè docet D. Thomas *quæſt. 66. art.* 11. *ad* 2. alioquin plus quàm ſeptem ſactamenta forent. Ergo non æquum eſt illi aſſerere, quod ſacramentis novæ legis eximium eſt. Neque enim virtutum actibus (qoalis eſt fortitudo, cujus actus martyrium eſt) ea aſcribenda eſt ſingularis ſacramentorum prærogativa, gratiam ex opere operato conferant, vel contritionis perfectioris defectum ſuppleant, niſi quatenus charitate informantur.

Reſpondeo certum eſſe, martyrium non eſſe ſacramentum, nec ſubinde ſignum practicum & inſtrumentum phyſicum gratiæ. Tum propter rationem inſinuatam ex ſepteno ſacramentorum numero petitam: neque enim uti Major opinatus eſt, idem eſt de baptiſmatibus ſicut de Ordinibus, qui ſub uno Ordinis ſacramento tanquam diverſæ ſpecies continentur; quia martyrium in lege veteri gratiam ex opere operato conferebat pro ſide vel lege divina occumbentibus, quales fuerunt Machabæi, quorum martyrium Eccleſia Kalendis Auguſti veneratur; & ſanctis Innocentibus, nondum inſtituto à Chriſto baptiſmate, gratiâ vi ſua martyrium obtinuit. Tum quia aſſignare nunquam poterit Major, ubinam, vel quandonam tale fuerit ſacramentum inſtitutum, quænam ejus materia ſit, quæ forma, quiſve conſtitutus miniſter, cùm illud ſoli tyranni, ſoli tortores contra legem Dei armati peragant. Cùm hoc tamen ſtat, ex vi ſolius martyrii gratiam pleniſſimam conferri, omne peccatum remitti, omnemque pœnam donari, juxta illud Innocentii III. *cap. Cùm Martha*, de celebratione Miſſarum: *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Et illud Auguſtini *tract.* 84. in Joannem: *Injuria eſt pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Quam plenariam remiſſionem martyrium non ex ſola meritorum diſpoſitione, ſed vi ſua infallibiliter confert, cùm in ſanctis Confeſſoribus intenſior poſſit charitatis fervor inveniri, qui tamen pœnæ temporali obnoxii manent. *Baptiſmus Sanguinis*, inquit D. Thomas in 4. diſt. 4. quæſt. 3. art. 3. ad 1. *non habet hoc* (ſcilicet liberationem à culpa & pœna, de qua ibi loquitur) *tantùm ex opere operantis; neque quantum ad pœnam, quâ aliquis martyrium explet, quam contingit non eſſe ſufficientem ad ſatisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem juſtæ voluntatis, quia contingit quod voluntate majori charitate informata aliquis ſine martyrio non poteſt ab omni pœna liberari; ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti, unde de Martyribus dicitur Apocalypſis 5. Laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.*

Iriſiſtes: Non poteſt deſignari tempus, in quo baptiſmus ſanguinis gratiam ex opere operato producat; nam quandiu vivit martyr, nondum eſt martyrium, nondumque proinde gratiam producit; poſt mortem verò non eſt tempus conferendæ gratiæ idoneum, ſed gloriæ & mercedis retribuendæ deſtinatum, cùm jam non ſit ampliùs via, ſed terminus. Ergo baptiſmus ſanguinis gratiam ex opere operato non obtinet.

Reſpondeo gratiæ plenitudinem martyrio conferri ſolitam, in inſtanti ſeparationis animæ à corpore infundi; tunc enim videtur martyrium perfici, cùm vi cruciatuum anima à corpore diſcedit. Neque hic ſubtiliùs, & magis philoſophicè inquirendum eſt illud ultimum martyrii momentum, utrum ſit primum non eſſe hominis, vel ultimum eſſe illius: ſatis enim eſt inſtans diſſolutionis, & ſeparationis animæ à corpore Deo eſſe pernotum. Poteſt etiam dici gratiam eo in agonis chriſtiani inſtanti conferri, in quo quamvis phyſicè non ſit actu conſequuta mors, curſus tamen vitæ & martyrii certamen moraliter conſummatur, ob inevitabilem mortis jamjam impendentis neceſſitatem. Quod ſi contingat martyrem accepto vulnere lethali aliquandiu eſſe ſuperſtitem, tunc martyrii gratiam obtinebit, quando ex vi illati vulneris vitam cum morte commutabit. Sic B. Marcelli Papæ die 16. Januarii; *S.* Sylverii Papæ die 16. Junii; S. Martini Papæ die 12. Novembris martyrium ab Eccleſia celebratur, qui variis laboribus & ærumnis confecti deceſſerunt. Unde D. Thomas quæſt. 97. ſupplementi, art. 6. ad 7. *Dicendum*, inquit, *quod ſi aliquis propter fidem vulnus mortale accipiat, & ſupervivat, non eſt dubium, quin aureolam mereatur; ſicut de B. Cecilia patet, quæ triduò ſupervixit; & de multis Martyribus, qui in carcere ſunt defuncti aliquibus vulneribus longè antè ſuſceptis, ſicut patet de Marcello Papa. Qualitercumque igitur afflictio propter Chriſtum illata uſque ad mortem continuetur (ſive mors inde ſequatur, ſive non) aliquis martyr efficitur, & aureolam meretur.* Ad quod tamen requiritur, ut martyr poſt accepta vulnera ſuperſtes in dilectione Dei perſeveret, à qua ſi peccato mortali excidat, in vanum lethiferas pro Chriſto pertulit paſſiones. Neque enim certum mihi videtur, quod quidam opinantur, hominem poſt accepta vulnera per ſe lethalia dono confirmationis in gratia infallibiliter inſtrui & communiri. Tum quia novis oraculis ab humanis conjecturis ſpecioſo pietatis obtentu recondita gratiæ privilegia recentiores illi dimetiuntur, qui quâ ratione id faciant, gravis Theologus unis ſcripturis, vel traditioni innixus haud ſatis intelligit. Tum qoia de quibuſdam Chriſtianis legimus poſt devicta tormenta vitiis victos fuiſſe; & quos damnis tyranni non fregerunt, otio & voluptate corrupiſſe. Tum quia S. Thomas loco mox relato fatetur, in illis, qui gravibus pro Chriſto vulneribus confoſſi ſunt, talem poſſe contingere negligentiam, *quæ culpam mortalem inducat, quæ & aureolam aufert, & aureolam.*

Mors in obſequio peſte contactorum oppetita non habet ſtrictam martyrii rationem.

Tertia pars, quæ affirmat, non eſſe propriè martyres, qui peſte laborantibus inſervientes eo in obſequio decedunt, non eſt poſita ad elevandum, deprimendumque illud eximiæ charitatis & chriſtianæ patientiæ opus nullis unquam ſatis laudibus æquandum; ſed ad refellendam Theophili Raynaudi novitatem, Romæ præmiſsâ accuratâ oblongi examinis ſub Urbano VIII. & Innocentio X. indagine damnatam, quâ novum martyrii per peſtem geous ante hæc tempora in Eccleſia inauditum invehere molitus eſt.

Probatur primò noſtra ſententia, ſimulque convellitur Theophili commentum à novitate hujuſmodi aſſertionis. Illud genus ſtricti martyrii non eſt aſtruendum, quod Eccleſia nunquam agnoſcit, quod univerſa Patrum ignoravit antiquitas; nam ut ait Lirinenſis, id ſolùm tenendum, credendumque eſt, quidquid univerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverimus; quidquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes Sanctos novum & inauditum ſubinduci ſenſerimus, id non ad religionem, ſed ad tentationem intelligendum eſt pertinere: nec debemus illi hu-

mani ingenii libidini indolgera, quæ contenta non eſt traditâ ſemel & antiquitus receptâ credendi regulâ, ſed nova ac nova indies quærit, ſemperque aliquid geſtit Religioni addere, mutare, detrahere. *Catholicorum*, inquit, *hoc ferè proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſervare, damnare prophanas novitates; & ſicut dixit, & iterum dixit Apoſtolus, ſi quis annunciaverit præterquam quod acceptum eſt, anathematizare.* Et quanvis argumentum ab authoritate negativa in rebus philoſophicis non ſit admodum, & ſemper efficax; in his tamen, quæ ad Eccleſiæ dogmata, ad diſciplinam eccleſiaſticam, ad rem ſacramentariam pertinent, argumentum ab authoritate negativa, & alto Patrum ſilentio nervoſum eſt & invincibile, quod Patres ad retundendas hæreticorum ebullientes novitates perpetuò frequentarunt. Atqui martyrii per peſtem priſci Doctores non meminerunt, ut fatetur Theophilus *part.* 3. *cap.* 6. Neque Eccleſia hactenus unquam agnovit quadruplex baptiſmatis genus, nempe fluminis, flaminis, ſanguinis, & peſtis, ſeu mortis naturalis vi contagionis, vel malignæ ab aere hauſtæ qualitatis; cujus tamen martyrii, & ſpecialis baptiſmatis, ſi verum eſſet, non deberet profundum eſſe ſilentium, vel non expreſſa mentio, cùm ad rem ſacramentariam uſu perfrequentem pertineat. Ergo non eſt admittendum ſtrictum per peſtem martyrii genus. Maximè quia, ut benè ponderat Thomas Hurtado, Patres non ſolùm illius martyrii generis non meminerint, ſed etiam ex profeſſo refutarunt. Etenim Cyprianus libro de mortalitate, quoſdam Chriſtianos peſtem fugientes, & obſequium languentium ea ratione detrectantes, quia vitam martyrio ſubeundo reſervabant, nec præmatura morte volebant martyrio privari, refellit S. Pater non ex eo, quod mors in obſequio illo oppetita martyrium æquet aut ſuperet, ut Theophilus arbitratur, quod tamen in promptu neceſſariò occurriſſet, ſi morti ex peſte martyrium aſſereretur, ſed ex eo excuſationem illam confutat, quod *non eſt in noſtra poteſtate, ſed in dignatione martyrium, nec poſſumus nos dicere perdidiſſe, quod neſcimus an mereamur accipere.*

Probatur ſecundò à priori: Verum martyrium, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. eſt actus virtutis, quo aliquis contra perſequentium impetus firmiter in juſtitia & veritate permanet. Unde infert ad 1. *Martyrium conſiſtit in debita ſuſtinentia paſſionum injuſtè inflictarum.* Hinc *art.* 1. ad martyrium rationem certaminis & prælii ſpiritalis, ex Cypriano deſiderat. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quod in martyrio homo firmiter confirmatur in bono virtutis, dum fidem & juſtitiam non deſerit propter imminentia pericula mortis, quæ etiam in quodam certamine particulari à perſequutoribus imminent; & propter hoc de martyribus legit Eccleſia: Fortes facti ſunt in bello.* Et rationem affert *art.* 4. & 5. Quia martyr dicitur quaſi teſtis fidei chriſtianæ, corporalibus ſuis paſſionibus, & fuſo ſanguine teſtimonium perhibens oppugnatæ veritati, juxta illud Iſidori lib. 7. etymologiarum, cap. 11. *Martyres græcè, teſtes latinè dicuntur; quia propter teſtimonium Chriſti paſſiones ſuſtinuerunt, & uſque ad mortem pro veritate certaverunt.* Atqui pii illi Chriſtiani, qui graſſante lue languentibus inſerviunt, quàmlibet eximium charitatis operæpretium demonſtrent, mortem tamen violentam à tyranno veritatem, aut juſtitiam perſequente non patiuntur, ſed potiùs ultroneæ morti ſponte ſe offerunt, non ut juſtitiam oppugnatam aſpectabili certamine defendant, ſed ut infirmis opitulentur, & charitatem exerceant; eà tamen cautelâ ſe gerunt, ut ad avertendam mortem præſidia quærant & remedia opportuniora parent, quam etiam perſæpe his ſubſidiis declinant: quod in vero martyrio totum contrà accidit; invictus enim Chriſti athleta à tyranno vocatus, nudus, inermis, & contra mortem nullo remedio paratus accedit, & in defenſionem oppugnatæ veritatis aut juſtitiæ perſequutoris ſuſtinet impetum, & cumulatæ fortitudinis actum elicit, quæ in tolerando malo magis eminet, quàm ſi in hoſtem aggrediendo irruamus. Ergo non datur ſtrictum per peſtem martyrium, in qua non infertur mors in odium fidei, aut virtutis, cùm tunc nullus ſit qui fidem impugnet, qui juſtitiam perſequatur, aut à charitate arceat, quam potiùs Deus & Eccleſia Paſtoribus præcipit, ad quam alios invitat, & omnes ſic inſervientes commendat.

Confirmatur, omnes Theophili rationes occupantur. Ad verum, ſtrictumque martyrium non ſufficit pœna, vel tolerata mors, juxta illud celebre Auguſtini effatum, *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa.* Qua de re pleniùs *epiſt.* 50. ſic habet: *Dominus cum latronibus crucifixus eſt, ſed quos pœna jungebat, cauſa ſeparabat. Ideo in Pſalmo vox illa intelligenda eſt verum martyrum, Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Non dixit, Diſcerne pœnam: ſed diſcerne cauſam meam; poteſt enim eſſe impiorum ſimilis pœna, ſed diſſimilis martyrum cauſa.* Et epiſt. 48. *Tres cruces in loco uno erant, in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Chriſtus alterum damnaturus, alterum liberaturus: quid ſimilius iſtis crucibus, quid diſſimilius iſtis pendentibus?* Rurſum non quæcumque cauſa, etiam pia, non quæcumque mors in exercitio alicujus boni, aut proſequutione virtutis maturata ad martyrium ſufficit, ſed omninò requiritur ut mors in odium fidei, veritatis, aut virtutis, quam Chriſti miles intrepidè tuetatur, inferatur; alioquin verus erit martyr, qui in ſuſcepta propter Deum peregrinatione febri correptus occumbit, vel poſt luctuoſum naufragium undis ſubmergitur: martyr erit, qui vigiliis, jejuniis, & aliis laborioſis pœnitentiæ baptiſmatis fructibus vitam contraheret, & in annos cogeret pauciores, martyr eſſet prædicator ob exantlatos concionum labores infirmatus & mortuus; martyr eſſet S. Caſimirus mori malens, quàm virginalis candoris jacturam facere; martyr eximius Verbi Dei præco Ambroſius Sanſedonius à Clemente VIII. Martyrologio Romano die 22. Martii aſcriptus, qui dum quadrageſimalibus diebus Senis in fœneratores ardentiſſimo zelo percitus vehementiſſimè inveheretur, ruptâ ſemel & iterum pectoris venâ, ſanguis tali impetu, tantaque copia effluxit, ut morti viam indeclinabilem patefecerit. Denique martyr eſſet Epiſcopus in viſitatione diœceſis oræ ardore ſolis in morbum lethalem incidens; martyr Carthuſianus eſu carnium etiam in ægritudine repudiato vitam producere nolens; martyr quilibet infirmus oblatas ad propellendum morbum magicas incantationes execratus. Atqui illi omnes non niſi lato modo, analogicè, & quadam duntaxat imitatione martyres ſunt, & illis omnibus martyrium aſſerere perinde eſt, ut lepidè alicubi ait noſter Vincentius Baronius, ac ſi quis vellet omni liquori ad abluendum idoneo, præſertim verò majori pietatis obtentu omni ſacræ unctioni vim baptiſmatis aquæ aſcribere, quod temeritatis & hæreſis labe non careret. Ergo mors in obſequio infirmorum oppetita à ſtricta martyrii ratione decedit.

Probatur ſecundò à poſteriori ex effectibus veri martyrii. Verum martyrium eaſdem habet dotes, iiſdemque ſingularibus prærogativis donatur, quæ ſunt baptiſmo fluminis eximiæ, ut ſuperiori parte fusè demonſtratum eſt; ac proinde baptiſmus ſanguinis tria præſtat cum baptiſmo communia, juſtificationem ex opere operato, remiſſionem omnis culpæ & pœnæ, exemptionem à neceſſitate precum & ſuffragiorum Eccleſiæ, quibus quartum addit ſibi ſingulare, nempe aureolam perfectiſſimæ victoriæ ob honeſtiſſimam, & glorioſiſſimam virtutis, aut veritatis defenſionem de tyrannis reportatæ debitam. Atqui hæc præclara privilegia nunquam credidit Eccleſia per peſtem in obſequio infirmorũ obeuntibus eſſe communia: nã nec ſic morientes mar-

martyribus accanſer, nac pro illis preces & ſacrificium altaris offert, ac proinde non omnam inſaſſibiliter, & ex opere operato remiſſam pœnam ſupponit. Remitti etiam illis ex opare operatn omnem culpam, non ſentire Eccleſiam, inde patat, quòd puarulo in utero matris cum matre in obſequio illo immortua decedenti peccatum originale remitti nunquam ſenſit, nunquam docuit; & tamen dum mater per Chriſtum occiditur, puer materno ſanguine baptizatur, accipitque rum lucis æternæ uſuram, cùm ne in lucem temporalem prodeat, præmatura, ſed felici morte impeditur. Ergo morientas in obſequio peſte laborantium, inſigne licàt charitatis opus exerceant, quod præcipui apud Deum pretii eſt, non ſunt tameo in album martyrum referendi.

Obiicies: Illa eſt varè martyr, qui pro Chriſti nomine ærumnas ſuffert, & mortem tandam obit: Sed ille pro Chriſti nomine moritur, qui motivo præſtantiſſimæ virtutis vitam ſuam in obſequio peſta laborantium impavidus profundit; tunc enim, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 128. *art.* 3. ille Deum magis ſe amare ſignificat, cùm pro illo rem magis amatam, ſcilicet vitam, floccifacit; & ram magis odioſam, ſcilicet terribiliū terribiliſſimum mortem lubens obit, cùm ſcriptum ſit Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam panat quis pra amicis ſuis.* Hinc *art.* 5. ſic docet: *Cujuslibet martyrii cauſa eſt fidei veritas: ſed ad fidei veritatam non ſolùm pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exteriar proteſtatio; qua quidem fit non ſolùm per verba, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit, ſecundùm illud* Iacabi 2. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam; unde de quibuſdam dicitur ad Titum* 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et ideò omnium virtutum opera ſecundùm quod referuntur in Deum, ſunt quadam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit, quod Deus hujuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat: & ſecundùm hoc poſſunt eſſe martyrii cauſa.* Ergo qui graſſaote lue infirmis inſervit, & inſerviando immoritur, martyrii palmam adipiſcitur.

Reſpondeo, eo dictis patere ſatis, non quancumque mortem quavis cauſâ oppetitam ſtrictum conſtituere Martyrium, quod ex uſu Eccleſiæ, & totius antiquitatis ſenſu mortam violentam ſignificat, in odium virtutis & veritatis illatam. D. autem Thomas locis objectis id unum intendit, non ſolùm fidei orthodoxæ propugnandæ cauſâ, ſed etiam in omnis generis virtutum praxi contingere poſſe martyrium, cùm ab illarum exercitio tyrannus minis, & morte intentata nititur amovare. In cujus confirmationem exemplum affert B. Joannis Baptiſtæ, *qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterii mortem ſuſtinuit.* Fateor equidem, mortem illam pulcherrimam eo in officio oppetitam actum aſſa heroicæ fortitudinis, & nunquam ſatis commendandæ charitotis; ſed cùm in odium fidei, vel virtutis oppugnatæ à tyranno, & ab moriante propugnatæ non accidat, à ſtricta martyrii rationa deficit. Unde idem S. Thomas 2. 2. *q.* 123. *art.* 5. comparat hujuſmodi mortem illi, quæ ob pium negotium itinerantibus à naufragio, vel à latronibus marſupium commodiùs expilaturis obvenit. Verba S. Doctoris ſunt hæc: *Circa pericula cujuſcumque alterius mortis fortis benè ſe habet. Præſertim quia cujuſcunque mortis homo poteſt periculum ſubire propter virtutem; puta cùm aliquis non refugit amico infirmanti obſequi propter timorem mortiferæ infectionis, vel cùm non refugit itinerari ad aliquod pium negotium proſequendum, propter timorem naufragii, vel latronum.*

Inſtabis: Tantùm abeſt, mortam in obſequio peſta laborantium oppetitam idcirco à vero martyrio excludi, quòd tyrannus deſit, deſit & oppugnatio veritatis, quod potiùs martyrium per peſtem inda ampliùs videatur inclareſcere; tum quia ſimilitudinem mortis Chriſti propiùs refert, qui ſponta animam ſuam poſuit; tum quia hoc videtur martyrium per peſtem cætaris antecellara, quòd puriùs ſit & defæcatius, utpota nihil maliti e tyrannorum aut carnificum admixtum habens: ergo martyrium per peſtam non ſolùm à perfecta martyrii ratione non deſciſcit, ſed etiam mortyrio fuſi ſanguinis præſtat.

Reſpondeo martyrium ſanguinis longè expreſſiùs martyrium, & paſſionem Redemptoris morte à peſte in obſequio languentium illatâ referre; quamvis anim Chriſtus ſponte ſua poſuerit animam ſuam, violenta tamen fuit tam dira corporis Salvatoris afflictio, ſin ſpiritui prompto, certè carnis infirmæ; fuit etiam in odium veritatis & doctrinæ Chriſtianæ Chriſtus iniquiſſimè occiſus: unde perfectiſſimus Martyr, & Martyrum archetypus, & dux ipſa fuit. Nec illius mortem, val martyrii gloriam obſcuravit judicum, vel tortorum crudelis malitia, ſed potiùs inter tot furentium hoſtium impetus eo magis inclaruit, quo patientia ſolet inter acerbiora nitere ſupplicia. Quod varò Sancti Martyres ad ultroneam mortem non ſe ſponta obtulerint, nihil eorum gloriæ datrahit, vel minùs voluntarium fuiſſe eorum ſacrificium evincit. Non enim ex timiditate, vel tepore parſequutionem de civitate in civitatem fugiebant, ſed præceptis Servatoris ut obtempararent, & chriſtianæ prudentiæ regulas cuſtodirent. Ut anim alibi ax Patribus retulimus, non oportet ſe ultrò objicere perſequutori, tum ut infirmitati & humilitati conſulentes gratiam ferandi generosè martyrii à Deo præſtolemur; tum ne tyrannum ad ſævitiam propellentes illi graviſſimè peccandi anſam tribuamus. De multis tamen Martyribus legimus ad tyrannum eos ſponta ſua, fidei in diſcrimen vocatæ defendendæ, val confirmandorum debilium & nutantium neceſſitata motos intarritè acceſſiſſe, alios varò in ipſa ſupplicia non ſine ſpeciali Dei inſtinctu irruiſſa, non humanitus deceptos, ſed divinitus juſſos, ſicut de Samſone credit Auguſtinus. Et quamvis hæc facta ſingularia non ſint in conſaquentiam trahanda, nec facilè de nutu Dei præſumendum; cùm tamen Deus id aliquibus Sanctis conſpicuè, & ſina ullis ambagibus intus præcepit, nemo obedientiam in crimen vocaverit, nemo obſequium religionis accuſaverit. Fateor ergo ad meritum martyrii requiri prorſus ſpontaneam & liberam voluntatem, quia ut ex Patribus dicitur in Decretis, cauſa 22. quæſt. 6. *Ad bonum quiſque inutiliter cogitur, cùm ſervitia coacta Deus aſpernatur.* Hinc Gregorius *lib.* 9. *Moral. cap.* 22. ſic fatur: *Tunc ſolùm Deo vera obſequia reddimus, cùm ei ex amore ſervimus.* Et Auguſt. *lib. de adulterinis conjugiis, cap.* 14. ſic: *Ea ſunt in naſtris officiis gratiora, qua cùm liceret non impendere, tamen libera charitate cauſâ dilectionis impendimus.* Martyribus tamen liberum propriæ voluntatis affectum non daeſſe ſic axplicat D. Thomas q. 97. *ſupplementi, art.* 6. *ad* 2. ibi: *Dicendum, quod martyrio non debetur aliquod pramium, ſecundùm hoc, quod ab exteriori infligitur, ſed ſecundùm hoc, quod voluntariè ſuſtinetur, quia non meremur niſi per ea, qua ſunt in nobis. Et quantò id quod aliquis ſuſtinet voluntariè, eſt difficilius & magis natum voluntati repugnare, tantò voluntas, qua propter Chriſtum illud ſuſtinet, oſtenditur firmiùs fixa in Chriſto, & ideo ei excellentius pramium debetur.*

Objicies ſecundò: in Martyrologio Romano die 28. Fabruarii recolitur memoria Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plorimorum, qui tempore Valeriani Imparatoris, cùm peſtis ſæviſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſimè mortem oppetiere, *quas velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Sentit ergo Eccleſia, illos eſſe Martyribus accenſendos, qui in miniſterio peſte laborantium mortam oppatunt. Hinc, ut refert Cardinalis Baronius *in notis ad illum diem,* ex Euſebio *lib.* 7. *hiſtoria, cap.* 16. & 17. S. Dionyſius Alexandrinus de illorum Sanctorum morte loquens ait: *Iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrii ſplendore abeſſe videtur.*

Si mors in obſequio infirmorum graſſante lue ſuſcepta nihil à martyrii ſplendore differt: ergo martyres ſunt, qui mortem illam ex charitate & fide robuſta obeunt.

Reſpondeo Sanctos illos per analogiam & ſimilitudinem dici martyres, unde & *velut martyres* eos religioſa pietas veneratur; quia licèt in eis non fuerit cauſa quæ facit martyres, nulla eos in odium fidei vel virtutis laceſſiverit perſequutio, fuit tamen fides, pietas, & conſtantia martyrum, quæ quoad meritum præmii eſſentialis nihil à martyrii ſplẽdore abeſſe vidẽtur, ſplendor namque martyrii à virtutibus in illo agone certatim nitẽtibus proficiſcitur. Per extenſionẽ ergo & imitationem conſtantiæ Martyrum dicuntur martyres; eo modo quo veri Chriſtiani vita ad Evangelii amuſſim exacta *martyrium* à Patribus dicitur; quo Religioſi mundo morientes, & pœnitentiâ corpus macerantes dicuntur *martyres*, ut reflexione ſequenti expendemus; denique eo modo, quo Eccleſia in officio omnium Sanctorum de Sanctis Confeſſoribus lectione 6. ait: *Et licèt perſequutorum non ſenſiſſent gladium, tamen per vitæ meritum martyrio non privantur.*

Reflexio.

Stricti martyrii aureola decorari, & baptiſmo ſanguinis pretioſiſſimo baptizari non omnibus datum eſt; omnibus tamen Martyrum æmulati patientiam atque conſtantiam præcipitur, quibus Chriſtiana vita agenda eſt, quæ ſi ſecundùm Evangelium ducatur, crux eſt atque martyrium. Auditis ergo præclaris impavidorum Martyrum victoriis atque triumphis, ad amorem Conditoris corda noſtra accendi, ad fortiter agendum uberiùs excitari, ad certandi laborem avidiùs inflammari nos neceſſe eſt, ratos quod ſi compatimur, & conregnabimus; quod non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, & quod momentaneum & leve hoc noſtræ tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. *Quamvis occaſio perſecutionis deſit*, inquit Magnus Gregorius humil. 3. in Evangelia, *habet tamen & pax noſtra martyrium ſuum, quia etſi carnis colla ferro non ſubjicimus, ſpiritali tamen gladio carnalia deſideria trucidamus.*

Martyres ergo hoc ſenſu poſſunt eſſe Clerici & Sacerdotes, qui ad immaculatas ſacrorum canonum normas vitam exigentes ſuam, carnem adverſus ſpiritum concupiſcentem virginali caſtitate domant, in carne præter carnem vivunt, & ſeipſos propter regnum cœlorum caſtrantes, præcellentis victoriæ coronâ donabuntur, juxta illud Auguſtini lib. de ſancta virginitate, cap. 25. *Quid tergiverſaris impia cæcitas? Quid ſerenitati veritatis nebulas tua perverſitatis offundis? Quid in tanta Scripturarum luce tenebras unde inſidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus Sanctis? Quid regnum cœlorum, propter quod ſeipſos caſtraverunt ſancti ſpadones in hac tantùm vita intelligendum eſſe contendis? Nomen, inquit, æternum dabo eis. Quid quæris ampliùs? Æternum hoc nomen, quidquid illud eſt, ſpadonibus Dei promiſſum, quod utique gloriam quandam propriam, excellentemque ſignificat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis. Nam ideò fortaſſis & nomen dictum eſt, quòd eos quibus datur, diſtinguit à cæteris.* Martyr itaque eſt continens: quod ita verum credidit Tertullianus, ut dicere non dubitarit: *Majus eſt vivere cum caſtitate, quàm mori pro caſtitate.* Quantò enim plura ſunt quæ impugnant pudicitiam, tantò victoris majora ſunt præmia. Continens autem non erit otio torpens, delitiis indulgens, vanitatum amans & cupediarum, fortunas obliguriens, mulierum frequentans coronas.

Martyres ſunt boni Epiſcopi, qui Eccleſiæ, cujus ſponſi ſunt, amore flagrantes, & forma gregis facti, vitam ſuam juxta Tridentini & Concilii Carthaginenſis IV. decreta componentes, modeſtâ ſuppellectili, & menſâ ac frugali victu contenti, humilitatis, miſericordiæ, eleemoſynarum, cæterarumque virtutum, quæ ſunt veluti quoddam perpetuum prædicandi genus, inſignibus ſuo ſe divino muneri ita conformes oſtendunt, eaque vivendi diſciplinâ fulgent, quæ meritò omnium in ſe oculos convertat. Martyres ſunt ſacri Antiſtites, qui nullis illecebris emolliuntur, nullis Curiæ favoribus inflectuntur, nullis adverſis perturbantur, nullis extolluntur ſecundis, & quaſi vento quodam nulla variarum rerum mutatione circumferuntur. Martyres ſunt, ſi pro veritate ſibi concredita tutanda nullos defugiunt labores, nullos timent perſequentium furores. Nam ut benè dixit Auguſtinus: *Martyr teſtis interpretatur. Quicumque ergo pro veritate teſtimonium dederit, quidquid pro teſtimonio veritatis pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.*

Martyres ſunt infirmi chriſtianâ patientiâ ægritudines libenter perferentes, qui ſubjecti doloribus judicium Dei laudant, vexati ægritudinibus mala tolerant, & forti intentione ad Deum directi, quidquid hac in vita ſibi amarum contingit, dulce æſtimant, omne quod affligit requiem putant, & omnis adverſitatis impetus æquanimiter portant. *Sine ferro & flammis martyres eſſe poſſumus*, inquit Magnus Gregorius in dialogis, *ſi patientiam in animo veraciter conſervamus.* Hinc Chryſoſtomus *hom.* 11. *cap.* 1. 2. *ad Corinth.* Martyrum omnium ſibi Jobum patientiâ comparaſſe coronas atteſtatur. *Martyres innumeros Iob unus æquat.* Hinc etiam Jacobus cap. 1. *Patientia*, inquit, *opus perfectum habet*; quia cujus patientia vinci non poteſt, ille perfectus eſſe probatur; & ideò poſſidere animas ſuas patientes dicuntur *Luc.* 21. quia radix omnium, cuſtoſque virtutum patientia eſt, ut Magnus Gregorius *hom.* 35. *in Evangelia* interpretatur. Quid enim excelſius, aut magnificentius eſſe poteſt, quàm exercere mentem, affici carnem libenter ferre, gaudere eam in ſervitutem redigi, ut rationis obediat imperio, ut Evangelii conſiliis obtemperet, ut impigrè in adeundis laboribus propoſitum animi voluntas exequàtur.

Martyres ſunt pœnitentes patrata ſcelera voluntaria ſatisfactione luentes, qui in medio ſæculi æſtu, & poſtremæ ætatis præſenti corruptela ſæculares omnes inſanias falſas, ac cupiditates ex animo repudiant, ſe Chriſto totos dedunt, nullaque re alia magis quàm vitæ chriſtianæ ac pœnitentis dejectione delectantur; qui peccati mortalis granditate infinitâ permoti ſanctam juſtitiam fallaci miſericordiæ anteponunt, vulneribus ſuis properam, brevem ac fluxam medicinam non quærunt, ſed judicem Deum gemitibus & lacrymis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, voluptatum conceptu, ſeceſſione, ſilentio, ſupervacaneorum conventuum fuga, atque omni piorum operum genera placare ſoliciti ſunt; qui ſalutis ſuæ ſtructuram ſolidè fulcire cogitantes, naturæ motus & impetus divini Spiritus robore domant, dignis pœnitentiæ fructibus à peccatorum ſordibus ſe expurgare ſtudent, & hominibus, qui ſeſe ſæculi tricis ac fluctibus implicuere, ſinceræ converſionis exemplum ac formam exhibent. Denique qui crucem Chriſti, non ut Chriſtus innocens, ſed ut latro pœnitens ſuſtinent, qui propterea à Patribus Martyribus accenſetur. *Latro ille*, inquit Auguſtinus lib. de anima & ejus origine, cap. 9. *non ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor, à Cypriano ſanctè inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur. Tanto namque pondere appenſum eſt, tantumque valuit apud eum qui hæc novit appendere, quod confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantùm ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Inventa eſt in eo menſura Martyris, qui tunc in Chriſtum credidit, quando defecerunt qui futuri erant Martyres.*

Martyres ſunt boni conjugati, & ipſi in ſæculo nobiles & divites, qui paupertate ſpiritus divitias & mundi pompas floccifacientes, viam latam, quæ ad

ad interitum ducit, declinant, matrimonii licito & honeſto uſui permixtam luxuriâ fœditatem, ſamiliarum corruptelam, ſæcularium hominum libidinem, omniom ordinum proluviem, marcatorum in rebus contrahendis perfidiam, ſimulationem, uſurarum fraudulentiam, Eccleſiaſticarum rerum ſacrilegam diſtractionem & ſimoniacam hæreſim ſolis jam hebetibus illicitam execrantur, & juxta Apoſtolicum præceptũ, lacrymis ac gemitibus proſequuntur; qui in carne viventes, non ſecundùm carnem militantes, utentes hoc mundo tanquam non utentes, laboriosum pœnitentiæ baptiſma quod jejuniis, orationibus, eleemoſynis, aliiſque pietatis operibus continetur, frequentant; qui probè ſcientes amicitiam mundi cum Deo inimicitiam eſſe, atque inimicum Dei conſtitui quicũmque mundi amicus eſſe voluerit, negotiorum mundanorum nimiam ſolicitudinem, acquirendarum divitiarum cupiditatem, deliciarum, voluptatumque ſtudium amputare, & radicitus exſtirpare nituntur, ut quantùm intemperanti lætitiâ exultaverint, tantùm ſalutari triſtitiâ tabeſcant, voluntariis laboribus anteactæ vitæ voluptates juſta ratione penſantes. Hos ſic cum ſæculo in ſæculo certantes, ſic amicitiã mundi in mundi uſura ſtirpitus eruentes, ſic in mediis divitiis & honoribus ſe inter mundana commoda, & Chriſtum non patientes; hos, inqoam, martyres meritò dixerim, quia juxta auream Auguſtini *ſerm. 13. de verbis Domini, cap. 6.* ſententiam: *Magna virtutis eſt cum felicitate; magna felicitas eſt à felicitate non vinci.* Hinc tam paucos videmus ſecundâ fortunâ modeſtè & chariſtianè uti. *Facilius in veneris*, inquit Bernardus lib. 2. de conſid. cap. 12. *qui ſapientiam retinuerint contrariâ ſibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderint. Honores mutant mores, non utique meliores, ſed ſæpiùs in deteriores.* Quod & ipſe Gentilis Seneca vidit: *Nimia*, inquit, *eo quòd ſuperfluunt, nocent: ſic ſegetem nimia ſternit ubertas; ſic rami onere franguntur; ſic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas.* Martyres ergo ſunt, qui carnem cum concupiſcentiis crucifigunt. *Nemo dicat*, inquit Auguſtinus ſerm. 150. de temp. cap. 1. *quod temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſint: habet enim & pax noſtra martyres ſuos; nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, avaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare pars magna martyrii eſt.*

Martyres denique ſunt boni Religioſi, quibus mundus crucifixus eſt, & illi mundo. Qui enim Deo & cruci Chriſti tribus paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ votis confixus eſt, nihil eorum, quæ in mundo ſunt habens, mundo utique moritur, & ſibi, ut Deo de Deo vivat. *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, ut *1. Ioan. 2.* dicitur. Hanc porrò triplicem concupiſcentiam triplex votorum funiculus, qui difficilè rumpitur, frænat; concupiſcentiam quippe oculorum, ſeu avaritiam, & rerum temporalium cupidinem evellit paupertas; concupiſcentiam carnis caſtitas domat; ſuperbiam vitæ obedientia dejicit. Hinc Damaſcenus *hiſtoriæ Balaam cap. 12.* Religioſos mundo mortuos, Martyrum præmium obtenturos affirmat. Hinc Bernardus *tract. de præcepto & diſpenſat. cap. 23.* ſic habet: *Audiſtis vultis à me, unde inter cætera pœnitentiæ inſtituta monaſterialis diſciplina meruerit hanc prærogativam, ut ſecundum baptiſma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, quâ præeminens univerſis vitæ humanæ generibus hujuſmodi converſatio profeſſores & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; imò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto inſtar baptiſmi; quaſi denique baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, rurſus Chriſtum induimus, complantati denuò ſimilitudini mortis ejus. Sed quomodo in baptiſmo eruimur de poteſtate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in ſancti hujus ſecunda regeneratione propoſiti, de tenebris æquè non unius originalis, ſed multorum actualium delictorum in lumen virtutum evadimus.* Nihil illuſtrius in Religioſæ vitæ commendationem dici poteſt.

Porrò intelligitur hæc tam inſignis prærogativa de Religioſis votorum veluti gladio mactatis, qui facti ſunt ſicut oves occiſionis. Martyres ergo Monachi illi non ſunt, qui oblito nomine ſuo per Curias, per vicos, per plateas curſitant, quorum oculi omne ſublime vident, pedes omne forum circumeunt, linguæ in omnibus conſiliis audiuntur; qui ſub habitu regulari, quod humilitatis ſolet eſſe inſigne, ſuperbiam paſcentes, de honoribus litigantes & gradibus, Prælatorum Eccleſiæ divinum jugum etiam in regimine animarum à cervicibus ſuis excutiunt, obliti, ut ait Barnardus, Abbatem ſuper Fratrum duntaxat tranſgreſſiones, non ſuper Patrum conſtitui traditiones; vitiorum quidem ultorem, ſed cultorem mandatorum. *Cùm deteſtabilis ſit ubique ſuperbia*, inquit Petrus Bleſenſis epiſt. 90. *deteſtabilior eſt in profeſſione humilitatis: quod enim ærugo in ferro eſt, quod in veſte tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc eſt ſuperbia in habitu monachali.* Martyres non ſunt, qui non parant aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, nec ſe totos intus colligunt, ut mandatum peragant imperantis; qui hoc unum faciunt quod volunt, hoc volunt quod cupiditati conſentaneum norunt; legitimi ſuperioris nihil plus exigentis quàm promiſerunt, nec ultrà extenſi, nec citrà ſe contrahentis mandata deſpiciunt, frivolis appellationibus eludunt, mendicatis favoribus ad nihilum redigunt. Martyres non ſunt divitiarum amantes, vel honorum avidi, de quibus Cyprianus, quivis alius author libri de operibus Chriſti cardinalibus, in prologo: *Vnde hæc ſitis divitiarum miſeris pectoribus aſſidet, & ambitionis ſalſugo bibulam animam occupat, ut per fas & nefas ad loca ſuperiora etiam de lateribus eremi nonnulli ſe ingerant, anheli prodeant, diſcurrant ad judices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, ut ſedeant cum principibus.*

Specvlatio. II.

Baptiſma parvulis Infidelium collatum validum quidem eſt; at illicitum tamen.

PRimam partem de valore, ſeu integritate baptiſmi parvulis infidelium, parentibus eorum repugnantibus collati, ſupponit D. Thomas *quæſt. 63. art.* 10. dum ait, periculoſum eſſe baptizare pueros illos, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Qui reditus ad infidelitatem maniſeſtè ſupponit pueros illos infidelium numerum ſuiſſe ſuſcepto ſacramenti charactere aggregatos, & fide infuſa unà cum gratia ſacrarum undarum lavacro inſtructos. Et quanvis S Doctor *q. 68. art. 9. ad* 1. dicit, in parvulis requiri intentionem, non per actum proprium, ſed eorum, à quibus offeruntur, actibus explicatam; id tamen noſtræ huic doctrinæ minimè adverſatur; quia ab aliis poſſunt quàm à parentibus ad baptiſmum ſuſcipiendum offerri.

Probatur ratione contra Durandum: Voluntas parentum non eſt pars eſſentialis baptiſmi, ſed meræ conditionis locum & vim obtinet, paſſum ad agens, baptizandum ad baptizantem admoventis; quæ conditio ſuppleri omninò poteſt per acceſſum agentis ad paſſum, baptizantis ad baptizandum. *Generatio ſpiritualis*, inquit D. Thomas quæſt. *68.* art. 9. ad 1. & 2. *quæ fit per baptiſmum, eſt quodammodo ſimilis nativitati carnali, quantum ad hoc, quod pueri in maternis uteris conſtituti, non per ſeipſos nutrimentum accipiunt, ſed ex nutrimento matris ſuſtentantur:*

tantur: ita etiam pueri nondum uſum rationis habentes, quaſi in utero matris Eccleſiæ conſtituti, non per ſeipſos, ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſcipiunt. Vnde *Auguſtinus dicit in libro de peccatorum meritis & remiſſione: Mater Eccleſia os maternum parvulis præbet, ut ſacris myſteriis imbuantur; quia nondum poſſunt corde proprio credere ad juſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem. ::: Sicut Auguſtinus ſcribens Bonifacio dicit: In Eccleſia Salvatoris pueri per alios credunt, ſicut ex aliis, quæ in baptiſmo remittuntur, peccata traxerunt. Nec impeditur eorum ſalus ſi parentes ſint infideles, quia ſicut Auguſtinus dicit, offeruntur parvuli ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus (quamvis & ab ipſis, ſi ipſi boni fideles ſunt) quàm ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum charitate ad communionem S. Spiritus adjunguntur. Infidelitas autem propriorum parentum, etiamſi eos poſt baptiſmum dæmoniorum ſacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet; quia ut Auguſtinus ibidem dicit, puer generatus per aliorum voluntatem, deinceps non poteſt vinculo alienæ iniquitatis obſtringi, ubi nulla ſua voluntate conſentit. ::: Fides autem unius, immò totius Eccleſiæ, parvulo prodeſt per operationem Spiritus S. qui unit Eccleſiam & bona unius alteri communicat.* Ergo baptiſma collatum parvulis infidelium, reluctantibus licèt parentibus, validum & integrum eſt

Secunda pars, quæ aſſerit illicitum eſſe infidelium pueros reclamantibus, invitiſque parentibus baptizare, intelligitur de pueris Judæorum & Gentilium, non de pueris hæreticorum aut ſchiſmaticorum, qui ratione ſuſcepti baptiſmatis Eccleſiæ ſubditi cùm ſint, eis poſſunt ſine injuria pueri eripi, & baptiſmi fonte intingi. Sic autem intellecta oſtenditur primò, quia hoc nunquam in uſu Eccleſia Catholica habuit, ut Judæorum vel Gentilium filii invitis parentibus baptizarentur. Licèt enim retroactis temporibus multi extiterint Principes & Imperatores Catholici orbem terrarum ſuprema ditione tenentes, & Sanctorum Epiſcoporum propagandi Chriſti nominis zelo nulli ſecundorum amiciſſimi, qualis fuit Conſtantinus S. Sylveſtri familiaris, qualis & Theodoſius, cui Ambroſius præcipuo amori fuit & venerationi: nunquam tamen piiſſimi illi Principes de baptizandis infidelium præfatorum, repugnantibus parentibus, liberis conſilium ſuſceperunt. Quia nimirum viri ſancti cœleſtis luminis abundantiâ perfuſi, nunquam hoc à Principibus Chriſtianis, apud quos gratiâ & authoritate ſingulari valebant, poſtularunt, quod utique nullatenus prætermiſiſſent, ſi rationi conſentaneum, & divinæ voluntati conforme judicaſſent. Ergo contra Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem hactenus obſervatam pueri Judæorum & Gentilium invitis parentibus illicitè baptizarentur. Nam ut ait D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. *Conſuetudo Eccleſiæ ſemper eſt in omnibus æmulanda; quia & ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet. Vnde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm authoritati Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris. Hoc autem Eccleſia uſus nunquã habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur.* Quam inconcuſſam fidei regulam ex Auguſtino variis locis, ſed nominatim *lib. 4. de baptiſm. contra Donatiſtas, cap. 24.* deprompſit S. Thomas; ſic enim habet Auguſtinus: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Ratio verò, cui hæc Eccleſiæ conſuetudo innixa eſt, ſub hac forma proponitur: Illicitum illud meritò cenſendum eſt, quod juſtitiæ naturali repugnat & ex quo animabus detrimentum imminet; legis enim naturalis inſtitutiones non deſtruit Chriſtianiſmus, ſed perficit; nec animorum nocumento, ſed omnium ſaluti providere ſatagit. Atqui pueros infidelium parentibus repugnantibus baptizare, cùm naturali æquitati, tum animarum ſaluti adverſatur, quin & ipſi Fidei ex baptiſmate illo coacto detrimentum non mediocre immineret. Repugnat quidem violentia illa juſtitiæ naturali; cùm enim filius ſit naturaliter aliquid patris, æquitatis naturalis legi omnibus implantatæ jura violarentur, ſi pueri ante uſum rationis à cura parentum, & patria poteſtate ſubtraherentur, vel de eis aliquid invitis naturalibus dominis, nimirum parentibus, diſponeretur. Ergo ſicut non licet alia fortunæ bona vel hæreditate obtenta, vel labore parta per vim auferre, multò magis liberorum uſum & dominium ſanguinis neceſſitudine, intima conjunctione, & propriæ ſubſtantiæ derivato conſortio poſſeſſum, quóve nullum parentes potiùs attingit, abripere nefas eſt. Imminerer etiam ex hujuſmodi violento baptiſmate ſaluti puerorum periculum, & Religioni Chriſtianæ non mediocre detrimentum; proclive enim eſſet pueros rationis uſus poſtmodùm compotes ad deferendam Chriſtianam Religionem neſcienter initam, & genitoribus exoſam nativo erga parentes affectu induci: quod nec ſine apoſtatarum damno graviori, nec ſine fidelium ſcandalo, nec ſine Religionis dehoneſtamento obveniret. Ergo pueros invitis parentibus baptizare non minùs iniquum cenſendum eſt, quàm ſi adultus, quod deteſtatur baptiſma ſuſcipere cogeretur.

Hanc tamen generalem doctrinam in quibuſdam caſibus limitandam cenſeo; primò enim ſi altero parentum in infidelitate permanente, alter ad fidem converteretur, poſſet filius de conſenſu unius altero renitente baptizari, modò tamen nullum ſubverſionis periculum ab contradicente immineret, niſi fortè illi diſcrimini authoritate Principis, vel Reipublicæ, aut aliis opportunis modis poſſet occurri. Cùm enim conſenſus ille ab eo præbeatur, qui jus habet in puerum, & alioquin in maximam pueri utilitatem cedat, non cenſetur juri naturæ adverſum, quod & unius partis juri & prolis ſaluti conſulatur.

Secundò poſſunt etiam pueri infidelium ad Chriſtianos delati & venditi baptizari. Quia parentibus ultrò ſe patria poteſtate privantibus nulla fit injuria: nec ullum impendet fidei detrimentum, quia remoti à parentibus puerulì, ab eorumque dominio, cura, & convictu ſejuncti, parentibus debitum amorem transferunt in altores, à quibus ſi non eſſe, certè benè eſſe, & conſervatæ vitæ beneficium, quod productionis loco eſt, jugiter recipiunt. Idem non improbabiliter extendunt aliqui ad pueros etiam injuriâ à parentibus ſeparatos, & remotiſſimarum regionum intervallis diſſitos; quia cùm nulla reditus ad patriam ſuperſit ſpes, eo exilio civiliter mortui cenſentur. Crediderim tamen, quod ſi parentes poſſent conſuli, vel ad illos parvuli remitti, alterutrum lege naturalis æquitatis omnium antiquiſſimâ faciendum foret: quia quod injuriâ ablatum eſt, non poteſt ſine injuria retineri, nec ſeparatio injurioſa paternum auferre jus poteſt.

Tertiò veroſimillima eſt Dominici Soto, & Franciſci Silvii ſententia, exiſtimantium puerulos deſperatæ ſanitatis poſſe clam inſciis, invitiſque parentibus baptizari. Tunc enim nullum fidei ſcandalum immineret; nec injuria parentibus infidelibus irrogaretur, ſi puer animam agens, & jamjam moriturus illorum impietati ſubtraheretur, à quorum cura & dominio ſtatim eſt morte ſeparandus. Et ita ſe geſſiſſe S. Ludovicum Bertrandum, non ita pridem in album Sanctorum à Clemente X relatum, in ejus vita narratur.

Quartò, licèt aſſerere non auſim cum Durando, Martines à Prado, Sylvio & Goneto, filios mancipiorum infidelium poſſe invitis parentibus baptizari, cùm contrarium verius viſum ſit S. Thomæ *hic art. 10. ad 2. & 2. 2. q. 10. art. 12. ad 2.* quia ſervitus

civilis non excludit ordinem juris naturalis & patriæ poteſtatis; ſervitus autem mancipiorum, quantumvis pœnalis ſit, ipſa tamen civilis eſt, quâ naturalis ſervitus filii ad patrem antiquior eſt, cùm præſertim loquatur *S.* Thomas de Judæis, qui vera ſunt Principum Chriſtianorum mancipia, quorum propterea res poſſunt accipere Domini temporales tanquam ſuas, ut docet Innocentius III. *extra de Iudæis & Sarracenis, cap. Etſi Judæi*; quia reprobati à Domino, in cujus mortem nequiter conſpirarunt, illorum ſervi facti ſunt, quos Chriſti mors liberos, illos ſervos effecit. Et certè ſi infideles adultos, quanvis mancipia ſint & ſervi pœnales, ad fidem tamen cogi non debent, ut docet D. Thomas *2. 2. citata, art. 8.* & traditur in decretis *diſt. 45. cap. de Iudæis*, ex Concilio Toletano IV. *can. 56.* his verbis: *De Iudæis præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, ut ſit integra forma juſtitiæ.* Quod & docet Magnus Gregorius *lib. 11. epiſt. 15.* ubi vult eos liberam habere celebrandi ſuas feſtivitates licentiam, nec ad veram fidem aſperitatibus, ſed blandimentis adduci ſtatuit: & Alexander III. *cap. Conſuluit*, & Clemens III. *cap. Sicut, extra de Judæis, & Sarracenis.* Ita nec eorum filii debent contradicentibus parentibus baptizari, *quia puer*, inquit ibi S. Thomas, *à parentibus non diſtinguitur ſecundùm corpus, quandiu in matris utero continetur; poſtmodùm verè poſtquam ab utero egreditur, antequam uſum liberi arbitrii habeat, continetur ſub parentum cura ſicut ſub quodam ſpirituali utero.* Nec eſt ſimile de pueris à parentibus venditis, quos poſſe baptizari in ſecunda exceptione diximus, quia tunc parentes patriâ ſe poteſtate ultrò ſpoliant, & volenti non fit injuria: hic verò parentes contradicere & repugnare ſupponimus. Dominium etiam humanum, quod quis habet in mancipia, non ſe extendit ad ſupernaturalia, ſed intra commodi temporalis limites ſiſtit, imò nec jus naturale extinguere poteſt; unde licèt mancipiorum domini ea vendere & donare poſſint, non tamen poſſunt mancipiis filiis præcipere, ut parentes inhonorent, verberent, vel alia id genus faciant, à quibus natura in ipſis brutis abhorreret. Quamvis, inquam, his permotus rationum momentis id affirmare non auſim, probabile tamen videtur temperamentum Cajetani, exiſtimantis pueros illos non poſſe quidem quandiu ſub cura parentum relinquuntur, invitis parentibus baptizari; ſed ſicut poſſunt ratione dominii filios illos heris aliis vendere vel donare, ita poſſe eos in regionem longinquam transferre, ubi à parentum convictu & blanditiis ſemoti, periculum non imminet, ne in infidelitatem filialis amoris pondere retrahantur.

Objicies pro Scoto oppoſitum noſtræ aſſertionis ſentiente: Homo ex lege charitatis debet, vel certè poteſt extremo alicujus periculo ſubvenire: ergo poteſt Princeps filios infidelibus auferre, eoſque baptiſmate ab æternæ damnationis manifeſto periculo liberare. Certè ſi parentes ita eſſent occæcati, & corde duri, ut vellent filios extremè ægrotantes ſine remedio perire, nonne crudeliter filii parentibus relinquerentur, & miſericorditer eriperentur? Quantò ergo potiùs ſaluti animæ abſque baptiſmate dubio procul damnandæ conſulendum eſt, & reclamantibus licèt cæcis parentibus ſuccurrendum? Nec illis ulla irrogatur injuria, qui jure ſuo tam perversè abutuntur. Jus etiam naturæ filios parentibus cum tanto filiorum detrimento non ſubjicit; ſicut enim charitas, ita jus omne incipit à ſeipſo. Maximè quia homo magis eſt Dei, à quo habet animam, quàm patris carnalis, à quo habet corpus, à quo nec corpus haberet, niſi patri Deus & generandi virtutem contuliſſet, & cum generante concurriſſet. Ergo nulla fit injuria, ſed juſtitia ſervatur, dum pueri Judæorum, aliorumque infidelium carnalibus parentibus auferuntur, & Deo per baptiſmum conſecrantur, & veluti reſtituuntur.

Reſpondeo, quod licèt Deus ſit omnium Dominus, ejuſque proinde voluntas ſit invitis, & renitentibus omnibus inferioribus executioni mandanda; attamen quia Deus omnia ſuaviter diſponit, nec jus divinum ad ordinem gratiæ pertinens deſtruit jus naturale gentium, ideo non vult Deus, ut contra naturalem ordinem pueri infidelium invitis parentibus baptizentur. Quod autem inde ſequatur puerorum æterna damnatio, per accidens eſt, & infortunium, quod ut impediatur, non debet æquitatis naturalis rectitudo violari; non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona, vel alia mala tollantur. Debet etiam humanum dominium divinum regimen, à quo derivatur, imitari: unde ſicut Deus, tametſi omnipotens & ſummè bonus, mala tamen quædam in univerſo permittit, ne eis ſublatis bona majora tollantur; ita in humano regimine Princeps more Dei rectè mala aliqua diſſimulando tolerat, ne vel bona impediantur, vel mala deteriora ſequantur. Qua de cauſa dixit Auguſtinus lib. 2. de Ordine. cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Similiter ergo etſi infideles pueros in infidelitate educantes peccent, tolerari tamen poſſunt & debent; tum ne naturali patriæ poteſtatis omni lege poſitiva, omni Principum authoritate antiquioris jure priventur; tum ad filiorum ſcandalum, & relapſum præcavendum, qui citò in infidelitatem reciderent, quam non niſi inſcii deſeruerant: tum propter diſſidia & jurgia vitanda, fugiendumque modum regendi tyrannicum, à quo ſemper Eccleſia abhorruit, quæ more Dei volentibus, conſentientibus, & non invitis amat principari: & ideò lex Chriſti lex libertatis dicitur, quia cor devincit, & neminē in ſuorum profeſſorum numerum, niſi voluntariū aſcribi vult, qui divinis juſſis ſponte obtemperans, æternam ſalutem conſequatur: lex autē gratiæ & amoris vis omnis, & injuriæ impatiens eſt, & inimica.

Exemplum autem patris nolentis ægroto filio ſubveniri, diſſimile eſt; quia tunc pater rationis naturalis lumini omnibus inſeminato adverſatur, contra quod prævalere jus paternum non poteſt, ſed ei concedat neceſſe eſt. Quod verò puer baptizari debeat ut ſalvetur, tametſi verum ſit, infideli tamen patri non conſtat, imò falſum eſſe credit, quandiu ebibitâ infidelitate imbuitur: unde non debet jure patriæ poteſtatis Evangelio antiquiori privari, ſi ipſe nolit, ſicut adultus quacumque ſervitute mancipium ſit, non poteſt vi ad baptiſmum compelli, quanvis certiſſimè ſit ſine baptiſmo periturus. Quocirca Apoſtoli non vi & armis fidem obtruſerunt, ſed mundum veritate vicerunt, manſuetudine & charitate Chriſti jugo ſubjecerunt. *Peragrarunt univerſum orbem*, inquit Chryſoſtomus ſerm. 3. Pentecoſtes, *oves ſimul cum lupis; & vulnerata à beſtiis non ſunt oves; ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem converſi.*

Denique cùm dicitur, hominem eſſe magis Dei, quàm patris, verum eſt: ſed ſicut Deus adultum reliquit in manu conſilii ſui, ita pueros in manu parentū, dicente D. Thoma 2. 2 citato loco ad 5. *Providere pueris infidelium de ſacramentis ſalutis pertinet ad parentes eorum.* Unde ſicut non poſſumus hominem bonis ſuis interdum abutentem, ex eiſque moraliter peccandi & fidei dilatandæ obſiſtendi occaſionem nanciſcentem rebus illis ſpoliare, eas ut in obſequium Dei, vel pia opera expendamus: ita multò minùs poſſumus parentes privare filiis, qui ſunt prima & præcipua eorum bona. Neque enim Principum, aut Rerumpublicarum ſuprema licèt juriſdictio ad omnia punienda vel coercenda peccata ſe extendit, ſed ea duntaxat, quæ contra communem pacem, honeſtatem, & tranquillitatē, vel Regni ſtatuta graſſantur.

Inſtabis: Dum puer rationis uſu vigere incipit, quàmlibet patriæ poteſtati ſubjectus ſit, quàmlibet ei obtemperare teneatur, poteſt tamen in iis, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, ſibi invitis & reluctantibus parentibus providere, & à perniciosa eorū cura ſeſe ſubmovere. Ergo quàmlibet intercedant patriæ poteſtatis jura, poteſt quilibet, maximè

mè

mè verò Princeps, vel Reſpublica, puerorum ſaluti extremè periclitanti conſulere, & è parentum jure ſuo abutentium manibus eripere.

Reſpondeo, certum eſſe pueros rationis uſu præditos, cum ſui eſſe incipiant libertate voluntaria actuum ſuorum domini, poſſe & teneri Deo vocanti & præcipienti obedire; quia etſi amandus eſt generator, præponendus eſt Creator; unde & tunc valet celebre illud Hieronymi pronuntiatum: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ſolùm pietatis genus eſt, hac in re eſſe crudelem.* Et generaliter quotieſcunque ſubordinatorum dominorum variæ ſibique oppoſitæ concurrunt voluntates, major poteſtas minori præferenda eſt. Nam ut dicitur Actor. 5. *Obediendum Deo magis quàm hominibus.* Hinc Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini cap. 8. *Quid ſi illud jubeat poteſtas humana,* inquit, *quod non debeas facere? Hic ſanè contemne poteſtatem, timendo poteſtatem. Ipſos humanarum rerum gradus adverte. Si aliquid juſſerit Procurator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contra Proconſulem jubeat, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire; nec hinc debet minor iraſci, ſi major prælata eſt. Rurſus ſi aliquid ipſe Proconſul jubeat, & aliud jubeat Imperator, nunquid dubitatur ipſo contempto, illi eſſe ſerviendum? Ergo ſi aliud Imperator, & aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, eſto mihi in obſequiū. Rectè; ſed nō in idolo: in idolo prohibet. Quis prohibet? Major poteſtas. Da veniam. Tu carcerem, ille gehennam minatur.* Quam ſanctiſſimam regulam compendiosè complexus eſt Iſidorus Peloſiota *lib. 4. epiſt. 120.* his verbis: *Cedere oportet magiſtratus* (& idem dicito de parentibus) *omnibus in rebus, in quibus neque pietati, neque virtuti ullum affertur detrimentum.* Et Chryſoſtomus *hom. 71. in Matth.* hæc habet: *Cùm audis reddenda eſſe heris quæ ſua ſunt, illa ſolùm dici non dubites, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt: nam quod fidei, aut virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed diaboli tributum eſt.* Ex quo principio reſolvit Auguſtinus occurrentem non rarò illam quæſtionem, quid ſubdito tum faciendum ſit, cùm de mandato Dei dubitatur, & interim præceptum Principis, vel legitimi ſuperioris urget? Ad quam ſic reſpondet Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 75. *Vir juſtus ſi fortè ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, rectè poteſt illo jubente bellare, civicæ partis ordinem ſervans, cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt; vel utrum ſit, certum non eſt. Ita ut fortaſſis reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Et ratio eſt, quia Deus juſſis Prælatorum obedire clarè præcepit. Quando ergo conſtat, jubere Prælatum, niſi pari certitudine Deum prohibere conſtet, Profectò jubenti parendum eſt, ne ſit periculum Deo non obediendi, qui Prælatis obediendum perſpicuè imperavit: unde divino præcepto magis certo poſtponenda eſt divina prohibitio minùs certa. Si ergo contrà divinum præceptum conſpicuum, apertumque ſit, Principi obſiſtendum, Deo parendum eſt, *cujus juſſu homines naſcuntur, cujuſq; juſſu Reges conſtituuntur*, ut dixit Irenæus *lib. 5. cap. 24.*

Sed ex his non benè infertur, pueros infidelium invitis eſſe parentibus baptizandos; quia Deus, licèt omnibus ad ſe per Chriſtianiſmum venire jubeat, nunquam tamen Prælatis nolentes ad id propellere juſſit; nunquam hac in parte patriam in liberos rationis non compotes poteſtatem violare imperavit, nullis violentiis propagari imperium ſuum ſupernaturale voluit, qui corda poſtulat, & voluntaria libentis animi & hilaris datoris ſacrificia diligit; qui propterea inermes, & ab ſubſidiis humanis nudos & deſertos homines ſeminandi Evangilii gratiâ elegit, nullâ in jura naturæ & humanæ libertatis irruptione factâ; ut Chriſtianiſmi gloria ſupra alias quaſvis ſectas, Mahumetiſmum præſertim, ſola vi in mundi m obtruſum emineret. Videſis quæ aliâs de triumpho fidei Chriſtianæ integrâ diſſertatione tomo 4. commendato obſervavimus. Quamobrem ſicut parentes uſu membrorum, vel aliis naturæ & fortunæ bonis ob unam infidelitatem ſpoliare nefas eſt; ita & propriis eos orbare liberis jure naturæ omni lege poſitiva antiquiori iniquum eſt.

Urgebis: Ideo Principes, vel Reſpublica pueros nequeunt parentibus baptizandos eripere, quia regalis, & politica poteſtas ad mera natalia, non ad ſupernaturalia protenditur; unde intra naturalia honeſtatis, vel civilia œconomiæ limites, quos tranſilire nequit, continetur. Atqui ſimiliter patria poteſtas eſt merè naturalis: ergo neque iſta ad ſupernaturalia filiis prohibenda dilatatur.

Reſpondeo, paternum quidem jus eſſe naturale, nec ad ſupernaturalia extendi; ſed non debere etiam ab ordine ſupernaturali extingui, cùm gratia naturam non deſtruat, ſed adornet & perficiat. Probat ergo ſolùm argumentatio illa, parentum jus non poſſe filios adultos ad ſupernaturalia vocatos impedire, quia filius jure naturali paterno antiquiori Deo etiam authori ſupernaturali ſemel noto obedire debet. At verò Reſpublica nullum in patriam poteſtatem omni politica vetuſtiorem jus habet aut imperium, niſi fortè eâ parentes adverſus politicum regni bonum abutantur.

Inſiſtes: Si parentibus repugnantibus filii ut baptizentur eripi nequeunt, neque etiam tutoribus, quibus filiorum cura à parentibus morientibus commiſſa eſt, auferri poterunt. Conſequens autem non videtur verum, cùm in filios illos non ſit major tutorum, quàm Reipublicæ poteſtas. Ergo abſolutè Principes regali poteſtate ſua poſſunt filios invitis parentibus baptizandos tradere.

Reſpondeo, omiſsâ ſolutione Sylvii exiſtimantis idem eſſe de tutoribus atque parentibus judicium; quia, inquit, cum tutores paternæ ſuccedant poteſtati, de filiis utroque parente orbatis non licet invitis tutoribus quidquam diſponere: omiſſa, inquam, hac ſolutione, probabilius dicendum videri, filios parentibus orbos magis ad Rempublicam, cujus ſunt membra, quàm ad tutores, quorum clientelæ à parentibus commiſſi ſunt, pertinere. Unde Reſpublica alios eis poteſt tutores in fide & pietate educaturos ſufficere, niſi immineant illa ſcandali, ſubverſionis, & relapſus pericula ſuprà memorata, quæ præcavere neceſſe eſt; & in humano regimine, non tam quid liceat, quàm quid expediat, vel deceat, pervidendum eſt. Unde patet, zelum pietatis ſecundùm ſcientiam non habere illos, qui Anabaptiſtarum, vel Judæorum pueros parentibus etiam orbatos, munuſculis ad ſe pellectos clam, furimque baptizant, qui deinceps apud parentes, cognatos vel tutores infideles reverſuri ſunt. Nam vel pueri illi in hæreſi, vel Judaiſmo permanebunt, vel ad Catholicam Religionem aliquando rerum convertentur; ſi primum, nihil ipſis proficiet baptiſma effectu ſuo imbuendâ infidelitate fruſtrandum; ſi ſecundum, iterabitur non ſine injuria ſacramenti Baptiſma ignoratum; quia ut alibi ex Patribus diximus, non cenſetur in foro exteriori iteratum, quod factum eſſe à Paſtoribus legitimis neſcitur.

Perſiſtes cum Eſtio *in 4. diſt. 6. §. 2.* in oppoſitam ſententiam propenſiori: Quamvis filii ſint jure naturæ curæ parentum ſubditi, patriâ tamen in illos poteſtate abuti non poſſunt; qui proinde abuſus ſi contingat, à ſuperiori poteſtate, putà Regali, corrigi poteſt & debet. Atqui parentes nolentes filios baptizari patriâ poteſtate abutuntur; neque enim poteſtas illa illis jus dat filios malè & perversè inſtituendi; ſi enim non dat jus impediendi ſalutem temporalem, ſi non dat jus artes illicitas docendi; quomodo dabit jus impediendi ſalutem æternam, & illos falſa religione omnibus artibus deteriori docendi? Ergo illata à parentibus ſpiritalis longè graviſſima injuria poterit à ſuprema poteſtate, collato Baptiſmate, & ſegregatis à cura parentum puerulis vindicari.

Reſpon-

Reſpondeo, abutentes jure naturali contra debitum juſtitiæ naturalis aut politicæ œconomiæ, poſſe ſuperiori poteſtate corrigi & caſtigari, ſed nolentes juri ſupernaturali, cui infideles non ſubduntur, obtemperare, à poteſtate humana cogi non poſſunt, id præſertim ſuavi Dei providentia vetante, cujus voluntas perpetuo Eccleſiæ uſu comperta eſt. Certè ſi hoc argumentum aliquid efficeret, probaret etiam infideles vita, membris ſuis, & bonis terrenis peccatis ſuis citra prodigalitatem, vel manifeſtam injuſtitiam tamen abutentes, poſſe ob unam infidelitatem occidi, mutilari rebuſque omnibus ſpoliari, quod Chriſtianæ manſuetudini apertiſſimè repugnat. Abutuntur ergo parentes infideles patria poteſtate, ſicut & vitâ ſuâ; ſed abuſus ille juri naturæ, quo privari ſine injuſtitia non poſſunt, innititur.

Reflexio.

Voluntarie ſacrificabo tibi. Pſalm, 53. *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.* Pſalm. 11. *Non enim accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.* Rom. 8. Nullam neque adultis, nec parvulis violentiam inferri vult Deus; caſtam filiorum libertatem quærit, quia ut ait Hilarius lib. 9. de Trinit. *Neſcit Deus aliud aliquando quam dilectio eſſe neque aliud quàm pater eſſe.* Libertatem nobis obtinuit Chriſtus; nam ſicut ejus opprobria noſtrum abſtulere opprobrium, ſicut vulneribus ejus ſanati ſumus, ejus ſepulturâ reſurreximus, ejus ad inferos deſcenſione ad cœlos aſcendimus; ita nos vincula ejus fecerunt liberos, & coronâ ſpineâ capitis ejus diadema regni adepti ſumus. Libertatem ergo tanto labore partam non cogere vult, ſed ſponte ſibi ſervire noſter præcipit Imperator. Illi itaque ultrò obſequamur, cui ſervire regnare eſt, cui non ſervire ſervitus eſt. Levantes puras manus, corde ad Chriſtum ſincero feramur, quia ut dixit Auguſtinus in Pſalm. 85. *Ibi non putreſcit cor, ſi levetur ad Deum. Frumentum ſi haberes inferioribus, ne putreſceret, levares ad ſuperiora: frumento tuo, quæris mutare locum, & cor permittis in terra putreſcere? Frumentum levares in ſuperiora, cor leva in cœlum.* Stantes in terra in cœlum animi libertate protendamur: quia quócunque cor ſe converterit in terrenis rebus, ſervitutis amaritudinem inveniet; unde dulceſcat libertas, non habebit, niſi ſe ad Deum levaverit.

Tria opera, & tres mixturas, quæ fecit omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis miratur Bernardus *ſerm. 3. in vigilia Nativitatis*; eaque ita ſingulariter mirabilia, ita mirabiliter dixit eſſe ſingularia, ut talia nec facta fuiſſe, nec facienda eſſe ampliùs exiſtimaverit ſuper terram; cùm nimirum conjuncta ſint Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum: ſed nihilo inferior, vel minùs mirabilis, vel ſingularis mixtura illa ab Incarnatione etiam profecta cenſenda eſt, quâ ſervitus Dei cum humani cordis libertate copulatur. Sed enim ſicut ineffabili Incarnationis commercio ita ſe Domini contraxit Majeſtas, ut quod melius habebat, videlicet ſeipſum, limo conjungeret, & in perſona una ſibi invicem unirentur Deus & limus, Majeſtas & infirmitas, tanta vilitas & ſublimitas tanta; nihil enim Deo ſublimius, nihil vilius limo; & tamen tanta dignatione deſcendit Deus in limum, tanta dignitate limus aſcendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur tam ineffabili quàm incomprehenſibili ſacramento: ita ejuſdem Incarnationis beneficio Chriſtus de nobis ſibi habuit carnem, de ſe nobis ſalutem; de nobis ſibi contumelias, de ſe nobis honores; de nobis ſibi tentationem, de ſe nobis victoriam; de nobis ſibi ſervitutem, de ſe nobis libertatem, quâ vitiorum vincula dirumpimus, mundum vincimus, diabolum olim captivantem ſuperamus.

Agnoſcamus igitur noſtram in liberatore noſtro libertatem, quia tunc verè liberi erimus, ſi nos filius hominis liberaverit: tunc ſponte viam mandatorum ejus curremus, quia lumine ſuo nos deducet tanquam veritas, & per ſe ducet tanquam via, & ad ſe ducet tanquam vita: tunc in odorem unguentorum ejus procedemus, quia ut alicubi dixit Auguſtinus, omni homini ad Deum converſo mutatur libertas, mutatur delectatio; mutantur delitiæ; non enim ſubtrahuntur, ſed mutantur.

Omnes proinde etiam Judæos & infideles ad Chriſtum alliciamus. Nolimus dicere, nunquid ecce tales homines Deus correcturus eſt tam malos, tam perversè obduratos? Nolimus deſperare; quem rogemus attendamus, non pro quibus rogamus: ſi nos terret morbi magnitudo, conſoletur nos cœleſtis Medici fortitudo, quia ut dixit Auguſtinus in Pſalm. 58. conc. 2. *Omnipotenti Medico nihil eſt inſanabile.* Invitentur ergo ad nuptias & boni, & mali, ut impleantur nuptiæ recumbentium; ſed nulla infidelibus Eccleſiæ per baptiſmum nondum ſubjectis violentia inferatur, quia etſi ſervorum eſt invitare, Domini tamen eſt ſeparare, & Patris eſt ad Chriſtum venientes trahere.

Porrò ſi damnanda eſt infidelium invitorum, & Baptiſmo filiorum ſuorum ſuſcipiendo contradicentium cæcitas; quanta quæſo Chriſtianorum, & quàm gravis iniquitas eſt, qui poſtquam ad Baptiſmum à parentibus volentibus ſuſceptum, & ab ipſiſmet vitæ Chriſtianæ externa profeſſione firmatum acceſſerunt, vitæ Chriſtianæ officia non niſi repugnantes ineunt? Infelici peccati libertati ut ſerviant, dæmonibus ſolvunt vectigalia, dum vagâ inſtabilitate de vitio rotantur in vitium, & plus torquentur cupiditatum tyrannide, quàm martyres torti ſint ſanguinis effuſione. Non conſiderant tum demùm ſe verâ libertate potituros, cùm Chriſto ſervierint. ſcriptum eſt enim: *Ubi ſpiritus Domini ibi libertas.* Et iterum: *Vir obediens loquetur victorias.* Prima libertas eſt carere criminibus, quâ Sancti etiam in carcere recluſi ſpoliari non poſſunt, juxta illud Tertuliani: *Etſi corpus includatur, omnia ſpiritui patent; nihil crux ſentit in nervo, dum animus eſt in cœlo.* Libertatem ſibi pronuttunt velamen malitiæ habentes, cùm ſint ipſi ſervi corruptionis, & intra ſe tot dominos habeant, quot paſſiones, quæ non dant requiem neque die, neque nocte; quæ imperant, ſed ſine miſericordia; quæ mandant, ſed ſine diſcretione; quæ conregnant, ſed cum diſſenſione; quæ in ipſis de ipſis certant, cujus potiſſimùm eſſe videantur. Requiem quærunt immemores quod non eſt pax impiis, dicit Dominus; quodve nulla quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. Sui eſſe appetunt, nec vident quod nemo ſuus fieri poteſt, qui non priùs ſic Dei fiat, ut omnia cum Deo aut velit, aut nolit, juxta illud Caſſiodori ad Deum loquentis: *Tunc ero meus, cùm fuero tuus.* Implere ſatagunt appetitum, & ſemper eſuriunt; quod illicitum eſt, ſemper bibunt, & inceſſanter ſitiunt. Quid illa falſæ libertatis, & veræ ſervitutis exactione inclementius, ubi ſolutum ſemper repetitur, innovatâ cum cruciatibus repetitione.

Ergo lubenter ſolvamus quod ſolenniter promiſimus; illi ultrò obſequamur, qui nos dixit non ſervos, ſed amicos. Præ oculis habeamus Chriſti victoriam libertatem eſſe, quæ omnes gratiæ vindicat, nullum aſtringit injuriæ: quia quos Chriſtus alligat, liberat; quos aſtringit, ſolvit; & infuſa victricis delectationis ſuavitate, dulce ſubitò fit carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerit, amiſiſſe gaudium eſt. Præclarè Auguſtinus in Pſalm. 99. *Libera ſervitus eſt apud Dominum; libera ſervitus, ubi non neceſſitas, ſed charitas ſervit. Servum te charitas fecit, quia liberum te veritas fecit:*

fecit: ſimul es & ſervus & liber; ſervus, quia factus es: liber, quia amoris à Deo, a quo factus es: imò etiam inde liber; quia amas Deum. Ea itaque, quæ io baptiſmate promiſimus, tota liberæ voluntatis propenſione reddamus, memores minùs grave eſſe Baptiſmo ſuſcipiendo reniti, quàm ſuſceptum contradicentibus divinæ legis moribus inhonorare, dicente Ambroſio in Pſalm. 118. n. 39. *Qui non habet calorem fidei, tolerabilius illi fuerit fidem non accepiſſe, quam neglexiſſe.*

Speculatio III.

Remota per pœnitentiam fictione Baptiſmus eandem gratiam, ejuſdemque gratiæ gradum baptizato confert, quem reapſè contuliſſet, ſi ſubjectum minimè fictum inveniſſet.

NE de vocibus, ut fieri quandoque ſolet, diſputatio impræſentiatum inſtituatur, accuratè io ipſo limine termini exponendi priùs ſunt, quàm ut aſſertionem iſtam ſuis momentis ſtabiliamus. Itaque per Baptiſmum fictè ſuſceptum non intelligunt Theologi baptiſmum ſimulatâ, & ludicrâ irriſione collatũ vel receptum, non habentibus miniſtro & ſuſcipiente intentionem faciendi quod facit Eccleſia; tunc namque evidens eſt non ſolùm baptiſmum nullum ſortiri effectum, ſed nec baptiſmi eſſentiam continere, ad cujus integritatem intentio faciendi quod facit Eccleſia cùm in miniſtrante, tum in baptizato omninò deſiderari ex dictis ſuperiori diſſertatione relinquitur demonſtratum.

Per Baptiſma ergo fictè ſuſceptum illud intelligendum venit, in quo quidem omnia ad ſacramenti eſſentiam pertinentia reperiuntur, & materia debita, & forma ſolita, & intentio ſeriò expreſſa; ſed tamen per ſacrilegam ſuſcipientis peccati mortalis conſcii, nec verâ contritione pœnitentis voluntatem nullum ſortitur effectum. Quæ fictio, ut docet S. Thomas *q. 69. art. 9.* quatuor modis contingit: in primis ſi accedens ad lavacrum, & quod facit Eccleſia facere intendens, hæreticâ tamen pravitate imbutus credit Baptiſmum non eſſe ſacramentum, ſed inanem ritum ab Eccleſia humanitùs inſtitutum: & tunc fictio ex fidei defectu proficiſcitur.

Secundo accidit fictio per contemptum ſacramenti; ſolis namque humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem, & organorum illorum ſacrorum in ſpeciem vilium contemptoribus nedum nihil largitur, ſed reſiſtit. Porrò ille baptiſmum contemnere cenſendus eſt, qui vel interiùs quas Chriſtus inſtituit ſenſibiles cæremonias uti viles deſpicatur, vel de illis exteriùs non loquitur reverenter, ſed de auguſtis myſteriis jocatur. Adeò enim veneranda ſunt hæc inſtrumenta ſalutis, ut continuò blaſphemi habendi ſint, & magnæ impietatis rei peragendi, qui vel illa luſerint, vel de illis minùs reverenter fuerint alloquuti. Neque enim irrideri à quoquam poſſunt, quin artiſæ Religionis, ipſi Chriſti ſacramentorum autoris hujuſmodi nefarius aſpernator invidiam ſubeat. Quod his obiter libenter dixerim propter quorundam hujus ſæculi hominum (qui ſe ſpiritus fortes vocant, cùm ſint debiliſſimæ entitatis tamen) occallentis animi duritiem, qui res ſanctas jocis, ſalibus, & ludis in contemptum adducunt; qui quod impiæ, & ſcurrilis dicacitatis proprium eſt, in res ſacras dicta jaciunt, infinitam animi linguæque licentiam ingenii firmitati, de myſteriis ludendi audaciam venuſtati & lepôri ſermonis aſcribere imputareque non erubeſcunt. Verùm ſi oculis illi eſſent chriſtianis inſtructi, citò pervideren Chriſtianæ legis ſacramenta amore eſſe & veneratione digniſſima, amorem ipſis conciliare pulcherrimam & aptiſſimam eorum convenientiam ſanandis humanis morbis accommodatiſſimam; venerationem verò in ipſa conſerte eximiarum rerum ſub ipſis latentium majeſtatem. Sed ad propoſitum, unde paululùm digreſſa oratio eſt, revertamur.

Tertiò contingit fictio, quando in celebratione Baptiſmatis non ſervantur Eccleſiæ ritus, qui licèt non ſint neceſſarii neceſſitate ſacramenti, neceſſarii tamen ſunt neceſſitate præcepti, quod tranſgredi nefas eſt. Quamvis enim Deus Eccleſiæ non tradiderit inſtituendorum ſacramentorum facultatem, ei tamen præſcribendorum rituum, qui ſacramentalia dicuntur, contulit authoritatem, cui fideles omnes, niſi articulus extremæ neceſſitatis eos prætermittere compellat, eâ quâ par eſt reverentiâ morem gerere tenentur.

Quartò denique contingit fictio, cùm aliquis peccati mortalis nullo ſufficienti dolore expiati reus ad recipienda ſacramenta accedit. Ex quibus intelligitur, quã deploranda ſit eorũ ſors, qui ſacramẽta ſine ſincera contritione, quæ à lacrymis, rugitib', gemitibus, protractis jejuniis, largis eleemoſynis, novæ vitæ intra ratione relapſus in peccata lethalia abhorrente indivulſa eſt, ſacramenta frequentant; qui poſt perditiſſimos mores, dummodò actus contritionis formulâ per ſe religioſam illam quidem in manualibus pietatis exſcriptam exercitaverint, vel ſuperficie cogitationis apprehenderint, ad ſacramenta veniunt in peccata propediem reverſuri, cùm tamen nec medullitus mutati, nec in novas creaturas converſi ſint; ſed meras voces & inanes cogitationes, vel ad ſummum lacrymulas doctas mentiri attulerint. Soli ergo ad ſacramentum ſine fictione accedunt, qui ſincero voluntatis pondere, veluti dulci quadam, atque abdita violentiâ ita in Deum rapiuntur, ut ei inſervire, ei morem gerere, ejus voluntatibus obſequi, ejus injuriis vehementiùs quàm ſuis dolere ſtudent; qui ita intimo quodam ſenſu compatati ſunt, ut à rebus caducis & mortalibus abſtracti, cœleſtibus addicti ſint, vanam & fallacem ſæculi gloriam, & inſanias falſas pro nihilo ducant, Dei offenſum in nos animum ſupra mortem pertimeſcant, occaſionem quamlibet unde ad peccatum aditus patet, cautiſſimè effugiant, res, parentes, honorum gradus abdicare potiùs quàm à Chriſto diſcedere proponant, & propoſitum operum teſtificatione quàm ſincerum ſit demonſtrent: alioquin fruſtra actum in nobis amoris & contritionis ineſſe comminiſcimur, fruſtra ad ſacramenta currimus, ſi ſolis vocibus, aut vanis ſponſionibus, vel etiam nonnullis animi commotionibus contenti, factis perſpicuis, pœnitentiæ ſolidis fructibus, veris vitæ emendatæ argumentis ſinceram cordis pœnitentiam non probemus, nec digna afflictionis auſteritate delere nitamur, quod loquendo confitemur. Sed de his alibi, Deo benè opitulante, operoſiùs.

His prælibatis aſſerimus eum, qui poſt ſuſceptum fictè aliquo quadruplicis hujus fictionis genere ſacramentum vera pœnitentiâ cietur, non ſolùm ſacrilegæ fictionis à Deo veniam impetrare, ſed etiam Baptiſmi fructum, gratiam nimirum regenerativam, obtinere. Et ratio eſt, quia licèt ficta ſacramentorum ſuſceptio quocunque ex quatuor enumeratis modo contingens mala ſit, & ingens ſacrilegium; ipſa tamen ſacramenta ſancta ſunt, utpote merita Chriſti virtualiter continentia, manentque in acceptatione divina, cujus proinde voluntatem movent ad eorum effectum ex meritis Redemptoris ſublato obice conferendum: quanvis enim opus mortuum reviviſcere non poſſit, quod nunquam vixit, ac proinde ſacrilega Baptiſmi ſuſceptio vivificari nunquam poſſit; merita tamen Salvatoris, à quibus totam hauriunt ſacramenta virtutem, ſemper vivunt, & vitam in ſacramento homini tribuunt per pœnitentiam reſurgenti. Quod egregio exemplo illuſtrat S. Thomas *q. 69. art. 10.* Sicut cùm aliquid generatur, ſimul cum forma recipit effectum formæ, niſi aliquid impediens intercedat, quo tamen remoto forma generata effectuum ſuorum complemen-

sum

tum aſſequetur, v. g. cùm corpus grave generatur, movetur continuò deorſum, niſi curſum obex aliquis præpediat aut remoretur, quo ſemoto ſtatim deorſum ſponte ſua propellitur: ita ſimiliter dum quis per Baptiſmum in Eccleſia generatur, charactere obſignatur, quo Chriſtianiſmo aſcribitur; effectum tamen Baptiſmi principalem, qui eſt gratia animum renovans, fictione impeditus non recipit: at coſceleratæ fictionis objectaculo per pœnitentiam ablato, ſuum omnem ſortietur Baptiſma effectum, cùm non minùs ſit efficax ſupernaturalis baptiſmi regeneratio, quàm naturæ generantis actio; & univerſum quævis cauſa effectum producere nata, ſi poſito obice aliquo impediatur, eo deinde ſubmoto, ſuo non fruſtratur effectu.

Quam doctrinam non ex propria mente peperit Angelicus Doctor, non cogitata ſua vel propria decreta voluntariè obtruſit, nec in rea meta Dei voluntate pendente quidquam de ſuo pronuntiavit; ſed aſſertionem illam è Patrum traditione deptompſit, non ut Magiſter, ſed ut diſcipulus ſemper loquutus, cui nihil aliud unquam conſilii fuit, quàm ut ſanctiſſimorum illorum Doctorum, & qui inſtar omnium eſt, magni Auguſtini, quem univerſa ſemper ſuſpexit Eccleſia, mentem exponeret, unde Doctoris communis nomen meritiſſimè adeptus eſt. Sed de his alibi, multa enim ſæpe laudandi Angelici Præceptoris noſtri gratiâ dicimus. Porrò hanc noſtram ſententiam docuit Auguſtinus *lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 1.* his verbis: *In illo, qui fictus acceſſerat, fit ut non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione, & vera confeſſione purgatur, quod non poſſet ſine baptiſma; ut quod antea datum eſt tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Rurſum Auguſtinus *lib. 3. contra Donatiſtas, cap. 13.* loquens de Baptiſmo in hæreſi, vel ſchiſmate accepto, ſic habet: *Tunc incipit valere idem baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint, non ut jam dimiſſa non retineantur, neque ut ille baptiſmus quaſi alienus, aut alius improbetur, ut alter tradatur; ſed ut ibidem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem.* Ex *lib. 6. cap. 25.* ſic: *Deus ipſe ſanctificat ſacramentum ſuum, ut homini ſive antequam baptizetur, ſive cùm baptizatur, ſive poſteà quandoque ad ſe veraciter converſo id ipſum valeat ad ſalutem, quod ad perniciem niſi converteretur valeret.*

Id ipſum confirmari poteſt ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Ex quo loco ſic formatur argumentum: Nemo poteſt intrare regnum cœlorum, niſi gratiâ regenerativâ, & peccati originalis remiſſivâ perfundatur, ut eò loci Veritas atteſtatur. Atqui gratia regenerativa, & peccati originalis remiſſiva eſt proprius & characteriſticus baptiſmatis effectus, ut docent Auguſtinus *in Enchirid. cap. 64.* Concilium Florentinum *in decreto Armenorum*, & Tridentinum *seſſ. 6. cap. 3.* affirmans tranſlationem à ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adam, in ſtatum gratiæ fieri non poſſe ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto: patet verò Baptiſmum verè, licèt fictè & indignè ſuſceptum, nec repeti, nec tunc habere locum votum illius: Ergo gratia regenerativa, & peccati originalis remiſſiva, quæ ficto converſo in juſtificatione tribuitur, virtute baptiſmi quadantenus reviviſcentia confertur, cùm hujuſmodi ſupernaturalis nativitatis effectus nunquam ab Eccleſia, nunquam à patribus aliis ſacramentis aſſertus inveniatur.

Dicea in favorem Scoti oppoſitum ſentientis: D. Aug. *lib. 1. contra Donatiſtas, c. 12.* in ſacramentum reconciliationis rejicit effectum baptiſmi, aitque tum prodeſſe homini fictè baptizato baptiſmum ad remiſſionem peccatorum, *quando reconciliatus unitati ſacrilegio diſſenſionis exuitur:* Et *lib. 7. contra Donatiſtas, cap. 53.* ſic loquitur: *Si poſtea prodatur* (fallacia miniſtri ſeriò agentis, ſed intentionem intrinſecùs corrumpentis) *nemo repetit*, (baptiſmum) *ſed aut excommunicanda punitur, aut pœnitendo ſanatur.* Ergo effectum baptiſmi fictè ſuſcepti uni pœnitentiæ S. Doctor aſcribit.

Reſpondeo certiſſimum eſſe, tunc ſolùm ficto & indigno prodeſſe baptiſma, cùm Deo per pœnitentiam reconciliatur, & ſincera converſione ſanatur, quod ſolum iis locis Auguſtinus intendit; ſed id non impedit quominus tunc homini per pœnitentiam diſpoſito, & poſitum obicem auferenti Baptiſmus ſuum, & proprium impertiat effectum. Maximè quia ipſa fictionis culpa, & peccata fictum baptiſmum ſequentia unà debent pœnitentiâ deleri; unde tunc utique baptiſmatis & pœnitentiæ ſacramento datur locus. Ex quibus objecta Auguſtini teſtimonia cum his quæ pro noſtra aſſertione protulimus, facili negotio conciliabis.

Inſtabis: Ut baptiſmus recedente fictione ſuum produceret effectum, deberet peccatum originale, & alia actualia baptiſmum antecedentia delere: ſed id non præſtat baptiſma, ſed id una efficit pœnitentia, quæ per eam quam juſtificato infundit gratiam, non ſolum actualia quævis peccata, ſed etiam originale remittit: tum quia non poteſt unum peccatum lethale ſine aliis condonari; tum quia minima quævis gratia ſanctificans eſt omni cum peccato mortifero prorſus inſociabilis. Ergo baptiſmus fictè ſuſceptus, remoto licèt per pœnitentiam peccati obice ſuum non ſortitur effectum.

Reſpondeo fatendo, gratiam per veram pœnitentiam obtineri, ſed non ſoli pœnitentiæ, quâ lapſus reſurgit, reſpondere; quia & ſanativa peccatorum actualium per ſacramentum pœnitentiæ, & regenerativa in vi ſuſcepti baptiſmatis confertur. Omnes quidem gratia cuilibet peccato lethali adverſatur, ſed unicuique ſacramento ſuam reſpondere gratiam ſacramentalem, dum de ſacramentis generatim ageremus, ſatis oſtendimus.

Urgebis: Gratia per pœnitentiam obtenta, utpote omnes peccati mortalis impatiens, peccatum originale, ſaltem indirectè, remittit: Ergo ad illud remittendum fruſtra requirimus baptiſmi effectum; peccatum enim ſemel remiſſum, ſive per accidens, ſive per ſe, ſive directe ſive indirectè, ſive aliquo tandem modo remittatur, nullâ ampliùs remiſſione eget. Maximè quia gratia ex vi contritionis collata prius naturâ infunditur quàm gratia baptiſmi; ſi tamen reſurgit, conferri poteſt, cùm baptiſmus in nullum poſſit prorumpere effectum, niſi priùs fictio gratiâ per pœnitentiam impetratâ auferatur. Ergo priùs ſupponitur remiſſum peccatum originale, & quodvis aliud gratiâ pœnitentiæ, quàm illud poſſit delere baptiſmus.

Reſpondeo, quodlibet ſacramentum mortuorum gratiam per ſe remiſſivam peccati producere, tametſi peccatum non ſemper remittat, dum non invenit remittendum, ut patet in ipſo pœnitentiæ ſacramento, quod licèt peccata perfecto dolore remiſſa quandoque inveniat, ſuo tamen effectu non fraudatur; quia gratiam peccati remiſſivam, & peccatum ſi adeſſet remiſſuram largitur. Ita non diſſimiliter baptiſmus remotâ per pœnitentiam fictione gratiam regenerativam, & peccati originalis deſtructionem producit, tametſi fortaſſis peccatum illud gratiâ pœnitentiæ indirectè deletum inveniat. Accedit, quod cum in eodem inſtanti reali pœnitentia & baptiſmus operentur, tametſi quædam naturæ prioritas intercedat, melius eſt cuique

ſacramento proprium ſuum aſſignare effectum, vel dicere mutuam tunc in diverſo genere cauſæ contingere prioritatem, ita ut in genere cauſæ materialis & diſpoſitivæ poenitentia impedimenta removens, & ſubjectum apparans antecedat; & baptiſmus in genere cauſæ efficientis productione gratiæ regenerativæ præveniat. *Ad baptiſmi effectum conſequendum* (inquit S. Thomas *q.69 art.10 ad 2.*) *concurrit baptiſmus & pœnitentia: ſed baptiſmus ſicut cauſa per ſe agens, pœnitentia ſicut cauſa per accidens, id eſt removens prohibens.* Itaq; gratia ab utroque ſacramento eodem reali momento proficiſcitur; ſed ſecundùm diverſas rationes tamen; ut regenerativa eſt, à baptiſmo; ut ſanativa à poenitentia dimanat, mutuò ſeſe juvantibus ſacramentis, neutroque independenter ab alio operante, ſed ſuum effectum ſibi invicem permittente.

Inſiſtes: Quod ampliùs non exiſtit, ſed deſiit, in nullum poteſt effectum realem proſilire, cùm exiſtentia ſit conditio ad operandum eſſentialiter & indiſpenſabiliter deſiderata. Atqui baptiſmus fictè ſuſceptus præteriit: ergo fictione per pœnitentiam deinde ſublatâ nullum poteſt producere effectum.

Reſpondeo ſacramenta realiter tranſacta moraliter in acceptatione divina permanere: unde ſicut paſſione Chriſti, tametſi futurâ, permovebatur Deus ad gratiam antiquis Patribus ex meritis Chriſti præviſis conferendam; ita præterito ſacramento, & meritis Chriſti in illo incluſis cietur miſericordia Dei ad baptiſmi effectum, ſemoto impedimento concedendum. Accedit, baptiſma in ſe præteritum, in ſuo tamen effectu reali, charactere nimirum præſens perſiſtere; qui character ad producendum principalem baptiſmi effectum divinitùs elevatur. *Cùm fictio non auferat characterem* (inquit D. Thomas *in 4.d.4.quæſt.3.art.2.quæſtiuncula 3.*) *recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui eſt præſens, in anima incipit habere effectum ſuum; & ita baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur.*

Perſiſtes: Si recedente fictione baptiſmus ſuum ſortiretur effectum, per gratiam baptiſmi remitterentur omnia omninò peccata, etiam baptiſmum ſubſequentia; gratia enim baptiſmi quæcumque invenit peccata delet, quia cùm hominem totum tranſmutet & renovet in novam creaturam, omnem etiam peccati maculam huic perfectæ innovationi obſtantem funditus delet. Conſequens autem eſt falſum; Concilia enim & Patres peccata poſt baptiſmum commiſſa unâ deleri pœnitentiâ affirmant. Ergo recedente fictione effectus baptiſmi nõ habetur.

Reſpondeo peccata poſt baptiſmum commiſſa uno poenitentiæ ſacramento ſin re, certè voto ſuſcepto poſſe remitti: ſicut enim peccata ante baptiſmum commiſſa, & ipſum baptiſmum comitantia ſolo baptiſmate remitti poſſunt, quia non cadunt ſub juriſdictionem & claves Eccleſiæ, quæ in ſola baptizati hominis peccata jus habet; unde dixit D. Thomas 4.*diſt.69.art.10.*ad 2. *Fictio non removetur per baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, quâ remota baptiſmus aufert culpam & reatum omnium peccatorum precedentium baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum ipſo.* Ita peccata baptiſmum fictè ſuſceptum ſequentia, cùm Eccleſiæ clavibus ſubjecta ſint, uno poenitentiæ ſacramento remitti poſſunt. Unde ibidem ad 3 art S. Doctor: *Effectus baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia, vel præterita; & ideo recedente fictione peccata ſequentia remittuntur quidem, ſed per pœnitentiam non per baptiſmum; unde non remittuntur quantùm ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia baptiſmum.*

Ad argumentum ergo dicendum, quod licèt gratia baptiſmalis ſpiritaliter renatum innovet, ſuam tamen habet limitatam activitatis ſphæram, ſuos agendi fines, non ſecus ac quodvis tribunal ſuam habet præſcriptam jurisdictionis regionem: nullum enim ſacramentum remittendorum futurorum peccatorum virtutem habet, cùm ſit medicina præteriti duntaxat, vel præſentis vulneris, & morbi curativa, licèt eâ adversùm futuras ægritudines quadam veluti proviſione præmuniamur. Unde baptiſmus omnem culpam perfectæ innovationi obſtantem, fictione recedente, propria partim virtute, partim virtute ſimul concurrentis poenitentiæ, delet.

Obſiſtes adhuc: Si baptiſmus fictè ſuſceptus ſuum recedente fictione effectum ſortiretur, id etiam aliis ſacramẽtis conveniret, cùm ſit par de omnibus ratio. Atqui non conſtat alia quæcumque ſacramenta fictè ſuſcepta ſuum recedente fictione ſortiri effectum, ut patet ex multiplici Theologorum hoc in puncto variè opinantium conflictu. Ergo neque baptiſma fictè ſuſceptum effectum ſuum ſemoto obice obtinere poteſt.

Reſpondeo quod licèt ex Patribus fundamentum tantummodò habeamus aſſerendi ſolum baptiſmum fictè ſuſceptum recedente fictione effectum ſuum operari; probabiliter tamen & S. Thomæ conſonè dici poſſe, ſacramenta characterem imprimentia fictè ſuſcepta fictione recedente ſuum habere effectum. Tum quia ratio D. Thomæ pro illis & ſolis ſacramentis peræquè militat; ſic enim habet q.69. art.10. *Cùm aliquid generatur, ſimul cum forma recipit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens, quo remoto forma rei generatæ perficit ſuum effectum; ſicut ſimul cùm corpus grave generatur, movetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto ſtatim incipit moveri deorſum. Et ſimiliter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata: impeditur autem quandoque per fictionem, unde oportet, quod remotâ ea per poenitentiam baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum.* Atqui ſimiliter in Confirmatione, & Ordine imprimitur character quaſi forma quædam; quæ forma conſequitur effectum impedimento remoto. Ergo ſacramenta characterem imprimentia effectum gratiæ amoto peccati obice operantur. Tum quia ex D. Thoma *in 4.diſt 4.quæſt.3.art.2.* ideò Euchariſtia fictè ſuſcepta ſuum non ſortitur recedente fictione effectum, quia nullum characterem imprimit: *In Euchariſtia*, inquit, *non imprimitur character, cujus virtute poſſit aliquis virtutem ſacramenti recipere, fictione recedente*: ergo è contra ſacramenta effectiva characteris, *cujus virtute poteſt aliquis virtutem ſacramenti recipere*, ſuum ſemoto peccati objectaculo effectum ſunt productura. Tum demùm, quia convenientiſſimum eſt, ut ſacramenta, quæ iterari nunquam poſſunt propter indelebilitatem characteris quem imprimunt, fictione remotâ ſuum effectum producant, ne illo milites Chriſti, & Eccleſiæ miniſtri ſemper careant. Quæ ratio, tametſi probabilis, non cogit tamen; nam matrimonium, & Extrema unctio, licèt abſolutè poſſint iterari, attamen nec vivente altero conjuge matrimonium repetitur, nec durante eadem infirmitate Extrema unctio redintegratur. Nec ſequitur hominem matrimonii indiſſolubili vinculo junctum perpetuo cariturum fructu matrimonii, ut & infirmum gratiâ in mortis agone tantoperè neceſſaria. Non inquam, id ſequitur; quia licèt recedente fictione gratiam non operentur matrimonium, vel Extrema Unctio, quia nec in ſe, nec in charactere derivato permanent; credibile tamen eſt auxilia actualia ad ſacramentorum fines ordinata tollentibus fictionem, & piè deinde viventibus divinitùs indulgeri.

De aliis autem ſacramentis nullâ Patrum, nullâ D. Thomæ authoritate fretus affirmare auſim, effectus

ctus illa ſuos recedente fictione operatura. Et certè ſi divinæ Euchariſtiæ ſacramentorum præſtantiſſimo & efficaciſſimo effectum illum S. Thomas Euchariſtiæ devotiſſimus verbis paulò antè relatis convenire inficiatur, non videtur rationabilis eorum exceptio, qui hoc privilegium Euchariſtiæ ſacramentorum Autore plenæ, & ſacramentorum omnium fini denegantes, illud aliis omnibus ſacramentis characterem non imprimentibus, aſcitis quibuſdam conjecturis, quibus nimiùm indulgent, ordine omninò præpoſtero, & minimè probanda depretiatione aſcribunt.

Neque dicas cum quodam recentiore, D. Thomam in 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. & habetur *quæſt.* 9. *ſupplementi, art.* 1. docere, quod *confeſſio poteſt etiam eſſe in eo, qui non eſt contritus; quia poteſt peccata ſua pandere ſacerdoti, & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicere: & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, ſicut etiam in aliis ſacramentis eſt: unde non tenetur iterare confeſſionem qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodùm fictionem ſuam confiteri.* Non, inquam, id dicas; tum quia idem ibi docet D. Thomas de ſacramento pœnitentiæ, quod *de aliis ſacramentis*; & tamen adverſariùs Euchariſtiam excipit. Tum quia pœnitentia non eſt divinissimo Euchariſtiæ Sacramento efficacior, quæ tamen ſuum non confert recedente fictione effectum. Tum quia verba illa ſupplementi è commentariis in quartum librum ſententiarum, à S. Thoma adhuc juniore ſcripta, ab eodem S. Doctore in ſumma Theologica expoſita ſunt, ut dum de confeſſione informi in materia de pœnitentia, Deo benè vertente, dicemus. Et certè evidentiſſimum eſt, verba illa ſancti Præceptoris aliquo interpretamento ex eodem D. Th. deprompto temperari oportere: alioquin ſi prout ſonant & ab adverſariis nudè & ſuperficie tenus intelliguntur acciperentur, ſequeretur planè confeſſionem ſacrilegam, id eſt ſine contritione & novæ vitæ ſincero propoſito peractam non eſſe iterandam ſed ſuũ recedente fictione effectum operaturam eſſe: quod & univerſæ S. Th. doctrinæ, & communi Theologorum ſententiæ, atq; ipſis Catholicæ pietatis ſenſibus repugnat. Sed de his loco citato operoſiùs.

Reflexio.

Fictionem baptiſmo non apponunt Chriſtiani, quia per ætatem dum baptizantur non poſſunt; at in aliis quæ adulti frequentant ſacramentis, fictionem timeo, fallaciam pertimeſco. Habent multi ſacramenta creberrimè adeuntes nomen quod vivunt & reapſe mortui ſunt tamen, Ergo ficti ſunt, fallaces ſunt, hypocritæ ſunt, & ſimulatâ pietate in duplicem incurrunt iniquitatem. Faciunt qui hujuſmodi ſunt, ſibi de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede ſtipendium, de remiſſione peccatum. *Ipſi non falſâ opinione fallimur*, inquit Salvianus lib. 4. de providentia, *exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus nomen bonum poſſit, cùm Spiritus Sanctus nec fidem quidem dicat hominibus Chriſtianis ſine operibus poſſe prodeſſe. Et utique multò plus eſt fidem habere quàm nomen, quia nomen eſt vocabulum hominis, fides autem fructus eſt mentis: & tamen hunc ipſum fidei fructum infructuoſum Apoſtolus ſine operibus bonis eſſe teſtatur, dicens: Fides ſine operibus mortua eſt.*

Fidei religioniſq; ſinceritatem oſtendunt opera; actus boni non fictæ pietatis teſtes ſunt. *Chriſtianus*, ait idem Pater, *niſi opera bona fecerit, fidem ſuam penitus approbare non poſſit: ac per hoc quod probare non valeat quia ſit, ſic omninò habendum eſt quaſi non ſit.* Opus ergo ſuum probet homo, quia opere debemus credere, non opinioni; veritati, non inſtabili voluntati. Fruſtra legem bonam, fruſtra ſacramenta bona colimus, ſi mali cultores ſumus. *Quin potiùs*, addit idem Pater, *nec cultores, ſi mali; quia cultor dici non poteſt malus cultor: neque enim colit, qui rem ſanctam non ſanctè colit.* Ergo fictionem noſtram lex ipſa, religio ipſa, ſacramenta ipſa accuſant quæ colimus. Væ autem nobis ingredientibus terram duabus viis, quando & Dei eſt quod exhibemus, & mundi quod quærimus. Quid tandem eſt vita noſtra ſi ita comparati ſumus, niſi quædam viſio phantaſmatis, uti à Magno Gregorio alicubi obſervatum eſt, quæ hîc oſtendit in imagine, quod non habet in veritate?

An tantam iſtorum hominum turbam tribunal pœnitentiæ & tremendum Altare frequentantium ſincerè, & non fictè agere dicemus, qui magnum ſe feciſſe arbitrantur, ſi honeſtum flagitiis nomen obtẽdant? An tot fœneratores, qui turpiſſimas uſuras omni ratione interpolantes, ut hominibus, ita & Deo ſe fucum probabilitatis colore oblitum facturos exiſtimant? An tot avaros adamante duriores, viros divitiarum, terrenorum captivos, ſervos opum, qui nec peccata eleemoſynis redimunt, nec clamores exaudiunt pauperum, nec ullo fraternarum miſeriarum ſenſu cientur; quos ad ſuperbiam facultates, ad luxum copia, ad impietatem abundantia, ad cæcitatem auri ſplendor, ad contemptum Dei amor ſui, ad ruinam ſublimitas rapit? An tot Clericos, qui ſæpè patenti, ſæpiùs occulta cupiditate inflammati, patrimonio pauperũ pingueſcere, polygamia ſacerdotiorum eminere amant, & ſexcentis fraudibus ac technis ſacrilegam, palliatam tamen ſacrorum nundinationem inſtituunt? An tot laxatæ diſciplinæ Regulares, ſub habitu pietatis & pœnitentiæ nudam virtutibus animam circumferentes, qui nec tenent Ordinem, nec tenentur ab Ordine; quorum oculi omne ſublime vident, quorũ pedes omne forum circumeunt, quorum linguæ in omnibus audiuntur cõſiliis, quorum tricæ omnibus ſe immiſcent negotiis; & obliti reddere Deo vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua, monaſteria in loquutoria, laborem in otium, pœnitentiam in delitias convertunt? An tot Prælatos, qui ſine vocatione, ſine peritia, ſine grandi pietate, terrenorum ſpe commodorum, & humanorum præſidio ſolo favorum regimen animarum Angelicis humeris formidandum ultrò invadunt, rapiunt, furantur? An tot fœminas, quæ cum innumeris criminibus per pigmenta, geſtus, & motus ſuos occaſionem præberere geſtiant, nihilominus ſe innocentes haberi, devotas etiam appellari volunt, quæ ad hoc ferè ſe natas putant, ut vel alienis oculis placeant, vel propriis vanitatibus ſerviant? Fucoſa iſthæc omnia ſunt, adumbrata ſunt, & inſaniæ falſæ. Hujuſmodi fingentium pœnitentia, *non pœnitentia, ſed ſimulatio pœnitentiæ* dicenda eſt, inquit Gregorius VII. epiſt. lib. 7. epiſt. 10. vel ut alii Patres loquuntur, *larva pœnitentiæ, theatralis pœnitentia.* Confeſſiones eorum non confeſſiones, ſed colloquia, ſed garritus appellandæ ſunt: *Qui enim ore, non corde confitetur, non confitetur, ſed loquitur*, inquit Nicolaus I. in epiſt. ad Regem Salomonem. Illorum communicationes non communiones, ſed ſacrilegia cenſenda ſunt; Nam *qui ſceleratè vivunt in Eccleſia*, inquit S. Iſidorus lib. 1. ſentent. cap. 24. *& communicare non deſinunt, putantes ſe tali communione mundari, diſcant nihil ad emundationem ſibi proficere.*

Hujuſmodi fictiones ſepulchrorum dealbatorum, intuſque ſordibus atque omni ſpurcitiâ plenorum acriter inſequitur Bernardus *ſerm.* 2. *de Aſſumpt.* longiuſculis quidem verbis, ſed præclarioribus & utilioribus quàm ut omittantur. *Neque ingreſ-*

ſum ejus (Servatoris) *exterioris poteſt converſationis tenuis ſuperficies ſuſtinere, quoniam omnia penetrat, & in intimis cordibus ejus habitatio eſt. Quod ſi nequaquam ſpiritus diſciplina ſubditum manifeſtè peccatis corpus inhabitat, fictum utique non modò declinat, ſed & effugit, atque elongatur ab eo. An verò aliud eſt quàm fictio, ſi peccata ſuperficie tenus radas, non intrinſecus eradices? Certus eſto, quoniam pullulabit uberiùs, & emundatam, ſed vacantem domum cum nequioribus ſeptem, qui ejectus fuerat hoſtis malignus intrabit. Reverſus enim ad vomitum canis odibilis erit multò plus quàm antè, & filius gehennæ multipliciter, qui poſt indulgentiam delictorum in eaſdem denuò ſordes inciderit, ut ſus lota in volutabro luti. Vis videre mundatam, ornatam, & vacantem domum? Hominem intuere qui confeſſus eſt, & deſeruit manifeſta peccata præcedentia ad judicium, & nunc ſolas movet manus ad opera mandatorum, corde penitus arido, ductus conſuetudine quadam planè quaſi vitula Ephraim docta diligere trituram. Exteriorum videlicet, quæ ad modicum valent, nec unum iota præterit; ſed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim ſervus eſt propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut ſingula quæque intus vitia fovens, & mentitur iniquitas ſibi; ſed Deus non irridetur. Videas enim interdum ſic palliatum hominem, ut ſeducat etiam ſemetipſum, penitus non attendens vermem qui interiora depaſcitur. Manet enim ſuperficies, & ſalva ſibi omnia arbitratur. Comederunt, ait Propheta, alieni robur ejus, & ignoravit. Et dicit, quia dives ſum, & nullius egeo; cùm ſit pauper, & miſer, & miſerabilis. Nam & inventâ occaſione ebullire ſaniem, quæ latebat in ulcere; & exciſam, non exſtirpatam arborem in ſilvam pullulare videas denſiorem.*

Ex hac præclara Doctoris Melliflui oratione vides, eo perículoſiores eſſe animarum morbos, quo magis inteſtini atque occulti ſunt, parumque prodeſſe externa quædam pietatis munia, quia & fictam eſſe virtutem illam; cui nulla fides adhibenda ſit, quæ occultam cupiditatis luem animam depaſcentem exſtirpare non nititur. Si ergo ſcire aveas, quid ad abigendas hujuſmodi fictiones opus ſit facto, quæ crudeli arte virtutem truncant mucrone & umbone virtutum; quæ de remediis creant morbos, conficiunt de medicina languorem, ſanctitatem vertunt in crimen, placationem faciunt reatum; quæ faciunt de virtute vitium, mendacium de veritate, de vanitate ſtipendium, de propitiatione diſcrimen, generant de remiſſione peccatum. Audi prælaudatum Patrem: *Quod periculum ſi volumus declinare, ſecurim ponamus neceſſe eſt ad radices arborum, non ad ramos.* Id eſt perverſum quo implicamur noſtri amorem, ſæculique cupiditatem ſeriò exſtirpare nitamur, nec ſolos ramulos, id eſt externa duntaxat vitia amputemus, quia ſemper, quoad truncus manſerit, putata pullulabunt uberiùs, & novâ ſemper fertilitate luxuriabunt. Alioquin habentes ſpeciem pietatis, virtutem ejus abnegabimus.

APPENDIX UNICA

Ad diſſertationem ſuperiorem de Circumciſione.

OCcaſione Sacramenti Baptiſmi diſputant aliqui de baptiſmo Joannis Baptiſtæ, quem Chryſologus *ſerm. 91.* vocat *legis & gratiæ fibulam*: D. Thomas 3. p. quæſt. 30. art. 1. & 2. *terminum legis, & principium Evangelii*: alii verò *utriuſque Teſtamenti confinium.* Unde Tertullianus lib. 4. cont. Marcionem: *Limitem quemdam agnoſcamus Ioannem conſtitutum inter vetera & nova: ad quem deſineret Iudaiſmus, & à quo inciperet Chriſtianiſmus.* Verùm quia de illo breviter quidem, ſatis tamen libro decimo *diſſert. 3. cap. 1.* in principio actum eſt, plura adjicere neceſſarium non eſt.

Diſputant etiam Theologi cum S. Thoma *quæſt. 70.* de Circumciſione, quæ fuit veteris legis teſſera, & Baptiſmi novæ legis figura: quibus ut morem geram, paucula de ipſa notare operæpretium duxi.

Convenientia Circumciſionis.

Sciendum igitur primò, tribus potiſſimùm de cauſis Circumciſionem inſtitutam fuiſſe. Prima, ut per eam ſolennis exhiberetur fidei proteſtatio; per eam namque Judæi in unum religionis nomen colligabantur, ejuſdemque fidei profeſſores in unum Dei cultum conſpirabant. Et hæc cauſa, ut docet S. Thomas, circumciſio erat figura Baptiſmi, quo Chriſtiani in ejuſdem Fidei profeſſionem & ſocietatem colliguntur. Hæc inſtitutæ circumciſionis cauſa indicatur Geneſis 17. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me, & vos.* Secunda, ut eſſet nota quædam ſenſibilis, & aperta, quâ Judæi à cæteris populis veluti charactere aſpectabili diſcernerentur. In quo circumciſio diſcrepat à baptiſmate, quod non uni ſingulari genti, vel populo, ſed omnibus omninò nationibus exhibetur; quia in ſe continet perfectionem ſalutis, ad quam Deus omnes homines vocat, ſecundùm illud 1. Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri.* At verò *circumciſio*, inquit D. Thomas q. 70. art. 2. ad 3. *non continebat perfectionem ſalutis, ſed figurabat ipſam ut futuram per Chriſtum ex Iudæorum populo naſciturum. Et ideò illi ſoli populo data eſt circumciſio.* Tertia inſtitutæ circumciſionis cauſa afferri poteſt, ut per eam peccatum originale remitteretur, & ideo ut rectè obſervat S. Doctor art. 3. ad 1. *Circumciſio convenienter fiebat in membro generationis; primò quidem, quia ſignum erat fidei, quâ Abraham credidit Chriſtum ex ſuo ſemine naſciturum. Secundò, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertiò, quia ordinabatur ad imminutionem carnalis concupiſcentiæ, quæ præcipuè in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.* Et hæc videtur prima & præcipua inſtitutionis Circumciſionis cauſa. Cùm enim circumciſio eſſet primum legis Moſaicæ Sacramentum, quod propterea parvulis conferebatur, ad primam gratiam, atque adeo peccati originalis remiſſivam referebatur; ſacramentum quippe eſt eſſentialiter rei ſacræ ſignum ad hominum ſanctificationem inſtitutum, ſubindeque ad peccata gratiæ infuſione remittenda potiſſimùm ordinatum.

Circumciſio quando inſtituta?

Sciendum ſecundò, circumciſionem non fuiſſe immediatè poſt lapſum Protoparentis inſtitutam, ſed duntaxat circa tempus Abrahæ: unde dicitur Geneſis 17. *Dixit Deus ad Abraham: Infans octo dierum circumcidetur in vobis; omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur.* Conveniens hujus ratio eſt, quia cùm Adam pleniſſimâ eſſet divinorum notitiâ inſtructus, eâque poſteros ſuos imbueret, non indigebat tunc temporis genus humanum determinatis fidei ſignis, Religioniſque teſſeris, quibus fideles ab infidelibus ſecernerentur; ſed unuſquiſque ea ſigna ad libitum eligebat, quibus ſuum in Deum cultum, fidemque proteſtaretur. An verò circa tempora Abrahæ adeò fides defecerat.

errat, adeò mentibus hominum offuſæ erant ignorantiæ tenebræ, ut plurimi in idololatriam ſuperſtitionum omnium, & aberrationum longè turpiſſimam prolaberentur.

In illa autem fidei jactura, & rationis obſcuratione tanta erat appetitus correptio, ut ſpiritalis hominum animus in carnem converſus eſſe videretur; omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram, ut dicitur *Geneſ. 6.* Unde nefanda illa contra naturam peccata prodibant, horrendaq; flagitia, quæ non crimina appellat Tertullianus, ſed monſtra, & immanes præpoſterarum libidinum furias in corpora, in ſexus, ultra jura naturæ, in quorum vindictam pluviâ ignis ambuſtæ ſunt famoſæ civitates. Convenienter igitur tunc ſacramentum Circumciſionis inſtitutum eſt, cùm fideles extinctam fermè Religionem profiterentur, cùmve carnalem concupiſcentiam in omne obſcœnitatum genus diffluentem veluti cauterio cohiberi neceſſum erat.

Effectus Circumciſionis.

Sciendum tertiò, diſſenſionem eſſe inter Theologos, an, & quando Circumciſio peccata remitteret, gratiamque conferret. Et quidem non eſt immorandum in refellenda Magiſtri ſententiarum opinione, qui exiſtimavit Circumciſionem ad ſolam peccati originalis remiſſionem, non verò ad gratiam conferendam fuiſſe inſtitutam. Non eſt etiam in eorũ placito confutando immorandum, qui comminiſcebãtur in circumciſione conferri gratiam quoad effectus privativos, quaſi ſolam removeret culpam; ſed non quoad effectus poſitivos juſtitiæ, & ſanctitatis. Non, inquam, in iis antiquatis ſententiis refutandis immorari opus eſt, quippe quæ ab omni veriſimilitudinis ſpecie deſertæ ſunt. Repugnat enim peccatum ſine gratia remitti, maximè verò originale, quod eſt eſſentialiter privatio gratiæ. Implicat etiam gratiam non communicatis ſuis effectibus formalibus, quæ ipſamet gratia ſunt, communicari.

Unde etiam S. Doctor *art.* 4. refellit ſententiam, quæ ſibi juniori placuerat, affirmantem in Circumciſione conferri gratiam, *quantum ad aliquem effectum poſitivum, qui eſt facere dignum vitâ æterna; ſed non quãtum ad omnes, quia non ſufficiebat reprimere concupiſcentiam fortiter, nec ad implendum mandata legis. Sed diligenter conſideranti* (addit S. Præceptor) *apparet hoc non eſſe verum; quia minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis. Minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.*

Ex quibus ultimis verbis, præter earum ſententiarum refutationem, illud obiter colligito, in quàm paucis vera charitas inveniatur. Si enim *minima charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti;* quod inveniemus qui in Deum vehementiori ſtudio, quàm mundani in millia auri & argenti ferantur? Cùm omnes fermè quæ ſua ſunt quærant, non quæ Jeſu Chriſti; non communia propriis, ſed propria communibus anteponant, & ut ingemuit Jeremias Chriſtianus Salvianus, in comparatione aliorum ſolus Deus vilis ſit. Quàm graviter falluntur, qui continuò amoris divini motus animis ſuis illapſos credunt, ſimul atque ſuperficie cogitationis actus amoris elicere ſibi videntur! Verus Dei amor in voluntate verſatur, quæ ſincero impetu in Deum propendet. Suum quiſque excutiat animum, & ſi eam in corde non ſentit in Deum affectionem, quam avarus in divitias experitur, ſi ſicut ipſe nullos defugit labores, ut res augeat, illis auctis delectatur, illis amiſſis acerbè dolet, earum præſentiâ capitur, abſentiâ languet; ita ipſe intimo quodam ſenſu quæ Dei ſunt concupiſcit, illius poſſidendi una ſpe delectatur, illius injuriis [illegible] beſcit, eſt quod De ſe amore dulci confidat; ſi ſecus, meram glaciem gerit, nondumque vel minimam charitatem comparavit, fruſtraque vel prolatis quibuſdam actuum formulis, vel ſuſceptis quibuſdam cogitationibus actus amoris edidiſſe ſibi gratulabitur. Sed de his alibi. Nunc difficultas ſupereſt, quomodo hanc gratiam Circumciſio conferret, num ex opere operato, num ex opere operantis? Pro cujus reſolutione videamus

Gratiam quomodo Circumciſio conferebat.

Sciendum quartò, Circumciſionem, aliaque veteris legis ſacramenta gratiam ex opere duntaxat operantis contuliſſe. Hac enim de cauſa Apoſtolus *Galat.* 4. ſacramenta antiquæ legis vocat *infirma & egena elementa*; & de Circumciſione nominatim 1. *Cor.* 7. ait: *Circumciſio nihil eſt.* Hinc Auguſtinus in Pſalm. 103. *Sacramenta*, inquit, *non ſunt eadem; nam alia ſunt dantia ſalutem, ut noſtra; alia promittentia Salvatorem, ut antiqua.* Baſilius etiam lib. de Spiritu ſancto, cap 4. *Quid confers*, inquit, *lavacra cum lavacris, quæ ſolam nominis appellationem habent communem; rerum verò tanta eſt differentia, quanta inter ſomnia, & veritatem; inter umbras, & imagines, & ea quæ reverà ſunt?*

Id ipſum clarè docuit S. Thomas art. 4. *In circumciſione*, inquit, *confertur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quàm in baptiſmo. Nam in baptiſmo confertur gratia virtute ipſius baptiſmi, quam habet in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ: in circumciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumciſionis, ſed ex virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus circumciſio erat ſignum.* Si autem *ex virtute fidei*, manifeſtè ex opere operantis gratiam conferebat. Et paulò poſt addit: *Juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante.* Et ad 2. *Sicut ante inſtitutionem circumciſionis ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tam pueros, quàm adultos; ita etiam & circumciſione datâ.* Et ſuprà *quæſt.* 62. *art.* 6. de omnibus legis veteris Sacramentis ſic generatim pronunciat: *Sacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam virtutem, quâ operarentur ad conferendam gratiam juſtificantem, ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.*

Rationem verò aſſignat D. Thom. loco ultimùm citato. Quia Sacramenta nihil operantur, nec olim operabantur, niſi ex virtute paſſionis Redemptoris à qua omnis gratia & ſalus proficiſcitur. Paſſio autem Chriſti duobus modis in animam, quo pacto minimè opus eſt ut actu exiſtat, quia finis, tametſi nondum ſit, per ſui tamen intentionem & amorem agere poteſt. Secundò paſſio Chriſti agere poteſt per uſum exteriorum rerum, ſeu per ſacramẽta; & hoc modo debet eſſe exiſtens vel in ſe, vel in aliquo ſaltem effectu, ut inſtrumentalem ſacramentis virtutem efficienter communicet. Atqui tempore antiquæ legis paſſio Chriſti nondum exiſtebat. Ergo per ſolam paſſionis Chriſti venturi fidem poterant, antiqui in circumciſione juſtificari.

Sed audiamus S Præceptorem: *Non poteſt dici, quod ſacramenta veteris legis conferrent gratiam juſtificantem per ſeipſa, id eſt propriâ virtute; quia ſic non fuiſſet neceſſaria Paſſio Chriſti, ſecundùm illud Galat. 2. Si ex lege eſt juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt. Sed nec poteſt dici, quod ex paſſione Chriſti haberent virtutem conferendi gratiam juſtificantem. Sicut enim ex prædictis patet, virtus paſſionis Chriſti copulatur nobis per fidem & ſacramenta; differenter tamen: nam continuatio, quæ eſt per fidem, fit per actum animæ; continuatio autem, quæ eſt per ſacramenta, fit per* uſum

uſum exteriorum rerum: nihil autem prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequam ſit, movere ſecundùm quod præcedit in actu animæ; ſicut finis, qui eſt poſterior tempore, movet agentem ſecundùm quod eſt apprehenſus, & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non movet ſecundùm uſum exteriorum rerum: unde cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior in eſſe ordine durationis, ſicut cauſa finalis. Sic ergo manifeſtum eſt, quod à paſſione Chriſti, quæ eſt cauſa humanæ juſtificationis, convenienter derivatur virtus juſtificativa ad ſacramenta novæ legis, non autem ad ſacramenta veteris legis; & tamen per fidem paſſionis Chriſti juſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos. Sacramenta autem veteris legis erant quædam fidei illius proteſtationes, inquantum ſignificabant paſſionem Chriſti, & effectus ejus. Sic ergo patet, quod ſacramenta veteris legis non habebant in ſe aliquam virtutem, quâ operarentur, ad conferendam gratiam juſtificantem; ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur. Quod autem juſtificat ex opere operato, operatur ad conferendam gratiam juſtificantem, nec ſolùm ſignificat fidem, per quam homines ex opere operantis juſtificentur.

Dices cum Soto, & Cætera oppoſitum ſentientibus. Parvuli in antiqua lege, ſine ullo actu, ſine ullo merito, ac proinde ſine ullo operantis opere in circumciſione juſtificabantur, nec ſine illa gratiam obtinebant, cum *Geneſis 17.* ſcriptum ſit: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit anima illa de populo ſuo.* Ergo Circumciſio conferebat gratiam ex opere operato, ſaltem paſſivè, cùm ad ejus poſitionem Deus gratiam conferret abſque ullo merito, vel diſpoſitione parvulorum, qui ob defectum libertatis, vel uſus rationis ad gratiam ſe diſponere, eamque promereri non poterant.

Reſpondeo cum D. Thoma *articulo* 4. parvulos in veteri lege in circumciſione juſtificatos fuiſſe per actus fidei Chriſti venturi, non à ſe, ſed à parentibus, vel circumcidentibus elicitos. *In Baptiſmo*, inquit, *confertur gratia ex virtute ipſius Baptiſmi, quam habet in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ; in circumciſione autem conferebatur gratia non ex virtute circumciſionis, ſed virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat circumciſio; ita ſcilicet, quod homo, qui accipiebat circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus pro ſe, vel alius pro parvulis. Unde Apoſtolus dicit Roman. 4. quod Abraham accepit ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei; quia ſcilicet juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex circumciſione ſignificante.* Itaque circumciſio gratiam ſignificabat, & ideo erat Sacramentum: ſed eam non niſi ex fide dandam ſignificabat; fide, inquam, vel propriâ in adultis, vel alienâ in parvulis.

Inſtabis: Circumciſio, aliaque veteris legis Sacramenta non utcumque, ſed practicè gratiam ſignificabant: at de ratione ſigni practici gratiæ eſt, ut illam ex opere operato, ſaltem moraliter conferat, ſeu ut ad ejus præſentiam gratia non ponenti obicem conferatur. Ergo circumciſio gratiam ex opere operato ſaltem parvulis conferebat.

Reſpondeo cum eodem D. Thoma, quod circumciſio, aliaque ſacramenta *non operabantur ad gratiam juſtificantem conferendam, ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam juſtificabantur.* Eatenus ergo erant ſigna practica, quia erant ſolennes fidei proteſtationes, ob quam ex meritis Chriſti venturi gratia conferebatur. Illud enim eximium eſt Sacramentorum novæ legis privilegium à Patribus & Conciliis aſſertum, ut gratiam ex opere operato communicent, id eſt non ſolùm ſuſcipientis diſpoſitioni, ſed etiam virtuti propriæ à paſſione Chriſti, quæ eſt opus jam operatum, derivatæ correſpondentem: gratia autem ſuſcipientibus veteris legis ſacramenta, uni fidei & diſpoſitioni, ſicut in lege naturæ ante legem Moyſis, reſpondebat. Nam ut ſuprà laudatus S. Thomas dixit: *Sicut ante inſtitutionem Circumciſionis ſola fides Chriſti futuri juſtificabat tam pueros, quàm adultos; ita etiam & circumciſione data.* Manifeſtum eſt autem, ſacramenta ante legem Moyſis non niſi ex opere operantis juſtificaſſe.

Urgebis; Sacramenta utriuſque legis univocè in ratione ſacramenti conveniunt, tametſi vetera eſſent figura novorum: quia licèt figura, & figuratum univocè non conveniant quando figura ad ſolam rem figuratam ſignificandam, repræſentandamque refertur; ſecus tamen ſi figura ad aliud principaliter ordinetur, ad quod ſignificandum figuratum ipſum refertur. Sicut licèt imago hominis, & homo univocè convenire non poſſint; imago tamen hominis à priori imagine expreſſa cum iſta univocè convenit, quia peræquè ad repræſentandum hominem eſt inſtituta. Atqui antiquæ Legis ſacramenta non in ſola novorum præſignatione ſiſtebant, ſed ad ſignificandam etiam collatam actu animæ ſanctitatem, non ſecus ac noſtra referebantur. Ergo ſicut noſtra, ita & antiqua gratiam ex opere operato conferebant.

Reſpondeo tot, & tantis privilegiis ſacramenta noſtra præſtare antiquis, ut analogam duntaxat inter utraque convenientiam cognoverit D. Thomas *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 9.* his verbis: *Sacramentum analogicè dividitur per ſacramenta nova, & veteris legis; ſicut ſanum in habens ſanitatem, & ſignificans illam.* Etenim non ſolùm noſtra ſacramenta expreſſiùs, frequentiùs, & efficaciùs gratiam ſignificant, ſed eam etiam ex opere operato per ſe producunt, quam antiqua non niſi ex vi diſpoſitionis ſuſcipientium conferri ſignificabant. Et quamvis vetera ſacramenta gratiam merè ſpeculativè, ſicut imaginum proprium eſt, non repræſentarent, ſed eam actu conferri ſignificarent; quia tamen ea ex vi propria non efficiebant, ſed unius ſuſcipientium fidei intuitu dari ſignificabant, ideo aliter collatam gratiam ſignificabant, quàm noſtra ſignificent. Maximè quia, cùm lex Evangelica non ſolùm ſcripturas chartis, membraniſque mandatas, vel externorum rituum apparatum, ſed potiſſimè internum vivificantis gratiæ ſpiritum in cordibus exaratum includat, hinc eſt, quod novæ Legis ſacramenta, quæ ſunt hujus interioris religionis columnæ, fulcimenta, & adjumenta, non ſolùm ſigni exterioris rationem ſibi vindicant, ſed etiam ſpiritum, ſicut lex Chriſti, intus agunt, intus ex virtute Redemptoris operantur. *Caro* enim *abluitur* (inquit Tertullianus lib. de reſurrect. carnis,) *ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima conſecretur; caro manûs impoſitione obumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur; caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima Deo ſaginetur.*

REFLEXIO.

A circumciſionis carnis onere Moſis lege indicto per Baptiſmum Dei gratiâ immunes facti, ad aliam longè nobiliorem, concupiſcentiæ nimirum, & vitiorum circumciſionem aſtringimur, quâ parvulos noſtros, id eſt parvos affectus, qui ſoli noſtri ſunt, tenemus, & ad petram, qui Chriſtus eſt, allidimus. *Non enim qui in manifeſto Judæus eſt*, inquit Apoſt. Rom. 2. *neque quæ in manifeſto in carne eſt circumciſio, ſed qui in abſcondito Judæus eſt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.* Et 1. Cor. 7. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Et Gal. 5. *In Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Et cap. 6. *In Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura,*

Circumciſioni itaque carnis ſucceſſit alia longè præſtantior, nimirum reformatio paſſionum, compoſitio morum, reſecatio ſuperfluorum, propriæ repreſſio voluntatis. Hinc idem Divinus Apoſtolus Rom. 8. *Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. ::: Ergo fratres debitores ſumus, non carni, ut ſecundùm carnem vivamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Grandem ſanè ſed ſpiritalem circumciſionem nobis ille impoſuit, qui non ad pacem utique carnalem, ſed gladium mittendum ſe veniſſe ait; qui à diebus Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim pati, & violentos rapere illud prædicavit; qui diſcipulos ſuos abnegare ſemetipſos, crucem ſuam tollere, & crucifixum ſe qui admonuit; qui univerſi etiam orbis lucrum & poſſeſſionem pro nihilo putanda, ubi animæ ſalus agatur, ſeriò edixit.

Nonne grandis illa circumciſio cenſenda eſt, quam verbis ter in Evangelio repetitis impoſuit; præcepitque omnem peccati, ruinæ, & perditionis quamlibet chariſſimam occaſionem amputandam eſſe? *Si oculus tuus dexter*, inquit Matth. 5. *ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Quod & *cap.* 18. & *Marci* 9. ubi idem de pede amputando præſcribitur: *Si pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.* Ex omnibus corporis partibus eas potiſſimùm Veritas ſelegit, quæ ad omnes vitæ functiones uſum maximè frequentem habent, quarùmve jacturam acerbiſſimè ferre homines aſſolent; eaſque ut pro regno cœlorum reſecanda, amputanda, & penitus circumcidenda ſignificaret, quæ maximè utilia, chara, & neceſſaria eſſe videbuntur. *Etſi*, inquit os Chryſoſtomi aureum hom. 17. in Matth. *tantùm aliquem diligas, ut eo dextri oculi vicem uti; aut ita eum quempiam eſſe utilem putes, ut eum dextra manus ducas loco; & hi tamen animæ tuæ fortaſſis incommodent, etiam iſtos à te abſcinde. Et quidem vim ſermonis obſerva. Non enim dixit, à talium ſocietate diſcede, ſed maximam ſeparationem indicans: Erue, inquit, ac projice abs te.*

Non ergo circumciſionem omnem abſtulit Chriſtus, ſed mutavit Judaicam prohibuit, ſpiritalem baptizatis impoſuit. *In quo*, inquit Apoſt. Coloſſ. 2. *& circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in exſpoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, &c. Mortificate ergo membra veſtra*, addit cap. 3. ſequenti, *quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus. ::: Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro.* & cætera, quæ in fonte leges huic inſtituto peropportuna.

DISSERTATIO IV.

De Sacramento Confirmationis.

Roboranois renatis fonte baptiſmatis, teneris illis quidem, & delicatis, atque ad propugnandam Chriſti fidem, cœleſtemque vitam agendam innumeris in hac vita, quæ eſt militia ſuper terram, obſitam foris pugnis, intus timoribus, adhibetur Sacramentum Confirmationis. Sicut enim genuit nos Deus verbo vitæ in lavacro regenerationis; ita, teſte Apoſtolo 2. Corinth. 1. *confirmat nos Deus*, per ſacramentum nimirum Confirmationis, quod propterea à Dionyſio *cap.* 4. *Eccleſiaſt. Hierarch.* appellatur *perfectrix unctio, & conſummatio*, quâ ad teſtificandam fidem adversùs infideles, ad vivendum ex fide adversùs tentationes munimur, & ſacri unguenti perfuſione conſecramur. Convenienter igitur poſt Baptiſmum de confirmatione ordine doctrinæ, & conſequutione materiæ diſſerimus. Porrò in hac diſputatione, quæ apud Catholicos certa, & explorata ſunt, prælibabimus, graviores ſi quæ ſunt difficultates deinceps more noſtro expedituri.

CAPUT I.

Catholica de Confirmatione dogmata præmittuntur, & ſtabiliuntur.

Calviniſtæ, & Lutherani, hæreticorum omnium poſt hominum memoriam ſacrorum rituum infenſiſſimi, ſacramento Confirmationis non pepercerunt, quod inventum eſſe purè humanum, à Romanis Pontificibus excogitatum, in Scripturis nullibi memoratum, Patribus trium priorum ſæculorum ignoratum per ſummam ignorantiam, & majorem impietatem effutierunt. Sed quid mirum, ſi hæretici illi poſt everſum Chriſtianiſmum, poſt gratiam, & virtutes quibus Chriſtiani ſumus ad nihilum redactas; poſt Eccleſiaſticam Chriſtianorum, quâ regimur, hierarchiam ſuſdeque mixtam; poſt ſacratiſſima Templa, & Altaria, quò Chriſtiani conveniunt, deturbata; poſt diruta Monaſteria, quò ad agendam pœnitentiam confugimus, ipſi Confirmationis ſacramento bellum indixerint? Non debuerunt ſanè poſt ejuratam Chriſti fidem ſacramentum Chriſtianitatis non abjicere: cùm enim Chriſtianus dicatur à chriſmate, ſicut Chriſtus ab unctione (quâ humanitas ſuâ divinitate uncta, juxta illud Propheticum ſimul & Apoſtolicum: *Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*,) non potuerunt ſacræ, & chriſtianæ unctionis ſacramentum retinere, qui Chriſti legem, & Eccleſiam conculcare infandis moliminibus conati ſunt. Quantùm autem hoc in puncto, ſicut in cæteris ſuis erroribus, à ſacris literis, ad quas ſolas provocant; atque à perenni traditione, quâ omnes hæreſes ſemper truncatæ, ſemper truncandæ ſunt, defecerint, in ſequentibus clarebit.

Specvlatio I.

Confirmatio eſt verum novæ legis ſacramentum, cujus eſſentiam præclara illi à Patribus aſſerta nomina declarant.

Prima pars, quâ exiſtentia ſacramenti Confirmationis adversùs Novatores ſtatuitur, colligitur ex Scripturis ſacris Epheſ. 1. *In quo* (ſcilicet Chriſto) *& credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Et cap. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Dicimus autem per confirmationem ſignari *Spiritu promiſſionis*, quia Dominus pollicitus eſt ſe miſſurum Spiritum ſanctum, ut patet Jo. 14. 15. & 16. Dicuntur verò fideles, quos alloquitur Apoſtolus, ſignati *in diem redemptionis*, id eſt, in die Baptiſmi, in quo baptizati à peccati ſervitute redempti & libe-

rati ſimul ab Apoſtolis confirmabantur. Hæc autem ſignatio ſine unctione non fiebat, ut idem Apoſtolus innuit 2. Cor. 1. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus in cordibus noſtris*, per manus ſcilicet Antiſtitum: nam de Sacramento Confirmationis verba illa Ambroſius *lib. de iis qui initiantur, cap. 7.* interpretatur: *Repete*, inquit, *quia accepiſti ſignaculum ſpirituale, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii atque virtutis, ſpiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum ſancti timoris, & ſerva quod accepiſti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, ſicut Apoſtolica lectione didiciſti.* Ita etiam ex Chryſoſtomo locum illum intellexit Oecumenius: *Qui in veteri Teſtamento*, inquit, *ungebantur, aut Sacerdotes erant, aut Prophetæ, aut Reges. Et nunc, inquit Apoſtolus, ungimur, ut Reges quidem efficiamur, principatum ſuper affectiones habentes.* Hanc etiam unctionem ſubindicat Diſcipulus amoris cap. 2. ſuæ 1. *Sed vos unctionem habetis* (internam ab externa proficiſcentem, vel externam interiora pervadentem) *à ſancto, & noſtis omnia.* Verba enim illa de Confirmatione interpretatur Cyrillus *catecheſi 3.* necnon Athanaſius *epiſt. ad Serapionem*, his verbis: *Chriſma dicitur ſpiritus, & ſigillum eſt, cùm Ioannes ſcribat: Unctio quam accepiſtis ab eo manet in vobis. Et in Iſaïa item ſcriptum eſt: Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit me.*

Eadem etiam veritas orthodoxa colligitur ex geſtis Apoſtolorum, quos paſſim per impoſitionem manuum baptizatis contuliſſe Spiritum ſanctum Acta Apoſtolorum teſtantur. *Oraverunt pro ipſis*, ut dicitur cap. 8. *ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Quod & repetitur *cap.* 19. Nondum venerat per Baptiſmum Spiritus ſanctus, non quòd illum baptizati cum gratia & charitate à Spiritu ſancto indivulſa non recepenint, ſed quia illam Spiritus ſancti plenitudinem, & donorum ejus beatiſſimam copiam in Confirmatione conferri ſolitam minimè acceperant. Ex quibus ſic formatur argumentum. Signum ſenſibili gratiæ ſanctificantis nos divinitus inſtitutum eſt verum novæ legis Sacramentum; cui enim convenit definitio, convenit & definitum, ut docent Dialectici. Atqui hæc manuum impoſitio ab Apoſtolis frequentata erat ſenſibile ſignum, ut patet: erat etiam ſignum divinitus inſtitutum. Tum quia eo ritu non eſſent paſſim uſi Apoſtoli, niſi fuiſſet à Chriſto inſtitutus. Tum quia Apoſtolorum ſuperabat poteſtatem ceremonias inſtituere, quibus Spiritus ſanctus certò & infallibiliter conferretur. Erat etiam ſignum gratiæ ſanctificantis; non enim confertur Spiritus ſanctus, niſi ſimul per eum charitas diffundatur in cordibus noſtris. Maximè quia gratiæ gratis datæ non omnibus conferebantur; neque enim omnes Prophetæ ſunt, neque omnes loquuntur linguis, ut dicitur 1. *Cor.* 12. Et tamen Spiritus ſanctus iis omnibus conferebatur, quibus manus imponebantur: unde per talem impoſitionem gratia ſanctificans non ponentibus obicem dabatur. Unde Princeps Apoſtolorum *Actor.* 3. probat ipſum eundem ſpiritum, quem acceperant Apoſtoli, omnibus dandum eſſe fidelibus, & effundendum ſuper omnem carnem; quia quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quæ ſanè prophetia ſublato Confirmationis ſacramento minimè adimpleretur, ſicut in Apoſtolis per ſolum Baptiſmum minimè adimpleta eſt, cùm eam non minus de omnibus Chriſti fidelibus, quàm de Apoſtolis doctus à Domino Petrus interpretatus ſit. Ergo ex Scripturis Confirmatio eſt verum & ſpeciale novæ legis Sacramentum à Baptiſmate & Euchariſtia, quæ duo duntaxat ſacramenta hæretici admittunt, diſtinctum.

Eadem quoque veritas ex traditione apertiſſimè habetur, ex qua conſtat ritum illum ad dandum Spiritum ſanctum divinitus inſtitutum & ab Apoſtolis uſurpatum, non ſolo Apoſtolorum tempore, ut ſomniant hæretici, viguiſſe, ſed ſemper in Eccleſia perdurasſe. Etenim Cyprianus epiſt. 73. relatâ illâ ab Apoſtolis adhibitâ manuum impoſitione effundente Spiritum ſanctum, ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſignentur.* Quid luculentius, & ad conterenda hæreticorum affirmantium Confirmationem eſſe ceremoniam à Romanis Epiſcopis confictam, mendacia efficacius, niſi fortè locus iſte Auguſtini lib. 15 de Trinit. cap. 26. *Orabant Apoſtoli, ut Spiritus ſanctus in eos veniret, quibus manus imponebant; quem morem in ſuis Præpoſitis ſeu Epiſcopis etiam nunc ſervat Eccleſia.*

Ejuſdem ſacramenti apertiſſimam mentionem fecerunt Dionyſius cap. 2. & 4. Eccleſiaſticæ Hierarch. *Baptizatum*, inquit, *indutum alba veſte ad Pontificem ducunt: ille divino ac deifico prorſus unguento virum ſignat. Eſt aliud Sacramentum, quod præceptores noſtri unguenti myſterium nominant.* Et S. Clemens Romanus epiſt. 4. *Omnibus*, inquit, *feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demùm ab Epiſcopo conſignari, id eſt ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti percipere: cùm alioqui perfectus Chriſtianus nequaquam eſſe poſſit is, qui hoc Sacramentum prætermiſerit, ut à Beato Petro accepimus, & cæteri Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.* Et ut Urbanus Papa in epiſt. ſua, cap. 7. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur.* Et Cornelius Papa epiſt. ad Fabium Antiochenum, quam refert Euſebius *lib. 6. cap. 35.* loquens de Novato: *Neque*, inquit, *Domini ſigillo ab Epiſcopo conſignatus fuit, quo quidem nequaquam potitus, quomodo quæſo Spiritum ſanctum adeptus eſt?* Et Melchiades Papa & Martyr in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Quod nunc*, inquit, *in confirmandis neophytis manus impoſitio tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio in credentium populos donavit univerſis.*

Extat etiam eadem aſſertio in omnibus Patrum utriuſque Eccleſiæ monimentis. Tertullianus etiam *lib. de reſurrect. carnis, cap. 8.* quæ in Confirmationis titu tria obſervat Eccleſia, unctionem, ſignaculum, & manuum impoſitionem, apertè diſtinguit: *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus impoſitione obumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* Et Cyprianus præter locum memoratum, ubi de Confirmatione pluribus agit, inſuper ipſe, vel quis alius author tract. de unctione chriſmatis, n. 3. *Non hæc*, inquit, *medendis corporibus eſt unctio inſtituta; quia ſanctificatis elementis jam non propria natura, ſed virtus divina potentiùs operatur, & adeſt veritas ſigno, & virtus ſacramento, ut & ipſis rerum efficientiis gratia dignitas pateat.* Et Hieronymus contra Luciferianos ſic Orthodoxum loquentem inducit: *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti manum impoſiturus excurrat.* Et: *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui? Diſce hanc obſervationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit.* Et Ambroſius lib. 7. de Spiritu ſancto, cap. 6. *Signati à Spiritu ſumus: ſicut enim in Chriſto morimur, ut renaſcamur*,

mur, ita etiam ſpiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem ejus & gratiam tenere poſſimus; quod eſt utique ſpirituale ſignaculum. Nam etſi Spiritu ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur, ut Spiritus ſanctus exprimat in nobis imaginis cœleſtis effigiem.

Et Auguſtinus tum loco antè recitato, tum tom. 2. contra litt. Petiliani, cap. 204. ubi agnoſcit *in unguento ſacramentum Chriſmatis, quod in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Tum lib. 5. de baptiſmo, cap. 20. *Si quod dictum eſt, Deus peccatores non audit, ad hoc valet ut per peccatorem ſacramenta non celebrentur, quomodo audit homicidam, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponuntur?* Et *tract. 6. in primam epiſt. Ioan.* ubi etiam cavillum noſtrorum hæreticorum mentium impoſitionem illam ceſſaſſe, quia ceſſarunt dona linguarum & propheriæ, quæ tempore Apoſtolorum Deus impertiebat, explodit, quem ait *à perverſo corde, quale eſt in hæreticis*, proficiſci. Quaſi verò ad ſolas gratias gratis datas, & non magis ad gratiam ſanctificantem infundendam neceſſarius ſit Spiritus ſanctus? Quaſi vero fideles Spiritus ſancti virtute minùs modò cùm ad profitendam fidem adversùm hæreticos, tum ad vivendum ex fide egeant? Quaſi Eccleſiæ divino Spiritus ſancti afflatu in regendis populis, in condendis decretis, in dubiis decidendis, in controverſiis determinandis, in regulis fidei proponendis, declarandis, illuſtrandis opus non ſit? Denique Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis, cap. 26. *Sed quoniam*, inquit, *poſt Baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum manuum impoſitione, hoc in Actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtolos.* A Patribus poſteriorum ſæculorum recenſendis abſtineo, cùm ipſi hæretici veritate coacti ipſos & Confirmationis ſacramentum exertè docuiſſe, & religiosè adminiſtraſſe fateantur. Et ſanè hoc in puncto ita liquida eſt omnium ætatum Eccleſiæ conſenſio, ut pauca ſint fidei dogmata, quæ tam luculenta, conſtantique teſtium ſerie probare liceat: ita ut hîc difficile erraro eſſet, niſi errorem, quem nihil extrinſecùs offerebat, Calviniſtæ à ſeipſis atque ab interioribus animi in ſacra quæque furentis tenebris deprompſiſſent.

Idem Confirmationis ſacramentum apud Patres Græcos legere eſt. Nam præter laudatum Dionyſium, eandem fidem expreſſit Cyrillus Hieroſolym. catech. 3. *Unguento quidem viſibili corpus inungitur, ſancto verò ac vivifico Spiritu anima ſanctificatur.* Videri etiam poteſt Origenes *hom. 9. in Leviticum*: Damaſcenus *lib. 4. de fide Orthodoxa, cap.* 10. ubi ait: *Apoſtolis datum Spiritum ſanctum in forma ignis, nobis per oleum.* Oecumenius *in cap. 6. ad Hebr.* & alii. Unde ſi quod aliud ſacramentum aperta habet ex Scripturis & traditione teſtimonia, Confirmatio vel maximè duplici illi Fidei fundamento innititur. Unde meritò Tridentinum *ſeſſ. 7. de Confirmat. can. 1.* ſic pronuntiat: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam, & non potius verum & proprium ſacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe quàm catecheſin quandam, quâ adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.* Et cap. 2. *Si quis dixerit injurios eſſe Spiritui ſancto, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.*

Ratio autem, ſeu convenientia S. Thomæ præclara eſt: Sacramentum novæ legis eſt viſibile gratiæ inviſibilis ſignum ad noſtram ſanctificationem inſtitutum. Apparet autem in Confirmatione exhiberi ſigna viſibilia, tum ex parte materiæ, ſcilicet chriſmatis; tum ex parte formæ ab Epiſcopo prolatæ. Illa autem ſigna eſſe ad noſtram ſanctificationem inſtituta inde ſuadetur, quòd Sacramenta novæ legis ad ſpeciales gratiæ effectus referuntur, ita ut unumquodque ſingularem gratiæ effectum producere natum ſit. In vita autem ſpirituali poſt regenerationem in Baptiſmo novis creaturis collatam ſupereſt ſpiritale augmentum, quo aliquis vires & perfectam Chriſtianæ vitæ ætatem acquirat, in qua perfectas Chriſtiani hominis actiones edere queat. Hunc autem ſpecialem effectum tribuit Confirmatio, quâ geniti in Chriſto evadunt viri, plenum animi robur aſſumunt, atque unguntur ad pugnam, ut evacuatis quæ erant parvuli, ſint in fide ſtabiles, in confeſſione intrepidi, & in opere efficaces. Quæ eleganter Melchiades Papa in præfata ad Epiſcopos Hiſpaniæ ſcripta epiſtola his verbis proſequitur: *In Baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione confirmatur ad pugnam. In fonte Baptiſmatis Spiritus ſanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat. In Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum ad pugnam confirmamur. In Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. Regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptiſmum recipientes; Confirmatio armat atque inſtruit ad agones.*

Dices: In Baptiſmo infunditur gratia, communicantur virtutes, ipſeque datur Spiritus ſanctus, quibus animus ſpiritali firmitudine ſatis ſuperque roboratur. In Euchariſtia quoque vires ſpiritales accreſcunt, non ſecus ac corporis vigor cibo potuque reficitur. Ergo ſupervacaneum eſt Confirmationis ſacramentum, non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; & fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora.

Reſpondeo in Baptiſmo infundi gratiam & virtutes ad innocentiam, in Confirmatione ad pugnam, in Euchariſtia ad ſpiritus delicias, & ut ait Tertullianus, ad mentis ſaginam. Itaque in Baptiſmo confertur plenitudo juſtitiæ, in Confirmatione plenitudo fortitudinis, in Euchariſtia plenitudo devotionis: in Baptiſmo nova creatura regeneratur, in Confirmatione augetur, in Euchariſtia ſpiritaliter impinguatur. Gratia enim ſanctificans in omnibus ſacramentis conceditur, ſed in unoquoque ſacramento ſpecialis. Sicut ergo non eſt ſuperflua Euchariſtia, tametſi gratia & virtutum comitatus baptizatum inſtruant, ita nec ſupervacanea eſt Confirmatio; ſed horum diſtinctione ſacramentorum multiformis gratiæ Dei effectus clareſcunt. Et ſicut in naturalibus non multiplicantur entia ſine neceſſitate, nec fruſtra fit per plura quod poteſt fieri per pauciora, quando varietas & multitudo ad decorem confert univerſi, cùm in mundi conditione tria operum genera agnoſcamus, ſcilicet opus creationis, diſtinctionis, & ornatus: ita in ordine gratiæ fruſtra non multiplicantur ſacramenta, quibus & varii gratiæ effectus, & divina munificentia amans nos non ſolùm ad neceſſitatem, ſed etiam ad delicias ſplendent. Et ſicut in militia humana miles non ſolùm cibo potuque firmatur, ſed armis quoque munitur, ad pugnam; ita in vita Chriſtiana fidelis non ſolùm Euchariſtiâ paſcitur, ſed etiam Confirmatione armatur. Alias hæreticorum argutias in ſequentibus commodiùs & opportuniùs elidemus.

Sacramenti Confirmationis eſſentia.

Cùm nomen ſit veluti eſſentiæ notamen, non poteſt meliùs Confirmationis ſacramenti eſſentia declarari, quàm ſi varia ei à Patribus aſſerta nomina proferamus & exponamus. Inprimis hoc ſacramentum appellatur *Confirmatio*, quia niſi peccati obex ſacramenti efficientiam impediat, baptizatus novo virtutis robore firmatur, atque adeò perfectus Chriſti miles efficitur: ita ut qui gratiam hujus ſacramenti receperit, nullo pœnarum ſuppliciorumque terricula-

culamento, nullo mortis periculo, nullo metu, nulla ſpe, promiſſis nullis ab impavida veræ fidei confeſſione deterreatur. Et hoc eſt quod aiebat S. Melchiades: *In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam.*

Secundò appellatur à S. Clemente epiſt. 4. *Conſignatio*; à S. Cypriano epiſt. 73. *Signaculum Dominicum*; à S. Auguſtino lib. 2. contra Petilianum, *Sacramentum Chriſmatis*, à Dionyſio aliiſque Patribus, *Sacramentum unctionis*, & *Vnguentum ſanctificum & Deificum.* Quia nimirum in hoc ſacramento baptizatus in fronte ungitur, & crucis notâ ſignatur; & quidem convenientiſſimè. Nam ut ait D. Thomas *q. 72. art. 9.* in hoc ſacramento accipit homo Spiritum ſanctum ad robur ſpiritalis pugnæ, ut fortiter etiam inter adverſarios fidei Chriſtianam veritatem profiteatur. Unde convenienter ungitur chriſmate, & ſignatur ſigno crucis, ſicut miles ſigno ducis in fronte: tum quia pars illa corporis cæteris eminet, & omnibus patet; ſigno autem ducis militiæ noſtræ Chriſti in aſpectabili parte inſigniri debemus: tum quia à libera & conſtanti Chriſti nominis confeſſione vel timore deterremur, vel verecundiâ retardamur. Utriuſque autem paſſionis ſigna in fronte apparent, & propter imaginationis propinquitatem, & propter hoc, quod ſpiritus à corde directè ad frontem aſcendunt, unde *verecundati rubeſcunt, timentes autem palleſcunt*, ut dicitur *in 4. Ethic.* Ideo ergo in fronte ungitur & ſignatur homo, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat, & ab intacta Religionis defenſione non impediatur.

Appellatur tertiò Confirmatio à S. Th. art. 1. ad 2. & 4. *Sacramentum plenitudinis gratiæ*, quod propterea non præfiguratum fuiſſe ait in veteri Teſtamento, quia nihil ad perfectum adduxit Lex, ut dicitur *Hebr.* 7. Ratio verò hujus nominis eſt, quia in hoc ſacramento gratia divina abundantiſſimè per Spiritum ſanctum diffunditur; unde ſolenni religionis Catholicæ ritu hactenus ſervatum eſt, ut in die Pentecoſtes hoc ſacramentum præcipuè adminiſtraretur, quòd hoc maximè die Apoſtoli Spiritus ſancti chariſmatibus impleti, ejuſq; virtute roborati & confirmati ſint. Cujus etiam ſignum ex ipſa materia habetur; nam in Baptiſmate materia eſt pura & ſimplex aqua, quia ad vitam ſpiritalem ſimpliciter conſequendam ſacramentum hoc inſtitutum eſt, at verò in Confirmatione materia eſt ex oleo balſamoque compoſita, quia in hoc ſacramento multiformis Dei gratia & Spiritus ſancti donorum beatiſſima copia infunditur. Cujus plenitudinis ſignum eſt pax, quæ confirmato à Pontifice tribuitur; nam ut rectè docet Cathechiſmus Romanus *part. 2. titulo de Confirmat. n. 40.* Pax confirmato datur, ut intelligat ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem, & pacem quæ exſuperat omnem ſenſum, conſequutum eſſe. Et certè niſi plenitudinem illam baptizatus in Confirmatione reciperet, in illa teneritate & quaſi mollitie ſpiritalis infantiæ permaneret; nec adverſùs omnes carnis, mundi, diabolique impetus decertare; nec fidem intrepitè adverſùs eos qui ex adverſo ſunt, ſuſtinere, nec nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriam propagare facilè poſſet, ut exemplo Apoſtolorum ipſorum ante Confirmationem infirmiorum, remiſſorum, & præ timore latitantium; poſt Confirmationem verò invictorum, in tribulationeque & paſſionibus gaudentium perſpicuum eſt.

Denique appellatur hoc ſacramentum *Manuum impoſitio*; quod nomen apud Patres frequentiſſimum eſt. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, juxta Scripturas & Patres quadruplicem eſſe manuum impoſitionem. Prima eſt curativa ad ſanandos corporis morbos inſtituta, juxta illud Marci ultimo: *Super ægros manum imponent, & benè habebunt.* Chriſtus etiam & varios languores perſanavit, & multa miracula ſacrarum contactu manuum ſuarum edidit. Secunda manuum impoſitio eſt conſecratrix, ſeu ordinativa, quâ ſacrorum miniſtri conſtituuntur, de qua dicitur 1. Timot. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterii.* Et iterum 1. Timoth. 5. *Nemini citò manum impoſueris.* Tertia eſt reconciliatrix, quâ pœnitentes ad gratiam abſolutionis admittebantur, de qua meminerunt Concilium Carthaginenſe 4. *can.* 8. Arauſicanum 1. *can.* 3. Agathenſe *can.* 15. & Auguſt. *lib. 3. de Baptiſmo, cap.* 16. his verbis: *Manus impoſitio non ſicut Baptiſma repeti non poteſt; quid enim eſt aliud quàm oratio ſuper hominem?* Quarta demùm eſt confirmativa, quâ Spiritus ſancti plenitudinem longè quàm in Baptiſmo majorem Apoſtoli largiebantur, juxta illud Act. 8. *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebat Spiritum ſanctum.* Dicitur autem hoc ſacramentum manuum impoſitio propter rationes poſtea referendas, & hæc una impræſentiarum ſufficiet, quia Confirmatio frontis inunctione per manus Epiſcopi confertur, quod ſine manûs impoſitione fieri nequit.

REFLEXIO.

Si Chriſtum militiæ noſtræ Ducem unxit Deus oleo lætitiæ & exultationis præ participibus ejus, quia adverſùs mundum & cacodæmonem luctaturus advenerat, de quibus & glorioſiſſimam victoriã reportavit; nam *exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Ita planè Chriſtianus toto vitæ curriculo exercendus ad pugnam, miles in Confirmatione perungitur. Ergo auguſtum Chriſtiani nomen fruſtra ille ſortitur, qui Chriſtum certantem, vincentem, triumphantem pro virili non imitatur. Quid prodeſt vocari quod non ſumus, & nomen nobis uſurpare glorioſum, quod morum degenerantium pravitate inhonoramus? Si nos Chriſtianos vocari delectat, ne abrogemus illuſtris tituli decorem per indignorum actuum utilitatem.

Ne crede, pie Lector, poſt extinctos tyrannos, poſt mortuos Nerones, Diocletianos, Maximianos, nullam tibi certandi ſupereſſe rationem. An neſcis totam Chriſtiani hominis vitam, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crucem eſſe atque martyrium? Diſce ex Auguſtino *ſerm. 250. de tempore*, quod *habet & pax martyres ſuos; nam libidinem fugere pars magna martyrii eſt.* Si nun inſurgunt extranei, non deſunt tamen multò graviores hoſtes domeſtici, diverſarum quoque prælia cupiditatum, ſtudiorumque conflictus, quibus quaſi quibuſdam terræ motibus quatitur mobilis animi nutantis affectus. *Ita te ex ipſo eſt flagellum tuum*, inquit Auguſt. in Pſalm. 75. *Sic vindicatur in rebellem contra Deum, ut ipſe ſit ſibi bellum, qui pacem noluit habere cum Deo.* Certè vir nominis tui non es, nec Chriſtiani unctique officia imples, niſi quotidie cum peccato pugnes; quia ut alicubi Chryſoſtomus ſcripſit: *Quidquid fecit Chriſtus, ut deſtrueret peccatum fecit: ita debet facere Chriſtianus, cujus nullus hoſtis eſt præter peccatum.*

In Confirmationis ſacramento militiæ Chriſtianæ nomen damus, ex eoque gratiam roboris accipimus, ut nullo pœnarum ſuppliciorumque terriculamento à veritatis confeſſione deterreamur. Ungimur, ut in ſpiritali certamine viriliter & intrepide dimicemus. In fronte ſignamur, ut Evangelii doctrinam, & Crucifixi humilitatem mundo exoſam non erubeſcamus. Quis ergo ſibi perſuadeat hujus ævi Chriſtianos eſſe confirmatos, qui non ad pugnam

vel

Digitized by Google

vel ad labores ſe natos credunt, ſed ad otium, quo ſpiritalium uſua armorum dediscitur, nutritur puſillanimitas, vires fatiſcunt, obrepit inertia, & unis ſpurcitiis animus occupatur? Itáne illus milites Chriſti appellabimus, quos animi torpor gravat, quos deterrent prælia cùm jubentur, quive deliciis diffluentes, in voluptatibus fluidi ac immerſi, enerveſque jacent? Illine Athletarum nomine digni, quibus frugalitas pœna, vigiliæ ſupplicium, pietas tortura eſt? Num generoſi bellatores cenſendi ſunt, qui nihil putant poſſe fieri quicquam quod facere non lubet, atque ex effœminatæ infirmitatis ſuæ præjudiciis de virtute ſententiam ferentes, durum & intolerandum definiunt quidquid difficultatis umbram præ ſe fert, nec leges Dei obligare, niſi ubi libeat, ac ſine incommodo fieri poſſit? Denique quis credat eos unctos & in fronte animi magnitudinis ſede eſſe ſignatos, qui Evangelium quaſi pudendum foret, erubeſcunt; quos pudet non eſſe cum malis malos, quos metus frangit, poteſtas humana flectit, proſperitas attollit, adverſitas mergit?

Speculatio II.

Materia & forma Sacramenti Confirmationis exponuntur.

Cum materia Sacramentorum ſint certæ, & determinatæ res in Sacramentorum uſu adhibitæ; forma verò ſint verba à miniſtro prolata, videndum eſt quænam ſint res in hoc ſacramento neceſſariò applicandæ, quænam verba à miniſtro Confirmationis proferenda.

Materia remota Sacramenti Confirmationis eſt ſacrum Chriſma.

Communior Theologorum ſententia fert materiam remotam ſacramenti Confirmationis eſſe eſſentialiter & indiſpenſabiliter Chriſma, ſeu oleum olivarum admixtum balſamo, & ab Epiſcopo benedictum. Quanvis enim id negent Cajetanus, Navarrus, Soto, & alii, exiſtimantes ſolum oleum per ſe ad materiam hujus ſacraméti deſiderari, balſamum verò ex præcepto duntaxat Eccleſiaſtico permiſceri, ſicut vino aqua in ſacramento Euchariſtiæ admiſcetur: noſtra tamen ſententia expreſsè traditur in Florentino in decreto Eugenii, ſic definiente: *Secundum ſacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedicto.* Ubi Summus Pontifex ſacro approbante Concilio ad materiam Confirmationis peræque balſamum atque oleum deſiderat. Idem longè antè docuerat Fabianus Pontifex *epiſt. 2. ad Epiſcopos Orienta*, ubi Apoſtolos Chriſmatis confectionem à Domino accepiſſe, nobiſque reliquiſſe teſtatur. Dionyſius etiam *cap 4. Eccleſ. Hier.* ſic habet: *Dicimus igitur unguentis confectionem eſſe collectionem quandam ſuaviter ſpirantium materiarum, quæ in ſe magnam vim & copiam fragrantiam qualitatum continent.* Quod idem Baſilius *in Pſal 132.* repetens ait, *Chriſma ex variis condimentis conſtare. Verùm nullum illorum ſeparatim tantam emittebat fragrantiam, ſed mixtura illorum, & iunctio maximam reddebat odoris redolentiam.* Quod & docuit S. Clemens *lib. 8. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 44.* nec non II. & III. Concilium Carthaginenſe. Et apertè D. Cyprianus *tract. de unct. Chriſmatis*, ait: *Hodie ſacrum chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamum Regiæ & Sacerdotalis gloriæ exprimit dignitatem. Oleo enim, quod lumini alimentum ſubminiſtrat, & vires corporis ſi perunctum illo fuerit, auget cœleſtis gratiæ largitate, nitor conſcientiæ & ardor charitatis indicantur.* Et Magnus Gregorius in illud Cant. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, ait: *In Engaddi balſamum gignitur, quo cum oleo Pontificali benedictione chriſma efficitur.*

Congruentiam affert D. Thomas *art. 2.* ſuo more egregiam; quia per Confirmationem datur plenitudo Spiritus ſancti ad robur, quæ plenitudo oleo convenienter ſignificatur; unde Chriſtus qui Spiritu ſancto pleniſſimus fuit, dicitur *unctus oleo lætitiæ*. Cùm enim oleum pingue ſit, ac facilè diffluat, gratiæ perfuſionem, quæ per Spiritum ſanctum, à Chriſto capite in membra viva redundat, atque effunditur, ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron; quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion, convenientiſſimè adumbrat. Balſamum verò, quod ſuaviſſimum odorem ſpirat, bonæ vitæ ex legibus & præſcripto Dei ſanctè & religiosè traductæ effuſum ſuaviſſimum exemplum exprimit, ita ut confirmati illud Apoſtolicum veridicè proferre poſſint: *Chriſti bonus odor ſumus.* Balſamum etiam præter odoris fragrantiam incorruptionem etiam præſtat, nec ſinit quidquam putreſcere, quod à ſe fuerit circumlitum. Quod ad Confirmationis virtutem ſignificandam valdè accommodatum eſt, cùm conſtet verè confirmatos incorruptum retinere tum de fide, tum de moribus ſenſum. Ergo chriſma convenientiſſima eſt ſacramenti Confirmationis materia.

Mens etiam S. Doctoris ex reſponſione ad 4. perſpicuè claret; ibi enim unum è potiſſimis adverſæ ſententiæ fundamentis ſubvertit, in hoc conſiſtens, quod verum balſamum non niſi cum ingenti difficultate invenitur, & vix purum ad nos defertur: ad quod non reſpondet balſamum eſſentialiter non exigi, quod tamen reſpondere proclive erat, ſi vera foret Cajetani ſententia; ſed ait hoc ſacramentum non eſſe tantæ neceſſitatis quantæ eſt Baptiſmus, unde hujus materia communior eſſe debet, inventuque facilior; ſufficit verò quod materia Confirmationis facilè poſſit ad omnia terrarum loca deportari.

Denique requiri olei balſamique permixtionem ipſa Confirmationis forma ſatis ſuperque indicat: *Confirmo te*, inquit Pontifex, *chriſmate ſalutis*. Ergo ad ejus veritatem requiritur chriſma, ſeu unguentum ex permixtis oleo, balſamoque confectum. Nec verum eſt quod ait Cajetanus, chriſma unctionem duntaxat ſignificare, cui oleum ſufficit: nam juxta communem hujus vocis acceptionem ab Eccleſiæ Patribus & Epiſcopis frequentatam, chriſma pro oleo balſamoque permixtis uſurpatur.

Quod verò chriſma debeat eſſe ab Epiſcopo benedictum, egregiè declarat D. Thomas *art. 3.* Quia cùm tota Sacramentorum ſanctificatio à Chriſto derivetur, illis Sacramentorum materiis non eſt abſolutè neceſſaria benedictio vel conſecratio, quas Chriſtus ſuo contactu ſacravit: ideircò nec aqua quã tactu mundiſſimæ carnis in Baptiſmo ſuo ſanctificavit, nec panis, nec vinum, quibus in ultima ſua cœna benedixit, novâ indigent eſſentialiter benedictione, quæ ad ſolemnitatem duntaxat, non ad neceſſitatem tribuitur. At verò illæ materiæ, quas Chriſtus uſu vel tactu non conſecravit, novâ proculdubio indigent benedictione, ut divinis functionibus & miniſteriis addicantur & conſecrentur. Atqui Chriſtus Dominus ſive chriſma, ſive oleum ſanctum infirmorũ nullo uſu, nullâ tractatione ſacravit. Ergo antea quàm materiæ illæ ad uſum Sacramentorum adhibeantur, neceſſe eſt ut ſanctis & religioſis precationibus ac benedictionibus conſecrentur ab Epiſcopo, qui ut ait D. Th. ad 3. *in Eccleſia gerit perſonam Chriſti.* Accedit materiam Sacramenti perfectionis ab eo debere

præpa-

præparati, qui eſt in ſtatu perfectionis acquiſitæ, quive ad alios omnes perficiendos inſtitutus eſt, qualis eſt unus Epiſcopus. Denique materiæ Confirmationis confectio ad illum convenientiſſimè pertinet, qui eſt ejuſdem Sacramenti ordinarius miniſter conſtitutus.

Dices 1. Apoſtoli, ut habetur in actis Apoſtolorum, per ſolam manuum impoſitionem Spiritum ſanctum virtute divina conferebant, atque ſacramentum Confirmationis conficiebant, nec legimus eos unquam chriſmate uſos; unde paſſim Patres Confirmationem *manuum impoſitionem* appellant. Ergo chriſma non eſt neceſſaria Confirmationis materia. Propter hoc argumentum P. Jacobus Sirmundus cenſuit chriſma, nec unctionem ullam eſſe de eſſentia Confirmaoonis, ſed ceremoniam accidentalem manuum impoſitioni, quam ſolam eſſentialem eſſe ait; cæremoniam, inquam, ab Eccleſia ad ornatum adjectam, de præcepto quidem ſervandam, ſed in quam tamen diſpenſatio Eccleſiæ ſummi Pontificis cadere poſſit. Verùm hæc aſſertio & ſua novitate parum tuta, & utriuſque Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis traditioni minùs conſentanea eſt. In re autem ſacramentaria, ſi novitatum aditum aperiamus, atque hanc noſtra obtrudendi licentiam aſſumamus, ſpretâ Theologorum omnium conſenſione, repudiato communi Eccleſiæ ſenſu, fractâque & dejectâ Majorum noſtrorum ab antiquiſſimis ſæculis perenni doctrinâ & authoritate, fruſtra de religionis decretis & Eccleſiæ inſtitutis laborabimus.

Aliter ergo reſpondeo, quod quia confirmatio ad plenitudinem gratiæ conferendam ordinatur, ſi quandoque modo inſolito & extraordinario gratia infunderetur, tunc ſacramentum Confirmationis iis conferri minimè opus eſſet, quibus res ſacramenti ſine ſacramento conferretur. Sic Chriſtus eximiâ poteſtate excellentiæ nulli ſacramento alligatæ Apoſtolis plenitudinem gratiæ, Magdalenæ plenitudinem indulgentiæ abſque ſacramentalibus materiebus aut formis contulit, Et quia ſimiliter ad preces Apoſtolorum, ad eorumque manuum impoſitionem deſcendebat aſpectabiliter Spiritus ſancti plenitudo, ideo tum non erat ſenſibilis ſacramentorum materia neceſſaria, cùm effectus Confirmationis ſine ſacramentali Confirmatione conferebatur, ſenſibilia ſacramentorum ſigna patentibus prodigiis & miraculis ſupplentibus. Adde falsò dici, in Actis Apoſtolorum per ſolam manus impoſitionem Apoſtolos Spiritum ſanctum dediſſe. Dicitur quidem eos manuum impoſitione Spiritum ſanctum dediſſe, ſolâ dediſſe non dicitur: ſicut in Scripturis fide juſtitiam parari quidem dicitur, ſolâ parari non dicitur, ut garriunt totius pietatis & bonorum operum hoſtes Calviniani. Neque ullum afferri poteſt Scripturæ vel Patrum teſtimonium, quo affirmetur *ſolâ* manuum impoſitione dari Spiritum ſanctum, chriſmate non dari ab Epiſcopo adhibito. Dictum eſt ergo impoſitione manuum dari Spiritum ſanctum, at non ſolâ: ſicut dum dicitur aquâ deleri peccata, non excluditur verbum, quo antecedente ad elementum fit ſacramentum.

Cæterùm quando Apoſtoli tanquam ſacrorum Antiſtites Confirmationem adminiſtrabant, tunc chriſma & formam idoneam adhibebant. Nam ut *cap. 4. Eccleſiaſt. Hierarch.* Dionyſius ait: *Eſt quadam perfectiva operatio, quam duces noſtri* (id eſt Apoſtoli, quorum ipſe diſcipulus fuit) *chriſmatis hoſtiam nominant.* Idem etiam colligitur ex epiſt. Fabiani ſuprà laudata. Nec obeſt quod chriſmatis nulla habeatur in Scripturis mentio: non obeſt, inquam, quia ut optimè ait D. Thomas art. 4 ad 1. *Multa ſervabant Apoſtoli in ſacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propoſitis non ſunt tradita. Unde Dionyſius dicit in fine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: Conſummativas invocationes, id eſt verba quibus perficiuntur ſacramenta, non eſt juſtum Scripturas interpretantibus, neque myſticum earum, aut in ipſas operatas ex Deo virtutes ex occulto ad commune adducere; ſed noſtra ſacra traditio ſine pompa, id eſt occultè eas edocet. Unde & Apoſtolus dicit loquens de celebratione Euchariſtiæ, 1. Cor. 11. Cætera cùm venero diſponam.*

Quod verò Patres non rarò Confirmationem manuum impoſitionem appellant, nihil aſſertionis noſtræ veritati officit; nam variis eam aliis nominibus, & ſeorſim unctione & chriſmate inſignire ſolent, ut ſpeculatione præcedenti demonſtravimus. Ex quo conſtat Patres chriſma à Confirmationis ſacramento non excluſiſſe, & illud æquè ſaltem ac manus impoſitionem ad hoc ſacramentum adjunxiſſe; unde utramq; non ſejungunt, etiam dum utramvis ſeorſim nominant. Id magis manifeſtum erit ex iis Patrum, Pontificumque decretis, quibus chriſmandi in fronte poteſtas ſolis Epiſcopis eximia aſſeritur, quæ ſuo poſteà loco referemus. Teſtantur etiam Patres ſacro chriſmate præberi Spiritus ſancti inviſibilem unctionem. *Datur Spiritus ſanctus*, inquit Ambroſius lib. de Sacr. cap. 3. *per chriſmatis unctionem.* Et Pacianus ſerm. de baptiſmo: *Chriſmate Spiritus ſanctus ſuperinfunditur.* Et Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Rom. *Præcipuum in unctione eſt Spiritus: ideo enim oleum aſſumitur.* Et Theodoret. in cap. 1. Cant. *Spiritualis unguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili unguenti ſpecie ſanctiſſimi Spiritus gratiam percipiunt.* Et Auguſt. tract. 3. in epiſt. Joan. *Unctionis ſacramentum eſt virtus ipſa inviſibilis; unctio inviſibilis Spiritus ſanctus, unctio inviſibilis charitas eſt.* Si autem chriſmatis unctio ad ſacramentum eſſentialiter non pertineret, per eam non daretur Spiritus ſanctus. Alia Patrum teſtimonia in decurſu diſſertationis invenies, ubi leges Confirmationem ab Auguſtino & Paciano *ſacramentum chriſmatis*, & chriſma *Spiritus ſancti ſacramentum appellari.* Cæteri denique Patres ita Confirmationem in chriſmate poſuerunt, ut vix manuum impoſitionis meminerint. Confirmationem porrò manuum impoſitionem interdum aliqui appellant, tum quod gratiam illam confert, quam impoſitio Apoſtolicarum manuum in Actibus memorata in baptizatos producebat, eique ut docent Patres reſpondet: tum quòd dum Epiſcopus chriſmate frontem inungit & cruce obſignat, eo ipſo manus imponere intelligitur, ut poſteà dicemus. Nam etiam Paulus *Hebr.* 2. hoc ſacramentum manus impoſitionem vocat: & 2. *Cor.* 1. illud in unctione conſignationeque conſtituit.

Accedit, quod licèt ſolâ manuum impoſitione tanquam Confirmationis materiâ Apoſtoli ex ſpeciali diſpenſatione ſemper uſi eſſent, malè tamen inde colligeretur chriſmatis unctionem ad ſacramenti Confirmationis materiam minimè pertinere, quia ut de ſacramentis in genere latè expoſuimus, Chriſtus materias formaſque ſacramentorum in genere inſtituit, id eſt res illas adhiberi, verbaque proferri præcepit, quibus ſacramentorum natura vel effectus ſignificaretur; eas tamen in ſpeciali & in individuo minimè præſcripſit, ſed earum deſignandarum facultatem Eccleſiæ Catholicæ divinitus inſpiratæ & continenti Dei protectione gubernatæ fecit. Unde pro diverſitate temporum & Eccleſiarum variæ materialiter res adhibitæ eſſe leguntur, in eandem tamen ſignificationem conſpirantes. Nec tamen uniuſcujuſque miniſtri vel peculiaris Eccleſiæ arbitrio permiſſum eſt materias & formas ab Eccleſia Catholica acceptas immutare, quia Chriſtus eas tantùm voluit eſſe materias formaſque ſacramentorum, quæ eſ-

ſent

ſent ad ſignificandum idoneæ, & ad Eccleſia univerſali probatæ. Sed hac reſponſione alioquin legitimâ impræſentiarum opus non eſt, cùm materiam Confirmationis perpetua Patrum traditio ita in chriſmate poſuit, ut oppoſitam aſſertionem hæreſibus accenſeant Soto, Suarez, Bellarminus, aliique Theologi. Vide etiam reflexione ſequenti.

Sacramenti Confirmationis materia proxima, Chriſmatis ad modum crucis inunctio.

Quæ hactenus diximus de materia remota ſacramenti Confirmationis vera ſunt. Cæterum materia proxima hujus ſacramenti dicitur chriſmatio, ſeu inunctio chriſmatis in fronte baptizati inſtar crucis facta. Materia enim proxima eſt materiæ remotæ applicatio, ſicut ablutio eſt materia Baptiſmi proxima, quia per eam aquâ, quæ materia remota eſt, catechumenus aſpergitur. Patet autem Epiſcopum ſacrum chriſma unctione applicare: ergo chriſmatis unctio materia ſacramenti eſt Confirmationis proxima, antiquæ Apoſtolorum manuum impoſitioni Actorum libro non ſemel memoratæ correſpondês. Cùm enim per ſacras Antiſtitis manus frons baptizati oblinatur, nunquam chriſmatio ſine manuum impoſitione contingit. Ratio autem quare ungatur frons, ſuperiori ſpeculatione aſſignata eſt, eamque compendiosè exprimit Cyrillus Hieroſolimit. catech. 3. *Vt eum abſtergat à nobis pudorem*, (cujus frons ſedes eſt) *quem primus homo tranſgreſſor perpetuò circumferebat, ſimulque efficiat ut poſſimus vultu non velato gloriam Domini intueri.*

Neque enim exiſtimandum eſt, tunc ſacramentalem manuum impoſitionem Epiſcopum adhibere, quando levi alapa in maxilla confirmatum cædit. Tum quia tunc ſacramentum peractum eſt, & unctio completa. Tum quia nulla tunc contingit formæ prolatio; applicatio autem materiæ non ſolet à formæ enuntiatione ſeparari. Tum quia, ut benè notavit ſuprà laudatus Catechiſmus Romanus, hæc percuſſio cæremonia duntaxat eſt, quâ unctus & confirmatus Chriſti miles ſalubriter admonetur, ut meminerit ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti fide toleranda. Itaque propter chriſmatis unctionem Confirmatio manuum impoſitio aliquando dicitur, quia nimirum ſacrum chriſma nihil gratiæ confert, niſi manibus Epiſcopi applicetur. Quare fruſtrà laboravit P. Jacobus Sirmundus in congerendis locis, obi Spiritus ſanctus manûs impoſitione dari dicitur; id enim veriſſimum eſt, ſed manum tunc imponit Epiſcopus, cùm baptizati frontem chriſmate inungit, ita ut chriſmando manus imponat, & manus imponendo chriſmet, juxta illud Innocentii III. extra de conſuetudine: *Sacramentum Confirmationis chriſmando renatos ſoli debent Epiſcopi per manus impoſitionem conferre.* Et extra de ſacra unctione: *Per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur.* Quia nimirum hæ duæ actiones in unam coaleſcunt, ſicut trina immerſio in unam deinde aſperſionem contracta eſt.

Quod autem præfata unctio ad modum crucis debeat adhiberi, ex eo patet, quod id exigit veritas formæ: *Signo te ſigno crucis.* Cujus ritûs meminit Tertullianus *de reſurrectione carnis*, cap 8. dum ait: *Non perficiuntur ſacramenta Chriſtianorum, niſi ſigno crucis.* Convenientia verò eſt multiplex. Cruce enim obſignatur Chriſtianus, tum ut ſignificetur totum Chriſtiani robur & virtutem ab infirmitate crucis proficiſci, juxta illud Magni Leonis alibi relatum: *Crux omnium fons benedictionum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Crux Chriſti, ut alicubi dixit Auguſtinus, nobis totius cauſa beatitudinis eſt. Hæc nos à cæcitate liberavit erroris; hæc à tenebris reddidit luci: hæc debellatos reddidit quieti; hæc alienos Deo conjunxit. Hæc diſcordiæ amputatio eſt, hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abundans largitio. Verè ſub ſcapulis tuis obumbraſti nobis, Domine Jeſu, ut cum Bernardo loquar: nam ſub Crucifixi ſcapulis quatuor nobis beneficia conferuntur: ſub his enim abſcondimur: ſub his ab incurſu accipitrum & milvorum protegimur, quæ ſunt aëreæ poteſtates; ſub his umbraculum ſalubre nos refrigerat, & nimium concupiſcentiæ ardorem repellit; ſub his quoque alimur & fovemur. His virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur. Tum ut fidelibus innoteſcat Chriſtianum militem in cruce debere gloriari, nec eam erubeſcere quæ Judæis ſcandalum fuit, Gentibus ſtultitia. Quod enim grande eſt ludibrium impiis, ut docent Patres, grande eſt myſterium piis; & unde Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum reperit; quod illi viſum eſt ſtultitia, Apoſtolo factum eſt ſapientia & gloria. Et certè nihil adeo grave eſt vel probroſum, quod non æquanimiter tolerare gloriemur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reducatur. Tum demùm ut erecto crucis vexillo Chriſtianus miles ad certamina concitetur. *Hoc Sacramentum*, inquit D. Thomas art. 4. ad 3. *non ſolùm ordinatur ad hoc, quod homo ſanctificetur in ſeipſo, ſed exponitur cuidam pugnæ exteriori; & ideò non ſolùm fit mentio de interiori ſanctificatione, cùm dicitur: Confirmo te chriſmate ſalutis; ſed etiam conſignatur homo exteriùs quaſi vexillo crucis ad pugnam ſpiritualem; quod ſignificatur cùm dicitur, Conſigno te ſigno crucis.*

Forma Confirmationis hæc eſt: Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Hanc formam conſuetudo Catholicæ Eccleſiæ ab Apoſtolis derivatâ traditione perpetuò retinuit, & in Conciliis œcumenicis probavit, unde de ea nemo niſi hæreticus dubitare poteſt. Cùm enim Dominus, Matth. 18. fidelibus ſuis promiſerit, quod ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine ipſius, ibi ipſe in medio eorum futurus eſt; firmiter tenendum eſt conſtitutiones Eccleſiæ in Spiritu ſancto præſertim congregatæ, ut in Conciliis contingit, ſapientiâ Chriſti, & lumine divino falli vel fallere neſcio dirigi: atque adeo conſuetudini Eccleſiæ univerſalis in Conciliis firmatæ ſeſe opponere, eſt ponere in cœlum os ſuum, & antiquitatis lumen impuriſſimis novitatis tenebris offuſcare moliri. Quod dico propter miſeros & miſerabiles hujus temporis hæreticos, formas ſacramentorum antequam ipſi ex erebo naſcerentur, ebullirentque prophanæ, eorum novitates, uſurpari ſolitas irridentes & illudentes. Sed mirum non eſt, nefarios religionis deſertores ſacramenta, quibus religio conſtat, ludibrio habere & ſubſannare; ſed quàm ridendus, vel potiùs dolendus gemenduſque ſit eorum riſus, nemo Catholicus non videt. Etenim qui veram Religionem adulterare & novam comminiſci innituntur, iis ludibriis, eáque irriſione digni ſunt quam Deus Proverb. 1. minatur: *In interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Ergo irridendi meritò ſunt quos odit & deſpicit Deus; irridendi ſunt qui reformatores Eccleſiæ haberi & audire volunt, & tamen veræ Religionis elementa neſciunt; irridendi ſunt qui ſpiritu hæretico turgentes, errorum ſuorum & ſpiritus privati illuſiones pro fidei dogmatis venditant, quique hanc ſibi auctoritatem impudentiſſimè arro-

gant, ut per ſeipſos reſtaurandam Eccleſiæ doctrinam effutiant. Attendant ergo Lutherani & Calviniani Catholicæ Eccleſiæ ſacramentorum irriſores, ſe magis irridendos præbere. Nam ut ex Patribus à quodam præclariſſimè dictum eſt: Ut amore & veneratione digna veritas, ſic contemptu & odio dignum eſſe mendacium. Amorem divinæ veritati conciliat eximia pulchritudo, venerationem augusta majeſtas. Contrà horrorem propria erroris impietas, riſum erroris comes abſurditas parit. Hæc ſemper virorum ſanctitate & ſapientiâ eccleſiaſticâ præſtantium adversùs veritatem & errorem affectio fuit. Veritatem illi amant, veritatem verentur, totaque illorum ſapientia timore & amore continetur, quorum ille initium, iſte ſapientiæ finis. Iidem in errorem duplici item incitantur animi motu, hinc odio, inde contemptu: nec modo impiorum improbitatem robore coërcent, ſed illorum etiam ſtultitiam ab errore indiviſſam ſalibus & jocis exagitant. Ergo ſola hæreticorum noſtrorum novitatum impietas horrenda, diligenda verò Eccleſiæ veritatis antiquitas; ſola errorum ipſorum comes abſurditas ridenda, reverenda antiquiſſimæ veritatis majeſtas. Unde etiamſi hæreticorum hac in parte argumenta non ſolverimus (ſunt autem ſolutu facillima) ſed ea duntaxat dubia efficeremus, eos tamen viciſſemus. Nam in dubia argumentorum contentione ſuperaret Eccleſiæ authoritas, cui quo quò ſe inclinet, omnia ingenia faſces ſubmittere oportet, ejuſque non tantùm edicta, ſed etiam nutus revereri, privatiſque quibuſvis cogitationibus & conjecturis potiores habere, ſi chriſtianâ ſunt mente.

Sed eò unde digreſſa eſt, revertatur oratio, & formæ Confirmationis Catholicis omnibus perveneerabilis convenientiam demoſtremus. Illa forma eſt conveniens, quæ quidquid ad ſacramẽti eſſentiã pertinet, aptiſſimè declarat. Atqui præfata forma ad ſignificandam Confirmationis naturam peridonea eſt: cùm enim ſacramenti Confirmationis proprium ſit gratiæ plenitudinem ad robur ſpiritualis pugnæ infundere, forma illa peropportuna cenſenda eſt, quæ & gratiæ plenitudinem infuſam exprimit, & militiæ ſpiritalis officium neceſſitatemque denuntiat. Plenitudinem quidem gratiæ verba illa declarant, *confirmo te Chriſmate ſalutis*; unctio namque externa interioris gratiæ infuſam copiam repræſentat: pugnæ autem ſpiritalis incumbens munus verbis illis, *Signo te ſigno crucis*, effertur, quibus ſignum Imperatoris noſtri Chriſtianis militibus imprimitur, ſicut & in pugna humana milites Ducum teſſeris inſigniuntur, ſub eorumque vexillis militant. Denique cauſa ſpiritalis roboris abundantiam impertiens verbis illis iudicatur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*; Chriſtianæ enim fortitudinis principium eſt Deus ut author ſupernaturalis, ſubindeque ut Trinus.

Ad hanc formam reſpexiſſe videtur Apoſtolus 2. Cor. 1. his verbis: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſtum, & unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* In primis hoc ſacramento confirmamur à Deo Patre in chriſtum, id eſt in fide erga Chriſtum, quam intrepidè tutamur, & ad quam mores fideliter exigimus. In hoc etiam ſacramento imprimit militibus ſuis inſignia ſua Princeps noſter Chriſtus, cujus cruce pugnamus, vincimus, triumphamus, coronamur. Infunditur etiam Spiritus ſanctus, pignus & donum notionale, infirma cordis & corporis virtute firmans perpetim. Pater milites ſpiritales eligit, Filius acceptat, Spiritus ſanct⁹ inſtruit & firmat. *Signavit te Deus Pater*, inquit Ambroſius lib. de iis qui initiantur. c. 7. *confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* A Patre ergo milites vocamur à Chriſto militiæ aſcribimur, ſed à Spiritu ſancto armamur, juxta illud Cyrilli Hieroſolymitani catech. 3. *Ut Salvator poſt Baptiſmum & ſpiritus ſancti adventum egreſſus in prælium devicit adverſarium; ſic & vos poſt ſacrum Baptiſma & Chriſma myſticum induti armis ſancti Spiritus adverſus oppoſitam poteſtatem conſiſtitis, & prælvamini dicentes: Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſto.* Verba ergo illa *Confirmo te, ſigno te* Spiritus ſancti effuſam plenitudinem ſignificant: ideo namque Confirmatione fortes efficimur, quia Spiritu ſancto roboramur. Nam Chriſtus in cœlum aſcenſurus, cùm Spiritum ſanctum Apoſtolis polliceretur, hoc eodem virtutis nomine Spiritum ſanctum expreſſit. Luc. 24. *Sedete*, inquit, *in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Nihil ergo mirum, ſi quo orationi genere Spiritum ſanctum Chriſt⁹ promiſit, eodem Eccleſia promiſſum dari ſignificet. Spiritus etiam ſanctus nomine ſignaculi aptiſſimè deſignatur, ut ex verbis Apoſtoli *Epheſ.* 1. clariſſimum eſt.

Dices: Eccleſia Orientalis in adminiſtratione ſacramenti Confirmationis aliâ utitur formâ, hac nimirũ: *Signaculum doni Spiritus ſancti*, ſubaudi *eſt*, quod neceſſariò ſubintelligitur, quodve phraſis Græca elegantiæ gratiâ ſæpe prætermittit. Hujus autem formæ meminit ſecunda Synodus Oecumenica, ſeu Concilium Conſtantinopolitanum I. canone 7. *Eos ſignantes*, inquit, *dicimus: Signaculum donationis Spiritus ſancti.* Ergo forma à nobis allata non eſt legitima.

Reſpondeo hanc Græcæ Eccleſiæ formam à Latina non niſi materialiter differre, & eandem formalem ſignificationem obtinere. Nam cùm Chriſtus formas tantùm ſacramentorum in genere inſtituerit, delectum verò verborum Eccleſiæ & ſacris Cõciliis præmiſerit, ſufficit ut forma ab Eccleſia Græca uſurpari ſolita ad effectum ſacramenti deſignandum apta ſit, & in Cõciliis probata, & Eccleſiæ Hierarchæ Romani Antiſtitis authoritate firmata ſit. At forma præfata Græcorum hujuſmodi eſt; nam & effectum ſacramenti Confirmationis, characterem nimirum, & gratiam indicant verba illa, *ſignaculum doni.* Cauſa etiam gratiæ conformatricis non tacetur, cùm additur *ſpiritus ſancti*, cui ſpecialiter hominum ſanctificatio aſcribitur. Illa etiam forma traditur in ſecundo Concilio generali relato: ſummi quoque Pontificẽs Innocentius III & IV. Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi, Eugenius IV. in Florentino formam Græcorum minimè reprehenderunt. Clemens etiam VIII. in conſtitutione ſua pro inſtructione Græcorum edita, quæ habetur in Bullario typis edito, prohibiturus quibuſdam Presbyteris Græcorum in quibuſdam Italiæ partibus commorantium, ne ampliùs ſacramentum Confirmationis adminiſtrarent, prohibuit etiam ne verba memorata proferret. Ergo exiſtimavit verba illa eſſe ſacramentalia, & non tantùm ceremonialia; utriuſque enim Eccleſiæ ceremonias retinendas Eccleſia ſemper voluit, ſed confundi ſacramentorum formas nunquam probavit. Verba ergo illa ſapientiſſimus Pontifex, & de gratia tam benè meritus, amplius meriturus ſi diutius vixiſſet, reſecanda judicavit, utpote ad ſacramentum Confirmationis à Baptiſmo diſtinctum pertinentia. Poſſe autem materialem diverſitatem in ſacramentorum formis & materiebus, ſtante eadem ſignificatione tamen, advenire ſæpe diximus, & ex perpetua Eccleſiarum diſciplina pro ratione temporum interdum varia conſtantiſſimum eſt.

REFLEXIO.

In Confirmatione ungimur & ſignamur, ut vi-

ctricẽ

ctrici gratiæ cœleſtis delectatione,& immiſſo virtutis ſupernæ robore leve fiat quod grave erat, nec fingat laborem in præcepto, qui præventus in benedictionibus dulcedinis, & divinorum repletus delectationibus præceptorum, dilatato per amorem veluti oleum effuſum corde, viam mandatorum currit, quæ ſurſum ſunt ſapit, non quæ ſuper terram. Hinc Patres Confirmationem unctione & conſignatione ſemper definiunt, ut vidimus, quibus adde illud Iſidori lib. 6. Etymol. *Sunt ſacramenta Baptiſmus & Chriſma, corpus & ſanguis: ſicut in Baptiſmo peccatorum remiſſio datur, ita per Unctionem ſanctificatio Spiritus adhibetur.* Et illud Arnobii in pſalm. 82. *Eccleſia ſanctuarium Dei eſt, ubi myſteriorum ſunt repoſita ſacramenta, ubi caro cœleſtis, ubi ſanguis, ubi chriſmatis virtus, ubi fons perennis eſt, & lex divina.* Et illud Bedæ hom. in octavam Epiph. *Poſt acceptum nudæ regenerationis lavacrum, per unctionem ſacri chriſmatis gratiâ Spiritus ſancti ſignamur.* Ungimur, inquam, & ſignamur, quia *ſigno Chriſti*, inquit Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum, cap. 14. *ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus.* Atque ut permaneamus in ea fide ſtabiles, addit Magnus Leo *ſerm. 4. Nativit.* quam confeſſi ſumus, *& in qua renati per aquam & Spiritum ſanctum accepimus chriſma ſalutis, & ſignaculum vitæ æternæ.* Hinc cruce ſignamur, ne labores defugiamus, Evangelium et ubeſcamus & crucem, quæ fidelibus non eſt opprobrium, ſed triumphus. *Uſque adeò*, inquit Auguſtinus in Pſal. 30. & 141. *de cruce non erubeſco, ut non in occulto loco habeam, ſed in fronte portem, tanquam in ſede pudoris, ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat.*

At quis dicat hujus ſæculi Chriſtianos milites eſſe, quos torpor, otium, voluptatumque fluxus languidos efficit & enervatos? Volunt illi quidem, ut præclarè Magnus Gregorius *lib. 7. Moral. cap. 17.* proſequitur, eſſe humiles, ſed ſine deſpectu tamen; eſſe contenti propriis, ſed ſine neceſſitate; eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis; eſſe patientes, ſed ſine contumeliis; eſſe pœnitentes, ſed ſine labore & lacrymis volunt. Cùmque adipiſci virtutes vel virtutum nomen & laudem quærunt, & labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in urbibus de bello concupiſcunt? Nec attendunt quod Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Itáne Chriſti milites dicendi illi ignavi ſunt, quos Ducis exemplum ſequi pudet, quos verbulum movet, quos leve corporis incommodum deterret, & malorum exemplum pertrahit & traducit? Ad negligentiam vitæ eos negligentium vita perſuadet; ad damnum propriæ ſalutis alienis ducuntur erroribus; alienum delictum quod ut opprobrium reſpicere debuerant, ſibi in exemplum proponunt, nec attendunt quod illis nihil in tremendo Imperatoris ſui judicio proderit torpentium atque inertium multitudo, ubi ſingulorum geſta judicabuntur, & benemeritis æternarum diſtribuentur præmia coronarū.

Sunt quidem in Chriſti caſtris milites nonnulli & pugiles alacres & intrepidi, qui ad omnia chriſtianæ militiæ & vitæ exercitia non ſolùm ambulant ſed & currunt, imò potiùs volant; ut eis & vigiliæ breves, & pœnitentia dulcis, & labores non ſolùm tolerabiles, ſed amabiles etiam & conditi videantur. Sed & innumeri, proh dolor! ſunt, qui corde arido & languente ad officia ſua nec amore alliciuntur, nec promiſſis pertrahuntur, nec minis compelluntur. Laborant interim miſeri & miſerabiles, in via iniquitatis laſſantur. Sub onere aut opprimuntur, aut ſuccumbunt, & infernum, cujus incolæ aliquando rerum futuri ſunt, in anteceſſum prægustantes, nunquam reſpirant in luce miſerationum Domini, nec in libertatem ſpiritus unquam perveniunt, quæ ſola facit jugum ſuave & onus leve. Sunt & alii non ita quidem criminoſi, ut ſceleribus ſeſe dedant impiorum, ſed voluntas eorum nondum purgata nec bonum ſic vult ſicut novit, ſed à propria concupiſcentia abſtracta graviter & illecta, amat in carne ſua terrenas conſolatiunculas, & delicatorum more militum, ea quærit in campo certaminis commoda, quæ domi reliquerat: formidat pulverem, ſolis timet ardores, & pugnæ moleſtias; in delicias anhelat, quas ſtrenuus miles non interrumpit modò, ſed penitus rumpit.

Eia ergo miles Chriſti apprehende arma & ſcutum: reverà cùm inceperis, triſtitia implebit cor tuum; ſed ſi perſeveraveris, triſtitia tua convertetur in gaudium. Quia Deo donante purgabitur affectus, voluntas renovabitur, vel potiùs nova creabitur: ut omninò quæ primò difficilia, imò impoſſibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine & aviditate. Sume armaturam fidei, ut mundi perſequentis inſidias dignoſcas & debelles; perſequentis, inquam, & palam ſæviendo, & fictè fraudulentérque blandiendo, pluſque nocentis dum ſe ducit illudendo, juxta illud Auguſtini epiſt. 144. *Mundus periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus; & magis cavendus, cùm ſe illicit diligi, quàm cùm admonet cogitque contemni.* Eſto fortis in bello, quia nedum tibi adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs Principes tenebrarum harum colluctatio eſt. Quid verò tu trepidas, quem Eccleſiæ militantis unanimitas armata circummunit, cui Angeli aſſiſtunt à latere, quem Dux belli Chriſtus præit ſuos animans ad victoriam, & dicens tibi: Confide, ego vici mundum. Si Chriſtus pro te, quis contra te.

Speculatio III.

Quæ de Confirmatione faciliora ſuperſunt, exponuntur.

TRia ſuperſunt ad ſacramenti Confirmationis cumulatam notitiam; cùm enim res per cauſas effectuſque dilucidè pateſcat, ad plenam hujus ſacramenti naturam inveſtigandam reliquum eſt ut examinemus & cauſam ejus inſtrumentalem (principalem enim ſupponunt omnes eſſe Deum ſacramentorum omnium & fluentis ab eis gratiæ authorem,) & cauſam materialem ſeu ſubjectum, cui imprimi poteſt & debet; & effectus qui ab eo ſacramento proficiſcuntur.

Circa primum ſupponunt omnes Catholici, ordinarium Confirmationis miniſtrum eſſe Epiſcopum; diſſentiunt tamen de miniſtro extraordinario, num ſcilicet ſimplex Sacerdos, accedente Summi Pontificis diſpenſatione, poſſit ſacramentum hoc ex commiſſione miniſtrare. Verùm quia materies hæc accuratiorem poſtulat indaginem, eam in caput ſequens latiori calamo pertractandam rejicimus.

Subjectum Confirmationis.

Circa ſubjectum Confirmationis ſciendum eſt, tria ad recipiendam Confirmationem in ſubjecto deſiderari. Primùm enim exigitur Baptiſmus. Etenim Baptiſma eſt ſacramentorum janua, per quam proinde in Eccleſiam intrare priùs neceſſe eſt, quàm aliorum Eccleſiæ beneficiorum poſſit quis particeps fieri. Et ſanè roborari & augeri ſpiritualiter nemo poteſt, qui nondum eſt in Chriſto natus. Ergo Baptiſma eſſentialiter Confirmationi ſubſternitur. Unde *diſt. 5. de conſecrat.* refertur iſtud Urbani Papæ decretum: *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum*

ſcoporum debent Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere. Ut ſicut in Fonte plenitudinem accepimus ad innocentiam, ita in Confirmatione augmentum & robur accipiamus ad pugnam.

Secundò in ſuſcipiente convenienter deſideratur ætas diſcretionis; quamvis enim omnis baptizatorum ætas & ſexus militiæ Chriſtianæ ſtatim poſt Baptiſmum aſcribi poſſit, ſolos tamen adultos eſſe confirmandos à Deo gubernata cenſet Eccleſia: tum ut ſe fide, pietate, aliiſque virtutum exercitationibus ad uberes hujus ſacramenti fructus percipiendos fideles diſponant; unde minùs expedit Confirmationem pueris antequam rationis uſum habuerint adminiſtrare. Quare ſi annus duodecimus non expectabitur, ſeptimus certè præveniri non debet. Confirmatio enim eo potiſſimùm fine inſtituta eſt, ut ejus virtute inſtructi & parati inveniamur, cùm nobis pro Chriſti fide pugnandum eſt: ad quod ſanè pugnæ genus puerili ætate carentes nemo eſſe judicaverit. Non me latet Confirmationem in primis Eccleſiæ ſæculis pueris unà cum Baptiſmo conferri ſolitam. Sed alia erat eorum temporum ratio, tum ob Epiſcoporum raritatem, tum ob præſentem & ſæpe urgentem perſecutionis impetum, qui etiam pueros inceſſebat, quibus præſto non fuiſſet ſacramentum Confirmationis, niſi illud cum Baptiſmate recepiſſent.

Si autem ſcire aveas, cur confirmatis ut & baptizatis patrini laudabili & religioſa conſuetudine deſignentur? Reſpondebo ideo eſſe, quia ſicut baptizatus de novo natus conſervatore eget & inſtructore, à quo vitæ Chriſtianæ legibus & inſtitutis imbuatur; ita novi milites eruditore indigent, à quo modum certaminis doceantur. In Confirmatione autem homo miles conſtituitur: indiget ergo monitore & palæſtrita, cujus arte & conſilio dimicationem ſubeat, armis Chriſtianis apprimè & cum ſolertia utatur, diſcatque quibus ictibus ac petitionibus, ſe ſalvo, conficere adverſarios poſſit. Tenera namque & inerudita tyronis Chriſtiani in Chriſto renati virtus nondum altas adepta radices alterius debet fulcimento ſuſtineri, qui & ad pugnam ſtimulet, & in pugna acuat, inflammetque, & cadentem erigat, & titubantes firmet, & vincenti gratuletur, non ad inanem gloriam, ſed ad imperatoris noſtri Dei honorem, Eccleſiæ exaltationem, & victuris animos augendos.

Tertiò ad Confirmationem licitè & cum fructu recipiendam requiritur ſtatus gratiæ. Etſi enim ſacramenti iſtius integritas, in quo materia non ſunt actus recipientis, ut nec à conferentis ſanctitate non pendeat, & modò materia idonea cum verbis conſuetis ex officio & ſeriò, atque adeo cum intentione faciendi quod facit Eccleſia adhibeatur, character Confirmationis imprimatur; gratia autem ſacramenti, ſeu plenitudo donorum Spiritus ſancti, quibus ad pugnam inſtruimur & ad victoriam, minimè infunditur; ſed potiùs poſito peccati objectaculo & tanto ſacramento irrogatâ injuriâ, grande ſacrilegium perpetratur. Abſit verò ut vitæ ſpiritalis plenitudinem conſequatur qui non vivit, ſed mortuus eſt; vel augmentum gratiæ obtineat qui à gratia deſertus eſt, quam ipſe deſeruit: incrementum enim ſupernaturale eſſe ſupernaturale omninò ſupponat neceſſe eſt.

Effectus Confirmationis duplex.

Circa effectus Confirmationis, ſuppoſitis iis, quæ de ſacramentis generatim dicta ſunt, pauca obſervanda ſuperſunt. In primis certum in hoc ſacramento gratiam cœleſtem in animam infundi & augeri, & Spiritum ſanctum ſpecialiori modo militis Chriſtiani cor donorum ſuorum beatiſſimâ copiâ implere. Unde Dionyſius cap. 4. Eccleſiaſt. Hierarch. *Adventum Spiritus ſancti*, inquit, *conſummans unguenti unctio largitur.* Unde D. Thomas q. 72. art. 1. & 7. *perfectam ætatem vitæ ſpiritualis*, hoc ſacramento obtineri ait, quâ *pleni Chriſtiani*, ut dixit Urbanus Papa, invenimur. Hinc ſpiritale oritur animi robur, quo munimur ad pugnam: *Caro enim ſignatur*, ut alibi laudatus Tertullianus dixit, *ut & anima muniatur. Ideo nos unxit*, inquit Auguſt. tract. 33. in Joan. *quia luctatores contra diabolum fecit Armis Spiritus Dei*, addit Petrus Venerabilis, *per illam unctionem contra ſathanæ mundique bella munimur.*

Alter hujus ſacramenti effectus eſt character indelebilis, unde hoc ſacramentum iterari nequaquam ſine ſacrilegio poteſt, etiamſi à peccatore, vel ab hæretico Epiſcopo collatum ſit. Nec mirum eſſe debet, ſi Patres illi qui baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos per errorem nondum ab Eccleſia definitâ controverſiâ dixerunt, ſimiliter circa Confirmationis ſacramentum impegerint, rati eos non poſſe ſpiritus ſancti gratiam aliis impertire, à qua ipſi excidiſſent. Sed de his in ſuperioribus diſſertationibus ſatis ſuperque diximus, ubi oſtendimus characterem nullo unquam crimine deleri; quia ſi minimam potentiarum quæ ſunt in anima, & unà cum quibus nos natura procreavit, deſtruere nequaquam poſſumus, multo minus inſculptas à Deo characterum poteſtates per regenerationem vel Confirmationem inſertas ad nihilum redigere peccator poteſt, tametſi eas criminum tenebris infuſcare queat. Unde Paulus eodem modo loquitur de Baptiſmo atque de Confirmatione, Hebr. cap. 7. *Quapropter*, inquit, *relicta initia, Chriſti ad perfectionem feramur, non rurſum fundamentum jacientes pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei ad Deum, baptiſmatum, doctrinæ, impoſitionis quoque manuum.* Ubi fideles ad perfectionem hortatur, quia non eſt ampliùs Baptiſmi & Confirmationis fundamentum jaciendum. Cujus rationem addit: *Impoſſibile eſt enim eos qui ſimul illuminati ſunt, & guſtaverunt donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Id eſt, quia non poteſt iterari Baptiſma, nec manus impoſitio. Per illam enim manus impoſitionem Paulum intellexiſſe Confirmationem Chryſoſtomus & Theophylactus locum illum Apoſtolicum interpretantes docuerunt. Et Cyrillus Hieroſolymit. in fine Procatecheſeos: *Det*, inquit, *vobis Deus Spiritus ſancti ſignaculum indelebile in ſempiternum.*

Sed dices: Multis Conciliorum & Patrum decretis conſtitutum eſt, ut hæretici ad Eccleſiam redeuntes chriſmate ungerentur: Sed incredibile eſt omnes illorum temporum hæreticos non fuiſſe à ſuis Epiſcopis confirmatos: Ergo ſacramentum Confirmationis iterandum, ſubindeque indelebilem non imprimere characterem Concilia & Patres exiſtimaverunt. Probatur major propoſitio, tum ex Concilio II. generali, ſeu Conſtantinopolitano I. *can. 7.* his verbis: *Eos qui rectæ fidei adjiciuntur, & parti eorum qui ex hæreticis ſalvantur, recipimus ſecundùm ſubjectam hanc ſeriem & conſuetudinem. Arianos videlicet, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui ſe puros & ſiniſtros vocant; & Quartadecimanos, ſcilicet Tetraditas, & Apolinariſtas, dantes quidem libellos, & omnem hæreſim anathematizantes, quæ non ſentit ut ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, recipimus obſignandos, ſive ungendos primùm ſancto chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & conſignantes dicimus: Signaculum donationis Spiritus ſancti.* Idem antea ſanxerat Concilium Laodicenum,

cilium, cap. 7. *Hæreticos Novatianos, Photinianos, Quartadecimanos, ſeu quos ipſi vocant Fideles Converſos, non priùs eſſe recipiendos decernimus quàm omnem hæreſim, potiſſimùm eam quâ erant infecti, anathematizaverint: tum demùm ab ipſis dictos Fideles myſteria ſidei doctos, ſanctoque chriſmate inunctos ad ſacratiſſima Communionis myſteriorum participandum admittendos.* Quod idem ſtatuit Concilium Arelatenſe I. *can.* 8. & Arelatenſe II. *cap.* 17. de Arianis & Bonoſiacis. Tum ex Concilio Arauſicano I. *can.* 2. his verbis: *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placet.* Tum ex Summis Pontificibus Leone & Gregorio Magno: ille enim *epiſt.* 35. ait baptizatum ab hæreticis non eſſe rebaptizandum, ſed ei hoc eſſe conferendum quod ei defuit, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem Sancti Spiritus conſequatur. Iſte verò *lib.* 9. *epiſt.* 61. ejuſdem conſuetudinis mentionem facit, *Arianos*, inquit, *per impoſitionem manûs Occidens, per unctionem verò ſancti chriſmatis ad ingreſſum ſanctæ Eccleſiæ Oriens reformat.* Quod idem videre eſt in epiſtola 3. Euſebii Papæ.

Reſpondeo Concilia illa antiqua, & Patres velle Confirmationem ab Hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus recipi, quæ fuerat ab illis omiſſa; unde antequam ad ſacram Communionem admitterentur Confirmationis chriſmate inungebantur, ut teſtatur Baſilius Magnus epiſt. ad Amphiloch. can. 1. *Omni ratione ſtatuatur*, inquit, *ut qui illorum cum Baptiſmate* (de ſolo Baptiſmo hæretici acceperant) *ad Eccleſiam ſe adjungunt, chriſmentur ſcilicet à fidelibus, & ſic ad myſteria Euchariſtiæ accedant.* Et Euchologium Patriarchale ab Arcudio *lib.* 2. *cap.* 7. relatum formam unctionis pro hæretico converſo fundendæ refert, quæ ſic habet: *Et dignum fac eum, qui recipiat ſignaculum divini unguenti, & pretioſi corporis & ſanguinis tui particeps fiat.* Loqui autem Concilia illa de hæreticis non confirmatis, patet; quia nominatim loquuntur de Novatianis, qui ut refert Theodoretus *lib.* 5. *de hæretic. fabulis*, Confirmationem minimè præbebant. *Ii*, inquit, *qui ab ipſis Novatianis baptizantur, unguentum ſacrum non exhibent. Quocirca, quò ex hac hæreſi cum Eccleſiæ corpore ſe conſociant, omni laude digni Patres ungi juſſerunt.* Idem docet Pacianus epiſt. 3. quod etiam indicat Leo verbis relatis, aiens hæreticos non eſſe rebaptizandos, ſed hoc eis eſſe conferendum, quod ibi deficit, ut per Epiſcopalem manus impoſitionem virtutem Spiritus ſancti conſequantur.

Gregorius autem Magnus loquitur de reconciliatrice manuum impoſitione in Eccleſia Occidentali & de unctione pariter reconciliatrice in Eccleſia Orientali frequentata, quâ hæretici ad Eccleſiæ gremium recipiebantur. Ut enim ait Euſebius Papa epiſt. 3. *Hæreticos omnes quicumque Dei gratiâ convertuntur, & in ſanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati ſunt, Romana Eccleſia regulam tenentes, per manus impoſitionem reconciliari præcipimus.* Quâ reſponſione commodiùs & veriùs plures ex adductis auctoritatibus interpretari eſt. Non enim loquuntur Pontifices, vel ſacra Concilia de chriſmatione vel manuum impoſitione confirmativa, neophytis in Eccleſia tribui ſolita, ſed de chriſmatione, benedictione, & impoſitione ad reconciliandum hæreticos inſtituta. Cujus argumentum eſt, quia eam omnibus promiſcuè ab hæreſi redeuntibus Patres dari juſſerunt, nihil inter eos diſcriminis afferentes, qui Epiſcopalem Confirmationem ab Epiſcopis accepiſſent, & eos qui non eſſent illâ ſignati. Unde hæc chriſmatio, hæc manuum impoſitio erat mera ceremonia ad ſacramentum Confirmationis nihil pertinens, ab Epiſcopo tamen ordinariè fieri ſolita, quia ab hæreſi, imò & à pœnitentia redeuntes à ſolo Epiſcopo admittebantur, nec eos poterat ſimplex Sacerdos niſi in extremo vitæ diſcrimine reconciliare. Hinc Magnus Leo epiſt. 79. cap. 6. *His verò*, inquit, *qui ad iterandum Baptiſma vel metu coacti ſunt, vel errore traducti, imò & ſe contra Catholicæ fidei ſacramentum egiſſe cognoſcunt, ea cuſtodienda eſt moderatio, quâ in ſocietatem noſtram non niſi per pœnitentiæ remedium, & per benedictionem Epiſcopalis manûs communionis recipiant unitatem.*

Falſum autem omninò eſt, quod exiſtimavit Jacobus Sirmundus, Concilium Arauſicanum ſimplicibus Sacerdotibus hæreticorum in fronte chriſmandorum facultatem in extremo vitæ periculo feciſſe. Nam in ultimo Concilii illius canone ſtatuitur: *Ut ſi quis Epiſcopus per infirmitatem debilitatemve aliquam in hebetudinem ſenſûs inciderit, aut officium oris amiſerit, ea quæ non niſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentia ſua Presbyteros agere permittat, ſed evocet Epiſcopum, cui hoc quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat.* Manifeſtum eſt autem frontis chriſmationem muneris eſſe Epiſcopalis; ergo nihil ab eo Concilio alienius eſſe poteſt, quàm ut chriſmationem Epiſcopalem Presbyteris tribuerit. Ex quibus etiam magis intelliguntur quæ celebri canone primo poſtea referendo & exponendo Patres Arauſicani dixerunt. Hinc etiam P. Suarez 3. *p. quæſt.* 72. *art.* 11. *diſp.* 36. *ſect.* 1. & 3. ex illo canone 2. Arauſicano probat fuiſſe olim conſuetudinem converſos hæreticos chriſmate ungendi, quia canon ille non poteſt intelligi de ſacramento Confirmationis, alioquin non fuiſſet limitandum ad ſolos hæreticos, ſed majori ratione extendendum ad omnes fideles in mortis diſcrimine poſitos, quando non adeſt Epiſcopus qui eos confirmet. Ideo ergo Concilium Arauſicanum de hæreticis ſpecialiter loquitur, quia non egit de ſacramento Confirmationis, ſed de reconciliatione ſolenni, quâ olim hæretici ab hæreſi revertentes in Eccleſiæ gremium recipiebantur. De eâdem unctione ceremoniali loquitur Innocentius I. *epiſt.* 1. *cap.* 6. ubi docet energumenos, ſi nequeant ad Epiſcopum adduci, poſſe à Presbytero auctoritate & licentia Epiſcopi conſignari. Manifeſtè enim loquitur de ceremonia olim uſurpata, quâ ſoli Epiſcopi ad expellendos dæmones utebantur; ſacramentum enim Confirmationis nunquam liberandis energumenis fuit per ſe applicatum.

Consectarium Unicum.

Confirmationem iterari indelebilis Confirmationis character non patitur.

Ex his omnibus manifeſtè liquet quàm falſus ſit Græcorum ſchiſmaticorum Confirmationem iterari poſſe arbitrantium, & reapſe iterantium error. Quem longè antè confutarat os Chryſoſtomi aureum hom. 3. in 2. ad Corint. *Quemadmodum*, inquit, *nota quadam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit ut ſi ordinem deſerueris, omnibus perſpicuus fias.* (Apparebit enim character in animabus Chriſtianorum Chriſtum Ducem deſerentium, & æternis ſuppliciis addictorum in opprobrium ſempiternum.) *Judæi enim ſignaculi loco circumciſionem habebant, nos autem pignus Spiritûs ſancti.* Conſentit Nazianzenus *in exhortat. ad ſacrum lavacrum*, loquens de charactere: *Hoc*, inquit, *& viventi tibi maximum eſt tutamentum; ovis enim quæ ſigillo inſignita eſt, non facilè patet inſidiis; quæ verò ſignata non eſt,*

facilè

facilè à ſuribus capitur. Et vita ſanctores eſt accommoda, quæ ſepulturam comitetur. Cenſet ergo characterē poſt mortem minimè deperire, ſed in æternum manere. Et ſanè ſi juxta Patres Baptiſma novæ legis non eſt iterabile, ſicut repetebantur vetera antiquæ legis Baptiſmata, quia hæc animarum maculas non eluebant, quas Baptiſmus omninò abſtergit; ſimiliter etiam non eſt iteranda confirmativa novæ legis unctio, quâ infunditur tota Spiritus ſancti plenitudo. Adde quod quemadmodum ad imprimendum characterem voluntas non requiritur ſuſcipientis, ſacramentum modò Confirmationis recipere velit: ita nec per contrariam voluntatis perverſitatem ſuſceptus ſemel character obliterari nequaquam poteſt. Si ſervus domini ſe ſubjiciens poteſtati, à domino ſervituris ſigillo conſignari patiatur, fruſtra ſervituris teſſeram retractatione voluntatis delere conitetur: ita impreſſam divinitus per verum Epiſcopum chriſtianæ militiæ notam nulla iniquitas, nullaque infidelitas, nulla apoſtaſia delere unquam poteſt. Denique omnia argumenta quæ probant Baptiſmi & Ordinum characteres eſſe indelebiles, vel nihil efficiunt, vel characterem etiam Confirmationis nullâ peccati vel hæreſis liturâ poſſe expungi clariſſimè perſuadent. Unde chriſmationem Epiſcopalem iteratam impiam & ſacrilegam Eccleſia ſemper habuit. Qua de cauſa Prudentius confirmationem *unguentum regale & chriſma perenne*, in Pſych. vocat. Et author ſermonis de lotione pedum, apud Cyprianum: *Nemo*, inquit, *ſacro oleo lita iterum linit & conſecrat.* Et Optatus lib. 7. in fine: *Seduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterum unxiſtis. Proh dolor! Non ſine morte veſtra exterminaſtis quod fuerat de nomine Chriſti confectum.*

Reflexio.

Fidelibus rationis compotibus & ætatem diſcretionis adeptis Confirmationis ſacramentum pia præbet Mater Eccleſia, ut fidem quam per alios profeſſi ſunt, per ſeipſos approbent, ratam habeant, atque ſolenniter profiteantur. Quidni ratione in ſuſcipiente opus ſit, quando ut ait Chryſoſtomus *homil. 3. in cap. 1. epiſt. 2. ad Cor.* à divino Spiritu ungimur & ſignamur in Prophetas, Sacerdotes, & Reges? *Hæc hominum genera* inquit, *olim ungebantur: at nos non unam tantùm, ſed tres iſtas dignitates præſtantiore conditione nunc obtinemus. Nam & regno potituri ſumus, & cùm victima loco corpora noſtra offerimus, ſacerdotes efficimur. Exhibete enim, inquit, membra veſtra hoſtiam viventem, placentem Deo. Atque inſuper Prophetæ conſtituimur; quæ enim oculus non vidit, nec auris audivit, ea nobis patefacta ſunt.* Ambroſius etiam lib. de initiandis: *Omnes, inquit, in regnum Dei, & in ſacerdotium ungimur gratiâ ſpiritali.* Et Magnus Leo in univerſ. aſſumpt. *Omnes, inquit, Chriſto regeneratos crucis ſignum efficit Reges; ſancti verò Spiritus unctio efficit Sacerdotes.* Quale, quàm magnificum confirmatorum certamen, in quo milites Reges ſunt, ſi peccata vincant, & vitia interimant! Quàm religioſum, in quo milites Sacerdotes ſunt corpus ſacrificantes, & ſuaviſſimam fidei hoſtiam Deo offerentes in odorem ſuavitatis! Quàm ſecurum, in quo milites Prophetæ ſunt pericula prænoſcentes, prævidentes inſidias, & deſtinatum ſibi bravium præ oculis habentes! *Signabantur olim Iſraëlitæ*, inquit idem Pater, *ſed circumciſione, ſicut oves & bruta.* At nos Spiritu ſignamur: ergo rationis uſu opus eſt, ut eum in ſpiritu & veritate adoremus, ut opera carnis ſpiritu mortificemus, ut ſpiritu ambulemus, denique ut ſpiritales ſimus, quia ſpiritus eſt qui vivificat; & qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

Hac de cauſa Confirmatio ſignaculum, Græcè σφραγὶς vocatur, non ſolùm quia per eam charactere inſignimur, & divino ſigillo muniti in divinam tutelam recipimur, & veluti res ſacra divinis obſequiis mancipamur; ſed quia etiam quæ in Baptiſmo ſpopondimus iteratò proteſtamur & conſignamus, conteſtantes non modò nos in Deum credere, ſed & Chriſti fidem coram aliis ſine rubore profiteri velle gloriari. Quanta ergo eſt Chriſtianorum ignavia, qui fidem in Baptiſmate ſuſceptam, in Confirmatione ratam firmamque habitam degeneri converſatione inhonorant, & quod voce ſpectantibus Angelis, Deoque ſuſcipiente promiſere, factis erubeſcere, infringere, reſcindere, violare ſolent?

Oſtende fidem, Chriſtiane, oſtende Confirmationem tuam ex operibus tuis. Ille duntaxat, ille ſe confirmatum demonſtrat, ille Chriſtiani militis nomen jure obtinet, qui naturæ infirmitatem & dæmonum hoſtilitates fidei & gratiæ vigore exſuperans, interritus adversùm omnia vitia decertat; qui invictus ad labores, fortis ad pericula, immobilis adversùs proſpera idem eſt animo, nec rerum mutationibus minuitur depreſſus, vel augetur exaltatus, nec ut parvulus fluctuat omni circumlatus vento doctrinæ; ſed perfectus ſemper manens & infractus, in fide fundatus, in charitate radicatur. Ille unctus, ille in fronte ſignatus jure meritò dicendus eſt, qui ad veritatem retinendam propugnandamque vires omnes ſuas conatuſque confert; qui vinculis ſæculi exſolutus, uni Deo ſerviens, unum Deum, & quæ Chriſti ſunt in animo habens, nihil de mundo ſperat, nihil in mundo timet; & per bonam & malam famam à dextris & à ſiniſtris inſidiantem Chriſti miles gradiens nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, nec divitiis tumet, nec paupertate confunditur, ſed mente impavidâ læta ſimul contemnit & triſtitia. *Fortitudo juſtorum*, inquit Magnus Gregor. lib. 8. Moralium, *eſt carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare.*

CAPUT II.

Graviores de Confirmatione difficultates expediuntur.

EMenſis iis quæ de Confirmatione apud omnes Orthodoxos explorata ſunt, ea indaganda ſuperſunt, quæ apud Theologos dubia magiſque difficilia habentur, quæ ad tria facilè revocantur, inſtitutionem ſcilicet, neceſſitatem & miniſtrum Confirmationis.

Speculatio I.

Sacramentum Confirmationis Chriſtus Dominus in die ultima cœna inſtituit.

CHriſtum Dominum eſſe ſacramenti Confirmationis authorem, ſicut & cæterorum ſacramentorum inſtitutorem, definivit Tridentinum Cōcilium ſeſſ. 6. de ſacramentis in genere, can. 1. *Si quis dixerit*, inquit ſancta Synodus, *ſacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura, vel pauciora quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem, non eſſe*

eſſe verè & propriè ſacramentum, anathema ſit. Teſtatur etiam S. Fabianus *epiſt.* 2. Chriſtum Dominum ritum & verba, quibus in Confirmationis adminiſtratione Catholica utitur Eccleſia, ſtatuiſſe & præcepiſſe. Neque ad id confirmandum aliis rationibus opus eſt, quàm quibus agentes de ſacramentis in genere demonſtravimus, inſtituere ſacramenta ad ſingularem Chriſti poteſtatem excellentiæ pertinere: ut ſicut fundatio Eccleſiæ, ita & ſacramentorum, quibus Eccleſia innititur, inſtitutio Chriſto Religionis noſtræ authori eximia ſit.

Quare de ſolo inſtitutionis tempore difficultas ſupereſt, quæ cùm ex Scripturis reſolvi dilucidè non poſſit, in varia placita Doctores abierunt. Alii enim, quos ſequitur Caniſius, opinantur Chriſtum hoc ſacramentum inſtituiſſe quando manus pueris à parentibus oblatis, *Marc.* 10. & *Matth.* 19. imponebat. Alii cenſent Chriſtum Dominum ſacramentum Confirmationis poſt reſurrectionem inſtituiſſe, vel cùm diſcipulis, *Ioan.* 20. dixit: *Accipite Spiritum ſanctum*: vel cùm alia ſacramenta, de quibus in Evangelio memoria prætermittitur, Eccleſiæ reliquit. Tunc enim, ut ait ſacer textus, *loquebatur* Chriſtus *de regno Dei*: per regnum autem Dei, ut ait Gregorius, præſens Eccleſia in ſacro eloquio intelligitur, de cujus proinde regimine, hierarchia, ſacramentis, aliiſque neceſſariis inſtitutis Chriſtus cum Diſcipulis ſermonem habebat.

At veroſimilior ea ſententia eſt, quam in ſpeculatione propoſuimus, nimirum hoc ſacramentum fuiſſe in die cœnæ à Servatore inſtitutum. Hujus enim facti locupletem teſtem habemus S. Pontificem Fabianum *epiſt.* 2. ad Epiſcopos Orientales. Cùm enim accepiſſet Fabianus nonnullos Epiſcopos, non per ſingulos annos in cœna Domini chriſma conficere; ſed duos vel tres annos confectionem ſancti chriſmatis ſemel actam conſervare, quoniam vel balſamum per ſingulos annos non poterant reperire, vel putabant non eſſe neceſſe ſingulis annis chriſma conficere, dum confecti copia chriſmatis abundabat; cùm, inquam, hæc accepiſſet Fabianus, morem illum verbis his correxit: *Errant qui talia excogitant, & mente veſanâ potiùs quàm rectâ ſentientes hæc dicunt. In illa enim die Dominus Ieſus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes (ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) chriſma conficere docuit. Ipſa enim lavatio pedum noſtrum ſignificat Baptiſmum, quoniam ſancti chriſmatis unctione perficitur, & confirmatur. Sicut igitur ipſius diei ſolennitas per ſingulos annos eſt celebranda; ita ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renovanda, & vetus chriſma in ſanctis Eccleſiis cremandum. Iſta à ſanctis Apoſtolis, & à ſucceſſoribus eorum accepimus, vobiſque tenenda mandamus. Hac ſancta Romana Eccleſia & Antiochena à tempore Apoſtolorum cuſtodit. Hac Hieroſolymorum & Epheſinorum tenet. In quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt, & vetus chriſma incendi, & non ampliùs quàm uno anno uti permiſerunt.*

Ex quibus ſic formatur argumentum: Ea quæ ex inſtituentis Chriſti voluntate pendent, aliter nobis innoteſcere non poſſunt, quàm ex Scriptura vel traditione; conjecturis enim vel convenientiis hac in parte indulgere Theologi non eſt: Atqui tempus inſtitutionis Confirmationis ex Scripturis apertè non elicitur; ex traditione autem, teſtante Fabiano, conſtat Chriſtum in die cœnæ Apoſtolos chriſma conficere docuiſſe, quæ eſt idonea & neceſſaria Confirmationis materia. Ergo ſicut tunc Chriſtus Baptiſma inſtituit, non quando Apoſtolos baptizare populos docuit, vel Baptiſma promiſit; ſed quando materiam Baptiſmatis deſignavit, & tactu ſuæ mundiſſimæ carnis in Jordane conſecravit; ita nunc Confirmationem inſtituit, quando chriſma conficere docuit. Unde Eccleſia Catholica eam ſententiam approbans, ſacrum chriſma eo die conficere conſuevit, in perpetuum inſtitutionis Servatoris monimentum.

Dices: Non minùs eſt efficax manuum Chriſti impoſitio, quàm Apoſtolorum, cùm omnis Apoſtolorum virtus à Chriſto derivetur. Atqui Apoſtoli impoſitione manuum conferebant Spiritum ſanctum & confirmabant. Ergo tunc Chriſtus ſacramentum Confirmationis præbuit, cùm manus parvulis impoſuit. Confirmatio enim, teſte Auguſtino *lib.* 3 *de Baptiſmo, cap.* 16. nihil eſt aliud quàm manus impoſitio & oratio ſuper hominem: Chriſtus verò & ſæpe manus impoſuit, & ſuper homines oravit ante diem cœnæ: ergo ante diem illum ſacramentum Confirmationis inſtituit. Et ita docuit Concilium Senonenſe in decretis Fidei, *cap.* 10.

Reſpondeo quod ut capite præcedenti diximus, multiplex eſt manûs impoſitio, nec omnis eſt confirmativa, ſed alia curativa, qua infirmis ſanitas reſtituitur; alia conſecrativa, quâ homines in Eccleſiæ miniſtros inſtituuntur; alia item reconciliativa & deprecativa, in receptione hæreticorum, excommunicatorum, & peccatorum publicorum uſurpari olim ſolita, quâ dicebatur dari Spiritus ſanctus, vel quia illum per orationem Epiſcopi impetrabant, vel verè converſis dari ſignificabant. Impoſitio autem ſuper parvulos à Chriſto adhibita, authoribus Hieronymo & Anſelmo, erat tantùm curatio & liberatio à languoribus, vel ſpecialis benedictio. Cùm enim parvuli illi nondum eſſent baptizati, nondum erant etiam ad ſacramentum Confirmationis recipiendum idonei. Nec obeſt authoritas Concilii Senonenſis hac in parte non recepti, nec à Sede Apoſtolica approbati. Parvulis ergo illis, aliiſque hominibus, quibus Chriſtus manus imponebat, non plenitudo Spiritus ſancti, ſed vel ſanitas, vel alia beneficia conferebantur. Plenitudinem namque Spiritus ſancti ante Aſcenſionem Chriſtus non effudit, juxta illud Joan. 17. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Auguſtinus autem per manûs impoſitionem non ibi intelligit confirmativam, ſed reconciliativam, & deprecativam modo dicto.

Inſtabis: Si Spiritus ſancti confirmativa plenitudo non niſi poſt Aſcenſionem Chriſti data eſt: ergo non in die cœnæ ſacramentum illud Chriſtus inſtituit.

Reſpondeo cum D. Thoma *quæſt.* 72. *art.* 1. *ad* 1. Quod Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum non exhibendo, ſed promittendo, ſecundùm illud Joan. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc ſacramento datur plenitudo Spiritus ſancti, quæ non erat danda ante Chriſti Reſurrectionem & Aſcenſionem, ſecundùm illud Joan. 17. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Fateor ergo effectum Confirmationis non niſi poſt Chriſti Aſcenſionem fuiſſe collatum, juxta illud Melchiadis Papæ epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Ad hoc profuit Apoſtolis adventus Spiritus ſancti, quia ante deſcenſum ſancti Spiritus uſque ad negationem Apoſtoli deterrentur, poſt viſitationem verò ejus uſque ad martyrium obtentu ſalutis armantur. Igitur ſecundùm hoc per Chriſtum redimimur, per ſanctum verò Spiritum dono ſapientiæ illuminamur, ædificamur, erudimur, confirmamur.* Effectum ergo Confirmationis Apoſtoli in die Pentecoſtes receperunt. Cum quibus ſtat, Chriſtum ante mortem ſacramentum inſtituiſſe; neque enim neceſſe eſt, ut ſacramentum mox ſuum ſortiatur effectum, atque inſtitu-

tum eſt, ejuſque præſcripta materia, & natura definita. Ex quibus etiam patet, tunc non fuiſſe ſacramentum Confirmationis inſtitutum, quando Apoſtolis Chriſtus inſufflavit, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum.* Tunc enim non ad confirmandos innocentes Spiritum ſanctum Apoſtoli recepere, ſed ad reconciliandos peccatores, eorumque remittenda peccata. Unde Veritas ſubjunxit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

REFLEXIO.

Appoſitè eodem die diviniſſimum Euchariſtiæ cibum, & unà Confirmationis ſacramentum inſtituiſſe Chriſtum arbitramur, ut fortitudo fidei, quam Confirmatio munit, charitatis ab Euchariſtiæ profectæ ſuavitate roboretur. Citò namque deficit fides, eam niſi ſoffulciat victrix delectatio charitatis. Intrepidus ergo in arenam deſcendat oportet miles Chriſtianus armis in Confirmatione inſtructus, cœleſti annonâ in Euchariſtia munitus. Sed quis, inquies, & tyrannorum efferos motus frangere, & longè periculoſiorem antiqui concupiſcentiæ ulceris pruritum ferre queat? Confide, quia duplex gratia ſubvenit, altera quâ armis offenſivis & defenſivis inſtrueris ad pugnam; altera quâ alimentis nutriris ad delicias: illis præliaturus, iſtis carnis illecebras purioris ſuavitate repreſſurus: & ut ſecurus ſis, duplicis ſacramenti inveſtituram habes. Duo enim bina illa ſacramenta operantur in nobis, altero hoſtes proſternimus foris, iſto titillantis cupiditatis illicia, perceptâ majoris ſpiritus voluptate intus calcamus.

Paravit benigniſſimus Dominus noſter in conſpectu noſtro & armamentarium Confirmationis, & cœleſtem Euchariſtiæ menſam adversùs eos qui tribulant nos. Qui ſunt qui tribulant nos? Nonne furentium infidelium impetus, & pravæ veteris hominis cupiditates? Quid ergo trepidas? En hinc Confirmationis circundatis ſcuto, ne timeas à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. En illinc calix Domini quàm præclarus eſt, ſeu ut legit Ambroſius in Pſalm. 35. *Poculum illud inebrians quàm validum eſt*, vel ut habet textus Græcus, *quàm potens, quàm forte*, κράτιστον. Quibus videlicet & forinſecus vibrata in te tela retundas, & efferatam membrorum legem manſuetam reddas. Ibi abſcondita eſt fortitudo Salvatoris, & ſub vilibus Sacramentorum involucris quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

Quando ſederis ut comedas cum Principe, ut monet Spiritus ſanctus Proverb. 23. *diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam. & ſtatue cultrum gutturi tuo, ſciens quod oportet talia te præparare.* Id eſt, cùm ad ſacram Euchariſtiam accedis, & quæ in ultima Cœna Chriſtus inſtituit mente revolvis, attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam. Recole arma quæ in Confirmatione aptavit, recordare cibi quem porrexit: & ſtatue cultrum gutturi tuo, apprehende nimirum arma & ſcutum, galeam & loricam fidei aſſume ut pugnes, cœleſti epulo utere ne deficias. Et contrà carnem pro carne tortoribus impavidus objice; pro carne Chriſti carnem tuam; pro ſancta & divinitate uncta ſanctificatam; pro caſta caſtigatam, & caſtificatam. Sanguinem quoque pro ſanguine fundere paratus eſto, pro fuſo in ara crucis effuſum in rubore confeſſionis; & ſi deſunt tyranni, pro ſanguine corporis Chriſti funde ſanguinem cordis tui, lacrymas ſcilicet compunctionis, compreſſionis, & devotionis. Pellem etiam pro pelle, ſicut Job ait, patientiam nimirum & imitationem manſuetudinis Agni incontaminati repende. Quid enim pro te aut tibi facere potuit Deus cordis tui, quàm ut & arma tribueret ad tutamen, & carnem ſuam daret ad ſpiritus tui ſaginam? Vade ergo, & tu fac ſimiliter. Armis Confirmationis junge vigorem cooperationis, & ut Chriſto cibo paſcaris ipſum dilectione paſce. Pulchrè Bernardus expendens illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. An paſcitur? Ita puto; nihilominus paſcitur ipſe. Et quidem ſcis quibus libenter veſcitur? Profectibus noſtris. Etenim gaudium Domini fortitudo noſtra. Ita ergo & cùm paſcit paſcitur, & paſcitur cùm paſcit; ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de noſtro æquè ſpirituali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea; & cibus ejus ſalus mea; cibus ejus ego ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, cinis ſum, ut manducet à beo. Mandor cùm arguor; glutior, cùm inſtituor; decoquor, cùm immutor; digeror, cùm transformor; unior, cùm conformor.* Hos profectus repende, ut duplicis ſacramenti inſtitutioni reſpondeas.

SPECULATIO II.

Ad integram Chriſtiani perfectionem neceſſarium eſt Confirmationis ſacramentum.

ITa docent Patres ſuprà laudati aſſerentes neceſſariam eſſe Confirmationem, *ut pleni Chriſtiani inveniamur.* Hinc Cyprianus epiſt. 70. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam Dei poſſit.* Et Concil. Laodicenum cap. 48. *Oportet baptizatos poſt Baptiſmum chriſmatis quoque cœleſtis & regni Chriſti participes fieri.* Ita etiam tradit D. Thomas *3. p. quæſt. 72. art. 1. ad 2.* Cùm enim ibi affirmat Confirmationem eſſe *ſacramentum plenitudinis gratiæ*, procul dubio integra Chriſtiani perfectio abſque eo ſacramento obtineri nequaquam poteſt. Et quamvis Confirmationem non abſolutè neceſſariam ad ſalutem eſſe fateatur, docet tamen ad 3. eam *cooperari ad perfectionem ſalutis, & hoc modo eſſe de neceſſitate ſalutis.* Unde *art. 8. ad 4.* infert ſacramentum hoc moribundis conferendum eſſe, *ut in reſurrectione perfecti appareant.* Quod confirmat S. Doctor authoritate Hugonis Victorini *lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 3.* ubi ait: *Omninò periculoſum eſſe, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, niſi fortè propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur.*

Nec obeſt, quod idem Hugo Victorinus docere videatur, unctionem verticalem baptizatis præberi ſolitam, ad ſacramentum Confirmationis ſupplendum inſtitutam eſſe. Non enim dixit Hugo ceremoniam illam Confirmationis ſacramentum ſupplere, ſed inſtitutam eſſe ut oſtendatur, quanta ſit ſacramenti hujus ad ſalutem neceſſitas. Verba Victorini ſunt hæc: *Propter eos qui articulo mortis præveniuntur, inſtituta eſt illa, quâ Sacerdos baptizatum ſtatim in vertice linit, ſacri chriſmatis unctio: ut in hoc ipſo oſtendatur, quantùm ſacramentum iſtud neceſſarium ſit ad ſalutem, cùm tam ſolicitè univerſis cavetur, ne ſine ipſo ab hac vita ſubtrahantur.* Inſtituta ergo eſt hæc ceremonia non ut ſacramenti Confirmationis neceſſitatem imminuat, ſed potiùs ad declarandum, ſignificandumque quantum ſit Confirmationis ſacramentum neceſſarium, cujus imitationem & adumbrationem in Baptiſmo præcepit Eccleſia, ne baptizati ejus ſaltem veſtigio careant, qui per mortis imminentis & opprimentis anguſtias adventum Epiſcopi expectare, & tanto ſacramento potiri non potuerunt.

Ratio verò eſt: Non ſolùm ſacramentum Confirmationis eſt omnibus ritè illud ſuſcipientibus utiliſ-

liſſimum, utpote à Chriſto, cujus ſapientiæ non eſt numerus, inſtitutum; ſed etiam perfectioni Chriſtianæ obtinendæ eſſe neceſſarium ex ipſa natura & characteriſtica Confirmationis ratione convincitur. Cùm enim per hoc ſacramentum promoveatur homo ſpiritualis in perfectam gratiæ ætatem, ſi natura intendit ut omnis puer adoleſcat & fiat vir; quantò magis Deus, cujus perfecta ſunt opera, intendit ut Chriſtianus ad divini ſtatus ſui in Baptiſmate inchoati perfectionem provehatur. Ergo ut novus homo in Chriſto renatus ſpiritalem chriſtianæ vitæ perfectionem adipiſcatur, neceſſe eſt ut ad ſacramentum Confirmationis, ad ejuſque gratiam recipiendam datâ occaſione accedat. Etenim cum Chriſtiano nulli ſint certi præfiniti limites perfectionis, ſed quomodo lux ſolis orientis procedit & creſcit uſque in perfectum diem; ſic Chriſtianus ſeipſo major & auctior in horis ſingulis & momentis fieri debet, quia in via Dei non progredi, regredi eſt. Unde dixit Salvator Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Quod utique ab omnibus obſervari voluit, juxta illud Marci alibi memoratum: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Profectò vias cumulandæ gratiæ debet omnis pro virili ingredi Chriſtianus, atque omnes ejus augendæ modos ſibi propoſitos captare. At in Confirmatione gratia amplificatur & creſcit, quippe quæ ad eam augendam & perficiendam eſt inſtituta. Ergo divinum illud augendæ chriſtianæ perfectionis medium divinitus pro omnibus inſtitutum nec negligere ſine culpa poteſt, & arripere oblatum neceſſariò tenetur Chriſtianus.

Deinde: Chriſtianus ad profitendam etiam coram tyrannis fidem, debellandos Chriſtiani nominis hoſtes, fortiterque adversùs vitia pugnandum tenetur. Ergo non poteſt ſine culpa ſacramentum ſpiritale animi robur impertiens negligere, & ſuis viribus plus æquo credens Spiritus ſancti armis non inſtructus in arenam deſcendere, pugnæque ſpiritalis longè graviſſima diſcrimina temerè ſubire. Ergo quia in Confirmatione Chriſtianus efficitur miles & armatur, ſacramentum illud, ſi ſe occaſio offert, tenetur accipere, quo vires ad ea agenda ferendaque adipiſcetur, quæ ad pugnam ſpiritalem adversùs tot hoſtes ſuſtinendam deſiderantur; ut depoſita infantis teneritudine, hoc conſummativo chriſmate contra omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robuſtior evadat. Soli ergo à ſuſcipienda Confirmatione exiſmantur, qui ſpiritale Chriſti robur ad vitam chriſtianè ducendam neceſſarium eſſe non cenſent. At quis ita cenſere ſincerè poteſt, niſi vel ſuæ infirmitatis oblitus, vel Pelagiani erroris tumore elatus, vel in via Dei proficiendi neceſſitatis ignarus?

Nec illi chriſtianæ perfectionis ætati repugnat ætas puerilis, quia ut egregiè ait D. Thomas *art. 8. in corp. & ad 2.* anima ad quam pertinet & ſpiritalis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, immortalis eſt; & ſicut tempore ſenectutis ſpiritalem nativitatem conſequi poteſt, ut aliàs Veritas docuit Nicodemum artentem & quærentem: *Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex, aut iteratò in ventrem matris introire?* ita tempore juventutis vel pueritiæ perfectam gratiæ ætatem nullis annis alligatam conſequi Deo adjuvante valet. Unde dicitur Sapient. 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numero annorum computata.* Inde eſt quod multi in puerili ætate beneficio roboris & vigoris in Confirmatione per Spiritum ſanctum percepti, pro Chriſto non ſolum fortiter, ſed alacriter etiam interriti certaverunt. Et ſanè in Chriſti militiam quomodo non aſcriberentur pueri, in quam ſexus etiam fœmineus admittitur? Nam ut ex Chryſoſtomo ait D. Thomas ad 3. *in mundanis agonibus ætatis, ac formæ, generiſque dignitas requiritur; & ideo ſervis, ac mulieribus, & ſenibus ac pueris ad eos aditus denegatur. In cœleſtibus autem omni perſonæ, & ætati, ac ſexui indiſcreta facultate ſtadium patet.*

Cùm ergo is ſit Confirmationis fructus, inſtruere ad pugnam, conſolari ad pœnam, firmare ad coronam; quicumque & generosè pugnare, & pœnas pro Chriſto libenter ferre, & feliciter coronari avet (avere autem debet omnis bonus Chriſtianus) ſacramento Confirmationis muniri debet. Nulla ergo ætas, nullus ſexus ab hoc ſacramento ſuſcipiendo eximitur; quia apud Deum omnis militat. Hinc & pueri, & fœminæ animo virili majore ſpiritualem militiam geſſerunt; ut quidam etiam tum pueri, tum puellæ interiori hominis per Confirmationem aucti virtute viros in agonibus martyrii & æquarint, & interdum ſuperaverint. Id miratus eſt B. Ambroſius in martyrio B. Agnetis tredecim annorum natæ, in cujus corpuſculo præ multitudine plagarum nullus erat vulneri locus: ſed quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret, nondum idonea pœnæ, jam erat matura victoriæ; certare difficilis, facilis coronari; magiſterium virtutis implens, quæ præjudicium vehebat ætatis; vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi perfuncta donabat, ut divinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poterat. Suſpicit idem Pater in illa Agnetis immaculata hoſtia duplex martyrium, pudoris, & religionis: ſed quis non miretur in una Martyre duplicem triumphum, ætatis tenellæ, & ſexus infirmi de tormentis, deque blanditiis victoriam geminam reportantis? Unde hoc? Unde quæſo? Ex Confirmationis neceſſario ſacramento, cujus donorum beatiſſimâ copiâ & puer augeſcit, & mulier virili fortitudine roboratur.

Hinc mater Eccleſia tanti ſacramenti compendiorum longè ampliſſimorum conſcia tantoperè dolet Confirmationem à multis prætermitti; à quibuſdam Epiſcopis vel negligi, vel certè perfunctoriè præberi; à paucis copioſiſſimæ illius gratiæ fructus percipi; ab aliis imparatis præpoſterâ feſtinatione ſuſcipi; ab aliis verò cunctatione negligentiâ pleriſſimâ differri. Memini me abhinc annis circiter vigintiquinque Sacro Confirmationis chriſmate à viro Dei Alano de Solmiac Epiſcopo Cadurcenſi puerum unctum eſſe; ſed mirabile dictu eſt, quanta accuratione vir ille Apoſtolicus & alter Carolus Borromæus redivivus pueros & alios quoſvis ad hoc ſacramentum cum fructu percipiendum orationibus, quaternis per ſingulos dies prædicationibus linguæ vernacula (ut ruſtici & ſervi, & mulierculæ infimæ erudirentur) prolatis, quas & ipſe ſua concione coronavit, diligentique peccatorum Confeſſione paraverit & compoſuerit. Probè enim noverat ſanctiſſimus Antiſtes (ſic eum appellare liceat, cujus ſanctitatem miraculis etiam in tumulo editis Deus prædicat, ſalvâ tamen in decreta Pontificia, Urbani præſertim VIII. reverentiâ, id dixerim) peroptare Eccleſiam & votis omnibus concupiſcere ſacramentum ab omnibus piè ſuſcipi, quod pro omnibus ad robur Deus inſtituit, ut ii filii per Baptiſmum regenerati perfecta Chriſtiani hominis forma abſolvatur. Sciebat proclive eſſe Chriſtianos & cæſpitare ſæpe, & frequenter labi, niſi hujus ſacramenti magnis virtutum exercitationibus & apparatu ſuſcepti virtute firmentur. Sciebat obſervaſſe Patres tam citò à ſuſcepto Baptiſmate in nefandum ſimoniæ flagitium eſſe prolapſum Simonem Magum, quia ſacramentum non acceperat Confirmationis, quòd Philippus, à quo fuerat Baptiſmi undis ablutus, Diaconus duntaxat cùm eſſet, manus confirmativas non impoſuiſſet. De quo videtis Epiphanium

hæreſi

hæreſis 21. & Chriſoſtomum *in cap.* 8. *Actuum Apoſtolorum*. Ergo ad perfectionem chriſtianam, cui acquirendæ omnes Chriſtiani ſeriam navare operam tenentur, neceſſarium eſt Confirmationis ſacramentum. Major porrò illius ſacramenti ſuſcipiendi neceſſitas urget, cum vel perſequutorum vis, vel tentationum graviorum impetus inceſſit. Tunc enim adultos ad Confirmationis ſacramentum obligarum iri, nemo jure inficias ierit: quando enim periclitatur ſalus, media à Chriſto inſtituta tenemur eligere, quibus in tuto eſſe poſſimus. At juxta Patres ſupra recēſitos, Confirmatio armat & inſtituit ad agones mundi hujus ſuperandos: Ergo qui tale medium, ſi commodè poſſit haberi, negligit, ſimilis erit militi deponenti galeam & ſcutum, armaque à Duce ſibi oblata abjicienti, nudum corpus hoſtium petitionibus objecturo.

Dices: D. Thomas *in* 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 7. *art* 1. *quæſt* 2. *ad* 1. *&* 3. docet plenitudinem gratiæ duplicem diſtingui, aliam quoad ſufficientiam, quæ datur in Baptiſmate, & hominem ad benè operandum *perficit quantum ad ſufficientiam ſalutis*; aliam quoad abundantiam, quæ datur in Confirmatione, ut Chriſtianus miles Chriſti evadat. Ergo ſine Confirmatione poſſunt homines eſſe ſufficienter pleni Chriſtiani, ſufficienter etiam ad hoſtibus reſiſtendum inſtructi.

Reſpondeo eatenus velle D. Thomam per Baptiſmum dari plenitudinem ſufficientiæ, ut oſtendat gratiam baptiſmalem non eſſe irritam & inanem, ſed ſatis plenam & inſtructam ad ſalutem & pueris, & adultis (quibus Confirmatio conferri non poteſt) obtinendam. Pueros enim baptizatos ſine Confirmatione decedentes beatos ſemper Eccleſia credidit, necnon adultos in gratia baptiſmali vel pœnitentiæ defunctos, quibus confirmantis Epiſcopi copia defuit. At verò ad chriſtianæ fortitudinis plenitudinem, expugnandis hoſtibus animi, propugnandæq; fidei deſideratam, non eſſe neceſſariam plenitudinē gratiæ Confirmationis, nunquam dixit S. Thomas. Sic enim eo ipſo qui objicitur loco ſcribit Doctor Angelicus: *Eſt plenitudo gratiæ ſufficiens ad ſalutem, & hæc datur in Baptiſmo; & eſt plenitudo gratiæ ad fortiter reſiſtendum, & hæc datur in Confirmatione; & ſine hac poteſt eſt ſalus. In Baptiſmo datur gratia, quæ à peccato mundat, & ad benè operandum perficit, quantùm ad ſufficientiam ſalutis*. Quanvis ergo abſolutè poſſit haberi ſalus ſine Confirmatione ab his qui in gratia baptiſmali mortem oppetunt; plenitudo tamen gratiæ ad pugnam ſpiritalem neceſſariæ ſine Confirmatione haberi nequaquam poteſt, quâ proinde carens irrumpentium hoſtium oppugnationibus cedet, & in ſpiritali fidei vel virtutis conflictu ſuccumbet; niſi ſaltem Confirmationis voto vires ſpiritalis roboris ſacramento Confirmationis annexi cōſequatur; ſincerum autem Confirmationis votum in eo non eſt, qui ſacramentum illud vel recipere negligit, vel oblatam ſuſcipiendi illius occaſionem non nanciſcitur, vel dolorem è tanti ſacramenti orbitate non capit. Ita autem intelligendum eſſe Sanctum Th. non ex ipſo ſolùm loci ſententiaram memorati contextu patet, ſed magis claret ſplendidiſſimo Summæ Theologicæ illuſtrantur & docentur, ubi noſtram doctrinam clariſſimis verbis ſuperiùs productis tradit. Et certè ſi verum eſſet quod intendit objectio, plenitudinem talem per Baptiſmum conferri, ut ſola baptiſmalis gratia ſufficeret, non eſſet adultis neceſſarium divinæ Euchariſtiæ ſacramentum quod nullus Catholicus dixit. Non eſt tanta tamen Confirmationis atque Baptiſmatis neceſſitas, quia ſine Baptiſmi lavacro moriens puer ſalvari nulla ratione poteſt, qui tamen Baptiſmi undis innodtus ſine Confirmatione, ſicut & ſine Euchariſtia ſalutem conſequeretur æternam. Et ideò dixit D. Thomas 3. *p.* *quæſt* 65. *art.* 4. Confirmationem non eſſe neceſſariam ſimpliciter, quia abſolutè ſine ea finis vitæ æternæ haberi poteſt, & ſæpe habetur; eſſe tamen neceſſariam ſecundùm quid: ſicut enim ſine equo infirmus iter conficere nequit, ita nec ſine Confirmationis armis Chriſtian⁹ pro Chriſto militare. Unde omni ſtudio ad illam ſe accingere debet, dum ſibi à Dei miſericordia per Eccleſiam offertur; calamitatemque dolere ſuam, ſi tanto ſubſidio, tanto ſolatio, tantoq; ſacramento ſimili illi gratiæ dono quod Apoſtoli Fideleſque omnes in die Pentecoſtes divinitus acceperunt, deniq; beneficio includente Spiritum ſanctum cum eadem donorum munerumque ſuorum ubertate, quibus initio Eccleſiæ in Fideles diffluebat, orbari ſe contingat.

Inſtabis: Nullibi præceptum extat per ſe Fideles ad Confirmationem ſuſcipiendam obligans; neque enim Scripturæ, Concilia, aut Patres illius meminerunt, nec Eccleſia ullâ lege Fideles ad id aſtringit, vel tempus determinat, quo ſacramentum illud ſuſcipere teneamur, ſed ad fortitudinem animi aſciſcendam ſufficiunt alia media paſſim obvia. Ergo ſignum eſt, Confirmationis ſacramentum ad melius duntaxat eſſe neceſſarium, ad quod Fideles minimè obligantur, cum non deſint alia media quibus augeri, perficique poteſt gratia Chriſtiani,

Reſpondeo eodem præcepto Confirmationem imperari, quo fidem conſtanter propugnare, & adversùs ſpiritales hoſtes fortiter dimicare, & media ad pugnam ſpiritalem chriſtianè ineundam neceſſaria aſſumere jubemur. Quanvis autem Deus per media generalia ſpecialem Confirmationis effectum robur nimirum ſpiritale, ſingulari & extraordinariâ benignitate ſupplere poſſit, imò & ſine ullo prorſus medio ſolâ Dei miſericordiâ quadam eximiâ, quæ nulli medio à ſe inſtituto alligata eſt; ordinariè tamen & vulgò non habetur effectus Confirmationis abſque ſacramento, ſi in re, certè voto ſuſcepto. Nam ut ait D. Thomas 3. p. q. 72. art 6. ad 1. *Sicut nullus conſequitur effectum Baptiſmi ſine Baptiſmi voto; ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius*. Poteſt quidem v. g. oratione, Euchariſtiæ pio uſu robur ſpiritale obtineri, & ſæpe obtinetur; ſed media illa generalia proprium, & ad hunc finem per ſe inſtitutum medium non excludunt, amovent, aut delent. Nam ſicut ſpecialia media non efficiunt quin generalibus etiam opus ſit, veluti arboris bonæ virtus non impedit quominus Solis & ſyderum mot⁹ & efficientia neceſſaria ſit frugibus procreandis: ſic generalium mediorum neceſſitas vel opportunitas ſpecialium mediorum neceſſitatem nequaquam de medio tollit, ſed fovet & perficit. Unde neque orare, nec Euchariſtiam frequentare ſatis erit, ſi media ad fortiter pugnandum divinitus inſtituta, nobiſque oblata reſpuamus. Quin etiam juſtiſſimo Dei judicio quæ petimus ſæpe non impetramus, quia illa negligimus vel omittimus quæ Deus ad id quod petimus aſſequendum inſtituerat. Hinc ſæpe tot orationes, tot communiones, tot eleemoſynæ, tot jejunia irrita, & in caſſum fuſa, quia ſpecialia à Deo inſtituta media non uſurpamus, impleturque illud Jacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis*. At particulare ac proprium obtinendæ gratiæ medium, quâ tentationibus & perſequutionibus ocurramus, eſt ſacramentum Confirmationis, ut nemo ambigit. Ergo ſicut inanis eſt noſtratiū Calviniſtarum argumentatio, quâ inferre ineptiſſimè conantur, ſatisfactiones noſtras non eſſe neceſſarias, quia Chriſti morientis ſatisfactio eſt remiſſionis peccatorum cauſa generalis, qui ſanè cavillus illi non

diffi-

diſſimilis eſt, quo diceres, non opus eſſe ſeminibus, ſtirpibus, plantis, arboribus, agricultura, quia Sol omnia generat: ita nihilo melior eſt hic diſcurſus: Varia in Eccleſia occurrunt ad fortitudinem animi accerſendam media: ergo non eſt neceſſarium Confirmationis ſacramentum ad illam ingenerandam per ſe inſtitutum.

Confirmationis neceſſitatem, ejuſque præceptum agnovit Joan. Gerſon tom. 2. in compendio de Sacrament. col. 78. *Dici poteſt*, inquit, *quod uno modo loquendi Confirmatio neceſſaria eſt, alio modo non. Neceſſitas enim duplex invenitur; quædam abſoluta, & quædam conditionata. Dicitur neceſſitas conditionata, id eſt ſecundùm quid, ut ſi homo non debeat debilitari, neceſſe eſt benè comedere: & iſto modo dici poteſt, quod Confirmatio ad ſalutem eſt neceſſaria. Nam ad hoc quod debeat vita ſpiritualis, & ſalus in Baptiſmo adepta robuſtè contra hoſtes ſpirituales cuſtodiri, neceſſe habet hoc ſacramento confirmari & confortari. Unde dicit Hugo de S. Victore, quid prodeſt ſi per Baptiſmum à lapſu erigeris, niſi etiam per Confirmationem ad ſtandum confirmeris? Non quia ſine Confirmatione non valet Baptiſmus ad ſalutem, quia hoc falſum eſt, ſed quia frequenter in pugna ſpirituali ex debilitate virtutis ſpiritualis accideret etiam facilitas cadendi, & proinde damnatio, niſi eſſet Confirmatio.* Eſt ergo neceſſaria, authore Gerſone, Confirmatio neceſſitate præcepti affirmativi, quod ut vulgò dicitur, ſemper obligat, non ad ſemper; id eſt tum obligat, cùm ejus obtemperatio in noſtra poteſtate ſita eſt; ne nimirum ſimus impares quotidiano, periculoſo, & infeſtiſſimo tot hoſtium certamini, in quo de peccati victoria & æterna ſalute decernitur.

Idem Confirmationis præceptum clariſſimi Theologi Toletus & Bellarminus Cardinales, aliique non pauci admiſere, tali quod ſi ingentium bonorum temporalium diſſoluta profuſio grande peccatum eſt, quamvis hominem non ideo enectura fames, ſed aliqua ſolummodò rei familiaris anguſtia conſtrictura videatur: à fortiori magnorum bonorum ſpiritualium ipſiuſque Spiritus ſancti plenitudinis neglectus grave crimen jure merito cenſetur. Soli qui de hoc Confirmationis præcepto dubitare cœperunt, recentiores ſunt, qui noſtrâ penè memoriâ vixerunt, & relictâ anteceſſorum omnium ſemitâ in hoc ingenii atque arbitrii humani diverticulum unâ probabilitate duce abierunt.

Reflexio.

Non negaverit, niſi meus me fallit animus, Confirmationis neceſſitatem, qui propriæ infirmitatis pondus ſenſerit, qui quàm neceſſaria patientia ſit agnoverit, & quàm rara ſit avis in terris; qui pro veritate defendenda pati luctum putetur, ab eaque propugnanda nec minis, nec promiſſis, nec terroribus, nec blanditiis dimovetur.

Miratur, gratulatur, applaudit B. Cyprianus *tract. de lapſis*, glorioſis Chriſti nominis Confeſſoribus, qui perſequutionis urgentis ferociam turbulentam ſtabili congreſſione frangentes, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis repugnarant fortiter ſæculo, ſpectaculum glorioſum præbuerant Deo, exemplo fuerant fratribus ſequuturis. Verum felicis pugnæ glorioſum exitum, & illam eximiam animi magnitudinem, quam non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis ſupplicia terruerunt, à ſacramentis Confirmationis & Euchariſtiæ profecta eſſe S. Pater obſervat. *Sanctificata*, inquit, *ora cœleſtibus cibis, poſt corpus & ſanguinem Domini profana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. Frons cum ſigno Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſervavit.*

Sed aliud magis mirandum, niſi mavis deflendum, lugendum, lamentandum occurrit, quod Chriſtianos tot munimentis inſtructos quævis ferè tentatio proſternat, nec tentatio modò aut perſequutio, ſed pax etiam ipſa corrumpit, & jacentem fidem, ac penè dixerim dormientem enervat. Quin etiam non expectant aliqui tentationes, ipſi peccata quærunt quibus ſe dedant; ultrò ad pericula currunt, ſponte ad vitiorum incentiva properant ante aciem victi, ſine ulla congreſſione proſtrati. Unde hoc quæſo, unde hoc? Lacrymis magis quàm verbis opus eſſet ad exprimendum dolorem illum, quo Chriſtianiſmi plaga deflenda eſt, & populi Dei lamentanda jactura. Quis enim ſic durus ac ferreus, ut ejuſdem Cypriani verbis utar; quis ſic fraternæ charitatis oblitus, qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres ac multo ſquallore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere prævaleat, nec erumpente ſtatim fletu, prius gemitus ſuos lacrymis quàm voce ſcriptiſque depromat?

Si tamen veram tantæ Chriſtianorum vecordiæ ſcire aveas cauſam, eam ab eodem Cypriano tractatu illo laudato diſce, ubi ſic præclariſſimè fatur: *Diſſimulanda, Fratres, veritas non eſt, nec vulneris noſtri materia & cauſa reticenda. Decepit multos patrimonii ſui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima precluſa: ut ſerpenti terram ſecundùm Dei ſententiam devoranti præda & cibus fierent, qui terreſtribus cupiditatibus inhærerent.*

Et idcircò Dominus bonorum magiſter, & præmonens & conſulens in futurum: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Si hoc divites facerent, per divitias ſuas non perirent; theſaurum in cœlo reponentes; hoſtem nunc & expugnatorem domeſticum non haberent. Eſſet in cœlo cor, & animus, & ſenſus, ſi theſaurus eſſet in cœlo. Nec vinci à ſeculo poſſet, qui unde vinceretur in ſeculo non haberet. Sequeretur Dominum ſolutus & liber, ut Apoſtoli, & ſub Apoſtolis multi, & nonnulli ſæpè fecerunt, qui & rebus ſuis & parentibus derelictis, individuis Chriſto nexibus adhæſerunt. Sequi autem Chriſtum quomodo poſſunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodo cœlum petunt, & ad ſublimia & alta conſcendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Poſſidere ſe credunt, qui potiùs poſſidentur; cenſus ſui ſervi, nec ad pecuniam ſuam domini, ſed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apoſtolus denotat dicens: Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem & muſcipulam, & deſideria multa inutilia & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

En Chriſtianorum tepiditatis, infirmitatiſque genuinam radicem, cui ſecuris admovenda eſt. Frange cupiditatē, accende charitatem, Chriſto uni indivulsè adhæreſce, & continuò Confirmationis invictum robur experiere. Hoc præſidio ſuffultus quid times, cur trepidas? Quaſi plus ad impugnandum poſſit inimicorum conamina, quàm ad protegendum valeat divina tutela. Chriſtianus Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, non poteſt vinci. An neſcis quod ut ait Cyprianus epiſt. 55 *Neque qui audit, ſed qui facit convitium miſer eſt: nec qui à fratre vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege peccator eſt: & cum nocentes innocentibus injuriam faciunt,*

Digitized by Google

unt, illi patiuntur injuriam qui facere ſe credunt. Fruſtrà contra te improbi feſtinabunt, quaſi contra virtutem tibi deſuper datam feſtinatione prævaleant. Non nocent animi hoſtes niſi timentibus, quia adverſarios ſi reſiſtimus vincimus. Nulla tibi, ſi pro te veritas ſtet, cauſa timendi ſubeſt; quia vinci licèt videaris ab hominibus opprimentibus, victorem te illa tandem efficiet, quæ vinci nequaquam poteſt. Quia ut Auguſt. *epiſt.* 174. & *enarrat in pſal* 61. & Proſper *ſentent.* 20. dicunt: *Bonum eſt à veritate vinci. Non bonum homini eſt hominem vincere, ſed bonum eſt homini, ut eum veritas vincat invitum. Nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſive negantem, ſive confitentem. Vana eſt iniquitas, nihil eſt iniquitas: potens non eſt niſi juſtitia. Occultari poteſt ad tempus veritas, vinci non poteſt. Florere poteſt ad tempus iniquitas, permanere non poteſt.* Uno verbo, miles Chriſti, ut Cyprianus *epiſt.* 56. ait, præceptis ejus & monitis ejus eruditus non expaveſcit ad pugnam, ſed paratus eſt ad coronam.

SPECULATIO III.

Ordinarius Confirmationis Miniſter, & jure divino inſtitutus eſt Epiſcopus. Illam tamen ex diſpenſatione Summi Pontificis ſimplex Sacerdos extraordinariè urgenti de cauſa miniſtrare poteſt.

ITa expreſsè definivit Tridentinum ſeſſ. 7. can 3. *Si quis dixerit,* inquit, *ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Quod antea in Conciliis Florentino, & Conſtantienſi, atque in multis Pontificum decretis fuerat determinatū. *Omnes fideles,* inquit Urbanus I. in epiſt. ad omnes Chriſtianos, *per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur.* Idque ſatis apertè ex Scripturis colligitur. Etenim *Actorum* 8. refertur Chriſtianos ab aliis præterquam ab Apoſtolis baptizatos Apoſtolorum abſentium adventum fuiſſe præſtolatos, ut ab ipſis manuum impoſitione acciperent Spiritum ſanctum. Ad quod reſpexiſſe videtur tum Euſebius Papa epiſt. 3. ad Epiſcopos Thuſciæ, cum Innocentius IV. in epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum ſanctæ Sedis in Regno Cypri legatum. *Manus impoſitionis ſacramentum* (inquit prior) *magnâ veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici* (ſaltem ut à miniſtris ordinariis, non tanquam miniſtris extraordinariis, ſtatim decidemus) *non poteſt niſi à Summis Sacerdotibus: nec tempore Apoſtolorum ab aliis quàm ab ipſis Apoſtolis legitur aut ſcitur peractum eſſe. Soli Epiſcopi* (inquit poſterior) *conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia ejus unctio non debet niſi per Epiſcopum fieri, quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam Confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe leguntur.*

Convenientia autem eſt: Tum quia cùm per ſacramentum Confirmationis formentur & inſtituantur milites Chriſti, conveniens eſt ut Epiſcopus qui eſt militiæ Chriſtianæ dux, & in ſua quiſque diœceſi Chriſti Imperatoris noſtri vices gerit, in militiam chriſtianam quos volverit aſcribat. Tum quia cùm renata in Fonte Baptiſmatis nova creatura ad chriſtianæ perfectionis augmentum in hoc ſacramento promoveatur, conſentaneum eſt ut ille perfectionis ſacramentum miniſtret, qui ad ſtatum acquiſitæ perfectionis ſolis Epiſcopis eximium provectus eſt. Quam rationem illuſtrat S. Thomas *art.* 11. quia ſacramentum Confirmationis eſt ultima ſacramenti Baptiſmi conſummatio: *Ita ſcilicet,* inquit, *Quod per Baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem, & conſcribitur quaſi quædam ſpiritualis epiſtola; ſed per ſacramentum Confirmationis, quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus ſancti, & quaſi epiſtola ſignatur ſigno crucis.* Sed in quolibet opere ultima conſummatio ſuperiori arti reſervatur; ſicut in exſtruendo artificio præparant quidē materiam, dolant lapides, erudiunt ligna, cæmenta conficiunt inferiores miniſtri; operis tamen abſolutio & domus ædificatæ forma ab architecto efficitur: epiſtolæ etiam à ſecretariis delineatæ ſolâ Principis ſyngrapho ſubſcribuntur. Ergo ſimiliter fideles, qui ſunt quoddam opus divinum & Dei Templum, juxta illud 2. Cor. 3. *Dei ædificatio eſtis,* quique ſunt epiſtola interior, juxta illud: *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus. Epiſtola eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus,* ut dicitur 2. *Cor.* 3. ab aliis miniſtris in Baptiſmo præparantur, ſed à ſummis Sacerdotibus qui Epiſcopi ſunt, in Confirmatione perficiuntur tamen.

Dices: Sacramentum Baptiſmi perfectius eſt ſacramento Confirmationis, cum per Baptiſmum plena fiat remiſſio peccatorum, omniſque deleatur etiam pœnæ reatus; quæ indulgentiæ copioſiſſima plenitudo ſoli Baptiſmo eximia eſt. Ergo ratio S. Thomæ falſo innititur fundamento, ſacramentum nimirum perfectius à miniſtro excellentiori conferri oportere.

Reſpondeo S. Thomam non dixiſſe Confirmationem eſſe ſacramentum Baptiſmo perfectius, ſed Confirmationem eſſe ultimam perfectionem & conſummationem Baptiſmi; unde confirmatus ab Urbano Papa ſuprà laudato *Plenus Chriſtianus* nominatur. Ultima autem rei perfectio à ſuprema petit arte conferri, ſive complementum illud ſit re illa quam complet perfectius, ſive non. Addi etiam ex eodem S. Doctore *art.* 11. *ad* 2. poteſt, ſacramentum Baptiſmi eſſe quidem efficacius, ſubindeque perfectius Confirmatione quantùm ad remotionem mali, quia cùm ſit ſpiritalis generatio, eſt mutatio de non eſſe ad eſſe, & productio novæ creaturæ, ſubindèque nihilum peccati malorum omnium ſummi removet: attamen ſacramentum Confirmationis efficacius eſt, atque adeo perfectius ad proficiendum in bono, quia eſt quoddam ſpirituale augmentum ab eſſe imperfecto ad perfectum procedens, quo nata in Chriſto creatura parvula adhuc & tenella adoleſcit, & evacuatis quæ erant parvuli, virilem, atque adeò perfectam nanciſcitur ætatem: unde ejus ſacramenti adminiſtratio Epiſcopo perfectiori, digniorique miniſtro veluti perfectionis chriſtianæ coronidā reſervatur.

Inſtabis cum Photio Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano, ſchiſmatis Eccleſiæ Græcæ anteſignano; & à duodecim Romanis Antiſtitibus atque ab octavo Concilio Generali ſub Adriano II. damnato: Unde venit hæc lex, ut ſolis Pontificibus confirmandi officium eximium ſit? Quiſnam hujus legis conditor? Quis Apoſtolorum, quis Patrum, quæve Synodorum eam ſancivit? Quorumnam Doctorum calculo probata? Si Sacerdos baptizare poteſt, quidni poterit confirmare, ut conferat cuſtodiam & ſigillum illius puritatis, cujus ipſe eſt inſtrumentum? Si conficere corpus & ſanguinem Chriſti Domini, longèque nobiliſſimum ſacramentum peragere, quidni confirmatrices manus imponere poteſt? Ergo ut Sacerdos ſit miniſter integer, non dimidiatus & ad prophanum laïcorum ſtatum dejectus, ut baptizare, ita confirmare ordinariè poteſt.

Reſpondeo occaſionem ſtomachati Photii, & in illa epiſtola bilem adverſus Eccleſiam Romanam effun-

Google

fundentis inde eſſe exortam, quòd cum Conſtantinopolitanis Patriarchis ſolenne ſit Chriſma à ſe confectum in varias deinde Eccleſias Epiſcopis & Presbyteris eo baptizatos conſignaturis mittere, conſuetudini illi morem gerens Photius ad Bulgarorum gentem recenter ad Chriſti fidem conversam unguentum à ſe conſecratum miſit, quo Presbyteri Græci baptizatos confirmarent. Hanc Confirmationem Legati Nicolai I. in Bulgariam authoritate Apoſtolica miſſi reprobarunt; & populos iterum confirmarunt; tum quòd unguentum eſſet à Photio ſuſpenſo à divinis conſecratum; tum quòd foret à Photianis Presbyteris per æquè ſuſpenſis, ut teſtatur Adrianus epiſtola ad Patriarcham Ignatium, in cujus Sedem obtruſus erat Photius, adminiſtratum. Indignari & furere Photius, atque ad damnandum Eccleſiæ Hierarcham Concilium congregare. Hanc ſuſpenſionis ſuæ & Presbyterorum ſuorum rationem Photius prætermiſit, utque oſtenderet confirmatos à ſuis Presbyteris non debuiſſe iterum confirmari, conatus eſt oſtendere Presbyterum legitimum eſſe Confirmationis miniſtrum, nullaque proinde ſuſpenſione eorum confirmationem irritam invalidamque fuiſſe. Ad illius ergo rationes.

Dicendum hanc legem ſolis Pontificibus officinum confirmandi poteſtatem eximiam aſſerentem in Actibus Apoſtolorum extare, ubi *cap.* 18. *&* 19. Petrus & Joannes miſſi referuntur, ut à Philippo Diacono baptizatis manus imponerent, & Spiritum ſanctum tanquam inſtrumenta divinæ virtutis impertirent. *Quare*, inquit Chryſoſtomus hom. 18. in Acta Apoſtolorum, *baptizati à Philippo non accepiſſent Spiritum ſanctum? Vel quia Philippus non dederat* (prima eſt Chryſoſtomi reſponſio, ſed à ſua ſententia aliena, uti mox patebit) *hac re forſan honorans Apoſtolos. Vel quia* (ſecunda eſt ad mentem Chryſoſtomi reſponſio) *hujuſmodi donum Philippus non habebat; erat enim ex ſeptem illis. Id quod magis dicendum videtur. Vnde meâ ſententiâ hic Philippus unus ex ſeptem erat, ſecundus à Stephano, ideò & baptizans Spiritum ſanctum non dabat, neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum ſolis duodecim Apoſtolis* (ac proinde ſolis Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus) *datum erat. Virtutem quidem acceperant faciendi ſigna, non autem dandi aliis Spiritum ſanctum. Hoc erat peculiare Apoſtolis: unde & præcipuos* (id eſt Epiſcopos) *& non alios videmus hoc facere.*

Nec eſt ſimile de Baptiſmi & Euchariſtiæ adminiſtratione Sacerdotibus communi quia Confirmatio eſt ſacramentum militiæ Chriſtianæ, in quam conſcribere ad Ducem exercitus ſpectat. Certè ſi valeret hoc Photianum ſophiſma, poſſet etiam ſimplex Sacerdos ſacros Ordines conferre, chriſma conſecrare, cùm poſſit Euchariſtiæ ſacramentum longè præſtantiſſimum peragere. Si tanta eſſet, tamque indivulſa Baptiſmatis cum Confirmatione connexio, ut ille idem qui baptizat mox confirmare teneretur, cùm in articulo neceſſitatis non ſolùm Clericus quivis, ſed laicus etiam baptizare queat, poterit itidem confirmare.

Urgebis: In multis Conciliorum & Pontificum decretis præcipitur ut Presbyteri abſente Epiſcopo, vel ab eo præſente juſſi baptizatos chriſmate ungant, ut videre eſt in Concilio Toletano I. *cap.* 20. & in epiſtola 1 Innocentii I. Ergo Epiſcopus non eſt ordinarius Confirmationis miniſter.

Reſpondeo presbyteros ſolere eos, quos baptizant, unctione ceremoniali, non ſacramentali oblinire, ut ſuprà de Baptiſmo notatum eſt. Et quamvis aliquid recentiores novitatum amantes, & in Eccleſiaſtica doctrina peregrini ſcribere non dubitarint chriſmationem in Baptiſmo à Sacerdote peractam, ad ſupplendam non ſolùm ſignificationem Epiſcopalis chriſmatis, ſed etiam effectum eſſe inſtitutam; ſuccedere Confirmationi, gratiam roboris ſpiritualis ex opere operato efficere; attamen hæc tam prophana novitas in nullius adhuc Patris vel Theologi mentem venit, à nemine eſt unquam in controverſiam deducta, unde indigna profectò eſt quæ refutetur. Jaceat enim Chriſtiana Religio neceſſe eſt, nihil in ea tutum, nihil firmum, nihil ſanctum, ſi pro cujuslibet arbitratu res exploratiſſimas, intimis nedum Theologorum, ſed fidelium etiam animis infixas, quietaſque hactenus & tranquillas ſollicitare & infringere liceat. Et certè non poteſt verus Chriſtianus, ſi Deum amat, ſi Spiritum ſanctum, qui eſt amor perſonalis, diligit, ob ſacramentum Spiritus ſancti hac inaudita & portentoſa novitate ad nihilum redactum non graviter ingemiſcere. Non poteſt Theologus in doctrina Eccleſiæ non omninò peregrinus & hoſpes tantam inſcitiam ſacramentalia cum ſacramentis miſcentem, niſi indignabundus tolerare. Si unctio verticalis eſſet Confirmationis ſacramenti ejuſque effectûs ſupplementum, omitteretur à Presbyteris qui baptizant præſentibus Epiſcopis Confirmationem continuò collaturis; inane enim eſt ſupplementum, cùm res adeſt ad quam ſupplendam eſt inſtitutum. Et tamen Innocentius relatus in objectione præcepit Presbyteros, ſeu abſente, ſeu præſente Epiſcopo baptizatos ſacto chriſmate inungere, etſi ſint à præſente Epiſcopo confirmandi. Verba Innocentii ſunt hæc; *Presbyteris ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo cùm baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paraclitum.* Ergo toto cœlo diſtinctæ ſunt hæ unctiones. Abſit ergo, abſit prorſus, ut præſtantiſſimi ſacramenti vicem per meras ceremonias, tametſi utiles & ſanctè ab Eccleſia inſtitutas, impleri poſſe putemus. Abſit ut ſacramentalium operationes, quæ vi precum Eccleſiæ juxta eas uſurpantium affectiones valent, diuturno, ſtabili, & copioſo Confirmationis effectui comparentur, quo miles Chriſti fortis efficitur & invictus ad tentationum & perſequutionum incurſus ſtrenuè tolerandos, expugnandos Infideles, dæmonumque conatus confringendos. In hoc enim ſacramento totus Spiritus ſanctus cum ſuis donis & copiis omnibus effunditur; unde illi ceremonialem unctionem æquiparare, non eſt tam ceremonias venerandas exhibere, quàm ſacramentis contemptum creare, dum eorum operationes ceremoniis ſuppleri poſſe docetur: ſacramentalia enim ad Sacramentorum amplitudinem evehere, & Sacramenta ad ſacramentalium tenuitatem deturbare, utraque eſt pariter extinguere. Sanè cùm ceremoniæ decorandis ſacramentis, & in noſtram venerationem adducendis ſint inſtitutæ, earum naturam pervertit qui eas in Sacramentorum depretiationem invitas trahit.

Inſiſtes: In Concilio Arauſicano I. *can.* 2. dicitur neceſſariam eſſe quidem chriſmationem, tamen ſatis eſſe ſemel in Baptiſmate chriſmari: ſi verò in Baptiſmate chriſmatus quis non fuerit, admoneatur Epiſcopus; nam ſufficit una benedictio. Ergo miniſter Baptiſmatis idem eſt & Confirmationis, verticaliſque chriſmatio à Sacerdote facta eam ſupplet, quæ ab Epiſcopo confirmante fit.

Reſpondeo verba Concilii Arauſicani haud fideliter referri, nec mirum; eſt enim illius canonis editio jam varia, tam obſcura & depravata, ut ad diſputationem certam adhiberi vix ac ne quidem poſſit. Sic Canonem illum refert Binius tom. 1. Concil. part. 2. *Nullus miniſtrorum qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debet progredi;*

quia inter nos placuit ſemel in Baptiſmate chriſmate. De eo autem qui in Baptiſmate quacumque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos chriſmatis ipſius non niſi una benedictio eſt. Non præjudicans quicquam dico, ſed ut neceſſaria habeatur chriſmatio repetita. Paulò aliter refert Gratianus, & Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, aliter etiam Pater Fronto Ducæus, aliter quoque P. Sirmondus in ſuis Conciliis Gallicis. Sed utut ſit, aliter referũtur verba Arauſicani canonis in objectione atque extent in Conciliorum exemplaribus. Ex quibus patet ibi eſſe ſermonem de duplici chriſmatione, baptiſmali nimirum, quæ eſt ceremonialis; quam ſi aliqua neceſſitate omiſſa fuerit, ante alteram, nempe Epiſcopalem chriſmationem expleri vult. Unde *ſi quacumque neceſſitate faciente baptizatus chriſmatus non fuerit* (verticali chriſmatione) *in Confirmatione Sacerdos*, id eſt Epiſcopus, *commonebitur*; illa enim verticalem chriſmationem Epiſcopus non præbet, quia *chriſmatis ipſius* (ſcilicet Epiſcopi) *non niſi una benedictio eſt*; & ideo priorem, ſeu verticalem, à Presbyteris vel Diaconis præbendam remittit, ne duplicem chriſmationem præbeat Epiſcopus, contra Eccleſiæ conſuetudinem. Nam Epiſcopum in ſolenni Baptiſmo nunquam olim baptizatorum verticem more Presbyterorum unxiſſe, patet ex omnibus decretis, quæ de ea unctione habentur, quibus ea ſemper chriſmatio ſolis Presbyteris tribuitur, & ab Epiſcopali ſeparatur. Unde etiam Pontificale Romanum præſcribit Antiſtitem Epiſcopali ritu baptizantem nullam adhibere unctionem verticalẽ, ſed mox ab affuſa baptizato aqua ad frontis unctionem procedere. Rationem verò dat Concilium cur debeat moneri Epiſcopus ſi baptizatus chriſmatus non fuerit; ut ad Sacerdotem chriſmandus remittatur, quia non ut præjudicans cuiquam (vel ut alii legunt *quicquam*) *dico* (alii legunt *non ut præjudicantes quicquam dicimus*; ſed idem eſt ſenſus, ſive decretum ab omnibus Patribus feratur, ſive ab uno quopiam ſuo nomine proponatur ſententia aliorum aſſenſu probata vel probanda) *Sed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Id eſt, ideo baptizatum à Sacerdote non chriſmatum chriſmandum volumus antequam à Sacerdote ſummo, id eſt Epiſcopo confirmetur, ne ulli chriſmationi præjudicium inferamus, quia utramque neceſſariam eſſe arbitramur. Quare Concilio Arauſicano non aliud propoſitum fuit, quàm chriſmationem baptiſmalem præcipere; & ideò ſtatuit ne Epiſcopus quemquam confirmet, qui in baptiſmate à miniſtris non ſit chriſmatus. Sicut ſi nunc quis Epiſcopo confirmandus offeratur, quem ſine ſolennibus Eccleſiæ ceremoniis, ut interdum contingit, baptizatum conſtet, Epiſcopus eum ad Parochum ceremonias completurum remiſſurus eſt. Diſtinguenda ergo ex plana hujus Concilii mẽte eſt duplex chriſmatio, baptiſmalis una omnib⁹ baptizatis à Presbyteris præbenda; Epiſcopalis altera priorẽ ſupponens, & longè uberiorem & diviniorem efficacitatem habens. Dixi Epiſcopos in ſolẽni Baptiſmatis ritu nunquam baptizatorum verticem ungere, vel unxiſſe olim: nam cæteroquin Epiſcopos privatim Presbyterorum inſtar, non ſolenniter ac ritu Epiſcopali baptizantes, adhibere chriſmationem verticalem videmus. Vel *non ut præjudicantes quicquam dicimus*, id eſt, non quod omiſſio unctionis verticalis baptizatorum ſaluti, vel Epiſcopi Confirmationi præjudicium inferat, ſed ut duplex chriſmatio obſervetur, ita obſervandum decernimus.

Sed cur, inquies, Epiſcopi in ſolenni Baptiſmo, in quo perſonam Epiſcopalem ſuſtinent, chriſmationem baptiſmalem non adhibent, ſed ſacris undis aſperſum mox in fronte ungunt? Cur prætereunt ceremoniam ſalubriter & religioſè inſtitutam? Quid incommodi eſt ut duplici chriſmatione baptizatum inungant?

Reſpondeo Epiſcopos ſolenniter baptizantes baptizatum mox à ſe confirmandum non ungere chriſmate verticali, quia chriſmatio verticalis à Presbyteris fieri ſolita non ſolùm ad conſecrandum baptizatum eſt inſtituta, ſed etiam in ſymbolum ſubjectionis miniſtrorum & fidelium erga Epiſcopum immediatum totius Diœceſeos Paſtorem. Cùm enim chriſma illud ſit ab Epiſcopo conſecratum, & ad Presbyteros miſſum, dum baptizatus chriſmate inungunt, profitentur & ſe, & baptizatos ab Epiſcopo potiſſimùm pendere, & primariam ſacramentorum, & nominatim Baptiſmi peragendorum poteſtatem in Epiſcopo reſidere, à quo in alios derivatur. Cùm ergo Epiſcopus ſolenniter baptizat, unctionem verticalem ſuæ ſymbolum poteſtatis prætermittit, longè uberiorem & efficaciorem in Confirmatione collaturus. Et ideò rectè dixit Canon Arauſicanus, *Chriſmatis ipſius* (id eſt Epiſcopi) *nonniſi una benedictio eſt*. Quæ verba ſi hunc ſenſum redderent, ut vellent Arauſicani Patres unicâ tantùm opus eſſe chriſmatione, ſive in Baptiſmo, ſive in Confirmatione præbenda, ut exiſtimavit Jacobus Sirmondus, adeo ut ex mente Arauſicanorum Patrum tunc demùm Epiſcopus monendus ſit ut baptizatum chriſmet, cùm is prohibente neceſſitate chriſmari non potuit à miniſtro; ſi, inquam, hoc admittatur; ergo chriſmatio Epiſcopalis erit tantùm ſupplementum chriſmationis Presbyterorum; ergo ordinariũ chriſmandi munus Epiſcopis adimetur, Presbyteris aſſeretur qui eſt proprius Photii error; quin magis erit neceſſaria miniſtrorum quàm Epiſcoporum chriſmatio, cùm iſti non niſi per accidens, & in ſupplementum chriſmare debeant; quod Catholicus horret & refugit ſenſus. Et certè quomodo dicere potuerunt Arauſicani Patres, quod *inter quodlibet chriſmatis ipſius una benedictio eſt, vel in Baptiſmo, vel in Confirmatione*; cùm apertè conſtaret plures tum in aliis, cùm in Eccleſia Romana cæterarum Matre & Magiſtra fuiſſe chriſmationes inter ſe diverſas multò ante Concilium Arauſione coactum frequentatas? Tam putidum, tam inſigne mendacium non ſcripſiſſent Patres in Spiritu ſancto, Spiritu veritatis congregati. Deniq; quomodo cum tanta ſui Ordinis, id eſt Epiſcopalis obſcuratione, & ſacramenti Confirmationis extinctione Sanctiſſimi Epiſcopi definire potuerunt, repetitam chriſmationem *non eſſe præjudicantem*, ſeu nocentem, ſed tantum non neceſſariam, cùm iterari Confirmationem characterem imprimentem ſacrilegium ſit totius Eccleſiæ traditioni adverſum, ut ſuprà demonſtratum eſt? Quomodo ſcribere potuerunt chriſmationem Epiſcopalem permitti Presbyteria, & tamen ejuſdem iterationem ſimul innoxiam, & non præjudicantem declarari? Si ita eſſet, non Epiſcoporum Concilium in Spiritu ſancto celebrarum, ſed hominum in Epiſcopalem Ordinem & in ſacroſanctum Spiritus ſancti Sacramentum conſpirantium cœtus meritò diceretur.

Dices demùm: Presbyteri Græci paſſim Confirmationis ſacramentum adminiſtrant; neque enim iſte mos in Orientalem Eccleſiam recens irrepſit, vel poſt ſchiſma incepit; & tamen nunquam illum Eccleſia Romana reprehendit, vel erroris inſimulavit. Ergo non ſoli Epiſcopi ſunt ordinarii Confirmationis miniſtri. Petit hoc argumentum, ut inquiramus an Presbyteri poſſint eſſe extraordinarii Confirmationis miniſtri, atque ut ad ſecundam ſpeculationis partem ſtabiliendam procedamus.

Presby-

Presbyteri ex Apoſtolicæ Sedis facta ſibi facultate poſſunt eſſe extraordinarii Confirmationis Miniſtri.

Secunda pars aſſerens ex ſpeciali Primæ Sedis indulto poſſe Presbyteros eſſe extraordinarios Confirmationis miniſtros, videtur Concilio Florentino in decreto Eugenii conformior, ubi ſic habetur: *Legitur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum.* Ubi ſacrum Concilium non ſolùm eam diſpenſationem factam recenſet, ſed eam etiam approbat, & ex rationabili cauſa proceſſiſſe teſtatur. Quod idem ſatis inſinuat Concilium Senonenſe in decretis morum, cap. 38. *Si qui ſint qui contendant ſibi competere facultatem confirmandi ex privilegio, volumus quod cum primùm fuerint requiſiti, de privilegio fidem facere teneantur.* Ubi Concilium confirmandi facultatem Presbyteris poſſe concedi non negat, ſed privilegium quo hujuſmodi facultas detur, oſtendi exhiberique præcipit. Quamvis, ut verum fatear, hujus Concilii à Sede Apoſtolica minimè confirmati authoritas non ſit urgens. Id etiam apertè docet S. Thomas *quæſt. 72. art. .. ad 1.* his verbis: *Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam quæ ſunt ſuperiorum Ordinum, committere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem. Et ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit B. Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc ſacramentum conferrent, quandiu ſcandalum tolleretur.* Quæ diſpenſatio ſupponit Epiſcopum eſſe miniſtrum Confirmationis ordinarium; poteſtas enim delegata & extraordinaria propriam & ordinariam non tollit, ſed ſupponit. Licèt ergo ex commiſſione & diſpenſatione ſummi Pontificis poſſit in articulis magnæ neceſſitatis & penuriæ Epiſcoporum ſimplex Sacerdos ſacramentum Confirmationis cōferre; hoc tamen non impedit, ſed magis ſtatuit ſolum Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum. Quod aliquando conceſſum legitur, ne quis baptizatorum ſaluberrimâ Confirmationis gratiâ privetur, ſi eum, ut humanæ ferunt res, contingat repentinam, atque immaturam mortem obire.

Illud etiam conatur Arcudius colligere ex Dionyſio *cap. 5. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, ubi ſic ſcribit: *Et ſi enim à Sacerdotibus quædam ex ſymbolis veneratione dignis perficiuntur, verùm nunquàm deificam generationem* (id eſt Baptiſmum) *Sacerdos ſine divino unguento peraget. Nec divinæ Communionis ſacramenta perficiet, antequam ſymbola communicativa in divinum altare impoſuerit. Quin nec Sacerdos quidem erit ipſe niſi Pontificiis perfectionibus* (id eſt conſecrationibus) *ad id delectus fuerit. Itaque divina inſtitutio ſacram hierarchicorum Ordinum ceremoniam, divinique unguenti confectionem, atque ſanctam Altaris conſecrationem divinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit.* Ubi Dionyſius ait Baptiſmum nunquam ſine unguento peragi, alludens ad legem communem & præſcriptum Eccleſiæ Orientalis, in cujus more poſitum erat, ut tria Sacramenta, Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ ſimul neophytis cōferrentur; & ideo confirmandi facultas Presbyteris ex commiſſione data erat, quia omnes baptizatos ubique locorum Epiſcopi commodè confirmare non poterant. Conſecratio tamen unguenti, altarium, & ipſorum Sacerdotum ipſis Epiſcopis reſervabatur, nec fuit unquam ſimplicibus conceſſa Sacerdotibus. Unde nihil Pontificiæ poteſtati derogabatur, quæ ut ait, omnes hierarchicas actiones penetrat & pervadit, quatenus nulla poſſunt exerceri myſteria, niſi præſuppoſitâ Epiſcopi aliquâ conſecratione; quia nec Sacerdos celebrat ſine altari ab Epiſcopo conſecrato, nec confirmat ſine chriſmate ab Epiſcopo cōfecto, nec ipſe Sacerdos exiſtit, niſi priùs fuerit ab Epiſcopo conſecratus. Unde hæc verba ponderans S. Maximus in ſuis ad Dionyſium ſcholiis, ait: *Nota quia neque ſanctificare, neque perficere unguentum eſt Presbyterorum, quos hic Sacerdotes* (Dionyſius) *appellat. At neque altare conſecrare ad eos ſpectat, ut ſuper illud offerant: denique neque alios ordinare. Hæc enim ſolus Pontifex efficit, ſine quibus Presbyter neque baptizabit, neque offeret ſacrificium. Sed inſis quæ antè ab Epiſcopo ſunt perfecta & conſummata ſacra munera exercebit.* Id eſt ungere poteſt Sacerdos unguento ab Epiſcopo priùs conſecrato.

Fateor tamen hæc teſtimonia parum eſſe urgentia: tum quia Pachimeres Dionyſii Paraphraſtes ab eodem Arcudio relat⁹ unctionem ad Epiſcopum refert, his verbis: *Deinde velut ſi quiſpiam objeciſſet, quomodo Baptiſmus per Sacerdotes adminiſtratur? Neq; Baptiſmum, inquit, Presbyter abſolvit; opus enim erit Pontifice, qui baptizatum chriſmate inungat. Quippe hic antiquus mos fuit.* Tum quia de unctione ceremoniali in vertice vel pectore facta facili negotio interpretari Dionyſium poſſumus; cùm enim aſſerat Presbyterum nunquam ſine unguento baptizare, loquitur de miniſterio ordinario: ergo ſi de unctione confirmativa ſermonem haberet Dionyſius, Sacerdos ſimplex eſſet ordinarius Cōfirmationis miniſter, quod falſiſſimum eſt. Sacerdos ergo ſine unguento ab Epiſcopo confecto non baptizat, ut ſe ab Epiſcopis primariis ſacramentorum miniſtris pendere oſtendat. Tū quia Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos eodem modo loquitur atq; Dionyſius, affirmans non poſſe Presbyterum ſine unguento baptizare: & tamē ille idem Hieronymus inibi docet ſolitos eſſe Epiſcopos excurrere ut confirmationem præbeant: ergo ex eo quod Dionyſius ait, Sacerdotes ſine unguento Baptiſmū non peragere, non neceſſariò inde colligitur ipſum de unctione confirmativa fuiſſe loquutum. Quod ſi contendas Dionyſium non poſſe de unctione ceremoniali explicari, quia Græci verticem inungere non ſolent, reſponderi poterit, vel tum temporis Presbyteros aliam corporis partem, putà pectus inunxiſſe; vel certè ideo Presbyteros nunquam ſine unguento Baptiſmum peregiſſe, quia aqua Baptiſmi per infuſionem unguenti conſecrabatur, ut teſtatur idem Dionyſius cap. 2. Eccleſiaſt. Hierarch. *Ipſe Pontifex*, inquit, *ad matrem adoptionis* (id eſt ad ſacrum Fontem) *accedit, ejuſque aquam ſacris invocationibus conſecrans, & eam trinâ unguenti vim maximam habentis purificandi, per modum crucis effuſione perficiens.*

Deinde cùm Concilium Florentinum ſuperiùs laudatum affirmet aliquando tantùm ex rationabili & urgente admodum cauſa confirmandi facultatem ſimplicibus presbyteris eſſe indultam, non eſt veriſimile Presbyteros omnes per totam quàm latè patet Eccleſiam Orientalem unctionem confirmativam præbuiſſe. Denique ſi ab initio Eccleſiæ Græci presbyteri inungerent neophytorum frontes, ut hodie Græci faciunt, faciendumque urgebant adversùs Nicolaum Papam, utique morem illum oppoſuiſſet Nicolao Photius, eoque validiſſimo telo Legatos Nicolai petiviſſet: & tamen Nicolaus Pontifex epiſt. 70. ad objectiones Photianas universè reſpondet: *Aut falſa ſunt quæ nobis impingere moliuntur; aut certè jam à priſco tempore ſine cujuſquam contradictione in Eccleſia Romana, imò in tota Occidentali parte cuſtodita. Et cùm floruerint etiam apud ipſos magni Doctores Eccleſiæ, nullus tamen eorum de iis reprehenſionem fecit, niſi hi qui non zelo juſtitiæ ſervidi,*

ſed zelo invidia perculſi Eccleſia lacerare traditiones anhelant. ::: Et quod agere Majores eorum minimè præſumpſerunt, iſti etiam quæ antiquitus Romana ſuſcepit cum numeroſis hanc ſequentibus Eccleſiis generaliter accuſare & blaſphemare crepulluts minime timuerunt. Ergo mos confirmativam unctionem uſurpandi, Nicolao Papa authore, non fuit apud Græcos perpetuus, ſed potiùs à teſtimoniis divinis, à traditionibus paternis, & ab ipſorum Eccleſiæ Græcæ Doctorum uſibus & ſenſibus abhorrens. Quod etiam ex ſuprà laudatis Magni Chryſoſtomi verbis clariſſimè liquet.

Fortius pro hac ſententia argumentum eruitur ex his Magni Greogorii lib. 3. epiſt. 26. ad Janvarium Epiſcopum Calaritanum verbis: *pervenit ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd presbyteros chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt prohibuimus. Et nos quidem ſecundum uſum veteris Eccleſiæ noſtra fecimus. Sed ſi omninò de hac re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Persbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.* Ubi perſpicuè de chriſmatione confirmativa in fronte fieri ſolita ſolis Epiſcopis tanquam miniſtris ordinariis eximia loquitur, eamque in abſentia Epiſcoporum ad gravem fidelium contriſtationem præcavendam à ſimplicibus Sacerdotibus poſſe præberi, Sanctiſſimus Pontifex indulſit. Dicere autem cum Durando in 4. *diſt.* 7. *q.* 4. hac in re Magnum erraſſe Gregorium, & Apoſtolicæ ſuæ Poteſtatis plenitudine fuiſſe abuſum, cum tanti Pontificis Eccleſiaſticæ diſciplinæ callentiſſimi & juxta zelantiſſimi inhoneſtamento ferre non poteſt. Improbabile etiam eſt quod alii dicunt, Sacerdotes illos fuiſſe Epiſcopos, licèt unus eorum Epiſcopi nomen retineret, qui in illos juriſdictionem & regulariter baptizatos confirmandi poteſtatem haberet; vel certè Presbyteros illos ad Epiſcopatum à Gregorio fuiſſe provectos: utrumque enim patet eſſe veritate alienum; tum quia etſi initio naſcentis Eccleſiæ omnes Presbyteri propter miniſtrorum penuriam forent fortaſſis Epiſcopi, de quo nihil impræſentiarum aſſerimus, tempore tamen Gregorii propagatâ jam Eccleſia Chriſtianâ multi erant Presbyteri ad Epiſcopalem dignitatem non provecti, ut ex eo patet quod Euſebius & Innocentius Pontifices Gregorii anteceſſores Confirmationem & frontis inunctionem à Presbyteris non præberi ſed ſolis Epiſcopis reſervari conſtituerunt. Ergo plures Persbyteros ad pontificiam dignitatem non aſſumptos fuiſſe ſupponebant. Tum quia ſi omnes Presbyteri fuiſſent illius temporis Epiſcopi, vel ad Epiſcopatum ea S. Gregorii conceſſione evecti, non eguiſſet Gregorii diſpenſatione & indulto ſpeciali ut confirmarent, cùm confirmandi poteſtas ſit Epiſcopis tanquam miniſtris ordinariis annexa, nec ſit poteſtas juriſdictionis, ſed ordinis, ab Epiſcopo etiam excommunicato validè, tametſi illicitè peracta. Tum demùm, quia apertè reclamant verba Gregorii; cùm enim eam licentiam concedat, *ubi Epiſcopi deſunt*, ſupponit planè Presbyteros illos Sardiniæ, quibus in fronte chriſmandi facultatem facit, nec Epiſcopos fuiſſe, nec ad Epiſcopatum ex vi ſuæ conceſſionis aſſumptos.

Veroſimilior eſt Eſtii, & aliorum interpretatio aientium Gregorium non de Epiſcopali, ſed de ceremoniali, & rituali tantùm Presbyterorum chriſmatione fuiſſe loquutum, eandemque quam antea in pectore fieri juſſerat, quæve modò in vertice fit, in fronte ad inſtantiam fidelium fieri indulgere. Itaque, inquiunt, non ſacramento, ſed membro duntaxat erat diverſa chriſmatio. Sicut enim non omnes Presbyterorum manus impoſitiones ejuſdem generis & efficaciæ erant cum iis quas uſurpabant Epiſcopi, ſic neque illæ frontis chriſmationes. Quare, inquit celebris Petrus Aurelius, in hujuſmodi indulgentia nihil ſtatuit, nihilque concedit S. Gregorius ſuperiorum Romanorum Pontificum decretis repugnans, in quibus toties Perbyteris, imò Chorepiſcopis interdicitur frontis chriſmatio, quaſi à Scripturis, Patribus, Canonibuſque aliena. Illi enim Pontifices Gregorii prædeceſſores de chriſmatione Epiſcopali, quæ eſt proxima Confirmationis ſacramenti materia, loquebantur: Gregorius verò non de illa agit, ſed de ceremonia chriſmandi in Baptiſmo, ad Eccleſia Romana in alias deinde Occidentis Eccleſias transfuſa, quam in hoc ſolùm de benignitate Apoſtolica mitiſſimus pontifex immutat, quod quæ in fronte nunquam erat facta, eam in fronte, ſed ritualiter duntaxat fieri concedat. Quantâ autem animi repugnantiâ id Gregorius indulſerit, claret: tum quia ſcribit ritum illum veteri Eccleſiæ conſuetudini repugnare: tum quia morem illum abrogare pro virili conatus fuerat, ut Calaritanos ad veterem Eccleſiæ conſuetudinem revocaret. Eis tamen fugiendi tantùm ſcandali causâ cerimoniam mutare concedit, ne regnum illud, in quo grandis erat Eccleſiaſticæ diſciplinæ perturbatio, & major morum corruptio, & maxima infidelium vis, ceremoniæ obtentu ab Eccleſiæ unitate fœdiſſimo ſchiſmate diſcinderetur. Unde vir Apoſtolicus nec minùs Petri in Eccleſiam amoris quàm Sedis ſucceſſor, de ſuorum ſeveritate decretorum remittere, & Calaratinorum imbecillitati ſeſe attemperare maluit, ac frontis chriſmationem ſolius membri mutatione concedere, quàm dilectiſſimos in Chriſto filios nimiâ triſtitiâ obruere. Id confirmant aliqui, quia in pervetuſtis originalibus non legitur *baptizatos*, ſed *baptizandos* cujus lectionis ſit mentio apud Gratianum *diſt.* 95. *cap* 1. in margine: Baptizandis autem dum baptizantur non niſi unctio ceremonialis præbetur.

Probabilis ſanè ſolutio, quâ id ſaltem convincitur frontis chriſmationem illam à Gregorio fuiſſe renovatum, & non niſi ægro animo ad tempus & in abſentia Epiſcoporum fuiſſe toleratam. Duo tamen difficultatem ingerunt. Primum eſt, quia ſi Gregorius ceremoniam tantùm mutari conceſſit, cur tam ſtrictè præcepit, ut niſi in abſentia vel penuria Epiſcopi ritus ille adhiberetur; ceremonia enim etſi ritu diverſa, modò pia ſit, ſive in præſentia, ſive in abſentia Epiſcopi perinde fieri poteſt; neque enim eædem ſunt omnes Eccleſiarum ceremoniæ. Unde idem Gregorius *lib.* 12. *epiſt.* 31 Auguſtino Angelorum Epiſcopo Eccleſiæ Gallicanæ ritus à Romanis ſolâ ceremoniâ diverſos alioquin licitos amplecti ſuadet, & in recentem Angelorum Eccleſiam transferre; *Non enim pro locis res, inquit, ſed pro bonis rebus loca nobis amanda ſunt.* Ergo ſi ritualis frontis chriſmatio in abſentia Epiſcopi tolerari potuit, etiam in præſentia illius: ergo ſupponere videtur ſe concedere facultatem præbendi chriſmationem illam, quæ propter abſentiam Epiſcopi haberi non poteſt, quæ eſt confirmativa. Altera difficultas eſt quia cùm Concilium Florentinum ſuprà memoratum teſtetur aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ſimplices Sacerdotes ſacramētum Confirmationis ex rationabili & urgenti cauſa adminiſtraſſe, ad illam Gregorii diſpenſationem alluſiſſe videtur; cùm nullibi legatur aperta facta diſpenſatio, ſi Gregorius confirmandi poteſtatem verbis illis non impertivit Sardiniæ Sacerdotibus. Referunt aliqui plura Pontificia diplomata, quibus Romani Pontifices ſimplicibus Sacerdotibus cōfirmādi facultatē feciſſe dicuntur. Verùm quia ea videre in fonte non potuimus, nec in publico

Eccle-

Eccleſiæ Bullario circumferuntur, ex eis efficax argumentum depromi non arbitramur, præſertim quia Innocentius III. Parochis Conſtantinopolitanis, ne amplius ſacramentum Confirmationis conferrent, prohibuit; collatum verò nullum eſſe pronunciavit, ut ex ejus litteris ad Lucium Vicarium ſuum miſſis patet. Cui aſtipulatur Gregorius IX. *lib. 1. Decretalium, tit. 4. de conſuetudine*; necnon Innocentius IV. in litteris ad Epiſcopum Tuſculanum Apoſtolicæ Sedis in Regno Cypri Legatum; & Clemens VIII. in brevi inſtructione ſuper ritibus Græcorum.

Proponuntur adverſæ ſententiæ fundamenta, quibus et non mediocris probabilitas conciliatur.

Non deſunt tamen graviſſima argumenta, quibus ita Epiſcoporum propriam eſſe confirmandi poteſtatem probari poteſt, ut nullo caſu, nullaque accedente diſpenſatione id Sacerdotibus ſimplicibus committi poſſit.

Potiſſimum fundamentum petitur ab authoritate; Euſebius enim Papa epiſt. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ declarat Confirmationis ſacramentum *ab aliis perfici non poſſe, niſi à ſummis Sacerdotibus: nam ſi aliter præſumptum fuit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica unquam reputabitur ſacramenta.* Damaſus etiam epiſt. ad Epiſcopos Numidiæ: *Quod eis* (ſcilicet Chorepiſcopis inter ſimplices Sacerdotes præcipuis) *non licet Sacerdotes conſecrare, nec Diaconos, aut Subdiaconos, nec Virgines, nec Altare erigere, nec ungere aut ſacrare, nec Eccleſias dedicare, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare.* ::: *Quod ſolis Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus proprii ſit officii tradere Spiritum ſanctum, liber Actuum Apoſtolorum docet, præſertim cùm nullus ex ſeptuaginta Diſcipulis, quorum iſti* (Chorepiſcopi) *in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manum impoſitionem tradidiſſe. Hæc ergo, quia omni carent ratione, nullus deinceps uſurpet aut conſentiat Sacerdotum, qui noluerit à noſtro Sacerdotali collegio ſeparari.*

Et Innocentius I. *epiſt. 1. ad Decent. cap. 3.* loquens de chriſmatione frontis, ait: *Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Spiritum Paracletum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & lectio Actuum Apoſtolorum. Nam Preſbyteris chriſmate baptizatos ungere licet, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare; quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Et Magnus Leo epiſt. 88. *Nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare Presbyteris & Chorepiſcopis liceat. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus authoritate Canonum præcipitur.* Et Gelaſius epiſt. ad Epiſcopos Lucan. *Presbyteros ultra modum ſuum tendere prohibemus, nec Epiſcopali faſtigio debita ſibimet audacter aſſumere: non conficiendi chriſmatis, non conſignationis Pontificalis adhibendæ ſibimet arripere facultatem.* Idem docet Joannes III. epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ. Idem ſanciunt Concilia, Hiſpalenſe II. *cap. 7.* Toletanum VIII. *cap. 7.* Pariſienſe ſub Ludovico & Loth. Meldenſe *cap. 44.* Vormatienſe *cap. 8.* Metenſe *cap. 5.* ut nihil ſit perpetuâ Majorum traditione teſtatius. Videri etiam poteſt Ratramnus Corbeienſis *lib. 4. contra oppoſita Græcorum*, ubi Nicolai ætate diluens Græcorum objecta, quæ Nicolaus refellenda in Gallia miſerat, ait: *Nunc ad illud veniamus quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri non liniunt. Ut hoc fiat & apud Romanos, & apud omnes Occidentales, tam ex Evangelio, quàm ex Apoſtolorum Actis conſtat eſſe aſſumptum. Conſtat namque Spiritum ſancti gratiam per unctionem frontis ex chriſmate ab Epiſcopis donari: quod nulli præter Epiſcopos eſſe conceſſum, Evangelica teſtatur authoritas.*

Reſpondent communiter Authores noſtræ ſententiæ, Pontifices & Patres in Conciliis de ordinario Confirmationis miniſtro fuiſſe loquutos, quem ſolum conſtat eſſe Epiſcopum; cum quibus ſtat Sacerdotem poſſe eſſe Sacramenti Confirmationis ex commiſſione & diſpenſatione ſummi Pontificis miniſtrum delegatum. Verùm contra hanc reſponſionem multipliciter inſtari poteſt, & ſimul Eſtii ſententia roborari.

Argumentantur 1. & ſimul hanc reſponſionem impugnant, quia Innocentius III. *cap. 4. de conſuetudine*, decernit, ut fideles priùs careant Sacramento Confirmationis, quàm ut à Presbyteris illud accipiant. Nullus autem eſt rationabilior diſpenſandi locus, quàm mortis imminentis articulus, in quo etiam omnes reſervationes ceſſant. Ergo ſi poſſet Summus Pontifex ſimplicibus Sacerdotibus confirmandi facultatem facere, eam tum maximè impertire deberet, cùm ob impendentem mortem fidelis non poteſt ab abſente Epiſcopo confirmari. Et tamen Innocentius ſatius eſſe ait ſine Confirmationis Sacramento mortem oppetere, quàm illud à ſimplici Sacerdote etiam in ultimo vitæ diſcrimine accipere. Ergo exiſtimabat Innocentius, confirmandi poteſtatem Epiſcopis eximiam nullo caſu poſſe ſimplicibus Sacerdotibus communicari.

Argumentantur 2. Eodem modo præfati Pontifices, præfataque Concilia loquuntur de adminiſtratione Confirmationis atque de confectione & conſecratione chriſmatis, ut patet ex relatis Damaſi & Magni Leonis verbis; unde ſi ſimplex Sacerdos ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione poteſt confirmare, chriſma etiam conſecrare facilè poterit; ſi enim Eccleſiæ Capitis poteſtatis plenitudo unum concedere poteſt, aliud etiam longè minoris momenti poterit indulgere; majus verò eſt confirmare, & plenitudinem donorum Spiritus Sancti effundere, quàm materiam confirmationis benedictionibus præparare & conſecrare. Atqui ex perenni Eccleſiæ uſu, cui nec ipſi Græci ſchiſmatici & Photiano errore imbuti contradicunt, ſolus Epiſcopus chriſma conficere validè poteſt, nec idonea unquam habita eſt Confirmationis materia, niſi ſolùm ad chriſma ab Epiſcopo benedictum, ut Concilium Florentinum declaravit. Ergo confirmandi poteſtas Epiſcopali Ordini eſſentialiter annexa eſt.

Reſpondeo ad 1. Innocentium IV. Presbyterorum illorum præſumptionem coërcere voluiſſe, qui grandi abuſu Pontificalis & confirmativæ ſignationis adhibendæ poteſtatem ſibi arrogabant, & ut loquitur Gelaſius, arripiebant. Quæ conſuetudo antiquis & perpetuis Eccleſiæ Catholicæ moribus repugnans ut cohiberetur, ſtatuit Innocentius ſatius eſſe Confirmationis reſuſcepiæ Sacramento carere, quàm talem poteſtatem omnibus indiſcriminatim, & pro quovis tempore Sacerdotibus impertire.

Ad 2. reſpondeo, quod cùm nunquam legatur ſimplici Sacerdoti conficiendi chriſmatis facta facultas, ſed ſemper in utraque Eccleſia interdicta, ut patet tum ex Pontificum paulò antè memoratis decretis tum ex Canone *Presbyter, 26. quæſt. 6.* ubi præcipitur: *Presbyter chriſma nunquam conficiat*; tum ex cap. 2. Concilii Vormatienſis ſic ſtatuentis: *Chriſma conficere nullus præter Epiſcopum præſumat*; argumento eſt conficiendi chriſmatis poteſtatem nullo caſu, nulla authoritate ſimplici Sacerdoti poſſe concedi. Et ſanè congruit, ut materia Sacramentorum, quæ ab ipſo Chriſto non fuit conſecrata (conſecravit autem Chriſtus tactu ſuæ mun-

diſſimæ carnis aquas in baptiſmate ſuo, & materiam Euchariſtiæ in ultima cœna) ab Epiſcopis Chriſti perſonam in Eccleſiis ſuis gerentibus conſecretur. Nec obeſt, quod conſecratio chriſmatis ſit miniſterium ipſa chriſmatis confirmativa inunctione longè inferius; nam etiam minus eſt altaria ſacrare & miniſtros ordinare, quàm corpus Chriſti in Euchariſtia conficere; & tamen hoc poſterius Sacerdos poteſt, priora efficere non poteſt. Nec in his quæ à divina inſtitutione pendent, vel ad hierarchicam œconomiam conſervandam ſunt inſtituta, valet argumentum à majori ad minus, ſed à voluntate Dei in Scripturis vel Eccleſiæ traditione nobis ſignificata.

Inſtabis: Epiſcopus eſt Confirmationis miniſter jure divino inſtitutus: Ergo confirmandi facultatem nequit Papa ſimplici Sacerdoti committere. Probatur conſequentia: poteſtas illa ſimplici Sacerdoti facta, vel juri divino, vel humano duntaxat initeretur. Non juri divino; Papa enim non eſt juris divini diſtributor vel author. Non juri humano, alioquin divina confirmandorum Chriſtianorum facultas eſſet merè humana, & legum humanarum varietati & viciſſitudini obnoxia. Eccleſia autem ſive Capitis viſibilis ſui authoritate, ſive Conciliorum etiam œcumenicorum poteſtate jus divinum immutare, & Sacramenta condere minimè valet; eſſentiæ enim Sacramentorum, ad quas materia, forma & miniſter deſiderantur, immobiles ſunt, nec Eccleſiæ quicquam in hujuſmodi alterandis juribus conceſſum eſt. Ergo ſi Epiſcopus ſit Confirmationis jure divino miniſter inſtitutus, in nullum alium poteſt talis facultas dilatari.

Reſpondeo ex Chriſti inſtitutione Epiſcopum eſſe ordinarium Confirmationis miniſtrum, ſed ex eadem etiam Chriſti voluntate ſimplicem Sacerdotem poſſe eſſe Confirmationis, Summo Pontifice gravi de cauſa annuente, miniſtrum delegatum. Sicut ex Chriſti inſtitutione Epiſcopus poteſtate ordinaria à peccatis abſolvere poteſt; Sacerdos verò peccata duntaxat remittere poteſt, ſi ab Epiſcopo juriſdictionem obtineat. Neque in his alia ratio quærenda eſt, quàm Chriſti inſtituentis beneplacitum nobis ex traditione & Eccleſiæ Catholicæ à Spiritu Sancto gubernatæ uſu notum. Quamobrem in hujuſmodi indulgentia Papa jus divinum non mutat, ſed tantùm declarat ſimplicem Sacerdotem in tali urgentis neceſſitatis caſu, ex ſua tamen commiſſione confirmare, idque eſſe voluntati & Chriſti Sacramentorum authoris inſtitutioni conſentaneum.

Urgebis: Poteſtas confirmandi eſt poteſtas Ordinis, & non juriſdictionis; unde Confirmatio ab Epiſcopo exauthorato & cenſuris Eccleſiaſticis irretito, imò & in hæreſim lapſo valida eſt, tametſi illicitè miniſtretur: poteſtas verò remittendi peccata præter Ordinem Sacerdotalem juriſdictionem exigit, unde abſolutio à Sacerdote excommunicato impenſa, nedum illicita, ſed invalida etiam eſt & nulla. Ergo Confirmationis collatio effectivè & per ſe à charactere Epiſcopali proficiſcitur. Ergo irrita eſt Confirmatio à quovis non Epiſcopo collata.

Confirmatur: Dum Epiſcopus confirmat, vel id præſtat ratione poteſtatis ſuo Ordini & characteri annexa, vel ratione juriſdictionis, quâ univerſæ Diœceſi principatur. Non ratione juriſdictionis; tum quia Epiſcopus juriſdictione ſua Eccleſiæ cenſuris orbatus validè confirmat; tum quia juriſdictionem ſuam poteſt Epiſcopus in alios derivare, & de facto eam Vicariis Generalibus impertit, ſubindeque poſſet talis Sacerdotibus confirmandi, ſicut & à caſibus reſervatis abſolvẽdi facultatem concedere, quod in Eccleſia inuſitatum & inauditum eſt. Ergo non confirmat Epiſcopus niſi ratione poteſtatis Ordinis, ſeu characteri ſuo divinitus alligatæ; Ergo quicumque eo charactere Epiſcopali carebit, in vanum confirmabit. Quod uſque adeò verum eſt, ut ipſe Papa electus, & in Epiſcopum nondum conſecratus, tametſi primam & maximam habeat in totam Chriſti Eccleſiam authoritatem & juriſdictionem, ipſe tamen confirmare alios non poteſt defectu characteris Epiſcopalis. Ergo confirmandi facultas eſt eſſentialiter characteri Epiſcopali annexa.

Confirmatur rurſum: Si confirmandi vis non ſit characteri Epiſcopali eſſentialiter alligata, ſed poſſit Presbytero, diſpenſante ſummo Pontifice, committi, poterit etiam & Diacono ac Clerico cuivis indulgeri: Si enim confirmatio per ſe non procedat à charactere Epiſcopali, peræquè poterit à Sacerdote & Diacono baptizantibus præberi, & tantùm & per accidens ab Epiſcopo procederet.

Reſpondeo hoc in argumento præcipuum oppoſitæ ſententiæ à ratione momentum, & ſummam difficultatis (& difficultas ipſa, ut fateor, ſumma eſt) contineri. Dicendum ergo, confirmandi facultatem eſſe poteſtatem Ordinis Epiſcopalis quidem tanquam miniſtri ordinarii; Presbyteralis verò, ſed cum connotatione & dependentia à diſpenſatione ſummi Eccleſiæ Hierarchæ. Quare nec juriſdictio ſufficit ad confirmandum, ut patet in ſummo Pontifice electo & nondum in Epiſcopum conſecrato; nec ſolus ſufficit character Presbyteralis, ſed vel character Epiſcopalis ſolus deſideratur, vel Presbyterialis ex diſpenſatione ſummi Pontificis. Sicut à ſimili ad remittenda peccata non ſufficit juriſdictio quam ex vi electionis habet Diaconus Cardinalis in ſummum Pontificem electus, nec ordo Presbyteralis, quem habet ſimplex Sacerdos ab Epiſcopo non approbatus. Effectivè ergo procedit Confirmatio à charactere, ſive Epiſcopali ordinariè, ſive Presbyterali, ſuppoſitâ Summi Pontificis licentiâ. Ex quibus patet ad primam & ſecundam confirmationem: Epiſcopus enim confirmat ut miniſter Ordinarius ratione characteris ſui Epiſcopalis, Sacerdos verò ratione characteris Presbyteralis, ſuppoſitâ ſummi Antiſtitis indulgentiâ. Unde hujuſmodi facultatem nec ſuis Vicariis Epiſcopus largiri, nec Diaconis vel laïcis Summus Pontifex impertire poteſt. Ratio verò cur Epiſcopi Presbyteris confirmandi poteſtatem, aut Romanus Pontifex Diaconis committere non poſſint, ſitque Romano Pontifici id Sacerdotibus concedere jure divino reſervatum, ex perpetua Eccleſiæ traditione optimo divinæ inſtitutionis interprete prærogativam illam Summo Pontifici aſſerente depromitur: nunquam enim talem facultatem conceſſiſſe, vel concedere potuiſſe alios à Romano Antiſtites legimus. Et ſanè conveniens eſt, ut ea quæ totius Eccleſiæ regimen concernunt, qualia maximè ſunt quæ ad ritus Sacramentorum ſpectant, univerſali Eccleſiæ Præſidi, vel Conciliis œcumenicis ſpeciali jure attribuantur, ut ea determinent, quæ Chriſtus ſingulariter non præſcripſit, ſed Eccleſiæ judicio permiſit. Et quanvis quidquid Pontifex ſummus in univerſo orbe poteſt, id etiam Epiſcopo in ſua diœceſi conceſſum ſit, quia Epiſcopus eſt Diœceſeos Paſtor ordinarius, ſicut Papa totius orbis Chriſtiani; id tamen intelligendum eſt de his quæ pertinent tum ad poteſtatem Ordinis, tum ad regimen ſpiritale ovium; non verò de iis quæ ad univerſam Chriſti familiam pertinent, qualia ſunt deſignatio materiæ & miniſtri Sacramentorum, Concilii œcumenici congregatio, majorum cauſarum judicium, controverſiarum Fidei decidendarum primaria poteſtas, in

quibus

in quibus omnibus plura poteſt Eccleſiæ univerſæ Caput, quàm ſingularum Diœceſeon Epiſcopi.

REFLEXIO.

Meritò S. Pacianus Serm. de Baptiſmo Confirmationem *Antiſtitis Sacramentum* appellat, quo magis demonſtret unctionem illam Epiſcopi propriam eſſe. Si Epiſcopi ſit robur infundere, infirmos confirmare, vacillantes fulcire, imperfectis perfectionis formam & archetypum verbis factiſque præbere, qualis quæſo ipſius Antiſtitis vigor fidei, charitatis fervor, veritatis amor & zelus ſit oporteat, ut quod dat, ipſe habeat, nemo non videt. Lætatur quidem Sancta Mater Eccleſia ſe etiam in hoc ſæculo nequam eximiis clarere Epiſcopis, quos fides integra, religio devota, operum miſericordia, morum diſciplina commendant. Quàm læta, quàm gaudens, quàm beata intuetur viros illos Apoſtolicos, qui inconcuſſis præceptorum cœleſtium radicibus nixi, & Evangelicis traditionibus roborati nihil veritatis defenſioni præponunt, fidei integritatem & morum caſtimoniam tenaces retinent, prædicant intrepidi, & propter illam juſtitiam perſequutionem pati non detrectant. Quàm illi abſunt à quorumdam pſeudopaſtorum moribus depravatis, qui ut ait Cyprianus *tract. de lapſis*, cùm hortamento eſſe illos oporteat cæteris, & exemplo, divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum ſæcularium fiunt; derelictâ cathedrâ, plebe desertâ per alienas provincias oberrant; eſurientibus in Eccleſia fratribus ſubvenire non cogitant, ſed inſatiabili cupiditatis ardore amplianđis facultatibus, augendis honoribus, pinguioribus Sacerdotiis obtinendis incumbunt.

Felices diœceſes, fortunati populi talibus illuſtrati luminibus, tantis muniti præſidiis, tot exemplis animati! Quàm bonum, & quàm jucundum, ſed melius profectò & jucundius, ſi frequentius, videre paſtores in gregis ſui vulnere vulneratos! Cum ſingulis Epiſcopale pectus ſuum copulantes, mœroris & funeris fidelium pondera luctuoſa participant. Cum plangentibus plangunt, cum deflentibus deflent, cum jacentibus jacere ſe credunt. Jaculis graſſantis inimici dum percutitur populus, ſua ſimul membra percuti ſentiunt; ſævientes in populos gladii per boni Epiſcopi viſcera tranſeunt; nec poteſt Paſtoris animus liber & immunis eſſe à malis, quæ oves inceſſunt. In proſtratis fratribus & Antiſtitem proſternit affectus.

Illud præ oculis ſemper habent, qui coram Deo ambulant veri Præſules, quod Cyprianus *epiſt. 55.* ſcriptum reliquit: *Si ita res eſt, ut nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſia gubernanda ſublimi ac divina poteſtate: nec Chriſtiani ultrà aut durare, aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus. Omnes, quorum pectora & mentes diabolus inſedit, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſâ voce teſtantur: non tamen idcirco cedendum eſt, quia minantur; aut ideò adverſarius & inimicus major eſt Chriſto, quia tantùm ſibi vendicat & aſſumit in ſæculo. Manere apud nos debet, frater chariſſime, fidei robur immobile; & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium fluctuum velut petra objacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Nec intereſt unde Epiſcopo aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus & periculis vivit obnoxius; & tamen fit de ipſis terroribus ac periculis glorioſus.*

Nihil intereſt quis tradat aut ſæviat, cùm Deus tradi permittat, quos diſponit coronari. Vide Nazianzenum *orat. 20. circa medium.*

F I N I S.

LIBRI XI.

De Deo Salvatore,

PARS SECVNDA

De diviniſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

PRÆLOQVIUM.

Vbi de variis agitur Euchariſtiæ nominibus.

OPTANDUM ſanè, illo me in præſenti zelo & ardore ſuccendi, qui tanto Chriſti amori enarrando non eſſet impar. Utinam ſuccenſus eſſet calamus carbone illo ignito & ſeraphico, quo purgata ſunt labia Iſaiæ, ut immenſæ Chriſti in humanum genus dilectionis inæſtimabiles divitias, & ſingulare illud, ac planè infinitâ Dei ſapientiâ dignum conſilium exponerem, quo effecit, ut divinitate unctæ Chriſti carni agglutinati, ſpiritu Chriſti, & ipſa divinitate viveremus. Quis enim, etſi hominum linguis loquatur, aut Angelorum, verbis exprimere poſſit infinitam illam benignitatem, quâ ſubminiſtrato nobis in terra eodem cibo, quo Beati in cœlo regnantes paſcuntur, ſempiternam Paradiſi felicitatem in Eccleſia exſcribere, & antevertere clementiſſimus Dominus dignatus eſt? Obſtupeſcit meritò Chryſoſtomus, & totâ, quâ ad miraculum valebat eloquentiæ magnificentiâ incredibilem illam Servatoris noſtri munificentiam extollit, quâ ut ait hom. 83. in Matth. *Nos ſecum velut in unam maſſam redigit, nec ſolùm fide, ſed & reipſa corpus unum efficit.* Addit hom. 45. in Joannem, *ſacrum hunc ſanguinem* (nobis in Euchariſtia realiter propinatum) *vivam ac ſpirantem in nobis Regis noſtri effigiem reparare: hunc ſanguinem perennibus undis animam irrigare ac fovere, cujus eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marceſcere ac degenerare non ſinis. Hunc ſanguinem dignè guſtatum dæmones fugere, & longè à nobis profligare; Angelos verò,*

& Angelorum Dominum ad nos allicere. Hunc ſanguinem animarum noſtrarum ſalutem eſſe; hoc recreari animum, hoc ornari, hoc inflammari, atque ipſo igne clariorem reddi, & auro ſplendidiorem. Ab hac menſa ſalire fontem fluvios ſpirituales diffundentem, juxta quem non ſteriles ſalices adnaſcuntur, ſed arbores, quæ cœlum ipſum attingunt, ac tempeſtivos ſemper, & nunquam marceſcentes fructus afferunt.

Conſideravi opus tuum, & expavi. Regum Rex ſummus, & verus ipſe Deus, Salvator hominum Chriſtus Jeſus, ad eximiæ, & inauditæ, atque omnia non ſolùm merita, ſed & vota excedentis benignitatis ſpecimen, incredibiliſque in fideles ſervos amoris argumentum ſingulare, non eos modò menſâ ſuâ dignatur, ſed & corpore ſuo paſcit, *idem conviva & convivium*, ut à B. Hieronymo dictum eſt. Nullum divinius ab eo præmium chariſſimis amicis ſuis, ſuaviſſimiſque filiis hac in vita conferri; nullum æternæ, quod iis in futuro ſæculo parat, felicitatis dulcius pignus præberi poteſt. In hoc diviniſſimo myſterio amor divinus, ut verbis Tertulliani *lib. adversùs Iudæos, cap. 14.* utar, eſt *ſublimatus in conſummationem*; unde & de illo intelligit Cyprianus illud Davidicum: *Omnis conſummationis vidi finem.* Conſummatur planè divina omnipotentia, memoriam faciens mirabilium ſuorum, quando miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe. Conſummatur ſapientia totum claudens in exiguo, quando ædificans ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam. Conſummatur amor, *non plus ultrà* progredi valens; nam cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Hac de cauſa variis nominibus inſigniri ſolet auguſtiſſimum hocce Sacramentum, quippe cujus tanta eſt præcellentia, virtus, & plenitudo gratiarum, ut uno nequeat nomine exprimi ineffabilis miſericordiæ Dei dignatio. Cùm enim inter innumerabilia beneficia, quibus ſibi humanum genus Chriſtus promeruit, Euchariſtiæ operæpretium principem obtineat locum; & ſive rei contentæ majeſtas, ſive modi exiſtendi prodigia, ſive ſeſe immolantis pretium, ſive cibi cœleſtis deliciæ fructus uberrimi perpendantur, totum divinum, & omni admiratione majus ſplendeat; plura oportuit nomina excogitare, quibus infinitum donum quadantenus adumbraretur: de quibus in limine paucis agendum eſt.

In primis nomenclatura celebrior, & juxtà uſitatior eſt *Euchariſtia* vocabulum, quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem ſignificat. Dicitur porrò bona gratia, quia in hoc ſacramento gratia Dei largiùs effunditur, vel quia gratiarum omnium fontem Chriſtum continet, vel quia vitam æternam, de qua ſcriptum eſt, *Gratia Dei vita æterna*, præſignificat. Appoſitè etiam gratiarum actio hoc ſacramentum dicitur, tum quòd in ejus inſtitutione Chriſtus gratias egit: tum quòd ad gratias Deo pro univerſis beneficiis referendas nihil hac puriſſima hoſtia Deo acceptius offerre poſſumus. Unde & in illo immenſi redemptionis beneficii gratias agere, ſeu in commemorationem Chriſti facere, & mortem Domini annunciare jubemur. Hinc Chryſoſtomus hom. 25. in cap. 8. Matthæi: *Optima*, inquit, *beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea & tremenda, ac ſalutaria illa myſteria, quæ in omni ſynaxi celebramus, Euchariſtica nuncupamus; ſunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divinæ erga nos providentiæ oſtendunt, nequi faciunt debitis ſemper gratias exſolvere.* Sed de Euchariſtia ut ſacrificio, & perenni illa Agni immaculati hoſtia uſque ad conſummationem ſæculi, ringentibus licèt Lutheranis, & Calviniſtis, hæreticorum omnium, ſi dogmata ſpectes, abortibe condito impuriſſimis, duraturâ ultimo loco dicemus.

Secundò appellatur *Communio*, ſeu *Synaxis*: tum quia communicatione corporis & ſanguinis Chriſti Salvatori copulamur, & cum aliis Chriſti fidelibus in unum Eccleſiæ corpus coagmentamur; imò & cor unum charitate efficimur, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis, & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Qua de cauſa *Sacramentum pacis, & charitatis* frequenter nominatur. Tum quia in unum convenire locum Chriſtiani ſolent, ut huic ſacramento & ſacrificio interſint. Quanta autem debet eſſe Chriſtianorum animorum concordia, quarùm in domo Dei ambulare cum conſenſu, qui ſimul, ut phraſi Prophetæ utar, dulces capiunt cibos, menſæ eidem accumbunt, eadem Chriſti carne paſti, eodem ſanguine potati! *O ſacramentum pietatis*, exclamat Auguſt. tract. 26. in Joan. *ô ſignum veritatis! ô vinculum charitatis! Litigabant utique ad invicem Iudæi, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec ſumere volebant: nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam unum panis.* Conjunctio enim fidelium inter ſe ex Chriſti conjunctione conſequitur: nam quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Tertiò appellatur *Viaticum*; tum quia ejus ſacri cibi ſolatio in hujus ærumnoſæ vitæ peregrinatione reficimur, ſuſtentamur, recreamur. Tum quia hoc ſacramento ad æternam felicitatem via ſternitur, & munitur. Tum quia Chriſtianis in periculo mortis conſtitutis ſacramentum iſtud miniſtratur, quo curſum piè conſumment, & arctam viam, quæ ducit ad vitam, in extremis momentis infinitis periculis ſeptam, inoffenſo pede percurrant. Unde dicitur in Concilio Nicæno, canone 16. *De iis qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur.*

Quartò appellatur *Panis*, & *Fractio panis*. Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt?* Nominatur autem panis, tum propter materiam præcedentem, ex qua conficitur; tum propter accidentia panis poſt conſecrationem permanentia, ratione quorum extrinſecam panis formam, & figuram præfert. Tum demùm, quia ſicut pane hominis corpus veſcitur, & ſaginatur ita Chriſtus ſe in convivio Euchariſtiæ manducantibus dat Spiritûs pinguedinem. Dicitur verò fractio panis, quia fidelibus diſtribuitur; idem enim eſt frangere, & dividere, ſeu diſtribuere; quia non frangitur panis, niſi ut diviſus multis porrigatur. Nec obeſt, quod non remaneat ſubſtantia panis; ſicut enim Angeli humanam ſpeciem aſſumentes, homines dicuntur, *Geneſ. 18. & 19.* ita frangi dicitur panis, quando ſenſibilium ſpecierum fit fractura. Maximè quia Euchariſtia vocatur panis, non qualiſcumque, ſed *panis vivus, panis qui de cœlo deſcendit, quem qui manducaverit, vivet in æternum*, ut patet *Ioan.* 6. Quæ omnia pani materiali non poſſe convenire, manifeſtiſſimum eſt. Unde & paſſim, *Panis vitæ, Panis ſuperſubſtantialis, Panis Angelorum* dicitur.

Quintò appellatur *Corpus & ſanguis Chriſti Domini*; quia nimirum in hoc Sacramento realiter continentur. Hinc Tertull. lib. de reſurrect. carn. cap 8. *Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Et Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 4. *Corpus Chriſti, & ſanguinem dicimus illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſe-*

cratum

cratum ſumimus ad ſalutem ſpiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ paſſionis.

Sextò appellatur *Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti, Sacramentum altaris, Sacramentum Fidelium.* Dicitur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti ab Auguſtino lib. 1. de peccat. merit. cap. 24. *Optimè Punici Chriſtiani baptiſmum nihil aliud, quàm ſalutem, & ſacramentum corporis Chriſti nihil aliud, quàm vitam vocant.* Dicitur Sacramentum Altaris ab eodem Auguſtino epiſt. 50. *Convivium Domini unitas eſt corporis, non ſolùm in Sacramento Altaris, ſed etiam in vinculo pacis.* Dicitur etiam Sacramentum Fidelium ab eodem Auguſtino *ſerm. 2. de verbis Apoſt. cap.* 10. tum quia in illo, veluti centro, unitur Fidelium religio: tum quia ſoli fideles ſunt ad illud ſuſcipiendum idonei: tum quia ſolis fidelibus, id eſt in fide ſtabilibus, patefiebat, & in primitiva Eccleſia de eo coram catechumenis non niſi ſub obſcurè, & cum magna cautela verba fiebant. Unde ſæpe Auguſtinus Euchariſtiam non aliter ſignificat, quàm per ſacramentum, vel ſacrificium, quod norunt fideles, ut patet *loco citato, & in Pſalm.* 39. Porrò quàm inſulsè inde inferant Calviniſtæ, in Euchariſtia eſſe tantum ſignum corporis Chriſti, non verò ipſum corpus, quia ſacramentum ſignum eſt, ſuo loco patebit. Et certè eadem aſyllogiſtiâ inferent, Eccleſiam Romanam, & omnes realis præſentiæ Catholicos defenſores, ſolùm in Euchariſtia corporis Chriſti ſignum agnoſcere, cùm Euchariſtiam paſſim, & vulgò ſanctiſſimum ſacramentum, ſacramentum altaris, & clam, & coram, & in familiaribus colloquiis, & in ſolennioribus officiis appellent, atque cum Dionyſio dicant, illud eſſe *Sacramentum ſacramentorum, myſterium myſteriorum*; quia quæ in reliquis ſacramentis peraguntur, eminentiſſimè complectitur.

Septimò à multis hoc ſacramentum *Cœna* appellatur, quia in noviſſima cœna à Chriſto Domino pridie quàm pateretur, inſtitutum eſt. Quod nomen oiuderius hæreticis Lutheranis, & Calviniſtis mirè placet, ut Euchariſtiæ exoſum ſibi nomen repudient, utque (quæ ſumma erroris ineptia eſt) inferre inde, & ſuadere ignorantibus poſſint, ſacramentum hoc non eſſe aliquid permanens, ſed in uſu, cœnandique actu ſitum eſſe, nec ritè fieri, niſi pluribus accumbentibus, nec ad infirmos eſſe deferendum. Fundamentum etiam hujus nominis deſumunt nonnulli ex illis Apoſtoli 1. Cor. 11. verbis: *Cœnantibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare.* Locum enim de Euchariſtia intelligendum docuerunt S. Auguſtinus *epiſt.* 118. S. Eligius *hom* 15. & D. Thomas, præſertim cùm de adorandæ Euchariſtiæ inſtitutione, & neceſſaria ad eam recipiendam diſpoſitione in eodem contextu Apoſtolus ſermonem habeat. Quanvis enim non pauci exiſtiment, Apoſtolum eò loci de cœna Dominica & Euchariſtica non eſſe loquutum, ſed de cœna, ſeu convivio communi, quo primitivæ Eccleſiæ Fideles unà reficiebantur ſenes cum junioribus, ſimul in unum divites & pauper; idque ad imitationem Chriſti, in cujus ultima cœna tres comeſtiones factæ ſunt; prima legalis, in qua Agnus Paſchalis comedebatur; altera communis, in qua ordinarii cibi ſumebantur; tertia ſacramentalis, in qua ſacramentum corporis & ſanguinis ſui Chriſtus inſtituit; ad imitationem ergo Chriſti, & mutuæ dilectionis ſignificationem in commune Chriſtiani convivabantur; ſucceſſu tamen temporis repudiatis pauperibus ditiores oppiparè epulabantur, quem gliſcentem abuſum reprehendit Apoſtolus, verbis præfatis ſtatim ſubnectens: *Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domos non habetis ad manducandum, aut Eccleſiam Dei contemnitis, aut confunditis eos qui non habent?* Conſtat autem in perceptione Euchariſtiæ neminem inebriari, neminem eſurire; conſtat Euchariſtiam vulgò, & opportuniùs domi non ſumi; conſtat pauperes æquè facilè atque divites Euchariſtiam uſurpare. Loquitur ergo Apoſtolus non de Euchariſtia, ſed de agapis, hoc eſt convivio charitatis in Eccleſiis feſtis ſolennioribus frequentato, in quo divites inebriabantur; quod poterat quiſque opulentus domi peragere, quodque ſibi pauperes parare nequibant. Verùm quominus locum illum de Euchariſtia intelligamus, præfata non impediunt. Cùm enim in convivio illo cibi ſtatim à perceptione corporis Domini guſtarentur, per cœnam Dominicam Euchariſtiam rectè potuit intelligere Apoſtolus, cui prophana convivia per abuſum amiſcebantur. Unde ſenſus apoſtolicus iſte eſt: Sic admiſcere convivia prophana, vino ſordida & pauperibus injurioſa, non eſt Euchariſtiam, quæ Dominica cœna eſt, eâ quâ Chriſtus inſtituit, dilectione, eâ quam præcepit, cordis caſtimoniâ manducare.

Nec eſt, quod inde aliquid in patrocinium ſuorum errorum derivent noſtrates hæretici: omnes quippe ritus, quos Chriſtus pro loco & tempore ſervavit, Eccleſiæ ſervandos non præcepit. Sed ſi ita ſcrupuloſi ſunt Calviniſtæ, cur non agnum in ſua cœna comedunt? Cur non eam ſerotino tempore cœnati uſurpant? Cur aſtantium priùs pedes non lavant? Sed homines, ſi Superis placet, religioſiſſimi, eas cæremonias aucupantur, quas Eccleſia Catholica Spiritu ſancto gubernata prætermittit; eas prætermittunt, quas illa traditionum paternarum tenax cuſtodit. Quia nimirum ſumma Calviniſtarum religio, ſumma regula eſt Eccleſiæ Chriſti adverſari, & omnibus ſacris ritibus conculcatis, eas affectare cæremonias, quas Patres non neceſſarias judicaverunt, ſuas ut Calviniſtæ novitates obtrudant.

Denique ut aliorum nominum vim intelligas, quibus hoc auguſtum Sacramentum ſacri Doctores celebrarunt, illiuſque immenſam dignitatem, & præcellentiam uno vocabulo minimè comprehenſibilem, variis, & variis nominum titulis exprimere conati ſunt, præ oculis habenda eſt doctrina S. Thomæ *quæſt. 73. art.* 4 ubi oſtendit, quod quia hoc Sacramentum tria potiſſimùm ſignificat, & præteritam Chriſti paſſionem, & præſentem gratiarum effuſionem, unde fidelium inter ſe, & cum Chriſto communio profluit; & futuræ gloriæ felicitatem, nihil mirum ſi tot proprietatibus, & effectibus deſignandis idem ſacramentum diverſis nominibus inſigniatur. Hinc *Redemptionis memoriale* à multis, *Holocauſtum ſalutis* à Ruperto, *Sacrificium diviniſſimum* à Dionyſio, *Sanctum ſanctorum, Sacramentum ſacramentorum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedinum* à Bernardo; *Verbum nutritorium animarum* ab Origene, *Panis beatitudinis* ab Athanaſio, *Æternæ vitæ cibarium* à Chryſologo, *Poculum immortalitatis* à Proſpero, *Alimonia immortalitatis, & vitæ æternæ portio* à Cypriano, denique *Omnium novitatum novitas* à Hieronymo, & *Officina omnium miraculorum* à Damaſceno appellatur. Ut autem in hoc Sacramento, quod Germanus Conſtantinopolitanus *arcam luminum* vocat, dilucidè procedamus, faciliora, & magis certa more noſtro præmittemus; difficiliora deinde proſequuturi. Verùm quia toto harum diſſertationum decurſu realem corporis & ſanguinis Chriſti in hoc ſacramento præſentiam, & panis & vini in corpus & ſanguinem ejuſdem transſubſtantiationem ſupponere opus eſt; & vix, ac ne vix quidem ſtabilire quidpiam orthodoxum poſſumus, niſi

ca-

cardinalibus illis veritatibus ſuperſtructum ſit, operæ pretium eſt priùs conſtantem Eccleſiæ Catholicæ fidem omni argumentorum genere adversùs hæreticos moderniores communire, quàm ut explorata de hoc Sacramento Eccleſiæ dogmata exponamus.

DISSERTATIO I.

Realis Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia, necnon panis & vini in Corpus & Sanguinem ejuſdem tranſubſtantiatio adverſum noſtrates hæreticos propugnantur.

DE Euchariſtiæ Sacramento primùm nobis cum hæreticis modernis agendum eſt, ut illuſtratâ Eccleſiæ Catholicæ, & Romanæ veritate, omniumque errorum tenebris depulſis, difficultates deinde à Catholicis ventilatas planiùs explicemus. Hoc argumentum innumeri viri Catholici præclarè proſequuti ſunt, oſtenderuntque Lutheranorum, & Calviniſtarum, quæ ipſis maxima videntur argumenta, frivola eſſe ſophiſmata, ac commentitia, & ut alicubi ait deſertus Cano, vix digna lucubratione & ingenio anicularum; taliaque certè, propter quæ non modò ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, & omnium Chriſtianorum toto quàm latè patet orbe ante natos iſtos apoſtatas degentium, unanimi conſenſione, ſed nec ab amici unius probi, & ſinceri eſſet neceſſitudine ſententiaque diſcedendum. Quare poſt aureas Cardinalium Perronii, Bellarmini, Richelii; Epiſcopi Coëffetæi, aliorumque lucubrationes, quibus omnia à clariſſimis ingeniis præoccupata ſunt, nihil fermè dicendum ſupereſſet, niſi argumenti fœcundiſſimi dignitas immenſa, veritatis Catholicæ ſplendor in dies magis magiſque ſeſe explicans, & hæreticorum vaniloquia novam ſemper fandi materiam, & copiam ſubminiſtrarent.

Verùm ut ingenuè fatear, nullus faciliùs, expeditiùs, efficaciùs, & (abſit verbo invidia) eruditiùs, & juxta feliciùs catholicam realis corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quod præcipuum adversùs noſtrates heterodoxos controverſiarum caput eſt, eximio Doctore Sorbonico Domino Antonio Arnaldo *libro de perpetuitate fidei Euchariſtiæ*, demonſtravit. Et quanvis illud operæpretium & Religionis armamentarium quidam mendacii Miniſter Claudius nomine, conquiſitis nonnullis orationis floſculis, pigmentis muliebribus, fucis puerilibus, & perpetuis fallacium antitheſeon pugnis, in ſpeciem titillantibus aggredi molitus ſit; attamen idem Arnaldus hæretici librum ſic diſpunxit, eo robore criminationes ejus diſcuſſit, eo lumine ſophiſmatum offuſas diſpulit eo rationum pondere, & gravitate manifeſtiſſimarum figurarum levitatem & cantilenam oppreſſit, eo nervo Catholicam veritatem defendit, ut adverſarium floridum illum quidem ab omni ſoliditate tamen deſertum, nullo in loco conſiſtere ſinat, ſed eum prorsùs exarmatum non fodiat, uſque ad hæreſis internecionem; denique convincat ſic cavenda eſſe verba hæretici Claudii, ceu poculum venefici, quod priùs dulciter mulcet, ut poſtmodùm lethaliter necet.

Et certè non ſine ſpeciali æterni Numinis providentia veritatem, tot olim modis divexatam abſcondit diu Deus in abſcondito faciei ſuæ à contradictione linguarum, ut eum tempore deinceps opportuno excitaret, & in defenſionem Chriſti Dei verè abſconditi, id eſt ſub ſpeciebus panis & vini latentis adversùs hæreticorum impetus armaret. Decebat ſanè, & Euchariſtiæ myſterii propugnatori planè congruebat, ipſum inſtar grani frumenti in terram cadere & mori, ut multum poſteà fructum in univerſam Eccleſiam redundaturum afferret; omnibuſque calumniatoribus palam faceret, quid ſentiret de illo cibo, quem frumentum electorum, & vinum germinans virgines docti à Domino Prophetæ nominarunt.

Fuerunt quidem nonnulli (eorum nominibus parco, parcat utinam & eorum iniquitati Deus) qui abſque ulla veri vel tenuiſſima ſpecie per ſummam, & ante hæc tempora inauditam calumniam Doctorem illum negatæ tranſſubſtantiationis, & realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ inſimulare non erubuerunt, quanvis infandam illam ſuſpicionem tot à ſe ſcriptis luculentiſſimis ante accuſationis illius atrocitatem exarans depuliſſet; ubi Catholicæ fidei articulum, qui ſibi ſemper præcipuo amori fuit & venerationi, his expreſſionibus, ea perſpicuitate extulerat, quibus accuratiores & formaliores nec Patres, nec ſacra Concilia, nec Theologorum Princeps S. Thomas nec Scholaſtici ulli Scriptores ad exponendum Eccleſiæ ſenſum germaniſſimum unquam invenere. Porrò quid in illo accuſationis monſtro magis eminuerit, an calumnia, an ſtultitia, & utra utram vincat, prorſus ignoro; adeo enim inſulſis & fatuis conjecturis tam indignam in præfatum Magiſtrum ſuſpicionem conferre conati ſunt, ut non ſolùm refellere, ſed nec referre etiam ſine fatuitatis nota ipſe auderem, & meminiſſe puderet, niſi ipſe Claudius præteritorum argumentorum vi obrutus, & futura ſuboderatus, ut ad ſilentium importabilem adverſarium adigeret, eandem calumniam minitabundus regeſſiſſet. Dolus, an virtus: quis in hoſte requirat? At enim hæreticorum fraudes facilè floccifacimus, & de recta Domini Arnaldi in Deum fide nemo dubitabit, niſi fuerit improbis calumniatoribus improbitate non impar. Nam in opere noviſſimo, quod Clementi IX. nuncupavit, tam ſtrenuè cauſam Eccleſiæ agit, ut armis lucis deſtruat opera tenebrarum adeò fortiter & juxta ſplendidè, ut nulla ſuperſit Calviniſtis noſtris excuſatio, ſi ad avitam Eccleſiæ Catholicæ fidem non revertantur.

Hæc in commendationem viri Theologi, de Eccleſia Romana & Catholica tam benè meriti, innocentiæ ipſius veritate, impactarumque calumniarum falſitate convictus libenter ſcripſerim, qui nihil poſſum adversùm veritatem, ſed pro veritate. Elogiis quæ ipſi panxerunt Epiſcopi & Doctores quamplurimi nihil tenuitas mea adjiciet; hæc tantùm Salviani ad Eucherium verba veridicus uſurpabo, *Legi libros* de perpetuitate fidei Euchariſtiæ. *doctrinâ uberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, mentis Authoris. ac pietatis pares.* Ex his etiam totam hanc diſſertationem locupletabimus.

CAPUT I.

Vera realis, & ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentia omni argumentorum illorum genere ſtabilitur, quibus certiſſima fidei dogmata, & apud ipſos hæreticos indubitata demonſtrari ſolent.

PRæſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia dixi *veram, realem, & ſubſtantialem. Veram* contra Zuinglianos, qui Chriſtum non

niſi

niſi ut in ſigno & figura volunt eſſe in Euchariſtia præſentem. *Realem*, contra Calvinum fingentem Chriſtum eſſe tantùm objectivè in Euchariſtia præſentem per ſolam fidei apprehenſionem. Quanvis enim vaferrimus Hæreſiarcha, ob motas præſertim Lutherum inter & Zuinglium acerbiſſimas contentiones variè de Chriſti præſentia ſcripſerit, & Chriſtum nobis exhiberi, carnem ejus nobis porrigi non ſemel dixerit, ut Lutheranorum invidiam declinaret; reverâ tamen realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti inficiatus eſt. Denique *ſubſtantialem*, contra quoſdam cavillantes Calvini diſcipulos, quos ſequitur Claudius Miniſter Charentonenſis, qui non ſubſtantiam, ſed virtutem duntaxat corporis Chriſti eſſe in Euchariſtia præſentem, quæ panem ac vinum inundet, comminiſcuntur. Nos autem Catholici verum Chriſti Domini corpus, illudque idem quod natum ex Virgine in cœlis ſedet, in hoc ſacramento verè, realiter, & ſubſtantialiter contineri ſine ulla dubitatione credimus, incunctanter confitemur, & ſequentibus ſpeculationibus ſuademus. Varios porrò de Euchariſtia errores capite ſequenti recenſebimus.

Speculatio I.

Chriſtus Dominus nobis corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum realiter daturum promiſit. Promiſſionem verò illam in inſtitutione Euchariſtiæ implevit. Ergo Chriſtum realiter in Euchariſtia poſſidemus.

Brevi argumento totum probationum è Scripturis depromendarum momentum ſpeculatio iſta complectitur quàm efficaciſſimè. Cùm enim Chriſtus, qui ipſa veritas eſt, nec falli, nec fallere, vel frangere fidem ſuam poſſit, ſi corpus & ſanguinem ſuum realiter daturum promiſerit, nec promiſſionem illam alibi quàm in Euchariſtiæ inſtitutione impleverit, proculdubio Chriſtum realiter in Euchariſtia præſentem habemus. Duæ igitur ſpeculationis partes diligenter comprobandæ ſunt, ut ex illis veritas catholica certiſſimè, & juxtà limpidiſſimè deſivetur.

Inprimis, quod Chriſtus nobis verum corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum promiſerit, clariſſimè patet ex verbis illis, Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Nec clariſſima illa Veritatis verba ullis hæreticorum nebulis obſcurari poſſunt, ſive dicant Salvatorem de ſpiritali tantùm manducatione fuiſſe loquutum, ſive de carne non realiter & ſubſtantialiter, ſed per figuram dumtaxat panis danda verba illa interpretentur. Non, inquam, poſſunt his ſubterfugiorum vitilitigationibus tam aperta verba eludi. Tum quia cùm præfata Redemptoris verba Judæis litigio fuerint & ſcandalo: *Litigabant enim ad invicem dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.* Nec Judæis tantùm, ſed etiam quibuſdam diſcipulis, nulla invidiâ, nullâ in Chriſtum ſimultate actis fuerunt verba illa offenſioni, unde & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt illum audire?* Ergo tam Judæi Capharnaitæ, quàm diſcipuli illi conturbati verba Servatoris de reali & ſubſtantiali carnis ejus in cibum dandæ promiſſione interpretati ſunt: neque enim litigii, ſcandali, vel offenſionis cauſam ullam vel tenuiſſimam habuiſſent, ſi Chriſtum de ſpiritali manducatione, vel de ſigno corporis ſui inſtituendo loquutum exiſtimaſſent. Et tamen exiſtimationem eorum nec removit Chriſtus, nec illorum ſcrupulos, æſtuſque facillimo illo ſpiritalis, vel figurativæ manducationis interpretamento, quo omnes difficultates ſponte evanuiſſent, Chriſtus ſedavit, ſed eam magis magiſque firmavit: *Amen, amen dico vobis*, inquit, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quin diſcipulis, quibus obſcura à ſe populis propoſita opponere conſueverat, ob eam exiſtimationem abire permiſit; alioſque, num vellent abire, interrogavit, ne quidpiam de veritatis rigore remitteret. Quis autem credat Chriſtum Dominum, totum ad clementiam, pietatem, & miſericordiam comparatum, qui verbulo uno Capharnaitas ab errore, diſcipulos à queritandi imbecillitate liberaſſet, amboſque citò perſanaſſet, illorum tamen intelligentiam, quàmlibet rationi duram, & reipſa, ſi vera eſt Calviniſtarum ſententia, falſam confirmare voluiſſe, aut potuiſſe, ſubindeque errorum tenebras non depuliſſe, ſed auxiſſe & addenſaſſe, atque exemplo futuræ corporis ſui aſcenſionis ſtabiliviſſe. *Hoc vos ſcandalizat?* inquit: *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat priùs, &c.* Accedit, quod verbis illis tam ſenò expreſſis, tam crebrò in eodem contextu inculcatis, aliquid ſpeciale & eximium fidelibus ſuis Chriſtus promiſit, quod Judæis nondum fuerat datum, cùm clariſſimè atteſtetur: *Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt*; id eſt, donum vobis mannâ longè præſtantiùs polliceor. Patet verò ſpiritalem Chriſti per fidem manducationem jam pridem fuiſſe à Patribus fide grandibus uſurpatam, & manna perfectiorem fuiſſe Chriſti figuram, quàm ſit ſimplex panis. Ergo nihil ſingulare, nihil eximium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tribuiſſet, ſi panem duntaxat uſualem in figuram corporis ſui, & præterea nihil ſe daturum ſpopondiſſet.

Ergo corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ſe verè, & non figurâ tenus daturum Chriſtus pollicitus eſt, cùm dixerit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Unde verba illa de vera Chriſti carne in cibum danda, & ore ſumenda intellexit Concilium Epheſinum in approbatione epiſtolæ Cyrilli ad Neſtorium, ubi S. Doctor ex eo Joannis loco carnē Chriſti eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter unitam Verbo Divino confirmat, quia ab eo haurit, ut in ſacramento accedentes vivificet. *Confitemur*, inquit, *incruentum in Eccleſia ſacrificium nos celebrare, atque ad myſticas benedictiones accedere, eaque ratione ſanctificare, utpote ſancta carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus, abſit hoc; aut rurſus tanquam viri cujuſpiam ſanctificati, aut dignitatis tantùm æqualitate Verbo conſociati, aut divinam inhabitationem ſortiti; ſed tanquam verè vivificam, ipſiuſque Verbi propriam. Nam enim vita ſit, ut Deus ſecundùm naturam, ſimul atque unum quoddam cum ipſa carne effectus eſt, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat, Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis; nequaquam tamen illam communem, hoc eſt hominis cujuſpiam noſtræ conditionis carnem exiſtimare eſſe debemus. Quomodo enim hominis caro ſecundùm ſuam ipſius naturam vivifica eſſe queat? Sed verè illius propriam, qui noſtri cauſâ Filius hominis & factus, & appellatus eſt.*

Eodem modo locum illum de reali carnis Chriſti præſentia intelligit Concilium Nicænum II. act. 6. *Nullus*, inquit, *incruentum ſacrificium noſtrum dixit imaginem corporis ejus; ſed audiunt evangelicè, dicente eo: Niſi manducaveritis carnem filii hominis.*

Sed de hoc longè præclariſſimo teſtimonio fuſius infrà.

In eundem ſenſum locum illum SS. Patres interpretati ſunt. Cyrillus enim Alexandrinus *in Ioannem*, ad hæc verba, *Qui manducat meam carnem*, &c. *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera eſſe videbis: eodem quoque (opinor) modo, qui Salvatoris noſtri carnem ſuſcipit, & bibit pretioſum ejus ſanguinem, ut ipſe ait, unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quoddammodo, & immixtus ei per illam participationem: ita ut in Chriſto quidem ille reperiatur, & viciſſim Chriſtus in ipſo.*

Id ipſum clariſſimè docet Hilarius *lib. 8. de Trinit.* ubi ex verbis illis probat, Patrem & Filium unum eſſe, non ſolùm effectu & conſenſu, ſed etiam naturâ, quia Chriſtus nobiſcum in Euchariſtia non ſolùm charitate & fide, ſed verè etiam, & realiter unitur. *Eos nunc*, inquit, *qui inter Patrem, & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum eſt, & nos verè Verbum carnem cibo dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis noſtræ iam inſeparabilem ſibi natus homo aſſumpſit.* Et poſt plura in hanc rem peropportuna, ſic habet: *Quæ ſcripta ſunt legamus, & quæ legimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Chriſti veritate quæ diſcimus, niſi ab eo diſcimus, ſtultè atque impiè diſcimus. Ipſe enim ait, Caro mea verè eſt cibus: de veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus.*

Eodem modo locum illum interpretati ſunt Irenæus *lib. 4. cap. 34.* Origenes *hom. 16. in Num.* Cyprianus *lib. de Orat. Dominica*, Baſilius *in regulis moralibus, regul. 21.* Ambroſ. *lib. 4. de Sacrament. cap. 5. & lib. 5. cap. 1. & libro 6. cap. 1.* Auguſtinus *locus poſtea referendus*, Leo Magnus *ſerm. 6. de jejunio 7. menſis*, Bernardus *ſerm. 3. in Pſal. Qui habitat.* Et certè incredibile eſt, Joannem diſcipulum amoris de præcipuo Chriſti dilectionis pignore Euchariſtia, mentionem nullam in Evangelio feciſſe: & tamen id dici neceſſe eſt, ſi verba capitis ſexti de Euchariſtia non intelligantur. Hinc Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 1. *Ioannes*, inquit, *de corpore & ſanguine Domini hoc loco nihil dixit, ſed plane alibi multò uberiùs*, ſcilicet *cap. 6.* cùm alibi nuſquam de eo meminerit. Sed clariſſimè Chryſoſtomus *hom. 45. in Ioannem*, in hæc verba, *Panis quem ego dabo*, &c. *Vt autem*, inquit, *non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maximè eſt.*

Dices: Chriſtus ipſe Capharnaïtarum murmurantium, & offenſorum diſcipulorum intelligentiam correxit, dicens: *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Id eſt, prolata à me verba ſpiritaliter intelligenda ſunt, nec de manducatione corporali, ſed ſpiritali, quæ per fidem eſt accipienda.

Reſpondeo Capharnaïtas duo in verbis Chriſti apprehendiſſe, & realem carnis Chriſti præſentiam, & carnalem comedendi modum, quo caro in fruſta dividitur, dentibus premitur, in ſtomachum trajecta concoquitur, & in ſubſtantiam convertitur comedentis. Priorem intelligentiam nõ correxit, ſed firmavit Salvator, ut ſuprà oſtendimus: poſteriorem verò emendavit. [illegible] locum illum interpretatur Auguſtinus tractat. 27. in Joannem. *Non prodeſt quidquam*, inquit, *ſed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur. Proinde ſic dictum eſt, Caro non prodeſt quicquam; quomodo dictum eſt, Scientia inflat. Iam ergo debemus odiſſe ſcientiam? Abſit. Et quid eſt, Scientia inflat? Sola ſine charitate: & ideò adjungit, Charitas verò ædificat. Adde ergo & ſcientiæ charitatem, utilis erit ſcientia, non per ſe, ſed per charitatem. Sic etiam nunc: Caro non prodeſt quicquam. Accedat ſpiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam, & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis.*

Ex his præclaris Auguſtini verbis liquet, & Chriſtum nobis carnem ſuam veram in Euchariſtia daturum eò loci promiſiſſe, & eatenus Capharnaïtas erraſſe, quatenus carnem illam carnali more comedendam intellexerunt, quem errorem ut corrigeret, dixit: *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui vivificat.* Id eſt, caro ore premenda, ac dentibus mandenda & commolienda vobis non porrigitur, quæ ſic comeſta nihil prodeſſet, ſed horrorem potiùs ingeneraret. Attamen caro mea verè vobis dabitur, quæ modo ſpiritali corporibus glorioſis eximio, in Sacramento, realiter tamen & ſubſtantialiter tota in toto, tota in qualibet parte, quo modo ſpiritus eſt in corpore, exiſtet. Ad quem cibum dignè accipiendum ſpiritu gratiæ & pietatis ſingularis opus eſt; caro enim mea ab indigno accepta non prodeſt quicquam, ſed obeſt plurimùm judicium ſibi manducanti, & non dijudicanti corpus Domini. Verba ergo quæ loquor vobis *ſpiritus ſunt*; quia licèt caro mea verè ſit cibus veſter in Sacramento tamen non apparebit modo corporeo, extenſo, viſibili, contrectabili, ſed dotes, & modum ſpirituum in loco imitabitur. *Spiritus ſunt*, quia illis ut credamus, ab imaginatione abſtrahendum, à ſenſibus ſecedendum, ad ſpiritum non quidem merè humanum, ſed fide divina illuſtratum, tanquam ad veritatis portum & aſylum confugiendum eſt. *Spiritus ſunt*, quia niſi ſpiritu ambulaverimus, niſi Spiritum Chriſti habuerimus, niſi fide, ſpe, charitate, humilitate, reverentiâ, aliiſque ſpiritus ſanctis affectibus ad cibum illum comedendum accedamus, ipsâ divinitate uncta Chriſti caro non prodeſt quicquam, quia mors eſt malis, vita bonis. Denique *vita ſunt*, quia qui verbis à me prolatis ſincerè credit, & his permotus ad Euchariſtiam piè uſurpandam accedit, vita gratiæ in hoc mundo, vitâ gloriæ in futuro potietur.

Inſtabis: Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 16.* tradendo regulam, quâ diſcernatur, quandonam loci alicujus Scripturæ loquutio figurata cenſenda ſit, ſic habet: *Si præceptiva loquutio eſt, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata: ſi autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem ac beneficentiam vetare, figurata eſt. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis; facinus vel flagitium videtur jubere, figura eſt. Ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter atque utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.* Igitur, Chriſtus Dominus *Ioan. 6.* per carnem ſuam non intelligit carnem ipſam ſuam realiter & ſubſtantialiter, ſed figurativè donandam. Idem docet *in Pſalm. 98.* ubi Chriſtum Capharnaïtas alloquentem ſic inducit: *Spiritaliter intelligite quod loquutus ſum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri* [illegible] *ſanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent.*

Sacra-

Sacramentum aliquod commendavi vobis : ſpiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodeſt quicquam.

Reſpondeo priorem locum non eſſe ad rem; Sanctus enim Auguſtinus ait ibi, Euchariſtiam eſſe figuram crucifixionis Chriſti, cui præcipimur communicare; non verò ait eſſe figuram corporis Chriſti. Reſpectu ergo falſæ illius & rudis exiſtimationis, quâ credi poſſet carnem Chriſti viſibili & cruento modo eſſe comedendam, quâve hoc ſenſu præciperetur flagitium, figurata ſunt Chriſti verba : ſed ſicut non eſt flagitium carnem Chriſti incruento, inviſibili, & ſpiritali modo, realiter tamen porrectam comedere; ita reſpectu illius exiſtimationis non ſunt figurata verba Chriſti. *Quæ quaſi flagitioſa*, inquit idem Sanctus Doctor cap. 10. *imperitis videntur, ſive tantùm dicta, ſive etiam facta ſint, vel ex Dei perſona, vel ex hominum, quorum nobis ſanctitas commendatur, tota figurata ſunt.* In exemplum hujuſmodi figuratorum profert unctionem pedum Chriſti à Magdalena factam, quia in aliis vulgi hominibus luxui deputaretur, quæ in Magdalena magnæ cujuſdam rei ſignum fuit. Affert etiam conjunctionem Ozeæ Prophetæ cum meretrice, Deo jubente initam, in perditis hominibus flagitioſam, in Ozea grandis myſterii figurativam, cum quibus figuris ſtat & veritas unctionis & veritas etiam conjunctionis. In verbis ergo illis Salvatoris, quæ imperitis flagitium præ ſe ferre videntur, cum veritate carnis ſuæ conſiſtit figura paſſionis Chriſti, cui communicare præcipimur, *& ſuaviter, atque utiliter recolere, quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit.* Sunt ergo Auguſtino authore quædam verba figurata res ipſas ſignificantia; quæ tamen res aliud verbis non expreſſum ſignificant. Sicut, teſte eodem Patre *epiſt.* 119. *cap.* 10. ſabbathum Judæis præceptum eſt in otio corporaliter celebrandum, ut figura eſſet mentis in Spiritu Sancto futuræ quietis; & tamen præceptum illud ad otium corporale Judæos obligabat. *Sicut etiam* ex eodem Auguſtino *lib. cont. mendac. cap.* 13. figura fuit, quando Chriſtus interrogavit : Quis me tetigit? Ubi poſuiſtis eum? & quando finxit ſe longiùs ire : & tamen & verè interrogavit, & verè ſe longiùs ire finxit. Ergo verba illa *Ioan.* 6. nō eo ſenſu figurativa ſunt, quòd non ſignificaverint quod exprimebant; ſed quia aliud minimè expreſſum figurabant.

Hac reſponſione ab Auguſtino ſui interprete deprompta, abſque negotio quæ accumulant hæretici ejuſdem S. Patris teſtimonia, explicare eſt. Ad locum tamen ex Pſalmo 93. ad doctrinæ ubertatem dicendum, veridicè monuiſſe Auguſtinum verba Chriſti ſpiritualiter eſſe intelligenda; ſpirituali namque intelligentiâ opus eſt, ut credamus Chriſtum non carnali modo, ſicut exiſtimabant Capharnaitæ, ſe præbere edendum; ſed ſpiritalem, tametſi realem, ſui corporis ſui præſentiam omnipotentiſſima ſua poteſtate nobis exhibere. Unde ſubjunxit : *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis*; id eſt, illud viſibile & palpabile carnali modo nequaquam comedetis. Patet id ex Auguſtiniano contextu; exponit enim ibi Auguſtinus illud Pſalmi, *Adorate ſcabellum pedum ejus*; quæritque quæ ſit hæc terra, quæ adoranda præcipitur tanquam ſcabellum pedum Dei? Reſpondet verò hanc terram eſſe carnem Chriſti, ſubditque : *Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Manifeſtè ergo ſenſit Auguſtinus, carnem Chriſti vere & realiter porrigi nobis in Euchariſtia manducandam, cum illa ſola ſit ſcabellum pedum Dei, in qua aſſumptâ carne ambulavit, & ſola digna eſt, quæ adoretur. Quando ergo ait : *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis*, loquitur de corpore quoad modum palpabilem & viſibilem, non quoad ſubſtantiam illius. Nec mirum id videri debet, familiare enim eſt Auguſtino de corporibus glorioſis loqui, ac ſi eſſent carne exuta; quia nimirum ſpiritualem conditionem beatis immortalitatis dotibus conſequuntur. Hinc lib. de fide & ſymbolo, cap. 10. *Illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit & ſanguis, ſed tantùm corpus. In cæleſtibus verò nulla eſt caro, ſed corpora ſimplicia & lucida, quæ appellat Apoſtolus ſpiritualia.* Et lib. contra Adimantum, cap. 12. *Cum induerit incorruptionem & immortalitatem, jam non caro & ſanguis erit, ſed in corpus cæleſte mutabitur.* Itaque non hoc corpus, quod videbant Judæi manducamus; quia non aſpectabile, ſed inviſibile, immortale, & cæleſte nobis porrigitur.

Promiſſa ſua Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ implevit.

Altera ſpeculationis pars affirmans ſolennem illam carnis ſuæ realiter & ſubſtantialiter nobis dandæ promiſſionem Chriſtum in inſtitutione Euchariſtiæ impleviſſe, tam aperta eſt, quàm quod maximè. *Accipite & comedite*, inquit Veritas promiſſis ſtans, & fidem ſuam liberans : *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Bibite ex hoc omnes : Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Figuras autem, vel tropologicas loquutiones in tam perſpicuis verbis comminiſci, inſanire eſt, vel certè hæreticorum more cavillari, tenebras lucē, lucem tenebras dicere. Ponderant, nec abs re quidem, Interpretes verba Servatoris; atque verba amphibologica & obſcura, nec candori teſtatoris, nec amantis ſinceritati congruere, obſcura enim teſtamentorum verba rixarum occaſio ſunt & litium ſeges inexhauſta; amantium verò, & maximè prope exitum corda pandentium ſermones poſtremi ab omni ſunt ambiguitatis nota remotiſſimi. Si enim imminente morte eò loci ponuntur homines, ubi ſicut major verborum fides, & ab omni mendacii, vel fraudis, aut ambiguitatis ſuſpicione remotior eſt, *cùm veræ voces*, ut ille ait, *tum demùm pectore ab imo ejiciuntur, eripitur perſona, manet res*; quanto potiùs de ipſa Veritate Chriſto id credere poſſumus, & debemus. Chriſtus autem in inſtitutione Euchariſtiæ teſtamentum condebat, juxta illud Luc. 22. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Hinc Tertullianus libro. 4. contra Marcion. cap. 40. *In calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam corporis confirmavit.* Et certè ſi ſecundùm Juriſperitos verba teſtamentorum in rigore ſumenda ſunt, & intentio teſtatoris talis præſumenda; qualem verborum proprietas præfert, quidni idem de teſtamento Salvatoris judicium feremus? Præclarè Auguſtinus lib. de unit. Eccleſ. cap. 11. *Cum verba noviſſima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit eſſe mentitum; & impius judicatur heres, qui fortè illa contempſerit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, ſi vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba noviſſima & unici Filii Dei, & Domini noſtri ac Salvatoris, & ituri ad cælum, & inde proſpecturi; quis ea negligat, quis obſervet : & inde venturi, ut de omnibus judicet?* Tunc etiam ultima paterni divinique amoris argumenta præbere, & divitias affundere ſatagebat. *Cum enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Scilicet excurrerat divinus amor, ſed ultimam metam, extremumque limitem in hoc dilectionis ſacramento attigit, & totius benevolentiæ coronamentum poſuit, plus ultrà progredi non valens, niſi aliquid daret poſt omnia.

Ponderant alii, tunc Chriſtum quidpiam inſtituiſſe in Eccleſia ſua perpetuis temporibus ad conſummationem ſæculi faciendum. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Ergo id

inſtituit, quod clarè cognoſci, & perſpicuè ſciri à fidelibus poſſet. Quomodo namque exequutioni mandari poteſt quod non niſi obſcurè percipitur eſſe faciendum, & ad perpetuam rei memoriam celebrandum, & religioſè habendum imperatur? Certè illud accuratè ſervari nequaquam poteſt, quod metaphoricè, & ſub dubio propoſitum eſt. Unde Legiſlatores præcepta ſua non niſi perſpicuis & apertis verbis edicunt.

Expendunt alii unanimem Evangeliſtarum conſenſum; incredibile enim eſſet, verba illa, ſi non in germano & naturali, quem præferunt; ſed figurativo ſenſu intelligenda Chriſtus voluiſſet, Evangeliſtarum neminem Salvatoris mentem in re tam gravi, tam ſeria, tamque ſcitu neceſſaria expoſuiſſe, qui in aliis minoris momenti rebus adeo fuere ſoliciti ſub obſcura Servatoris verba accommodato benignæ interpretationis lenimento temperare, ſicut cùm Chriſtus dixit: *Solvite templum hoc*; & *Attendite à fermentis Phariſæorum*: primum de templo corporis ſui, alterum de hypocriſi phariſaica intelligendum eſſe declararunt. Joannem etiam Baptiſtam, quem Eliam Matthæus nuncupaverat, talem ſpiritu & virtute fuiſſe Lucas expoſuit. Joſeph quoque non ſemel Chriſti pater ſine additamento vocatus, qualis fuerit, Lucas admonuit, cùm verba illa, *ut putabatur*, adjecit. Quod & aliis paſſim obviis locis claret. Præſertim cùm id Chriſto ſolenne fuiſſe ſciamus, illud idem, quod turbis & populis juſtis reconditæ ſuæ providentiæ judiciis propoſuerat, apertè deinde, dilucidéque explanare, quia nempe illis datum erat noſſe myſteria Regni, nec illos dicebat ſervos, ſed amicos, quæcumque à Patre acceperat nota facturus: quod & experti ipſi diſcipuli *Joan.* 16. confeſſi ſunt: *Ecce*, inquiebant, *nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis*. Ergo non eſt veriſimile in ultimis illis amoris indiciis & omnigenæ charitatis ſignificationibus ſolito eos orbaſſe privilegio, qui deſiderio deſiderabat hoc paſcha manducare cum diſcipulis, extrema ut benevolentiæ argumenta, ultimumque ſinceræ amicitiæ conatum demonſtraret, atque omnes teneritudinis notas fuſiſſimo ſermone non tam daret, quàm profunderet. *Ferè*, ut verbis Hilarii *lib.* 8. *de Trinit.* utar, *qui Verbum eſt, & qui veritas eſt, loqui vera neſcivit? Et qui ſapientia eſt, in ſtultiloquiis erravit? Et qui virtus eſt, in ea fuit infirmitate, ne poſſet eloqui quæ vellet intelligi?* Nullâ ergo tum figurâ uſus eſt, cùm illud implendum erat, quod *Joan.* 16. ſponderat: *Venit hora, jam non in proverbiis loquar vobiſcum.* Hæc, & alia multa alii rectiſſimè, juxtà veriſſimè; tantus enim eſt, tam emicans verborum Chriſti, tametſi ſimpliciſſimorum ſplendor, tot ex eis ſcaturiunt luminum rivi, ut infinita ſuppeditent ad diſcutiendas hæreticorum tenebras rationum momenta.

Sed iis omiſſis, hoc unum, ut verum fatear, dilemma non ſuadet modò, ſed cogit planè. Vel Chriſtus Dominus ad Eccleſiæ ſuæ ſolatium, ad ſignificandumque divini erga nos amoris ſui ignem immortalem non potuit nobis corpus ſuum realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia tradere; vel tametſi potuit, noluit tamen. Si primum dicant hæretici Caluiniſtæ, ruit penitus divina potentia, & virtutem illam, quæ aquam convertit in vinum, quæ ſeptem panibus plura hominum millia refecit, quæve è nihilo eduxit orbem terrarum, juxta novam Calviniſtarum matheſim metiri opus eſt, illique præfigere metas, quem tamen omnipotentem hactenus credidimus, hactenus in ipſo Chriſtianæ profeſſionis exordio confeſſi ſumus. *Si* dicant Calviniſtæ, hoc ſingularis amoris ſingulare pignus exhibere quidem potuiſſe Chriſtum, at noluiſſe tamen; dicant, quæſo, an poſſint apertiora bonæ illius Chriſti voluntatis indicia non modò inveniri, ſed cogitari quidem? Reſpondeant, amabò, ſi Chriſtus eo nos decrevisset amore dignari, verbáne clariora, ad ſignificandamque ſuam voluntatem magis idonea, minúſve incredulorum calumniis obvia ſeligere potuiſſet? Sanè cùm ad Trinitatem adverſùs Arianos demonſtrandam, vel ad Incarnationem contra Marcionem, Neſtorium, Eutycheten, aliaſque peſtes ſtabiliendam nihil verbis illis expreſſius habeamus, quibus contra Calviniſtarum novitatem realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam comprobamus, vel Scripturas omnes funditùs evertere, vel eas hæreticorum depravationibus, & corruptelis permittere, proindeque omnem Religionem abolere oportebit, ſi de humano arbitratu limpidiſſima teſtimonia ad ſenſus figurativos violentis detorſionibus inflectamur. Suntne clariora verba hæc: *Ego & Pater unum ſumus: Verbum caro factum eſt*; iſtis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus?* Si poſtremis ſenſum figurativum aſſingere liceat Calvinianis, cur priora per unionem amoris & voluntatis interpretari non licebit Ario, non licebit Neſtorio? Sed fortè deerant Arianis, deerant & Incarnationis hoſtibus ſcripturarum in ſpeciem ſibi faventium fuci, quibus venena ſua oblinirent. Imò, ut rectè ait Vincentius Lirinenſis, utebantur planè, & vehementer quidem ſacrarum literarum teſtimoniis. Vidiſſes eos volare per ſingula quæque ſanctarum paginarum volumina, per Moſis, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Evangelia, per Prophetas, ut Trinitatis & Incarnationis impoſſibilitatem demonſtrarent. Sive enim apud ſuos, ſive alienos; ſive privatim, ſive publicè; ſive in ſermonibus, ſive in libris; ſive in conviviis, ſive in plateis, nihil unquam penè de ſuo proferebant, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conarentur. *Lege*, inquit, *Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomii, reliquarumque peſtium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit.* Omnes ad unum Calviniſtas provoco, ut locum nobis aliquem ſcripturarum figuratis ſuis interpretamentis peræquè faventem proferant, atque erat ille Arianis favorabilis: *Rogo Pater, ut unum ſint, ſicut & nos unum ſumus.* Unde inferebant voluntatum dumtaxat Patrem inter & Filium eſſe conſenſionem, qualem pro Diſcipulis Patrem Chriſtus rogabat. Proferant ſi poſſint, ſpecioſum aliquem textum illi ſimilem, quem adducebant Incarnationis inimici: *In ſimilitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo.* Quâ ergo prærogativâ planiſſima verba inſtitutionis Euchariſticæ ad tropos detorquebunt, quæ non fuerit veteribus hæreticis communis? Quæ vel tenuiſſima tandem diſparitas afferri aliquo veri colore oblita poteſt ab homine benè cordato? Nullam certè exceptionem afferent unquam, quâ probent proprietatem verborum adverſùs Arianos, Neſtorianoſque eſſe retinendam, in verbis verò Euchariſticæ inſtitutionis eliminandam. Fateantur ergo Calviniſtæ, ſe hæretico ſpiritu agi, quia ut ait Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana: *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aſſeruerit Scriptura, figuratum arbitrantur.* Quia nimirum, ut addit Irenæus lib. 4. adverſùs hæreſes, cap. 35. *cognitur hi tales ſemper typos typorum, & imagines imaginum adinvenire, & nunquam figere animum ſuum in uno & vero Deo.* Quos idem Pater comparat Æſopicani, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, & predidit eſcam.

Calviniſtarum cavilli eliduntur.

Omiſſis quorumdam Calviniſtarum, non tam rationibus, quàm næniis, aientium verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, hunc facere ſenſum, *hic ſedet corpus meum*; vel, *hic panis eſt corpus meum, id eſt a me creatum*: omiſſis, inquam, his quiſquiliis, quibus à

gravi

gravi Theologo reſpondeatur indigniſſimis, alia in medium producenda ſunt, quibus tropos ſuos hæretici noſtrates ſuadere nituntur.

Probant ergo in Euchariſtia ſolùm inveniri panem & meram corporis Chriſti figuram: tum primò, quia illud tantùm in Euchariſtia invenitur, quod Chriſtus præ manibus accepit, fregit, deditque diſcipulis ſuis: Chriſtus autem non proprium corpus, ſed panem accepit, fregit, deditque diſcipulis ſuis; corpus autem figuratè duntaxat fregit. Tum ſecundò, quia ſi propoſitio hæc demonſtrativa, *Hoc eſt corpus meum*, non eſſet figurata, ſignificaret illud, quod Chriſtus demonſtrat, ſcilicet panem, vel accidentia panis, eſſe corpus Chriſti; ly enim *hoc*, ſignificat vel panem, vel accidentia panis, de quibus proinde prædicaretur corpus Chriſti. Difficile enim aſſignatu eſt, quid aliud pro nomine *hoc*, ſignificetur. Tum tertiò, quia particula *eſt*, in utraque forma adhibita æquivalet verbo *ſignificat*, ſicut & in aliis multis Scripturæ locis. Geneſ. 41. *Septem ſpicæ plenæ ſeptem anni ubertatis ſunt*; id eſt ſignificant. Exodi 12. de Agno Paſchali: *Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini*; id eſt, Phaſe tranſitum Domini ſignificat. Luc. 9. *Semen eſt verbum Dei*; id eſt ſignificat verbum Dei. 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus*; id eſt, ſignificabat Chriſtum. Tum quartò, quia verba conſecrationis calicis non poſſunt niſi figuratè accipi; eam enim ſic refert S. Lucas: *Hic eſt calix novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur*; vel ut habetur in textu Græco, *effunditur*. Calix autem figuratè per metonymiam exprimentem continens pro contento, accipi debet; neque enim calix effunditur, ſed liquor. Calix etiam ſanguinis non eſt niſi figuratè teſtamentum, ſeu ſignum & teſſera fœderis hominum cum Deo. Sanguis etiam non fuit in ultima cœna realiter fuſus, ſed ſolùm figuratè. Tum quintò, quia Euchariſtiam in ſui commemorationem faciendam Chriſtus præcepit: memoria autem eſt tantùm ſignum, & ſpecies rei abſentis, non verò ſignificatio præſentis.

His ferè argumentis ſplendentia inſtitutionis Chriſti verba obſcurare moliuntur Calviniſtæ, quibus illud congruit Auguſtini lib. 22. de Civit, cap. 11. *Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam poſſidet vanitas.* Et ſanè ſi quid efficeret hæc ſophiſmatum nubes, peræquè myſterium Trinitatis & Incarnationis de medio tolleret, ut conſiderati patebit. Etiam iiſdem argumentis probabunt Ariani in hac propoſitione: *Ego & Pater unum ſumus*: *Hi tres unum ſunt*; ly *ſumus*; & ly *ſunt*, figurativè eſſe accipienda, ſi quidem in eodem contextu figura admiſcetur; poſtquàm enim Joan. *cap.* 5. *ſuæ*. dixit: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres unum ſunt*; ſubjecit: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra.*

Ad primum ergo dicendum, illud in Euchariſtia inveniri, quod Chriſtus verbis illis expreſſit, *hoc eſt corpus meum*; & certè ſi illud eſſet tantùm in Euchariſtia, quod Chriſtus ante verba illa prolata accepit, fregitque: ſicut tunc erat tantùm panis uſualis, non verò ſacramentum; ita poſt verba illa non eſſet ſacramentum: quod non fatentur Adverſarii. Ergo manifeſta eſt ſophiſticans illius vanitas, quæ tamen hæretico Molinæo in ſuo Clypeo tantoperè placuit, non conſiderantis id quod Chriſtus diſcipulis traditum fuiſſe non eodem inſtanti, ſed ſucceſſivè panem, & corpus Chriſti; panem quando accepit, corpus Chriſti poſt quam ſacra verba Chriſtus protulit. Dicitur etiam corpus Chriſti in Euchariſtia frangi in multiplici vero ſenſu, & non figurato. Primò quia reverà diſtribuitur multis per fractionem ſpecierum ſicut enim ſubſtantia verè, & non figuratè dicitur viſibilis ratione coloris quo obducitur; ita corpus Chriſti fractis ſpeciebus diſtributum verè dicitur frangi. Secundò dicitur corpus Chriſti frangi, id eſt immolari; ex vi enim verborum corpus Chriſti in ſacrificio Euchariſtiæ à ſanguine ſeparatur, & Deo immolatur, ut alibi dicemus. Et quia poterat eſſe difficultas in hac voce *frangitur*, quam habet textus Apoſtoli 1. *Cor.* 11. ideò in Evangelio habetur, *quod pro vobis traditur*, vel *tradetur*. Dedit autem Chriſtus corpus quod traditur in ſacrificio Altaris, vel tradetur in ſacrificio crucis. Denique quanvis Chriſtus non confractus, non diviſus, ſed integer in Euchariſtia accipiatur à ſingulis, frangi tamen quadantenus dici verè poteſt, quatenus cùm ſit totus ſub qualibet ſpecierum particula, & continuam habeat ſub illis præſentiam, diſſolutâ per fractionem ſpecierum continuatione, Chriſtus prout ſub una parte à ſeipſo ut ſub alia parte exiſtit, ſejungi intelligitur, fractione non ſub partes, ſed ſub totum Chriſtum cadente. Unde ſemper verum eſt, quod nulla rei fit ſciſſura, ſed ſigni tantùm fit fractura, quâ nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.

Ad ſecundum dicendum, pronomen *hoc*, vel *hic*, in formis Euchariſtiæ uſurpatum, & à Chriſto prolatum, non ſupponere pro ſpeciebus, nec pro ſubſtantia panis; cùm manifeſtum ſit, neque ſpecies accidentales, neque ſubſtantiam panis eſſe corpus Chriſti Domini. Non eſt etiam ſenſus hujus pronominis, particulæ ſequentis *eſt*, hæc ſubſtantia panis tranſit, ſeu convertitur in corpus meum; quia particola *eſt*, non tranſitum ſignificat, ſed permanentiam. Quare pronomen *hoc*, ut docet D. Thomas *quæſt.* 78. *art.* 5. demonſtrat aliquid commune ſubſtantiæ panis & corpori Chriſti, nempe contentum ſub ſpeciebus panis. Nam in ſacramentis verba illud ſignificant, quod efficiunt; faciunt autem verba, ut contentum ſub ſpeciebus, quod priùs erat panis, fit corpus Chriſti. Unde pronomen illud demonſtrat ſubſtantiam abſque determinatione, & ſignificat ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, quæ primùm panis fuit, & poſteà eſt corpus Chriſti. Ad depellendas autem Dialecticæ tricas, quibus Calviniſtarum ſophiſtæ argutari ſolent, notandum nos non velle ſubſtantiam in communi, id eſt genericè, vel ſpecificè conſideratam, eſſe corpus Chriſti; ſed ſenſus eſt: Subſtantia, quæ ſub illis accidentibus continetur eſt corpus meum; & quia ſubſtantia, quæ ſub his accidentibus continetur, ante conſecrationem eſt panis, poſt conſecrationem eſt corpus Chriſti; ideò diximus pronomen *hoc*, demonſtrare aliquid commune ſubſtantiæ panis & corpori Chriſti, quæ ſibi in Euchariſtia ſuccedunt. Sicut cùm Chriſtus aquam in vinum in nuptiis convertit, miraculum illud patrando, hydriaſque præ manibus habendo, dicere utique ſine figura poterat, *hoc eſt vinum*, id eſt ſubſtantia in illis hydriis incluſa, quæ ante miraculum erat aqua, eſt modò per miraculum vinum: & tamen contra hanc propoſitionem, tametſi clariſſimam, eodem modo cavillari quis poſſet, & quid per ly *hoc* ſignificetur, vitilitigare, ſicut de verbis Euchariſticis captiosè arguunt adverſarii. Ergo argumentum illud Calviniſtarum merus eſt cavillus ad impugnandam perſpicuam veritatem inſtitutus.

Ad tertium dicendum, quod licèt particula *eſt*, figuratè interdum in Scripturis accipiatur, non tamen ſemper metaphoricè uſurpatur, ut cùm dicitur: *Hic eſt filius meus dilectus*: *Verbum caro factum eſt*: *Hi tres unum ſunt*; & aliis ſexcentis locis. Unde regula Auguſtini hic locum habet; verba nimirum Scripturæ in proprio ſemper ſenſu eſſe accipienda, niſi evidenter tropum eſſe conſtet, vel ex contextu ipſo, vel aliis Scripturæ locis appareat. Multa etiam falſa in adductis exemplis hæretici ſupponunt. Cùm enim dicitur, *Agnus Paſchalis eſt phaſe, id eſt tranſitus Domini*, ly *eſt*, in proprio accipitur ſenſu; agnus quippe paſchalis reverà erat victima à Deo inſtituta in recognitionem præſervationis primogenitorum Iſrael ab illa ſtrage, quâ Angelus omnia primogenita Ægypti interficiebat. Familiare

namque eſt Scripturæ, ut quando de ſacrificio, vel victima loquitur, nomen ſacrificii, vel victimæ retineat, ſolumque nomen, propter quod ſacrificium offertur, & victima immolatur, exprimat. Sic Sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, id eſt oblationes pro peccatis à populis Deo exhibitas. Sic Christus 1. *Cor.* 5. dicitur *pro nobis factum peccatum*, id eſt ſacrificium & hoſtia pro peccato. Agnus ergo Paſchalis eſt phaſe, id eſt victima Phaſe; quod & illo eodē capite Moſes expoſuit, dicens: *Victima tranſitus Domini eſt.* Unde ſtupendum & deplorandum eſt, Zuinglium propter illum Exodi locu, inter dormitionea, exerrationes & deliria à quodam monitore (ut ipſemet in libello de ſubſidio Euchariſtiæ narrat, ater fuerit, an albus oblitus, ut ipſe addit) ſibi propoſitum conſilium de abolenda Miſſa, & abroganda adoratione Euchariſtiæ, per ſummam impietatem & ignorantiam ſuſcepiſſe. Verba autem illa Apoſtolica, *Petra autem erat Chriſtus*, accipienda eſſe in ſenſu ſpirituali, declarat ipſe Paulus: tum quia ibi ait, *Omnia in figuris contingebant eis.* Tum quia de petra ſpiritali ſe loqui immediata illa verba teſtificantur: *Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra.* Verba quoque illa, *Semen eſt verbum Dei*, ſpiritaliter & figuratè eſſe accipienda, declarat ipſa parabola, quam Chriſtus interpretatur. Idem etiam in aliis Scripturæ locis conſpicuum eſt, ex antecedentibus enim vel conſequentibus ſenſus allegoricus abſque negotio deprehenditur.

Ad quartum reſpondeo, in ea propoſitione, *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, nullam eſſe tropum: ſponte enim ſua, & naturaliter ſignificat hæc propoſitio, calicem illum eſſe Chriſti ſanguine plenum, & potui hominum accommodatum; & ideò mentio calicis, quo propinatur, fieri debuit, ut rectè obſervavit S. Thomas. Adde, quod etſi daremus, verbis illis aliquid figuratum efferri, adeò tamen eorum ſenſus conſpicuus eſt, ut ultrò ſe ingerat intelligendum animis errorum & ſtudiorum rixandi præjudiciis minimè occupatis. Adde rurſum, obſcuritatem, ſi quæ ineſſet, nitidiſſimis Matthæi, & Marci verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, illuſtrari. Falſiſſimum etiam eſt, quod dicunt hæretici, ſanguinem Chriſti non eſſe propriè teſtamentum, ſeu fœdus: ſicut enim victimis, & ſanguine animalium ſancitum fuit vetus Teſtamentum; ita novum pretioſo Chriſti ſanguine ſancitum eſt. Unde hinc potius adverſus hæreticos inſtauratur argumentum: Chriſtus juxta illum ſacrum textum in Euchariſtia bibendum illud dedit, quo tanquam victimâ novum Teſtamentum ſancitum eſt: Atqui novum Teſtamentum nonniſi vero, ſubſtantiali Chriſti ſanguine ſancitum eſt. Ergo verum, & ſubſtantialem ſanguinem ſuum in Euchariſtia bibendum propinavit, quo fideles obtinendæ futuræ beatitudinis jure ex voluntate teſtatoris noſtri Chriſti donati ſunt. Verba etiam illa, *qui pro vobis funditur, vel fundetur*, propriiſſimum habent ſenſum, ſive intelligantur de proximè futura in paſſione Chriſti cruoris effuſione, ſive de præſenti; fundi enim propriiſſimè ſanguis dicitur, quando libatur: calicem ergo ſanguinis Chriſtus in Euchariſtia fudit, quia diviniſſimum hoc myſterium ſacramentum ſimul eſt, & ſacrificium, ut alibi contra Miſſæ, & Liturgiarum hoſtes, Deo benè vertente demonſtrabimus.

Ad ultimum reſpondeo, futiliſſimum eſſe ſophiſma, tum quia verè & propriè in memoriam Chriſti, beneficiorum ejus, & præcipui, quo nos dignatus eſt, amoris Euchariſtiam conficere poſſumus & debemus. Imò, ut rectè obſervavit Chryſoſtomus, tam immenſa eſt Servatoris noſtri beneficentia, ut illi grates perſolvere non poſſimus & ideò ſeipſum reliquit, ut tanti oblatione myſterii par pari referre valeamus. *Quemadmodum*, inquit Os aureum hom. 25. in cap. 3. Matth. *adverſus Judæos ſe geſſit, temporibus, ac feſtivitatibus variis in memoriam ſuorum beneficiorum reducens; ita etiam adverſus nos ſe geſſit, ipſo genere ſacrificii ad jugem nos pro beneficiis ſuis gratiarum incitans actionem.* Tum quia verbis illis, Apoſtolo ipſo 1. *Cor.* 11. interprete, celebrare Euchariſtiam in memoriam paſſionis Chriſti jubemur: *Quotieſcumque enim*, inquit, *manducabitis hunc panem, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Non ergo in memoriam Chriſti abſentis, ſed paſſionis præteritæ Euchariſtiam facere jubemur, poteſt etiam Euchariſtia in memoriam ipſius Chriſti celebrari, quia etſi realiter præſens ſit, à ſenſibus tamen noſtris abeſt; unde ſacramentum viſibile in notitiam illius, utpote inviſibilis, manuducere poteſt. Sicut Dei memoriam habere homines, Scripturæ & Patres hortantur, non quò Deus longè ſit ab unoquoque noſtrûm, ſed quia licèt in ipſo vivamus, moveamur, & ſimus, occulta tamen eſt immenſi numinis præſentia.

Inſtant Calviniſtæ, videntes ſplendidiſſima inſtitutionis Euchariſtiæ verba, nullis conquiſitis troporum perfugiis poſſe elevari, addunt ex aliis Scripturæ locis eorum verum intellectum eruii. Verba autem inſtitutionis non poſſe de reali Chriſti præſentia exponi, colligere ſatagunt: tum primò ex locis illis, in quibus aſſeritur, Chriſtum non eſſe ampliùs in mundo, aſcendiſſe in cœlum, inde non niſi ad judicandum orbem terrrarum reverſurum. Joan. 12. *Pauperes ſemper vobiſcum habitis.* Joan. 16. *Ego relinquo mundum.* Et *Actor* 3. S. Petrus ait, cœlum Chriſtum Dominum ad tempus uſque Reſurrectionis continere. Tum ſecundo, quia Chriſtus Matth. 26. calicem conſecratum vocat genimen vitis. *Non bibam*, inquit, *amodo de hoc geminini vitis.* Tum quia Apoſtolus 1. Cor. 10. *Patres noſtri*, inquit, *eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt.* Patres autem carnem Chriſti ſola fide, vel figurâ tenus manducaverunt.

Reſpondeo, nullo tandem Scripturæ loco cum aliqua veriſimilitudinis ſpecie probari poſſe, Chriſtum non eſſe realiter in Euchariſtia præſentem. Non quidem illis teſtimoniis, quibus aſſeritur Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, ibique manſurum uſque ad diem judicii, & tunc demùm, & non ante ad inferiora hæc loca rediturum, perſpicuum enim eſt, textibus illis ſermonem haberi de præſentia aſpectabili, & humana cum hominibus converſatione. Patet id, tum ex primo loco; pauperes enim ob oculos poſitos viſibiliter cernimus. Patet ex ſecundo, ſubdit enim Veritas. *Et non videbitis me.* Patet ex tertio; aſcendit enim Chriſtus in cœlum, ibique manet uſque in diem judicii, viſibili nimirum modo, quo ad nos in die judicii generalis revertetur. Cæterùm modo inviſibili nobiſcum futurum uſque ad conſummationem ſæculi, ipſemet promiſit.

Malè etiam idem ex ſecundo loco colligitur; eodem enim modo calix poſt conſecrationem dicitur genimen vitis, quo caro Chriſti in Euchariſtia vocatur panis. Solent autem Scripturæ quaſlibet res eorum nominibus appellare, ex quibus factæ ſunt, vel quorum ſimilitudinem efferunt. Sic ſerpens Moſis virga vocabatur, utpote ex virga factus: ſic homo ex terra plaſmatus, terra, pulvis & lutum dicitur: ſic Angeli in ſpecie humana apparentes, homines nuncupantur. Ad eundem modum Euchariſtia dicitur panis & vinum, utpotè ex utroque confecta, quia intuentium oculis, ratione permanentium accidentium, panis & vinum eſſe videtur, eorumque ſimilitudinem ſervat. Demùm quia ſicut viſibilia panis & vinum humanam carnem nutriunt, & ſuſtentant, ſic inviſibilia Chriſti caro & ſanguis dignè ſuſcipientium animos paſcunt, vegetant, & ſpiritalium chriſmatum beatiſſimâ copiâ ſaginant. Adde ſecundùm nonnullos, verba illa Chriſtum de calice conſecrato, & diſcipulis in inſtitutione Euchariſtiæ porrecto minimè protuliſſe, ſed de alio in cœna paſchali uſitato, ſolito Judæorum more.

more. Lucas enim *cap.* 22. apertè duos calices diſtinguit, quos non ita ut Lucas, Matthæus & Marcus explicuerũt. De priore qui in cœna legali Agni Paſchalis a patrefamilias diſtribuebatur, ante conſecratam Euchariſtiam dixit Chriſtus: *Accipite & dividite inter vos; dico enim vobis, quod non bibam de genimine vitis, donec Dei regnum veniat*; id eſt, poſt reſurrectionem, quando ad illam, & corporis ſui veritatem comprobandam cum diſcipulis ſuis manducavit & bibit. Poſterior erat calix Euchariſticus, de quo poſteà dixit: *Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur.* Quem poſteriorem non vocat genimen vitis, ſed à priore omninò præfatis verbis diſtinxit. Si tamen contendas unicum fuiſſe calicem, de quo tamen Lucas ante conſecrationem panis per anticipationem loquutus ſit, quia ita videntur ſenſiſſe Cyprianus *epiſt.* 63. & Auguſtinus *lib.* 3. *de conſenſu Evangeliſtarum, cap.* 1. prior tibi reſponſio abundè ſufficiet.

Perperam etiam ex tertio loco errorem ſuum eruere Calviniſtæ nituntur. Non enim dixit Apoſtolus, Patres eandem nobiſcum ſpiritalem eſcam manducaſſe, eundemque potum ſpiritalem bibiſſe; ſed eandem inter ſe eſcam comediſſe, quod non eſt ad rem. Unde Auguſtinus lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 37. *Aliud eſt Paſcha*, inquit, *quod illi in ove celebrarunt; aliud autem, quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.* Et certè cùm ipſe Chriſtus apertiſſimè atteſtetur Joan. 6. *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*: verbis illis non repugnavit Apoſtolus; nam, ut Gregorii verbis utar, quod Veritas affirmat, Apoſtolus veritati non negat. *Nunquid aliud Iudex nuntiat, & aliud præco clamat?* Ergo cùm conteſtante Veritate longè melior, & præcellentior ſit Chriſtianorum, quàm veterum Patrum conditio, ut ſubſiſtat illa Judæorum, Chriſtianorumque diſparitas, non eandem Judæi nobiſcum eſcam comederunt, ſed immensùm inferiorem. Spiritalem tamen eſcam comediſſe, & ſpiritalem potum bibiſſe dicuntur, quia non humanâ operâ ſuppeditabatur manna per naturam, ſed divino miraculo per gratiam ſpecialem. Vel quia typus erat, & figura ſpiritalium futurorum, quibus in Eccleſia potimur. Loqui autem Apoſtolum de ſolis Hebræis, patet ex contextu, cùm de iis ſermonem habeat, qui mare tranſierunt, & ſub nube fuerunt. Hinc Salvianus lib. 2. ad Eccleſiam: *Iudæi*, inquit, *habebant quondam umbram, nos veritatem: Iudæi manna manducaverunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes avium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli.* Et Ambroſius lib. de iis, qui initiantur, cap. 9. *Conſidera uter præſtantior ſit, panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ utique eſt corpus vitæ? Manna illud è cœlo, hoc ſupra cœlum: illud cœli, hoc Domini cœlorum: illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſervaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religioſè guſtaverit, corruptionem ſentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto. Illos ad horam aqua ſatiavit, te ſanguis diluit in æternum. Iudæus bibit, & ſitit; tu cum biberis ſitire non poteris; & illud in umbra, hoc in veritate.* Et lib. 4. de Sacramentis, cap. 9. *Magnum quidem, & venerabile, quod manna Iudæis pluit de cœlo: ſed intellige quid eſt amplius, manna de cœlo, an corpus Chriſti, utique qui eſt author cœli? Deinde manna qui manducavit, mortuus eſt; qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remiſſio peccatorum, & non morietur in æternum.* Adde quod dato, Apoſtolum velle, Patres & nos eandem ſpiritalem eſcam manducare, ut docere videtur Auguſtinus; eam tamen non eodem modo manducarunt, ut idem Auguſtinus *in Pſalm.* 77. tradit: idem fuit alimentum ſignificatione, ſed non ſpecie: illi in figura Chriſtum comederunt, quia omnia in figura contingebant eis; nos in veritate: illis erat imago veritatis & umbra corporis; nunc autem myſterium impletæ veritatis.

Tam apertis inſtitutionis Euchariſticæ verbis, veluti totidem fulminibus obrutus Calvinus, aliquam realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam admittere ſe finxit hæreticorum vaferrimus; quatenus Chriſti realiter ſumus hoc ſacramento participes, ut quam in carnem ſuam transfundit, vitæ in nos communicatio promanet; quod fieri non poteſt, niſi nobiſcum Chriſtus verè in unum coaleſcat, noſque reficiat carnis ſuæ eſu, & ſanguinis potu. Si autem incredibile videtur, inquit, in tanta locorum diſtantia penetrare ad nos Chriſti carnem, ut nobis ſit in cibum; meminerimus quantum ſupra ſenſus omnes noſtros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm ſtultum ſit ejus immenſitatem modo noſtro velle metiri. Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, ſpiritum ad ea pervenire, quæ locis disjuncta ſunt; & carnis ac ſanguinis ſui communicationem, non ſecus ac ſi in oſſa & medullas penetraret, in cœna Chriſtum obſignare, & quidem non objecto inani aut vacuo ſigno, ſed efficaciam ſpiritus ſui illic præferens, quâ impleat quod promittit. Niſi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi unquam dicere audeat. Eatenus ergo Chriſtus realiter præſens in Euchariſtia dicitur, non quòd ibi corpus ejus exiſtat, vel ad nos deſcendat, ſed quatenus nos ad ſe evehit; non quòd ſub panis lateat integumento, ſed quia animum realiter paſcit, Chriſtoque Chriſtianus fide conjungitur, & unitur, ut alimentum percipiet animæ & carnis Chriſti, atque inde reficiatur ad vitam ſpiritalis conſervationem. Quia nimirum quotieſcumque ſignum aliquod videmus à Domino inſtitutum, illic rei ſignificatæ veritatem adeſſe certò eſt cogitandum, ne ſigna vacua præbeantur & inania.

Confirmant autem & colorant ſuos dolos Calvinus ejuſque diſcipuli. Tum primò, quia tota præſentia Chriſti Domini eſt in ordine ad communicantem, & non in ordine ad ſigna, quibus nihil, ſed ſolis diſcipulis Chriſtus promiſit: præſentia autem Chriſti in ordine ad communicantem eſt per fidem applicantem ſibi virtutem ſacrificii crucis, ejus myſteria meditantem, tam immenſam charitatem deguſtantem, eaque dulcedine ſe reficientem. Secundò, quia Patres non impios, ſed ſolos fideles manducare Chriſti corpus aſſeverant, quod proinde ſola fide comeditur, ſicut Scripturæ aiunt inhabitare Chriſtum in cordibus noſtris per fidem. Tertiò quia, ut dicitur Matthæi 15. & Marci 7. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Ergo cùm corpus Chriſti in ſeceſſum non mittatur, non ore corporis, ſed ſolius ore fidei percipitur.

Reſpondeo, manifeſtas eſſe malas Hæreſiarchæ artes; implicat enim contradictionem, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia præſentem, ſi ſubſtantia corporis Chriſti in Euchariſtia reapſe non ſit. Poteſt quidem concipi actus fidei realis in Chriſtum abſentem, ſed propterea Chriſtus non erit realiter præſens, ſi ſubſtantia corporis & ſanguinis abſit. Nomen ergo præſentiæ realis fraudulentiſſimus hæreticus uſurpavit, tum ut ignorantes deciperet, tum ut Lutheranorum ſibi repugnantiũ invidiam quadantenus declinaret, tum ut evidentiſſima Scripturæ & Patrum adverſa impietati ſuæ loca eluderet. Et ſanè ſi ſola fides redderet objectum ſuum realiter præſens, Chriſto realiter præſenti uniti veteres Patres in Chriſtum nondum conceptum credentes ab origine mundi fuiſſent, qui Chriſtum tamen neque viderunt, neque audierunt, tametſi videre & audire eum voluerunt, ut dicitur *Luc.* 10. Reſurrectioné futurâ pariter potirentur, qui eam credunt & ſperant, eſſentque juxta illam ſatuitatem redivivi piùs, quàm mortui. Non eſſet etiã ad præſentiã Chriſti Euchariſtia neceſſaria,

Salvatori enim extra Euchariſtiam fide conjungi, ſpe & charitate copulari poſſimus, eique etiam & in aliis ſacramentis & oratione unimur. Quid eſt ſi non hoc ignorantia eſt? Fides eſt argumentum non apparentium: *Spes* eſt rerum abſentium; ſpes enim quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod videt quis, quid ſperat. Ergo repugnat ſubſtantiam Chriſti realiter abſentem ſola fide, ſola ſpe fieri realiter præſentem. Certè falſidica, & mendax eſſet illa fides, quæ Chriſtum realiter præſentem fingeret, quem certò crederet eſſe abſentem. Unde illa realis Calvini præſentia ab intellectu conficta, non hæreſis ſolùm eſt, ſed merum ens rationis, & figmentum inaniſſimum. Denique & in veteri Eccleſia pueris Sacramentum Euchariſtiæ porrigebatur, & eam modò indigni ſæpè uſurpant judicium ſibi manducantes & bibentes, utpotè corpus Domini non dijudicantes: & tamen nec in pueris eſt fidei uſus, nec in impiis bonus uſus. Ergo ut Chriſtus in Euchariſtia ſit modo ſacramentali præſens, non eſt neceſſaria communicantis fides.

Fundamenta Calvini ſunt ejuſdem cum dogmate futilitatis. Primum quidem, promiſit enim Chriſtus ſuam realem præſentiam commonicantibus ſub ſignis ſacramentalibus à ſe inſtitutis; unde qui ſigna illa conſecrata accipiunt, vero Chriſti corpore fruuntur, quia caro ejus verè eſt cibus, & diſcipulis cœnantibus dixit, *Hoc eſt corpus meum*. Patres verò, ut evellatur ſecundum fundamentum, non negant impios Euchariſtiam uſurpantes corpus Chriſti accipere; ſed illud aſſerunt, non utiliter, & cum fructu manducare. Habitat etiam Chriſtus objectivè per fidem in cordibus noſtris, ſed non realiter & ſubſtantialiter. Per fidem etiam dilectione formatam habitat Chriſtus ut Deus in cordibus noſtris, quia ſcriptum eſt: *Si quis diligit me, diligetur à Patre, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* At per ſacramentum Euchariſtiæ realiter Chriſtus inhabitat, quia ſcriptum eſt: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Denique tertia ratio nihilo melior eſt, de cibis enim communibus, & carnaliter comeſtis Veritas loquuta eſt, cùm dixit: *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.* Reſpondebat enim Phariſæis conquerentibus diſcipulos illotis manibus manducare. Quia ſatisfacit dicens, in hoc nullum eſſe peccatum, quia cibi illi communes non coinquinant hominem, utpote attingentes non mentem, ſed ventrem, & in ſeceſſum deinde miſſi. At cibus cœleſtis Chriſtus nobis in Euchariſtia realiter porrectus non aliorum more ciborum carnaliter commollitur dentibus, nec nativi actione caloris excoquitur, quia immortale & impaſſibile Chriſti corpus ſpiritales dotes adeptum, angelicum præſentiæ modum æmulatur. Et valde mirum eſt, iſtos [ſi Superis placet] reformatos, qui ſpiritales audire tantopere avent, adeò ſenſibus & imaginationi eſſe addictos, ut beatas glorioſi Chriſti corporis dotes apprehendere non valeant, carnis & ſanguinis revelationes ſemper ſequuti.

Reflexio,

Et apoſtrophe ad Calviniſtas.

Mitte quæſo humanæ rationis argutias, ô Sectarie: puram verborum Chriſti lucem inſpice. Ipſe dixit, *Hoc eſt corpus meum*, qui ex nihilo omnia verbo fecit: *dixit* enim, *& facta ſunt*: *mandavit, & creata ſunt* Nullus locus dubietati relinquitur, quando ille ipſe, qui author eſt muneris, teſtis eſt veritatis, ut Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis *epiſt. 1.* ſcripſit. Ergo ut verbis te S. Gaudentii *tract. 2. in Exodum*, conveniam: *Quod annuntiatum eſt credas, quia quod accipis corpus eſt panis illius cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacra vitis. Nam cùm panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait: Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus Credamus quæſo cui credidimus. Neſcit mendacium veritas.* Et præclarè, ac juxtà opportunè Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui noſtro, cogitationi abſurdum eſſe videatur quod dicit. Nam verbis ejus defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter deceptu facilis eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius ac ſæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus.* Et homil. 60. ad Populum Anteochenum: *Ipſius ſermo infallibilis eſt, ſenſus autem noſter seduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem ut plurimùm errat. Quoniam igitur Verbum dicit, Hoc eſt corpus meum, & pareamus, & credamus, & oculis intellectualibus ipſum intueamur.*

Sed verborum Chriſti luci intercedit ſenſus, intercedit ratio, inquies; & ebullientibus hinc inde difficultatibus obruor. Sed ad excuſandas excuſationes in peccatis hæc fruſtra obtendis. Nonne cætera Chriſtianæ Religionis arcana difficultatibus longè graviſſimis, & inſuperabilibus plena ſunt? Fortè Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis Chriſti myſteria plana ſunt, & intellectu facilia? Fortè peccati originalis in poſteros omnes diffuſa contagio à difficultatibus immunis eſt? Fortè prædeſtinationis, & gratiæ arcana, & reprobationis judicia nullam patiuntur difficultatem? Si nihil non planum, nihil non clarum, nihil non expeditum expectas: ergo ſine cauſa dixit Apoſtolus, captivandum eſſe intellectum in obſequium fidei. Religionem Chriſtianam ab imis fundamentis ſubruere nititur, qui perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis omnes fidei articulos complanare, & veluti lævigare connititur. Si Chriſtianiſmus aſſertionum ſuarum evidentiam, ſummam facilitatem ſponderet, aliquid efficeres, Calviniane, objecta nobis coacervatarum difficultatum congerie, & veritatis lucem his oppoſitionum nebulis obſcoratum iri facilè tibi, facilè etiam nobis ſuaderes. Ille verò tantùm abeſt, ut has voces uſurpet, hiſque pollicitationibus candidatos ſuos lacteſ quin contrà obſcura proponit, ardua præcipit; indivulſam à ſuis myſteriis difficultatē eſſe conteſtatur.

Et ſanè ſolennis eſt divinæ gubernationis in rebus humanis diſpenſandis, atque conſiliis ſuis detegendis mos mirabilis quidem, & venerabilis; ſed terribilis tamen, quo judiciis ſuis, quæ abyſſus multa ſunt, videmus veritates cœleſtes ſacris tenebris circumfuſas ſapientibus abſcondi, parvulis revelari, ut ſapientia ſapientum perdatur, prudentia prudentum reprobetur; ut videntes non videant, & audientes non audiant; ut denique electi hac ſalutari caligine humiliati divinis amplius ſplendoribus illuſtrentur. Hac de cauſa cùm mentem ſuam nitidiſſimè aperiri potuiſſet, obſcura tamen verborum involucra, & tenebricoſam caliginem ſacris litteris, & Prophetarum oraculis obducere voluit. Quas uno verbulo eludere, & formalibus definitionibus naſcituras hæreſes præfocare potuit, Eccleſiam interturbare ſuam ſivit, nec tot ambiguas expreſſiones ſuppreſſit, quibus errantes tot erant aliquando rerum perverſiſſimè abuſuri. Cur, quæſo, non omnibus, ſed *teſtibus* duntaxat *præordinatis*, uti Scriptura loquitur, reſurgens Chriſtus conſpicuus apparuit, innumeras aſpectabili converſatione ſua, de divinitate ſua dubitationes ſopiturus? Cur è verbis vitæ, quæ innumerabilia protulit, quibuſve mundum libris implere potuiſſet, paucula colligi diſpoſuit? Cur veriſimiles Evangeliſtarum diſcordias, tot unde ſucceſſu temporū turbas fore naſcituras præviderat, permiſit? Cur Apoſtolorū ſymbolū Symbolo, quod volgo Athanaſii dicitur, contractius eſſe decrevit? nec iis verbis efferendum voluit, quibus tot adverſum Trinitatem & Incarnationem hæreſes iri anteceſſum truncatæ fuiſſent, nec ſuis oraculis eam claritatem, quā Conciliorum definitiones nitent, conciliavit? Potuerat ſanè, ſed ille noluit,

cujus

cujus infinita eſt altitudo ſapientiæ & ſcientiæ; cujus inſcrutabilia judicia ſunt,& inveſtigabiles viæ; cujus denique nullus conſiliarius fuit. Eadem columna nubis, teſtante ſacro eloquio Exodi 14. *erat tenebroſa, & illuminans noctem*: ſuper Ægyptios aſpergens tenebras,filiis Iſrael affundens lucem. Ut Deum,ita divina myſteria non hymnus ſolùm, ſed ſilentium decet. Hoc ſilentio uſi Patres, ut notat Baſilius *lib. de Spiritu Sancto,cap.*27.uſi ſunt & ſacri Scriptores, ne divina arcana uſu trita & undecunque parabilia expoſita eſſent contemptui, rati *ei quod ſepoſitum eſt, quodque rarum eſt, huic naturá conjunctam eſſe ſummam admirationem. Ad eundem profectè modum Apoſtoli & Patres in occulto ſilentioque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares ac vulgares aures efferrur. Eſt autem ſilentii ſpecies etiam obſcuritas, qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum ſententiam, idque ad utilitatem in ſcripturis verſantium.* Ergo difficultates ne cauſeris: non eſſet myſterium Euchariſtia,niſi difficultatibus abundaret.

Speculatio II.

Realis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ fidem à Chriſto acceperunt Apoſtoli, ab Apoſtolis Sancti Patres, & ſacra Concilia acceptam ſervaverunt, atque in nos perenni traditione corrivarunt.

HÆc eſt tertia veritatis Catholicæ demonſtratio à perpetua tadditione Eccleſiæ, atque Patrum & Conciliorum antiquitate, uoiverſitate,conſenſione. Ne autem in immenſum excreſcat oratio,ſelecta Patrum teſtimonia ordine referemus.

S, Paulus.

Inprimis divinus Apoſtolus hanc fidem à Chriſto ſe accepiſſe teſtatur 1.Cor. 11. *Quod accepi à Domine*,inquit,*hoc & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur,accepit panem*, &c. Poſt relata verò Chriſti inſtitutionis verba, ad dignam tanti myſterii ſuſceptionem hortaturus, admonet panem hunc cœleſtem,vel calicem indignè uſurpantes judicium ſibi manducare & bibere, reoſque eſſe corporis & ſanguinis Domini,utpote non dijudicantes corpus Domini. Ex quibus ſic formatur argumeotum. Si io pane Euchariſtico nihil niſi figura Dominici corporis haberetur, profectò non idcircò peccaret qui comederet,quòd non diſcerneret, dijudicaretque corpus Domini; nam potiùs judicare debebat,ibi non eſſe corpus Domini. Ergo juxta dictum à Domino Apoſtolum ingenti gravantur ſacrilegio qui indignè accedunt, quia non judicant ibi eſſe corpus Chriſti; quia cibum illum divinum Chriſti corpus realiter exhibentem eadem meotis compoſitione atque alios cibos accipiunt, quia Chriſto præſenti injurii ſunt, quia corpus Domini temerario acceſſu flocci faciunt, quia corpori Domini vim infereotes, im̃undis illud accipiunt aoimis,& in pollutum os immittunt. Certè ſi ſola corporis Chriſti figura indignè haberetur, rei etiam fuiſſent corporis Domini, qui cum conſcientia peccati ad agnum paſchalem comedendum acceſſiſſent, nihilque ſpecialis ſacrilegii indigna Euchariſtiæ communio contineret. Et mirum eſt, Calviniſtas ſacrarum imaginum juratos hoſtes intioito ſacrilegio gravare eos, qui Euchariſtiam, quam ſolam eſſe Chriſti imaginem conteſtantur,imparati uſurpant. Injuriam irrogari Chriſti nudæ, nec cooſpicuæ imagini oovi Iconoclaſtæ verentur, qui aſpectabiles Servatoris imagines diffringunt,diſcerpunt, com̃inuunt,demoliuntur. Hæc nimirum illorum pietas & religio retentas ab Eccleſia imagines abominari, & novas comminiſci, quas venerentur. Verùm enim verò non irreverenter habitæ Chriſti imaginis damnat, ſed reos corporis Chriſti indigne communicantes appellat Apoſtolus. Ergo ſolas ibi fingere imagines, hæreticorum imaginatio eſt.

Accedit, quod ſi vera foret Calviniſtarum omnia ad tropos, vel ſpiritalem duntaxat manducationem revocantium aſſertio, nuoquam contingere poſſet, quod tantoperè formidat Apoſtolus, indignam oimirum communionem mortem ſumentibus parere,& anticipatam condemnationem accerſere. Quicumque enim panem cœleſtem manducat,vel fidem habet,vel fide caret. Si fidem habet, dignè ſuſcipit, quàmlibet infandis ſceleribus ſit inquinatus: tum quia juxta vulgatiſſimum Calviniſtarum dogma,ſola fides eſt quæ juſtificat; tum quia juxta Calvinum *lib.4.inſtit.cap.* 17.§.41.& 42.dignam manducationem, quam Catholici à peccatoribus factorum repoſita ratione, cõtritione, confeſſione, ſatisfactione, aliiſque pœnitentiæ operibus indigoitatem expiaturis exigunt, conſcientiarum torturam & divexationem hominum vir (ſi Superis placet) reformatiſſimus appellat, concluditque: *Ea eſt dignitas, quam unam, & optimam afferre Deo poſſumus, ſi noſtram ei vilitatem, ut ita loquar, indignitatem efferamus.* Quam impuræ doctrinæ iniquitatem à corruptiſſimo morum depravatore Martino Luthero hauſerat, qui ſermone de præparatione ad Euchariſtiam: *Optima*, inquit, *diſpoſitio eſt non niſi ea, quâ peſſimè es diſpoſitus. Et ideo pœnitentia potius poſt, quàm ante Sacramentum dignè peragitur.* Si verò ad Euchariſtiam accedens fide caret, Chriſtum nullatenus ſuſcipit, quia ſecundùm Calviniſtas ſola Chriſtus fide manducatur. Ergo ſacrilege non manducat, qui nec manducat quidem: nec reus eſt corporis Domioi, cui nec realiter, nec per fidem communicat. Ergo juxta Catholicam duntaxat Orthodoxorum fidem dictum Apoſtoli verum eſſe probatur. Cibus enim ille divinus Chriſtum reapſe continens, impuro corde ſuſceptus mortem infert comedenti, qui hoc ipſo fit reus corporis Domini;quod corpus Domini oon dijudicaos, præſentem non reveretur majeſtatem, nec mundum offert tanto hoſpiti hoſpitium. Quid ergo mirum,ſi Chriſtum in mortem & condemnationem ſumat,qui Chriſtum quantùm in ipſo eſt,in ſemetipſo crucifigit? Nam ſicut per arcam fœderis innumerabilia Iſraelitis beneficia Dominus contulit, à Philiſtæis verò ablata ſummam iſtis peſtem & calamitatem æterno cum dedecore junctam importavit: ſic Chriſtus in Euchariſtia præſens optimè affectos & comparatos ampliſſimis gratiæ muneribus ornat, imparatis verò & ſacrilegis corpus Chriſti in Euchariſtia latens ab aliis ciborum genere noo diſtinguentibus, detrimenta graviſſima, & mortem affert ſempiternam.

Liturgia Apoſtolorum, & Acta S, Andreæ.

Abſtinent nonnulli à probatioοe deſumpta à Liturgiis Jacobi, Petri,& Marci; quia cùm illis ioquiuor, multa ſint ab hæreticis inſerta, dijudicatu difficile eſt quæ pars Apoſtolos habeat authores. Nihilominus oon eſſe omninò negligendum hoc probationis genus reor. Nam quod in illis liturgiis de Euchariſtia dicitur, vel fuit à Sanctis illis Eccleſiarum fundatoribus, aut certè ab eorum ſucceſſoribus juxta doctrinam ab Apoſtolis traditam aſſertum; vel ab hæreticis inſertum. Si primum, permagnum eſt illorum teſtimoniorum authoritatis pondus: ſi ſecundum,cùm illæ liturgiæ ſint vetuſtiſſimæ, fuiſſe conſequenter olim debuit aliqua hæreſis circa Euchariſtiam, quâ imbuti liturgias hæretici corrupiſſent. Et tamen illius hæreſis Patres indices hæreſeon accuratiſſimè texentes nunquam meminerunt. Ergo quod de veritate Euchariſtiæ in illis li-

torgiis dicitur, Catholicæ Eccleſiæ ſenſum exprimit orihodoxum.

Sic autem habetur in liturgia S. Jacobi fratris Domini: *Sileat omnis humana ac mortalis caro, ſtetque cum metu & tremore, ac nihil terreſtre apud ſeipſam cogitet: Rex enim regnantium, ac Dominus dominantium Chriſtus Deus noſter progreditur ut immoletur ac detur in cibum fidelibus: ipſum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio & potentia.* Ibi etiam oblatio appellatur *venerandum & incruentum ſacrificium.* Dicitur etiam quod Chriſtus *in partes diſtributus, ac non diviſus, & fidelibus impertitus in ora fidelium eſt.* Catholicus etiam de Euchariſtia ſenſus in liturgia S. Marci per Eminentiſſimi Cardinalis Sirleti opera exvetutiſſimo codica Abbatiæ S. Mariæ in Calabria, Ordinis S. Baſilii deſcripta apertiſſime liquet. Idem etiam peræquè conſtat ex liturgia S. Petri, io cujus exordio, orat Sacerdos: *Domine Deus noſter, qui te ipſe obtuliſti pro hujus mundi vita, inſpice in nos, & ſuper panem iſtum, & calicem ſuper hunc, & fac eum immaculatum corpus tuum, & pretioſum ſanguinem.*

Catholica etiam Chtiſti realiter in Euchariſtia præſentis fides in actis Paſſionis S. Andreæ à Presbyteris Achaiæ oculatis teſtibus conſcriptis perſpicuè continetur. Ibi enim Apoſtolum Ægeæ, ut Diis immolarat hortanti, divino ſpiritu afflatum reſpondiſſe narratur: *Ego omnipotenti Deo, qui verus & vivus eſt, immaculatum Agnum quotidie ſacrifica; non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in Altari, cujus carnes poſtquam omnis populus manducaverit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus.*

Scio Aubertinum Calviniſtam acta illa ut apocrypha rejicere: tum quia, inquit, Euſebius lib. 3. hiſtoriæ eoumerat acta Andreæ & Joannis inter libros ab hæreticis conſcriptos ſub nomine Apoſtolorum. Tum quia Epiphanius docet Encratitas, Apoſtolicos, & Origeniſtas uti maximè ſolitos fuiſſe actorum Andreæ, Joannis, & Thomæ teſtimonio. Tum quia Philaſtrius *hæreſi* 40. ubi de Manichæis, tradit quod habent apocrypha B. Andreæ Apoſtoli, id eſt actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos tunc diſcipuli Apoſtolum ſequentes conſcripſerunt: tum ex Innocentio, *epiſt.* 3. *ad Exuperium,* quæ à quibuſdam Philoſophis, & ſub nomine Thomæ, & ſi quæ ſunt alia, non ſolùm repudiandam, ſed etiam damnanda declarat. Tum quia acta illa approbaſſa Manichæos refert Auguſtinus *lib.* 1. *da fide contra Manichæos, cap.* 4. *&* 38. *& lib.* 1. *contra Adverſariorum legis, cap.* 20. Tum quia Gelaſius Papa in ſuo da apocryphis libris decreto acta illa libris apocryphis accenſet. Deniqoe Cardinalis ipſe Baronius *de ann.* 69. *num.* 34. de paſſione Andreæ verba facturus, cunctabundam hæſiſſe ait oratiooem ſuam apocryphorum præpeditam timore, quia cùm paſſionis Andreæ acta à Manichæis corrupta ſint, dubia eorum in Eccleſia fides remanſit.

Verùm hæc Actorum præfatorum à Presbyteris Achaiæ aditorum authoritatem non elevant; cùm enim Eccleſia ab hæraticorum fabulis & interpolationibus abhorrens verba illa Presbyterorum Achaiæ divinis in officiis recitat, cùm epiſtolam illam laudet Barnardus *ſerm.* 2. *de S. Andrea*, & *ſerm.* 16. *de diverſis*, & Petrus Damiani *ſerm.* 2. *de aodem Apaſtalo*, & Ivo Carnotenſis *lib. de convenientia vateris & novi Sacrificii.* varborum illorum cum laude meminerit; & Lanfrancus *lib. de Euchariſtia*, & ipſa author libri *de vera & falſa pœnitentia*. qui habetur ioter opera Auguſtini, verba capitis 8. referat, quæ non niſi in illa epiſtola extant, non parvam acta illa obtinent authoritaté. Nac obſunt Aubertini objectiones, vel poti' fraudes, quæ enim producit teſtimonia, vel loquuntur de illis actis, quorum author Andreas circũferebatur, vel de actis peregrinationis & prædicationis ejus; non verò de epiſtola Presbyterorum Achaiæ, in qua paſſio B. Andreæ enarratur. Maximè quia nihil in epiſtola illa invenitur, quod à ſtylo, & Apoſtoloeum dicendi conſuetudine diſcrepet, quale in libris actorum, qui sb Apoſtolis ſcripti circumferebantur, teſte Euſebio proſtabat: nihil quod Encratitis, Origeniſtis, vel Apoſtolicis faveat continetur: nihil quod Manichæorum cauſam juvet habetur. oihil quod eas nugas ſapiat, quarum loco citato Auguſtinus meminit. Gelaſius verò apocryphum declarat librum Actorum, qui Andreæ suthori aſſerebatur; ſicut & Evangelium, qood ejuſdem Apoſtoli noman præferebat; apiſtolam verò præfatam intactam relinquit. Cardinalis demùm Barooius de aliis ab hac epiſtola actis omninò loquutus eſt, cùm relatis in objectione verbis immediatè ſubnectat quæ de Andreæ martyrio in epiſtola Presbyterorum Achaiæ habentur expreſſa, digna exiſtimata eſſe, quæ in Eccleſia Catholica recitarentur.

S. Dionyſius.

Catholicam etiam veritatem diſertè axpreſſit Dionyſius Apoſtolorum diſcipulus *lib. Eccl. Hierarch. cap.* 3. verbis adeò luculentis, ut virum cordatum iis convictum iri certiſſimum ſit: *O diviniſſimum,* inquit, *& Sanctum Sacramentum, obducta tibi ſymbolicè operimenta ænigmatum revelans dilucidè nobis aperi, ac ſpirituales noſtros oculos ſingulari apertoque lumine imple.* Ubi Chriſtum ſub ſignorum operimento latentem invocat, ibique proinde adeſſe profitetur: Stulta enim foret, & impia hæc oratio ad ſolum panem relata.

Nec obeſt, quod Dionyſius Euchariſtiam appellet *venerabilia ſymbola.* Non obeſt, inquam; ſeipſum enim apertiſſimè interpreatur Dionyſius, dum ait, talia eſſe ſymbola, *quibus Chriſtus monſtratur & ſumitur.* Eſt ergo Euchariſtia ſymbolum Chriſti præſentis; ſpecies enim conſecratæ cognitionem ſui quam iogerunt, faciunt fideles in Chriſti realiter præſentis cognitionem venire. Ex hoc autem miſerè decipiuntur hæretici Calviniani, quòd vel præ ignorantia neſciant, vel neſcire præ perverſitata nolint, dari ſigna, ſymbola, & indicia rei præſentis, præſertim quando res præſens eſt latens, quæ non niſi indiciis dignoſci poteſt. *Et hoc vobis ſignum* (aiebat Angelus Paſtoribus Luc. a.) *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Sicut ergo panni involvantes ſignum erant Chriſti infantis, ita ſpecies panis & vini ſunt ſignum corporis & ſanguinis in Euchariſtia præſentis; & non eſſent verum ſignum demooſtrativum, niſi Chriſtus adeſſet. Sad de his plura poſteà.

S. Martyr Ignatius.

Luculenta ſunt hæc in favorem Catholicæ ſententiæ B. Ignatii primo & ſecundo ſæculo florentis verba *epiſt. ad Smirnenſes*, quæ quin Ignatii ſint, dubitari nequaquam poteſt, cùm verba illa referat Theodoret. *dialogo* 3. Loquens enim de Saturnianis & Simoniacis Diooyſius ait: *Euchariſtiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Ecce graphicè deſcriptam Calviniſtarum noſtratum hæreſim, qui ideò Euchariſtiam oblationem & ſacrificium eſſe negant, quia Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri inficiantur.

Confugit Aubertinus ad ſolitas figurarum & troporum umbras inaniſſimas. Verùm non ſolùm voluntariè & verbis ipſis vi illatâ Ignatium interpretatur; ſed quis credat etiam, vel quomodo probabit Saturniſnos ita fuiſſe inſanos, ut Euchariſtiam carnis Chriſti figuram eſſe negaverint. Si ita fas ſit planiſſima Patrum teſtimonia voluntariis unà & violentis gloſſis detorquere, ſi quæ ab eis perſpicuè dicta ſunt, in quamlibet partem interpretari, alienumque eis affingere

ſingere

fingere ſenſum, nihil in traditone ratum fixumque habebimus, quod non hominum ſophiſmatis, & hæreticorum argutiis pateat.

Sed ipſe Ignatius, inquies, epiſtola ad Philadelphenſes, figuratæ intelligentiæ locum & fundamentum tum præbet cum ait: *Moneo ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Euchariſtiâ utamini; una enim eſt caro Domini noſtri Jeſu Chriſti, unus ſanguis qui pro nobis effuſus eſt; unus item panis omnibus confractus, & unus calix pro omnibus diſtributus.* Ubi diſtinguere videtur carnem Chriſti à pane & calice Euchariſtico. At etiam mirum eſt, eam nobis opponere epiſtolam Calviniſtas, quæ ipſis ſpuria, vel certè ſuſpectæ fidei eſt, ut patet ex Perkenſo *in demonſtratione problematis*; & Rivero *in Critico*. Sed utut ſit, carnem crucifixam & ſanguinem in cruce effuſum à pane & calice Euchariſtico diſtinguit Ignatius, quia in cruce modo viſione extenſo, & ſenſibili paſſus eſt; in Euchariſtia verò ſub ſignis panis & vini modo inviſibili, inextenſo, & ſenſibus impervia, realiter tamen exiſtit.

S. Juſtinus.

Ejus veritatis teſtem locupletem habemus S. Juſtinum Martyrem in Apologia 2. pro Chriſtianis, ubi ita de Eucheriſtia loquitur: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit; ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipſo profecti gratia ſunt acta alimentiam, unde ſanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum; cum enim pane accepto, cùm gratias egiſſet, dixiſſe, Hoc facite in mei recordationem, hoc eſt corpus meum: & poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe, Hic eſt ſanguis meus. Obſerva non eſſe panem communem, ſed carnem & ſanguinem Chriſti, eodem modo, quo in Incarnatione eſt vera caro Chriſti.*

Infuſcare connititur hujus loci ſplendorem ſolitis ſuis troporum umbris Aubertinus Calviniſta: Tum quia, inquit, proteſtatus anteà fuerat Juſtinus manducationem humanæ carnis, de qua Chriſtiani diffamabantur, fabulam eſſe. Tum quia dixerat Criſtum in cœlos aſcendiſſe, duplicemque duntaxat diſtinxerat Chriſti præſentiam, præteritam alteram in humilitate; futuram alteram in gloria. Tum quia alioquin contra Catholicos ſequeretur panem non converti in corpus Chriſti, ſicut nec in carnem divinitas in Incarnatione converſa eſt. Tum demùm, quia ait panem & vinum Euchariſticum eſſe corporum noſtrorum alimoniam, quod vera ſi ſunt Chriſti caro & ſanguis, verum eſſe non poteſt. Idque ex eo confirmari poteſt, quod in dialogo cum Triphone ſcripſit præcepiſſe Chriſtum, ut Euchariſtia in commemorationem paſſionis ſuæ fieret; & tradidiſſe nobis panem in commemorationem corporationis, propter credentes in eum, quorum causâ partibilis factus eſt.

Sed hæc nugæ nugarum ſunt; quid enim impacta Chriſtianis de commedendis carnibus humanis calumnia fabuloſa cum reali, qualem admittimus, admittitque præfatis verbis Juſtinus, in Euchariſtia Chriſti præſentia commune habet? Non debuit Juſtinus Euchariſtiæ reconditum myſterium propalare, ſed eos impudentiſſimè mentiri conteſtari, cùm nulla in cœtibus Chriſtianis infantis cujuſpiam, vel hominis caro, uti imponebant, unquam comeſta ſit. Quin hac conjecturâ confirmatur potiùs vera ſententia; non enim ob comeſtam Chriſti figuram Chriſtiani infanticidæ & anthropophagi, & infantis farinâ tecti neciſores apud Ethnicos audiviſſent, ut refert Tertullianus *in Apologetico, cap. 7.* & Minutius Felix *in Octavio.* Calumniam enim illam depulſu facillimam citò ſuæ fidei expoſitione Chriſtiani amoliti fuiſſent, & unius ſigni à ſe admiſſi declaratione os loquentium mendacia occluſiſſent.

Secunda etiam conjectura puerilis eſt, veritas enim Aſcenſionis, & duplex Chriſti conſpicua præſentia ſacramentali præſentiæ, tametſi reali, non obeſt; quaſi verò Aſcenſio Judicium futurum, Incarnatio præterita, & Euchariſtia non ſint diſtincta myſteria? Eodem argumento probarent hæretici Catholicos ipſos realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam non agnoſcere, quia præſentiam præteritæ humilitatis, & futurum in gloria ad ventum ſolicitè diſtinguunt.

Tertia quodque ratio nihilo melior eſt: non enim comparat Juſtinus modum unionis hypoſtaticæ humanitatis cum verbo cum modo quo panis in carnem Chriſti transſubſtantiatione convertitur: ſed carnis aſſumptæ veritatem ejuſdem carnis realiter præſentis veritate illuſtrat, ut ſicut in Incarnatione vera, & non figurata caro aſſumpta eſt; ita eadem vera Chriſti caro in Euchariſtia realiter in ſacra menſa porrigatur.

Denique cùm Juſtinus ait, panem & vinum Euchariſticum eſſe corporum noſtrorum alimoniam, vel intelligitur de pane & vino ante conſecrationem, ut ſenſus ſit, id quod in corporum alimoniam inſtitutum eſt, ſit conſecratione caro & ſanguis Salvatoris, quibus animæ reficiuntur. Vel ſi de pane & vino conſecratis loquitur, ſignificat hoc diviniſſimo & vivifico cibo corporibus noſtris ſemen immortalitatis & glorioſæ reſurrectionis indi; unde à Patribus *pharmacum immortalitatis* appellatur. Unde dixit Veritas: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Præbere etiam dicitur corporibus noſtris ſpiritalem alimoniam, quia caſtitatem illi imprimit, fomitem mitigat, virtutem infundit contra incentiva vitiorum. Vino vitis, in quo eſt luxuria, corrumpitur caſtitas; vino Euchariſtico, in quo Chriſtus realiter continetur, virginitas mentiſque caſtimonia inſtillantur, ut dicetur infra, & mox patebit teſtimonio Irenæi ſtatim referendo. Unde dicitur Zachariæ 9. *Quid eſt bonum ejus, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quod verò in confirmatione adjicitur, tam futile eſt, quàm quod maximè; quid enim vetat ſacratiſſimam Euchariſtiam corpus Domini realiter continere, & ſimul in commemorationem Dominicæ paſſionis fieri tamen?

S. Irenæus.

Aſtipulatur S. Epiſcopus & Martyr Irenæus *lib. 4. cap. 34.* qui floruit ſecundo & tertio ſæculo; loquens enim de Valentinianis docentibus non eſſe unum, eundemque Deum creatorem cum Patre Chriſti Domini; & inſuper negantibus reſurrectionem carnis: *conſtabit eis enim panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſum fabricatorem mundi Filium dicant, id eſt Verbum ejus, per quod lignum fructificat & defluunt fontes, terra dat primum quidem fœnum, poſt ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicam carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore & ſanguine Domini alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram.* Et paulò poſt: *Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrenâ & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Et lib. 5. cap. 2. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis no-*

nis noſtra ſubſtantia. Quomodo carnem negant eſſe capacem donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore nutritur ut membrum ejus? Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum multiplex ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in uſum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in eam reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris.

Præclariſſimâ hac oratione multa nos docet Irenæus, quibus alliſa Calviniſtarum nefanda hæreſis confringatur neceſſe eſt; ut enim probet Chriſtum eſſe verum Deum filium, & mundi fabricatorem, id ſuadet: quia omnipotentiſſimis verbis ſuis panem efficit verum corpus ſuum, & vinum in ſanguinem propriũ convertit: ut confirmet poſſibilem eſſe futuram carnis reſurrectionem, miraculum converſionis panis in corpus Chriſti in argumentum profert, quia ſi verbis Domini panis fit vera Chriſti caro, quidni corpus Euchariſtiâ paſtum divinâ virtute hauſtum à vivifico illo cibo immortalitatem divinâ potentiâ conſequetur? Uſque adeò in primitiva Eccleſia realis Chriſti Euchariſtia præſentia ſupponebatur, ut illâ conſtantiſſimâ, & à nemine in dubium vocatâ veritate cæteros fidei articulos cõfirmaret eor.

Cavillantur Calviniſtæ, & in pura locorum illorum luce tenebras comminiſcuntur. Cùm enim, inquiunt, Euchariſtia Irenæo authore duabus rebus conſtet, alterâ terrenâ, quâ deſignatur ſubſtantia panis; & alterâ cœleſti, quâ corpus ipſum Chriſti ſignificatur, de figura corporis Chriſti loquutus eſt, quandoquidem ſubſtantia panis permanet. Cùm etiam dicat, addunt, carnem noſtram corpore & ſanguine Domini nutriri atque augeri, procul dubio de pane, qui figura Chriſti ſit, ſermonem habet.

Verùm adeò extortæ & violentæ, & juxtà frivolæ ſunt hujuſmodi Novatorum interpretationes, ut ipſis, ſi aliquod rationis intervallum haberent, pudendæ ſint. Nam Euchariſtiam conſtare terrenâ ſimul & cœleſti ſubſtantiâ, quis Catholicorum negaverit? Nonne viſibiles panis vinique ſpecies terrenæ ſunt, corpus verò Chriſti cœleſte, id eſt eximiam cœli incorruptibilitatem aſſequutum? Nonne ipſe Chriſtus terrenâ ſubſtantiâ, id eſt humanâ è terra oriunda; & cœleſti, id eſt ſpiritu immortali, & verbo Deo cœli conſtat? Quum verò addunt hæretici, carnem noſtram corpore Chriſti nutriri, manifeſtè malam fidem produnt ſuam, cùm Irenæũ habeant luculentũ verborum ſuorum interpretem. Nutriuntur plane vivifico cibo corpora noſtra, non converſione alimenti in rem alitam, ſicut cibis ſolitis dum paſcuntur, ſed cœleſtis incorruptionis communicatione inſeminatâ. Cibus quippe ille grandium non comedentes mutatur, ſed eos in ſe mutat, dotes illis ſuas effuſurus.

Tertullianus.

Subſcribit Tertullianus lib. de reſurrect. carnis, cap. 8. *Caro*, inquit, *corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Cui conſonat illud libri de pudicit. capite 9. *Opimitate Dominici corporis veſcitur.* Et lib. de orat. cap. 14. *Accepto corpore Domini, & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & exequutio officii.* Exponens etiam illud orationis Dominicæ. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, tripliciter ait poſſe intelligi. Primum de neceſſitatibus corporis. Secundò ſpiritaliter de Chriſto, qui eſt verus credentium panis. Tertiò de corpore Chriſti, quod eſt in Euchariſtia: *Tum quòd*, inquit, *& corpus ejus in pane cenſetur.* Ubi Tertullianus diſtinguit Chriſtum quà fideles credentes nutrit, & eundem Chriſtum quatenus in Euchariſtia exiſtit. Quæ diſtinctio vana prorſus foret atque ſuperflua, ſi Chriſtus in Euchariſtia ſolâ fide ſumeretur, quemadmodum ab iis ſola fide accipitur, qui in eum, ejuſque Evangelium credunt. Nec poſſunt hæretici in illa voce *cenſetur*, vitilitigare, quippe quæ & apud Juriſperitos, & apud ipſum Tertullianum libro de patientia, & libro de præſcriptionibus intimam rei præſentis conjunctionem ſignificat.

Dices: Idem ipſe Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. *Acceptum*, inquit, *panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei.* Ergo corpus Chriſti, authore Tertulliano, non niſi figurà tenus in Euchariſtia exiſtit.

Reſpondeo, locum illum in lectione Tertulliani verſatis explicatu facillimum eſſe; vox enim *figura*, non applicatur corpori, ſed particulæ *hoc*, quæ ex mente Tertulliani ſupponit pro pane, ita ut ſenſus ſit: Chriſtus acceptum panem, qui erat figura corporis ſui, corpus ſuum fecit dicendo. Hoc, id eſt figura corporis mei, eſt corpus meum. Unde Tertullianus tranſpoſitione uſus eſt, ne ordinem verborum Chriſti Domini expoſitione particulæ *hoc*, interrumperet. Sicut *lib. contra Praxeam cap. 29.* explicans quâ ratione Chriſtus; cùm ſit Deus, potuerit mori, illud Apoſtoli *1. Cor. 15.* refert: *Quoniam Chriſtus mortuus eſt*, atque. *Dicendo, Chriſtus mortuus eſt, id eſt unctus; id quod unctum eſt, mortuum oſtendit, id eſt carnem.* Ubi particulam, *id eſt unctus*, imediatè poſt ly *Chriſtus*, non ſubjecit, ne verborum Apoſtoli ſeries interrumperetur.

Ad horum evidentiam & apertiſſimam Tertulliani mentem, anteaquam locum integrum referamus obſervandum eſt, Marcionem duplici potiſſimùm errore laboraſſe; nam & Chriſto ſpectrum & figuram corporis affinxit, & legem veterem à malo Deo mundi hujus opifice fuiſſe conditam, à Chriſto tandem abolitam fuiſſe ſomniavit: & hoc libro ſuo antitheſon Legis & Evangelii ſuadere conatus eſt. Priorem errorem tribus libris confutavit Tertullianus, poſteriorem quarto libro adoritur, probans non veniſſe Chriſtum ut legem ſolveret, ſed adimpleret; exhibuiſſeque Servatorem in novo Teſtamento eorum veritatem, quorum figuræ in veteri habebantur. Hoc præmiſſo audiamus Tertullianum.

Profeſſus itaque, inquit, *ſe concupiſcentiâ concupiſſe edere paſcha, ut ſuum (indignum enim ut quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet. Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus ſuum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Ieremiam: Adverſus me cogitaverunt cogitatum dicentes: Venite comedamus lignum in panem ejus, ſcilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quod tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declaravit, corpus ſuum vocans panem. Sic & in Calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum ſubſtantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis ſanguis eſſe poteſt, niſi carnis. Nam etſi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe ſanguinem niſi carnea non habebit. Ita conſiſtit probatio corporis de teſtimonio carnis, probatio carnis de teſtimonio ſanguinis. Ut autem & ſanguinis veterem figuram in vino recognoſcas, aderit Eſaias. Quis*, inquit, *iſte qui advenit ex Edom, rubor veſtimentorum ejus ex Boſor, ſed decorus in ſtola violenta cum fortitudine? Quare rubra veſtimenta tua & indumenta ſicut de foro torcularè*

cularè

calaris plene conculcato? ::: Multò manifeſtius in benedictione Juda, ex cujus tribu carnis cenſus Chriſti proceſſurus, jam tunc Chriſtum in Juda delineabat: Lavabit, inquit, in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum: ſtolam & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecravit, qui tunc vinum in ſanguine figuravit.

Quibus verbis docet Tertullianus, Chriſtum habuiſſe verum corpus, quia figuris præſignatum eſt, nec eſt figura niſi alicujus veritatis. Docet etiam panem in veteri lege fuiſſe figuram corporis Chriſti, & vinum ſanguinis ejus, ut probat Jeremiæ, Iſaiæ, & Geneſis teſtimoniis. Unde planus ejus ſenſus eſt, panem & vinum, quæ erant corporis & ſanguinis Chriſti figuræ legales, verbis ſuis feciſſe corpus ſuum verum, & verum item ſanguinem. Quia ergo figura verum corpus ſignificat, verum corpus & verum ſanguinem ſuum in Euchariſtia fecit, quorum panis & vini in veteri lege figuræ erant. Quod confirmat argumento ex vino petito in hunc modum. Verus ſanguis non eſt niſi veræ carnis, figura verò non eſt niſi ejus rei, cujus eſt veritas. Sed Chriſtus in Euchariſtia vinum, quod figura erat ſanguinis ſui, fecit ſanguinem ſuum: ergo cùm Chriſti verus ſit ſanguis, vera & caro eſt. Unde ex hoc loco invictè aſtruitur Catholica ſententia; manifeſtè enim loquitur Tertullianus de pane qui erat in veteri lege figura corporis ſui, quam fecit corpum ſuum, ut veritas figuræ ſuccederet. Subdit enim: *Figura autem non fuiſſet* (utique in veteri lege, ſi enim de pane Euchariſtico loqueretur, diceret, figura non eſſet) *niſi veritatis eſſet corpus.* Eodem ſenſu *lib.* 5. dixit idem Tertullianus: *Panis & calicis ſacramento jam in Evangelio probavimus corporis & ſanguinis Dominici veritatem adverſus phantaſma Marcionis.* Id eſt probavimus veritatem carnis Chriſti ex eo, quod in ſacramento panem, qui erat figura corporis ſui, corpus ſuum fecit, & vinum ſimiliter ſanguinem ſuum. Verum ergo corpus Chriſtus habet, cujus panis olim figura erat, cui in novo Teſtamento veritas ſucceſſit. Unde panem corpus ſuum appellavit, ut ſignificaret panem fuiſſe figuram corporis ſui: quem panem corpus ſuum fecit, quia illum in corpus ſuum convertit. Figuræ verò corporis ſui nomen pani dedit, ut ratum haberet id quod in veteri Teſtamento habetur, ſcilicet panem eſſe figuram corporis ſui. Ex quibus omnia Aubertini Calviniſtæ ſophiſmata abſque negotio elides.

S. Cyprianus, necnon Author libri de operibus Cardinalibus Chriſti.

Orthodoxam noſtram fidem perſpicuè, & juxta eleganter expoluit tertio ſæculo florens S. Martyr Cyprianus epiſt. 54. *Vivrntibus,* inquit, *communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cùm ad id fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus.* Cui affine eſt quod habet epiſt. *Conſiderantes idcircò ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, ut poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Quæ verba ponderatione non egent.

Et ſermone de lapſis: *Alius,* inquit, *qui & ipſe maculatus, ſacrificio à Sacerdote celebrato partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuit. Cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Documento unius oſtenſum, Dominum recedere cùm negatur, nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutatur.* Ubi & Euchariſtiam ſacrificium apertè appellat, & Chriſtum utique præſentem ab illo indigno miraculosè receſſiſſe refratur.

Tractatu etiam de oratione Dominica: *Si & panem noſtrum vocamus,* inquit, *quia Chriſtus noſter, qui ejus corpus contingimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.*

Nec obeſt quod idem Sanctus *epiſt.* 63. *&* 76. ait, Dominum corpus ſuum panem vocare, & calicem Domini eſſe vinum. Nam ideò panem corpus ſuum Chriſtus appellavit & vinum ſanguinem, quia ſic appellando panem in corpus, vinum in ſanguinem convertit. Verbo enim omnipotenti, operatorio, & efficaci dixit & facta ſunt, efficitque ut quod erat natura panis & vinum, conſecratione panis & vinum eſſe deſinat, evadatque caro & ſanguis Salvatoris. Non obeſt etiam, quod eadem *epiſt.* 63. hæc dicat: *Nec poteſt videri ſanguis ejus, quo redempti ſumus & vivificati, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* Non obeſt, inquam; ibi enim de materia hujus ſacramenti agit duntaxat Cyprianus, quam non aquam, ſed vinum eſſe ait, ad indicandum ſanguinem Chriſti ſub eo latentem convenienter inſtitutum.

Non debet etiam contemni teſtimoniū authoris operum Cardinalium Chriſti, inter opera Cypriani. Tum quia authorem illum ab ipſo Cypriano non diſtingunt Paſchaſius & Sixtus Senenſis, nec diſſentis ex hæreticis Calvinus, & Petrus Martyr. Quia nimirum voces, phraſes, & ſchemata operi illi interjecta Cypriani ſtylo conſentanea eſſe putant. Tum quia authorem ſaltem antiquum & gravem eſſe conſtat, cùm Novatianos acriter impugnet: unde vel Cypriano & Cornelio coætaneum fuiſſe cenſet Pamelius, ut ex præfatione ſatis colligitur. Et quamvis aliqui poſteriorem Auguſtino cenſeant, quia non ſolùm nomen conſubſtantialis adhibet, ſed etiam quia de peccato originali clariſſimè loquitur, nec tamen ab Auguſtino adverſum Pelagianos producitur: attamen authorem eſſe antiquum patet, quia à Paſchaſio qui ſæculo nono floruit, epiſtola ad Freudegardum ſub nomine Cypriani laudatur. Sic autem habet Author ille *ſerm.* 6. qui eſt de cœna Domini: *Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus. Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentis Verbi fit caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat divinitas; ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infundit eſſentia.* Quibus verbis nihil apertius.

S. Hilarius Pictavienſis.

S. Hilarii quarto ſæculo florentis verba *lib.* 8. *de Trinitate*, ſpeculatione ſuperiori retulimus, quibus disertè Catholicam ſententiam tradit, eamque ad probandam adverſum Arianos naturalem, quæ Patrem inter & Filium intercedit unitatem, ſupponit. Quibus hæc illius verba adde: *Verè cibo dominico Verbum carnem ſumimus, naturaque carnis ſuæ ſub ſacramenta nobis admiſcuit. ::: Hæc à nobis idcirco commemorata ſunt, quia voluntatis tantùm unitate hæretici perſonas divinas unitas eſſe interpretantur, & ad id exemplo unitatis noſtræ cum Deo utuntur: quaſi nobis ad Filium voluntate tantùm religionis unius, nulla per ſacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeatur.*

His non tam verbis, quàm fulminibus opponunt hæretici aliquot Hilarii locos quàm futiliſſimè. Primò, inquiunt, quia *canone* 30. *in Matth.* tradit quod Chriſtus *accepto calice, & fracto pane* paſcha confecit; & quia Apoſtolos *vitis fructum* bibiſſe ait. Ergo

non

non corpus & ſanguinem, ſed panem & vinum Chriſtus porrexit. Deinde quia *in Pſalm.* 124. Deum ait eodem inſtanti diverſis eſſe in locis, *quia incorporeus eſt.* Ergo Chriſtus, quia corporeus eſt, in diverſis eodem momento altaribus eſſe non poteſt. Denique *in Pſalm.* 137. docet Chriſtum poſt reſurrectionem carnis ſuæ veritatem his verbis demonſtraſſe, *palpate & videte.* Ergo cùm Chriſtus in Euchariſtia nec palpari poſſit, nec videri, ibi realiter non invenitur.

Sed has conſequutiones detortas, & per vim raptas eſſe, quis non videt? In primis quod primùm objicitur, præſentiæ reali nihil obeſt, & ſi quid faceret locus ille (nihil autem efficere jam patebit) ſoli tranſubſtantiationi adverſaretur. Sed ſæpè diximus, Euchariſtiam panem & vinum à Catholicis catholicè dici. Tum quia panis & vinum huic præbent ſacramento materiam; tum propter ſenſibiles panis & vini ſpecies remanentes. Secunda conjectura infirmior eſt; fatemur enim corpus Chriſti per ſuam naturam pluribus eſſe in locis minimè poſſe, idque naturaliter naturis incorporeis convenire: ſed per miraculum corpus glorioſum, & conditionem quadantenus ſpiritalem aſſequutum pluribus non poſſe eſſe in locis, nunquam dixit Hilarius. Tertia etiam ratiuncula frigidiſſima eſt. Probavit quidem Chriſtus veritatem corporis ſui dum palpandum illud, contrectandum, videndumque præbuit: ſed omne corpus actu palpari & videri oportere malè inde colligitur. Sicut ignis veritatem calor intenſus demonſtrat; ignem tamen Babylonicum non fuiſſe verum ignem, quia calorem Deus miraculo impedivit, aſyllogiſtia eſt puerilis.

S. Cyrillus Ieroſolymitanus: Optatus Milevitanus: S. Baſilius: S. Gregorius Theologus: S. Ephrem Syrus: S. Epiphanius.

Luculenter Catholicam ſententiam expreſſit S. Cyrillus Jeroſolymitanus quarto ſæculo florens Catechefi 4. myſtagogica, his verbis: *Cum igitur Chriſtus ipſe ſic affirmet, atque dicat de pane, Hoc eſt corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante ac dicente, Hic eſt ſanguis meus; quis, inquam, dubitet ac dicat non eſſe illius ſanguinem. Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ ſolâ voluntate; & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Quare cum omni certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis. Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt Chriſtum ferentes, cùm ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra receperimus.* Quid verbis illis apertius, nervoſius, ſignificantius? Nihil planè, niſi fortè hæc ejuſdem Cyrilli verba præcedentibus ſubnexa: *Quamobrem non ſic hæc attendas velim, tanquam ſint nudus & ſimplex panis; nudum & ſimplex vinum, corpus enim ſunt, & ſanguis Chriſti. Nam etiamſi ſenſus illud tibi renuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex guſtu: ſed te citra ullam dubitationem fidei certum reddas, quod ſis dignus factus, qui corporis & ſanguinis Chriſti particeps fieres.* Confugiant ad ſua umbroſorum troporum latibula Calviniani: oleum certè & operam perdent, & ſi quid in illis ſinceritatis reliquum ſit, fatebuntur nec in Aquinate, nec in Bellarmino, aliiſque Catholicis ſcriptoribus clariora verba inveniri, quibus ſuam ſententiam ſignificaverint.

Præclara etiam ſunt, quæ tradit Catecheſi 5. ubi ait ſubjiciendam eſſe manum, *quæ tantum Regem ſuſceptura eſt.* Additque, ut *poſt communionem corporis accedat* Chriſtianus *& ad calicem ſanguinis illius, non extendens manus, ſed pronus adorationis in modum & venerationis, dicens Amen: ut ſanctificetur ex ſanguine, quem aſſumit.* His luculentiſſimis teſtimoniis nihil habent quod reſpondeant Calviniſtæ, niſi Catecheſes myſtagogicas falsò attribui Cyrillo, cùm differant ſtylo à Catecheſibus Illuminatorum, quarum Cyrillum fatemur eſſe authorem, cùm aliqua ex illis referat Theodoretus *dialogo* & S. Damaſcenus *orat. 3. de imaginibus.* Verùm cùm Cyrillus poſtrema Catecheſi Illuminatorum Myſtagogicas Catecheſes promittat, & uniuſcujuſque earum præmittat in antecesſum argumenta, planum eſt omnium Catecheſeon eundem eſſe authorem. Nec mirum eſſe debet, diſtinctum eſſe utrarumque ſtylum, cùm Catecheſes Illuminatorum pro baptizandis; Catecheſes Myſtagogicas pro baptizatis elaborarit. Conſtat autem pro diverſitate perſonarum, temporum, & argumentorum nunc fuſiori, nunc ſtrictiori ſermone eiſdem authoribus ſcribere ſolenne eſſe.

Subſcribit Optatus Milevitanus, qui quarto etiam ſæculo floruit. Nam *lib. 6. contra Parmenianum,* ubi reprehendit Donatiſtas, quòd altaria frangerent, raderent, & removerent, (quorum furorem Reformati noſtri initio ſui ſchiſmatis imitati ſunt:) *In quibus,* inquit, *vota populi portata ſunt, quò Deus omnipotens invocatus ſit, quò poſtulatus deſcendit Spiritus Sanctus; unde a multis pignus vitæ æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Quid enim eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti? Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta corpus & ſanguis habitabat?* : : : *Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſſes etiam calicem Chriſti ſanguinis portatorem.* Unde eorum crimen Judæorum Chriſticidio par eſſe ait: *Hoc modo Judæos eſtis imitati; illi injecerunt manus Chriſto in cruce, à vobis percuſſus eſt in altari.*

Idem docet S. Baſilius lib. 2. de baptiſ. q. 3. *Quanto majus aliquid eſt templo ſecundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius in anima impuritate conſiſtentium corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſit accedere ad arietes & tauros.* : : : *Quod ſi in immunditia tantùm conſiſtenti, tam terribile judicium habet, tantò magis qui cùm in peccato ſit, corpus Domini contingere audet, gravius ſibi accerſit judicium.* Et quæſt. 289. *Singulis certè diebus communicare & participare ſancti corporis & ſanguinis Chriſti, bonum & fructuoſum eſt.* Nec eſt quod opponant hæretici, Euchariſtiam appellari à Baſilio memoriale ejus, qui pro nobis mortuus eſt; vocari etiam antitypa; hæc enim quàm catholicè dicta ſint, infrà exponemus. Hanc eandem fuiſſe mentem S. Gregorii Nazianzeni, ex hiſtoria S. Gorgoniæ, quam ipſe refert, & ex ipſo dum de adoratione Euchariſtiæ agetur, referemus, clariſſimum eſt. Ejus mentem aſſequutus eſt Elias Cretenſis in commentario primæ illius orationis, ubi ait quod *in ſacra menſa propoſita per ineffabilem quandam omnipotentis Dei vim & facultatem, in Chriſti corpus & ſanguinem verè commutantur.*

Eandem etiam fidem quarto ſæculo atteſtatus eſt S. Ephrem Syrus *lib. de natura Dei minimè ſcrutanda,* his verbis: *Eſto fidelis atque innocens; participa immaculatum corpus & ſanguinem Domini tui fide pleniſſimâ, certus quod Agnum ipſum integrè comedas. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti; cave ea temerè ſcruteris, ne ipſorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cœleſtibus Angelis terrenos cibos appoſuit, illique eos comederunt. Ingens ſanè miraculum eſt cernere ſpiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes: ſed hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius Chriſtus Salvator noſter. Ignem quippe & ſpiritum manducandum atque bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus videlicet ſuum, ac ſanguinem.* Scio hæreticos ad ſolitos tropos confugere, ſed eadem facilitate tenebras in meridie ſolem infuſcantes comminiſcentur. Neque omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem excederet miraculum Euchariſtiæ, nec prodigium Angelorum

come-

comedentium humanos cibos ſuperaret, ſi figuram tantùm Chriſti comedendam contineret. Subſcribit etiam S. Epiphanius Epiſcopus Salaminis quarto ſæculo florens; in Ancorato enim, *num.* 57. ſic ait: *Eccleſia tranquillus pacis portus eſt, & ſuavitas quædam, necnon & præſentiſſimum illud abſtergendo mœroris poculum, meum ſcilicet ac verum Chriſti ſanguinem quotidie largiens.*

S. Gregorius Nyſſenus.

Conſtantem Catholicæ Religionis fidem noſtram diſertè etiam tradidit S. Gregorius Nyſſenus ſæculo quarto florens oratione ſua catechetica, quam eſſe legitimum illius fœtum conſtat tum ex Photio in Bibliotheca, *Codice* 233. qui pro illo opere apologiam texuit: tum ex Theodoreto *dialogo part.* 3. & Leontio Maximo, qui plures ex ea Nyſſeni orationis textus referunt. Tum quia ab Euthymio *part.* 2. *Panopliæ, titulo* 21 ſub nomine Gregorii Nyſſeni memoratur. Sic autem in illo opere, *cap.* 37. habet Nyſſenus: *Quoniam homo eſt duplex, ut qui ſit compoſitus & contemperatus ex anima, & corpore, neceſſe eſt ut qui ſervantur, per utrumque attingant qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipſo contemperata per fidem hinc ſalutis habet occaſionem: nam unio cum vita vitæ habet ſocietatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem & contemperationem ejus quod dat ſalutem. Quomodo enim qui venenum ſumpſerunt dolo & inſidiis, alio medicamento extinguunt vim, quæ afferret interitum? Oportet autem ſicut exitiale, ita etiam ſalutare medicamentum admitti intra viſcera, ut per illa diſtribuatur in univerſum corpus virtus ejus, quod fert opem. Ita cùm id guſtaverimus, quod noſtram diſſolvit naturam, rurſus neceſſe eſt ut opus habeamus eo, quod cogit ac conciliat id quod erat diſſolutum, ut cum intra nos fuerit hoc ſalutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem. Quid ergo eſt? Nihil aliud quàm illud corpus, quod & morte oſtenſum fuit eſſe potentius, & noſtra vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apoſtolus, ſibi aſſimilat totam conſperſionem: ita corpus à Deo morte affectum, cùm fuerit intra noſtrum, totum ad ſe tranſmutat & transfert. Sed fieri non poteſt, ut ſit aliquid aliter intra corpus, niſi per eſum & potionem miſceatur viſceribus. Cum autem ſolum illud corpus, quo Deum ſuſcepit homo hanc gratiam acceperit, oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat.* Et infra: *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari. ::: Hæc autem dat virtute benedictionis in illud tranſelementata eorum quæ apparent natura.*

Ecce Calviniſmum manifeſtiſſimè jugulatum. Elevent quantùm voluerint hæretici, Nyſſeni authoritatem Catholicis omnibus pervenerabilem; nævos in illo Sancto Doctore fingentes quærant; addant Gregorium conjecturis egiſſe, & exercitationis gratia loquutum; denique ad deſperatum troporum & præſentiæ virtutis aſylum confugiant; non tamen ultrò ſeſe ingerentem nitentiſſimorum verborum ſplendorè obſcurabunt, nec fulminis ictum effugient, nec ſuæ impedient nefandæ impietatis condemnationem.

S. Ambroſius.

Quod ſi hæretici tantis laudatorum Patrum molibus non ſuccumbant, tantis ponderibus non fatiſcant, tantis malleis non conquaſſentur, tantis poſtremò fulminibus non conterantur, ſuaviſſimis fortaſſis Ambroſii quarto ſæculo florentis mellibus concedent. Ille enim *libro de initiandis, capite* 9. ſic ſcribit: *Quomodo tu mihi aſſeris quod Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt, ut probemus, non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: majoremque vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis & virgæ.* Et productis in medium variis converſionum & tranſmutationum divinitus effectarum exemplis, ſubdit: *Advertimus igitur majoris eſſe virtutis gratiam quàm naturam, & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod ſi tantùm valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam ſacramentum illud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. ::: Incarnationis exemplo aſtruamus myſterii veritatem. Nunquid naturæ uſus præceſſit, cùm Dominus Ieſus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſuevit: liquet ergo quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus Ieſus partus ex Virgine? Vera utique caro Chriſti, quæ ſepulta eſt: vera ergo illius carnis ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium ſpecies vocatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum: ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur, & tu dicis panem. Hoc eſt, verum eſt.*

Verbis illis non ſolùm ſententiam Catholicam expoſuit Ambroſius apertiſſimè, ſed invictiſſimè illam hæreticorum ſophiſmatis præfocatis confirmavit. Idem præſtitit *lib.* 4. *de Sacramentis, cap.* 5. his verbis: *Antequam ergo conſecretur, panis eſt: ubi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus: ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti univerſa convertere. Deinde Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus ac ſanguinem; nunquid debemus de ejus fide ac teſtificatione dubitare? Magnum quiddam & venerabile, quod manna Judæis pluit e cœlo; an corpus Chriſti? Corpus Chriſti utique, qui author eſt cœli.* Quid clarius dici potuit, quàm illud, quod ante conſecrationem panis eſt, conſecratione fieri & eſſe corpus Chriſti, & vinum fieri ſanguinem, qui plebem redemit, & hanc converſionem eſſe miraculum omnipotentiæ Dei, & alio modo Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, quàm manna, quæ tamen ſignum erat corporis Salvatoris?

Sed & capite 4. antecedenti omne Calviniſtarum effugium præcluſerat S. Ambroſius his verbis: *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. ::: Quomodo poteſt qui panis eſt eſſe corpus Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Ieſu; nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo deferunt: Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur Chriſti ſermonibus. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cœlum: Iuſſit Dominus, & facta eſt terra. Iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant; quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant, in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, ſed audi*

dicentem : *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. Ergo tibi ut reſpondeam, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod jam corpus eſt Chriſti. Obſerva, de pane fit Chriſti caro ſermonibus Chriſti; qui ſermo eſt is, quo facta ſunt omnia.* Verbis illis quid luculentius, & quid efficacius?

His oppreſſa teſtimoniis hæreſis in omne latus ſe vertit. Aubertinus, Faucherius, Blondellus, Rivetus contendunt, Magnum Ambroſium non eſſe operis de Sacramentis adeo ſuis hæreſibus adverſis authorem. Non redolent, inquiunt, elegantem Ambroſii ſtylum phraſes multæ in opere illo obviæ, humiles, rudes, & ferè barbaræ. Sed non advertérunt hæretici quod obſervat Auguſtinus *lib. 4. de doctrina Chriſtiana, cap. 21.* Ambroſium ſubmiſſo dicendi genere tum eſſe uſum, cùm de Fidei dogmatibus ageret, quæ non ornamenta verborum, ſed rerum documenta deſiderant. Quem etiam ſtylum cernere eſt in ſermonibus Ambroſii, unde nihil mirum, ſi in libris de Sacramentis, quos pro concionibus ad populum habuit, ſolitam orationis ſublimitatem deprimat vir Apoſtolicus omnibus omnia factus, ſapientibus & inſipientibus debitor. Varias etiam operis illius propoſitiones moroſiſſime vellicat Aubertinus, à quibus niſi fallor, cenſuris & contemptionibus abſtinuiſſet, niſi ignoraſſet ſententias illas in aliis Ambroſii conſtantiſſimis operibus, cæterorumque Patrum lucubrationibus extare, ut ſi per otium vacaret, facillimum eſſet demonſtratu. Quod verò addit Aubertinus, falſa nonnulla eo in opere venditari, ut cùm meminit ritus lotionis pedum baptizandorum, qui vix in uſu fuit tempore Ambroſii: cùm aſſerit, Chriſtum non dixiſſe, *Et ne nos inducas in tentationem*; ſed, *Ne patiaris nos induci in tentationem*, manifeſtè refellitur primum quidem ex Auguſtino *epiſt. 118. & 119.* ubi ritus illius mentionem facit; ſecundum etiam ex eodem Auguſtino *lib. de dono perſeverant. cap. 6.* confutatur: *Quod itaque*, inquit, *dicimus Deo, ne nos inferas in tentationem, quid dicimus, niſi ne nos inferri ſinas? Unde ſic orant non nulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc ſic poſuit B. Cyprianus, ne patiaris nos induci in tentationem.* Ex quibus patet ita legere potuiſſe Ambroſium ſecundùm fidem plurium codicum, & morem multorum eo tempore ſic orantium. Non eſt etiam validius quod aiunt, ridiculam eſſe allatam ab illius operis authore rationem, quâ *lib. 6. cap. 4.* probat ſecretò nos, & non cum vociferatione orare oportere. *Qui ergo clamat*, inquit, *putat quod aliter Deus non poſſet, niſi clamantem audire.* Sed ridiculus eſt planè cavillus; eandem enim rationem adhibet idem Ambroſius in operibus indubitatis: *Cubiculum tuum*, inquit lib. 1. de Abel & Cain, cap. 9. *mentis arcanum, animique ſecretum; nam in hoc cubiculum tuum intra. Hoc eſt egredere de corporis tui exteriori veſtibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui, & claude oſtium tuum. Quid ſit oſtium tuum, diſce, ::: Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament paſſiones tuæ, clamet ſanguis tuus: audit enim in occultis, qui mundas in occultis. Non niſi loquentem audire non poſſumus; apud Deum loquuntur non verba, ſed cogitationes.* Quibus nihil ſimilius iis quæ habet objecto illo cap. 4. *Qui ergo clamat, putat quod aliter Deus non poſſit niſi clamantem audire: & qui cum clamore rogat eum, ejus derogat poteſtati: qui autem in ſilentio orat, fidem profert.*

Ex his ſpeciminibus liquere puto, vanas eſſe hæreticorum conjecturas, quibus permoti libros de Sacramentis ſibi tantoperè inviſos è catologo operum Ambroſii expungunt. Quare cùm omnes editiones, & codices manuſcripti, & omnes ab octo & amplius ſæculis Scriptores libros illos Ambroſio aſſerant, non eſt à communi conſenſione propter leviſſimas hæreticorum ſuſpiciones recedendum.

Dices: Ambroſius loco à nobis memorato comparat mutationem quæ fit in Euchariſtia per conſecrationem, ei mutationi quæ in homine per baptiſmum contingit, dum vetus homo in novam mutatur creaturam; atqui in baptiſmo non contingit mutatio ſubſtantialis: ergo nec in Euchariſtia. Item *lib. 6. cap. 1.* ait: *In ſimilitudinem quidem accipis ſacramentum, ſed vera naturæ gratiam virtutemque conſequeris.* Si autem in ſimilitudinem, ergo non propriè & ſubſtantialiter. Et *lib. 4. cap. 5.* ſic habet: *Dicit Sacerdos, Fac nobis hanc oblationem aſcriptam, rationabilem, acceptabilem; quod eſt figura corporis & ſanguinis Domini.*

Reſpondeo Ambroſium non ſolùm exemplo mutationis veteris in novum hominem, ſed etiam multarum phyſicarum converſionum tranſſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, quæ operatorio Chriſti verbo in Euchariſtia fit, illuſtrare & confirmare. Adde etiam, exemplum illud non eſſe ad realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam ſtabiliendam impertinens. Sicut enim in baptiſmo, dum vetus in novam creatura mutatur, vera & realis gratia deſtruens peccatum, & beatiſſima virtutum copia infunditur, ut ſpiritalis homo generetur: ita in Euchariſtia verum Chriſti corpus, veruſque ſanguis accedentibus porrigitur, ita ut Chriſti caro ſuccedat ſubſtantiæ panis, ſicut in baptiſmo ſufficitur gratia peccato.

Secunda objectio magis nobis favet, quàm obſit, ſi inſpiciatur integer Ambroſii textus; ſic enim habet: *Vera ejus caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus: verus ejus ſanguis eſt, quem potamus. Quomodo vera caro? Quomodo verus ſanguis? Qui ſimilitudinem video, non video ſanguinis veritatem. Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam eſſet horror cruoris, ſed maneret gratia redemptionis; ideò in ſimilitudinem quidem accipis Sacramentum, ſed vera naturæ gratiam, virtutemque conſequeris.* Quibus verbis apertiſſimè ſignificat veram nobis Chriſti carnem, verumque ſanguinem porrigi, ſed pani & vini ſpeciebus involvi, ne ſumentibus Chriſti cruor eſſet horrori. Et ideò ſimilitudines in Sacramento viſibiliter accipimus, veræ tamen Chriſti naturæ beneficio & virtute reficimur.

Tertia quoque inſtantia nihilo validior eſt; fatentur enim Catholici, ſpecies panis & vini eſſe figuram corporis & ſanguinis Chriſti: fatentur etiam, panem & vinum in altari appoſita, oratione Sacerdotis accedente fieri ſigna carnis & ſanguinis Redemptoris; ſed hæc ſigna orat Sacerdos ut conſecratione in verum Chriſti corpus, verumque ſanguinem convertantur.

S. Ioannes Chryſoſtomus.

Si aureum Chryſoſtomi os cæteris Patribus facundiâ antecellit, ſeipſum in exponenda Catholica de Euchariſtia aſſertione ſuperare viſum eſt. Sic autem ſanctus ille Pater quarto & quinto ſæculo florens habet hom. 51. in Matthæum: *Non veſtis ſolùm, ſed corpus ipſius nobis propoſitum eſt: non ut ſanguinis ſolummodo, ſed ut comedamus & ſaturemur. Quis enim majus, id eſt ſeipſum pro te poſuit, quare dedignabitur ſuum tibi tradere corpus? ... Carnes ſuas nobis tradidit, ſeipſum immolatum propoſuit: quam igitur ſatisfactionem offeremus, qui tali pabulo nutriti talia peccemus?* Et hom. 83. *Quoniam ergo ille dixit. Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. ::: Si tu incorporeus eſſes, undè ipſa dona incorporea tradidiſſet tibi; quoniam verò corpori conjuncta eſt anima tua, inſenſibilia intelligenda tibi traduntur. Quot modò dicunt, vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta ejus deſideras videre, ipſe verò ſeipſum tibi tradit, non ut videas ſolùm ipſum, ve-*

rum

rum etiam ut tangas, & in te habeas. : : : Veniat in mentem tibi quo ſis honore honoratus, qua menſa fruaris: ea namque res nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec abſque pavore, propter fulgorem qui inde reſilit, aſpicere poſſunt. ::: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis paſtor oves proprio paſcit cruore, Et quid dico Paſtor? Multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere non voluit, ſed proprio corpore nos alit, ſed & ſibi conjungit, atque adglutinat. Ibidem etiam ait: *Neque illi ſatis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi; verùm & ſemetipſum nobis commiſcet, & non fide tantum, verùm & ipſa re ſuum efficit corpus.*

Et hom. 45. in Joan. *Vt autem non ſolùm per dilectionem, ſed reipſa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt. Cùm enim ſuum in nos amorem vellet indicare, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus ſuum cum capite uniretur; hoc enim amantium maximè eſt. Hoc Job indicavit de ſervis, à quibus maximè amabatur, qui ſuum amorem præ ſe ferentes dicebant, quis daret nobis ut ejus carnibus impleremur? Quod Chriſtus fecit ut majori nos charitate aſtringeret, & ut ſuum in nos oſtenderet deſiderium, non ſe tantùm videri permittens deſiderantibus, ſed ut tangi, & manducari, & dentes carni ſuæ infigi, & deſiderio ſui omnes impleri. ::: Parentes ſæpe numero liberos ſuos aliis alendos dederunt: ego autem mea carne alo.*

Et hom. 24. in 1. ad Corint. *Id quod eſt in calice eſt id quod fluxit è latere, & illius ſumus participes. ::: Quamobrem ſi ſanguinem cupis, non aram idolorum brutorum cæde, ſed meum adi altare meo cruentum ſanguine. Quid eſt hoc horribilius? Quid autem amabilius quæſo dic? Hoc faciunt etiam qui amant. Cum viderint eos quos amant aliena concupiſcere, & propria deſpicere, ſua dantes perſuadent ut abſtineant ab iis quæ ſunt illorum: ſed qui amant quidem, in poſſeſſionibus, pecuniis, & veſtibus ſuam oſtendunt liberalitatem & magnificentiam, in ſanguine autem nullus unquam. Chriſtus autem etiam in eo ſuam nobis oſtendit curam, & ardentem in nos charitatem. Et in veteri quidem, quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant ſanguinem, eum ipſe ſuſtinuit ſuſcipere, ut ab illis abduceret, quod ipſum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo quod eſt longè horribilius & magnificentius ſacram conſtituit operationem, ut qui & ipſum mutarit ſacrificium, & pro cæde brutorum ſeipſum juſſit offerri. ::: Hoc corpus etiam jacens in præſepi reveriti ſunt Magi, & cum multo metu & tremore adorarunt. Tu autem non in præſepi vide, ſed in altari; non fœminam eum tenentem, ſed Sacerdotem aſtantem. ::: Hic enim terram tibi cœlum facit hoc myſterium.* Et hom. 27. *Hæc facis Chriſti menſa exceptus illo die, quo dignus es habitus, qui ejus carnes linguâ tangeres. Quicumque ſis ergo ne hæc fiant, manum tuam expurga, & caſtiga linguam tuam & labia, quæ ingreſſi Chriſti fuere veſtibula.*

Exſcribendæ eſſent integræ Chryſoſtomi homiliæ; tanta enim luce, tantaque copia ubi vis Catholicæ noſtræ aſſertionis veritatem inculcat & illuſtrat, ut quas tanto ſplendori effugiorum nebulas Calviniani offundant, non habeant.

S. Hieronymus.

Orthodoxam etiam noſtram fidem luculenter quarto & quinto ſæculo ſignificavit Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum: *Abſit ut de iis quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Et epiſt. 85. ad Evagrium: *Quis patiatur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur?* Et epiſt. 128. ad Fabiolam, Epiſcopum vocat *ſequeſtrem Dei & hominum, & carnes Agni ſacro ore conficientem.* Et in Pſalm. 145. *Qui dicit*, inquit, *panem noſtrum quotidianum, & utique eſuriens loquitur, dat eſcam eſurientibus. Putas aliquis quod panem cœleſtem de myſteriis dicat Et hoc quidem accipimus, quia vera caro Chriſti eſt.*

Nec eſt quod nobis opponant hæretici, quod de quibuſdam virginibus intemperantibus *epiſt.* 22. *ad Euſtochium* ſcribit Hieronymus his verbis: *Vbi ſe mero ingurgitaverint, ebrietati ſacrilegium copulantes, abſit ut ego me Chriſti ſanguine abſtineam. Et ſi quam viderint pallantem atque triſtem, miſeram monacham atque Manichæam vocant.* Non eſt, inquam, quod id opponant; fatuarum enim virginum ſacra myſteria inter pocula irridentium impietas ſacrilegii à Hieronymo damnata impiè nobis objicitur, nec officit veritati tantæ iniquitatis teſtimonium.

Nec dicas etiam S. Hieronymum lib. 2. contra Jovinianum aſſerere Chriſtum *in typum ſanguinis ſui non obtuliſſe aquam, ſed vinum* Et in cap. 26. Matth. addere: *ut quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fuerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret.* Non, inquam, id dicas; priori enim loco de vino conſecrando, qui eſt materia Euchariſtiæ, & non aqua, manifeſtè loquitur Hieronymus. Quomodo etiam vinum conſecratum typus & figura Chriſti catholicè dici poſſit, infra elucidabitur. Ex quo poſterius ſolutum manet. Addi tamen poteſt, quod ſicut inter referenda Tertulliani teſtimonia diximus, verbum *repræſentare* idem non ſignificat ac figurare, ſed idem ſonat ac præſentem veram Chriſti carnem efficere.

S. Auguſtinus.

Calvinus *lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 28.* inſolenter aſſeverat ſine controverſia Auguſtinum totum eſſe ſuum. Eodem modo, authore Guitmundo *lib. 2.* gloriabatur Berengarius. Ut ergo à tanto Patre quarto & quinto ſæculo florente tantam defendamus injuriam, & Calviniſtarum calumnias clariſſimè revincamus, placet ſelecta S. Patris proferre teſtimonia, quibus Catholicam fidem luculenter expreſſit. In primis *lib. 9. Confeſſ. cap. 3.* de matre ſua S. Monica loquens ait: *Memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, unde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis; ad cujus pretii noſtri ſacramentū ligavit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei.* Quibus verbis multiplex Calvinianorum error conteritur; nā & orationis & ſacrificium altaris pro mortuis offerri, & ibi victimam pro peccatis noſtris ſemel mactatā, Chriſtum videlicet jugiter immolari aſtruxit. Vocat verò Euchariſtiam Sacramentū pretii noſtri, & quia ſacramentum eſt pretium redemptionis noſtræ continens, & quia eſt memoriale mortis Chriſti, quæ pretium eſt redemptionis humanæ.

Idem colligitur ex epiſtola 43. ubi Maxima Madorenſis à B. Auguſtino quærit, quis eſt iſte Deus quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vindicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis? Cui per ſequentem epiſtolam 44. reſpondens S. Pater, non negat rem ita ſe habere, nihilque ſcribit quo exiſtimationem illam Maximæ removeat; quod tamen non omiſiſſet, niſi verum eſſet Chriſtianos Chriſtum in locis abditis præſentem adorare, & quaſi proprium ſibi vindicare. Idem etiam habetur ex epiſtola 86. ubi de quodam Romano ſic ſcribit: *Dicit ceſſiſſe panis pecus, tanquam neſciens & tunc in Domini menſa panem propoſitionis poni ſolere, & nunc ſe de immaculati Agni corpore partem ſumere. Dicit ceſſiſſe poculo ſanguinem, non cogitans etiam nunc accipere in poculo ſanguinem.* Ubi clarè docet & A-

gnum immaculatum nos comedere, & ſanguinem ejus in poculo bibere. Nec obſtat vox illa *partem*: Nam pars dicitur de corpore Chriſti in Euchariſtia accepto, non quòd accipiatur pars corporis, ſed quia diſtribuitur portio ſpecierum panis & vini continentium corpus Chriſti. Idem docet epiſt. 118. cap. 6. *Placuit*, inquit, *Spiritui Sancto, ut in honorem ſacramenti in eos Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi.*

Et lib. 3. de Trinit. cap. 10. *Illas etiam nubes & ignem*, inquit, *quomodo fecerint vel aſſumpſerint Angeli ad ſignificandum quod annuntiabant, etiamſi Dominus vel Spiritus ſanctus illis corporalibus formis oſtendebatur, quis novit hominum? Sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione conſumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in uſum religionis aſſumatur, etſi nunquam diſcant experimento ſuo vel aliorum, & nunquam ſpeciem illam rerum videant niſi inter celebrationes ſacramentorum, cum offertur & datur, dicaturque illis authoritate graviſſima, cujus corpus & ſanguis ſit; nihil aliud credent niſi omnino in illa ſpecie Dominum oculis apparuiſſe mortalium, & de latere tali percuſſo liquorem illum omninò fluxiſſe.* Ubi fidem Eccleſiæ Catholicæ egregiè expreſſit, Chriſtum aliena ſpecie occultatum nobis exhiberi declaravit, non ſecus ac Angeli ſub ſpecie nubium realiter apparebant, tametſi ipſi non viderentur.

Et lib. quæſt. in Levit. q. 57. ſic habet: *Cum Dominus dicat, niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quid ſibi vult quod à ſanguine ſacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum; à cujus tamen ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendo non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam?* Ubi Sanctus Pater ſanguinem animalium cum ſanguine Chriſti utique vero & non figurato, ut antitheſis ſit ad propoſitum, confert.

Et *lib.* 17. *de Civit. cap.* 20. expendens verba illa Eccleſiaſtici, *Non eſt bonum homini niſi quòd manducabit & bibet*, ſic habet: *Credibilius dicere intelligitur, quia quo ad participationem menſæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipſe mediator Teſtamenti novi exhibet ſecundùm ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo: Id tamen ſacrificium ſucceſſit omnibus ſacrificiis veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocē illam in Pſalmo 38. ejuſdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoſcimus: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi; Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur, & participantibus miniſtratur.* Ubi clariſſimè docet corpus illud in Euchariſtia in ſacrificium offerri, & participantibus miniſtrari, de quo ſcriptum eſt, *corpus autem perfeciſti mihi*, quod utique de vero & naturali Chriſti corpore intelligitur.

Et libro contra Adverſarium legis, capite 9. *Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, & humanum ſanguinem potare quam fundere.* Ubi Doctor Sanctiſſimus Chriſti carnem non ſolum corde, ſed ore etiam manducari clariſſimè tradit: cumq; comparet manducationem occiſioni reali, de manducatione etiam reali, & orali manifeſtè loquitur, quæ etiam ſola horrorem ingenerare videtur.

Libris etiam contra Fauſtum Catholicam aſſertionem non obſcurè expreſſit. Nam *lib.* 12. *cap.* 10. ſic ſcribit: *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibꝰ reſpondetur Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemptorum.* Ubi eundem ſanguinem ore fidelium ſuſcipi docet, quo fideles redempti ſunt. Et lib. 20. cap. 18. *Hebræi in victimis pecorum quas Deo offerebant, multis & variis modis, ſicut tanta re dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam in cruce Chriſtus obtulit. Unde jam Chriſtiani peracti hujus ſacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Domini.* Quæ verba ponderatione non egent.

Non minus perſpicuè eandem veritatem in expoſitione Pſalmorum Auguſtinus expoſuit. Etenim concione 1. in Pſalm. 33. ubi inter explicandum illud quod habetur *1 Reg.* 21. *verſ.* 13. quod David juxta lectionem Septuaginta ſeipſum manibus ſuis portabat, quærit quomodo ſeipſum David manibus ſuis portare potuerit: *Hoc vero Fratres*, inquit, *quomodo fieri potuerit in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundùm litteram, non invenimus: in Chriſto autem invenimus; ferebatur enim Chriſtus in manibꝰ ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum; ferebatur enim illud corpus in manibus ſuis.* Ubi manifeſtè præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia Auguſtinus ſtabilivit, ait enim Chriſtum ſecundum litteram corpus ſuum portaſſe in manibus ſuis, eo modo quo nullus hominum corpus ſuum portare poteſt. Patet verò hominem ſignum & figuram corporis ſui in manibus ſuis portare poſſe: ergo modus ille Chriſto eximius, cæteris verò impoſſibilis eſt, quod proprium corpus realiter & ſubſtantialiter in divinæ inſtitutione Euchariſtiæ portarit manibus ſuis. Nec obeſt quod concione ſequenti dicat: *Quodammodo ferebatur in manibus ſuis. Quia cùm commendaret ipſum corpus & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo cùm diceret, hoc eſt corpus meum.* Non obeſt, inquam; vox enim illa *quodammodo*, non negat veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, ſed declarat Chriſtum eſſe in Euchariſtia certo quodam modo ſenſibus impervio, & ſolis fidelibus noto.

Idem tradit *in Pſalm.* 39. his verbis: *Sacrificia illa tanquam verba promiſſiva ſunt ablata; quid eſt quod datum eſt completivum? Corpus quod noſtis, quod non omnes noſtis, quod utinam qui noſtis omnes non ad judicium noveritis.*

Idem docet tract. 47. in Joan. *Menſa potentis*, inquit, *quæ ſit noſtis, ubi eſt corpus & ſanguis Chriſti.* Et tract. 84. *Quæ eſt menſa potentis, niſi unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis?*

Et ſerm. 2. de verbis Apoſtoli: *Audimus*, inquit, *veracem Magiſtrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium noſtrum ſanguinem ſuum: locutus eſt enim nobis de corpore ſuo, quando corpus dicit eſcam, ſanguinem potum. Sacramentum fidelium cognoſcunt fideles.* Denique apud Paſchaſium, Lanfrancum, & Ivonem illud Auguſtini ex ſermone ad Neophytos refertur: *Hoc accipite in pane quod pependit in cruce: hoc accipite in calice quod fluxit è latere.*

Dices: Auguſtinus contra Adimantum Manichæum *cap.* 10. ſic fatur: *Non enim dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Et in Pſalm. 3. *Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit.*

Reſpondeo priori loco Auguſtinum loqui ad hominem, ut dicunt, ſeu ex mente Manichæorum quibuſcum diſputat, putantium Euchariſtiam non conſecratione, ſed natura ſua eſſe ſignum corporis Chriſti apparentis, quod ſecundum ſpeciem carnis ſimulatam in cruce paſſum fuerat, ut patet ex Auguſtino lib. de hæreſibus, hæreſ. 46. Præter illum autem Chriſtum in phantaſmate ſub Pontio Pilato crucifixum, duplicem adhuc Chriſtum defendentes

Mani-

Manichæi fingebant, ut conſtat ex eodem Auguſtino lib. 20. contra Fauſtum, cap. 11. alium quem terra concipiens patibilem gignit, omni non ſolùm ſuſpenſum ex ligno, ſed etiam jacentem in herba: *Vobis autem*, inquit, *per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur.* Ex lib. de fide contra Manichæos, cap. 34. *Dicitis magno errore, ſed tamen os ītis, Chriſtum quotidie naſci, quotidie pati, quotidie mori. Nunquid fortè in iis qui credunt, & pro nomine ipſius tribulationes mortemque patiuntur? Non, inquiunt, ſed in cucurbitis, & in porris, & in portulacis, & in cæteris hujuſmodi rebus. Magna ridicula, magna cæcitas: ſuperiùs paſſionibus dæmonum, hic paſſionibus olerum homines liberantur à peccatis.* Alium verò Chriſtum impaſſibilem admittebant, per ſolem lunamque diſtinctum, ut ait idem Auguſtinus. Porrò corpus Chriſti patibilis [quod erat quilibet fructus, & olus, ac proinde panis] ſecundùm Manichæos erat tantùm ſignum corporis phantaſtici, in quo impaſſibilis Chriſtus ſimulatè paſſus & mortuus eſt. Etenim panis non fiebat conſecratione corpus Chriſti patibilis, cum eſſet corpus Chriſti patibilis naturâ ſuâ: non fiebat etiam verum Chriſti impaſſibilis corpus, alioquin Chriſtus impaſſibilis in pane paſſibilis evaſiſſet; nam in ejuſmodi eſcis Chriſtus ſecundùm Manichæos quotidie patiebatur, quotidie moriebatur. Unde juxta Manichæos panis erat tantùm figura corporis phantaſtici Chriſti in cruce paſſi. Quare Auguſtinus juxta principia Manichæorum loquutus eſt cum dixit: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Id eſt, non dubitavit Dominus dicere, hoc eſt corpus meum, cùm illud daret quod ſecundùm vos eſt tantùm ſignum corporis ſui. tantum ſignum corporis ſui. Loco enim illo contra Adimantum reſpondet hæretico illi vetus Teſtamentum calumnianti ex eo quod Deuteronomii 12. cavetur ne ſanguis animalium comedatur, ſanguis enim eorum pro anima eſt, nec debet comedi anima cum carnibus. Hoc autem teſtimonium impugnabat Adimantus, quia in novo Teſtamento Dominus dicit, non eſſe timendos eos qui occidunt corpus, animæ autem nocere non poſſunt; quæ duo, inquiebat, pugnantia ſunt ſi anima ſit ſanguis, iſti enim homines nocere poſſunt. Cui objectioni reſpondet Auguſtinus, primò in Deuteronomio ſermonem eſſe de anima brutorum, in Evangelio de anima hominum: nullibi enim veteris Teſtamenti ſcriptum eſt animam humanam eſſe ſanguinem. Secundo reſpondet illud præceptum in ſigno poſitum eſſe, hoc eſt ſanguinem appellari animam, non quòd ſit anima propriè, ſed quia eſt ſignum animæ. In hujus autem reſponſionis confirmationem addit quod Dominus non dubitavit dicere corpus ſuum, cum illud daret quod ſecundùm vos, ô Manichæi, eſt tantùm ſignum corporis ſui: ergo ſanguis qui eſt ſignum animæ, potuit anima appellari. Poſtquàm verò ex Manichæis ipſis oſtendit figuram nomine rei cujus eſt figura nuncupari, illud ipſum confirmat, quia in veteri lege omnia erant figuris plena, utiturque exemplo petræ quæ Chriſtus dicitur figurativè non ſolùm ex adverſariorum, ſed ex propria etiam ſententia.

Si inſtes, Auguſtinum lib. 20. contra Fauſt. capite 11. Manichæorum fabulas irridentem ita loqui: *Ore aperto expectatis quis inferat Chriſtum tanquam optima ſepultura faucibus veſtris.* At illud non objeciſſet Auguſtinus ſi Chriſtum in Euchariſtia realiter manducari ſenſiſſet, facilè enim idem in Auguſtinum Manichæi retorſiſſent. Reſpondebo Auguſtinum non irriſiſſe Manichæos, quòd ſentirent Chriſtum in Euchariſtia realiter ſuſcipi, ſed quòd fabularentur omnes arbores crucem Chriſti eſſe, de eiſque deponi Chriſtum & in ſepulchrum transferri, cum fructus ex arbore decerpti in ore conduntur. Quare has nænias ſupra ſomniantium exertationes abſurdas meritò irridet Auguſtinus. Cæterùm Catholica de Euchariſtia aſſertio è Manichæorum commentis immensùm diſtat. Etenim Manichæi delirabant volentes omnes fructus terræ & herbas eſſe corpus naturale Chriſti patibilis. Catholici credunt corpus Chriſti eſſe verum corpus humanum, & modo ineffabili ſub ſpeciebus duntaxat panis & vini realiter contineri. Manichæi ſomniabant poni Chriſtum in Euchariſtia naſcendo: Catholici conſecratione ibi tantùm poni corpus Chriſti confitentur. Manichæi fingebant corpus Chriſti in omnibus eſcis incluſum eſſe alimentum refectionis: Catholici contendunt eſſe ſacramentum & vinculum religionis. Manichæi corpus illud eſſe paſſibile commiſcebantur: Catholici impaſſibile & glorioſum adorant. Manichæi putabant corpus illud comeſtum deficere ad modum aliorum ciborum: Catholici corpus Chriſti nunquam deficere cenſent, ſed deſinentibus ſpeciebus, ejus duntaxat præſentiam deſinere affirmant.

Ad poſteriorem Auguſtini locum è Pſalmo tertio depromptum reſpondeo, velle ibi ad litteram S. Patrem, Euchariſtiam eſſe figuram corporis ſui myſtici, quod eſt Eccleſia. Intendit enim inibi probare Chriſtum ſupra Davidem mitem pacem voluiſſe cum Juda proditore ſuo perpetuò retinere, quod oſtendit quia & oſculum pacis ab eo benignè accepit, & Euchariſtiam figuram corporis ſui, id eſt figuram & ſymbolum unitatis corporis Eccleſiæ ei porrexit. Familiare namque erat Auguſtino, præſertim dum ad catechumenos & infideles convenientes loqueretur, de Euchariſtia prout dicit habitudinem ad corpus myſticum quod eſt Eccleſia, ſermonem habere, ne iis tantum myſterium propalaretur, qui parum erant ad illud intelligendum idonei. Quod patet etiam ex tract. 26. in Joan. *Hunc itaque cibum & potum*, inquit, *ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt Sancta Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, & juſtificatis, & glorificatis Sanctis & fidelibus ejus.:::Hujus rei ſacramentum, id eſt unitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur.* Et iterum: *Exponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Unus panis*, inquit, *unum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis! ô ſignum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat: accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur; non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur: ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum. hæreat corpori, vivat Deo de Deo.* Et rurſum: *Cùm cibo & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit, id eſt ſocietas ipſa Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noſter Jeſus Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur: ex multis namque granis unus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.* Et ſermone ad infantes: *Sicut enim*, inquit, *ut ſit ſpecies viſibilis panis multa grana in unum conſperguntur tanquam in pluvia, quod de fidelibus ait, facta erat illis anima & cor unum in Deum; ſic & de vino fratres recolite unde ſit vinum: grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in unitate confunditur. Ita Dominus noſter Jeſus Chriſtus nos ſignificavit, nos ad ſe pertinere voluit: myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecravit.* Euchariſtia ergo eſt figura corporis Chriſti myſtici, quia eſt ſymbolum unitatis, ſignum pacis, vinculum charitatis fidelium.

Alii Patres, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Ioannes Damaſcenus.

Nihil apertius & validius pro fidei Orthodoxæ defen-

defenſione proferri poteſt, quàm quod habet Cyrillus Alexandrinus, qui 4. & 5. ſæculo floruit, anathematiſmo undecimo, & libro quarto in Joannem: Priori enim loco confutaturus calumniam Theodoreti Cyrillo imponentis quod carnem unitam Verbo dixerit inanimatam, qui dixerat Domini carnem vivificam Verbi propriam eſſe, ait ſe per carnem intelligere eam de qua Joannes ait, *Verbum caro factum eſt*, & de qua ipſe Chriſtus dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Et ſubjungit: *Reprehende ſi videtur hæc verba. Carnem enim nominat ſolam, & nullam penitus in his animæ intelligentis mentionem fecit. Atqui ſi ſapiens & ingenio acuto fuiſſet, non ignoraſſet quod interdum ſola carne animal ex anima & corpore conſtans, id eſt homo ſignificatur.* Ergo manifeſtè ſenſit Cyrill. Chriſtum nobis carnem ſuam phyſicam, id eſt compoſitam ex corpore & anima porrigere, cùm illam carnem loco illo Joannis dari velit, quam ipſe unitam Verbo affirmavit. Si autem Euchariſtia eſſet caro Chriſti figurativa tantum, non modò inefficax, ſed ineptiſſima fuiſſet Cyrilli argumentatio. Sed longè apertius loco poſteriori, cap. 2. exponens verſum 15. Ioannis Catholicæ Eccleſiæ fidem tradidit, & omnia Calviniſtarum figurativa effugia præoccupavit his verbis: *Sæpe Salvator eundem ſermonem Judæis inculcans variè propoſuit, modo quidem ænigmate & obſcuritate multa involutum, modo rejecta tunica nudum & apertum; ut niſi crediderint, condemnationem non effugiant, ſed mali malè pereant, in ſuam ipſi perniciem gladium ſtringentes. Nihil igitur occultans demum Chriſtus ait: Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi. Illud manna typus erat, inquit, & umbra, & imago. Audite palam nunc & apertè: Ego ſum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Qui ex illo manducaverunt, mortui ſunt, non erat enim vivificum. Qui autem manducat hunc panem, id eſt me, ſive carnem meam, vivet in æternum.* In illis ergo verbis Salvatoris aſſerentis Euchariſtiam eſſe panem vivum & carnem Chriſti, nullis datur typis, umbris, & imagini locus, niſi quis in ſuam perniciem verbis velit Salvatoris abuti, & ut continuò addit, *ſermonibus pietatis obſurdeſcere*. Nunquam ſanè S. Thomas Aquinas, nunquam Perronius, nunquam Bellarminus apertiùs loquuti ſunt.

Sed & Apoſtolicus Magni Leonis rugitus omnes Calviniſtarum confundit opprimitque argutias: *Dicente Domino*, inquit ſerm. 6. de jejunio 7. menſis, *niſi manducaveritis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis: hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur; & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra id quod accipitur diſputatur.*

Succinit Magnus Gregorius homil. 14. in Evangelia, inquit, *Paſtor animam ſuam poſuit, ut in ſacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & omnes quos redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret.* Et homil. 22. *Quid namque ſit ſanguis Agni, non jam audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Qui ſanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.*

Quæ fuerit etiam Magni Gregorii de Euchariſtia mens, ex iis patet quæ in vita Gregorii Petrus Diaconus lib. 2. cap. 4. his verbis refert: *Matrona quædam Beato Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolennia celebranti ſolitas oblationes obtulerat. Cui poſt myſteria traditurus cum diceret, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet animam tuam, laſciva ſubriſit. Ille continuò dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis ſuper altare depoſuit. Expletis vero Miſſarum ſolemniis, matronam coram populo inquiſivit, quamobrem corpus dominicum ſumptura ridere præſumpſerit? At illa diu muſſitans* tandem prorupit: *Quia panem, inquiens, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe ſe in orationem proſtravit: & poſt paululum ſurgens, particulam panis, quam ſuper altare poſuerat, carnem factam reperit: quam coram cunctis incredula matrona demonſtrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quàm totum populum confirmare curavit. Rurſus itaque in orationem cum iiſdem proſtratus, carnis fruſtrum in panis primordia reformavit.* Audiant Calviniſtæ *Miſſarum ſolennia*; audiant Euchariſtiam eſſe *corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti*, videant in matrona ſuæ incredulitatis exemplum, & ſequuti errantem ſequantur pœnitentem.

S. quoque Joannes Damaſcenus eandem veritatem nitentiſſimis verbis docuit & expoſuit libro quarto, capite quatuordecimo, his verbis: *Quæſivit Virgo, quomodo fiet mihi iſtud? Reſpondit Gabriel Archangelus: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Chriſti, & vinum aquâ mixtum fiat ſanguis Chriſti? Tibi quoque reſpondeo, Spiritus Sanctus ſupervenit, eaque efficit quæ orationes facultatem & mentis intelligentiam excedunt. ::: Quod ſi quæras quo pacto id fiat, ſatis tibi ſit audire, quod per Spiritum Sanctum id fiat. Quemadmodum ex ſancta Dei matre per Spiritum ſanctum Dominus ſibi ipſi carnem condidit: nec quicquam amplius nobis perſpectum & exploratum eſt, quàm quod verbum Dei eſt verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua in bibentis ac comedentis corpus & ſanguinem immutantur: Sic panis & vinum, quæ proponuntur in altari, per ſancti Spiritus invocationem & adventum mirabili modo in Chriſti corpus & ſanguinem vertuntur.*

Plura Patrum teſtimonia dum de cultu & uſu Euchariſtiæ diſſeremus, inf[illegible] referemus, quæ realem Chriſti præſentiam omnino ſupponunt. Non enim adorandum eſſe hoc ſacramentum Patres docerent, niſi Chriſtum ibi adeſſe cenſuiſſent. Eximiam etiam quam ad communionem deſiderant purgari animi compoſitionem uni Chriſti præſentiæ ſuperſtruunt, ſuo ut loco clarebit.

Sacra Concilia eidem veritati ſuffragata ſunt.

Realem quoque corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam ſacra Concilia, ubi occaſio tulit, perſpicuè docuerunt. *In hac ſacra menſa*, inquit Concilium Nicænum I. editionis Piſanæ, lib. 3. cap. de ſacra menſa, *ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & calicem; ſed attollentes mentem fide, intelligamus ſitum in illa ſacra menſa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum; & pretioſum ejus corpus & ſanguinem verè nos ſumentes credamus hæc eſſe noſtræ redemptionis ſymbola.* Ergo in Euchariſtia Agnus immaculatus Chriſtus verè à Sacerdotibus immolatur, verè à fidelibus recipitur.

Ad myſticas benedictiones accedimus, addit in epiſtola ad Neſtorium à Concilio Epheſino probata Cyrillus Alexandrinus, *eaq; ratione ſanctificamur, utpote ſacræ carnis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtri Salvatoris participes effecti. ::: Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus ſed tanquam verè vivificam, ipſiuſque Verbi propriam.* Quibus verbis nihil apertius.

Nemo unquam Sanctorum Apoſtolorum (verba ſunt ſeptimæ Synodi Generalis, ſeu Concilii Nicæni II. cujus ſuprà meminimus) *qui tuba ſunt Spiritus ſancti, aut glorioſum Patrum noſtrorum incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam Paſſionis Domini*

noſtri

noſtri Ieſu Chriſti & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius dixerit: Nam is qui accipit à Domino, ſic non dicit aut confitetur, ſed audivit ſic dicentem evangelicè, Niſi comederitis carnem filii hominis. Integrum locum in fine referemus.

Enatâ etiam Berengarii hæreſi, accurrerunt ſtatim Sacra Concilia exortam hæreſim proſcriptura, Vercellenſe ſub Leone IX. Turonenſe ſub Victore II. Romanum ſub Nicolao II. & aliud Romanum ſub Gregorio VII. in quo utroque hæreticus Berengarius ſemel & iterum relapſus impietatem ſuam revocavit. uti fuſius cap. ſequenti referimus. Supervacaneum foret œcumenici Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati, Viennenſis ſub Clemente V. Conſtantienſis ſub Martino V. Florentini ſub Eugenio IV. Triden. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. manifeſtas definitiones referre, quas ultrò fateotur Calviniani ſibi eſſe adverſas, qoamvis apud veros Chriſti Eccleſiæ filios unius Catholici Concilii authoritas omnibus Calviniſtarum & cæterorum quorumvis hæreticorum opinationibus præſtet & immensùm præponderet.

Ponderantur Patrum authoritates, & objectiones occupantur.

Ad majorem SS. Patrum intelligentiam & hujuſce veritatis evidentiam notandem eſt, & diligenter retinendum, Patres difficultates ſibi & objectiones adverſus à ſe traditam de Euchariſtia doctrinam imitantes propoſuiſſe, ſimulque confeſſos fuiſſe prædicatam à ſe veritatem juſtam eſſe difficultatum longè graviſſimarum ſponte naſcentium originem. Tāha contra Euchariſtiæ fidem objecta legere eſt apud Hilarium *lib.* 8. *de Trinit.* Cyrillum Jeroſolymitanum *catech.* 4. Gregorium Nyſſenum *orat. catech.* Ambroſium *lib. pro initiandis, cap.* 9. *& lib.* 4. *de Sacrament. cap.* 5. Gaudentium *tractat.* 19. *in Exodum,* Chryſoſtomum *homil.* 88. *in Matth.* Heſechium *lib.* 6. *Leviticum*, Eucherium *homil.* 5. *Paſchatis.* Ad ſedanda porrò hujuſmodi dubia nunquam & nuſquam Patres gemmam illam novellæ Calvinianorum editionis clavem, ſeu diſtinctionem figuræ & virtutis adhibuere, nunquam dixerunt ſolam Chriſti figuram, ſolam Chriſti virtutem in Sacramento Euchariſtiæ reperiri, ſed illas fortius & apertiùs expreſſiones imaginarunt, inculcaruntque, quæ fuerant dubitationum anſæ, ad eaſque tutandas confirmandaſque omnia ex authoritate & infinita Dei potentia petita argumenta urgent, ut humana ratio quámlibet dubitationum & difficultatum mole vexata intellectum in obſequium fidei captivet; atque ad ſimilia divinæ virtutis in creatione, in incarnatione, in miraculis quæ nos fugiunt, operantis exempla coofugiunt, ut difficultatis è fide Euchariſtiæ ultro pullulantes explanent, Chriſtique præſentiam tot indiſſolubilibus humanæ rationi nodis implicatam, tot ſpinis circumſeptam credibilem reddant.

Si autem vora eſſet Calviniſtatum ſententia, inepta plane fuiſſet tot dubitationum objectio, ineptior illa Patrum reſponſio. Quænam enim dubitandi ratio adeò gravis, quænam ingenns difficultatis tam ſtupenda moles in Calviniano dogmate inveniur, ut ad eam complanandam & explicandam, atque reluctantibus rationi & ſenſibus ſuadendam unicum divinæ virtutis ea quæ humanum captum excedunt operari valentis aſylum ſuperſit quò confugiamus? Immò quis Chriſtianus infinitas in re omni difficultate vacua difficultates inveniri meritò potuit? Quis in dubium revocare poteſt, hæderam appenſam vinum vendibile ſignificare, olivam pacis eſſe ſignum, & laurum ac palmas ſymbolum victoriæ? Qui ergo io hoc difficultatem poterant comminiſci, quod panis ex Chriſti inſtitutione corpus Redemptoris ſignificet, vinum ſanguinem figuret? Quomodo dubitare poterant virtutem Chriſti in panem poſſe Dei poteſtate transfundi, qui eam aquis baptiſmatis communicari non negabant?

Sed eſto tam abſurdas dubitationes, tam ineptas objectiones in Chriſtianis ... tametſi ſplendente recentis Evangelii luce perfuſis, & Sanctorum Patrum doctrinæ radiis circumfuſis, repugnante ratione fuiſſe Calviniſtis permittamus: verumtamen fatoas, inſulſas, & inſenſatas ad hujuſmodi dubia reſponſiones à Patribus non ſemel, ſed paſſim, ſed ubivis de hoc argumento fuiſſe prolatas, agnoſcere impium eſt, ſacrilegium eſt, Atheo dignum, non Chriſtiano. Etenim ſi ſacri illi Doctores dubitationes ſibi propoſitas intellxerum (non intellexiſſe autem quis dicar niſi impius vel fatuus,) quomodo difficultatem, ubi nulla erat, ſummam eſſe confeſſi ſunt tamen? Quomodo, vel qua ſinceritate ad eam explicandam, & obſequium fidei deſiderarunt, & myſteria quæque longè difficillima captu in ſubſidium advocarunt.

Enimverò videbant Patres difficultates illas rationi humanæ inſeparabiles, vel à reali corporis Chriſti, præſentia proficiſci, vel uni duntaxat præſentiæ figurativæ & virtuali eſſe mnixas. Si primum, non removere difficultatem, ſed augere; non ſedare dubia, ſed juſta eſſe confirmare debuiſſent. Dubitatis (ſic fari tenebantur) quomodo panis corpus Chriſti realiter evadat: jure dubitatis, & meritò difficile eſſe creditis, quod impoſſibile ſine dubitatione tenendum eſt. Si ſecundum, id eſt ſi dubitatiooes illæ præſentiæ figurativæ vel virtuali ſuperſtructæ erant, non difficultatem ſingularem fateri, vel eam difficilioribus Chriſtianiſmi myſteriis adæquare, ſed ridere & floccifacere poterant & debebant. Nam panem poſſe ex inſtitutione Chriſti ſignum eſſe corporis Chriſti, & poſſe ſicut aquam eſſe inſtrumentum virtutis Chriſti, quis impoſſibile judicaverit qui baptiſmo crediderit?

Ergo cùm Patres contra ſuam de Euchariſtia ſententiam eas ſibi difficultates opponant, & unus auxilio fidei diſſolvere aggrediaotur, quas olim Capharnitæ Chriſto oppoſuere, nobis Calviniani opportunè importunè objiciunt, dubio procul pro ea quam propugnamus theſi pugnarunt; & cum ut hujuſmodi apparentes repugnantias conciliarent, ad diſtioctionem præſentiæ figuratiuæ & virtualis nunquam confugerint, qua tamen abhibita omnia objecta iu fumum abibant & ſponte diſſilıebant, manifeſto argumento eſt hanc de figurativa & virtuali duntaxat præſentia novitatem, commentum eſſe diaboli ſolis hæreticis inſpiratum. Qoid enim tam promptum, tam facilè, tam expeditum, tam denique naturale erat, quàm fidem de Euchariſtia expandere, cujus ſolius expoſitione [ſi fuiſſet Calvinianæ ſententiæ conſentanea] omnes omninò difficultates ſine negotio momento evanuiſſent?

Obſervandum rurſus, Euchariſtiam Catholico ſenſu dici poſſe figuram corporis Chriſti, quia ut rectè ait Paſchaſius *cap.* 4. figura eſt, vel character veritatis quod exteriùs ſentitur; veritas verò eſt quidquid de illo myſterio interiùs rectè intelligitor, & creditur. Non enimomnis figura umbra eſt vel falſitas: unde Paulus de unico Dei filio ad Hebræos loquens: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ*, inquit, *& figura ſubſtantiæ ejus.* Non etiam repugnat ſigno continere id cujus eſt ſignum: nam ſanguis ſignificat animam quam continet; & columba, quæ ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit, ſignum erat Spiritus Sancti realiter præſentis; & Eccleſia materialis eſt ſignum congregatioois fidelium, qui in ipſa realiter congregantur; & linguæ igneæ figuræ erant præſentis & in Apoſtolos illapſi Spiritus ſancti. Abſurdè ergo ſupponunt calviniſtæ figuram, imaginem, & antitypum rei eſſe ſemper abſentis repræſentationem Addit Lanfrancus eandem Chriſti carnem, eundemque ſanguinem ſui ipſorum eſſe figuram ſecundùm aliud atque aliud accepta. Nam ipſe

Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem ſui ipſius pro diverſa temporum ratione typum & figuram geſſit, ut cùm duobus diſcipulis euntibus in caſtellum Emaua apparuit, finxitque ſe longius iee, ſignificans, ut Auguſtinus ait, ſe poſt pancos dies ad cœlum aſcenſurum eſſe. quod itee à communi hominum vita longè remotum eſt. Ita ſimiliter Chriſtus prout in Euchariſtia inviſibilis eſt, figura & ſignum eſt corporis Chriſti, illius videlicet quod viſibile, mortale, palpabile in cruce ſuſpenſum eſt. Unde, ut obſervat Guitmundus *lib. 2.* Chriſtus ipſe in ſacris litteris ſæpe ſignum appellatur, in Evangelio enim dicitue poſitus in ſignum cui contradicetur, & apud Iſaiam dicitur ſtare in ſignum populorum. Et certè cùm Cheiſtus in Euchariſtia ſeipſum pro nobis jugiter offerat, perpetuum etiam eſt redemptionis noſtræ ſignum. omne enim pretim ſignum eſt tranſlationis ejus eei, cujus eſt pretium. Denique Euchariſtia figura & ſignum eſt, tum unitatis corporis myſtici quod eſt Ecclaſia, tum futueæ beatitudinis, cujus ſuavitas in hoc ſacro convivio ab animabus caſtia in anteceſſum prægustatur. Ita apertè profitetur Eccleſia in Miſſa de ſanctiſſimo Sacramento; Euchariſtiam enim eſſe ſignum unitatia fidelium, aſſerit in oratione ſecreta Miſſæ de Sanctiſſimo Sacramento, ubi ſic Eccleſia depreeatur: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, unitatis & pacis propitius dona concede, quæ ſub oblatis muneribus myſticè deſignantur.* Eſſe verò futuræ felicitatis figuram diſertè teſtatur in Poſtcommunione his verbis: *Fac nos, quæſumus Domine, divinitatis tuæ ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis & ſanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.*

Facilè ergo jam intelligis quo ſenſu Patres & Doctores Catholici Euchariſtiam figuram appellarint. Quod magis adhuc percipies, ſi conſideres in veteri Teſtamento dediſſe Deum figurarum umbras; in novo veritatem dare cum figura; daturus in futuro abſque figura manifeſtam veritatem. Quia nimirum vetus Teſtamentum veritatem promiſit, & non dedit; novum Teſtamentum veritatem dat, ſed non oſtendit; beatitudo tandem latentam veritatem maniſeſtiſſimè videndam revelabit. Ineptè ergo & fruſtra laborant Calviniani cùm Patrum teſtimonia Euchariſtiam ſignum vel ſacramentum appellantium ſtudioſè colligunt; hac enim ratione & S. Thomas Aquinas, & ipſa Romana Eccleſia paſſim & ubique Euchariſtiam *ſanctiſſimum ſacramentum, tantum ſacramentum* nuncupantes à Calvinianis ſtarent. Itaque cùm Euchariſtia interdum ſacramentum & ſignum dicitur, interdum corpus Chriſti nominatur, nihil à veritate alienum profertur, ſed diverſa ratione Euchariſtia conſideratur. Sicut enim idem homo mortalis quandoque, immortalis nonnunquam, rurſum mortalis ſimul & immortalis ratione diverſorum rectè dicitue; mortalis propter corpus, immortalis propter animam, propter utrumque mortalis unà & immortalis: ita dum in Euchariſtia corpus Chriſti attendimus, corpus Chriſti; dum ſpecies ſacramentales vel alias ſignificationes conſideramus, ſignum, figuram, & ſacramentum; dum utrumque meditamur, corpus unà & ſignum verè & catholicè eam nominamus. Unde etiam ſequitue non eſſe mirum ſi propter varios ſenſus verba Chriſti ſpiritali ſenſu morum informandorum gratiâ Sancti interpretati ſunt, cùm & id Catholici quotidie præſtent, & ipſe Bernardus veritatis corporis Chriſti ſine ulla dubitatione propugnatoe, & Calvinianorum in perſona Henrici & ſequacium acerrimus inſectator conc. 3. in Pſalm. *Qui habitat,* ſcripſerit: *Quid eſt manducare ejus carnem & bibere ejus ſanguinem, niſi communicare paſſionibus ejus, & eam converſationem imitari, quam geſſit in carne?*

Facilè etiam interpretaberis teſtimonia illa Patrum, in quibus Euchariſtia imago, ſimilitudo, repræſentatio, & antitypus Chriſti dicitur. Imago enim & ſimilitudo dici poteſt, tum habita ratione ſpecierum, quæ ejus rei quam continent ſignum ſunt; tum ratione rei contentæ, ſcilicet corporis Chriſti, quod prout eſt in Euchariſtia, imago & ſignum eſt *rememorativum* prætaritæ paſſionis Chriſti, unde ab Auguſt. lib. 20. contra Fauſtum, cap. 21. appellatur *ſacramentum memoriæ demonſtrativum* præſentis corporis Eccleſiæ, *prognoſticum* futuræ gloriæ. Nullus porrò Patrum dixit Euchariſtiam eſſe nudam Chriſti imaginem veritate quam ſignificat vacuam, & in hoc ſenſu in 7. Synodo veridicè ſcriptum eſt, neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque à Patribus Euchariſtiam imaginem appellari, quæ nimirum præſentiam corporis Chriſti excludat.

Et in hoc etiam ſenſu Euchariſtia repræſentatio eorum dici poteſt quorum imago eſt. Veritas tamen eſt vocem *repræſentare* apud Latinos idem ſonare ac præſentem exhibere, ut ſuperiùs obſervatum eſt. Unde Horatius: *Virtutem repræſentet, moreſque Catonis.* In qua etiam acceptione vocem illam Tullius uſurpavit. Juris quoque periti tunc aiunt pretium agri vel mercis repræſentari, quando in præſentia ſolvitur. Qua ratione Euchariſtiam antitypum nonnulli appellarunt, id eſt ſignum non nudum, ſed rei quam ſignificat conjunctum, ſeu totum ex ſigno & re ſignificata compoſitum.

Objiciunt præterea hæretici Calviniſtæ primò quædam Auguſtini loca, tum illud epiſt. 23. ad Bonifacium, ubi ſic ſcribit: *Sicut ergo ſecundum quemdam modum ſacramentum corporis Chriſti corp⁹ Chriſti eſt, Sacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt; ita Sacramentum fidei fides eſt.* Quæ particula, *ſecundum quemdam modum*, cùm ſit diminuens, ſubindicat Euchariſtiam non continere verè & ſubſtantialiter corpus Chriſti. Maximè quia dicit Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, quemadmodum baptiſma dicitur fides, quod tamen non niſi ſignificativè fides dicitur. Tum quia ſermone de ſacramento altaris ad infantes, authoribus Fulgentino & Beda, docet panem eſſe corpus Chriſti, & calicem ejus ſanguinem, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: additque Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti ſicut nos ſumus corpus Chriſti, quia per panem, qui ex multis, granis coaleſcit, unitas fidelium repræſentatur. Tum denique, quia multis in locis docet corpus Chriſti non eſſe amplius in terra, ſed in cœlo; quia corpus intulit cœlo, majeſtatem non abſtulit mundo.

Reſpondeo ſacramentum corporis Chriſti inviſibiliter, & ſpiritaliter, realiter tamen præſentis eſſe corpus Chriſti quod fuit in cruce viſibile, palpabile; quia dum frangitur ſacramentum, & in populum dividitur, dumve ſanguis ejus ab ore fidelium ſumitur, mors ejus in cruce, & ſanguinis de latere emanatio figuratur. Sacramentum etiam corporis Chriſti eſt quodammodo corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, ut ſuprà ex Auguſtino diximus. Sacramentum etiam corporis & ſanguinis Chriſti, id eſt ſpecies panis & vini ſunt quodammodo corpus Chriſti quod ſignificant, quodve continent, ſicut ſacramentum fidei eſt ipſa fides: ſacramentum enim Euchariſtiæ, ut poſteà dicemus, formaliter & eſſentialiter in ſolis ſpeciebus ſitum eſt. Quod ſi contendas ſacramentum Euchariſtiæ quà tale includere corpus Chriſti, dicendum particulam *ſecundum aliquem modum* uſurpari ab Auguſtino non ad imminuendum, ſed ad modificandum ſenſum propoſitionis. Sic epiſt. 28. *Anima humana*, inquit, *immortalis eſt ſecundum aliquem modum.* Et epiſt. 3. *Ut hominem* [Verbum] *ſuſcipere dignaretur, & cum illo uniretur quodammodo.* Et tamen anima humana verè immortalis eſt, humanitas verè & realiter cum Verbo unita. Ita ſacramentum altaris eſt ſecundùm quemdam modum corpus Chriſti, licet ipſum realiter contineat, quia nimirum non eſt corpus Chriſti omni modo, viſibili, palpabili, extenſo in ordine ad locum. Adde etiam particulam illam *ſecundum aliquem modum* ab Auguſtino poſitam eſſe, ut ſignificaret paritatem aliquam intercedere inter

Sacra-

Sacramentum corporis Chriſti & Sacramentum fidei, in hoc conſiſtentem quod Sacramentum dici poteſt res cujus eſt Sacramentum; ſed maximam etiam intereſſe diſparitatem, quia Sacramentum corporis Chriſti rem ſignificatam continet, non verò Sacramentum fidei.

Ad ſecundum dico, panem eſſe corpus Chriſti, quia id, quod ſecundùm ſpeciem exteriorem & accidentia ſenſibilia panis eſt, revera tamen corpus Chriſti eſt; in tanto enim myſterio aliud videtur, aliud intelligitur. Nihil autem verius quàm Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti naturale, ſicut nos ſumus corpus ejus myſticum: nihil etiam verius quàm panem illum ſecundum ſpeciem externam conſideratum unitatem corporis Eccleſiæ ſignificare. Quæ quia ſæpius repetita ſunt, & ex Patribus expoſita, ampliori explicatione non indigent.

Illa denique teſtimonia quibus affirmat B. Auguſtinus corpus Chriſti non eſſe amplius in terra, de aſpectabili illius præſentia, non de inviſibili & miraculoſa intelligenda veniunt. Noluit autem Chriſtus viſibilem & ſenſibilem in Euchariſtia præſentiam retinere, ut Chriſtianus animus terrenis vacuus, quæ ſurſum ſunt quæreret, cœleſtibus inhiaret, & ad Dominum cœli & terræ realiter quidem præſentem, ſed ab amore rerum præſentium avocantem ſuſpiraret. Unde *ſurſum corda* canit Sacerdos, quæ ſe habere ad Dominum veri fideles reſpondent: cujus ſacræ cæremoniæ ſæpius meminit Auguſtinus, ut lib. de dono perſever. cap. 13. & lib. 83. quæſtionum quæſt. 29.

Objiciunt 2. Calviniani authoritatem Ruperti Abbatis Tuitienſis Cœnobii Ordinis S. Benedicti, qui libro de divinis Officiis docet Euchariſtiam eſſe nudam corporis Chriſti figuram. Unde opus illud VViclefus ejuſque ſectatores maximè commendarunt. Thomas etiam VValdenſis tom. 7. cap. 19: ſcripſit authorem de divinis officiis ſerpere ut cancrum. Hac etiam de cauſa S. Anſelmus epiſtolam ad Rupertum ſcripſit, qua monuit illius libri de Euchariſtia doctrinam fuiſſe in Berengario damnatam, quæ quidem epiſtola initio tractatus de Sacramento altaris ab eodem Anſelmo elucubrati habetur.

Reſpondeo Catholicam de Euchariſtia doctrinam, & realem corporis Chriſti in Sacramento Altaris præſentiam apertiſſimis vocibus non ſemel, ſed pluries Rupertum ſignificaſſe. Tum in epiſtola nuncupatoria Commentariorum in Ioannem, quæ in editione Colonienſi 1526. extat, ubi quorumdam in ſe calumnias referens ſic habet: *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, niſi quod aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis & ſanguinis Domini ſolummodò ſignum eſſe ſacra rei juxta errorem quondam Berengarii Turonenſis, etiam dictum Beatum Auguſtinum ita ſenſiſſe putant, quod omnino falſum eſt. Ego autem verum corpus Chriſti quod pro nobis traditum eſt, & verum eſſe decerno ſanguinem qui pro nobis effuſus eſt, ſicut Catholica Eccleſia tenet. Hæc quia probare conati ſunt Beato me derogare Auguſtino contra illum ſentiendo, quem in ſui erroris patrocinium Berengarius citare conſueverat, dicta ejus malo ſenſu decipiendo. Verum hæc jam ferè nemo palam profiteri ans defendere audet, univerſa ſentiente Eccleſia Catholica, quia verum corpus & verus ſanguis Chriſti eſt.* Et in fine: *Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, ſcilicet panem & vinum in veram corporis ſanguinis Domini tranſiſſe ſubſtantiam.* Quibus verbis nihil luculentius.

Libro etiam ſexto in Ioannem innumera habet huic confirmandæ veritati peropportuna; hæc tamen limpidiſſima verba referre ſatis erit: *Veritas dicis, Hoc eſt corpus meum, & addis, quod pro vobis tradetur. Et tu dicis, non eſt idem corpus: nempe ſi non eſt idem corpus, ſi non eſt idem qui de cœlo deſcendit panis vivus, non eſt hoc corpus quod pro vobis tradetur. ::: Cunctis figurarum vel ſimilitudinum nebulis ametis, non corpus quodlibet, non corpus Chriſti quod eſt Eccleſia, ſed illud corpus Domini quod pro nobis traditum eſt, nos manducare, & ſanguinem illum qui pro nobis fuſus eſt in remiſſionem peccatorum, nos bibere indubitanter credimus.*

Confirmatur idipſum, quia Rupertus exiſtimavit corpus Chriſti ab indignis comedi, non quidem ore fidei; ſed ore corporis. Etenim lib. 6. in Ioannem: *Panis,* inquit, *ſemel conſecratus nunquam poſtea virtutem ſanctificationis amittet, aut Chriſti caro eſſe deſinit, ſed non prodeſt quicquam indigno, cujus fides ſine operibus mortua eſt. ::: Quò ergo devenit, quod indignus manducat & bibit? Hoc certè pium ſit & ſalutare credere per membra diffundi, ita ut non ſit obnoxium ſeceſſui: ſed hoc plus habet dignus ab indigno, quia huic ad ſalutem, illi proficit ad judicium.* Et lib. 1. in regulam S. Benedicti, ſub finem: *Habueram,* inquit, *cum aliquo magni nominis magnaque æſtimationis ſcholaſtico ſive Monacho certamen permoleſtum de ſacramento corporis & ſanguinis Domini, qui inter cætera quibus deprimere conabatur majeſtatem tanti ſacramenti, illud mihi objecerat, quia ſacramentum illud Iudæ quoque traditori ſuo Dominus dedit ſicut cæteris Apoſtolis: hoc nimirum intendens, quod nequaquam illi dediſſet, ſi vera eſſet ſubſtantia corporis, & ſanguinis ſui.*

Quin & in libro de divinis officiis doctrina de reali corporis Chriſti in Euchariſtia præſentia non obſcurè continetur. Libro enim 2. cap. 2. *Panis & vinum,* inquit, *in verum corpus & ſanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in ſancto ſacrificio præter panem & vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis, corpus & ſanguis Domini eſt, murmuraverunt dicentes, quomodo eſt. ::: Verum Dei Verbum, verum Dei Filium Sancta Eccleſia Catholica offert Creatori ſuo, credens corde & ore confitens, pariterque manibus panem & vinum ſicut ſibi tradidit ipſe Salvator, offerens: nam pro quota ſuorum parte beneficiorum gratias ageret Eccleſia Creatori, Salvatori, & illuminatori ſuo, ſi nihil aliud ei quàm panem & vinum offerret? ::: Non ergo ſolum panem & vinum quæ corporaliter videntur, ſed & quod non niſi fidei oculis aſpicitur Verbum Dei, Filium Dei offers ſancta Eccleſia, novum & verum immolans ſacrificium. ::: Sed hujus verbi flumen ſuper panem & vinum effuderis, & ordine, qui ab ipſo ſtatutus eſt, veritatem hujus verbi protuleris, ſtatim de ſancto altari panem ipſum & vinum in corpus & ſanguinem ſuum transferendo ſuſcipit, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua noſtram de MARIA Virgine carnem ſuſcipere potuit, quomodo voluit. ::: Unum corpus eſt & quod de MARIA genitum in cruce pependit, & in ſancto Altari oblatum quotidie nobis ipſam innovat paſſionem Domini.* Nihil certè dici potuit doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis conſentaneum.

Quare omninò falſum eſt, & mera VVicleſi calumnia, librum illum de divinis officiis purè figuralem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam docuiſſe, cum ab eo errore ſit tam alienus Rupertus quàm quod maximè. Nec mirum eſt ſi Ruperto mortuo hæreticus ille impoſuerit, quia etiam eximius ille Abbas multos dum viveret calumniatores habuit, ut ex ejus vita atque ex apologiis quas pro ſe edere coactus eſt, clariſſimè liquet. Quod verò Thomas Valdenſis librum de divinis officiis acriter perſtrinxerit, ideo eſt, quia impanationem admiſiſſe Rupertum arbitratus eſt, quibuſdam locis deceptus, quæ & benignis interpretationibus exponi, & aliorum clariſſimorum teſtimoniorum collatione explicari ſine negotio poſſunt & debent. Epiſtola autem tractatus de Sacramento Altaris præfixa, ſicut & ipſe tractatus incertum habet authorem; nã in quibuſdam codicibus manuſcriptis ſine authore legitur, in aliis Guilielmo Abbati S. Theodorici

ad

ad quendam Monachum, qui de corpore & ſanguine Domini librum ediderat, ſcribenti aſſeritur. Utut ſit, in illa epiſtola non redarguitur Rupertus, quòd merè figuralem præſentiam admiſerit, ſed quod ſcripſerit aliquid quod moleſtiam facere poſſet nonnullam, quo abuti poſſent, qui carpere amant aliorum etiam benè dicta, putà cum dixit in corpore ſacrificii altaris non eſſe vitam animalem, ſed ſpiritalem. Quæ tamen objectio leviſſima & nullius momenti eſt: nam per vitam animalem intelligit Rupertus vitam ſenſibilem, quæ ſenſibus percipitur & modo corporeo conſpicitur; unde & eam vocat carnalem, quæ quinque ſenſibus, viſu, guſtu, tactu, auditu, odoratu fungitur. *Hæc vita*, inquit, *animalis eſt, carnalis eſt, caro eſt: Dominus autem dicit, quod caro non prodeſt quidquam.* Hanc porrò vitam Chriſtus in Euchariſtia viſibiliter non exercet, quia ſub ſpeciebus modo ſpiritali, realiter tamen & ſubſtantialiter continetur. Unde tandem author epiſtolæ illius fatetur ſe de recta Ruperti fide non dubitare.

Nec valet ſi dicas Rupertum lib. 2. de divinis officiis, cap. 9. docere, *in illum in quo fides non eſt, præter viſibiles ſpecies nihil de ſacrificio pervenire.* Non, inquam, valet: ſenſus enim ejus eſt, nihil in indignè communicantem præter viſibiles ſpecies pervenire, quod ſit utile percipienti, quippe qui cœleſtem cibum ſub ſpeciebus viſibilibus latentem ad judicium, non ad ſalutem comedit; quemadmodum, inquit, aſinus ad lyram, cùm irrationales aures erigit, ſonum quidem audit, ſed modum cantilenæ non percipit; quia etſi aures ejus realiter feriant ſonus & cantilenæ modus, harmoniæ tamen modum & ſuavitatem non diſtinguit.

Objiciunt 3. hæretici authoritatem Gregorii VII. quem dicunt ſuæ ſententiæ adhæſiſſe, 1. quia Conventus apud Brixiam coactus illum Berengariani erroris inſimulavit decreto quod his verbis refert Conradus Urſpergenſis: *Nos contra eundem Hildebrandum* (qui ad regendam Petri navim vocatus Gregorius VII. dictus eſt) *procaciſſimum, ſacrilegia & incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, pythonico ſpiritu laborantem, & idcirco à vera fide exorbitantem judicamus canonicè deponendum & expellendum.* 2. Quia Benno Cardinalis in vita Gregorii refert Pontificem illum jejunium indixiſſe Cardinalibus, ut Deus oſtenderet, quis rectiùs de Corpore Domini ſentiret, Eccleſiane Romana an Berengarius; & de corpore Domini ſignum quæſiviſſe, quod petente Magno Gregorio ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit quod tamen Gregorius VII. poſt multas preces & jejunia non impetravit, aliaque feciſſe, quibus veritate Euchariſtiæ dubitaſſe monſtravit, per hoc manifeſtè probatur infidelis, cùm in Nicæno Concilio ſcriptum ſit, dubium in fide infidelem eſſe.

Reſpondeo ſanctiſſimum Pontificem Gregorium VII. ab omni perverſa circa Euchariſtiæ doctrinam ſuſpicione eſſe alieniſſimum: tum quia illo Præſide, & Victoris II. Legato Berengarius in Concilio Turonenſi damnatus eſt, qui & promiſit ſe in poſterum cum Eccleſia Romana velle ſentire. Tum quia, cùm propoſiti parum tenax Berengarius pactam ſponſionem ſacrilegè violaſſet, Romæ novum Concilium Gregorius coegit, in quo hæreticus errorem ſuum ejuravit, & paterna charitate tandiu apud ſe hæreſiarcham Papa detinuit, donec eum non amplius eſſe in fide dubium conſtaret. Unde hiſtorici magnificè de Gregorio VII. loquuti ſunt, quem virum eruditione clarum, pietate & zelo inſignem, multis pro juſtitia perſequutionibus & calumniis divexatum, miraculis denique in vita & poſt obitum conſpicuum celebrarunt. Teſtatur enim Lambertus Scaphnaburgenſis, ad annum 1073. Pontificem illum tam eximiè, tam Apoſtolicè vitam inſtituiſſe, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret: ſigna & etiam prodigia quæ per orationes ejus frequenter fiebant, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo ac pro Eccleſiaſticis legibus ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Scribit quoque Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum Imperatorem cum magno exercitu Romam profectum urbem obſediſſe, & Gregorium advertentem Romanorum plures ſchiſmaticis favere, cum paucis Salernum abiiſſe, & ad obitum uſque manſiſſe. Videns autem Henricus Pontificem aufugiſſe, congregatis triginta Epiſcopis fautoribus ſuis, in ipſa Romæ obſidione Synodum haberi juſſit, in qua Gregorius falſis & inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus fictè compoſitis abſens accuſatur, & alius in ejus Sedem obtruditur, quem Gregorius anathematis mucrone multavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit. Eadem elogia alii hiſtorici Gregorio panxerunt, quem virum ſanctum, à multis perſequutiones pro juſtitia perpeſſum, juſtitiæ rigoris tenacem, ſtatutis contra ſimoniacos & Clericos concubinarios, ac pro totius vigore diſciplinæ editis commendabilem, denique formam gregis factum, quod verbo docuit exemplo probaſſe, ac fortem per omnia athletam murum ſe pro domo Domini ponere non timuiſſe prædicant.

Objecta verò in contrarium nullius momenti ſunt. Etenim decretum illud Brixienſis conventiculi à ſchiſmaticis odio in ſanctum Papam percitis, procurante Henrico Imperatore à Summo Pontifice anathemate perculſo editum eſt, mendaciis, calumniis, & inauditis accuſationibus, ut loquuntur hiſtorici fartum. Contemnendum etiam eſt Bennonis teſtimonium, qui fautor Henrici Imperatoris & Gilberti Ravennatis in Antipapam obtruſi partium ſectator, non tam Gregorii hiſtoriam texuit quàm ſatyram falſitatibus, fabulis & calumniis conſarcinatam. Unde Papyrius Maſſo opere de Epiſcopis Urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis, odii ſpirantem, ſchiſmaticæ factionis furore dictatum reſpuendum omnino eſſe exertè profitetur. Quod autem Gregorius ſignum à Deo ad firmandam veritatem Euchariſtiæ popoſcerit, dubiam ejus fidem non efficit; ſicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cum miraculum ad perſanandam mulieris infidelitatem poſtulavit. Denique non advertunt Calviniſtæ ſeipſos proprio mucrone jugulare, ſi enim conventus Brixienſis de Pontificis depoſitione pronuntiavit, quòd de veritate realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ contra Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ ſenſum dubitarit: Ergo fides Eccleſiæ Catholicæ Calvinianæ impietati Chriſti realem præſentiam hæretice inficianti ſemper adverſata eſt.

Objiciunt 4. hæretici Calviniani authoritatem Facundi Hermanenſis lib. 9. cap. ultimo, qui excuſaturus Theodorum Mopſueſtenum aſſerentem Chriſtum Dominum aſſumpſiſſe adoptionem filiorum, ſic habet: *Adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe Chriſtum etſi antiqui Patres docuiſſe monſtrarentur, nec ipſi, nec omnis Eccleſia, quæ tales Doctores habuit judicari debent hæretici: nam Sacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, quando circumciſus eſt & baptizatus: & poteſt ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguis dicitur, non quod propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis; ſed quòd in ſe myſterium corporis ejus ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti rectè dicuntur ſuſcepiſſe: ſic & ipſe Chriſtus ſacramentum adoptionis filiorum cum ſuſcepiſſet, potuit rectè dici adoptionem filiorum ſuſcepiſſe.*

Reſpon-

Reſpondeo ex illo Facundi opere nihil erui poſſe quod veritati Catholicæ adverſetur: tum quia libri illi ex uno codice manuſcripto anno 1629. in lucem editi ſunt, qui codex à Berengarianis ſcribi potuit & facilè corrumpi. Tum quia admiſſa ſinceritate exſcriptionis, levis momenti & tenuis authoritatis Scriptor Facundus eſt, utpote qui animo ſchiſmatico trium capitulorum defenſionem pertinaciter ſuſcepit, animo adverſus Vigilium & Pelagium Pontifices infenſo, ut ex aliis ejus operibus conſtat; de veritatis autem deſertione meritò ſuſpectus eſt, qui unitatem Eccleſiæ in aliqua cauſa manifeſtè ſcindere non reformidat. Tum quia etſi ſchiſmatico animo libros illos non ſcripſiſſe Facundum concedamus, nobis non adverſatur; quia per ſacramentum corporis Chriſti ſolas ſpecies panis & vini, quæ formaliter & eſſentialiter ſacramentum ſunt, intelligit; de quibus utique ſpeciebus dicere verum eſt, non eſſe propriè corpus Domini: unde in hoc ſenſu comparat ſacramentum adoptionis cum ſacramento corporis & ſanguinis Domini, nec tamen propterea negat ſpecies illas corpus Chriſti realiter continere. Itaque comparatio ejus in hoc conſiſtit, quod ſicut ſpecies quæ ſunt ſignum & ſacramentum corporis Domini, dicuntur denominativè corpus Domini, eo modo quo ſigna nomine rerum quas ſignificant appellari ſolent: ita quia Chriſtus baptizatus & circumciſus ſacramentum adoptionis ſuſcipere dignatus eſt, adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe dici poteſt: quia ſi ſpecies quæ ſunt ſignum & ſacramentum corporis Domini dici poſſunt corpus Domini, ita circumciſio & baptiſmus, quæ ſunt ſacramenta & ſigna adoptionis, adoptio pariter appellari poſſunt. Tum demùm, quia etiam dato quod Facundus per ſacramentum corporis Domini totum ex ſigno continente & re contenta coaleſcens intellexerit, verè dixit ad mentem adverſariorum quos impugnabat, ſacramentum corporis Domini non eſſe corpus Domini, licèt ad mentem Eccleſiæ verum ejus corpus ſit. Etenim Facundus opere illo trium capitulorum adverſus Eutychianos defenſionem ſuſcipit, unde in defendendis Iba, Theodoro, & Theodoreto, atque tuenda Concilii Chalcedonenſis authoritate totus eſt. Quare excuſaturus Theodorum ait ſcribere potuiſſe eum, Chriſtum adoptionem filiorum ſuſcepiſſe, qui ateous ſuſcepit ſacramentum adoptionis: potuit namque ſacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, quod eſt in pane & poculo conſecratis, corpus ejus & ſanguis dicitur; quamvis ſecundum vos, ô Eutychiani, corpus ejus propriè non ſit. Vos enim cenſetis duas quidem in Chriſto fuiſſe naturas ante adunationem myſterii Incarnationis; poſt adunationem verò ita in unam coaluiſſe ſubſtantiam utramque naturam exiſtimatis, ut poſt adunationem non corpus verum, ſed tantùm apparens & ſimilitudinarium agnoſcatis, & quod formam ſervi geſſit, quod noſtri ſimilis fuit atque conformis [ut ait Magnus Leo epiſt. ad Pulcheriam Auguſtam exponens Eutychetis dogma] quædam noſtræ naturæ fuerit imago, non veritas. Si ergo ſecundùm vos, qui humanæ in Chriſto carnis negatis veritatem, qui in divinis humana evacuatis, qui cenſetis ſolam divinitatem Virginis utero eſſe natam, & per ludificatoriam ſolùm ſpeciem ſubiiſſe nutrimenta & incrementa corporea, ſolam illam eſſe crucifixam, mortuam, & ſepultam; ſi, inquam ſecundùm vos ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti dicitur, tametſi verum Chriſti corpus non ſit, quia Chriſtus ſolùm apparens & ſimilitudinarium habuit: quidni ſacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam ſignificat & figurat?

Petita ab humana Philoſophia hæreticorum Sophiſmata convelluntur.

Objiciunt demum Calviniſtæ plura argumenta, vel potiùs ſuphiſmata à ſenſibus & humana ratione petita, quibus aſſertionem Catholicam involvere & implicare contradictionem hominibus carnalibus ſuadere moliuntur. Quomodo, inquiunt, inveniri poteſt in Euchariſtia ſubſtantiale corpus Chriſti, de cujus ratione eſt quod ſit palpabile; unde Chriſtus reſurrectionem ſuam probaturus, ait: *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet?* In Euchariſtia autem corpus Chriſti nec oculis videtur, nec manibus palpatur, aut contrectari poteſt. Quomodo ibi corpus adeſt, ubi modo extenſo & quantitativo non ſubſiſtit, quod tamen à corporis notione inſeparabile eſt? Quomodo ſubſtantia corporea ſpirituali modo locum occupare eſt, cùm tam ſit impoſſibile corpus ſpiritalem præſentiam obtinere, quam ſpiritum ad præſentiæ corporeæ modum deprimi? Quis intelligere poteſt idem numero corpus diverſis eſſe poſſe ſimul in locis, à ſeipſo dividi, extra præſcriptos terminos abſque ullius additamento quantitatis dilatari, diverſis & contrariis motibus qualitatibuſque affici, & immenſitate ipsâ donari, cum non magis repugnet ipſum in infinitis locis, quàm in pluribus diſtinctiſque collocari? Quis capiat accidentia exſiſtere ſine ſubjecto, cum totum eſſe accidentis ſit ineſſe? Denique admiſſa præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia, abſurdiſſima quædam inconvenientia devoranda ſunt: quid enim Chriſti majeſtate indignius, quàm Chriſtum in Euchariſtia in terram interdum, atque etiam in ſordes dejici, dentibus atteri, à muribus edi, corrumpi in putrefactione panis, aceſcere in corruptione vini, comedi, & in ſtomachum trajectum in ventrem & ſeceſſum ire, aliiſque tandem injuriis & contumeliis ſubjici, quæ glorioſum ejus corpus non decent?

Reſpondeo myſteria fidei facilè poſſe populariter accuſari, ut obſervat Auguſtinus 1. de utilitate credendi, cap. 2. nec tamen ab eorum propterea defenſione eſſe recedendum; quia fides non eſſet argumentum non apparentium, ſi plauſibilia dumtaxat ſenſibus, rationique perſpicua proponeret: fides namq; non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Certè ſi inconvenientibus ab humana Philoſophia petitis myſteria fidei dimetiremur, nec Incarnationi, nec Trinitati, nec corporum poſt tot ſæcula in cineres redactorum, vel in alia corpora innumeris vicibus tranſmutatorum reſurrectioni crederemus. *In Chriſtum non crederemus,* inquit Auguſtinus epiſtol. 49. *ſi fides Chriſtianorum metueret cachinnos Paganorum.* Quid enim indignius, quam unigenitum Dei filium per omnes naturæ infirmitates volutari, tot calamitatibus & probroſiſſimæ tandem morti ſupponi? Unde & myſterium illud Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia viſum eſt. Quid in ſpeciem implicantius, quàm unius Dei ſimpliciſſimam ſingularitatem cum trium diſtinctione perſonarum conciliare? Quid tandem humanis experimentis magis incredibile, quàm hominem ab alio comeſtum, & in varias deinde ſubſtantias innumeris generationibus & corruptionibus converſum, in eadem carne reſurrecturum tamen? Captivandus eſt ergo intellectus in obſequium fidei, nec inde Dei potentiam, majeſtatem, ſapientiam, & immenſum amorem omnes difficultates evincentem, & ut ait Iſaias vincentem ſcientiam noſtram calumniari, unde ex mirari eum amplius, & diligere intenſiùs aſtringimur: *Nam tantò Deus ab hominibus dignius honorandus eſt*, inquit Magnus Gregor. hom. 6. in Evangelia, *quantò pro hominibus & indigna ſuſcepit.* Et Tertullianus lib. 2. contra Marcionem ait, *Aſſumpſiſſe Deum quædam ſibi indigna, nobis autem neceſſaria, & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quàm ſalus hominis.*

His præjudiciis munitus Catholicus animus hæreticorum ſophiſmata facilè contemnet. Nec Calviniſtarum fallaciæ adeo implicatæ ſunt, ut eas abſque multo

multo negotio quilibet mediocriter eruditus non diſſolvat. Radix enim deceptionis adverſariorum ea una eſt, quod corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam imaginatione conſiderant, nec attendunt corpus illud glorioſum modo inviſibili, & miraculoſo præſens eſſe. Nihil autem mirum ſi corpus inſolito & extraordinario modo præſens factum, nec tactu palpari, nec oculis videri poſſit. Nihil mirum ſi corpus extenſione locali per miraculum privatum, ſpatium non exigat: poſſe autem divinitus corpus ab extenſione locali liberari, & partes alias partes penetrare patet, tum quia extenſio localis eſt effectus ſecundarius quantitatis, qui tam benè poteſt impediri quàm gravitas, quæ tamen impedita fuit, cum corpus Chriſti ſuper aquas ambulavit. Tum quia penetratio corporum juxta Patres ſæpè divinitus contigit, putà quando Chriſti corpus virginali fuſum eſt partu; tunc enim, ut ait Ambroſius lib. de inſtit. Virginum, cap. 9. *Manſit intemeratum ſeptum pudoris, & inviolata integritatis duravere ſignacula, cum exiret ex Virgine.* Corpus etiam Chriſti glorioſum cœnaculum januis clauſis & penetratis intravit: *Ille quippe*, inquit Auguſtinus ſerm. 159. de tempore, *non eis (oſtiis) apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inviolata permanſit.* Idem docet Hilarius lib. 3. de Trin. & Cyrillus lib. 12. in Joannem. Nec mirum dotem illam corpori Chriſti competere, quæ Patribus authoribus, corporibus omnibus glorioſis poſt reſurrectionem communis erit. *Corpus Sanctorum reſurget ſpirituale*, inquit Author libri de cognitione veræ vitæ, cap. 45. inter opera Auguſtini, *quia velocitate, levitate, perſpicuitate ſpiritibus erit æquale, & omne ſolidum erit ei penetrabile, ſicut & corpus Domini lapide clauſo ſurrexit, & januis clauſis intravit.* Nec eſt ſimile de ſubſtantia ſpiritali, quæ cum non habeat partes, non poteſt præſentiam & extenſionem habere corpoream & localem; corpus verò retentâ diſtinctione partium in ordine ad ſe, extenſione extrinſeca in ordine ad locum privari poteſt.

Cum verò additur intelligi non poſſe, quomodo idem corpus in diverſis diſſitiſque ſimul locis eſſe poſſit, reſpondent noſtri Thomiſtæ id eſſe inintelligibile, ſi corpus idem duplicem præſentiam extenſivam & circumſcriptivam haberet: nihil tamen inter ſe pugnare, ut ait Tridentinum *ſeſſ. 13. cap.* 1. ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris aſſideat in cœlis juxta modum exiſtendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis ſacramenaliter præſens ſubſtantialiter nobis adſit. Implicat quidem corpus idem plura ſpatia modo extenſo occupare, quia non poteſt multiplicari extenſio niſi multiplicetur quantitas; multiplicari enim nequit effectus formalis, ſive primarius, ſive ſecundarius, immultiplicatâ formâ, cùm effectus formalis, tam primarius quàm ſecundarius ſit ipſa forma primariò, vel ſecundariò communicata. Si autem multiplicetur quantitas non eſt idem corpus. At verò præſentia Sacramentalis à quantitate minimè pendens, ſed à converſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti deſumpta divinitus multiplicari poteſt, nec ex illa profluunt illa inconvenientia, quæ ex multiplici præſentia extenſiva proficiſcerentur; præſentia enim ſacramentalis ut multiplicetur, nec diviſionem corporis cauſat, nec immenſitatem infert, nec variis motibus & qualitatibus contrariis obnoxium corpus reddit, quibus multiplex præſentia extenſiva ſubjaceret, ut demonſtrant in Philoſophia noſtri Thomiſtæ, meritò rati ſe faciliùs Calvinianos impugnaturos, ſi præſentiâ extenſivâ multiplici tanquam impoſſibili rejectâ, ſolius præſentiæ ſacramentalis poſſibilem multiplicationem aſtruant, inde ſe ab infinitis incommodis eximentes, quæ ex multiplici præſentia circumſcriptiva ſponte fluunt. Unde tantum abeſt veritatem Catholicam ab illa opinione, quæ idem corpus plura loca modo extenſo occupare poſſe aſſerit, pendere vel juvari, vel meliorem reddi, quod potiùs ſententia illa plus noceat quàm proſit ad Calviniana ſophiſmata refellenda: præſentia enim circumſcriptiva multiplex nihil commune habet cũ modo illo ſingulari quo Chriſtus eſt in ſacramento. Unde rectè Vaſques 3. *part. diſp.* 198. *cap.* 4. obſervat magnis & intricatis ſeſe implicare difficultatibus, qui multiplicẽ ejuſdem corporis extenſivam præſentiam admittunt, quib⁹ veritas fidei Catholicæ non juvatur, ſed obſcuratur: quia, inquit, ea docent quæ *cum ſenſu multò difficiliora ſint quam myſterium ipſum, ac proinde argumenta hæreticorum contra ea vulgo magis plauſibilia; efficitur ut dum hæretici magna cum probabilitate ea impugnant, magnificentiſſimè ſe jactent, quod & myſterium quoque ipſum eadem probabilitate refellant.* Quare oppoſita ſententia cauſam Eccleſiæ non tam juvat, quam novis & plauſibilioribus incommodis implicat.

Quod autem objicitur, accidentia non poſſe à ſubjecto divelli, ſi ſermo ſit de facultate naturali, verum eſt: Dei tamen poteſtate omnia verbo virtutis ſuæ portante, ſine ſubjecto ſubſiſtere valere non minùs verum & certum eſſe debet. Si enim ſubſtantia creata ſubſiſtentiâ propriâ in incarnatione privari potuit; ſi lux ipſa, teſte B. Baſilio hom. 6. in Hexaemer. à corpore ſolis ſeparata ſubſiſtit; quia, inquit, *quæ mentis ſola agitatione cogitationeque diſparari à ſe poſſunt, ea reipſa ſejungi facultate Creatoris poſſunt*; certè qui corpus, ne gravitaret, ſuper aquas portavit, qui res omnes è nihilo produxit, nec ſubjecto eguit ut efficeret, ſubjecto non egebat ea ut conſervet. Exigit quidem accidens, ut ſubjecto inhæreat, ut habitudinem ad ſubjectum ſemper retineat; quod verò ſemper & eſſentialiter inhæreat, non eſt de eſſentia illius. Porrò illud ſophiſma non tam contra præſentiam realem, quàm contra tranſſubſtantiationem militat.

Illa verò inconvenientia, quæ in fine objectionis acervantur pueriliter proferuntur, atque ex fidei noſtræ ignoratione, vel diſſimulatione proficiſcuntur. Si enim conſiderarent adverſarii his nugis mulieres deterrentes Chriſtum eſſe in Euchariſtia modo impaſſibili, & omnem alterationem ſolis panis ſpeciebus obvenire, ſolas illas atteri dentibus, ſolas corrumpi, ſolas digeri, & in ſeceſſum ire, ſolas putreſcere, aceſcere & moveri, deſinerent doctrinam noſtram calumniari, nec iis mutationibus corpus Chriſti in Euchariſtia obnoxium eſſe confingerent. Sicut autem Dei non dedecet majeſtatem, ut loca omnia quamlibet ſordida immenſitate ſua pervadat; ſicut Solis radii paludum & fimorum ſordibus non ſordeſcunt: ſic glorioſum Chriſti corpus nullis ſpecierum ſacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur vel mutatur.

Demonſtrationem è Patribus petitam confirmat longè præclariſſimum ſeptimæ Synodi Generalis teſtimonium.

Denique quid Apoſtoli, quid Patres omnes de Euchariſtiæ veritate ſenſerint, diſcere poteſt quilibet non oculis orbus ex ſeptima Synodo œcumenica, Nicæna ſecunda. *act. 6. tom. 3. circa finem*, ubi Calvinianæ impietatis hæreticæ diſtinctiones præfocatæ ſunt. Sic autem habetur: *Nullus aliquando Tubarum ſpiritus, Sanctorum videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino ſic dicere vel confiteri, ſed audiunt evangelicè, dicente eo: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non intrabitis in regnum cælorum. Et qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Et accepto*

pane

pem gratias agens fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et non dixit: Accipite, & comedite imaginem corporis mei. Sed & Paulus divinus Apoſtolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & comedite hoc eſt corpus meũ quod pro vobis frangitur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite in meam commemorationem. Ergo liquidò demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus vel Apoſtoli aut Patres imaginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus, ipſum ſanguinem. Quid formalios, quid luculentius deſiderare potes, Catholice Lector? Non egent ponderatione vel commentario ſplendidiora ſole meridiano verba. Dic ſodes, Claudi Charentonenſis, ubi tunc Paſchaſius, quem præſentiæ realis autorem tam ignoranter, tam fraudulenter comminiſceris? Si fingere velis, ſpecioſiùs finge. Mendacia quæ venditas, crede mihi, compone meliùs.

Et ante ſanctificationis quidem celebrationem (pergit S. Synodus nondum, ſi Claudio benè placuerit, nato, Paſchaſio) *typus* (ſeu ut alii legunt *antitypa*) *quibuſdam Sanctorum Patrum hæc piè viſum eſt nominare quorum eſt Euſtathius propugnator orthodoxæ fidei, & Arianæ deſtructor veſaniæ; & Baſilius ejuſdem infelicis ſuperſtitionis depoſitor, qui omne quod ſub Sole eſt planam rectorum dogmatum baſim edocuit.* Recenſitis autem utriuſque Patris teſtimoniis ſic concludit: *Quod deincept inſertur certiorem Patris hujus* (Baſilii) *perfecit intellectum, qualiter antequam ſanctificata fuerint, vocata ſint typi; poſt ſanctificationem autem corpus propriè ac ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur.*

Nec eſt quod opponas, Græcos Patres jam ſanctificata non raro vocare antitypa, ut Nazianzenus *orat. funeb. in ſorore, & apologia* 1. & Cyrillus Jeroſolymitanus *catech. 5. myſtagog.* Non, inquam, hæc opponas: tum quia ſuprà expoſita ſunt: tum quia quidquid tandem ſit de illa quæſtione facti, hoc unum tamen evidens manet, Concilium Nicænum II. *ab*ſente Paſchaſio Romanæ Eccleſiæ de Euchariſtia fidem luculentiſſimè tradidiſſe. Tum demùm, quia hæc optimè conveniunt, & Patres nunquam dixiſſe ſanctificata eſſe typos hæreticorum ſenſu catholico. Nunquam enim dixerunt Patres ſanctificata eſſe typos & imaginem excludentem corporis Chriſti realiter præſentis veritatem: & quia ordinariè dicimus tum adeſſe imaginem cùm res abeſt, ideò in hoc ſenſu nullus dixit Euchariſtiam eſſe imaginem. Cæterùm quia in Euchariſtia eſt ſimul ſignum & res ſignificata, nec imago à re repræſentata disjungitur, ideò ſanctificata typi à Patribus nonnullis dicta leguntur.

Reflexio.

Et apoſtrophe ad noſtrates hæreticos.

PAtrum doctrinam in medium attuli, ô Sectarii, pluribus ſilentio, ne opus in immenſum excreſceret prætermiſſis. Si filii eſtis, audite Patres, quos qui audit, Chriſtum audit; quos qui ſpernit, Chriſtum, Chriſto ipſo atteſtante, ſpernit. Ne transferatis, quæſo, terminos quos poſuerunt Patres noſtri, & ſuper judicantes nos ne judicate. Eò ne rapiamini quo Calvinianæ novitatis ventus impulerit? incerti quà ſine duce eatis, quà redeatis, quid appetatis, quid fugiatis, teneatis, quid dimittatis. Intra fidiſſimam traditionis Patrum ſtationem voſmetipſos reducite & tenete, atque amaros illos turbulentoſque errorum fluctus primitus removete, ut poſſitis deinde vivæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Patrum authoritate inconcuſſa fulti dediſcite benè quod didiciſtis non benè. Nova ac nova cum veſtro Miniſtro Claudio impoſtore jurato in dies ne quærite, qui ſemper aliquid geſtit Religioni addere, mutare, detrahere; ſed traditâ ſemel, & à Patribus omnibus acceptâ credendi regulâ contenti eſtote. Nam ſi vitanda, authore Apoſtolo, novitas eſt, tenenda utique eſt antiquitas: & ſi prophana eſt novitas, ſacrata eſt vetuſtas.

Nihil tota ſpeculatione de meo exprompſi; ſummos illos viros, quos Deus pro Eccleſiaſticorum temporum ratione variis regionibus & ætatibus produxit, loquentes exhibuit, atqui in hunc librum quaſi in Concilium quoddam, Auguſtinus *lib. 2. cont. Julian. capite* 10. ait, coactos adduxi, eorum ot verbis ſplendidiſſimis veram Eccleſiæ de Euchariſtia mentem ac ſententiam doceremini. Quod à clariſſimis illis Eccleſiæ luminibus accepi, id vobis tradere aggreſſus ſum: eos mihi duces ac præſides adoptavi, eorum veſtigia ſequutus ſum, eorum uſus oculis, eorum ratione intellexi, eorum verbis eloquutus. Eos tandem auſcultate, quos Paſtores amantiſſimos, Magiſtros optimos Eccleſia agnoſcit & colit.

In Euchariſtia eſſe corpus Chriſti, ipſe Chriſtus dixit, iterum dixit poſt Chriſtum Apoſtolus, poſt Apoſtolum nemo Patrum contradixit, ſolus illi veritati poſt quindecim poſſeſſionis ſæcula maledictus Calvinus maledixit: illinc turbam magnam Patrum & Sanctorum, quam dinumerare nemo poteſt, poſtponetis?

Hæc cùm ita ſint, Eccleſiæ Chriſtianæ felicitati & dignitati in poſſeſſione reali Chriſti ſitæ ne impoſterum invidete, cujus ſi libuerit participes eſſe poteſtis. Attendite quanta ſit Religionis noſtræ perfectio, cui datom eſt id reipſa habere, quod ſignis tantùm & figuris Moſaïcæ legis tempore adumbratum fuerat. Quare à Dionyſio *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 5. divinitus dictum eſt, Eccleſiam noſtram mediam eſſe inter Synagogam & ſupremam Jeruſalem, ac propterea utriuſque participem. *Ac profectò*, ut benè inquit Catechiſmus Romanus *part.* 2. titulo de Euchariſtia, num. 30. *ſatis mirari fideles nunquam poterunt ſanctæ Eccleſiæ perfectionem, ejuſque gloriæ altitudinem: cùm inter eam & cœleſtem beatitudinem unus tantum gradus intereſſe videatur. Hoc enim cum Cœleſtibus commune eſt, ut utrique Chriſtum Deum & hominem præſentem habeamus; ſed quo uno gradu ab eis diſtamus, illi præſentis beatâ viſione perfruuntur; nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotum, ſacrorum myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem firmâ & conſtanti fide veneramur.*

Hanc noſtram beatiſſimam ſortem, quam tantò vobis optamus, quantò nobis eam eripere nitimini, expreſſerat etiam ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. cap. 8. ubi ait, *Panem Angelorum modo ſub ſacris velaminibus edi, in cœlo abſque ullo velamine manducatum iri.* Qua de cauſâ verè catholicèque à Doctore Arnaldo eximio Euchariſtiæ defenſore à Deo contundendas Miniſtri Claudii impoſturas Eccleſiæ his temporibus proviſo, ſcriptum alicubi eſt: *Eodem cibo nos Deum in Euchariſtia paſcere, quo Sanctos in cœlo; nec aliud intereſſe, niſi quod nobis hic aſpectum ac ſenſibilem adimens ſuavitatem, utrumque cœlo ſervat.*

Cernite tandem, & ad diſcutiendas objectiunculas veſtrarum offutias conſiderate diſcrimen illud

illud præclarum, quod Chriſtianorum ſtatum in hac vita à Beatorum in Patria ſtatu ſejungit. Status Chriſtianorum, ut à Cardinali Perronio notatum eſt, inter Judæos ac Beatos interjectus eſt. Chriſtum Beati poſſident nullis figuris, nullis velaminibus obtectum. Judæi contrà non ipſum Chriſtum habuerunt, ſed Chriſti tantùm figuras atque velamina, ut agnum paſchalem, & delapſum cœlitus manna. Chriſtiani verò Chriſtum quidem in Euchariſtia verè ac realiter poſſident, ſed adhuc ſub figuris & velaminibus latentem, ſub ſpecierum nimirum Euchariſticarum involucris occultatum. *Tria*, inquit Eucherius, *ſibi Deus tabernacula fecit: Synagogam, quæ umbras habuit ſine veritate: Eccleſiam, quæ veritatem & umbras habet: Cœlum ubi nullæ ſunt umbræ, ſed nuda veritas.* At vos ex Eccleſiæ Chriſti ſtatu exceditis, quem tum legi, tum gloriæ Paulus opponit, qui ſine Chriſto ſolas figuras habetis. Legis enim eſt umbram habere futurorum, non ipſam ſubſtantiam rerum. Cavete ne quia vos ad ſortem Judæorum dejicitis, & Eccleſiam ad Synagogam detruditis, à Beatorum item glorioſa ſorte dejiciamini, quā Chriſtus plenè & conſpicuè æternùm poſſidetur.

Speculatio III.

Unanimis Eccleſiarum omnium Chriſtianarum conſenſio ante ortos Calvinianos realem Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiam confitebatur, quæ proinde non poteſt non eſſe dogma catholicum. Inflexibilis Miniſtri Claudii in mentiendo pertinacia repræſentatur.

HÆc eſt tertia Catholicæ veritatis demonſtratio theologica: cùm enim univerſa Chriſti Eccleſia, quæ eſt firmamentum & columna veritatis, in re tam gravi errare non poſſit, ſi tota Chriſti Eccleſia in hujus articuli fidem conſpirarit, ſi ea fide ad ſe traditione derivata pacificè fruita ſit, ſi hujus poſſeſſionis nullum initium in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis adverti poſſit, ſi poſitionis illius nullum aſſignari poſſit exordium, nullus progreſſus, nullus author, nulli qui novitatem hac in parte invexerint, ſi indigitari nequeat ſæculum, annus, locus, quando & ubi hæc doctrina nata ſit; ſi nulli proferri poſſint Catholici qui ſerpentis doctrinæ fautores impugnarint, nulla Concilia quæ ſe in illam armarint, manifeſtum eſt realem corporis Chriſti præſentiam dogma eſſe catholicum ubique & ſemper in Eccleſia retentum. Nam ut rectè arguit Tertullianus de præſcriptionibus cap. 28. *Ecquid veriſimile eſt, ut tot & tantæ Eccleſiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus, unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Quod apud multos* (imò apud omnes ante ſuſcitatos ab erebo Calvinianos) *unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* At fidem realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ cum Eccleſia ortam eſſe, cum illa adoleviſſe, cum illa tranquillâ perpetuâque poſſeſſione viguiſſe inde manifeſtum eſt, quod aſſertio illa nullum agnoſcit authorem præter Chriſtum, nullos ſectatores præter totum orbem quà latè patet Chriſtianum, Latinum pariter & Græcum; nullus illius architectus, nullum initium, nullus locus ubi exorta ſit proferri poteſt: nulli Epiſcopi, nulli Paſtores, nulli Doctores, nulla Concilia in illius ſeſe novitatis exterminium inſtruxerunt. Ergo præſentia realis Chriſti in Euchariſtia non niſi ab hæreticis erroris inſimulari poteſt; neque enim de illa hæreſi, ſi hæreſis eſſet, aliter quàm de aliarum hæreſeon ingreſſu & progreſſu judicare nemo prudenter poteſt.

Dicere verò cum Calvinianis tanta univerſæ Eccleſiæ conſpiratione novitatem ſuam opprimi ſentientibus, & noviſſimè cum Claudio Charentonenſi univerſam Eccleſiam per totum terrarum orbem diffuſam inſenſibili fuiſſe depravatione corruptam, & Monachum Paſchaſium totum orbem Latinum unà & Græcum vel momento, vel ſenſim ſine ſenſu fefelliſſe, atque myſterium captu difficillimum & juxtà falſiſſimum nullo repugnante perſuaſiſſe; hoc, inquam, dicere eſt ipſa abſurditate abſurdius, & omnibus non ſolùm Chriſtianis de divina erga Eccleſiam providentia ſenſibus injurium, ſed etiam ſolitis communis prudentiæ notionibus & elementis adverſum, ut egregiè aureo de perpetuitate fidei opere Dominus Arnaldus proſequitur.

Scimus equidem Apoſtolos rudes, pauperes, & ab omni prorſus humano ſubſidio ac ſolatio deſertos de mundo infideli triumphaſſe, & Crucifixi cultum Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam, & religionem à ſe ſatam propagaſſe. At tantæ molis opus non ſine ſenſu, non cum ſtupore & ſomno orbis, non per irrepentem nullo advertente mutationem; ſed miraculis, ſed prædicatione, ſed concionationibus, ſed paſſionibus & preſſuris infinitis, ac demùm ſanguine fuſo compleverunt. Et quanvis veritati tandem mundus conceſſerit, illi tamen initio obſtitit univerſus iis armis, iiſque clamoribus, quæ tractatu de Fide, diſſertatione ſpeciali recenſuimus. At verò quis mentis compos credat vel credere poſſit Monachum in Gallia recluſum totam Rempublicam Chriſtianam ubique gentium diffuſam, nullo obſervante, omnibus ad unum dormientibus corrupiſſe; & feliciùs Cæſare, qui ſimul venit, vidit, vicit, omnes fideles ſuis erroribus imbutos in obſequium falſitatis captivaſſe? Et quomodo tandem? Non miraculis, ut Apoſtoli; non ſanguine, ut Martyres; non facundia, ut Oratores; non argumentis, ut Philoſophi; non armis, ut Turcæ; non plauſibilis doctrinæ propoſitione, ut alii ſeductores; ſed languore, ſed incuria, ſed in actione oſcitantes oves ſimul & Paſtores ſubjugaſſe. Præſertim quia Paſchaſius ipſe tum libro de corpore Domini, tum epiſt. ad Frudegardum, & in commentariis in Matth. teſtatur doctrinam ſuam univerſalis eſſe Eccleſiæ de Euchariſtia ſenſum. *Quamvis*, inquit, *ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen eſt adhuc in aperto, qui hoc ita eſſe contradicat, quod totus orbis credit & confitetur. Videat ergo qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipſum Dominum, & contra omnem Chriſti Eccleſiam. Nefarium ergo ſcelus eſt orare cum omnibus, & non credere quod Veritas ipſa teſtatur, & ubique omnes univerſaliter verum eſſe fatentur.* Quomodo autem ſine amentia hanc fidem totius orbis doctrinam pronuntiaſſet, cujus ipſe author fuiſſet, cuive mendacii probrum totus orbis in os injeciſſet.

Dices cum Calviniſtis, totam quidem Eccleſiam viſibilem & aſpectabilem in errorem prolapſam impegiſſe, Eccleſiam tamen inviſibilem orbi ignotam, avitam fidem retinuiſſe. O ridiculum ſic reſpondentium caput, niſi mavis deplorandum! Quaſi verò figmenta figmentis addere, & mentem Chriſtianorum paſcere chimæris ſatis ſit ut communibus notionibus renuntiemus, præfatæque demonſtrationis vim invincibilem eludamus? Itáne ſcilicet Eccleſiâ Chriſti totâ fœdè collapſâ veram fidem ſoli inviſibiles in montibus inacceſſis & inviis ſolitudinibus illibatam ſervarunt, ibique pro ſua ſum-

ma

ma pietate omne Euchariſtiæ ſacrificium veluti abominationem repudiarunt, pro ſua ſumma pœnitentia omnes ab Eccleſia viſibili indictas abſtinentias, præſcriptaque jejunia de medio ſuſtulerunt, pro ſua ſumma in viſibiles præpoſitos & animarum ductores obſervantia omnem hierarchiam uni Capiti velut centro innixam, per Epiſcopos inferioreſque miniſtros diſtinctam ſuſque deque miſcuerunt & perſundarunt? Certè Homeri commentus, ipſis Æſopi fabulis prudentiùs quàm adeò portentoſis Calvinianorum ultrò ſeſe occæcantium deliramentis credideremus.

Videſis quæ diſſertationibus præambulis ſecundi & tertii voluminis latè perſequuti ſumus, ubi Fidei Chriſtianæ Religioniſque Catholicæ, cunctaque proinde ejus myſteria non methodo diſcuſſionis, quâ ſingula quæque probantur, ſed methodo præſcriptionis, quâ capitalis aliqua controverſia, unde cæteræ definiri poſſunt, ſtabilitur, breviter atque ſummatim demonſtravimus. Quæ enim ibi de antiquitate, univerſitate, & conſenſione Eccleſiæ diximus, veritatem realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ omninò methodo illa præſcriptionis convincunt.

Ejuſdem demonſtrationis prior confirmatio.

Confirmatur: Supponamus aliquem eſſe ſinceram veritatis amatorem, qui poſt accuratè perpenſa Catholicorum & Calviniſtarum hinc inde argumenta pendulus hæreat, neutriuſque partis rationum momentis perſuaſus anceps fluctuet & ſuſpenſus. Nullum enim arbitror adeo iniquum æſtimatorem, ut ſibi perſuadeat, Patres nihil Catholicorum aſſertioni favere, cùm ipſe Oecolampadius, referente Lavatero *hiſtor. ſacra de cœna Domini p. 5.* difficultatum nodos non lectione & teſtimoniis Patrum, ſed *ſemota hominum authoritate* diſſolvere potuerit; cùm Magdeburgenſes antiquiores Patres admiſſæ tranſſubſtantiationis accenſent; cùm Scaliger, ut in ſua Scaligeriana, pag. 78 videre eſt, omnes Patres ſacrificium Euchariſtiæ agnoviſſe & confeſſos fuiſſe miretur; cùm Caſaubonus nulli Proteſtantium doctrinâ ſecundus, epiſt. ad Witemgubardum ultrò fateatur ſe ob tantam diſcrepantiam & immane diſcrimen quod intereſt inter doctrinam Proteſtantium & veteris Eccleſiæ de Euchariſtia fidem conturbari; cùm Socinius epiſt. ad Radecium, pag. 123. veritate coactus profiteatur, Calvinianis & Lutheranis, ſi Patrum anthoritate difficultas hæc definienda ſit, cauſâ cadeodum eſſe; cùm Miniſter Dallæus lib. de vero Patrum uſu, cap. 2. Patres ambiguas explicatuque difficillimas protuliſſe ſententias atteſtetur.

Hoc ergo ſuppoſito, ſincerus ille veritatis quæſitor dubitantis ut animi motus ſedet, Chriſtianarum omnium Eccleſiarum realis Chriſti præſentiæ fidei adhærennum conſenſioni concedat, profectò à chriſtianæ prudentiæ regulis haud recedet, continuò niſi cedat receſſurus. Etenim in hoc interiori mentis certamine ſic apud ſe diſcurrere tenetur: Si Scripturas conſulo, implicor dubiis, nec expedior; ſi difficultates aſſiduâ Patrum lectione vincere ſtudeo, occurrunt tenebræ denſiores, quas inter lux nulla affulget; ſonos diverſos audio varias in partes vocantes; hîc apertas pro Romanæ Eccleſiæ fide ſententias lego, iſtic propoſitiones Lutheranorum cauſam juvantes adverto, illic aſſertiones Calviniſtis in ſpeciem faventes obſervo, veritatem cujus uno amore teneor non invenio; ſi Theologorum lucubrationes evolvo, ubique argumenta fortiſſima plena manu cerpo, ſolutiones infirmas; ſtrenuos cerno aggreſſores, imbelles defenſores. Quid ergo in illis jactatæ mentis fluctibus opus eſt facto? Abigenda mihi eſt ſingularis argumentorum diſcuſſio quâ angor, & ad Eccleſiæ univerſalis antiquitatem, univerſitatem, conſenſionem veluti ad tutiſſimum portum ſupereſt confugiendum. Reali corporis Chriſti præſentiæ adhæſiſſe totum orbem Chriſtianum ante transfugam Calvinum ſcio, illi aſſertioni aſſenſam eſſe Eccleſiam Latinam univerſam cerno, nec aſſenſus illius initium invenio; illi Eccleſiam Græcam in aliis ei infenſiſſimam conſentire video, in eam quoque ſententiam alias Chriſtianas ſocietates Latinæ peræquè atque Græcæ Eccleſiæ hoſtes iviſſe compertum eſt; nullam hujus Catholicæ fidei mutationem, vel viciſſitudinis obumbrationem, aut veſtigium ullum in Eccleſiaſticis monimentis cerno: quam verò inſenſibilem variationem Calviniſtæ, & eorum nomine Miniſter Claudius comminiſcuntur, chimæricam eſſe ſenſus ipſe communis per ſe convincit. Quid ergo vel Deo gratius, vel rectæ rationi conformius agendum ſupereſſe poteſt, quàm ut ſepoſitis infirmitatis meæ dubitationibus ex offuſâ humanæ menti caligine enatis, affulgenti Catholicæ veritati concedam; quàm ut credam quod univerſa credit, univerſa ſemper & ubique credidit Eccleſia, quodve neque crederet, neque cum tanta conſpiratione credidiſſet, niſi fidem illam perpetua traditione veluti canali perenni recepiſſet? Ita me gerens ſi erro, prudenter erro, tutò erro, inculpabiliter erro. Abſit autem ut ita credens in errorem abripiar, cùm Sanctis Auguſtino & Paulino anthoribus, *Vacare non poteſt quod univerſa facit, orat, aut adorat Eccleſia. Et ſi quid univerſaliter per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima eſt inſania.*

Poſterior ejuſdem demonſtrationis confirmatio.

Confirmatur & illuſtratur ampliùs ex Domino Arnaldo? Quanvis ſola Catholicæ Eccleſiæ authoritas ad convincendam damnandamque Calviniſtarum ſententiam per ſe ſufficeret, tantumque abſit ut benè inferant Proteſtantes ab ea ſe diſcedere oportere, quia in errorem prolapſa eſt, ut potiùs, juſtiuſque inferendum ſit, in grandes ipſos cecidiſſe errores; quia cùm errorum maximus ſit ſchiſma & ſeparatio ab Eccleſia Catholica, profectò non amore veritatis, ſed ſpiritu erroris ab ea recedunt quotquot recedunt: arbor enim bona non poteſt malos fructus facere, nec veritas immaniſſimum ſchiſmatis crimen parere. Quare non poſſunt Calviniam in ſeceſſionis ſuæ ſpeciem Eccleſiæ Catholicæ errores obtendere, ſed in errorum ſuorum manifeſtiſſimum argumentum ſuam ab Eccleſia Catholica fugam aſſumere, nec ſuppoſitionibus obſcuris claram veritatem, ſed clarâ veritate incertas & obſcuras ſuppoſitiones evertere debent.

Quanvis inquam, hoc ita ſit, illud ſaltem nullus quàmlibet pervicax vel moroſus inficiari poterit vel audebit, Eccleſiam Catholicam non eſſe erroris inſimulandam aut damnandam, niſi ob certas & evidentes prolapſiones, nec novam ſectam erigendam amplectendamve, niſi cogente veritatis luce, quæ Eccleſiæ ſit authoritati anteponenda. Si enim temeritate non vacat judicium quo perſona privata abſque manifeſta ratione damnatur, quę æquitate totius Eccleſiæ conſenſio, imò & Chriſtianarum omnium ante exortum Calviniſmum ſocietatum conſpirans præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia fides erroris, ſubindeque juſtæ ab ea ſecedendi datæ occaſionis accuſabitur atque damnabitur? Accedit quod cùm Calviniſtæ ſint origine Catholici, ex Romanaque Eccleſia, unde exierunt, oriundi; cum ab ea Eccleſia Scripturas ſacras mutuati ſint, articulos

fidei didicerint, quæ retinent ſacramenta ſuſceperint, niſi omnes naturæ & honeſtatis ſenſus exuerint, niſi adamantinam vel brutalem indolem induerint, optare veluti connaturaliter tenentur Eccleſiam illam matricem, originalem, & radicalem eſſe, ſi fieri poſſet, in doctrina ſanam, labiſque puram. Unde nec poſſunt, nec debent repugnante inſita viris honeſtis & liberalibus propenſione, illam erroris niſi apertiſſimis coacti rationibus inſimulare, multóque minus matris ſuæ errores nefandi more Chami propalare & ridere, niſi ob manifeſtam fidei in diſcrimen vocatæ vitandam jacturam. Maximè quia cùm Eccleſia Catholica dotibus quamplurimis, iiſque aſpectabilibus præſtet cæteris omnibus ſectis, illiſque prærogativis alumnos ſuos & doctrinæ ſuæ profeſſores veluti arctiſſimis ſibi vinculis colligatos teneat, antiquitate nimirum, conſenſione, Paſtorum ſucceſſione, doctrinæ poſſeſſione & præſcriptione, profeſſorum ſanctimonia, miraculis, aliiſque alibi operosè memoratis, non debemus niſi errorum evidentiâ perſuaſi ab ea Eccleſia ſecedere, nec ad novam ſectam niſi aperta veritate allecti tranſvolare: quin & in dubio ſocietatem antiquiorem, univerſaliorem, & veræ Eccleſiæ notis inſigniorem novæ recentique cæteris paribus anteponere jure poſſumus & debemus. Ergo ſive doctus ſis, ſive ignarus, non potes in controverſia Euchariſtiæ ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſibus recedere, & ad Calvinianas partes tranſire: quia doctus in ſingularium examine probationum non evidentiam fidei catholicæ adverſam invenit, ſed ad ſummum difficultatem ſentit; indoctus verò eas in examen vocare, nec ſcit, nec valet. Ergo utique ſola ſupereſt Eccleſiæ univerſalis authoritas & Chriſtianarum omnium ſocietatum conſenſio, quæ difficultatum omnium nodos diſſolvere, dubia omnia ſopire & prudenter debet, & facilè poteſt.

Certè ſi in dubiis tutior pars eſt eligenda, eaque ſententia cæteris præferenda, quæ magis rationi conſentanea, magiſque à cupiditatis laqueis aliena eſt, ille nec peccat, nec puniri à Deo proinde poteſt, qui in materia Religionis viam illam ingreſſus fuerit, quæ tutior, probabilior, & à cupiditate remotior apparuerit; neque enim divina Providentia ſivit, ſinit, vel ſinere unquam poteſt, tam innoxium rationis uſum ad errorem viam ſternere & munire. Atqui in controverſia Euchariſtiæ Eccleſiæ Catholicæ individuè adhæret, viam tutiorem, probabiliorem, atque à concupiſcentiæ inſidiis immuniorem inſiſtit. Etenim qui attentè conſiderat omnes Chriſtiani orbis fideles realem Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiam adverſus paucos Calviniſtas firmiter credere, omnes ante Berengarium continuò damnatum ſemper & ubique credidiſſe; generalem verò fidei mutationem inſenſibilem commentum eſſe ipſis dormientium exertationibus intolerabilius; videt pariter, niſi concupiſcentiæ nebulis occæcetur, tutius eſſe mentem ſuam toti Eccleſiæ ſupponere; minùs quoque periculoſum eſſe univerſæ Chriſtianarum omnium ſocietatum conſenſioni, quàm privato ſpiritui credere; probabiliuſque eſſe ſe potiùs quàm omnes Chriſtianos falli. Profectò hominis ſic comparati judicium rationis unius partus eſt, non concupiſcentiæ; humilitatis fructus, non ſuperbiæ: ſicut è contra oppoſitum judicium, privatos ſenſus Eccleſiæ conſenſioni anteponens non niſi à cupiditate & ſuperbia extollente ſe adverſus omne quod dicitur doctum & ſanctum, derivatur. Quis autem niſi communibus pietatis notionibus renuntiaverit, credat rationem, & humilitatem fidei & promiſſionibus divinis innixam viam eſſe quæ ducat ad perditionem, temeritatem verò & ſuperbiam ad veritatem & vitam iter aperire? Si ita ſit, de providentia divina, de religione, de Chriſtianiſmo, de ſenſu communi actum eſſe contendo. Si ita ſit, ratio fallet, prudentia peccabit, virtus in malum propellet, religio apoſtatare faciat, & quod horribile dictu eſt, Deus ipſe decipiet.

Nec poſſunt Calviniani conſcientiæ ſolamen aliquod, vel dubitationum quietem in ſuæ authoritate Eccleſiæ invenire. Cùm enim unum ex præcipuis Calvinianæ doctrinæ capitibus ſit infallibilitatem nulli eſſe Eccleſiæ aſſerendam, quæ proinde communioni ipſorum eximia eſſe non poteſt, planum eſt Calviniſtam non poſſe ſuborta dubia ſuæ authoritate Eccleſiæ compeſcere, nec Paſtorum Miniſtrorumve ſuorum voci juxta ſua etiam principia cedere. Unde Calvini diſcipulis illud veridicè regereret, quod Manichæis olim Auguſtinus, licet: *Vos tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium eſt, quin nihil dignum authoritate proferatis.* Præſertim cum juxta Calviniſtas nulli homini, vel Paſtori, vel Concilio, ſed ſoli Scripturæ determinandorum de fide dubiorum facultas aſſerta ſit. Quid ergo ille faciet, cui lectio Scripturarum difficultates & dubia non removet, ſed auget? An tranſibit ad novas Calvini partes? Sed enim id non licet, niſi veritatis evidentiâ cogatur. Atqui nullam apud Calvinianos invenit evidentiam ſibi evidens eſt; hinc enim tot dubitationum æſtus proficiſcuntur. An neuter & pendulus nulli ſectæ determinatè adhærebit, vel cuique pro loco & tempore occurrenti inſerviet? At teſte Apoſtolo ſicut unus Deus, ita una fides; & pluralitas Religionum, nullitas Religionum. Ergo cùm Calviniſta eſſe non poſſit ſine evidentia quæ ſibi deeſt, neuter eſſe ſine impietate nequeat, catholicus humilitate evadat neceſſe eſt. Quia ſola catholica Eccleſia evidentiæ defectum authoritatis ſibi eximiæ, ſibi à Deo promiſſæ, ſibi ab Apoſtolo columnam & firmamentum veritatis ipſam nuncupante, aſſertæ pondere & lites decidere, & controverſias definire, & dubia ſedare, & tranquillam ſecuritatem præſtare poteſt.

Hactenus expoſitam invincibilis demonſtrationis vim variis artibus eludere Calviniani conati ſunt. Aliqui, in quibus nonnullæ bonæ fidei reliquiæ ſuperſunt, illud ultrò fatentur, quod ſine effronte audacia negari non poſſe arbitrati ſunt, Græcos nimirum realem corporis Chriſti in Euchariſtiæ præſentiam, veramque tranſſubſtantiationem confiteri, ac proinde Catholicam noſtram aſſertionem ante Lutheranos & Calvinianos ab omnibus omnino Chriſtianis unanimi fuiſſe conſenſione receptam. Ita ſponte ſua fatetur Cruſius linguarum Græcæ & Latinæ apud Lutheranos Tubingenſes Profeſſor. Ita Sandus Anglus *lib. de Religionum ſtatu, cap. 42.* Ita Frobeſius Scotus *conſider. modeſt. de Euchariſtia, cap. 4.* Ita Donnauverus *lib. de Eccleſia Græcanica hodierna, pag. 46.* Alii hanc quæſtionem veluti ſcopulum fugientes ad ſibi tutius ſilentii aſylum confugiunt. Sed alii generoſiores, tam licitum eſſe negare quidquid ſibi obeſſe vident, unanimem illam, tametſi patentem utriuſque Eccleſiæ conſenſionem, reclamante ſcientiâ, repugnante conſcientiâ, aſſeveranter inficiari non dubitarunt.

Miniſtri Claudii mendacia ob oculos poſita.

Sed nulli poſt hominum memoriam hæretico aut impoſtori mentiendi licentiâ & contumaciâ, atque inter mentiendum affectatâ ſecuritate cedit noviſſimus Miniſter Claudius. Subodoratus enim Eccleſiæ Græcæ cum Latina circa Euchariſtiam conſenſione ſectæ ſuæ apoſtaſiam manifeſtiſſimè revinci, &

di, & Eccleſiam Romanam ab omni innovationis labe purgari, ſemoto omni pudore, depoſitaque fronte, palàm, apertè, aſſeveranter ſcribere non erubuit Græcos aliaſve Orientales Chriſtiani nominis ſocietates in articulo Euchariſtiæ ab Eccleſia Romana diſſidere. Et quamvis valeat, ut loquitur Auguſtinus, ad ſeipſam perſuadendam ipſa evidentia, hanc tamen ultrò ſe ingerentem nihil veritus, ea pernegare obſirmatè decrevit, quæ anteceſſores veritate coacti ultrò confeſſi fuerant, vel ne confiterentur, ſilentio prætermiſerant. Sed nihil mirum: Illud enim innatum eſt hæreticis omnibus ingenium in infeſtam ſibi veritatem furere, & eâ dum opprimuntur ſeſe ſimul jactare. Homines etiam bonos & Catholicos interdum falli, atque intricatis quæſtionibus implicari humanum eſt: ſed affulgentem veritatis ſplendorem repellere, & verum falſum, falſum verum audacter pronuntiare, hæreticorum character eſt ſingularis.

Ut autem eo ſpiritu Miniſtrum Claudium agi liquidò conſtet, unàque clareat & quantùm veritatem ſibi notam odio habeat, & adverſus illam nihil poſſit, legendus eſt integer Domini Arnaldi liber, qui hanc facti quæſtionem tantâ diligentiâ tantâque accuratione oculis ſubjicit, indeque concluſiones adeo neceſſarias deducit, ut illam utriuſque Eccleſiæ conſenſionem ſenſibilem & palpabilem efficiat, ejuſque conſenſionis negationem non minus iniquam demonſtret vel abſurdam, quàm ſi quis contenderet Eccleſiam Romanam de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia dubitare, vel S. Thomam Aquinatem, vel Cardinales Bellarminum aut Perronium unquam de Euchariſtia niſi in ſenſu Calvini aut Lutheri ſcripſiſſe.

Quis enim niſi voluntariis tenebris exoculatus credat Michaëlem Cerularium alioſque Orientales, qui omnem infamandæ Latinæ Eccleſiæ vel leviſſimam occaſionem & prætextum avidiſſimè nanciſcebantur, quive in ſui ſchiſmatis ſpecimen uſum panis azymi, omiſſionem Allelujа tempore Quadrageſimæ aliáque minutiſſima obtendebant, prætermiſſuros graviſſimum præſentiæ realis & tranſſubſtantiationis caput, ſi figurativam tantùm Chriſti præſentiam ipſi credidiſſent; prætermiſſuros, inquam, anno 1053 quo recens erat & ubique nota Berengarii circa Euchariſtiam ſententiæ damnatio?

Quis crederet Cardinalem Humbertum, & Monachum Nicetam cauſam Græcorum agentem in illa concertatione graviſſima, quam Baronius ſub finem tomi undecimi refert, nihil ſibi de Euchariſtiæ veritate objeciſſe, ſed potiùs utrumque hanc communem fidem ſuppoſuiſſe, ex eaque argumenta ad juvandam ſuam cauſam deprompſiſſe.

Quis crederet Berengarianos vel totius Eccleſiæ Græcæ fidem ignoraſſe, vel ſibi notâ contra adverſarios ſibi novitatem & ſectatorum paucitatem exprobrantes non uſos eſſe. Quin potiùs Lanfrancus *lib. de corpore Chriſti, capite 22.* ipſis opponit Romanæ Eccleſiæ de Euchariſtia fidem eſſe communi Latinorum, Græcorum, Armenorum, & omnium cujuſvis nationis Chriſtianorum calculo probatam.

Quis crederet Theophilactum Archiepiſcopum celebrem in ſpeciali de erroribus Latinorum libro ſolam additionem termini FILIOQUE in Symbolo reprehendiſſe, & realem Chriſti præſentiam non objeciſſe? At quomodo fidem illam calumniaretur, quam verbis ipsâ luce clarioribus in *cap. 26. Matth.* ipſe docet: *Porrò dicens, Hoc eſt corpus meum, oſtendit quod ipſum corpus Domini eſt panis qui ſanctificatur in altario, & non reſpondens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura, ſed hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis videatur panis; quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, ſed reverà caro eſt.* Et in cap. 14. Marci: *Hoc eſt corpus meum, hoc inquam quod ſumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis eſt, ſed in illud ipſum convertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt: non dixit, Figura eſt carnis meæ, ſed caro mea eſt. Et iterum: Niſi ederitis carnem filii hominis. Et quomodo caro non videtur? O homo, propter noſtram infirmitatem iſtud fit. Quia enim panis quidem & vinum ex his ſunt quibus aſſuevimus, ea non abhorremus: ſanguinem verò propoſitum & carnem videntes, non ferremus, ſed abhorreremus; idcircò miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſervat, in virtutem autem carnis & ſanguinis transelementat.*

Quis non niſi poſt exutum ſenſum communem effutire præſumat, duodecimo ſæculo, in quo pro expeditione Jeroſolymitana Orientis Provinciæ Latinis hominibus refertæ ſunt, nec commercio ſolùm & armis, ſed & matrimonii vinculo Latini cum Græcis conjuncti ſunt; Græcam tamen Eccleſiam Latinæ de Euchariſtia fidem ignoraſſe, vel cognitam non impugnaſſe, improbaſſe, exprobraſſe, vel certè objeciſſe? Latinos etiam Græcorum apud quos convivebant, communem de figurativa duntaxat corporis Chriſti præſentia ſententiam ignoraſſe, & ita ignoraſſe, ut omniſcius & oculatiſſimus Bernardus ad Eugenium ſcribens dicere potuerit, Græcos nobiſcum eſſe & non eſſe, junctos nempe fide, pace diviſos; & Petrus Cluniacenſis, qui Berengarianos ex profeſſo confutaverat, Imperatori & Patriarchæ Conſtantinopolitano precum communionem obtulerit, ut *lib. 4. epiſtol. 39 & 40.* videre eſt.

In cujus mentem non omninò à rationis lumine deſertam venire poteſt, Eccleſiæ utriuſque innumeros Scriptores diſſenſionum capita & diſſidiorum cauſas ex profeſſo tractantes nunquam de Euchariſtia meminiſſe? Certè niſi una omnium fuiſſet concorſque ſententia, tanti momenti diſcrimen minimè tacuiſſent, qui alia minutiora & leviora, putà uſum azymorum, & Spiritus Sancti à Filio proceſſionem noverunt & acerrimè refutarunt. Quis aliqua veri ſpecie dicat, Euthymium in ſua Panoplia hæreſeon catalogum texentem nullam præſentiæ realis, tranſſubſtantiationiſque mentionem feciſſe, ſed potiùs Paulinianos realem Chriſti præſentiam inficiantes iiſdem Gregorii Nyſſeni, & Joannis Damaſceni nitidiſſimis teſtimoniis, quibus Catholicè adverſùm Calvinianos pugnamus, confutaſſe? Quis porrò credat, niſi in inſulſitatis extremum prolapſus fuerit, ea teſtimonia produxiſſe Euthymium vel producere potuiſſe, ſi Calvinianæ ſententiæ adhæſiſſet? Dicant ſodes Calviniani, num ea ipſi loca libenter adhiberent, ſi quis ab eis fidei ſuæ expoſitionem ſciſcitaretur? Accedit Euthymium Catholicam noſtram aſſertionem in Matthæum cap 64. limpidiſſimè docuiſſe: *Quemadmodum*, inquit, *ſupernaturaliter aſſumptam carnem deificavit, & hæc ineffabiliter tranſmutat in ipſum vivificum corpus, & in ipſum pretioſum ſanguinem ſuum.*

Mitto alia clariſſima illius ætatis Authorum teſtimonia ſole ipſo lucidiora, quibus Eccleſiæ Catholicæ de Euchariſtia fidem iiſdem verbis efferunt, adverſus eam eadem ſibi difficultatum momenta objiciunt, illaque iiſdem reſponſionibus explicant, quæ à Catholicis paſſim uſurpantur. Qui ſanè agendi modus abſurdus, ridiculus, fatuus, propriæ cauſæ proditorius, prævaricatione fraudeque ple-

niſſimus foret, ſi unam figuræ aut virtutis Calvinianorum præſentiam credidiſſent. Mitto Nicolai Methonenſis Epiſcopi librum, in cujus principio, medio, fine præſentiam realem & tranſubſtantiationem affirmat, probat, in neganteſque indignatur. Et tamen Miniſter Claudius ejuratâ omni bonâ fide, & ſolitâ ſuâ in erroribus etiam conſpicuis & ſibi notis defendendis contumaciâ Authorem illum in ſuas partes repugnantem inflectit. Expecto donec S. Thomam Aquinatem, Bellarminum, & Coëffetæum ſuæ ſectæ defenſoribus accenſeat.

Mitto profeſſionem fidei *tomo 2. Bibliothecæ Patrum Græcolatin.* relatam, è Bibliotheca non Vaticana, ſed Principis Calviniani erutam, quam Sarraceni ad fidem converſi emittebant; in eaque panem in corpus Chriſti, vinum in ſanguinem ejus ſecundùm veritatem converti confitebantur. Hæc, inquam, mitto; quia Eccleſiæ Græcæ & ſilentium & voces, & ſcripta & diſputationes, & amicitiæ & odia, & bellum & pax, & omnes demùm hujus ætatis circunſtantiæ communem totius Chriſtianiſmi mentem ſignificantiſſimè vel ſtupidiſſimis demonſtrant.

Eandem Orientalium Eccleſiarum cum Latina fidei conſenſionem evidentiſſimè declarat ſequentium ſæculorum ad noſtiſque non interrupta Græcorum de Euchariſtia ſententia; Etenim ſæculo 13. in quo ob bellorum frequentiam & Latinorum victorias Græcia Latinis referta erat, nunquam Græci circa Euchariſtiæ ſubſtantiam ullo unquam vel minimo erroris rumore aſperſi ſunt, nullaque illis notâ lis, niſi ob celebrem illam de azymis controverſiam. Græci etiam nullam calumniandæ Latinæ Eccleſiæ, cujus infenſiſſimi erant, occaſionem ex Euchariſtiæ fide nacti ſunt, tam commodam, tam ultrò oblatam & ſimul juſtiſſimam non prætermiſſuri, ſi Latini in articulo Euchariſtiæ aberraſſent.

Nec poterant Orientales Occidentis de Euchariſtia ſenſum ignorare, quem in Magno Lateranenſi Concilio Innocentius III. non paucis Græcis Palæſtiniſque Præſulibus luculenter expreſſit; quemve in formula fidei ad Imperatorem, & Græcos tranſmiſſa Urbanus IV. referente Raynaldo ſic expoſuit: *Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo conficit Romana Eccleſia, tenens & docens, quod in ipſo Sacramento panis verè tranſubſtantiatur in corpus, & vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Quare tota utramque inter Eccleſiam rixarum, diſſenſionem, & nefandi ſchiſmatis origo unus erat de proceſſione Spiritus ſancti à Filio articulus. Quod etiam ex opuſculis à S. Thoma contra Græcos elaboratis manifeſtum eſt. Cùm enim S. Doctor eſſet ex unâ parte Catholicæ de Euchariſtia fidei zelantiſſimus, & ex alia Græcorum dogmatum callentiſſimus, utpote ad ea examinanda ab Urbano IV. electus, & ab ipſis Græcis in dubiis rogatus & conſultus, ut patet ex ejus Opuſculo ſic inſcripto: *Declaratio quorundam dubiorum contra Græcos, Armenos, & Sarracenos*; & à Confratribus Ordinis ſui, vel ſaltem à Generali Ordinis Magiſtro, qui Græcorum errorum per Dominicanos ibi degentes vel crebris litteris, vel in Comitiis Generalibus, ad quæ ſingulis annis Provinciarum Præpoſiti eo tempore in Ordine noſtro conveniebant, conſcius erat, pleniſſimè eruditus. Et tamen S. Thomas nullibi Græcos negatæ tranſubſtantiationis vel præſentiæ realis accuſat. Maximè quia cùm S. Thomas opuſculo citato referat *Sarracenos improperare Chriſtianis, quòd in Altari comedunt Deum ſuum*; Chriſtianis, inquam, Orientis, cùm de hoc à Cantore Antiocheno moneatur, non potuit D. Thomas, non potuit univerſa Eccleſia Latina Græcæ Eccleſiæ fidem ignorare, quibus ipſa Sarracenorum dubia non erant ignota: non potuit etiam Eccleſia Græca omnium Latinorum etiam ſecum conviventium fidem ignorare, quæ Sarracenorum ſcrupulos & improperia dignoſcebat.

Idem conſenſus claruit in Concilio Lugdunenſi Oecumenico, ubi formulam ſuprà poſitam juramento firmavit Imperatoris nomine Georgius Legatus, necnon & Nuncius ab Epheſino Metropolitano aliiſque Græcis Epiſcopis ad Concilium directus.

Eadem fidei ejuſdem conſpiratio ſæculo decimo quarto radiis fulſit ipſa meridiana luce ſplendidioribus. Tunc enim Chriſtus in Euchariſtia præſens propalam nullo Græco reclamante à Latinis adorabatur. Et cùm hujus ætatis Scriptoris diſſertationibus variis fervèrent, ſcriptiſque fermè infinitis utriuſque Eccleſiæ diſcrimina notare & indigitare ex profeſſo ſatagerent, in nullius tamen mentem venit vel Græcos negatæ tranſubſtantiationis accuſare, vel Latinos ob aſſertam tranſubſtantiationem erroris inſimulare. Tunc Dominicani & Franciſcani, id eſt totidem tranſubſtantiationis defenſores docti, oculati, & eorum nonnulli fidei Quæſitores Græciam frequentabant. Itáne verò credibile eſt, Doctores illos, qui minimos nævos deregebant, qui pulveres & feſtucas in examen vocabant, errorum palpabiles trabes non advertiſſe? Itáne Græci adeò occæcati credendi ſunt, ut publicas Chriſti realiter in Euchariſtia præſentis confeſſiones, & ſolenniſſimas in apertis ſupplicationibus, in Eccleſiis, in infirmorum Viaticis deferendis adorationes non viderint planè; vel ita maligni, ut eam potuerint hæreſim in omnibus libris ſuis contra Latinos editis (& ſunt ſanè multi, quorum indicem dat Doctor Arnaldus *lib. 3. cap. 7.*) ſilentio ſupra piſces taciturniore præterire?

Sed quid opus eſt conjecturis & argumentis negativis, tametſi hac in parte invictiſſimis, & hujus noſtræ fidei præſcriptionem demonſtrantibus, cùm veritas per ſe luceat, & Græci calamo Nicolai Cabaſilæ Epiſcopi Theſſalonicenſis ſuos & ſuorum de Euchariſtia ſenſus Eccleſiæ Romanæ planè conſentaneos ob oculos in ſuæ Liturgiæ expoſitione ita expandant, ut D. Thomæ Aquinatis, quem in articulo Proceſſionis Spiritus ſancti à Filio datâ operâ refellit, verborum proprietatem & nitorem quoad punctum præſentiæ realis & tranſubſtantiationis adæquet, eandemque fidem non ſemel & iterum, non obiter, ſtrictim, & defunctoriè, ſed fusè, ſed ex profeſſo, ſed cum iiſdem fidei, reverentiæ, & pietatis igniculis, quos apud Granatenſem legere eſt, exprimat? Videſis prælaudatum Arnaldum *lib. 3. cap. 8.* ubi & Claudii ſutiliſſimas, & quæ à nobis referantur indigniſſimas reſponſiones ſummâ patientiâ recenſet, & majori evidentiâ confutat.

Eadem quoque fidei concordia ſæculo decimo quinto nituit, tum in ſcriptis Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis à Patre Goar in ſua Euchologia relatis; tum ex unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino inita. Dicere verò Epiſcopos utriuſque Eccleſiæ per biennium congregatos, & minima quæque doctrinæ diſſidia ventilantes, quid circa Euchariſtiæ ſubſtantiam utraque Eccleſia crederet, quidve ſentiret ignoraſſe, vel ſcientes nefariè omnes diſſimulaſſe, vel diſſimulantium neminem finito Concilio fallaciam retexiſſe, eſt ultimum poſſibilis fatuitatis extremum, deſperatæ cauſæ deſperata defenſio, immò & manifeſta agnitæ veritatis repudiatio. Etenim *ſeſſ. 25.* Græci panem fieri corpus Chriſti Latinis confeſſi ſunt, omneſque uno excepto Marco Epheſino huic articulo ſubſcripſerunt: *In azymo ſive fermentato corpus Chriſti veraciter*

viter conficitur. Sed ad vomitum, inquies, reverſi in patriam Græci haud multò poſt redierunt. Scio equidem, ſed nullum inde cauſæ meæ detrimentum; imò potius compendium ingens accerſetur. Etenim Græci in patrium ſolum reverſi, proindeque liberi, nullo præſentiæ Pontificiæ obice vel metu præpediti, & ob antiquas in Eccleſiam Latinam ſimultates initæ unionis diſſolvendæ cupidiſſimi, ſi Romanam ſibi inviſam Eccleſiam in ſubſtantia Euchariſtiæ erraſſe advertiſſent (non potuerant autem non advertere poſt continuum familiaris convictus biennium, poſt quotidiana, quibus intererant Miſſarum ſolennia, poſt frequentiſſima & in oculos incurrentia erga Euchariſtiæ Sacramentum publicæ pietatis officia) nullum ſanè vel ſpecioſiorem reſcindendæ retractandæque unionis colorem, vel Latinæ Eccleſiæ accuſandæ juſtiorem cauſam, vel commodiorem votis ſuis ſatisfaciendi opportunitatem habuiſſent, ut ſchiſmatis objectum ſibi nomen & crimen à ſe deprecarentur, in ſolamque Romanam Eccleſiam refunderent. Sed tantum abeſt, ut fovendi inde ſchiſmatis occaſionem nacti fuerint, ut in ipſis potius, quas contra Romanam Eccleſiam ediderunt, iratiſſimis lucubrationibus, tranſubſtantiationis fidem diſertiſſimè expreſſerint, ut ex Marci Epheſini Eccleſiæ Latinæ hoſtium infenſiſſimi opuſculo de forma Euchariſtiæ perſpicuum eſt; ibi enim aſſeveranter pronuntiat, verba Sacerdotis *reipſa tranſmutare jam dona in ipſum prototypum illud corpus, & ſanguinem dominicum.* Quod ex aliis quoque Græcorum libris poſteris relictis liquidò conſtat, in quibus tranſubſtantiationis doctrina paſſim ſupponitur, paſſim iiſdem quibus Catholici utuntur verbis, eadem, & interdum majori energiâ exponitur. Videatur Dominus Arnaldus *lib. 4. cap. 3.*

Conſenſus verò mutuus ſæculi decimiſexti viſus eſt tum in litteris Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Lutheranos & Lutheranorum ad ipſum reciprocis, ubi Græcos non ſolùm realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, ſed & tranſubſtantiationem ſincerè confiteri apertè expreſſit, nec dubitarunt Lutherani, ultrò profeſſi ſe in puncto tranſubſtantiationis à Græcis diſſidere. Et jam poſt centum fluxos annos Miniſtro Claudio dicere licebit, nec Jeremiam præſentiam realem & tranſubſtantiationem ſignificare voluiſſe, ſolamque virtutis & efficacitatis præſentiam agnoviſſe; nec Lutheranos Patriarchæ mentem limpidiſſimis verbis expreſſam aſſequutos eſſe, atque diuturnum litterarum commercium perpetua æquivocatione perpetua cæcitate, perpetua hallucinatione laboraſſe; & reclamante ſenſu, reclamantibus oculis, repugnante omni probi hominis honeſtate & ſinceritate illi aſſeverare & jurare licebit; Jeremiam à ſuis partibus ſtetiſſe; Jeremiam, inquam, à quo Lutherani Witembergenſes non alia de cauſa ſe diſcedere profeſſi ſunt, niſi quia præter præſentiam realem etiam tranſubſtantiationem in ejus litteris, & ejuſdem fidei confirmationem in ſequentibus epiſtolis, reſponſionibus, & replicis adverterunt. Si ita ſit, bonum malum, verum falſum, totum orbem bruteſcere, totum cæcutire, ſine pudore effutire licitum erit, ſolida & ridicula proferre perinde erit, inſanire peræquè ac ſapere indifferens. Lege caput 4. libri 4. Perpetuitatis Fidei, & Domini Arnaldi patientiam demirare, ab ea non diſſimilem, quâ eruditus Philoſophus Solem eſſe lucidum & ignem calidum pertinaci ſuadere ſatageret, & ſuadendo deſudaret.

Miniſtri Claudii impoſturæ ſub ſenſum cadentis utilitas à Deo proviſa.

Abſit tamen ut ſapientiſſimi eximiique Theologi patientiſſimum laborem ſigillem; nam præter quod ubique effundit Eccleſiaſticæ ſcientiæ lucem, ubique pietatem & in Eccleſiam Catholicam profundam reverentiam ſpirat & inſpirat, hoc etiam tanto labore ſuo evincit, quàm ſit in verbis obſcuris explicandis Claudii ſuſpecta fides, qui ipſi evidentiæ repugnare, & ut Scriptura loquitur, lumini rebellis eſſe non erubuit. Etenim ſi authores Calviniſmum Lutheraniſmumque ex profeſſo damnantes, & ſelectis verbis idoneis & accuratis damnationem ſuam confirmantes, omni vi & extorſione ſuas in partes Claudius trahit, & trahendo ſeſe jactat, atque non ſecus ac ſi victoriam inſignem reportaſſet nobis inſultat: qua ſinceritate Patres ſubobſcurè interdum loquutos interpretabitur? Quid mirum ſi ſuos prædicet qui nō ita clarè loquuti ſunt, qui ſuos venditat apertiſſimos ſententiæ ſuæ impugnatores.

Oportebat, oportebat planè, ô Claudi, te in tam manifeſtos & palpabiles errores prolabi, ut in aliis minùs manifeſtis cognoſcereris. Te in explicandis primorum ſæculorum Patribus cæcutire humanū eſt, miſeratione dignum: at te ſic inſanire, ut Authores tibi repugnantes & repugnantiam ſuam pro virili parte ſignificantes tibi favere dicas, ad extremum non dicam hæreſis, ſed dementiæ cumulum perveniſſe eſt. Adeòne lædi non poteſt fides, quin continuò lædatur ratio & humana mens, quia nimirum fides & ratio unius ejuſdemque divini luminis expreſſiones & radii ſunt. Neceſſe eſt enim, ſicut veridicè Auguſtinus ſcripſit, ut aliter quàm oportet humana æſtimet, qui divina contemnit. Niſi ſpiritu hæretico ageres, res tam fictas & tam inauditas venditare nequiviſſes. Quis credidiſſet auſum te fuiſſe merum ludibrium, meram impotentis ingenii laſciviam in medium proferre, ut totius orbis teſtificationibus in quæſtione facti repugnares, meris ut phantaſiis tuis ſumma Religionis myſteria involveres, illos perverſè imitatus, de quibus Auguſtinus ait lib. 6. Muſicæ, cap. 11. *Sequuntur nonnulli ſua phantaſmata tam præcipites, ut nulla ſit materies falſarum opinionum quàm habere phantaſias.* Quia decreviſti veritati bellum indicere, facta evidentiſſima pernegaſti: ſed ſicut hæreſeon magiſtris verè olim B. Hieronymus regerebat, *Eccleſiæ victoria eſt vos apertè dicere quod ſentitis*: ita victoriæ noſtræ pars maxima eſt, inania figmenta tua ſubmotis ambagibus, reductoque velamine ob animos oculoſque legentium ſtatuere, ut eos graviùs percutiant, non ad vulnus, ſed ad vulneris cautionem, & fraudium tuarum averſationem. Ipſe non credis quæ aliis ſuadere moliris, & quà homo, quà potiſſimè è Francis indole ingenuis oriundus ea inficiaris, quæ quà Calviniſta obtrudis: ita videlicet, ut verbis Magni Gregorii *3. part. Paſt. cap. 1.* utar, mentem tuam impellit hæreſis fervor quò naturalis indolis non trahit deſiderium, & ageris commotus velut neſciens, unde poſtea doleas ſciens.

Sed illud non ſine ſingulari Dei in Eccleſiam & in ipſos etiam Calvinianos providentia contigiſſe credendum eſt. Difficiles ſunt nonnullæ veterum Patrum expreſſiones, de quibus Calviniſtas inter & Catholicos jamdudum certatur. A tot ſententiarum diſcuſſione & collatione abhorret popularis intelligentia, & in controverſiis hinc inde impeditis facilè imperitis illuditur, quibus quippe ea in examen vocare nec per otium vacat, nec per ingenium licet. Unde Miniſtris Patres ſibi in controver-

ſuis noſtris faver. aſſeveranter & ſumma confidentia (tametſi falsò) prædicantibus fidem adhibere imperitos, id eſt majorem ſuæ ſectæ partem, proclive eſt. Quamobrem clarum & manifeſtum in Chriſtianiſmo monumentum extare voluit Deus, ut poſſent vel ſimpliciſſimi (quibus potiſſimùm conſulit Deus, volens omnem errorum ipſorum excuſationem præcludere) cognoſcere & ſenſibus ipſis contrectare penes quam Eccleſiam veritas & ſinceritas eſſet. Aſſerunt Calviniani Eccleſiam Romanam venerabilis Euchariſtiæ antiquam fidem corrupiſſe. Negant Catholici, & ſe traditam à Chriſto doctrinam per Apoſtolos & Patres perpetua traditione receptam & ad nos derivatam, nunquam in Chriſtianiſmo inceptam, in Berengarii damnatione firmatam, & ab omnibus omninò Chriſtiani nominis profeſſoribus ante exortos Lutheranos & Calvinianos per univerſum terrarum orbem Latinum & Græcum unanimi conſenſione acceptam, prædicatam in rectis, expoſitam in pulpitis, exaratam in libris, celebratam in templis, ſolenni cultu expreſſam in plateis, in factis ipſis impreſſam amplecti, & tanquam ſacrum depoſitum cuſtodire reponunt.

Hærere hîc ſimplices, dubitare ignaros neceſſe eſt; quia vani illi diſtinctionum fuci, quibus verba Chriſti & Patrum antiquorum ſententias Miniſtri præcolorant, quive populorum captum fugiunt, locum hîc non habent. Dum enim Calviniſtæ Claudii calamo negari à Græcis Euchariſtiæ veritatem, ſeu realem corporis Chriſti præſentiam & veram tranſubſtantiationem omni ſecuritate affirmant, jam nihil hîc reconditum, nihil abſtruſum producunt, nihil quod non poſſit à videntibus & audientibus ſolo ſenſuum adjutorio judicari. Et cùm aliunde omni habenti oculos, aures, ſenſumque communem, nec paſſionum æſtu, aut præjudiciis excæcato compertum ſit Græcos hujus myſterii fidem iis efferre verbis quibus accuratiora apud tractatores noſtros Catholicos invenire non eſt, in eoſque graviter indignari, qui ſolam Chriſti figuram in Euchariſtia agnoſcunt, quin & libros omnes contra Eccleſiæ Romanæ de azymis ritum ſcriptos reali Chriſti præſentiæ eſſe ſuperſtructos aſſerant; cùm, inquam, hæc ita ſint, & omnibus pateant, jam Claudii in mentiendo pertinacia claret & erumpit, atque de occultis controverſiis ex apertis impoſturis ſimplices quilibet judicare ſine negotio poſſunt; & cùm Claudium cæteroſque Miniſtros teneant tam manifeſtæ falſitatis reos, hinc diſcere poſſunt ipſis nihilo magis eſſe credendum dum alia latentiora producunt. Hic eſt fructus certè non pœnitendus ex Domini Arnaldi demonſtrationibus conſequutus.

Ex his igitur perſpicuè liquet Græcam Eccleſiam à tempore Berengarii uſque ad Calvinum, & à Calvini ætate ad noſtra uſque tempora eodem cum Latina Eccleſia modo ſenſiſſe, eodemque modo loquutam fuiſſe, ſubindeq; Calvinianos adverſus antiquitatem, univerſitatem, doctrinæ conſenſionem inſurrexiſſe, in eaſque veræ Eccleſiæ teſſeras peccaſſe, atq; prophanæ novitatis reos eſſe.

Scio quidem Adverſarios quendam Cyrillum Patriarcham Conſtantinopolitanum producere ſenſuum ſuorum aſtipulatorem: ſed illis talem authorem, tamque apertum apoſtatam non invidemus. Digni ſanè Calviniſtæ qui Cyrillum illum laudent; dignus Cyrillus qui à Calviniſtis laudetur. Hoc unum ſtupendum, Calviniſtas illum in Eccleſiæ Græcæ fidei teſtem proferre, qui in epiſtola quadam ad Hottingerum relata, ſe non minùs à Græcorum ſuperſtitionibus quàm à Papiſtarum erroribus abhorrere atteſtetur. Privata Cyrilli ſcelera, ſimoniam qua Patriarchatum emit, ſacrilegium quo Calviniſmum ſub Græcorum ritibus & profeſſione texit, prætermitto. Sed cùm apertè conſtet Cyrillum illum ob illam cum Calviniſtis doctrinæ communionem fuiſſe ter à Sede pulſum, & poſt obitum duplicis Synodi anathematis perculſum; planè relinquitur nullum Miniſtro Claudio ſupereſſe pudorem, qui tam nefarium hominem laudet, & quaſi locupletem Græcorum fidei teſtem producat. Nam ſi quis unquam Eccleſiæ Græcæ cum Latina perpetuam de Euchariſtiæ ſubſtantia fidei conſenſionem ſenſibilem effecerit, is certè Cyrillus eſt à Calviniſtis tantopere commendatus.

Plures hujus concordiæ teſtes oculatos etiamnum viventes Dominus Arnaldus recenſet, quibus detrectare fidem inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed quid opus eſt Calviniſmi ſuſpicionem ab Eccleſia Græca pluribus depellere, quæ ſuos legitimos de Euchariſtia ſenſus in ſuis Liturgiis, Horologiis, & Triodis (id eſt libris illis non minùs apud Græcos pervulgatis, quam ſit apud Catholicos Miſſale vel Breviarium, vel apud Calviniſtas Gallos liber Pſalmorum Marot,) clarè, apertè, adeoque diſtinctè exprimit, ut qui legerit, ſponte ſua & veritate perſuaſus judicaturus ſit, quantum diſtat ortus ab occidente, tantum à Calvinianis Græcos differre, nec magis convenire, quàm conſentiat Roma cum Geneva. Quod idem de aliis nationibus Chriſtianis, à Romana tamen communione ſejunctis, putà Moſcovitis, Armenis, Neſtorianis, Jacobitis, Maronitis, Cophtis, Æthiopibus clariſſimis teſtificationibus & omni exceptione majoribus Dominus Arnaldus demonſtrat.

Vis demonſtrationis inſtaurata.

Ex quibus omnibus inſtauratur demonſtratio theologica, & ſpeculatio ſuprà poſita ſuadetur. Ante Berengarium totus ubique terrarum diffuſus Chriſtianiſmus in utraque Eccleſia Latina & Græca ſub diverſis ritibus realem corporis Chriſti in Eccleſia præſentiam & tranſubſtantiationem unanimi concordia agnoſcebat. Hæc eadem una fides poſt extinctum Berengarii errorem in utraque Eccleſia, aliiſque Chriſtiani nominis ſocietatibus omnibus & ſingulis perſeveravit, viguit, regnavit, dominata eſt, prædicata in pulpitis, expoſita populis, declarata in liturgiis, in Communionibus quotidianis expreſſo Dominici Corporis nomine indigitata.

Nec poteſt ulla aſſignari cauſa, ullus tam univerſalis mutationis author. Tum quia totam ſimul Eccleſiam in re tanti momenti in errorem prolapſam eſſe aſſerere, eſt omnes Chriſti promiſſiones, omnem Dei erga Eccleſiam providentiam ad nihilum redigere. Tum quia generalis hujus corruptionis author & cauſa vel occaſio nec poteſt eſſe Romanus Pontifex Græcis inviſus, à quo erant ſchiſmate ſejuncti: nec Monachus Paſchaſius, ut Claudio delirare placuit; libro enim ſanè edito non potuit Monachus orbem ſub cœlo totum Græcum pariter & Latinum, nullo reclamante corrumpere: nec ignorantia ſæculi; nam præter quod nunquam vel nuſquam Eccleſiæ viri docti defuerunt, inſuper cùm Euchariſtiæ myſterium tale ſit cui quotidie adſunt fideles, cujuſve ſæpe fiunt participes, nullum eſt cujus diſtincta notitia difficiliùs obliterari poſſit: nec incuria & ſopor totius Eccleſiæ, omniumque ejus Prælatorum, Sacerdotum, Religioſorum, & plebis Chriſtianæ; neque enim adeo ſtupenda tam difficilis myſterii novitas potuiſſet vel ſine inſcipientium admiratione, vel ſine reſiſtentium fremitu & cla-

& clamoribus, vel ſine omnium ſtrepitu invehi & induci.

Etenim quis ſibi perſuadeat omnes adeo fuiſſe mente oculiſve captos, omnes gravi adeo ſomno ſepultos, aut faſcinatos, ut extinctis omnibus fidei, rationis, ſenſuumque luminibus, omnes & ſingulæ Eccleſiæ, omnia Regna & Provinciæ, omnia Monaſteria, omnes familiæ, nullo advertente, nullo reclamante, in hæreſim corruerint, nec prolapſionem ullus obſervarit, nec eam ulli Sacerdotes accuſarint, nulli Religioſi deplorarint, nulli Epiſcopi damnarint, nulli concionatores arguerint, nulli ſcriptores reprehenderint vel meminerint, nulli hiſtorici memoriæ prodiderint, & ad ſenſus ſuos veros proferendos, ad avitamque fidem retinendam, nec charitate, nec religionis zelo, nec prudentia, nec cupiditate induci potuerint?

Certè de hac hæreſis nativitate nemo prudentiùs quàm de aliarum ortu diſcurrere poteſt. At nulla hactenus hæreſis Eccleſiam ſua novitate vexavit, quin continuò excitati à Deo fideles intrepidi novatoribus pro virili obſtiterint: quomodo ergo illa ſola totum orbem, nullo cogitante, nullo repugnante corrumpit? Ergo fides præſentiæ realis corporis Chriſti in Euchariſtia perpetuitate ſemper in Eccleſia gaviſa eſt, illique jure merito aſſeruntur tres illæ orthodoxæ doctrinæ teſſeræ à Lirinenſi celebratæ, antiquitas, univerſitas, conſenſio; quia nimirum fides noſtra ante hæreticos Berengarium & Calvinum ab Eccleſia in qua innutriti fuerant, & de qua exierunt damnatos, & ſemper, & ubique, & ab omnibus credita eſt.

Poſtrema perpetuitatis convictio à noviſſimis totius Orientis Chriſtiani teſtimoniis omni exceptione majoribus.

Dum huic ſpeculationi finem imponerem, venit in manus noſtras tomus tertius perpetuitatis Eccleſiæ Catholicæ de Euchariſtia fidei, in eadem eximii Doctoris Domini Arnaldi officina elaboratus, id eſt numeris omnibus abſolutus. Exhauſiſſe videbantur hanc materiam ſuperiores tomi: ſed quia Miniſtri Claudii in mentiendo inflexibilitas, ſtupente orbe terrarum in neganda Societatum Orientalium cum Romana circa Euchariſtiam conſenſione perſiſtebat, fuit neceſſitas copioſiùs dicendi res claras, ut eas non ſpectantibus intuendas (ut loquitur Auguſtinus *lib. 2. de Civit. cap. 1.*) ſed quodammodo tangendas palpantibus & non conniventibus liber ille offerret. Id autem adeò feliciter efficit, ut quamvis Claudii loquax vanitas & vana loquacitas poſſit plus clamare quàm veritas, nullus tamen, niſi oculis & ſenſui communi renuntiaverit, jam de illa conſenſione dubitaturus ſit. Etenim libro operis illius octavo non tam probationes quàm hujus conſenſionis manifeſtas deciſiones profert, dum ipſius Eccleſiæ Orientalis judicia poſt iſtam Domini Arnaldi & Miniſtri Claudii controverſiam causâ cognitâ lata, & ſole meridiano clariora in medium producit.

Relata fuerant ſuperioribus voluminibus tum liber Agapii, montis Athos Monachi; tum integra Synodus in inſula Cypri coacta, tum Catechiſmus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Venetiis 1635. typis mandatus; tum Confeſſio orthodoxa, cui quatuor Patriarchæ & varii Orientales Epiſcopi ſubſcripſere; tum Confeſſio Methodii Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Hilarionis Cicada majoris Eccleſiæ Theologi; tum octo Monachorum montis Athos, & Michaëlis Chortacii Cretenſis Presbyteri teſtificationes, aliaque permulta eam conſenſionem demonſtrantia.

His addunt ſeptem Orientalium Metropolitanorum teſtimonium datum Peræ 18 Julii 1671. ubi aſſerunt, *Calviniſtas Gallos Eccleſiam Orientalem impudenter calumniari, quamvis abſurda & eorum de Euchariſtia ſententia variis Conſtantinopoli coactis Conciliis contrita & reprobata ſit.* Ibidem ſe corporis Chriſti realem præſentiam, & panis & vini tranſubſtantiationem ſolis remanentibus accidentibus agnoſcere conteſtantur, ac oppoſitum ſentientes pernitioſi erroris damnant, & Calviniſtas Eccleſiæ Græcæ imponentes, *impudentes, furioſos, inſolentes* appellant. Idem teſtantur Eccleſiæ Archipelagi, ubi Calviniſtas Eccleſiam Græcam negatæ præſentiæ realis & tranſubſtantiationis accuſantes, *ſuperbos hæreticos, ſtultè opinantes, perversè ſentientes, injuſtis ſuſpicionibus Eccleſiam Græcam infamantes, iniquos impoſtores, Eccleſiæ Orientalis calumniatores, impudentes extraordinarios, ſine timore Dei calumniantes, ſtultos reprimendos, falſarum rumorum ſeminatores, mendaces* pleno ore appellant, & publicis teſtificationibus, atque Epiſcoporum, Abbatum, Sacerdotum, ac Monachorum ſubſcriptionibus confirmant.

Idem teſtimonium dederunt Abbas & Monachi Monaſterii Maromolani, 14. Octobris anni 1671. Idem etiam Panajotta Nicuſius litteris ſcriptis Adrianopoli, 20, Decembris 1671. ad Excellentiſſimum Dominum Carolum Franciſcum Olier, Marchionem de Nointel, ſacræ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ ad Portam Ottomanam Legatum miſſis atteſtatus eſt. In quibus hæreticorum *contra Eccleſiam Orientalem*, ut ipſe ait, *blaſphemias* confutaturus ſic ait: *Mirum ſanè eſt, Vir Excellentiſſimè, cur non pudeat Calvinianæ hæreſeos ſectatores, poſt tot Eccleſiæ Orientalis contra eos factas demonſtrationes, poſt tot actus Synodales typis evulgatos, poſt Cyrillianæ confeſſionis damnationem, poſt Meletii Sirigi Doctoris Eccleſiæ Orientalis prolixam ejuſdem refutationem, poſt denique ſæpe memoratæ Eccleſiæ fidei ſuæ confeſſionem omnium ferè Antiſtitum ſuorum unanimi conſenſu & confirmatione nuperrimè publicatam, tam impudenter & pertinaciter hanc Eccleſiam in conſortium pernitioſarum hæreſeon ſuarum advocare! Si enim Græcorum Eccleſiæ fidei confeſſionem ſcire cupiunt, quare eam ſolummodo à Cyrillo quater ob ſuſpicionem hæreſeos Sede Patriarchali à Græcis expulſo, poſt occiſo, ac ultimò publico anathemati tradito confeſſione petunt? Si quærant quid de vera & ſubſtantiali Ieſu-Chriſti Servatoris in divino Euchariſtiæ myſterio præſentia Græci credant, inſpiciant pauliſper libros officiorum Sacerdotalium, quos* εὐχολόγια *vocant, & perlegant orationes, quas quilibet Sacerdos ante & poſt Sacramentorum aſſumptionem tenetur abſolvere.* Et enumeratis libris variis quibus quid de interceſſione Sanctorum aliiſque controverſiarum capitibus ſentiendum ſit patet, quive *Venetiis impreſſi levi pretio coemi poſſunt*, ſubjungit: *Hic ſcrutentur Calviniſtæ, & invenient veram Orientalis Eccleſiæ confeſſionem, & non à Cyrillo ob perverſa ſua dogmata Sede expulſo, occiſo & damnato. Nec fingant ſibi miſerrimi Eccleſiam Græcam chimaricam eſſe, & non alibi quàm in ipſorum cerebris exiſtere, more modernorum Hebræorum, qui ſibi regnum à nullo viſum, nec auditum in qua mundi plaga ſitum ſit conſtituunt.*

Eandem cum Eccleſia Romana conſenſionem Abbates & Monachi in inſulis Principum commorantes Domino præfato de Nointel candidiſſimè teſtati ſunt, & verbis, factis, picturis, omnibuſque poſſibilibus ſignificationibus demonſtrarunt. Sed nihil magis authenticum, nihil certioris authoritas proferri poteſt teſtimonio Patriarchæ Conſtantinopolitani, trium Expatriarcharũ Conſtantinopolitanorum, Patriarchæ Alexandrini, & quinque ſupra tri-

triginta Metropolitanorum, quo non ſolùm omnes fermè articulos Catholicos inter & Calviniſtas controverſos ſe credere confirmarunt, ſed ſuam de Euchariſtia fidem his vocibus ſubſcriptionibus ſuis munitis Conſtantinopoli in domo Patriarchali, indictione vigeſima menſis Januarii anni 1672. luculentiſſimè expreſſerunt: *Quod terribile Euchariſtiæ Sacramentum credimus & ſine dubitatione confitemur vivum Domini noſtri Jeſu-Chriſti corpus eſſe inviſibiliter præſens præſentiâ reali in ſacramento. Nam operatione ſanctiſſimi Spiritus modo ſupernaturali & ineffabili panis in proprium Jeſu Chriſti corpus, & vinum in vivum ejuſdem ſanguinem realiter, verè, & propriè commutatur. Credimus etiam integrum Chriſtum afferri & ſeipſum offerre, ipſum integrum à recipientibus modo impaſſibili mãducari.::: Sacramentum hoc vera adoratione dignum eſt, in eo enim non minori venerationis cultu corpus Jeſu Chriſti Salvatoris à divinitate aſſumptum proſequimur, quàm ipſam divinitatem adoremus. Pro omnibus Chriſtianis Orthodoxis cùm vivis tùm vita functis in ſacrificium offertur.*

Eandem præſentiam realem & veram tranſubſtantiationem Epiſcopi Orientales Colchidis & Iberiæ ſe credere teſtati ſunt, quorum teſtificationem Pater Joſeph Maria Zampio Clericus Regularis, Hilationis præcipui Epiſcopi *Catholici* dicti ſyngraphe munitam ad præfatum Regis Chriſtianiſſimi Oratorem miſit. Eccleſiam præterea Græcam nihil à Romana in articulis Euchariſtiæ aliiſque permultis doctrinæ capitibus à Calviniſtis inficiatis diſſentire, tabulis publicis variarum ditionum Oratores Reſidentes appellati poſt multa cum Eccleſiæ Græcæ Epiſcopis colloquia habita, poſt ejuſdem Eccleſiæ fidem magnâ accuratione, & annorum multorum experientiâ perquiſitam teſtati ſunt. Ita legere eſt in litteris Andreæ Ridolphi Epiſcopi Calamniæ & Vicarii Apoſtolici, datis Kalendis Auguſti anni 1671. & Franciſci Caſimiri de Viſocha Regis Poloniæ ad Portam Othomanam Legati, datis Conſtantinopoli die 7. Septembris 1671. & Finibaldi Fieſchi pro Republica Genuenſi Reſidentis datis Conſtantinopoli 13. Auguſti 1672. & Marini Bernardi de Caboga, ac Georgii Secundi Brucchia Reipublicæ Raguſinæ ad Portam Otthomanam Legatorum, datis Adrianopoli 14. Octobris 1671. necnon totius Communitatis Perotarum, quibus novendecim ſubſcripſerunt, datis Peræ 2. Novembris 1671. Quis autem mentis compos ſuſpicari poſſet publicas & illuſtres perſonas cum manifeſto honoris ſui periculo falſitatis ſine negotio convincendæ teſtes eſſe voluiſſe? Et ſanè id ipſum fatentur Calviniani, præſertim verò Legati Angli & Batavi Conſtantinopoli commorantes, & pertinaciam Claudii demirantes; propriis enim oculis vident tam uniformem eſſe Græcorum cum Catholicis Romanis de Sacramentis, & nominatim de Euchariſtia ſenſum, ut Orientales ſuorum diſſidiorum obliti ſolos Catholicos ad ſua Sacramenta & ſepulturam admittant, Lutheranis & Calvinis prorſus eliminatis, ut manifeſtiſſimis relationibus Author operis de Perpetuitate Euchariſtiæ, *tom. 3. lib. 8. cap. 9.* demonſtrat.

Eandem fidei conſenſionem cum Lutheranorum & Calvinianorum dogmatum execratione teſtatur Nectarius Patriarcha Jeroſolymitanus litteris ad Paiſium Patriarcham Alexandrinum menſe Martio, anno 1672. ſcriptis. Eandem fidei conſonantiam teſtantur reſponſa Patriarchæ Conſtantinopolitani ad conſulta Moſcovitarum, in quibus habetur: *Mutatur panis in perfectum verè Corpus Chriſti, & vinum in perfectum verè ſanguinem Chriſti, ut nudæ relinquantur ſpecies panis, & nudæ ſpecies vini ſine eorum ſubſtantia.* Nihil etiam evidentius afferri poteſt authoritate libri *Confeſſionis Orthodoxæ*, Dionyſii Patriarchæ Conſtantinopolitani ſtudio ſecundò editi, cujus archetypus manuſcriptus ad Regem noſtrum Chriſtianiſſimum menſibus præteritis delatus eſt, in quo hæc habentur: *Animadvertendum eſt, ut Sacerdos talem habeat intentionem, quod ipſa vera ſubſtantia panis & ſubſtantia vini tranſubſtantientur in verum corpus & ſanguinem Chriſti. ::: Et tranſubſtantiantur panis in verum corpus Chriſti, & vinum in verum ſanguinem Chriſti, remanentibus ſolùm ſpeciebus viſibilibus.* Quod multis ibi confirmatur, additurque huic myſterio exhibendum eſſe honorem qui debetur ipſi Chriſto. Nihil præterea manifeſtius produci poteſt proceſſu Synodali à Doſitheo Patriarcha Jeroſolymitano in ipſa Synodi celebratione die 20. Martii 1672. edito, cui & ipſe Doſitheus Patriarcha, & Nectarius Expatriarcha, & ſex Metropolitani, & Archimandritæ, Presbyteri, Diaconi & Monachitres ſupra quinquaginta ſubſcripſerunt. Titulus hujuſmodi tractatus hic eſt: *Clypeus Fidei Orthodoxæ, ſeu Apologia adverſus hæreticos Calviniſtas, Eccleſiam Orientalem ſecum idem de Deo rebuſque divinis ſentire accuſantes: editus à Synodo Jeroſolymitana ſub Patriarcha Doſitheo.* In eo autem opere indignanti & ægro animo conqueruntur, quòd Calviniſtæ (quos *vaniloquos, Novatores, Hæreticos, mendacii architectos, apoſtatas, artificioſos Scripturæ & Patrum, hæreticorum more, expoſitores,*) poſt tot Græcorum Patriarcharum declarationes, poſt typis editam Confeſſionem Orthodoxam, poſt reprobatas & anathemate perculſas Cyrilli Lucari, vel ſaltem illi attributas impias reſponſiones, poſt ſolennes Iconomachorum & præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, & veram panis & vini in ejuſdem corpus & ſanguinem tranſubſtantiationem negantium ſingulis annis bis iteratas excommunicationes; poſt Gabrielis Archiepiſcopi Philadelphienſis, Gregorii Protoſyncelli, Theophani Patriarchæ Jeroſolymitani clariſſimas lucubrationes, Eccleſiam Græcam calumniari non ceſſent. Fidem autem præſentiæ realis & tranſubſtantiationis articulo 17. tam clarè exponunt, ut nihil in Tridentino habeatur apertius. Definitiones verbatim referre brevitatis gratiâ prætermittimus, Lectorem ad prælaudatum nunquam ſatis laudibus efferendi operis de perpetuitate Fidei tomi tertii librum octavum, tanquam ad fontem remittentes. Ibi etiam legere erit ſplendidiſſimum Georgii Patriarchæ Maronitarum teſtimonium datum die 12. Junii 20. Octobris 1671. & iterum 15. Novembris ejuſdem anni, & rursũ die 3. Maii 1673. Quibus Calviniſtarũ ſenſus nõ ſolum circa Euchariſtiam, ſed circa alia etiam omnia ferè doctrinæ capita, quibus à Catholicis Romanis diſſentiunt, graviſſimis cenſuris proſcribuntur, eorumq; calumniæ Eccleſiam Græcã in ſuarum conſortium hæreſeon advocantes depelluntur, quæ quamplus Epiſcopi, Sacerdotes, & laïci chirographo ſuo conſignarunt: & Gregorii Patriarchæ Syriæ teſtimonium, cui omnes Presbyteri Syri ſubſcripſere: & Matthæi Patriarchæ Cophtorum Jacobitarum teſtificationem, quâ aſſerit ſe nihil à Latinis Romanis circa realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam & tranſubſtantiationem diſſentire; & Cruciadoris Patriarchæ Armenorum teſtimonium authenticum datum in civitate Siſenſi anno 1672. quo hæreticorum Lutheranorum hæreſes deteſtatus ait: *Faxit Deus ut natio noſtra tantùm diſtet à talibus & ſimilibus erroribus Calviniſtarum & Lutheranorum, quantùm cœlum à terra. ::; Dicunt corpus Chriſti non eſſe realiter in Euchariſtia, ſed panem tantummodò & vinum, figuras & ſigna corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, qua vim & virtutem eorum recipientibus communicant. ::: Dicunt ſubſtantiam panis & vini non*

non converti in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panem & vinum manere poſt conſecrationem. Miſſam non eſſe verum ſacrificium propitiationis, nec debere offerri pro vivis & defunctis. incongruum eſſe adorare Chriſtum in Euchariſtia, imò nec poſſe adorari ſine idololatria. Enumerans deinde aliis hujuſmodi hæreticorum erroribus, ſic concludit: *Nos igitur ſupraſcriptus Cruciador Patriarcha, unà cùm noſtris Eccleſiaſticis, Epiſcopis, Doctoribus, & Presbyteris mox ut audivimus has ſuprà allatas propoſitiones mendaciis refertas, horrendas, ac totaliter, penituſque contrarias Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, ejuſdemque ſectatoribus, uti patet ſingulis, pro viribus conati ſumus è medio tollere ejuſmodi errores ac ſpurcitias huc uſque auribus noſtris inauditas. Imò abſit ut talium hæreſium ſola cogitatio in mentem noſtram incidat; quas potiùs ab ipſis toto animo abhorremus, tanquam à mortifero veneno, & adeo deteſtamur eas, ut ne quidem de ipſis aliquid audire velimus.* Cui cenſuræ quatuor Archepiſcopi variique Sacerdotes ſubſcripſerunt. Et teſtimonii Davidis Archiepiſcopi Civitatis Regis Spaham, ad Regem Chriſtianiſſimum à Natione Armena quæ verſatur in Perſia miſſum, datum in conventu Epiſcoporum & Doctorum 10. Decembris anni 1671. in quo Calviniſtas *Novatores, ponentes falſamine poſturam fingendo Armenos eſſe communicantes eorum malitiæ* appellant. Adduntque: *Credimus & dicimus Chriſtum habere corpus & naturam humanam, quod largitur pretioſè omnibus dignè accipientibus; & habemus firmum fundamentum in verbo Domini Matth. 26. Hoc eſt corpus meum & ſanguis meus, & non ſignum. Unde indubitatè adoramus Chriſtum in illo ſacramento; & ille qui talia non credit, ſit ipſi idololatria, nobis verò fidelibus eſt ſalutaris, atque optimus cultus. Pariter credimus eſſe veram propitiationem vivis & defunctis. Tales ſunt intentiones, Potentiſſime Rex, Epiſcoporum, & Doctorum Eccleſiæ Armenæ, quibus breviter oſtendimus Veracitati veſtræ quod non ſumus tales, ut diffamarunt nos recipientes talia enormia.*

Unica ad ſalutem, una ad honorem recuperandum via Miniſtro Claudio ſupereſt, ſi publicos errores publicè recantet.

Hæc & alia multa leges libro illo octavo tomi tertii Perpetuitatis. Quid dicturus eſt jam Claudius Charentonenſis Miniſter? Semperne mendacium tanta à ſe pertinacia aſſertum, quanti-quanti conſtet, propugnabit? Nunquamne veritati etiam viſæ concedet? Nunquamne communem ſenſum conſulet, ne orbi terrarum mendacium in os ingerat. Ubi pudor mentis, ubi rubor frontis, ô Claudi? Si mala cauſa vana te loqui coëgit, agnoſce tandem publicum ſcelus tuum, & publicam injuriam in Eccleſiam Græcam à te intentatam publicâ ſatisfactione ſarci. Incipe mendaciſſimis calumniis tuis modum aliquando imponere, & innocentiſſimos totius Orientis Chriſtiani de Euchariſtia ſenſus tuis ſcriptiunculis crudeliſſimè lacerare. Si ullus in te prudentiæ radius ſupereſt, ſi hæreſi nondum tuâ omnes conſcientiæ ſtimuli extincti ſint, manifeſto te hactenus tentum fuiſſe flagitio fatere. Nullus jam tibi tergiverſandi locus, prorſuſque recuſare, non potes quin manifeſtos calumniator audias: diutiùs quàm par erat credulis tecum errantium mentibus impoſuiſti, Claudi; diutiùs univerſæ Galliæ mendaciis tuis illuſiſti. Nunc eſt ut Græcis reſtitui famam oporteat, quibus eam maledictis tuis eripuiſti, dum in eos falſa dogmata contuliſti. Si nulla ſalutis propriæ cura te angit, nulla te benè ſuſcepta cogitatio ciet, ſollicitet te certè tot ſimplicium & incautè tibi credulorum ſalus, qui hæreſeos & calumniæ venenum à te hauſtum in alios peræque credulos cum animæ ſuæ exitio diffundunt.

Itàne ſummam tibi poteſtatem, ſummũ in hominum fidem jus arrogaſti, ut totum mundum bruteſcere, totum mundum inſanire, totum mundum oculis orbum, te ſolum illuminatum eſſe perſuadere conniteris? O te ſtultum ſi hominibus ratione præditis hæc ſuadere ſperas! O te ſceleſtum, ſive illa tibi perſuaſiſti, ſive quod verius eſt aliis quæ falſa noſti, perſuadere coneris; tamen Divino quidem ſupremi Numinis nutu proviſum eſt, ut furioſa illa mentiendi & manifeſtiſſimi facti negandi contumacia ſecum afferret veneni ſui medicinam, cùm ea petulanter protuleris quæ falſi nomine inſcripto arceſſit orbis ſub oriente Sole totus; ſed nunquam dimittetur tibi peccatum, niſi reſtitueris ablatum, & publica mendacia publicè recantes.

Perfugium in mendacio quæſiviſti, poſuiſti mendacium ſpem tuam, mendacio veluti ſcuto, non veritate circumdatus es; ſperaſti in calumnia & in tumultu, locaſti in impoſturis fiduciam tuam; & en tibi, ut minatur per Prophetam Deus, *iniquitas hæc ſicut irruptio cadens, & requiſita in muro excelſo. Veniet contritio ejus, & comminuetur ſicut comminuitur lagena figuli contritione pervalidâ; & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. Pro eo* (inquit Ezechiel) *quod mœrore feciſti cor juſti mendaciter, & confortaſti manus impii, ut non reverteretur à via ſua mala, & viveret: propterea vana non videbis, & divinationes non divinabis ampliùs.* Si veritas à te ſtaret, ad mendacium non confugiſſes: ſi ipſi pugnaſſes, tibi ipſa pugnaſſet, tibi viciſſet: ſed contra te vincit, quia tibi ſemper infeſta fuit. Humanum quidem fuit te falli, ſed notum tibi mendacium palam, apertè, aſſeveranter inſpectante & ſtupente orbe Chriſtiano confirmare, ſicut inuſitatum & horrendum, ita ad extremum ſceleris cumulum veniſſe eſt. Hæc tua ſors, ô Claudi, qui pondere veritatis oppreſſus, & adverſus eam tibi perſpectam furens rabidis & irritis morſibus in tuis te vinculis jactas, ſimulque prodis & quantùm veritatem oderis, & quantùm adversùs eam nihil poſſis.

Si tot teſtimoniis fidem adhuc detrectet Claudius, fortè de mendacio ineruditionis ſuæ confundetur viſis *Marci Doni Cretenſis* ad Claudii conſulta reſpondentis litteris datis in Arce Zacynthi die 21. Maii anni 1672. ex quibus hæc pauca excerpo. Attinge aures Claudi: *Cùm ad me delati fuiſſent articuli quidam deſcripti ut fertur ex latere Dominationis tuæ illuſtriſſimæ, in quibus quæritur, quid ſancta Mater noſtra Orientalis Eccleſia ſentiat de Tranſubſtantiatione panis & vini in ſacramento Euchariſtiæ, operæpretium duxi ejus ſententiam patefacere.*

Notum ſit itaque tibi, præſtantiſſime vir, quod totus Oriens conſentientem habens & Occidentem credidit ſemper & credit à primis Eccleſiæ incunabulis, panem & vinum verè & phyſicè tranſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti, depoſita prima ſubſtantia, & hanc tranſubſtantiationem tenet inter articulos fidei neceſſarios, adeo ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitus rejicere. Hanc autem fidem habuit à Chriſto & poſt ſucceſſionem ab Apoſtolis & à Patribus primitivæ Eccleſiæ, qui columnæ fuerunt & fundamentum orthodoxiæ Græcanicæ. Et quod hoc fatetur, pates ex facto. Quemcunque enim de hoc ſacramento interrogaveris, ſtatim tibi affirmabit hanc μετουσίωσιν; in quo edoceri potes à cardinibus & Sacerdotibus ſanctæ noſtræ Eccleſiæ, qui neminem

per-

permittunt participem fieri ſanctiſſimi corporis & pretioſiſſimi ſanguinis, niſi priùs hanc edat confeſſionem. ::: *Ex quibus clarè conſtat ſanctam noſtram Eccleſiam hanc tranſubſtantiationem firmiter credere.*

Quod verò ſic ſemper crediderit, probatur inexplicabili conjecturâ, quia hæc fides non fuit de novo introducta in Eccleſia Dei. Omnes enim novitates, quæ ſanctam turbarunt Eccleſiam, habuerunt proprios authores, ut nos docent hiſtoriæ. At hujus fidei nullus è neotericis fuit author. Ergo hanc novit ab antiquitate. Quod ſi quem habetis hujus vos authorem, oſtendite, & in priſtinam orthodoxiam redibimus. Nec fas eſt calumniari quemquam Patriarcharum noſtrorum, vel Romanorum Pontificum, cùm talis calumniæ nulla conſtare poſſit probatio. Extant enim integra monumenta antiquitatis; extant hiſtoriarum Annales, in quibus tale quid nec legimus unquam, nec vidimus. ::: *Romana enim Eccleſia nunquam à noſtra diſcrepavit in hoc articulo. Ergo ſic ipſa quoque ab initio credidit.*

Confirmatâ deinde eadem fide authoritate Scripturæ, Apoſtolorum, Concilii Epheſini, Chryſoſtomi *hom. 45. in Ioan.* Nyſſeni *orat. catechet. cap. 37.* Damaſceni *lib. 4.* Ambroſii *lib. de Sacramentis*, exemplis creationis rerum ex nihilo, converſionum phyſicarum quas natura operatur, ſolutione objectionum quas ab inconvenientibus & à ſenſibus petere Calviniſtæ aſſolent, ſubjungit: *Noſtra ſancta Eccleſia adorat corpus in Euchariſtia adoratione latriæ, deificum enim eſt. Non eſt in uſu apud nos circumferre corpus ſanctiſſimum per plateas & vicos, magnâ ſequente populorum catervâ: non damnamus tamen quod pietate fit in honorem & gloriam Dei.* Et ſic tandem concludit: *Abhorret Eccleſia noſtra ab illa doctrina quam docent Reformati, nempe illud idem quod ſecundùm naturam panis eſt, myſticè & ſecundùm gratiam ſanctificationis eſſe corpus. Credit enim corpus eſſe non myſticè, ſed verè & phyſicè, adeo ut per tranſmutationem ſubſtantia panis eſſe deſinat. Tranſmutationem enim pro tranſubſtantiatione accipimus.* Qui habet aures audiendi audiat.

Hæc autem quæcumque dixi, non à perſonæ tuæ mihi prorſus ignotæ, ô Claudi, odio vel animi in te malignitate ulla profecta putes. Nihil à propoſito meo, nihil ab indole mea alienius. Vehementiam tam juſtam illam, tam neceſſariam illam in mendacia evidentiſſima tua, quibus totum Chriſtianiſmum Græcum per ſummam injuriam infamaſti, à me extorſit perfectum odium à Davide commendatum, quo vitia inſectari, perſonas diligere jubemur. Si quid acerbè ſi quid acriter in te dictum putes, totum in librorum tuorum mendacia luculenta & ſub ſenſum cadentia ſcias eſſe conjectum, nihil in te, quem non Chriſtiana ſolùm charitas, ſed ejuſdem etiam regni, & provinciæ, ut quidam teſtati ſunt, communio ſincerè diligere præcipit. Hoc tibi perſuadeas iterum atque iterum rogo, me talem animi induiſſe habitum, quem omnibus alibi laudatus præcipit Auguſtinus: *Diligite homines, interficite errores; ſine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſævitia pro veritate certate. Orate pro eis quos redarguitis atque convincitis.* Acriora illa verba mea res ipſæ & ſenſibilis veritas obfirmatè à te negata rapuerunt.

Si ſuperiores tomos meos vidiſti, omni me humanitate & urbanitate Calvinianos tuos conveniſſe deprehendere potuiſti; quia ut ab Auguſtino didici & alibi monui, ſcio cum quo labore verum invenitur, quàm difficile caveantur errores, quàm rarum & arduum ſit hauſtas cum lacte hæreſes ſanato mentis oculo ſuperare. Quare ergo, inquies, ſtilum in me tuum acerbaſti nihil tale à te promeritum? Reſpondeo breviter ob triplicem rationem oppoſitam, quia verum ſine labore inventum impugnaſti, quia errores non cautu difficiles, ſed palpabiles defendiſti, quia falſitatem non cum lacte hauſtam, ſed repugnante etiam natura & bona fide, quæ viros ingenuos decet, à te aſſertam inflexibiliter venditare, ſuffulcire, propugnare, diſſeminare, & ignaris incautiſque inſtillare molitus es, & contrectabilem, falſitatem toti Orienti injurioſam ſuper tecta prædicaſti, in libris publici juris factis ſparſiſti, in aulas Principum, in familias privatorum, in Curias Magiſtratuum omni quâ vales & abuteris arte rebellis lumini, & ut ait Scriptura, *erecto collo* invexiſti, ut frontem non tam duraſſe, quàm perdidiſſe videaris. Hanc ergo acrimoniam in publica peccata tua publicè ex Apoſtoli mandato arguenda latam ab aſſertionum tuarum pravitate & in noto errore tuo defendendo pertinacia profectam certiſſimè credas. Unum conſilium meum fuit, & Latinæ Eccleſiæ fidei perpetuitatem defendere, & Græcam à tuarum calumniarum dedecore vindicare. Vituperia in laudes lubentiùs commutabo, ſi errores tuos chriſtiana ſinceritate fateare. Hac juſtitiâ & læſis Græcis ſatisfacies, & conſcientiæ tuæ, atque etiam vero honori conſules. Quia verum & unum dedecus in ſuſcipienda falſitate, in fovendis erroribus ſitum: contrà, nefarias & apertè falſas opiniones abjicere, glorioſum & prædicandum eſt. Hoc veriſſimum decus, quod in manibus habes, ſi benè vebs, tibi opto & popularis amore, & Chriſtiani charitate.

Reflexio,

Et apoſtrophe ad Calviniſtas.

NOn dubito, ô Calviniani, quin tanta tam ſplendentis Chriſtiani orbis in agnoſcenda reali Chriſti in Euchariſtiæ præſentiæ conſenſionis lux in oculos ultrò incurrens aciem veſtram perſtringat, mentemque nondum penitus à Deo deſertam commoveat. Cur ergo ad Catholicam, unde diſceſſiſtis, redire cunctamini, ſub cujus nido tuti plumeſcunt parvuli, adoleſcunt grandiores, firmantur viri, paſcuntur omnes? Conſiderate Patres veſtros, primos inquam Sacramentarios, ſchiſmatis & errorum veſtrorum architectos, origine fuiſſe Catholicos, ex Eccleſia Romana oriundos, à qua quos retinent articulos fidei didicerunt, Sacramenta acceperunt, Scripturas mutuati ſunt: cur igitur Eccleſiam illam originalem, matricem, radicalem eo in articulo deſeritis, cui ſubſcribit orbis terrarum? Scilicet toto mundo obſcurato vobis unis veritas fulgidior affulſit, ut illi veſtrum præferatis judicium, de qua Chriſtus quod nunquam deficeret præbuit teſtimonium? Quæſtis vos & tam novi & tam pauci, quos nihil dignum authoritate proferentes Eccleſiæ fidei perpetuitati & ſexdecim ſæculorum confeſſioni anteponamus? Audite tandem venerandum Chriſtianorum omnium, vobis unis exceptis, non tam chorum quàm turbam magnam, quam dinumerare nemo poteſt, ore vobis Paulini & Auguſtini dicentem: *Vacare non poteſt quod univerſa facit, orat, & adorat Eccleſia.* Et iterum: *Si quid univerſaliter per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſima eſt inſania.*

Siccine tam abſurdè creditis univerſam ante vos Eccleſiam inſenſibili & generali errore corruptam, ut & in capite & in membris, & ubique & ſemper, & in omnibus & in ſingulis, nullo reverente, nullo

fuerit

fuerit Catholico repugnante prolapſa; Chriſtique ſponſa in idolum divinis honoribus unanimi conſenſione coluiſſe, & tam infandâ idololatriâ ſponſi ſui iram perpetuò provocaſſe? Siccine omnes Martyris idololatriæ teſtes, Patres idololatriæ doctores, Epiſcopos & Presbyteros idoli & ſuperſtitionis Sacerdotes, Eccleſiam ſub cœlo totam idololatrarum ſocietatem extitiſſe, ſubindeque Chriſtum Eccleſiam deſeruiſſe univerſam, & conſummatorem fidei defectionem fidei univerſalem contra ſponſiones ſuas permiſiſſe? Siccine verba iniquorum prævaluerunt ſuper omnes Catholicos? Siccine verè mendacium coluerunt Patres noſtri, & vanitatem quæ eis non profuit? Quomodo, quæſo, tantus error ſenſerit vel illuſionem tam craſſam in articulo quotidianæ praxis & cultûs agnoverit?

Berengarium quidem proferre poteſtis hæreſis veſtræ præcurſorum: ſed in illum continuò Pontifices, Doctores, Concilia, & Eccleſia univerſa inſurrexerunt. Ejus doctrinam *fidei Catholicæ contrariam, univerſalem Eccleſiam ſcandalizare*, Adelmanus condiſcipulus, & Hugo Lingonenſis ſcriptis ad eum litteris conteſtati ſunt. Et confeſtim exprobravit Lanfrancus, *ſuperbia faſtu plenum contra orbem ſentire cœpiſſe: contra Catholicam veritatem, & contra omnium Eccleſiarum opinionem ſcriptum condidiſſe. Hanc fidem* (inquid cap. 22.) *tenuit priſcis temporibus, & nunc tenet Eccleſia, quæ per totum diffuſa orbem Catholica nominatur. Omnes enim qui Chriſtiani ſe & eſſe & dici lætantur, veram Chriſti carnem, verumque ejus ſanguinem, utraq; ſumpta de Virgine, in hoc ſacramento ſe percipere glorìantur. Interroga univerſos, qui Latinæ linguæ noſtrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, ſeu cujuſlibet nationis quoſcumque Chriſtianos homines: uno ore hanc fidem ſe teſtantur habere. Porrò ſi univerſalis Eccleſiæ fides falſa exiſtit, aut nunquam fuit Catholica Eccleſia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum quàm perniciosus error. Sed non fuiſſe aut periiſſe Eccleſiam Catholicam nemo conſenſerit.* Illi objecit Guitmundus Epiſcopus Averſanus, ejus errori *neque vel unam villulam conceſſiſſe*. Et iterum: *Si quis qualitatem vel flagitioſam vitam eorum per quos uſcumque pullulavit; ſi quis nullum ſincera vitæ hominem, nullum penitus ſapientem; ſi demum non ſolum Concilia, ſed etiam totum orbem terrarum contradicentem penſet tacente noſtra diſputatione quid magis tenendum ſit, ſatis ut arbitror judicabit. Et rurſum, Notiſſimum eſt, hoc tempore, priuſquam Berengarius inſaniſſet, hujuſmodi veſanias nunquam fuiſſe. Impanari vel invinari Chriſtum nulla ſicut oſtendimus expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Chriſtus oſtendit, nec Apoſtoli prædicaverunt, nec mundus, exceptis his pauciſſimis hæreticis, credidit.* Quâ facti evidentiâ ipſe Berengarius palinodiam cecinit, ab Eccleſiamque, quam ſuâ interturbare novitate molitus fuerat, tandem aliquando, ut poſteà clarebit, reverſus eſt.

Secuti eſtis errantem, ſequimini pœnitentem. Ergo revertimini ad unam ſanctam, Catholicamque matrem inter dolores Crucifixi parturientis natam, ad Apoſtolis ſatam propagatamque à Patribus depoſitum cuſtodientibus defenſam, miraculis infinitis illuſtratam, Sanctis omne genus decoratam. Cur illi præfertis ſectam novellam ab errabundis ſchiſmaticis confictam, à furioſis non virtute ex alto indutis, ſed armis communitis invectam; à Chriſtianorum tortoribus, non à Chriſti Martyribus; à monachis & ſacrificulis deſertoribus & ſacrarum virginum corruptoribus prædicatam? Itàne perpetuæ Eccleſiæ traditioni & orbis univerſi conſenſioni deplorandam veſtram & miſerabilem Petrobuſianorum, Henricianorum, Vvaldenſium, Albigenſium, Huſſitarumque, aliorumque infamium hominum traditionem & tantoperè interruptam atque in Eccleſiam inviſibilem à vobis ipſis ablegatam conſenſionem anteponitis, & Civitati ſanctæ ſupra montem poſitæ & aſpectabili præfertis; Itàne ſanctos Bernardum, Ludovicum, Dominicum, Franciſcum, aliosque ſine fine anteriores & poſteriores viros pietate & eruditione inſignes Luthero Auguſtiniani Ordinis apoſtatæ, Calvino Eccleſiæ Noviodunenſis excanonico poſtponitis; Si difficultates Euchariſtiæ opponitis, cur non potiùs intellectum in obſequium fidei tutò captivatis, quàm Eccleſiæ univerſalis ſplendorem & micantem credibilitatem abjicitis, rati quod fides non habet meritum ubi humana ratio præbet experimentum. memores etiam illius ab Hilario veridicè lib. 10. de Trinitate ſcripti: *Nec per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere ſollicitat: in abſoluta nobis & facili* (id eſt per fidem à difficultatibus abſolutam, eaſque authoritate Dei ſufficientem) *eſt æternitas*. Quia ut ait lib. 7. *Non eſt relictis hominum eloquiis de Dei rebus alius quàm Dei ſermo?* Difficultatum tenebras objicitis & perpetuæ fidei conſenſiones non videtis? An neſcitis quod *ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*? id eſt fidem eſſe difficultatibus tenebroſam & evidenti credibilitate luminoſam, quippe quæ lucerna eſt lucens in caliginoſo loco, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt?

Venite itaque ad Eccleſiam, cujus de vobis reportata victoria felicitas veſtra erit. Extendet brachia materna redeuntibus ad ſinum, quia non vult niſi veritate vincere, charitate ſuperare. *Non enim*, ut Auguſtinus ſcripſit, *vincit niſi veritas, victoria veritatis eſt charitas.* Veritati cedite volentes, à qua etiam inviti ſuperabimini; cedite libenter, quia cedet victoria victis, & converſos lætificabit lumine Deus, qui averſos punit cæcitate.

Legite ſi placet eximium & invincibile Domini Arnaldi opus; jam enim nulla vobis ſupereſt veſtræ de Euchariſtia hæreſeos excuſatio. Sufficit communis pietatis & rationis ſenſus, ſufficiunt communes fidei religioniſque notiones, ut ejus lectione veritas pateſcat, exterminentur errores, & voluntariòs vos victos fateamini. Deſinite poſt deſertam Religionem & exutam in matrem Eccleſiam pietatem, centrum religionis & cor pietatis invadere. Deſinite poſt ſciſſam Eccleſiæ unitatem myſterium illud evertere moliri, quod unitatis Eccleſiæ ſymbolum & ſacratiſſimum fidelium omnium vinculum à Patribus jure merito appellatum eſt. Deſinite Eccleſiam donorum omnium pretioſiſſimo orbare eniti, & figuram ſufficere veritati. Cernite orbem terrarum Latinum pariter & Græcum, qui ſedulus & cautus divini Euchariſtiæ depoſiti cuſtos, nihil in eo unquam permutavit. Cernite ſophiſmatum veſtrorum vanitatem, quibus cum veſtro Miniſtro Claudio agnitæ & palpabilis Chriſtianiſmi totius (vobis unis demptis) conſenſionis impugnatore, dum Eccleſiam Romanam infamare cum Chamo nitimini, Chriſtum efficitis nec ſincerum in verbis, nec fidelem in promiſſis, nec magnificum in donis. Cernite tandem veſtram de Euchariſtia hæreſim eſſe manifeſtam; & cùm ſummarum rerum agatur, cum falſam partem ſempiterna mors devoret, veram autẽ vita æterna coronet, ſuſcipite divinæ Euchariſtiæ antiquitatem, univerſitatem, conſenſionem: ſuſcipite quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus Catholicis ſuſceptum eſt. Convictis Claudii mendaciis aſſenſum ne præbete ne vos fallite, ne vobis fruſtra blandimini. Timete, ne ſicut maledici Claudii linguæ diabolus inſedit vos ut falleret, ita auribus veſtris maledictum illum audientibus inſideat ut fallamini. Cavete ne velociter currens men-

mendax ſermo ejus rabe vos malitiæ ſuæ incniat, quia ſicut maledici regnum Dei non poſſidebunt, ita qui mendaciis præſertim deprehenſis aures præbent, Dei regno æternùm excident.

CAPUT II.

Vera tranſubſtantiatio adverſus Lutheranos ſtabilitur.

DEmonſtratâ rationibus theologicis adverſus Calvinianos reali corporis Chriſti in Eucharistia præſentiâ, nobis cum Lutheranis pugnandum eſt. Etſi enim Lutherus Chriſtum ab Euchariſtia tollere, & realem corporis ſanguiniſque præſentiam inficiari peroptaret, veritate tamen coactus ralem invehere errorem non auſus eſt. *Vellem* (verba ſunt Hæreſiarchæ epiſt. ad Argentinenſes) *quod poſſet mihi aliquis perſuadere, nihil eſſe in Euchariſtia præter panem & vinum, magno ille beneficio me devinciret. Iam ſæpe gravibus curis in hac materia deſudavi verùm ego me captum video, nulla elabendi via relicta eſt, textus Evangelii nimis eſt apertus.* Quare corpus Chriſti in Euchariſtia realiter præſens agnovit, at ſimul ſubſtantiam panis permanere contendit, unde ejus ſectatores *Impanatores*; ſeu *Paniſtæ* vocati ſunt. Catholicæ autem Eccleſiæ doctrina aſſerit, non ſolùm poſt panis & vini conſecrationem Chriſtum Dominum Deum & hominem verè, realiter, & ſubſtantialiter ſub illarum rerum ſentibilium ſpecie contineri, ſed etiam fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus; quæ converſio ab Eccleſia Catholica Tranſubſtantiatio nominatur. Antequam verò hæc orthodoxa fides ſtabiliatur, non inutile erit ſi varios, qui in Euchariſtiam inſurrexerunt, hæreticorum errores in medium proferamus, magis ut veritatis Catholicæ conſtantia & perpetuitas clareſcat.

SPECULATIO I.

Divina Euchariſtiæ hoſtes & hoſtilitates ordine recenſentur.

QUi in Euchariſtiæ veritatem inſurrexerunt primi fuerunt Capharnaïtæ, nonnulliq; diſcipuli Domini, qui auditis verbis Salvatoris *Ioan. 6.* abierût retrò, & dixerunt: *Durus eſt hic ſermo.* Illos ſequuti ſunt primum Simon Magus, qui veram Chriſti carnem rejiciens, panem in Chriſti corpus converti inficiabatur, Altariſque oblationem repudiabat, ut Theodoretus ex S. Ignatio refert *dialogo 3.* Sequuti ſunt deinde quotquot circa perſonam Chriſti Domini, ſive veritatem corporis & humanitatis negantes, ſive divinitatem humanitati hypoſtaticè uniti inficiantes erraverunt. Illi enim, ut refert Lanfrancus, panem & vinum in veram Filii hominis carnem, verumque ejus ſanguinem converti fatebantur: at quis eſſet ille filius hominis, diverſimodè exponebant. Quidam enim arbitrabantur hunc oportere intelligi quemlibet hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, in cujus carnem & ſanguinem converſa terrena ſubſtantia ſumeretur in remiſſionem peccatorum. Alii verò exiſtimabant, non hunc eſſe quemlibet de turba hominum, ſed virum juſtum, ſanctum, & à communi hominum vita ſingulari vitæ celſitudine ſegregatum, in cujus carnem & ſanguinem poſſe commutari panem vinumque altaris hæreticâ pertinaciâ delirabant. Quæ hæreſis, inquit, tempore Cœleſtini exorta à Concilio Epheſino damnata eſt, ubi & ea fides roborata eſt, quâ credimus panem converti in eam carnem quæ in cruce pependit, vinumque in eum ſanguinem qui de pendentis latere in cruce emanavit. Undecimi declaratione undecimi anathematiſmi juſſu Synodi à S. Cyrillo factâ hæc habentur: *Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus, corpus quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem non communis nobiſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes; ſed potiùs tanquam proprium corpus effectum & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat accipientes; ſiquidem communis caro vivificare non poteſt. Et hoc Salvator ipſe teſtatum facit: Caro, inquiens, non prodeſt quidquam, ſpiritus eſt qui vivificat. Quia verò caro Verbi facta eſt propria, ob id intelligitur & eſt vivifica, quemadmodum ipſe Salvator ait: Sicut miſit me vivens Pater, &c.*

Quartò circa octavum ſæculum, ut S. Joannes Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 14.* indicat, nonnulli arbitrati ſunt in Euchariſtia non verum corpus & ſanguinem Chriſti, ſed illius duntaxat figuram inveniri. Quod confutans vir ſanctus ait: *Abſit verò hoc, ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente: hoc eſt meum (non figura corporis) ſed corpus; & non figura ſanguinis, ſed ſanguis.*

Quintò ſignificat etiam inibi S. Damaſcenus ſub illa tempora extitiſſe nonnullos ſuſtinentes corpus Chriſti eſſe quidem in Euchariſtia, ſed corruptibile, atque in ſeceſſum, non ſecus ac cibum communem abiens, quos idem Sanctus refellens: *Hæc eſt*, inquit, *pura hoſtia & incruenta, quam ab ortu uſque ad occaſum ipſi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabilimentum animæ noſtræ & corporis, inconſumptum & incorruptum, non in ſeceſſum iens (abſit enim) ſed in noſtram ſubſtantiam & converſationem, omnimodæ moleſtiæ reparatio, ſordis omnis purgatio.*

Hinc hæretici illi Stercoraniſtæ vocati ſunt. De illis ita loquitur Algerus lib. 2. de Sacramento corporis & ſanguinis Dominici, cap. 1. *Diximus ſuperiùs, non minùs ore corporis quàm ore cordis corpus Domini eſſe ſumendum: ſed ex hac ipſa viſibili & corporali comeſtione quæ Sacramento tenùs fit, naſcitur fœdiſſima hæreſis Stercoraniſtarum. Dicunt enim tantum Sacramentum ſicut corporali comeſtioni, ſic & ſeceſſui eſſe obnoxium.* Et infra poſtquam ſtatuit accidentia panis exiſtere per ſe, ſubdit: *Non eſt ibi de corpore ſuſpicandum, ubi non eſt aliqua hujus fœditatis natura, ſed tantummodò divinæ virtutis miraculum. Non ſunt igitur obſervanda Græcorum hæreticorum, qui meritò Stercoraniſtæ vocantur, deliramenta, qui dicunt participatione corporis & ſanguinis Chriſti ſolvi Eccleſiaſtica jejunia uſque ad crapulam & ebrietatem, ventriſque diſtenſionem, putantes cœleſtem ſubſtantiam velut terrenam indifferenter accipi, & in ſordidum ventris ſeceſſum emitti.* Ejuſdem hæreſis mentionem facit Humbertus contra Nicetam, atque crediditſſe Stercoraniſtas participatione corporis & ſanguinis Domini diſſolvi quadrageſimalia & Eccleſiaſtica jejunia, & cœleſtem eſcam velut terrenam in ſeceſſum dimitti per dejectionem ſicut cæterum olidum in latrinam. Ejuſdem fœtidiſſimi erroris meminit Durandus Troarenſis *lib. de corpore & ſanguine Chriſti, part. 3. & 4.* necnon Paſchaſius Abbas Corbeienſis *lib. de corpore & ſanguine Domini, cap. 20.*

Ex quibus patet 1. falsò ſcripſiſſe Fauchetum *lib. 9. cap. 7.* Stercoraniſtas non alios fuiſſe ab iis, qui ſolum panem ſolumque vinum ore corporis percipi cenſuerunt, quæ ſumpta in ſtomachum & deinde in ſeceſſum ſicut cæteri cibi mittuntur. Patet, inquam, id eſſe falſum, cum ex relatis Authoribus conſtet Stercoraniſtarum hæreſim de orthodoxa doctrina per-

na perversè intellecta effrenatam, in eoque eſſe ſitam, quod crederent cœleſtem eſcam velut terrenam indifferenter accipi, & in ſordidum ventris ſeceſſum emitti.

Patet 2. impoſtura cujuſdam Maræſii, qui ſcribere non erubuit Stercoraniſtas non eſſe quærendos extra Papatum; nullus enim Catholicus unquam ſcripſit vel ſomniavit corpus Chriſti in Euchariſtia ſumptum corruptioni, & ſeceſſui eſſe obnoxium, ſed potiùs oppoſitum ſentientes, tanquam hæreticos Eccleſia Romana damnavit, ut ex Authoribus memoratis evidentiſſimum eſt. Unde Maræſii illius turpiloquium & putidiſſimum mendacium eſt ipſis Stercoraniſtarum ſordibus fœdius & graveolentiùs.

Sextò difficultas eſt de Bertramo, ſeu Ratramno, qui authore Flodoardo *lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis. cap. 15. & 28.* primùm Corbeienſis Monachus & Presbyter, deinde Abbas Orbacenſis fuit, ſcripſitque librum de corpore & ſanguine Domini circa annum Chriſti 850 à Carolo Calvo Caroli Magni nepote juſſus. Porrò authorem illum ſuum eſſe non ſolùm gloriantur Calviniſtæ, ſed illum etiam è Catholicis Genebrardus in Chronologia, & Bellarminus *lib. 1. de Euchariſt. cap. 1.* hæreticis accenſent. Alii Catholicum fuiſſe cenſent, ut Santeſius *repetitione 2. de Euchariſt. cap. 14.* ſed contendunt librum illum falſo attribui Bertramo. Aliqui cum Cardinali Perronio Catholicum agnoſcunt Bertramum, ſicut & libri præfati authorem, ſed hæreticorum artibus, Oecolampadii præſertim, qui opus illud primus publici juris fecit, operâ vitiatum eſſe atque corruptum: ſolent enim hæretici Catholicorum operibus, quorum editionibus adornandis invigilant, nonnulla aſſuere, ſuis ut erroribus patronos aſciſcant. Quod variis experimentis comprobari facilè poſſet, ſed uno ſatis exemplo præſenti inſtituto accommodatiſſimo confirmatur. Uſſerius namque Armacanus *Goteſcalcana hiſtoria cap. 11.* ait Bertramum librum de nativitate Chriſti ſcripſiſſe, in eoque eandem quæ in libro de corpore Domini continetur, doctrinam expreſſiſſe; quam manifeſtam impoſturam retexerunt viri locupletiſſimi ex illius libri apographo, in quo nihil prorſus de difficultate illa ſermonis habetur.

Quæ in hac opinantium varietate veriſimiliora apparēt paucis explicabo. In primis Bertramum fuiſſe virum catholicum, & ſcripſiſſe librum de corpore Chriſti, teſtatur Trithemius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi ait Bertramum Monachum & Presbyterum in divinis fuiſſe Scripturis valde peritum, nec minùs vita quàm doctrinâ inſignem; additque ſcripſiſſe multa præclara opuſcula, & inter alia librum de corpore & ſanguine Domini: his autem elogiis Bertramum Trithemius Abbas Catholicus non eveheret, ſi catholicum de Euchariſtia dogma Bertramus impugnaſſet. Quod & affirmat Sigebertus de Scriptoribus Eccleſiaſticis capite 96. Accedit quod per totos 700. annos nemo Bertramum hæreſeos reprehendit, quaſi malè ſcripſerit, ſed in catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum ut vir non minus vita, quàm ingenio, doctrina, & eloquio inſignis relatus eſt. Deinde in diſputationibus tempore Berengarii habitis, Catholici Bertramo proximi hæreſis illum nunquam inſimulavere, nec Berengarius opus Bertrami in ſuæ cauſæ ſubſidium unquam adhibuit, tanti viri celebre opus juſſu Regis occaſione graviſſimæ controverſiæ elaboratum minimè taciturus, ſi quid illi de ſua potuiſſet hæreſi acceptum referre; ſicut nec Joannis Scoti, de quo poſtea, opus prætermittebat, ſed ſummis potiùs laudibus extollebat, ſuam ut inde hæreſim confirmaret. Denique in Concilio Vercellenſi, in quo & Berengarius damnatus, & liber Scoti cenſurâ inuſtus, nec Bertrami fides, nec opera accuſata ſunt.

Probabilius etiam eſt opus Bertrami, etſi vitiatum fortaſſis non fuerit fraudibus hæreticorum, poſſe tamen ab eorum calumniis vindicari. Teſtatur Cardinalis Perronius, repertum fuiſſe manuſcriptum ſub Bertrami nomine codicem, exemplaribus per Oecolampadium editis planè perſimilem, unde utrum opus illud corruptum fuerit necne, ægrè definiverim. Sed utut ſit, contendimus librum de corpore Chriſti Bertramo aſſertum non reddere fidem Authoris illius ſuſpectam, imò quamplurima doctrinam Catholicam exertè confirmare, alia veró ſubobſcuriora facili & benigno poſſe interpretamento ad ſenſum orthodoxum reduci. Etenim mens alicujus Authoris ex ſententiis obſcuris & à viris conſtantiſſimè Catholicis uſurpari interdum ſolitis nō rectè colligitur, nec oportet quæ certa & manifeſta ſunt, ex dubiis & incertis exponi, ſed potiùs obſcura, dubia & ambigua ex certis & manifeſtis interpretari debemus; id enim pietas, id prudentia chriſtiana, id charitas Catholica poſtulant. Atqui doctrina orthodoxa præſentiæ realis corporis Chriſti & tranſubſtantiationis in opere Bertrami manifeſtè & ſine ambiguitate exprimitur; *Panis* (inquit in reſponſione ad priorem quæſtionem, quam initio libri propoſuerat) *qui per Sacerdotis miniſterium Chriſti corpus efficitur, aliud exteriùs humanis ſenſibus oſtendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exteriùs quidem panis, quod antè fuerat, forma prætenditur, color oſtenditur, ſapor accipitur; & interius longè aliud multoque pretioſius, multoque excellentius intimatur, quia cœleſte, quia divinum, id eſt Chriſti corpus oſtenditur.* : : *Poſt myſticam conſecrationem nec panis jam dicitur, nec vinum, ſed Chriſti corpus & ſanguis.* : : : *Sub velamento corporei panis corporeique vini ſpirituale corpus Chriſti, ſpiritualiſque ſanguis exiſtit.* Et infrà: *Panis qui offertur ex frugibus terræ cum ſit aſſumptus, in Chriſti corpus tranſponitur, ſicut & vinum cum ex vite defluxerit, divini tamen ſanctificatione myſterii efficitur ſanguis Chriſti, non quidem viſibiliter, ſed operante inviſibiliter Spiritu Sancto.* Deniq; ſic concludit: *Ex his omnibus quæ hactenus dicta ſunt, monſtratum eſt, quod corpus & ſanguis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſunt ſecundùm ſpeciem viſibilem; at verò ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, id eſt divini potentiam Verbi, corpus & ſanguis Chriſti verè exiſtunt: unde ſecundùm viſibilem creaturam corpus paſcunt, juxta verò potentioris virtutem ſubſtantiæ mentes fidelium & paſcunt & ſanctificant.*

Hac de cauſa non ſolùm Caletius, ſed ipſi etiam Magdeburgenſes *centuria 9. cap. 4. 6. & 8.* contendunt non ſolùm Bertramum credidiſſe corpus & ſanguinem Domini ſuper altare poni, & inde populo diſtribui, ſed etiam tranſubſtantiationis habere ſententiam: *Vtitur enim*, inquiunt, *vocabulis commutationis & converſionis.*

Nec obeſt quod aliqua obſcura & ambigua ſcripſerit Bertramus. Nō obeſt, inquam; ſi enim S. Athanaſius, referente Facundo Hermianenſi *lib. 10. cap. 5.* S. Dionyſium Alexandrinum à calumniis Arrianorum vindicavit, tametſi aliqua dura, & ad excuſandum difficilia protulerit, quia nunquam cùm viveret, fuit de impietate accuſatus, aut Epiſcopatu dejectus, ſed in Eccleſiæ ſemper permanſit unitate: nec mens authoris ex levi ſono verborum, ſed ex intentione illius æſtimanda eſt; intentio autem, cùm jam perſona defuncta eſt, ex communione Eccleſiæ religioſiùs æſtimatur, ne tota quæ ei communicavit culpetur Eccleſia: ita ſimiliter, etſi aliqua ambigua, & ad defendendum difficilia in opere Bertrami legantur, excuſari tamen poſſunt & debent,

debent, cùm cæteroquin conſtet Bertramum dum viveret nunquam fuiſſe hæreſeos inſimulatum, ſed in Eccleſiæ permanſiſſe unitate, in ejuſque ſinu atque communione placidè obdormiviſſe.

Loci autem illi obſcuriores & explicatu difficiliores ſunt, 1. quia ſcripſit in Euchariſtia figuram eſſe, & quod in Eccleſia Fidelium ore ſumitur, fieri corpus & ſanguinem Chriſti in myſterio ſeu figura. 2. Quia ſcripſit corpus quod ex Virgine natum eſt, non eſſe id quod ore Fidelium per ſacramentorum myſteria ſumitur in Eccleſia. 3. Quia dixit, quod ſecundum creaturarum ſubſtantiam, quod fuerunt ante conſecrationem, hoc poſtea conſiſtunt.

Verùm hæc ex aliis ejuſdem locis facilè intelliguntur. Primo enim loco non intendit in Euchariſtia eſſe meram figuram, ſed quod ſpecies panis & vini ſunt figuræ corporis & ſanguinis Chriſti ſub eis contentorum; nam ut ipſemet ait, figura eſt obumbratio quædam quibuſdam velaminibus quæ intendit oſtendens. Quare nihil aliud Bertramus intendit, quàm Stercoraniſtarum dogma refellere, aſſerentium in Euchariſtia adeo nullam intereſſe figuram, ut ipſa quæ apparent accidentia, corporis Chriſti accidentia evadant. Secundo verò loco vult ſolùm corpus de Virgine natum non eſſe eodem modo in Euchariſtia quo viſibiliter natus eſt, quia modo ſpirituali ſpeciebus ſacramentalibus obvolutum in Euchariſtia continetur: nam cæteroquin affirmat corpus Chriſti in Euchariſtia verè exiſtere. Denique tertio loco vult ſolùm panem & vinum conſiſtere poſt conſecrationem ſecundùm apparentiam ſubſtantiæ, non quòd ſubſtantia panis remaneat, ſed quia ſenſibus, mediis accidentibus, apparet. Nam ipſi Magdeburgenſes Centuriatores tranſubſtantiationem agnoviſſe Bertramum non diffitentur.

Septimò difficultas eſt de Joanne cognomento Scoto vel Erigena, ex Hibernia oriundo, quæ patrio idiomate Erin ſeu Eri nominatur, & anno 883. vel 884. obiiſſe legitur. Vindicare illum nonnulli ſatagunt: graviſſimis tamen momentis vir ſuſpectæ fidei creditur, & liber ejus de corpore Chriſti ut erroribus ſcatens reprobatur. Tum quia Joannis Erigenæ authoritate potiſſimùm utebatur Berengarius. Tum quia teſte Nicolao Romano Pontifice epiſt. ad Carolum Calvum, licèt Joannes multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, tamen non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicitur. Tum quia in Concilio Vercellenſi liber Erigenæ proſcriptus eſt. Tum quia Berengarius epiſt. ad Lanfrancum, quæ extat in manuſcripto Bibliothecæ Regiæ, aſſerit Joannem Scotum à Paſchaſio, qui longè ante annо 818. de Euchariſtia ſcripſerat, diſſentire, reprehenditque Lanfrancum, quòd Scoti ſententias improbaverit. In epiſtola etiam ad Aſſellium, illum idem Berengarius vehementer objurgat, quòd hæreticum haberet Joannem Scotum inconſideratè, impiè, & indignè ſacerdotio ſuo. Cui reſpondens Aſſellius: *Joannem verò Scotum*, inquit, *nec inconſideratè, nec impiè, nec indignè ſacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto niſu totaque intentione [illegible] hoc ſolum tendere video, ut mihi perſuadeat, hoc videlicet quod in altari conſecratur, neque verè corpus, neque verè Chriſti ſanguinem eſſe: hoc autem aſtruere nititur ex Sanctorum Patrum opuſculis quæ pravè exponit.* Denique in epiſtola ad Richardum idem Berengarius conqueritur Joannem Scotum in Concilio Vercellenſi injuriſſimè damnatum, & Paſchaſium nihilominus aſſertum.

Nec obeſt, quod idem Joannes poſt obitum Sanctus & Martyr habitus ſit, ſepultuſque ad magni Altaris ſiniſtrum latus cum inſigni epitaphio his verſibus à Guillelmo Malmesburienſi lib. 2. cap. 4. relatis, comprehenſo: *Clauditur hoc tumulo ſanctus Sophiſta Joannes, qui ditatus erat jam vivens dogmate miro: Martyrio tandem Chriſti conſcendere regnum commeruit.* Non obeſt, inquam; hoc enim epitaphium non authoritate Eccleſiæ, ſed amicorum affectu poſitum eſt. Neque eum ut Martyrem commendat Cardinalis Baronius ad annum 884. Quin potiùs doctiſſimus Genebrardus in liturgiam S. Dionyſii, confoſſum graphiis, & à diſcipulis ſæviſſimè interemptum Joannem ait propter Sacramentariorum impium dogma quod defendebat. Unde eum nec ut Sanctum, nec ut Martyrem agnovit Eccleſia Catholica, quæ potiùs librum ejus poſt obitum condemnavit.

Octavò in Eccleſiæ orthodoxam fidem inſurrexit Berengarius Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus, qui licèt de multis accuſetur ab Epiſcopo Leodienſi Deoduino epiſt. ad Henricum Francorum Regẽ, necnon à Guitmundo rejecti Baptiſmi parvulorũ & everſorum legitimorum conjugiorum inſimuletur; quia tamen eorum errorem in Conciliis Berengarii causâ coactis nulla fit mentio, dicendum eſt propriã & ſingularem Berengarii hæreſim in eo fuiſſe ſitam, quod negaret in Euchariſtia veram fieri ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti converſionem. Unde omnia in Sacramento altaris per figurã & ſimilitudinem geri inferebat, & ea quæ ad altare deferuntur panis & vini munera, poſt conſecrationẽ etiam quod fuerant permanere. Quanvis autem initio hæreſeos Berengariani realem Chriſti præſentiam inficiarentur, nihilque corporis & ſanguinis Domini ſacramentis ineſſe contenderent, ſed umbras tantùm & figuras; in progreſſu tamen Eccleſiæ rationibus convicti dixerunt in ſacramento corpus & ſanguinem Domini reverà, ſed impanatum contineri, tranſubſtantiationem inficiantes.

Porrò Berengarii hæreſis in Galliis ſæpe proſcripta ad Apoſtolicam tandem Sedem delata, primùm in Concilio Romano, deinde in Vercellenſi ſub Leone IX. anno 1053. damnata eſt, liber Joannis Scoti anathemate perculſus, & Eccleſiæ Catholicæ fides concordi omnium aſſenſu confirmata. E vita migravit deinde Leo IX. quem defunctum hæreſiarcha Berengarius, ut refert Guitmundus, conviciis laceravit, eumque Concilium vanitatis coëgiſſe impiè blaſphemavit. Petulcam ejus audaciam compreſſurus Victor II. Leonis ſucceſſor Concilium Turonis coëgit anno 1055. cui per Legatos, maximè per Ildebrandum, qui poſtea fuit Gregorius VII. præfuit. Data ibi illi eſt cauſa ſuæ defendendæ optio, quam tamen defendere reformidans, communem Eccleſiæ fidem confeſſus eſt, datoque propriæ manus ſacramento, ab ea ſe nunquam receſſurum ſpoſpondit. At hæreſiarcha ſacramenti immemor & violator ad vomitum rediit. Unde virus ne ſerperet, Nicolaus II. Romæ Concilium ex centum tredecim Epiſcopis, cui & Berengarius interfuit, anno 1059. coëgit. Ibique ejus ſententia à Patribus & ſummo totius Chriſtiani nominis Pontifice audita, examinata, atque damnata ſunt. Ipſeque Berengarius ſanctæ Synodo concedens libros ſuos perverſum dogma continentes in medio ſacri Concilii propalam igni tradidit, jurans fidem à Patribus præſentibus traditam ſe inviolabiliter ſervaturum.

Authoritate ſanctæ Synodi Umberto Epiſcopo Cardinali demãdata provincia eſt, ut veræ fidei formulã ederet, & Berengario ad legendũ & confitendũ traderet. Acquieſcens autem Berengarius eam accepit, legit, confeſſus eſt, ſeque ita credere jurejurando firmavit, & manu tandem propria ſubſcripſit. Hæc autem fidei profeſſio ad hanc formam redacta

ta fuit: *Ego Berengarius indignus Diaconus Eccleſiæ S. Mauritii Andegavenſis cognoſco veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem: anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter niſi in ſolo ſacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ cœnæ eam fidem me tenere, quam Dominus & Venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus authoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam credidit, mihique firmavit: ſcilicet panem & vinum quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolùm ſacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Iurans per ſanctam & ὁμοούσιον Trinitatem, & per hæc ſacroſancta Chriſti Evangelia. Eos verò qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quod ſi ego ipſe aliquando contra id ſentire ac prædicare præſumpſero, ſubjaceam Canonum ſeveritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi.* Ita referunt Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, & habetur *de conſecratione diſtinct. 2. quæſt. 1.*

Calumniantur hæretici hanc fidei profeſſionem, quam non ſolùm ſuis hæreſibus, ſed etiam catholicis Eccleſiæ Romanæ ſenſibus contendunt eſſe adverſam. Nam neque panis eſt corpus Chriſti, neque corpus Chriſti ſenſualiter in veritate manib' tractatur, frangitur, & dentibus atteritur, niſi vera eſſet ſpurciſſima Stercoraniſtarum doctrina. Verùm hæc hæreticorum calumnia nullius momenti eſt; nam fidei profeſſio illa non habet, panem eſſe corpus, quod conſubſtantiationem ſignificaret; ſed panem poſt conſecrationem eſſe corpus, quod tranſubſtantiationem ſignificat; ſicut è contra Berengarius docuerat panem poſt conſecrationem non eſſe niſi ſacramentum & ſignum corporis Chriſti. Dicitur autem corpus Chriſti manibus tractari, frangi, atteri dentibus, denominatione extrinſeca petitâ à ſpeciebus quæ contrectantur, franguntur, atteruntur, ſub quibus corpus Chriſti realiter continetur, uti ſuprà inter diſſolvenda Calviniſtarum ſophiſmata diximus. Sed ad Berengarium redeamus.

Poſt tam ſolenne ſacramentum verſatilis & arundini vento agitatæ ſimilis Berengarius fidefragus & ſacrilegus violator veritatem catholicam iterum impugnavit verbis ſcriptiſque nefariis, Eccleſiæ clavo aſtante Alexandro Papa, qui cùm ad Dominum migraſſet anno 1073. ejus ſucceſſor Gregorius VII. Concilium Romæ in Eccleſia Salvatoris anno 1079. adverſùs impietatem relapſi Berengarii coegit, cujus acta apud eundem Gregorium libro 6. epiſtolarum, poſt epiſtolam 17. habentur. Ibi firmata veritas Catholica, convictus iterum Berengarius, veniamque ab illa Sede quæ tota eſt ad clementiam comparata, quæve more Dei non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, impetravit, in eumq; modum juravit: *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti Domini noſtri; & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris; & verum ſanguinem Chriſti qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in veritate naturæ & proprietate ſubſtantiæ. Sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis ſic credo, nec contra hanc fidem ulteriùs docebo.* Ita habetur in editione Lanfranci anni 1540. operâ Franciſci Quadrari adornata ex vetuſto codice bibliothecæ Bezenſis Monaſterii. Quanvis enim opus Lanfranci editum ſit ante obitum Alexandri Papæ, ad quem Lanfrancus ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem aſſumptus opus ſuum tranſmiſerat, potuit tamen profeſſio illa fideliter exſcripta operi illi adjici, utpote argumento illius peropportuna. Utut ſit ex actis Concilii Romani habetur Berengario præcepiſſe Gregorium VII. ne amplius de corpore & ſanguine Domini cum aliquo diſputaret, niſi fortè eorum, qui ejus doctrinâ decepti in errorem prolapſi fuerant, ad fidem catholicam reducendorum gratiâ. Abſoluto Concilio ſecum per aliquod tempus Berengarium paternâ benignitate Summus Pontifex detinuit, ut inſtabilitatem viri toties lapſi figeret & fidei conſtantiam probaret. Exploratâ verò illius in fide firmitate, eum poſt multas moras ad proprios lares cum litteris commendatitiis remiſit, quibus & rectam illius fidem teſtatus eſt, vetuitque ne ullum vel perſonæ vel bonis ejus nocumentum importaretur.

An autem Berengarius ad vomitum canino more redierit, an in fide Eccleſiæ in finem uſque perſeveraverit, contendit Bertoldus continuator Hermanni ad annum 1083. ipſum in errorem ſuum relapſum, quem ſequuntur plures ſcriptores Calviniani. Veritas tamen eſt, Berengarium peractâ culparum ſuarum pœnitentiâ in Eccleſiæ Romanæ fide & communione obiiſſe anno 1088. die Epiphaniæ. Tum quia ultima Berengarii morientis verba catholicam fidem clariſſimè ſignificantia refert Guillelmus Malmesburienſis *lib. 3 de geſtis Anglorum*, atque eum in ultimo vitæ agone alternis ſpei & timoris motibus fuiſſe jactatum, Dei miſericordiam ſperans propter pœnitentiam, juſtitiam verò formidans propter aliena, quorum cauſa fuerat, peccata. Tum quia egregius epitaphiis ab Hildeberto, qui poſtea fuit Epiſcopus Cœnomanenſis, & à Baldrico Abbate Gurgulienſi cohoneſtatus fuit. Tum quia ſepulturâ Eccleſiaſticâ in clauſtro S. Martini Turonenſis donatus fuit, ut ſcribit Papirius Maſſo *lib. 3. Annalium Franciæ*. Denique Berengarium ejurata hæreſi Catholicum è vivis exceſſiſſe fatentur quamplures Hiſtorici, nec diſſentit Baronius ad annum 1088 quanvis Hildebertum redarguat, quòd glorioſius quàm hæreſiarchæ toties ſacrilegè relapſi conditio poſtularet, epitaphium ei ſcripſerit. Neque enim iis honoribus excipiendus eſt hæreticus etiam pœnitens, qui ut ei objecerunt Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, aliique Scriptores Benedicti (clariſſimo enim S. Benedicti Ordini Berengarianæ impietatis victoriam & triumphum ſecundùm Deum Eccleſia debet) doctrinæ novitatem contra Eccleſiæ toto orbe diffuſæ ſenſum invexerat, id ſæpius labefactare molitus quod univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.

Nonò referunt Guitmundus & Algerus nonnullos hæreticos exiſtimaſſe, quod panis & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant; alios verò putaſſe panem & vinum ex toto quidem in Euchariſtia mutari, ſed carnem & ſanguinem Domini ab indignis accepta in panem & vinum malis eorum meritis iterum converti.

Decimò circa annum 1126. Petrus de Bruis, à quo ſequaces Petrobruſiani dicti ſunt, varios errores in Provincia Arelatenſi diſſeminavit. Nam & infantes extra ætatem diſcretionis baptizari nolebat, & templa non eſſe in lege nova ædificanda, ædi-

ficata eſſe diruenda docuit, & cruces confringendas comburendaſque in horrorem occiſionis Chriſti cenſuit, & ſacrificia orationes, oblationes, eleemoſynas aliaque pia pro defunctis opera deriſit, & veritatem corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, ejuſque juge in Eccleſia offerri ſolitum ſacrificium inficiatus eſt. Quamvis enim panem in corpus Chriſti ab ipſo Chriſto in cœna ultima converſum eſſe fateretur, ab Apoſtolis tamen eorumque ſucceſſoribus idem fieri pernegabat, ut ex initio tractatus Petri Cluniacenſis claret. In ignem tandem, quem ad ſuccendendas cruces ipſo Dominicæ Paſſionis die pararat, projectus & combuſtus eſt. Adverſus hæreticum illum ſcripſit plures epiſtolas & tractatum ſpecialem de ſacrificio Miſſæ & tranſubſtantiatione Petrus Cluniacenſis. Ejus hæreſim primarius ejus diſcipulus Henricus, à quo Henricani, poſt viginti annos, anno ſcilicet 1147. propagavit. Hunc S. Bernardus *epiſt. 24. & ſerm. 65. in Cantica*, ſcriptis variis etiam ſermonibus & miraculis confutavit, ut in vita Bernardi apud Gofridum Clarevallenſem videre eſt. Arnoldus etiam de Brixia, unde Arnoldiſtæ nomen ſortiti ſunt, circa Euchariſtiam, referente Othone Friſingenſi *lib. 2. cap. 20.* pariter erravit, quem Bernardus *epiſt. 195. & 196.* acriter exagitavit. Tandem combuſtus, & ejus cineres in Tiberim ſparſæ ſunt.

Undecimò Waldenſes ſeu Pauperes de Lugduno, ſic dicti à Petro Waldo Lugdunenſi, in fidem Catholicam circa annum 1176. inſurrexerunt. Vocati etiam ſunt Albigenſes & Toloſani, quia errorum illorum virus non parum per regionem Albiæ & Toloſæ graſſatum eſt. Cognominati etiam ſunt Lollardi à Lollardo famoſo Waldi diſcipulo. Non tam ſecta ſpecialis quàm fœdiſſima ſectarum colluvies fuit. Nam & Arianiſmum renovarunt, & cum Manichæis vetus Teſtamentum repudiarunt, & veram tranſubſtantiationem alii negarunt, alii corporis Chriſti veritatem inficiati ſunt, ut apud Hiſtoricos quamplures videre eſt. Illos S. Dominicus authoritate ſummi Pontificis, Regum Chriſtianorum copiis partim profligavit, partim prædicatione & miraculis convertit.

Duodecimò Catholicam de Euchariſtia fidem Joannes Wiclefus Anglus circa annum 1312. aggreſſus eſt. Nam, ut in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. refertur, ſubſtantiam panis & vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, & accidentia panis non manere ſine ſubjecto ſuſtinuit, & Chriſtum in eodem ſacramento realiter adeſſe negavit, & Sacerdotem in peccato mortali exiſtentem non conficere, neque conſecrare Euchariſtiam tradidit. Ejus errores ſequutus eſt Joannes Hus Boëmus, ut patet ex ſeſſione 15. ejuſdem Concilii, & ex proceſſibus contra illũ factis ac per teſtes idoneos & locupletes probatis. Nihil tamen contra Euchariſtiam ſcripſit, nec illum ejus errorem omnes diſcipuli ſequuti ſunt. More etiam hæreticorum dubitanter de hoc myſterio interdum loquutus eſt.

Decimotertiò tranſubſtantiationem apertè impugnavit hæreticorum poſt hominum memoriam audaciſſimus Martinus Lutherus ab Erebo ſæculo ſuperiori ſuſcitatus, veritatem corporis Domini in Euchariſtia negare paratus & avidus, ſi per planum Evangelii textum & perpetuam traditionem licuiſſet, ut ex ipſo alibi retulimus. Fluctuabat initio hæreſiarchæ animus, & tranſubſtantiationis affirmantem ſententiam permittebat, modò ne conſubſtantiatio ſua hæreſeos inſimularetur: impudentior tamen deinde factus Catholicum de tranſubſtantiatione dogma impium & blaſphemum anno 1522. calamo impio & blaſphemo libro contra Henricum Angliæ Regem, quem novum & eximium Thomiſtam appellat, edito pronuntiavit, declarans ſuam ſe antiquam tranſubſtantiare ſeu mutare ſententiam. Hanc ejus aſſertionem mordicus tuentur diſcipuli Lutherani, verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, ſic interpretantes: In hoc, cum hoc, ſub hoc pane eſt corpus meum. Eodemque modo aiunt Chriſtum porrigendo corpus ſuum in pane potuiſſe dicere, Hoc eſt corpus meum, quo ruſticus de avena in ſacco incluſa, demonſtrato ſacco ait, hoc eſt avena, quo mater de infante in cunis cunas oſtendens ait, Hoc eſt infans meus; vel caupo de vino ſcyphum porrigens ait, Hoc eſt vinum meum. Id etiam aliis exemplis exponit Lutherus libro citato contra Regem Angliæ: Sicut ignis, inquit, in fornace ſalvâ ferri ſubſtantiâ, & Deus in homine ſalvâ humanitate, utrubique ſic mixtis ſubſtantiis, ut ſua cuique operatio & natura propria remaneat, & tamen unum aliquod conſtituant: ſic ſalvo pane in ſacramento eſt corpus Chriſti. Hanc ſuam ſententiam ut adverſus Oecolampadium & Zuinglium propugnaret, ubiquitatem corporis Chriſti ſomniavit, quam paulo poſt abjecit tamen. Hinc inter Lutheranos ſchiſma, Kemnitio cum ſuis ſolam impanationem, Brentio & Witembergenſibus ubiquitatem defendentibus.

Decimoquartò Huldericus Zuinglius Helvetius non minùs Luthero quàm Eccleſiæ Catholicæ infenſus figurativam tantùm corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam circa eadem tempora finxit, quem ſequuti ſunt Oecolampadius, & ex parte Caroloſtadius; ut quales eſſent imaginarii prætenſæ reformationis authores tot diſſidiis claret. Zuinglium etiam ſequutus eſt Hæreticorum noſtratium architectus Joannes Calvinus, doloſè quidem initio mentem ſuam aperiens, ne Lutheranos offenderet; veritatem tamen corporis Chriſti ferre non valens, Chriſtum ore duntaxat fidei recipi aſtruere conatus eſt. Ejus impietatem ſequitur confeſſio Huguenottorum Gallica, *art. 36.* ſequuntur & Pſeudo-Eccleſiæ Anglicanæ, Scoticæ, Belgicæ, Palatinæ, quam & plures Miniſtri iniquitatis, & noviſſimè Claudius Charentonenſis apertæ veritatis impugnator ſcriptis nefariis propugnarunt. Sed de his capite proximè ſuperiori ſatis.

REFLEXIO.

Sacramentum Euchariſtiæ erroribus hæretici, ſed longè gravius indignis Communionibus Catholici perſequuntur. Quare realis corporis Chriſti præſentiæ veritas, novæ vitæ à nobis poſtulat veritatem. Si Scripturarum & Patrum Chriſtum ſub rerum viſibilium ſpeciei inviſibiliter, reverà tamen delitescentem conteſtantium authoritati obtemperamus, quidni ejuſdem authoritatis ponderi cedimus, eique quæ vitæ reverà converſæ realem præcipit ad Euchariſtiam ſuſcipiendam mutationem, non obſequimur? Si impio Calvino Baſilio auſcultare jubeamus *lib. 2. de bapt. quæſt. 3.* ſcribenti: *Qui Euchariſtiam ſumunt, corpus Chriſti contingunt*; cur eidem non & nos auſcultemus *lib. 1. de baptiſmo, cap. 3.* aſſeveranti: *Oportet ut quiſquis accedit ad corpus & ſanguinem Domini in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, ſe peccato, mundo, ac ſibi mortuum exhibeat?* Si Sacramentariorum imagines tantũ & figuras, quarum alioquin infenſiſſimi ſunt nefandi Iconoclaſtæ, in hoc ſacramento comminiſcentium, & præcipuum divini in Eccleſiam amoris pignus in ſymboli tenuitatem deturbantium figmenta & offutias hac Ambroſii luce diſpellimus, quam *lib. 4. de ſacrament. cap. 4.* effundit: *Panis eſt ante verba ſacramentorum; ſed ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.*

cur

tur ejuſdem Patris ſeſe ingerentem lucem repellimus, dum hæc monita luce ſplendidiora nobis ſuggerit ſermone Domin. 4. Adventus: *Mutare vitam debet, qui vult accipere vitam; nam ſi non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam; & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanetur; magis occiditur, quàm vivificetur?*

Si noviſſimum Claudium Miniſtrum Charentonenſem vaniloquiis, ſophiſmatis, & inani Philoſophiâ fallacis Rhetorices fucis oblitâ tot Calvinianos decipientem, & adverſùs veritatem perenni ſæculorum omnium traditione, & omnium Chriſtianarum communionum, una dempta Calviniana, conſenſione ſtabilitam blaterantem meliùs loquentis Chryſoſtomi aureis ſententiis confundimus, ejuſque eloquentiæ hujus eloquentiam opponimus, quam fudit vir divinus *hom. 24. in 1. epiſt. ad Cor.* his verbis: *Hæc menſa cœli ac terræ ſupremi Regis eſt menſa; cui Angeli miniſtrant, & in qua Rex ipſe videndum ſe exhibet, neque videndum modò, ſed etiam contrectandum ac deguſtandum;* quia nimirum & eum ibi Angeli vident, & nos ipſum ratione ſpecierum videmus, & contrectamus: cur ejuſdem eloquentiæ tantâ vi, tantâque copiâ non flectimur, quæ *hom. 17. in epiſt. ad Hebræos, & hom. 24. in 1. Cor.* ſic tonat: *Qui hoc honore dignantur, ut menſa regia accumbant, & pocula tangant regia, formoſos eſſe oportet, & mentis pulchritudine præditos, auro fulgentes, ac purâ veſte amictos. Neque hæc gracculorum menſa eſt, ſed aquilarum, hoc eſt animalium ſublimium, & in cœlum erectarum, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorſum trahantur, aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, ſed quæ indeſinenter ſurſum evolent, ipſumque juſtitiæ Solem acutis ac perſpicacibus mentis oculis intueantur?*

Si denique omnium moderniorum hæreticorum Miſſæ ſacrificium abominantium, & altaria deturbantium petulantiam hoc Auguſtini fulmine contemus, quod *libro 9. Confeſſ. cap. 19.* nobis ad extollentia ſe adverſùs Eccleſiam capita comprimenda reliquit his verbis: *E noſtris altaribus diſpenſatur victimâ ſancta, quâ deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis:* cur ad formidandas ejuſdem Patris voces attoniti non pavebunt mali Catholici, quas *tract. 26. in Ioannem,* protulit: *Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritaliter carnem ejus, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit; quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non dignè ſumit, niſi qui mundus eſt?* Itáne contra unos hæreticos valebit ſacrata Patrum authoritas? Itáne ſolos Eccleſiæ hoſtes exarmabit, Eccleſiæ filios non perſuadebit? Abſit, abſurdum eſt, iniquum eſt. Cur credis, ô catholice, ibi Redemptorem tuum eſſe, ſi ipſum tam indignè, tam contumelioſè maculoſiſſimâ vitâ tuâ habes? Quâ fronte Chriſto pacis oſculum foris admoves, ad eumque amantis ore atque habitu accedis, quem prope diem, & quandoque ipſo illo die novis peccatis ſceleratè prodis?

Magna ſunt, ô Catholice, in Euchariſtia quæ credis; ineffabilia ſunt, divina ſunt; gratias non vulgares inde hauſturum te ſperas, eximia ergo ſit & ſingularis animi tui ad recipiendum divinum cibum compoſitio. Præclarè Sixtus III. vel quis alius Author in Bibliotheca Patrum: *Inenarrabile eſt quod credimus: immenſum eſt quod ſperamus: non eſt vulgare quod quærimus: ergo non debet eſſe vulgare quod vivimus.*

Speculatio. II.

Subſtantia panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti Domini ſecundùm ſe totam convertitur, unde & vera datur tranſubſtantiatio.

DEfinita eſt hæc veritas orthodoxa in pluribus Conciliis adverſus Berengarii prophanam novitatem coactis, & deinde in Magno Lateranenſi ſub Innocentio III & in Conſtantienſi *ſeſsione 8.* & Florentino in decreto unionis, & Tridentino *ſeſſ. 13. capite 4. & can. 2.*

Eandem veritatem clariſſimè docuerunt Patres ſuperiori capite producti. Nihil enim expreſſius teſtimoniis eſſe poteſt, quæ ex Cyrillo Jeroſolymitano, Gregorio Nyſſeno oratione catechetica, Ambroſio libro de initiandis & de ſacramentis, Cypriano vel Authore ſermonis de cœna Domini, Damaſceno *lib. 4. de fide,* Thophilacto *in cap. 6. Ioannis* retulimus. Quibus & illud adde Euſebii Emiſſeni, vel Eucherii Lugdunenſis homil. 5. de Paſchate: *Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit. ::: Ut tibi novum & impoſſibile non debeat videri, quod in Chriſti ſubſtantiam terrena & mortalia commutentur. Quando benedicenda verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, antequam invocatione ſummi Numinis conſecrentur, ſubſtantia eſt illic panis & vini: poſt verba autem Chriſti corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid mirum autem, ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata convertere? Imò jam minoris videtur eſſe miraculi, ſi id quod ex nihilo agnoſcitur condidiſſe, jam conditum in melius valeat commutare. Requiro quid ei poſſit eſſe difficile, cui facile fuit viſibilia & inviſibilia voluntatis imperio ſuſcitare.* Quid luculentius & nervoſius? Qua ergo fronte Lutherus libro ſuo de captivitate Babylonica ſcribere potuit tranſubſtantiationem eſſe portentoſum ſomnium, nec illius Patres per mille ducentos annos meminiſſe?

Perpetua etiam fidei traditio hanc veritatem demonſtrat; cum enim ante ſuſcitatum ab Erebo Lutherum Chriſtianiſmus ſub cœlo totus veram tranſubſtantiationem in Euchariſtia agnoſceret, profectò adverſus antiquitatem, univerſitatem, & conſenſionem Lutherus pugnavit, unde redeunt argumenta quæ contra Calvinianos & Claudii perſpicua mendacia ſuperiori capite in aciem produximus.

Denique oſtenditur hæc veritas ratione S. Thomæ *queſt. 75. art. 2.* Non eſſent vera Salvatoris verba, ſi ſubſtantia panis in Euchariſtia remaneret: hoc enim pronomen demonſtrativum *hoc*, indigitat ſubſtantiam ſub accidentibus latentem eſſe corpus Chriſti, ut ſalvetur identitas prædicatum inter & ſubjectum: ergo ſi ſubſtantia panis poſt conſecrationem permaneret, ſenſus eſſet, Subſtantia panis eſt corpus meum, quod eſt apertè falſum: unde non fuiſſet à Chriſto dicendum, Hoc eſt corpus meum, ſed hîc eſt corpus meum. Sanè ſi quis habet et aurum & argentum in crumena deliteſcentia, falsò diceret, hoc eſt aurum, quia demonſtraret totam ſubſtantiam in crumena deliteſcentem, quæ non eſt minùs argentum quàm aurum. Et ratio eſt, quia omnis prædicatio unius de alio ſupponit identitatem vel unionem attributi cum ſubjecto; ex eo enim quod res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa: panis autem & corpus Chriſti ſunt res omninò diſparatæ, nec inter ſe ulla identitate vel unione copulantur, nec ex natura ſua vel hominum uſu panis ad continendum corpus Chriſti eſt inſtitutum, ſicut dolium eſt inſtitutum ad continendum vinum; unde oſtenſo dolio vini pleno rectè dicitur, hoc eſt vinum: ergo

particula *hoc*, non ſupponit pro ſubſtantia panis, quæ proinde non manet, cùm nulla panem inter & corpus Chriſti unio in ſacramento Euchariſtiæ intercedat.

Nec dici poteſt ſenſum hujus propoſitionis, *Hoc eſt corpus meum*, iſtum eſſe; in, vel ſub, vel cum pane eſt corpus meum; non verò panis eſt corpus meum. Non, inquam, dici id poteſt, quia unum eſſe aliud, & unum eſſe cum alio, toto cœlo differunt: ſi enim indiſtantia unius cum alio ſufficeret ad veritatem prædicationis, omnia de Deo rebus omnibus intimo prædicari poſſent.

Hanc rationem ex verbis Chriſti deſumptam ſua authoritate ſacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 13. cap. 4.* confirmat his verbis: *Quoniam Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò hæc ſancta Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus.* Eandem veritatem ex verbis Salvatoris ſacri Doctores derivarunt. *Dubitari nefas eſt*, inquit S. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus epiſt. ad Adeodatum, *ad cujus nutum cuncta ex nihilo ſubſiſterunt ſi pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis terrena materies naturâ & generis ſui meritum tranſcendens in Chriſti ſubſtantiam commutetur; cùm ipſe dicat, Hoc eſt corpus meum; & paulò poſt, Hic eſt ſanguis meus.* Et S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus tractatu 2. in Exodum: *Quod annuntiatum eſt credas, quia quod accipis corpus eſt panis illius cœleſtis, & ſanguis illius ſacra vitis: nam cum panem conſecratum & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait; Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Et Guitmundus lib. 3. de veritate corporis & ſanguinis Domini: *Hoc Imperatores ſuo ipſe Dominus verbo oris ſui interfecit, cum accipiens panem gratiaſque agens ac benedicens, ait: Hoc eſt corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum; nec dixit, in hoc vino eſt ſanguis meus; ſed dixit, Hic eſt ſanguis meus.* Unde non eſt tuta Scoti, Durandi, aliorumque Scholaſticorum ſententia exiſtimantium futuram veram conſecrationis formam, etiamſi panis ſubſtantia permaneat, & ſolâ Eccleſiæ authoritate de fide tranſubſtantiationis conſtare. Nam tranſubſtantiationem ex verbis Chriſti colligi ſacrum Tridentinum Concilium cum totius Eccleſiæ ſenſu, tùm ſua authoritate declaravit.

Objiciunt primò Lutherani quaſdam Scripturæ & Patrum authoritates. In primis Euchariſtia panis dicitur, *1. Cor. 10.* & *Matth. 26.* genimen vitis. *Joan.* etiam *6.* Chriſtum eſſe ſe panem dixit. Irenæus quoque docet Euchariſtiam duabus conſtare rebus, terrenâ ſcilicet & cœleſti, quæ terrena panis eſt. Origenes pariter *ad cap. 18. Matth.* ait Euchariſtiam juxta id quod habet materiale, abire in ventrem & in ſeceſſum mitti. Idem S. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 3.* docet panem Euchariſtiæ poſt invocationem S. Spiritus non eſſe ampliùs panem communem, ſed corpus Chriſti; ſicut ſanctum unguentum poſtquam conſecratum eſt, non eſt amplius unguentum commune & nudum, ſed ſanctum chriſma Chriſti, quod adventu Spiritus ſancti per ejus divinitatem energiam habet: at chriſma non amitit per conſecrationem ſubſtantiam unguenti; ergo nec panis Euchariſticus tranſubſtantiatur. Denique panem Euchariſtiæ eſſe corpus Chriſti, tum Chryſoſtomus epiſtol. ad Cæſarium Monachum, tum in ſua retractatione ſub Nicolao II. facta Berengarius fatentur.

Reſpondeo ex dictis capite ſuperiori patere ejuſmodi locorum intelligentiam. Euchariſtia enim poſt conſecrationem dicitur panis & vinum, quia panis & vinum eſt hujus ſacramenti materia; quia panis & vinum ſunt terminus à quo hujus converſionis, ſicut ſerpens Moſis virga unde factus eſt nominatur; quia in Euchariſtia ſenſibilia panis & vini accidentia permanent, ratione quorum terrenam rem in Euchariſtia inveniri dixit S. Irenæus. Corpus Chriſti in Euchariſtia, ut inquit Lanfrancus *lib. ſæpe citato*, dicitur panis, vel quia ex pane conficitur, vel quia ratione accidentium panis, cùm caro ſit, videtur; vel quia ſicut panis materialis corpus nutrit, ſic panis ille divinus animam alit, vegetat, & ſaginat. Chriſtus autem *Joan. 6.* panem vivum ſemetipſum appellavit, utpote in cibum animarum realiter porrectum. Origenes etiam (ſi tractatus memorati illius ſunt, Origenis enim non eſſe Bellarminus & alii affirmant,) de accidentibus, quæ corrumpuntur, facilè exponi poteſt. Comparatio autem Cyrilli non in eo poſita eſt, quod mutatio adveniens unguento & adveniens pani ſint ejuſdem rationis, ſed intendit S. Pater quod ſicut unguentum poſt conſecrationem ſanctitatem acquirit, nec eſt quid prophanum, ita panis eſt corpus Chriſti. Et diligenter advertendum, non dixiſſe Cyrillum unguentum poſt conſecrationem eſſe Spiritum ſanctum, vel corpus Chriſti, ſicut dixit panem eſſe corpus Chriſti. Mens etiam Cyrilli ex ejus à nobis ſuprà relatis locis expreſſior eſt, quàm ut in dubium revocari poſſit. Falsò porrò producitur Chryſoſtomus, cujus nulla ad Cæſarium Monachum extat epiſtola. Confeſſionem etiam Berengarii ſub Nicolao II. factam ſuprà à calumniis hæreticorum vindicavimus.

Objiciunt 2. authoritatem Ambroſii *lib. 4. de ſacramentis, cap. 4.* dicentis: *Si tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Ergo in Euchariſtia cum corpore Chriſti manent quæ erant, id eſt ſubſtantia panis.

Reſpondeo in Euchariſtia manere quæ erant ſecundum viſibilem ſenſibilium accidentium ſpeciem, & in aliud commutari intrinſecam panis ſubſtantiam, in corpus ſcilicet Chriſti, quod non ex nihilo fit, ſed ex iis quæ erant, quæ tamen non ſunt id quod erant, id eſt panis & vinum, ſed in aliud commutantur. Nam ut eodem libro S. Doctor ait: *Quantis igitur exemplis utimur ut probemus hoc non eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit; majoremque vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* Obſervat etiam Lanfrancus in aliis codicibus præfatam Ambroſii ſententiam aliis verbis exprimi hoc modo: *Si igitur tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant; quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant in aliud commutentur.* Quæ littera illi ſententiæ affinis eſt quæ libro de initiandis habetur in hæc verba: *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant?*

Objiciunt 3. authoritatem Papæ Gelaſii, qui libro de duabus in Chriſto naturis contra Eutychen & Neſtorium edito, ſic habet: *Sacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti divina res eſt; propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinunt ſubſtantia vel natura panis & vini.*

Reſpondeo conſtans eſſe, libellum illum de duabus in Chriſto naturis non eſſe Gelaſii Papæ. Tum quia opus de duabus in Chriſto naturis à Gelaſio Romano Pontifice ſcriptum dicitur à Gennadio & Honorio Auguſtodunenſi grande volumen, atque, ut addit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gelaſii, diviſum in quinque libros: at opus unde locus obje-

ctus

ctus ernitur, libellus eſt exiguus, nec ullum habemus argumentum vel in hiſtoria Eccleſiaſtica veſtigium, Gelaſium duo illa opera edidiſſe. Tum quia libelli illius author inter veterum Patrum referenda teſtimonia Euſebium Cæſareenſem Arianorum ſigniferum laudat. At Euſebii opera apocrypha Gelaſius Papa declaravit. Tum quia illius libelli Scriptor, poſtquam profeſſus eſt ſe veterum Patrum pro duabus Chriſti naturis referre teſtimonia, Græcos tantum Patres producit; Hieronymi, Auguſtini, Leonis Magni nitentiſſima verba miſſa facit. Profert quidem nonnulla Ambroſii verba, at germana non refert, ſed alia ſecundum Græcam Theodoreti, qui opus illud citaverat, verſionem adducit. At Romanus Antiſtes Patrum Latinorum ſplendida teſtimonia nec omiſiſſet planè, nec quæ producit ex genuinis hauſiſſe fontibus prætermiſiſſet. Tum quia inſignem celebris Pontificis locum in ſuæ cauſæ patrocinium proferre Berengarius ejuſque diſcipuli non eſſent obliti. His omnibus adde opus illud publici juris factum operâ Baſileenſium Lutheranorum anno 1527. ex codice mendis ſcatente, quem & ſuis additamentis corrupiſſe ampliùs gravis ſuſpicio eſt, eum & Paſchaſii catholicum opus eodem tempore adulterarunt. Videatur Cardinalis Perronius.

Si autem quæras quiſnam ſit illius operis architectus? Reſpondebo arbitrari nonnullos compilatorem eſſe nullius authoritatis, qui & quædam ex Gelaſio aſſum, & alia ex ſuo cerebro adjecit. Ipſum etiam operis exordium, quod ſic incipit: *Neceſſarium quoque fuit, ut qui, &c.* evincit tractatum eſſe collectoris exſcribentis aliena verba, non authoris librum veluti proprium fœtum edentis. Melchior autem Cano *lib. 6. de locis, cap. ultimo, ad 9.* librum illum Gelaſio Cæſareenſi Scriptori Græco aſſerit.

Objiciunt 4. authoritatem Theodoreti, qui dialogo 1. ſic habet: *Symbola quæ videntur appellatione corporis & ſanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, ſed naturæ gratiam adjiciens.* Et Dialogo 2. *Neque ſigna myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura, manent enim in priori ſubſtantia, figura, & forma; & videri & tangi poſſunt ſicut priùs.*

Reſpondeo hujus loci authoritatem multipliciter elevari. Tum quia grandis non eſt Theodoreti authoritas, ubi de Euchariſtia ſermo eſt. Erat enim vir de Neſtorianiſmo ſuſpectus, cui ne noceret, lubricè de Euchariſtia loquebatur, Patribus ut occurreret, qui veritatem Incarnationis ex Euchariſtia confirmabant, ut ex S. Cyrillo claret, ſicut & Verbi divinitatem ex eodem Euchariſtiæ myſterio S. Hilarius adversùm Arianos ſtabilivit. Tum quia Theodoreti mens ex obſcuro elici loco nequaquam poteſt. At Theodoretus materiam Euchariſtiæ nedum obiter pertractat, ſed obſcuritatem quandam affectat. Dialogo enim primo ſic Orthodoxus affatur: *Velim te paulò magis myſticè reſpondere; adſunt enim fortaſſe nonnulli, qui non ſunt initiati myſteriis.* Cui Eraniſta: *Ita audiam, & ita reſpondebo.* Quod & dialogo 2. & 3. inculcatur. Tum quia priori loco intendit tantùm Theodoretus in Euchariſtia non mutari naturam ſeu eſſentiam accidentium, cùm panis & vinum non ſint corporis & ſanguinis Domini ſymbola niſi ratione accidentium. Tum quia in poſteriori loco per ſubſtantiam non intelligitur ſubſtantia panis quæ dat eſſe ſimpliciter & ſubſtantiale oppoſitum eſſe ſecundum quid & accidentali. In Græco enim Theodoreti legimus οὐσίαν, ſeu eſſentiam, quam utique accidentia retinent. Subſtantiæ etiam nomine Doctores leges ſtrictæ Philoſophiæ prætergredi non curantes rei qualitates, virtutes, & proprietates intelligunt. Sic Hilarius *can. 10. in Matth.* in reſurrectione futurum eſſe ait, *ut caro noſtra refundatur in ſubſtantiam ſpiritualis animæ.* Tum quia ut Cardinalis Perronius aliique obſervarunt, Theodoreti verba non ſunt accuratè ab interprete è Græco in Latinum tranſlata; non enim debuit vertere, *manent enim in priori ſubſtantia figura, & forma*; ſed *manent enim in prioris ſubſtantiæ forma, & figura*, uti ex Græco demonſtrant.

Dices: In dialogo illo Orthodoxus ex comparatione Euchariſtiæ colligit in Chriſto poſt unionem nedum ſupereſſe formam & figuram, ſed ipſam etiam corporis ſubſtantiam: ergo ne invalidum ſit ipſius argumentum, ſupponere debet in Euchariſtia præter formam & figuram, ipſam quoque permanere panis ſubſtantiam.

Reſpondeo Orthodoxum non comparare, in omnibus Euchariſtiam cum Incarnatione, cùm manifeſtum ſit duo illa myſteria ſicut multis conveniunt, multis quoque differre. Validè tamen ex Euchariſtia, ſuppoſitis aliis ab adverſariis vel conceſſis, vel certè neceſſariò concedendis, argumentatur. Ex eo enim quod in Euchariſtia remaneant accidentia panis infert Orthodoxus, in Chriſto vera quoque fuiſſe accidentia & proprietates humanitatis afficientia Chriſtum Dominum, non ſecundùm naturam divinam: ergo ſecundùm naturam humanam. Quanvis enim accidentia poſſint divinitus ſine ſubjecto exiſtere, tamen quia ex ſcripturis & communi ſententia conſtabat accidentia humanitatis verè Chriſtum affeciſſe, qui propterea verè dictus eſt flens, comedens, fatigatus, paſſus, &c. rectè inde inferebant Catholici, quod cum non poſſent Chriſtum afficere ſecundùm divinitatem, humanitatem prorſus afficiebant. Itaque argumentum adverſarii colligentis in Chriſto non eſſe humanitatem, ſed eſſe in divinitatem converſam, quia ſubſtantia panis in Euchariſtia convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti; argumentum, inquam, illud rectè retorquet Orthodoxus dicens: In Euchariſtia nedum eſt corpus Chriſti, ſed etiam vera panis accidentia: ergo ſimiliter in Chriſto vera ſunt humanitatis accidentia propria. Ex quo, ſuppoſito alio principio, inferebat eſſe quoque in Chriſto veram humanitatem: quia nimirum accidentia humanitatis verè Chriſtum afficiebant, ut tota Scriptura clamat: ergo aliquam in Chriſto naturam afficiebant; non divinam, ergo humanam. Ex conceſſis ergo ab adverſario validum ab Euchariſtia argumentum deduxit Orthodoxus.

Objiciunt 5. authoritatem Abbatis Ruperti, qui fatentibus etiam nonnullis inſignibus Catholicis impanationem admiſit, quatenus voluit panem in Euchariſtia non in corpus Chriſti converti, ſed à Verbo Divino aſſumi, quemadmodum ab eodem humanitas in myſterio Incarnationis aſſumpta eſt. Ita enim cenſuerunt Cardinales pietate magis & doctrinâ quàm purpurâ Eminentiſſimi Baronius & Bellarminus.

Reſpondeo multa apud Rupertum legi, quæ impanationi in ſpeciem favere videntur: ſalvo tamen meliori judicio, ſalva præſertim quæ Cardinalibus præfatis reverentia debetur maxima, benignè piiſſimus ille & doctiſſimus Abbas exponi, & ad ſenſum Catholicum reduci facilè poteſt. Imprimis impanationem docuiſſe videtur *lib. 2. in Exodum*, ad hæc verba: *Sed comedetis aſſum tantùm igni. Id eſt*, inquit, *totum attribuetis operationi Spiritus Sancti, cujus affectus non eſt deſtruere vel corrumpere ſubſtantiam quamcunque; ſed ſubſtantiæ bono permanenti quod erat, inviſibiliter adjicere quod non erat: ſicuti naturam humanam non deſtruxit, cum illam operatione ſua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem perſonæ conjunxit: ſic ſubſtantiam panis & vini ſecundùm exteriorem ſpeciem quinque ſenſibus ſubjectam non mutat aut deſtruit, cum*

eidem

videm Verbo in unitatem corporis ejuſdem quod in cruce pependit, & ſanguinis ejuſdem quem de latere ſuo fudit, iſta conjunget. Et rurſum: *Quomodo Verbum à ſummo demiſſum caro factum eſt, & non mutatum in carnem, ſemper aſſumendo carnem: ſic panis & vinum utrumque ab imo ſublevatum fit corpus Chriſti & ſanguis, non mutatum in carnis ſaporem, ſive in ſanguinis horrorem, ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, divinæ ſcilicet & humanæ, quæ in Chriſto eſt immortalis, ſubſtantiæ unitatem. Proinde ſicut hominem, qui de Virgine ſumptus in cruce pependit, rectè & catholicè Deum confitemur, ſic veraciter id quod ſumimus de ſancto Altari Chriſtum diximus, Agnum Dei prædicamus.* Idem non minùs perſpicuè tradit *lib. 6. in Joannem*, ubi docet, *Verbum jamdudum factum carnem, panem viſibilem fieri, non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in unitatem perſonæ transferendo panem.* Additque ratione illius aſſumptionis panem verè dici corpus Chriſti. Quod & *lib. 2. de officiis, cap. 1, & 9.* repetere videtur.

Nihilominus tamen pro tranſubſtantiatione ſteriſſe Rupertum, multipliciter oſtendi poteſt. Tum quia Rupertus locis capite præcedenti, ubi eum à Calviniſmo vindicavimus, laudatis, à Berengarii ſe doctrina abhorrere profitetur: conſtat verò Berengarium (nec ignorare poterat Rupertus) non minùs ob inductam præſentiam figuralem quàm ob invectam impanationem ab Eccleſia fuiſſe ſolennibus iteratiſque judiciis condemnatum. Tum quia locis ibi memoratis, *panem & vinum in veram corporis & ſanguinis Domini tranſire ſubſtantiam* luculenter confitetur, quæ ipſiſſima eſt tranſubſtantiationis doctrina. Tum quia *lib. 2. de officiis, cap. 2.* diſertè ait: *Panis & vinum in verum corpus & ſanguinem Domini transferuntur.* Quibus verbis à Catholicis tradita tranſubſtantiatio ſignificantiſſimè exprimitur.

Quæ etiam in locis præfatis nonnihil moleſtiæ facere videntur non incommodè exponi poſſunt. Etenim verum eſt operatione Spiritus ſancti non deſtrui vel corrumpi ſimpliciter ſubſtantiam panis per omnimodam deſitionem vel converſionem quæ non ſit in melius: tunc enim ſolùm ſubſtantia deſtruitur, vel corrumpitur, cùm vel ad nihilum prorſus redigitur, vel totalis fit uſque ad materiam primam, nullo ſenſibili permanente reſolutio. Et certè veram converſionem unius ſubſtantiæ in aliam divinitus poſſe contingere non negat, ſed eò loci exemplo converſionis aquæ in nuptiis Canæ factæ aſtruit confirmatque Rupertus. Cùm etiam permanere ſubſtantiam ait, non de ſubſtantia oppoſita accidentibus loquitur, ſed de eſſentia accidentium, quæ ſubſtantia quadantenus dicitur, ut ſupra diximus. Patet enim Rupertum non loqui niſi cum modificatione de ſubſtantia, quam ibi ſubſtantiam *ſecundùm exteriorem ſpeciem quinque ſenſibus ſubactam* appellat, quam & in Joannem *ſubſtantiam viſibilem* appellat. Subſtantia autem quam in corpus Chriſti converti Eccleſia Catholica docet, non eſt viſibilis, neque quinque ſubacta ſenſibus. Manifeſtè etiam colligi videtur, negare ipſum accidentia panis non converti in accidentia corporis Chriſti, dum ait panem & vinum in Chriſti corporis non converti ſaporem, vel ſanguinis horrorem. Denique cùm comparat aſſumptionem panis cum aſſumptione humanitatis, non intendit intercedere unionem hypoſtaticam panem inter & Dei Verbum, ſed idem Verbum, quod aſſumpſit humanitatem ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti à ſe aſſumpti convertere, ratione cujus converſionis panis appellatur caro, & Verbum panis vivus qui de cœlo deſcendit. Explicare etiam unum per alia myſteria difficultatum complanandarum gratiâ Patres aſſolent; dumque unum alteri comparant, non ſtrictam ſimilitudinem intendunt, ſed unum miraculum alio illuſtrare, ſervatis ſervandis, cæteriſque paribus confirmare ſatagunt. Et ita Rupertus Euchariſtiam, quam Patres Incarnationis extenſionem jure dicunt, ejuſdem Incarnationis ſacramento exponere, & credibilem reddere ſtuduit, ſalvis tamen utriuſque myſterii diſcriminibus.

Reflexio.

Totam panis vinique ſubſtantiam in ſuam Chriſtus convertit, ut cibus noſter factus totum hominis cor, totam mentem, totos animi affectus in ſe transformet. Tranſubſtantiatio elementorum eſt Euchariſtiæ miraculum, transformatio animorum finis & fructus eſt diviniſſimæ Euchariſtiæ. *Cibus ſum grandium*, aiebat Auguſtino Deus: *nec tu me mutabis in te ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me.* Cibos carnales in ſubſtantiam noſtram convertimus; at divinus Euchariſtiæ cibus in ſe transmutat quos paſcit: quia nimirum corporalem cibum nativus calor concoquit, & agendo animalis, cujus inſtrumentum eſt, imprimit proprietates. At panis Angelorum Chriſtus ore quidem realiter ſumitur, ſolo tamen amoris igne digeritur: amor porrò amantem in rem amatam transfert: unde ſi Chriſtus ſicut oportet comeditur, in Chriſtum comedens commutatur.

Itaque ſi ſcire aves, an dignè cœleſte pabulum frequentes, perpende num mentem à Chriſto ſemotam, voluntatem averſam, ſenſus cordis intimos alienos geras. Cerne utrum te rerum ſæcularium ac terrenarum odio faſtidioque occupatum, divinarum ac cœleſtium ſtudio captum ac velut ebrium ſenſeris. Et cùm te videas omnis devotionis ſenſu & fructibus, quibus ſolida pietas potiſſimùm dignoſcitur, adeo nudum ac vacuum, ut anima tua incultum quoddam ac ſterile ſolum eſſe videatur, in quo præ nimio terrenorum, quibus merſus es, amore; præ inſaniarum falſarum implicatione, nulla charitatis ſcintilla emicat, nulla quâ irrigeris cœleſtis gratiæ ſtilla pluit.

Ergo ut vera contingat cordis, animique tranſubſtantiatio, expurga vetus fermentum, & munda cordis tui habitaculum; quia cor purum quærit puritatis amator. Inſiſte orationi, ingemiſce, pete, quære, pulſa, neque incepto antè deſiſte, quàm ut à Deo interioris gratiæ radios experiare, & amoris ejus indicia & pignora exprimas, ac velut extorqueas. Fruſtra animi tui in Chriſtum transformandi beatiſſimam unionem expectas, ſi omnes ambitionis ac voluptatum libidines incluſas animo immorariſque ſerves, ſi tui mundique amore ferveas, ſi arctiſſimis ſæculo vinculis aſtrictus ſis. Solo calore fit cibi tranſmutatio: quid ergo mirum ſi in Chriſtum quem realiter ſumis non transmuteris, qui nedum torpore & ariditate in Sanctos quandoque cadente afficeris, ſed lethali etiam frigore illo laboras, quod à vitæ pravitate, à cupiditatum corruptela, ab ardenti terrenorum ſtudio, à tui ipſius amore immenſo, ab incuria & diſſolutæ vitæ languore proficiſcitur.

Quotquot ad fortunatam illam cordium transformationem aſpiramus, audiamus Chryſoſtomum hom. 83. in Matth. ſeriò monentem: *Nemo nauſeans ad hanc menſam adeat, nemo remiſſus; ſed alacres, accenſi, & ferventes omnes accedant. Nam ſi Judæi ſtantes, calceati, ac baculos in manibus habentes cum feſtinatione paſchalem agnum comedebant: quantò magis vigilare nos decet, viridioſque & inflammatos ad Sacramentum iſtud animos afferre?*

SPECU-

SPECULATIO III.

Inter ſolvenda argumenta à ratione petita, Catholica tranſubſtantiationis doctrina magis magiſque explicatur.

EXpoſitis paucis quæ ex Patribus depromunt Lutherani argumentis, elidenda ſuperſunt petita ab humana Philoſophia eorum ſophiſmata; cùm enim te ab authoritate ſacra deſertos nudoſque ſentiant, rationem humanam in fidem hæreticorum more armare moliuntur.

Et quidem vulgarem cavillum ab accidentibus, quæ ſine connaturali ſubjecto exiſtere non poſſe vaniloquus maniſſimus contendunt, deſumptum, ſuperius contrivimus. Neque enim convincere unquam poterunt inhærentiam actualem ad eſſentiam accidentium deſiderari; aptitudinalem & radicalem, Deo præſertim qui omnia portat verbo virtutis ſuæ miraculosè operante, non ſufficere. Oſtendant ſi poſſint, Creatorem omnipotentem, qui omnia de nihilo condidit, creata non poſſe ſine naturalibus fulcris conſervare. Fortè creaturarum adminiculo eget conſervator Deus facta ne pereant, qui ipſa adminiculi ſuſtentandi vim contulit? Det virtutis teſſera eſt è nihilo agere: tunc ergo dignè agit omnipotens, cum è nihilo ſubjecti facta tenet atque conſervat, qui ſubjecta ipſa è nihilo creavit. Nec propterea accidẽtia ſunt in ſtatu violento, quia cum cuilibet enti inſita ſit univerſalis ad obediendum Creatori obedientia, quæ omni eſt peculiari propenſione antiquior & vehementior, nulla fit accidentibus violentia, dum peculiaris inclinatio univerſali oti Deo ſupernaturaliter agente & omnia ſuaviter diſponente concedit. Et ſanè congruebat accidentia panis deſinente per tranſubſtantiationem ſubjecto permanere; tum quia non eſt conſuetum hominibus, ſed horribile humanam carnem edere, ſanguinemque potare: porrigi ergo nobis debuit caro & ſanguis Chriſti ſub earum ſpecie rerum, quæ frequentius in uſum hominis veniunt, qualis eſt panis & vinum. Tum ne ſi ſub ſpecie propria Dominus ederetur, impiorum irriſioni exponeretur. Tum ut dum inviſibiliter corpus & ſanguis Chriſti ſumitur, major exercendi & captivandi intellectum in obſequium fidei occaſio præbeatur.

Quod ſi ſuam ſine ſubjecto accidentibus exiſtentiam largiatur Deus, qui eſt primum totius eſſe principium, liquidò conſequitur accidentia Euchariſtica eandem poſſe operationem omnem prorumpere, quam dum in ſubjecto inerant elicere nata erant; operatio namque ſequitur eſſe, & unumquodque in tantum operatur in quantum eſt actu, unde ſi accidentia divinitus ſine ſubjecto eſſe poſſunt, ſine illo etiam operari utique poterunt; non enim operatio accidentis magis pendet ab operatione ſubſtantiæ, quam eſſe accidentis ab eſſe ſubſtantiæ. Quod ſi accidentia poſſunt ſine ſubjecto exiſtentia in alia ſubjecta operari, poterunt etiam ab aliis agentibus pati, ſeu eorum actionis impreſſum impulſum recipere, ſubindeque deſtrui & corrumpi, ſi actionis agentis contrarii impetum ferre non valeant: cùm enim actio & paſſio ſequantur eſſe, ſi eſſe divinitus accidentia ſine ſubjecto poſſunt, ſicut ſine illo agere; ita & ab aliis agentibus ſine ſubjecto pati poſſunt.

Multa autem huc ex Philoſophia aſportari poſſent, ſed quia varii variè philoſophantur, his tricis implicandam Theologiam minimè neceſſarium reor. Thomiſtarum tamen & communior ſententia eſt, ſolam quantitatem ſine ſubjecto exiſtere, cætera verò in quantitate ſubjecti vices gerente ſuſtentari. Tum quia ad omnis accidentia divid ad diviſionem quantitatis; unde ei inſunt, eit commenſurantur, cujuſque ſectione interſecantur. Tum quia actionis & reactionis accidentium Euchariſticorum certo minus dari commune ſubjectum, quod eſt quantitas ad genus cauſæ materialis proximè accedens, cùm ſit prima ſubſtantiæ corporeæ proprietas. Sicque omnia in ſpeciebus Euchariſticis & connaturalius fiunt, & commodiùs explicantur, & innumera ſine neceſſitate miracula non multiplicantur.

Dices: Concurſus cauſæ materialis impræſcindibilem involvit imperfectionem partis componentis, & recipientis ab alia perfectionem. Ergo Deus ſupplere cauſalitatem materiæ & ſubjecti accidentium non poteſt, quia non decet actum purum ab omni imperfectionis labe immensùm alienum vel aliud recipere, vel ab alio perfectionem mendicare.

Reſpondeo Deum non poſſe cauſalitatem ſubjecti per modum ſubjecti recipientis formam, ab eaque perfectionem emendicantis ſupplere; ejus tamen concurſum efficienter ſupplere poſſe quidquid per concurſum materialem præſtatur. Sicut enim vices formæ informantis, & cum materia totum componentis gerere non poteſt, tametſi quidquid præſtat forma eminentiori & nobiliori modo ſupplere valeat, ut patet in myſterio Incarnationis, in quo divini Verbi ſubſiſtentia humanitati propriâ exiſtentiâ & ſubſiſtentiâ nudæ totum confert, quod ab illa forma præſtaretur; ita quidquid materia ſuſtentando facit, totum id Deus Verbo virtutis ſuæ effectivè portare, & conſervare poteſt.

Inſtabis: Dum Deus ſubjecti accidentium vices & officium ſupplet, vel id per manutenentiam duntaxat præſtat, vel id per modi per ſe exiſtentiæ communicationem efficit: neutrum dici poteſt. Non primum, quia niſi conſervatio Dei aliquid reale quantitati imprimat, cujus beneficio per ſe exiſtat, eodem ſicut antea modo quantitas ſe habebit. Secundum etiam dici nequit, quia modus realis per ſe exiſtendi eſt ſubſtantiæ proprius, nec poteſt accidenti eſſe communis; nec minùs repugnat modum per ſe exiſtendi communicari accidenti, quàm modum exiſtendi in alio ſubſtantiæ diffundi, alioquin rerum naturæ confundentur, & omnia ſuſque deque miſcebuntur. Ergo ſubjecti concurſum Deus ne quidem efficienter ſupplere poteſt.

Reſpondeo eatenus quantitatem panis in Euchariſtia exiſtere per ſe, quatenus Deo eam manutenente ſubjecto non inhæret, nec illius eget fulcimento. Neque opus eſt ut quantitati aliquid Deus reale imprimat, ut ſine ſubjecto perſiſtat; ſed ſat eſt, ut ejus perenni conſervatione faciat Deus ne in nihilum relabatur. Fictitius enim, & impoſſibilis eſt modus aliquis poſitivus exiſtendi per ſe accidentibus communicatus, quia vel eſſet ſubſtantialis, vel accidentalis. Non ſubſtantialis; tum quia nulla remanet in Euchariſtia naturalis ſubſtantia, ſed una remanent accidentia ſub quibus corpus Chriſti latet; tum quia modus quivis rei modificatæ naturam & conditionem ſapit ejuſque perfectione inferior eſt; modus autem ſubſtantialis accidentibus perfectione præſtat. Non poteſt etiam modus ille eſſe accidentalis; cùm enim modus accidentalis accidens ſit, tam repugnat modum illum eſſe ens per ſe, quàm repugnet non eſſe accidens. Sanè cùm modus ille quantitati quam afficit inhæreat, profectò non per ſe exiſtit, ſed in alio; at quomodo quod in alio exiſtit & eſſentialiter alteri inhærere exigit, modum exiſtendi per ſe alteri tribuet? Quomodo

do quod non habet, nec habere poteſt, alteri dabit? Quomodo effectum formalem formâ ſuâ longè nobiliorem conferre valebit? Quapropter ſicut Deus ſubſtratis non eget fulcris ut accidentia conſervet, ita nec adventitiis indiget adminiculis ea ut ſuffulciat.

Objicies rurſum. Ex Euchariſtia etiam poſt conſecrationem poteſt aliquid ſubſtantialiter generari, & interdum de facto generatur, cùm è putreſcentibus ſpeciebus vermes naſcuntur: atqui generatio ſubſtantialis ex præjacente materia & ſubſtantia fit; forma namque generatorum vermium nec ex accidentibus ſolis, nec ex incorruptibili Chriſti Domini corpore educitur: ergo in Euchariſtia ſubſtantialia panis materia, quæ ſubſtantialis formæ de novo genitæ ſubjectum ſit, perſeverat, ſubindeque vera non datur tranſſubſtantiatio. Idem argumentum fieri poteſt de nutritione; poteſt enim quis ex ſpeciebus Euchariſticis ſubſtantialiter nutriri: non nutritur autem homo ex ſolis panis accidentibus, nec ex corpore Chriſti: ergo integra remanet unde nutriatur panis ſubſtantia.

Reſpondeo certum eſſe atque experientiâ compertum multa ſæpe ex Euchariſtia generari. Patet enim ad ſenſum ex ſpeciebus nimio humore corruptis vel mora diuturniore ſervatis vermes effluere eaſdem combuſtas in cineres redigi, efficique acetum. Certum eſt etiam ſubſtantias in generationibus illis de novo productas ex incorruptibili Chriſti corpore non educi, nec etiam ex aëre circunſtante, ut quibuſdam olim viſum eſt, enaſci. Quia uti benè argumentatur, art. 5. S. Thomas, illud ex quo aliud generatur, priùs alteratum & corruptum apparet: nulla autem in aëre circunſtante corruptio vel alteratio viſa eſt. Tum quia non eſt talis natura aëris, ut ex ea corrupta vermes vel cineres generentur. Tum quia ex magna ſpecierum quantitate magna etiam vermium vel cinerum, vel aceti copia generatur: tanta autem terreni corporis abundantia non eſt ex ſubtili aëris materia, atque non addenſatâ generari nata. Tum demùm quia ex Euchariſticis ſpeciebus in auro & argento circunſtante recluſis ſimilis generatio obvenit, quæ tamen circunſtantes materiæ integræ perſeverant: ergo quod aër circunſtet, non probat novas ex illo formas aggenerari.

Non poteſt etiam dici formas illas de novo eductas ex redeunte panis ſubſtantia gigni, ut quibuſdam antiquis à Sancto Thoma memoratis benè viſum eſt. Tum quia cùm ſubſtantia panis ſit converſa in corpus Chriſti, deberet iterum corpus Chriſti converti in ſubſtantiam panis, quod inauditum eſt. Tum quia ſi rediret ſubſtantia panis, vel rediret manentibus accidentibus panis, vel iis omninò corruptis. Non manentibus accidentibus panis, quia nunquam eſt ſubſtantia panis cum corpore Chriſti, ne conſubſtantiatio admittatur. Non corruptis etiam accidentibus panis, quia ſubſtantia panis non exiſtit omnibus ſuis ſpoliata accidentibus, nec in illam ſic nudam agunt cauſæ creatæ novam introducentes formam. Et quanvis per miraculum aliter poſſit fieri, cùm tamen corruptio & generatio in Euchariſtia naturaliter contingat, non eſt ad modos inſolitos ſine neceſſitate recurrendum, debetque ſalvari, ex ſpeciebus Euchariſticis poſſe novum compoſitum naturaliter generari. Quod etiam non ſalvant Scotus & Vaſques, qui volunt novas formas ex nihilo creari: non ſalvat etiam Hiſpalenſis, qui exiſtimat quantitatem à ſolo Deo in corpus Chriſti converti. Illi enim veram generationem experientiâ, quæ non eſt ſine urgenti neceſſitate deneganda, minimè ſalvant, quæ exigit ut forma nova de ſubjecto educatur, vel ſaltem ut unio materiæ cum forma producta vi agentium naturalium attingatur.

Dicendum ergo cum S. Thoma, novas formas educi vi agentium naturalium & quantitate materiæ vices gerente; quod non eſt intelligendum cum Ferrarienſi, ut ſolâ quantitate ſubjecti generationis vices ſupplente compoſitum ſubſtantiale novum ex ſola quantitate & forma coaleſcat. Tum quia in aliis compoſitis nunquam forma & accidentia ſine materia exiſtunt, eſtque miraculum Euchariſtiæ eximium, ut accidentia ſine materia ſubſiſtant; unde non eſt dicendum accidentia vermium & aceti aliorumque corporum quæ ex eis ſucceſſivè generantur, ſine materia ſemper conſiſtere, & hominem pane Euchariſtico diu veſcentem nullam materiam in illa nutritione acquirere. Tum quia ex ſola quantitate & forma ſubſtantiali non poteſt fieri ens per ſe & ſubſtantiale, nec compoſitum phyſicum, quod eſſentialiter materiâ & formâ conſtat. Senſus ergo D. Thomæ eſt, quod quia per conſecrationem datum eſt quantitati ſupplere vices materiæ primæ quantum ad omnia quæ inſtans generationis antecedunt, ita ut & formas accidentales, & omnes diſpoſitiones ad novam formam præparantes recipere queat; ideo Deus introductâ ultimâ diſpoſitione materiam primam producit in ipſo inſtanti generationis novæ formæ, tamen ex ſinu materiæ vi agentium naturalium dicitur educi, quatenus vi ultimæ diſpoſitionis ab agente naturali inductæ materia à Deo producta talem, & non aliam recipit formam. Nec eſt neceſſe quod materia ad recipiendas novæ formæ diſpoſitiones tempore præceſſerit novæ formæ introductionem, modò in ſui vices gerente quantitate anteceſſerit: cùm enim de æquipollentibus idem ſit judicium, ſatis ut quantitas vices & officia materiæ ſupplens toto tempore inſtans generationis antecedente ſub novæ formæ privatione præceſſerit.

Porrò Deus materiam in hujuſmodi generationibus connaturaliter ſubrogat, utpote qui ad exigentiam cauſarum naturalium eam ſubminiſtrat. Statim enim atque diſpoſitiones ad novam formam poſitæ ſunt, exigunt cauſæ naturales eam formam introduci, ad quam diſpoſitiones per ſe ſunt inſtitutæ: forma verò cùm introduci non poſſit niſi in materiam, nec materia vi agentium naturalium produci poſſit; idcircò ad generalem totius orbis proviſorem attinet cauſarum ſecundarum exigentiæ ſeſe accommodare, ac convenientem proinde materiam mox educendæ formæ ſupponere; ſicut animam rationalem ad exigentiam organicæ materiæ creat. Quæ materia vel creatione, vel ut probabilius videtur, converſione quantitatis in materiam producitur, ut quantitas quæ recipit diſpoſitiones, in ipſam materiam convertatur, quæ ſola formam recipere poteſt. Ea etiam dicendi ratione res modo magis connaturali, qui retenta myſterii & doctrinæ catholicæ veritate admodum æmulandus eſt, explicatur, ſalvaturque id quod remanet de ſubſtantia panis eſſe ſubjectum formæ eductæ, ſin immediatum certè mediante materia in quam converſum eſt. Ex quibus argumentum à nutritione deſumptum omninò ſolutum manet; cùm enim nutritio ſit partialis generatio, ſicut ex ſpeciebus Euchariſticis poteſt aliquid generari, ita & ex eis pari modo nutriri.

Objicies iterum: Si nihil de ſubſtantia panis in Euchariſtia remaneret, tota panis ſubſtantia ad nihilum redigeretur; quid enim eſt quippiam annihilari, quàm ita in nihilum cedere ut nulla rei pars remaneat; ſicut nihil eſt aliud corruptio quam deſtructio

formæ,

mæ, remanente ſubjecto. Atqui tota panis ſubſtantia non annihilatur, cùm in corpus Chriſti convertatur, & ab uno eſſe in aliud tranſeat, unde nulla datur converſio, ſi vera contingat ſubſtantiæ panis annihilatio. Ergo aliquid in Euchariſtia de ſubſtantia panis permanet.

Reſpondeo inter Theologos Catholicos convenire, totam panis ſubſtantiam deſinere, nihilque ejus poſt conſecrationem remanere ſive quoad formam, ſive quoad materiam. Contendunt tamen Scotus, Ochamus, eorumque diſcipuli, hujuſmodi deſitionem annihilationem eſſe & jure vocari. Negant cum S. Thoma ejus diſcipuli, aliique non pauci, quibus omninò adhærendum eſt. Etenim ad annihilationem propriè dictam exigitur tum totalis rei ſecundùm omnes & ſingulas ſuæ entitatis partes deſitio per meram divini concurſus ſuſpenſi ceſſationem, tum ut ad illius deſitionem nihil reale & poſitivum ex natura rei ſequatur. Ratio eſt, quia annihilatio opponitur creationi; unde quemadmodum creatio eſt à nihilo tanquam termino à quo, ad ens tanquam terminum ad quem; ita annihilatio debet eſſe ab ente tanquam à termino à quo ad purum nihil tanquam terminum ad quem. Si autem vel aliquid rei remanet, vel ſi ex rei deſitione aliquid poſitivum ſequatur, jam res non cedit in merum nihilum, ſed in aliquid poſitivum. Ergo ſubſtantia panis non annihilatur in Euchariſtia. Et confirmatur ex S. Thoma *quæſt. 75. art. 3.* Secundùm fidem Catholicam panis verè & ſubſtantialiter convertitur in corpus Chriſti: at ſubſtantia quæ prorſus annihilatur non convertitur in aliam; ſubſtantia enim quæ convertitur in aliud tranſit in illud; quod autem in aliud tranſit, nequaquam in nihilum cedit: igitur ſubſtantia panis in Euchariſtia non annihilatur. Sanè ſi vera eſſet Scoti ſententia, ad conficiendam Euchariſtiam duæ deſiderarentur actiones, una ſubſtantiam panis ad nihilum redigens, altera corpus Chriſti producens vel adducens; ex annihilatione enim totali ſubſtantiæ panis non magis aut potius ſequitur ex natura rei productio corporis Chriſti, quàm alterius. Ergo in Euchariſtia non dabitur una actio convertens panem in corpus Chriſti; actio enim converſiva exigit duos terminos poſitivos, ita ut ex deſitione unius alter per ſe ſuccedat.

Ad difficultatem in contrarium dicendum, annihilari illud, cujus ita nihil remanet ut aliud etiam per converſionem non ſequatur; panis autem non fit merum nihil, ſed fit corpus Chriſti. Sicut enim forma non dicitur annihilari, quando ex corruptione illius ſuccedit generatio alterius; ita tota ſubſtantia non dicitur redigi in nihilum, quando ex vi deſitionis illius per ſe producitur altera: actio autem per quam deſinit panis, unà in corpus Chriſti quod in illius locum ſufficitur per ſe tendit; ex poſitione enim corporis Chriſti per ſe panis deſinit, & ex deſitione panis per ſe corpus Chriſti ſuccedit. Unde una & eadem actio eſt quâ deſinit panis, & præſens ponitur corpus Chriſti. Non enim veritati conſona videtur opinio Suaris exiſtimantis admittendam eſſe ſpecialem actionem, quâ ſeparentur accidentia à ſubſtantia. Etenim priùs naturâ deſinit ſubſtantia quàm accidentia ſeparentur; ideo enim à ſubſtantia ſeparantur, quia ſubſtantia deſinit. Maximè verò quia ſi unâ actione panis ſubſtantia ſeparatur ab accidentibus & deſinit, aliâ verò ponitur Chriſti, jam illæ actiones erunt diſparatæ, nec ſubſiſte ratio converſionis, ad quam planè requiritur, ut terminus à quo tranſeat in terminum ad quem ex efficacia ejuſdem actionis.

Hanc autem totalem panis in corpus Chriſti converſionem penetrantiùs intelliges, ſi cum D. Thoma *art. 4. ad* 3. conſideres, virtute quidem agentis finiti non poſſe formam in formam, nec materiam in materiam commutari: at virtute agentis infiniti, cujus actio in totum ens protenditur, optimè poteſt talis converſio fieri, quia nimirum utrique formæ & utrique materiæ communis eſt natura entis, & id quod eſt entitatis in una poteſt totius entis effector in id quod eſt entitatis in altera convertere, eo per quod ab illa diſtinguitur ſublato. Sanè qui è nihilo potuit omnia Creator omnipotens efficere, quidni quodlibet ens in aliud valebit commutare, cùm longè major ſit inter ens & non ens, quàm inter hoc & illud diſparitas atque diſtantia? Et quamvis in converſionibus formalibus, in quibus una forma in aliam mutatur, eadem remanente materiâ, commune ſubjectum converſionis deſideretur, non tamen in converſionibus totalibus, ad quas ſufficit ut ex vi actionis converſivæ deſtruatur terminus à quo, & producatur terminus ad quem, ſufficitque ut ſub utroque extremo permaneat ratio communis entis.

Quare noſtra ſententia magis eſt doctrinæ Eccleſiæ conſentanea, quæ tradit in Sacramento Euchariſtiæ veram intercedere converſionem ſeu tranſubſtantiationem; quod ſacra Concilia expreſſè definivere, atque ex ipſius veritate formæ liquidò colligitur. Ut enim hæc propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, ſit vera, neceſſe eſt ut contentum ſub ſpeciebus pronomine *hoc* demonſtratum, in fine prolationis verborum non ſit amplius panis, ſed corpus Chriſti evadat; quod planè exigit ut fiat tranſitus & mutatio panis deſinentis in Corpus Chriſti. In hoc etiam myſterio quatuor conditiones ad veram converſionem requiſitæ omninò reperiuntur. Primò enim eſt inter terminos poſitivos, à quorum uno fit tranſitus ad alium. Secundò terminus, à quo fit converſio, deſinit eſſe. Tertiò aliquid poſitivum ſuccedit. Quartò inter deſitionem unius & poſitionem alterius non mera concomitantia, ſed connexio quædam intercedit.

Dices. Ex vi actionis quâ corpus Chriſti ponitur in Euchariſtia, non neceſſariò deſinit ſubſtantia panis; neque enim repugnat quin de potentia Dei abſoluta ſubſtantia panis unà cum corpore Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis contineatur. Ergo inter deſitionem panis & ſucceſſionem poſiti corporis Chriſti non eſt neceſſaria connexio.

Reſpondeo, quod quamvis non eſſet eſſentialis connexio inter deſitionem panis & poſitionem corporis Chriſti, quamvis etiam poſſet corpus Chriſti aliter quàm per converſionem panis in ipſum in Euchariſtia divinitus poni hoc tamen nihil noſtræ aſſertioni officeret, quæ exigit ſolùm, ut ex vi ejuſdem actionis corpus Chriſti præſens ponatur, & ſimul deſinat ſubſtantia panis, quidquid aliter de extraordinaria Dei potentia contingere poſſit; tunc enim eſt vera converſio, quando inter deſitionem termini à quo, & poſitionem termini ad quem connexio quædam connaturalis exiſtit.

An autem de potentia Dei abſoluta corpus Chriſti aliter in Euchariſtia poſſit exiſtere, quàm per converſionem panis in ipſum, variè opinantur Authores. Capreolus enim, Paludanus, & Ferrarienſis exiſtimant id eſſe impoſſibile, nec poſſe etiam de potentia abſoluta ſubſtantiam panis ſimul cum corpore Chriſti ſub ſpeciebus contineri. Eis etiam maximè favere videtur S. Thomas *in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1.* ubi dicit, non poſſe etiam per miraculum fieri, ut aliquid nunc ſit alicubi ubi prius non fuit, ipſo nihil mutato, vel aliquo in ipſum; ſicut implicat aliquid eſſe animal rationale & & non eſſe hominem. Et *ad* 3. ſic habet: *Ad hanc poſitionem* (ſcilicet quod corpus ſimul cum ſubſtantia panis realiter præſens variis in locis ſub ſpeciebus exiſtat) *ſequitur gravius inconveniens quàm quod contradictoria ſint ſimul vera; quia ponit deſinitionem, ſcilicet aliter eſſe nunc quàm prius; & nunc poteſt ponere deſinitum, ſcilicet motum, neque in corpore Domini, neque in ſubſtantia panis.* Id etiam ſuadet ratio

quâ S. Doctor *quæſt. 72. art. 2.* probat corpus Chriſti non poſſe ſimul exiſtere cum ſubſtantia panis. Nihil poteſt eſſe alicubi ubi priùs non erat, niſi per motum localem, vel per converſionem alterius in ipſum. At corpus Chriſti non incipit eſſe in hoc Sacramento per motum localem, alioquin deſineret eſſe in cœlo: ergo per ſolam converſionem panis in ipſum: ergo eâ converſione ſublatâ & remanente ſubſtantiâ panis non poſſet ſacramentalis Chriſti in Euchariſtia præſentia multiplicari. Nec dicas S. Thomam loqui de potentia ordinaria; de hac enim potentia loquitur S. Doctor, per quam inſtitutum eſt hoc ſacramentum, quæ utique non eſt ordinaria. Denique ſi corpus Chriſti poſſet eſſe in Euchariſtia ſine converſione ulla præſens, vel illam præſentiam ratione ſubſtantiæ, vel beneficio quantitatis acquireret. Non primum, quia ſubſtantia non eſt ratio occupandi locum in corporibus. Non ſecundum, quia alioquin corpus Chriſti eſſet tibi circumſcriptivè, & ſimul in cœlo, quod in doctrina S. Thomæ repugnat. Adverte autem non eſſe quæſtionem, utrum corpus Chriſti poſſit cum ſubſtantia panis penetrativè poni; id enim certū eſt eſſe poſſibile: ſed tunc deſinere eſſe in cœlo corpus Chriſti oporteret, quia una & eadem quantitas non eſt ſufficiens duo loca occupandi ratio. Sed quæſtio procedit de præſentia Sacramentali, utrum nimirum poſſit Chriſti corpus ſacramentaliter in Euchariſtia, & ſimul connaturali modo in cœlo abſque ulla panis in ipſum converſione exiſtere.

Veruntamen Cajetanus & Soto id eſſe poſſibile affirmant: tum quia quantitas panis manet cum quantitate corporis, Chriſti; quidni ergo ambæ ſimul ſubſtantiæ manere poſſunt? Non enim videntur minùs incompoſſibiles, minuſve inſociabiles duæ quantitates, quam duæ ſubſtantiæ; ſed potiùs magis videntur oppoſitæ, cùm proprius quantitatis effectus ſit aliam eodem loco expellere. Tum quia cùm duo corpora invicem penetrantur, una ſubſtantia eſt alteri intimè præſens & veluti infuſa: ergo poteſt cum ſubſtantia panis adeſſe ſimul corpus Chriſti. Tum quia actio quâ ponitur in Euchariſtia corpus Chriſti, eſt vera productio, ut poſteà dicemus, ita ut ſi per impoſſibile corpus Chriſti non exiſtere, per illam actionem reverà produceretur: ergo vi & efficacia illius actionis poteſt poni conſervarique corpus Chriſti in Euchariſtia, tametſi ipſa remaneret panis ſubſtantia.

Hæc tamen argumenta abſque grandi negotio diſſolvunt primæ ſententiæ aſſertores, ad primum quidem dicentes non eſſe paritatem, quia quod ibi non poſſit eſſe ſubſtantia panis ſimul cum ſubſtantia corporis Chriſti, non ex incompoſſibilitate ſubſtantiarum proficiſcitur, ſed ex eo quod nequeat corpus Chriſti alibi exiſtens ſacramento intereſſe niſi per alicujus in ipſum converſionem; quantitas verò corporis Chriſti poteſt divinitus cum quantitate panis ſimul poni cum eaque penetrari, quia cùm ſit proprietas corporis Chriſti, illud ſemper & ubique comitatur. Ad ſecundum dicunt, ſubſtantiam panis poſſe quidem cum ſubſtantia corporis Chriſti ſimul divinitus poni, ſed tunc corpus Chriſti in cœlo eſſe deſiturum. Ad tertium reſpondent, actionem illam eſſe quidem corporis Chriſti productivam, ſed ſimul neceſſariò converſivam, habentem conſequenter indiſſolubilem cum deſitione ſubſtantiæ panis connexionem.

Utramque ſententiam conciliare nituntur aliqui Thomiſtæ recentiores, ſi nimirum doctrina S. Thomæ intelligatur eo ſuppoſito quod de facto contingit, nimirum corpus Chriſti incipere eſſe in hoc ſacramento abſque ulla ſui mutatione; & hoc ſuppoſito verum eſt repugnare corpus Chriſti eſſe abſque ulla ſui mutatione in Euchariſtia, & ibi non eſſe per converſionem panis in ipſum. Sicut enim Deus, quia nunquam mutatur, non poteſt incipere eſſe de novo in creatura ſine mutatione creaturæ: ita nec corpus Chriſti in hoc Sacramento abſque ulla ſui mutatione eſſe poteſt, niſi panis ipſe per converſionem in corpus Chriſti mutetur. Cum quibus ſtat, abſolutè poſſe conſtitui corpus Chriſti in hoc ſacramento ſimul cum ſubſtantia panis, etiamſi non deſinat eſſe in cœlo, modò tamen aliquo alio pacto mutetur. Hæc & alia multa ſubtilia magis quàm neceſſaria tuo judicio, Lector, permitto.

Objiciunt demùm Lutherani, tranſubſtantiationis nomen eſſe in Eccleſia novum & peregrinum, in Scripturis non legi, non fuiſſe ab Apoſtolis vel Sanctis Patribus uſurpatum, ſed à Concilio Lateranenſi poſt mille, ducentos annos in Eccleſiam fuiſſe invectum: ergo & ipſa res per nomen illud ſignificata nova eſt, ac proindè Catholicis dogmatis minimè annumeranda.

Reſpondeo eodem prorſus modo Arianos conſubſtantialitatis nomen olim calumniatos fuiſſe, quo nunc Lutherani tranſubſtantiationis vocabulum infamant. Unde ſicut nunc Eccleſia ore Athanaſii, aliorumque Patrum reſpondit, rem antiquam novum accepiſſe nomen, non vocabulo novo novæ rei virtutem acceſſiſſe, quia Eccleſiaſticæ ſemper moris fuit diſciplinæ, ſi quando hæreticorum nova doctrina inſurrexerit, contra inſolentem temerariarum quæſtionum novitatem rebus immutabiliter permanentibus nominum mutare vocabula, atque ſignificantiùs rerum naturas exprimere: ita illud idem in præſenti pro tranſubſtantiationis nomine reponimus. Id præclarè exponit alibi laudatus Vincentius Lirinenſis. Creſcat, inquit, oportet, & multùm vehementer proficiat tam unis quàm totius Eccleſiæ ætatum ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententiâ. Ut annis ſcilicet Chriſtianæ Religionis dogma conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate; incorruptum tamen illibatumque permaneat, & univerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Ut cum aliquid ex illis ſeminum primordiis acceſſu temporis evolvatur, & nunc lætetur & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur. Addatur licèt forma, ſpecies, diſtinctio; eadem tamen cujuſque generis natura permaneat. Quodcunque igitur in hac Eccleſia *Dei* agricultura fide Patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtriâ decet excolatur & obſervetur, hoc idem floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim ut priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurentur, limentur, poliantur; ſed nefas eſt ut commutentur, nefas eſt ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed neceſſe eſt retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem.

Sanè ſicut in ipſo Chriſtianæ Religionis exordio omnes in Chriſtum Dominum credentes diſcipuli primum vocati, Chriſtiani poſtmodùm dicti ſunt, ut veri à falſis diſcipulis diſcernerentur; impletumque eſt illud Iſaiæ vaticinium. *Servientibus enim mihi vocabitur nomen novum*: ita Eccleſia juxta illam ab Apoſtolis traditam nominibus utendi formam novas hæreſeon peſtes novis nominibus refellere conſuevit. Sic Patrem ingenitum appellavit, Sabellium ut confunderet, qui eum è Virgine natum blaſphemabat. Sic Filium *ὁμοούσιον*, ſeu conſubſtantialem adversùs Arii impietatem nominavit. Sic nomen hypoſtaſis, nomen Incarnationis, nomen ipſum Trinitatis in ſacris licèt litteris non uſurpatū adhibuit. Quidni ergo ad veritatē Euchariſtiæ à Chriſto traditam, ab Apoſtolis prædicatā, à Patribus ad nos perenni traditione derivatam exprimendam, & contra profanas hæreticorū novitates tuendam tranſubſtantiationis nomine jure merito utetur? Fal-

ſum

tum eſt etiam nomen illud à Lateranenſi Concilio eſſe invectum; nam & illius meminit Petrus Bleſenſis epiſt. 140. & res per illud ſignificata aliis æquipollentibus vocabulis à Patribus luculentiſſimè tradita eſt. Quod ſi nomen illud tranſubſtantiationis barbarum & inelegans eſſe hæretici contendant, eorum faſtidium delicatiſſimum facilè ſpernunt Catholici, qui in rebus theologicis Theologos quàm Grammaticos agere malunt. Si enim ſua cuique opificio artificioſa factitiaque vocabula concedimus, nec cum de re illius ſermo eſt, propriis ejus nominibus uti ſordidum, ſed ſcitum ſplendidumque cenſemus; cur quod infimis artibus datur, maximæ omnium, & ab humana non ſolùm ratione, ſed etiam cogitatione elatiſſimæ Theologorum diſciplinæ negabimus? Cur conditas ab eis ad rerum diviniſſimarum adumbrationem dictiones degeneri mollitie & moroſa teneritudine fugiamus? Sed hæretici noſtri malunt cum Grammaticis ornatè quàm verè dicere: at Catholicis Grammaticorum judicio ſquallescere melius eſt, quia pulchrior eſt veritas non ſolùm Hellenâ Græcorum, ſed etiam elegantiâ & nitore hæreticorum.

Quæres, quanam actio ſit tranſubſtantiatio Euchariſtica?

Reſpondeo in primis certum eſſe, tranſubſtantiationem Euchariſticam eſſe actionem propriè dictam. Id enim modus loquendi Patrum apertè declarat; utuntur enim nomine tranſelementationis, mutationis converſivæ, tranſitus unius ſubſtantiæ in aliam, & converſionis: quæ omnes voces actionem ſignificant, quâ una ſubſtantia in aliam convertitur.

Porrò illa actio ſecundùm probabiliorem ſententiam talis eſt ut per eam corpus Chriſti verè producatur, non abſolutè & ſimpliciter, ſed tali modo, nimirum ex ſubſtantia panis in ipſum Chriſti corpus converſa. Id enim dilucidè ſignificat modus loquendi Patrum verbis productionem ſignificantibus utentium. Cyprianus namque, ſeu author ſermonis de cœna Domini, ait corpus Chriſti in Euchariſtia *creari*. Notum eſt etiam illud Hieronymi epiſt. ad Heliodorum: *Honorifica Sacerdotes, qui Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Damaſcenus quoque lib. 4. de fide, cap. 14. *Panem*, inquit, *& vinum corpus ſuum fecit.* Quod Ambroſius non minùs perſpicuè locis ſuprà memoratis tradidit.

Partes ſequutus eſt S. Thomas, qui *art.* 8. docet hanc converſionem in hoc cum creatione & naturali tranſmutatione convenire, quia verè & propriè dicere poſſumus, quod ex non ente fit ens, & pane corpus Chriſti. Quod evidenti argumento eſt, corpus Chriſti ut factum & reproductum eſſe hujus converſionis terminum. Nec placet expoſitio Marci Serræ aientis corpus Chriſti eo modo fieri, quo Deus dicitur factum eſſe refugium noſtrum ſine ulla ſui mutatione, vel productione. Illud enim ſubterfugium textui S. Doctoris apertè adverſatur. Affirmat enim S. Thomas corpus Chriſti eo modo verè & propriè fieri, quo ex non ente ens, & ex aere ignis fit; quæ utique per veram productionem & mutationem fiunt. Juxta etiam tradita à S. Thoma principia repugnat corpus Chriſti eſſe terminum converſionis, & non per veram mutationem produci. Ideo enim S. Doctor ſuprà *quæſt.* 2. *art.* 1. ait eſſentiam divinam non poſſe converti in aliud, nec aliud in ipſam, quia eſt incorruptibilis, & ingenerabilis: ergo ſentit terminum veræ converſionis produci & mutari oportere; nam per ingenerabile, ut notat ibi Cajetanus, intelligit improducibile, cùm cæteroquin poſſit fieri tranſubſtantiatio in aliquid ingenerabile & incorruptibile, quale eſt corpus Chriſti glorioſum. Nec valet aliud ejuſdem Serræ effugium dicentis id eſſe verum de converſione quæ non fit per totalem tranſmutationem, ſed per ſolam formæ corruptionem, qualis ea eſt, quâ elementa convertuntur in mixta, nec eſſe neceſſe terminum totalis converſionis debere mutari. Si enim hæc reſponſio veritate conſtaret, poſſet aliquid in divinam ſubſtantiam totali & tranſubſtantiativa converſione tranſire, cùm hæc nullam in termino converſionis inferat mutationem: quod nedum inauditum, ſed ab ullo Theologo inexcogitatum eſt.

Ratio verò eſt, quia implicat eſſe converſionem ſubſtantialem, & non eſſe productionem termini illius converſionis. Etenim converſionis ſubſtantialis terminus eſt etiam ſubſtantialis, qui per influxum alicujus principii communicatur. At communicatio ſubſtantialis eſt vera productio, ut patet in emanationibus divinis, quæ dicuntur productiones hoc ipſo, quod eſſentia divina quæ eſt in Patre, aliis ſuppoſitis divinis intellectione & amore communicatur. Similiter communicatio eſſe divini facta humanitati aſſumptæ dicitur productio Dei hominis, & per eam Verbum Dei caro factum eſt. Ergo pariter communicatio eſſe ſubſtantialis corporis Chriſti, eſt vera productio, licèt idem eſſe ſubſtantiale ſub nova ratione formali communicetur. Et certè nulla eſt actio converſiva unius rei in aliam ſine actione productiva vel reproductiva ejus in quod fit converſio, ut cùm uxor Loth converſa eſt in ſtatuam ſalis, virga Aaron in ſerpentem, & aqua in vinum in nuptiis Cana. Nec eſt neceſſe ut aliquid de novo producatur; reproductio enim rei abſtrahit ab eo quod res exiſtat, vel ſaltem ſufficit ut ad rem alio modo exiſtentem terminetur.

Confirmatur: Impoſſibile eſt aliquid ibi eſſe ſubſtantialiter, ubi anteà non erat, niſi per veram aliquam actionem producatur, vel certè aliunde adducatur. Atqui corpus Chriſti non ſolùm adducitur in Euchariſtiam, productâ duntaxat novâ præſentiâ, vel unione ipſius cum ſpeciebus Euchariſticis, ut Scotus, Vaſquez, Bellarminus & alii opinantur, quia converſio quæ in Euchariſtia fit eſt ſubſtantialis; actio autem merè adductiva non eſt converſio ſubſtantialis, ſeu tranſubſtantiativa, ſed præſentiæ accidentalis productio. Imò nec converſio dici poteſt; ad converſionem enim requiritur incompoſſibilitas termini à quo, cùm ex vi actionis illius unus terminus in alium tranſeat. Terminus autem, quem producit actio merè adductiva, eſt modus aliquis præſentiæ & ubicationis, ſimilis illi quo Angelus præſens in loco conſtituitur: modus autem ille ubicationis non eſt incompoſſibilis cum termino à quo, ſcilicet pane, cum quo poteſt abſolutè corpus Chriſti penetrari; ſicut nec Angelus dum ſpatio corporeo fit præſens, non continuò ſubſtantiam corpoream expellit. At verò converſio, & maximè ſubſtantialis, exigit ut terminus *à quo* deſinat, atque in terminum *ad quem* tranſeat & tranſmutetur. Unde in ſententia adverſariorum hæc actio non tranſubſtantiatio, ſed tranſpoſitio vel tranſlocatio dici deberet. Neque enim ad tranſubſtantiationem ſatis eſt, quod una ſubſtantia alteri ſuccedat; poteſt enim eſſe ſubſtantiarum ſucceſſio ſine tranſubſtantiatione, ut cùm mortuo homine alter in ejus locum ſufficitur, & corruptis ſpeciebus ſuccedunt vermes, in quos tamen nemo dixerit corpus Chriſti converti.

Ex quibus etiam facilè refelles opinionem Gabrielis & Suaris exiſtimantium tranſubſtantiationem eſſe actionem duntaxat conſervativam corporis Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis; quæ quidem actio corpus Chriſti produceret, niſi de facto illud productum inveniret. Verùm id non ſatisfacit; mera enim conſervatio nulli loco rem conſervatam affigit, ſed ab omni loco abſtrahit, cùm eadem maneat creatio & conſervatio, tametſi præſentia quotidie mutetur. Non immoror in confutando quorumdam recentiorum placito, qui poſuerunt actionem converſivam nec eſſe adductivam, ut vult Scotus, ſed neque productivam, ſed terminari tamè ad corpus Chriſti

ſecundùm eſſe ſubſtantiale, non quomodocunque, ſed ut in illud converſus eſt panis, & ut contentum ſub ſpeciebus ejus. Etenim modus ille dicendi implicat in terminis; repugnat enim corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia præſens, & tamen nec adduci, neque produci corpus illud. Denique omnes falſas ſententias refelles, ſi præ oculis ſemper habeas, hanc actionem eſſe tranſubſtantiativam, cujus terminus eſt ſubſtantia, cujus efficaciâ ſubſtantia una deſinit in aliam in quam convertitur, quæ proinde nec ad ſolum ubi, neque ad aliud quippiam accidentale duntaxat tendit.

Sed dices: Ex D. Thoma *in 4. diſt. 11. q. 1. art. 3. quæſt. 1.* hæc intereſt differentia inter converſiones naturales & miraculoſam, quæ fit in Euchariſtia, quod in naturalibus tranſmutatur & id quod convertitur, & id in quod convertitur: ſed in hac converſione illud in quod fit converſio erat præexiſtens; unde hoc in quod fit converſio nullo modo tranſmutatur, ſcilicet corpus Chriſti, ſed ſolus mutatur panis qui convertitur. Ex quo loco ſic inſtauratur ratio: Converſio Euchariſtica non terminatur in id quod non erat, ſicut converſio aquæ in vinum in nuptiis Cana, & converſio uxoris Loth in ſtatuam ſalis; ſed potiùs hæc converſio deſinit in corpus Chriſti præexiſtens. Atqui quod per actionem aliquam producitur, nunquam actioni præexiſtit: ergo per hujuſmodi converſionem non producitur corpus Chriſti. Etenim quod producitur, de non eſſe ad eſſe mutatur: corpus autem Chriſti hoc ipſo quod eſt præexiſtens, de non eſſe ad eſſe mutari non poteſt.

Reſpondeo quod cùm D. Thomas eò loci docet corpus Chriſti per tranſubſtantiationem non mutari, loquitur de mutatione deſtructiva vel corruptiva, non verò de mutatione perfectiva, quâ res ſemel producta alio modo ſe habet, unde hæc mutatio modalis dici poteſt. Ita enim intelligendum eſſe S. Doctorem patet ex locis pro noſtra aſſertione productis. Ad rationem ſubjunctam dico, id quod præſupponitur exiſtens non poſſe actione primitiva ad rem ſimpliciter efficiendam ordinatâ produci, benè tamen actione ſecundariâ ad rem ſub novo modo conſtituendam ordinatâ: quâ diſtinctione ſponte corruunt quæcunque in ejus rationis confirmationem addita ſunt, quia de primaria & primitiva productione procedunt.

Inſtabis: Ex noſtra doctrina plura ſequuntur inconvenientia. Si enim corpus Chriſti in tranſubſtantiatione produceretur, ſequeretur corpus ex pane productum non eſſe corpus ex Virgine natum, ſicut vinum in nuptiis Cana ex aqua factum non fuit vinum ex vite: & tamen Patres & antiqui Theologi docent in Euchariſtia non fieri novum corpus & novam humanitatem, ſed panem in aliquid præexiſtens converti. 2. Sequeretur idem Chriſti corpus eſſe prius & poſterius ſeipſo. Prius quidem; nam corpus Chriſti eſt potiſſimum inſtrumentum miraculoſæ iſtius converſionis & tranſubſtantiationis, ſicut aliorum miraculorum; cauſa autem efficiens ſuo eſt effectu prior. Poſterius verò, utpote à ſemetipſo effectivè proficiſcens. 3. Sequeretur tranſubſtantiationem eſſe converſionem accidentalem, utpote ad novum duntaxat modum terminatam, quo Chriſtus ponitur in Euchariſtia, neque enim aliquid ſubſtantiale habet Chriſtus in Altari, quod non habeat in cœlo: talis autem eſt mutatio qualis eſt terminus; unde cùm terminus hujus converſionis non ſit niſi novus præſentiæ modus, qui utique accidentalis eſt, conſequitur converſionem iſtam eſſe accidentalem. 4. Sequeretur eundem effectum à duabus actionibus totalibus procedere; corpus namque Chriſti in cœlo exiſtens per unam actionem totalem productum eſt, & in ſacramento per aliam actionem totalem producitur, & rurſus in diverſis altaribus per plures diſtinctas actiones idem corpus producitur. Ex quo ulteriùs ſequeretur plura accidentia ſolo numero diſtincta, plures nimirum actiones productivas in eodem ſubjecto, nimirum corpore Chriſti recipi: quæ omnia veræ Philoſophiæ adverſantur. Denique ſequeretur corpus Chriſti, quoties deſineret ſub ſpeciebus Euchariſticis, toties ſubſtantialiter annihilatum iri; talis enim eſt deſitio, qualis eſt productio, cùm eundem terminum diverſo licèt & contrario modo reſpiciant: ergo ſi productio ſit ſubſtantialis, ita etiam deſitio ſubſtantialis erit, enim id totum deſinat quod fuit per actionem productum. Vel dicendum, quod ſicut uno duntaxat præſentia & ubi ſacramentale deſinit, ita ſolus præſentiæ modus per illam actionem productus fuit.

Reſpondeo, nullum ex noſtra ſententia ſequi inconveniens. Non primum quidem; nam corpus ex Virgine natum idem in Euchariſtia adoramus. Nec eſt ſimile de vino ex aqua producto, quod vinum de vite nequaquam dici poteſt, quia in prima ſui productione ex aqua fuit ſine vite formatum. At idem Chriſti Domini corpus, quod primâ fuit productione ex Virgine natum, per ſecundam actionem reproducitur; unde illud idem eſt, quod è virginali Mariæ ſinu prodiit. Unde Patres dicunt Euchariſtiam eſſe extenſionem Incarnationis: & nota eſt illa ſententia à Sanctis tradita, & in precationibus Eccleſiaſticis frequentata: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Chriſtus quotidie incarnatur.* Et hoc eſt quod intendunt Patres & Theologi, docentes in Euchariſtia non novum Chriſti corpus, nec novam humanitatem produci; ſed non negant idem Chriſti corpus reproduci.

Ad ſecundum dicendum, idem per primariam actionem terminatam ad eſſe ſimpliciter poſſe eſſe prius ſeipſo reproducto per actionem ſecundariam terminatam ad eſſe ſacramentale quod habet corpus Chriſti in Euchariſtia: unde idem non eſt prius & poſterius ſeipſo per eandem actionem & ſecundùm idem.

Ad tertium dico, non eſſe neceſſe ad hoc ut converſio ſit ſubſtantialis, vel terminetur ad ſubſtantiam, quod producatur aliquid ſubſtantiale quod anteà non erat, ſed ſat eſt ut ſubſtantia eadem novo modo producatur. Unde terminus formalis actionis tranſubſtantiativæ non eſt novus modus, ſed ſubſtantia novo modo; non enim à Veritate dictum eſt, *Hoc eſt corpus meum*; ſed, *Hoc eſt corpus meum.*

Ad quartum reſpondeo duas actiones totales in eundem effectum ſub diverſa ratione formali productum ferri poſſe; corpus autem Chriſti in cœlo exiſtens non fuit per actionem converſivam, ſicut in Euchariſtia contingit, productum. Porrò diverſæ actiones Sacerdotum, quibus Chriſti corpus variis in altaribus conſecratur, ſunt duntaxat inſtrumentales, à quibus per ſe non pendet effectus, ſed agente ſolùm præcipuo varia inſtrumenta ad libitum applicante, ut ſuprà dum de pluribus eundem baptizantibus dictum fuit.

Ad id quod additur, plura accidentia non poſſe in eodem recipi ſubjecto individuo, nec conſequenter plures actiones productivas, ſive præcipuas, ſive inſtrumentarias in eodem Chriſti corpore ſubjectari; dicendum plura accidentia ſolo numero diſtincta non poſſe recipi in eodem ſubjecto eodem modo poſito, & in eodem loco conſtituto; benè tamen in eodem ſubjecto diverſis ſub ſpeciebus diſtinctiſque altaribus conſtituto, quia tunc licet ſit idem ſubjectum, hoc ipſo tamen quod eſt ſub diverſis ſpeciebus diſtinctiſque locis præſens, veluti disjunctis ſubjectis æquivalet. Accidentia namque à ſubjecto eodem modo ſumpto & in iiſdem circumſtantiis conſtituto individuantur.

Ad ultimum dico corpus Chriſti corruptis Euchariſticis ſpeciebus nequaquam annihilari, quia annihilatio ſupponit rem abſolutè in nihilum cedere; unde tunc ſolùm talis eſt deſitio, qualis eſt rei productio, quando res per ſe deſinit, & ratione ſui non verò quando ſimpliciter manens deſinit ſolùm ratione alterius, ut corpus Chriſti in Euchariſtia

non

non niſi ratione ſpecierum deſinit ; vel quando eſt deſitio eſſe ſimpliciter & primò producti, non verò quando eſt deſitio rei novo modo reproductæ.

Corollaria derivata.

Ex dictis ſequitur 1. proprium & formalem Euchariſticæ tranſubſtantiationis terminum eſſe Chriſti Domini corpus & ſanguinem ut reproducta per converſionem totius ſubſtantiæ panis, & contenta ſub accidentibus panis & vini modo inviſibili. Patet id ex modo dictis, cùm tranſubſtantiatio ſit actio converſiva corpus Chriſti ex pane producens, tranſmutans, & tranſelementans.

Sequitur 2. Euchariſticam tranſubſtantiationem fieri in inſtanti, ut docet S. Thomas *quæſt. 75. art. 7.* Aliqua enim mutatio triplici ratione poteſt eſſe inſtantanea. Primò ex parte formæ quæ non ſuſcipit magis & minus : ſecundo ex parte ſubjecti, quo ad receptionem formæ ſucceſſivè non præparatur: tertio ex parte agentis non indigentis temporis morâ ſuos ut effectus producat. Atqui his tribus modis tranſubſtantiatio Euchariſtica eſt inſtantanea ; nam & ſubſtantia corporis Chriſti, ad quam terminatur iſta converſio, non ſuſcipit magis & minus; & in hac converſione totali nullum eſt ſubjectum quod debeat ſucceſſivis diſpoſitionibus præparari ; & tranſubſtantiatio ab agente infinitæ virtutis Deo ab omni tempore independenter proficiſcitur. Ergo in Euchariſtia & panis ſubſtantia in inſtanti deſinit, & corpus Chriſti in inſtanti advenit, ac proinde in inſtanti in quo eſt primum non eſſe ſubſtantiæ panis eſt primum eſſe corporis Chriſti.

Sequitur 3. ad corruptionem ſpecierum deſinere corpus & ſanguinem Domini eſſe ſub illis ſpeciebus. Quia ut optimè ait S. Thomas *quæſt. 75. art. 4.* cùm corp⁹ & ſanguis Chriſti ſuccedant in hoc ſacramento ſubſtantiæ panis & vini, eodem modo deſinit ibi eſſe corpus Chriſti, quo panis ſubſtantia deſiiſſet ; unde ſi fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non fuiſſet ſufficiens ad corruptionem panis & vini, propter hujuſmodi immutationem non deſinunt corpus & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento; ſive fiat immutatio ex parte qualitatis, putà cùm color aut ſapor nonnihil immutatur, vel intenditur aut remittitur calor aut frigus ; ſive ex parte quantitatis, ut cum dividitur panis & vinum in tales partes, in quibus poſſet ſubſtantia conſervari. Si verò tanta fiat immutatio, ut ex ea panis vinique ſubſtantia corrumpi nata eſſet, tunc corpus & ſanguis Chriſti ſub hoc ſacramento amplius non remanet, ſive corruptio ſpecierum ex conflictu qualitatum ſpecies deſtruentium, ſive ex imminutione & contritione partium ſub quibus non poſſet forma panis permanere, proficiſcatur. Quæ ſpecierum corruptio, ut *ad tertium* S. Doctor monet, naturalis cenſenda eſt, non miraculoſa, tametſi miraculum præſupponat. Cùm ſpecies illæ per conſecrationem eſſe ſine ſubjecto retinent ſuum : ſicut cæcus miraculo illuminatus & naturaliter videt, & naturaliter vi morbi vel alio caſu exoculatur.

REFLEXIO.

Cum ſtupendam ſpecularis elementorum Euchariſticorum in Chriſtum tranſubſtantiationem, ad beatam illam cordium cum Chriſto conjunctionem animum attolle, quâ novæ creaturæ a ſeipſis liqueſcentes, illi amore copulantur, cujus reali præſentiâ dignantur. Juſtum eſt, æquum plane, Domine Jeſu, ut tibi cor noſtrum immo adhæreſcat, cujus amore rerum naturas mirabili poteſt rerum mutas. Tibi ergo dicat cor noſtrum : *Mihi vivere Chriſtus eſt.* Id eſt, quia mihi permiſeris, ut in te me totum divino cibo transformes, jam non veterem hominem, ſed te novum Chriſte vivo. Tu mihi ſpiritus, tu mihi lumen & vita es. Procul à me omnis affectio humana; procul voluptas, dolor, ira, invidia, vindicta, & injuriarum tenax memoria ; procul honoris ac gloriæ divitiarumque libido; procul quidquam eorum, quæ animum quadam erga ſe affectione polluunt: ſolus ille in corde vivat, qui nihil eſt horum Chriſtus. Si miſſum ferrum in ignem totum profectò ignis efficitur, quidni Chriſto cibo paſtus totus convertar in Chriſtum ? Quidni ad me veniens omnes in ſe transferat & captivet affectus ? Quidni *ad alia omnia*, ut Bernardus *ſerm 7. Quadrag.* ait, *mortuus ſim, non attendam, non curem ; ſi qua verè ſunt Chriſti, hæc vivum inveniant & paratum* ? Poſtquam animatum Chriſti cœlum ſacrâ communione factus ſum, quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum ? Ita planè ſupervacua quæque ex animo tollam, liberum ut in me Chriſtus habeat hoſpitium. Latum ſpatium res tam magna deſiderat. Expellenda omnia ſunt, ut totum illi pectus vacet, quod Chriſti in ſe majeſtatem dignum invenitur ſuſcipere, & ſuſcipiens capere. Tanto hoſpiti locum faciant terreni affectus. Nullam in cordis penetrale, quod totum onus Jeſus occupare debet, alienam ſæculi curam ingredi ſinam. Membra mea templum Dei vivi facta ſunt ; cor ergo meum velut rem ſacram cuſtodiam, ne inquinatam ſedem offenſus hoſpes derelinquat. Ibi hoſtiam vivam, holocauſta ratione prædita, ſacrificia charitatis jugiter offeram; quia ut rectè monet Hilarius can. 33. in Matth. *Nihil eſt quod præter eum oporteat in pectora noſtra penetrare.*

Verùm proh dolor ! Quis hæc ſentit, quis hujus ævi Chriſtianorum cordis in Chriſtum ſui transformationem experitur ? Videmus omnes quæ ſua ſunt quærere, non quæ Jeſu Chriſti. Videmus illos ipſos qui flagitiorum ſuorum ſordes paulo antè in Confeſſione evomuerunt, eorundem vivam ac veluti ſpirantem imaginem in animis infixam, radicem in cordibus penitiſſimè impreſſam gerere ut primùm cùm occaſio inciderit de integro pullulaturam. Illinc in Chriſtum convertuntur, qui diuturnâ atque inolitâ vitiorum labe in eum languorem debilitatemque venerunt, ut ne ad octo quidem dies ab iiſdem peccatis temperare valeant, nullam in ſanctis propoſitis firmitatem aſſequuti? Itáne in illis formatur Chriſtus qui ulceribus ſcatentes manant etiamnum ſanie ac tabo peccatorum, quæ nullis pœnitentiæ ſubſidiis expurgare atque detergere ſatagunt? Panis ille divinus nobis permixtus laſceſcentes fulcit, confirmatos tuetur, gratiam dilabi ac diffluere vetat, quotidiana illius a concupiſcentia importata detrimenta ſarcit, & languentes reficit. Ergo illi panem illum non digerunt, in quibus non ſplendent Chriſti mores, in quibus omnis animi temperatio pravis affectionibus diſſoluta eſt, qui denique peccatorum pondere depreſſi ad Deum ſeſe erigere non poſſunt. Unde hoc ? Timeo *ne infirmum validior cibus opprimat*, ut Ambroſius *lib. 6. in cap. 9. Lucæ*, obſervat : quia ut ibidem ait: *Nemo cibum accipit Chriſti* [utique fructuosè] *niſi fuerit antè ſanatus.* Tranſubſtantiationem ergo Euchariſtiæ non imitantur, quorum corda lapidea in carnea non mutantur.

DISSERTATIO II.

De exiſtentia & eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ, necnon materia & forma illius.

STABILITA Euchariſtiæ veritate, ſeu reali corporis & ſanguinis Chriſti præſentiâ per veram ſubſtantiæ panis & vini in corpus & ſanguinem Domini converſionem & tranſubſtantiationem, ſupereſt ut de

ſacramento ipſo agamus, ejuſque exiſtentiam & eſſentiam exponamus, unde & conſequenter de materia ejus & forma diſſeremus.

CAPUT I.

De exiſtentia & eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ, ubi de neceſſitate, unitate, & inſtitutione illius.

CErtum eſt, dari in Eccleſia Catholica Euchariſtiæ ſacramentum, quod ſit unum ex ſeptem illis quæ Orthodoxi omnes ſemper recepeeunt, & religiosè venerari ſunt. Nullum enim eſt de cujus inſtitutione clariùs loquantur Scripturæ, & unanimis quatuor Evangeliſtarum conſenſus. Aliunde verò in hoc Sacramento ſigna viſibilia apparent; gratia etiam in eo ſicut in fonte hauritur. Ergo ad veritatem & exiſtentiam ſacramenti nihil in Euchariſtia deſideratur, ſed omnia certatim concurrunt.

Exiſtentiam etiam hujus ſacramenti utilitas ejus neceſſitaſque demonſtrant. Etenim proviſor noſter Deus non minùs in ordine gratiæ quàm naturæ & utilia ſuppeditat, & neceſſaria nunquam negat, ut vitæ ſpirituali peræquè ac corporali conſulat. Ergo ſicut vitam corporalem tradit per parentum generationem, vitæ illius perfectionem per augmentum efficit, ejuſdemque conſervationem alimentorum copiâ & delitiis impertitur: ita ad vitam ſpiritualem nos generat per Baptiſmum, roborat & perficit in Confirmatione, fovet & paſcit in Euchariſtia. Igitur utile eſt & neceſſarium hoc Sacramentum, & ut S. Thomas *opuſc.* 37. ait, *Nullum Sacramentum eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantiâ impinguatur.* Sed de his plura dum de effectibus Euchariſtiæ. Ejus autem exiſtentiam magis inſtitutio, ejuſque percipiendi neceſſitas confirmabit; illud namq; in Eccleſia exiſtat oportet, quod à Chriſto inſtitutum eſt, quodve ab omnibus indiſpenſabiliter uſurpandum eſt.

SPECULATIO I.

Euchariſtia Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum eſt lunâ decimaquartâ primi menſis, illud ſubinde in azymo conficiens; quod Sacramentum omnibus eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſin re, certè voto ſuſcepti.

ANtequam prima hujus ſpeculationis pars ſuadeatur, ſciendum eſt Hebræos alio modo dies feſtos, alio modo dies naturales numeraſſe; nam dies feſtos ab occaſu ſolis ad alium occaſum ducebant, ita ut noctem ſequentem & diem craſtinum uſque ad noctem excluſivè complecterentur, juxta illud Levitici 17. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis ſabbatha.* Per ſabbatha autem quælibet feſta, maximè verò ſolenniora intelliguntur; nam ibidem feſtum expiationis, *ſabbathum requietionis* appellatur. Quo more in Eccleſia Chriſtiana feſta quoad officium divinum à prima veſpera incipiunt, & in ſecundam veſperam deſinunt. Dies verò naturales, ſeu uſuales inverſo ordine diſponebant; illos enim ob ortu ſolis ducebant, & ad alium uſque ſolis ortum protendebant, vel ſecundùm alios à media nocte in mediam noctem.

Sciendum rurſus, apud Judæos ſolenne fuiſſe menſes omnes à novilunio exordiri, & idem fuiſſe apud illos diem primum & lunam primam. Porrò primus anni menſis Judæis erat ille, quem nos Martium nominamus, quemve illi *Abib*, vel *Nizan* appellant.

Sciendum tandem juxta legem Moſaicam, quæ habetur *Exodi* 12. lunâ decimaquartâ primi menſis, id eſt decimoquarto à novilunio menſis Martii poſt Solis occaſum dies azymorum incipere, ſeptemque durare diebus conſueviſſe, id eſt ad vigeſimum primum incluſivè. Qui omnes dies paſchales erant, vocabanturque dies azymorum, quia in illis pane fermentato uti minimè licebat. Cæterùm inter omnes illos dies ſolus primus dies, id eſt decimuſquintus, & ultimus qui erat vigeſimuſprimus ſolennes erant & feſtivi. Dicebantur autem dies illi Paſchales, quia Paſcha tranſitum ſignificat; illi autem dies erant inſtituti in memoriam beneficii, quo Angelus vaſtator primogenitos Ægypti interimens, Judæos ſalvos reliquerat, qui ab Ægyptiis expulſi ita feſtinanter diſceſſerunt, ut panes per temporis anguſtias fermentare non valentes, præproperè panes azymos concoquere coacti ſint. Illorum porro dierum inſtitutio habetur his verbis: *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas, & ſervabitis eum uſque ad quartamdecimam diem menſis hujus, immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam, & edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes, & comedetis feſtinanter. Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolennem Domino. Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus veſtris: dies prima erit ſancta & ſolennis, & dies ſeptima eâdem feſtivitate venerabilis.* His animadverſis.

Probatur noſtra, & communis Latinorum adversùm Græcos ſententia ex tribus Evangeliſtis, Matthæo, Marco, & Luca. Primus enim *cap.* 26. ſic ait: *Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus tibi paſcha?* Et poſteà: *Et paraverunt paſcha. Veſpere autem facto diſcumbebat cum diſcipulis ſuis.* Idem repetit Marcus cap. 14. *Prima die azymorum quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli, quò vis eamus, & paremus tibi ut manduces paſcha?* Quibus cùm Dominus reſpondiſſet, & quid opus eſſet facto docuiſſet, *diſcipuli paraverunt paſcha. Veſpere autem facto venit Jeſus cum duodecim,* paſcha celebraturus, ut ibi diffuſius narratur. Et ſimiliter Lucas cap. 22. *Venit autem,* inquit, *dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha; & miſit Petrum & Joannem: & cùm facta eſſet hora diſcubuit, & duodecim cum illo.* Ex quibus evidens elicitur argumentum: Prima dies azymorum erat decimaquarta menſis primi, in qua fermentato uti non licebat, ut patet ex lege duodecimo Exodi capite indicta. Atqui ex præfatis Evangelii teſtimoniis conſtat, Chriſtum prima azymorum die comediſſe Paſcha cum diſcipulis ſuis, ſubindeque illo duntaxat in inſtituta tunc Euchariſtia uſum fuiſſe pane, quo tunc ex præſcripto legis uti licebat; non enim Chriſtus venerat ſolvere legem, ſed adimplere. Ergo Chriſtus lunâ decimaquartâ primi menſis, in qua fermentato veſci pane vetitum erat, Euchariſtiam in azymo conſecravit. Et certè ſi diem à lege præſcriptum in comedendo agno paſchali prævenisset, ut quidam Græci dicunt, juſtam accuſandi, mortique tradendi Chriſti cauſam Judæi inveniſſent. Cùm enim de obſervantia azymorum lex dicat: *Quicunque fermentatum comederit, peribit anima illa ex Iſrael;* ſi illius fuiſſet legis tranſgreſſor Chriſtus, tam ſpecioſam accuſandi Salvatoris cauſam minimè reticuiſſent, qui tam ſtudioſè falſa adversùs Chriſtum teſtimonia conquiſiverant.

Verba Chriſti in ſuo naturali, quem præferunt ſenſu accipiunt Patres, & ille præſertim, cujus authoritatem Græci non revereri non debent, Magnus & divinus Chryſoſtomus, tum hom. 81. in Matth. *Si paſcha comedebant, quare contra legem recumbentes*

come-

comedebant? Verùm dum comederent Paſcha minimè recumbebant, ſed poſtquam illud comedeſſent. Ubi vis paremus tibi comedere paſcha? Addit hom. 82 *Non illud quod noſtrum eſt, ſed interim Iudaorum. ::: Quia omnia quæ ſunt legis adimplevit.* Ubi Chriſtum in comedendo paſchate omnes legis Judæorum ritus obſervaſſe, ſubindeque in azymo celebraſſe clarè tradit. *Illa veſpera*, uti ſubjungit, *quando Iudæi comedebant paſcha*, utique ſine fermentato. Quod & repetit *hom. in Ioan. & orat. 1. in Iudaos.* Idem docet S. Epiphanius *lib. 1. hæreſ.* 30. ubi ait Chriſtum tempore Paſchatis uſum fuiſſe carne & azymis. Idem habet Theophilactus in cap. 22. Luc. *Diem azymorum*, inquit, *nominat feriam quintam, in cujus veſpera paſcha immolaturi erant.* Quod & tradit in commentariis in alios Evangeliſtas; cujus tamen verba corrupta benè ex vetuſtioribus exemplaribus reſtituit Arcudius *lib. 3. cap. 5.*

Dices: Ioannis 13. dicitur Chriſtum ante diem feſtum Paſchæ cœnam ſuam celebraſſe: ſed dies feſtus Paſchæ erat decimusquartus menſis primi, in cujus veſpere feſtivitas incipiebat. Ergo non in illo veſpere Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, aliàs non ante diem feſtum Paſchæ, ſed in ejus exordio cœnam ſuam inſtituiſſet.

Reſpondeo per diem feſtum Paſchæ intelligi ſolennem & feſtivum diem azymorum, ſeu diem uſualem, quo feſtivitas primæ diei azymorum celebrabatur, quæ dies erat prima de ſeptem, contingebatque lunâ decimaquinta omnium celeberrima, in cujus veſpere præcedente, quæ erat luna decimaquatta, immolabatur agnus cum azymis; & tunc Dominus cum diſcipulis cœnavit. Quare eadem omninò dies eſt quam tres Evangeliſtæ vocant diem azymorum, Joannes verò ait ante diem Paſchæ contigiſſe. Illi enim loquuntur de prima veſpera diei feſti azymorum, quæ ad feſtum illud pertinebat; Joannes verò loquitur de die decimoquarto uſuali, qui non erat feſtivus; ſolennitas namque feſti quoad ceſſationem ab operibus non niſi luna decimaquintâ uſuali incipiebat. Dicitur enim Levitici 13. *Menſe primo, decimaquartâ die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt: & quintodecimo die menſis hujus ſolennitas azymorum Domini eſt.*

Inſtabis: Ioannis 18. dicitur quod in die dominicæ paſſionis Judæi non auſi ſunt ingredi prætorium, ne contaminarentur, utque manducationi paſchatis, ſeu agni paſchalis operam darent. Ergo in die quo Chriſtus paſſus eſt manducabatur paſcha: ſed non manducabatur paſcha niſi lunâ decimaquartâ: ergo paſſus eſt Chriſtus luna decimaquartâ. Atqui cœnam Chriſtus non inſtituit niſi pridie quàm pateretur: ergo cœnam Euchariſticam lunâ decimatertiâ, ſubindeque in fermentato Chriſtus inſtituit.

Reſpondeo quod cùm dicitur Judæos in die paſſionis non ingreſſos fuiſſe prætorium, ut manducarent paſcha, per ly *Paſcha* non intelligitur agnus paſchalis, qui primo veſpere cum azymis panibus comedebatur, ſed alii intelliguntur cibi paſchales, qui per ſeptem dierum decurſum à Judæis comedebantur; ſicut enim ſeptem dies, ita ſeptem illorum dierum cibi paſchales meritò dicebantur. Nam ut ex Deuteronomii 16. & 2. Paralipom. 35. patet, Judæi azymos panes, aliaſque victimas ex legis præſcripto offerebant, ad quæ munditia legalis deſiderabatur. Quâ de cauſa dies azymi paſchales, & azyma paſcha indifferenter vocabantur, dicente Lucâ: *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur Paſcha.* Idem quoque Evangeliſta in Actibus Apoſtolorum narrat, quod Herodes captum miſit in carcerem, volens poſt Paſcha producere eum populo. Quid autem per Paſcha intelligat, declarat, ſubjungens: *Erant autem dies azymorum.* Nec mirum, cùm etiam *Exodi* 3. Dominus tria feſta præcipua celebrare conſtituens, Paſcha tacet, ſolennitatem azymorum cuſtodiri juſſit, quâ tamen prætermiſsâ Paſcha obſervari nequit.

Urgebit: Ioannis 19. dicitur: *Erat autem Paraſceve paſchæ hora quaſi ſexta.* Eſt autem paraſceve præparatio ad feſtum celebrandum, ſeu vigilia paſchæ: ergo Chriſtus paſſus eſt in vigilia paſchæ. Unde Iudæi *Matth.* 26. dicebant: *Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Et Lucas *cap.* 23. narrat, die quâ Chriſtus mortuus eſt, religioſas mulieres paraſſe aromata, unde dies ille non erat feſtus, in quo nihil operis facere licitum erat, iis duntaxat quæ ad eſum deſiderabantur exceptis, ut *Exodi* 2. jubetur. Quod ſi Chriſtus ante diem Paſchatis paſſus eſt, à fortiori ante diem illum Euchariſtiam inſtituit, quam pridie quàm pateretur nobis reliquit.

Reſpondeo paraſceven Paſchæ non ſignificare præparationem ad paſcha, ſed præparationem ad Sabbathum, quæ illo anno ipſo paſchalium dierum tempore occurrebat. Cùm enim in Sabbatho parari cibi non poſſent, benè tamen in aliis feſtis, ſolum Sabbathum pareſceven ſeu præparationem habebat, ut patet *Exodi* 15. & 35. ubi Iudæi jubentur feriâ ſextâ colligere cibum pro ſequenti Sabbatho. Et certè Ioannem loqui de paraſceve Sabbathi patet ex eo quod eodem capite ait: *Iudæi ergo quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora in Sabbatho.* Et ex illo Marci 15. *Erat autem paraſceve, quod eſt ante Sabbathum.* Nec obeſt prætextus ille diei feſti, quem Iudæi objiciebant. Nam vox illa eorum fuit expreſſa ſententia, quæ minimè prævaluit, ſed aliorum potiùs obtinuit conſilium, qui falſæ religionis umbone putantes obſequium ſe præſtare Deo, vel odio & invidiâ in Chriſtum perciti eo illum die morti tradendum niſi ſunt, quo major illi infamia ex grandi populi ad feſtivitatem confluentis concurſu crearetur. Non obeſt etiam piarum mulierum in conficiendo aromate labor. Tum quia in aliis à Sabbatho feſtis non erat tam rigoroſa vel ſcrupuloſa ab operibus vacatio; tum quia opera miſericordiæ erga Salvatorem præſertim exercita inter opera ſervilia & prohibita religioſæ illæ & divinitus inſpiratæ mulieres minimè annumerabant. Hac eadem ratione Ioſeph mercatus eſt ſyndonem ad ſepulturam, quæ non eſt opus ſervile, ſed officium charitatis, licitum ſubinde in die ſeſto, ut ex facto Tobiæ claret qui mortuos die feſto, ut *Tobiæ* 2. refertur, ſepeliebat. Deuteronomii etiam 21. præcipitur, ut qui appenſus fuerit in patibulo, eodem die ſepeliretur. Quâ etiam de cauſa Simonis Cyrenæi iter licitum fuit, ſi tamen Simon ille Iudæus fuit; nam Hilarius, Ambroſius, & Leo Gentilem illum fuiſſe volunt; ut typus eſſet converſionis Gentium, in quas crucis Chriſti fructus derivandus erat. Et admodum veriſimile eſt, militum vi hominem extraneum ad probroſum lignum deferendum fuiſſe coactum.

Scio Doctores aliquos aliis modis hæc Græcorum argumenta diſſolvere. Nam Lyranus, Burgenſis, & Maldonatus cenſent Chriſtum quidem lunâ decimaquartâ celebraſſe; arbitrantur tamen eodem die non fuiſſe Paſcha à Iudæis illo in anno celebratũ, ſed ex ſpeciali diſpenſatione in diem decimumquintum, quod erat Sabbathum, ſeu in primas ejus veſperas agni paſchalis eſum tranſtuliſſe; ne, inquiunt, moleſta foret & gravis populo duorum feſtorum immediatè conſequentium celebratio. Verùm hæc conjectura levis videtur; nam præter quod duorum feſtorum immediatè ſuccedentium incommodum ſemel in multis annis occurrens haud magni momenti eſt, inſuper Iudæi in incommodum, quod initio ſolennitatis declinare voluiſſent, in fine incurriſſent; ſi enim in Sabbatho celebratus fuiſſet primus dies azymorum, dies ſeptimus qui erat etiam feſtivus, in feriam ſextam ſequentem incidiſſet, ac proinde in vigilia Sabbathi utique feſti. Accedit, quod in omnibus Scripturæ locis, in quibus dicitur Chriſtum Euchariſtiam inſtituiſſe, aſſeritur etiam eodem id feciſſe die, quo Iudæi immolabant, & neceſſe erat occidi paſcha, ut patet *Lucæ* 26. & *Matth.* 26. Ponderatione

etiam digna ſient illa verba: *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet*; ubi ly *fiet*, ab omnibus faciendū ſignificat; & ly *ſcitis*, hoc futurum more ſolito indigitabat, aliàs illud Apoſtoli neſcivìſſent. Accuſaſſent etiam Iudæi Chriſtum, quòd contra morem & traditionem agnum immolaſſet. Nec eſt ullum imaginariæ illius Iudæorum feſtum paſchæ transferre valentium traditionis fundamentum.

Alii poſt Oleaſtrum & Stellam docent eodem quidem die à Chriſto & non à Iudæis Paſcha fuiſſe celebratum; volunt tamen celebrationem illam in prima veſpere lunæ decimæquartæ contigiſſe, hoc eſt ſub finem lunæ decimætertiæ, biſque rationibus moventur. Primò, quia Iudæi in illo veſpere celebrabant Paſcha, qui ad diē decimamquartā pertinebat: atqui ad illum diē pertinebat primus veſper, nō ſecundus, qui magis ad diem ſequentem ſpectabat. Ergo in primis veſperis lunæ decimæquartæ Chriſtus Euchariſtiam inſtituit. Præterea eodem die immolabant Iudæi agnum, quo primùm in Ægypto immolaverunt, cùm immolatio agni anniverſaria in memoriam prioris immolationis & liberationis fieret: ſed in exitu de Ægypto agnum in principio lunæ decimæquartæ immolaverunt; cùm enim Iudæi egreſſi ſint de Ægypto nocte lunam decimamquartam terminante, ut patet *Exodi* 12. *Deuter.* 16. & *Num.* 13. aliunde verò nocte, qua agnus immolabatur, nemo de domo ante ortum diem exibat, juxta illud Exodi 12. *Nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuæ uſque ad mane*; relinquitur tunc agnum in principio lunæ decimætertiæ Iudæos immolaſſe. Maximè quia cùm ſexcenta hominum millia egreſſa ſint de Ægypto abſque parvulis & mulieribus, neceſſarius ſaltem fuit dies integer ad tantam multitudinem congregandam, ad colligendaque vaſa aurea & argentea atque ſupellectilem quam ab Ægyptiis poſtularunt; unde eâ nocte qua egreſſi ſunt Iudæi de Ægypto, non poterant agnum immolare, ſed illum nocte præcedenti immolare debuerunt, ut per diem integrum, qui inter eſum agni & exitum eorum interfuit, ſuis negotiis conſulerent, atque ad iter ſe accingerent. Unde *Numer.* 13. dicuntur Iudæi altera die à Phaſe ſeu ab eſu agni de Ægypto exiiſſe.

Erudita ſanè ſententia, ſed inde fortaſſis improbanda judicabitur, quod immolari agnum decebat & ſolebat in veſpere ad ſolennitatem pertinente; ſiquidem ille dies ab Evangeliſtis primus azymorum appellatur, qui maximè ſolennis erat. Maximè quia eo veſpere agnus paſchalis manducabatur, quo incipiebat interdictio uſus panis fermentati, ut ex dictis patet. At in primis veſperis lunæ decimæquartæ non erat prohibitus uſus fermentati, nondum enim inceperat primus dies azymorum à ſecundis veſperis lunæ decimæquartæ ortum ducens, ut luna decimaquinta eſſet primus dies ſolennis azymorum.

Motiva etiam in contrarium adducta urgentia non ſunt. Non primum, quia ſecundæ veſperæ lunæ decimæquartæ & ad diem decimumquartum per modum terminantis, & ad diem decimumquintum per modum inchoantis pertinent. Maximè quia celebritas paſchæ non erat feſtiva niſi ratione primi diei azymorum, qui in ſecundis veſperis lunæ decimæquartæ incipiebat, unde celebritas paſchalis à ſecundis veſperis lunæ decimætertiæ, & primis decimæquartæ ortum minimè ducebat.

Secundum etiam motivum nihilo fortius eſt. Tum quia Iudæi de Ægypto nocte quidem declinante, ſed ante ortum ſolis tamen egreſſi ſunt. Neque hoc impedire potuit hominum congregandorum multitudo, vel ſuppellectilis copia, quia ad hoc potuerant retractis diebus præparari, vel ſumma diligentia anguſtiam temporis ſupplere potuerunt. Adde prohibuiſſe Moyſem ne nocte illa è domibus egrederentur, niſi ab Ægyptiis compellerentur, ut patet *Exodi* 12. Unde cum Pharaonis Ægyptiorumque ... exire compulſi ſint, præceptum latum minimè tranſgreſſi ſunt. Et ſanè feſtinanter egreſſos fuiſſe Iudæos inde perſpicuum eſt, quod panes fermentare minimè potuerunt.

Ultimum denique motivum facilè ſolvitur. Ideo namque Iudæi de Ægypto altera die ab eſu agni egreſſi dicuntur, quia in veſpere lunæ decimæquartæ agnum comederant, & diluculo ſequentis diei uſualis exierunt.

Inſiſtes: Chryſoſtomus *hom. de proditione Iudæ*, ait Iudæos impudenti animo *proponere azyma, tanquam qui corda habeant incircumciſa. Vides*, ait paulò poſt, *quod immunda ſunt eorum azyma.*

Reſpondeo damnare Chryſoſtomum azyma Iudæorum, non quòd azymis ſucceſſerit fermentatum, ſed quia volunt ſola azyma ſubſiſtere, & ea nondum eſſe quorum azyma figura erant; cùm tamen veniente Sole, ut ait, non amplius lucerna præbeat lumen, & adveniente veritate ceſſet umbra. Immunda ſimiliter ait eſſe eorum azyma, ſicut & eorum ſacrificia, quæ Paſchæ ſpiritualis adventu evacuata ſunt, & inſtitutione diviniſſimi Sacramenti figuræ impletæ. Cæterùm Chriſtum in illa inſtitutione pane azymo uſum fuiſſe, luculenter nobis tradit Chryſoſtomus dicens: *Et circumciſionem ſuſtinuit* (Chriſtus) *& Sabbatha obſervavit, & azyma comedit.* ::: *Noſtra azyma non ſunt farina humore temperata & macerata, ſed ſincerum inſtitutum, vitaque honeſta.*

Neceſſitas Euchariſtiæ.

Altera ſpeculationis pars aſſerit Euchariſtiæ ſacramentum eſſe omnibus neceſſarium neceſſitate medii, ita ut nullus abſque eo vel re, vel ſaltem voto ſuſcepto ſalutem conſequi poſſit. Dico *ſaltem voto*; nam parvuli ſacris undis intincti, vel proprio ſanguine baptizati ſalutem abſque actuali Euchariſtiæ perceptione obtinent. Sæpe etiam adulti in ea rerum ſerie conſtituuntur, in qua cœleſti hoc cibo paſci nequaquam poſſunt, ut qui tempeſtate jactati in aquis ſepeliuntur, vel qui repentinam mortem in gratia alioquin conſtituti ubeunt. Et ita quoad parvulos ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. his verbis determinavit: *Eadem ſancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem; ſiquidem per baptiſmi lavacrum regenerati & Chriſto incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit: ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe ſine controverſia credendum eſt.* Idem definit *can.* 4. Dixi etiam *neceſſitate medii*; nam Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti cùm Eccleſiaſtici, tum Divini, ſatis ex verbis Salvatoris *Ioan.* 6. & ex Eccleſiæ decretis patet. Quare ſola medii neceſſitate non eſt ſemper neceſſarium hoc ſacramentum re ſuſceptum, cùm ſine eo prima gratia haberi poſſit, & illud phreneticis, vel infirmis vomitum patientibus, vel ultimo ſupplicio addictis ſancta & a Domino gubernata Eccleſia non porrigat.

Cæterùm quod ſaltem implicitum Euchariſtiæ votum ſit omnibus neceſſitate medii neceſſarium, apertè colligitur ex verbis illis Redemptoris Ioan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Idque poſt Auguſtinum infra referendum docet expreſsè S. Thomas *q.* 73. *art.* 3. ubi inter alia quæ huic veritati probandæ peropportuna ſunt, ſic fatur: *Per baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam, & ideò ex hoc ipſo quod pueri baptizantur, ad Euchariſtiam ordinantur per Eccleſiam; & ſic ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex fide Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam.*

Quod

Quod & luculenter confirmat *quæſt. 79. art. 1. ad 1.* inquiens: *Hoc ſacramentum ex ſeipſo virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem hujus ſacramenti, vel niſi in aliquo voto ipſius, vel per ſeipſum ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ ſicut parvuli, ſicut ſupra dictum eſt.*

Ratio verò eſt, quia Euchariſtia eſt omnium Sacramentorum finis, ad quam cætera tanquam media ordinantur. Cùm enim in eo Chriſtus Dominus ſacramentorum author & gratiarum omnium ſcaturigo realiter contineatur, clarum eſt hoc ſacramentum eſſe totius religionis centrum, & chriſtianæ ſanctitatis conſummationem, apicem, & coronamentum: unde fit cætera omnia myſteria & Sacramenta ad Euchariſtiam digniùs ſuſcipiendam, ad ejuſque effectus uberiùs percipiendos ordinari. Nec ſolùm Euchariſtia Chriſtum, qui eſt finis noſter, juxta illud, *Vos autem Chriſti*, continet; ſed ipſe etiam Euchariſtiæ effectus cæterorum eſt ſacramentorum finis & corona: ad hoc namque inſtituta ſunt ſacramenta, ut Chriſto uniti & incorporati vitam adipiſcamur æternam, & glorioſam corporum reſurrectionem obtineamus. Hæc autem per Euchariſtiam obtinemus; divino enim hoc ſacramento Chriſto intimè unimur, eique ut loquuntur Patres, commiſcemur, unde dixit Veritas: *Qui manducat me, vivet propter me.* Futura etiam animæ beatitudo & glorioſa corporum reſurrectio proprius eſt hujus ſacramenti fructus, juxta illud: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.*

Quod ut meliùs intelligas, ſuaviuſque percipias, eo modo Chriſtus Dominus in Euchariſtia conſiderandus eſt, quo Rex in Regno quod moderatur. Sicut enim omnia officia & miniſteria regni & à Rege proficiſcuntur & propter illum ſunt, illi ſerviunt; cunctaque imperii munia reali poteſtati ſubordinata & Regi militant, & in ejus honorem cedunt, & in illius obſequium conſpirant, & membrorum politici corporis cum capite unionem & colligationem intendunt, procurant, conſervant; licèt non omnes ſubditi familiarem cum perſona Regis convictum habeant, quia hæc ſpecialioris amicitiæ ſignificatio à Rege ut privatæ perſonæ munus obit, non ut publici Regni moderatoris officio fungitur, proficiſcitur: ita ſimiliter licèt convivere Chriſto, ejus præſentia frui, & panis cœleſtis ſuavitate paſci ac ſaginari ſit ſpecialis Euchariſtiæ effectus, quo ii duntaxat dignantur qui cibum illum divinum de corde puro & optimo comedunt; attamen unio cum Chriſto capite, quæ hujus ſacramenti effectus eſt, omniū eſt ſacramentorū finis, in quem tota quanta ſunt colliment. Et certè juſtum eſt ut ſicut Deus eſt rerum omnium ultimus finis, ita ubicumque Deus ſpeciali modo invenitur, ibi etiam ultimi finis rationem habeat, cæteraque quæ ad illum ordinem ſpectant, illico ſuæ bonitatis ſubjiciat. Hinc quia in juſtis ſingulari modo inhabitat, ideo omnia propter electos facta ſunt, juxta illud, *Omnia veſtra ſunt.* Quia in Chriſto omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat, ideo propter Chriſtum electi prædeſtinati ſunt, juxta illud, *Vos autem Chriſti.* Quia cœlum Deus ſpecialiter manifeſtatione ſuæ gloriæ incolit, juxta illud, *Cœlum mihi ſedes eſt*, idcirco fortunatus ille locus laborum omnium noſtrorum & deſideriorum meta eſt. Ergo quia Chriſtus ſingulari & ineffabili modo in Euchariſtia realiter præſens eſt, ideo ad Euchariſtiam omnia religionis Sacramenta referuntur. Unde per aquas Baptiſmatis & Pœnitentiæ evadimus receptacula munda ad cœleſtem illum cibum recipiendū idonea; per Confirmationē ad illius myſterii fidem, fideique profeſſionem & defenſionē armamur; & per Ordinē digni conſtituimur Euchariſtiæ miniſtri; per Matrimonium concupiſcentiam frænamus, cujus repreſſio non parva eſt ad immaculatum Agnum immaculato animo manducandum diſpoſitio, & per Extremam Unctionem poſt viaticum conferri ſolitam, unionem cum Chriſto ſuſcepto in ultimo agonis conflictu indivulſe ſervamus, & illud Apoſtoli Deo donante experimur, *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Ex quibus omnibus ſublimo in hunc modum: Atque ſine aliquo finis Chriſtianæ religionis voto poteſt juſtificari, imò ſine voto illo cætera ſuſcipi ſacramenta nequaquam poſſunt; cùm media non niſi ex amore finis aſſumi queant, & cætera ſacramenta media ſint quæ ad Euchariſtiam recipiendam, vel ejus fructum conſervandum proprio & connaturali pondere inclinant, ad eamque velut ad vitæ ſpiritalis conſummationem propendent. Ergo omninò neceſſarium eſt Euchariſtiæ votum, ſin expreſſum & explicitum, certè implicitum & virtuale, quo res deſideratur non in ſeipſa ut diſtinctè cogitata, ſed in aliquo connexionem quandam cum illa habente. Quod implicitum votum in adultis & in actus formales interdum prorumpere, & executioni aliquando mandari debet, cùm præcepta non de habitibus, ſed actibus cùm internis, tum externis, ut ſæpe diximus, dentur. Alioquin fruſtra Veritas dixiſſet: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Quaſi diceret: Non poteritis diu vitam in Baptiſmate acceptam ſine cibo carnis meæ conſervare, nec ad veram vitam in finis ultimi adeptione ſitam pervenire.

Solvuntur objectiones. Mens S. Auguſtini circa Communionem parvulorum accuratè indagitur & exponitur.

Dices: Sine Euchariſtia ſalus æterna obtineri poteſt, cùm ad eam adipiſcendam prima duntaxat gratia requiratur cum perſeverantia in illa; utrumque autem ſine Euchariſtia obtineri poteſt; prima quidem gratia, quia eſt effectus Baptiſmatis, nec eam confert Euchariſtia, tametſi illam foveat augeatque; perſeverantia etiam, quam parvulis præmatura mors ex ſpeciali Dei providentia contingens confert, quam utique mortem votum Euchariſtiæ non infert. In adultis verò perſeverantia eſt donum ſpeciale ſub meritum non cadens, quod quibus voluerit, & quando voluerit largitur miſericors Deus. Ergo Euchariſtia non eſt abſolutè neceſſaria.

Reſpondeo hac objectione firmari magis noſtram ſententiam, ex eaque erui rationem ad eam probandum efficacem. Nam ſicut ad dandam vel reſtaurandam primam gratiam inſtituta ſunt Baptiſmatis & Pœnitentiæ ſacramenta, ita ad conſervandam in accepta gratia perſeverantiam inſtitutum eſt divinum Euchariſtæ ſacramentum. Quemadmodum enim vita animalis per alimenta fovetur, niſi ſtomachum invenerint ægrum, & cibos præ cachectè non laudabiliter, ut loquuntur Medici, concoquentem: ſic vita ſpiritalis cibo animarum, qui Euchariſtia eſt, ſana incolumiſque ſervatur, niſi cor invenerit pravâ peccati affectione laborans. Unde perſeverantia in bono proprius eſt characteriſticus Euchariſtiæ fructus. Præmatura etiam electorum mors ejus effectus eſt, non ut eſt occaſio, ſed quatenus eſt conjunctio mortis cum gloria, quam Deus intuitu Euchariſtiæ voto Eccleſiæ in parvulis deſideratæ impertitur. Et quamvis donum perſeverantiæ adultis collatum ex ſola Dei miſerentis voluntate pendeat, auxilia tamen ad perſeverandum neceſſaria, quibus homo & præcepta ſervat & peccata vitat, confert uſus Euchariſtiæ.

Inſtabis: Quæ ad confirmandam Euchariſtiæ neceſſitatem produximus, nimis probant; convincunt enim Euchariſtiam re ſuſceptam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ac proinde nec ſine ea parvulos decedentes poſſe ſalvari; nam ſicut dictum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non introibit in regnum Dei*; ita de Euchariſtia ſcriptum eſt:

Niſi

Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sicut ergo ex prioribus verbis neceſſarium eſſe baptiſma neceſſitate medii colligimus, ita & idem de Euchariſtia peræquè fatendum eſt. Idque primitivæ Eccleſiæ praxis confirmat, quâ Euchariſtiæ ſacramentum parvulis recens baptizatis conferebatur, ut docent S. Dionyſius *de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 2. & 3.* S. Cyprianus *ſerm. de lapſis*, S. Auguſtinus *epiſt. 107. ad Vitalem*, aliique Patres, ſuoque tempore morem illum viguiſſe teſtatur S. Anſelmus *in cap. 2. Lucæ.* Quod obſervatum minimè fuiſſet, niſi Patres exiſtimaſſent Euchariſtiã re ſuſceptam medium eſſe ad ſalutem conſequendam, non minùs quàm Baptiſma neceſſarium.

Reſpondeo Baptiſmum & Euchariſtiam in hoc convenire, quod ſicut adulti ſine voto Baptiſmi ſalvari nequaquam poſſunt, quamvis ſine eo re collato interdum cum ſolo voto ſalventur; ita ſine aliquo Euchariſtiæ voto nullus adultus ſalutem conſequitur, licèt eam ſine actuali Euchariſtiæ uſu aliquando adipiſcatur. Attamen hoc inter utrumque Sacramentum intereſt, quod Baptiſmus eſt ſpiritalis vitæ principium, & omnium Sacramentorum janua, Euchariſtia verò eſt vitæ ſpiritalis faſtigium & conſummatio, omniumque Sacramentorum finis; quia per omnium ſanctificationes Sacramentorum ad recipiendam vel conſecrandam Euchariſtiam via ſternitur, animuſque inſtruitur & comparatur: & ideo perceptio Baptiſmi ad inchoandam vitam ſpiritalem omninò deſideratur, uſus autem Euchariſtiæ ad vitam illam conſummandam neceſſarius eſt; unde non exigitur ad vitam ſpiritalem ſimpliciter habendam, modò tamen in aliquo voto habeatur, ſicut & finis deſiderio & intentione haberi poteſt. Habent autem parvuli baptizati votum illius finis eo modo, quo habent fidem, nimirum ex intentione Eccleſiæ, ſicut ex fide Eccleſiæ credunt: & ideo per Baptiſmum ordinantur pueri ad Euchariſtiam per vota ipſius Eccleſiæ, unde & recipiunt fructum ipſius, licèt illam re minimè percipiant. At verò ad Baptiſmum non ordinantur per aliud ſacramentum antecedens, & ideò Baptiſmum in voto ſicut adulti habere non poſſunt, remque proinde Baptiſmi ſine actuali Baptiſmo recipere non valent. Ex quibus patet arctioris eſſe neceſſitatis ſacramentum Baptiſmatis quàm Euchariſtiæ. Nec obeſt primitivæ Eccleſiæ praxis, quæ ut ait Tridentinum, probabilem habuit ratione illorum temporum cauſam, ſed neceſſitatem abſolutam minimè imponebat. Nam etiam Confirmatio parvulis poſt Baptiſmum continuò conferebatur, ſine qua tamen parvulos baptizatos poſſe ſalvari nemo ambigit.

Urgebis: Saltem negari non poteſt, Auguſtinum in ea fuiſſe ſententia, ſacramentum Euchariſtiæ re ſuſceptum eſſe omninò & neceſſitate medii ad ſalutem æternam obtinendam neceſſarium. Cùm enim exiſtentiam peccati originalis adverſus Pelagianos probaret ex illo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei?* Pelagianique vim argumenti eluſuri diſtinguerent inter Regnum Dei & vitam æternam, vellentque illud ſolis baptizatis donandum; iſtam verò parvulis etiam Baptiſmate non initiatis; reponebat Auguſtinus, quod etiam à vita æterna excludendi erant non baptizati, propter illud Chriſti: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Eandem præcipiendæ Euchariſtiæ ac ſuſcipiendi Baptiſmatis impoſitam à Chriſto neceſſitatem exiſtimans, ut ex concertationibus Auguſtini adverſum Pelagianos claret.

Reſpondeo non ſolùm heterodoxos quamplures, præſertim Calviniſtas Auguſtinum accuſare, quòd neceſſitatem Euchariſtiæ re ſuſceptæ omnibus impoſuerit; ſed inter Catholicos etiam Joannem Maldonatum *in cap. 6. Ioannis*, exiſtimaſſe Auguſtinum & Innocentium in ea fuiſſe opinione à cæterorum Patrum ſenſu longè diſcedente. Verum Auguſtini mentem minimè intellexerunt, cujus doctrina hac in parte communis erat totius Eccleſiæ, ac ipſius præſertim Eccleſiarum matris & magiſtræ Romanæ & Sedis Apoſtolicæ ſenſus, ut teſtatur ipſe Auguſtinus *epiſt.* 16. ubi ait Pelagianos aſſerentes infantes non baptizatos habituros vitam æternam, contra ſententiam Domini diſputare dicentis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitã in vobis; & contra Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipſa re cùm ageretur, hoc teſtimonium adhibitum eſt evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam poſſe habere credantur.* Et poſtea: *Si autem credimus Sedi Apoſtolicæ, vel potiùs ipſi Domino & Magiſtro Apoſtolorum, qui dicit non habituros vitam in ſemetipſis, niſi manducaverint*, &c. Et lib. 2. ad Bonifacium, cap. 4. *Quid illud quod ide Papa de hac ipſa cauſa etiam Numidiæ reſcripſit Epiſcopis, quia de utroque Concilio, & de Carthaginenſi ſcilicet & de Milevitano ſcripta ſuſceperat, nonne aperſiſſimè de parvulis loquitur. Hæc enim ejus verba ſunt: Illud verò quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam ſine Baptiſmatis gratia poſſe donari, perſatuum eſt: niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ſanguinem ejus, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum Baptiſmum velle caſſare, cum prædicant hos habere, quod in eos credimus non niſi Baptiſmate conferendum.* Et deinceps: *Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa ſine baptiſmo Chriſti, & ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti vitam habere parvulos dicit.* Videſis Innocentii epiſtolam inter Auguſtinianas nonageſimam tertiam.

Nec Innocentius ſolùm, ſed ipſe Papa Gelaſius poſt obitum Auguſtini ſic ad Epiſcopos per Picenum ſcripſit: *Ipſe Dominus Ieſus Chriſtus cœleſti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem, &c. ubi utique neminem videmus exceptum: nec opus eſt aliquem dicere parvulum ſine hoc ſacramento ſalutari ad æternam vitam poſſe perduci, ſine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium eſt.* Nihil autem aliud ſcripſit Auguſtinus, quàm quod Sedes Apoſtolica clariſſimorum Pontificum oraculis tradidit, ut cùm *lib. 1. de peccatorum meritis, cap.* 20. adverſùs Pelagianos diſtinguentes regnum cœlorum à vita æterna, dixit: *Nova quadam & mirabili præſumptione, quaſi ſalus & æterna vita poſſet eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter regnum cœlorum? Dominum audiamus, non quidem hoc de ſacramento ſancti lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſacræ menſæ ſuæ, quò nemo ritè niſi baptizatus accedit: Niſi manducaveritis, &c. An verò quiſquam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintque ſine participatione corporis hujus & ſanguinis in ſe habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit; ſicut de Baptiſmo: Qui non renatus fuerit; ſed ait: Si non manducaveritis, velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit non attendit, quia niſi omnes ſententia iſta teneat, ut ſine corpore & ſanguine Filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam ætas major id curat; poteſt enim (ſi non voluntatem, ſed verba loquentis attendas) eis ſolis tunc videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait, qui non manducaverit; ſed, Si non manducaveritis. Et ubi eſt quod eodem loco de hac ipſa re ait: Panis quem ego dedero caro mea eſt pro ſæculi vita? Secundùm hoc enim etiam ad nos pertinere illud ſacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando iſta dicebat; quia non poſſumus dicere ad ſæculum nos non pertinere, pro cujus vita Chriſtus carnem ſuam dedit. Quis autem ambigat ſæculi nomine homines ſignificatos eſſe, qui naſcendo in hoc ſæculum venimus? Ac etiam pro parvulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſæculi vita; & ſi non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipſi habere poſſunt.* Idem repetit *lib. 1. ad Bonifacium, cap* 22. & *lib.*

& *lib. 3. contra Iulianum , cap. 1.* & *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 13.* & alibi non ſemel.

Anne propterea Doctor ſanctiſſimum Romanæ Eccleſiæ veſtigiis catholicè indivulsèque adhærens à communibus cæterorum Patrum & univerſalis Eccleſiæ ſenſibus receſſit? Abſit, abſurdum eſt dicere, & cogitare impium & juxtà ignorantiâ pleniſſimum. Quando enim Auguſtinus, quando Innocentius, quando Gelaſius Euchariſtiam ad ſalutem omnibus etiam parvulis neceſſariam dixerunt, ejuſque indiſpenſabilem neceſſitatem clariſſimis Salvatoris verbis confirmarunt, man feſtè de Euchariſtia quoad rem in voto ſuſcipiendam, non de actuali ejuſdem eſu loquuti ſunt. Ita enim ſui interpres mentem ſuam expoſuit Doctor gratiæ *lib. 3. de Peccatorum meritis, cap. 4.* his verbis: *Quid autem apertius tot tantiſque teſtimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidiſſimè apparet, nec propter Chriſti ſocietatem ad vitam ſalutemque æternam poſſe aliquem injuſtè damnari, hoc eſt ab illa vita ac ſalute ſeparari? Unde fit conſequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud cùm parvuli baptizantur, niſi ut incorporentur Eccleſiæ, id eſt Chriſti corporis membriſque ſocientur, manifeſtum ſit eos ad damnationem, niſi hoc iis collatum fuerit, pertinere.* Et poſtea: *Numquid etiam illud, niſi manducaverint homines carnem ejus, hoc eſt participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne Veritas ſine ulla ambiguitate proclamat, non ſolùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere, niſi Chriſti corpori, cui ut incorporentur, ſacramento Baptiſmatis inducuntur.*

Vides S. Patrem eo modo velle Euchariſtiam eſſe neceſſariam, quo in Baptiſmo manducari poteſt: manducari autem ait in Baptiſmo carnem Chriſti, quatenus incorporamur myſtico Chriſti corpori & membris ejus, id eſt Eccleſiæ. Idem declarat Præſul ſanctiſſimus *tract. 26. in Ioan.* ad hæc verba: *Qui manducat meam carnem, &c. Qui hanc ſumit*, inquit, *habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, ſicut res ſacramentum, id eſt virtutem corporis & ſanguinis Chriſti. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica menſa præparatur, & de menſa dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium: res verò ipſa cujus ſacramentum eſt omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.* Quando ergo dixit Auguſtinus Euchariſtiam eſſe omninò omnibus ad vitam neceſſariam, non de ſacramento ut ſic loquutus eſt, quod quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium porrigitur; ſed de re ſacramenti, quam ſocietatem eſſe ait corporis & membrorum Eccleſiæ, cui parvuli per baptiſmum aſcribuntur. Denique ſententiâ 341. à S. Proſpero ex Auguſtino exceptâ, ſic habet; *Eſcam vitæ accipit ſeu æternitatis pocula bibit qui in Chriſto manet, & cujus Chriſtus agitator eſt: nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem ejus manducat, nec ſanguinem bibit, etiam ſi tantæ rei ſacramentum ad judicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Itaque res & fructus Euchariſtiæ, qui eſt in Chriſto manere, omnibus eſt omninò neceſſarius, nec poteſt ullus unquam vitam æternam habere, qui eo modo Euchariſtiam non comederit.

S. Auguſtinum de re ſacramenti, non de ſacramento actu ſuſcepto loquutum eſſe, non ex ejus ſolum verbis, ſed ex Patribus poſterioribus ita eum interpretantibus perſpicuum eſt. Ita ipſum intellexit S. Fulgentius epiſtola ad Ferrandum de Baptiſmo Æthiopis, *cap. 11.* his verbis: *Nullus debet moveri judicium in illis, qui etſi legitimè ſana mente baptizantur, prævenienſe velocius morte carnem Domini manducare & ſanguinem bibere non ſinuntur, propter illam ſententiam Salvatoris, quâ dixit: niſi manducaveritis, &c. Quod quiſquis non ſolum ſecundum veritatis myſteria, ſed ſecundum myſterii veritatem conſiderare poterit, in ipſo lavacro ſanctæ regenerationis fieri providebit. Quid enim agitur ſacramento ſancti Baptiſmatis, niſi ut credentes membra Domini noſtri Ieſu Chriſti fiant, & ad compagem corporis ejus Eccleſiaſticâ veritate pertineant?* Quod ubi productis variis ſacrarum litterarum teſtimoniis demonſtravit, ſubjungit: *Qui ergo membrum corporis Chriſti fit, quomodo non accipit quod ipſe fit, quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis eſt in ſacrificio ſacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione ſancti Baptiſmatis, quod eſt de ſacrificio ſumpturus Altaris. Quod etiam ſanctos Patres indubitanter credidiſſe ac docuiſſe cognoſcimus. Beatus quoque Auguſtinus de hac re ſermonem fecit admodum luculentum & aptum ædificationi atque inſtructioni fidelium, quem ſermonem totum epiſtolæ malui ſubjicere.* Integrum ſermonem profert Fulgentius, in quo inter cætera hæc habentur: *Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum dicentem audi, dicentem, inquam, fidelibus: Vos eſtis corpus Chriſti & membra. Si ergo vos eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium veſtrum in menſa Domini poſitum eſt, myſterium Domini accipitis. Ad id quod eſtis, Amen reſpondetis reſpondendo ſubſcribitis. Audi ergo corpus Chriſti, & reſpondeas Amen. Eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen. Quare ergo in pane? Nihil hic de noſtro afferamus: ipſum Apoſtolum item audiamus. Cùm ergo de iſto ſacramento loqueretur, ait: Vnus panis, unum corpus multi ſumus.* ::: *Qui accipit myſterium, & non ſervat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Arbitror ſancte Frater* (verba ſunt Fulgentii ſermonem Auguſtini ponderantis) *diſputationem noſtram præclari Doctoris Auguſtini ſermone firmatam, nec cuiquam eſſe aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis ſanguiniſque dominici participem fieri, quando in Baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illo panis calicíſque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipſe hoc quod illud ſacramentum ſignificat invenitur.*

Auguſtinum eodem modo interpretatus eſt Lanfrancus *epiſt. 33* his verbis: *Credimus generaliter omnes omnibus ætatibus plurimùm expedire tã viventes quam morientes dominici corporis & ſanguinis ſe perceptione munire; nec tamen ſi priuſquam corpus & ſanguinem Domini ſumant contingit baptizatos ſtatim de hoc ſæculo exire, ullatenus credimus eos (quod Deus avertat) propter hoc in æternũ perire.* ::: *Nam ſententia illa quã Dominus in Evangelio dicit, Niſi manducaveritis, &c. quantum ad comeſtionem oris non poteſt generaliter dicta eſſe de omnibus. Plerique enim ſanctorum Martyrum ante Baptiſmum quoque diverſis excruciatis priùs de corpore migraverunt; eos tamen in numero Martyrum computat, & ſalvos credit Eccleſia. Infantem quoque non baptizatum, ſi morte imminente urgeatur, à ſipèls laico ſi Preſbyter deſit, poſſe baptizari Canones præcipiunt; nec eum tamen, ſi ſtatim moriatur, à conſortio fidelium ſejungunt. Neceſſe eſt ergo prædictam Domini ſententiam ſic intelligi, quatenus unuſquiſque divini myſterii per intelligentiam capax carnem Chriſti & ſanguinem non ſolum ore corporis, ſed etiam amore & ſuavitate cordis comedat & bibat, videlicet amando, & in conſcientia pura dulce habendo quod pro ſalute noſtra Chriſtus carnem aſſumpſit, pependit, reſurrexit, aſcendit, & imitando veſtigia ejus, & communicando paſſionibus ipſius, quatenus humana infirmitas patitur, & divina et gratia largiri dignatur. Hoc eſt enim vero & ſalubriter carnem Chriſti comedere, & ſanguinem ejus bibere.* Quam ſententiam in libro de doctrina Chriſtiana B. Auguſtinus exponens, ſic ait: *Facinus vel flagitium jubere videtur; vero eſt præcipiens paſſioni Dominicæ communicandum eſſe, & ſuaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus vul-*

nerata

nerata & crucifixa ſit. Figuram vocat figuratam loquutionem : neque enim negat veritatem carnis & ſanguinis Chriſti (quod pleriſque ſchiſmaticis viſum eſt, & adhuc non ceſſat videri.) Et Dominus in Evangelio : Qui manducat carnem meam , & bibit meum ſanguinem , in me manet, & ego in eo. Quod exponens B. Auguſtinus ait : Hoc eſt namque carnem Chriſti & ſanguinem ſalubriter comedere & bibere , in Chriſto manere , & Chriſtum in ſe manentem habere. Nam & Iudas qui Dominum tradidit, cum cæteris Apoſtolis ore accepit ; ſed quia corde non comedit , judicium ſibi æterna damnationis accepit.

Sanctus etiam Thomas ſic Magiſtrum ſuum Auguſtinum intellexit *quæſt. 73 art. 3. ad 1.* ubi explicans illud noſtri Servatoris, *Niſi manducaveritis* , &c. ſic habet : *Dicendum quod ſicut Auguſtinus dicit exponens illud verbum Ioannis , hunc cibum & potum , ſcilicet carnis ſua , ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum , quod eſt Eccleſia.* Quod & verbis ejuſdem Auguſtini *epiſt. ad Bonifacium* confirmat. Hoc etiam pacto locum Ioannis interpretatus eſt S. Bonaventura *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. ad 1.* & Durandus *diſt. 9. quæſt. 2. ad 2.* Et certè eadē fuit S. Auguſtini hac in parte ſententia , quæ Innocentii ; cùm Sanctiſſimi hujus Pontificis verba exſcribat , laudetque Auguſtinus. At Innocentius Papa loquutus eſt de Euchariſtiæ re in voto ſuſcepta, non de ſacrāmento actu ſuſcepto ; Innocentius enim commentum Pelagianorum vitam æternam è regno cœlorum inſulſiſſimè diſtinguentium reprobans ex illo , *Niſi manducaveritis* , ait hæreticos illos *Baptiſmum ipſum caſſare , quia prædicant habere , ſine baptiſmate infantes , quod non niſi baptiſmo eis confertur.* Ergo cenſebat Beatus ille Papa , cenſebatque proinde S. Auguſtinus, Baptiſmate conferri vitam æternam , quæ non datur niſi manducando carnem filii hominis ; atque in ipſo baptiſmo manducari carnem filii hominis quoad rem , quatenus baptiſmo myſtico Chriſti corpori incorporamur. Unde effectus Euchariſtiæ ſine Euchariſtia re ſuſcepta , in voto tamen oprata habetur. Quod Euchariſtiæ votum in Baptiſmate includitur. Id ipſum ex eo etiam evidentiſſimè claret , quod Auguſtinus *lib. de peccatorum meritis* docet Baptiſmum infantibus ſufficere ad Salutem: *Parvulus* , inquit, *ſi percepto Baptiſmo de vita migraverit ſoluto reatu cui erat originaliter obnoxius , perficietur in illo lumine veritatis incommutabiliter manent , in æternum juſtificatos præſentiâ veritatis illuminat.* Quod & *cap. 21. & 22* reperit , necnon *lib. 2. cap. 28.* Videatur etiam Bernardus *lib. de diligendo Deo , cap. 4.*

In fine hujus ſpeculationis nonnulla advertere operæpretium viſum eſt circa Communionem parvulorum. Sciendum igitur, non ſolum Eccleſiam Græcam pueris & infantibus ſacram Communionem porrigere , ſed morem illud fuiſſe antiquitus non modò in Oriente , ſed in Occidente etiam uſurpatum. Hinc olim ſacramenta Baptiſmatis, Confirmationis , & Euchariſtiæ non interruptâ celebratione conferebantur. Cujus ritus meminit Alcuinus Venerabilis Bedæ diſcipulus & Caroli Magni præceptor *lib. de divinis officiis , cap. de ſabbatho ſancto Paſchatis* ; & Gennadius *lib. de Eccleſ. dogmatibus , cap. 52.* Et longè antè Clemens Romanus *lib. 8. Conſtitut. cap. 20.* Meminit etiam hujus conſuetudinis Cyprianus *ſerm. de lapſis* , inter referendam hiſtoriam puellæ quæ Euchariſtiæ ſacramentum , quòd priùs idolothyta comediſſet , deglutire non potuit. Auguſtinus quoque hujus moris non ſemel mentionem facit Evagrius ſimiliter refert *lib. 4. Eccleſ. hiſt. cap. 35.* puerum Hebræi cum pueris Chriſtianorum ſcholas frequentantem , cum aliis reliquias Euchariſtiæ comediſſe , & domum tardiùs revertentem à patre vitriario opifice in clibanum ardentem injectum, illæſum tamen poſt triduum repertum inter flammas fuiſſe. Quod & Nicephorus *lib. 17. cap. 25.* recenſet.

Hujus etiam praxis Concilia Tolet. in XI. *cap. 11.* & Matiſconenſe *cap. 16.* teſtes ſunt.

Eccleſia tamen Latina hæc duo ſacramenta , Euchariſtiæ potiſſimum communionem ſolis adultis uſu rationis præditis confert , tum ut majori cum fructu & ampliori emolumento recipiantur ; tum ut tantorum myſteriorum immenſa dignitas ſanctiùs tractetur , & ab infantibus non ſit tur decurè cibus ille divinus ſumatur. Multos etiam in Actibus Apoſtolorum legimus baptizatos , quibus hæc bina Sacramenta non impertiviſſe Apoſtolos refertur. Illum tamen morem non reprehendit Tridentinum ſuprà laudatum, quia nimirum primitivis temporibus , quando minor erat fidelium numerus , cito & facilè incommoda illa , quibus conſuetudo hujuſmodi , ſicut , & communio ſub utraque ſpecie expoſita eſt , præcavebantur.

Cæterum quorumdam Schiſmaticorum hæreticos imitantium audacia minimè ferenda eſt, qui cum Simeone Theſſalonicenſi *lib. de ſacramentis*, Nicolao Cabaſila *orat. 1. de vita in Chriſto* , Hieremia Conſtentinopolitano *in ſecunda ſua cenſura apologia*. Philadelphienſi *lib. de Sacram.* Eccleſiæ Romanæ ſugillandæ gratiâ opinantur Euchariſtiæ uſum eſſe medium ipſis etiam parvulis ad ſalutem omnino neceſſarium. Quod meritò reprobat Tridentinum cùm Baptiſmus animam parvuli divinâ gratiâ exornet , qui per lavacrum regeneratus & Chriſto incorporatus adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poteſt. Gratiæ autem , ſi quis in ea deceſſerit , vita æterna reſpondet ; quæ quidem gratia ſemel obtenta uno peccato mortali deperditur.

Reflexio.

Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum. Luc. 22. Si deſiderium tam & condigna fuit ad hoc ſacramentum amoris inſtituendum præparatio, profectò eadem deſideratur ad illud idem ſuſcipiendum diſpoſitio . Juſtum eſt planè ut amore recipiamus, quod uno amore donatum eſt; & ſicut teſte Auguſtino anima Deo plenè ſerviens beatam vitam , quâ Deo æternùm fruatur , ſine intermiſſione deſiderat, *augeſcentiſque pietatis indicium eſt maximum, cùm deſiderium illud magis ac magis inflammatur*, ut *epiſt. 121. & in Pſalm. 37.* inculcat ; ſic divinam Euchariſtiam, quæ futuram fruitionem præfigurat, ejuſque pignus eſt & primitiæ , vehementer appetere tenetur anima ſancta, ut omnium quibus hæc mortalis vita aſſiduè conflictatur ægritudinum levationem ac remedium indidem patet , utque urgente charitate ad Chriſtum realiter præſentem, ut ad unicum in ærumnis conſolatorem, unicum in miſeriis liberatorem , unicum in infirmitate adjutorem, unicum ſanctitatis authorem adducatur. Hinc viri Sancti nihil ſibi gravius accidere , vel acerbius poſſe rentur , quàm cibo illo , qui votorum ſuorum ſumma eſt , privari. Cùm enim Euchariſtia ſummum in hac vita Chriſtiani hominis bonum ſit , graviſſimam omnium pœnam meritò judicant divinorum myſteriorum participatione carere : gravior enim , aut levior pœna eſt , quo majus vel minus bonum eſt quo privantur, quòve magis vel minus boni illius præſtantiam percipimus. Quemadmodum ergo deſiderat cervus ad fontes aquarum , ita deſideret ad Chriſtum anima noſtra , ut hoc puro deſiderio veluti ſacro igne diviniſſimum illum cibum concoquere ſufficiat , ejus alioquin exuberantiâ obruenda potiùs quàm fovenda & roboranda.

Etenim ut rectè obſervat S. Franciſcus Saleſius lib. 2. epiſtolarum , epiſt. 48. *Cibi appetentia duplex eſt ; altera quæ probâ & legitimâ concoctione ; alterâ quæ attrahentis virtutis ſtomachi depravatione gignitur.* Adeſt interdum adumbrata hujus cibi fames , eaque ſe tacendi imaginantur infirmiſſimæ virtutis viri, & ſæpius mulierculæ, quorum, vel quatū tepida vita, negligens converſatio, terrens affectus ſæcularibus

bus

bus implicatus, incurioſum abſtergendarum culparum ſtudium deſiderium illud fallax & ſuſpectum eſſe convincunt. Cùm enim hujuſmodi deſiderantes nulla vel levis mandatorum Evangelicorum obſervandorum cura tangat, nihil ex cœleſtis alimenti uſu virium vel firmitatis trahant, neque cœleſti illo pane paſti vegetentur & ſpiritûs pinguedine ſaginentur, procul dubio deſideria illa fallacia ſuſpicionem habent, nec Sancti Spiritus, ſed amoris proprii calori aſcribuntur.

Nihil ſanctius, nihil laudabilius, nihil juſtius ſacræ communionis deſiderio; nihil ejus uſu, ſi rectè atque ordine fit, utilius & fructuoſius in vita Chriſtiana eſſe poteſt. Sed illos vero & ſufficienti deſiderio flagrare nunquam crediderim, qui nihil de vitæ integritate, morum innocentia, bonorum operum cultu, ſæcularium maximarum actione, firma in pietate chriſtiana conſtantia, arctiore cum Deo unione, atque perfectionis progreſſu ſoliciti, eo tamen tenentur errore, ut ſe probè communione defungi arbitrentur, ſi in ſuperficie mentis quædam ejus cibi deſideria ſentiant, & brevem ac fluxum devotionis ſenſum capiant, qui nihil veri fructus & incrementi virtutis afferat, & nihilo amplius ex Euchariſtia aſſequatur, quàm ſi ad illam omninò hujuſmodi deſidioſi non acceſſiſſent. Verum hujus cibi efficaxque deſiderium vitam omninò infert cœleſti pabulo dignam, iis ſolis divinitus comparato, qui in cupiditatibus expugnandis, domandoque animo acriter & ſtudioſè laborant. Ad hunc enim ſpiritalem panem non minus quàm ad materialem, ut benè dixit Joannes Avila 1. *parte, epiſt.* 66. referendum eſt illud Apoſtoli: *Qui non vult operari, non manducet*; ne ſcilicet panem gratis comedat. Cuinam verò ſine labore ac dimicatione pane hoc ſanctiſſimo animam paſcere conceſſum eſt?

Reminiſcere, Lector, quod niſi vita tua cum Evangelii forma congruat, periculosè divinis altaribus admoveris. Quia ſi Patres uti tenemur audiamus, indubium eſt eum qui frequenter cœleſti cibo reficitur, charitatis eum incenſum eſſe ardore oportere, non ſecus atque illum qui crebriùs alimenta adhibet, nativo calore abundare neceſſum eſt: unde ſicut ſolidorum ac ſucculentorum alimentorum copia ægris non officere corporibus non poteſt; ita infirmiori ac debiliori animo diſcrimen imminet, ſi tam crebrò diviniſſimo illo pane veſcatur. *Illi*, inquit Hieronymus in caput 9. Zachariæ, *hunc panem comedunt* [ut portet] *qui in Chriſto robuſti ſunt, & ad quos Ioannes Evangeliſta loquitur: Scribo vobis, juvenes, quia ſermo Dei in vos manet, & fortes eſtis, & viciſtis malignum.* Non fert ſumma, quam Chriſto debemus veneratio, ut eius benignitate properatis frequentibuſque communionibus abutamur, antequam familiari tanti hoſpitis conſuetudine dignos nos vitæ ac morum ſanctitate præbuerimus; eaque eſt tremendi myſterii dignitas atque præſtantia, ut ab illo interdum etiam Sacerdotes reverentiæ causâ digredi expediat, tum ne dum hoc ſacramento familiariùs utuntur, debita ei obſervantia & reverentia minuatur: tum ut certo tempore jejuniis, orationibus, aliiſque pœnitentiæ & pietatis officiis impenſo, dilatione illa puriores, paratiores, & appetentiores ad cœleſtem menſam accedant. Hinc præclarè ab Hieronymo *in cap. 5. Iona*, dictum eſt: *Ipſum quoque Dominum verum Ionam miſſum ad prædicationem mundi jejunaſſe quadraginta dies, & hæreditate nobis jejunii derelicta, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero noſtras animas præparaſſe.*

Concors eſt Catholicorum omnium Doctorum vox, eum qui frequenter communione paſci velit, eximio, quodam pietatis motu efferri oportet; teneri illum non ſolùm grandes grandium peccatorum fœditates pœnitentiæ lacrymis diluere, sed etiam divellere pro virili animum affectumque à venialibus, eorum quavis occaſione accuratè objecta: quia cavillationibus & ſuffugiis minime unquam fiet, quin hic ſit communis Chriſtianæ pietatis ſenſus, frequentem communionis uſum, & multò minùs quotidianum non niſi ſanctioribus animis, gratiæ muneribus, Chriſtique amore plenis concedi oportere. Hoc verò in animum inducere ſuum quis poſſit, homines illos veris lacrymis peccata diluere, ſincero affectu animum à venialibus divellere, Chriſtique dilectione abundare, qui de divinis vix cogitant, quorum pietas elanguit; qui ſui amore tumentes & tenaciſſimis huic ſæculo vinculis aſtricti, omnibus conflictantur animi morbis, omnibus fermè paſſionibus famulantur, veris & à Spiritu Sancto inſeminatis ſacræ Communionis deſideriis flagrare? Itane mulieres illæ, quas vulgus Devotas dictitat, quarum unum in hac vita negotium eſt crines componere, vultum immutato Creatoris opere ſibi pigmentis refingere, in publicis deambulationum curriculis, ſaltantium comœdorumque choris, ac ludentium conſeſſibus frequentandis dies conterere, & vigilias producere, in multam diem & provectiorem ſolem ſtertere, in altam noctem epulari & ludere, uſque; præpoſtero noctes in dies, & viciſſim commutare; illæ, inquam, mulieres circumornatæ ut ſimilitudo templi, odorariis pulveribus inſperſæ, unguentis oblitæ, perfuſis moſchis imbutæ, nigrarum macularum diſtinctione vermiculatæ ſatin' ad Communionem quoties libuerit frequentandam paratæ, ſatin' inſtructæ ut Sanctuarii cœleſtis adyta ingredi toties audeant, quia molle aliquod in extrema mentis ſuperficie deſiderium expertæ ſunt? Adeóne abjectè ſentiemus de virtutibus animi quas frequens cum Chriſto conſuetudo poſtulat, ut omnes ſine ullo diſcrimine ad tremendum altare ipſis Angelis formidandum immittamus? Adeóne neminem vel imbecillum vel pravum reperiri cenſebimus, quin Communionis octavo quoque die uſurpandæ frequentiâ dignus habendus ſit, poſtquam Sancti uſum illum præſtantiſſimæ virtutis præmium & mercedem eſſe conſtituerunt?

Bonum ergo eſt atque laudabile ardentibus in Euchariſtiam deſideriis à charitate profectis æſtuare: bonum etiam eſt Sacerdotem vitam ſanctam agentem frequenter celebrare, quia ut Venerabilis Beda dixit: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in eo eſt, privat Sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpiritali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicinâ & remedio.* Sed bonum etiam eſt & Communionem, & ſacrificium interdum omitti; tum ut ejus deſideria eo intervallo accendantur; tum ut lacrymis aliiſque pœnitentiæ operibus, atque propriæ indignitatis confeſſione eum ampliùs advocemus, qui à ſolis humilibus honoratur, tum ut Centurionis & Chananeæ partes ſuſcipientes, cum illo clamemus, *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*; cum iſta verò profiteamur, *Etiam Domine indigna ſum quæ filiorum pane reficiar.* Canis utique ſum; ſed ſi canes integro pane non fruuntur, micas certè è menſa Domini defluentes accipiunt. Ita ſuaviſſime Domine, qui totus es deſiderabilia, ſi minùs ſacroſanctum tuum corpus, gratiæ ſaltem ſtillas, quas in eos qui ad ipſum amore ſe applicant effundit, ſupplex poſtulo. Hinc S. Franciſcus Saleſius *lib. 2. epiſt.* 52. præſtantem virtute matronam ſic alloquitur: *Iam tibi tuæ mentis cura seriò habenda eſt, ne pro tot tamque ardentibus votis tuis puriorem eam in dies ac firmiorem efficias. Nec abs re cenſeo tantiſper ſacra communione privari, ſi forte ipſum Euchariſtiæ deſiderium majorem etiam vitæ emendandæ curam tibi ac diligentiam allaturum ſit..*

Specvlatio II.

Euchariſtia eſt ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini realiter contentum, ad ſpiritalem animæ refectionem inſtitutum: quod licèt duplici elemento, pane ſcilicet & vino conſtet, non plura tamen, ſed unicum eſt ſacramentum.

PRior ſpeculationis pars tradit Euchariſtiæ eſſentiam & definitionem id quod eſt commune & genericum explicantem, dum ait Euchariſtiam eſſe ſignum, ſeu ſenſibile aliquod ſymbolum, quod omnibus & ſingulis convenit Sacramentis; illud autem ſenſibile ſunt ſpecies panis & vini continentes corpus & ſanguinem Chriſti, quas dum digni comedimus, divinâ gratiâ paſcimur, & reficimur: unde habetur hujus ſacramenti differentia. Per Baptiſmi enim gratiam in Chriſto naſcimur, per Confirmationem nova in Chriſto nata creatura augetur, per Euchariſtiam novus homo paſcitur & in vita ſpiritali perficitur. Nam ut benè ait S. Thomas *quæſt. 73. art. 1. ad 1.* alia eſt perfectio quam confert Confirmatio, alia quæ Euchariſtiâ obtinetur: in homine namque una eſt perfectio, ad quam pervenitur per augmentum, & talis perfectio competit Confirmationi; alia autem eſt perfectio, quam homo conſequitur ex admixtione alicujus extrinſeci hominem conſervantis, putà ex admixtione cibi, vel alicujus ejuſmodi, & talis perfectio competit Euchariſtiæ, quæ eſt ſpiritalis refectio.

Sed difficultas eſt, pro quo eſſentialiter ſupponat Sacramentum Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt. Communior Thomiſtarum ſententia eſt, hoc ſacramentum eſſentialiter ſupponere pro ſolis ſpeciebus conſecratis corpus & ſanguinem Chriſti realiter continentibus, ita ut ſpecies illæ ſint tota hujus ſacramenti eſſentia vel natura, nec ejus conſtitutionem eſſentialem ingrediatur corpus Chriſti, uti Suarez, Vaſques, Sylvius, & alii opinantur. Nam in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. can. 1.* dicitur corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento contineri. Cenſet ergo ſancta Synodus non corpus Chriſti, ſed ſpecies, ſub quibus realiter continetur, eſſe totum Euchariſtiæ ſacramentum. Eandem ſententiam tradit Catechiſmus Romanus *part. 2. titulo de Euchariſtia, numer. 8.* his verbis: *Diligenter obſervandum eſt, multa in hoc myſterio eſſe, quibus aliquando ſacramenti nomen ſacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim & conſecratio, & perceptio, frequenter verò & ipſum Domini corpus & ſanguis, qui in Euchariſtia continetur, ſacramentum vocari conſuevit. Inquit enim S. Auguſtinus ſacramentum hoc duobus conſtare, viſibili ſcilicet elementorum ſpecie, & inviſibili carne & ſanguine ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti. Atque ad hunc modum ſacramentum hoc adorandum eſſe, nimirum corpus & ſanguinem Domini intelligentes affirmamus. Verùm hæc omnia minùs propriè ſacramentum dici perſpicuum eſt. Ipſæ autem panis & vini ſpecies veram & abſolutam hujus nominis rationem habent.* Quæ verba apertiſſima ſunt. Hinc ſæpiſſimè à Patribus Euchariſtia ſacramentum corporis Chriſti appellatur, quod utique corpori Chriſti non convenit. Hinc Theologi vulgò cum S. Thoma *quæſt. 37. art. 1. ad 3. & articulo 6.* poſt Innocentium III. *cap. cùm Martha, de celebratione Miſſarum*, diſtinguunt tria in Euchariſtia, ſacramentum tantum, rem ſacramenti tantùm, ſacramentum & rem ſacramenti ſimul: per *ſacramentum tantùm* ſenſibiles ſpecies intelligentes; per *rem tantùm ſacramenti*, gratiam animum paſcentem & ſpiritaliter ſaginanentem; per *rem & ſacramentum ſimul* corpus Chriſti quod per ſpecies ſignificatur; & corpus Chriſti myſticum, ſive gratiam, qua viva Eccleſiæ membra cùm inter ſe, tum cum Chriſto capite adunantur, ſignificat. Sicut ergo Baptiſmus non conſtat eſſentialiter ablutione & charactere, qui eſt res & ſacramentum ſimul; ſed in ſola aquæ elementaris ablutione ſub præſcripta verborum forma ſitus eſt: ſic Euchariſtia non in ſpeciebus & corpore Chriſti ex æquo, ſed in ſolis ſpeciebus conſecratis, corpus tamen Chriſti realiter præſens connotantibus conſiſtit. Hac etiam noſtrâ ſententiâ difficiliora Novatorum adversùs realem Chriſti præſentiam è Patribus deprompta argumenta facillimè confringuntur, & in fumum abeunt. Cùm enim Patres Euchariſtiam dicunt eſſe ſacramentum, ſymbolum, & ſignum corporis Chriſti, non propterea corpus Chriſti excludunt, ut noſtrates hæretici mentiuntur; ſed de Euchariſtia formaliter & in ratione ſacramenti loquuntur, ſcilicet de ſpeciebus ſenſibilibus, quæ ſunt ſignum & figura corporis Chriſti, illud tametſi realiter includant.

Rationem verò hujus ſententiæ aliqui ex eo derivant, quod omnia ſacramenta ſecundùm ſe tota, & ſecundùm omnes ſuas partes intrinſecas ſunt quædam inſtrumenta Dei ſeparata: at corpus & ſanguinis Chriſti non ſunt inſtrumenta ſeparata, ſed conjuncta divinitati: ergo nec ſacramentum Euchariſtiæ ſunt, nec pars ejus intrinſeca. Verùm enim verò frigida admodum & imbecilla ratio illa videtur: Voluntariè namque aſſeritur, omne ſacramentum eſſe inſtrumentū ſeparatum; licèt enim id in ſacramentis, in quibus Chriſtus realiter non continetur, verum probetur, quomodo id ſacramento, cui Chriſtus realiter adeſt, non conveniat, probandum ſupereſt.

Vera ergo ratio à ſacro Concilio Tridentino laudato indicatur, & hujuſmodi eſt: Sacramentum quà ſacramentum eſt eſſentialiter ſymbolum rei ſacræ & inviſibilis, gratiæ viſibilis & ſenſibilis forma. Atqui hæc omnium calculo probata ſacramenti definitio ſolis ſpeciebus, minimè verò corpori & ſanguini Chriſti realiter ſub eis contentis convenit. Species namque ſignificant gratiam animam cibantem, eamque inſtrumentaliter cauſant; ſignificant etiam realiter præſens, inviſibile tamen Chriſti corpus quo paſcimur, cuive unimur; non tamen illud cauſant: non enim omne quod ſignificant ſacramenta efficiunt, cùm omnia Redemptoris paſſionis, quam utique non efficiunt, ſigna ſint. Ergo tota hujus ſacramenti eſſentia in ſpeciebus Euchariſticis ſita eſt.

Dices: Licèt corpus Chriſti non ſit ſenſibile per ſe, eſt tamen ſenſibile ratione ſpecierum: ſufficit autem ad rationem partis eſſentialis ſacramenti, quod ſit ſenſibilis per aliud; nam contritio eſt pars eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ, & tamen non eſt ſenſibilis ratione ſui, ſed tantùm ratione confeſſionis. Ergo ratione factâ non efficaciter probam^9 corpus Chriſti non eſſe partem eſſentialem ſacramenti Euchariſtiæ.

Reſpondeo, quod cùm corpus Chriſti ſub ſenſus non cadat, ſed omnium aciem fugiat, ſolæque ſpecies ſenſibus percipiantur, hinc fit corpus Chriſti non eſſe ſignum & ſacramentum ratione ſui, ſed tantum duntaxat ratione ſpecierum. Nec eſt ſimile de contritione, quæ licèt non ſit ſenſibilis ſacerdoti ratione ſui, ſed tantùm ratione confeſſionis rei; eſt tamen ipſi reo pœnitenti ſenſibilis, cùm eam actu percipiat, actu experiatur. Sufficit verò ad ſacramenti rationem, illius præſertim, cujus materia ſunt actus pœnitentis, ut id quod dicitur pars ſacramenti, ſit alicui ſenſibile. Sacramentum verò cujus materia exteriùs exhibetur, merè ſenſibilem habere materiam oportet, ut patet diſcurrenti per ſingula ſacramenta.

Inſtabis: Sacramentum Euchariſtiæ eſt id quod à Chriſto inſtitutum eſt ad fideles per modum cibi & potus reficiendos; hic enim eſt perpetuus Patrum & Conciliorum loquendi modus: ſed cibus ille non ſpecies Euchariſtiæ, ſed caro Chriſti eſt ſub ſpeciebus latens; ſcriptum eſt enim: *Caro mea verè eſt*

cibus, &

cibus & ſanguis meus verè eſt potus. Ergo ſacramentum Euchariſtiæ non ſolùm pro ſpeciebus conſecratis, ſed etiam pro corpore & ſanguine Chriſti ſupponit. Unde Patres docent, hoc ſacramentum conſtare ex duabus rebus, terrenâ & cœleſti, ex viſibili ſpecie & inviſibili carne.

Reſpondeo Patres Sacramentum Euchariſtiæ accipere pro omnibus quæ in illo inveniuntur, non verò pro eo quod præciſam conſtituit ſacramenti rationem, quia continens pro contento, & vice verſa communi modo loquendi uſurpatur. Cùm enim à præciſionibus metaphyſicis Patres abſtraherent, non erant ſolliciti tria illa diſtinguere, quæ in quolibet ſacramento Theologi diſcernunt, ſacramentum tantùm, rem tantùm, ſacramentum & rem ſimul; quorum primum ſolis ſpeciebus, ſecundum gratiæ ſacramentali, tertium corpori & ſanguini Chriſti convenire fatendum eſt, omnia ſiſdeque ne miſceamus. Fateor tamen in communi loquendi uſu ſacramentum pro corpore Chriſti ſub ſpeciebus contento accipi, ut cùm dicimus: *Laudetur ſanctiſſimum Sacramentum: Tantum ſacramentum veneremur cernui.* Quia de illo loqui ſolenne eſt ſecundùm omnia quæ involvit. Quia etiam licèt corpus Chriſti non conſtituat directè ipſum ſacramentum, eſt tamen res ſignificata & contenta in ipſo, quo paſcimur & nutrimur; unde ſacramentum Euchariſtiæ eſt cibus animæ, tum ratione gratiæ, ad quam producendam evehitur; tum quia realiter continet vivificam Chriſti carnem, quæ ſe manducantibus dat ſpiritûs pinguedinem. Hac etiam de cauſa Sacramentum Euchariſtiæ adoratur ratione Salvatoris in eo contenti. Sed de his magis ſpeculatione ſequenti.

Urgebis: Omne ſacramentum novæ legis conſtat rebus & verbis; rebus ut materia; verbis ut forma, ut docet Concilium Florentinum alibi relatum. Ergo ſolæ ſpecies Euchariſticæ etiam ut connotantes & continentes corpus Chriſti, non ſunt adæquata ſacramenti Euchariſtiæ eſſentia, quæ etiam verbis conſecrationis intrinſecè conſtat. Et ſanè ſicut in aliis ſacramentis verba materiam ad ſignificandam gratiam determinant; ita ſpecies Euchariſticæ non ſunt gratiæ ſignificativæ, niſi quatenus verbis conſecrationis determinantur.

Reſpondeo propter hoc argumentum Cardinalem Delugo alioſve quoſdam recentiores exiſtimare verba conſecrationis, quibus panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti convertuntur, ad eſſentialem hujus ſacramenti conſtitutionem pertinere. Verùm cùm hoc ſacramentum habeat eſſe permanens, non ſucceſſivum; forma verò ſeu verba conſecrationis ſe habeant per modum alicujus tranſeuntis effectivè conficientis hoc ſacramentum, quamvis verba illa neceſſariò deſiderentur ut fiat ſacramentum, non tamen ipſius ſacramenti Euchariſtiæ conſtitutionem intrinſecè ingrediuntur, nec tam informant quam efficiunt hoc ſacramentum habens eſſe ſtatum & permanens. Non enim ea tantùm ratione aliquid dicitur forma ſacramentalis, quòd ſemper informet, ſed quia materiam de ſe indifferentem determinat, conſecrat, & ſanctificat. Quare ſicut licèt ad Confirmationem omninò requiratur chriſma conſecratum, & ad Extremam Unctionem oleum ab Epiſcopo benedictum; ipſa tamen chriſmatis conſecratio, vel olei benedictio non ſunt intrinſeca hujuſmodi ſacramentorum pars; ita verba conſecrationis Euchariſtiæ omninò quidem deſiderantur, ut perficiatur ſacramentum, ipſum tamen intrinſecè non conſtituunt, ſed ſolæ ſpecies ſacramentales, verba tamen illa connotantes & eſſentialiter ſupponentes. Ex quibus intelligitur doctrina Concilii Florentini, ajentis omnia novæ legis ſacramenta perfici rebus ut materia, verbis ut forma; forma, inquam, intrinſeca reſpectu ſacramentorum in uſu poſitorum; extrinſeca verò & effectiva reſpectu ſacramenti permanentis, quale eſt Euchariſtia, ut magis poſteà patebit.

Vnitas ſacramenti Euchariſtiæ.

Poſterior pars ad explicandam hujus ſacramenti unitatem poſita eſt. Et illius ratio eſt, quia cùm ſacramentum ſit ſignum, illa omnia, tametſi varia ſint, unicum ſacramentum efficiunt, quæ unum integrum ſacramenti effectum, eundem finem, idem & objectum ſignificant. Atqui niſi ſpecies panis & vini ſimul jungantur, non poteſt ſignificari integer hujus ſacramenti effectus, finis, & objectum: etenim hoc ſacramentum & paſſionem Chriſti, & ſpiritualem animæ refectionem, & corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, unitatem in futura vita conſummandam ſignificat; quia ut canit Eccleſia, in hoc ſacro convivio, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, futuræ gloriæ nobis pignus datur, atque unitatis & pacis dona ſub oblatis muneribus deſignantur. Illa autem omnia non repræſentat ſola ſpecies panis, nec ſola ſpecies vini; quia in paſſione fuit & corporis mactatio, & ſanguinis fuſio: in convivio etiam fames cibo, ſitis potu ſedantur. Unitas etiam Eccleſiæ eodem convictu ſignificatur, in quo idem cibus idemque potus omnibus peræquè ſine ulla perſonarum acceptione miniſtratur. Ergo hoc ſacramentum formaliter & completivè ex utraque ſpecie integratur, ſicut totum artificiale, putà domus, ex ſuis partibus componitur. Ergo hoc ſacramentum unum eſt: ſicut Extrema unctio, tametſi pluribus unctionibus, pluribuſque formis partialibus conſtet, unicum tamen ſacramentum eſt, quia illa omnia quibus conſtat, ad eundem finem, ad eundemque effectum, ad reliquias nimirum peccatorum è ſenſibus profectas, & languentis animum deprimentes perſanandas referuntur.

Et certè ſicut cibus & potio, tametſi duæ res diverſæ ſint, quia tamen in unum finem inſtituta ſunt, & ad unam corporis viriumque refectionem adhibentur, unicum convivium integrant tamen; ita bina ſacramenti Euchariſtiæ ſpecies, quæ unum ſpiritualem cibum animos ſuſtinentem & recreantem ſignificant, unicum quoque efficere ſacramentum fatendum eſt, ut ait Catechiſmus citatus num. 10. *Licèt deſint elementa, panis ſcilicet & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ ſacramentum conficitur; non tamen plura ſacramenta, ſed unum tantùm eſſe Eccleſiæ authoritate docti confitemur.* Eccleſiæ, inquit, authoritate, quæ ex communi Patrum & Conciliorum loquendi modo colligitur, juxta quem ſeptem tantùm ſacramenta agnoſcimus, & Euchariſtiam eſſe unum è ſeptem confitemur.

Dices: Tridentinum *ſeſſ.* 21. *can.* 3. definit, ſub una ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipi. Ergo ſi in qualibet ſpecie verum ſacramentum eſt, in duplici duplex eſt. Et ratio eſt; tum quia quælibet ſpecies ſeorſim ſumpta eſt ſignum practicum gratiæ, non ſolùm quia totum Chriſtum omnis gratiæ fontem continet, ſed etiam quia laici una ſpecie paſti totam ſacramenti gratiam recipiunt. At quoties multiplicatur ſignum, quæ eſt ratio generica, multiplicatur etiam ſacramentum, quæ eſt ratio ſpecifica: ergo in duplici ſpecie ſacramentum duplicatur. Tum quia in hoc ſacramento duæ materiæ, duæque formæ nullam inter ſeſe conjunctionem habentes inveniuntur, cùm una ſpecies independenter ab alia conficiatur, independenter ab alia conſervetur. Ergo duo ſunt in duplici ſpecie ſacramenta.

Reſpondeo, quod cùm ratio eſſentialis ſacramenti Euchariſtiæ in eo ſita ſit, ut ſpiritalem animæ refectionem ſignificet & efficiat; cùmque ad eam ſignificandam & efficiendam utraque ſpecies ordinetur, conſequens eſt ex utraque ſpecie non niſi unum conſlari ſacramentum. Quod autem Tridentinum ait, ſub qualibet ſpecie verum ſuſcipi ſacramentum, indubitatum eſt; at nuſquam dixit ſacra Synodus in qualibet ſpecie eſſe totale & adæquatum Euchariſtiæ ſa-

ſtiæ ſacramentum, ſicut anima rationalis vera eſt, ſed non completa ſubſtantia.

Ad rationes ſubjunctas eadem diſtinctione reſpondetur, quamlibet ſpeciem eſſe practicum gratiæ ſignum, ſed duntaxat inadæquatum; unde licet in qualibet ſpecie totus Chriſtus contineatur, tota etiam ſacramenti gratia cordi rectè diſpoſito per quamlibet ſpeciem conferatur; totalitas tamen ſignificationis in qualibet ſpecie non invenitur, cùm Euchariſtia perfectam refectionem ſpiritalem per modum convivii cibum & potum peræquè includentis eſſentialiter ſignificet. Unde etiam ſecundæ rationi fit ſatis; quia in duplici ſpecie non eſt duplex materia completa, ſed duntaxat inadæquata in ratione ſignificandi, quæve unitur non per modum actus & potentiæ, nec per modum continui phyſici, ſed nexu quodam morali ſimili illi, quo domus in eadem civitate, milites in eodẽ exercitu, homines in eadem republica, partiales in eodem Extremæ-unctionis ſacramento unctiones copulantur. An autem laici unica tantùm ſpecie panis refecti minorem accipiant gratiam, inferiùs, cùm de communione ſub utraque ſpecie agetur, explicabitur, ex quibus palam erit hoc ſacramentum multa quidem eſſe materialiter ob ſignorum partialium diſtinctionem; eſſe tamen unum ſimpliciter, formaliter, & perfectivè. Unum namque dicitur non ſolùm quod indiviſibile eſt, vel continuum, ſed etiam quod perfectum eſt. Illud porrò in perfectione unum eſt, quod omnia habet ad ſuam perfectionem concurrentia; ſicut homo ex omnibus membris ad operationem animæ deſideratis, domus ex omnibus partibus ad inhabitandum deſideratis integratur.

Relinquitur igitur hoc ſacramentum ſpecificè quidem unum ſolo numero multiplicari poſſe. Nam unum numero ſacramentum eſt quod ſemel ſumitur ab uno, etiamſi plures hoſtias conſecratas accipiat; plura verò ſunt numero ſacramenta, vel quando unus pluries reficitur, vel quando Euchariſtia a pluribus ſumitur, etſi illis unica hoſtia plures in particulas diviſa miniſtretur.

Et ratio eſt, quia cùm hoc ſacramentum ad ſpiritalem animi fidelis refectionem referatur, de illo eodem proportionali modo ac de convivio diſcurrendum eſt: unde ſicut convivium inſtructum & paratum in actu primo unum eſt, in actu tamen ſecundo per plures refectiones numero multiplicatur; tot enim ſunt numero refectiones, quot refecti. Ita quando Sacerdos plures hoſtias per modum unius conſecrationis in eodem altari vel ſacrario ponit, unum in actu primo ſacramentum & convivium ſpiritale parat, quod dum à variis ſumitur in actu ſecundo numericè multiplicatur. Nam diviſione numerali multitudo creſcit, ut patet in aqua plures in portiones diſtributa. Unde ſicut unitas ſpecifica Euchariſtiæ ab una ſpecie refectione deſumitur; ita ejuſdem unitas numerica ex eo quod ad unam numero refectionem referatur petenda eſt. Fateor equidem majorem eſſe in hoc ſacramento etiam numero multiplicato, quàm in cæteris unitatem, tum propter ejuſdem Chriſti ſub omnibus & ſingulis ſpeciebus exiſtentis, & jugiter oblati unitatem; tum propter unitatem ſacrificii crucis, in cujus commemorationem inſtitutum eſt. Quia tamen plures in Euchariſtia refectiones percipiuntur, & pluribus materiebus formiſque frequentatis cœleſtis Chriſti cibus miniſtratur, plura etiam eſſe numero Euchariſtiæ ſacramenta inficiandum non eſt; quamvis in contrariam ſententiam Soto & Suares inclinent.

Reflexio.

Si Euchariſtia in duplici ſpecie unum ſacramentum eſt, ſeu ut loquitur D. Thomas art. 2. *Eſt multa materialiter, ſed unum formaliter & perfectivè*; ſi hoc ſacramentum ſit vinculum pacis, myſterium unitatis, centrum religionis, denique communis ſeu communis unio, atque Chriſtianorum Gordius nexus: vide, Lector, atque à temetipſo ſeriò ſciſcitare, num pacem cum Deo, num cum proximo habeas? Idem poſt inſtitutam diviniſſimam Euchariſtiam, quæ ſacramentum unitatis eſt, hanc fidelium concordiam amantiſſimus Redemptor tam enixè, tam ſuaviter à Patre poſtulabat. *Pater ſancte* (verha ſunt æternæ Vitæ, Joan. 17.) *ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipſi in nobis unum ſint, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Quia nimirum hic unus, vel certè præcipuus eſt inſtituendæ Euchariſtiæ fructus Chriſtianorum charitate conjunctorum nexus. Poſuit enim fines ſuos pacem, qui nos erat adipe frumenti divini ſatiaturus.

Recordare, mi Lector, ipſum hujus ſacramenti authorem Chriſtum pacem, fraternamque concordiam ſacro ſui ipſius uſui, ſuo ſubindeq; honori quadantenus prætuliſſe, dum *Matth. 5.* præcepit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Quàm amanda, quàm fovenda, quàm utilis, quàm felix pacis mutuæque dilectionis concordia, ſine qua nec ipſum altaris ſacrificium acceptum eſſe ullatenus poteſt! Inquire ergo pacem & perſequere eam: quæ ut ſæpe inculcat Auguſtinus, ſerenitas mentis eſt, tranquillitas animi, congregationis anima, animæ beatitas, amoris vinculum, conſortium charitatis. Hæc ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos frangit, humiles ſolatur, diſcordes ſedat, inimicos conciliat, cunctis placida, nullis amara, quia extolli neſcit, horret inflari. Hanc ſi acceperis, tene; ſi perdideris, repete; ſi amiſeris, exquire. Quia tale bonum eſt bonum pacis, ut in rebus humanis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, nihil & utilius poſſideri. Membra humana ſpiritus hominis, niſi unita fuerint, non vivificat: & Eccleſiæ membris vitalis Euchariſtiæ cibus, niſi fuerint Euchariſtiæ vinculo copulata, ſpiritalis vitæ motum non impertit.

Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Cum Chriſto in Euchariſtia unum ſumus, quomodo ergo a ſe invicem Chriſtianorum corda ſejungi aliquo tandem prætextu poſſunt? Unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus. ergo ab illo corpore ſe dividunt, qui ſolliciti non ſunt ſervare unitatẽ ſpiritus in vinculo pacis. Et præclarè Auguſtinus ſermone ad infantes, quem ex integro S. Fulgentius refert: *Qui accipit myſterium unitatis, & non ſervat vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe.*

Quia in primitiva Eccleſia Fideles perſeverantes erant in divini fractione panis, ad eumque eximiâ cordis caſtimoniâ accedebant; ideo *multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat,* ut dicitur Actuum 4. Non poterant corda illa divelli, quæ in Euchariſtiam veluti lineæ in centrum unita confluebant. *Nunc autem*, ut in caput 5. Matth. Chryſoſtomus obſervat, *inter duos inimicos poteſt eſſe fidelis amicus amborum; ideo & Deus non vult eſſe amicus fidelium, quandiu inter ſe fuerint inimici.* Unde nec Chriſto poterunt in Euchariſtia conjungi, qui à ſe fuerint ſimultatum divortio ſeparati.

Speculatio III.

Momentoſa de permanentia & adoratione Euchariſtiæ corollaria derivantur.

Ex hactenus conſtitutis ſequitur 1. Euchariſtiam eſſe ſacramentum permanens, & non in 1. fit formali-

formaliter poſitum. Eſt contra modernos hæreticos Lutheranos & Calviniſtas. Licèt enim Lutherus Eccleſiæ Romanæ de permanentia Euchariſtiæ fidem aliquando non improbarit, ut conſtat ex libro ad Waldenſes, ubi ait Papiſtas corpus Chriſti verè in ſacramento habere & circumgeſtare, licèt hoc faciant ſine mandato; ab ea tamen ſententia ſuaſu Buceri anno 1536. receſſiſſe, & præſentiam corporis Chriſti in ſola ſumptionis actione uſuque agnoviſſe dicitur. Hunc errorem apertè ſequutus eſt Philippus Melanctonus *in apologia*, Kemnitius *in examine ſeſſ. 13. cap. 3. Tridentini.* Euchariſtiam etiam in ſolo uſu conſiſtere hæreſiarcha Calvinus expertè docuit *lib. 4. inſtitutionis, capite 17. §. 26. & 39.* cui adhærent Calviniſtæ Euchariſtiam propterea nunquam reſervantes, nec reſervatam ad infirmos deferentes. Hanc hæreſim damnavit ſacra Tridentina Synodus *ſeſſ. 13. cap. 3. & 6. & can. 4. & 7.* ubi docet in Euchariſtia excellens illud & ſingulare reperiri ſupra reliqua ſacramenta, quòd reliqua tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante uſum eſt; nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe quod præbebat; & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie unà cum ipſius anima & divinitate exiſtere; præterea in hoſtiis ſeu particulis, quæ poſt conſecrationem reſervantur vel ſuperſunt, remanere verum corpus Domini; atque ex veteri omninò, ſalutari & neceſſario more licere ſacram Euchariſtiam in ſacrario reſervari, & ad infirmos honorificè deferri.

Hanc ſacri Concilii doctrinam confirmat veteris Eccleſiæ praxis, Euchariſtiam ſive domi, ſive in ſacris ædibus aſſervantis, eamque ad infirmos deferentis. Eccleſiaſtici moris hujus teſtis eſt Juſtinus Martyr apologia 2. ubi ait Euchariſtiam non ſolùm diſtribui unicuique præſentium, ſed per Diaconos & Miniſtros etiam *ad abſentes perferri.* Irenæus quoque epiſt. ad Victorem, apud Euſebium lib. 5. hiſtoriæ, cap. 24. *Euchariſtiam ad alios miſſam* docet. Tertullianus lib. 2. ad uxorem, de Euchariſtia *domum deportatâ* apertiſſimè loquitur. Cyprianus ſermone de lapſis narrat mulierem Euchariſtiam *domi in arcula ſua concluſam* indignis manibus tractare tentantem *igne ſurgente fuiſſe deterritam.* Dionyſius Alexandrinus epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium *lib. 6. cap. 36.* narrat Sacerdotem præ ægritudine incedere non valentem, *puero Euchariſtiæ exiguam partem dediſſe, præcipiendo ut eam madefactam in os ſenis Serapionis infunderet.* Baſilius epiſt. 23. ad Cæſarium Patricium, eum morem defenſurus, quo fideles urgente perſequutione propriâ manu, Sacerdote vel Miniſtro non præſente, communionem percipiebant, ait, *eos omnes qui per eremos vitam monaſticam inſtituunt, ubi copia non competit Sacerdotis, cùm habeant Domini communionem, de ſuis manibus illam percipere.* Additque *Alexandriæ & per Ægyptum unumquemque etiam de plebe ut plurimùm habere domi ſua communionem.* Narrat etiam Gregorius Nazianzenus in laudem ſororis ſuæ Gorgoniæ, *illam omnibus aliis auxiliis deſperatis, intempeſta nocte captatâ, ad altare cum fide procubuiſſe, ibi Chriſtum in Euchariſtia præſentem adoraſſe, ſtatimque liberatam ſe morbo ſenſiſſe.* Ubi Euchariſtiam nocte in Altari aſſervari manifeſtè teſtatur. S. etiam Ambroſius de obitu fratris ſui Satyri refert *illum fractâ navi petiiſſe dominicum ſacramentum, & in orario ligatum feciſſe, moxque in mare ſe miſiſſe, unde favente Deo evaſit incolumis.* Chryſoſtomus quoq; epiſtola 1. ad Innocentium Papam, recenſet hoſtes ſuos magno Sabbatho ad veſperam in primarium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ templum irruiſſe; & militibus, quos inter aliqui nondum erant myſteriis initiati, ſtatim ingredientibus, & penitus omnia quæ intus erant perluſtrantibus, *Sanctiſſimum Chriſti ſanguinem* [utique in Eccleſia pro more illius ætatis aſſervatum] *in prædictorum militum veſtes fuiſſe effuſum.* Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum, de S. Exuperio Toloſano Epiſcopo ſic habet: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.* S. Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Caloſyrium adverſus Antropomorphitas, tom. 5. *Aliquos eſſe audio*, inquit, *qui myſticam Eulogiam nihil ad ſanctificationem juvare dicant, ſi quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Inſaniunt verò qui hæc aſſerunt. Neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctum corpus ejus immutatur: ſed benedictionis vis ac facultas, & vivificans gratia perpetua in illo exiſtit.* Euchariſtiam demùm in columbis aureis & argenteis appenſam in ſacris ædibus fuiſſe ſervatam manifeſtè colligitur ex libello ſupplici Clericorum & Monachorum Antiochiæ contra Servum, qui habetur in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna, *act. 5.* ex Amphilochio in vita Baſilii, & ex Liturgia ſeu Miſſa præſanctificatorum, in qua Sacerdos non conſecrat, ſed hoſtiâ præſanctificatâ utitur, ut habetur ex canone 52. in Trullo; quem morem Eccleſia Græca per totam Quadrageſimam, exceptis Sabbathis, Dominicis diebus, & feſto Annuntiationis; & Eccleſia Latina in die Paraſceves etiamnum obſervat. Hac teſtium nube obſtupefactus hæreſiarcha Calvinus, veritate coactus fatetur Catholicos Euchariſtiam ſervantes ad ægroſq; deferentes habere veteris Eccleſiæ exemplum; addit tamen inſaniens, *in re tanta non ſine periculo eos errare.* Scilicet dum Eccleſiæ veteris ab Apoſtolis natæ, à Patribus informatæ veſtigia ſequimur, periculosè erramus? Si ita ſit, nulli impietati, nulli prophanæ novitati aditus præcluſus erit.

Ratio autem fundamentalis hujus veritatis orthodoxæ à ſacro Tridentino Concilio poſita eſt: Statim peractâ conſecratione ante omnem ejus uſum & actualem perceptionem corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini exiſtunt; nondum enim Euchariſtiam de manu *D*omini Apoſtoli ſuſceperant, vel certè comederant, cùm verè tamen affirmaret corpus ſuum eſſe quod præbebat, nec verbis hypotheticis, ſed abſolutis Veritas uſa eſt: Ergo Euchariſtiæ ſacramentum eſt ante omnem ſuſcipientis uſum, cùm tunc verè ſit Euchariſtiæ ſacramentum, quando corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini exiſtunt. Et ſanè cùm hoc ſacramentum per modum cibi & potus ſpiritalis inſtitutum ſit, ſicut cibus eſt aliquid permanens, tametſi ad uſum referatur; ita Euchariſtia eſt aliquid fixum & ratum, licèt ad eſum ſit inſtituta. Sicut etiam communes cibi ad alimoniam licèt parati per aliquid temporis aſſervantur; ita cœleſtis Euchariſtiæ cibus per aliquid ſpatii ad uſum fidelium reſervatur. Denique nemo dixerit conficiendi corporis & ſanguinis poteſtatem penes recipientes eſſe; & tamen ſi uſus eſſet de hujus eſſentia ſacramenti, non minùs penes recipientes quàm penes Miniſtros & Sacerdotes eſſet conſecrandæ Euchariſtiæ facultas.

Dices: Priùs Chriſtus diſcipulis panem & vinum præbuit, quàm verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, proferret; dicitur enim Matth. 26. *Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum.* Ergo ratio Concilii Tridentini falſo nititur fundamento.

Reſpondeo in primis non dixiſſe Tridentinum priùs Chriſtum verba protuliſſe, quàm Apoſtoli panem de manu Domini ſuſceperant; ſed *Euchariſtiam* nondum *eos ſuſcepiſſe*, quia ante verba Chriſti nondum erat Euchariſtia. Unde argumentum manet in ſua vi; nam panis ille tametſi ante verba ab Apoſtolis ſuſceptus non fuit tamen ab Apoſtolis comeſtus ante verba Salvatoris, quibus Euchariſtia conſecrata eſt; quod maximè verum probatur de calice, ex quo unè & eodem Apoſtoli omnes biberunt, quamvis verba ſimul tantùm Chriſtus protulerit. Ergo ante uſum

uſum Euchariſtiæ Euchariſtia conſecrata erat, & ſub ſpecie panis & vini corpus & ſanguis Chriſti verè exiſtebat. Deinde veritas eſt, Chriſtum verba protuliſſe antea quàm cibum diſcipulis edendum tradiderit, cùm non dederit cibum manducandum niſi ſic corpus ſuum ipſis porrigeret, idque ipſi non ignorarent. Nec obſunt verba relata Matthæi: quid enim in ultima cœna ordine geſtum ſit, non ex ſerie & contextu verborum, ſed eorum ſenſu vero colligendum eſt: alioqoin cùm Marcus *cap.* 14. de calice dicat, *Gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, Hic eſt ſanguis*, &c. ſequeretur priùs Apoſtolos è pretioſo calice porrecto bibiſſe, quam Chriſtus vinum conſecrarit, & ſacramentum ipſam actionem & uſum recipientis fuiſſe ſequutum, quod nemo jure dixerit. Similiter ergo licèt Matthæus referat verba conſecrationis panis poſt benedictionem, fractionem, & porrectionem; priùs tamen illum conſecravit, quàm edendum diſtribuerit, cùm Euchariſtiam Chriſtus edendam diſtribuerit, nec potuit ante verba Chriſti eſſe Euchariſtia. Unde ſenſus Matthæi eſt, accepiſſe Jeſum panem, illumque quem diſcipulis dedit, his verbis conſecraſſe, *Hoc eſt corpus meum.*

Inſtabis: Non eſt potior ratio cur alia ſacramenta in uſu & actione conſiſtant, quàm ipſa Euchariſtia: ergo id gratis Euchariſtia affirmamus.

Reſpondeo manifeſtam eſſe diſparitatem, quæ ex formis ſacramentorum dilucide colligitur; cùm enim forma aliorum ſacramentorum actionem eſſentialiter ſignificet, putà forma Baptiſmatis, *Ego te Baptizo*, &c. ablutionem; forma Confirmationis, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te*, &c. chriſmationem; forma pœnitentiæ *Abſolvo te*, remiſſionem peccatorum, clarum eſt hujuſmodi ſacramenta ſine uſu non conſiſtere, ſed in actione ſita eſſe. At forma Euchariſtiæ non ſignificat actionem & uſum, ſed aliquid permanens; nam *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, nullam actionem præ ſe fert vel indicat, & congruit ut cibus & potus in aliquo permanenti conſiſtat, licet ad uſum referatur.

Opponcs rurſum quædam Patrum teſtimonia: Origenes enim *hom.* 5. *in Levit.* ait, quod panem quem diſcipulis Dominus dedit, *non ſervari juſſit in craſtinum.* Author etiam libri de cœna Domini ait: *Panis iſte recipitur, non includitur.* Et Ambroſius *in cap.* 11 *prioris ad Corinthios* ait: *Indignos illos intelligi à Paulo, qui ſacramentum hoc vel aliter celebrant, quam à Chriſto inſtitutum eſt, vel aliter illud accipiunt, quam ab ipſo traditum eſt.* Euchariſtia autem à Chriſto conſecrata non fuit reſervata, ſed ſtatim comeſta. Hieronymus etiam in eundem locum ait, in Eccleſia quidquid de ſacrificio ſupereſſet, omnes pariter comediſſe. Beda demùm *lib.* 4. *Euchariſtice hiſtoriæ, cap.* 14 refert puero ægroto ab Apoſtolis eum inviſentibus dictum fuiſſe, ut expectaret donec Miſſæ celebrarentur, quo viatico Dominici corporis & ſanguinis reficeretur.

Reſpondeo mirum eſſe hæc noſtrates hæreticos objicere poſſe, & non pudore ſuffundi, dum ea referunt quibus plures eorum hæreſes de ſacrificio Altaris, de miſſa, de Viatico Dominici corporis jugulantur, plus inde detrimenti imprudentes reportando, quam ſcientes lucri referre poſſent, vera licèt eſſent quæ intendunt: capitalibus illis hoſtibus ſimiles, qui furore in aliquem ſibi inviſum occæcati, ſi quid eis nocere credunt avidiſſimè captant, in quæ ipſi incommoda longè graviora incurrant rabie acti non advertunt. Sed nihil ex illis locis lucri vel compendii eruere poſſunt inimici veritatis. Non quidem ex Origene, qui non ait non fuiſſe prohibitum ut Euchariſtia conſecrata ſervaretur; ſed non fuiſſe præceptũ ut ſervaretur. Nec ſanè tunc hoc præcipere Chriſtũ congruebat: cùm enim Euchariſtia in commemorationem ſacrificii crucis inſtituta ſit, non debuit eo diu ſervari, quo Chriſtus ſeipſum obtulit Patri: ſed quod jam non debeat ſervari ad fidelium ſolatium, ad ægrorum remedium, ad piorum cultum perennem, nunquam dixit Origenes, ſoli moderni hæretici totius pietatis jurati hoſtes inficiantur. Adde ſcopum Origenis eò loci fuiſſe oſtenderet ea quæ ad Dei laudem pertinent nova & recentia eſſe debere, non vetera; quod probat ſuo more allegoriis, quia Chriſtus panem mox conſecratum dedit diſcipulis, nec diſtulit; & quia Chriſtus prohibuit, ne panes portarentur in via, ut ſemper recentes verbi Dei panes proferamus; & quia Gabaonitæ quòd veteres panes ad Iſraelitas detulerint damnati ſunt. Quæ probatio probatio per allegoriam procedens vim ſuam habet, etiamſi Euchariſtia in Eccleſia aſſervetur; procedit enim non ex eo quod poteſt fieri, ſed ex eo quod Chriſtus fecit; unde ſicut panem conſecratum Chriſtus dare non diſtulit, ita nova ſemper offerre Deo congruit.

Ad authorem ſermonis de cœna Domini dicendum, non velle eum Euchariſtiam non poſſe in vaſis includi, quin aliis communicari poſſit. Patet hic ſenſus ex verborum contextu: *Æqua*, inquit, *omnibus portio datur, integer erogatur, diſtributus non demembratur, incorporatur, non injuriatur; recitur, non includitur, cum infirmis habitans non infirmatur.* Ad locum Ambroſiaſtri (neque enim hujus operis S. Ambroſius author eſt, ſed quidam de grege Pelagianorum) dico, indignos eſſe qui hoc ſacramentum aliter celebrant vel recipiunt, quàm à Chriſto inſtitutum vel traditum eſt, qui nimirum nec præſcriptam materiam adhibent, nec formam inſtitutam ſervant, nec eam afferunt cordis caſtimoniam, quam cœleſtis cibus deſiderat. Nec contra inſtitutionem, vel traditionem Chriſti agunt, qui Euchariſtiam ſervant, ſed ei potiùs ſe conformant; cùm enim Euchariſtiam Chriſtus inſtituerit, ut omnib⁹ communicetur, convenienter aſſervatur eâ ut omni tempore fideles etiam infirmi refici poſſint. Hieronymus vero [qui tamen falsò hujuſmodi commentariorum uni Pelagio aſſerendorum author eſſe dicitur] loquitur de oblatis pro vel cum ſacrificio, non de his quæ de conſecratis ſupereſſent; vel de illis ſacramenti reliquiis loquitur, quæ nec commodè, nec docenter juxta morem Eccleſiæ poterant aſſervari, quales ſunt particulæ, vel alia hujuſmodi. Hiſtoria demùm Bedæ non eſt ad rem; loquitur enim de Monachio incola parvi monaſterii, in cujus ſacello Euchariſtia minimè reſervabatur. Vel præcipitur ei ut Miſſæ celebrationem expectaret, non quòd aliunde reportatâ Euchariſtiâ reſervatâ refici non poſſet, ſed ut ſacrificio intereſſe poſſet, vel ut communionem in tempus celebrationis Miſſæ, quo magis ſe ad cibum illum inſtrueret, differret.

Pro ſolutione aliarum objectionum ſciendum, morem Euchariſtiam domum deferendi olim urgente perſequutione inductum in Concilio Cæſaraugustano *can.* 3. & Toletano I. *can.* 14. fuiſſe antiquatum, ut ſacrilegiis & abuſibus inde profectis via præcluderetur. S. etiam Clemens *epiſt.* 2. ea quæ ſuperſunt de ſacramento Altaris reſervari non vult in craſtinum, ubi nimirum neceſſarius proviſum eſt, cùm ibidem atteſtetur ſacrorum Euchariſtiæ fragmentorum reliquias miniſtris cuſtodiendas fuiſſe commiſſas, ne qua in ſacrario putredo inveniatur. Sciendum etiam viguiſſe per multos annos in Eccleſia Orientali morem, ut pueris innocentibus ſcholas frequentantibus reliquiæ Euchariſtiæ conſumendæ traderentur, ut ex Evagrio *lib.* 4. *cap.* 35. Nicephoro *lib.* 17. *cap.* 25. conſtat. Quòd & in Eccleſia Occidentali conſuetudinem illam viguiſſe patet ex Concilio Matiſconenſi II. *can.* 6. ubi præcipitur reliquias ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſedentes feria 4. vel 6. ab innocentibus jejunis eſſe percipiendas. Quædam etiam Eccleſiæ, authore Eſychio *lib.* 2. *in Leviticum, cap.* 8. reliquias ſacramenti comburere ſolebant. Verum hæc non niſi reſervatis pro infirmorũ ſolatio neceſſariis fiebant. Quibuſdam etiam diebus reſervata fuiſſe ſacra fragmenta, ex canone Matiſconenſi claret, cùm certis quibuſdam

buidem diebus aſſervatas conſumi reliquias præſcribat, in quibus omnium diebus recentes ſpecies conſecrabantur, & Euchariſtia renovabatur, ne quid potredinis, vel indecori obveniret. Hæc de cauſa reliquiæ diu ſervatæ, & putredine vel aliquo ſimili ſordidatæ igni comburendæ tradebantur, repoſitis in ſacrariori loco cineribus in honorem corporis Chriſti, cujus fuerant velamenta, ut ex Concilio Arelatenſi III. *can.* 5. Aurelianenſi apud Ivonem & Burcardum patet. Idque non obſcurè indicat Eſychius, eò loci addens ea fragmenta non eſſe igni committenda, quæ paucis abhinc diebus ſervata ſunt.

Corollarium Alterum.

De adoratione Euchariſtiæ.

Sequitur 2. Chriſtum in Euchariſtiæ ſacramento eſſe adorandum adoratione latriæ. Docet hanc veritatem catholicam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. ubi ait nullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo ſacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino ut ſumatur inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apôſtolis adoratum fuiſſe Scriptura (Matth 28. & Luc. 24.) teſtatur. Ibidem etiam declarat S. Synodus religioſum eſſe Eccleſiæ morem, quo ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione & ſolennitate celebraretur, & in proceſſionibus honorificè per vias & loca publica circumferretur: ut hac rarâ & ſingulari grati animi ſignificatione ineffabile & planè divinum beneficium Chriſtiani recolant, Salvatoriſque victoriam ac triumphos repreſentent. Sic enim oportet victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.

Adverſus hanc fidem communiſſimis Chriſtianiſmi notionibus tantoperè conſentaneam inſurrexerunt nedum Ariani & Neſtoriani divinitatis Verbi vel unionis hypoſtaticæ veritatem negantes, ſed etiam VVandali, Donatiſtæ, Suriani, & nonnulli Græci, non quòd Eccleſia Græca Euchariſtiam non adoret (cùm oppoſitum ex praxi eorum & ritibus Liturgiarum pateat, nec nobis unquam Græci objecerint, quod Chriſtum in Euchariſtia adoremus;) ſed in odium Latinæ Eccleſiæ & rituum illius. Videſis Iacobum de Vitriaco *lib.* 1. *hiſt. Jeroſolymitana*, *cap.* 71. Qui Catholicos excommunicatos arbitrantes, priores Euchariſtiam à Catholicis confectam conculcabant, ut videre eſt apud Victorem Uticenſem *lib.* 1. *de perſequut. VVandalica*, & Optatum Milevitatum *lib.* 2. poſteriores verò altaria ſuper quæ Latini divina celebraverunt abluere, nec ſacramento à noſtris Sacerdotibus ad ægrotos delato aſſurgere conſueverunt. Illi etiam culti interceſſerunt Berengariani corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia veritatem inficiantes; VValdenſes quinque in profeſſione fidei ad Uladiſlaum, necnon Begardi & Beguinæ, qui ſingularem pietatem profiteotes eò impietatis prolapſi ſunt, ut crederent Chriſto in Euchariſtia præſenti nullam ſe debere exhibere reverentiam, ne a contemplatione divinitatis ad humanitatem recogitandam deſcenderent. Quos Concilium Viennenſe proſcripſit, ut videre eſt in Clementina *ad noſtram*, *lib.* 5. *Clementinarum.* Lutherus autem *lib. ad VValdenſes*, anno 1523. conſcripto adorationem Chriſti in *Euchariſtia* liberam permiſit. Philippus Melanctonus in apologia, *titulo de cœna Domini*, *Euchariſtiam* extra uſum non poſſe ſine manifeſta profanatione &, idololatria adorari contendit. Poſteriores tamẽ Lutherani neque in ipſa cœnæ actione & uſu Chriſtũ in *Euchariſtia* eſſe adorandũ affirmant, quòd Chriſtus huic ſacramento non ut adoretur, ſed ut edatur interſit. Hunc errorem ſequitur hæreſiarcha Calvinus *lib.* 4. *inſtitutionis*, *cap.* 17. §. 35 ubi ait, Catholicos carnalem adorationem perverſa temeritate in ſacramento erexiſſe, quia mandatum accipiendi, non adorandi habemus, nec leguntur Apoſtoli proſtrati adoraſſe, ſed diſcumbentes accepiſſe & comediſſe: in cœlum ergo duntaxat erigi pias animas, & ſurſum habere corda oportere concludit, atque eam demùm adorationem eſſe legitimã, quæ ad Chriſtum in cœlo ſedentem dirigitur.

In hoc veluti ſpeculo recentiorum hæreticorum ingenium inſpicere eſt, & perditam illorum frontem & conſcientiam perhorreſcere. Mihi certè tam incredibilem in deneganda Chriſto etiam præſenti putato adoratione audaciam conſideranti, neſcio quid in illa ſuper ſolitam humani cordis pravitatem ſubeſſe videtur, peculiarem quendam; nec minùs manifeſtum diaboli inſtinctum atque afflatum licet advertere; non enim ſic omnem chriſtianæ pietatis ſenſum humana perturbatio poſſet extinguere, nec in tot ſe homines diffundere. Si Chriſtum præſentem creditis, ô Lutherani, tàm tam abſurdâ, tam impiâ, tam à ſanitate alienâ conſequutione ipſum non adorandum eſſe credere poteſtis? Si tam manifeſtam cæcitatem nondum cernitis, profectò nimis apertè eum qui vos agitat hæreticum ſpiritum proditis, quem ſi præ tenebris veſtris non agnoſcitis, agnoſcunt omnes qui ab ejus contagione liberi ſunt. Hinc veſtro exemplo mirè patet, eam eſſe fidei ac rationis, pietatis, veritatiſque connexionem, ut qui unam deſerat, omnes deſerat. Nam ut nuperos ſuos de Euchariſtia errores ab infeſtæ ſibi veritatis apertiſſima luce hæretici moderni tuerentur, ea de adoratione Euchariſtiæ effutiunt, quæ omnimodam in ipſis rationis obſcurationem probant. Hoc benè vidit ipſe Kemnitius *ad cap.* 5. & *can.* 6. *ſeſſ.* 13. *Tridentini*, dicens adorationem Chriſti non eſſe loco vel tempori alligatam: quare poſito quod ſit realiter præſens in Euchariſtia, fieri nec poſſe, nec debere: quin fides ipſum in illa præſentem veneretur & adoret; neque poſſe negari Chriſtum eſſe adorandum, niſi ab eo qui vel negat prorſus, vel certè dubitat de præſentia Chriſti. Et ſanè cùm Chriſtus ubicumque ſit, Deus & homo ſit, ubique etiam eſt adorabilis. Nec eſt expectandum hujus adorationis ſpeciale mandatum, quod ſuppoſita fide, ipſa indicat ratio naturalis, quâ perſuaſi Magi Chriſtum in cunis adorarunt, cæcus natus in templo, leproſus & Cananæa in via, vectores in navi, Apoſtoli in Galilæa. Nec ullum inde imminet idololatriæ periculum, vel panis adorandi occaſio datur; quia fideles adorantes in Chriſtum cultum ſuum dirigere teſtantur, & Eccleſia talem cultum præcipiens, fideles ſuos de Chriſti præſentia ſatis informat.

Hunc tam juſtum, tam ſanctum Eccleſiæ morem veteris Eccleſiæ praxis confirmat. Cyrillus enim Hieroſolymitanus *catecheſi* 5. *myſtagogica*, docet accepturum *Euchariſtiam* accedere oportere *pronum adorationis in modum*. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri ſororis ſuæ Gorgoniæ, ait illam *ad altare cum fide procubuiſſe, ipſumque qui ſuper ipſo honoratur cum ingenti clamore invocaſſe.* Ambroſius libro 3. de Spiritu ſancto, cap. 12. *Itaque*, inquit, *per ſcabellum terra intelligitur; per terram autem caro Chriſti; quam hodie quoque in myſteriis adoramus*, Chryſoſtomus homil. 24. in 1. Cor. *Hoc corpus præſepe reveriti ſunt Magi, & viri impii & barbari longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ſaltem barbaros, nos qui cælorum cives ſumus. Illi enim cùm id præſepe & tugurium tantũ,*

nec

nec eorum quicquam quæ nunc intueris viderent, ſummâ acceſſerunt reverentiâ & honore. Tu verò non in præſepi, ſed in altari; non mulierem quæ in ulnis teneat, ſed præſentem Sacerdotem, & ſpiritum perabunde ſuper propoſitis diffuſum ſacrificio vides. Nec ſimpliciter ut illi corpus intueris; ſed & ejus potentiam, & omnem cognoſcis adminiſtrationem, & nihil eorum quæ per ipſum facta ſunt ignoras. Et hom. 3. in epiſt. ad Epheſios: *Cogitemus ad illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Conſidera quæſo, menſa regalis eſt appoſita, Angeli menſæ miniſtrantes, ipſe Rex adeſt, & tu aſtas oſcitans? Igitur adora, & communica.* Auguſtinus in Pſal. 98. *Timeo non adorare ſcabellum Domini mei, quia Pſalmus mihi dicit, Adorate ſcabellum pedum ejus. Quæro quid ſit ſcabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura: Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit. Inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, ut non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Idem docent alii Patres, qui hæc verba Pſalmi 21. *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ*; verba, inquam, illa de eſu & adoratione Chriſti in Euchariſtia interpretantur, quales ſunt Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Theodoretus. Teſtantur etiam Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio*, Ambroſius orat. 1. *præparatoria ad Miſſam*, Gregorius Magnus *lib. 4. Dialogorum, capite 58.* Euchariſtiam ab ipſis Angelis, qui frequenter noſtris myſteriis interſunt, adorari. Denique hanc praxim retinet tota Eccleſia Græca, ut tradit & ex profeſſo probat Gabriel Archiepiſcopus Philadelphiæ in apologia cultus Euchariſtici, & Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ; nec hoc ullus negare auſus, niſi fuerit ſimilis hæretico Claudio, qui etiam in quæſtionibus facti oculis, auribus, & ſenſui communi renuntiare vovit, mavultque mendaci totum orbem accuſare, quàm mendaciſſimam ſuam aſſertionem revocare, quâ Eccleſiam Græcam Chriſti corporis realem præſentiam non agnoſcere, nec Chriſti in ea corpus adorare ſemel pronuntiavit, quaſi infallibilitas in quæſtionibus facti illi aſſerenda ſit, qui infallibilitatem Eccleſiæ in quæſtionibus juris inficiatur.

Ex quibus ſponte & liquidò ſequitur, Euchariſtiam cultu externo & corporeo adorari oportere, ut patet ex verbis Patrum memoratis, & ipſo omnibus non omninò corruptis animis inſeminato pietatis ſenſu. Congruit etiam Euchariſtiam eo nos adorationis modo adorare, qui ſit naturæ noſtræ corpore nō minùs quā anima conſtanti conſentaneus, per ſigna nimirū corporea adgeniculationum, proſtrationum, inclinationū, ſalutationū, capitis adaperti, corporis ſurgentis, junctarum conſtrictarumque manuum, vel etiam expanſarum, &c. Hac de cauſa Urbanus IV. ad ſummum Eccleſiæ Pontificatum anno 1261. evectus, divini hujus Sacramenti devotione affectus piè ſtatuit, ut integro ſolennitatis officio inſtitutionem tanti myſterii recoleret plebs fidelis, utque ejuſdem inſtitutionis memoria prima quinta feria poſt octavas Pentecoſtes à cunctis Eccleſiis celebraretur. Tum ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus ſanctus corda diſcipulorum edocuit ad plenè cognoſcenda hujus myſteria Sacramenti; nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari. Tum ne tantum Chriſti beneficium unquam excidat è memoria, debuit per ſpeciale feſtum ob oculos poni; ſicut & alia Dei beneficia in Scripturis & in Eccleſia per feſtorum convenientem diſpoſitionem ab oblivione vindicantur. Licèt enim tanti doni fiat in Miſſa quotidiana memoria, ejus tamen ſpeciale decet peragi feſtum, quia ſolent quotidiana attentionem perdere & admirationem, niſi nova aliqua adhortatione & ſolennitate ad ea cogitanda animus excitetur. Compulerunt etiam ſummum Pontificem ad ejus feſti inſtitutionem, tum miracula inſignia in hujus honorem ſacramenti divinitus edita; tum revelationes variæ piis viris de ejuſdem procuranda celebratione factæ; tum ut hæretici & impii hujus myſterii impugnatores confunderentur. Et ſanè ſi in honorē inſigniorum martyrū vetus Eccleſia feſta inſtituit, potiori jure in tanti ſacramēti honorem potuit feſtum inſtitui. Quanvis enim feria 5. hebdomadæ ſanctæ hujus inſtitutionis memoria recolatur, quia tamē Eccleſia tēpore illo in deflenda morte ſponſi ſui ſalubriter occupatur: alius debuit eligi dies, in quo majori cum mentis lætitia per diem integrum talis feſtivitas celebraretur. Hac etiam de cauſa eodem die omnium Ordinum ſolennis ſupplicatio, ſeu proceſſio, in qua corpus Chriſti honorificè circumgeſtatur, habetur; tum ut grati animi ſignificationes hoc veluti triumpho exhibeantur; tum ut fidem noſtram ab hæreticis impugnatam propalam & intrepidè profiteamur; tum ut ſicut Chriſtus olim pertranſibat benefaciendo & ſanando omnes; ita corpus ejus circumgeſtatum dæmones fuget, mala avertat, bona conferat neceſſaria; ſicut Arca hujus ſacramenti figura, quaſi in proceſſione extra tabernaculum malorum avertendorum & bonorum impetrandorum gratiâ circumgeſtabatur. Qui ſanè ritus eſt in Eccleſia Chriſtiana perantiquus, ut ex canone 5. Concilii III. Bracarenſis anno 654 celebrati conſtat. Solebant etiam olim Chriſtiani certa in loca certis diebus convenire, quod ſtationes & ſtationum dies nuncupabant; quæ loca Martyrum reliquiis ornata Martyria dicebantur, ad quæ piè, modeſtéque procedebant divina ut officia perſolverent, ſacramenta perciperent, tremendo ſacrificio intereſſent; unde tales conventus proceſſiones dicti ſunt. Ad illa Martyria reliquias Euchariſtiæ domum pro more illius ætatis aſportatæ deferebant, clam quidem urgente perſecutione, redditâ verò Eccleſiæ pace ſolenniter à ſolo Epiſcopo; quia tunc prohibitum erat ne laici Euchariſtiam domum aſportarent.

Pro ſolutione objectionum à novis hæreticis fieri ſolitarum advertendum eſt, quod licèt in Scriptura ſpeciale non extet de adorando Chriſto in Euchariſtia præceptum, ſufficere tamen in Scripturis haberi, Deum eſſe adorandum, Chriſtum eſſe Deum, Chriſtum eſſe adorandum, Chriſtum eſſe in Euchariſtia realiter præſentem. Unde ſicut olim Maximino hæretico petenti ab Auguſtino, *Da mihi teſtimonia, ubi adoratur Spiritus ſanctus*? Reſpondebat Sanctus Pater lib. 3. contra eundem, cap. 3. *Ex iis quæ legimus intellige*: ita ſimiliter dico, ex iis quæ de Chriſto & de Euchariſtia in Scriptura legimus, Chriſtum in Euchariſtia adorandum rectè concludi.

Sciendum rurſus, quod licèt ſemper in Eccleſia Chriſtus à Fidelibus adoratus ſit, eam tamen adorationem Patres adverſum Arianos divinitatem Filii probaturi minimè in medium proferebant; quia Chriſtum adorandum eſſe Ariani cenſebant; tametſi Deum illum eſſe inficiarentur. Unde Patres idololatriæ Arianos jure merito accuſabant; rūm Chriſtum puram creaturam arbitrantes, nihilo tamen minùs eum adorandum prædicabant, ut apud Auguſtinum *ſerm. contra Arianos & lib. 1. contra Maximinum*, necnon apud Athanaſium *orat. 1 contra Arianos*, Nyſſenū *ſermone in laudem Baſilii*, Ambroſiū *lib. 1. de fide, cap. 2.* videre eſt. *Ais igitur*, inquit mihi

Ari-

Ambroſius. *deſinant colere , quem creaturam appellant; aut deſinant, quem colere ſe ſimulant, dicere creaturam.*

Sciendum 3. quod aliquando Euchariſtiæ uſus per modum convivii, in quo convivæ ſedebant, celebratus ſit : nunquam tamen probabunt hæretici , convivas neque antequàm ſederent, neque ſedentes adoraſſe. De viris quidem Apoſtolicis nullo id teſtimonio confirmare poterunt : de Apoſtolis verò , utrum Euchariſtiam ad pedes Chriſti provoluti receperint, Scriptura non commemorat. Quare ſicut credibile eſt Apoſtolos Agnum Paſchalem ſtantes , juxta legis mandatum, comediſſe; ita & eoſdem ad pedes Chriſti proſtratos cœleſtem cibum à Chriſto accepiſſe, tametſi Scriptura taceat, probabile eſt. Ut ut ſit , Chriſtum præſentem credere fide pura non poſſumus , quin illum continuò adoremus; neque ad hoc ſpeciali mandato opus eſt. Sicut enim licèt Deus filiis parentes colere & diligere præceperit, nullo tamen ſpeciali Decalogi præcepto parentibus amorem filiorum imperat , quia ad illum natura non omninò corrupta ſatis ſuperque inclinat : ita Chriſtus corpus ſuum recipi ſpeciali mandato juſſit; illud adorare nullo ſpeciali præcepto urgere conſtituit , quia ad deferendum illum cultum ſufficit communis Chriſtianæ pietatis ſenſus, ſufficiunt communiſſimæ rationis impietate vel hæreſi non prorſus excæcatæ notiones. Nec poſſunt ab eo cultu removeri vel retardari fideles , quod incerti ſint, num panis ſit à vero Sacerdote cum debita materia, forma , & intentione conſecratus. Non , inquam , hæc obſunt , quia ad legitimum cultum ſufficit rationabilis adorantis exiſtimatio , cui licèt metaphyſicè falſum ſubeſſe poſſit, nulla tamen committitur idololatria, cùm cultus in Chriſtum ſolum præſentem putatum refertur : ſicut qui proditorem , quem amicum credit , colit, non infidelitatem ſimulatoris , ſed exiſtimatam ejuſdem fidem & amicitiæ neceſſitudinem veneratur.

Objicit inſuper hæreticus Faucherus *lib. 4. cap. 3.* Non potuit in primitiva Eccleſia Euchariſtia ſolenni externoque cultu à Patribus adorari , quin eo ritu Ethnicis ſpecioſa occaſio & anſa præberetur ſuam ſimulachrorum adorationem defendere , eamque ab argumentis ſacrorum Doctorum vindicare. Etenim Patres ſuperſtitioſum illum cultum inde confutabant primùm, quod abſurdum eſſet Deos in ligno, metallo, ſimulachriſque concludi , ut patet ex Arnobio *lib. 6.* Secundo , quòd impium eſſet ligna & lapides eo cultu venerari , qui ſoli Deo Creatori debetur. Tertiò , quod abſurdum eſſet aliquâ dedicatione numina fieri præſentia ſimulachris , in minoribus conſtringenda, in majoribus extendenda commodius. Quarto , ridiculum eſſe & ſacrilegum opera hominum adorare, res illas colere , quæ nec vident, nec audiunt , nec agunt, nec ullâ ſe ratione movent. Atque irrationabile eſſe illos agnoſcere Deos , qui frangi, cremari, ab hoſtibus conteri , vermibus exedi, furto radi, ſub repagulis peſſuliſque cuſtodiri, & infinitis demùm modis deperire poſſent. Atqui hæc omnia inconvenientia in Euchariſtiæ adorationem retorquere facilè Gentes potuiſſent : nam ſtatim regerere in promptu erat: Quid vos improbatis in nobis quod frequentatur à vobis ? Vos namque hoſtiam conſecratam terrena & cœleſti ſubſtantiâ conſtare opinamini, in eaque Deum veſtrum concluditis , conclusum adoratis ; Vos panem & vinum colitis. Quod ſi ad latentem Chriſtum cultum dirigere veſtrum reſpondetis, ad numina etiam in ſimulachris latentia adorationem noſtram referimus. Vos in Euchariſtia Deum veſtrum præſentem conſecratione redditis, ſicut nos eos ibi Deos colimus , quos dedicatio ſacra inferre, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulachris. Vos Chriſtum modò ſub minoribus ſpeciebus coarctatis , modò ſub majoribus protenditis. Vos Euchariſtiâ reveremini, quæ eſt opus manuum veſtrarum ; nam & panis humanâ operatione fit , humana & conſecratione celebratur. Vos in Euchariſtia rem quæ neque audit , neque ſe ciet veneramini. Vos denique Euchariſtiam colitis, quæ frangi , cremari, cuſtodiri, calcari , & aliis modis perire poteſt. Ergo ne inania fateamur Patrum adversùm ſimulachrorum adorationem argumenta , dicendum adorandæ Euchariſtæ ritum non fuiſſe in Eccleſia primitiva uſurpatum , ſed eſſe recens inventum.

Reſpondeo has inaniſſimarum objectionum fallacias ab ipſis idololatris mutuatū fuiſſe hæreticum Faucherum , Conſtat enim ex Origene *lib. 3. contra Celſum* , hæc argumenta in favorem cultus ſimulachrorum ſuorum fuiſſe à Paganis producta, & contra adorationem Chriſti intorta. Enimverò conſideranti patebit , majorem vim hæc ſophiſmata adversùs Dei incarnati , quam Chriſti in Euchariſtia reſidentis adorationem habere. Majori enim veriſimilitudine objicere poterant Chriſtum humanâ & divinâ ſubſtantia conſtare , & totum Deum in humanitate reſidere & conſtringi ; humanitatem creatam ob præſentiam deitatis cultu divino honorari, unione hypoſtaticâ humanitatem divinitate ungi & conſecrari ; divinitatem in infantilibus Chriſti membris contractam, in virilibus longius fuiſſe porrectam; divinitatē unitam Chriſto in utero materno recluſo, & perſeverantem in corpore in ſepulchro recondito , in ea re præſentem fuiſſe , quæ neque videbat, neque audiebat , neque ullo prorſus pacto movebatur. Denique Chriſtum , quem Deum colimus , omnibus fuiſſe injuriis obnoxium , ligatum funibus , flagellatum verberibus , clavis affixum cruci , mortuum , atque in tumulo concluſum. Hæc ſolvere tenetur Faucherus , niſi adorationem Chriſti de medio tollere; atque adeò Chriſtianiſmum ab imis fundamentis ſubruere cum Ethnicis moliatur. Et ſi quid probabile in defenſionem adorationis Incarnati Verbi protulerit , vindicandæ ab Infidelium ſophiſmatis adorationis Euchariſtiæ omninò inſerviet. Sed non ſunt expectanda ab hæreticis religionis & veritatis præſidia , quæ nobis à Patribus & Doctoribus Catholicis largiſſimè miniſtrantur.

Ad primum ergo dicendum immenſum intereſſe diſcrimen inter cultum ſimulachrorum & adorationem Euchariſtiæ , non ſolùm ex objecto cultus petitum (cum Ethnici falſos Deos & veros peccatores in ſimulachris venerarentur; nos Chriſtum Filium Dei vivi in Euchariſtia realiter præſentem adoremus:) ſed etiam ex modo & circumſtantiis utriuſque cultus. Ethnici enim Deos ſuos cœlos deſerere , ſimulachris alligari , ibique virtute conſecrationis affixos non poſſe inde ad libitum diſcedere fingebant : at corpus Chriſti in Euchariſtia realiter præſens cœlos modo ſuo connaturali ſimul incolit, & divinitas ejus immenſitate ſuâ omnia replet. Ineptè ergo comparatur divinitas Paganorum ſimulachris alligata cum divinitate Chriſti nulli addicta loco , quæ omnia ſuis continet locis , nuſquam contenta locorum. Ineptè etiam cum corpore Chriſti ; tum quia majus eſt inconveniens divinitatem coarctari , quàm corpus ; tum quia Chriſtus ſub ſpeciebus non alligatur , cùm in cœlo modo extenſo permaneat, & aliis altaribus innumeris ſimul & ſemel adſit.

Ad ſecundum reſpondeo , idololatras exiſtimaſſe ſimulachra ſua eſſe vel tanquam corpora divinitatum ſuarum ; unde eis tanquam animatis Deorum corporibus divinos honores & cultus obſequia deferebant , ut ex Hermete Triſmegiſto refert Auguſtinus *lib. 8. de Civit. cap. 23.* & videre eſt apud Arnobium *lib. 6.* vel ſaltem eſſe repræſentationes & ſedes Deorum ſuorum ibi magicis invocationibus inhabitantium, atque in ſedis obſcuræ coercitione latitantium , ut patet ex Arnobio *lib. 6* atque Euſebio *lib. 5. de præparatione Evangelica , cap. 8.* ubi ex Pythagora Rhodii refert Deos ſimulachris adigi , à quibus diſcedere cùm liberet non poterant , quis

vis eis illata, gravis atque imperioſa poteſtas eos cogebat, ac quadam ab hominibus impoſitâ neceſſitate pertrahebat: vel denique voluiſſe Deos ſuos & Deum eſſe partes vel virtutes magni Jovis, & quaſi quædam ejus magni Dei membra, quem mundi animam eſſe putabant, ut ex Auguſtino *lib. 4. de Civit. cap. 11.* patet. At Catholici non dicunt ſpecies ſacramentales eſſe corpora divinitatis, nec eis divinitatem alligari virtute humana, nec ibi partem divinitatis exiſtere; ſed corpus Chriſti ibi virtute & inſigni Dei miraculo adeſſe, Divinitate ubique protensâ, & corpore ipſo in cœlo modo connaturali remanente. Inſulſiſſimè ergo initur comparatio inter Euchariſtiam Chriſtianorum & ſimulachra paganorum.

Ex quibus patet ad tertium reſponſio; nam ſpecies ſacramentales non ſunt repræſentationes divinitatis, vel ſedes in quibus coarctetur Deus ubique præſens, imò nec Chriſti corpus ibi modo ſpiritali totum in toto, totum in qualibet parte reſidens, & aliunde in cœlis modo extenſo & connaturali perſeverans, nec deſerens cœleſtia, ut habitet in Altari. Patet etiam ad quartum; nam idololatræ primæ opinionis (quibus ſolis id à Patribus objiciebatur) exiſtimabant ſimulachra eſſe corpora divinitatis habentia oculos & aures, nihil tamen videntia vel audientia. At ſpecies ſacramentales non ſunt corpora divinitatis, nec habent oculos, vel aures. Divinitas etiam noſtra ubique videt, & audit preces noſtras. Ex quibus tandem patet ad ultimum; nam divinitas nullis obnoxia eſt injuriis: corpus etiam Chriſti glorioſum ibi ad modum ſpirituum exiſtens ab illis omnibus immune eſt, quæ in ſolas ſpecies creatas cadunt. At ſimulachra erant vel corpora falſorum Deorum, vel propriæ & ſolæ eorum ſedes, unde injuriæ illis illatæ in divinitatē ea animantē, vel in illis coarctatam meritò refundebantur. Illud etiam obſervandum, omnes illas objectiones noſtræque cauſæ plurimùm prodeſſe; ſi enim tanto zelo Ethnici Dæmonis ſuaſu ſummâ veneratione impia ſimulacra in veri Dei contemptum colebant, majori nos decet verum Deum in Euchariſtia abſconditum ardore & omnigenis religioſi cultûs ſignificationibus in deſpectum cacodæmonis venerari.

Inſtabis: Non ſolùm Chriſtum, ſed etiam ſpecies conſecratas ratione conjunctionis cum Chriſto adorant Catholici: atqui illæ ſpecies ſunt aliquid creatum: ergo Catholici adorant creaturam, ſubindeque in idololatriæ crimen infandum incurrunt.

Reſpondeo Catholicos non ſolùm ab idololatriæ crimine, ſed etiam ſpecie eſſe alieniſſimos. Quantum verò ad cultum ſpecierum attinet, docent plures Theologi, quos inter Thomiſtas ſequitur Marcus Serra, ſolum Chriſtum in Euchariſtia adorari. Nec obeſt quod Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 5.* dicat, latriæ cultum huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione exhiberi. Non obeſt, inquam, quia licèt ſacramentum formaliter pro ſpeciebus ſupponat, ibi tamen ſacrum Concilium accipit continens pro contento. Unde ſuam doctrinam in definitionem reducens ſancta Synodus *can. 6.* ſic habet: *Si quis dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema ſit.* Alii tamen Theologi concedunt ſpecies conſecratas ut conjunctas corpori & ſanguini Chriſti poſſe & debere adorari, non quòd illæ motivum & ſimul terminativum adorationis objectum ſint; ſed quatenus ſolius objecti terminativi rationem habent. Quia nimirum intimior eſt cum corpore & ſanguine Chriſti ſpecierum Euchariſticarum conjunctio, quàm regiæ purpuræ, diadematis, aut ſceptri cum Rege; quæ tamen eundem cum Rege cultum terminant, ſola licèt regia majeſtas ſit venerationis motivum. Et certè ſi accidentia naturalia corporis Chriſti cultu latriæ ſunt adoranda, quia ita unita cum corpore Chriſti faciunt, ut is qui tangit & videt, corpus Chriſti tangere & videre cenſeatur: quidni idem de ſpeciebus Euchariſticis dici licebit, quas qui tangit & videt, corpus Chriſti tangere & videre juxta tritum Patrum loquendi modum cenſetur? Nudas ergo ſpecies in illo cultu non apprehendimus, ſed in Chriſtum verum adorationis motivum mentem attollimus. Adorantur ſpecies illæ, non quòd rationem formalem ob quam adorantur in ſe habeant, ſed quia Chriſto eam rationem habenti conjunguntur. Hac ratione adoratur humanitas Salvatoris, quia cultum terminat, cujus motivum eſt ſolus Deus. Si verò illæ ſpecies ſine illa conjunctione ad Chriſtum, cujus ſunt velamenta, ſpectentur, conſiderenturque ut partes eſſentiales ſacramenti ad noſtram ſanctificationem inſtituti, non ſunt quidem latriâ ſoli Deo eximiâ colendæ; quia tamen ſunt aliquid ſacrum, aliquâ eas coli veneratione oportet, quatenus reverenter, religioſèque ſicut res aliæ ſacræ tractari debent.

Reflexio.

Permanet Chriſtus in Euchariſtia: ergo inibi permanenter, & ſi fieri poſſet, indeſinenter adorandus foret. Hinc animæ ſanctæ ſingularis pietatis laude inſignes diviniſſimum hoc ſacramentum Calviniſtarum impietate tantoperè inhonoratum, præcipuâ ſibi pietate colendum elegerunt, ejuſque perpetuo ſeſe cultui dicarunt, devoverunt, conſecrarunt. Hinc in quibuſdam ſanctiſſimis monaſteriis non ſolùm officium corporis Chriſti quintâ quaque feriâ, approbante Sede Apoſtolicâ recitatur, ſed etiam quædam de ſacrarum Virginum cœtu coram Sanctiſſimo Sacramento ſemper aſſiſtunt, ut Sanctum Sanctorum in ſanctuario realiter reſidentem continenter adorent, atque ut fermè perpetuas à noſtratibus hæreticis tanto Sacramento illatas injurias adorationis perpetuitate ſarciant. Sicut religioſæ vitæ obſervantiâ Angelicos mores æmulantur, ita hoc potiſſimùm inſtituto Seraphinorum ardores imitantur, qui ut dicitur Iſaiæ 6. *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria ejus.* Myſticis etiam illis animalibus oculis plenis morem gerunt, de quibus *Apocalypſeos 4.* Ioannes ait: *Requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens.* Et ſanè non poterant meliùs Virgines prudentes nefandæ Calvinianorum hæreſeos in Euchariſtiæ excidium conjuratæ impietatem quàm eâ pietate penſare, quæ jugi adoratione juge ſacrificium proſequitur. Non poterant apertiùs eum quo flagrant diviniſſimi myſterii amorem & reverentiam ſignificare, quàm eo perpetui Euchariſtiæ cultus teſtimonio, non verbis tantum expreſſo, ſed in factis omni eloquentiâ diſertioribus impreſſo; nec in uno tantùm, aut altero facto, ſed in totius vitæ ſerie perpetuæ Chriſti in Altaribus reſidentis adorationi conſecratæ.

Certè ſi exinanitioni exaltatio jure merito reſpondeat, quid juſtius quàm ut in eo ſacramento Chriſtus jugiter adoretur, ubi propter nos à ſuæ majeſtatis fulgore palleſcens ita ſe humiliat, ita Deo, ita hominibus ſe ſupponit, ut pœnitentis & agni pro nobis occiſi perſonam jugiter gerat, & pro nobis impleat. Quidni Deum majeſtatis poſt ſuam exaltationem rurſum ſe deprimentem, ut ſe totum in noſtros uſus expendat, pro virili extollemus, & cordis corporiſque demiſſionibus ad centrum uſque terræ, ſi poſſibile foret, inflexis & pronis venerabundi ſignificabimus? Ubique te Domine cerno uſquequaque humiliatum, ad ſummas ſcilicet panis anguſtias depreſſum ſtrictèque redactum, impiorum etiam manibus obvium, & quod horribile dictu eſt, eorum ſacrilegis communionibus conculcatū. Quis ergo mihi det non modò ut ad humum memet uſq; dejiciam ac deprimam, ſed ut in tantæ humilitatis

etiam

etiam tuæ honorem & compenſationem ſanguinem profundat ſervulus viliſſimus, & ad nihilum, ſi opus eſſet, redigatur? Quidni pro te honorando, te inquam, quem tam ſupra me in hoc ſacramento eſſe ſcio quàm propter me; cujus inquam, curam excubare pro ſalute mea quotidie experior, objiciam me mucronibus hæreticorum tanto tuo beneficio inſidiantium, & ſubſternam corpus meum, ſi per ſtragem illam meam ad honorem tuum iter ſtruam; æternam, & aliquatenus minuam? Mihi ad honorandam tanti Sacramenti, ubi te totum Chriſte realiter poſſidemus, magnitudinem pectus anguſtum eſt, & cùm illam ſatis æſtimare nequeam, quæ reapſe inæſtimabilis eſt, illam quemadmodum ſentio eloquar non verbis ſonantibus, ſed factis pronuntiantibus, ſi mortem pro te oppetam, tibi ut æternus honor & gloria, mihi autem confuſio faciei obveniat.

Gaudeo planè dum populi Chriſtiani, Principum etiam & Regum in honorando tanto ſacramento certatim conſpirantium fervorem intueor; ſed unum, fateor, eſt quod me dolore defigit. Itáne Catholici venerabile & mirabile ſacramentum reverentur, qui nihil ſunt de componendo ad recipiendum divinum epulum animo ſolliciti, qui cùm iiſdem ſemper hæreant flagitiis, nullam futuræ emendationis ſpem oſtendunt; & tremendam menſam nefandis piaculis polluunt? Næ illi non magni diviniſſimi Myſterii adoratores ſunt, qui è flagitiorum cœno prodeuntes, dignos ſe pane Angelorum rentur, cum hominum cibis indigni ſint; & Chriſti ſe tremendæ menſæ circumfundunt, qui tot illam ſacrilegiis dedecorant. Solus ille realem Chriſti præſentiam veneratur, qui externum cultum ab interna pietate proficiſcentem exhibet. Solus ille tranſubſtantiationis miraculum honorat, cujus cor lapideum & peccati duratum frigore in cor carneum & amoris flammâ mollitum commutatur. Solus ille tantum ſacrificium prout oportet adorat, in quo nec vitia vigent, nec cupiditates flagrant, ſed mundo, peccato, & ſibi mori didicerunt. *Neceſſe eſt*, inquit Magnus Gregorius *lib. 4. dial. cap. 55. ut cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus; quia qui paſſionis dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hoſtia erit Deo, cum nos ipſos hoſtiam fecerimus.*

CAPUT II.

De materia & forma ſacramenti Euchariſtiæ, atque de modo quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit.

QUia ad omne ſacramentum novæ legis certa materia & præſcripta quædam verborum forma deſideratur, ad plenam hujus ſacramenti naturam pernoſcendam operæpretium eſt conficiendæ Euchariſtiæ veram materiam, veramque formam exponere. Sed quia ſtatim poſt conſecrationem & inſtitutorum verborum prolationem verum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, veruſque ejus ſanguis in Euchariſtia exiſtit, ſtatim ſe offert indagandum, quid vi verborum, quid concomitanter in alterutra ſpecie exiſtat, atque de modo quo Chriſtus ſub illis præſens adeſt.

SPECULATIO I.

Panis & vinum vera ſunt & ſola ſacramenti Euchariſtiæ materia.

CIrca materiam ex qua conficienda ſit Euchariſtia, varii multipliciter errarunt hæretici. In primis Gnoſtici à Simone Mago exorti, & à Nicolao uno è ſeptem Diaconis adducti horrendum in modum prolapſi ſunt. Hæret animus calamuſque, nec illa in medium audet producere ſpurciloquia, quæ Apoſtolus in nobis prohibet nominari. Verùm ut pateat in quàm deplorandas exerrationes humanum animum ſibi permiſſum, & à Deo deſertum præcipitem agi neceſſe ſit, non abs re erit hæc occulta dedecoris exponere, quorum fides impietatis magnitudine elevaretur, niſi S. Epiphanium teſtem haberemus omni exceptione majorem. Narrat ergo *lib. de hæreſibus*, 6. in illa ſecta, quam meritò ſterquilinium dixeris, virum & mulierem adulterantes, ex profluvio ſeminis maris excipientes ad cœlum manibus expanſis offerre ſolitos, cum hoc carmine: Hoc tibi munus, nimirum Chriſti corpus offerimus. Illo etiam veſcentes dicebant: Hoc eſt corpus Chriſti: Hoc eſt Paſcha. Menſtruos etiam ſacrilegarum mulierum profluvios (horreſco referens) colligentes offerebant aientes: Hic eſt ſanguis Chriſti. Paſcha verò celebraſſe ſe exiſtimabant, ſi gravidæ mulieris fœtum vi extractum in mortario cum pipere, melle, & aromatibus piſtillo contererent, & execrandum farcimen mox vorarent. Hanc nefariam turpitudinem imitabantur Manichæi, qui Euchariſtiam humano ſemine conſperſam ſumebant, ut Auguſt. *lib. de hæreſibus, hæreſi* 46. refert.

Cataphryges, à Phrygia quam incolebant ſic dicti, aliam materiam pro Euchariſtia aſſignabant, ſin æquè impuram, certè magis feram. Nam ut refert Auguſtinus *lib. de hæreſibus, hæreſi* 26. ſacramenta funeſta habebant: infantis enim anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi Euchariſtiam ſuam conficiebant, admixtâ tamen farinâ ut panem conficerent. Puerum inde mortuum habebant pro martyre, ſuperſtitem pro magno Sacerdote. Ortum duxit hic non tam hominum quam belluarum grex à Montano hæreticorum poſt hominum memoriam amentiſſimo, qui ſe Spiritum Paracletum, adjutricibus inſanis mulieribus Priſca & Maximillâ ſomnia inaniſſima pro veris propheţiis venditantibus, comminiſcebatur, cùm ne quidem ſenſu communi præditus eſſet. Iſtos hæreticos ſequuti ſunt Peputiani idem de ſanguine infantium pro Euchariſtiæ myſteriis conficientes, ut *hæreſi* 27. refert Auguſtinus.

Circa Euchariſtiæ materiam erraruntetiam Artotyritæ, ſeu Panicaſeitæ, qui panem, & caſeum offerebant: & Aquarii, qui ut refert Auguſtinus *hæreſi* 26. aquam in poculo ſacramentali offerebant, à vino tanquam ab aliquo diabolico abſtinentes, ut tradit S. Epiphanius; unde Encratitas ſeu Abſtinentes, referente Theodoreto, ſe nominabant. Ideo etiam ſolam aquam adhibebant, quia ut colligitur ex Cypriano *epiſt.* 63. timebant ne fervente Decii perſequutione hauſti odore vini proderentur, magnanimi ſcilicet Chriſti milites. nam qui ſanguinem Chriſti erubeſcebant bibere, ſuum propter Chriſtum ſanguinem quomodo fudiſſent? De recentiorum hac in parte hæreſibus poſtea dicemus.

Verùm hæc omnia deliramenta refellere & veritatem ſpeculationis noſtræ ſtabilire in promptu eſt. Tum quia de pane id expreſſum habemus Matthæi 26. *Cœnantibus illis, accepit Jeſus panem.* Quod *Marci* 14 *Lucæ* 22. 1. *Cor.* 11. inculcatur. De vino etiam vitis, ſeu ex fructu vitis expreſſo patet ex Matthæo & Marco, qui calicem conſecratum fuiſſe vini, apertè indicant, dum hæc verba Servatoris ſubjiciunt: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Quanvis enim Lucas duplicis calicis, communis nimirum & ſacri mentionem feciſſe videatur, & innuere hæc verba dicta eſſe de calice communi, cùm ea verba ante conſecrationem dicta referat: attamen dicendum eſt juxta Auguſtinum *lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 1.* unum & eundem fuiſſe calicem à Luca bis commemoratum, ſemel præoccupando, & iterum ordine ſuo poſt conſecrationem

panis

panis. Neque enim ſeries rerum in Euchariſtiæ inſtitutione factarum ex verborum ordine, ut ſuprà notavimus & ſcripturâ confirmavimus, ſed ex eorum ſenſu colligenda eſt.

Aſſertio etiam noſtra Patrum teſtimoniis, Conciliorum decretis, perpetuâ Eccleſiæ traditione conſtantiſſima eſt. Teſtimonia paſſim obvia huc aſportare ſupervacaneum eſt. Ratio verò non eſt alia quàm inſtituentis voluntas, qui hanc materiam delegit & ipſo ſuo uſu deſignavit. Quod autem ipſe fecit, faciendum aliis præcepit, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Sicut ergo materia Baptiſmi eſt vera & naturalis aqua, quia aquam ſimpliciter dictâ Veritas deſignavit; ita quia panem & vinum Chriſtus conſecravit, & ita faciendum diſcipulis imperavit, non eſt dubium, quin panis ſimpliciter & abſolutè talis, & ſimiliter vinum ſint genuina hujus ſacramenti materia.

Nec deſunt aptæ hujuſmodi materiæ convenientiæ. Primò, quia ſicut pane & vino homines communiter reficiuntur, ita convenienter illa materia ad Euchariſtiæ ſacramentum electa eſt, quo animi noſtri cœleſti cibo reficiuntur. Secundò Euchariſtia præteritæ Chriſti paſſionis ſignum eſt, & corporis à ſanguine ſeparati repræſentatio; quotieſcumque enim hunc panem manducamus, vel calicem bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat: at panis corpus exſangue, vinum ſanguinem in paſſione Salvatoris fuſum aptiſſimè repræſentat. Tertio Euchariſtia etiam Eccleſiæ unitatis ſymbolum eſt, unde & communio dicitur, non ſolùm quia per eam divina nobis communicata participamus, ſed quia eſt communis unionis ſignum, communis dilectionis vinculum, commune Religionis centrum, in quod omnes fideles unanimes veluti lineæ confluunt, juxta illud Apoſtolicum: *Unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.* At hæc communis unio optimè per panem ex multis granis confectum, optimè per vinum multis è racemis expreſſum, uti Auguſtinus obſervat, deſignatur. Quartò Euchariſtia eſt futuræ gloriæ, quâ Deo ſatiati torrente voluptatis potabimur, & inebriabimur ab ubertate domus Dei, ſignum prognoſticum, & pignus ſuaviſſimum; nam qui manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Sub illis ergo ſymbolis convenienter Euchariſtia, quæ dicitur frumentum electorum, inſtituta eſt, quibus homo ſatiatur, & ſatiatus in profuſam erumpit lætitiam.

Nunne, inquies, expreſſior foret cruentæ Chriſti paſſionis repræſentatio per animalium occiſorum carnes, quàm per ſimplicia panis vinique elementa? Expreſſior eſſet, fateor, ſed minùs aptior, tum ad unitatem Eccleſiæ repræſentandam, tum ad uſum fidelium, tum ad hujus ſacramenti puritatem & caſtimoniam ſignificandam, cùm non parum impuritatis in carnibus occiſorum animalium inſit. Convenientiùs ergo illa materia eſt, quæ fuit hominis innocentis alimentum; cujus conſecratione Chriſtus eſt Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit Altiſſimo; quæve in omnibus terris naſcitur, ut triticum; vel certè ad omnes terras de facili aſportatur, quantum ad uſum hujus ſacramenti ſufficit, ut vinum.

Nec obeſt, quod vinum quibuſdam infirmis nocet. Non obeſt, inquam; tum quia vinum in modica quantitate nocere non poteſt; tum quia ſi timetur nocumentum infirmis, vel nauſea abſtemiis, nihil inde detrimenti eis creatur, cùm totus Chriſtus in utraque ſpecie recipiatur. Non obeſt etiam canon 3. Apoſtolorum, quo licere dicitur ad altare novas ſpicas, uvas, oleum, & incenſum offerre. Non obeſt, inquam; tum quia in priori canonis parte vetitum eſt Sacerdoti aliud præter id quod Chriſtus inſtituit offerre, putà mel, lac, aves, vel animalia ulla, aut legumina. Cætera verò poſteriori parte permittit, vel ad honorem ſacrificii concedit, putà oleum ad luminaria, & incenſum quo altare ſuffitur; vel ad alimentum miniſtrorum, ut ſpicas & uvas maturas tanquam primitias, quæ etiam offeruntur ut benedicantur, & benedictæ à Fidelibus comedantur.

Obſervanda circa materiam Euchariſtiæ ſcitu neceſſaria. Et primùm, quis & qualis panis?

Porrò circa memoratam Euchariſtiæ materiam nonnulla ſunt quæ obſerventur digniſſima. In primis panis Euchariſticus omninò debet eſſe triticeus, ut contra Cajetanum docent communiter Theologi, & expreſsè determinatur in litteris unionis Concilii Florentini. Id etiam docet Catechiſmus Romanus ſæpe laudatus *numero* 3. disertè inquiens, nullum panem niſi triticeum aptam ad hoc ſacramentum materiam putandum eſſe. *Hoc enim*, ait, *Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ authoritas firmavit.* Accedit primò, quod panis ille congrua hujus ſacramenti materia ſolus cenſendus eſt, in quo Chriſtus Euchariſtiæ author hoc ſacramentum confecit: ſed Chriſtus panem triticeum conſecravit, qui ut ſuprà monſtravimus, pane azymo uſus eſt: azymus autem ex præcepto Domini, quod habetur Exodi *29.* ex ſimila triticea, id eſt ex puriſſimo farinæ tritici flore conficiebatur. Accedit rurſum, quod ut ait S. Thomas *art. 4.* ſolus triticeus apud homines panis ſimpliciter dicitur; nec alii niſi in hujus defectum introducti ſunt & in uſum venerunt.

Ex quibus infert S. Doctor, materiam hujus ſacramenti non poſſe eſſe ſiliginem, ſi per ſiliginem intelligatur granum tritico inferius, quod vulgò ſecale vel arinca dicitur; ſecus ſi ſiligo accipiatur pro candidiſſimo tritici genere, à ſeligendo apud Plinium & Iſidorum dicto. Idem dicendum de hordeo, ſpelta ſeu zea, farre, millio, oryza, aliiſque, ex quibus non niſi in defectum tritici panis conficitur. Idem de amido vel amylo cenſet S. Doctor, quia cùm ex tritico corrupto fiat, ex eo confectus panis non cenſetur uſualis. Idem docet de tritico variis alterius ſpeciei granis permixto, quia multa permixtio ſpeciem ſolvit & mutat; ſi tamen modica ſit, ſicut non impedit quominus panis ſit ſimpliciter triticeus, ita ex eo confici Euchariſtia poteſt.

Panis Euchariſtiæ quomodo coagmentatur? Præclara Ordinis S. Benedicti cautela. Figura hoſtiæ.

Obſervandum ſecundò, panem triticeum debere eſſe ex aqua naturali coagmentatum, quia non verus & uſualis panis ille cenſetur qui ex ovis vel lacte, vel aqua roſacea, aliâve artificiali conficitur, unde apta nequit eſſe hujus ſacramenti materia. Debet etiã panis ille calore ignis concoqui, quo ſolo panis uſualis efficitur, & forma ſubſtantialis panis introducitur. Debet etiam eſſe fixus & ſolidus; puls enim ex farina licèt triticea & aqua naturali confecta & igne naturali decocta non cenſetur panis uſualis.

Hac de cauſa magna cum cautela & circumſpectione panis in Euchariſtia conſecrandus confici debet, & pietas Patrum æmulanda eſt. Refert Lanfrancus *lib. decretorum pro Ordine S. Benedicti*, *cap. 6.* illius Religionis Monachos tanto ſtudio Euchariſtiæ materiam paraſſe, ut frumentum granatim eligerent, in ſacculum mundum, aptum, & fortem reponerent; ſamulo boni ſtudii ad deferendum in molendinum committerent, qui aliud frumentum moli priùs curaret, ut frumentum in uſum Euchariſtiæ deſtinatum nullam alienæ farinæ ſordem contraheret, vel retineret. Farinam è molendino aſportatam ſacriſta albâ indutus & velato amictu capite incerniculo cribrabat. Conſtituto autem die Sacriſta cum aliis adjutoribus fratribus, facie manibuſque lotis, albis indutis, amictibus velatis ad panẽ Euchariſticum

riſticum ſeu hoſtias elaborandum & concoquendum eo ſe ordine accingebant. Eorum unus farinam aquâ coolperſam ſuper tabulam mundiſſimam fortiter compingebat & macerabat: alter qui ferra in quibus hoſtiæ coquebantur tenebat, nullâ albâ vel amictu indutus, ſolas manus chirothecis involutas habebat; alii Pſalmos & varias preces piè recitabant; omnes arctiſſimum ſilentium ſervabant, ſamulo interim ignem accendente & ſovente liguis ſiccis, & ante multos dies de induſtria præparatis. Idem ferè haberur in antiquis ſtatutis Cluniacenſium *cap.* 55. in quibus etiam cavetur, ne hujuſmodi opus poſt prandium fiat, utque ne vel ſaliva, vel flatus ullius aliquo modo ad boſtias pertingat. Eadem pietate & accuratione panem Euchariſticum paratum in Eccleſia Romana fuiſſe referr Humbertus contra calumnias Græcorum Schiſmaticorum. Theodulphus etiam Aurelianenſis Epiſcopus, qui ſæculo 9 floruit, epiſt. ad ſuum Clerum paoem Euchariſticum vel ab ipſis Sacerdonbus, vel ipſis ſaltem præſentibus nitidè ſtudioſèque parari præceperat, nihil ut in illo vile, nihil non probatum inveniatur. Idem ſtatuerat ſub finem ſæculi 7. Concilium Toletanum 16. *can.* 6. Referret iam Fortuuatus in vita ſanctæ Radegundis *lib.* 1. *cap.* 7. quod ſuis manibus oblationes factas Sancta hæc venerabilibus locis diſpenſabat.

Quantùm verò ad figuram conſecrandæ hoſtiæ attinet, obſervavit dudum Eccleſia, ut rotunda, orbicolaris, & circularis ſit. Ita enim panem ſuper menſam Domini io ſacrificium eſſe offereodum ſtatuit Concilium Toleranum mox relatum. Ejus eoam ritos meminit S. Epiphanius *in Ancorato, circa medium*. Et quanvis figura quælibet ſit integritati ſacramenti omuinò accidentalis; attamen Eccleſia Latina traditionis ſacræ tenax, hanc figuram à Patribus probatam religioſè cuſtodit, quâ & perfectio divinitatis Chriſti, quæ principio & fine caret; & perfectio humanitatis, quæ rotum terrarum orbem circulari figurâ conſtantem redemit, deſignantur. Solet etiam communiùs pani Euchariſtico imago imprimi Crucifixi Domini noſtri, ut in tanti ſacrificii memoriam hanc hoſtiam offerri ſignificetur. Aliter figurant panem Euchariſticum Græci, ut refert Petrus Arcudius *lib.* 3. *cap* 38. Aliquando enim utuotur figura circulari, quæ tamen in ſe quadrangulum continet unà cum cruce & his literis abhrevians, *Ι'ησοῦς χειςὸς νικᾷ*, Jeſus Chriſtus vincit, Aliquando merè quadrangulari utuntur com cruce, & litteris præfatis. In ſacrificio autem quanvis figuram contingat eſſe circularem, Sacerdotes tamen quadrangularem in circulari incluſam quatuor adhibitis inciſuris, & conceptis quibuſdam verbis eximont ad conſecrandum, ut ex Liturgia Græcorum patet. Figuram à Latinis obſervatam damnat Simeon Theſſalonicenſis in ſuo de Sacramentis libro, ſed ineptis & ridiculoſiſſimis argumentis. vel potiùs nugis, quas ibidem confutat Arcudius; ſed quæ à oobis referantue indigniſſimæ ſunt.

Convenientia panis azymi. Schiſmaticorum & hareticorum calumnia eliſa.

Obſervandum tertiò, quod licèt panis triticeus, ſive fermentatus ſit, ſive azymus, idonea ſit & valida hujus ſacramenti materia, convenienrior tameo eſt panis azymus. Quod uterque panis ſit apta Euchariſtiæ materia, patet: tum quia utrique propria ratio panis, proprium & nomen convenit. Tum qoia ita definivit Florentinũ, & de facto annuente Catholicâ Eccleſiâ in fermenraro celebrant Græci, imò & Latinos aliqnando ita eelebraſſe Richardus, Scotus, & Durandus opioantur, inde teſtationem hæreſis Ebionitarum legalia ſimul com Evangelio permiſcentium: uode Sancti Patres ne eis conſentire viderentur, inſtinctu Spiritus ſancti Euchariſtiam in fermentato ad tempus confecerunt, Sed hæreſi illâ extinctâ, inquiunt, Romana Eccleſia ad priſtioum morem, quem ab Apoſtolis receperat, reverſa eſt. Veruntameu Eccleſiam Latinam azymo ad Euchariſtiam pane ſemper uſam fuiſſe, nec Ebioneos fuiſſe notaros quòd azymis in Euchariſtia uterentur, ſed quòd utendo azymis ſe legem Moſaïcam unà cùm Evangelio obſervare exiſtimareot, probabilius reor & infrà confirmabo. Utut ſit, unuſquiſque Sacerdos juxta receptam Eccleſię ſuæ conſuetudinem celebrare renetur: & ſicut peccaret Peesbyter Latinus celebrans de pane fermentato, ut ait S. Thomas *quæſt.* 74. *art.* 4. ita peccaret Presbyter Græcus celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum. Quia nemini licet privatâ authoritate, vel potiùs temeritate Eccleſiæ ſuæ ritum immutare. Latinus tamen Sacerdos itee agens per Græciam latioo ritu in azymo celebrare poteſt, quia ad ſuam Eccleſiam pertiuere cenſetur. Poteſt tamen Eccleſiæ Græcæ ritui probato ſeſe accommodare, juxta regulam Ambroſii ab Auguſtino *epiſt.* 118. laudatam: *Ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, neque quemquam tibi.* Modò tamen omnes Liturgiæ Græcæ ritus obſervet; neque enim fas eſt ex una Eecleſia condirionem panis, ex alia cæteros ritus uſurpare. Legatur conſtitutio Pii V. anno 1566. edita, quæ incipir, *Providentia Romani Pontificis*; ubi omnes facultates Latinis ritu Græco, & Græcis ritu Latioo celebraodi conceſſas revocat.

Convenientiùs tamen panem azymum ab Eccleſia Larina uſurpari ſuadetur tum ex inſtitutione Chriſti, qui primo azymorum die, quo nihil fermentati domi Judæi habebant, Euchariſtiæ Saeramentum confecit. Tum quia hæc materia mirum in modum & puritati Chriſti, & integritati ac meotis munditiei, quam fideles ad hoc ſacramentum afferre debent, convenit. Unde Apoſtolus 1. *Cor.* 5. ait: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitia & nequitia, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis,* Quæ ratiooes Græcorum momentis præponderant.

Dices: panis azymus, utpote legalis, pertioet ad vetus teſtameotum, non ad Evangelium; non eſt etiam panis uſualis. Atqui in lege Evangelica oon ſunt obſervanda legalia, & panis uſualis ſolus idooea eſt Euchariſtiæ materia. Ergo panis azymus ooo eſt apta Eueharistiæ materia.

Reſpondeo Eccleſiam Latinam uti azymo non ut legalia ſervet vel judaïzet; ſed ut Chriſto ſponſo ſuo morem gerat. Et certè ſi argumentum quidpiam efficeret, probatet etiam uſum panis fermentari eſſe illicitum. utpote legalem; nam ut ex Levitici 7. & 13. pater, panes fermentati Deo offerebantur. Ad id verò quod dicitur, panem azymum non eſſe uſualem: Reſpondeo per panem uſualem illum intelligi, qui ex farina triticea, & aqua coagmentatus igne naturali concoquitur; & in hoc ſenſu panis azymus eſt uſualis, licèt quòd careat fermento, non ſit ita uſurpatus, ſed hoc omnino accidentale eſt materiei: ſicut aqua naturalis eſt materia Baptiſmi; quod tamen illa aqua ſit ſale aliquo condita, vel aliis beoedictionibus præparata, eſt aliquid accidentarium, oec uſibus ordinariis frequentatum. Panis ergo azymus uſualis rectè dicitur, quia ex rebus illis conficitur, quæ in uſum panis ordinarii quotidie veniunt.

Ex his ſequitur 1. calumnioſè & erroneè Græcos Latinam Eccleſiam erroris inſimulare, quòd in azymo celebret. Cœpit hoc ſchiſma circa annum 860. anno verò 1053. Michaël cognomento Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Leo Archiepiſcopus Acridanus vehementem adverſus Latinos epiſtolam ad Epiſcopum Kouvenſem ſcripſerunt, in qua Eccleſiam Latinam accuſabant, quòd ſabbatha in Quadrageſima cuſtudiret, cùm eo die jejunaret, quòd ſuffocatis veſceretur; quòd Alleluja in Quadrageſima non pſalleret; quòd demùm in azymo Euchariſtiam conficeret. Ultimum autem motem inde ibi reprehendunt, quòd vox ἄρτος, quæ in Evangelio habetur, ſignificat panem elevatum, ſic dictum à fermento & ſale, à quibus calorem habet & elevationem; azymus autem eſt ſimilis luto, nihil ſaporis habens vel elevationis. Habetur hæc epiſt. *tom. 4. Bibliotecæ Patrum editionis Pariſienſis*, quam Humbertus Cardinalis Epiſcopus Silvæ Candidæ in Latinum idioma tranſlatam ad Leonem IX, quintum Pontificatus ſui annum agentem miſit. Scripſit ad Michaëlem Patriarcham & Leonem Archiepiſcopum Leo Papa, cujus epiſtola ordine prima in voluminibus Conciliorum legitur. Ad ſummum Pontificem reſcripſit Patriarcha, Eccleſiæ unitatis & pacis cupidus, vel certè ſimulator: cui Leo Papa *epiſt. 6.* in Domino congratulatus eſt. Anno ſequenti 1054 Humbertum & Fridericum Cardinales Legatos ſuos Conſtantinopolim miſit Papa, per quos ad Imperatorem Cōſtantinum Monomachum ſcripſit, laudans ejus pacis zelum, & Michaëlis damnans audaciam, qui apertâ perſequutione in Latinam exardeſcens Eccleſiam, anathematizare non timuerat omnes qui ſacramenta attrectant ex azymis. Scripſit etiam idem Papa ad Patriarcham, quem novum Eccleſiæ Latinorum calumniatorem, & publicum perſequutorem appellat. Præſentibus Imperatore, Proceribus, & Legatis Nicetas Monachus, dictus Pectoratus, librum de azymo adverſùs Latinos ſub ipſius nomine editum reprobavit, qui liber inſiſtentibus Legatis juſſu Imperatoris in ignem projectus eſt. Sequenti verò die Nicetas Legatos adivit, & anathemate in ſuos errores iterum à ſe lato, in Legatorum gratiam & familiarem amicitiam receptus eſt. Ita refertur in actis brevioribus, quæ extant *tom. 4. Bibliotheca Patrum*. Michaël verò in errore pertinax colloquium & præſentiam Legatorum vitavit. Hinc Græci ſchiſmatici Latinos Azymitas palam vocitabant, ut patet ex tractatu adverſùs errores Græcorum, anno 1252. in Conventu Fratrum Prædicatorum edito, qui eodem Bibliothecæ tomo refertur. Perſeveravit hic error ad temporà Concilii Florentini anno 1439. coacti.

Porrò fundamentum ſchiſmaticorum à voce ἄρτος deſumptum, nullius momenti eſt, ſed vanum prorſus ac puerile, cùm panis dicatur ἄρτος indifferenter, ſive azymus fuerit, ſive fermentatus. Nam panes propoſitionis ex lege debebant eſſe azymi: & tamen ἄρτοι in Scriptura dicunt: & Exodi 12. ubi dicitur, *Comedetis azymos panes cum lactucis agreſtibus*; in Græco habetur vox ἄρτος. Denique Lucas refert quod Chriſtus comeſturus cum diſcipulis euntibus in Emaüs, accepit ἄρτον: quod tertia die Reſurrectionis factum eſt, quo tempore in omnibus Judææ finibus nullus panis fermentatus inveniebatur, nam in Paſchate per ſeptem dies panis fermentatus nec edebatur, nec ſervabatur.

Sequitur 2. turpiter erraſſe Calvinum *lib. 4. Inſtitut. cap. 17 §. 43.* dum ait in Euchariſtia uſurpari ſolitum eſſe panem fermentatum ante tempora Alexandri Romani Epiſcopi, qui primus azymo pane delectatus eſt, ut plebis oculos traheret magis quàm ut animos vera religione inſtitueret. Et infrà Catholicæ Eccleſiæ ritum appellat hæreſiarcha impiiſſimus frigidas & hiſtrionicas nugas, quæ nullum alium uſum afferunt, niſi ut ſtupentis populi ſenſum fallant. Quibus verbis non malitiam ſolùm ſuam, ſed & ignorantiam etiam prodidit novus iſte Ariſtarcus; unde & quis Alexander hujus moris author fuerit tacet, ne mendacii convinceretur. Etenim in Eccleſia Occidentali ad conſecrationem panis azymus ſemper aſſumptus eſt. Ita teſtatur Leo IX. epiſt. 6. ad Michaëlem Conſtantinopolitanum: *Illud autem*, inquit: *quis non ſtupeat, quod poſt tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille & viginti à Paſſione Salvatoris annos novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes & publicam excitans perſequutionem, quicumque participarentur ſacramentorum ex azymis.* Ubi teſtatur Eccleſiam ad ſua uſq; tempora azymis in Euchariſtia uſam ſemper fuiſſe. Idem tradit Innocentius III *lib. 4. Myſteriorum Miſſæ, cap. 4.* ubi de ritu panis azymi erroris à Græcis inſolenter accuſato agens ſic habet: *Ab ipſis ergo Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, quos vivos habuit & defunctos cuſtodit, hunc ſacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu ſervavit.* Idem tradit Algerus lib. 6. cap. ultimo; *Nulla*, inquit *ratio cogit, ut azymum à Chriſti ſacrificio repellatur; dignum eſt ut quod Chriſtus inſtituit, omnis autem Eccleſia præter Græcam à primordio ſui ex traditione Principum Eccleſiæ, Petri ſcilicet & Pauli celebravit, indeſinenter conſervet.* Teſtatur etiam Rubertus *lib. de divinis officiis, cap 22.* conſuetudini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nunquam in ſacrificio fermentatum admittendi totam Græciam *neſcio qua authoritate ſuffragante refragari.* Quia nimirum unus nemo ante Græcos ſchiſmaticos uſum panis azymi vitio vertit. Nunquam ergo in Eccleſia Latina etiam tempore Ebionitarum vel Ebiuneorum pane fermentato Patres uſi ſunt ad ſacrificium, ſed tantùm ad Eulogias ſeu panes benedictos, quos dari diebus Dominicis & feſtivis mos fuit in ſignum Eccleſiaſticæ communionis, qui deinde in uſum miniſtrorum, fidelium, & pauperum diſtribuerentur. Et hi panes fermentati dicuntur in vita Melchiadis & Syricii Summorum Pontificum & cap. 5. epiſtolæ Innocentii I. ad Decentium. Quod patet ex eo quod prohibent Melchiades & Syricius, ne mittantur panes illi ad Presbyteros, niſi prius conſecrati ab Epiſcopo fuerint: quod dici nequit de pane Euchariſtico, quem Presbyteri conſecrant. Innocentius verò ſtatuit panes illos ad Eccleſias tantùm civitatum eſſe mittendos, & non ad Paruchias quæ ſunt extra civitates: quod de pane Euchariſtico intelligi nequaquam poteſt. Unde canon 2. Laodicenus prohibet Euchariſtiam loco Eulogiarum mittere, diſtinguens panem Euchariſticum ab Eulogico, qui ultimus erat fermentatus, quemve fideles ultro citroque dare & accipere conſueverant, & latiori ſignificatu dicebatur ſacramentum, quòd eſſet ſignum panis Euchariſtici, & fidelium concordiæ. De eo videtur loqui Auguſtinus, & innuere ſolitum fuiſſe porrigi Catechumenis, de quibus loquens *lib. 2. de peccatorum meritis, cap 26.* ait: *Quod accipiunt* (catechumeni.) *quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quàm cibi quibus alimur, quoniam ſacramentum eſt.* Quanvis aliqui illud quod authore Auguſtino accipiebant catechumeni, de ſale interpretentur, quod ſolitum erat catechumenorum ſacramentum: & canone 5. Concilii III. Carthaginenſis præceptum erat, ut catechumenis ſolitum duntaxat ſal etiam per ſolenniſſimus Paſchatis dies daretur. Conjecturis locus eſt, nihil certi definiri poteſt. Id ſolùm conſtans, Eccleſiam Latinam nunquam fermentato in

Eucha-

Euchariſtia uſam fuiſſe, quidquid Scotus & Durandus ſuprà memorati nihil in confirmationem ſuæ opinionis proferentes ſentiant. Multò magis à veritate alienum eſt quod diſpoſitione de azymo Sirmundus ait, conſultiſſimè ad azymus tranſiiſſe Eccleſiam Latinam, ſed ſerius. Id enim cum adductis à nobis luculentiſſimis authoritatibus hujus ritus in Eccleſia perpetuitatem demonſtrantibus pugnat.

Sequitur 3 impiè debacchari adverſus Eccleſiam Romanam hæreticos Calviniſtas, quòd Latinos azymo pane uti aſtringat, cùm fermentato uti expediat, ut contendit hæreticus Chamierus *lib 6. de Euchariſtia, cap. 6*, aſſerens Eccleſias ſuas (ſi ſuperis placet) reformatas tantò fermenta maluiſſe, quantò Papiſtæ confidentiùs azymi prætextu devenerunt tandem ad non panem, ſed ad farinacea folia. quæ neque panis formam habent, neq; pro pane uſquam gentium fuêre uſitata. Sed hæretici Eccleſiæ Catholicæ in præparanda Euchariſtiæ materia mundiſſima accurationem damnantis petulcitas ex his quæ obſervatione ſecundâ dicta ſunt contrita manet. Intolerabilior eſt Amandi Polani *lib. 5. ſyntagmatum, cap. 56* Bezæ *epiſt. 2. ad Villerum*. Scarpii *controverſia 3 quæſt. 2. de cauſa materiali ſacræ Cœnæ*, error qui exiſtimant deficiente pane & vino licere ex alia ſubſtantia conficere Euchariſtiam, quia id convenit cum mente inſtituentis & fine ſacramenti, utique Calviniſtici, non Chriſtiani. Sed non eſt novum hæreticis ſuas ab erebo excitatas imaginationes Scripturis & perenni traditioni è diametro repugnantes obtrudere, quas ſine argumentis pudor Chriſtianis inſeminatus ſatis ſuperque refellit.

Materia calicis conſecrandi vinum & quale.

Obſervandum 2. quod cùm ſolum vinum viti-gineum ſit idonea calicis conſecrandi materia, ſequitur nec ſuccum è malis granatis, pomis, piris, vel moris expreſſum, nec acetum, nec agreſtam poſſe eſſe aptam conſecrationis calicis materiam. Quia ſuccus ille è fructibus eliquatus non eſt niſi ſimilitudinariè vinum; acetum verò eſt vinum corruptum, & ſe habet ad verum vinum ſicut cadaver ad animal, agreſta verò ſeu omphacium nondum habet ſpeciem vini. Muſtum tamen, quia habet ſpeciem vini in caſu neceſſitatis adhiberi poteſt, ordinariè tamen uſurpari non debet, quia cùm non ſit purum & defæcatum, non rarò ſordibus permiſcetur. Vinum etiam congelatum quanvis ſi fieri poſſit non debeat propter reverentiam ſacramenti adhiberi, abſolutè tamen poteſt eſſe materia hujus ſacramenti, etiamſi aqua gelu concreta non poſſit eſſe materia Baptiſmi. Quia cùm ſacramentum Euchariſtiæ non conſiſtat eſſentialiter in uſu, ſed ſit aliquid permanens ex rebuſque permanentibus conſtans, non eſt neceſſe ut vinum ipſo conſecrationis momento bibatur, ſicut fluidam eſſe oportet aquam Baptiſmatis, ut per illam poſſit corpus ablui. Unde dicitur in rubricis Miſſalis, ubi de defectibus Miſſæ agitur, quod ſi ſpecies vini conſecrati congelentur in calice, calix operiri debet pannis calefactis, ut liquefactus poſtea ſumatur; quod ſi per pannum calidum liquefieri non poteſt, ponendus eſt calix in aquam ferventem prope altare donec liquefiat, & liquefactum bibatur. Quod argumento eſt congelationem à vino conſecrationem non auferre, nec eam ſubinde neceſſariò impedire. Nec eſt ſimile de vino pani imbibito, quod non poteſt eſſe idonea conſecrationis materia, licèt ſpecies vini conſecrati quibus panis intingitur & imbuitur, retineant conſecrationem. Non eſt, inquam, ſimile; quia vinum quo imbuitur panis nulla eſt ratione potabile; at vinum congelatum de facili bibi poteſt, nec gelatione amittit ſpeciem potabilis. Nec eſt quod opponas, vinum in uva matura adhuc incluſum non minùs eſſe potabile quàm vinum congelatum: illa tamen nequit eſſe materia conſecrationis calicis; ergo nec iſtud. Non inquam, id dicas: quia uva vel botrus ſecundùm omnium hominum ſenſum & uſum non eſt vinum: vinum tamen, ſive calidum, ſive frigidum, ſive congelatum, ſive non, jure vinum apud omnes habetur.

Vino aqua permiſcenda, quo jure, & quanta

Obſervandum eſt quintò, vino aliquam aquæ naturalis guttam permiſceri oportere, ut Sanctorum teſtimonio, Conciliorum authoritate, & inviolabili Eccleſiæ praxi perſpicuum eſt. Chriſtum enim confecisse in vino aqua mixto habetur in Liturgia S. Jacobi his verbis: *Similiter poſtquam cœnavit, accipiens calicem & permiſcens ex vino & aqua.* Quod & in Liturgia S. Marci, & in Liturgia S. Baſilii reperitur. Idem docet Concilium Carthaginenſe IV. canone 24. *In ſacramentis*, inquit, *corporis & ſanguinis Domini nihil ampliùs offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aquâ mixtum.* Idem habetur canone 32. Concilii Quiniſexti, ubi Liturgiæ Jacobi, & Baſilii, & canon Carthaginenſis referuntur.

Traditionis verò Eccleſiæ & praxis perpetuæ teſtes ſunt Sancti Patres: Clemens Romanus lib. 8. Cõſtitut cap. 12. *Poſtquam*, inquit, *miſcuit ex vino & aqua.* Irenæus lib. 4. cap. 57. *Chriſtus accipiens calicis temperamentum.* Et libro ſequenti vocat *mixtum calicem*. Cyprianus epiſt. 63 *Admoniti*, inquit, *nos ſcias, ut in calice offerendo dominica traditio ſervetur, nec aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut in calice qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. ::: invenimus calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit.* Idem docent Juſtinus Martyr *apolog. 2.* Hieronymus in *cap. 14. Marci*, Ambroſius *lib 5. de ſacrament. cap. 1.* Auguſtinus *lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 21.* Hac de cauſa Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 7.* ſic habet: *Monet ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent.* Et canone ultimo: *Si quis dixerit, aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit.*

Egregias hujus ritus congruentias affert de more S. Thomas. Tum quia credibile eſt Chriſtum in cœna vinum aquâ temperaſſe pro ſuo bibendi more qui viros ſobrios decet. Tum quia hac permixtione Paſſio Chriſti meliùs repræſentatur, in qua aqua permixta ſanguini fluxit è latere Salvatoris. Qua ratione Alexander Papa *diſt. 4. de cõſecratione, cap. in ſacramento*, & Tridentinum loco præfato utitur. Tum quia hoc ritu unio populi Chriſtiani cum Chriſto capite ſignificatur, aqua enim populum *Apocalypſis 17.* præfigurat, vinum verò ſanguinem Redemptoris. Ergo cum aqua vino in calice miſcetur, Chriſto populum adunari intelligitur. Qua ratione Cyprianus & Tridentinum locis memoratis uſi ſunt. Nec obeſt quod in Scriptura nulla hujus mixtionis mentio fiat. Non obeſt, inquam, quia aliunde, nimirum ex clariſſimis Patrum teſtificationibus factum Chriſti tenemus. Ritum etiam illum juſtis pluſque de cauſis potuiſſet Eccleſia inſtituere, illique obtemperare teneremur.

Non eſt tamẽ probanda Armacani ſentẽtia exiſtimantis permixtionem aquæ eſſe de neceſſitate materiæ hujus ſacramenti. Tum quia ſuperiùs laudatum Tridentinum Sacerdotes ad eam permixtionem Eccleſiæ præcepto obligari docet. Tum quia nullibi hanc permixtionem à ſe licèt factam Chriſtus Dominus imperavit. Tum quia Cyprianus paulò ante memoratâ epiſtolâ ait, ſimplicitati eorum, qui aquam

vino permiſcere in Euchariſtia conficienda prætermiſerant, veniam poſſe concedi. Quibus verbis ſatis indicat, illicitè eos quidem peregiſſe, at validè ſacramentum confeciſſe tamen. Nec obſunt alia ejuſdem Cypriani verba, quibus in eadem epiſtola affirmat, aquam debere vino calicis permiſceri, ſicut permiſcetur farinæ, ex qua altera hujus ſacramenti materiæ pars conficitur. Non obſunt, inquam, quia ut ait S. Thomas *quæſt. 74. art. 7. ad 2.* intendit ſolùm Cyprianus convenientem eſſe illam aquæ permixtionem. Nec ſimilitudo farinæ ob aliud profertur, quàm ut oſtendatur quid oporteat fieri, non quod tanta ſit utriusque mixtionis & peræqua neceſſitas, cùm aqua ſit de eſſentia panis, non vini. Adde permixtionem aquæ cum vino non eſſe quidem tantæ neceſſitatis, quantæ permixtio aquæ cum farina in ordine ad ſacramenti integritatem, benè tamen in ordine ad repræſentationem & ſignificationem myſticam unionis populi fidelis cum Chriſto. Unde ibidem ait: *Si vinum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Quibus ſatis innuit ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus ſolius & impermixti vini conſecrati realiter quidem exiſtere, ſed unionem quâ populus Chriſtianus ſuo Salvatori copulatur tam expreſsè non ſignificari. Dico *tam expreſsè*; nam cæteroquin hæc ſignificatio habetur per hoc, quod multa grana in unum panem coëunt, & liquor è multis uvis eliquatus in unum vinum confluit.

Non obeſt etiam, quod Chriſtus ſacramentum hoc in vino aquâ mixto confecerit; unde conſequens videtur hanc mixtionem eſſe de præcepto divino, ſubindeque de neceſſitate ſacramenti, cujus ea ſola materia idonea cenſenda eſt, quam Chriſtus ſacramẽtorum author inſtituit. Non obeſt, inquam, quia ſicut licèt Chriſtus panem azymum conſecraverit, non tamen ſequitur ſolum illum panem eſſe neceſſariam hujus ſacramenti materiam, quia ſolum panem triticeum in materiam Euchariſtiæ Chriſtus delegit: ita ſimiliter vinum, ſeu genimen vitis materiam calicis inſtituit; mixtionem ejus cum aqua non inſtituit ad præceptum, ſed in exemplum, ut quid conveniens, non neceſſarium.

Ex quibus ſequitur erraſſe Armenos ſæculo ſeptimo, qui propter quemdam Chryſoſtomi locum malè intellectum arbitrati ſunt, nullam aquam vino conſecrando eſſe permiſcendam. Eorum erroris fit mentio canone 32. Synodi Quiniſextæ, ſeu Trullanæ, ſic dictæ, quia ejus canones facti ſunt in Trullo Palatio Conſtantinopolitano. Verba canonis ſunt hæc: *Quoniam ad noſtram cognitionem pervenit, quod in Armenorum regione vinum tantùm in ſacra menſa offerunt, aquã illi non miſcentes qui incruentum ſacrificium peragunt, adducentes Ioannem Chryſoſtomum hæc dicentem in interpretatione Evangelii ſecundùm Matthæum: Quamobrem non aquam bibit cum ſurrexit, ſed vinum; improbam ſanè hæreſim radicitus exſtirpans: & ex eo aquæ in ſacro ſacrificio adjunctionem Doctorem ſubvertere exiſtimant. Ut autem non ab hoc tempore impoſterum ignorantiã teneantur, Patris ſententiam orthodoxè aperimus. Cùm enim improba Hydroparaſtatarum, hoc eſt eorum qui aquam offerebant, antiqua eſſet hæreſis, qui pro vino ſola aqua in proprio ſacrificio uſi ſunt; refellens hic vir divinus deteſtabilem ejuſmodi hæreſis doctrinam, & oſtendens quod directè Apoſtolicæ traditioni adverſetur, id quod jam dictum eſt affirmavit. Nam & ſuæ Eccleſiæ, ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam vino miſcendam tradidit.* Hanc, quam deteſtabilem hæreſim Synodus appellat, renovare molitus eſt hæreſiarcha Lutherus *lib. 6. contra Regem Angliæ*, ibi: *Meo ſenſu*, inquit, (ſuo ſenſu omnia judicans hæreticorum poſt hominum memoriam audaciſſimus) *melius & tutius foret aquam non miſcere vino, cùm ſit merum figmentum humanum, & ſiniſtram, imò peſſimam habeat ſignificationem.* Quia nimirum *Iſaiæ 1.* dicitur: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* Sed non advertit homo hæreſi inebriatus, & meri etiam non minùs quàm veneris amantiſſimus, eandem rem in Scripturis modo bonam, modò malam ſub diverſa conſideratione ſignificationem habere, ut patet de fermento, quod *1. Cor. 5.* corruptionem ſignificat; *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Et *Luc. 12.* ſignificat hypocriſim: *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Et tamen idem fermentum in bonam partem accipitur *Matth. 5.* *Simile eſt regnum cælorum fermento.* Vinum pariter aqua mixtum malum aliquid ſignificare poteſt, cùm ſimilitudo ducitur à cauponibus miſcentibus aquam vino, ut impurum pro puro vendant, & ementes decipiant. Cæterùm in bonam ſignificationem uſurpatur, dum ſymbolum eſt ſobrietatis Luthero tantoperè inviſæ, unde dicitur *Proverb. 9.* *Bibite vinum quod miſcui vobis.* Vel cùm ad unionem membrorum cum capite, fidelium cum Chriſto, vel aliquam aliam myſticam bonæ rei ſignificationem exprimendam adhibetur.

Sequitur rurſum impiè diſcipulos Lutheri & Calvini hæreſiarcharum clamitare, & adversùs Eccleſiam Catholicam debacchari, quòd aquam vino admiſcere præcepto obliget. Cùm enim, inquiunt Kemnitius, Scarpius, Chamierus, ſit res indifferens, & de numero earũ quas *ἀδιάφορα* vocant, unicuiſq; eſt arbitrio permittenda. Tantummodò in Papiſtis reprehendimus, addit hæreticus Chamierus, quòd nullo præeunte verbo Dei peccata, & quidem mortalia fingant. Nam ſi poſſent aliorum Chriſtianorum libertatem tolerare, nihil eſſet hac quidem in re quod cum eis verbum committeremus. *Fortaſſe nec diſceſſimus quidem* (inquit ſuæ apoſtaſiæ & ſchiſmatis conſcius) *ut qui non ſoleamus in rebus ejuſce generis aut Eccleſiam occupare, aut ab ea nobis laborem creari.* Itáne tandem inter res mirè indifferentes & cujuſvis privati Chriſtiani arbitrio permittendas ritus ille Chriſti uſu conſecratus, à Patribus imperatus perpetuâ traditione retentus, & cujus omiſſionem rebus deteſtabilibus vetuſtiſſima Concilia accenſuerunt, putandus eſt? Itáne propter religioſum Patrum ſuorum cultum Eccleſia Catholica à ſpuriis & apoſtaſiæ ſuæ conſciis filiis damnanda, vel tyrannidis inſimulanda communis mater eſt? Itáne de cujuſvis arbitratu libertatis obtentu Eccleſiaſtici mores perenniter cuſtoditi calcandi ſunt? Si privatorum Reipublicæ probatos uſus peſſumdare volentium temeritas coërcetur, omnia in Eccleſia ſuſdeque miſcere licitum erit? Id certè eſt Eccleſiam occupare nedum, ſed eam etiam perditum ire moliri.

Obſervandum eſt ſextò, aquam vino conſecrando permiſcendam oportere eſſe elementarem, in ſua naturali conditione conſtitutam, & in modica quantitate. Elementaris quidem debet eſſe aqua, quia hæc ſimpliciter & abſolutè aqua dicitur, & ut talis uſurpatur; ſicut vinum ſimpliciter tale eſt viti gineum & oleum ſimpliciter eſt oleum ex olivis expreſſum. Illa quoque aqua ſola populos repræſentat; juxta id quod ex Apocalypſi dicimus. Debet etiam aqua in ſuo naturali ſtatu adhiberi, id eſt nec alio liquore perfundi, nec calefieri. Quia ita Chriſtum adhibuiſſe credibile eſt, cum unus nemo Patrum aliter obſervet, cùm etiam ita ſoleat vino communiter bibendo à viris ſobriis uſurpari. Fateor Græcos in calicem jam conſecratum nonnihil aquæ ferventis injicere ſolere, ſed priùs frigidam vino conſecrando permiſcere, ut ex Liturgia Chryſoſtomi & Baſilii patet. Injiciunt porrò guttas aquæ ferventis, ut deſcenſum Spiritus Sancti in Eccleſiam ſignificent, ut ait Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ, *cap. 37.*

Unde

Unde non debet improbari ille eorum ritus, utpote antiquus, à quibuſdam Sanctis, Chryſoſtomo nimirum & Baſilio in ſuis Liturgiis commendatus, ad aliquid ſanctum ſignificandum introductus, & in Concilio Florentino ab ipſis Patribus Latinis probatus. Denique aqua appoſita debet eſſe in modica quantitate. Tum ne ſolvatur ſpecies vini ſæpe debilis & parum generoſi, ut in frigidioribus regionibus eſſe aſſolet. Tum ut ſignificetur exceſſus dignitatis Chriſti ſupra fideles per aquam deſignatos, quæ in illa unione abſorbetur. Tum ut aqua in vinum poſſit converti, & eo mediante in ſanguinem Servatoris. Unde Honorius III. libro 3. Decretalium relatus, pernicioſi erroris & abuſus eos inſimolat, qui majorem aquæ quàm vini quantitatem adhibebant, cùm ſecundùm conſuetudinem rationabilem Eccleſiæ generalis longè plus vini quàm aquæ adhibendum ſit. Denique notat S. Thomas talem permixtionem in ipſa ſacrificii celebratione, aut ejuſdem præparatione fieri oportere, nec ſufficere ad ea ſignificanda quæ tali permixtione repræſentantur, ſi aqua in dolio fuerit in anteceſſum apppoſita.

Quæres 1. quid fiat de aqua vino infuſa poſt conſecrationem, & in quid evadat, aut transmutetur?

Reſpondeo varias eſſe ſententias. Primò enim aliqui poſuerunt eam converti in aquam, quæ ex Chriſti pendenos latere fluxit. Sed hæc opinio jam exolevit, & inde rejicitur, quia in illud ſolum fit converſio, quod verbis conſecrationis ſignificatur, illa quippe verba efficiunt quod ſignificant; patet autem verbis conſecrationis calicis nullam ſignificari converſionem appoſitæ aquæ in eam quæ de latere Chriſti manavit. Accedit quod illa aqua lateris poneretur ſub ſpeciebus vini vel vi verborum, vel per ſolam concomitantiam: non vi verborum, quæ eam poni non exprimunt, ſed unum duntaxat ſanguinem: ſi per concomitantiam, jam illa aqua non eſt potiori ratione in calice quàm in hoſtia; unde in eam ſpeciali ratione aqua appoſita non tranſmutatur.

Secunda ſententia eorum eſt, qui poſuerunt aquã in propria ſemper ſpecie permanere vini accidentibus circumfuſam. Sed eam communiter rejiciunt Theologi: tum quia veritas formæ exigit, ut totum quod demonſtratur ſit ſanguis Chriſti: tum quia totum proponitur populo adorandum: tum quia Sacerdus poſt conſumptas vini ſpecies cenſetur jejun⁹, quod indicio eſt aquam in ſua naturali conditione non manſiſſe. Tum demùm quia accidentia non tranſeunt de ſubjecto in ſubjectum, nec ſubinde accidentia vini aquam afficiunt. Nec nova & Eccleſiæ ignota miracula ſunt in hoc ſacramento ſine neceſſitate multiplicanda.

Tertia ſententia docet, aquam in propria ſpecie ante conſecrationem permanere, nec in vinum converti, ſed vi conſecrationis immediatè in Chriſti ſanguinem tranſmutari. Hanc opinionem dudum antiquatam & exoletam ſuſcitavit Ægidius Coninchus, quem aliqui recentiores ſequuntur. Sed refellitur primò authoritate Innocentii III. cap. *Cùm Marth.* de celebratione Miſſarum, ubi tres refert de hac difficultate ſententias. Prima eorum eſt, qui dixerant permixtam vino aquam in eam converti quæ de latere Salvatoris promanavit. Secunda eſt illorum qui cēſent aquam vino mixtam in vinum converti, & ſic converſam in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiari; innuit tamen hanc ſententiam niti fundamento, quod nonnulli Phyſici inficiantur, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari. Tertia ſententia ait non tranſire aquam in ſanguinem, ſed manere vini accidentibus circumfuſam. Ex his vero tribus ſententiis quæ tenenda ſit, his verbis ſubindicat. *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* Ergo cùm hæc ſit ſecunda ſententia, eam dubio procul Pontifex ille egregius amplexus eſt. Scio Cōinchum reſpondere Innocentium ſecundam ſententiã bimēbrem diſtinxiſſe, nec primum membrum approbaſſe quo aſſeritur in vinum tranſire aquam mixtam vino, ſed ſecundum elegiſſe, quo dicitur aquam cũ vino in ſanguinem tranſmutari, & abſtraxiſſe ab illa philoſophica quæſtione, utrum vino mixta aqua in vinum convertatur. Sed præter quod non dixiſſet Pontifex aliquam ex his ſententiis, nempe ſecundam, eſſe probabiliorem, cùm ipſe quartam invexiſſet; inſuper omnia ſubterfugia Innocentius *lib. 4. Myſteriorum Miſſæ, capite* 4. occupavit. Ibi enim eamdem verſans quæſtionem diſertè docet, aquam tranſire in ſanguinem, quia mixta vino tranſivit in vinũ. *Quis enim ambigat* (inquit) *aquam in vinum tranſire cùm multo vino modicum infunditur aqua.*

Præterea hæc ſententia, & opinio D. Thomæ aſſerentis aquam mixtam vino tranſire mediatè in ſanguinem Chriſti, mediante nimirum vino, in quod priùs aqua convertitur, ſtabilitur. Illud duntaxat convertitur immediatè in ſanguinem Chriſti, quod eſt idonea calicis cōſecrandi materia, cùm ideo duntaxat aſſumatur materia ut conſecratione fiat ineffabilis elementorum tranſubſtantiatio. Atqui ſolum vinum vitigineum apta eſt calicis conſecrandi materia, ut ex perpetua traditione hactenus creditum eſt, & ſacrorum Conciliorum Florentini & Tridentini definitionibus firmatum. Ergo aqua mixta vino non immediatè in Chriſti ſanguinem, ſed mediante vino, in quod priùs converſa eſt, tranſmutatur.

Nec valet evaſio adverſariorum dicentium duplicem eſſe calicis conſecrandi materiam; neceſſariam unam, nempe vinum; liberam alteram, nempe aquã vino mixtam, ſicut peccata venialia libera ſunt ſacramenti pœnitentiæ materia. Non inquam, valet: tum quia hujus duplicis materiæ commentũ eſt in Eccleſia inauditum, ſua proinde novitate in re tanti momenti ſolicitè cavenda ſponte liqueſcens & corruens. Tum quia cùm aqua non niſi ex præcepto Eccleſiæ ſit permiſcenda, nec talis permixtio ſit de jure divino, ut ex dictis conſtat, manifeſtum eſt aquam non eſſe Euchariſtiæ ulla prorſus ratione materiam: omnis quippe ſacramentorum materia à Chriſto deſignata & inſtituta eſt, alioquin dicere licebit ſal aquæ luſtrali Baptiſmatis ex præcepto & ritu Eccleſiæ permixtum, & alia ſacramentalia juſſu Eccleſiæ materiebus ſacramentorum adjuncta ad eorum materiam pertinere. Tum quia ea materia libera cenſenda eſt, quæ abſente neceſſariâ ad ſacramenti integritatem ſola ſufficit: eâ enim ratione peccata venialia libera ſacramēti materia dicũtur, quòd eis forma abſolutionis, non exiſtentibus etiam mortalibus, validè applicari poteſt. At in nullius Theologi mentem adhuc venit, in ſola aqua poſſe calicem deficiente vino conſecrari, & oppoſitum dicere eſt in damnatam Aquariorum hæreſim incurrere. Et certè grãdis hallucinatio committitur dum aqua peccatis venialibus comparatur. Peccata enim venialia dicuntur libera ſacramenti Pœnitentiæ materia, quia nullum eſt ea in confeſſione aperiendi præceptum, ſed vera tamen ſunt materia hujus ſacramenti, cujus materia idonea eſt omne peccatum vero dolore contritum, & ore Sacerdoti apertum. Unde ſuppoſito quod homo ſolorum venialium conſcius, ſacramentum Pœnitentiæ adire velit, fiunt neceſſaria Sacramenti Pœnitētiæ materia. At nemo volens ſacramētum Euchariſtiæ peragere, poteſt aquam ſolam in penu-

penuria vini conſecrare. Tum quia ſi aqua permixta eſſet hujus ſacramenti libera materia, in magna poſſet quantitate apponi, contra Florentinum *modicißimam* vino apponi aquam imperans. Cur autem modiciſſima aqua præſcriberetur, ſi in Chriſti ſanguinem immediatè converti poſſet, nec eam priùs in vinum tranſmutari oporteret? Tum demùm, quia ſi aqua eſſet Sacramenti materia in ſanguinem Chriſti immediatè converſa, poterit ſub ſpeciebus aquæ à ſpeciebus vini arte ſeparatis (ut ſeparari poſſe contendunt Adverſarii, argumentum inde poſteà diluendum depromentes) conſervari; tandiu enim manet corpus & ſanguis Chriſti, quandiu durant ſpecies, quarum ſubſtantia in Chriſti ſubſtantiam converſa eſt, & quandiu ſub illis vera & naturalis ſubſtantia integra permanſiſſet, ut docet Tridentinum *ſeſſ. 13. can. 2.* At quis credat ſub ſeparatis arte aquæ ſpeciebus, ſi ſeparari poſſunt, ſanguinem Chriſti exiſtere, ibique adorandum eſſe? Quis credat ſub illis ſeparatis remanere poſſe Chriſti ſanguinem, & non poſſe aquam ſeparatam conſecrari? Quod enim ſine vino conſecratum manet, quidni ſine vino conſecratum fiat?

Vera ergo ſententia, & ad propoſitam quæſtionem reſponſio eſt, aquam non immediatè in Chriſti ſanguinem, ſed mediante ſolùm vino, in quod primitus fuerit tranſmutata, converti; & ideo modicam infundendam eſſe, ut ait Catechiſmus Romanus titulo de Euchariſtia; *Nam Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicio*, inquit, *aqua illa in vinum convertitur.* Idem docet Sacerdotale Romanum *1. p. tract. 10. cap. 2.* his verbis: *Aqua, quæ in calice vino admiſcetur, debet eſſe in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet.* Quia nimirum aqua modica in minutiſſimas particulas diviſa confunditur, abſorbetur, & activitate vini ferè momento corrumpitur, nec potentiori agenti, quo undique cingitur, reſiſtere valet. Nec obeſt quod aqua ſit corpus elementare & ſimplex, quod in mixtum immediatè non convertitur. Non obeſt, inquam, quia pura hîc non habemus elementa, ſed multorum admixtione impura. Adde quod licet elementum aquæ non poſſet actione vini in vinum commutari, poſſet tamen per diviſionem, quâ materia aquæ in minimas particulas diſſecta formam aquæ retinere nequaquam poteſt, ſed circundantis vini formâ afficitur. Non eſt etiam quod dicas, aquam vino mixtam poſſe arte chimica à vino ſeparari, ut ſi vinum in vaſe ex ligno hederæ facto includatur, vel ſi immittatur medulla junci, vel ſi ſpongia oleo imbuta adhibeatur. Non, inquã, id dicas; quia tunc ſolùm vera aqua extrahitur, quando magna ejus quantitas, quæ in vinum non potuit converti, appoſita fuit: ſi autem modica aqua infuſa fuit, id quod ſeparatur non eſt aqua elementaris, ſed debilior vel ſubtilior vini pars aquæ ſimilitudinem & colorem præferens, ut ex eo patet quod eadem arte è vino puro, cui nulla aquæ potio admixta eſt, hujuſmodi vapor aqueus elici facilè poteſt, & in aquam etiam naturalem converti, ſicut terræ vapores vi caloris ſolaris exciti in media aëris regione in aquam convertuntur. Sed de his ad Philoſophos.

Fit ſatis objectis.

Dices: Patres docent aquam vino mixtam in altari offerri, benedici, conſecrari, & conſecratione mutari in ſanguinem Chriſti. Ita Cyprianus *epiſt.* 53. Juſtinus Martyr *apologia 2. ſub finem*, Ambroſius *lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. & 5* ubi ait: *Vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. Ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur qui plebem redemit.* Idem tradunt Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 14.* Paſchaſius *lib. de corpore Domini, cap. 11.* Algerus *lib. 1. cap. 16.* Hildebertus Cenomanenſis *carmine de myſterio Miſſæ.* Ex quibus patet aquam in ſanguinem Chriſti tranſmutari, unde non prius in vinum convertitur, alioquin ſolum vinum in conſecratione tranſubſtantiaretur.

Reſpondeo Patres vel loqui de oblatione præparatoria antecedente conſecrationem, & ſic verum eſt aquam in vinum infuſam pereæquè atque vinum ipſum offerri; vel loqui de oblatione eſſentiali, ſeu conſecratione, in qua ſacrificium altaris eſſentialiter ſitum eſt; & ſic aqua non immediatè, ſed mediante vino, in quod priùs converſa eſt, tranſmutatur. Cùm enim Patres doceant admixtionem aquæ rem eſſe inſtitutionis Euchariſtiæ, ſecundùm hanc doctrinam dicere neceſſe eſt, vel non tranſmutari aquam, quod Sancti nolunt; vel in ſanguinem Chriſti mediante duntaxat vino tranſubſtantiari; cùm in poteſtate Eccleſiæ poſitum non ſit Sacramenta condere, vel novas eis materias aſſignare. Mediante ergo vino, quod ſola eſt à Chriſto præſcripta calicis conſecrandi materia, aqua conſecratur. Nihil tamen propterea dicere vetat aquam in ſanguinem Chriſti converti, etiamſi priùs in vinum converſa ſit; ſolent enim ſubſtantiæ in aliam tranſmutatæ eo nomine appellari, quo ante converſionem vocabantur: nam Joan. 2. aqua in vinum in nuptiis à Domino converſa priſtino nomine nuncupatur; *Cum guſtaſſet*, inquit, *architriclinus aquam vinum factam.* Exodi etiam 7. ſerpens Moſis virga, unde factus fuerat, appellatur. Et magis ad rem corpus Chriſti in Euchariſtia ſæpe panis in Scripturis & à viris Catholicis vocitatur.

Inſtabis; Sæpe contingere poteſt in vinum aquam non poſſe converti, ut cùm aliqua aquæ quantitas vino tenui & parum generoſo infunditur; cùm Sacerdotes ante mox conſecrandum calicem recordati ſe non miſcuiſſe aquam, eam immediatè ante conſecrationem, ex præſcripto rubricarum Miſſalis Romani apponunt; & cùm Chriſtus aquam calici mox bibendo appoſuit, utique in magna quantitate juxta leges temperantiæ & mores hominum conviventium, apud quos ridiculum haberetur guttulis aquæ vinum temperare. Atqui tunc aqua immediatè in ſanguinem Chriſti convertitur, cùm totum quod calici ineſt, populo adorandum exhibeatur; cùm hauſtu illius aquæ non ſolvatur jejunium Sacerdotis, poſſitque in caſibus licitis, putà in die Dominicæ Nativitatis iterum celebrare; cùm denique totum in calice contentum hoc pronomine *Hic* deſignatum conſecretur, ne falſidica forma conſecrationis exiſtat, & redeant omnia argumenta contra ſecundam ſententiam initio à nobis intorta. Ergo aquam immediatè in ſanguinem Chriſti converti contingit. Quod ſi aliquando id concedere neceſſe ſit, fruſtra ad eam converſionem requirimus, ut priùs in vinum fuerit tranſmutata.

Reſpondeo majorem & minorem dubiis vel falſis ſuppoſitionibus conſtare. In primis non eſt certum, vinum non convertere in ſe aquam, tametſi debile ſit; quia aqua in vinum non ſolum actione vini, ſed ipſius etiam aquæ abſorptæ diviſione convertitur, modò quãtitas vini aquam notabiliter excedat. Unde in caſu quo Sacerdos guttulam aquæ calici mox conſecrando apponit, aqua ipſa momento liqueſcit, & fit vinum. Chriſtus verò naturarum omnium perfectiſſimus comprehenſor eam aquæ quantitatem calici à ſe conſecrando & diſcipulis propinando appoſuit, quam ſciebat in vinum converſam iri, ſive illa magna fuerit, ſive parva. Quod ſi parvam miſcendam eſſe cognovit, parvam utique infudit,

quod

Digitized by Google

quod licèt homines in convivio communi & uſuali non probarent, nihil abſurdi in eo convivio, quod myſticum ſuit, invenirent tamen. Minor etiam propoſitio falſum aſſumit, nimirum aquam vino admixtam, nondumque in vinum quibuſdam in caſibus fortaſſis converſam immediatè in Chriſti ſanguinem converti. Si enim ita eſſet, fruſtra Innocentius in rationem ſecundæ quam amplectitur ſententiæ protuliſſet hæc verba: *Cùm in vinum tranſeat mixta vino.* Fruſtra etiam ab Eccleſia præciperetur, ut modica, & ut ait Florentinum, *modiciſſima* aqua vino miſceretur. Si ita eſſet, aqua eſſet idonea hujus ſacramenti materia, ſub ejuſque ſpecie à vino ſeparata ſanguis Chriſti exiſteret. Si ita eſſet, mixtio aquæ eſſet de jure divino, cùm ea ſolus Chriſtus inſtituerit, quæ ſunt in ſuam ſubſtantiam tranſubſtantiatione convertenda. Quare ſi contingeret aquam non eſſe in vinum ipſo conſecrationis tempore converſam, vel propter nimiam ejus copiam infuſam, vel propter vini non ſatis generoſi debilitatem, vel propter aquæ reſiſtentiam & tenacitatem, tunc per accidens & præter intentionem aqua in Chriſti ſanguinem non convertitur, atque adeò ad illud Sancti Patres docentes abſolutè aquam conſecratione tranſmutari, non reſpexere. Nec obeſt, quod totum in calice conſecratum proponatur populo adorandum. Non obeſt, inquam, quia adorantis populi intentio ad Chriſti ſanguinem realiter in calice exiſtentem dirigitur, ſicut non adoratur pulvis, muſca, vel quippiam ſimile caſu vel incuriâ in calicem deciſum. Et ratio eſt, quia adoratio fide dirigitur, unde id ſolum in calice adoratur, quod fides objectum eſſe adorationis docet. Nec eâ aquâ in ſua natura permanente ſolvitur jejunium; tum quia ignoratur num aqua ſit converſa, & ideò modica apponenda præcipitur, ne jejunium ſolvatur: tum quia tunc aqua per modum ſacramenti & communionis ebibitur, unde non eſt ſimilis ablutioni, quæ quia ſeorſim à ſacris ſpeciebus, neque ut conjuncta ſacramento ſumitur, jejunium ſolvere meritò exiſtimatur. Denique nulla propterea falſitas formæ contingit, quia particula *hic*, contentum ſub ſpeciebus vini deſignat; intentio enim Sacerdotis conſecrantis, Chriſti in cujus perſona loquitur intentioni conformatur: Chriſtus autem ſolum vinum conſecrare voluit, cùm ex Scripturis, Patribus, & Conciliis habeamus ſolum vinum vitigineum eſſe idoneam calicis conſecrandi materiam.

Urgebis: Si unum vinum vitigineum ſit apta conſecrationis materia, aqua neque mediatè, neque immediatè in Chriſti ſanguinem convertetur; aqua enim etſi in vinum quavis tandem ratione converſa, non eſt genimen vitis, utpote de vite non expreſſa: ergo noſtra ratio nimis probat.

Reſpondeo vinum, quod eſt materia calicis, naturam vini vitiginei habere oportere, quanvis hujus cauſa efficiens non ſit vitis. Vinum enim vitigineum opponitur vinis impropriè dictis vini naturâ carentibus. Unde vinum miraculo productum, quale fuit vinum nuptiarum in Cana Galilææ, aptam eſſe hujus ſacramenti materiam nemo niſi abſurdè negaverit. Addi poteſt, aquam in vinum converſam eſſe quadantenus vinum vitigineum, quia à vino vitigineo converſa eſt; unde ſicut vitis eſt cauſa efficiens vini convertentis, ita & remotè vini converſi, quia quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.

Quæres ſecundò, utrum una ſpecies poſſit ſine altera conſecrari in extremæ ſaltem neceſſitatis articulo, & accedente Summi Pontificis diſpenſatione.

Reſpondeo validè quidem unam ſpeciem ſine altera conſecrari, nunquam tamen licitè, quantaquanta neceſſitas ſupponatur, quantáve diſpenſatio accedat. Validè inquam, una ſpecies ſine altera conſecratur; quia ſtatim ac verba conſecrationis panis prolata ſunt, continuò ſub ſpeciebus illius exiſtit corpus Chriſti; verba enim cùm producant quod ſignificant, ſtatim atque corpus Chriſti præſcriptis verbis ſignificatur, ſine mora adeſt. Unde & confeſtim hoſtia proponitur adoranda. Nunquam tamen unam ſine alia ſpeciem conſecrare licet, quia non licet alio modo Euchariſtiam conſecrare, quàm eam Chriſtus conſecrandam imperavit: præcepta namque divina tranſgredi nunquam & nuſquam licet. At Chriſtus utramque ſpeciem indiviſim conſecrandam præcepit; nam ut ait Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 1. *Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit & credidit.* Et ratio eſt, quia Euchariſtia jure divino ſacramentum eſt per modum convivii ſpiritualis inſtitutum; nec ſacramentum tantùm, ſed etiam ſacrificium: nec poteſt hoc ſacramentum perfici, niſi ſimul ſacrificium offeratur; ſed ad rationem integri convivii potus peræquè ac cibus deſideratur. Sacrificium etiam Euchariſtiæ unâ nequit ſpecie immolari & perfici, quia ſacrificium novæ legis eſt cruenti ſacrificii crucis commemoratio, juxta illud ejuſdem Tridentini *cap. 2.* dicentis: *In divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis ſemel ſeipſum cruentè obtulit. ::: Una enim, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſâ.* Sicut ergo ſacrificium crucis non fuit ſine ſanguinis à corpore ſeparati effuſione, ita nec poteſt talis ſeparatio ſine conſecratione calicis repræſentari; utraque ergo ſpecies conſecretur neceſſe eſt, ut ſit ſacrificii crucis jugis memoria, & ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit Altiſſimo, ut Geneſis 14. dicitur, perenniter offeratur. Igitur non poteſt ullo unquam caſu, ſuffragante quavis diſpenſatione, panis ſolus ſine vino conſecrari, quia ſummus Eccleſiæ Antiſtes nec præcepta divina irritare, nec ſacramenta truncare, nec ſacrificii perennis inſtitutum à Chriſto modum & ordinem immutare, atque invertere poteſt. Neque enim poteſtas illi divinitus data eſt, ut ſuperioris ſibi Chriſti leges ſolvat, ab eiſque obſervandis Fideles eximat; ſed eas ut cuſtodiat, curetque ab aliis cuſtodiri. Habet quidem Eccleſia Catholica, ejuſque viſibile caput Romanus Pontifex in Sacramentorum diſpenſatione ea ſtatuere vel mutare poteſtatem, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaverit, ut Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 2.* docet: at *ſalva* tamen remanere debet *eorum ſubſtantia*, ut ibi Sacrum Concilium tradit. Patet autem ad ſubſtantiam convivii & ſacrificii paſſionis Chriſti rememorativi utriuſque ſpeciei conſecrationem pertinere.

Non diſpenſabit, inquies, ſummus Eccleſiæ Hierarcha, ſed legem Chriſti interpretabitur, illamque certis in cauſis vel locis non obligare poteſtate ſibi à Deo facta declarabit, concurrente præſertim altero divinæ legis mandato, ut alterutrum omitti neceſſe ſit. V. g. contingere poteſt, ut niſi panis ſine vino conſecretur, aliqui populi vino laborantes vel ſemper, vel certè diu cœleſti & adeò neceſſario Euchariſtiæ cibo priventur, vel quod aliqui repentino morbo oppreſſi ſine viatico mortem obeant, ſi nullis reſervatis ſpeciebus Miſſæ celebratio expectanda ſit.

Quidni ergo extremis illis neceſſitatibus ſuccurrendi gratiâ, habitâ Eccleſiæ Capitis licentiâ, ſolum panem citò conſecrare, & multorum calamitatem ſublevare, & recipiendæ Euchariſtiæ divinum præceptum ſervare fas erit? His de cauſis cùm Norvegus diſpenſaſſe Innocentium VIII. ut ſine vino, quòd ſtatim in illis regionibus aceſcat, conſecrarent, Volaterranus & Onuphrius teſtes ſunt. Nec Chriſti ſolùm intentioni, ſed etiam facto & exemplo ſe Pontifex ille accommodavit: Salvator enim coram diſcipulis in Caſtellum Emaus proficiſcentibus panem ſine vino conſecravit, ut innuit Auguſtinus *lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 25.* & in ipſo contextu ſatis indicatur; nam accepto, fracto, & benedicto pane evanuit ab oculis eorum.

Reſpondeo, illegitimam futuram quamvis Chriſti legis de conſecrando ſub utraque ſpecie ſacramento diſpenſationem, quâ divini natura & ſubſtantia ſacrificii ſine duplici ſpecie conſiſtere non valentis deperiret. Nec eſt ulla populorum vel alicujus morientis neceſſitas, cui non facilè per delationem vini, vel hoſtias in Eccleſiis reſervatas poſſit occurri. Omnis ergo vel obligatio vel utilitas præcepto de retinenda ſacrificii integritate, quo nullum arctius eſt vel antiquius, concedat neceſſe eſt, & perfectio ſacramenti & ſacrificii reliquis omnibus eſt anteponenda; nec ſumendæ Euchariſtiæ præceptum prævalere unquam poteſt, quia non niſi habitâ ſacramenti copiâ unquam urget, & pio hominum voto ſuppleri poteſt. Hiſtoria porrò Volaterrani fabella eſt malè materiata, & ſuâ ipsâ falſitate ſponte evaneſcens, cùm dicat facultatem feciſſe Pontificem, ut ſine vino Norvegii calicem conſecrarent, quaſi ſine vino poſſit aliquando verum calix conſecrari? Quaſi vini materiæ vel aquam Aquatiorum damnato more, vel cerviſiam, vel pomaceum aliumve liquorem ſufficere Innocentius potuerit aut voluerit? Quaſi importatum aliunde in illas regiones vinum ſtatim aceſcere non ſit commentum ipſi experientiæ repugnans? Certè nullibi extat Pontificiæ illius diſpenſationis diploma; unde ſi aliquod ullibi promulgatum eſt, alicujus malè ſenati falſarii adulteratione id contigiſſe fatendum eſt. Nec te moveat exemplum Chriſti: tum quia Chriſtum calicem non conſecraſſe malè ex Evangeliſtarum ſilentio colligitur; non enim omnia quæ facta ſunt recenſere ſolent: tum quia ſi à calice conſecrando Chriſtus abſtinuit, id poteſtate excellentiæ ſibi tanquam ſacramentorum authori eximiâ, nec Eccleſiæ conceſsâ præſtare potuit. Unde Eccleſia hujus Chriſti præcepti adeo fuit ſemper ſolicita, adeò tenax, ut voluerit in caſu quo Sacerdos aquam pro vino ſoluto jejunio conſumpſerit, conſecrationem calicis ex integro repeti, & ſacrificium ab aliquo inchoatum, & quavis tandem ratione non completum, ab alio etiam non jejuno perfici, non obſtante de ſumenda à jejunis Euchariſtia mandato.

Dices: Eccleſia laïcis uſum calicis juſtis de cauſis non indulgens, à Chriſti præcepto verbis illis, *bibite ex eo omnes*, expreſſo eximit: quidni ſimiliter gravibus de cauſis poterit à conſecrando vino diſpenſate?

Reſpondeo falſum eſſe omnibus omninò Chriſtianis communionem calicis Chriſtum verbis illis imperaſſe, quibus ſolis eam ſacerdotibus conſecrantibus præcepit. Illis enim duntaxat dixit, *Bibite ex eo omnes*, quibus etiam, *Hoc facite in meam commemorationem*, continuò præcepit, quibus verbis Apoſtolos Sacerdotes inſtituit, & ipſis eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo offerrent mandavit, ut ex perpetua Eccleſiæ traditione ſacrum Concilium Trid. docet. Unde laïcos unâ tantùm ſpecie refectos à Chriſti lege Eccleſia non eximit, quibus utriuſque ſpeciei uſus non eſt à Chriſto imperatus. Sacerdotibus verò conſecrantibus nunquam indulſit, nec indulgere Eccleſia potuit, ut alterâ tantùm ſpecie reficerentur, quia in quolibet ſacrificio, & utraque ſpecies conſecrari, & utraque conſumi debet. Unde in die Paraſceves, in quo utraque ſpecies nec offertur, nec ſumitur, nullum ſacrificium celebratur.

Urgebis: Una ſpecies poteſt ſine alia ſumi, & licitè ſumitur: quidni ſola poterit, ut in neceſſitate ſumatur, conſecrari, cùm non conficiatur conſecreturque cibus cœleſtis, niſi ut ſumatur.

Reſpondeo quod cùm Euchariſtiæ ſacramentum non conſiſtat in uſu, ejus integritas, ejuſque perfectio eſſentialis non ex fidelium ſumentium uſu, ſed ex totius materiæ conſecratione penſanda eſt. Adde Euchariſtiam non ideo ſolùm confici ut ſit animorum cibus, ſed ut ſit etiam juge Chriſtianæ Religionis ſacrificium, quod ſine utraque ſpecie non ſubſiſtit.

Quæres tertiò, utrum ad materiam hujus ſacramenti determinata panis & vini præſentia, determinata etiam quantitas deſiderentur?

Reſpondeo ad primum, materiam conſecrandam præſentem eſſe oportere Sacerdoti conſecranti; præſentem, inquam, cùm phyſicè, tum moraliter. Id enim colligitur tum ex facto Chriſti Domini, qui panem & vinum ſibi præſentia & in menſa appoſita conſecravit: tum ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ nec Euchariſtiam, nec ullam aliam rem ſacris uſibus deſtinatam, niſi præſentem benedicit aut conſecrat; tum ex ipſa formæ conſecrationis ſignificatione, quæ pro nomine demonſtrativo *Hoc*, vel *Hic* materiam conſecrandam coram Sacerdote, ac proinde phyſicè & moraliter, id eſt ſecundùm prudentum humanum exiſtimationem præſentem eſſe indigitat.

Quid autem requiratur ad illam præſentiam, non poteſt, nec debet mathematicè determinari, ſed ſat eſt ut uſu, more & conſuetudine hominum atque prudentum judicio materia in ea diſtantia ſit, ut pronominis prolatione demonſtrari rationabiliter queat. Unde abſurdum eſt credere poſſe Sacerdotem omnes fori venales panes, omnia in cella vinaria recluſa vina conſecrare, ſicut & hoſtias à tergo poſitas, vel trans parietem collocatas, quantumvis in ſpeculo relucentes; quia ſecundum moralem hominum æſtimationem (cujus in adminiſtratione Sacramentorum humano modo peragendorum ratio magna habenda eſt) materia ſic poſita præſens in ordine ad exercendam demonſtrandamque aliquam operationem minimè cenſetur. Sicut è contra hoſtia ſub aliis in acervo latitans, vel ſubtus corporali, vel in pyxide clauſa contenta, vel vinum in calice cooperto exiſtens præſentia moraliter cenſentur; quia quæ interjacent corpora per modum continentis aut velaminis ſe habentia moralem ſubjectarum rerum præſentiam minimè impediunt. Ex quibus ſine negotio Majoris oppoſitum ſentientis argumentis occurres. Ex quibus etiam Sacerdotum eorum ſcrupuloſe velles, qui verba conſecrationis dum proferunt, os & labia ita materiæ admovent, ut inſpirato halitu eam fœdent. Qui ſanè mos & inanis eſt, & juxtà indecorus. Neque enim oris inconcinnam compoſitionem, ſed modeſtam capitis inclinationem, & ſacrorum verborum ſecretam, diſtinctam, reverentemque prolationem rubricæ præſcribunt.

Reſpondeo ad ſecundum, materiam hujus ſacramenti

menti non eſſe determinatæ quantitatis unde panis & vinum poſſunt in quantalibet quantitate validè, tametſi non licitè conſecrari. Eſt contra aliquos antiquos Theologos, nominatim contra Alenſem 4. *part. quæſt.* 34. *art.* 3. exiſtimantem non eſſe divinitus datam eam verbis conſecrationis virtutem, quæ panem & vinum in quacumque quantitate convertat, ſed in ea duntaxat quantitate, quam ordinata conſecrantis intentio determinet. Portò illam ordinatam intentionem eſſe ait, quæ eſt Eccleſiæ intentioni conſentanea: Eccleſia verò eum ſolum panem conſecrari vult, qui fidelium uſibus rationabiliter & moraliter deſerviat, cùm Dominus eo ſe fine conſecraſſe ſatis his verbis indicet: *Accipite, & comedite.* Unde cùm indefinita materia non ſit fidelium uſui accommodata, non poteſt etiam validè conſecrari.

Verùm hæc ſententia confutatur, & unà reſponſio noſtra ſuadetur. Licèt quantitas materiæ hujus ſacramenti per comparationem ad uſum fidelium determinetur, quia cujuſvis materiæ determinatio ex fine propter quem aſſumitur petenda eſt: attamen non poteſt materiæ quantitas per comparationem ad uſum fidelium tunc occurrentium determinari, *alioquin*, inquit benè S. Thomas quæſt. 74. art. 2. *Sacerdos paucos parochianos habens non poſſet multas conſecrare hoſtias.* Quod praxi & moribus Eccleſiæ adverſatur. Ergo materia hujus ſacramenti non niſi per comparationem ad uſum fidelium abſolutè determinari poteſt. Atqui numerus fidelium non eſt determinatus. Ergo materiæ hujus ſacramenti præfixa non eſt certa quantitatis menſura.

Sacerdos ergo qui quantitatem nimiam conſecraret, id eſt in longè majori copia, quàm fidelium qui communiter occurrunt, vel occurrere poſſunt ut ſolent, uſus poſtulat, validè quidem ſacramentum perageret, at illicitè & ſacrilegè tamen; utpote qui concreditâ ſibi poteſtate abutens, tremendum & venerabile ſacramentum vel contemptui & deriſioni, vel certè corruptioni ſpecierum ſine cauſa exponeret.

Sicut autem quantitas materiæ non debet eſſe tam magna, ut numerum fidelium communiter occurrentium propemodum & moraliter excedat; ita non debet eſſe tam parva, ut non ſit ſenſu aliquo perceptibilis, quia niſi percipi poſſit, demonſtrari nequaquam poteſt. Unde conſecratio materiæ imperceptibilis eſt invalida; conſecratio autem materiæ, quæ licèt percipi poſſit, porrigi tamen commodè ſecundùm Eccleſiæ morem non poteſt, illicita eſt; tum quia praxi Eccleſiæ adverſa, tum quia tam exigua materia in contemptum & venerabilis Sacramenti deriſionem vergeret. Dixi materiam debere eſſe aliquo ſenſu perceptibilem, quia non eſt neceſſe ut actu videatur: tum quia hoſtiæ in acervo latitantes non videntur: tum quia quod eſt perceptibile, tametſi actu non videatur, pronomine demonſtrativo indigitari poteſt; tum quia Sacerdos cæcus validè conſecrare poteſt. Narrat enim Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 9. in Concilio Tridentino quendam fuiſſe Epiſcopum cæcum, qui ex Summi Pontificis diſpenſatione celebrabat.

Præter præſentis materiæ determinationem exigitur etiam Sacerdotis deſignatio, quâ hanc potiùs quàm illam materiam practicè uſurpet. Unde Sacerdos coram ſe ſex panes poſitos habens, ex quibus quinque velit conſecrare, quos tamen non deſignaverit, nullum prorſus conſecraturus eſt, quia non eſt potior ratio cur unum potiùs quàm alium inconſecratum relinquat, & particula demonſtrativa *Hoc*, vel *Hic*, in panes à Sacerdote deſignatos cadat neceſſe eſt: ubi ergo nulla deſignatio, nulla conſecratio. Unde conſultius erit, Sacerdotem eos panes velle conſecrare, qui ſibi moraliter præſentes ſunt, & in Altare ad conſecrandum aſportati ſunt, & omne vinum in calicem infuſum. Ad quod intentio formalis & virtualis, modo dum de ſacramentis in communi ſatis expoſito, ſufficit. Nec ſunt curandæ, ſed floccifaciendæ ſcrupuloſorum neniæ, nec tam religio quàm ſuperſtitio; habenda ſolùm accurata diligenſque cautela.

Reflexio.

Multa ſanè ſunt quæ apertè nitideque demonſtrant, panis & vini ſymbola aptiſſima eſſe ad eas res declarandas adumbrandaſque, quarum ſunt ſacramenta: eis namque convenientiſſimè erudimur, Chriſtum Dominum hæc ſacramenta purè ſumentibus æternæ vitæ alimenta præbere, mentem quoque pretioſi corporis & ſanguinis communione refici, & ut loquitur S. Thomas *impinguari.* Monemur etiam, ut eam cogitationem ſuſcipiamus, eſſe in hoc ſacramento corporis & ſanguinis Domini realis præſentiæ veritatem. Cùm enim panem & vinum in humanam carnem & ſanguinem nativi virtute caloris quotidie immutari experiamur, quis adeo mentis inops & fidei Chriſtianæ rudis eſt, ut dubitare poſſit panis vinique ſubſtantiam in veram Chriſti carnem, verumque ſanguinem divinâ poſſe virtute converti?

Hæc, fateor, mira, & juxtà vera ſunt; ſed unum eſt, quod niſi meus me fallit animus, quoslibet citò rapere poſſit attentos. Chriſtus eam delegit materiam, quæ nuſquam non præſto eſt, atque omnibus & ubique facilè parari poteſt; ut omnes, & ſinguli, & ubique, & ſemper Salvatoris beatiſſimam copiam habentes, ſuaviſſimè illius charitatem experirentur, qui naturam, quam à nobis ſumpſerat, à nobis nunquam ſubtrahere voluit, nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi permanſurus. Mirentur qui voluerint, & jure mirentur hujus ſacramenti miracula in eo certatim myſterio micantia, quod fecit Deus memoriam mirabilium ſuorum: mirentur tranſubſtantiationem, accidentium nullo ſubjecto niſorum exiſtentiam, & alia ſine fine prodigia. Ego Chriſti ſuaviſſimam facilitatem magis magiſque demiror, quâ eſſe verſarique nobiſcum & ſemper voluit, & ubique; ideoque ea elementa elegit, quæ & facilè invenire eſſet, quibus & in nos intimè transfundi poſſet, ut omni tempore omnique loco illud verè dictum veriſſimè impleret: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.*

Et quod auget admirationem, non ſolùm juſtis & ſanctis, ſed & criminoſiſſimis hominibus ſui copiam facit. Miratur Tertullianus *lib. de patient. cap.* 3. Chriſti Domini patientiſſimam benignitatem, non tantùm quòd tempore paſſionis calumniis petitus, ſputis inhoneſtatus, verberibus laniatus, felle potatus, clavis confixus, ſpinis coronatus ſit, ſed quòd proditorem etiam ſuum ſecum æquo animo tulerit. *Deſpuitur*, inquit, *verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur: parum hoc ſi non etiam proditorem ſuum ſecum haberet.* At in Euchariſtia proditores nedum ſecum patitur ſuos, ſed eorum etiam pectus inferno horribilius ingreditur. Non eſt magni beneficium dare & perdere aiebat Seneca *lib.* 7. *de beneficiis*; hoc eſt magni animi beneficium perdere & dare. Id eſt magnanimi eſt beneficia iis etiam prodigere, qui prævidentur ingrati. Quale ergo eſt Chriſti magnificentiæ prodigium, vel ſi dicere fas eſt, prodigalitas ſtupenda, quâ corpus ſuum & proditori ea ipſa in qua tradebatur nocte, & infinitis beneficio ſuo abuſuris paravit?

Hoc immenſum divinæ largitatis prodigium jure ſuſpi-

ſuſpicit Angelicus Doctor opuſculo 57. *Neque enim,* inquit, *eſt aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Etenim non ſolùm in noſtræ aſſumptione naturæ in terris Deus viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt; ſed inſuper *quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem: corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum ſub ſpecie panis & vini fidelibus dereliquit.* Non fuit ſatis divino amori omnes & ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauros, ipſam quoque totius divinitatis plenitudinem humano generi verè, & ut ſcripſit Apoſtolus *corporaliter* impertiri, ut hominibus in altiſſimo dignitatis faſtigio collocatis jam gloriari liceat, Filium Dei os noſtrum & carnem noſtram eſſe: quod utique beatiſſimis Angelorum ſpiritibus non licet; nuſquam enim, ut ab Apoſtolo veridicè ſcriptum eſt, Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Non fuit ſatis nimiæ Chriſti charitati vitam humanam à nobis ſumptam pro nobis ultrò offerre, & totum ſanguinem pro omnibus fundere, ac noſtro tantùm nomine mortem, quam defugere poterat, libenter occumbere; quanvis hoc beneficii genus tale ac tantum ſit, ut omnem non ſolùm referendæ, ſed etiam habendæ gratiæ facultatem vel gratiſſimo cuique eripiat. Sed hæc redemptioni ſufficiebant, amori non ſufficiebant. Humanitatem quam pro omnibus ſibi univit, omnibus uniri voluit, ut tam communis eſſet Chriſtus ac panis, tam intimus ac cibus.

Quàm meritò Euchariſtia *Incarnationis extenſio* à Sanctis nominatur? Etenim qui ſemel pro nobis in utero Virginis incarnatus eſt, quotidie ubique terrarum in omnibus quotquot voluerint quadantenus incarnatur, dum caro ejus verè cibus, ſanguis ejus verè potus noſter efficitur. Auguſtatum quodammodo, & veluti coarctatum erat divini amoris opus, quando in Incarnationis operæ pretio una duntaxat Redemptoris humanitas ad Divinitatis apicem provecta eſt. At magnifico Euchariſtiæ inſtituto beneficium uni collatum in omnes & ſingulos protenditur, diffunditur, dilatatur. Decebat planè Chriſtum Dominum, Deum ſe eſſe hac largitate probaret. Nemo bonus niſi ſolus Deus, bonorum omnium ſummum & ſumma. At bonum eſt ſui diffuſivum, nec ullis patitur ſe limitibus præfiniri. *Magna & vera bona,* aiebat Philoſophus Moralis epiſtol. 73. *non ſic dividuntur, ut exiguum in ſingulos cadat, ad unumquemque tota perveniunt.* Hinc Chriſtus non ſolùm in unoquoque Altari totus, ſed in utraque ſpecie, & in quavis utriuſque ſpeciei particula totus voluit contineri, ut omnibus ſui copiam faceret, nec eſſet qui ſe abſconderet à calore ejus.

Sed ſi Deus dignatione dives, dignitatis neſcius, ſui adeo prodigus effectus eſt, ſi nullum repellit, ſi omnes allicit, & ſub qua latet panis vinique ſpecie increſcat; cur, quæſo, tam difficilem, tam moroſum, tam tepidum avarum, ut & Chriſto amorem, & pauperibus Chriſti bonorum tuorum deneges communionem? Itáne charitati tantæ tepiditas tanta, largitati tali talis avaritia tua reſpondet? Chriſtus ſub communiſſimis ſpeciebus omnes laborantes ad ſe vocat reficiendos à ſe, omnes expectans expectat, omnes dignè acceſſuros mammillâ Regum gratiarum omnium rore pleniſſimâ lactaturus invitat: cur ad eum ergo tam raró, tam invitus, tam incompoſitè accedis, ut niſi præceptis Eccleſiaſticis adigerere, ipſum vix inviſere dignareris, qui à ſexcentis ſupra mille annis ſinum ſuum aperit totum tibi, & ædificatam ab amore ſuo ſolitudinem patientiſſimâ longanimitate cuſtodit.

An neſcis Euchariſtiam totius eſſe Chriſtianæ Religionis centrum ſuaviſſimum, in quod omnes confluunt Chriſtiani, veluti in oceanum rivi, nec ſecus ac in punctum medium ambientes lineæ, neceſſe eſt? An ignoras te pani illi vivo indivulsè adhærere oportere, qui caput noſtrum eſt, à quo præciſus non vitis, ſed ſarmentum; non operi agricolarum, ſed igni deſtinaris flammarum? Euge tandem illi cor tuum dare ne detrectes, qui corpus & ſanguinem ſuum vi verborum, animam & divinitatem, totum denique quidquid habet ex concomitantia liberaliſſimè largitur. Ne illi per aliquot horas fuſis de corde puro precibus convivere faſtidi, quem tot ſæculorum curricula, tot ſacrilegorum flagitia non fatigant. Quàm juſtum, ut pro illo vivas qui pro te ſemel phyſicè mortuus, myſticè quotidie mori non ceſſat! Abſit ut ad eum venire trepides, apud quem nullus advena, nullus extraneus, nullus habetur ignotus; cui eſt cura de omnibus, fecitque cœnam magnam omnibus patentem, mittens ſervos ſuos animarum rectores, qui dicant invitans parata eſſe omnia. Ergo modò veſtem nuptialem innocentiam ad altare apportes, *Securus accede, panis eſt, non venenum,* inquit Auguſt. *tract. 26. in Ioan.* Avertere itaque, ut alibi monet idem Pater, ut convertaris; funde, ut implearis; diſce non diligere, ut diſcas diligere. Avertere à peccato & commutabili bono, ut ad Deum bonum incommutabile convertaris: funde à corde tuo vitia, ut gratiâ & virtutibus impleare: diſce non diligere creaturas, ut diſcas diligere Creatorem.

Speculatio II.

Legitima & eſſentialis ſacramenti Euchariſtiæ forma his verbis continetur: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus; vel quod idem eſt Hic eſt calix ſanguinis mei.

Circa formam Euchariſtiæ varii prodierunt hæreticorum errores, & Catholicorum ſententiæ. In primis ſi credamus Guidoni Carmelitæ *cap. 9. de hæreſibus Waldenſium,* Waldenſes rejectâ Eccleſiæ forma poſuerunt, vel potiùs ſomniarunt orationem Dominicam ſepties repetitam legitimam eſſe hujus ſacramenti formam. Verùm quia nihil tale de illis Æneas Sylvius, qui poſteà fuit Pius II. ſummus Pontifex, hæreſeos illius diligentiſſimus inquiſitor obſervavit, nec illis hanc hæreſim aſſerunt Petrus de Luxemburgo, vel Alphonſus à Caſtro, ideo de hac eorum hæreſi meritò dubitant Theologi graviſſimi.

Secundò Græci recentiores, ut refert Cardinalis Beſſarion *lib. de Sacramento Euchariſtiæ,* cenſent Euchariſtiam confici precibus Sacerdotum, quæ ſuis in Liturgiis hoc modo habentur: *Rogamus Pater, ut mittas Spiritum tuum ſuper nos, & ſuper hæc appoſita munera, & fac panem iſtum pretioſum corpus Filii tui, & quod eſt in calice pretioſum ſanguinem Filii tui.* Hujus ſententiæ præcipui defenſores fuerunt Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ, *cap. 27.* Marcus Epheſinus in ſpeciali opuſculo de forma Euchariſtiæ, & Simeon Theſſalonicenſis in Liturgia, qui omnes licèt doceant debere verba Chriſti proferri, illis tamen appoſita elementa non conſecrari, niſi Sacerdotis oratione applicentur, aſſerunt. De hac Græcorum cum Latinis diſcordia in Concilio Florentino *ſeſſ. 25.* agitur.

Tertiò Lutherani & Calviniſtæ multifariam in hac ſicut in aliis ferè omnibus rebus lapſi ſunt. Etenim Lutherus libro de abroganda Miſſa privata, & in libro contra Regem Angliæ, & in formula Miſſæ pro Eccleſia Wirembergenſi, poſtquam Catholicâ iriſit Eccleſiam, quòd verba conſecrationis à Sacerdotibus in intimo ſacrarum rerum ſecreto agentibus profer-

proferre jubeat; quia, inquit, verbis illis in toto orbe nihil oportuit eſſe notius atque vulgatius; declarans poſtea quæ ſit Euchariſtiæ forma, ait hæc verba, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. eſſe etiam conſecratoria. Kemnitius verò in examine capitis primi, & canonis primi de Euchariſtia, vult ad formæ integritatem totam Chriſti inſtitutionem recitari oportere. Calvinus autem *lib. 4. inſtitut. cap. 17.* ſugillans Eccleſiam Catholicam quaſi adhibentem verba velut magi ſua carmina, quæ demurmuraſſe ſatis ſit, quaſi ab elementis exaudiantur, addit verba conſecrationis eſſe vivam prædicationem, quæ auditores ædificet. Ejus hæreſiarchæ impietatem, & in Eccleſiam Catholicam odium æmulatur & vincit Oſtiniarius *lib. 1. & 2. hiſtoriæ ſacramentariæ, cap. 1.* ubi ait benedicere, conſecrare, ſeu ſanctificare panem & vinum, non eſſe incantare, & occulta quadam vi verborum panem & vinum tranſelementare vel tranſubſtantiare; ſed eſſe ea divinis ſacriſque uſibus deſtinare, nimirum ut quæ communia erant corporum alendorum adminicula, fiant efficacia deinceps ſymbola carnis & ſanguinis Chriſti. In Eccleſiam deinde Romanam ore petulco blaſphemans, ait eam hac in re, quemadmodum in aliis Ethnicos egregiè imitari, quin & magos eorumque artem æmulari, dum verba conſecrationis tam ſolicitè occultat, & à vulgi auribus removet. Scarpius verò *controverſia 2. de ſacra Cœna, quæſt. 4.* preces & totam inſtitutionem ad conſecrationem pertinere ait, quem ſequitur Chamierus *lib. 6. cap. 5.* addit tamen conſecrationem diſtingui à forma, ut totum à parte: conſecrationem vult eſſe in tota Chriſti inſtitutione, ne excluſis quidem Eccleſiæ precibus, quibus à Deo poſtulat fieri quod Chriſti inſtitutione continetur: formam verò non diffitetur illis verbis contineri. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Deinde verò iræ acerbitatiſque ſuæ virus adverſus Eccleſiam genio hæretico & infrunitu, atque ore mendaci evomens ſubjungit, ſe cum ſuis improbare magicam illam vim, quam Papiſtæ verbis ipſis tribuunt, quaſi iis indita quædam potentia myſterium peragat & aliter operetur quàm per ſignificationem in animis humanis. Hæc Hæretici; quid Catholici, ex ſequentibus clarebit.

Probatur ergo ſpeculatio tum ex perenni Eccleſiæ Catholicæ praxi formam illam uſurpante, eamque ab Evangeliſtarum & Pauli *1. Cor. 10.* textibus, atque Apoſtolorum traditione derivante. Tum ratione: Illa eſt legitima ſacramenti forma, quâ illud ſignificatur quod in ſacramento efficitur; ad hoc enim inſtituta ſunt verba in Sacramentis uſurpari ſolita; maximè quia cùm verba id efficiant quod ſignificant, procul dubio illa ſunt verba idonea, quæ quod efficitur ſignificant. Atqui verba præfata declarant & ſignificant id quod in hoc ſacramento fit, nempe converſionem panis in verum Domini noſtri corpus, & vini in ſanguinem ejus. Ergo prædictis verbis idonea Sacramenti Euchariſtiæ forma continetur.

Objicies 1. Chriſtus Euchariſtiam ſine verbis confecit, licèt confectam verbis poſteà declaravit. Etenim Chriſtus panem conſecravit antequam diceret, *Hoc eſt corpus meum*: panem quippe tum conſecravit, cùm eum benedixit: priùs verò benedixit, quàm verba illa protulerit; teſtante enim Evangelio, *Accepit Ieſus panem, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Ex verbis etiam Marci *cap. 14.* apparet Apoſtolos jam bibiſſe, quando Chriſtus dixit, *Hic eſt ſanguis meus.* Diſcipulis etiam in Caſtello Emaüs Euchariſtiam ſine verbis ullis conſecratam porrexit, dicente Luca cap. ultimo: *Accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.* Denique Auguſtinus *in Pſal. 10.* ait Euchariſtiam manibus Chriſti confectam ejus ore fuiſſe commendatam. Ergo verba illa à nobis relata non ſunt neceſſaria Euchariſtiæ conſectandæ forma, ſed ſufficienter precibus & benedictionibus Eccleſiæ Euchariſtia conficitur.

Reſpondeo exiſtimaſſe olim Innocentium *lib. 4. de myſteriis Miſſæ, cap 6.* Chriſtum ratione poteſtatis excellentiæ abſque omni verborum forma confectaſſe, verba tamen poſtmodùm protuliſſe, quibus in Eccleſia futuris temporibus Euchariſtia conſecraretur. Alii Chriſtum verbis quidem & oratione conſecraſſe aiunt, ſed vel nobis ignotis, vel ſi iis quibus utimur, bis illa protuliſſe, clam ut conſecraret, palam ut inſtrueret. Verùm hæ ſententiæ non ſunt veritati conſentaneæ. Tum quia Evangeliſtæ & Paulus referunt Chriſtum verba illa adhibuiſſe, & addidiſſe, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo cùm Sacerdotes conſecrantes faciant quod ipſe Chriſtus fecit, verba eadem quæ Sacerdotes uſurpant, Chriſtus adhibuit. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 1.* docet Chriſtum tunc hoc ſacramentum inſtituiſſe, quando diſertis verbis ſe corpus & ſanguinem illis præbere ſuum teſtatus eſt. Illud autem quo Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit & confecit, rationem formæ habere neceſſe eſt. Tum quia id ipſum docent perſpicuè Patres, Tertullianus lib. 4 contra Marcionem, cap. 40. *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo.* Author ſermonis de cœna Domini apud Cyprianum: *Ex quo à Domino dictum eſt*, inquit, *Hoc eſt caro mea, Hic eſt ſanguis meus; quotieſcumque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix ſolenni benedictione ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit.* Chryſoſtomus etiam *hom. 2. in ſecundam ad Timotheum, & hom. 60. ad populum Antiochenum*, idem docet, ſicut & Ambroſius ſuprà dum de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia memoratus, poſtea etiam memorandus. Denique omiſſis aliis, Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 15.* ſic habet: *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem: ita dicendo, Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus, perfecit hoc ſacramentum.*

Ad rationes in contrarium reſpondere non eſt difficile. Ad primam quidem dicendo, vel benedictionem ibi per verbum *benedixit* expreſſam, non eſſe conſecrationem, ſed bonam ſuper panem precationem, & divinæ potentiæ ac munificentiæ ſuper illum invocationem, quâ Chriſtus elevatis in cœlum oculis, ut habetur in ſacro Miſſæ canone, elementorum mox futuram conſecrationem & tranſmutationem poſtulabat. Favet Tridentinum loco antè relato dicens: *Poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt.* Contendunt tamen alii benedictionem illam fuiſſe ipſam conſecrationem, propter illud Apoſtoli 1 Cor. 10 *Calix benedictionis cui benedicimus* (id eſt ut exponit S. Thomas lect. 4. *quem nos Sacerdotes conſecramus*) *nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Favet Ambroſius lib. de iis qui initiantur, cap. 9. *Hic eſt panis*, inquit, *quem benedictio conſecravit: major eſt vis benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutatur.* Favet etiam author ſermonis de cœna Domini, verbis paulò antè prolatis. Nec obeſt contextus Evangeliſtarum, qui ut docet Auguſtinus *lib. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 39. & 44.* non ſemper eumdem ordinem in recitando ſervaverunt, quo res geſtæ ſunt. Unde ſenſus eorum eſt: Accepit Jeſus panem, & gratias agens benedixit dicens, *Hoc eſt corpus meum.* Seu ut ait D. Thomas *art. 1. ad 1.* dum Jeſus benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit: *Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Et ita interpre-

terpretandum venit Tridentinum. Teſtatus eſt Chriſtus corpus ſuum dare poſt benedictionem ſeu conſecrationem. Sicut ſi diceremus: Poſt baptiſmum homo accipit characterem & fidem, id eſt, non niſi per baptiſmum, & non antè homo charactere inſignitur. Ad factum Chriſti Lucæ ultimo memoratum, ſuppoſito quod Chriſtus tunc Euchariſtiam confecerit (quod non pauci inficiantur) dicendum verba conſecrationis Chriſtum protuliſſe, nec eſſe neceſſe hanc circunſtantiam fuiſſe à S. Luca deſcriptam. Vel ſi aliter tunc Chriſtus poteſtate excellentiæ ſe geſſit, nihil tamen inde contra nos, qui contendimus in ipſa Euchariſtiæ inſtitutione Chriſtum verbis præfatis Euchariſtiam cõnſecraſſe. Ad locum Auguſtini reſpondeo Euchariſtiam dici manibus Chriſti, id eſt poteſtate ejus confectam, & ore commendatam; nõ quòd fuerit ſine verbis illis conſecrata, ſed quia verbis conſecrandi vim ſua poteſtate impreſſit.

Inſtabis: Sancti Patres aſſerunt ratione Sacerdotis conſecrari Euchariſtiam. Ita enim docet Juſtinus Martyr *apologia* 2. & Irenæus *lib.* 4. *cap.* 34 ubi ait, *invocatione Spiritus ſancti confici corpus Chriſti.* Et Origenes *lib.* 8. *contra Celſum*, ubi docet, *prece fieri ex pane corpus Chriſti.* Et Optatus *lib.* 6. *contra Parmenianum*, ubi ait quod ad conficiendam Euchariſtiam *poſtulatus deſcendit Spiritus ſanctus.* Et Cyrillus Jeroſolymitanus, *catecheſi* 1. & 5. docens, *invocari ſanctam Trinitatem, & peractâ invocatione ex pane fieri corpus Chriſti.* Et S. Ephrem *lib. de natura Dei curioſitis non ſcrutanda.* ubi tradit, *benedictione fieri conſecrationem.* Et Theophilus Alexandrinus *ſerm.* 1. *vocationem & adventum Spiritus ſancti conſecrari.* Et Gregorius Nyſſenus *orat. catechetica*, *cap.* 37. ait panem *ſanctificari per verbum Dei & orationem.* Et Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.* 37. dicens: *Invocationis verba cùm conficitur panis Euchariſticus & poculum benedictionis, quis Sanctorum in ſcripto nobis reliquit?* Et Hieronymus *epiſt.* 87. *ad Evagrium*, ubi inquit, *Ad quorum* (Sacerdotum) *preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur.* Et Auguſtinus *lib.* 3 *de Trinit. cap.* 4. ait Euchariſtiam eſſe id, *quod prece myſtica conſecratum ſumimus ad ſalutem.* Et *lib.* 2. *de baptiſmo contra Donatiſtas, cap.* 20. ait, *Deum exaudire homicidam deprecantem ſuper Euchariſtiam.* Et *epiſt.* 59. *ad Paulinum, in ſolutione* 5. *quæſtionis*, orationes appellat ipſam benedictionem & conſecrationem Euchariſtiæ. Et Magnus Gregorius *lib.* 7. *epiſt. epiſt.* 63. dicit morem Apoſtolorum fuiſſe, *ad ipſam ſolummodò orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrare.* Denique in Liturgiis Græcis poſt recitata chriſti verba rogat Sacerdos, ut Deus ſubjectum panem faciat corpus, & quod eſt in calice ſanguinem Chriſti. Ergo non in à nobis relatis verbis, ſed in Eccleſiæ precibus à Sacerdote fuſis tota conſecrandæ Euchariſtiæ forma ſita eſt.

Reſpondeo in precibus Sacerdotum non poſſe Euchariſtiæ formam conſtitui. Tum quia poſitio corporis & ſanguinis Chriſti & mirabilis panis & vini tranſelementatio & tranſubſtantiatio cùm ſit quid divinum & miraculorum miraculum, ſolâ Dei poteſtate, & per ea quibus nihil ſit efficacius evenit; talia autem ſunt Chriſti Domini verba, quibus dicit & res fiunt, mandat & creantur, non autem hominum preces. Tum quia humanæ preces tunc fiunt efficaces cùm ab hominibus Deo gratis & benemeritis funduntur; ut enim dicebat cæcus natus; *Scimus quia Deus peccatores non exaudit.* Euchariſtia verò non petentium meritis fit, ſed ab indignis Sacerdotibus peræquè peragitur, quia nimirum quod ſignificant efficiunt. Tum quia conſecratio corporis Domini non pendet à re dubia, ſed infallibiliter fit: penderet autem à re dubia, ſi ſolis hominum precibus conficeretur; dubium enim remanet, num preces ab hominibus fuſæ ſunm ſint effectum ſortituræ, & infallibiliter impetraturæ. Nec eſt ſimile de forma Extremæ-unctionis, quæ deprecatoria eſt; quia tunc non tam Sacerdotis quàm Eccleſiæ oratio eſt, quibus in huc ſingulari ſacramento efficaciam Chriſtus ſpopondit. Tum quia verborum, quibus hæc ineffabilia myſteria peraguntur, nulla diverſitas, nulla debet eſſe mutatio, cùm immutabilis ſit tanti ſacramenti forma. At ſola verba Chriſti eadem ſunt, preces vanè à variis proferuntur: unde verba illa & Evangeliſtæ, & Paulus ritum hujus conficiendi ſacramenti à Domino acceptum recitans, & Patres omnes in ſuis liturgiis unanimi conſenſione referunt. Tum quia in ſui memoriam, & quemadmodum ipſe fecit, hoc ſacramentum facere Sacerdotes Salvator imperavit: expreſſior autem fit Chriſti memoria, expreſſior eſt ejuſdem imitatio, dum ipſius verba proferuntur. Ergo non in precibus quibuſvis, ſed ſacris Chriſti verbis Euchariſtiam confici certiſſimè tenendum, & ſine ulla dubitatione credendum eſt. Tum demùm, quia utriuſque Eccleſiæ ritus id demonſtrant. Græci enim verba hæc, *Hoc eſt corpus meum*, recitant, & populus reſpondet, *Amen*, quaſi dicat, verè ita eſt utti dicis; & confeſtim Diaconus Sacerdoti miniſtrans panem & calicem oſtendit, ſignificans utrique panem illum eſſe corpus Chriſti, & quod in calice eſt, ſanguinem ejus, quemadmodum verbis illis aſſertum eſt. Et tamen nondum ſunt preces illæ fuſæ, quibus unis Græci recentiores Euchariſtiam confici aſſerunt. Id ex ritu Eccleſiæ Romanæ & Latinæ manifeſtius eſt; nam poſt prolata Chriſti verba, hoſtia adoranda proponitur; non autem proponeretur, niſi foret conſecrata. Et certè falſa eſſent illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, niſi vi illorum corpus Chriſti conſecraretur.

Nec Patres adverſantur, ſed prorſus favent. Luculentiſſima ſunt Ambroſii verba *lib.* 4. *de Sacr. cap.* 4. ubi ait: *Tu fortè dicis: Meus panis eſt uſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo offerunt. Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile ſacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum.* Et cap. 5. *Ubi verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti.* ::: *Ante verba Chriſti calix eſt vini & aquâ plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Et lib. de iis qui initiantur, cap. ult. *Ipſe clamat Dominus Jeſus, Hoc eſt corpus meum: ante benedictionem verborum cæleſtium ſpecies nominatur; poſt autem conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum, ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen; hoc eſt, Verum eſt.*

Favet etiam Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, cap. 13. *Noſter panis, & calix non quilibet; ſed certâ conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur.* Certa autem conſecratio, non preces Eccleſiæ quæ variari poſſunt, ſed determinata à Chriſto Domino verba ſunt. Favet quoque Chryſoſtomus homil. de proditione Judæ: *Non enim homo eſt*, inquit, *qui propoſita de conſecratione menſa Domini corpus Chriſti facit & ſanguinem; ſed ille qui pro nobis crucifixus eſt Chriſtus. Sacerdotis ore verba promuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratiâ. Hoc eſt, ait, corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox quæ dicit, Creſcite & multiplicamini & replete terram, ſemel quidem dicta eſt,*

ſed

ſed ſemper ſentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem. Et hom. 2. in 2. ad Timotheum: *Volo quiddam adjicere plane mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Sacra ipſa oblatio, ſive illam quilibet Sacerdos, ſive illam Paulus, ſive Petrus offerat; eadem eſt quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis, quamque Sacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet iſta quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus qui illam antè ſacraverat. Quemadmodum enim verba quæ loquutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem eſt.* Favet pariter Gregorius Nyſſenus *orat. catechet. c. 37.* ubi docet quod *panis ſtatim per verbum in corpus tranſmutetur, ſicut dictum eſt à Verbo: Hoc eſt corpus meum.* Et paulò poſt: *Mox ad carnem tranſmutatur, quoniam ipſe dixit: Hoc eſt corpus meum.*

Idem docet Tertullianus, Author ſermonis de cœna Domini, & Damaſcenus ſuperius producti. Quibus adde Juſtinum Martyrem *apologia 2.* ubi docet Euchariſtiam perfici precibus Chriſti & gratiarum actione ſitis in illis verbis, *Hoc eſt corpus meũ.* Adde etiã Irenæum *lib. 4 cap. 32.* eodem modo explicantem preces quibus perficitur hoc ſacramentum. Adde etiam Euſebium Emiſſenum hom. in Ramis Palmarum: *Qui dixit tunc per ſe*, inquit, *modò dicit per ſuos miniſtros, Hoc eſt corpus meum. Et tanta eſt ejus verbi virtus & efficacia, ut ſtatim fiat quod dicitur.* Adde & Paſchaſium *lib. de corpore Domini, cap. 5.* dicentem: *Hoc ſacramentum non meritis, non verbis humanis, ſed procul dubio divinis efficitur & conſecratur mandatis.... Sed verbo Creatoris, Hoc eſt corpus meum. In hoc verbo creatur illud corpus, quia divinum verbum eſt, & omnipotentiâ plenum.* Adde quoque Remigium Altiſſiodorenſem de celebratione Miſſæ; *Chriſti ergo virtute*, inquit, *& verbis iſte panis & calix ab initio eſt conſecratus, & ſemper conſecratur, & conſecrabitur. Ipſe enim loquens per Sacerdotes verba ſua cæleſti benedictione ſanctum corpus & ſanguinem ſuum perficit.* Adjice quoque Stephanum Eduenſem *de ſacramento Altaris, cap. 14.* aientem: *Credimus & quod cùm benedixit, corpus ſuum fecit, & in his verbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei, data eſt virtus ſacramenti: dixit enim, & facta ſunt.* Et cap. 15. *Fides noſtra eſt, & vere credendum eſt, quod Sacerdote proferente hæc verba, Hoc eſt corpus meum, jam non eſt panis terrenus, ſed ille panis qui de cælo deſcendit. Item virtute verborum iſtorum, Hic eſt calix ſanguinis mei, vinum convertitur in ſanguinem meum.* Adde & Odonem Cameracenſem in expoſitione Canonis: *Tolle*, inquit, *verba Chriſti, non ſunt ſacramenta Chriſti. Vis fieri Chriſti corpus & ſanguinem, appone Chriſti ſermonem: facit ſermo veritatis quod dicit, quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt. Sine dubio fit in creatura, quod Chriſti ſermo dicit de creatura. Est enim omnipotens ſermo tuus, ô Genitor: fit ergo ſermone Chriſti corpus & ſanguis Chriſti.*

Hac traditione permotum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 1.* docet Chriſtum Euchariſtiam his perſpicuis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, inſtituiſſe. Et *cap. 3.* docet vi verborum ſolum corpus ſub ſpecie panis, ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini poni. Ergo ſupponit verbis illis conſecrari panem, quibus ſolum corpus ſignificatur; conſecrarique vinum illis quibus unus ſanguis ſignificatur. At ejuſmodi verba non ſunt alia quàm recenſita verba Salvatoris: ergo doctrina noſtra eſt magis ſacri Concilii menti conſentanea. Dico eſſe *magis conſentaneam*; teſtatur enim Salmeron, qui Concilio Tridentino interfuit, Patres auditis hinc inde rationibus, quâ formâ Chriſtus hoc ſacramentum confecerit, definire prudenter noluiſſe & totum Theologorum indagini permiſiſſe. Ita ille *tom. 9 tract. 13.*

Ad authoritates in contrarium productas priuſquam reſpondeam præmonendus eſt Lector, Eccleſiam verbis conſecratoriis, in quibus totam & integram hujus ſacramenti formam conſtituimus, preces præmittere ſolere, quibus Deum panem in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti convertere in Canone deprecatur. Sic enim habet: *Hanc igitur oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus & ſanguis fiat Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hac de cauſa propter illas Eccleſiæ preces nunquam omitti ſolitas, orationibus Eccleſiæ & Sacerdotum Euchariſtiæ confectionem Patres interdum aſſeruerunt, non quòd illis formaliter Euchariſtia conſecretur, ſed quia conſecrationem illam immediatè & ſemper antecedunt. Nec dicas inanem eſſe illam orationem, ſi independenter ab illa fieri conſecratio poſſit: non, inquam, id dicas; delectatur enim Deus, ut illa etiam poſtulemus, quæ etiamſi nulla fieret poſtulatio, largiretur, ut ea ſe gratis, liberaliter, & purâ miſericordiâ largiri ſignificet. Sic prædeſtinatio, tametſi ſit gratuitum miſerendi propoſitum, ſit liberalis tranſmiſſio creaturæ rationalis in vitam æternam à meritis & precibus etiam prævisis independens, ſit præparatio beneficiorum quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, teſte tamen D. Thoma gratuitæ prædeſtinationis acerrimo defenſore juvatur precibus Sanctorum. Sic etiam Eccleſia formæ Baptiſmi puero mox conferendi varias præmittit preces, tametſi nec in illis, nec dependenter ab illis forma Baptiſmatis ſuum imprimat novæ creaturæ effectum. Verùm novit pia & humilis mater dona etiam illa à Deo petere, quæ ſe daturum obſtrinxit atque oppignoravit Deus, quia non illa ex juſtitia noſtra, ſed non conferet Deus fidelis in omnibus verbis ſuis.

Præmonendus es rurſum, Patres per preces & orationes, quibus confici Euchariſtiam interdum aiunt, non intelligere quid diſtinctum à verbis Salvatoris, quæ quia verba ſunt, oratio dici poſſunt; & quia illis formaliter hoſtia immolatur & myſticè mactatur, preces & oblationes veluti in actu exercito dicuntur. Tunc enim Deum precari jure meritò cenſemur, cùm ei actu litamus, & ſacrificii immolatione divinam recognoſcimus Majeſtatem. Hunc eſſe non extortum vel violentum, ſed genuinum Patrum objectorum ſenſum, ex ſingulorum locorum examine clarebit.

Ita enim Juſtinus Martyr, ita Irenæus, uti vidimus, ſeipſos interpretati ſunt, dum orationem & invocationem in relatis Chriſti verbis poſuerunt. Eodem planè modo Origenes, Optatus, Cyrillus & Ephrem veniunt intelligendi, niſi ſemper addas reſpexiſſe eos ad preces quas conſecrationi præmittere Eccleſia in omni ſuo ritu conſuevit. Theophilus ait quidem, panem & calicem per invocationem & adventum Spiritus ſancti conſecrari, ſed non negat præfatis Chriſti verbis advocari vel advenire Spiritum ſanctum. Gregorii Nyſſeni mens ex iis quæ ex eadem oratione catechetica protulimus conſpicua eſt. Baſilius vult ſolùm totum canonem, ſine quo Euchariſtia non conficitur, nec verba conſecratoria proferuntur, non eſſe in ſacris litteris ſcriptum, ſed traditione haberi. Ambroſius per ſacræ orationis myſterium verba Chriſti ſe intelligere manifeſtè locis à nobis relatis oſtendit. Hieronymus ſimiliter per Sacerdotum preces in latiori ſignificatione verba Chriſti intelligit, vel ad duo quæ præmonuimus reſpexit. Auguſtinus verò per *precem*

myſticam non potuit intelligere orationem Eccleſiæ, quæ perſpicua eſt & plana, ſed verba Chriſti myſteriorum plena, & myſteriorum efficientia. Dum verò ait Deum exaudire homicidam deprecantem ſuper Euchariſtiam, ſeipſum in eodem contextu explicat dicens: *Deus adeſt ſacramentis & verbis ſuis per qualeslibet adminiſtrentur.* Unde per deprecationem verba Chriſti à Sacerdote prolata intelligit. Ibidem ait, quod Sacerdos deprecatur ſuper aquam baptiſmi, & ſuper capita eorum quibus manus imponitur; ergo quemadmodum forma Baptiſmi & Confirmationis non in oratione propriè dicta, ſed in præſcriptis verbis ſita eſt; ita & de forma Euchariſtiæ ſecundùm Auguſtinum dicendum eſt. In epiſtola verò ad Paulinum orationem appellat ſanctificationem & benedictionem Euchariſtiæ; ſed illam orationem à verbis Chriſti eſſe diſtinctam non tradit. Magnus Gregorius voluit dumtaxat poſt conſecrationem recitari Orationem Dominicam, uti Apoſtolorum ſacra traditio ferebat, non quòd per illam orationem Apoſtoli conſecrarint; ſed quia inter celebrandum tremendum ſacrificium hujus orationis recitationem nequaquam prætermittebant. Unde non ait per Orationem Dominicam, ſed ad illam ſolummodò Apoſtolos conſecraſſe, quia tunc propter temporis & perſecutionis anguſtias non multis precibus ſicut modò ſacrificium adornabant, unius Dominicæ Orationis (quæ ut ait Tertullianus *de orat. Dominica*, eſt *breviarium Evangelii*; authore Cypriano eſt *cœleſtis doctrinæ compendium*; authore Ambroſio *lib. 5. de ſacramentis, c. 4.* eſt *cunctarum plena virtutum*) recitatione contenti. Loqui autem Gregorium de precibus ſacrificio adjunctis manifeſtum eſt ex eo quod inibi ait: *Et valde mihi inconveniens viſum eſt, ut precem quam Scholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper ejus corpus & ſanguinem non diceremus.* Id eſt, ſi verba & preces à Scholaſtico aliquo compoſitas, aliaſque pias orationes conſecrationi præmittimus & ſubjicimus, quantò magis inter celebrāda divini ſacrificii ſolennia Orationem Dominicam, quæ omnibus aliis immensùm præſtat, adhibemus? Ad ritum Græcarum Liturgiarum reſpondeo cum Cardinali Beſſarione, rogari poſt verba præfata ut fiat corpus Chriſti, non naturale, ſed myſticum; fiatque corpus Chriſti naturale corpori myſtico utile, ut fideles unum ſint, & in Chriſto maneant; unum enim corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus, ut in Liturgia Baſilii ſatis perſpicuè ſignificatur. Suſpicatur etiam idem doctiſſimus Cardinalis ordinem Liturgiarum eſſe inverſum, & poſtpoſitas fuiſſe orationes, quas Latina Eccleſia præmittit.

Quæres, utrum ſola verba adducta ſint eſſentialia & neceſſaria, ut corpus Chriſti conficiatur; num verò illa etiam pro conſecratione panis, Qui pridie quàm pateretur, &c. vel iſta. Quod pro vobis tradetur, deſiderentur?

Reſpondeo ad primum exiſtimaſſe Scotum, ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum neceſſariò præmittenda verba eſſe illa Canonis, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. quia niſi illa præmittantur, non ſignificat Sacerdos ſe loqui in perſona Chriſti, ſed in ſua; & conſequenter dum dicit, *Hoc eſt corpus meum*, non corpus Chriſti, ſed ſuum demonſtrat. Sed hanc ſententiam optimè antè confutaverat S. Thomas *quæſt. 78. art. 1. ad 4.* Quia Sacerdos ſola præfata verba proferens cum intentione conficiendi hoc ſacramentum, perficit hoc ſacramentum; quia intentio facit ut hæc verba intelligantur, quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus id minimè ſignificetur. Neque enim verba conſecrationis merè hiſtoricè recenſentur, ut unus ſit ſenſus, Chriſtus ita loquutus eſt; ſed verba illa ſignificativè etiam, & ut ita dicam exercitivè à Sacerdote referuntur, ita ut nomine ſuo inſtitutionem Chriſti referat, & nomine Chriſti practicè ſignificet corpus Chriſti vi hujuſmodi verborum in altari effectivè poni; ſicut dum orationem Dominicam in Miſſa Sacerdos profert, verba Chriſti referens, unà petit quæ in illa poſtulantur. Etenim ſi forma hiſtoricè duntaxat proferretur, nec practicè ad præſentem materiam applicaretur, ſequeretur verbis illis non ſignificari converſionem actu factam, ſed conſecrationem Chriſti recoli & in memoriam revocari; ſequeretur Sacerdotem in perſona Chriſti, contra unanimem Patrum & Conciliorum vocem, non loqui, nec eam veluti induere, ſed ea duntaxat recenſere, quæ à Chriſto in ultima cœna geſta ſunt. Quod ſanè ſi ſufficeret, nulla præſentis materiæ foret neceſſitas; ad recitandam quippe hiſtoriam non eſt neceſſaria rei, de qua fit narratio, præſentia. Quia ergo Sacerdos verba conſecrationis in perſona Chriſti profert, ſicut Legatus in perſona Regis, ſicut & Angelus in perſona Dei, cùm diceret, *Ego ſum qui ſum: Ego ſum Deus patris tui*; nec Sacerdos ſuam ipſius; ſed Chriſti actionem exprimit, & converſionem ac tranſubſtantiationem elementorum practicè & in actu exercito ſignificat; ideo validè conſecraret, tametſi verba illa narrativa, *Qui pridiè quàm pateretur*, prætermitteret. Graviter tamen ſic conficiendo peccaret, utpote qui ritum ab Eccleſia præſcriptum privatâ authoritate, vel potiùs temeritate violaret. Qua etiam de cauſa particulam, *Enim*, verborum connexionem convenienter ſignificantem qui prætermitteret, peræquè peccaret. Sicut etiam graviter peccaret, qui particulam *Enim*, nullam faceret; quia licèt non ſit de eſſentia formæ, nec eam Chriſtus adhibuerit, graviſſimis tamen de cauſis eam à Domino docta & inſpirata Eccleſia uſurpat, ut nimirum veritas & efficacitas formæ pateſceret, pleniuſque innoteſceret Euchariſtiam non cibum eſſe communem, ſed ipſum Chriſti corpus, quo reficimur & nutrimur.

Ex his etiam reſponſum manet ad ſecundam quæſiti partem, nimirum verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, non eſſe eſſentialia; nam ſacramenti ea forma eſt, quâ illud ſignificatur quod in ſacramento efficitur, ut ſæpe dictum eſt. Atqui ſola verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, converſionem panis in corpus Chriſti ſufficienter ſignificant, ac proinde illam efficiunt. Ergo ſola verba illa formæ conſecrationis panis rationem habent: iſta verò, *Quod pro vobis tradetur*, non ſunt neceſſaria neceſſitate ſacramenti; imò nec neceſſitate præcepti, cùm ab Eccleſia Romana & Catholica ab Spiritu ſancto gubernata prætermittantur, nec apud Matthæum & Marcum habeantur. Et quamvis verba illa à Chriſto prolata referant Lucas & Paulus, non tamen omnia quæcumque Chriſtus inter conſecrandum protulit, ſunt de neceſſitate ſacramenti, ſed ea duntaxat, quibus converſio panis in corpus Chriſti ſignificatur. Scio aliam eſſe Eccleſiæ Græcæ praxim à praxi Latinæ, ſed unaquæque probatos ſuos ritus retineat.

Quæres 2. An verba illa, quæ inter conſecrandum calicem proferuntur, ſint de eſſentia formæ, nimirum: Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei; qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum?

Reſponſioni præmitto verba illa convenientiſſi-

mè

mè ab Eccleſia Catholica adhiberi; tum quia multa ex illis verbis tanquam à Chriſto prolata referunt Evangeliſtæ & Paulus, cætera verò protuliſſe Salvatorem communis ſententia traditioni & generali Eccleſiæ praxi innixa fert. Tum quia tres ſanguinis Chriſti in paſſione fuſi effectus mirabiles ad hoc ſacramentum potiſſimè pertinentes verbis illis explicantur, nimirum aditus ad æternam vitam, qui nobis novi & æterni Teſtamenti jure pateſcit. *Habemus enim fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti*, ut dicitur *Hebr.* 10. Secundus effectus eſt acceſſus ad juſtitiam, quæ eſt per fidem dilectione operantem, juxta illud Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Tertius effectus ēſt remiſſio peccatorum, quibus uterque aditus intercludebatur; unde dicitur Hebr 9. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortis.* Primi effectus deſignandi gratiâ apponuntur illa verba, *Novi & æterni Teſtamenti*; ratione ſecundi additur, *myſterium fidei*; ratione tertii ſubjungitur, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

Explicantur uberiùs ſingula verba, quæ cùm ſint myſteriorum pleniſſima, non parum ad pietatis igniculos, & reverentiæ ciendos motus conducent. Hoc namque præcipuè intendere debet quicumque de ſacramentis diſſerit, ut lectores & ſacrorum præſertim miniſtri admoneantur, quæ, qualia, & quanta ſint quæ quotidie tractant, quo rerum divinarum quas frequentant ſtudio & deſiderio exardeſcant. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, id eſt: En vobis propino calicem ſanguine meo plenum, neque enim ſanguinem ſub ſpecie vini porrigo, niſi ut bibatur, nec niſi in calice bibitur. Ergo bibite chariſſimi, & inebriamini, non mero, ſed amore, & dum vini ſuavitatem percipitis, verba mea meliora vino ſapire, atque guſtare quoniam ſuavis eſt Dominus. Si quid infiniti valoris ſanguine pretioſius haberem, ultrò amorem meum teſtaturus largirer: at enim quid eo cruore præcellentius, quo emitur hæreditas regni cœlorum? Unde ſubdit, *Novi & æterni Teſtamenti*, id eſt: Ne credite figuram ſolùm ſanguinis mei eo vobis in calice propinari; verum ſanguinem exigit novum Teſtamentum, in quo non figuris locus ampliùs eſt, ſed veritati; verum ſanguinem poſtulat Teſtamentum æternum, id eſt æterna hæreditas, quam vobis ereptam non figura, ſed ſanguis Agni immaculati craſtina die fundendus, vobiſque jam bibendus porrectus redempturus & reſtituturus eſt. Scio equidem vobis hoc viſum iri difficile, quod aliàs Capharnaïtis durum apparuit; ſed neſcitis myſteria fidei ab oculorum ſenſu remotiſſima certâ eſſe fide credenda? Quàmlibet ergo difficultatis & negotii in hoc ſacramento humana ratio experiatur, vos tamen eſtote in hac credenda propugnandaque veritate intrepidi, quia *myſterium fidei* eſt, non quòd rei veritatem excludat, ſed quia tam ſtupendum pietatis meæ miraculum ſolâ fide creditur, nullis humanis argumentis ſuadetur. Et ne vobis ulla dubitandi ratio inſit, illum eundem ſanguinem vobis bibendum relinquo, qui craſtina die *pro vobis effundetur*. Qua ergo ſinceritate & veritate eum pro vobis in paſſione & cruce fundam, eadem illum vobis in calice propino. Sed proh dolor! Sanguinis illius, tametſi à me pro omnibus fundendi fructus non ad omnes, ſed ad multos duntaxat perveniet, ideoque *pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Nam ut præclarè dixit Catechiſmus Romanus, verba *illa pro vobis, & pro multis effundetur*, è Matthæo & Luca ſingula ſingulis ſumpta ſunt, quæ tamen ſancta Eccleſia ſpiritu Dei inſtructa ſimul conjunxit, ut paſſionis fructum & ſanguinis fundendi utilitatem declararet.

Nam ſi ad ejus virtutem inſpiciamus, pro omnium ſalute ſanguinem à Chriſto effuſum eſſe fatendum erit: ſi verò fructum quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, ſed ad multos tantùm eam utilitatem provenire facilè intelligimus. Cùm igitur *pro vobis* dixit, eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant Diſcipuli, excepto Juda, quibuſcum loquebatur, ſignificavit. Cùm autem addidit *pro multis*, reliquos ex Judæis & Gentibus electos intelligi voluit. Rectè ergo factum eſt, ut pro univerſis non diceretur, cùm hoc loco tantummodò de fructibus paſſionis ſermo eſſet, quæ ſalutis fructum pro electis ſolùm attulit. Atque huc ſpectant verba illa Apoſtoli: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et quod Dominus apud Joannem inquit: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* His præmiſſis,

Reſpondeo diviſos eſſe hac in quæſtione Theologos etiam Thomiſtas; quia cùm nihil hac in parte certum ex traditione Patrum & Conciliorum habeamus, in varias varii ſententias ſuis hinc inde momentis inſtructas abierunt. Porrò illa ſententia longè nobis probabilior, & traditioni magis conſentanea videtur, quæ totam conſecrandi calicis formæ eſſentiam in illis duntaxat verbis conſtituit, *Hic eſt ſanguis meus*; vel quod idem eſt, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Patres enim paulò ante relati aſſerentes formam conſecrationis non in precibus Eccleſiæ, ſed in verbis Chriſti eſſe ſitam, aliorum ab iſtis verborum mentionem non faciunt, quin ſolis illis verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, Deum operari mirabilem converſionem teſtantur. Quia, inquit Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap.* 14. illud Dei verbum *verum eſt, & efficax, atque omnipotens*, non minùs quàm illud, *Fiat lux, fiat firmamentum.* Euſebius etiam Emiſſenus, ſive quicumque Author vetuſtus ſermonis de corpore & ſanguine Domini, cujus initium, *Magnitudo cœleſtium beneficiorum*, ſic habet: *Inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecretâ poteſtate convertit, ita dicens, Accipite & edite; Hoc eſt enim corpus. Et ſanctificatione repetitâ, Accipite, & bibite; Hic eſt ſanguis meus. Ergo ſicut ad nutum præcipientis Domini ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluminum, vaſta terrarum; pari potentia in ſpiritualibus ſacramentis verbo præbetur virtus, & rei ſervit effectus.* Et S. Gaudentius tract. 2. de Exodo. *Quod annuntiatum eſt*, inquit, *credas; quia quod accipis corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſanguis eſt illius ſacræ vitis; nam cùm panem conſecratum & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Credamus cui credidimus: neſcit mendacium veritas. Non infringamus os illud ſolidiſſimum, Hoc eſt corpus meum, Hic ſanguis meus.* Verbum etiam excluſivum adhibet Juſtinus Martyr Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem: *Apoſtoli*, inquit, *in commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita ſibi Ieſum præcepiſſe tradiderunt, eum accepto pane cùm gratias egiſſet dixiſſe, Hoc facite in memoriam mei. Hoc eſt corpus meum; dixiſſe etiam accepto poculo, Hic eſt ſanguis meus, ipſiſque ſolis dediſſe.* Illis etiam mox prolatis conſecrari vinum, & in ſanguinem Chriſti converti, docet non ſolùm Ambroſius, *lib. 4. de ſacrament. cap.* 5. Sed etiam Author ſermonis de cœna Domini apud Cyprianum: *Ex quo*, inquit, *à Domino dictum eſt, Hæc eſt caro mea, & Hic eſt ſanguis meus, quotieſcumque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus ad totius hominis vitam ſalutemque proficit.* Quod totidem ferè verbis repetit Innocentius III. *lib. 4. de Myſterio Miſſæ, cap.* 6. Nec ſufficit dicere Patres illos conſecrandi calicis formam integram referre non fuiſſe ſolicitos. Non, inquam

quam, id ſufficit: tum quia Patres illi conteſtantur verbis illis omnipotentibus conſecrari calicem, & vinum in Chriſti ſanguinem converti; quod niſi formæ rationem haberent, nequaquam efficerent. Tum quia idem & eodem modo ſentiunt de verbis illis, *Hic eſt ſanguis meus*, atque de iſtis, *Hoc eſt corpus meum.* Ergo ſicut in iſtis integram & non diminutam conſecrandi panis formam; ita in illis completam conficiendi Chriſti ſanguinis formam conſtituerunt. Tum quia *iis ſolis, & ex quo* verba illa prolata fuerint, calicem *benedictione ſolenni ſacrari* dixerunt: ergo alia quævis verba ad eſſentiam formæ pertinere minimè arbitrati ſunt.

Eadem traditio colligitur ex Liturgiis Eccleſiæ Græcæ, tum perantiquis, cùm etiam recentioribus, & hodiernis à Romana Sede probatis, in quibus non habentur omnia illa verba, *Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, &c.* ſed vel penitus omittuntur, vel non omnia, ſed quædam in aliis, quædam in alteris referuntur: illa verò, *Hic eſt ſanguis meus*, in omnibus conſtanter & uniformiter habentur. Nam ut Petrus Arcudius Græcorum rituum callentiſſimus *lib. 3. concordiæ Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione, cap. 16.* teſtatur: *Forma conſecrationis hujus ſacramenti apud Græcos,* inquit, *ſunt hæc certa & determinata, eaque ſola verba, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Quæ ſunt verba Salvatoris, & ea extant in Liturgia Græcorum.* Affirmant etiam viri locupletiſſimi, pietate, doctrinâ, & dignitate etiam eminentes, quales fuerunt Cardinales Cajetanus & Delugo, Miſſalia ſe vidiſſe Græca & Maronitica, in quibus additamenta præfata non habentur. Et certè in nulla (ſolâ Romanâ exceptâ) Liturgia omnia illa verba referuntur, ut ex Liturgiis quæ in Bibliotheca Patrum referuntur, legenti parebit. Nec integra illa calicis conſecrandi verba Græci uſurpant, ſi uno excipias Monachos Cryptæ Ferraræ, non procul ab Urbe degentes, qui ritus ſuos Eccleſiæ Romanæ omnium Magiſtræ, & ſibi alioquin conterminæ & confinis praxi prudenter & tutò conformant. Dicere autem totam Eccleſiam Græcam formâ calicis & caruiſſe ſemper, & etiamnum carere, nec Eccleſiam Romanam reclamare, nec reclamaſſe; hoc, inquam, dicere tam abſurdum eſt quàm quod maximè, nec refutari oportet quod ſponte ſua corruit.

Nec ſatisfacit ſi dicas cum quibuſdam recentioribus, ſimilem eſſe hanc difficultatem illi quæ de forma Confirmationis, & de materia ſacramenti Ordinis objici ſolet omnibus Theologis peræquè communis, peræquè ſolvenda. Nam Græci in adminiſtranda Confirmatione hac utuntur verborum forma, *Signaculum donationis Spiritus ſancti*, quæ utique à Latinæ Eccleſiæ verbis inter confirmandum adhibitis diverſa ſunt. Varia etiam eſt verborum forma, quibus ſacros Miniſtros ordinant; varia quoque ejuſdem Ordinis in utraque Eccleſia materia, quæ Græcis manuum impoſitio, Latinis inſtrumentorum porrectorum contactus eſt, ut alibi diximus, explicatiùs etiam dum de Ordinis ſacramento dicturi. Sicut ergo à communi illa difficultate nos expeditur, agentes de ſacramentis in communi diximus, Chriſtum Dominum materias & formas ſacramentorum genericè duntaxat & quoad rationes formales, non ſpecificè & quoad rationes materiales ac individuales determinaſſe; quatenus talem quidem voluit eſſe materiam, talemque formam, quæ effectum ſacramenti determinatè ſignificaret; materialia tamen verba non elegit, quibus effectus ille ſignificaretur; ſed ea non cujuslibet quidem privatæ voluntati, ſed Eccleſiæ à Spiritu ſuo gubernatæ authoritati & determinationi permiſit. Similiter ergo, inquiunt, licèt ſit diverſitas materialis in forma calicis à Græcis adhiberi ſolita, eſt tamen unitas formalis, utpote ad eundem effectum ſignificandum ordinata. Et quia Eccleſia Latina ad ſignificandam ſanguinis conſecrationem verba omnia illa elegit, ideò illa omnia eſſe eſſentialia fatendum eſt, quidquid ſit de tenore formæ à Græcis ex ſuæ præſcripto Eccleſiæ uſurpatæ.

Non ſatisfacit, inquam, difficultati hæc reſponſio, ſed eam magis implicat, magiſque auget. Quamvis enim verba quoad materiale vocis, integrâ eſſentiâ ſacramenti variari poſſint, neceſſe eſt tamen quod verba æquivalentia, eandemque ſignificationem habentia remaneant. V.g. quod baptizetur Chriſtianus his verbis, *Ego te baptizo*; vel iſtis, *Baptizatur ſervus Chriſti*, ad materialem vocum diverſitatem in diverſis Eccleſiis uſurpatam pertinet, ac proinde formæ eſſentialem ſignificationem non mutat: Si verò verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, Eccleſia aliqua prætermitteret, cauſata effectum Baptiſmi prioribus verbis ſatis ſignificari, omiſſionem illam Eccleſia Catholica non probaret, ſed decretis reprehenderet, percelleret anathematis; ſicque truncatâ formâ baptizatos iterum ex integro baptizaret, quia nimirum verba illa, *In nomine Patris*, &c. formæ Baptiſmatis eſſentialia eſſe Eccleſia verbis Chriſti & traditioni innixa ſemper & ubique arbitrata eſt. Ergo ſimiliter ſi verba illa, *Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*, &c eſſentialia eſſe Romana Eccleſia arbitraretur, materialem quidem eorum variationem, ſufficique illi æquivalentia tolerare poſſet, & prudenter toleraret. At omnimodam verborum illorum omiſſionem ferre nec poſſet, nec deberet; multóque minùs hanc formæ mutilationem, & tot verborum eſſentialium ſuppreſſionem authoritate ſuâ falli, vel fallere neſciâ, utpote cui Deus ſemper aſſiſtit, poſitivè non probaret. Et Græcos tamen ſic conſecrare & probè novit, & ſic conſecrare jubet, dum ſuum cuique ritum ſervare Conciliorum & Summorum Pontificum infallibilibus imperiis præcipit, & calicem ſic conſecratum non modò non conſecrat iterum, ſed adorat. Ergo doctrina illa de variatione materiali formarum variis in locis & etiam temporibus contingenti ad præſentem quæſtionem impertinens eſt (Logicorum more loquor verba quædam impertinentia, alia pertinentia diſtinguentium; abſit enim ut oppoſitæ ſententiæ admodum probabilis, quæve mihi diu placuit, authores offendam:) nec argumentum à Liturgiis omnium temporum & locorum à Sede Apoſtolica in Concilio Florentino & deinceps non toleratis modò, ſed probatis, ſed imperatis petitum enervat, ſed magis confirmat.

Accedit primò, magiſque illuſtratur doctrina illa dum de ſacramentis in genere tradita. Quanvis materiæ & formæ ſacramentorum ſacris in litteris non expreſſæ, nec à Chriſto Domino in individuo deſignatæ & definitæ non ſint materialiter determinatæ, ſed eam determinationem Eccleſiæ columnæ & firmamento veritatis judicio permiſerit, ut docent Theologi dum de Sacramentis in communi; attamen ſi quæ materia & forma à Chriſto indicata legitur, nulla eam praxis, nulla conſuetudo, nulla authoritas mutare poteſt: ſic quia materiam baptiſmi aquam, materiam Euchariſtiæ panem & vinum eſſe Chriſtus voluit & luculentiſſimè expreſſit, aliâ quavis quocumque tandem modo ſuffectâ materiâ, nunquam Baptiſmus, nunquam Euchariſtia conficietur. Sic quia in forma Baptiſmi nominari perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis Salvator voluit & præcepit, irrita erit omnis forma Baptiſmatis, quæ omiſsâ invocatione & expreſſione nominis trium divinarum Perſonarum, invecta & obtruſa fuerit. In aliis ve-

rò

rò ſacramentis, Confirmatione, Ordine, Pœnitentia varia in diverſis Eccleſiis, diverſis quoque temporibus verba uſurpata circunferuntur, quia numeralem eorum quantitatem veritas non expreſſit. Cæterùm in Euchariſtia Chriſtus multa verba protuliſſe legitur; nam cùm corpus tradidit, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, dixit; & cùm calicem ſacravit, *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur*; vel, *Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*, dixiſſe ſacri Scriptores litteris commendarunt. Ergo ſi omnia verba à Chriſto inter inſtituendam, conficiendamque Euchariſtiam probata eſſent eſſentialia formæ, nullâ poſſent Eccleſiæ poteſtate motari, nullâ praxi, nullâ conſuetudine prætermitti. Ergo è contra ſi eorum aliqua ſupprimantur, ſicut in Eccleſia Latina ſupprimuntur illa, *Quod pro vobis tradetur*; & in Græca iſta, *Novi & æterni Teſtamenti, myſterium fidei*; &c. manifeſtum eſt utramque Eccleſiam credere verba duntaxat hæc, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, vel illis æquivalentia, putà *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe ſola eſſentialia. Maximè quia ut rectè obſervat Arcudius *lib. 3. c. 25. §. Nota quartò*, alia Sacramentorum conficiendorum verba Evangeliſtæ referunt, ut ſunt verba inſtitutionis: at verba Euchariſtiæ produnt ut ſunt inſtitutionis ſimul & conſecrationis. Quando enim Chriſtus præcepit baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, neminem baptizavit; neminem etiam abſolvit à peccatis, cùm dixit, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. At quando dixit, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, & Euchariſtiam inſtituit, & unà ſacravit, juxta illud ſuprà laudati Tertulliani, *Acceptum panem corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo*; & illud Chryſoſtomi homil. 59. in Matth. *Qui dixit, Hoc eſt corpus meum, & verbo factum confirmavit*. Nec illis tantùm verbis Chriſtus elementa ſacravit, ſed à Sacerdotibus etiam conſecranda præcepit, cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*. Non autem hoc facit quod Chriſtus fecit, niſi eadem verba, quibus Chriſtus fecit, ipſe proferat; quandoquidem dicere Chriſti actio eſt, & quidem potiſſima, quam inter illud ſacramentum conſecrandum fecit, cùm dicendo corpus & ſanguinem fecerit; unde ſi verba, quibus Chriſtus ſanguinem ſuum fecit, Græci prætermitterent, quæ Chriſtus fecit non facerent, ſubindeque nihil efficerent. Ergo ſi quid efficiant (efficere autem illos verum Chriſti ſanguinem nemo Catholicus inficiatur) ea proferunt verba, quæ Chriſtus tanquam eſſentialia adhibuit. At Græci ſola hæc verba, *Hic eſt ſanguis meus*, proferunt. Ergo illa ſola ſunt eſſentialia formæ, utpote nulli Eccleſiæ ullius arbitrio vel mutationi obnoxia.

Accedit rurſum, atque ampliùs eadem ratio ad hominem confirmatur. Thomiſtæ qui nobis hac in parte adverſantur, probaturi contra Ægidium Coninchum aquam vino infuſam non converti immediatè in ſanguinem Chriſti, inde præcipuum argumentum depromunt, quod id ſolum in ſanguinem convertitur, quod eſt inſtituta à Chriſto Euchariſtiæ materia, quam ſolam eſſe vinum vitigineum communis ſententia Scripturæ & Traditioni innixa fert. Ægidium verò reſpondentem Chriſtum inſtituiſſe, ut id quod Eccleſia Spiritu ſancto afflata miſceret, idonea eſſet conſecrandi calicis materia, ſic confutant: Quia in deſignandis Sacramentorum materiis Chriſtus nihil Eccleſiæ commiſit, ſed circa illorum duntaxat uſum & adminiſtrationem, dicente Tridentino ſeſſ. 21. cap. 2. *Declarat* (Sancta Synodus) *hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire judicaret.* At materia, inquiunt, & quidem benè, pertinet ad ſubſtantiam ſeu eſſentiam Sacramentorum. Ergo illius deſignatio non eſt commiſſa Eccleſiæ, nec Eccleſiæ liberæ facultati permiſſa, quæ non ad ſacramenta, ſed ad ſacramentalia duntaxat extenditur. Quæ ſanè ratio vel nihil, vel idem pro forma Euchariſtiæ convincit.

Nec obeſt quod Chriſtus pro materia matrimonii illum contractum deſignaverit, quem Eccleſia validum eſſe decreverit: quidni ergo ſimiliter illa eſſentialia calicis conſecrandi verba, quæ Eccleſia Chriſti authoritate freta aſſignaverit. Non obeſt, inquam, quia Chriſtus evehendo matrimonium in Sacramentum, illius materiam eam eſſe duntaxat voluit, quâ verus contractus conſtat; quid autem ad contractum in individuo opus ſit, non ſignificavit: unde Eccleſia contractuum leges & conditiones inſtituens, & novas interdum pro rerum exigentia & ſua ſapientia adjiciens, non materiam à Chriſto inſtitutam mutat, nec facit, ut validus contractus non ſit apta matrimonii celebrandi materia; ſed quid ſit verus contractus, quæve ejus conditiones declarat. At verò materiam & formam Euchariſtiæ ipſe Salvator delegit, ut in illam obſervandam Eccleſia ſub cœlo tota conſpiraret, utque omnium præſtantiſſimum ſacramentum majori fideles veneratione proſequerentur, conſcii Redemptorem ſuum ſacramentum illud, ejuſque ritum & verbis ſuis inſtituiſſe, & peregiſſe, & ita ab omnibus peragendum præcepiſſe. Ergo non licet Eccleſiæ quidquam eſſentiale à Chriſto adhibitum mutare, ſed illud idem religioſè & inviolabiliter retineatur neceſſe eſt.

Mens D. Thomæ ob oculos poſita, & ejus rationis efficacitas.

Probatur demùm noſtra ſententia authoritate & ratione S. Thomæ *quæſt. 73. art. 1. & 3.* Et quanvis mens S. Doctoris nonnihil intellectu difficilis, & quadantenus ſubobſcura videatur, quin S. Doctorem nobis prorſus adverſum dicant quidam recentiores Thomiſtæ; ſi tamen contextus Angelici Præceptoris attentè & accuratè perpendatur, palam erit doctrinam ejus non modò nobis non repugnantem, ſed penitus eſſe favorabilem, noſtræque ſententiæ fundamentum ſolidiſſimum ſanctum ipſum Thomam jeciſſe.

In primis *art. 1.* quærit, utrum hæc ſit forma hujus ſacramenti, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix ſanguinis mei*, nec ullorum ibi aliorum verborum meminit. Reſpondet verò affirmativè; *quia*, inquit, *Forma hujus ſacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit, putà cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, vel Hic eſt calix ſanguinis mei.* Vides S. Thomam perſpicuè ſe explicantem, & noſtram ſententiam inde confirmantem, quod illa eſt vera forma Euchariſtiæ, quæ importat & ſignificat conſecrationem materiæ, quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit. Atqui ſola illa verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificant conſecrationem & tranſubſtantiationem; ſignificant enim ſubſtantiam ſub ſpeciebus panis latentem eſſe corpus Chriſti, ſubſtantiam in calice exiſtentem eſſe ſanguinem Chriſti. Ergo authore S. Thoma & ratione ejus id ſuadente, ſola illa verba conſtituunt formam Euchariſtiæ.

Hinc in reſponſione ad 4. ejuſdem articuli ſic exertè mentem ſuam aperit, ut nullum dubitandi locum reliquerit, ait enim: *Dicendum eſt*, quod ſi Sacerdos ſola prædicta verba proferret (nimirum, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix ſanguinis mei*,) *cum intentione*

intentione conficiendi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramentum. Ergo *ſola illa verba cum intentione conficiendi hoc ſacramentum*, ad perficiendum Euchariſtiæ ſacramentum S. Thomas deſideravit. Unde non eſt hallucinatus noſter Marcus Serra, dum ſcripſit hoc teſtimonium eſſe pro noſtra ſententia manifeſtum, ut quidam carpere faciles, carpi impatientes arbitrati ſunt, qui tantæ lucis vim eo ex teſtimonio emicantem ægrè ferentes dixerunt S. Thomam verbis illis excludere ſolùm verba antecedentia, *Qui pridie quàm pateretur*, non verò ſubſequentia, *Novi & æterni Teſtamenti*. Quia nimirum S. Thomas reſpondens argumento probanti verba illa, *Qui pridie quàm pateretur*, eſſe neceſſaria, ait quod ſola verba illa cum intentione perficiunt ſacramentum: *Quia intentio*, inquit, *faceret ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata, etiamſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur*. Unde, inquiunt, ſola verba præcedentia excludit S. Thomas.

Sed hoc effugium ſua ipſa ſubtilitate evaneſcens abit in fumum; etenim in toto illo articulo primo aſſerit, & ex profeſſo probat Sanctus Thomas, ſola illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſentialem formam continere. Contra hoc objicit ſibi primo loco, ſola illa verba non poſſe formam conſtituere; quia cùm verba illa in perſona Chriſti proferri debeant, ut id ſignificetur, oportet præmitti verba illa, *Qui pridie quàm pateretur*. Ad quod reſpondens in concluſione in corpore ſtabilita conſtanter perſeverans, ait ſola illa verba ſufficere, nec obeſſe quod illa in perſona Chriſti à Sacerdote proferri oporteat, ad quod videntur neceſſaria verba antecedentia; non obeſſe, inquam, quia hoc ſufficienter facit intentio, etiamſi verbis antecedentibus hoc non ſignificetur. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, S. Thomam excludere quidem eò loci à forma Euchariſtiæ verba antecedentia, ſed ea ratione, iiſque verbis, quæ & alia quævis verba ſive comitantia, ſive ſequentia excludunt. Quia, inquit, ad conficiendum Sacramentum ſufficit ad materiam accedere formam cum intentione quæ facit ut Sacerdos agat in perſona Chriſti, etiamſi præcedentia Canonis verba omittantur: *Unde ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc ſacramentum.* Accedit, quod in eadem reſponſione ad 4. ideo verba illa, *qui pridie*, non eſſe de eſſentia formæ ait: *Quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes, nec ſecundùm omnia tempora, ſed diverſa ſunt à diverſis appoſita.* Ex quibus infert ſola verba à nobis adducta eſſe eſſentialia, & quidem conſequenter; nam verba illa & eadem apud omnes ſunt, & ſemper, & ubique fuerunt. Qua ratione tam ſequentia, quàm antecedentia verba apertiſſimè excluſit: Verba enim illa, *Novi & æterni Teſtamenti*, &c. *Nec ſunt eadem apud omnes, nec ſecundùm omnia tempora, ſed diverſa ſunt à diverſis appoſita*, & à multis prætermiſſa, ut ex lectione Liturgiarum, tam antiquarum quàm modernarum omnibus conſtat. Ergo veriſſimè dixit S. Thomas: *Quod ſi Sacerdos ſola illa verba proferret cum intentione conficiendi hoc ſacramentum, perficeretur hoc ſacramentum.*

Major videtur eſſe difficultas in articulo tertio. Sed diligenter conſideranti patebit ibi S. Doctorem noſtram ſententiam aſtruxiſſe. In primis notandus eſt titulus articuli, *Utrum hæc ſit conveniens forma conſecrationis vini, Hic eſt calix ſanguinis mei, novi & æterni Teſtamenti*, &c. Ubi advertendum non inquirere S. Doctorem, utrum hæc ſit eſſentialis forma, vel utrum hæc omnia ad eſſentiam formæ Calicis pertineant; id enim inquiſiverat *art.* 1. & reſponderat ſola illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe eſſentialia, eiſque ſolis perfici ſacramentum. Impræſentiarum ergo quærit, num hoc non obſtante in forma Calicis adhibeantur hæc verba, *Novi & æterni Teſtamenti*, &c. quæ per modum unius formæ Eccleſia Latina ab Apoſtolis inſtructa recitat. Unde convenientiam illorum verborum, non eſſentialem eorum neceſſitatem exponere intendit.

Hoc poſito reſpondet quoſdam abſolutè, & ſine ulla diſtinctione affirmare verba illa nullo modo eſſe de ſubſtantia formæ. *Sed hoc videtur inconveniens*, inquit, *quia ea quæ ſequuntur ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt ſanguinis Chriſti, unde pertinent ad integritatem loqutionis: & propter hoc ſicut alii melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ uſque ad hoc quod poſtea ſequitur, Hæc quotieſcumque feceritis, quod pertinet ad uſum hujus ſacramenti.* Ecce verba quibus potiſſimùm adverſarii confidunt. Sed fruſtra; legitimus enim D. Thomæ ſenſus eſt: Inconveniens eſt dicere abſolutè verba illa nullo modo eſſe de ſubſtantia formæ, cùm ſint explicationes formæ eſſentialis, & cùm illa per modum unius continentis periodi & integræ loquutionis uno & eodem ritu & modo à Sacerdote recitentur. Certè ſicut in ſacramento Pœnitentiæ licèt forma eſſentialiter conſiſtat in illis verbis, *Ego abſolvo te*, ut docet & probat D. Thomas 3. *p. quæſt.* 84. *art.* 3. tamen verba iſta, *à peccatis tuis*, quæ ex uſu Eccleſiæ adduntur, poſſunt dici de ſubſtantia formæ, quia eandem propoſitionem integrant, & quid ly *abſolvo* ſignificet declarant; ita quia verba illa, *Novi & æterni*, &c. per modum unius integræ orationis explicitè appetunt quod verba eſſentialia implicitè tantùm important, meritò de ſubſtantia formæ dici poſſunt, id eſt ingrediuntur integritatem loquutionis, & veluti conſtructionem ejuſdem propoſitionis & enuntiationis.

Hanc eſſe D. Thomæ mentem manifeſtum eſt; tum quia explicans quo ſenſu verba illa ſint de ſubſtantia formæ, ait ideo eſſe, quia *pertinent ad integritatem ejuſdem loqutionis*; quo etiam modo hæc verba, *à peccatis tuis*, pertinent ad integritatem ejuſdem loquutionis Sacerdotis abſolventis; quo ſimiliter modo verba hæc, *Quod pro vobis traditur*, in Eccleſia Græca eodem ritu & modo celebrata dici poſſunt pertinere ad integritatem ejuſdem loquutionis. Tum quia mentem ſuam ſic adhuc apertiùs in eodem corpore articuli S. Thomas interpretatur. *Dicendum ergo, quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ, ſed per prima verba cùm dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei; ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem eo modo quo dictum eſt in forma conſecrationis panis.* His verbis omnem ambiguitatem ſubmovit; ſi enim ſola hæc verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificant converſionem vini in ſanguinem, profectò eam efficiunt, cùm ſacramenta id efficiant quod ſignificant; & ſi eodem modo ſignificant quo forma conſecrationis panis, utique perfectam converſionem ſignificant. Addit tamen convenienter verba ſequentia adjici per modum ejuſdem formæ, ſeu per modum explicationis formæ eſſentialis, quæ cùm ſignificet ſanguinem ut à corpore ſeparatum, convenienter verba ſequentia formam calicis ingrediuntur per modum acceſſorii, ut illis *deſignetur virtus ſanguinis effuſi in Paſſione, quæ operatur in hoc ſacramento*, inquit S. Thomas.

Dices: S. Thomas ibi per ſubſtantiam formæ intelligit eſſentiam formæ; tum quia agens de ſacramentis in genere, *quæſt.* 60. *art.* 8. pro eodem accipit ſubſtantiam & eſſentiam: *Si diminuatur*, inquit, *aliquid eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis, tollitur ſenſus verborum.* Tum quia in eodem ſenſu accipit S. Thomas nomen ſubſtantiæ, cùm ait quoſ-

dam

dam velle verba omnia non eſſe de ſubſtantia, ac cùm addidit alios meliùs dicere omnia eſſe de ſubſtantia formæ. Atqui in prioribus verbis Authores illi nomen ſubſtantiæ pro eſſentia uſurpabant: Ergo & in poſterioribus verbis D. Thomas per ſubſtantiam eſſentiam intellexit, ne æquivocatione laboraſſe videatur.

Reſpondeo ſatis mirum videri, conari nonnullos S. Thomam ipſomet reclamante in alium ſenſum detorquere, & conjecturis ſuadere velle ibi S. Doctorem per ſubſtantiam eſſentiam intellexiſſe, ubi declarat ſe per ſubſtantiam intelligere *integritatem ejuſdem loqutionis*, & majorem explicationem, *ſeu deſignationem virtutis ſanguinis effuſi*; non verò eſſentiam formæ converſionem operantis, quia *per prima verba cùm dicitur, Hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur ipſa converſio vini in ſanguinem, eo modo quo dictum eſt in forma conſecrationis panis.* Quod autem alibi per ſubſtantiam eſſentiam intellexerit, quid inde, vel quid tum? Quaſi nomen ſubſtantiæ non poſſit variè variis in locis accipi, præſertim ſi quo ſenſu accipiatur luculentiſſimè explicetur? Quaſi D. Thomas verba multiplici ſenſu fœta, in eodem ſenſu ubique & ſemper accipere alligatus fuerit? Quaſi D. Thomas in quæſtione illa 60. per ſubſtantiam eſſentiam ſe intelligere non indigitarit, dicens per diminutionem ſubſtantiæ ſe intelligere mutationem, *quâ tollatur debitus ſenſus verborum*; hic verò per ſubſtantiam non aſſeruerit ſe intelligere *integritatem*, & veluti explicationem *ejuſdem loqutionis*? Quod verò dicitur, Authores quos in principio articuli refellit S. Thomas, per ſubſtantiam intellexiſſe eſſentiam, ægrè ni fallor probarent adverſarii, ſi ejuſmodi illorum conjecturæ rationes ſciſcitaremur. Quare eorum Authorum mens non divinando, ſed ex refutatione S. Thomæ dignoſcenda eſt. At S. Thomas non reprehendit eos, quòd vellent ſola verba priora eſſe eſſentialia, ſed quòd nullo modo, nulloque ſenſu ſubſtantiam formæ ingrederentur, ſe haberentque ſicut verba illa, *Hoc quotieſcumque feceritis*, &c. Ergo Authores illi per ſubſtantiam non intelligebant eſſentiam tantùm, ſed quidquid ſubſtantiæ nomine comprehendi aliquâ tandem ratione poteſt, ut magis patet ex his quæ inter expendenda S. Thomæ verba dicta ſunt.

Ex his, quæ in Summa Theologica clarè diſtinctè S. Præceptor docet, explicari facilè poſſunt quæ nobis ex aliis locis objici ſolent. Nam cùm dixit S. Thomas *in 4. diſt. 8. q. 2. art. 4. quæſt.* 1. omnia verba illa eſſe *de forma*, veridicè ſcripſit; ſed an ſint de forma per modum eſſentiæ vel per modum integritatis loqutionis, ſeu explicationis & veluti expanſionis formæ eſſentialis, non ibi, ſed in Summa nobis aperuit. Cùm verò ait ibidem *ad* 3. verba illa eſſe *eſſentialia ſanguini prout in hoc ſacramento conſecratur*, verum eſt; quia explicant eſſentiam ſanguinis ut reverà ſeparati, quam verba eſſentialia implicitè tantùm ſignificant: ſicut ly *à peccatis*, ſunt eſſentialia gratiæ abſolutivæ quæ pœnitentiæ ſacramento impenditur, quam hæc verba. *Ego te abſolvo*, implicitè duntaxat nobis ſignificant. Similiter cùm *lect. 6. in cap.* 11. prioris ad Corinth. ſcripſit omnia verba *eſſe de neceſſitate formæ*, id intelligitur non per modum conſtitutivi formæ, ſed per modum explicationis illius; unde ſubdit ea *pertinere ad ejuſdem loqutionis ſententiam*, ſicut de his verbis, *à peccatis tuis*, dictum eſt, & eodem modo quo diceretur: Petrus eſt homo, ſeu animal rationale. Cùm denique ibidem ait, *Totum pertinere ad vim effectivam*, vel per modum eſſentiæ efficientis, vel per modum explicationis rei quæ efficitur, veriſſimum eſt, ut in Summa S. Doctor ſui interpres expoſuit.

Sed inquies: Quid ergo cauſæ eſt, quod B. Pius V. ſummus Pontifex non ita pridem in Beatorum numerum à Clemente X. relatus illam Cajetani commentariorum partem, in qua noſtram ſententiam tuebatur, expungi juſſit?

Reſpondeo varias afferri à variis hujus Pontificii præcepti cauſas, quarum meminit Iſambertus. Primò aiunt Pontificem non Cajetani ſententiam reprobaſſe, ſed prudenter ſtatuiſſe diſcipuli & interpretis S. Thomæ, tanti Magiſtri ſententiam non ſatis honorificè, nec ea quâ par erat reverentiâ tractantis, commentaria textui, quem elucidare debuerant, contraria eſſe delenda. Secundò & veriùs dici poteſt, meritò obliterari illam Cajetani commentariorum partem debuiſſe, quia germanam D. Thomæ mentem non attigerat vir alioquin ingenioſiſſimus & eruditiſſimus Cajetanus ad purpuram jam aſſumptus, ſubindeque ſui juris factus & propriis opinationibus plus æquo indulgens. Etenim S. Thomam arbitratus eſt exiſtimare omnia verba illa eſſe formæ calicis conſecrandi eſſentialia, quibuſdam articuli tertii verbis ab aliorum contextu divulſis deceptus. Et tamen veritas eſt S. Doctorem totam Calicis conſecrandi formæ eſſentiam in illis duntaxat verbis, *Hic eſt ſanguis meus*. conſtituiſſe, cætera ad majorem expreſſionem, & formæ eſſentialis declarationem idonea & congrua declaraſſe.

Ratio fundamentalis hujus noſtræ reſponſionis non eſt alia præter eam, quæ à S. Thoma poſita eſt, & ad hanc formam reducitur: Forma ſacramentorum eſſentialis ea eſt, quâ illud ſignificatur quod in ſacramento efficitur: atqui hæc una verba, *Hic eſt ſanguis meus*, vel *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificant converſionem vini in ſanguinem, ſubindeque eam efficiunt; non enim minùs ſignificant iſta, *Hic eſt ſanguis meus*, quàm hæc *Hoc eſt corpus meum*, ut benè argumentatur S. Thomas. Ergo ſola illa verba ſunt eſſentialia. Hanc rationem tangit Concilium Trident. *ſeſſ. 13. cap.* 4. ubi probat fieri in Euchariſtia converſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem ejus, quia verbis ſuis Chriſtus ſignificavit hoc quod offerebat eſſe corpus & ſanguinem ſuum: Ergo illa tantùm verba quæ hoc ſignificant, ſunt converſiva & conſecrativa, cùm idem ſit convertere panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, & Euchariſtiam conſecrare. Atqui verba converſiva & conſecrativa ſunt eſſentialis hujus ſacramenti forma, cùm ſacramentum ſola conſecratione fiat. Ergo ſola præfata verba ſunt eſſentialis Calicis conſecrandi forma, cùm ex vi illorum etiam non prolatis aliis ſignificetur converſio vini in ſanguinem Chriſti, proindeque converſio illa efficiatur. Dicere verò verba illa non ſignificare converſionem illam niſi dependenter à verbis ſequentibus, probabilitate caret; tum quia non minùs ſunt ſignificativa verba hæc, *Hic eſt ſanguis meus*, quàm iſta, *Hoc eſt corpus meum*, & ſicut ſignificatio iſtorum non pendet à verbis quæ Chriſtus adjecit, dũ dixit, *Quod pro vobis tradetur*; nec illa ab iſtis, *Qui pro vobis effundetur*. Quia nimirum utraque non addidit Chriſtus tanquam formæ eſſentialia, ſed ut diſcipulos & fideles omnes de quo corpore, de quo ve ſanguine loqueretur efficeret certiores. Tum quia verbis illis, *Hic eſt ſanguis meus*, continetur aliqua propoſitio perfecta ſignificans aliquam veritatem. At non aliam ſignificat, quàm quod in calice ſit ſanguis Salvatoris, cùm ex illis verbis Eccleſia in ſacro Tridentino congregata colligat veram dari & ſubſtantialem vini in ſanguinem Chriſti converſionem. Ergo ſola illa verba, *Hic eſt ſanguis meus*, ſig-

nificant ſanguinem Chriſti ibi adeſſe, etiam antequam verba cætera proferantur, alioquin falſum enuntiarent; aſſererent quippe adeſſe ſanguinem qui nondum foret; ex eo autem quod res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa. Quia nimirum omnis oratio vera objectum ſuum vel ſupponit, ſi ſpeculativa ſit; vel certè efficit, ſi practica & factiva exiſtit. Præſertim cùm verba Sacramentorum ſint agentia neceſſaria, quæ à Miniſtro quidem applicari debent, ſed ſemel prolata & applicata non poſſunt quod ſignificant non efficere.

Nec valet ſi reſpondeas quod ſicut verba iſta, *Ego te baptizo*, licèt grammaticè effectum ſacramenti Baptiſmi ſignificent, verba tamen ſequentia, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ſunt eſſentialia, quibus nondum prolatis, nondum etiam producitur effectus ſacramenti, quantumvis in prioribus verbis ſignificatus.

Non, inquam, valet: tum quia verbis iſtis, *Ego te baptizo*, non ita perſpicuè effectus Baptiſmi ſignificatur, quin ad alia multa ſignificanda deduci poſſint, verba enim illa de ſe ad varias ablutiones ſignificandas indifferentia, ad ablutionem internam à gratia ſanctificante, quæ ſanctiſſimæ Trinitatis expreſſio eſt & attractiu, proficiſcentem deſignandam determinantur. At verò verba hæc, *Hic eſt ſanguis meus, Hic eſt calix ſanguinis mei*, perſpicuè converſionem vini in ſanguinem Chriſti ſignificant, non minùs quàm iſta, *Hoc eſt corpus meum*, converſionem panis in corpus Salvatoris. Tum quia in deſignandis Sacramentorum eſſentialibus formis Eccleſiæ judicio, uſibus, & conſuetudinibus probatis ſtandum eſt. Cùm ergo in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis expreſſa ſanctæ Trinitatis invocatio ad formam Baptiſmi eſſentialiter deſideretur, relinquitur verba illa, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, ad eſſentialem baptiſmatis formam pertinere. At contrà verò in multis Eccleſiis, quin & in toto Oriente omnia illa verba inter conſecrandum calicem non adhibentur; & qui non adhibent minimè reprehenduntur: ſignum ergo eſt omnia illa non eſſe formæ eſſentialia.

Dices: Omnia illa verba eodem ritu & modo profert Sacerdos calicem in manu tenens, antequam ſanguis populo adorandus proponatur. Quin verba illa adeo neceſſaria arbitratur Latina Eccleſia, ut in Miſſalis rubricis præcipiatur, repetendam ex integro eſſe formam, ſi aliqua verborum illorum prætermitti contigerit. Ex quibus ſic ratio inſtauratur: Si omnia verba illa ad eſſentiam formæ non pertinerent, poſſent ſalvâ Sacramenti eſſentiâ prætermitti, cum per priora verba converſionem vini in ſanguinem efficientia peractum Sacramentum ſupponatur. Atqui Eccleſia Latina aliquod verborum illorum prætermitti ſtrictiſſimè vetat; & in caſu quo prætermiſſum fuerit, repeti iteratò formam præcipit; cùm tamen Sacramentorum formas ſuper eandem repetere materiam nefas ſit. Ergo cenſet Eccleſia Latina omnia verba illa eſſe eſſentialia.

Reſpondeo eodem argumento probaturum Theologum Græcum verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, eſſe panis conſecrandi formæ eſſentialia, cùm ea Græcus Sacerdos eodem ritu & modo proferat, ut ex Græcorum Liturgiis quæ habentur tomo 6. Bibliothecæ Patrum editionis Pariſienſis patet. Nec poſſet ei reſponderi, ideò verba illa non eſſe eſſentialia, quia ab Eccleſia Latina prætermittuntur: non, inquam, id ei reſponderi poſſet; ſtatim namque reponeret quod nobis reſpondent adverſarii, Chriſtum non inſtituiſſe ſpecificas & individuales Sacramentorum formas, ſeu materialem eorum tenorem, ſed totum quoad hoc Eccleſiæ authoritati permiſiſſe: & quia Eccleſia Græca verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, Scripturæ & Patrum liturgiis innixa adhibenda decrevit, verba illa erunt eſſentialia, tametſi à Latinis non uſurpata, ſi vera ſit adverſariorum doctrina, de qua ſuperiùs actum eſt.

Dicendum ergo omnia verba illa eodem ritu & modo à Sacerdote proferri, quia ſunt formæ eſſentialis explicatio & declaratio, atque integram & adæquatam propoſitionem determinando præcipuum prædicatum componunt: ſicut in forma Pœnitentiæ omnia verba hæc, *Ego te abſolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, à Sacerdote eodem ritu & modo proferuntur, licèt non omnia peræquè ad eſſentiam pertineant. Cùm verò dicitur interdicere Eccleſiam, ne verba ex illis ulla prætermittantur, probat quidem neceſſitatem præcepti, at non neceſſitatem Sacramenti tamen. Quod verò additur, Eccleſiam in caſu omiſſionis alicujus particulæ formæ illius, totam ex integro repeti velle, ſolicitudinem & cautelam Eccleſiæ in Sacramentis conficiendis ſecuriora ſectantis oſtendit; cùm enim omnia verba illa ad eſſentiam deſiderari multi Doctores teneant, illa præſertim, quæ effuſionem ſanguinis ſignificant; & aliunde in poſſeſſione illius formæ Eccleſia ſit, eam retinere, & omiſſam inſtaurare prudentiſſimè ſtudet, ut in re omnium maxima, centro nimirum Religionis & pietatis Euchariſtiâ nullum prorſus dubium ſuperſit. Cùm verò verba ex integro repetuntur, poſtquam illa ſemel prolata ſunt, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, tunc non ſunt conſecratoria, cùm conſecrationem ſupponant, ſed ſunt explicativa & declarativa proprietatum ſanguinis Chriſti fuſi, & velut ſacer formæ commentarius à traditione conſecratus.

Inſtabis: Euchariſtia non ſolùm eſt Sacramentum, ſed etiam ſacrificium: Ergo utrumque debet exprimi per formam; formas enim Sacramentorum ipſorum exprimere naturam effectuſve oportet. At nequit verbis exprimi ſacrificium, niſi fiat fuſi ſanguinis mentio, ſicut nec reapſe fit ſacrificium ſanguine non fuſo. Ergo ſaltem verba illa, quæ Chriſti ſanguinis effuſionem ſignificant, non poſſunt ad eſſentiam formæ non pertinere.

Reſpondeo certum eſſe verba quæ ſanguinis effuſionem ſignificant, longè magis cenſeri neceſſaria quàm iſta, *Æterni, Myſterium fidei*; unde in omnibus fermè Liturgiis quas legere potui, fuſi vel fundendi ſanguinis mentio expreſſa ſit. Sed non propterea eſſentialia eſſe argumentum convincit. Quanvis enim Euchariſtia ſit ſacramentum & ſimul ſacrificium, tamen utrumque eſſentialiter ſignificant verba hæc, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*. Cùm enim ſignificent corpus myſticè ſeparatum à ſanguine, imò & ſignificando illud myſticè ſeparent, ſacrificium & ſignificant, & ſignificando peragunt, & adorandam victimam Deo immolant.

Multa circa efficacitatem, ſignificationem, inſtans productionis verborum formæ inquiri ſolent; ſed hæc aliaque ſubtilia magis quàm utilia ex ſuperiùs dictis dum de tranſubſtantiatione agebamus, ſatis ſuperque elucidata manent.

REFLEXIO.

In materia Euchariſtiæ Chriſti aditu & congreſſu facilis, ſuaviſſimam comitatem, & beatiſſimam copiam mirati ſumus; in forma ejuſdem Chriſti voluntariam obedientiam, quæ attentos rapit, contemplari & imitari eſt. Micant fateor, & certatim in hoc diviniſſimo Sacramento virtutes tuæ collucent, ô Domine Jeſu; unde illud Davidicum meritò uſurpare licet: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Et iterum: *Altaria tua Domine virtutum,*

Rex

Rex meus, & Deus meus. Quia nimirum in Sacramento tuo feciſti ſpeculum animæ meæ, in quo ſplendentes omnes virtutes tuæ ſe conſpicuas & imitandas præbent, ut ſine timore de manu inimicorum meorum liberatus ſerviam tibi in ſanctitate & juſtitia coram te omnibus diebus vitæ meæ. Verùm enim ita in eo rutilat virtus obedientiæ, ut ſola tenere palmam, ſola eminere videatur. Ad cujus claritatem

Conſiderandum eſt primùm, totum univerſi decorem in ordine à Deo præſtituto, & partium illius harmonia & conſonantia ſitum eſſe. Porrò ordo ille, in cujus tranquillitate pax orbis tota, authore Auguſtino conſiſtit, rerum invicem concatenatarum obedientia continetur, quâ inferiora ſuperioribus, infimæ cauſæ mediis, mediæ ſupremis jugiter ſupponuntur. Hinc tam innato odio à vacuo natura abhorret, quo nimirum cauſarum influxu & inferiorum à ſuperioribus dependentiâ diſſolutis, univerſitatis unitas in illa connexione & naturali obedientia conſiſtens interturbaretur, omniaque proinde ſurſdeque miſcerentur. Creaturæ omnes & ſingulæ, ut docet D. Thomas 1.2. *quæſt. 93. art. 2.* à ſuperioribus, & à prima omnium cauſa Deo motuum ſuorum principia perenniter accipiunt, quæ ſunt veluti æternæ legis derivati radii & expreſſiones, juxta illud Pſalmographi: *Præceptum poſuit, & non præteribit.*

Conſiderandum rurſus in ſolis creaturis ratione præditis veram obedientiam inveniri, quæ Deo dum obſequuntur, ultimam naturæ ſuæ perfectionem conſequuntur; ſervire enim Deo regnare eſt. Hinc Angeli, creaturarum nobiliſſimi, toti ad obedientiam nati, toti comparati, & veluti efficti ſunt. Omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus, atque ut Paul. *Hebr. 2.* poſt Davidem teſtatur, *Facit Deus Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem,* ſeu *flammam ignis*: quia nec celeriùs rapiuntur venti, nec ignis in centrum vehementiùs cietur, quàm beati illi Spiritus ad exequenda ſupremi Domini mandata feruntur. Solus Deus per quem Reges regnant, utpote ab omnibus independens, ab obedientiæ legibus immunis eſt. Tot tamen & tantæ ſunt hujus virtutis venuſtates & gratiæ, ut Dei filius cùm intra Deum obtemperare non poſſet, qui Patri æqualis eſt, humanam ſibi aſſumere decrevit infirmitatem, obedire ut poſſet, dicente Apoſtolo Hebr. 5. *Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit obedientiam.* Tota Redemptoris vitæ ſeries perpetua obedientiæ exercitatio fuit. Prima Incarnati Verbi cogitatio obedientia fuit: *Ecce venio, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Ultimum ejus ſuſpirium obedientia; fuit enim obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, & ut ait Bernardus, *ne perderet obedientiam, perdidit vitam.* Moriens quoque inclinat caput, ut obſervat Cyprianus, quaſi ponens ſuper caput Patris mandatum.

Quia Euchariſtia eſt Incarnationis extenſio, & paſſionis jugis memoria & viva imago, obedientiæ etiam eſt perpetua expreſſio. Generalis eſt illa obedientia; etenim Patri obſequitur, cui ſe perenni ſacrificio immolat. Sacerdotibus obtemperat, ad quorum nutum ſe ſiſtit, & momento præſentem exhibet. Utrinque ſtupor, ut phraſi Bernardi utar; utrinque miraculum; & quod creatura Deo principetur, ſublimitas ſine ſocio; & quod Creator creaturæ obſequatur, obedientia ſine exemplo. Infinitam omnipotentiſſimæ virtutis ſuæ poteſtatem, cùm è nihilo cuncta condidit, demonſtravit: at nihilo minus infinitam obedientiæ humilitatem oſtendit, dum à Sacerdote toties Chriſtus producitur, quoties divinum Sacramentum conficitur. Beneficium Incarnationis extollit Joannes, quòd per illud dedit Pater nobis poteſtatem filios Dei fieri: quid autem mirabilius, an accipere poteſtatem filios Dei fieri, an habere poteſtatem corpus Filii Dei facere? Magnificat Scriptura collatam Joſuë poteſtatem, quòd Solis curſum ſiſtere, & Deo Solis conditori & rectori meruerit imperare. *Stetit itaque Sol,* inquit ſacer Textus Joſuë 10. *& non feſtinavit occumbere: non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* At Sacerdotes non Solem corporeum, ſed Solem juſtitiæ: non per unum diem, ſed à ſexdecim ſæculis ſiſtunt, & apud nos præſentiâ ejus & deliciis fruituros retinent. Sol, aiebat Seneca, ſpectatorem non habet, niſi cùm occidit. Ejus miramur eclipſim cujus ſplendorem non ſuſpicimus. Sol juſtitiæ in hoc Sacramento quotidie myſticè moritur, quotidie morientis formam induit, quotidie ſub ſpecierum velo eclipſim & veluti luminis ſui defectionem, certè occultationem præ obedientiæ amore patitur; & nemo miratur, quia tantum prodigium nobis aſſiduitate viluſcit. Præclarè Chryſoſtomus *hom. 27. in epiſt. ad Hebr.* expendens Joſuë divinitus collatam poteſtatem Solem in medio cœlo cohibentem: *Fortaſſe,* inquit, *unuſquiſque veſtrum vellet eſſe hujuſmodi, poſſe imperare ſoli & lunæ: ſed his majora aſſequemur, ſi velimus. Quid mihi opus eſt Sole & Luna, & his miraculis? Cùm ipſe omnium Dominus ad me deſcendat, & apud me firmus maneat & ſtabilis.*

Nec Sacerdotibus ſolùm, ſed cæteris etiam omnibus obſequitur obedientiſſimus Jeſus. Impiorum etiam conculcationibus ſe ſupponit; unde omnibus charitate & voluntariâ obedientiâ inferior. *Calcari enim non poteſt,* inquit Auguſtinus lib. 7. de ſerm. Domini in monte, cap. 10. *niſi inferior.* Et D. Thomas in cap. 1. ad Hebr. lect. 6. *Illud dicitur perfectè ſubjectum alicui, quod ipſe poteſt pedibus conculcare.* Hinc Scriptura ſignificatura omnia Chriſto eſſe ſubjicienda: *Ponam,* inquit, *inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ.*

Et quaſi parum eſſet omnibus hominibus obedire, illis in omnibus, & per omnia obſequitur Chriſtus, nedum generali, ſed cæcâ etiam obedientiâ. Omnibus ſui copiam facit Chriſtus, nec cauſas requirit: ad infirmos ſe deferri, per plateas circumgeſtari, indignis quoque ſe porrigi ſinit; quia ſepulto propriæ voluntatis arbitrio, ad hoc ſe uſque ad conſummationem ſæculi reliquit, ut aliorum ſe permitteret voluntati. Duas obedientiæ cæcæ dotes Patres ſpiritales commendant: nam non vultum, ſed poteſtatem reſpicit imperantis, nec præcepti rationes diſquirit, Chriſtus non Sacerdotis conſecrantis vultum, aut animæ ſive fœdum, ſive pulchrum, ſive ſordentem peccatis, ſive ſplendentem virtutibus conſiderat; ſolius poteſtatis rationem habet, ut prolatis ab ipſo verbis ſine mora adſit. Motiva etiam conſecrantis non diſcutit ut veniat, ſive ſacrilega, ſive ſacra intentio ſit; ſive Dei gloriam, ut decet; ſive propriam, & turpe lucrum, ut fieri ſæpe & nimiùm aſſolet, inquirat, perinde eſt: obedire ſine diſcretione vult, & iniquis ſe ſubjicit voluntatibus, ut ſuperbus homo juſtis amet obedire præceptis.

Denique quod me ſtupore defigit, promptitudo eſt obedientiæ: momẽto exequitur Dominus ſervi voluntatem, & ut adventum ſuum nullâ tardatione remoretur, ingentia in inſtanti miracula patrat, innumeriſque ſimul locis adeſt, ulla ne ſit verba prolata inter & ſui præſentiam intercapedo. Verus obediens, uti libro de præcepto & diſpenſatione docet Bernardus, parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. En genuinam

Google

nam Chriſti in Euchariſtia obedientis imaginem, ubi totum ſe noſtris devovet voluntatibus. Planè aures ejus in preces noſtras inclinatæ ſunt, qui Sacerdotum nutibus regitur, & beneplaciti eorum expectatione totus ſuſpenſus hæret & pendet.

Si tam grata eſt & accepta Chriſto obedientia, ut eâ alligari omnipotentiam ſuam ſinat, qui nullo vinculo aſtringi poteſt, ut ejus amore ineſcatus Chriſtus, & magnitudinem naturalem ſeponat ad exiguum ſpatium contractus, & civilem exuat totus in noſtros uſus expenſus, & ſacrilegiis etiam impiorum ſuppoſitus: nunne Deo Regi Regum, veroque omnium Domino ſubjecta erit anima mea? Quâ fronte tam juſtum imperium detrectabit vilis creatura, poſteaquam tam iniquo ſe Deus majeſtatis ſubjecit? Non quatuordecim duntaxat annos, ſicut olim Jacob ſponſam obedientiâ lucraturus; ſed à ſexcentis ſupra mille annis nobis deſervire non deſinit amator cordis noſtri, & videntur ei dies pauci præ amoris magnitudine, & nondum eum de cordibus noſtris triumphare ſinimus, & poſt tantos tanti tamque ſolliciti amoris impulſus repulſam patitur & contemptionem? Teneræ militiæ eſt, aiebat Chryſologus, & delicati conflictus amore certare, amore referre victoriam: & tamen ô cordis humani ſuper adamantem duri rigorem! tantæ teneritudini, tantis infiniti amoris blanditiis non cedimus? Nonne talem rebellionem talis confundit obedientia? Chriſtus quidquid ſuarum virtutum eſt ad utilitates & compendia noſtra refert; & nos, cujus noſtrum nihil eſt, Deo denegamus?

Dignum ſanè & juſtum eſt, Domine Jeſu, ut ſicut authore Apoſtolo præmium obedientiæ fuit exaltatio, & nominis tui ſuper omne nomen celebrati gloria, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœleſtiũ, terreſtrium & infernorum; ita ob tantam quam in Euchariſtia obedientiam præſtas, de omnibus glorioſè cordibus triumphes. Ergo Rex eſto noſter, & dominare in medio inimicorum tuorum. Adveniat, quæſo, regnum tuum; regnum, inquam, quod intra nos ſit, quodve non eſt eſca & potus, ſed gaudium & pax in Spiritu ſancto. Regnum, inquam, cui qui ſervit, liber & Rex efficitur: à quo qui ſe ſummovet, & quam habet amittit, & in deteriorem quam aſſequatur incidit ſervitutem. Nam alia ſarcina pondus habet; ſarcina tua pennas habet, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve: & quod de Patre filii prodigi in collum occurrentis nati incidente ſcripſit Chryſologus, in te per Euchariſtiam in nos incurrentem verius cadit; *Impatur iſtius Patris onere filius, non gravatur.*

Specvlatio. III.

Modus quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit, paucis quæſitis exponitur.

EX formæ Euchariſtiæ ſuperiori ſpeculatione ſtabilitæ veritate, & realis Chriſti corporis, ſanguiniſque præſentia, materiæ tranſubſtantiatio ſeu tranſelementatio ſponte ſua conſequitur: ſed cùm forma panis ſolius corporis, forma vini conſecrandi ſolius ſanguinis mentionem faciat, reſtat, & ſtatim ſe offert inquirendus modus, quo Chriſtus ſub remanentibus utriuſque elementi ſpeciebus, ſeu accidentibus exiſtit.

Quæres 1. quid vi verborum, quid concomitanter ſub utraque ſpecie contineatur?

Reſpondeo ex vi verborum formæ corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, ſanguinem ſub ſpeciebus vini contineri; cætera verò omnia non niſi per concomitantiam hoc in ſacramento inveniri.

Ratio totius reſponſionis eſt: Illa ex vi formæ verborum in hoc ſacramento per ſe ponuntur, quibus poſitis veritas formæ conſiſtit; illa verò concomitanter adeſſe dicuntur, quæ verbis non exprimuntur quidem; illi tamen quod exprimitur ita conjunguntur, ut ſine illis quod exprimitur, eſſe naturaliter non poſſit. Atqui verbis conſecrationis panis unum Chriſti corpus exprimitur; verbis verò conſecrationis vini ſolius ſanguinis mentio fit. Ergo ex vi verborum ſolum ſub ſpeciebus panis corpus, ſolus ſub ſpeciebus vini ſanguis continetur. Veruntamen quia corpus Chriſti exſangue non eſt, ſed vivum & animatum, & in Verbo ſubſiſtens, corporis præſentiam & ſanguis, & anima rationalis, & perſona Verbi, & ipſa divinitas naturali connexione concomitantur: quod de ſanguine peræquè certum eſt, cùm à corpore, vel à Verbo divulſum non ſit: Ergo quidquid in Chriſto eſt per concomitantiam in Euchariſtia realiter adeſt, juxta illud in Eccleſia celebratum: *Caro cibus, ſanguis potus; manet tamen Chriſtus totus ſub utraque ſpecie.*

Hanc doctrinam definivit ex profeſſo Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 3.* his verbis: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis & vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypoſtaticam unionem; quapropter veriſſimum eſt tantumdem ſub alterutra ſpecie atque ſub utraque contineri, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte; totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.* Quod & *can. 3.* necnon *ſeſſ. 21. cap. 3.* ſancta Synodus inculcat. Idque antea definiverat Concilium Conſtantienſe *ſeſſ. 17.*

Irrident, ſcio, vel etiam hanc doctrinam conviciantur moderni hæretici, errorum tenebris & capitali quo in Eccleſiam feruntur odio occæcati. Lutherus quidem hac in parte varius & parum ſibi conſtans fuit, poſtquam enim in aſſertione articuli 16. & in reſponſione ad ſchedulam inhibitionis Epiſcopi Miſnenſis, necnon ſuo ad Waldenſes libro dixit totum Chriſtum ſub utraque ſpecie exiſtere & accipi, in informatione tamen ad quemdam amicum ſcribit, Chriſti corpus non ſanguinem ſub pane, & ſanguinem non corpus ſub vino contineri. E diſcipulis verò ejus Philippus Melancthon in apologia, Kemnitius in examine decreti de communione ſub utraque ſpecie, & Brentius in Confeſſione Wittembergenſi Chriſtum vivum, ſubindeque ſub utraque ſpecie totum & integrum adeſſe fatentur. Attamen Hileſmanus *libro de ſexcentis erroribus Pontificiorum*, & Illyricus, necnon Hermanus Hamelmanus *lib. de communione ſub utraque ſpecie*, totum Chriſtum ſub utraque ſpecie contineri inficiantur, & concomitantiam à Catholicis aſſertam, diabolicum inventum eſſe blaſphemant. Calvinus verò *lib. 4. inſtitutionis, cap. 17. §. 4.* doctrinam de cõcomitantia animi laxis habenis laſcivientis & ferocientis audaciam vir poſt hominũ memoriam impudentiſſimus appellat. Sed Scripturâ, ad quam ſolam provocant hæretici, profligantur: Cùm enim Chriſtus *Joan. 6.* perſpicuè dicat, *Qui manducat me, vivet propter me*, totum ſe in Euchariſtia manducari apertiſſimè declarat. Neque enim aliter ſe Chriſtus edendũ porrigit, quàm juxta conditionem & ſtatum quem nunc habet, ſubindeq; corpus vivum, animatum, & Verbo hypoſtaticè unitum tradit. Nec proptereа duæ ſeorſim conſecrationes fiunt, tũ quia ſic paſſio Chriſti melius repræſentatur, in qua ſanguis è corpore

Serva-

Digitized by Google

Servatoris fuit ſejonctus. Tum quia inſtructi divinis convivii ratio apertiùs ſignificatur, in quo anima Chriſto commenſalis carne paſcitur, ſanguine potatur, ſi verè tamen, ut par eſt, juſtitiam eſuriat & ſitiat.

Porrò per corpus, quod per ſe directè, & vi verborum ſub ſpeciebus panis poni diximus, non eſt intelligenda materia affecta quantitate, vel formâ corporeitatis, aliiſque partialibus formis inſtructa; quia corpus juxta principia Philoſophiæ noſtræ per illa non conſtituitur; ſed intelligenda eſt materia informata animâ, quatenus dat gradum corporeum, unde directè caro, oſſa, & alia ad corporis organici integritatem pertinentia adſunt. Neque hinc inferre licet, animam vi verborum ſub ſpecie panis contineri: non, inquam, id inferas; quia anima prout dat eſſe vivum & animatum, vi verborum formaliter non adeſt. Cujus ſignum luculentum eſt, quod ſi in triduo mortis Chriſti fuiſſet hoc ſacramentum celebratum, non fuiſſet ſub ſpeciebus panis anima ſive vi verborum, ſive naturali concomitantiâ præſens; & tamen ibi corpus adeſſet idem, non identitate formæ ſubſtantialis, ſed identitate ſuppoſiti eandem exiſtentiam & ſubſtantiam habentis. Cæterùm quomodo corpus importet formam ſubſtantialem, quæ dat eſſe corporeum, dependet ex quæſtione philoſophica de forma corporeitatis; unde juxta ſuæ Philoſophiæ principia facilè quiſque reſpondere poterit.

Dices 1. Vi verborum ponitur corpus cum omnibus partibus ipſius integralibus. Ergo una cum corpore neceſſariò & directè ponitur principium diviſionis & diſtinctionis partium, quod eſt quantitas, quæ ſubinde vi verborum ſub ſpeciebus panis invenitur.

Reſpondeo vi verborum non poni partes in ratione partium, ſed ſecundùm rationem ſubſtantiæ; unde & actio converſiva tranſubſtantiatio dicitur. Quare non adeſt quantitas niſi concomitanter, quia eſt proprietas conjuncta corpori & coæva materiæ, quæ vi verborum adeſt. Ex quibus etiam Durandi opinio confutata manet, qui corpus Chriſti ſuâ orbum quantitate in Euchariſtia contineri arbitratus eſt, falſo ſuo principio nixus de eſſentia quantitatis, quam in extenſione locali & actuali impenetrabilitate ſitam eſſe putavit. Sed præter ea quæ contra ipſum Philoſophi urgent, ſtat ratio invicta à doctrina Eccleſiæ petita, quæ totum Chriſtum, non mancum aut mutilatum, nec confuſum aut diſtinctum Euchariſtiæ realiter adeſſe confitetur.

Quæres 2. Vtrum Pater & Filius per concomitantiam in Euchariſtia præſentes ſpeciali aliqua ratione ſint?

Reſpondeo negativè, contra Suarem & Vaſquem: tum quia Tridentinum loco citato ea diligenter enumerans quæ in hoc ſacramento vel formaliter, vel concomitanter habentur, nullam aliarum à Filio Trinitatis perſonarum mentionem facit, non prætermiſſurum ſi ſpeciali aliquo titulo ineſſent. Tum quia quando hoc ſacramentum ſumimus vel offerimus ſacrificium, Patrem & Spiritum ſanctum ſacramentaliter ſumere, vel immolare nequaquam dicimur. Tum quia ideo Tridentinum divinitatem concomitanter adeſſe ait, quia corpori eſt hypoſtaticè unita. Patet autem nec Patrem, nec Spiritum ſanctum corpori eſſe perſonaliter unitam.

Nec obeſt perſonarum omnium cum divinitate unio & identitas, quia ſicut hæc identitas non facit Patrem vel Spiritum ſanctum eſſe etiam concomitanter incarnatos; ita nec facit in Euchariſtia concomitanter inveniri. Quia nimirum ut aliquid per concomitantiam in ſacramento Euchariſtiæ inſit, opus eſt ut realiter unitum ſit corpori vel ſanguini, quæ verborum vi in Euchariſtia continentur; cùm id ſolùm concomitanter adeſſe cenſeatur, ſine quo id quod verbis formæ exprimitur, integrum eſſe non poteſt.

Non eſt tamen inficiandum, totam Trinitatem ſpeciali quadam ratione, tametſi non ſacramentali, hocce in ſacramento præſentem eſſe; quia nimirum ſingularem ſpecialiſſimæ erga nos charitatis effectum operatur. Præſertim quia cùm hoc ſacramentum divini ſit centrum amoris, & ineffabilis clementiæ thronus, ibi adſit oportet Spiritus ſanctus amor perſonalis, cui omnes amoris profuſiones ſpecialiter attribuuntur. Ibi etiam miſericordiarum Pater & Deus totius conſolationis adeſt, è cujus ſinu pietatis & benignitatis fluenta Filius jugiter in nos derivaturus hauriat; quia ut ait Bernardus ſerm. 43. in Cant. *Accubitus Regis ſinus eſt Patris, quia ſemper in Patre Filius eſt. Nec dubites hunc Regem eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paternæ benignitatis diverſorium.*

Quæres 3. Quomodo Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtat?

Reſpondeo Chriſtum eſſe in Euchariſtia realiter præſentem per modum aliquem ſupernaturalem & ſubſtantialem. Ratio eſt, quia certum eſt Chriſtum in Euchariſtia modum aliquem realem præſentiæ obtinere, qui eidem in cœlo exiſtenti minimè competit, quo in multis ſimul Altaribus realiter & indiviſibiliter exiſtit, quove alio modo ſe habet; quod ſine mutatione aliqua, ſive novi modi receptione, quem antea non habebat, eſſe non poteſt. Atqui modus ille ſupernaturalis eſt & ſubſtantialis. Supernaturalis quidem, cùm omnem naturæ exigentiam, omnes cauſarum naturalium facultates & vires excedat. Subſtantialis verò, cùm beneficio illius Chriſtus ſit in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ, juxta illud D. Thom. q. 76. art. 5. *Corpus Chriſti non eſt in hoc ſacramento ſicut in loco, ſed per modum ſubſtantiæ, eo ſcilicet modo quo ſubſtantia continetur à dimenſionibus: ſuccedit enim ſubſtantia corporis Chriſti in hoc ſacramento ſubſtantiæ panis; unde ſicut ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus localiter, ſed per modum ſubſtantiæ, ita nec ſubſtantia corporis Chriſti.* Et hac de cauſa ſicut tota ratio ſubſtantiæ in toto continuo, & in totis ejus partibus invenitur; ita corpus Chriſti totum in tota hoſtia, totum in ſingulis ejus partibus realiter exiſtit. Atqui modus exiſtendi ſubſtantiæ eximius ſubſtantialis eſt, non accidentalis, cùm ſit rei exiſtenti conſentaneus, & omnia accidentia ſaltem ordine naturæ antecedat. Ergo Chriſtus eſt in Euchariſtia realiter præſens ratione ſuperadditi alicujus modi ſupernaturalis & ſubſtantialis, quo Chriſti corporis ſubſtantia afficitur, & modum exiſtendi ſubſtantiæ imitatur. Ex quibus

Sequitur 1. modum præſentiæ Chriſti in Euchariſtia non eſſe meram relationem propinquitatis ejus ad ſpecies; nec actionem Chriſti conſervantis ſpecies ſine ſubjecto, eo ferè modo quo præſentia Angelorum ab ipſorum actione proficiſcitur; nec modum aliquem ubicationis, uti Suares & alii quidã exiſtimarunt. Non eſt quidem relatio, quia hæc ſupponit fundamentum unde reſultet, quod explicandum ſupereſt; ſupponit enim relatio propinquitatis præſentiam, non facit. Non eſt etiam actio conſervativa ſpecierum, quæ ſpecies afficit, non Chriſtũ; unde modũ indiviſibiliter exiſtendi formaliter non confert. Non negaverim tamen Chriſtum ad conſervationem ſpecierum ſine ſubjecto exiſtentium concurrere: tum quia miraculoſi effectus om-

nes Chriſto ſpecialiter aſſeruntur: tum quia cùm Chriſtus ſubſtantiæ ſuccedat, ejus vices non paſſivè ſuſtentando (quod imperfectionem redoleret) ſed effectivè accidentia verbo virtutis ſuæ portando ſupplet. Non eſt etiam ubicatio: tum quia modus ubicationis, ſi detur, ſupponit fundamentum cui innitatur, putà quantitatem in corporibus, operationem in ſpiritibus. Modus autem ſacramentalis præſentiæ Chriſti & à quantitate, & ab actione conſervativa ſpecierum independens eſt.

Sequitur 2. Chriſtum non eſſe in hoc ſacramento tanquam in loco, ſive localiter, ut eodem art. 5. docet S. Thom. Et rationem aſſignat, tum quia corpus Chriſti eſt in Euchariſtia ad modum ſubſtantiæ totum in toto, & totũ in qualibet parte: ergo legibus præſentiæ localis non ſubjicitur, nec dimenſionibus commenſuratur. Tum quia duplex eſt tantùm modus exiſtendi in loco, circumſcriptivus unus, definitivus alter; at neutro modo Chriſtus eſt in Euchariſtia; non quidem circumſcriptivè, ſeu per commenſurationem totius ſubſtantiæ & quantitatis ad ſpatium, ita ut totum corpus toti ſpatio, & partes corporis parti ſpatii correſpondeant; cùm Chriſtus ſit totus in toto, totus in qualibet hoſtiæ conſecratæ parte; nec etiam definitivè, eo modo quo Angeli ſunt in loco, & anima rationalis in corpore: quia eſſe definitive in loco eſt intra determinatam ſpatii ſphæram concludi, licèt in illa ſpiritus ſit totus in toto, totus in qualibet parte; ſicut Angelus non poteſt adæquatam loci connaturalis ſphæram tranſilire, nec anima plura ſimul diſcreta corpora informare. At Chriſtus in nulla hoſtia, nulloque altari arctatur, ſed in innumeris à ſe mutuò remotiſſimis ſimul & ſemel invenitur. Ergo præſentia Chriſti in Euchariſtia realis quidem eſt, at non localis tamen, ſed illâ ſuperior & eminentior, quæ ſacramentalis appellatur. Quod ſi eſſe in loco penetraliùs accipiatur pro eo quod eſt eſſe realiter præſens illi loco, illique ſpacio in quo ſunt ſpecies, tunc bono ſenſu admitti poteſt Chriſtum eſſe localiter in Euchariſtia; licèt enim Chriſtus ſolitum corporis ſpatium more corporum non impleat, qua de cauſa præſentiæ localis nomen S. Thomas aſpernatus meritò eſt; ferri tamen poteſt hæc loquendi formula, ſi nihil aliud eâ intelligatur, quàm verè ſub ſpeciebus contineri Chriſtum, quæ cùm in certo ſint loco, conſequens eſt eòdem loci eſſe corpus Chriſti.

Ex quibus liquet quanta ſit quorumdam recentiorum inſcitia, qui carpendorum Catholiciſſimorum cujuſdam in paucis celebris Theologi de Euchariſtia ſenſuum cacozelia acti ſcripſerunt ad fidem catholicis verbis de Euchariſtia efferendam & profitendam non ſatis eſſe his verbis uti: *Credo in Euchariſtia corpus Chriſti eſſe realiter præſens*, niſi addatur *Chriſtum eſſe præſentem præſentia locali.* Verùm ut dixi, inſcitiam ſuam produnt, qui catholicam de Euchariſtia fidem his verbis concipi oportere aiunt. Præſentiæ enim localis nuſquam Patres, nuſquam Concilia, nuſquam Tridentina Synodus hac in parte accuratiſſima, atque ad Lutheri, Calvinique impia dogmata proſcribenda congregata iſtuc verbi uſurparunt. Ipſe etiam Pius IV. qui juxta Sacri Concilii diſpoſitionem fidei profeſſionis formam & tenorem edidit, in qua articulus Euchariſtiæ diſertiſſimè & luculentiſſimè exprimitur, voce illa uſus non eſt. Et ipſe D. Thomas clariſſimus Euchariſtiæ defenſor, à Deoque ad exponenda Euchariſtiæ arcana ſpecialiter proviſus, non ſolùm vocem eam non adhibuit, ſed eam etiam ex profeſſo repudiavit 3. p. quæſt. 76. art. 5. *Nullo modo*, inquit, *corpus Chriſti eſt in hoc ſacramento localiter.* Quæ autem tam perfrictæ frontis audacia Concilia, Pontifices, Patres, Doctores Euchariſtiam ab hæreticis vindicantes ſuſpectæ vel ambiguæ fidei inſimulare præſumat? Sed in re planiſſima & ipſis Theologiæ novitiis nota & triviali immorari ſupervacaneum eſt, præſertim cum ex mox dicendis id ampliùs elucidaturi ſimus.

Quæres 4. An corpus Chriſti per ſe, vel per accidens hoc in Sacramento moveri poſſit?

Reſpondeo ex D. Thoma art. 6. Chriſtum in Euchariſtia non moveri per ſe localiter, ſed duntaxat per accidens, ratione ſpecierum ſub quibus exiſtit. Ratio ſequitur ex dictis: Chriſtus non eſt in ſacramento ſicut in loco ſeu modo & præſentiâ locali propriè dictâ: quod autem non eſt in loco, non movetur per ſe de loco in locum, ſed ad ejus in quo eſt motum cietur.

Ex quibus ſequitur 1. eorum recentiorum ſententiam eſſe rejiciendam, qui poſuere Chriſtum non poſſe quidem motu progreſſivo, ad quem requiritur extenſio, ſe movere; benè tamen motu ſimplici et non abſimili quo gravia deorſum, levia ſurſum feruntur: putà ſi Chriſtus è ſpeciebus exiret, vel ſi cum illis ad rem diſſitam ſe conferret; & ita in illis miraculoſis caſibus in ſacris hiſtoriis recenſitis contigiſſe volunt, in quibus hoſtiæ ſacræ nullo eas deferente ad viros ſanctos convolaſſe leguntur. Rejicienda eſt, inquam, hæc imaginatio. Non enim exit, vel quaſi egreditur Chriſtus de ſpeciebus niſi cùm iſtæ deſinunt, ad quarum deſitionem ipſe deſinit: quod enim de ſe habet eſſe indeficiens, non poteſt eſſe deficiendi principium, ſed alio deficiente tunc deſinit eſſe in eo: Chriſtus autem habet eſſe indeficiens & incorruptibile, unde non niſi ad deſitionem ſpecierum ipſe deſinit. Et quamvis Chriſtus in caſibus miraculoſis moveat motu progreſſivo hoſtiam (quod tamen incertum eſt) non tamen ſequitur ipſum per ſe moveri localiter, ſed tantum per accidens ad motum hoſtiæ à ſe efficienter motæ: ſicut anima licèt movèat corpus, non tamen per ſe, ſed per accidens ad motum corporis localiter movetur; & Angelus dum corpus aſſumptum movet, ad motum ejus per accidens movetur. Et ratio paulò antè tradita eſt, quia ſicut Chriſtus non eſt in loco per ſe & ratione ſui, ſed duntaxat ratione ſpecierum, quia non eſt in loco ratione quantitatis molis, quæ unicum eſt in corporibus occupandi loci fundamentum, ſicut in Angelis quantitas virtutis; ita nec per ſe localiter moveri poteſt; moveri enim localiter eſt mutare locum, quod fieri niſi ab occupante locum non poteſt.

Sequitur 2. rejiciendam eſſe Scoti, Durandique ſententiam, qui omnem omninò motum etiam per accidens Chriſto in Euchariſtia denegarunt. Oppoſitum enim certum eſt. Etenim cum juxta Tridentinum *ſeſſ. .. cap. 5. & 6.* Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ per vias & loca publica in ſolennibus ſupplicationibus circumferatur & circumgeſtetur, atque ad infirmos deferatur, moveri ipſum per accidens & cum ſpeciebus mutare locum neceſſe eſt.

Porrò hic motus per accidens dupliciter intelligi poteſt. Primùm ita ut ad motum ſpecierum corpus Chriſti motum & ubi intrinſecè recipiat; ſic pars ad motum totius nauta ad motum navis cietur. Secundò ita ut nullius motus vel ubi impreſſione afficiatur. Priori modo arbitratur Suares corpus Chriſti moveri; poſteriori Thomiſtæ & quidem probabiliùs: quia cùm motus localis in ſpeciebus receptus ſit accidens corporeum & extenſum, ſicut & ubi circumſcriptivum, quod eſt illius terminus, illud ſolùm motum intrinſecè recipit quod accidens extenſum

reci-

recipere natum eſt; corpus autem Chriſti indiviſibiliter in euchariſtia exiſtens non eſt ad recipiendum extenſum accidens idoneum: nihil ergo corpori Chriſti, ſed unis duntaxat ſpeciebus motu illo imprimitur.

Dices: Quomodo moveri poteſt quod nullum in ſe recipit motum, cùm effectus formalis à forma proficiſcatur, & eſſe motum à motu? Certè ſicut Chriſtus neque frigefactis ſpeciebus etiam per accidens friget, nec incaleſcit calefactis; quia neque frigus, neque calorem in ſe recipit ullum: ita moveri nequaquam dicetur, nullum ſi impreſſum motum recipiat.

Reſpondeo quod ſicut anima rationalis ad localem corporis motum moveri localiter per accidens dicitur, nec tamen calefacto corpore incaleſcit; ita corpus ad motum ſpecierum mutare locum dicitur, earum tamen alterationem viriari, alterari, vel corrumpi non dicitur. Et ratio differentiæ eſt, quia alterari nihil poteſt, niſi alterum reipſa fiat; alterum verò non fit quod nihil recipit: ad motum verò localem ſufficit, ut aliquid in eo quadam ratione contineatur, quod novum ſpatium occupat; præſentia enim rei contentæ continentis præſentiam ſequitur & imitatur.

Inſtabis: Non poteſt corpus Chriſti in Euchariſtia realiter præſens ad motum ſpecierum etiam per accidens moveri, niſi illis ſpeciali quadam ratione unitum ſit; non enim movetur aliquid ad motum alterius, niſi illi conjunctum ſit, ut ejus veluti ductum ſequatur. At nulla inter corpus Chriſti & ſpecies remanentes unio intereſt: quæ enim? Neque enim eſt unio ſubjecti cum accidentibus, cùm Corpus Chriſti accidentibus illis non ſubſternatur, nec ab eiſdem informetur. Nec eſt unio continui ad continuum, cùm corpus Chriſti ſit in Euchariſtia modo indiviſibili & ſpiritali, ab omnibus proinde continui legibus abſolutum. Nec eſt unio contigui ad contiguum, eo modo quo liquor in vaſe concluditur, vel quo veſtes corpori adhærent, quia hæc unio coextenſioni locali innititur, cui corpus Chriſti eminet. Quonam ergo nexu, quo vinculo alligatur corpus Chriſti ſpeciebus, ut iſtarum motum ſequi teneatur?

Reſpondeo præter vinculum amoris, quo ſe Deus ſpeciebus addixit, ut omnibus etiam diſtantibus copiam faceret; non enim amat, & deſerit; præter illum, inquam, charitatis indiſſolubilem nexum, eſt alia ratio ob quam ſpeciebus phyſicè uniri meritò dicatur. Cùm enim corpus Chriſti ſubſtantiæ panis ſuccedat, & in accidentia id efficienter influat quod illa paſſivè præſtabat, unitur Chriſtus accidentibus ſicut motor mobili, ſicut Angelus ſphæræ quam ciet, ſicut columna & fulcrum (ſemotâ tamen omnis paſſivi concurſus imagine & labe) ædificio quod ſuſtentat; uno verbo effectivè accidentibus unitur, ſicut ſubſtantia cui ſufficitur, cujuſve vices ſine imperfectione gerit, accidentibus illis ante tranſelementationem paſſivè copulabatur. Certè ſicut ſubſiſtentia Verbi humanitati ſublatis imperfectionibus eo modo unitur, quo ſubſiſtentia creata naturæ fuiſſet copulata, quia ejus loco ſuccedit & officia implet; ita cùm corpus Chriſti ſubſtantiæ panis, cui ſubſtituitur, munera præſtet, eum ſpeciebus effectivè connectitur, ſicut eiſdem ſubſtantia panis ſuſtentando uniebatur. Explicant id alii exemplo penetrationis, ut ſicut corpus penetrans ibi eſt & eo pergit, quò penetratum fertur; ita corpus Chriſti ſpecies pervadens earum motum ſequitur. Verùm hujuſmodi unionis exemplum aptè non quadrat, nec præſenti congruit inſtituto. Etſi enim corpus penetrans penetrato præſens ſit, attamen ab iſtius loco & motu independens eſt, nec ejus motum ſequi obligatur, niſi unum alteri quodam vinculo naturali alligetur, quo unum aliud veluti trahat, & ſecum progredi faciat, nec exire ſinat. Sola autem penetratio id non præſtat, quia ſicut loco corporis penetrati non alligat corpus penetrans beatam ſpirituum ſubtilitatem aſſequutum; ita nec motum ejus ſequi compellit, ſed ipſum moveri ſinet ſe immoto, niſi nexu illi aliquo devinciatur.

Quæres 5. utrùm corpus Chriſti in hoc ſacramento realiter exiſtens ab oculo corporeo ſaltem glorioſo & divinitus videri poſſit?

Inſtituitur primò quæſtio de oculo corporeo non de intellectu; quia licet intellectus virtute naturali corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens videre non poſſit, cùm intellect⁹ nihil pro ſtatu niſi per ſpecies à ſenſibus emendicatas, quas in Euchariſtia corpus Chriſti non emittit, intelligere queat; attamen ſi intellectus lumine gloriæ perfuſus ipſam divinam eſſentiam objectorum omnium cognoſcibilium præcellentiſſimum intuitivè videt, à fortiori corpus Chriſti in Euchariſtia tametſi ſupernaturaliter exiſtens divinitus videre poterit.

Inquiritur ſecundò de oculo glorioſo, id eſt ſupernaturali lumine divinitus adjuto; quia exploratum eſt nullum oculum corporeum corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens ingenitâ naturalis virtutis facultate videre poſſe: tum quia corpus Chriſti medium diffuſione ſpecierum non immutat, ad hoc enim modo extenſo & quantitativo ipſum exiſtere oporteret. Tum quia corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento ad modum ſubſtantiæ, id eſt ſecundum modum qui ſubſtantiæ, ut præſcindit ab accidentibus, per ſe convenit: ſicut ergo ſubſtantia ſic ſpectata ab oculo corporali naturaliter videri non poteſt, ita nec corpus Chriſti. Difficultas ergo ſupereſt de oculo ſupernaturali lumine divinitus roborato. Negant Capreolus, Suares, & Joannes à S. Thoma; nihilominus

Reſpondeo per abſolutam Dei potentiam corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens ab oculo corporeo videri poſſe. Probatur ratione & authoritate. Ratione quidem, quia licèt oculus non poſſit videre modum præſentiæ corporis Chriſti in Euchariſtia, qui cùm ſit merè ſupernaturalis & indiviſibilis, ſub ſenſum cadere non poteſt, ſed à ſolo intellectu percipi valet; attamen corpus in hoc ſacramento exiſtens continetur intra latitudinem objecti ſpecificativi potentiæ viſivæ, quod eſt coloratum & lucidum: ſed nulla eſt repugnantia objectum potentiæ viſivæ ab oculo videri, quia licèt in hoc ſtatu ſit objectum improportionatum, novo tamen ſupernaturalis luminis acceſſu aptabitur oculus, & objecti improportionem facilè vincet. Sicut etſi Deus clarè viſus ſit objectum omnem intellectum creatum & creabilem excedens, beneficio tamen luminis glorioſi Deum, qui cæteroquin intra objectum ſpecificativum facultatis intelligentis continetur, intuitivè videre poteſt, & reapſe in cœlis videt. Nec dicas ad id non ſufficere lumen, niſi habeatur objecti ſpecies, quam corpus Chriſti in Euchariſtia in oculum emittere non poteſt. Non, inquam, id dicas; quia nihil repugnantiæ eſt, vel Deum producere ſpeciem corporis Chriſti in oculum videntis, vel ipſum corpus eam per operationem naturali ſuperiorem divinitus emittere.

Favet etiam authoritas S. Thomæ *art. 7. ad 2.* aſſerentis oculum Chriſti corporeum ſeipſum videre ſub ſacramento exiſtentem; non tamen videre modum eſſendi quo eſt ſub ſacramento, quod pertinet

ad ſolum intellectum. Quod ſi Chriſti oculus corpus ſuum videt, quidni idem corpus alii oculi divinitus adjuti videre poterunt? Dicere verò cum Capreolo textum eſſe mendoſum & viriatum, deceptio eſt, cùm ita in omnibus endieibus, & in ipſo Pariſienſi S. Thomæ coævo legatur. Addere verò cum Suare & Joanne à S. Thomâ *ly ſub ſacramenta*, non eſſe conjungendum cum objecto viſionis quod ſignificatur per *ly ſeipſum*, ſed cum oculo vidente, ut ſenſus ſit, oculus corporalis Chriſti ſub ſacramento exiſtens videt ſeipſum abſolutè, non prout in ſacramento, ſed prout in propria ſpecie exiſtit, quia nimirum retinet viſionem quam habet in cœlo quâve ſeipſum in propria ſpecie cernit: hoc, inquam, addere eſt manifeſtam vim plano S. Thomæ textui inferre; non enim dixit Divus Thomas, *oculus Chriſti videt ſeipſum ſub ſacramento exiſtens*, quod utique dicere debuiſſet, ſi *ly ſub ſacramento*, cum oculo vidente conjungi oportere; ſed dixit, *oculus Chriſti videt ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem*, id eſt ſe rur in corp' ſuum quod in ſacramento exiſtit.

Sed inquies; Quid ergo cauſæ eſt, quod D. Thomas concedens oculum corporalem Chriſti videre ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem, de aliis oculis glorioſis id inficiatur; ſubjungit enim: *Nec tamen eſt ſimile de alio oculo glorioſo, quia etiam oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo non conformatur ei oculus glorioſi?*

Reſpondeo jure merito oculum Chriſti in Euchariſtia exiſtentem ab aliis etiam glorioſis oculis diſcernere S. Doctorem, quia alter oculus glorioſus non eſt capax recipiendi naturaliter ſpecies ab objecto illo; quia quantumcunque glorioſus ſit, objectum tamen ſuum non niſi per ſpecies extenſas videre naturaliter poteſt, quas corpus Chriſti in Euchariſtia non diffundit. At verò oculus Chriſti corporeus ad modum ſui corporis in ſacramento exiſtit, id eſt modo indiviſibili & inextenſo, unde ſui corporis ſpeciem recipit; & hoc eſt, quod voluit S. Thomas dum dixit: *Quia etiam oculus Chriſti eſt ſub hoc ſacramento, in quo non conformatur ei oculus glorioſus.* Cæterùm id eſſe abſolutè poſſibile aliis oculis glorioſis extra ſacramentum exiſtentibus non negat D. Thomas, ſed poſitivè affirmat *in 4. diſt. 11. quaſt. 1. art. 4. q. 1. ad 1.* dicens: *Oculus Chriſti extra ſpecies ſacramentales exiſtens non videt ſeipſum intra ſpecies ſacramentales exiſtentem, niſi miraculosè: & ſimiliter alii oculi glorioſi non vident ipſum hic niſi fortè per miraculum.*

Dices: Implicat potentiam illam cognoſcentem ferri in objectum quod eſt extra ſphæram ſuæ propriæ & adæquatæ ſpecificationis. Atqui corpus Chriſti in Euchariſta exiſtens eſt extra ſphæram objecti ſpecificativi & adæquati potentiæ viſivæ, quod debet eſſe ſenſibile: non eſt autem ſenſibile quod modo quantitativo & extenſo non exiſtit, quia tunc ſui ſpeciem in medium & potentiam immittere non poteſt: illa enim ſpecies nec indiviſibilis eſſet, nec diviſibilis; non indiviſibilis, utpote in medio & in oculo extenſo recepta; non diviſibilis, utpote ab objecto indiviſibiliter exiſtente emiſſa. Ergo corp' Chriſti in Euchariſtia exiſtens nullâ etiam abſolutâ potentiâ ab oculo corporeo videri poteſt.

Reſpondeo Corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens non amittere viſibilitatem, cùm lucidum & coloratum inibi perſeveret: & quanvis non ſit in ſacramento extenſum in ordine ad locum, extenſionem tamen & diſtinctionem in ordine ad ſe retinet; unde in ſe viſibilis & ſenſibilis permanet: non tamen naturaliter videtur, quia ſui ſpeciem non diffundit, ſed eam Deus poteſt in oculum producere, & quidem extenſam atque facultati videnti accommodatam. Non eſt etiam repugnantia ulla, quod corpus Chriſti per actionem naturali altiorem Deo ſupernaturaliter concurrente ſui in oculum ſpeciem emittat. Maximè quia modus ille ſpiritalis quem corpus Chriſti in Euchariſtia habet, facit quidem corpus Chriſti inviſibile, aque illud à conditionibus loci immune reddit; ſed dum illud à conditionibus ſpatii abſolvit, non tamen naturali vi agendi illud privat, ne privilegio illo aliquid ei depereat: unde poſſet Chriſtus & ſe viſibilem, & ſenſibus præbere tractabilem ſi vellet. Facit quidem abſconditus ille Chriſti exiſtendi modus, ut nullus corporeus oculus videre corpus Chriſti & ſpecierum velum veluti perrumpere & pervadere poſſit; non impedit tamen quominus Chriſtus corpus ſuum ſpecierum involucro voluntariè circumfuſum in lucem aſpectabiliter proferre queat, poſſitque erumpere ex corporis gloria, quam magno poteſtatis, & majore amoris miraculo ſuſpendit, omnes ut ad ſe venire ſinat, nullumque deterreat tantæ ſplendor majeſtatis: ſicut in terris dum viveret, ſponte redundaturum ex anima in corpus gloriæ effluxum retinebat, ut nobis ſimilis apparens dulciùs alliceret, vehementius ſtringeret, inter tolerandos humilis vitæ labores noſtræ redemptionis opus expleret.

Inſtabis: Non poteſt videri corpus Chriſti in ſacramento exiſtens, niſi videatur modus quo exiſtit, cùm modus ille ſit ratio formalis exiſtendi in ſacramento: at modus ille, utpote inſenſibilis à ſolo intellectu videri poteſt: ergo nullus corporeus oculus corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens videre poteſt.

Reſpondeo visâ re oportere ſimul videri modum quo exiſtit, quando res exiſtens & modus exiſtendi ſunt ejuſdem ordinis, non diverſi; tunc enim objectum ſpecificativè cernitur, ſed non ut eſt exiſtens, vel ut ſub exiſtentia reduplicativè videtur. Sic beati illi oculi Chriſtum in terris converſantem videntes, rem exiſtentem quidem, exiſtentiam tamen & ſubſiſtentiam divinam minimè pervidebant. Nec propterea illa viſio dicenda erit abſtractiva, ſed intuitiva; quia tunc ſolùm abſtractio contingit, quando unum percipitur non percepto alio ad eandem potentiam pertinente, vel eodem modo proportionato; nam experientiâ compertum eſt, oculum percipientem colorem, ſaporem non attingere, nec juſtam quantitatis menſuram, quando objectum eſt valde diſtans.

REFLEXIO.

Multa advertere potuit Lector eruditus divinæ virtutis prodigia in modo quo Chriſtus in Euchariſtia exiſtit: ſed ut verum fatear, unum eſt quod & ſuaviùs allicit, & arctiùs ſtringit, & arctiorum rapit, modus nimirum amoris qui ſine modo eſt, & ultra omnem modum; quem ſanè dum mente recogito, verba deſunt, intellectus hæret, judicium obruitur. Tanta profectò Chriſti charitas urget nos, hoc eſt non allicit modò & demulcet, ſed vim etiam quodammodo cordibus noſtris infert. Tam mirabilis, tam inſolitæ, tam ſtupendæ exiſtendi rationis modum invênit, ut nobis intimiùs unitus & ipſe in nobis, & nos in ipſo maneremus. *Magnum quidem fuit*, inquit S. Thomas opuſculo de ſacramento Altaris, cap. 3 *Chriſtum Dominum ſeipſum in peregrinationis noſtræ ſocium dediſſe: majus verò in pretium redemptionis. Hoc tamen donum adhuc eſt in aliqua ſeparatione ab eo cui datur: cùm autem datur in cibum, datur non ad aliquam ſeparationem, ſed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis & cibus, & qui cibum ſumit.*

Tria ſunt quæ amorem ſibi juſtiſſimè vindicant, bonitas nimirum, amor, beneficientia: hoc tri-

plici

plici igne qui non incenditur, neque liqueſcit, ferrei cordis ſit neceſſe eſt. At enim in hoc ſacramento & eſſentiam bonitatis, & diffuſionem charitatis, & beneficiorum, quorum non eſt numerus, largitatem poſſidemus. Ergo quid aliud in nobis faciat (ut Bernardus de amore Dei ſermonem habens perpendit) conſiderata tanta & tam indebita miſeratio, tam gratuita & ſic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta manſuetudo, tam ſtupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter conſiderata, niſi ut conſiderantis animum ab omni penitus pravo vindicatum amore ad ſe mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque præ ſe contemnere quidquid niſi terrenatum rerum contemptu appeti non poteſt? *Nimirum proinde in odorem unguentorum horum ſponſa currit alacriter, amat ardenter, & parum ſibi amare ſic amata videtur, etiam cum ſe totam in amore perſtrinxerit. Nec immeritò. Quid magnum enim ſi tanto repenſatur amor, ſi pulvis exiguum totum ſe ad redamandum collegerit, quem illa nimirum majeſtas in amore præveniens, tota in opus ſalutis ejus intenta conſpicitur.*

Sed ſi tanta eſt, inquies, Chriſti in Eccleſiam animaſque dilectio, cur eum exiſtendi modum elegit, quo faciem & ſe totum abſcondit? Nonne potiùs erunt nobis lacrymæ panes die & nocte, dum dicitur nobis quotidie, Ubi eſt Deus veſter? At quiſquis hæc objicit, divini ignorat induſtrias amoris. Realiter Chriſtus in Euchariſtiæ adeſt ſacramento, abſens tamen videri vult, ut amorem probando acuat, acuendo inflammet; adeſt, ut auxilium præbeat & ſolatium; abeſſe videtur, ut ipſum animus Chriſtianus quærat, ipſum appetat, ipſi inhiet, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Denique adeſt, & non apparet; niſi enim adeſſet, non præberet remedium; niſi lateret, non ineſcaret appetitum. Ergo quia adeſt, ſub umbra illius ſedeamus, ut ſit fructus ejus dulcis gutturi noſtro; quia latet, ſtatque poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos, in illum totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & geminatis deſideriorum caſtorum igniculis feramur. Deficiamus in ſalutare ejus, hoc eſt, ut exponit Ambroſius in Pſal. 118 in Chriſtum totis ſtudiis migremus quem diligimus: illum cogitemus, illi adhæreamus, illum perſonemus: in illum quadam animæ defectione transfundamur, præ deſiderio tabeſcentes, & tanquam corporis viribus reſoluti. *Sed quo magis laſſatur affectus, eo magis amor creſcit: & quando minus abeſt quod deſideramus, eo expectamus deſiderio majori quadam vi amoris igneſcunt.*

DISSERTATIO III.

De cauſis & effectibus Euchariſtiæ.

CAusas & effectus diviniſſimæ Euchariſtiæ tractaturo ab illis Doctoris melliflui verbis exordiri libet: *Poteſtne æſtimari quale & quantum ſit hoc Sanctum ſanctorum, Sacramentum ſacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?* Adeo enim eo in efficiendo totius pietatis ſacramento certatim collucent divina attributa; adeo patent ibi viſcera miſericordiæ, cogitationes pacis, myſteria ſalutis; adeo in Sanctos exinde profluunt copioſæ redemptionis rivi, ut in eo cœleſti convivio elaborando ac inſtruendo veriùs illud eſſe probetur quod de hominis formatione libro de reſurrectione carnis Tertullianus ſcriptum reliquit: *Recogita totum Deum occupatum ac deditum manu, opere, conſilio, providentiâ.*

Porrò circa cauſam hujus ſacramenti dubitare nemo poteſt, quin Deus ſit mirabilis illius operæ pretii cauſa efficiens & finis ultimus, Deus, inquam, author ſupernaturalis, à quo opus omnes naturæ vires immensùm excedens procedat neceſſe eſt, & in cujus gloriam præcipuis radiis illuſtrandam cedit: ſed inquirenda ſunt primùm motiva proxima, quibus permota miſericordia tantæ molis opus merita excedens & vota edidit: deinde quæ attributa in eo parando cibo ſplendidiùs eniteant, inveſtigandum eſt; demùm de cauſa miniſtrante, ſeu de hujus ſacramenti ſive conficiendi ſive diſpenſandi Miniſtro priùs agendum eſt, quàm ejus effectus ordine recenſeamus.

SPECULATIO I.

Specialia divinæ Euchariſtiæ motiva expenduntur.

PRimum eſt ſingularis & eximia præcipui amoris & excellentiſſimæ dilectionis, qua majorem nemo habet, nemo habere poteſt, demonſtratio. Cùm enim amoris ſit amantium unio & bonorum communio, nihil ad demonſtrandum amorem in nos ſuum hoc ſacramento efficacius Chriſtus habet, quo cor noſtrum illud ſibi copulaturus invadit, & omnia nobis bona ſua ſine exceptione largitus eſt, & jugiter nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi convivens largitur, illud implens quod aliàs Proverb. 8. dixerat: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Unde piè cum Cardinali Turrecremata in opuſculo de diviniſſimo Euchariſtiæ ſacramento, non ita pridem reperto exclamare licet: O charitas Chriſti omni admiratione major! Siliquis porcorum vix digni ſumus, & Angelis commenſales & convivæ facti ſumus: panem enim cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Nec ſolùm nobis panem omne delectamentum in ſe habentem porrigit, ſed quod nos ſtupore defigat oportet, ſuas in hominum convictu delicias divinus Amor conſtituit. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Quid tibi, ô anima mea, potuit de cœlorum vertice ſtillari ſuavius, vel porrigi delectabilius, quàm quod univerſorum Dominus, totius boni fons & plenitudo delicias arbitretur ſuas eſſe cum filiis hominum? O dura & obdurata corda filiorum Adam! ô gelida prorſus eorum pectora, quæ tanto amoris incendio non incenduntur & liqueſcunt! Sed de his fuſiùs ſpeculatione ſequenti, ubi de amoris divini in hoc ſacramento ſeſe effundentis largitate agemus.

Secundum inſtituendæ Euchariſtiæ motivum fuit conſolatio Eccleſiæ, quam ſponſo orbam manere ſuo Chriſti benignitas paſſa non eſt. Licèt enim Chriſti conſpectu ſenſibili Eccleſia non fruatur, ejus tamen reali præſentiâ jugiter potitur. Ibi invenit in mœroribus ſolamen, in laboribus requiem, in fletibus gaudium, in tribulatione auxilium, in infirmitate robur, in perſequutione azylum, in bello triumphum; denique Dominus regit eam, & nihil illi deerit, in loco paſcuæ ibi eam collocavit; & ſi ambulaverit in medio umbræ mortis, non timebit, quoniam Chriſtus ſecum eſt, parans in conſpectu ipſius menſam adverſus eos qui tribulant eam. Si Petri navis hæreſeon, ſchiſmatum, & criminum hominum impiorum fluctibus tunditur, ſi procellis jactatur, ſi tempeſtatum affligatur ſævitiâ, animum ſuum non deſpondet tamen, quia divinus non abeſt nauta, qui licèt videatur in puppi dormiens, quia in Euchariſtia modo mortuo exiſtit, non dormitat tamen, neque dormit qui cuſtodit Iſraël, ſedans fluctus, pericula ſubmovens, ſalutem morbis reſtituens deſperatis; ejus juſſu planantur undæ, tum diſfluctus ſternuntur,

minuitur, venti diffugiunt, magnaque procella in tranquillitatem maximam commutatur. Sanè inter tot iniquitatis impetus Eccleſia deficeret, niſi adverſariorum tela divinæ Euchariſtiæ ſcuto repelleret. At in arenam intrepida deſcendit illius ſuaviſſimæ promiſſionis ſecuritate recreata: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Matt. ultimo. Hinc in primitiva Eccleſia Martyribus cum tyranno præliaturis Euchariſtia porrigebatur. *Viventibus*, inquit Cyprianus epiſtol. 2. *Communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armamus.*

Tertium motivum fuit, ut Chriſtus juge paſſionis ſuæ, quæ prima & fontalis eſt ſalutis humanæ cauſa, & præcipuum Chriſti in nos amoris argumentum, memoriale & monumentum Eccleſiæ relinqueret. Sicut enim Agnum paſchalem Euchariſtiæ figuram unà cum lactucis amaris ſeu agreſtibus Iſraëlitæ comedebant, ita inter deguſtandas cœleſtis epuli delicias acerbæ meminiſſe paſſionis Chriſtus juſſit, ut tanti beneficii memoriam nulla unquam deleret oblivio. Unde Chriſtus hoc ſacramentum inſtituens: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Et Paulus quod acceperat à Domino tradens: *Quotieſcumque*, inquit 1. Cor. 11. *manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quotidianum ergo hunc panem comedentes, paſſionis & mortis Chriſti immenſum beneficium recolamus, ne ingratiſſimis ingratiores jure merito cenſeamur. Audiamus Jeremiam Threnorum 3. monentem: *Recordare paupertatis & tranſgreſſionis meæ, abſinthii & fellis*: necnon Eccleſiaſticum cap. 29. aientem: *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam.*

Quartum motivum fuit vitæ ſpiritalis cœleſti alimoniâ paſcendæ, fovendæ, & augendæ neceſſitas. Sicut enim vita animalis quotidiano cibo indiget, quo caloris nativi humidum radicale continenter depaſcentis jacturas reſarciat: ita ſuſcepta in Baptiſmo gratia, & in Confirmatione aucta inteſtinis concupiſcentiæ æſtibus in juſtis etiam ad agonem manentibus citò deperiret, niſi frumento electorum & vino virgines germinante per lignum vitæ præſignato novæ creaturæ vita repararetur. Hinc Chryſoſtomus hom. 45. in Joan. *Hic ſanguis*, inquit, *facit ut imago in nobis regia floreat: hic ſanguis pulchritudinem & nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat & nutrit, languescere non ſinit.* Qua in re ſuaviſſima clementiſſimi Domini providentia mirè relucet, ut ſicut vetiti fructus eſu Protoparens ejuſque propago in mortem & infinitas calamitates incurrit; ita cœleſtis cibi eſu vitam habeamus, & abundantiùs habeamus; ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & medela ferretur inde hoſtis unde læſerat. Nam ſicut de priori cibo dictum eſt Geneſ. 2. *Quacumque die ex eo comederis, morte morieris*: ita de poſteriori, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Rectè Baſilius in cap. 3. Iſaiæ: *Quemadmodum corpora noſtra convaleſcunt ac firmantur ſub alterna ſumptione congruentium alimentorum: ita quiddam eſt quod conſentaneè paſcit animam, eique ſuggerit vegetas vires ad bonitatem conſectandam. Quid illud tandem eſt? Nimirum quod dixit Dominus, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Quibus autem non ſuppetunt hæc, iis utique deficit robur panis & aquæ.*

Quintum motivum fuit, ut in Eccleſia juge ſacrificium haberetur, ſine quo nulla vera religio conſiſtit. Fuit autem hæc oblationis perennitas neceſſaria, tum ut Deo ſupremo Domino divinos honores deferremus; tum ut benefico largitori dona ſua perpetim fundenti gratias perpetuas haberemus, & ſuæ bona noſtra redderemus origini, ut iterum fluant; tum ut pro quotidianis offenſis quarum non eſt numerus, Agnum immaculatum offerremus, ejuſque ſanguine meliùs clamante quàm Abel divinæ iræ accenſum peccatis noſtris ignem ſi non extingueremus planè, certè temperaremus; tum demùm ut miſeris animi corporiſque neceſſitatibus undequaque circumſepti & oppreſſi, hoc ſacrificio Chriſti, qui ſemper pro ſua reverentia exauditur, & temporalia auxilia, & ſpiritualia incrementa impetraremus. Sed de his uberiùs dum de ſacrificio Miſſæ.

Denique ut paucis multa complectar, nobiſcum convivit Chriſtus in Euchariſtia, ut nobis fiat cognoſcibilis, amabilis, acceſſibilis, favorabilis, imitabilis. Etenim cognoſcendum ſe præbet manifeſtatione attributorum & prodigiorum ſtupendorum gloriâ; amandum bonorum omnium ſuorum diffuſione; acceſſibilem aditus & congreſſus facilitate & copiâ, propitium & favorabilem jugi ipſius pro nobis immolatione; denique mirandum, virtutum omnium micantiſſimarum quas inibi exercet, putà humilitatis, obedientiæ, paupertatis, patientiæ, ſeceſſus & ſolitudinis, orationis, ac totius denique ſanctitatis exemplo; quæ meditandi latiſſimum pio Lectori campum aperient. Sed omnibus, ut dixi, ſupereminet charitas in Eccleſiam Militantem quam redemit, non ferens ut quam ſibi ſemel deſponſavit, unquam deſerat, verè illud Levit. 26. implens: *Ponam tabernaculum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea.*

Reflexio.

Motivorum omnium Chriſti incentivum potiſſimum, finium finis, cauſa cauſaliſſima fuit amor in finem diligens modo qui eſt ultra omnem modum; amor, inquam, dignatione dives, dignitatis neſcius, ſuaſu efficax, affectu potens, triumphans de Deo; amor, inquam, non neceſſitatibus tantummodò noſtris providens, ſed uſque in delicias amans, ſine intermiſſione benefaciens, dona donis cumulando effundens, claritatem quam dedit ei pater dans nobis, ut *de opimitate dominici corporis* (phraſis eſt Tertulliani lib. de pudicit. cap. 9.) Euchariſtiâ ſcilicet veſceremur. Unde illud cernimus Iſaiæ *cap. 66.* impletum vaticinium: *Ut ſugatis & repleamini ab ubere conſolationis ejus; ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.*

Quid ergo cauſæ eſt, cur frigidum pectus noſtrum nullam charitatis ſcintillam perſentiat? Ignem venit Chriſtus mittere in terram, & quotidianis communionibus mittit, nihil volens niſi ut accendatur; & in dies tepeſcimus, & refrigeſcimus, & induramur? *Quænam erit nobis excuſatio*, inquit Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. *cùm talibus paſti talia peccemus; cùm lupi fiamus Agnum comedentes; cùm tanquam oves paſti more leonum diripiamus*; Chriſtus non tantùm in ſalutem & utilitatem noſtram, ſed in delicias etiam noſtras hoc in ſacramento exinanitur: unde ergo eſt quod nos non divina delectant, nullamque capimus de Salvatore ſuavitatem? Salvatore, inquam, cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror eſt; omnis ſuavitas, dolor eſt; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne poſtremò quodcumque delectare poſſit, moleſtum. Unde hoc igitur? Quia ex quo cordis palatum ſenſu carnis prævalente infecit virus peccati, cœpit anima non ſapere bonum, & ſapor noxius ſubintrare. Non perdit divinus cibus ſuavitatem, ſed corruptus & vitiatus animalis hominis guſtus non percipit quæ

Dei

Dei ſunt, ſed mutans gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, degenere nimis animo, menteque tota ſervili terrena ſapit; coquorum afflatus, ſqualores culinæ, heſterno horrore fœtentia perquirit obſonia, cui jugiter regius deſervit atque adjacet apparatus. Dereliquit homo fontem aquæ vitæ, foditque ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere aquas, niſi fortè turbidas, cœnoſas, impuras non valent: quid ergo mirum ſi manna divinum, quod omnium exſuperat dulcedinum voluptates, palato non ſano amarum ſit, quod ſano eſt ſuave; ſi oculis ægris odioſa lux ſit, quæ puris eſt amabilis? Quid mirum, ſi non ſapit bonum, quod eſt ſummum bonum, animus rationalis, qui quærit bonum pecorum, quod eſt implere ventrem; carere indigentiâ, dormire, geſtire, bibere, ſanum eſſe; qui deſiderat Ægyptiacas carnes; qui dicit cum Judæis carnalibus, benè nobis erat in Ægypto, cùm manducabamus carnes in ollis, & alia, & cucumeres.

Vis igitur, Lector optime, guſtare quoniam ſuavis eſt Dominus? vis divini convivii immaculatas experiri delicias? os cordis amore aperi, illud dilectione dilata, ut impleatur: quantum dilataveris, tantum accipies; hoc uno & ſummo bono, & omnis boni bono exſaturatum & repletum in bonis deſiderium tuum nihil ſubinde terrenum concupiſcet, nihil eſuriet, nihil ſitiet, ſed omni mundi ſuavitate abdicata, ejuſque etiam concupiſcentiâ clauſâ atque abdicatâ, uni huic vero bono in Euchariſtia veluti fonte porrecto jugiter adhærebit. Unde præclarè Cyprianus, ſive quis alius Author ſermonis de cœna Domini: *Qui manducat ex hoc pane*, inquit, *ultrà non eſuriet; qui bibit, ultrà non ſitit: quoniam myſterii hujus ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, ut cuicunque tanta res innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine invento, Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente.* Et iterum: *Eſus igitur carnis hujus quædam aviditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo; per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato noſtro & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans, & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus.* Ama, & divina dulcedine atque ſpiritus pinguedine reficiere: quia ut ſemel & iterum dixit Auguſtinus, verus amor non ſentit amaritudines, ſed dulcedines; quia amoris ſoror dulcedo, ſicut ſoror odii eſt amaritudo. Per dilectionem copulabit te ſibi Deus, ut ei ſemper inhærendo, ipſum quo beatificandus es bonum ex ipſo quodammodo per deſiderium bibas, & in ipſo gaudium ſemper poſſideas. *Suge*, inquit, *ô apicula, ſuge, ſuge, & bibe dulcoris tui inenarrabilem ſuavitatem: immergere, & repleare; quia ille deficere neſcit; ſi tu neſcias faſtidire. Adhære ergo, & inhære, ſume, & fruere; ſi ſempiternus guſtus fuerit, ſempiterna quoque beatitudo erit.* Hæc S. Pater *lib. 13. Confeſſ. & lib. de ſubſt. dilect.* vel quis alius apud Auguſtinum. Has cœleſtis ſponſi delicias, hanc ſuavitatem quam nemo ſcit niſi qui accipit, hos de fontibus Salvatoris egredientes caſtræ delectationis torrentes, has humilium nectareas lacrymas, hæc contemplantium beata ſuſpiria, hunc rorem matutinum de cœleſtibus ſtillantem, hoc ſuperabundans gaudium, hanc pacem Domini quæ exſuperat omnem ſenſum, quam ve Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis largitur ipſum quærentibus in veritate, hanc denique unctionem ſpiritus mentem delinientem tibi aveo Lector & mihi tuis precibus impetra; ſpero enim fore, ut id nobis mutuis precibus, & Dei potiſſimùm gratiâ contingat.

Speculatio II.

In Euchariſtia efficienda adeò potentia, ſapientia, & dilectio Dei eminent, ut dicere auſim, quod cùm Deus ſit omnipotens, plus dare non potuit; cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit; cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.

Solius Dei eſt magna facere, nec ulla eſt tam vilis & deſpicabilis creatura, in qua ſupremi artificis infinita virtus & induſtria præcipuis radiis non ſplendeat, verumque probetur illud propheticum: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Illud diſcriminis intereſt inter opera à ſolo Deo elaborata, & illa quæ unà cum cauſis ſecundis coefficit, quod ſicut priora numeris omnibus abſoluta ſunt; vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona: ita poſteriora ſexcentis ſæpè & ferè ſemper nævis, mendis, & vitiis ſcatent: quia nimirum opera quæque ſua Deus præclariſſimis & indefectibilibus conformat ideis & exemplaribus, quorum ſimilitudinem dum referunt creaturæ, non egregia eſſe non poteſt expreſſa earum ad tantum archetypum facies. At verò dum cauſis ſecundis, utique infirmis, è nihiloque productis ſeſe attemperat; dum earum ſe aptat & veluti ſervit imbecillitati, & in agendo languori, vitiatum exit opus debiliorem partem ſequutum: non ſecus ac à Pictore quamlibet præcellenti impolita rudiſque imago adhibitis lentis dilutiſque pigmentis, & incultò penicillo configitur. Propriis ergo duntaxat operibus ſuæ virtutis characteres Deus imprimit.

At enim etſi Deus nullis circumſcriptus limitibus eóſque ſolum in agendo fines agnoſcens quos ſua ſibi voluntas præfinivit, cœlum & terram, naturam & gratiam ſtupendis prodigiis adornarit, in conficienda tamen Euchariſtia nedùm hactenus edita miracula, ſed ſeipſum etiam ſuperare viſus eſt. *Memoriam* enim *fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* In hoc enim myſterio potentiam ſuam, ſapientiam, & amoris divitias quadantenùs exhauſit, ut hac ſpeculatione clarebit: neque enim hæc materies, tametſi moralis, & tota ad pietatem comparata, à theologico inſtituto aliena cenſenda eſt; ſed potiùs exiſtimanda digniſſima quæ tractetur, tum ut hujus divini operæpretii cauſam efficientem & conſilia dignoſcamus; tum ut huic ſacramento divinos honores deferamus; tum ut quos largiſſimè fundit gratiarum fructus uberes capiamus: quæ omnia minimè conſequi dabitur, ea niſi diligentiſſimè exponamus, quæ ſacrorum myſteriorum majeſtatem magis illuſtrare poſſe videantur.

Euchariſtia divinæ omnipotentiæ non plus ultrà, ſeu ultima meta.

Cùm Deus ſit omnipotens, plus dare non potuit. Etſi omnia Dei perfecta ſint opera, non ſolet tamen ſupremus Artifex operibus ſingulis ultimam ſtatim adhibere manum, ſed ſenſim, gradatim cujuſque perfectionem profert, producit, & amplificat. Hac de cauſa opus creationis ab opere diſtinctionis, & utrumque ab opere ornatus Scriptura diſcernit. Poſtremum ſex dierum opus homo fuit, cæterorum omnium epilogus & coronis. Quia beatitudo eſt ordinis ſupernaturalis finis; ideo ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus ab omnibus appellatur. Innumera Chriſtus miracula toto vitæ curriculo patravit, quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos

qui ſcribendi ſunt libros; uti Joannes in Evangelii calce teſtatur; ſemper, & quaquà iter habebat, pertranſibat benefaciendo. ſed quantaquanta fuerint illa opera, præludia duntaxat fuerunt ad opus in finem dilatum & aſſervatum: *Nam cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Ultra progredi non potuit Chriſtus, niſi aliquid quæramus poſt omnia.

Meritò Salvator de Eccleſia ſermonem habens, eam ſæpeſæpius Regnum cœlorum appellat; Gregorio enim interprete, *Regnum cœlorum præſens Eccleſia nominatur.* Poſt inſtitutam Euchariſtiam id longè veriſſimum probatur, impleturque illud oraculum: *Ecce creo cœlos novos, & terram novam.* Unde Chryſoſtomus Eccleſiam in cœlum per Euchariſtiam commutari toties affirmat. Etenim ſicut cœlum eſt Dei authoris naturalis operæpretium, ita Euchariſtia eſt operum ſupernaturalium cõſummatio. In cœlo divinæ virtutis gloria clareſcit juxta illud, *Cœli enarrant gloriam Dei*: in Euchariſtia non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum demonſtratur. Cœlum in omnia inferiora virtutem diffundit ſuam, terram fœcundat, foris eam floribus, fructibus, plantis veſtit, intus metallis ditat. Euchariſtia divinorum eſt chriſmatum fons irriguus, in totum quàm latè patet Eccleſiæ campum profluus; ipſa etiam mundi viſcera arcanâ virtute pervadit, patientis Eccleſiæ piaculares flammas temperatura. Cœlum innumerabilibus diſtinguitur ſtellis, quarum aliquot primæ magnitudinis, altera ſecundæ magnitudinis, alia tertiæ magnitudinis ſydera Aſtrologi vocant: Euchariſtia tot miraculis fulget, quot ſtellis cœlum, illáque ad tres veluti claſſes ſimiliter revocare eſt. Miraculorum enim genus aliud eſt *præter naturam*, aliud *ſupra naturam*, aliud *contra naturam* Panem in corpus Chriſti converti naturæ haudquaquam repugnat, cùm converſionum ſubſtantialium exempla quotidiana experientia ſuppeditet; ſed totam ſubſtantiam in aliam nullâ remanente materiâ tranſire & tranſubſtantiari, *præter naturam* eſt, & Euchariſtiæ eximium. Idem corpus in multis ſimul inveniri locis, & totum in toto, totum in qualibet ſpatii parte realiter exiſtere non ſubſiſtit natura; quæ animam totam in capite, totam in pede protendit, quæve eandem concionantis vocem in multiplices aſtantium voces diffundit: at idem corpus pluribus ſimul adeſſe locis nullâ prorſus ratione continuis aut contiguis, *ſupra naturam* eſt. Accidentia ſine ſubjecto ſubſiſtere, corpus extenſione locali orbari, *contra naturam* eſſe citò crederemus, niſi privata rerum propenſio generali, quæ potentia obedientialis dicitur, ultrò concederet, dicente Auguſtino lib. 21. de Civit. cap. 8. & lib. 26. cont. Fauſtum, cap. 2. *Tanti utique Conditoris voluntas, rei cujuſque natura eſt. Id cuilibet rei naturale eſt, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, ordoque natura.*

Sed apertiori ſenſibilioríque argumento utamur: Si per impoſſibile Dii plures exiſterent, & alter alterum convivio apparatu divino excipere peroptaret, an ſodes lautiores apponere epulas, vel ſplendidiorem eâ poſſet inſtruere menſam quam nobis Chriſtus paravit, non vitulorum aut hircorum aliorumve opſoniorum delicias & cupedias atque nectareas potiones, ſed ipſam divinitate unctam carnem in cibum; & infiniti pretii ſanguinem proprium in potum porrecturus, ipſomet atteſtante: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus?* Vel aliud poſſibile quidem, ſed nunquam futurum ſupponamus: Si ipſa adorandæ Trinitatis prima perſona humanam naturam aſſumens caro fieret, & tantum Patrem hominem factum tantus Filius Chriſtus Dominus eâ quâ par eſt magnificentiâ excepturus, fercula non in orbe ſolùm condito; ſed in immenſis omnipotentiæ theſauris ſedulò perveſtigaret, certè nihil illo cibo potuque pretioſius, exquiſitius, & æterno Patre dignius inveniret, quo nos reficit & paſcit. Qualis menſa, qualis cibus qui Deo ipſi ſufficeret! Sed quid in ſupponendis quæ futura non ſunt moror? Teſtatur ipſe Filius ſe eo modo nos excipere peroptare, quo à Patre excipitur. *Et ego*, inquit, *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater*, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Quaſi diceret, eo vos loco habebo, quo Pater me & quà Deum & quà hominem habet: quà Deo naturam, perfectiones mihi omnes largitur, & ſeſe largiendo exhaurit; nihil dando excipit, niſi titulum Patris quem dare non potuit, ita ut ſim alius, non aliud: quà homini non ſolùm gratias & dotes omne genus profudit, ſed omnem plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitantem contulit, & quidquid habet, totum in me derivavit, qui nihil retinuit. En ex quo archetypo opus Euchariſtiæ duxi; meam enim menſam uſurpantibus, & corpus, & animam, & perſonam, & divinitatem, denique me totum porrigo; & cùm ſim omnipotens, plus dare non poſſum.

Euchariſtia divinæ adinventionum ſapientiæ ultimus conatus.

Cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit: nec quippiam melius vel opportunius excogitare in omni ſapientia ſua ille potuit. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Miraculorum miraculum edidiſſe videtur potentia Dei, ita vincens ſcientiam noſtram, ut fidem humana ratio detrectaret, niſi fide freta daret Deum poſſe aliquid facere, quod nequit ipſa comprehendere; eſſetque in talibus rebus tota ratio facti poteſtas infinita facientis, ſecura non opus eſſe curioſitate poſt Chriſtum nec inquiſitione poſt Evangelium.

Veruntamen potentiæ divinæ micantem undique in hoc myſterio ſplendorem obſcurare quadantenus videtur ſapientiæ, quæ ibi ſibi domum ædificavit. lux ineffabilis ſpecierum licèt ſacramentalium velo, ne foret importabilis, involuta, præclarum illud cujuſdam ſapientis implens effatum: *Magni artificis eſt totum clauſiſſe in exiguo.* Triplicem immenſæ ſapientiæ radium, aliis prætermiſſis, ſpeculandum propono. Sanè ſapientiæ illius non eſſe numerum fateare neceſſe eſt, quâ factum eſt, ut Chriſtus aſcenſione in cœlum à nobis abſcedens nobiſcum permaneret, ut Agnus immaculatus jam immortalis, quotidie tamen hoc ſacrificio myſticè moreretur; demum homines in hac lacrymarum & calamitatum valle anticipatis Paradiſi felicitatibus beatentur. Singula expendamus.

Singularem celeberrimi judicii ſapientiam totus orbis miratus eſt, quando Salomon contendentium de puero mulierum litem compoſuit; cùm enim utraque mater filium ſuperſtitem ſuum eſſe diceret, mortuum verò & nocte oppreſſum altera alteri aſſeret, meretricum diſcordiam ſapientiſſimus Rex compoſiturus dixit: *Afferte mihi gladium.* Cumque attuliſſent gladium coram Rege: *Dividite*, inquit, *infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* Facta eſt & inita Eccleſiam Triumphantem inter & Militantem pugna amoris, non diſcordiâ voluntatum, ſed rerum: Jeſum quia Deus eſt, revocabat cœlum; Jeſum, quia homo eſt, terra retinebat: alliciebat Filium unigenitum ſinus æternus Patris; diſtinebat Filium hominis ſinus virgineus Matris: Angeli attolli & elevari portas æternales, ut introîret Rex gloriæ, inſtabant, homines Chriſtum ſibi datum, ſibi natum, à ſe divelli ægrè patiebantur. Felix pugna, in qua

de

de Chriſto poſſidendo certatur! Eo tam ſuavi dilectionis conflictu hæret ſuſpenſum cor Domini Jeſu omnibus omnia factum, utrinſque Eccleſiæ deſideriis prolectatum; quia hinc ſurſum, hinc deorſum peræquè trahitur, nutat, cunctatur, ſimilis ferro inter duos magneticos lapides peræquè librato. Quò ſe vertet multò magis quàm Pauli coarctatum è duobus amantiſſimi cor Salvatoris? Forraſſis Salomonis exemplo humanitatem à divinitate diviſam, hanc cœlo, illam terræ reſtituet? At enim, *Ecce plus quàm Salomon hic*, ab humanis divina non ſejunget; quod aſſumpſit nunquam dimittet, nec cœlum expectationibus ſuis fruſtrabitur; nec terras ſuo jure depellet; quod ſuum eſt, unicuique tribuet, & Patri & Matri, & Angelis & Apoſtolis arte mirabili ſatisfacturus: nam & hic quidem cœlum ſuſcipiet uſque in tempora reſtitutionis omnium, & unà nobiſcum erit uſque ad conſummationem ſæculi, *Vado*, inquiebat, *& venio ad vos*; ad cœlum Aſcenſione vado, ad vos Euchariſtiâ venio; vado ad Patrem præmia percepturus; venio ad vos mœſtitias veſtras ſolaturus. Verè teſtante Iſaïa cap. 5. *Deus noſter* (Chriſtus nimirum per Incarnationem noſter factus) *multus eſt ad ignoſcendum*; quia hoc infinitæ ſapientiæ miraculo unus cùm ſit, quadantenus multiplicatur, dum cœlo ſimul & terræ realiter adeſt, nec pallium duntaxat ſuum ſicut Elias Eliſeo relinquit, ſed totum ſe Angelis fruendum, totum ſe Fidelibus in Euchariſtia edendum præbet. Ergo mirâ ſolertiâ & ſimul à nobis viſibiliter abeſt, & inviſibiliter, realiter tamen & jugiter adeſt; quia cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit.

Ingenioſa ſanè ſapientia, quæ abſentem nobis Chriſtum præſentem efficit: ſed ecce alterum induſtriæ ſuæ miraculum peræquè ſtupendum, peræquè nobis compendioſum. Infiniti pretii fuit copioſa & ſuperabundans Chriſti morientis paſſio, ſive rei oblatæ dignitas, ſive offerentis perſonæ divinæ ſeipſam humiliantis exinanitio expendantur; omnes ſtrictæ juſtitiæ leges de rigore accuratè & ad amuſſim eo opere ſervatæ ſunt, longèque plura offenſo Deo Chriſtus ſeſe deprimendo reſtituit, quàm homo ſuperbiendo abſtulerat. Attamen ſapientia Chriſti, ingrati Chriſtianorum tanti beneficii abuſurorum animi præſcia, quorum eo pravior futura erat iniquitas, quo Filium Dei conculcare, ſanguinem Teſtamenti pollutum facere, Chriſtum in ſemetipſis rurſum crucifigere, & gratiarum fonti obicem ponere atrocius eſt; hæc, inquam, prænoſcens Chriſtus, ſciensque ægerrimè pacatum ſemel morte ſuâ Deum novis deinde criminibus exaſperatum poſt violata fœderis capita reconciliari, novum excogitat beniginiſſimus Mediator remedium, quo poſſint homines paſſionis ampliſſimo pretio abuſi in offenſi Patris gratiam redire. Quid ergo faciet nunquam benefacere pertæſus Salvator? Fortè caput ſuum iterum offeret, iterum vitam, fundendum iterum ſanguinem devovebit? Non detrectaret iteratæ mortis agones immenſus Redemptoris amor: at æterno immobilique decreto Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Fortè præteritæ paſſionis immenſum pretium Patri rurſum exhibebit, & tantæ humilitatis memoriam revocabit? Ita planè; ideoque vulnera tanquam æternæ charitatis ſuæ monimenta Patri identidem oſtenſurus ſervavit: attamen tantæ Chriſti dilectionis memoria Chriſtianorum eſt impietatis exaggeratio, eorùmque ingrati animi amplificatio. Novâ Chriſti morte opus eſſet, quâ Chriſtianis iterum mortuis vita reſtitueretur. Et hoc eſt divinæ ſapientiæ arcanum, quo Chriſtus in Euchariſtia ſic moritur, modo certè mortuo vivit, ſeipſum quotidie ſacrificaturus, nunquam tamen moriturus. *Vidi Agnum tanquam occiſum*, aiebat Joannes, *habentem oculos ſeptem*. Tanquam occiſus offertur, cujus corpus à ſanguine myſticè ſeparatur: habet oculos ſeptem, quia ſapientiæ radii undique in hoc myſterio nitent, ut cùm ſit ſapientiſſimus plus dare neſciverit.

Immenſa fuit ſapientia crucis, quâ mortui vitâ, captivi libertate, inimici gratiâ, orbis pace donati ſunt: ſed ſi dicere liceat, Euchariſtiæ ſapientia illuſtrioribus nitet fulgoribus. Acceptiſſimum quidem erat Chriſti morientis ſacrificium; ſed tam præclaræ hoſtiæ gloriam Judæorum ſævitia, Judicis iniquitas, tortorum rabies ſubobſcurabant: ac tam novum infandi flagitii genus Sol ne videret, obſcuratus eſt, contremuit horrore terra, & ſceleris granditatem elementa ſenſerunt; ipſi etiam Angeli pacis amarè flebant. At in Euchariſtiæ ſacrificio nihil non amabile, nihil non acceptum Patri exhibetur, & juxta Malachiæ prophetiam à ſolis ortu uſque ad occaſum in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini Domini oblatio munda, hoſtia pura, hoſtia ſancta, hoſtia immaculata, panis ſanctus, calix ſalutis perpetuæ. Hinc exclamat *cap. 9.* Zacharias: *Quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Hinc Iſaias *cap. 25.* anticipato hujus ſacrificii odore ſuavitatis illectus, illud *convivium vindemiæ defæcatæ* appellat, id eſt ab omnibus illis ſceleribus mundæ, quæ operi Paſſionis impietate Judæorum permixta ſunt. O ſapientiæ miraculum vincens quodvis prodigium! Pro nobis quotidie Chriſtus moritur, nec perdit vitam; fundit ſanguinem, nec amittit; occiditur, nec qui occidunt ſunt tortores, ſed Sacerdotes. Ergo cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit.

Denique tertio ſapientiæ miraculo terra cœlum efficitur, & mortales vitæ hujus miſeriis immerſi ante mortem beatitate donantur. Beatus eſt qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult: velle, & quod volumus non habere, pœna damnati eſt; habere, ſed malè velle, major eſt cordis de perverſitate pœna. Verum & unum bonum noſtrum Chriſtus eſt deſideratus cunctis gentibus. Ergo dum ipſo in Euchariſtia fruimur, beati in anteceſſum ſumus.

Accedit divinâ Euchariſtiâ charitatem paſci & ſaginari, quâ in terris degentes quæ ſurſum ſunt quærimus, quæ ſurſum ſunt ſapimus, & cœlos mentis converſione incolimus. Sapientiæ eſt finem intendere, & idonea ad ipſum obtinendum apparare; attingit enim à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter: finis Chriſtianæ vitæ non conſumens, ſed conſummans Deus eſt viſione poſſidendus: ad illum charitate veluti unico medio poſſumus pervenire, quâ à terrenis expediti cœleſtibus inhiamus, magna magnè deſideramus; tota enim vita Chriſtiani boni, ut Auguſtinus docet, bonum deſiderium eſt; cujus amplitudini æternum reſpondet gloriæ pondus; quia deſiderium, inquit D. Thomas *1. p. quæſt. 12. art. 6.* quodammodo facit deſiderantem aptum & paratum ad ſuſceptionem deſiderati. Quod ſanè deſiderium Euchariſtia accendit, urgente charitate quam inflammat.

Ad quorum profundiorem notitiam conſiderandum eſt, triplicem ineſſe rebus omnibus perfectionem ab Authore naturæ diffuſam; eſſe nimirum naturam conſtituens, finem naturam perficientem, & inclinationem ad finem convenientem ferentem & veluti manuducentem. Forma ignis v. g. ejus naturam conſtituit; locus ſurſum ignem tanquam centrum & finis allicit; levitas ſurſum impellens propenſio eſt, quâ ignis veluti pondere fertur quocumque fertur, eaque actus obices perrumpit, montes concutit, ferrum & marmora diruit ignis incluſus. Animus rationalis hominem facit; veritas nota homi-

nem beat; veri ſciendi ardor hominibus omnibus inſeminatus & altiſſimè impreſſus inclinatio eſt, quâ homo veritatem inquirit falſitatis impatiens. Hæc triplex dos à tribus Dei attributis proficiſcitur. Potentia infundit eſſe; effectus enim univerſaliſſimus, ut docet D. Thomas, reſpondet cauſæ univerſaliſſimæ: bonitas Dei finem præſtituit; bonum namque, authore Philoſopho, & finis convertuntur: ſapientia demùm media ad finem aſſequendum diſponit & deſignat, & ideò dicitur quod ſapientiam ſuam Deus ſuper omnia opera ſua effuderit.

Quia gratiæ eſt naturam perficere, non interimere vel invertere, eandem in ordine ſupernaturali œconomiam Deus obſervat. In hoc divino ſtatu eſſe ſupernaturale gratia conſtituit, quâ ex Deo nati divinæ ſumus conſortes naturæ: finis eſt Deus clarâ viſione & æternâ dilectione poſſidendus; medium charitas eſt, ignis ille divinus in cœlum unde deſcendit ſemper inclinans. Porrò trinus hic ordinis ſupernaturalis effectus è tribus potiſſimis Religionis myſteriis defluit. Eſſe & vitam ſupernaturalem Chriſtus moriens contulit, filióſque inter agonis dolores peperit: cœlum aperuit Chriſtus aſcendens: ad cœlum permovet infuſâ in Deum propenſione Chriſtus in Euchariſtia nos paſcens; cor ipſum invadit, ut ſit internum veluti pondus quo ad cœleſtia rapiamur. Nam ut ipſe ait: *Qui manducat me, vivet propter me.* Vitam autem in motu ſitam eſſe nemo ignorat: propter Chriſtum ergo vivit qui Chriſto paſcitur, quia in divina jugiter cietur. Unde illud Apoſtolicum verè uſurpare poteſt, qui neceſſariâ cordis caſtimoniâ divinis epulis refectus eſt: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

Cæterùm ſicut nihil cibo illo divino præcellentius, ita nec medio illo ad permovendum in finem ſuum novum hominem aptius & opportunius excogitare potuit ſapientia infinita. Etenim, ut rectè S. Thomas argumentatur, homo nec ſolo corpore, nec unâ duntaxat animâ conſtat, ſed ex utroque coaleſcit: corpus cum animantibus commune plantis, fructibus, carnibus Deus alit; animam immortalem veritate paſcit: neque enim in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit ab ore Dei: hominem verò integrum cibo hactenus orbum ſeipſo pane vivo nutrit, corpori beatæ immortalitatis ſemina inſerens, animo ſpiritus pinguetudinem largiens, & novam creaturam in Baptiſmate natam, in Confirmatione auctam cœleſti pabulo fovens, ab inteſtinis cupiditatis æſtibus incolumem ſervans, vires reſarciens, & ineffabilium chariſmatum opimitate & beatiſſimâ copiâ ſaginans.

Euchariſtia divini amoris effuſionum coronis.

Cùm ſit ditiſſimus divinus amor plus dare non habuit. Miretur quem libuerit ſplendentia in Euchariſtia omnipotentiæ miracula; ſuſpiciat ſapientiæ cujus non eſt numerus conſilia: ſine tamen, Domine Jeſu, ut totum me tui mecum in Euchariſtia convivenüs permittam amori. Nimis me allicit, arctiùs devincit, ſtringit vehementiùs amabilitas tua, ut alteri dare locum affectui vel poſſim illectus, vel debeam ne ſim ingratus. Sileat mentis inquiſitio ſcrutatrix majeſtatis opprimenda à gloria; una loquatur dilectio: ſolùs ex omnibus animi motibus, ſenſibus atque affectibus amanti Jeſu, totique deſiderabili reſpondeat amor, quia dum dilectionem cerno Salvatoris effuſam, nihil ſine dubio aliud vult quam amari; non ad aliud quippe amat niſi ut ametur, ſciens ipſo amore beatos qui ſe amaverint. Splendet potentia, ſed terret virtus; cui non poſſum reſiſtere; nitet ſapientia, ſed quid tam timendum, quàm oculus cui non poſſum abſcondi; imperfectum enim meum viderunt oculi ejus? At tantus & talis amor terrores temperat & pavores. Nam cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos *In finem*, ſeu ad finem uſque vitæ ſuæ. *In finem*, id eſt ultra finem vitæ, amore uſque ad conſummationem ſæculi duraturo. *In finem*, id eſt ut exponit S. Thom. *uſque ad ultimum finem amoris*, ibi metas figens, nec ultrà progredi valens. *In finem*, id eſt modo qui eſt ultra omnem modum, quia ut ait Chryſoſtomus in cap. 13. Joannis: *Nihil omiſit quod vehementer amantem decet.* Et ſacrum Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias ſui erga homines amoris velut effudit*, ut ex ſequentibus demonſtrationibus palam erit.

Primò amantis eſt bona ſua diffundere, quæ Chriſtus nobis hocce myſterio ſine exceptione largitur. Multifariam, multiſque modis bona ſua creaturis rationalibus benigniſſimus Dominus impertitus eſt: verùm in eis dandis, vel aliquid dominium ſuum ſignificaturus excepit, vel ea certè inæqualiter, ſpeciali nonnullos prærogativâ donaturus, diſtribuit. Adamo mox condito liberum Paradiſi voluptatis omnigenorum fructuum uſum permiſit: at ei vitæ fructus eſu interdixit tamen. Poſt diluvium animalium carnibus veſci indulſit; quaſdam tamen exercendæ causâ obedientiæ prohibuit. Voluntates ſuas datâ per Moyſem lege hominibus patefecit; ſed ejus luce unum anguſtæ Judææ angulum illuſtravit. In cruce corpus terræ, at ſpiritum Patri commendavit. In Incarnatione omnem quidem inhabitantem Divinitatis plenitudinem ſacroſanctæ humanitati communicavit; ſed ad tantam ſublimitatem unus Chriſtus qui prædeſtinatus eſt Filius Dei provectus eſt. In cœlis totam gloriæ majeſtatem Beans expandit; at tanto beneficio puſillus electorum grex beatur, magnáque intereſt graduum felicitatis differentia, ſtella enim differt à ſtella in claritate. Verùm in Euchariſtia ſe totum omnibus, & ſingulis dat, ſe totum animæ, ſe totum corpori ſuſcipientis largitur; fit enim, ut aiunt Patres, *nobis conſanguineus, concorporeus, nobiſque permiſcetur.* Alibi gratiarum rivos veluti per canales & aquæductus Deus in nos derivat: at hic fons ipſe porrigitur. Haurietis in gaudio, inquit Propheta, de fontibus Salvatoris: & ſalutem habemus & Salvatorem, & lumen & Solem, & vitam & Authorem vitæ; & meritum & principium meriti poſſidemus, ut jure illud cujuſdam Patris uſurpemus: Quantus Filius in Patre, tantus in utero Virginis; quantus in utero Virginis, tantùs in ore pectoréque fidelis.

Secundò amantis eſt cum re amatâ intimo dilectionis nexu copulari; hinc languor & deſiderium cùm iſta abeſt; hinc gaudium dum adeſt: & quia exoptant amantium corda liqueſcere ac in ſe viciſſim transfundi, & corporis obice impediuntur, hinc & ſuſpiria fundunt, & in amplexus ruunt. Solus Chriſti in Euchariſtia amor objectacula quæque intimæ unionis perrumpit, os ingreditur, pectus pervadit, cordi ipſi illabitur. Rectè obſervavit S. Thomas in aliis divini amoris effectibus quandam ſemper contingere ſeparationem: nobis ſe dat Chriſtus naſcens, ſed in ſocium; dat ſe docens, ſed in magiſtrum; dat ſe converſans, ſed in exemplum; dat ſe ſanctificans, ſed per diffuſam in cordibus charitatem; dat ſe regnans, ſed lumen gloriæ illius æternæ unionis nexus eſt. At in Euchariſtia ipſe unitur, & ipſe unio; ipſe qui dat, & ipſe donum; quia dum ſe in edulium converſcens præbet, in nos non mutatur quidem, ſed in ſe mutat, totóſque transformat è *Claritatem*, inquit, *quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Planè factus eſt tanquam

unus

unus ex nobis, immò non tanquam, ſed verè unus ex nobis, quin idem nobiſcum.

Tertiò amantis eſt non quæ ſua ſunt quærere, ſed ſepoſitis propriarum rationum ſtudiis, unis amici utilitatibus inſervire. Et hæc eſt characteriſtica Chriſti in hoc ſacramentu amoris dos. Multa ſanè inſtituendæ Euchariſtiæ intercedebant: videbatur tantam Chriſti familiaritatem divinam non decere Majeſtatem; neque enim benè conveniunt, nec in eadem ſede morantur majeſtas & amor. Congruere videbatur non omnibus promiſcuè Sacerdotibus corporis Chriſti conficiendi dandam eſſe facultatem, multoque minùs ubique, ſemper & omnibus etiam impiis & ſceleratis permittendum cœleſtis cibi liberum eſum: ſolis Summis Eccleſiæ Chriſtianæ Hierarchis vel Epiſcopis, & quidem certis locis, definitiſque temporibus celebrandæ Euchariſtiæ facienda facultas videbatur, ne uſu vileſceret myſteriorum anguſtiſſimum, & tanta frequentia contemptum eſſet paritura. Cur Domine Jeſu ſubſtantiam tuam diſſipas cum criminoſis & meretricibus, faciſque ex charitate quod prodigus à te memoratus ex libidine præſtitit? Cur ſanctum canibus, margaritas projicis ante porcos? Has aliaſque ultrò ſeſe ingerentes repugnantias, inconvenientia, indecoras ingratorum hominum futuras rationes vicit amor dignatione dives, dignitatis neſcius, ſuaſu potens, affectu efficax, de Deoque triumphans: inferendas injurias, & hæreticorum blaſphemias, infanda peccatorum ſacrilegia præſcit & flocciſacit puriſſima Chriſti dilectio; nam aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Hac de cauſa divinus Apoſtolus hoc de ſacramento ſermonem habens, temporis inſtitutionis ſignanter meminit. *In qua nocte tradebatur*, inquit, hoc extremum ultimæ dilectionis pignus nobis reliquit. Itáne panem vitæ mortem illaturis parat, & excogitantibus hominibus mille Chriſto nocendi artes beneficiorum ſummum, & ſummam meditatur? Quodnam eſt iſtud ſacræ antiperiſtaſis genus, quo ingraveſcente frigore iniquitatis, increbreſcit Chriſti ardor dilectionis, ut eis porrigat cibum omne delectamentum in ſe habentem, qui mox acetum felle conditum ſunt propinaturi? Ne mirare: purus eſt Chriſti amor, ipſe qui amat, ipſe unde amat; nec noſtris allicitur meritorum motivis, vel utilitatum ſuarum compendiis, amat quia amat verus amicus; nullum niſi ex inexhauſto pietatis ſuæ fonte eruit, quærit, invenitque illicium. Percuſsâ petrâ fluxerunt aquæ: petra autem erat Chriſtus, ex eoque illâ ipsâ nocte, quâ laboribus, doloribus, opprobriis, contumeliis percutiendus tradituſ, profluxit Sacramentum Sacramentorum, jugiſque bonorum omnium ſcaturigo, ut cùm ſit ditiſſimus, plus dare nequiverit.

Quartò amantium eſt quem experiuntur amorem peculiaribus ſignificationibus teſtatum facere. Nonnullos variarum ætatum inſignes viros ſingularibus prærogativis decoraſſe Deum nemo eſt qui ignoret: at totus ille favorum acervus uni Euchariſtiæ privilegio concedit. Omnibus deceſſoribus ſuis gratiâ & dignitate Joannes Baptiſta præſtitit; & teſtante Veritate nullus eo major inter natos mulierum unquam ſurrexit. Verùm poſt ejus celebrata encomia, poſt ipsùmque cæteris omnibus antelatum, eundem fidelium minimo Veritas ipſa poſtpoſuit; *Qui minor eſt in regno cœlorum* (id eſt Eccleſia uti Patres interpretantur) *major eſt illo.* Matt. 11. Ipſum in utero incluſum viſitavit Verbum caro factum; in ipſum primos lucis ſuæ radios Sol juſtitiæ effudit. At *qui minor eſt in regno cœlorum*, minimus inquam novi Teſtamenti fidelis, *major eſt illo*; quippe quem Chriſtus non ſemel, ſed quotidie nedum inviſit, ſed invadit; nec domum tantùm ingreditur, ſed cordi etiam ipſi illabitur. Incomparabilis fuit Joannis Evangeliſtæ gratia, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit. At *qui minor eſt in regno cœlorum*, poſtrema inquam Chriſtianiſmi miracula, *major eſt illo.* Nunquid familiarius & blandius eſt Chriſtum in corde noſtro quotidie quieſcere & reclinari, quàm momento ſuper pectus recumbere Salvatoris? Beata fuit ſancti ſenis Simeonis puerum Jeſum in ulnas ſuas accipientis ſors: dimitti ſe in pace profeſſus eſt, quia viderant oculi ſui ſalutare Dei. Verùm *qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo*, qui Chriſtum non brachiis amplectitur, ſed ore ſumit, corde ſuſcipit, & Dominum manducat pauper, ſervus, & humilis. Quanti facienda ſit Beati Patriarchæ Joſeph Deiparæ ſponſi prærogativa, qui deificæ Chriſti carnis nutricius & Creatoris ſui altor fuit, nemo in dubium revocat. Cæterùm *qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo*: nam Chriſtum cibis corruptibilibus paſcere, ipsâ Chriſti carne divinitate unctâ paſci longè inferius eſt. Optimam partem elegerat Magdalena Chriſti contemplatione contenta; beati erant diſcipulorum oculi Chriſtum videntes, beatæ aures verba vitæ æternæ audientes; quia multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ viderunt, & audire quæ audierunt, nec videre, neque audire datum eſt. Attamen *qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illis*; quilibet namque fidelium, ut Chryſoſtomus ait, ipſum videt, ipſum tangit, ipſo veſcitur, ipſi unitur. Ergo cùm ſit ditiſſimus divinus amor, plus dare non habuit.

REFLEXIO.

Frumento & vino ſtabilivi te (frumento, inquam, electorum, & vino virgines germinante:) *ultrà quid faciam?* Geneſis 27. Quid enim potui facere, & non feci? Nec minas, nec promiſſiones; nec verbera, nec blanditias; nec proſpera, nec adverſa; nec prædicationem foris ſonantem, nec inſpirationem intus coruſcantem; nec ſcripturas, nec miracula; nec doctrinam, nec exempla; nec vitam, nec mortem, denique quo te allicerem nihil omiſi, intentatum quo tibi placerem nihil reliqui; poſt dona mea dedi meipſum, dedi immeritis, dedi indignis, dedi ingratis, dedi in cibum ut guſtarent quoniam ſuavis eſt Dominus; deinde in potum, ut inebriarentur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potarentur.

Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque? Eccleſ. 20. Immenſum theſaurum poſſidemus, miraculorum miraculum tenemus: nihil ad ſalutem efficacius, nihil ad omnia ſalubrius excogitare potuit Deus; & nudi ſumus, & miſeri, & miſerabiles? Unde hoc quæſo, unde hoc? Fortè pauci ad ſacram menſam, iique rarò accedunt? Minimè gentium. Altaria communicantibus circumfluunt; nihil communione frequentius, & emendatione nihil rarius tamen: ſeminavimus multum, & intulimus parùm; comedimus, & non ſumus ſatiati; merces congregavimus, ſed miſimus eas in ſacculum pertuſum; in cor Chriſtum immittimus levitati, vanitati obvium, peccato obnoxium: cœleſte Euchariſtiæ ſemen vel ſecus viam, ſeu in cor cogitationibus vaniſſimis pervium; vel in petroſa, ſive in cor iniquitate obduratum; vel in ſpinas, in cor nempe terrenorum cupiditate implicatū cadit: quid ergo mirum, ſi fructum neque trigeſimum, neque ſexageſimum, neque centeſimum reportamus? Hinc in illud incurrimus malum ab Eccleſiaſte

cap. 5.

cap. 5. & 6. prænuntiatum: *Eſt infirmitas peſſima quam vidi ſub ſole, divitiæ conſervatæ in malum Domini ſui. Eſt aliud malum quod vidi ſub ſole, & quidem frequens apud homines: vir cui Deus dedit divitias, nec tribuit ei poteſtatem Deus ut comedat.*

Si teſte Salviano *intolerabile malum eſt acceptis bonis non uti*, quale mali portentum tanto bono abuti? Væ cæcis ex ſacramento tam feraci nihil compendii capientibus! Medius noſtrûm ſtat, & nos neſcimus; fons patens apertus eſt, & ſiti tabeſcimus; Deum noſtrum ignem conſumentem poſſidemus, & algemus; bonum aurum Chriſti ſanguinem habemus, qui ut ait Ambroſius *dives eſt ad pretium, profluus ad redimendum*, & debita nunquam ſolvimus, ſed augemus. Denique Athenienſium more *ignoto Deo* litamus, tantum bonum nec corde recogitantes, & tenebras ipſas noſtras amantes.

Quid ergo opus facto? Tam inæſtimabile beneficium ſerò cognitum, ſerò amatum mente revolvemus, tantæ ſapientiæ curas credemus, tanto amori amorem utique rependemus, ne qui venit ad nos, & in nos, veniat ipſe contra nos. Dicamus ergo qui redempti ſumus à Domino: Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, notas facite in populis adinuentiones ejus, annuntiate hoc in univerſa terra: venite & videte quanta Deus fecit animæ noſtræ. Ibi ergo cor noſtrum ſit, ubi eſt theſaurus noſter. Si in reddendis pro beneficiis aliis gratiarum actionibus impares ſumus, *Quid tibi retribuam Deus pro te*, inquit Bernard. *lib. de dilig. Deo*; quidni me illi totum dabo, qui totum ſe dedit, & ſecum omnia? Ergo quia in finem dilexiſti me, utique in finem diligam te Domine fortitudo mea; refugium & firmamentum meum: *in finem*, quia nullum in te diligendo finem faciam, interdiu adorabo te in aula ſancta tua, & iterum anima mea deſiderabit te in nocte: quandiu potero convivam tecum. Et quia deliciæ tuæ eſſe cum filiis hominum, quandiu licebit lateri tuo adhærebo indivulsè comes ſolitudinis tuæ. *In finem* diligam, in te veluti cor pietatis, centrum religionis, deſideriorum metam, negotiorum oraculum, vitæ meæ polum jugiter etiam dum abeſſe contigerit propenſus. *In finem* diligam, in te diligendo finem ultimum meum & unam felicitatem meam conſtituturus, ut te donante in infinito amore digniſſimum per æterna ſæcula ſine fine diligere merear.

SPECULATIO III.

Miniſter Euchariſtiæ conficiendæ ſolus eſt Sacerdos propriè dictus, ad quem etiam eam diſpenſare jure divino pertinet quanvis illam Diaconi poteſtate delegata miniſtrare queant.

QUia ut ex dictis patet, Euchariſtia eſt ſacramentum permanens, in eoque ſubſtantia ab uſu diſtinguuntur, meritò priùs de miniſtro conficiendæ Euchariſtiæ agimus, quàm ut miniſtrum ejuſdem diſpenſandæ deſignemus.

Prior pars eſt articulus fidei definitus in Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1.* Chriſtus, inquit, *Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earundem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem eorùmque in Sacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit.* Quod & canone 2. repetit, oppoſitum ſentientibus anathemate perculſis. Idem definiverat magnum Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. & refertur cap. *Firmiter*, his verbis: *Hoc utique ſacramentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas conceſſit Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Jeſus Chriſtus.* Id ipſum docuerat Concilium Nicænum *can. 14.* ubi correcturum abuſum Diaconorum, qui alicubi Euchariſtiam Sacerdotibus porrigebant, hanc rationem profert: *Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut ſi qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Eavet etiam canon decimuſquintus Concilii Arclatenſis primi, ubi ſancta Synodus compreſſura abuſum Diaconorum, qui ſibi Sacerdotum officium vindicabant: *De Diaconis*, inquit, *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.*

Idem docent SS. Patres; Hieronymus enim præter loca alibi relata, quibus docet Sacerdotes Euchariſtiam ſacro ore conficere, inſuper dialogo adverſus Luciferianos de Hilario ſchiſmatico ait, quod *Euchariſtiam non poterat conficere, quia Diaconus tantùm erat.* Eandem etiam veritatem libris de ſacerdotio inculcat Chryſoſtomus. Denique id ſupponit univerſa Patrum traditio, inde Sacerdotis dignitatem ſuper Angelicam evehentium, & ad tantum ſtatum eminentem ſanctimoniam deſiderantium, quòd ſolis Sacerdotibus divina per univerſas orbis Eccleſias celebrare myſteria conceſſum ſit.

Ratio verò eſt, quia ille ſolus eſt Euchariſtiæ conficiendæ miniſter, cujus eſt in nova lege ſacrificare, ſeu ſacrificium Religionis offerre: etenim Euchariſtia ſacrificando conficitur, & conficiendo ſacrificatur, ut ex dicendis de ſacrificio Miſſæ liquebit. Atqui non ad omnes promiſcuè fideles, ſed ad unos Sacerdotes ad id muneris ſpecialiter aſſumptos totius Religionis ſacrificium offerre pertinet: tum quia ut docet Apoſtolus Hebr. 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ad Deum ſunt, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Tum quia Sacerdos medius Deum inter & hominem conſtituitur, unde Chryſoſtomus *lib. 2. de ſacerdotio*, per Sacerdotes, inquit, Chriſtum induimus; per ipſos Dei Filio conjungimur; per ipſos membra beati ipſius Capitis efficimur. Unde infert quantæ ſit dignitatis munus, quod tametſi agitur in terra, cœleſtibus tamen negotiis continetur. *Non homo*, addit, *non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, ſed ipſe Spiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atque adhuc manentes in carne myſterio fungi præſtitit Angelorum. Quomodo ergo nobis iſti non ſolùm reverendi magis quàm Reges, aut Judices; ſed etiam nobis magis erunt honorabiles quàm parentes.* Ergo Sacerdos ab aliis ſegregatur, unde ei ſoli in ordinatione dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Nec conſequenter illi officio poteſt ſe quilibet de proprio arbitratu nefandâ obtruſione ingerere, non enim ſibi quiſquam aſſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Tum quia ſi conficiendæ Euchariſtiæ miniſterium non ſit quibuſdam hominibus ex aliis ſpecialiter aſſumptis eximium, vix, ac ne vix quidem aſſignari poterit ratio cur non omnes homines, etiam infideles, ſicut baptizare, ita Euchariſtiam conficere poſſint. Quod ſi celebrandæ Euchariſtiæ facultatë ſuſcepto dicas inniti Baptiſmati; præter quod voluntarium aliquid dicis, nihil ex Scripturis producens, quo non tuus confeſtim error juguletur; illud etiam non effugies, mulieres ſaltem baptizatas idoneas eſſe ad Euchariſtiam conficiendam adminiſtras, ipſiſque paſcendi munus turpiter aſſeres, quibus doctus à Domino Paulus docendi in

Eccle-

Eccleſia officio interdixit. Adde Pepuſianos & Collyridianos ab Epiphanio *hæreſ.* 40. & 79. & ab Auguſtino *hæreſi* 27. hæreticis accenſeri, quòd offerendi ſacrificii munus mulieribus tribuerint. Denique ſi Chriſtiani omnes fuiſſent in primitiva Eccleſia Sacerdotes, fruſtra fuiſſent fideles de aſportanda in domos privatas Euchariſtia ſoliciti, quam quilibet momento conficere potuiſſet: fuiſſent etiam conventus Euchariſtici ſine Sacerdote celebrati, cujus tamen nullum in traditione non dico monumentum, ſed nec apparens ullum veſtigium apparet.

Ex his confutati manent varii hæreticorum errores, quorum aliqui, ut Lutherus *lib. de inſtituendis miniſtris*, contendunt Eccleſiæ officium conſecrandi omnibus eſſe commune; contra Patres, contra Concilia, contra Eccleſiæ conſuetudinem, quæ ſibi objecta contemnit vir ab orbe condito audaciſſimus, conteſtans verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnibus Servatorem dixiſſe præſentibus & futuris, qui de pane illo ederent, & de calice biberent. Tali impietati ſubſcripſerunt Calviniſtæ, qui ſacrificium omne de medio tollentes, omnemque ſubinde religionem ad nihilum redigentes, abſurdiſſimâ tamen conſequutione fideles omnes Sacerdotes natos affirmant, nec apud ipſos Miniſtros alio fine eligi volunt, quàm ut nomine Eccleſiæ ſuæ omnia peragant, ut apud Calvinum *lib. 4. Inſtitutionis, à cap.* 17. videre eſt. Sed de his plura dum de ſacrificio Miſſæ, & de ſacramento Ordinis ſuis locis agetur.

Alii contrà Sacerdotum conficiendæ Euchariſtiæ poteſtatem plus æquo coarctantes, eam criminoſis Sacerdotibus denegarunt. Sic quidam apud Algerum *in Prologo*, gratiæ Dei derogantes dixerunt Sacerdotum malis meritis ita invocationem divini nominis annullari, ut eorum indignâ conſecratione panis in corpus Chriſti non convertatur. Illos ſequuti Waldenſes in oratione excuſatoria dixerunt, quod ut fiat conſecratio dignus debet eſſe Sacerdos cum fido populo. Denique inter Wiclefi articulos iſte recenſetur: *Si Sacerdos eſt in peccato mortali non conficit, non conſecrat.*

Verùm hic poſterior ex dictis dum de Sacramentis in communi, ſatis ſuperque confutatus manet. Cùm enim nulla iniquitate, nulla infidelitate, nulla à fide deſertorum defectione indelebilis character, quo ono conficiendæ Euchariſtiæ poteſtas continetur, obliterari poſſit, ſemper validè à quocunque Sacerdote ſacramentum hoc miniſtratur, ſi cæteroquin quæ eſſentialia ſunt, ritè ſerventur. Neque enim tanti tamq; divini operis confectio à Miniſtrorum meritis vel fide proficiſcitur, uni Chriſti innititur poteſtati, cujus gloriæ ſicut bona, ita mala ſuo modo famulantur. Quare Sacerdos in peccatum lethale, hæreſim, ſchiſma, vel excommunicationem prolapſus, in eoque ſtatu degens, ſacrilegè quidem, at validè tamen ſacra facit, bonâ poteſtate malè uſus. Nec ſequitur ab hujuſmodi nefariis miniſtris, ſi pervulgata præſertim fuerint vel flagitia, vel irretientis cenſuræ vincula, Sacramenta recipere licitum eſſe; non inquam, ſequitur: quia nedum peccare malum eſt, ſed alicui etiam peccandi locum & anſam præbere æternâ lege vetatur: pœna enim digni ſunt non ſolùm qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus: quia nimirum alieni peccati contagione ſe contaminat, illiuſque culpâ obſtringitur, qui in ſacrilegii ſocietatem aliquo tandem modo venit.

Nec propterea Sacramenta refugimus, ut rectè ait S. Thomas *quæſt.* 82. *art.* 9. *ad* 1. ſed ea potius veneramur, dum nefandam indignè miniſtrantium culpam deteſtamur. Sacramentum ab ipſis impiè licet confectum cernui veneramur, ſed in ſacrilegam porrigentis manum zelo juſtiſſimo indignamur malumuſque beatiſſimo cibo ad tempus orbari, quàm communione præcipiti & intempeſtivâ alium ad peccandum provocare. Ubi etiam obſervandum, quod quanvis impii, & etiam reapſe ſuſpenſi Sacerdotis Miſſam, quandiu ab Eccleſia toleratur audire licitum ſit (modò tamen illum ad celebrandum non provocemus) nihilominus ut refertur capite *Ad evitanda*, diſt. 32. de concubinariis Sacerdotibus ſic Eccleſia ſtatuit; *Nullus Miſſam audiat Sacerdotis, quem indubitanter concubinam novit habere.* Id autem Eccleſia de notoriis concubinariis decrevit, tum ut ſuum erga Sacerdotum ſpurcitias horrorem ſignificaret; tum ut hujus criminis deteſtationem Sacerdotibus inſpiraret; tum ne homines ad libidines proni ad luxuriæ inquinamenta Sacerdotum exemplo allicerentur, vel certè ad diviniſſimorum myſteriorum contemptum, quæ cernerent ab iis contrectari, quorum manus ſordibus plenæ ſunt.

Objiciunt hæretici aliquot authoritates. Primò ſinguli Chriſtiani dicuntur Sacerdotes, 1. Pet 2. *Genus electum, regale Sacerdotium.* Apocal. 6. *Fecit nos regnum & Sacerdotes.* Secundò toti Eccleſiæ per Apoſtolos repræſentatæ dictum eſt, *Hoc facite in meam commemorationem* Tertiò Concilium Ancyranum *can.* 2. præcipit Diaconos qui idolis immolaverant, reſipiſcentes tamen iterum cum hoſtibus fidei certaverant, gradu quidem ſuo non eſſe privandos, debere tamen *ceſſare ab omni ſacro, ita ut non panem, nec calicem offerant, nec pronuntient, niſi fortè aliqui Epiſcoporum conſcii ſint laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere. Penes ipſos ergo erit de his poteſtas.* Concilium etiam Laodicenum can. 25. *Non oportet*, inquit, *Diaconum panem dare, nec calicem benedicere.* Ergo alii à Sacerdotibus Euchariſtiam conficiebant.

Reſpondeo ad 1. eodem modo Chriſtianos omnes dici Sacerdotes, quo Reges in illis teſtimoniis eſſe dicuntur: quia ſicut dum concupiſcentiam frænamus, paſſionum æſtus moderamur, illicitis principamur deſideriis, Reges ſumus: in orationibus ad Deum fuſis, ſanctis operibus Deo jugiter oblatis, pœnitentiâ factâ carnis mortificante dum ſacrificamus ſacrificium juſtitiæ & ſanctimoniæ Sacerdotes in ampliori ſignificatu dicimur, de quo plura diximus *lib.* 10. *diſſert.* 1. *cap.* 1. *ſpecul.* 3. *per totam reflexionem.* Sicut ergo illis locis commune Chriſtianis omnibus regnum ſpeciale Regum dominium non tollit; ita nec Eccleſiæ Hierarchiam confundit ſpirituale virtutum Sacerdotium. At hæretici & Regum monarchiam, & Eccleſiæ principatum infandis moliminibus ſubvertere peræquè nituntur, utriuſq; poteſtatis, quam immani odio proſequuntur, hoſtes capitales.

Ad ſecundum dicendum, falſum omninò eſſe Sacra faciendi facultatem verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnibus indiſcriminatim eſſe conceſſam; conficiendi enim ſacramenti, & offerendi ſacrificii poteſtatem iis verbis Apoſtolis ut Sacerdotibus fecit. Et certè valde ſunt mirabiles noſtrates hæretici, qui verba Chriſti Petro dicta, *Quodcumque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis; quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælo*, ad ſolum Petrum pertinere voluit, nihil ad ſucceſſores ejus: poteſtatem etiam clavium, & remittendorum retinendorumque peccatorum authoritatem Apoſtolis verbis nitentiſſimis datam, Epiſcopis eorum ſucceſſoribus repugnan-

Digitized by Google

gnant et tota traditione denegant; & verba illa, *Hoc facite*, ſeu Euchariſtiam conficiendi poteſtatem accipite, ad omnes omninò Chriſtianos dilatant. Quo jure verba Apoſtolis dicta modò ampliare immodicè, modò reſtringere violenter de ſuo arbitratu hæretici præſumunt? Itáne privatus eorum ſpiritus vitiis corruptus, ſchiſmate infuſcatus, hæreſi ſauciatus amuſſis eſt, ad quam ipſæ divinæ litteræ ita exigendæ ſunt, ut eorum interpretamentis fidem cæcam debeamus? Scilicet. Diſcant ergo ab Auguſtino, in illis Domini verbis atque præceptis, quæ universè & indefinitè omnibus facta videntur, habendam eſſe perſonarum rationem. *Erit*, inquit lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 17. *etiam hoc in obſervationibus intelligendarum Scripturarum, ut ſciamus alia omnibus communiter præcipi, alia ſingulis quibuſque generibus perſonarum*. Alia ergo dixit Chriſtus Apoſtolis ut Rectoribus Eccleſiæ, alia ut totam Eccleſiam repræſentantibus. Neque enim omnes Paſtores, vel Doctores, vel ſacrorum Antiſtites.

Ad canones Ancyranum & Laodicenum dicendum, priori canone vetari Diaconis illis, ne Sacerdoti ſacrificaturo panem & calicem de more offerrent, nec Euchariſtiam conſecratam diſtribuerent, nec verbum Dei prædicatione annuntiarent in præcedentis delicti & ſcandali ſatisfactionem, niſi fortè laborioſâ magnæ humilitatis pœnitentia ad prædicta miniſteria reſtitui de conſilio Epiſcopi mererentur. Poſteriori verò canone, ſcilicet Laodiceno vetatur Diaconis, vel etiam Subdiaconis (vox enim Græca utros amborum ſignificet incertum eſt, placetque Zonatæ & Balſamoni Subdiaconos ſignificare) ne ſuperiorum Ordinum munia, putà Sacerdotis, ſi de Diaconis ſermonem habet; vel Diaconi, ſi de Subdiaconis loquitur, obire præſumant. Ex quo nihil contra nos.

Dices: Tertullianus *lib. de exhortatione caſtitatis*, non minùs laïcos quàm ſacris miniſteriis addictos à ſecundis nuptiis dehortaturus, eos ut deterreat ſic ſcribit: *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt: Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per Ordinis conſeſſum ſanctificatus: adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licèt laici: unuſquiſque enim ſua fide vivit. Igitur ſi habes jus Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habeas etiam oportet diſciplinam Sacerdotis.*

Reſpondeo in primis Tertullianum librum illum ſcripſiſſe jam Montani erroribus implicatum, & ab Eccleſia Catholica ſegregem: unde valet quod de eo dixit Hieronymus: *Homo Eccleſiæ non fuit*. Et Hilarius can. 5. in Matth. *Sequenti errore detraxit ſcriptis probabilibus authoritatem*. Et Vincentius Lirinenſis: *Tertullianus Catholici dogmatis, id eſt univerſalis, ac vetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multò quàm felicior, mutatâ deinde ſententiâ, fuit ipſe quoque in Eccleſiâ magna tentatio.*

Deinde non loquitur Tertullianus de ſacrificio propriè dicto, nec de Sacerdotio conſecrationis; ſed de ſacrificio orationis, pœnitentiæ, eleemoſynarum, in quo unoſquiſque Chriſtianus Sacerdos eſt, ut ſuprà diximus, & eleganter tradit Chryſologus ſerm. 108. *In odorem thymiama ſemper orationis accende; arripe gladium ſpiritus, altare cor tuum pone, & ſic corpus tuum admove Dei ſecurus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit; votum, non ſanguinem ſitit; placatur voluntate, non nece.* Et ſerm. 108. expendens illud Apoſtoli: *Ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam*, ſic habet: *Apoſtolus ſic rogando omnes homines ad ſacerdotale faſtigium provexit. O inauditum Chriſtiani Pontificatûs officium! quando homo ſibi ipſe eſt & hoſtia & Sacerdos! Quando hoſtia mactatur, & vivit; Sacerdos neſcit occidere, qui litabit. Mirum ſacrificium, ubi corpus ſine corpore, ubi ſine ſanguine ſanguis offertur! In tali victima mors expenditur, hoſtia permanet; vivit hoſtia, mors punitur.* Hunc autem fuiſſe Tertulliani animum patet, quia jus iſtius Sacerdotii uni Baptiſmati inniti vult: quod fundamentum cùm in mulieribus inveniatur, jure illæ Sacerdotii potientur. Quod à veritate abhorret, & Tertulliano ipſi repugnat; libro enim de velandis virginibus, cap. 9. *Non permittitur*, inquit, *mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare.* Chriſtiani ergo dicuntur Sacerdotes, & quia ſeipſos Deo immolant, ſiuntque vitæ chriſtianæ exercitationibus tanquam oves occiſionis; & quia Miſſæ ſacrificium cùm devotè intereſſunt, cum Sacerdote offerunt, unde inter Miſſarum preces ait Sacerdos: *Orate, fratres, ut meum ac veſtrum pariter in conſpectu Domini ſit acceptum ſacrificium.* Et in canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, tibique reddunt vota ſua æterno Deo & vero.* Demùm quia laïci præſertim in primitiva Eccleſia quædam offerebant à Sacerdote benedicenda, conſecranda, Deoque offerenda, quæ abſente Sacerdote ipſi laïci benedicere & offerre ſolebant: de quo variarum oblationum ritu videri poteſt tertius Canon Apoſtolorum.

Objicies demùm quædam facta. In primis Frumentius apud Theodoretum *lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 23.* cùm juvenis in India commoraretur Chriſtianos mercatores Romanos illuc appulſos ad celebranda divina myſteria ſeu Liturgias invitavit; nec tamen ipſe, nec advenæ Sacerdotes erant. Ergo tunc à Laïcis Euchariſtia confecta eſt. 2. In actis S. Petronillæ habetur ipſam celebratis Dominicæ oblationis myſteriis & Euchariſtiâ refectam, mortem obiiſſe. 3. In Prato ſpirituali, *cap. 25.* refertur Monachum laïcum ſuper panes, quos ſecum habebat, verba conſecrationis pronuntiaſſe, Angelumque aſtitiſſe, qui panes conſecratos eſſe declaravit. Ergo conficiendæ Euchariſtiæ poteſtas non eſt Sacerdotibus eximia.

Reſpondeo ad primum, Frumentium cum mercatoribus preces, Pſalmos, aliáque pietatis officia unà celebraſſe: Nicephorus enim, Sozomenus, & ex quo tres illi hiſtoriam mutuati ſunt, Ruffinus lib. 1. cap. 9. ſolius orationis meminerunt. Quam Theodoretus Liturgiam nominavit, vel in latiori acceptione, vel quia preces illas, quas inter celebranda Miſſarum ſolennia Romana Eccleſia fundere ſolebat, ipſi ſine conſecratione fuderunt: ſicut apud nos qui orationes aliáque devotè legit, quæ in Miſſali habentur, ſolâ conſecratione omiſsâ, Miſſam ſiccam celebrare dicitur. Quod ſi de Liturgia ſtrictè ſumpta loquutum fuiſſe contendas Theodoretum, dicendum nec conſtare utrum Frumentius ille fuerit Sacerdos, cùm poſtea fuerit à S. Athanaſio in Indorum Epiſcopum ordinatus; nec utrum illi mercatores ſecum Sacerdotem ullum adduxerint tantæ peregrinationis comitem, cùm videamus in navibus & triremibus Catholicorum in longinquas præſertim regiones proficiſcentibus aliquem ſemper advehi Sacerdotem periclitantibus ſuccurſurum, quem Eleemoſynarium vocant.

Ad 2. dico in actis S. Petronillæ non haberi ipſam divina celebraſſe myſteria, ſed celebratis utique ab aliquo Sacerdote eam inviſente myſteriis, ſpiritum emiſiſſe. In primitiva namque Eccleſia Sacerdotibus ſolenne erat ad Chriſtianos in carcere ergaſtuliſque detentos convenire, quò afflictis ſolatium, anguſtiatis auxilia, certantibus verbi & Euchariſtiæ potiſſimùm robur conferrent, ut in Cypriani

operibus paſſim legere eſt. Sufficient hæc ex libro 1. epiſtol. 2. *Quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis ſanguinem Domini denegamus? Viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Cùm ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armamus.*

At tertium ſuppoſitâ veritate hiſtoriæ, quam falſam aliqui ſubodorantur, ſicut librum in nonnullis vitiatum fuiſſe dicunt, dicendum totum id miraculosè & de potentia extraordinaria contigiſſe; unde ex facto inſolito ordinariam Miniſtrorum poteſtatem dimetiri abſurdiſſimum eſt. Ex rei porrò geſtæ narratione clarebit ſolâ Dei abſolutâ potentiâ illud miraculi eveniſſe. *Frater quidam erat in Cœnobio Cuziba, qui ſancta oblationis verba ritumque didicerat. Die ergo quadam ut benedictiones ferret, cùm jam rediret ad Monaſterium, verba ſanctæ oblationis, quaſi verſus aliquos caneret, dixit. Eaſdem verò benedictiones impoſuerunt Diaconi ſancto Altari. Quas cùm Abbas Ioannes Presbyter offerret, qui poſtea Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus fuit, non vidit, ut ſolitus erat, ſancti Spiritus adventum. Contriſtatuſque valde, & cogitans ne quid forte peccaſſet in mente, atque ideo ſe Spiritus ſanctus avertiſſet, ingreſſus eſt ſacrarium plorans, corruitque in faciem ſuam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille qui oblationes attulit, verba ſanctæ oblationis in via dixit, ſanctificata jam ac perfecta ſunt. Ex tunc igitur ſtatuit ſenior, ut nullus deinceps addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet, neque paſſim ea quiſpiam diceret quocumque tempore abſque loco conſecrato.*

Ex quibus verbis manifeſtum eſt, conſecrationem illam nequaquam modo ordinario contigiſſe. Cùm enim certum ſit ad conſecrandum deſiderari de via ordinaria Miniſtri intentionem, planum eſt, Fratrem illum tanquam miniſtrum ordinarium oblationes non conſecraſſe; non enim intentionem neceſſariam habuit, qui quaſi verſus aliquos verba benedictionis, quæ didicerat, canebat. Neque enim Diaconus, vel Subdiaconus, qui inter Miſſarum ſolennia verba conſecrationis ex Evangelio vel Epiſtola Pauli canit, continuò oblatum panem conſecrare intendit: nec qui verba illa in refectorio panibus inſtructo legit (ut in ſacris Clericorum & Regularium Conventibus fieri aſſolet) præſentes panes conſecrat, ut ſuo loco latiùs expoſuimus. Unde ſi verba illa divinitus ad conſecrandos panes aſſumerentur, non ordinarii miniſterii, ſed inſoliti miraculi argumentum eſſet.

Voluit autem Deus eo ſingulari prodigio ſignificare ſacratiſſima conficiendæ Euchariſtiæ verba, quibus quidquid in Religione auguſtius eſt conficitur, non niſi profunda veneratione, à ſoliſque Miniſtris eſſe proferenda, neque eſſe puerilibus ludicris & jocis exponenda. Hac de cauſa in eodem Prato ſpirituali *cap.* 196. refertur miraculum quod pueris Appamienſibus contigit, qui joco verba conſecrationis protulerant.

,, Narravit nobis Gregorius Africanæ Provinciæ Præfectus, fidelis vir, & Monachorum ac pauperum amator, boniſque ſemper congaudens. In provincia, inquit, mea (erat autem Appamienſis ſecundæ Syrorum provinciæ, ex oppido quod dicitur Thorax) ager eſt ab urbe quaſi quadraginta milliaribus diſtans, qui Gonagus dicitur. In hoc, ſive in ejus finibus pueri paſcebant pecora, & ut ſolet pueris contingere, puerili conſuetudine voluerunt ludere. Cumque luderent dixerunt ad invicem: Venite celebremus Miſſam, & offeramus ſacrificium, & communicemus, ſicuti ſemper in Eccleſia Presbyter facit (*Vide quomodo ſacra facere ſolitus fuit ſemper Sacerdotus.*) Quod cùm placuiſſet omnibus, conſtituunt ex eis unum in ordine Presbyteri, duóſque alios pueros in miniſtrorum officio, veniuntque ad ſaxum quoddam (erant enim in planitie) ac ſupra ſaxum in morem Altaris apponunt panem & vas teſteum cum vino; aſſiſtúntque, unus quidem coram altari, qui fungebatur officio Presbyteri medius; duo verò alii hinc atque hinc veluti miniſtri: & ille quidem ſanctæ oblationis verba dicebat, illi verò faſciolis quæ ferebantur pro flabellis utentes auram faciebant. Qui verò Presbyteri fungebatur officio ideo ſanctæ oblationis verba ſciebat, quia conſuetudo fuit in Eccleſia, ut pueri in Miſſis ante ſacrarium aſſiſterent, primique poſt Clericos communicarent Sanctis Chriſti Dei noſtri venerandiſque myſteriis. Quoniam verò quibuſdam in locis altâ voce conſueverunt Presbyteri ſancti ſacrificii orationes pronuntiare, pueri, ut propiùs aſtantes, ſæpiùs ea audiendo didicerant.

,, Cùm igitur omnia ſecundùm Eccleſiaſticam conſuetudinem feciſſent, priuſquam panes frangerent ac communicarent, ignis cœlitus delapſus quæ propoſita erant conſumpſit omnia, ſaxumque totum combuſſit, ita ut nihil omnino neque ſaxi, neque eorum quæ fuerant ſuperpoſita relinqueretur. Hoc repentè factum cùm pueri vidiſſent, in terram omnes præ timore corruerunt, ut diutiùs ſemivivi permanſerunt, neque erumpere vocem, neque de terra ſurgere valentes.

,, Cum verò non redirent domum horâ quâ conſueverant reverti, ſed pavidi in pavimento jacerent exierunt è villa parentes eorum, ut viderent cujus rei gratiâ conſueto legitimo tempore non reverti ſſent. Egreſſi autem pueros omnes humi jacentes invenerunt, neque agnoſcentes aliquos, neque loqui ſe alloquentibus valentes. Parentes itaque ſemivivos eos aſpicientes, unuſquiſque filium ſuum aſſumentes domum retulerunt, videntéſque pueros in hujuſmodi exceſſu diutiùs durantes, mirabantur nimium, cauſam ſtuporis eorum omninò ignorantes, nec diſcernere valentes; ſæpiuſque illos per totum diem interrogantes, reſponſum nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant ſcire omninò nequiverunt, donec dies illa & nox tota præteriit. Tunc enim & pueri paulatim in ipſos reverſi cuncta ipſis retulerunt quæ geſta fuerant, & quæ illis contigerant. Aſſumentes verò parentes ſuos & omnes loci ipſius habitatores egreſſi ſunt, & locum eis oſtenderunt in quo mirabiliter iſta contigerant, veſtigia quædam illapſi ignis indicantes.

,, Audientes verò quæ facta fuerant, & ipſis indicus rerum admonitione civitatem cucurrerunt, cunctáque Epiſcopo civitatis nuntiaverunt: qui percuſſus magnitudine & novitate miraculi, cum omni Clero feſtinus accurrit; videnſque pueros, & rurſus ab eis quæ evenerant audiens, & cœleſtis ignis veſtigia intuens, pueros quidem omnes continuò in monaſterium immiſit, locum verò Monaſterium fecit latiſſimum; ſupra locum autem ignis Eccleſiam conſtruxit, & ſanctum erexit Altare.

,, Dicebat autem ipſe Dominus Gregorius fideliſſimus vir, unum ſe iſtorum puerorum aſpexiſſe, ejuſque Monaſterii ubi miraculum acciderat, Monachum ipſum cognoviſſe. Et iſtud quidem magnum reverà ac divinum ſtupendúmque miraculum

„ Gregorius Venerabilis nobis ætate noſtra conti„giſſe enarravit.

Vides quantâ reverentiâ verba quibus tremenda myſteria conficiuntur, habenda ſint ; onde prudentiſſimè Catholica Eccleſia à Spiritu ſancto gubernata verba illa à Sacerdotibus rem divinam facientibus demiſsâ voce pronuntianda præcepit. Quare ex hujuſmodi hiſtoriis nihil aliud inferre poſſunt noſtrates hæretici, niſi meritò ſibi timendam eſſe divinæ iræ indignationem, qui omnea myſteriorum divinorum miniſtros per ſummam totius ordiois & hierarchiæ perverſionem eſſe contendunt.

Miniſter diſpenſandæ Euchariſtiæ.

Secunda ſpeculatioois pars aſſerens Sacerdotem eſſe jure divino diſpenſandæ Euchariſtiæ miniſtrum, nullam patitur difficultatem. Quos enim Apoſtolus, 1. Cor. 4 *Miniſtros Chriſti*, eoſdem *diſpenſatores myſteriorum Dei* appellat: & Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. *Semper*, inquit, *in Eccleſia mos fuit ex Apoſtolica traditione deſcendens, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent.* Sanè ille eonnaturalis eſt ſacramenti diſpenſator, qui ejuſdem eſt conſecrator, cùm non conſecret niſi ut diſpenſet. Sacerdos etiam medius Deum inter & hominem conſtituitur: unde ſicut ad eum populi dona Deo offerre ſpectat, ita ad eundem ſanctificata divinitus dona juxta ſacras divini commercii leges reciprocè tradere pertinet. Denique ſummi Sacerdotis Chriſti exemplum tenemus qui conſecratum in ultima cœna corpus ſuum diſtribuit. At Sacerdotes perſonam Chriſti ſuſtinent, ejùſque oomine adoranda myſteria conficiunt: eorum ergo eſt Chriſtum nedum conſecrantem, ſed conſecrata etiam diſpenſantem imitari.

Quin etiam adeo Sacerdotibus eximium eſt diſpenſandæ Euchariſtiæ miniſterium, ut ad id muneris præter poteſtatem Ordinis ipſa enim juriſdictionis poteſtas, quâ Parochus in parœcia, Epiſcopus in diœceſi, Summus Pontifex in tota Eccleſia gaudet, deſideretur. Paſtorum enim eſt ſpiritales Chriſtiani gregis oves paſcere: paſcitur autem potiſſimùm divino Euchariſtiæ cibo Chriſtianus. Id autem ne ita iotelligas, quod juriſdictio ad valorem ſacramenti & ſubſtantiam actus neceſſaria ſit, ſed quia ſine illa coorentaneus modus & ordo non ſervatur. Qnam quidem juriſdictionem jure ordinario ſibi propriam in alios Sacerdotes curam animarum non habentes Parochus, Epiſcopus, & ſupremus Antiſtes poſſunt delegatione transfundere, qoam ipſi à Chriſto receperunt, juxta illud Magoi Leonis epiſtola ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem: *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Ultima denique pars, quæ ait Diaconos poſſe ex commiſſione Euchariſtiam poteſtate delegatâ diſpenſare, ex uſu primitivæ Eccleſiæ comprobatur, cujus locupletiſſimi teſtes ſunt Juſtinus Martyr apologia 2. *Ii*, inquit, *qui apud nos Diaconi appellantur, omnibus adſtantibus panem & vinum & aquam conſecrata porrigunt.* Teſtatur etiam S. Cyprianus *ſerm. de lapſis*, Diaconum puellæ de ſacramento Calicis ioſudiſſe. Commiſſam quoque ſibi fuiſſe Dominici Sanguinis diſpenſationem Beato Pontifici Sixto S. Laurentius fundeodi proprii ſanguinis ſitibundus regerebat. Denique Coocilium Carthaginenſe IV. & Gelaſius Papa *epiſt.* 10. Diaconos præſente Epiſcopo & Presbytero poſſe Euchariſtiam corporis Chriſti populis, ſi neceſſitas cogat, juſſos erogare clariſſimè traduot.

Nec illud obſtat, quod Tertullianus *lib. de corona militis*, ſcripſit: *Euchariſtiæ ſacramentum nec de aliorum manu quàm de Præſidentium ſumimus.* Non obſtat, inquam: tum quia Diaconus ex commiſſione præſidens eſſe poteſt. Tum quia ſi per præſidentes ſoli Paſtores, Presbyteri & Epiſcopi intelligendi ſunt, loquitur de miniſtris quibus id jure ordinario competit, à quibus & communiter Sacramenta recipimus. Tum demùm, quia hoc inde tantòm colligi poteſt, non eundem ſemper diſpenſandæ Euchariſtiæ morem in Eccleſia viguiſſe, ſed variam fuiſſe conſuetodinis illius pro ratione temporum, occaſionum, & emergentium neceſſitatum diſciplinam. Nam per ſolos Presbyteros ordinariè, quandoqoe per Diaconos ſub utraque ſpecie, & deinde per eoſdem Diaconos ſub unius ſpecie vini Euchariſtia diſpenſata eſt.

Qui poſtremus uſus fuit in Eccleſia frequentior & pervulgatior, quia ut rectè obſervat S. Thomas *quæſt.* 82. *art.* 3. ad diſpenſaodum Sanguinem in Calice contentum non oportet Euchariſtiam immediatè taogi, ſicut tangitur ſpecies panis dum corpus Chriſti porrigitur; tam ſacra autem immediatè non niſi à manibus conſecratis tangi, debita tremendis myſteriis reverentia poſtulat. Tum quia ſanguis redemptionem à Chriſto in populum derivatam ſigoificat, onde & conſecrando Calici aqua, quæ populi typus eſt, permiſcetur. Et quia Diaconi Sacerdotem inter & populum medii interſunt; convenientius viſum eſt, ſi eis ſanguinis potiùs quam corporis diſpenſandi provincia demandaretur. Demùm quia quando diſpenſatio ſanguinis erat in uſu, ipſe ritus miniſterium Diaconi poſtulabat, ne Euchariſtiæ diſpenſatio nimium eſſet celebranti Sacerdoti onetoſa.

Cæterùm oeque corpus, neque ſanguioem Diaconi niſi ex commiſſione diſpenſare queunt, ſeu ut jura dicunt, nonniſi ab Epiſcopo vel Presbytero juſſi. Nec obeſt quod ſanctus Thomas doceat Diacono *ex officio* competere Dominici Sanguinis diſpenſationem. Nuo obeſt, inquam; noo enim eatenus id ex officio Diaconis competit, quatenus eo jure ipſi gaudeant, ſed quia ex officio habent, ut illud ſibi muneris committi poſſit, quod Subdiaconis vel Clericis inferioribus, & multò minus laïcis committi nequaquam valet. Et quanvis non ſoleat jam id Diaconis committi, in neceſſitate tamen de conſenſu Paſtorum Euchariſtam licitè Diaconus diſpeoſaret, cùm hæc diſpenſatio fuerit olim uſurpata, & Conciliis probata, nec ullo ſit jure, urgente præſertim neceſſitate, prohibita.

An autem laïci poſſint eſſe diſpenſandæ Euchariſtiæ miniſtri? Certum eſt ſecundum præſentem Eccleſiæ diſciplinam, nullum laïcum Euchariſtiam etiam extremum vitæ ſpiritum agentibus diſpenſare. Præceptum enim recipiendi ſacri Viatici tunc ſolùm obligat, cùm Euchariſtia eâ quâ par eſt, & quæ tantam decet majeſtatem, reverentiâ accipi poteſt. Exigit autem tremendorum myſteriorom dignitas, ut à ſolis mioiſtris in Eccleſia deſignatis, ſervatiſque ſervandis diſpenſetur.

Uoum excipio perſequutionis caſum, in quo militis Chriſti ad pugnam munimento dominicæ ſaturitatis armandi ſunt. Hinc Baſilius in epiſtola ad Cæſariam Patritiam (quam Græcè extare vir doctiſſimus Gropetus teſtis eſt, ne quis in Latinis quæ extant, eam deeſſe cavilletur) *Perſequutionis*, inquit, *temporibus neceſſitate cogi quempiam, Sacerdote aut Diacono non præſente, Communionem propriâ manu ſumere, nec difficile eſt, nec ſuperfluum demonſtrare, quod longâ conſuetudine hoc ipſa rerum uſu confirmatum eſt: in Alexandria & Ægypto laïcorum quiſque, ſeu quiſ-*

quis

quis de populo eſt, utplurimùm communionem in domo ſua habet. Narrat etiam Cyprian. fœminam quandam arcam ſuam, in qua Domini corpus ex Eccleſia aſportatum, indignis manibus aperire tentantem, igne inde ſurgente deterritam fuiſſe, ne auderet attingere. Hac de cauſa inclytæ Mariæ Stuart Scotiæ Reginæ ſibimet communionem dandi facultatem Pius V. fecit, ut adversùs impiæ Elizabetæ non tam mulieris quàm furiæ tyrannidem muniretur. Sanè cùm perſequutionis tempore ſacri cœtus nec liberi, nec frequentes eſſe poſſint, ſacris peractis Euchariſtia petentibus juſtiſſimè datur aſportanda domum, ut paratam in conſpectu ſuo habeant menſam adverſus eos qui tribulant ipſos.

Scio etiam hunc morem diſpenſandæ à laïcis Euchariſtiæ unius perſequutionis occaſione cœptum, non ſtatim redditâ Eccleſiæ pace deſiiſſe. Nam teſte Hieronymo apologia in Jovinianum, Romani ſua ætate Euchariſtiam domi ſumebant: quod licèt nec reprehendat, nec probet, illud tamen ægerrimè fert, quod eodem die poſt rem uxoriam quidam communicarent, qui tamen Eccleſias ingredi non audebant, *An alius*, inquit, *in publico, alius in domo Chriſtus? Quod in Eccleſia non licet* (nimirum circa corpus Chriſti, à qua potiſſimùm habet Eccleſia quod ſacra ſit) *nec domi licet.* Nam cæteroquin multa fiunt domi quæ in Eccleſia fieri nec liceret, nec deceret, nec expediret.

Quin tanta erat olim de hoc diviniſſimo Sacramẽto fides & devotio, tanta ejus cum utilitatis tum neceſſitatis perſuaſio, tàmque altè fidelium animis cordibùſque inſita, ut divinus ille cibus, in cujus uſu ſancto tota Chriſtianæ vitæ felicitas ſita eſt, ad Monachorum deſertos receſſus deferretur, in eorumque uſum quotidianum aſſervaretur. Teſtis enim eſt Palladius in vita Apollo Abbatis, *cap.* 52. Fratres qui cum ipſo erant, non priùs alimoniam accipere conſueviſſe, quàm Euchariſtiæ Chriſti hora diei nona communicaſſent, ne Deus procul ab eis recederet, qui ſe à divinis ſacramentis amoveret; quia nimirum eximiæ Angelicæ puritatis diſcipulos Abbas ille regebat. Nam cæteroquin teſtatur qui eodem tempore floruit Chryſoſtomus *hom.* 17. *ad Hebr.* eos qui tum eremum incolebant Monachos Euchariſtiam ſemel in anno, fortaſſis etiam & poſt duos annos, fortaſſis quoque adhuc rariùs (nimirum pro ratione culparum eremi pœnitentiâ expiandarum) participaſſe. Porrò Monachos etiam laïcos ſibimetipſis Euchariſtiam diſpenſaſſe author eſt Baſilius in epiſtola ſuprà laudata ad Cæſariam Patritiam, cap. 18. *Omnes*, inquit, *in eremo vitam agentes, ubi non eſt Sacerdos, communionem domi ſervantes à ſeipſis communicant.* Et hac de cauſa Euchariſtiam in columbis aureis vel argenteis ſuper altare pendentibus, ut inde identidem reficerentur, aſſervabant. Cujus ritus meminit tum prælaudatus Baſilius, tum etiam V. Synodus Conſtantinopolitana, *actione* 1. & 5.

Sed quid mirum ſi Euchariſtia ad deſertorum antra in Religioſorum hominum uſum deportaretur, cùm etiam à peregrè profecturis terra marique delata ſit. Etenim in Martyrologio, 18. Calend. Septembris legimus ſanctum Tharſitium Sacramenta corporis Domini deferentem Pagani cùm reperiſſent, cœpiſſe eos diſquirere quid gereret. Is verò indignum ratus margaritas porcis, hoc eſt diſcuſſoribus prodere, ab eis tamdiu fuſtibus & lapidibus mactatus eſt, donec ſpiritum exhalavit. Porrò evoluto ejus corpore ſacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut veſtibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore. Refert etiam S. Ambroſius oratione de fratris ſui obitu, quod Satyrus frater in naufragio conſtitutus, cùm quâ vehebatur navis ſcopuloſo illiſa vado urgentibus hinc inde fluctibus ſolveretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterii è vita exiret, ab initiatis divinum illud fidelium popoſcit ſacramentum, non ut curioſos oculos arcanis insereret, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involvit in collo, atque ita ſe dejecit in mare, non requirens de navis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans inniteretur, quia fidei ſolius arma quæſierat. Quibus ſe munitum ſatis credens, alia non deſideravit auxilia. Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio: primus ſervatus ex undis, & in portum terrenæ ſtationis evectus fuit. Magnus etiam Gregorius *lib.* 3. *dialogorum, cap.* 37. narrat fideles in Adriatico mari naufragium propè facturos ſibimet pacem dediſſe, & corpus atque ſanguinem Redemptoris accepiſſe. Verùm hic aſportandæ domum, & à laïcis miniſtrandæ Euchariſtiæ uſus innumeris propemodum offendiculis, abuſibus, ſcandalis cùm eſſet obnoxius, ceſſante perſequutione ſublatus, & variis Conciliis, Toletano I. *can.* 14. Cæſaraugustano *can* 3. Rothomagenſi *can.* 2. abrogatus eſt; ceſſante enim causâ deſiit effectus. Teſtatur tamen Arcadius *lib.* 3. *cap.* 59. Monachos Græcos iter agentes Euchariſtiam ſecum deferre.

Nonnulla quæ circa Euchariſtiæ conſecrationem & diſpenſationem obſerventur ſcitu digna.

In calce hujus ſpeculationis quædam de Euchariſtiæ ſive conficiendæ, ſive diſpenſandæ miniſtris advertere operæpretium duxi.

Primùm nota, Sacerdotem Euchariſtiam conſecrantem eandem recipere oportere, ut illius fiat particeps quod Deo offert, aliiſque diſpenſat. Tum quia id fert Eccleſiæ conſuetudo ab Apoſtolica traditione profecta. Tum quia conſuetudini illi ſuo Chriſtus præivit exemplo, qui corpus ſuum & Patri obtulit, & diſcipulis porrexit, & ore proprio accepit. *Ipſe conviva, ipſe convivium, ipſe comedens & quod comedebatur*, ut loquitur Hieronymus *epiſt.* 150. Id autem congruebat; tum quia id exigit ratio convivii, ut cibi & potus communionem & conſociationem habeat ipſe convivator; & decorum eſt invitantem excipientemque alios convictorem eſſe, & non tantùm conditorem instructorèmque convivii. Tum quia ne diſcipuli corpus & ſanguinem Chriſti ſumere horrerent, prior ipſe Chriſtus Sacramentum ſuum convenientiſſimè degustavit. Denique Sacerdos numeris ſuis omnibus abſolutus non inchoatum duntaxat, ſed integrum ſacrificium obtulit; integritas autem ſacrificii rei oblatæ conſumptionem poſtulat. Nec fructu ſacramenti Chriſtus caruit, non quòd ſanctior vel cumulatior evaſerit gratia Salvatoris, cujus plenitudo nullum recipit incrementum; ſed quia ſpiritûs dulcedinem percepit, atque ingentem animi vigorem, quo infinitos proxime futuræ paſſionis labores toleraret.

Nota ſecundò, quod in caſu quo plures Sacerdotes ſimul celebrant, uti in ordinatione contingit, in qua novi Sacerdotes unà cum Epiſcopo eandem hoſtiam conſecrant, & dum Cardinales cum Summo Pontifice rem ſacram faciunt; tunc novi Sacerdotes cum Epiſcopo ſimul conficiunt, unde non debent Antiſtitis verba antevertere, ne præcipui celebrantis fraudetur intentio & forma, neve contingat Epiſcopum non offerre ſacrificium, imò nec tunc perfectum fieri ſacrificium; ſiquidem ſolus Pontifex ſub utraque ſpecie ſacramentum ſacrificiúmque conſumit, quod tamen in ea ſuppoſitione

Digitized by Google

non confeciſſet, ſi nimirum alii prævenicndo conſecraſſent. Unde novorum Sacerdotum ea debet eſſe intentio, ut non niſi cum Epiſcopo conſecrent, caventes interim ne priùs quàm Epiſcopus verba protulerit formam ipſi abſolvant. Scio Richard. & Cajetan. opinari novos Sacerdotes verba ſacra non niſi recitativè in ſignum poteſtatis ſibi conceſſæ, atque in memoriam convivii à Chriſto cum Apoſtolis celebrati, partim inſtructionis, partim ceremoniæ causâ proferre. Sed cùm oppoſitum non ſolùm S. Thomas, ſed Innocentius etiam Papa *lib. 4. myſteriorum Miſſæ, cap. 25.* verbis ſignificantiſſimis doceant, trâditæ doctrinæ adhærendum & ſtandum eſt.

Notandū tandem Sacerdotes, tametſi curam animarum non habentes, ad conficiendam itemdem Euchariſtiam divina lege teneri tamē. Non enim fruſtra ei in perſona Apoſtolorum dictum eſt: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ſanè ſicut inanis eſt poteſtas quæ in actus nunquam funditur, inordinatum etiam eſt concreditâ ſibi divinitus poteſtate nunquam uti, nunquam pro Populo, nunquam in honorem Dei, nunquam in commune Religionis bonum offerre. Ergo ille Sacerdos eſt ſervus malus, piger, & inutilis, ſubindeque juxta Veritatis oracula in tenebras exteriores ejiciendus, qui talentum abſcondit in terra; quia omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo, *Matth. 25.* Unde intolerabilis eorum incuria eſt, qui præcipuis anni feſtis diebus non celebrant, vel ne celebrent impedimenta ponunt. Nam & in cap. *Dolentes*, de celebrat. Miſſar. reprehenduntur qui vix quater in anno celebrant, Deum quantum in ipſis eſt gloriâ, Eccleſiam militantem auxilio, Patientem ſolatio, Triumphantem gaudio, ſeipſos remedio privantes.

Reflexio.

Imitamini quod tractatis, inquit novis Miniſtris ad ſacros Ordines provectis Epiſcopus. Audiant ſacri Miniſtri, timeant Sacerdotes. Nihil eorum ſtatu munereque divinius, quibus ſolis tam divina tractare datum eſt; at nihil illis miſerabilius, qui quæ tractant non imitantur. Heu! heu Domine Deus (lamentario eſt Bernardi, Gregorii, & aliorum Patrum) facta eſt plaga noſtra inſanabilis, poſtquam ipſi Medici vulnera fovent; qui ſe pro populi peccatis interceſſores objicere tenentur, ipſi graviora committunt. Quomodo Deum placabimus, ſi diſpenſator myſteriorum, qui ante Dominum ſtat jugiter, & verſatur inter altaria ſemper, inde ſibi ſumat crimen, unde aliis veniam debuerat reportare?

Cui rei ſimiles dixerimus miniſtros malos, niſi aquâ intingitur baptizatus, quæ baptizatorum peccata diluens illos ad regnum cœleſte mittit, & in cloacas ipſa deſcendit? Grandis ſanè dignitas divina tractantium, ſed grandior ruina ſi peccant. Ne lætentur ad aſcenſum, ſed timeant potiùs ad lapſum; quia non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quàm mœroris de ſublimioribus corruiſſe. Conſiderate quale ſit divinis Sacramentis inſiſtere, quid ſit populo ſancto præeſſe. Tales eos eſſe decet qualia ſunt Sacramenta quæ miniſtrant, ne vindictam adverſùm offerentem poſtulent, quæ ad impetrandam veniam obtulerant.

Euchariſtiam conficere, confectam diſpenſare ſublimitas eſt ſine ſocio, *quâ nec majus quippiam, nec præſtantius apud nos eſt*, ut *orat. 1.* Nazianzenus ait. Verùm honor ſublimis eminentem poſtulat ſanctitatem. *Quo non oportet eſſe puriorem*, inquit Chryſoſt. hom. 60. ad popul. Antioch. *tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem? Linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit?* Fruſtra altarium Miniſtri à populo ſegregantur, qui diviſam à populo vitam non agunt. Vileſcit Sacerdotii dignitas, quia in pluribus nihil niſi plebeium & commune, nihil ſeparatum & eminens populi reſpiciunt. *Quomodo*, inquit Ambroſius epiſt. 10. *obſervari poteſt à populo, qui nihil ſecretum habet à populo? Quid in te miretur, ſi tua in ſe cognoſcat?*

Ergo quod ſumus officio, profeſſione & moribus ſimus: congruat actioni nomen, & actio reſpondeat nomini: ne ſit honor ſublimis, & vita proclivis; deifica profeſſio, & illicita actio; gradus excelſus, & mores abjecti. Hæc autem adverſus malos miniſtros ita dicta ſint, ut & ſanctos fidelèſque diſpenſatores, malorum etiam ſtatum, dignitatem authoritatèmque veneremur. Statum enim Sacerdotalem revereor quantùm non poſſum dicere; tantùm revereri me quantum debeo, non audeo dicere. Neminem lædit, qui in vitia generatim invehitur, maximè qui libros ſcribit: etſi enim Concionator peccata univerſim reprobet, tamen ad definitos auditores oratio ejus non reſtringitur; unde cum magna illi cautela loquendum eſt, non quod veritatem in injuſtitia detinere fas ſit, ſed ut adjuncta ſeu circumſtantias ſeriò perpendat, ne ponendo in cœlum os ſuum plus obſit quàm proſit; nihil ergo temerè, nihil niſi de conſilio prudentum, nihil niſi de Epiſcoporum aſſenſu & juſſu, totum moderante chriſtianâ prudentiâ aggrediatur. At verò liber publici juris factus dum vitia generalia abuſúſque inſectatur, à loco, tempore, perſoniſque privatis omninò abſtrahit, nullum ſeorſim ſugillat, nudam veritatem, adverſus quam nihil poteſt, ſed pro ea, exponit ægris quidem oculis inviſam, ſed puris amabilem. Quod hic obiter obſervare libuit, quia nonnullos ægrè & indigne ferre audivi, quòd variis natis paſſim occaſionibus nonnulla ex Patribus adverſum Rectores animarum incurioſos, Clericos vocationis ſuæ celſitudinem non ſatis attendentes, Regulares etiam collapſæ diſciplinæ, vel alios quoſvis Sanguinis Chriſti Sacramentorumque diſpenſationem non ſatis idoneis committentes, quibus temporalium rerum gerendarum provinciam non crederent, exaravi. Verùm his offendi generaliſſimis monitis delicatiſſimi faſtidii eſt. Sanè ſi hujuſmodi teneritudinis ratio habenda eſſet, expungenda forent integra Patrum volumina; quid enim aliud reſonant Salviani de providentia libri; quid integri Gregorii Magni, Bernardi, aliorumve Sanctorum ſermones adverſus populi, Cleri, collapſorùmque Monaſteriorum exceſſus, vel abuſus intorti?

Nonne ſancti Patres univerſi temporum ſuorum vitiis ingemuerunt, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ labes & defectiones non ullo in perſonas ullas, & multò minùs in hominum ſtatus odio (quod hæreticorum proprium eſt) ſed miſericordiâ & charitate, atque Eccleſiæ honoris amplificandi gratiâ adverterunt & deplorarunt, ut diſciplinæ deformatæ profluvium, caſus, & inclinationes ad priſtinum, ſi fieri poſſet, decus ſplendorèmque reſtaurent? Ne ergo moroſi illi vitilitigatores veritatem in invidiam, charitatem in crimen vocent. Ne dolorem ex illatis Eccleſiæ incommodis conceptum ab uno in Eccleſiam Matrem amore filiali profectum pro vitio ducant. Quia etſi vitiorum vulnera generatim tamen inceſſimus, non ad ludibrium ea vel dedecus oſtentamus, ſed ad conciliandam ſanitatem aperimus.

Quid dixiſſent illi tam tenelli, tam ad punctionem ab omnibus ſingularibus perſonis præſcindentem molles, tam quærentes qui loquantur placentia; quid dixiſſent ſi cum Cypriano *tract. de lapſis*, ſcripſiſſem: *Quod traditam divinitus diſciplinam pax longa corruperat; quod non in Sacerdotibus religio devota*

non

Digitized by Google

in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina vigebat? Quas lites non moviſſent, ſi ex Nazianzeno carmine de vita ſua exſcripſiſſem, *Chriſtianam omnem evanuiſſe virtutem, nihil ex ea, vel parum admodum eſſe reliqui; nec jam ſe niſi lacrymas Eccleſiæ quidquam largiri poſſe?* Quantùm queritati fuiſſent, ſi cum gemebundo Magno Gregorio *lib. 1. epiſt. 4.* depluraſſem, *in Eccleſiæ navim undique intrare fluctus, ut jam quotidianâ ac validâ tempeſtate quaſſata putrida naufragium tabulæ ſonent?* Sed ad iſtas Bernardi non tam voces quàm fulmina quantùm ſtomachati excanduiſſent, ſi nomine meo, ſuppreſſa tanti Doctoris mentione protuliſſem quæ *ſerm. 34. in Cant.* vibrat velut ſagittas acutas & carbones deſolatorios: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latiùs, eo deſperatiùs; eoque periculoſiùs, quo interiùs. ::: Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima?*

Sed Regularibus pepercit Bernardus ſuavi illa ſua & mellita pietate? Minimè gentium, & cùm eſſet ipſe religioſæ vitæ profeſſor, inſtaurator & gloria, judicium nihilominus incipiebat à domo ſua. In primis ſtrictioris obſervantiæ profeſſores, quorum magna in victu parcitas & aſperitas, in veſtitu notabilis vilitas, in opere manuum quotidiana deſudatio, in jejuniis & vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ auſterior converſatio commendabiliores efficit; ſuperba tamen de aliis contemptio & detractio clamorem invectionis & ſuſurrum detractionis emittit, ſic apologia ad Guillelmum Abbatem perſtringit. *Væ portantibus crucem, non ſicut Salvator ſuam, ſed ſicut ille Cyrenæus alienam! Væ citharœdis citharizantibus: non ut illi de Apocalypſi in citharis ſuis, ſed verò ut hypocritæ in alienis: Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis! Væ inquam ſemel, & væ iterum portantibus crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum: qui a nimirum cujus paſſionibus participant, humilitatem ſectari negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur qui hujuſmodi ſunt, quando & hîc pro temporali gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad æterna ſupplicia pertrahuntur. Laborant cum Chriſto, ſed cum Chriſto non regnant. Sequuntur Chriſtum in paupertate ſua, ſed in gloria non ſequuntur. De torrente in via bibunt, ſed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc, ſed tunc non conſolabuntur. Et meritò; quidenim facit ſuperbia ſub pennis humilitatis IESV? Nunquid non habet quo ſe palliet humana malitia, niſi unde involuta eſt infantia Salvatoris? Et quomodo intra præſepium Domini ſimulatrix arrogantia ſe coarctat, pro vagitibus innocentiæ malum ibi detractationis immurmurat? An non illi ſuperbiſſimi de Pſalmo, quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multò tutiùs operti ſunt iniquitate & impietate ſua, quàm nos latemus ſub ſanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, ac mentiens ſanctitatem? ::: Magna abuſio, Magna cura eſt ut corpus regulariter induatur; & contra regulam ſuis veſtibus anima nuda deſeritur. Cùm tanto ſtudio tunica & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt Monachus non putetur: cur ſimiliter ſpiritui pietas & humilitas, quæ profectò ſpiritualia indumenta ſunt, non providentur? Tunicati & elati abhorremus pelliceas; tanquam non melior ſit pellibus involuta humilitas, quàm tunicata ſuperbia? Repleti deinde ventrem fabâ, mentem ſuperbiâ, cibis damnamus ſaginatos; quaſi non melius ſit exiguo ſagimine ad uſum veſci, quàm ventoſo legumine uſque ad ructum exſaturari? Et præcipuè cùm Eſaü non de carne, ſed de lente ſit reprehenſus; & de ligno Adam, non de carne damnatus; & Jonathas de guſtu mellis, non de carne morti adjudicatus: è contra Elias innoxiè carnem comederit; Abraham gratiſſimè carnibus Angelos paverit, & de ipſis ſua fieri ſacrificia Deus præceperit. Sed & ſatius eſt modico vino uti propter infirmitatem, quàm multâ aquâ ingurgitari per aviditatem.* Quod variis inibi confirmat petitis è ſacris litteris exemplis.

Quantùm vero Monaſteria à primitivæ obſervantiæ rigore deficientia non tam calamo quàm ferro, & magis cauterio adurente quàm ſtylo corripiente reprimat, ex eadem apologia claret. *Pauca, inquit, quæ & vobis diſplicere cognovi, & omnibus bonis vitanda eſſe non dubito, neceſſarium reor ſubjungere, quæ quidem etſi fieri videntur in Ordine, abſit tamen ut ſint de Ordine. Nullus quippe Ordo quippiam recipit inordinatum: quod verò inordinatum eſt, ordo non eſt.*

Dicitur, & veraciter creditur ſanctos Patres illam vitam inſtituiſſe; & ut in ea plures ſalvarentur, uſq; ad infirmos regulæ temperaſſe rigorem, non regulam deſtruxiſſe. Abſit autem ut credam tantas eos, quantas vides in pleriſque Monaſteriis, vanitates ac ſuperfluitates præcepiſſe vel conceſſiſſe. Miror etenim unde inter Monachos tanta intemperantia in comeſſationibus & potationibus, in veſtimentis & lectiſterniis, & equitaturis, & conſtruendis ædificiis inoleſcere potuit; quatenus ubi hæc ſtudioſiùs, voluptuoſiùs, atque effuſiùs ſiunt, ibi Ordo meliùs teneri dicatur, ibi major putetur Religio. ::: Sub hac abuſione jam ferè ubique ſic pro Ordine tenentur, ferè jam ita ab omnibus ſine querela atque irreprehenſibiliter obſervantur, quanquam diſſimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non utentes utuntur, & ideo aut cum nulla offenſa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex ſimplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex neceſſitate. Quidam namque ſimpliciter iſta tenent, quoniam ſic eis præcipitur, parati aliter agere ſi aliter præciperetur: quidam autem ne diſcorditer vivant ab eis cum quibus habitant, ſectantes in his non ſuam libidinem, ſed aliorum pacem. Alii verò quia reſiſtere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique tanquam pro Ordine liberâ voce defendunt; & quoties iſti aliqua, prout ratio dictat, reſtringere vel mutare incipiunt, illi mox tota eis authoritate reſiſtunt.

Quis in principio cùm Ordo cœpit Monaſticus ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantum diſtamus ab his, qui in diebus Antonii extitere Monachi! Siquidem illi cùm ſe invicem per tempus ex charitate reviſerent, tantâ ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus, ſed non mentibus tranſigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti priùs inſerviebatur. Hæc ſumma diſcretio, cùm amplius ſumebat quæ major erat. Hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate Deus mortuus eſt, tantâ ſolicitudine reſocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apoſtoli utar) jam non eſt dominicam cœnam manducare. Panem quippe cœleſtem nemo eſt qui requirat. Nihil de Scripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ & riſus & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus modum neſcias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro ſolis carnibus à quibus abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur.

Hæc & alia omninò multa Bernardus, ſingularia quæque capita perſequens. Etenim fuſiſſimè deſcribit & quanta accuratione & arte coquorum cuncta apparent, quò varietas faſtidium tolleret, & adulterinis ſaporibus gulam provocarent. Non omittit quantâ apud eos ſolicitudine ova verſarentur & vexarentur; quanto ſtudio everterentur, ſubverterentur, liquarentur, durarentur, diminuerentur; & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatim apponerentur, ſolius faſtidio conſuleretur; unde dum oculi colunbus, palatum

ſaporibus illiciebantur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, omnia ſuſcipere coactus, oppreſſus magis obruebatur quàm reficiebatur.

Potum verò eorum ſic facetâ gravitate carpit. *Jam verò de aqua potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Omnes nimirum ex quo Monachi ſumus infirmos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium Apoſtoli de utendo vino conſilium meritò non negligimus; modico tamen, quod ille præmiſit, neſcio cur prætermiſſo. Et utinam vel ſolo, cùm etiam purum eſt, contenti eſſemus. Pudet dicere, ſed magis pudeat actitari: & ſi pudet audiri, non pudeat emendari. Videas uno prandio ter vel quater ſemiplenum calicem reportari, quatenus diverſis vinis magis odoratis quàm potatis, nec tam hauſtis quàm attactis, ſagaci probatione & celeri agnitione unum tandem è pluribus, quod fortius ſit, eligatur. Quale autem eſt illud quod nonnulla Monaſteria ex more obſervare dicuntur, in magnis videlicet feſtis vina delibuta melle, pigmentorum reſperſa pulveribus in Conventu bibere? Nunquid & hoc fieri dicimus propter infirmitatem ſtomachi? Hoc verò ad nihil aliud valere video, niſi ut vel amplius bibatur, vel delectabiliùs.*

Ad alia deinde magis ſingularia unius ſingularis Ordinis laxatæ diſciplinæ capita deſcendit. Refert enim quoſdam juvenes in domum infirmorum ſe recipere ſolitos fuiſſe regularis abſtinentiæ ſpecioſinis violandæ causâ, bacoloſque in manibus portaſſe: *Planè*, inquit, *neceſſarios, ut quam pallor in vultu macieſque non indicat, baculus ſuſtentans mentiatur invaletudinem. Ridendas, an lugendas dixerim hujuſmodi ineptias?* Ubi notandum non accuſari à Bernardo Monachos illos proprietatis, læſæ caſtitatis, vel voti obedientiæ violati; non ebrietatem exprobrat, vel crapulam; non objicit ſacramentorum profanationem, miniſtrorum inſcitiam vel incuriam; ſolam curioſitatem, ſuperfluitatem, & conquiſitas intra ſphæram abſtinentiæ à carnibus in communi refectorio jugiter ſervatæ delicias opponit. Et tamen zelo zelatus pro arctiori regulæ cuſtodia ſic totus ignitus erumpit: *Sic Macharius vixit? Sic Baſilius docuit? Sic Antonius inſtituit? Sic Patres in Ægypto converſati ſunt? Sic denique Sancti Odo, Majolus, Odilo, Hugo, quos ſe ſui utique Ordinis Principes & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri cenſuerunt? Heu me miſerum, qualemcumque Monachum! Cur adhuc vivo, videre ad id deveniſſe Ordinem noſtrum?* &c.

Sed fortaſſis, inquies iterum, libenter hæc audiebantur Bernardi tempeſtate, in hoc proinde ſæculo omnis reprehenſionis etiam leviſſimæ & generaliſſimæ impatiente minimè uſurpanda. Næ tu vehementer falleris qui hæc cogitas? Audi ipſum met Bernardum omnes illas delicatulorum nauſeas prævidentem & occupantem: *Dicam, dicam; præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata eſt? Quomodo ſal terræ infatuatum eſt? Quorum nobis vita via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt ſuperbiæ, cæci facti ſunt duces cæcorum. Utinam hæc pauca ſcripſerim ſine ſcandalo. Enim verò vitia carpens, ſcio me offendere vitioſos. Poteſt tamen fieri volente Deo, aliquibus quos me timeo exaſperaſſe, potiùs placiturum eſſe, ſed ſi deſinant eſſe vitioſi.*

Si hujuſmodi apoſtolicarum divini viri vocum milleſimam partem meo nomine uſurpaſſem, ſi umbram mihi zeli illius imitandam propoſuiſſem, nunquid perturbator, Clericorum & Religioſorum inſectator, attentator à prudentia (ſic enim obloquuntur viri ſi Superis placet prudentiſſimi, ſed eâ prudentiâ quæ vult omnibus omnia fieri; non Pauli conſilio, ut omnes lucrifaciant, ſed ut omnibus placeant, omnes & palpent) deſertus diris omnibus devovendus audirem.

Teſtis es mihi Domine Jeſu, cui abſcondita non ſunt occulta tenebrarum, cui nuda & aperta ſunt cordis arcana: teſtem, inquam, te appello, quem judicem pronus adoro, quia non mentior. Noſti ipſe, & ita eſt, quantâ & quàm ſincerâ dilectione, quàm profundâ & cordis medullis impreſsâ veneratione & Sacerdotes & Religioſos quolvis proſequar. Teſtes ſunt quotquot me norunt (norunt autem multi, quantùm in hac caligine homo homini innoteſcere poteſt) me ſtatum Sacerdotalem penè adorare, Regularem oculis habere chariorem. Dixi, & dico; nihil Sacerdotio ſanctius vel ſublimius; nihil Monaſterio ad regulam ſuam compoſito ad ſalvandas animas ſecurius. Egóne vel deſpicio, vel damno quos ſic prædicavi, ſic prædico, ſic quandiu vixero Deo dante prædicabo? Quis unquam me adverſus divinos illos ſtatus vel coram audivit diſputantem, vel clam ſuſurrantem, & non potiùs in laudes omne genus effuſum? Quos utriuſque ſtatus profeſſores, niſi cum gaudio magno valde vidi, niſi cum honore excepi, niſi cum reverentia alloquutus, niſi cum humilitate ſcribendo memoravi, & pro virili magnificavi?

Enim verò ſcio, & certus ſum bonos Religioſos (ut de illis ſpeciatim loquar quos reflexionibus meis offendiſſe me quidam pueriliter garriunt) plebem eſſe illam perfectam Deo juxta Angelicum vaticinium *Luc.* 1. memoratum parandam: nam præſtantiſſimum, Deoque gratiſſimum illud vivendi genus meritò exiſtimandum eſt, quo homines totos ſe Deo conſecrantes, in ejuſque poſſeſſionem ſeipſos transferentes divinis obſequiis perpetuò mancipantur; illud in terris æmulantes quo apud Deum in cœlo Angeli abſque ulla intermiſſione funguntur. *Quod faciunt Angeli in cælis*, inquit Hieronymus in Pſal. 115. *hoc Monachi faciunt in terris.* Quibus certiſſimè perſuaſus libenter illud uſurpaverim quod Bernardus apologiâ laudatâ de ſe teſtatur; *Non adverſus Ordinem, ſed pro Ordine diſputare putandus ero, ſi non Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re moleſtum me fore non timeo, quinimò gratum procul dubio accepturi ſunt, ſi perſequimur quod & ipſi oderunt. Si quibus verò diſplicuerit, ipſi ſe manifeſtant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id eſt vitia, damnari nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo: Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quàm ut veritas relinquatur.* In hoc tamen à Bernardo ferè immensùm differo, quod de nullo unquam ſpeciatim Ordine loquutus ſim, qui omnes & ſingulos totâ voluntate complector.

CAPUT II.

Euchariſtiæ utilitates & fructus immenſi perſtringuntur.

P*Erſtringuntur*, inquam; infinita enim diviniſſimi hujus Sacramenti compendia, quibus non dicam exornandis, ſed enarrandis impares ſunt linguæ hominum & Angelorum, intra capitis unius anguſtias concludi nequaquam poſſunt. Facilè enim veritate ipſâ coactus immenſos Euchariſtiæ effectus, nullâ poſſe oratione repræſentari quiſque fatebitur, qui ſeriò perpenderit Chriſtum gratiarum omnium fontem pleniſſimum eo fine verè & realiter in Euchariſtia contineri, ut ex ſcaturigine inexhauſta divinæ gratiæ ampliſſima munera hauriamus. Et certè ſi Chriſtus tot beneficentiæ ſignificationes iis contulit, in quorum tecta mortalis receptus eſt, vel qui unius veſtis aut fimbriæ tactu diſtillantem medicinam percepere; quantò magis animas noſtras, in quas immortali gloriâ jam præditus ingredi non dedignatur,

gnatur, paratas quidem illas, & ritè compoſitas ampliſſimis chariſmatis ornaturum eſſe ſine dubitatione credamus? *O quàm*, inquit Chryſologus ſerm. 34. *docuit mulier quantum ſit corpus Chriſti, quæ in Chriſti fimbria tantum eſſe monſtravit! Audiant Chriſtiani, qui quotidie corpus Chriſti attingunt, quantum de ipſo corpore ſumere poſſunt medicinam, quando mulier totam rapuit de ſola Chriſti fimbria ſanitatem.* Sugamus ergo divini ſponſi ubera, non typho turgentia, ſed lacte manantia; ubera meliora vino, fragrantia unguentis optimis, & præclaris opima virtutibus.

SPECULATIO I.

Varii Euchariſtiæ effectus ordine recenſentur.

Divinum hoc & ſalutare ſacramentum effectus ſuos nedum in animam, ſed in corpus etiam dignè recipientis diffundit. Singulos paucis referemus.

Primus Euchariſtiæ effectus: Gratiæ & vitæ ſpiritualis augmentum.

Aliter tamen quàm per ſacramentum Confirmationis augetur per Euchariſtiam gratia, ut docet S. Thomas *quæſt. 79. art. 1. ad* 1. Confirmatio enim gratiam illam largitur, quâ exterioribus inimicorum Chriſti impugnationibus repugnemus, eorúmque hoſtiles conatus irritos efficiamus. Euchariſtia verò gratiam auget, ut homo Chriſtianus interiùs perfectior, ſpiritalior, Deóque conjunctior evadat. Cujus differentiæ ſignum etiam eſt, quod confirmatus in fronte perungitur; at Euchariſtia ad modum cibi ſuſcepta cor uſque pervadit. *Principium fortitudinis eſt in corde*, inquit S. Doctor q. 72. art. 9. ad 2. *ſed ſignum apparet in fronte: unde dicitur Ezech. 3. Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum. Et ideò ſacramentum Euchariſtiæ, quo homo in ſeipſo confirmatur, pertinet ad cor, ſecundùm illud Pſalmi 103. Panis cor hominis confirmet. Sed ad ſacramentum Confirmationis requiritur ſignum fortitudinis ad alios, & ideo exhibetur in fronte.* Hoc præmiſſo.

Facile probatu eſt gratiæ & vitæ ſpiritalis augmentum ad hoc ſacramentum proficiſci. Et quidem per hoc ſacramentum conferri gratiam ſanctificantem perſpicuum eſt. Cùm enim hunc effectum communem habeant omnia novæ legis ſacramenta, à fortiori id de præſtantiſſimo ſacramento dicendum eſt, cùm in eo Author Sacramentorum, fonſque omnium gratiarum contineatur, à quo velut à capite & concha ad alia ſacramenta, velut tanquam ad rivulos & canales quidquid ſanctitatis producere poſſunt derivatur. Quod verò gratiæ & ſanctitatis augmentum ſit proprius hujus ſacramenti effectus, ſuadetur; quia in hoc ſacramento datur nobis Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini in memoriam paſſionis ejus: Chriſtus autem non venit ad nos niſi ut theſauros gratiæ effundat, ſicut in mundum, teſtante Joanne, non venit niſi ut gratia & veritas per ipſum fieret. Chriſtus etiam per modum cibi & potus hoc in ſacramento venit, eos ut nobis conferat effectus, quos terreſtris cibus & potus corporibus præſtat, quæ ſuſtentat, auget, reparat, & delectat. Deniq; memoriale paſſionis & mortis Chriſti illud facit in homine quod paſſio Chriſti fecit in mundo: paſſio autem Chriſti eſt univerſale gratiarum omnium principium. Igitur Euchariſtia donorum cœleſtium aquis ſcatet, quibus accedentium ſanctitas perficitur, augeſcit, cumulatur.

Signum portò hujuſmodi incrementi ſpiritalis ex Chriſtianarum virtutum praxi & animi in via Dei firmitate dignoſcitur. Sicut enim animantium vita in motu ſita eſt, ſic nova vita virtutum operatione clareſcit, quibus diligenter & ſtrenuè incumbit qui piè ac reverenter hoc ſacramentum frequentat. Nam non ſolùm in peccata lethalia continuis prolapſionibus non recidit, ſed etiam, ut alicubi Bernardus docet, *fit homo manſuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obedientiam promtior, ad gratiarum actionem devotior.* Interior animi profect⁹ cognitu difficillimus eſt, ſi de illo ex ſenſibilibus duntaxat cordis affectibus judicium ferendum ſit. Etenim nonnulli ſolidè pii tædio & languore interdum deprimuntur, Deo pietatis ardorem & ſenſum illis, quò humiliores ſint & cautiores, eripiente. Quare profectus ex vitæ caſtimonia, ex indefeſſa bonorum operum praxi, ex fideli divinorum mandatorum & conſiliorum obſervantia veriùs, ſecuriúſque diſcernitur. Sicut enim, ut olim apud Granatenſem me legiſſe memini, arborem adoleſcere oculi non vident tamen, nimirum diffuſam in ramos, veſtitam floribus, fructibus opulentam; non abſimili modo ſpiritalis vitæ incrementa ſæpe non ſentimus, quæ ex fructib⁹ eorum, ut non ſemel Veritas dixit, cognoſcuntur.

Juxta quam regulam ab ipſo Domino conſtitutam inferre eſt, inanes, & utinam non ſacrilegas eorum eſſe Communiones, qui ſemper peccati mortiſque, nunquam pœnitentiæ & pietatis fructus edunt. Si panis, & maximè iſte divinus cor hominis confirmat, ſignum eſt in illis ſacrum calorem coquendo cœleſti cibo neceſſarium extinctum eſſe, in quibus idem languor, infirmitas eadem perſeverat, eadem concupiſcentiæ infauſta radix de integro pullulat, & vulnera ſanie & tabo etiamnum manant. Itaque ſola vitæ integritas, morum innocentia, peccati horror, bonorum operum cultus, corruptarum mundi næniarum ſincera & effectiva abjectio, arctior cum Deo conjunctio, firmum & conſtans Evangelicarum maximarum obſervandarum propoſitum exhibitione operis comprobatum lapis lydius eſt, quo profectus gratiæ in Euchariſtia perceptæ ſpectari, dijudicarique poteſt. Quod ſi poſt accuratam, & ab Apoſtolo imperatam probationem pateat te chriſtianè pièq; non vivere, nec mores fidei reſpondere, nec ſuſcepta in baptiſmate pacta ſanctè ſervare, nec Chriſti Sanctorúmque veſtigiis inſiſtere, profectò non augmentum, ſed decrementum, ſed extinctionem gratiæ tuæ timeo.

Secundus Euchariſtiæ effectus: Specialior cum Chriſto unio. Tertius: Unio Fidelium inter ſe.

Ita poſt Patres docet Concilium Florentinum ſæpe memoratum, dum ait, *adunationem hominis ad Chriſtum eſſe effectum hujus ſacramenti. Sicut*, inquit Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 17. *ſi quis ceram liquefactam aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commiſceat neceſſe eſt: ſic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* Etenim ut in matrimonio inter virum & uxorem tanta initur unio, ut duo eſſe in carne una dicantur, quia nimirum mutua eſt alterius conjugis in alterius corpus poteſtas: ſic enim quia Chriſtus ſe in hoc Sacramento ſuſcipienti dat, & Chriſto ſe viciſſim recipiens tradit, magna inter utrumque intercedat unio neceſſe eſt.

Id tamen non ita intelligas velim, quaſi phyſicam cum Chriſto unionem fideles conſequantur; ſolus enim intervenit moralis cordium nexus & veluti transfuſio, juxta illud Authoris ſermonis de cœna Domini, inter Cypriani opera: *Noſtra & ipſius conjunctio*

Digitized by Google

nec miſcet perſonas, neque unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat & confœderat voluntates.

Nec obeſt ſi dicas hanc unionem ab eodem Cyrillo, necnon à Chryſoſtomo *homil. 88. in Matth. & 45. in Ioannem*, dici *ſubſtantialem, naturalem, corporalem.* Non obeſt, inquam, hujuſmodi enim expreſſionibus impium Calviniſtarum dogma præfocare in anteceſſum voluerunt, & fideles omnes docere Chriſtum naturale & ſubſtantiale corpus nobis in Euchariſtia porrigere. Itaque unionem illam vocant ſubſtantialem, corporalem, naturalem ex parte rei datæ, nimirum corporis Chriſti, quod ſubſtantialiter, corporaliter, & naturaliter datur; non verò eam ſic appellant habitâ ratione modi unionis quâ Chriſtus cordibus noſtris connectitur, qui non phyſicus, ſed moralis eſt.

Ex unione fidelium cum Chriſto nexus eorum inter ſe liquidò conſequitur. Etenim quæ ſunt eadem uni tertio, unum etiam inter ſe omninò efficiuntur. Quare Chriſtus in Euchariſtia eſt veluti centrum in quod omnes boni Chriſtiani veluti lineæ confluunt; cæmentum eſt ac divinum ſignum, quo fidelium inter ſe corda ſtringuntur: lapis eſt angularis, qui facit utraque unum. Unde illud tritum Apoſtoli: *Unum corpus multi ſumus omnes qui de uno pane, & de uno calice participamus.* Sed de his plura agentes de unitate Sacramenti Euchariſtiæ ſpeciali reflexione egimus.

In hoc ergo cognoſcent omnes nos Chriſto in Euchariſtia uniamur, ſi dilectionem habuerimus adinvicem. Illis charitatem illam ſuam in mirabili Sacramento dat Chriſtus, quam ipſi dedit Pater, qui unum charitate ſunt, ſicut Pater & Filius naturæ identitate. Hæc mutua dilectio chriſtianitatis teſſera eſt, & Chriſtianorum fortitudo. *Domum Dei fideles non faciunt*, inquit Auguſt. ſerm. 9. in Anniverſ. Eccleſiæ, tom. 10. *niſi quando charitate compaginantur. Ligna iſta, & lapides ſi non ſibi certo ordine cohærerent, nemo huc intraret. Quando vides in aliqua fabrica lapides & ligna benè ſibi cohærere, ſecurus intras, ruinam non times.* Præclarè Magnus Gregorius exponens illud Cantic. 6. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, ſic habet: *Scimus & conſtat, quia caſtrorum acies tunc hoſtibus terribilis oſtenditur, quando ita fuerit conſtipata atque denſata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam ſi ita diſponitur, ut locus vacuus, per quem hoſtis poſſit ingredi, dimittatur, profectò jam ſuis hoſtibus terribilis non eſt. Et nos ergo cùm contra malignos ſpiritus ſpiritualis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe eſt ut per charitatem ſemper uniti atque conſtricti, nunquam interrupti per diſcordiam inveniamur; quia etſi qualibet bona in nobis opera fuerint, ſi charitas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendum hoſtis valeat intrare.*

Veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam magis quàm ſexcenta miracula confirmat & perſuadet Euchariſtiam frequentantium ſacra concordia. Nam ut divinè ſcripſit Chryſoſtomus hom. 33. in 1. Cor. *Etſi ſexcenta miracula edant, dum diſſident inter ſe, ridiculi cæteris erunt. Quemadmodum etiamſi nullum ſignum edant, diligant autem ſeſe verè, ſuſpiciendi invictique omnibus mortalibus permanebunt. Nam & Paulum eam ob rem miramur, magis autem quàm ob mortuos ſuſcitatos, lepras ve mundatas. Stupenda vox eſt: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego nõ uror? Sexcenta narra mihi miracula; nullum huic æquiparandum addueet.* Nihil tam Euchariſtiæ adversùm hæreticorum blaſphemias detrahit, quàm malorum Catholicorum eo cibo paſtorum diſcordia inteſtina.

Quartus Euchariſtiæ effectus. Pinguedo ſpiritus, ſeu victrix gratiæ delectatio.

Ita docet D. Thomas quæſt. 79. art. 1. ad 2. *Ex virtute hujus ſacramenti*, inquit, *anima ſpiritualiter reficitur per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, & quodãmodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, ſecundùm illud Cant. 5. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Hujus divini cibi ſuavitatis figura manna fuit, ex quo omnis ſaporis dulcedo percipiebatur. Hinc etiam Iſaias *cap. 25.* in hujus cœleſtis convivii commendationem prædixit: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (ſcilicet Eccleſiæ) *convivium pinguium, & convivium vindemiæ: convivium pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ.* Quia nimirum caſtæ nobis hîc exhibentur voluptates, quæ nihil nedum impuritatis, ſed nec amaritudinis etiam admixtum habent, utpote quæ ex intima Chriſti inhabitantis præſentia, & tenerrimo amabiliſſimi hoſpitis amplexu proficiſcuntur. Hujus cõvivii ſacras delicias, quibus ſpiritus ſaginatur, hancq; ſpiritalem ebrietatem ſic piè exponit Author ſermonis de cœna Domini, apud Cyprianum: *Quam præclarus eſt calix iſte! Quàm religioſa hujus potus ebrietas! per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, ad anteriora extendimur; non habentes ſenſum hujus mundi, crucî hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam, quo interiùs exteriuſque rubricati, à ſapientibus hujus ſæculi judicamur amantes. Ut manna, ſic & hic panis omne delectamentum in ſe habet: virtute nutrifica omnibus qui dignè & devotè ſumunt ſecundùm ſuum deſiderium ſapit, implet, ſatiat edentium appetitus, & omnium exſuperat dulcedinum voluptates. Eſus igitur carnis hujus quædam aviditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in Chriſto, per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato noſtro & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus.*

Illud porrò deplorandum, tam paucos, & ferè nullos hujus ſuaviſſimi convivii ſuper mel dulces cõſolationes expertos. Ne mirare; noxius humor ſubintravit, infecitque palatum cordis delectatio terrenorum. Mutavit homo gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, deſideravit Ægyptias carnes, allia, & cucumeres: quî ergo fieri poteſt, ut corde ſenſuum carnalium habente, ſecularibúſque nugis & quiſquiliis repleto, cœleſtem ſaporem percipiat? *Errat omninò*, inquit Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſione, *ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balſamum huic veneno, chariſmata iſta ſpiritus miſceri poſſe hujuſmodi illecebris arbitratur.* Non niſi poſt ablactationem eſus panis datur infanti: non ergo homo delectabitur in divinis, qui ſe priùs à ſæculi voluptatibus velut à maternis uberibus infans non alienaverit. Ergo huic ut nos caſtæ delectationi, quæ in Euchariſtia veluti in fonte potatur, pro noſtro exiguitatis modo præparemus, exinaniamus per omnia noſmetipſos, & à delectationibus miſeris & caducis conſolationibus evacuare ſtudeamus, Ut cum Propheta guſtemus & videamus quoniam ſuavis eſt Dominus, eodem monente vacemus & videamus, quoniam ipſe eſt Deus: nimirum rebus divinis, negotio ſalutis, pœnitentiæ exercitationibus ſeriam operam navemus, anxias curas remittamus, ſuperfluis ſollicitudinibus medeamur, ſummanius à mundanis occupationibus quas maledictas Bernard. appellat, otium; illas decidere, effluere, & obire ſinamus: & ſi illis cogente neceſſitate ad horam diſtinemur, leniùs ac remiſſiùs circa illas agamus, ut illis præclara animi libertate expeditis, toti in Deum ſtudiis tranſeamus. Alioquin corde ſicci,

ſicci, mente aridi, viribúſque languidi ſacris intereſimus myſteriis: lambemus quidem petram, ſed inde nec mel ſugemus, nec oleum; qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetabimur,

Itaque cum Auguſtino *lib. 2. confeſſ. cap. 2.* colligamus nos à diſperſione, in qua fruſtatim diſciſſi ſumus, dum ab uno ſummo bono averſi in multa evanuimus, ut recolentibus vias noſtras nequiſſimas in amaritudine animæ noſtræ dulceat dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura. Et tum unuſquiſque noſtrûm illud ejuſdem Auguſtini *lib. 9. confeſſ. cap. 1.* Deo donante perſonabit: *Quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum! Ejiciebas eas à me vera Tu & ſumma ſuavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Ita comparatus manducans Euchariſtiæ cibum, ultrà non eſuriet; ſic bibens præclarum calicem, ultra non ſitiet: *Quoniam*, inquit Author ſermonis de cœna Domini, inter opera Cypriani, *myſteriis hujus ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, ut cuicumque tanta res inſtuerit plenitudo, omnis conſummationis fine invento, Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo laudes reſonet, & gratiarum actiones decantet.*

Illud tamen circa ſpiritales Euchariſtiæ delectationes obſervandum meritò eſt, has ſacras delicias à viris etiam juſtis interdum non percipi; tum in pœnam alicujus peccati venialis fervorem charitatis remorantis, & internæ unctionis lucem nonnihil obſcurantis; tum ſine peccato, ex ordinatione divinæ providentiæ, ad majorem Sanctorum humilitatem & probationem teneriorem pietatis ſeorſum ſubducenos. Quæ quidem gratia devotionis cùm deeſt, inſiſtendum eſt orationi, inquit Thomas à Kempis aureo ſuo de imitatione Chriſti opere, *lib. 4. cap. 12.* ingemiſcendum, & pulſandum, nec deſinendum *donec mereamur micam, aut guttam gratiæ ſalutaris accipere.* Attamen animum interim deſpondere ſuum non debet Chriſtianus, ſed ut S. Franciſcus Saleſius ait *Philothea ſua 4. part. c. 14.* in Dei nutu & providentia prorſus conquieſcendum eſt, ut nos in iſtis internis deſolationibus quandiu libuerit, benigniſſimus Pater quos amat caſtigaturus, exerceat. Interea bonis operibus conſtans opera navanda eſt, quæ licèt ſapida fortè nobis non ſint, Deo tamen, cui ſola ſinceri cordis voluntas placet, jucundiſſima ſunt. Et Thomas à Kempis libro laudato, cap. 15. *Oportet te devotionis gratiam inſtanter quærere, deſideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conſervare, ſtudioſe cum ea operari, ac Deo terminum & modum ſupernæ viſitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipuè te debes, cum parum aut nihil devotionis interiùs ſentis; ſed non nimium dejici, nec inordinatè contriſtari. Dat ſæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis diſtulit dare. Si ſemper citò gratia daretur, & pro voto adeſſet, non eſſet infirmo homini benè portabilis. Propterea in bona ſpe & humili patientia expectanda eſt devotionis gratia. Quiſquis ergo intentionem ſuam ſimplici corde ſurſum ad Deum levaverit, ſeque ab omni inordinato amore, ſeu diſplicentia cujuſlibet rei creatæ evacuaverit, aptiſſimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem ſuam, ubi vaſa vacua invenerit: & quantò perfectius infimis quis renuntiat, & magis ſibimetipſi per contemptum ſui moritur, tantò gratia celeriùs venit, copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor elevat.*

Quintus Euchariſtiæ effectus: Spiritalis vigor, quo tentationibus obſiſtimus, & peccati mortiferi veneno præſervamur.

Ita docet D. Thomas *art. 6.* & ſacra etiam Tridentina Synodus *ſeſſ. 13. cap. 2.* ubi hoc Sacramentum appellat *Antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis præſervamur.* Et ideo animi in bono perſeverantis firmitas ab hoc potiſſimùm Sacramento derivatur. Hac de cauſa ægrotantibus in fortitudine cibi illus iter æternitatis conſecturis per modum viatici miniſtratur. Ob eandem etiam rationem S. Cypriano authore *lib. 1. epiſt. 2.* Fidelibus ad tormenta & cædem raptis, ne in certamine deficerent, Euchariſtia porrigebatur, ut munimento dominicæ ſaturitatis armati, foris pugnas, intus timores ſuperarent. De quibus non longè antè multa diximus.

Porrò à peccatis futuris præſervat divini hujus cibi perceptio, tum interiorum virium per gratiam virtutes infuſas incremento, tum auxiliorum actualium pro neceſſitate habendorum jure collato, tum exterioris cacodæmonis impetus cohibitione: non enim tantâ vi & audacia ad eum humani generis hoſtis accedit, quem videt tantæ Majeſtatis præſentiâ fultum, & memoriali Dominicæ Paſſionis, quâ devicta ſunt tartara, communitum. Unde Chryſoſtomus *hom. 35. in Ioan.* Fideles dignè hocce Sacramentum uſurpantes leonibus flammam ſpirantibus comparat, eoſque Diabolo terribiles effectos eſſe pronuntiat.

Quæ cùm ita ſint, abſq; negotio inferet pius Lector, ſuſpectas omninò eſſe eorum Communiones, qui in peccata mortalia creberrimè prolabentes ſanctiſſimis, tamen tremendiſq; Altaribus ſine ulla formidine ſeſe inferunt, in eadem mox flagitia recidunt. Si vigor à peccatis præſervans ſit Euchariſtiæ effectus, nec abſint effectus niſi obex interponatur, quid de illis cenſere licet, qui eo animi languore debilitateque laborant, ut, ne octo quidem dies ab iiſdem peccatis ſibi temperare valeant? Grandis dubio procul, & longè periculoſiſſima illa ægritudo eſt, quam talis tantiſque cibus tam ſæpe perceptus non perſanat, & nec collapſas vires reſtituit tantæ virtutis alimonia ori tuo frequenter ingeſta.

Scio equidem hominis viatoris ſtatum & conditionem mutabilem illam atq; in bonum malùmque liberi arbitrii infirmitate flexibilem, nunquam eam immobilitatem, quæ paucis in gratia confirmatis eximia eſt, obtinere: attamen homines hoc cibo fortium paſtos eaſdem ſemper & interdum graviores ægritudines experiri, nunquam convaleſcere, nunquã laqueos infirmitatis evadere, cum hujus Sacramenti effectu à Sanctis omnibus tradito quàm bellè conſentiat, non video, non capio, non teneo. Sacramenta ſunt cauſæ phyſicæ, naturaliter ſubinde, niſi objectaculum intercedat, operantes: ergo ſi mens tua vanis formis imaginibuſque corporeis vitiorum & cupiditatum conſuetudine inculcatis ita obducitur atque obruitur, ut nihil jam in ipſa loci divinarum rerum cogitationi relinquatur; ſi pectus tuum in terrenis uſque adeò demerſum atque defixum ſit, ut paululùm modò in cœlum animum attollere, & in Deum cœli erigere non valeas; ſi tanta denique ſit inertia tua, ut nec calamitatis ſenſum experiare, nec remedium illis aliquod adhibere ſolicitus ſis, nonne argumento eſt ſatis claro, te tot fœdis cupiditatibus miſerandum in modum irretitum, in iiſdemq; ſemper delictorum ſordibus hærentem, nondum hujus Sacramenti effectu frui, nondum te in Chriſto, Chriſtum in te manere, ſed mundi, carnis, dæmoniſque mancipium permanere. Ad ignem accedere, & ſemper algere, cœleſtem fon-

frontem potare, & carnalia ſemper ſitire; in Chriſti (qui vera lux mundi eſt, ignisque conſumens Deus noſter, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus, niſi voluntarii frigoris glaciem opponant) in Chriſti, inquam complexus irruere, & à pietatis ſenſu, fervore charitatis, Dei ſtudio, rerum cœleſtium curâ & cogitatione alieniſſimum ſe ſentire, cum Sanctorum doctrina de animo expurgando atque ad Euchariſtiam excolendo, necnon de robore panis cœleſtis quomodo convenire poſſit, nullus, niſi meus me fallit animus, bonus Chriſtianus intelliget.

Sextus Euchariſtiæ effectus: Venialium remiſſio peccatorum.

Ita docet S. Thomas *art. 4.* ubi tradit peccata venialia dupliciter hoc Sacramento remitti. Primò quia hoc Sacramentum per modum cibi nutrientis accipitur, juxta illud Joan. 6 *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*: illud etiam Tridentini *ſeſſ. 13. cap. 2.* Salvator noſter ſumi voluit hoc Sacramentum *tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Unde ſicut quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim alimento reficitur & ſarcitur, ita quidquid anima cupiditatis ardore quotidie per leves offenſas amittit, totum pius Euchariſtiæ uſus reſtaurat. Secundò quia peccatis venialibus fervor charitatis imminuitur, qui cùm hoc vitali cibo mirum in modum excitetur & flammeſcat, eo remitti delerique peccata venialia non eſt quod dubitari debeat. Unde meritò à Beato Ambroſio *lib. 5. de ſacram. cap. 4.* dictum eſt: *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.*

Nec valet ſi dicas hanc duplicem rationem eandem tandem coincidere; cùm enim peccatum veniale privet fervore charitatis, ſicut privatio non niſi per formam quam removet tollitur, ita peccata venialia uno charitatis fervore remittuntur; ac proinde non ex opere operato, ſed ex opere duntaxat operantis peccata venialia condonabuntur.

Non valet, inquam: tum quia cùm divina Euchariſtia jus habendorum auxiliorum, quibus inflammetur charitas, ſubindeque peccata ſeviora deleantur, ex opere operato impertiat, conſequenter peccata venialia ex opere operato ſufficienter abſtergere cenſenda eſt. Tum quia gratia ſacramentalis quà talis modum aliquem ſpecialem importat, ut in materia de Sacramentis in communi probabilius eſſe monſtravimus, quo maculas veniales remanentes abſtergi non eſt inconveniens. Etenim peccatum habituale veniale præter privationem fervoris actus charitatis quam includit, quamdam etiam immunditiem & maculam invehit, quam gratiâ Euchariſticâ deleri congruum eſt, niſi affectum hominis circa illa venialia inveniat occupatum.

Tùm denique, quia duplex eſt venialium noxarum genus; aliæ enim ex deliberato propoſito voluntatis proficiſcuntur, nec niſi ob materiæ parvitatem leves ſunt, ſicut mendacium merè officioſum, & furtum unius pomi: aliæ non de induſtria & animo deliberato, ſed per incogitantiam irrepunt; ideo enim multis latentis concupiſcentiæ laqueis & inſidiis irretimur, ut ſæpe nobis plus juſto indulgentes peccemus, nec peccare nos advertamus tamen quin etiam (quæ magna infirmitas noſtra eſt, & Sanctis flendi copioſa ſeges) dum bona agere opinamur, in occulta interdum delicta incidimus; dumque nihil aliud niſi pietatem nobis videmur habere propoſitam tunc vel ignorantiâ vincibili, vel nimio irrepentis amoris proprii ſtudio peccamus. *Sæpe enim*, ut ex Magno Gregorio ſæpe in hoc Opere diximus, nec iterari tam præclarum documentum piget, *ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. Fit ut aliud in imis intentio ſupprimat, & aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat.* Ita 1. part. Paſt. cap. 9. Quod & aliis variis locis alibi memoratis Pontifex ſanctiſſimus repetit. Primi ordinis peccata ſine actualis pœnitentiæ à fervore dilectionis profectæ motu nunquam remittuntur, quia privatio actus nõ niſi per actum quem removet, unquam removetur. At poſterioris generis delicta beneficio gratiæ Euchariſtiæ ex opere merè operato remitti probabiliſſimè remur, ut ſacro illo cibo quod cupiditatis occultis inſidiis perdimus reſtauremus. Unde advertenter, & juxtà ſapienter Catechiſmus Romanus *part. 2. tit. de Euchariſt. n. 53.* poſtquam dixit, Euchariſtiæ devoto uſu reſtitui quidquid ardore cupiditatis ad leves offenſas pertrahentis amiſimus, ſubdit: *Verum hæc de iis peccatis intelligenda ſunt, quorum ſenſu & delectatione animus non permovetur.*

Ex his liquere puto, parum illos ex Euchariſtiâ proficere, qui peccata venialia pro nihilo ducunt, nihilque ab illis metuentes, nihilque ab iis cavendis laborantes, ea non minori quàm laudatiſſima quæque opera, facilitate & confidentia ſuſcipiunt. Etenim peccata illa ſimul voluntariè congregata, velut ſcabies animæ decus exterminantia, à cœleſtis Sponſi caſtiſſimis amplexibus cùm ſeparent, divinæ Euchariſtiæ fluentis intercedunt, dum in ea non incauti tantùm & imprudentes, ſed volentes etiam & ſcientes incurrimus. In aliquot venialia peccata incidere humanum eſt & quotidianum: at affectum erga illa retinere, illàq; piis operibus redimere nõ curare, magno eſt Euchariſtiæ fructibus impedimento. *Verè dico vobis, Fratres chariſſimi*, ait S. Auguſt. ſerm. 244. *quia non hoc de nobis Deus meretur, ut in nobis imago ipſius per malas concupiſcentias injuriam patiatur. Et cùm nullus homo velit cum tunica ſordibus plena ad Eccleſiam convenire, neſcio quâ conſcientiâ, cùm anima per luxuriam ſit inquinata, præſumit ad altare accedere.* Non loquitur autem Auguſt. de luxuria lethali, ſed veniali, in quam incidunt qui matrimonio intemperanter ac extra liberorum procreandorum fines utuntur; ſic enim habet: *Sed dicis, peccatum quidem eſt, ſed tamen parvum eſt. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum eſt. Sed tamen ſi frequentiùs exerceatur, & jejuniis vel eleemoſynis non redimatur, nimis immundam facit animam. Noli deſpicere peccata tua, quia parva ſunt. Nam & pluviarum guttæ ſunt, ſed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum ſuis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia parvum peccatum eſt, velim ſcire quoties tale peccatum admittis, ſi tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veſte tua ſciſſuras vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia tot facere in anima tua non metuis? Ac ſic quicumque hoc fecerit, plus amat veſtem ac carnem ſuam, quàm animam.* Sed de his copioſiùs diſſertatione ſequenti.

Septimus Euchariſtiæ effectus: Remiſſio pœnæ vel penitus, vel partim, pro modo & ratione fervoris ſuſcipientis condonatæ.

Explicatur & probatur doctrinâ S. Thomæ *art. 5. quæſt. 79.* Euchariſtia conſiderari poteſt vel prout ſacrificium eſt, vel tanquam ſacramentum: utroq; autem modo ad remiſſionem pœnæ conferre poteſt. Quà ſacrificium quidem, nã ſi propitiatoriis veteris legis hoſtiis homo remiſſionem pœnæ olim impetrabat, multò magis hoc unigeniti Filii Dei infiniti pretii ſacrificio veniam culparum & pœnarum eis debita-

bitarum indulgentiam conſequi valemus. ſed de his, ne omnia ſuſdeque miſceamus, diſſertatione quinta operoſior ſermo habendus eſt. Euchariſtia etiam quà ſacramentum eſt ad pœnæ remiſſionem condu- cit. Etenim licèt Sacramentum hoc ad animam ſpiritualiter nutriendam directè ſit inſtitutum, quia ut rectè D. Thomas, & Pontifex in Clementina unica de reliquiis & veneratione Sanctorum dixerunt, in Euchariſtia anima ſpiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Dei: in quo ipſa Dei dulcedo in ipſo fonte deguſtatur. *Hic eſt cibus, qui plenè reficit, verè nutrit, ſimulque impinguat, non corpus, ſed cor; non carnem, ſed animam; non ventrem, ſed mentem.* Attamen quia proprius & characteriſticus hujus Sacramenti effectus eſt augmentum charitatis, *ex cujus fervore*, inquit D. Thomas laudatus, *aliquis conſequitur remiſſionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ, inde eſt quod ex conſequenti per quandam concomitantiam principalem effectum homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundùm modum ſuæ devotionis & fervoris.*

Accedit, nunquam reatum culpæ tolli, niſi reatus pœnæ ſin ex toto, certè ex partè tollatur. At per Euchariſtiam peccata venialia quoad culpam remittuntur, & aliquando, per accidens tamen, mortalia, ut poſteà dicemus. Ergo reatus pœnæ per Euchariſtiam deletur. Denique eatenus Euchariſtia pœnam remittere dici meritò poteſt, quia omnes omnium pœnitentiæ laborum, omniumque virtutum fructus & effectus cumulatè & abſolvere, ſolius Euchariſtiæ eſt.

Sed advertere hîc operæpretium eſt, beneficio Euchariſtiæ quà ſacrificii & quà ſacramenti pœnas peccato debitas remittentis non propterea pœnitentiæ neceſſitatem excludi. Nulla eſt enim indulgentia ſive à Chriſto, ſive ab Eccleſia vice Chriſti collata, quæ agendæ pœnitentiæ omnibus peccatoribus indictum præceptum evacuet. Verum non eſt vero contrarium, ſed facillimè à veritatis amantibus conciliantur. Culpas & pœnas delent Sacramenta, delent Eccleſiæ Paſtores traditis ſibi divinitus clavibus Regni cœlorum. Verumtamen ille ipſe qui dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; & iterum, *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*: non minori veritate dixit, *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Magna eſt, & juxtà ſalutaris Sacramentorum, magna Indulgentiarum vis: ſed peræquè magna eſt pœnitendi neceſſitas iis qui Baptiſmi ſanctitate violatâ, ſanguinem Chriſti conculcare, & ſpiritum Sanctum contriſtare non formidaverunt. Exigit enim divinæ juſtitiæ ratio, inquit Patrum omnium & Veritatis ipſius veſtigiis inhærens ſacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 14. cap. 2. & 8* ut ad vitæ novitatem & integritatem *ſine magnis noſtris fletibus & laboribus nequaquam pervenire poſſimus, ut meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dicta fuerit.*

Novatorum Sacramenta auguſtiſſima, & Eccleſiæ Claves efficaciſſimas impiè irridentium audaciam anathematis infinitis juſtiſſimè percellit omnis Catholicus; ſed eorundem perverſiſſimam facilitatè non minùs coarguit, quâ peccata poſt Baptiſmum commiſſa abſque operoſiore & laborioſiore pœnitentiâ deleri, certiſſima Scripturarum & ſacratæ Traditionis oracula evertentes affirmant. Sed de his uti opportunius, ita fuſius tractatu ſequenti de Pœnitentia, Deo benè vertente, diſſeremus.

Octavus Euchariſtiæ effectus: Cordis caſtimonia in appetitum diffuſa

Non ſiſtunt intra animam uberes Euchariſtiæ utilitates; in appetitum etiam, corpuſque dimanant. In appetitum quidem redondat paſſionum moderatio: Chriſto namque obumbrante, & caſtitatis rorem inſtillante, *ſpiritale refrigerium percipit* vir Chriſtianus, inquit Angelicus Doctor *opuſcul. 58 cap. 21.* illud uſurpans Ozeæ 14. *Ego quaſi ros, & Iſraël germinabit quaſi lilium*, quod eſt hieroglyphicum caſtitatis. Et in præſenti, art. 6. ad 3. *Licèt hoc ſacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem; quia ſicut Auguſtinus dicit in libro 88. quæſtionum, augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis.*

Ferunt Naturaliſtæ, in herba quam vocant Agnum Caſtum recumbentes caſtos evadere & pudicos. Agnus verè Caſtus Chriſtus eſt: quidni ergo dum ſuper nos recumbit, ſævientem membrorum noſtrorum legem ſedabit, vinorum incentiva reprimet, animi æſtus refrænatos extinguet? Dominabitur planè in medio inimicorum ſuorum; & hoc erit præſentis Chriſti virtutis inſigne, hoc trophæum ſingularis triumphi, ut prædæ ſuæ prædo ipſe, ipſis captivis ſuis ipſe captivus, vinctis quondam ſuis vinctus ipſe Diabolus nunc tradatur. Si tentationis procella urget, inguitque tempeſtas, adeſt beneficio Euchariſtiæ in mœrore ſolatium, in periculo remedium; adeſt intrinſecus debellans, victórque paſſionum, quæ tametſi pulſent, tentent, provocent, concident tamen ad noſtram gloriam triumphorum. Nobis enim cupit vincere in Euchariſtia nobiſcum convivens Chriſtus, qui in terris dum viveret pro nobis dignatus eſt militare. Hinc pax illa quæ exſuperat omnem ſenſum proficiſcitur, quia appetitus rationi, ratio Deo mirâ ordinis tranquilitate jugiter famulantur. Quantùm ergo deſiderabile eſt nomen pacis, tantùm amabile eſt Altaris Dominici cœleſte convivium. Et quid dignum poſſumus de pace proloqui? Pax nomen eſt ipſius Chriſti; ſicut enim Apoſtolus *Ephes. 2* dixit: *Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum.* Quia ut præclarè dixit Chryſologus ſerm. 53. *Planare pacem raditus eſt Dei, evellere penitus mundi.* Neq; enim æſtus corporis voluntariè ſentit, quem divinæ protegit umbra virtutis; nec fallaces libidinum voluptates inquirit, qui ſe ſeptum ſuperni ſplendoris circumſpicit velamento. Et quomodo regnaret in corpore noſtro mortale peccatum, quod ſibi in reclinatorium & thronum Rex noſter elegit?

Itaque Divinæ Euchariſtiæ umbraculo & anceli tecti & protecti, internarum impetus conflictúſque paſſionum ne timeamus. Sanè ſicut majorem mundum non inficit, ſed decorat elementorum inter ſe pugnantium concors diſcordia; ita minorem mundum hominem, rerum omnium compendium & epilogum non deprimit, ſed beneficio cibi vitalis attollit quotidiana paſſionum lucta, quæ intrepidi magnitudinem animi dum exercet, opportunitatem victoriæ, locum ſuppeditat triumpho.

Ethicam appellarunt nonnulli animi agriculturâ, eam alii officinæ ferrariæ comparatunt, appoſitiſſimè illi quidem. Quemadmodum enim agros ſponte ſuâ ſpinarum & tribulorum feraces non ornat modò & mundat, ſed fructibus ditat & beat agricultura; ſic virtus gratiâ cœleſti adjuta, & Euchariſtiæ robore munita hominem naturâ rudem, concupiſcentiâ bruteſcentem, vitiis non paucis ſquallidum & horrentem informat, polit, inſtruit, adornat, & ſolidorum bonorum beatiſſimâ copiâ cumulat. Rurſus ſicut inter malleorum ictus, flammarum crepitus & fumos, follium flatus importunos, & repetitas incudis tunſiones & preſſuras elaborantur artefacta ad ſpeciem pulchra, ad miraculum concinna, ad humanos uſus perutilia; ſic eximium virtutis operæpretium ea paſſionum conflictu enaſcitur, non ſecus ac ex nimborum, pluviarum, grandinum, nivium,

ful-

fulminum, fulgurumve ſtrepitu fructus & plantæ pullulant, adoleſcunt, matureſcunt. Affligitur, fateor, in hoc certamine appetitus: ſed ſicut arbor frugiſera luxuriantium ramorum amputatione caſtigatur, ut ornatiùs veſtiatur, nihilque illi niſi in ſalutem deperit, abſciſſis palmitibus redeuntibus cum uſura; ita impetus illi animi, quos paſſiones nominamus, quive opprobria hominis ſunt, fiunt inſtrumenta ſalutis, quibus dum homo pœnaliter læditur, ſalubriter exercetur, atque utiliter eruditur. *Niſi præceſſerit pugna*, inquit Cyprianus de mortalit. *non poteſt eſſe victoria. Delicata jactatio eſt cùm periculum non eſt.*

Principia enim naturalis contraria eſſe Philoſophi omnes veritate coacti poſuerunt, ut ex continua eorum lite perpetuus generationum eeditus, & perennis rerum genitarum circulatio non deficeret. Hinc teſte quodam antiquo, mundus eſt ſibi ipſi morbus & medela; infirmus unà & medicus; ſibi ſimul ſepulchrum & incunabulum; quia cùm corruptio unius ſit generatio alterius, ex ruinis & cineribus ſuis, ſuccedente per varios ſtatus tranſitu, quæ perierant rediviva reſtaurantur. Unde Tertulliano obſervante, natura ſit *de fraudatrice ſervatrix*, intercipiens ut reddat, perdens ut cuſtodiat, vitians, ut integret, uberiora & cultiora reſtituens quàm exterminavit. Ita non abſimili modo ex multiplici cupiditatum prælio, ſtudiorùmque conflictu dum quatitur animus, virtutũ radices penitiùs defiguntur.

Verùm non tam labori tuo quam Chriſti virtuti & Euchariſtiæ influxibus aſſerenda victoria eſt. Solo frumento electorum & vino Virgines germinante (ſic à Zacharia *cap. 9.* appellatur Euchariſtia) conciliatur interiori homini pax, appetitus quámlibet indomitus ad obſequium voluntatis adigitur, concupiſcentia contumax ad officium nedum compellitur, ſed effuſis cœleſtium chariſmatum ſuavitatibus mollita & victa ad ſubeundas Dei & principantis rationis leges ſponte ſua concedit, quibus ante fuerat refractaria. Quàm felix ſub Chriſto duce pugna, tam fortunatæ victoriæ parens! *Si quis veſtrùm*, inquit Bernadus ſerm. in cœna Domini, *non tam ſæpe modò, nec acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus ſacramenti operatur in eo.* Victoriam tibi ſi aſcribas, eo jam ipſo proſterneris victus, factus mancipium ſuperbiæ, dum tibi craſſiorum vitiorum vindicas laudem. *Si vis vincere*, ait Auguſtinus, *illi aſſigna victoriæ gloriam, qui tibi donat ut victoriæ referat palmam.*

Collige ex his quàm ſuſpectæ eorum Communiones ſint, in quibus paſſiones ſemper indomitæ, ſemper effrænatæ vigent. Cœleſtis epuli delicias quomodo ſaperet corruptus eorum appetitus, qui voluptatibus corporis malè dulcibus inhians, & porcorum manducat ſiliquas, & dæmones paſcit, qui ſemper corporum vitiis ſaginantur, & ſordibus. Chriſti corpus immaculatum ore realiter ſuſcipientes, illud in cor putridum & conſcientiam ingerunt cauteriatam. Laxant fræna corpori, ut per indulgentiam caro laxata in Dæmonis incurrat ſervitutem. Quin qui in Chriſtum realiter præſentem charitate debuerant transformari, in Diabolum immunditiâ convertuntur. Nam ut veridicè Chryſologus *ſerm. 5.* ſcripſit: *Sicut Domino qui ſe jungit, unus ſpiritus eſt; ita qui ſe jungit Diabolo, eſt Dæmon unus.* O rem lacrymis dignam inenarrabilibus! *Mulier olim de vulnere medicinam tulit; nobis medicina retorquetur in vulnus*, inquit idem Pater ſerm. 34. *Hinc eſt quod Apoſtolus ait, Dormiunt multi. Dormientes mortuos dicit, quos luget in corpore jam ſepultos.* Sepultos planè, qui ingluvie ventris, otii, ſoporiſque reſolutione jacent & langueſcunt. Hujuſmodi non tam hominibus quàm pecudibus in eadem ſemper luxuriæ flagitia recurrentibus nihil prodeſt panis Angelicus; cùm in ventrem adverſis humoribus occupatum ingeſtus corporius cibus plus lædat quam juvet, magiſque noceat quàm proficiat. Sol lippientibus oculis non lucem tribuit, ſed tenebras. Vinum vires febrientium non reparat, ſed enervat: ſic criminoſis perniciosum eſt ſine fide, charitate, & caſtitate, fidei, charitatis, & caſtimoniæ Sacramentum.

Nonus Euchariſtiæ effectus: Semen immortalitatis & beatæ reſurrectionis in corpus derivatum.

Operatur in corpus noſtrum divina Euchariſtia duobus modis. Primò quidem per quandam veluti refuſionem & redundantiam voluntaris, & moderati appetitus in ipſum. Sicut enim externus corporis habitus bonorum uſu ciborum pulchreſcit atque floreſcit; ſic auctis voluntatis per Euchariſtiam virtutibus, domitiſque paſſionibus appetitûs, externa hominis cœleſti cibo paſti converſatio fit magis compoſita, ſuavior, & bono virtutum odore fragrantiſſima. Quia per Euchariſtiam, Patribus authoribus, Chriſtus fit nobis *concorporeus & conſanguineus*: impletùrque illud Apoſtoli votum: *Filioli quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus.* Hinc in externis Chriſtiani actibus Chriſti modeſtia & geſtuum compoſitio relucet, & veluti in ſpeculo viſendam ſe præbet. Hinc in inceſſu gravitas, in veſtitu ſimplicitas, in vultu verecundia, in verbis caſtimonia, in operibus gratia, in manibus miſericordia, in agendis prudentia, in toto denique homine fœma virtutis certatim collucent, ut corporis ſpecies ſimulachrum ſit mentis, figuraque probitatis.

Secundò, ſed occultiori modo diffundit in corpus noſtrum cœleſtis hic cibus arcanam vim longè diviniſſimam, ſemen nimirum glorioſæ reſurrectionis. Hunc Euchariſtiæ effectum ſignificat Salvator Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Quæ verba ponderans Cyrillus Alexandrinus *lib. 4. in Joan. cap. 2. in verſum 55.* ſic habet: *Fieri prorſus nequit, ut quæ ſecundùm naturam vita eſt, corruptionem non ſuperet ac vincat mortem. Proinde licèt mors, quæ per prævaricationem nos invaſit, humanum corpus corruptionis neceſſitati ſubjiciat; tamen quia Chriſtus per ſuam ipſius carnem in nobis eſt, omninò reſurgemus. Incredibile enim eſt imò verò impoſſibile* (de potentia ſaltem ordinaria ſolito divinæ ſapientiæ & bonitatis agendi modo conſentanea) *ut vita eos in quibus fuerit non vivificet. Quemadmodum enim ſcintillam multis paleis inſerimus, ut ſemen ignis ſervemus: ſic etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus per carnem ſuam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam ſemen immortalitatis inſerit, quod totam quæ in nobis eſt corruptionem abolet.* Quibus verbis nihil planius vel expreſſius.

Idem docet Sanctus Petrus Chryſologus. Poſtquam enim *ſermone 59* dixit ex corpore Chriſti ſemen immortalitatis & reſurrectionis proficiſci, his verbis: *Crucifixus eſt, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum: & ſepultus, ut officia tota mortis impleret, ut mors morte moreretur, ut ex illius ſemine corporis omnis humanorum corporum ſatio vitalem ſurgeret & levaretur in meſſem.* Deinde *ſerm. 95.* divinæ Euchariſtiæ beatæ effectum immortalitatis aſcribit, dicens: *Rogavit Dominum quidam Phariſæus ut manducaret cum illo. Phariſæus, fratres, Catholicus dicitur Judæorum; nam & reſurrectionem credit, & à Sadducæo reſurrectionem negante diſcedit. Hinc eſt*

quod

quod rogat Chriſtum, id eſt reſurrectionis authorem, ut manducet cum illo; quia qui convivit Chriſto, mori neſcit, utiq; vivit ſemper. Rogas, Phariſæe, ut manduces cum illo. Crede, eſto Chriſtianus, & manducas ex illo. Ego ſum, inquit, panis qui de cœlo deſcendi. Semper Deus majora tribuit quàm rogatur: nam ſe manducandum dedit, qui rogabatur ut manducandi ſecum fiduciam largiretur: & tamen ſic hoc dedit, ut illud quod poſtulatus eſt non negaret. Immortalitas ergo in eum qui convivit Chriſto per Euchariſtiam porrecto derivatur.

Dices: Non impedit Euchariſtiæ uſus, quo minus eo cibo paſti moriantur: Ergo immortalitas non eſt Euchariſtiæ effectus.

Reſpondeo hanc objectionem à Beato fuiſſe Cyrillo loco laudato occupatam. *Diſcant*, inquit capite 2. ab initio, *ſi velint corruptionis immunes eſſe, & ipſam ex prævaricatione ingruentem mortem exuere, neceſſariò accedendum eſſe ad participationem ejus qui vivificare poteſt, & qui corruptionem delet, & mortem deſtruit. Proprium enim iſtud revera & convenientiſſimum vitæ ſecundùm naturam opus eſt.* ::: *Qui panem in ſe vitæ ſuſcipiunt, præmium immortalitatis habebunt, & corruptionis cæterorumque malorum expertes ad perpetuum & æternum illud Chriſtianæ vitæ ſpatium aſcendent. Nec obſtat quod iis qui facti ſunt Chriſti participes, neceſſariò mors deguſtanda ſit; nam licèt humanitus eis mors accidat, tamen ut Paulus* (Rom. 6.) *ait, vivunt Deo victuri.* Moriuntur ergo etiam Euchariſtiam uſurpantes in pœnam peccati originalis à vetere Adam propagati, ſed virtute ſecundi & cœleſtis Adam in corpora noſtra per Euchariſtiam inſeminatâ reſurgent.

Inſtabis: Etiam infideles Euchariſtiæ ſacro cibo nunquam paſti, & mali Chriſtiani corpus Chriſti indignè ſumentes, judiciumque ſibi manducantes aliquando rerũ reſurgent. Ergo reſurrectio non eſt ſpecialis Euchariſtiæ, ejuſdemq; boni uſus effectus.

Reſpondeo hanc ipſam etiam inſtantiam S. Cyrillum *lib. 3. cap. 6.* præoccupaſſe: *Cum Chriſtus*, inquit, *ex vivo Patre genitus ſit, ipſe quoq; naturâ ſuâ vita eſt. Et quoniam vitæ ſecundùm naturam ſuam officium eſt vivificare, Chriſtus omnia vivificat. Ut enim panis terrenus imbecillitatem carnis noſtræ ſuſtentans, eam corrumpi non ſinit, ita & ipſe per Spiritus ſancti operationem ſpiritum noſtrum vivificat: neque hoc tantùm, ſed & ipſum corpus in incorruptionem conſervat. Sed dicet forſan aliquis*, addit lib. 4 cap. 2. *reſurrectionem mortuorum mentis oculo attentè conſiderans: Enim verò qui fidem in Chriſtum non ſuſceperunt, nec facti ſunt ejus participes, reſurrectionis tempore non reviviſcent? Quid ergo? Nonne omnis creatura quæcumque in mortem lapſa eſt, revocabitur ad vitam? Ita ſanè, reſurget omnis caro. Suſcitatum enim iri mortuos Propheta prænuntiat. Ad omnem quippe humanitatem illud per reſurrectionem Chriſti myſterium pertinere ſtatuimus, & in ipſo ac primo noſtram omnem naturam corruptione liberatam eſſe credimus. Omnes enim reſurgent juxta ſimilitudinem ejus qui propter nos excitatus eſt, & qui omnes ſicuti erat homo in ſeipſo continet. Et quemadmodum in primo Adamo incluſi ſumus in mortem, ſic in eo rurſum, qui primogenitus eſt propter nos, à mortuis cuncti reſurgent. Sed qui bona quidem egerint, in reſurrectionem vitæ, ut ſcriptum eſt* (Ioan. 5.) *qui verò mala egerint, in reſurrectionem judicii. Reſurgere verò ad pœnam, & ad ſola ſupplicia exiſtari, morte ipſâ longè acerbius eſſe judico.* Non ergo qualiſcunque reſurrectio, ſed ſola beata & gloria divinæ Euchariſtiæ fructus eſt ſalutaris. Quod & alii plerique Patres docent, qui idcircò Euchariſtiam *Pharmacum immortalitatis, præſervativum corruptionis, æternitatis alimoniam* appellant. Reſurrectio autem damnatorum ad pœnam eorum inſtituta, & ad æternam mortem ſubeundam divinitus conſtituta, ab hoc Sacramento aliena eſt.

Vrgebis: Arcana illa vis in corpora Sanctorum ab Euchariſtia derivata, vel eſt moralis duntaxat, vel phyſica etiam & realis: ſi moralis, nihil eximium aſſerimus Euchariſtiæ; omnia enim novæ legis Sacramenta cùm ſint cauſæ gratiæ, & conſequenter gloriæ, jus morale rectè ea ſuſcipientibus conferunt ad reſurrectionem ſuo tempore & beatitudinem animæ ſequuturam. Non poteſt verò dici, quod ſit phyſica; quomodo enim in tam multis corporum in fine ſæculi glorificandorum tranſmutationibus quotidie contingentibus ſubſiſtere poteſt virtus illa divinitus impreſſa, quæ de ſubjecto in ſubjectum tranſire nequaquam poteſt? Ergo reſurrectio corporum non poteſt ſpeciali ullo participationi corporis Chriſti aſcribi.

Reſpondeo ſanctorum Patrum teſtimonia recitata cauſalitate morali aliquid amplius indicare. Cùm enim vivificæ Chriſti carni hoc ipſo quod divinitate uncta eſt, & vitæ per eſſentiam unita, aliquid ſpeciale aſſerant, ab eáque ſemen & germen vitæ immortalis in corpora Sanctorum indi, inſeri, & veluti integi atteſtentur, idque illuſtrent exemplis ſcintillæ ignis poſt incendium remanentis, quæ ſub paleis cineribuſque fovetur; ſeminis agris commiſſi, panis vigorem corpori impertientis; probabilius, & Patrum dictis conformius, & dignitati tanti Sacramenti conſonantius videtur, ex carne Chriſti nobis per Euchariſtiam unitâ vim quandam & ſupernaturalem qualitatem in corpora noſtra manere, quæ ad beatam & glorioſam corporis reſurrectionem efficiendam evehetur, vel in ipſa reſurrectione quadantenus explicabitur, ſicut granum frumenti in terra aliquamdiu latens erigitur deinde, atq; in uberiores fructus aſſurgit. Sanè ſi ab Angeli vice Dei loquentis conſpectu tantam lucem Moyſes derivavit, ut Apoſtolo teſtante 2. Cor. 3. *non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus*; quidni à divina Euchariſtia, quam *fontem lucis & arcam luminum*, duo clariſſimi ejuſdem Civitatis Archiepiſcopi Chryſoſtomus & Germanus appellarunt, ſplendoris radii effluent, qui in hac quidem mortali vita latent, ſed in futura aperientur, hiabunt, dehiſcent, diffundentur? Valet enim argumentatio Apoſtoli: *Si miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur; quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt; multò magis quod manet, in gloria eſt.*

Ratio verò hujus noſtræ ſententiæ ex dictis de Sacramentis in communi liquidò conſequitur. Si enim ſacramenta novæ legis, & potiſſimè Sacramentorum præſtantiſſimum Euchariſtia gratiam aliaſq; ſupernaturales effectus phyſicè ad modum inſtrumenti producunt; & cæteroquin Patrum unanimi conſenſione conſtet corporum immortalitatem, & beatam reſurrectionem vivificæ Chriſti carnis in Euchariſtia porrectæ effectum eſſe; planâ ſatis, apertâque conſequutione colligitur, Sacramentum hoc corporum reſurrectioné & gloriam phyſicè & realiter operari, non quidem per ſuam entitatem, quæ in reſurrectione amplius non erit; Sacramenta autem quæ non ſunt, phyſicè agere nequaquam poſſunt: ſed per diffuſam à ſe vim vel qualitaté, quæ ſit vitæ immortalis germen, & futuræ reſurrectionis divinitus inditum ſemé, ſuo tempore, poſtquã miſeræ hujus vitæ hiems tranſierit, fructus honoris & honeſtatis editurum. Ut enim in ſeminibus virtus ineſt earum rerum quæ ex eis progignuntur; ita in virtute illa à vivifica Chriſti carne in Sanctorũ corpora derivata omnis reſurrectorũ corporũ vita & gloria virtualiter continetur.

Nec obeſt corporum tot vicibus tranſmutatorum corruptio & generatio, in qua juxta Ariſtotelis & S. Thomæ ſententiam, omnia corrupti corporis accidentia penitùs ſubtrahuntur, factâ uſq; ad materiam primam, quæ ſola remanet, reſolutione. Non obeſt,

inquam; quia cùm hæc virtus ſeminalis gloriæ ſit ſupernaturalis, non de potentia ſubjecti naturali, ſed obedientiali educitur: quæ potentia obedientiæ cùm ſemper in materia permanente ut ſubdita Deo permaneat, per naturalium agentium actiones & reactiones minimè obliteratur. Nec propterea materia ſola eſt illius virtutis ſubjectum, quia cùm materia nunquam ſit ſine forma, toti ſemper compoſito inhæret, ratione tamen materiæ, maximè quia hæc virtus ad materiam reſtaurandam exaltandamque eſt inſtituta.

Urgebis demùm: Parvuli poſt Baptiſmum mox decedentes, nec vitali Euchariſtiæ cibo unquam paſti, glorioſi in fine ſæculorum reſurgent tamen. Atqui ea infantium corporum gloria non poteſt eſſe Euchariſtiæ effectus, quam nunquam receperunt: ergo corporum beatorum reſurrectio & immortalitas ab Euchariſtiæ Sacramento phyſicè & realiter non proficiſcitur.

Reſpondeo difficultatem hanc adverſariis eſſe peræquè communem; eatenus enim juxta illos Euchariſtia eſt glorioſæ reſurrectionis cauſa, quatenùs Euchariſtia ſuſcepta eſt futuræ corporum reſurgentium gloriæ pignus, cujus intuitu promiſſam Chriſtus reſurrectionem implebit. At pueri mox à Baptiſmo mortem oppetentes pignus illud nequaquam receperunt: quomodo ergo Euchariſtia eſt eorum beatæ immortalitatis cauſa moralis? Dicendum ergo, quod ſicut aliàs inter explicandam Sacramentorum efficientiam expoſuimus, Sacramenta novæ Legis effectus ſuos phyſicè quidem quando ſunt emittunt; ita præterita vel futura, ſubindèque in voto duntaxat vel proprio vel alieno ſuſcepta effectus ſuos non niſi in genere cauſæ moralis operentur. Sanè Chriſti agendi modum Chriſti inſtrumenta imitantur; unde ſicut Chriſtus jam exiſtens bonorum omnium ſupernaturalium fons eſt & cauſa realis, ejuſque humanitas eſt potiſſimum miraculorum organum; à Chriſto verò nondum exiſtente & nato omnes veteris Teſtamenti gratiæ tanquam à cauſa finali & morali proficiſcebantur, quatenus intuitu prævisorum meritorum Redemptoris quidquid fidei, virtutis, & gratiæ in ſanctis Patribus refulſit, totum à Deo collatum eſt: ita pariter Sacramenta exiſtentia phyſicè, non exiſtentia moraliter duntaxat operantur. Et hoc modo Euchariſtia puerorum reſurrectionem efficit, quam quidem pueri baptizati non propriâ voluntate, ſed matris Eccleſiæ votis concupiſcunt, ut alibi ſatis diximus.

Itaque per Euchariſtiæ uſum Chriſtus, quem B. Jacobus *inſitum Verbum* appellat, plantatur quadantenùs in cordibus noſtris, quæ ſi charitate viventia invenerit, vitam immortalem in corpus ipſum mira diffuſione dilatat; ſi mortua peccato, mortis venenum in corpus ipſum protendit: nam *mors eſt malis, vita bonis*. Et ut præclare Chryſologus *ſerm. 77.* ſcripſit. *Sicut illud cor cœlum eſt, in quo vivit & regnat Chriſtus; ita illud pectus ſepulchrum, in quo Chriſtus adhuc habetur mortuus, & ſepultus.*

Hæc cùm ita ſint, ad Euchariſtiam nemo niſi mundo, niſi peccato, niſi ſibi mortuus accedat, ut ex fonte vitæ vitam jugiter hauriamus. Petamus ut Chriſtus per Euchariſtiam porrectus dominetur in medio inimicorum ſuorum, atque in nos adveniat regnum ejus; quia ſi ille regnaverit in nobis, in illo nos ipſi regnabimus. Regnavit hactenus diabolus, regnavit mors: rogemus ergo ut Chriſto regnante pereat diaboli tyrannis, deficiat peccatum, abjiciantur opera tenebrarum, ne ampliùs diabolus arcem, mors imperium, infernus gerat ac teneat poteſtatem. Iterum, atque iterum oremus, ut Chriſtus ſemper ſuis regnet in militibus, ut milites ſuo ſemper triumphent in rege. Regnabit porrò, ſi ejus ſemper voluntatibus obſequamur. *Hoc eſt regnum Dei*, inquit Chryſologus ſerm. *67. quando in cœlo, & in terra Dei voluntas eſt ſola.* Tunc evadit terra noſtra cœlum, vita noſtra Deus, tempus noſtrum imago æternitatis, cenſus noſter innocentia, honor noſter immortalitas, ſpes noſtra felicitas animi, & corporis glorioſa reſurrectio.

Decimus Euchariſtiæ religioſè frequentatæ effectus: Perſeverantia finalis, cui æterna felicitas ſuccedit.

Hæc eſt Euchariſtiæ effectuum beatiſſima corona, votorum noſtrorum meta, & tota ratio ſpei noſtræ. Perſeverantiam porrò cum gloria conjungimus, quia duo licèt effectus ſint, adeo tamen indiviſi ſunt, ut pro eodem meritò computentur.

Perſpicuè autem hunc nobis effectum Veritas ſignificavit & ſpopondit, Ioan. *6.* *Si quis*, inquiens, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Vita autem æterna hominis felicitas eſt, ad quam unâ perſeverantiâ pervenimus. Ergo gloria æterna eſt effectus Euchariſtiæ, atque etiam perſeverantia, de qua ſpecialiter intelligi poteſt illud ejuſdem Salvatoris: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Hoc autem manſionis nomen permanentiam continentem ſignificat, juxta illud: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Nihil aliud autem eſt perſeverare, quàm in Chriſto manere, & ab ejus nunquam gratia decidere. Sed de perſeverantia primùm, deinde de corona pauca ordine dicamus.

Perſeverantia ergo eſt divini Sacramenti fructus præcipuus, & certè hac fortè de cauſa permanens illud eſſe voluit Chriſtus, ut beatam mentis in ſanctitate firmitatem impertiret. Porro perſeverantiam nobis conciliat, tum quia à peccatis mortalibus cœleſte hoc antidotum præſervat, quibus ſolis noſter ad Deum curſus impeditur. Tum quia quemadmodum corpus cibo naturali conſervatur incolume, ex eoque quotidie vires, quotidie ſuavitatem percipit ſanitati fovendæ ſalutarem; ita etiam divinæ Euchariſtiæ cibus ſalutem animæ ſuſtentat, vires addit, efficitque ut ſpiritus divinarum rerum ſaluberrimâ delectatione magis magiſque commoveatur, atque in dies ſaginetur. Certè panem ordinarium Dei optimi maximi & amantiſſimi proviſoris beneficio ſuſtentandi corporis, cordiſque virium confirmandarum gratiâ nobis indultum Scriptura ſacra teſtatur: *Ut*, inquit pſalm. 103. *educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.* Unde per Prophetas non ſemel minatur Deus populum vitiis inquinatum panis robore ac præſidio ſe ſpoliaturum. *Auferet dominator dominus*, inquit Iſaias cap. 3. *à Jeruſalem omne robur panis.* *Conteram baculum panis*, ut additur *Ezech. 4.* Quanto potiùs panis ille cœleſtis datus eſt, ut fatiſcentem animam fulciat, ut confirmatam tueatur, ut gratiam dilabi ſe diffluere vetet, ut quotidianas à concupiſcentia importatas jacturas ſarciat, ut Chriſtum ſequentes, ejuſque crucem jugiter portantes, atque in via perfectionis, pœnitentiæ, ac mortificationis fatigatos reficiat, non ſecus ac quinque panes, quibus Euchariſtia tam graphicè adumbrata eſt, piis turbis Salvatorem in deſerto ſequentibus, ne deficerent in via, ſtupenda multiplicatione porrecti fuere, ut caſtarum animarum Chriſtum qui juſtitia eſt eſurientium, in illiuſque unionem anhelantium famem ab ipſa Veritate *Matth. 5.* & ab ejus Matre *Luc. 1.* beatificatam exſatiet; deniq; ut Chriſtianos cœleſtium uno amore incenſos & eorum deſiderio contabeſcentes ſoletur interim, extollat, ſuſtentet, & bonis impleat omne genus. Denique omnes hactenus enumerati effectus ad perſeverantiam nobis accerſendam concurrunt, ut conſideranti patebit; & quidquid in tota ſpeculatione operosè ſatis protulimus, ad hunc effectum ſuadendum conſpirat.

Hac de cauſa Euchariſtia *Viaticum* peregrinationis noſtræ à Patribus meritò dicitur, atque ab Eccleſia infirmis ægritudine oppreſſis, atque communis hoſtis inſidiis & tentationibus circumſeptis *per modum viatici*, quo iter æternitatis alacriùs in fortitudine

cibi

cibi illius decurrant, ſecuriùs miniſtratur. *Ejus virtute recreati*, inquit Catechiſmus Tridentini 2. p. titulo de Euchariſt. num. 56. *non ſecus atque Elias, qui in ſubcinericii panis fortitudine ambulavit uſque ad montem Dei Horeb.* [ut habetur 3. Reg. 19.] *cùm ex vita emigrandi tempus advenit, ad æternam gloriam & beatitudinem aſcendant.* Mille enim clypei pendent ex eo, & omnis armatura fortium; atque dum bella premunt hoſtilia, dat robur, fert auxilium, cœlique pandit oſtium hæc ſalutaris hoſtia.

Videant ergo quam ſuſpecta ſit ipſorum communio, qui in peccata lethalia continuò & ferme majori pronitate poſt hujus panis uſum prolabuntur; nullum ex hoc pane fortium infirmitatis levamen, nullum debilitatis robur reportantes. Durat profectò, durat morbus, quin & recrudeſcit infirmitas, quam tam ſalutaris cibus non perſanat. Sane quemadmodum Medici infirmis gravioti & febrili morbo à viſcerum corruptione vitaliumque tabe profectò laborantibus pane ſapienter interdicunt, ciboſque ſolidos ſedulò ſubducunt, quoad vitioſis morbidiſque humoribus remediorum ope atque ipſâ abſtinentiâ depulſis, allevatum corpus meliùs habeat, ne infuſus cibus, ingeſtuſque panis quidquid vitium reliquum eſt abſumat, opprimat, extinguat: ita non abſimili modo ſtudioſus animarum rector, & plagarum animi longe graviſſimarum medicus accuratus non quibuslibet indiſcriminatim infirmis, infirmitatis eorum nec genere, nec periculis, nec cauſis, nec adjunctis exploratis, divini panis eſum ſtatim conſulit, quoad evacuatis perverſi cordis in eodem ſemper luto hærentis affectionibus, unde omnis animæ temperatio diſſoluta eſt, præmiſſiſque pœnitentiæ exercitationibus, quæ una & propria ſunt malorum illorum remedia, convaleſcens paulatim animus eam Deo juvante, & infirmo cooperante ſanitatem conſequatur, quæ ad eſcam adeò ſolidam ſacro charitatis igne concoquendam accommodata ſit. Alioquin non perſeverantiam, ſed majorem ruinam tanto abuſu eo ex vitali cibo percepturi ſunt, qui in cœleſtem menſam invadunt antequam pœnitentiæ remediis fortiores effecti ſint. Quis enim ſibi perſuadeat omnes infirmos nullo delectu, nulla ægritudinis gravitatis habitâ ratione, iiſdem, eodemque modo & menſurâ reficiendos eſſe alimentis? Laudanda potiùs, ſuſcipienda, veneranda atque etiam amanda illius ſapientiſſima benignitas, & benigniſſima ſapientia eſt, quæ ſuum cuique demenſum, & cujuſque viribus attemperatum conſtituit. *Ne*, inquit Ambroſius lib. 6. in Lucam, cap. 9. *aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non ſatient.* Compellendi ergo ad ſacram menſam juſti, & fervidi præ humilitate recedentes, ut ſint in fide & pietate ſtabiles; ſed unà arcendi ſunt ab altaribus qui non ſe arcent à criminibus.

Perſeverantiam finalem corona ſequitur ſempiterna; nam qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Hic eſt ultimus & præcipuus cœleſtis cibi fructus: neque enim alios effectus niſi in ordine ad iſtum operatur. Si enim gratiam auget, ſi animam divinis chariſmatibus reficit, ſi Chriſto nos unit, ſi peccatorum maleſuadas voluptates infusâ cœleſti delectatione extinguit, ſi tentationes & hoſtium impetus frangit, ſi adversùm peccata mortalia communit, ſi ipſa peccata venialia abſtergit, ſi pœnam condonat, ſi cordis caſtimoniam in appetitum diffundit, ſi perſeverantiam donat, profectò his ſaluberrimis mediis viam nobis ad beatam æternitatem & Dei viſionem ſternit & munit. Ut enim fons per tenues venarum primitùs erumpit meatus, atque anguſtis ſenſim ſerpit in rivulis, donec digno ſucceſſu in totam ſe fluviorum latitudinem prorumpat, & valenter infundat; ita fons vitæ Chriſtus, qui ſitientes ad ſe venire juſſit, electum gratis præparat, carnem ſuam deinde commutat in eſcam per veram panis in corpus ſuum tranſubſtantiationem, torpentes interim animi meatus ad uſum tanti tamque ſolidi cibi lacteâ ſacrarum conſolationum infuſione componit, ſic compoſitum carne ſua paſcit, paſtum in ſe transformat, transformatum fulcit & ſervat, ſervatum abſcondit in abſcondito faciei ſuæ, & mori mundo facit; abſconditum & mortuum tandem revelabit, tandem ſuſcitabit. *Mortui eſtis*, inquit Apoſtolus Coloſſ. 3. *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cùm autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.*

Macte interim animo, pie Lector, & ſacræ Euchariſtiæ dignè ſæpius frequentatæ cibo roboratus, ne dubites quin mortuus reſurgas æternùm in regno Dei beatè victurus, quando Chriſtus tibi reſurrexit, tibi vivit, tibi regnat occiſus. Ne turbet fides, ſpes te longior ne fatiget; quia certa tibi, niſi peccaveris, res eſt, quæ in ipſo tibi rerum ſervatur authore. Æternæ gloriæ pignus habes, ipſum ne projicias, & res tibi oppignorata ſuccedet. *Laborans meſſor quod in ſemine non videt*, inquit Chryſolog. ſerm. 40. *videbit in meſſe; & quod in ſulco deflet, gaudebit in fructu.* Interea ſpe ad futura tende, fide crede, meditatione revolve: cùm res venerint, advenerint & promiſſa, ſpes definet, fides ceſſabit. Dulcis eſt epiſtola, ſed uſquedum veniat ipſe qui miſit; neceſſarium chirographum & pignus, ſed uſque ad debiti vel promiſſi redditionem; grati flores, ſed uſquedum veniatur ad poma; ſuave Sacramentum Euchariſtiæ, ſed uſquedum qui in eo latet videatur. Verùm epiſtolam Chriſti delebit præſentia; rumpet cautionem, implebit ſolutio pignus; ſuccedent floribus pomorum fructus, Sacramentorum velamina diſpellet evidentia Salvatoris. Quod ipſe nobis concedat qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.

Ignoſcat, detque veniam Lector eruditus, ſi materiæ ſuaviſſimæ illiciis in reflexionis ſententias, orationis impetu abripiamur. Illò quæſo revertamur, unde tantiſper, nec fortaſſis fruſtrà digreſſi ſumus.

Operatur denique ſacra Euchariſtia vitam æternam, non ſolùm ob adductas ſuperiùs rationes ex omni genere gratiarum quas Euchariſtia profundit petitas, ſed ſpecialiter etiam quia in hoc admirabili Sacramento teſtamentum habemus æternum, quo ad hæreditatem filiorum jus obtinemus. *Hic calix*, aiebat Salvator, *novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Quale teſtamentum, & quàm ſecurum, quod ſanguine Chriſti ſcriptum eſt! Plenè *habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in ſanguine Chriſti*, ut dicitur *Hebr.* 10. Quia *cap.* 9. dixerat idem Apoſtolus, *Novi teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hereditatis.* Bonum aurum, aiebat S. Ambroſius, ſanguis Chriſti, dives ad pretium, profluus ad redimendum. Meliùs profectò clamat ſanguis iſte quàm Abel; non vindictam ut iſte, ſed miſericordiam, eámque ſempiternam exorat.

Pulchrè obſervat B. Chryſologus poſt poſtulatum in oratione Dominica regnum cœlorum, orare nos Deum, ut panem porrigat quotidianum. Quis eſt ille panis? Num temporalis? Num triticeus è terra natus, in molendino contritus, in piſtrino ſubactus & fermentatus, in fornace decoctus, & dentibus tandem commolitus? Illum quidem pro modo neceſſitatis, ſed alium potiſſimè: illum præcipuè petere non juſſit, quem prohibuit cogitare, dum dixit: *Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis.* Cœleſtis Pater cœleſtem panem cœleſtes filii ut poſtulemus hortatur; unde voluit ut nobis Euchariſtiæ menſa lacteſceret, quò Filius ſuus cibus ſempiternus ad parvulos perveniret. *Ego*, inquit ipſe Salvator Joan 6. *ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi.* Panis, inquam, qui gratiæ molâ & Spiritus ſancti virtute aptatus eſt in farinam; qui ſatus eſt in Virgine, fermentatus in carne, confectus in paſſione, in fornace coctus ſepulchri; qui ut divinitatis ſuæ calore coqueretur, ipſe clibanum decoxit inferni; qui in Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiis conditus, illatus altaribus cœleſtem cibum quotidie ſiticntibus ſubminiſtrat; qui in remiſſionem frangitur peccatorum; qui edentes ſe perpetuam paſcit, & emittit ad vitam. *Poſt cœleſte regnum*, inquit os Patri Ravennatis aureum ſerm. 63. *panem quis poſtulet temporalem? Sed quotidianum & in diem vult nos in Sacramento ſui corporis panis viaticum poſtulare, ut per hoc ad perpetuum diem, & ipſam Chriſti perveniamus ad menſam; ut unde hic guſtum ſumpſimus, inde ibi plenitudinem, totaſque ſatietates capiamus.*

Dices: Ut Eucharistia eſſet ſpeciali ratione cauſa futuræ & æternæ Beatorum vitæ, deberet etiam phyſicè inſtrumentaliter concurrere ad productionem luminis gloriæ, & beatæ viſionis, in qua futura noſtra felicitas eſſentialiter ſita eſt: propterea enim Eucharistia gratiæ augmenti, aliorumque enumeratorum effectuum cauſa dicitur, quia beatiſſimam illam ſupellectilem phyſicè operatur. At Eucharistia nec glorioſum Beatorum lumen, nec viſionem ab eo derivatam phyſicè efficit; cùm in beatitudine nulla Sacramenta permaneant, nullus Sacramentorum velaminibus locus detur. Ut enim alias diximus, nec iterari piget, Chriſtum Beati poſſident nullis figuris, nullis velaminibus obtectum. Judæi contrà non Chriſtum habuerunt, ſed Chriſti tantùm figuras, atque velamina: Chriſtiani inter utroſque interjecti Chriſtum verè quidem, realiter, & ſubſtantialiter poſſident, ſed ſub accidentibus panis occultatum. Cùm autem apparuerit quod perfectum eſt, id eſt Chriſtus in gloria; tunc evacuabitur quod ex parte eſt, id eſt Sacramenta, quibus cœleſtia participamus, deſinent quando nuda ſine ullis umbris veritas conſpicuam ſe præbebit. Ergo Eucharistia non eſt æternæ vitæ cauſa ſpecialis.

Reſpondeo Eucharistiam eſſe cauſam gloriæ & vitæ æternæ, quatenus ad eam adipiſcendam ſpeciali ratione opitulatur, juxta illud Auguſtini tract. 26. in Joan. *Cum cibo & potu id appetant homines, ut non eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit in ſocietate Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta.* An autem Eucharistia ad glorioſum lumen & beatam viſionem phyſicè per modum inſtrumenti, ſicut ad alios effectus concurrat? Probabilius & dictis de Sacramentis in communi conſonantius affirmanter reſpondendum videtur. Licèt enim ſacramentum Eucharistiæ non niſi ad conſummationem ſæculorum Eccleſiæ duraturum ſit, effectus tamen ab ea relictus, gratia omnium ſacramentalis æternùm permanebit, quæ ad lumen gloriæ, atque ſubinde ad viſionem inde manantem, efficiendum divinitus elevabitur. Quod ſanè ſufficit ut Sacramentum etiam non exiſtens gloriam propriè, per ſe, & phyſicè operetur; cauſæ enim etiam præteritæ effectus aſſeritur, ſi virtus ab eo deciſa intentum effectum producat; ſicut pater filii poſt mortem ipſius natum amor meritò dicitur, quia ejus efformandi virtutem antea quàm moreretur ſui vicariam reliquerat.

Reflexio.

Moraliſſima totius hujuſce ſpeculationis materies variis identidem in decurſu pietatis monitis veluti parentheſibus interſtincta & quaſi interrupta, non tam novam reflexionem quæ mentem à dictis avocet poſtulat, quam novum cordis tui, Lector optime, affectum qui enumeratos effectus ſapiat, atque quæ audivit penitùs defixa retineat, attentiùs agitet, & veluti revocatum è mentis ſtomacho pabulum conterat & ruminet. Deſideriis opus eſt, non iteratis poſt tot conſiderationes conſiderationibus. Attende ergo tibi & doctrinæ traditæ, ratus vitam inte æternam cibum iſtum non operaturum, niſi æternæ vitæ deſiderio ſincero ardeas, & veluti conſeneſcas. Ea amas quæ deſideras; cœleſtia autem æternùm poſſidebis ea ſi amaveris. At quomodo futura deſiderare cenſendus es bona, qui terrenis præſentibus tam indivulsè adhæres? Profectò ſola illa virum ſuum amare uxor dicitur & creditur, quæ abſentis deſiderio tabeſcit. Ille etiam viator patriam diligere exiſtimatur, qui redeundi cupiditate angitur. Hæc ſi poſt acceptum cœleſtem cibum ſentis, ſi propter illum, & in illum vivas quem manducas, ipſo donante vives in æternum. Sin autem eundem ad divinas res cogitandas deſiderandáſque languorem & inertiam experiare, cum D. Bonaventura *tom. 1. part. 6. cap. 9.* timeo tanto Sacramento contumeliam ne facias, *judiciumque tibi manduces & bibas, qui tepidè, indevotè, & inconſideratè accedis.*

Hæc cùm ita ſint, ſuperſubſtantiali cibo paſtus, ſupra teipſum, ſupra creaturas, ſupra ſubſtantiam mundi attollaris neceſſe eſt. Pignus habes æternæ vitæ: ne te ergo mortalitas terrena delectet. Grandis dementia eſt futuram felicitatem hominem credere, quam ſibi non deſiderat evenire. Ede interim æternæ vitæ cibaria, & perpetuæ retributionis eſcam avidis quantùm poteſt & caſtis faucibus occupa; quia ſemen vitæ vivifica caro Chriſti, & ſanguis ejus ros æternæ ſalutis. Si Domini Jeſu ſputum vacuas cæcorum oculorum replerit lacunas; ſi divino ore luciferam Chriſtus dedit ſalivam, nemo dubitet Eucharistiæ divino imbre vitam nobis conciliari poſſe immortalem, cum videat parvâ dominici ſputi guttâ arentes cæcitate oculos ſic ſubito ſuſcitatos in lucem: quia quod eſt pluvia plantis, hoc reſurrecturis Dominici Sanguinis in Eucharistia propinati vitalis imber, & ros divinus.

O infelicitas generis humani! Pignus ſempiternæ hæreditatis in Eucharistia tenemus, & felicitatem in hac lacrymarum valle inquirimus. Quis de plebeio cenſu & hoſpitioli vilitate ſuſpirat, de regno certus, de dominatione ſecurus? Quis mentis compos lapillos colligit, qui arcas habet gemmis plenas & margaritis? Quid ergo tibi cum terra, qui in Eucharistia poſſides Regem cœlorum regnum ipſum brevi daturum? Quid tibi cum humanis quiſquiliis, cui datum eſt adipiſci divina? Niſi fortè placent ſiliquæ, delectant ſtercora, amantur pericula, & illata mala bonis ſunt graviora collatis & majoribus conferendis? O homo, benè tibi invides, qui elevatus ad ſumma, ipſe te ad vilia dejicis, ad egena deponis. Expergiſcere ergo jacta in Domino curam tuam; æterna bona te aliquando rerum poſſeſſurum confide. Nam quod mereri te poſſe dubitas, habere te, & in Eucharistia poſſidere jam cogeris confiteri. Qui ſe tibi totum dedit, regnum ſuum non denegabit: qui ſe in eſcam porrexit, à convivio æterno non arcebit. Qui Sanctos nedum torrente voluptatis potabit, ſed ô bonitatem effuſam! ô pietatem inauditam & planè incredibilem! quis credere ipſa Veritas præciperet, illis ſerviet in cœlo, qui ſibi in terra ſervierint. *Beati*, inquit Luc. 12. *ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Hæret huc, ſtupet, miratur Chryſologus *ſerm. 24.* exclamat: *En mutatio inaudita rerum! En terribilis correptio dominationis! quia parumper ſervus aſſiſtit in domini ſui expectatione ſuccinctus, & ſuſtinendi fidem brevi exſpectatione portavit, cui retaliationem redderet, diſſimulat ſe in ipſa divinitate divinitas. Diſcumbentis hominis Deus aſtat, & aſtat in cœleſtibus: epulanti ſervo ſervit Dominus, & ſervit accinctus: pueris ſuis, miniſtris ſuis miniſterium facit Chriſtus, & facit in Patris gloria conſtitutus!*

Quod ſi gloria te dilata affligit, interim ne ſuperere tædio, ne laſceſcas tarditate, ne longæ expectationis fatigatione ſuccumbas; crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori: expecta parumper ut veniat, qui te diu ſuſtinuit ut venires; da illi inducias de pro-

de promiſſo, cujus pignus pretioſiſſimum accepiſti. Dabit, dabit utique quod promiſit, qui corpus & ſanguinem ſuum ſupra merita tua & vota donavit. Quare tu fatigatis ſpe Dei, cùm genus omne hominum ſubſiſtat ſpe, fide vivat? Agricola nunquam ſereret anhelus, ſi fructum laboris ſui de tempore non ſperaret. Viator laborem prolixi itineris non ſubiret, niſi ſe ad deſtinata crederet pervenire. Nauta mare non intraret incertus, ſi ſe lucris ſequentibus compenſaturum viarum diſcrimina non ſperaret. Miles tota juventutis tempora non ageret in periculis, ſi ſenectutis honores copioſiſſimos non ſperaret. Filius paternæ dominationis tempora non duraret, ſi ſe ſubſtantiæ paternæ non ſperaret hæredem. *Et tu*, concludit Chryſologus ſerm. 71. *ſi te jam filium Dei credis, juxta Prophetam, expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, ut hæreditatem Dei de expectationis fide, & de virtute patientiæ conſequaris. Fratres, beati ſunt filii Dei, quia & hæreditatem rerum omnium poſſidebunt, & de exceſſu patris luctus temporum non videbunt.*

Speculatio II.

Variæ circa Euchariſtiam dubitationes appendices reſolvuntur.

Nec orationis filum, nec materiei in ſuperiori ſpeculatione expoſitæ ſuavitatem interpoſitis ſubtilioribus atque intricatioribus difficultatibus, quæ è Theologia non minùs quàm è terra ſpinæ & tribuli fruticant, abrumpere viſum eſt, ſed in hanc ſpeculationem rejicere in unum veluti faſciculum colligandas.

Quæres 1. Utrùm Euchariſtiæ Sacramento prima interdum gratia producatur, quâ peccata mortalia deleantur?

Reſpondeo ſacramentum Euchariſtiæ gratiam ſanctificantem in ſuis ſuſceptoribus per ſe ſupponere, ac proinde ad remittenda peccata lethalia primò & per ſe inſtitutum non eſſe. Indicat hanc veritatem ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 13. can. 15. *Si quis dixerit*, inquit, *vel præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, anathema ſit.* Si autem ad primam gratiam producendam per ſe eſſet inſtitutum, præcipuus ejus fructus eſſet remiſſio peccatorum, ſine qua cæteri minimè conferuntur.

Ratio eſt, quia Euchariſtia eſt cibus animæ, ut ex dictis perſpicuum eſt, nec eos latet qui communiſſimas hujus ſacramenti notiones habent. At cibus non ad ſuſcitandos mortuos, ſed ad vivos alendos fovendoſque per ſe inſtitutus eſt. Ergo Euchariſtia iis tantùm effectus ſuos per ſe confert, qui vitâ ſpiritali vivunt. Unde qui peccato lethali mortuus eſt, nutrimentum ſpiritale ſuſcipere, quod unius viventis eſt, nequaquam poteſt. Propterea enim panis ac vini ſpeciem hoc ſacramentum habet, ut ſignificetur non ad revocandam animi vitam, ſed ad eam conſervandam divinitus inſtitutũ eſſe. Unde ſicut mortuis corporibus alimentum nihil prodeſt, ita animæ ſpiritu Chriſti non viventi ſacramenta Chriſti nihil prodeſſe, ſed plurimùm obeſſe certiſſimum eſt. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.*

Dices: Unumquodque novæ legis Sacramentum medicina eſt & pharmacum ſalutis. At medicina nón benè habentibus, ſed malè habentibus neceſſaria eſt. Ergo Euchariſtia eſt peccatorum medicina, ad ea proinde delenda inſtituta. Unde Euchariſtia appellatur teſtamentum, juxta illud: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*; qui etiam effundi dicitur in remiſſionem peccatorum. Et ipſa Eccleſia in Poſtcommunione ſic orat: *Hæc nos communio Domine purget à crimine. Perficiant nos, quæſumus Domine, Sacramenta quæ ſumpſimus: & præſta, ut hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam; ſit ablutio ſcelerum, ſit vivorum atque mortuorum remiſſio omnium delictorum.* Quæ omnia argumento ſunt Euchariſtiam ad remittenda peccata eſſe inſtitutam.

Reſpondeo Euchariſtiam eſſe medicinam non ſolùm venialium remiſſivam, ſed etiam præſervativam à mortalibus; quod duplex medicinæ genus agnoſcunt artis corporum curandorum periti. Accedit quod ut dicemus dubitatione ſequenti, Euchariſtia peccata mortalia per accidens interdum remittit, quæ vel quis ſine peccato ignorat, vel de quibus, citra ſuam tamen culpam, non eſt perfectè contritus vel confeſſus.

Ad ea quæ in objectione ſubjiciuntur additamenta ex verbis formæ calicis, atque ex orationibus Eccleſiæ petita dilucidè reſpondebis, ſi præ oculis habeas Euchariſtiam ſacrificium ſimul & ſacramentum eſſe: quà ſacramentum ſuſcipientem paſcit, gratiam ejus fovet, & auget, quam ſubinde ſupponit; unde & ſeriam conſcientiæ probationem, & cordis caſtimoniam, & eximiam animi compoſitionem doctus à Domino Paulus, docta à Paulo Eccleſia poſtulat, ne cibus ille vitalis mors ſit malis, qui ſolis bonis vita eſt. At verò quà ſacrificium & pro peccatis & pro peccatoribus quotidie offertur; nam & ad gratias quibus convertantur impii obtinendas, & ad indulgentiam pœnitentibus conciliandam, & ad occulta etiam crimina, quæ Sancti ipſi tantoperè opera ſua verentes formidant, condonanda, & ad futura præcavenda, & ad pœnam peccatis debitam miſericorditer relaxandam quotidie funditur, quotidie litatur; nec pro iis tantùm qui ſacroſanctæ alimoniæ communione dignati ſunt, ſed pro omnibus qui ad Eccleſiam quocumque tandem modo pertinent, Deo in altari offertur. Nec te moveat quod Eccleſia Euchariſtiam *ſacramentum* nominet, cùm illi remittendorum peccatorum tribuit poteſtatem. Non, inquam, te moveat verbi hujus ſcrupulus, quem citò evelles, ſi conſideres auguſtum Euchariſtiæ ſacrificium etiam quà ſacrificium eſt, ſacramentum ſeu myſterium à veteribus, iiſque longè graviſſimis non ſemel appellari. *Notum eſt*, inquit Auguſtinus lib. de ſancta virginitate, cap. 45. *quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris ſacramenta* [id eſt ſacrificiũ in altari offerri ſolitum] *recitentur.* *Sacramenta altaris* [inquit Concilium Carthaginenſe III *can.* 29. loquens de Miſſarum ſolenniis] *non niſi à jejunis hominibus celebrentur.* *Cum ſacramenta offerret B. Martinus* [ut in ejus vita de ipſo tremendum ſacrificium immolante legimus] *globus igneus apparuit.* Apud veteres etiam libri Miſſarum & Liturgiarum ritus & formulas deſcribentes, *Sacramentarii* inſcribebantur, quo titulo ipſum B. Gregorii Sacramentarium uſque in hodiernum diem inſignitur. Denique S. Thomas Theologorum accuratiſſimus 3. *p. quæſt.* 83. non ſemel celebrationem Sacramenti pro ſacrificio, veterum mores & loquendi modum æmulatus appellat.

Quæres 2. Utrum ſaltem per accidens primam gratiam peccati lethalis remiſſivam Euchariſtia interdum operetur.

Reſpondeo affirmanter contra Vaſquem alióſque ipſe *diſp.* 105. *cap.* 4. recenſet. Docet disertè noſtram ſententiam S. Thomas *quæſt.* 79. *art.* 3. his verbis; *Poteſt hoc ſacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cùm quis primò juſtificatur à peccato.* [Et in hoc ſenſu primam gratiam Euchariſtia ſemper producit, cùm nulli baptizato, ſive pœnitenti gratia unquam conferatur, niſi ex aliquo voto Euchariſtiæ,

riſtiæ, quæ omnium eſt Sacramentorum finis, ad quam uti media referuntur.] *Alio modo etiam percipitur ab eo qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet: fortè enim primò non fuit ſufficienter contritus; tamen devotè & reverenter accedens conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati.* Cenſet ergo S. Doctor in caſu oblivionis peccati, cujus tamen peccator affectum nullum retinet; vel in defectu contritionis perfectæ Euchariſtiam infuſione gratiæ & charitatis peccata lethalia delere, licèt non ad ea remittenda, ſed ad gratiam cibantem infundendam, & in Chriſto natum paſcendum fovendumque ex natura ſua referatur.

Ratio eſt, qui Sacramentum Euchariſtiæ eſt cæterorum omnium perfectiſsimum, cùm fontem ipſum gratiarum realiter contineat, plenum ſibi, ſuperplenum nobis; unde de illo rectè verba illa *Cant.* 4. uſurpantur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ergo Euchariſtia cæterorum omnium Sacramentorum vim & efficaciam eminentiſsimè præcontinet. Atqui Pœnitentia & Baptiſmus primam gratiam producunt: ergo illam producere poteſt, eámque producit Euchariſtia; non ordinariè, quia ad hoc cibus divinus non eſt inſtitutus; ſed interdum, & veluti in ſupplementum aliorum Sacramentorum, quorum poteſtates altiori modo præhabet. Putà ſi quis præmiſſo examine conſcientiæ accurato & moraliter diligenti, peccati alicujus moralis non recordetur, quo tamen reaple coram Deo inficitur, ſicque bona fide ad Euchariſtiam ſuſcipiendam ratus ſe non eſſe in peccato mortali accedit, tunc iſtum diviniſsimi Sacramenti uſu juſtificatum iri longè probabilius eſt, ſi modò actum ſinceri doloris vel amoris [talis tamen qui extra Sacramentum Pœnitentiæ re ſuſceptum ad juſtificandum non ſufficiat] elicuerit. Et tunc implebitur illud Salvatoris, Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Vitam enim impertit, cùm peccatorem juſtificat, qui peccato mortuus erat.

Atque hanc noſtram reſolutionem illa ipſa Scripturæ teſtimonia, illæ Eccleſiæ orantis voces demonſtant, quas ſuperiori difficultate inter objiciendum retulimus. Quæ cùm convincant Euchariſtiæ vim ineſſe remittendi peccata, illa etiam quandoque remittere, quando nimirum ſacrilegii temeritas abeſt, congruentiſsimum eſt. Qua de cauſa Euchariſtiam Juſtinus Martyr *in reſponſione 4. quæſtionis Gentium*, carboni comparat, quem Iſaias vidit immundis ſuis labiis adhærentem, ad iniquitatum peccatorumque expiationem. *Carbo*, inquit, *figuram habebat dominicæ carnis, quæ conſcientiam eorum qui ipſam edunt, ab omni ſcelere rapiet.* Chryſoſtomus etiam *homil. 83. in Matth.* ſacramentum hoc *remiſſionem peccatorum facere* atteſtatur. *Spurcitiam* ipſum *omnem abſtergere, & morbos omnes depellere*, Cyrillus *lib. 4. in Joan. cap.* 17. & Damaſcenus *lib. 4. de fide, cap. 14.* tradiderunt. Quod cùm de peccatis eorum qui ſacrilegâ & indignâ temeritate cum conſcientia & affectu peccati mortalis, minimè ſeipſos probantes, nec corpus Domini dijudicantes in ſacram menſam irruunt, intelligi non poſsit, cùm Apoſtolus & tota Patrum traditio reclament, relinquitur verba illa de illis peccatoribus intelligi oportere, qui peccata latentiora ſine culpa ignorant [quædam enim non ſine crimine ignorant, quorum etiam ipſa ignorantia crimen eſt, ut alibi dictum eſt, & diſſertatione ſequenti magis obſervabitur] vel non ſatis perfectâ contritione deteſtantur.

Dices: Alimentum materiale vitam corporis neceſſario præſupponit, ut calore naturali concoctum, in ſubſtantiamque aliti converſum ipſum paſcat & ſaginet. Ergo pariter divinus Euchariſtiæ cibus ſpiritalem animæ vitam præexigit, quam ſervet, augeat, & communiat. Et confirmatur ratione à priori. Nulla cauſa poteſt etiam per accidens ſuam rationem formalem operandi tranſilire. Atqui ratio formalis operandi Euchariſtiæ eſt per modum cibi & potus Fidelium, conferendo nimirum gratiam nutrientem, quâ ſpiritalis homo ſuſtentetur, creſcat, reparetur, delectetur. Ergo ad primam gratiam operandam Sacramentum Euchariſtiæ extendi nequaquam poteſt, cùm prima gratia non per modum cibi, ſed per modum regenerationis, vel certè reſurrectionis conferatur.

Reſpondeo magnum intereſſe diſcrimen cibum ſpiritalem inter & corporeum. Corporeus namque eatenus prodeſt, quatenus vi caloris nativi animalis in ſubſtantiam viventis quod alitur tranſit: alitum autem cibum in ſe, niſi vivat, per inius ſuſceptionem non transfert. At verò divinus Chriſti cibus non in comedentem tranſmutatur; ſed illum potiùs in ſe tranſmutat, juxta illud quod ab Auguſtino *lib. 7. confeſſ. cap.* 10. dictum eſt: *Nec tu me in te mutabis ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.* Unde licèt Chriſtus in ſe mutare niſi jam viventes vitâ ſupernaturali non ſoleat, abſolutè tamen poteſt, & reipſa facit, cùm non invenit cognitum & volitum gratiæ ſuæ objectaculum poſitum.

Accedit aliud non minoris momenti diſcrimen, ex eo petitum, quod cibus corporeus non eſt in ſe vivus, nec vitæ productivus; unde ejus duntaxat eſt præſuppoſitam ſuſtentare vitam, non eam quam in ſe non habet mortuis impertire. At Chriſtus eſt panis vivus qui de cœlo deſcendit, unde Chriſtiani Punici, ut refert Auguſtinus *lib. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 24.* Euchariſtiam ſimpliciter & veluti antonomaſticè *Vitam* appellabant. Quare non ſolùm vitam augere poteſt, qui eſt proprius ejus effectus, ſed eam etiam primò largiri in caſu & circunſtantiis memoratis, quia venit & ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus. Ex quibus rationi ſubjunctæ, & in confirmationem productæ ferè reſponſum manet. Etſi enim ratio formalis hujus Sacramenti ſit conferre gratiam per modum cibi & potûs, vitalis tamen iſte cibus vivificare poteſt, & omnes aliorum Sacramentorum effectus eminentiſſimè ſupplere, quando quis bona fide ſe primam habere gratiam arbitratur, & cæteroqui per verum dolorem & dilectionem initialem fontem juſtitiæ licèt imperfectè, verè tamen diligere incipit.

Ex quibus tertium diſcrimen inter peccatorem Chriſtum manducantem, & mortuum animal cui cibus ingereretur proficiſcitur. Animal enim mortuum omni prorſus vitæ motu & ſenſu caret; unde nullum illi adjumentum panis conferre valet. Peccator verò noſter jam pœnitens & recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, & ad Patrem in ſe reverſus redire avens, etſi nondum vitâ gratiæ vivat, quia perfectè contritum non eſſe ſupponimus, motus tamen vitales ab auxilio actuali prodeuntes in ſe experitur, viam vitæ ingreditur, mortem ſuam horret, fontem vitæ ſitit, quam in Chriſto potabit. Sicut enim Sacramenta mortuorum vivis proſunt, cùm inveniunt perfectam in ſuſcipientibus contritionem; ita mortuis per accidens proſunt ſacramenta vivorum, cùm ſincerum vitæ deſiderium in illis inveniunt.

Quæres 3. Quonam tempore vel momento Sacramentum Euchariſtiæ rectè dignéque ſuſceptum ordinarios ſuos effectus largiatur?

Reſpondeo certum quidem eſſe gratiam dignè Euchariſtiam ſuſcipientibus conferri, quo autem manducationis inſtanti, ſolum illum ſcire qui efficit Deus. Varias Authorum ſententias referam, non ut inſtantium minutias ſubtiliùs curioſiuſq; diſcutiam; religionis enim eſſet inanibus argutiis chartas implere: ſed ut inde elicias, in expendendo pretioſiſſimo Communionis tempore totum te conferre, omnemque tuam adhibere curam oportere.

Primò

Primò exiſtimant aliqui cum Becano tunc gratiam ſacramenti conferri, cùm hoſtia primùm ſumpta eſt, antequam in ſtomachum trajiciatur, vel per guttur diffluat. Quia in ore verè incipit manducatio cibi corporei, cujus ibi ſapor & ſuavitas deguſtatur. Similiter ergo dũ Euchariſtia ore ſumitur, mens divinâ gratiâ ſaginatur. Ex qua doctrina ſequitur gratiæ ſacramentalis fructu illum minimè cariturum, qui ante perlatas ad ſtomachum ſpecies ſacramentales moreretur. Verba enim Scripturæ, *Ioan. 6.* quæ ad fructus Euchariſtiæ percipiendos manducationem præſcribunt, peræquè de manducatione inchoata quàm completa intelligi poſſunt. Cùm enim ad manducationem perfectam quatuor ordine deſiderentur, ſumptio oralis, tranſitus per guttur, receptio in ſtomacho, & digeſtio vi caloris naturalis elaborata: ſicut non caret fructu Euchariſtiæ qui ſpecies præ infirmitate evomit nec digerit, ita qui eas morte occupatus deglutire nequit; quia licèt ille qui cibum in ore habet aut atterit ut illum exſpuat, non manducare, ſed mandere dicatur: ille tamen qui ore ſumit ut ſorbeat ſi poſſit, manducare in humana ſocietate & communi opinione cenſetur. Hæc ſunt hujus ſententiæ momenta probabilia: ſed unum ex ea certum compendium collige. Enitere ut quod ore ſumis purâ mente capias; dum ſacramento os corporis aperis, ore animi (qui intellectus eſt, juxta illud, *Os juſti meditabitur ſapientiam*) præſentem Chriſtum fide reſpice, religione adora, ſpe te illi committe, charitate amplexare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, hauſtu interiori aſſume, denique dilata os tuum, & implebit illud.

Secundò alii cum Suare exiſtimant gratiam Euchariſtiæ tùm in mentem infundi, cùm ſpecies deglutiuntur, & per guttur diffluunt; quia, inquiunt, qui cibum in ore tenent, nec ſorbent, comedere nequaquam creduntur. Quomodo ad hoc reſpondere poſſit prima opinio, jam tetigimus. Sed utut ſit, ex hac ſententia colligito, non ſufficere ad uberes Euchariſtiæ fructus percipiendos cœleſtia celeriter, breviter, leviter, & perfunctoriè meditando perſtringere, & veluti ſuperficie cogitationis attingere: ſpatium ergo nobis ad cœleſte epulum mandendum, ruminandum, guſtandum, deglutiendumque ſumere oportet. O morem præclarum eorum, ſi quidem illum teneremus! qui poſt perceptum cœleſtem cibum ſedent ſolitarii, & levantes ſe ſupra ſe, à terrenis omnibus ſegregati, quæ ſurſum ſunt quærunt, quæ ſurſum ſunt ſapiunt, & in ipſum pietatis authorem & Deum majeſtatis in pectora ſua inclinatum tota aligeri pervolant & requieſcunt. Et ſicut margaritiferum conchilium ut unionem pariat, ſalſis & amaris Oceani undis ſupernatat, ſinumque ſuum uni de cœlo lapſo blandiſſimo rori aperit, moxque teſtam ſtringit, ut ne cœleſtis imber marinæ aquæ contagione inficiatur: Sicut etiam utres pellium ab omni ſqualore purgantur, pigmentiſque liniuntur odoratis, ut ſaporem vini poſſint inviolabilem cuſtodire: ita anima ſancta ab omni carnalium cogitationum & curarum concretione attollitur, quò fiat iter divinis torcularibus aptus, atque de prælo crucis, de latere pendentis, de calice altaris accipiat vinum novum germinans virgines, & incorruptam novitatem divino Chriſti rore impreſſam conſervet.

Tertiò Sotus, cui plures aſſentiuntur eruditi, contendit illo in inſtanti ſacramentum *Euchariſtiæ* in idoneum ſuſcipientem gratiam operari, in quo primo primùm verum eſt dicere Nunc eſt ſacramentum aſſumptum & in ſtomachum vitaliter tranſſumptum; quia tunc quoque verum eſt manducaſſe illum cibum porrectum. Et certè cùm gratia hujus Sacramenti producatur in inſtanti, non videtur momentum aliud eo aptius & opportunius poſſe aſſignari, in quo verè Sacramentum ſuſceptum eſt, & per modũ cibi applicatum. Quæ ſententia probabilitate non caret. Quid autem ex illa ad pietatem inferendum ſit, poſtea clarebit.

Quartò alii cenſent tum Sacramentum intus in animam operari, cum ſpecies ſacramentales in ſubſtantiam aliti convertuntur, ut ſimul corpus nutriatur, & anima de Deo ſaginetur. Sed rigoroſior videtur aliis ea ſententia, quia in infirmis præſertim contingere ſæpe poteſt, ſpecies præ debilitate ægroti non concoqui, & in aliti ſubſtantiam tranſmutari, qui tunc fructu ſacramenti orbabitur, tametſi ſacramentum manducaverit: Quod non parum durum apparet. Nec eſt ſimile de cibo corporali & ſacramentali; ille enim non niſi mediâ digeſtione ſuum ſortitur effectum: at cibus ſacramentalis non concoctione, ſed ſenſibili ſumptione operatur.

Quintò Cajetanus cenſet Euchariſtiam toto eo tempore gratiam in animam affundere, quo ſpecies ſacramentales in ſtomacho perſeverant. Quæ opinio abſolutè & nullo interpretamento prolata aliis diſplicet: tum quia etſi Chriſtus gratiam promiſerit manducantibus Euchariſtiam, non eam tamen pro toto manducationis tempore ſpopondit. Tum quia licèt Euchariſtia ſit Sacramentum permanens, actio tamen ſacramentalis uno inſtanti perficitur, quia agit in virtute Dei, quæ nullis temporis morulis eget. Tum potiſſimè, quia ſequeretur melioris eum futurum eſſe conditionis, qui majorem ſpecierum quantitatem ſumeret, vel qui præ caloris nativi debilitate in digerendis ſpeciebus diutiùs laboraret; ac proinde in aliquid merè naturale Euchariſtiæ gratiarum diverſitatem, quod abſit, refuſam iri.

Quare Cajetani ſententiam moderabimur, & probabilem efficiemus, ſi dicamus Euchariſtiam toto tempore, quo in ſtomacho ſubſiſtunt hauſtæ ſpecies, gratias effundere, modò tamen interioris diſpoſitionis fervor accreſcat. Si enim Chriſtus ſit Sol juſtitiæ, quidni rectè diſpoſitos jugiter illuſtrabit, & quandiu præſto ac præſens eſt, longè plura animæ ſanctæ conferet bona, quàm ſoleat lux aſpectabilis mundo largiri, ipſomet dicente, Joan. 9. *Quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi*? Si Chriſtus ſit fons, quidni ab eo continuò manabunt & ſcaturient fluenta gratiarum in omnes animæ facultates veluti alveos redundantia? Si ignis ſit conſumens peccata, conſummans virtutes, quidni implebit illud à ſe prolatum: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat*? Si eſt panis vivus & cibus animarum, quidni cibi corporei virtutem æquabit, qui toto tempore quo in ſtomacho permanet corporaliter prodeſt? Ergo dum Chriſtus ſuæ nobis præſentiæ copiam facit, omnium nos cœleſtium chariſmatum, quam veluti exſtillat ubertate beat; modo ut dixi, divinum hoſpitem virtutum actibus demereatur, ejuſque gratiam auſpicetur: quia nihil cœleſtis ſponſi diuturna præſentia conferet, niſi thalamum ornet aurum dilectionis, argentum ſapientiæ; viror ſpei, virtutum actuum gemmæ, ſanctitatis vela, verecundiæ roſæ, violæ humilitatis, lilia caſtitatis.

Denique alii affirmant, quod cùm actio comeſtionis magnam habeat latitudinem, multùm temporis & plura inſtantia conſumat, non eſt præcisè determinandum ullum inſtans, ſed poteſt eſſe quodvis à principio ſumptionis ſpecierum uſque ad earũdem conſumptionem & in ſubſtantiam hominis converſionem. *Ex* quo inferunt, quod ſi homo in primo manducationis inſtanti cum ſufficienti diſpoſitione rectè compoſitus accedit, ſine mora in illomet inſtanti Euchariſtiæ effectus percipiet; ſi ſecus, & tamen durantibus ſpeciebus animum inſtruat, purget, elimet, inflammet, gratiam Sacramentum infundet cùm mentem invenerit ſic paratam. Et ratio eſſe poteſt, quia Euchariſtia eſt ſacramentum permanens, non in uſu & actione conſiſtens; unde per omnia & ſingula inſtantia quibus in homine perſeverat, gratiam producere poteſt, quam non ſolius ratione manducationis, ſed præcipuè ratione cibi manducati Chriſtum realiter continentis operatur. Quandiu ergo Chriſtus adeſt (adeſt verò quandiu

diu permanerit in ſtomacho ſpecies) tandiu gratiam ſacramentalem *Euchariſtia* producere poterit, & reapſe producet ſtatim atque aptam invenerit interioris hominis compoſitionem.

In hac ſententiarum varietate ſi incertus animi & ſententiæ ſis, illud pro certo habeto tamen quod Patres ſpiritales inculcant, pretioſiſſimum nimirum ſacræ Communionis tempus ſedulò impendendū eſſe, ut nimirum tantùm quantū quiſque poteſt nitatur, quò præclare ex eo cibo vitæ ſpiritalis compendia reportet. Intende ergo animum, Lector, & in omnes pretioſi temporis moras totâ mente, toto animo & ſtudio omni incumbe. Effuſo ſinu Chriſtum venientem excipe, præſentem fide adora, charitate amplectare, & totum te in ipſum profunde, ut Spiritus ſancti calorem divino illi cibo concoquendo neceſſarium Deo opitulante accendas.

Quæri duo hic ſolent: primò utrum per peccata venialia Euchariſtiæ effectus impediatur. Secundò utrum plus gratiæ duplex quàm unica Euchariſtiæ ſpecies ſuſcipientibus peræquè diſpoſitis ex opere operato conferat. Sed de utroque diſſertatione ſequenti, ubi de uſu Euchariſtiæ agendum eſt, fusè dicemus.

Reflexio.

Quæres demùm cur è tot Euchariſtiam frequentantibus tam pauci præclaros Euchariſtiæ fructus ex eo bonorum omnium theſauro capiunt? Non argumentis, ſed gemitibus huic difficultati, quam propterea in hanc uſque reflexionem protulimus, ſatisfaciendum reor. Lugeamus, mi Lector, lugeamus tot quæ in Euchariſtiæ uſu nefanda admittuntur piacula. Lugeamus impietatem, injuriam, ſacrilegia, quibus tremenda Chriſti realiter præſentis majeſtas quotidie & pluries violatur. Sed uberibus etiā lacrymis proſequamur novam Chriſtianorum his extremis temporibus fiduciam, qui defluentibus è menſa Domini micis cùm indigni ſint, tum maximè ſeipſi ſuâ ſponte filiorum pane dignantur. Quis in religionis rebus, in Patrum decretis, in Sanctorum exemplis adeò hoſpes eſt & peregrinus, cui praxis illa probari poteſt, quâ manna cum aliis, cepis & pomis Ægypti, panem filiorum cum ſiliquis porcorum, pietatem cum ſæculi voluptate Evangelii maximas cum axiomatibus mundi, uſum Sacramentorum cum fruitione profanorum placidâ verſutiâ bellè & ſolerter componentes, Patrem adorare poſſe ſe putant in ſpiritu & carne, veritate ſimul & vanitate? Hinc poſt innumeris vicibus frequentatam Euchariſtiam homines cernimus amore mundi plenos, concupiſcentiæ & cupiditatibus ſemper morem gerentes, & doctrinarum illarum amantes, quæ licentiæ & intemperantiæ lenocinantur. Hinc tantam paſſim vigere cernimus uſurarum & vindictarum crudelitatem, tam profuſum ubique etiam in extremis hujus ſæculi paupertatis anguſtiis luxum, tam effrænatam maledicentiam, poſtremò tam perennem in vitiis contumaciam. In tam ſæva morum diſciplinæ perſequutione, quo latiori eo deſperatiori, eoque periculoſiori quo interiori, non à Paganis, non ab Hæreticis, ſed à filiis illata, tantòque infeſtiori, quantò à minimè ſuſpectis manibus intentata, nonne hæc idoneam tuis magis lacrymis & voluntariis afflictationibus quàm ſpeculationibus materiam miniſtrant? Quis crederet, niſi cerneret, *Euchariſtiam* non à tyrannis jam, non ab hæreticis aut apoſtatis tantùm, non à Lutheranis modò & Calviniſtis cæteriſque apertis perduellibus, ſed à Catholicis, ſed à tuis, Lector, ſed à meis moribus vexari? Quis ſibi perſuaderet intus & in ſinu ſuo hoſtes ſuos fovere Eccleſiam; hoſtes, inquam, & filios, unam fidem, unam religionem profitentes; è cœlo delapſam fidem inferno natis moribus deturpantes. *Olim prædictum eſt*, inquit Bernardus piculacum ſolito melle fundens ſerm. 34. in Cantica, *& nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara priùs in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, nec fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum.*

Poſt obortas lacrymas fuſas hæc moralis hujus quæſtionis rationum momenta accipe. Si ignitum eloquium, teſte Bernardo, non capit frigidum pectus, vitalis cibi fructus mortuum cor quomodo recipiet? Ad ejuſdem Solis accedentis radios duratur lapis, cera liqueſcit: quid mirum igitur ſi ex uſo Solis juſtitiæ, qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc? Cibi ſaporem non percipit obductum vitiato humore palatum, illique non ſano pœna eſt panis qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris odioſa lux quæ puris eſt amabilis. Qui ergo caſtiſſimas puriſſimi ſponſi delicias & panis Angelorum utilitates percipiet, cujus mentem veluti tetræ nubes cœlum obſcurant fæces vitiorum; cujus cor ſicut ventorum turbines elementa, ſic confundunt æſtus paſſionum; cujus pios affectus velut navem fluctus, ſic demergit terrenarum ſolicitudo nugarum.

Non paſcit nos Chriſtus, ut alibi ex Patribus obſervavimus, niſi paſcatur à nobis. At enim Chriſtus non ſordibus delectatur & cœno; non fœtore criminum, non ſquallore paſcitur vitiorum. Væ nobis qui eandem ad Chriſtum recipiendum mentis compoſitionem afferimus, quæ magis eſſet ad recipiendum diabolum, ſi nobis porrigeretur, idonea. Nonne peccatorum ille corda peteret in hoſpitium, qui mitti ſe in porcorum gregem mitti poſtulavit? *De monumentis*, inquit Chryſologus ſerm. 16. *mitti ſe precatur in porcos; quia fœtores amittere neſcit, ſed mutare. Cœnum petunt rapaces cœli; poſt æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum.* Diabolum ergo, non Chriſtum paſcit, cujus cauteriata conſcientia fœtores ſemper fundit & putores. Hinc poſt acceptum indignè à Juda ſacrum epulum, confeſtim diabolus in cor ejus intravit, quia authore Ambroſio in pſal. 37. *Sicut Sancti corpus & membra ſunt Chriſti, ita peccatores qui peccatum non deſerant, ſed peccato inhærent, corpus draconis & membra ſunt. Ideo nos Chriſti corpus epulamur, illi autem epulantur corpus draconis.* Ita planè ab eo quem paſcunt ipſi & paſcuntur. Paſcitur autem malis noſtris diabolus, qui ſemper noſtris ſaturatur ex culpis. *Ille*, inquit Chryſologus ſerm. 12. *capit ſatietatem, quando nos luxus ſolvit, lucra capiunt, uſura vinciunt, chirographa ligant, premunt ſacculi, claudit aurum.* Sed quod deplorandum & juxtà horrendum eſt cum diabolo placidè vivunt peccatores; ejus tartareum fœtorem lubenter ferunt, quem nec porcorum natura valuit ſuſtinere, maluitque demergi in mare & fluctibus deperire, quàm ejus immunditiam pati, & putredinem tolerare.

Speculatio III.

Aliis à ſuſcipiente Sacramentum Euchariſtiæ directè non prodeſt quidem, at indirectè tamen? Piiſſimus communionis pro mortuis ritus, & ſacra de ea Congregationis judicium explicatur & defenditur.

Antequam hanc aſſertionem ſuadeamus, ex eáque *Euchariſtiæ* Sacramenti fructus uberrimos in alios etiam diffuſos demonſtremus, præ oculis habenda eſt hujus diviniſſimi Sacramenti dignitas ſingularis, quæ etſi ex dictis ſatis ſuperque conſtet, paucis tamen de ea in hujus ſpeculationis limine præfabimur, ut pateſcat quantum ſe ad hominum utilitates hujus Sacramenti virtus porrigat & ex-

explicet. Eminentia autem hujus ſacramenti, ſi diligenter attendimus, ex rebus quas eximias continet omnino petenda eſt. Etenim ſub vilium ſpecierum integumentis Chriſtum, perfectum Deum, perfectum hominem, quo proinde omnis increata & creata nobilitas continetur, Euchariſtia includit. Omnia habemus in hoc Sacramento: ſummum & per eſſentiam bonum divinitatis, animam omnibus gratiarum ornamentis cumulatam, corpus numeris omnibus abſolutum, è puriſſimo Virginis immaculatæ ſanguine Spiritus ſancti arte elaboratum. Hinc Sacramenti hujus ſanctitas immenſa deducitur, cùm in ipſo omnis plenitudo divinitatis, omnis gratiæ humanitatis, omnis virtus paſſionis & mortis Redemptoris inhabitet. Ex quibus patet Euchariſtiam eſſe Sacramentorum finem, religionis centrum, ſacrorum rituum conſummationem, bonorum abyſſum, theſaurum Eccleſiæ, animarum ſanctarum in hac valle plorationis ſolatium & beatitatem. Patet etiam nihil Euchariſtiâ Deo gratius offerri poſſe vel acceptius, cùm æternum paternæ dilectionis objectum paterno cordi in altari Eccleſiæ ſiſtat in ſinitis bonitatis & amabilitatis illicis veſtitum.

Præmoneo rurſus, quod cùm bonum ſit ſui diffuſivum, quo nobilior eſt res, eo in alia virtutem ſuam profundere nata eſt. Sacramentorum ergo nobiliſſimum totum eſt in aliorum utilitates comparatum. Prodeſt quippe militantibus in Eccleſia, quos paſcit, & roborat; languentibus in Purgatorio, quos ſolatur, eorumque piaculares ignes veluti ſanguinis ſui quotidie oblati rore temperat; Beatis etiam in cœlo regnantibus, quos gaudiis accidentalibus auget. Quæ omnia de hoc Sacramento ut ſimul ſacrificium eſt, facilè intelligi & commodè explicari poſſunt. Euchariſtia enim in ratione ſacrificii conſiderata ſumentibus & non ſumentibus prodeſt, quatenus pro omnium ſalute offertur. Sed de ſacrificio deinceps; impræſentiarum de uno Sacramento ſermonem inſtituimus. His prælibatis.

Prior ſpeculationis pars affirmans Sacramentum Euchariſtiæ unis ſuſcipientibus directè prodeſſe, ſic oſtenditur. Ea eſt Sacramentorum omnium conditio, ut in illos ſuos effectus effundant, quos ſanctificant, in quos agunt, & quibus applicantur. Unde ſicut cibus unis manducantibus per ſe & directè prodeſt, medicina ſolis eam ſorbentibus opitulatur: ita cœleſtis divinæ Euchariſtiæ cibus unis ſumentibus ex opere operato opem fert, quos ad modum alimenti nutrit, & ſanat ad modum medicinæ.

Poſterior pars contendit Sacramentum hoc aliis à ſumentibus indirectè prodeſſe, quatenus nimirum dum pro Euchariſtiæ uſu ſuſcipientium fervor accreſcit, *per quandam concomitantiam ad principalem effectum*, ut quæſt. 79. art. 5. loquitur S. Thomas, *homo conſequitur remiſſionem pœnæ*, non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis, cùm remiſſionem pœnæ poſſit aliis communicare. Hoc enim poſtulat Sanctorum communio, quam in Symbolo profitemur, & in qua Regius Propheta exultabat dicens: *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Poſtulat ſacrum Indulgentiarum commercium, quas per modum ſuffragii mortuis impertimur. Cùm enim remiſſio pœnæ extrinſeca ſit, eam quiſque poteſt pro aliis Deo offerre; & quod ſibi proprium eſt per laborem, in alios diffundere per amorem, abſque ulla internæ ſanctitatis jactura, vel gratiæ ullo detrimento. Ergo ſicut pœnæ temporariæ remiſſionem pœnitentiæ exercitationibus partam atque per Indulgentias obtentam, ita & illam è tanti Sacramenti uſu hauſtam in Eccleſiam patientem charitate derivare poteſt, qui ad Euchariſtiam accedit.

Accedit 1. quod cùm per Sacramentum Euchariſtiæ ſpiritalis hominis vires in nobis fiant ampliores, iis roborati pro animabus languentibus & fervidius oramus, & Deum facilius exoramus. Ergo prodeſt piè frequentata Communio mortuis, dum vivorum preces efficit valentiores. Etenim anima ſancta pane vivo paſta, & in ipſum mutata ita ab humanis deiiciatur, ut tota liqueſcat in Deum. Tunc ſicut ſpeculum pellucidum totam ſolis exprimit gloriam, ſic illa etiam in iſto humani corporis obſcuro tota fulget Chriſti claritate. Gloriam ergo Domini præſentis ſpeculans, & transformata à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, non tam ipſa, quàm Chriſtus in illa orat & poſtulat gemitibus inenarrabilibus, ut eos Deus illuminet, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes eorum in viam æternæ pacis. Quid animæ ſic per Chriſtum quo plena eſt petenti, vel ut melius dicam, in qua Chriſtus (cui qui adhæret unus ſpiritus eſt cum illo) ipſe rogat, denegabitur? Sic petens, nonne accipiet; ſic quærens, nonne inveniet; ſic pulſanti nunquid non aperietur? Exaudietur profectò Chriſtus pro reverentia ſua, nec in reſpondendo faciet moram, dum vota ſupplicum ipſe format qui repulſam pati nequit Filius dilectus, in quo tam ſibi complacet Pater. Magnam nobis fiduciam Salvator indidit, & veluti inſtillavit, quando quibus oraremus preces ipſe dictavit, & orandi thema, materiam petendi, ſupplicandi normam & formulam pauciſſimis in verbis ille ipſe qui à nobis exorandus eſt indulſit: at fiduciam auxit, perfecit, convicit, implevit, cumulavit, quando in corde noſtro ipſe orat pro nobis, & de judice factus eſt advocatus. Itaque dum fidelis Chriſto plenus, & in Chriſtum mutatus (formatur enim Paulo authore Chriſtus in nobis) pro animabus in Purgatorio ad æternam requiē ſuſpirantibus Patrem miſericordiarū & Deum totius conſolationis ſupplicat, cunctationem meritò credit ablatam impetrandi, imo collatam fiduciam promerendi, quando illum in ſe ſentit orantem quem Pater ſemper audit. Quomodo metus ibi locum haberet, ubi à Patre Filius pietate interprete deſiderat quæ ſancta ſunt impetrare? Non amovebit orationem noſtram & miſericordiam ſuam à nobis Pater, dum per Agnum immaculatum quo paſcimur, non impia, ſed pia; non terrena, ſed cœleſtia; non illecebris, ſed virtuti congrua; non digna odiis, ſed apta concordiæ, denique digna ſe à ſe viderit poſtulari.

Accedit rurſum, quod cùm omne opus bonum à viventibus elicitum per meritorum communionem utile poſſit eſſe defunctis, dubitandum non eſt quin piè ſuſcepta communio, quæ eſt eximium chriſtianæ pietatis operæpretium, religionis profeſſio, pœnitentiæ laborum fructus, & virtutum omnium corona, animabus Purgatorii per dilatatam extenſæ charitatis abundantiam poſſit eſſe proficua. Maximè quia in ſacra Communione non ſola attenditur Sacramenti applicatio, quæ in cibi cœleſtis & ſpecierum glutitione ſita eſt; ſed ſanctæ præparationis labor & difficultas penſatur, qui & probationem, & confeſſionem ſacramentalem, & ſcelerum per ſatisfactionis exercitationes purgationem à peccati mortalis conſciis, & virtutum internarum apparatum ab omnibus exigit. Quâ ſanè ſuſceptione totius corruptæ naturæ vires excedente nihil laborioſius, nihil difficilius, nihil proinde ad ſatisfaciendum etiam pro aliis aptius eſſe poteſt. Ergo ſacræ communioni ſic conſideratæ conveniunt duæ illæ dotes, quibus inſtructum opus aliis poteſt eſſe ſalutare, vis nimirum merendi ex bonitate fluens, & ſatisfaciendi pro alienis pœnis poteſtas ab opere bono laborioſo indivulſa.

Meritò ergo ſacra Congregatio authoritate Apoſtolicâ ſibi commiſſâ librum P. Theophili Raynaudi, quo communionem pro mortuis tanquam errorem popularem refellit, poſt accuratum examen proſcripſit. Noverant quippe Eminentiſſimi Patres orationes poſt Communionem, & in ipſo Communionis uſu ad Deum fuſas, & Chriſti præſentis ſacro igne ſuccenſas ferventiores eſſe ſolere, ſubindeque

aliis

aliis ex conſequenti prodeſſe Communionem, unde tota quanta orationis efficacia proficiſcitur. Et certè ſi Altaribus, Roſariis, & Sanctorum ſacris Iconibus indulgentias ad augendam Fidelium pietatem, & in divina reverentiam liberalitas Apoſtolica adjungit, quæ poſſunt in animas defunctorum effuſione charitatis per modum ſuffragii transferri; quidni ſacræ Communionis digno uſui indulgentiarum beneficentia adnecti poterit, quæ in mortuos piâ extentione derivabitur?

Sed inter cæteras Raynaudi opuſculi exerrationes, illa niſi mea me fallat opinio, Purpuratorum animos & pietatem commovit, & juſtiſſimè exacerbavit, quâ ſcribere non dubitavit: *Conſenſus connubiales mortuis magis Euchariſtiâ prodeſſe: Euchariſtiam nihil habere peculiare præter Matrimonium: & mirari ſe adverſarios non invitare fideles ad illud pro mortuis ineundum.* Vah ſpurciſſimam comparationem, quam inter ſcribendum timebam ne atramentum ipſum rubeſceret! Non placet in iis ſordibus diutius verſari; nec multis in ea comparatione confutanda morabor, quâ auditâ, pie Lector, mox coborruiſti, & tacitâ execratione omni argumento validiore proſequutus es. Non enim ita te, mi Theologe, communiſſimas chriſtianæ pietatis notiones ignorare reor, ut cenſere poſſis Sacramentum præſtantiſſimum nihil habere eximium & ſingulare. Non ita te præjudiciis occupatum vel abreptum arbitror, ut multis tibi perſuadere opus ſit, inæſtimabilem Chriſti realiter præſentis felicitatem amplexus materiales per ſe ſordidos, & à nobis non nominandos non adæquare. Neque unquam, ut opinor, miratus es, cur non æquè ad frequentiam matrimonii atque ad frequentem Communionem Rectores animarum hortari ſint. Non arbitror te neſcire quod omnes norunt, *Euchariſtiam Eccleſiaſticæ* unitatis ſacramentum, Chriſtumque quo tota *Eccleſia* conſolidatur realiter continens, ſpeciali jure aliis Sacramentis minimè communi poſſe in alios ſeſe diffundere, dum charitatem accendit quæ omnibus omnia fit, & orationem inflammat quæ in omnes potiſſimùm miſeriores dilatatur.

*Et*tamen his leviſſimis argumentis Theophilus ductus ſcribere non erubuit, Communionem pro mortuis à Summis Eccleſiæ Capitibus apertis Indulgentiarum theſauris confirmatam & promotam, *eſſe ſordem non ferendam, piam fraudem, eſcam falſi fructus, ſtropham prætextu pietatis tecteriam falſitatis.* Libenter hic cum Auguſtino ſcripſerim: *Valeat ad ſeipſam perſuadendam ipſa evidentia.* Valeat ad Lectores & Chriſtianos omnes ab iis avertendis ipſa verborum improbitas, & non occulta, ſed ultrò oculis ſe ingerens fœditas ſpurciloquii. Poſt illa verba ne expecta ut alia ejuſdem opuſculi errata producam, quò Romanæ cenſuræ æquitas pateſcat.

Reflexio.

Languentibus in Purgatorio ſubveniat tua compaſſio. Subveniat jejuniis, precibus, eleemoſynis, ſed potiſſimè diviniſſimi Sacrificii hoſtiâ, & orationibus poſt ſacram Communionem fuſis. Si enim, teſte Auguſtino in Enchiridio *cap.* 107. nonnulla religio eſt mortuos iis ſepelire locis qui ſunt Martyrum reliquiis venerabiles, quatenus dum recolimus eorum quos diligimus corpora ubi ſunt poſita, eorum animas ſanctis Martyribus commendamus: magna ſine dubio religio erit pro iiſdem vel Miſſæ ſacrificium, vel fervidas, Chriſtoque per ſacram communionem præſenti conjunctas orationes Deo ſiſtere & offerre.

Juſtum eſt ſanè, ut in alios tum charitas noſtra fundatur, cùm charitas Dei tanto nos Chriſti corporis beneficio dignata eſt. Hæc enim eſt divinæ providentiæ conſtituta lex, ut non ſemel Auguſtinus nos docuit, ut qui à potentiori ſe vult adjuvari, adjuvet & inferiorem, ſi eſt ipſe potentior: *Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matthæi 5. *Et ſicut nihil tam ſecundum naturam eſt*, uti *lib. de officiis* ſcripſit Ambroſius, *quam juvare conſortem naturæ*: ita nihil tam ſecundum gratiam & charitatem eſt quàm calamitoſis, iiſque Dei amicis opem & ſuppetias afferre. Ne timeas meritorum & ſatisfactionum tuarum jacturam vel imminutionem, ea ſi in eos miſeros piâ liberalitate profuderis, à quibus referendæ gratiæ vicem ſperare meritò potes. Oleum quippe pietatis & miſerationis unguentum quanto copioſiùs in fraternas neceſſitates effunditur, tanto donis potioribus augmentatur. Quàm gratum tibi quod aliis porrigis debet eſſe ſubſidium, quod danti magis creſcit in commodum quàm ſuſcipienti proficiat in augmentum: ut ſic in una mercatione, quod rarò ſolet emergere, uterque videatur deſiderata commoda percepiſſe. Eſto itaque dives in miſericordia, ſi ſemper eſſe vis dives in gratia.

Ergo inter ſacras cœleſtis convivii delicias ne ita divinæ torrente voluptatis capiaris, quin piam compaſſionis triſtitiam ſuſcipias, & ſi dici poteſt, bonam miſeriam, quæ novit flere cum flentibus, & imbre lacrymarum ignem tribulationis attemperat. Mi Lector ſanctarum animarum in piaculari Purgatorii carcere degentium multum & moleſtum languorem animo intuere: nec clam te eſt quantus in illis dolor inſit, quantùm eas gloriæ & beatitudinis ſpes dilata affligit. Adeone te ignavum putem, adeone porrò durum, aut inhumanum, aut ferum, ut neque te calamitas, neque chriſtiana charitas, neque miſericordia commoveat, neque commoneat, ut miſeris auxilium tuum præſtolantibus feras opem? Unum hoc ſcio, nec te latêre reor, has meritas eſſe ut memor eſſes earum, par pari aliquando rerum relaturarum. Per pietatem ergo tuam, per fidem tuam, perque earum ſolitudinem oro & obteſtor te, eas ne in miſeria deſeras, neque derelinquas. Si te alienæ calamitatis ſenſus percellit, ſi te communis & catholica urget charitas, ſi te parentum, fratrum, familiarium amor ſolicitat, eſto illarum apud Chriſtum orator, & ſacræ Communionis occaſionem tibi oſtentatam, tam brevem, tam utilem, tam ſalutarem ne amitte, ſed precibus inſta, ut Chriſto refectus Chriſti adjutor ſis, & quæ, ut loquitur Apoſtolus, deſunt paſſionum Chriſti, ipſe adimpleas. Hoc modo Deum tibi totum devincies, qui unâ flectitur, unâ cogitur, unâ nobis charitate comparatur. Præclarè alicubi Marſilius Ficinus: *Venalis eſt Deus*; *at quo nummo? Quo te emit, charitate.*

In fine hujus capitis & recenſionis effectuum qui ab *Euchariſtia* proficiſcuntur, ad ipſam recurramus originem, ſuo beneficia reddamus fonti ut iterum fluant. Citò enim gratiarum ceſſabit decurſus, ubi recurſus non fuerit; nec modò nihil novum derivabitur in ingratum, ſed quod accepit, in perniciem ei vertatur neceſſe eſt, quia ingratitudo eſt beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Ergo ut cenſeamur digni muneribus amplioribus, ſimus in acceptis fideles.

Immenſa ſunt, Domine Jeſu, quæ in Euchariſtia profundis divinæ largitatis tuæ beneficia; ſed hæc quantaquanta ſint, quid tandem ſunt tibi nobis dato comparata? Sacra Sponſa *Cant.* 5. poſt enumeratas deſiderabilis ſponſi dotes, poſt enarrata beneficia & fluenta pleniſſima ex omnibus ejus membris jugiter manantia, in ipſum demùm beatiſſimum ſponſum tota rapta ſic concludit: *Talis eſt dilectus meus*, id eſt ſic beneficus, ſic liberalis, ſic effuſus; ſed quod me ſtupore unà & amore defigit, *ipſe eſt amicus meus.* Ipſe, ipſe in quem deſiderant Angeli proſpicere; ipſe paterni cordis deliciæ; ipſe paradiſi beatitudo, ipſe totus deſiderabilis, majeſtate immenſus, potentiâ infinitus, perfectione

ne incircumſcriptus; *ipſe eſt amicus meus.* Quas gratias raras aontulit, quæ beneficia profudit innumara, pluris ur par eſt facio: ſed hoc unum cogitationes ohruit, hæc me tanta, tam inſperata dignatio aonfundit; *ipſe eſt amicus meus.* Hoc ſuper omnia mihi ipſum reddit amabilem, hoc omnino amorem meum facilè vendicat totum ſibi; hoc, inquam, eſt quod meam devotionem & blandè allicit, & juſtè axigit, & arctè ſtringit, & ſuaviter liquefacit, & aſſicit vehementer. Multa ſunt quæ pro me Christus dixit, magna quæ fecit, majora quæ pertulit, maxima quæ promiſit, intar illas tamen omnes infiniti amoris ſignificationes, non tam placent dona, quam placeat qui donavit. Sad anim licèt ubique placeat, in Euchariſtiæ taman umbra dum latet magis adhuc plaaet, quia non principatum ibi affactat, ſed conſortium, ſed familiaritatem; ibi unus amor ſplendet qui dominum ſin neſcit, certè abſcondit. *Vides amori cedere etiam majeſtatem*, inquit Doctor Mellifluus ſerm. 59. in Cant. *Proprietatem abnuit, ſocietatem non reſpuit.* Verè in Euchariſtia tanquam, imo omnino unus ex nohis, verè Emanuel, id aſt oobiſcum Deus; quid, inquam, nobiſcum? Unum cum ipſo, ſicut ipſa rogavit efficimur. Suſpiciant alii fructus, ego arborem mirer; alii fluminis impetus aivitatem Dei lætificantes, ego flumen & fluminis fontem; alii radios, ego Solem; alii opera, ego opificem; alii effectus, ego factorem; cujus eo in opere potentiam, in mudo ſapientiam, in cauſa aharitatem nunquam ſatis commeodabilem, nullis unquam gratiarum actionibus æquandam iterum atque iterum, & intimam æternùm banedicamus in ſæaula ſempiteroa.

DISSERTATIO IV.

De uſu Sacramenti Euchariſtiæ: ubi de frequenti Communione.

ETſi Sacramentum Euchariſtiæ in aliquo parmanenti ſitum ſit, & io conſecratione materiæ perficiatur, non prodaſt tamen niſi ſumatur. Hac de cauſa ſcripſit S. Thomas *q. 79. art. 5. in corpore, & art. 7. ad 3.* Euchariſtiam *habere rationem Sacramente in quantum ſumitur, & ſumptionem pertinere ad rationem ſacramente.* Quibus varbis non intandit S. Doctor uſum & ſumptionem eſſe da ratione eſſentiali Sacramanti, cùm innumaris locis tradat hoc Sacramantum non in uſu, ſed in unius conſecratione materiæ aſſentialiter perfici, ut vidare eſt *q. 73 art. 1. ad 3. q. 74. art. 2. ad 3. quæſt.* 80. *art. 1. ad* 1. ibi atiam addit, quod *uſus eſt quid conſequens hoc ſacramentum.* Vult ergo ſolùm Euchariſtiam habere rationem Sacramenti producentis ſoos effectus, & io tantùm in rationa Sacramenti unicuiqua valere & prodeſſe, in quantum ſumitur. Ad eum planè modum quo approximatio ignis ad lignum de ratione calafactionis dici bono ſaolu poteſt, quia conditio aſt ſine qua non aalefacit ignis. Sed de his pluribus eginſus, quando de hujus aſſentia Sacramantt in ſuperioribus diſpututum eſt.

Sed anteaquàm ultariùs progradiamur, obſervandum eſt triplicem eſſe ſumendæ Euchariſtiæ modum: alius eſt merè ſacramentalis, peccatoribus ipſis communis, qui licèt pramant dantibus Sacramentum corporis & ſanguinis Domini, non propterea fructum capiunt ſacramenti, ſed impuro ore & corde tam pura myſteria tractantes, judicium ſibi manducant & bibunt.

Secundus modus eſt merà ſpiritalis, quando viri juſti fide vivâ, charitate noo fictâ incenſi cœleſtem paoem eſuriunt, ut Chriſto, cujus amore tenentur, arctiſſimè copulentur. Qui modus viris ſpiritalibus pretioſo maximè Miſſæ tempore familiaris, ſin omnes, maximos certè utilitatis fructus ex Euchariſtia conſequitur.

Tertius modus eſt ſacramentalis ſimul & ſpiritualis, quando fidelis non ſolum ſpiritu, ſed atiam ſacramento Euchariſtiam percipit, qui nimirum ex præaepto Apoſtoli priùs ſe probavit, & veſte nuptiali ornatus nedum à peccati mortalis labe mundus eſt, ſed etiam venialium affectum abjecit, interioram domum lacrymis rigavit, omni denique virtutum ornatu inſtruxit, ut floridum venienti ſponſo thalamū pararet: unde mixtâ reverentiâ Centurionis cum ardore Magdalenæ, & Chriſti majeſtatem tremebuodus adorat, & tantam dignationem multâ dilactioo e proſequitur.

Aſſimilatur hæc triplex Euchariſtæ ſuſceptio triplici Verbi Divini conceptioni, quæ vel mente duntaxat, vel corpore ſolùm, vel utroque junctim modo contingera potaſt. Si has conceptionis partes & modos conferas, inanis eſt aonceptio corporis ſi abſit conceptio mentis: nec enim uhera quæ Chriſtus ſuxit, nec qui ipſum portavit venter beatificarentur, niſi ſacra Parens corde Verbum Dei audiviſſet, & illud cuſtodiviſſet. Porro ſecunda conceptio meotis utiliſſima eſt, & Chriſtianis omnibus neceſſaria; ad hoc enim Chriſtiani ſumus, ut ſpiritu reoovati & regenerati Chriſtum induamus; ad hoc Apoſtolus parturiebat, ut formaretur in nobis Chriſtus. Deniquè tertia conceptio character eſt Dei matris, quæ corpore Filium Dei genuit quem mente conceperat; & hic modus cæteris omnibus longiſſimè antecellit. Ita de uſu communionis dicere licet: Longè præſtat communio ſpiritalis mera ſacramentali; ſed ſi ſacramentali adjicias ſpiritalem, id eſt purum charitatis, religioſæ humilitatis, cærerarùmque chriſtianarum virtutum affectum, ubetrimos capies fructus, & Deiparæ maternitaris felicitatem quadantenus æmulabera.

Hanc diſtinctionem Catholici omnes poſt ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *de Euchariſtia, cap.* 8. amplectuntur, quam negarunt olim quidam hæratici, quorum meminit Guitmundus *lib.* 1. opinantes panem & vinum ex toto quidem mutari; ſed indignis ad communicandum accedentibus, carnam Domini & ſanguinem itarum in panem & vinum reverti. Quod idem teſtatur Algerus *in Prologo.* Quin uſqua adeò ab indignis non poſſe recipi corpus Chriſti nonnulli arbitrabantur, ut referente eodem Guitmundo ſub finem libri 3 mallent dicere partem panis conſecrati in corpus Chriſti propter dignos ſuſaepturos; partem vero propter indignos immutabilem ratineri.

Eandem diſtinctionem negavit etiam Hæreſiaraha Calvinus *lib. 4. inſtit. cap.* 17 §. 33. contendens impios & ſceleratos à Chriſto alienos corpus Chriſti non edera, quia nimis indignè, inquit, laceraratur Chriſtus, ſi proſtitueretur incredulis. Addit porrò eo ſenſu corpus ſuum dare Chriſtum indignis, iſtoſque ſubinde reus eſſe corporis & ſanguinis Domini, quia id indignis præſtare paratus eſt quod rejiciunt. Unda conatur inferre non labaſcere fidem promiſſionū Dai, quia non deſioit è cœlo pluere, quanvis pluviæ liquorem ſaxa & rupes non concipiant.

Verùm hæc hæreſis Scripturis & toti Traditionē contradicit. Etanim conſtat omnas Apoſtolos corpus Chriſti comediſſe; nam illud comedarunt, da quo Veritas dixit, *Hoc eſt corpus meum*, & da eo calice biberunt, de quo dixir, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; referente enim Evangeliſtâ: *Biberunt ex eo omnes.* Si omnes: argo & indignus Judas, quem Chriſtus *ſivit accipere inter innocentes diſcipulos pretium noſtrum*, ut ait Auguſt. *epiſt.* 162. qood & clariſſimè rapetit *tract.* 26. *in Ioan.* Et *lib.* 1. *de Baptiſmo rontra Donatiſtæ, cap.* 8. inquit: *Sicut Iudas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe Diabolo præbuit; ſic indignè quiſque ſumens dominicum ſacramentum non efficit, ut quia ipſe malus eſt, malum ſit; aut quia non*

ed

Digitized by Google

ad ſalutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & ſanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apoſtolus: Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Et *lib. 1. contra Creſconium, cap. 25:* proſequitur: *Quid? De iſto corpore & ſanguine Domini unico ſacrificio pro ſalute noſtra, quamvis ipſe Dominus dicat, Niſi quis manducaverit, &c. Nonne idem Apoſtolus docet etiam hoc pernicioſum male utentibus fieri; ait enim: Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Videatur *ſerm. 11. de verbis Domini, cap. 11.* ubi duplicem accipiendi corporis Chriſti in Euchariſtia modum ſacramentalē, merum & ſpiritualem ſacramentali adjunctum luculentiſſime diſtinguit. Quæ teſtimonia quia ad veritatem corporis Chriſti & ſacrificii altaris conſtabiliendam inſerviunt, non potui facere, quin illa producerem. Ex quibus etiam omnes Calvini pueriles fallaciæ ſponte deſiliunt, & in fumum abeunt.

Locus etiam Apoſtoli 1. *Cor. 11.* quem Auguſtinus memoratis locis urget, Calvinianam hæreſim conficit, & in pulverem conterit: *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Atqui homo nequit eſſe reus indignè accepti & malè habiti corporis & ſanguinis Chriſti, niſi accipiat. *Qui enim manducat, & bibit indignè,* ſubdit Doctor Gentium, *judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quomodo autem jure ille damnatur, qui Euchariſtiam ſumens corpus Domini non dijudicat diſcernitque ab aliis cibis, ſi corpus Domini non eſt ipſum quod accipit? Sed locum illum argumentoſum ſatis ſuprà dum de præſentia reali, ponderavimus.

Pro intellectu quorundam teſtimoniorum Auguſtini aliorumve Patrum, quibus Sectarii abutuntur, præ oculis habe, ſupponere Patres Euchariſtiam non ſolùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter, id eſt fide vivâ per dilectionem operante, & ſacris deſideriis æſtuante ſumi oportere, ac proinde ſacramentum integrum, & corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales, & virtutem ſeu effectus ſacramenti importare. Quando ergo interdum ſubindicant impios in ſacram menſam irruentes non manducare, neque bibere Euchariſtiam vel corpus & ſanguinem Domini, loquuntur de manducatione ſpirituali, ſine qua integrè manducare non cenſetur, qui inutiliter, imò & innoxiè manducat.

Difficilior videtur eſſe Hilarii locus (*can. 30. in Matth.* ubi probat Judam non manducaſſe corpus Domini. Sed ex ipſa textus lectione liquet locum illum non eſſe ad propoſitum, ſed planè abs re. Non enim docet Hilarius Judam ſacramentaliter communicaſſe, & tamen verum Chriſti corpus non percepiſſe, quod unum ad rem faceret; quærimus enim utrum indigni ſacramentum ſuſcipientes, ipſum Chriſti corpus & ſanguinem realiter peræquè ac juſti recipiant. Sed ibi ſingularem ſuam opinionem profert ab aliorum Patrum ſenſu alienam, juxta quam opinatus eſt Judam ne quidem ſacramentaliter communicaſſe. Verba Hilarii ſunt hæc: *Poſt quæ Judas proditor indicatur, ſine quo Paſcha accepto calice, & fracto pane conficitur; dignus enim æternorum ſacramentorum communione non fuerat: nam diſceſſiſſe ſtatim hinc intelligitur, quòd cum turbis reverſus oſtenditur. Neque ſanè cum Domino bibere poterat, qui non erat biliturus in regno; cùm univerſos tum bibentes ex vitis iſtius fructu, bibituros ſecum poſtea pollicererur.* Quibus probare conatur Hilarius Judam Euchariſtiæ ſacramentali uſu non fuiſſe dignatum. At ineſſicaciter tamen: quid enim vetat eum poſt acceptam Communionem receſſiſſe, diabolo ut morem gereret, qui in ipſum poſt ſorptam dominicam buccellam ingreſſus eſt? Bibiturus etiam fuiſſet Judas in regno cœlorum, niſi per ipſum ſtetiſſet, & pignus regni gloriæ nefanda proditione abdicaſſet. Sicut etiam *Joan. 6.* veridicè promittitur: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quem tamen innumeri manducantes æternùm pereunt; quia nihil prodeſt, quin obeſt plurimus ſumptio ſacramentalis, eam niſi ſpiritualis comitetur, quâ in Chriſto charitate manemus, & Chriſtus in nobis. Et verò ſingularem Hilarii ſententiam *Evangeliſtarum* concordia refellit. Matthæus enim Chriſtum cùm duodecim diſcumbentem corpus ſuum ſingulis porrexiſſe ſignificat. Marcus ex calice bibiſſe omnes teſtatur. Lucas demùm poſt calicis diſtributionem ſubnectit: *Verùm manus tradentis me mecum eſt in menſa.*

His prælibatis, circa uſum Communionis tria inquirenda potiſſimè occurrunt; neceſſitas nimirum, apparatus, & frequentia. Priùs enim videndum eſt, an & quando ad uſum hujus Sacramenti teneamur. Deinde utrum huic ſuſcipiendæ Euchariſtiæ obligationi unius ſpeciei uſu laici ſatisfaciant. Poſtea quænam animi, quænamque corporis compoſitio ad dignam communionem cum ex natura rei, tum ex *Eccleſiæ* ſanctionibus deſideretur. Denique utrum præſtet ſacrâ Communione uti frequentiùs, an rariùs; expediatque omnes prorſus homines indiſcriminatim ad ſacram *Euchariſtiam* frequentiùs adhibendam propellere.

CAPUT I.

De obligatione uſurpandæ Euchariſtiæ, & de idonea animi ac corporis ad Euchariſtiam adeundam compoſitione.

O*Pus grande, opus grande,* inquiebat Propheta Regius 1 *Paral. 29.* Quodnam eſt tandem opus illud grande, & eximium operæpretium, de quo ſermonem habiturus es, ô homo ſecundùm cor Dei? Fortè mirabile creationis, diſtinctionis, & ornatûs opificium narraturus es nobis, & obſtupefactus exclamaturus: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti.* Magna illa quidem, ſed de his impræſentiarum. Fortè miracula gratiæ & gloriæ, & quam *mirabilis in Sanctis ſuis,* quàm *magnificus in ſanctitate, faciens prodigia,* quæ alibi recenſes expoſiturus es? Nihil minus; rem aliam mecum verſo, & mente agito. Fortè quos gratiarum muneribus & beneficiis auctus divinimus ſis obnuntiaturus es nobis, & verbum illud bonum eructaturus: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ.* Sed nec illud etiam modò. *Opus grande,* ecce illud, *opus grande; neque enim homini, ſed Deo præparatur habitatio.* David habitationem Deo præparare apud ſe conſtituit, ſed fallente morte occupatus fidem ſuam liberare, vota implere non potuit. Opus illud grande animo fideli agendum eſt, habitationem quippe Domino parat cùm ad ſacram Communionem accingit; hoſpitio verò excipit, dum hoc ſacramentum uſurpat. Ut autem pateat quando nam ad illam menſam accedere teneatur, quámve paratus accedere, & accuratè inſtructus Chriſtum recipere, id ſequentibus ſpeculationibus exponendum eſt.

Speculatio I.

Chriſtianis omnibus adultis non ſolum Eccleſiæ mandato, ſed Chriſti etiam præcepto impoſitum eſt, ut Euchariſtiam identidem uſurpent.

EX his quæ ſuprà de neceſſitate Euchariſtiæ diſputavimus, clariſſimum eſt ad uſum Euchariſtiæ Chriſtianos omnes ratione utentes jure di-

vino

vino obligari. Et ſanè id convincit aperta Veritatis declaratio, quæ *Ioan.* 6. habetur: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Lucæ etiam 22. Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus ſacrorum Antiſtitibus Dominus imperavit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis non ſolùm ſacrificium offerre Apoſtolis & Presbyteris imperavit, ſed quæ ipſe fecit facere, id eſt ſe aliosque Fideles hoc divino cibo paſcere præcepit, quamvis hujus exequendi præcepti tempora non præfiniverit, ſed Sponſæ ſuæ à Spiritu ſancto continenter gubernatæ judicio reliquerit.

Et rationem optimam affert D. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 11: Quia omnes tenentur Euchariſtiæ Sacramentum ſpiritaliter manducare Chriſto ut incorporentur. Spiritalis autem manducatio percipiendæ Euchariſtiæ votum ſincerum, ſeu deſiderium non fictum includit; unde ſine aliquo hujus Sacramenti voto nulli patêre viam regni cœlorum alibi demonſtravimus. Atqui fruſtra eſſet ſuſcipiendæ votum, quin nec verum eſſet, ſed fallax Euchariſtiam adeundi deſiderium, niſi datâ opportunitate impleretur: hoc ipſo convinceretur, non ſinceram recipiendæ Euchariſtiæ voluntatem, ſed inanem & ſterilem velleitatem concepiſſe, qui nunquam reapſe oblatam ſuſcipiendæ Euchariſtiæ occaſionem nanciſceretur, cujus deſiderio ſe teneri ſibi mentiens iniquitas aſfirmaret. Recole dicta de neceſſitate Euchariſtiæ, ubi rem hanc ſuis momentis ponderavimus.

Hinc ſequitur 1. adultos in periculo mortis conſtitutos ad recipiendam Euchariſtiam jure divino teneri. Docet enim Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. Euchariſtiam inſtitutam eſſe in viaticum ſalutis, cujus vigore confortati ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam mortales valeant pervenire. Nec obeſt quod paucis ante diebus fortaſſis ad ſacram menſam acceſſerit qui in repentinæ mortis diſcrimen vocatur; quia imminente novo mortis periculo nova urget neceſſitas, novo robore in mortis agone opus eſt. Nec propterea ſequitur ad Euchariſtiam ſingulis etiam reis ad mortem damnatis miniſtrandam obligari. Quia licet ſinguli eam optare, eámque ſi occaſio tulerit oblatam recipere teneantur, ejuſdem tamen diſpenſandæ modum & rationem Eccleſiæ prudentiæ, & Paſtorum judicio Chriſtus permiſit. Hanc enim poteſtatem in Eccleſia perpetuò fuiſſe idem ſacrum Concilium *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. declarat, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ eorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis in Domino expedire judicaret. Quâ poteſtate antiquitus uſam fuiſſe Eccleſiam ex epiſtola 1. Syricii Papæ, ex epiſtola 3. Innocentii I. atque ex Conciliis Elyberitano & Arelatenſi I. docemur.

Sequitur 2. quod etiamſi nullum extaret Eccleſiæ præceptum determinata accipiendæ Euchariſtiæ tempora præfiniens, ad eam etiam extra articulum impendentis mortis uſurpandam adulti ratione præditi jure divino nihilominus obligarentur. Quia ſacramentum hoc ad modum cibi paſcentis & roborantis animos inſtitutum eſt, Veritate non ſemel inculcante, *Caro mea verè eſt cibus: Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Abſurdum verò eſt dicere in ſolo mortis imminentis periculo alimentum ſumi oportere, illudque non eſſe ſæpius in vita uſurpandum, quo & depaſcentis concupiſcentiæ jacturas ſarciamus, & occurrentes graves tentationes conteramus. Ergo menſam in conſpectu noſtro paratam adverſus eos qui tribulant nos, aliquando extra vitæ diſcrimen adire tenemur.

Ad præceptum autem Eccleſiaſticum quod attinet ut explicemus, ſciendum fideles in Eccleſiæ naſcentis exordiis hoc ſacro cibo ſingulis diebus ali ſolitos eſſe, ut ex Actis Apoſtolorum colligere eſt. Adeò enim qui tunc Chriſtianam legem profitebantur verâ & ſincerâ charitate ardebant, inquit Catechiſmus Romanus *part.* 2. *titulo de Euchariſtia, num.* 63. ut cùm ſine intermiſſione orationibus & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra dominici corporis myſteria ſumenda parati invenirentur. Quare beatis illis temporibus ferveſcentes Chriſtianorum animi, & Chriſti adhuc ebulliente ſanguine aſperſi, plenitudine etiam Spiritus ſancti accenſi, & æſtuantes novis præceptorum calcaribus ad ſacram Communionem urgeri non egebant. Veruntamen morem illum intermiſſum ſanctiſſimus Pontifex & Martyr Anacletus, ut *de conſecrat. diſt.* 2. *cap.* 10. refertur, aliqua ex parte renovavit, quatenus miniſtros qui Miſſæ ſacrificio intereſſent communicare voluit. Diu etiam in Eccleſia viguiſſe conſuetudinem idem Catechiſmus commemorat, ut Sacerdos peracto ſacrificio cùm Euchariſtiam ſumpſiſſet, ad populum qui aderat converſus, his verbis ad ſacram menſam Fideles invitaret: *Venite fratres ad Communionem.* Tunc qui parati erant ſummâ cũ religione ſacroſancta Myſteria ſumebant. Videatur B. Hieronymi epiſtola 28. & 50.

Verum charitate deinde & pietatis ſtudio in ipſa Eccleſiæ pace, ut moris eſt, adeo refrigeſcente, ut rarò admodum fideles communionem uſurparent, à Sancto Fabiano Papa, cujus decretum habes *de conſecrat. diſt.* 2. *cap.* 16. ſancitum eſt, ut ter quotannis, Natali nimirum Domini, & Reſurrectione, & Pentecoſte omnes Euchariſtiam ſumerent. Id quod à multis poſtea Conciliis, præſertim verò ab Agathenſi *cap.* 18. his verbis confirmatum eſt: *Cives qui Paſcha, ac Natale Domini, vel Pentecoſtes ſolemnitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, cùm in civitatibus Communionis vel benedictionis accipiendæ causâ poſitos ſe noſſe debeant, triennio communione priventur Eccleſia.*

Ad extremum cùm eò languoris & tædii pietas Chriſtiana adducta eſſet, ut non modò ſancta illa & ſalutaris præceptio non ſervaretur, ſed in plures etiam annos ſacræ Euchariſtiæ communio differretur, in Magno Lateranenſi Concilio, capite illo celebri *Omnis utriuſque ſexus*, decretum eſt, ut ſemel ad minus ſingulis annis in Paſcha omnes ſacrum Domini corpus acciperent; qui verò id facere neglexiſſent, Eccleſiæ aditu prohiberentur. Quam legem ſacra Tridentina Synodus confirmavit *ſeſſ.* 13. *can.* 9. his verbis: *Si quis negaverit omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Quod præceptum tranſgrediuntur non ſolùm qui à ſacra Communione merâ incuriâ in Paſchate abſtinent, ſed illi etiam qui ad ſacram Communionem indignè accedunt. Tum quia præceptum Eccleſiæ eſt tantùm divini interpretatio, præfiniens tempus adimplendi divini mandati. Atqui præcepto divino per ſacrilegium non ſatisfacimus. Ergo per indignam Communionem præcepto Eccleſiæ de ſacro cibo in Paſchate uſurpando non obtemperamus. Tum quia Concilium Lateranenſe memorato capite *Omnis utriuſque ſexus*, Euchariſtiam ad minus in Paſcha *reverenter ſuſcipi* conſtituit. At ſacramentum nequaquam reverenter ille ſuſcipit qui in horrendum ſacrilegium incurrit, Chriſtũ in ſeipſo crucifigit, Filium Dei conculcat, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum ducit.

Neque dicas Eccleſiam non poſſe præcipere actus internos, ſed ejus poteſtatis ſphæram intra actuum externorum ambitum contineri. Non, inquam, id dicas; quia quidquid ſit de poteſtate Eccleſiæ in actus merè internos, de qua Theologorum Moralium diſſerere eſt, id tamen conſtans, & apud omnes incorruptæ diſciplinæ moralis defenſores in confeſſo eſt Eccleſiam actus internos ut conjunctos cum exterioribꝰ jure poſſe præcipere vel prohibere. Nam inCle-

in Clementina 1. de hæreticis, & cap. *Multorum*, circa finem, excommunicantur Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ſi odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu contra juſtitiam & conſcientiam ſuam omiſerint contra quemquam procedere, ubi fuerit ſuper pravitate hæretica procedendum; vel eodem obtentu quemquam præſumpſerint quoquo modo vexare. In capite etiam *Dolentes*, de celebratione Miſſarum, Clericis præcipitur, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent pariter & devotè. Patet autem amoris & odii obtentum, devotionem etiam celebrando officio adhibendam eſſe actus internos. Denique utut ſit, cùm Eccleſiaſticum Paſchalis Communionis præceptum ſit divini determinatio, nunquam legi illi ſatisfaciet qui ore ſacrilego divinum epulum acceperit.

Ejuſdem etiam præcepti violatores ſunt, tum qui prænoſcentes ſe Paſchali tempore negotiis, occupationibuſque implicatum iri, vel peregrinatione aut navigatione aliiſque impeditum iri quominus ſacram menſam adeant, communionis tamen tempus prævenire & anticipare negligunt: tum qui omiſsâ vel impeditâ Communione Paſchali, primâ datâ opportunitate communicare prætermittunt. Ratio eſt, quia intentio Concilii verbis illis, *ad minus in Paſcha*, expreſſa ſignificat Communionem non eſſe ultra paſchale tempus differendam: qui autem impedimenta negotiorum, peregrinationis, navigationis, belli gerendi, aliaque prævidens paſchale tempus non anticipat, Communionem ultra Paſcha prudens & volens differt: igitur præcepto illi morem non gerit. Secundò etiam, quia qui impeditus in Paſchate non communicavit, præcepto de non differenda ultra Paſcha Communione obſtringitur donec ſatisfecerit; non enim deſinit obligari qui præſcripto tempore quod debet non ſolvit; ſed potiùs ſolvendi die ſeù exierit, ad ſolvendum arctiùs obligatur, ut patet in contractibus diem ſolutionis præfinientibus. Quare Communio Paſchalis non eſt omiſsa illi duntaxat tempori alligatum, ſicut recitatio breviarii, vel jejunium vigiliæ certæ diei addicitur; ſed eſt determinatio temporis in quo debitum Communionis juri divino ſolvendum eſt; quo tempore ſine ſolutione exeunte ſolvendi debiti obligatio magis urget. Porrò per tempus Paſchatis juxta declarationem Eugenii IV. & totius Eccleſiæ uſum, quindena illa intelligitur, quæ à Dominica in Ramis Palmarum ad Dominicam in Albis incluſivè protrahitur. Locum autem Communionis Paſchalis eſſe Eccleſiam Parochialem inſinuatur in capite præfato Lateranenſis Concilii, & ſacra Congregatio Cardinalium Conſtitutionibus Apoſtolicæ Sedis, & praxi Eccleſiarum innixa declaravit. Quin dies ipſe Paſchatis ſeu Reſurrectionis Dominicæ ita eſt ex decreto Leonis X. Eccleſiis Parochialibus reſervatus, ut illi etiam qui intra quindenam in Eccleſia Parochiali communicaſſent, non poſſent tamen eo die alibi citra proprii Sacerdotis licentiam ſacræ Communionis fieri participes. Juſtum enim eſt ut Chriſtianus ibi ſuſcipiat alimenta vitæ, ubi in Chriſto primùm vivere cœpit: nec Paſtorem videretur agnoſcere, qui ab eo pane vitæ paſci abnueret.

Ex his omnibus apparet intolerandam eſſe Lutheri temeritatem, quâ *ſerm. de confeſſ. & ſacramento Euchariſtiæ*, aliiſque ſuis libris ſcribere non erubuit, errare illos graviterque peccare, qui cogunt homines ſub peccato mortali in Paſchatis feſto Sacramento uti. Sed nulla fuit unquam, nulla (opinor) erit, nec poſſibilis videtur impudentia Calvinianæ par, quâ *lib. 4. inſtitut. cap. 17. §. 46.* in Matrem Eccleſiam ſic furioſus inſurgit: *Hæc conſuetudo, quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſt diaboli inventum, cujuſcumque tandem miniſterio invectum fuerit.* In his confutandis impietatis portentis immorandum non eſt, cùm ejus præcepti utilitas & honeſtas tum per ſe ſatis, tum ex dictis clareat luculenter. Ad illa verò gemini hæreſiarchæ convitia aliquid reponere nihil attinet; quia ut cum Hieronymo *epiſt. ad Cteſiph.* loquar: *Sententias iſtas prodidiſſe, ſuperaſſe eſt. Patet primâ fronte blaſphemia. Non neceſſe habet convinci quod primâ ſtatim profeſſione blaſphemum eſt.*

Reflexio.

Sacramenti Euchariſtiæ uſus tunc demùm utilis eſt, ſi Deo fruamur. Nam qui in Chriſto non manet, & in quo non manet Chriſtus, cœleſti cibo non utitur ad vitam, ſed abutitur in perniciem. Tunc ſolùm ut oportet Euchariſtia ului patur, atque cum utilitate manducatur, ſi ut ait Auguſt. tract. 27. in Joannem, *manet, & manetur; ſi habitat, & inhabitatur; ſi hæret ut non deſeratur.* Et ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, cap. 1. *Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt: eſuriant & ſitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici eſt; ſed ſic reficeris, ut non deficias unde reficeris. Illud bibere, quid eſt niſi vivere? Manduca vitam, bibe vitam. habebis vitam, & integra eſt vita. Tunc autem hoc erit, id eſt vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritaliter manducetur.*

Quàm multos Altaria frequentantes cernimus, cibum vitæ uſurpantes, nomen etiam quod vivunt habentes, & reapſe mortui ſunt! Non uſus ille Euchariſtiæ, ſed abuſus jure merito dicendus eſt. Ad Euchariſtiam intrepidè illi quidem accedunt, & accedendo pios ſe dictitant & devotos; & tamen ſemper ſe tepidos, ſemper à divinarum rerum ſtudio & guſtu in dies remotiores, ſemper gratiæ divinæ inaniores, ſui ipſius amore ſemper pleniores, ſæculo ſemper & humanis voluptatibus addictiores, ac terrenorum cupiditate captiores præſentant. Dubio procul mortem ex fonte vitæ ille haurit, in quem nullam unquam emendatioris vitæ frugem fluere experimur. Cùm enim conſtantes & certi in hominibus benè affectis efficaciſſimi Sacramenti fructus abundent, profectò ubi nulla eorum fructuum & vitalium motuum veſtigia, ſed alieniſſima potiùs & adverſa cernuntur, argumento eſt inſolubili, pravam vitioſamque animi peccato mortui habitudinem divinum illum patentemque fontem obſtruere, & gratiarum fluenta, ne in ſic affectos redundent, prohibere.

Unde quæſo poſt tot tanti antidoti uſus nullum in nobis adverſus peccata lethifera extinguenda robur, nullæ adverſus hoſtiles impetus vires? Cur ad eadem vitia eadem proclivitate revolvimur, poſt cibum Angelorum marceſcimus, tabeſcimus potato ſanguine Redemptoris? Apud piiſſimum, & juxtà doctiſſimum Cardinalem Turrecrematam, niſi mea me fallat memoria, abhinc annis aliquot legiſſe me memini, quatuor ad laudabilem & proficuum cibi alioquin nocituri uſum deſiderari, maſticationem ſeu commolitionem, delectationem ex legitima decoctione proficiſcentem, aſſimilationem, & incorporationem. Mandere cibum & ore comminuere oportet, ut trajectus in ſtomachum haud ægrè concoquatur; unde juxta tritum adagium, *prima digeſtio in ore elaboratur*: gravatur enim ſtomachus & cruditatem patitur poſt ingeſtas integras & non attritas dapes quàmlibet exquiſitas. Parum etiam prodeſt cibus nî delectet, neque enim naturam recreat aut levat cibus, quem reſpuit guſtus vitioſis humoribus occupatus; & deſperata eorum ſanitas eſt, quibus nihil jam cibi niſi conſuetudinis cauſâ præbetur. Concoctus vi caloris nativi cibus viventis qualitates paulatim induit; unde in maſſam liquidam albicantem, quæ chylus dicitur, primùm

reſolu-

reſolvitur, & alimenti partibus purioribus & deſæcatioribus ſelectis, fæces per longos inteſtinorum meandros foras protruduntur. Deinde chylus in ſanguinem actione jecoris vel cordis, vel utriuſque juxta diverſa Philoſophorum placita variis hinc inde rationum & experimentorum momentis innixa convertitur, & tandem poſt varios diſpoſitionum apparatus in carnem mutatur. Sic mutatus in alitum transformatur, ipſique incorporatus eadem totius compoſiti formâ perficitur, & idem totum ingreditur, cujus initio fuerat adjumentum. Non abſimili ratione divinus Euchariſtiæ cibus illis duntaxat meritò creditur eſſe proficuus, qui ore animi, id eſt intellectus [juxta illud, *Os juſti meditabitur ſapientiam*] corpus Domini dijudicant, & tremendi myſterii majeſtatem, & quomodo ad illud adeundum comparati ſint, attentè recogitant. *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu; non in ventre, ſed in mente: & mens Chriſtum non attingit niſi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem: ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad devotionem. Ideo ad hoc quod aliquis dignè accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet,* inquit B. Bonaventura *p. 6. cap. 9. in brevil. tom. 1.* Spiritalem illam animi divinorum cogitatione perfuſi & veluti penetrati maſticationem ſequitur mentis refectio, & cœleſtis delectatio torporem, tædium, & languorem eliminans, emicantes pietatis ſcintillas excitans: & quia anima ſancta Spiritus divini calorem cœleſti pani concoquendo neceſſarium ſentit, & ſpiritalis digeſtio laudabiliter fit; ideo tunc Euchariſtia alimenti ſimul & medicamenti loco eſt, curationem valetudinis explens, morbique reliquias infuſo membris omnibus vigore conficiens. Denique quia anima caſta virtutum omnium exercitatione divinam in ſe exprimit imaginem, ſequitur aſſimilatio, & tanta Chriſtiani cum Chriſto conformitas, ut in Chriſtum transformetur, & ut loquitur Paulus, formetur in illo Chriſtus. *Oportet,* ſubjungit idem Bonaventura, *ut Chriſtum per devotionis amorem ſuſcipiat, per quem non in ſe transformet Chriſtum, ſed ipſe potiùs trajiciatur in ejus myſticum corpus.*

Specvlatio II.

Nullo divino præcepto Laici & Clerici non conficientes ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum obligantur; ſed alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficit. Iuſtiſſimis graviſſimiſque de cauſis Eccleſia divinitus inſpirata uſu Calicis interdixit, ſpeciei ſolius Panis communione permiſſa.

Ferè totidem verbis è ſacro Tridentino Concilio *ſeſſ. 21, cap. 1. & 2.* necnon *can. 1. & 2.* hæc propoſitio quoad omnes ejus partes deprompta eſt. Quæ antea quàm ſtabiliatur, præmittere hæreticorum errores, quos proſcribere ſancta Synodus voluit, operæpretium eſt.

In primis VValdenſes in profeſſione fidei ad Vladiſlaum, geminam ſpeciem indiſpenſabili Chriſti lege præſcriptam, ad ſalutem omnibus & ſingulis neceſſariam eſſe contendunt. Eundem errorem Bohemi ducibus Petro Dreſdenſi, & Jacobo Miſnenſi, aliíque hæretici eo libentiùs, ut hiſtoriæ Bohemicæ capite 35. Æneas Sylvius obſervat, ſequuti ſunt, quo arbitrati ſunt articulum ſe inveniſſe in Evangelio fundatum, per quem Eccleſiam Romanam erroris, ignorantiæ, vel nequitiæ inſimularent. Cujus ſententiæ aſſertores fuiſſe Joannem Hus & Hieronymum de Praga contendit Calviniſta Pleſſeus *lib. 1, inſt. c. 7.* Quod haud ſatis compertum eſt, cùm inter eorũ articulos in Concilio Conſtantienſi recenſitos dogma illud minimè numeretur. Utut ſit erroris illius authores & ſequaces ſic proſcribit idem Conſtantienſe Concilium *ſeſſ. 13.* his verbis: *Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerariè aſſerere præſumant, populum Chriſtianum debere Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolùm ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicum paſſim communicent, & poſt cœnam, vel aliàs non jejunos communicandos eſſe pertinaciter aſſerant contra laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatam. Hinc eſt quod hoc Generale Concilium declarat, decernit, & definit contra hunc errorem, quod licèt Chriſtus poſt cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; tamen hoc non obſtante ſacrorum Canonum authoritas & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum nec conficiatur poſt cœnam, nec ſumatur à non jejunis niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à jure vel Eccleſia admiſſo vel conceſſo. Et ſimiliter, quod licèt in primitiva Eccleſia hujuſmodi ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie; tamen hæc conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod à conficientibus ſub utraque ſpecie, & à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Quapropter dicere quod hanc conſuetudinem & legem obſervare ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum; & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt & graviter puniendi per Diœceſanos locorum, aut Inquiſitores hæreticæ pravitatis. Item præcepimus ſub pœna excommunicationis, quod nullus Presbyter communicet populum ſub utraque ſpecie panis & vini.*

Extinctis illis erroribus, ex eorum cineribus enatus eſt Martinus Lutherus, qui licèt initio in quodam ſermone de ſacramento Euchariſtiæ alteram ſpeciem ſufficere affirmarit, in confuſiſſimo tamen ſuo de captivitate Babylonica libro, vel potiùs tenebrione, ſcribere non erubuit, *omnes eſſe impios, qui utriuſque ſpeciei Communionem laicis denegant.* Additque ſe provocatum & per vim in arenam raptum liberè aſſerere, quod dicunt Papiſtæ, Eccleſiæ arbitrio relictum eſſe diſtribuere unam ſpeciem, ſine ratione dici, ſine authoritate produci, & eadem facilitate contemni quâ probatur. Et tandem effrons hæreſiarcha concludit, negare utramque ſpeciem laicis eſſe impium & tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, needum Papæ & Concilii cujuſcumque.

Sed omnibus ſuis deceſſoribus hæreticis impudentiæ palmam præripuit poſt hominum memoriam audaciſſimus Joannes Calvinus, qui *lib. 4. Inſtitut. cap. 17. §. 47.* effutiit ex officina diaboli prodiiſſe conſtitutionem illam, quæ dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata eſt, vel eripuit, nempe ſymbolum *Sanguinis*, quod laicis & prophanis interdictum, paucis raſis & unctis [hic ſcilicet titulis Epiſcopos & Sacerdotes, quos duplici honore dignos Apoſtolus pronuntiavit, quibus etiam improbia maledicere vetuit, excitatus ab erebo apoſtata inſignis] in peculium ceſſit.

Communio ſub utraque ſpecie non eſt præcepto divino omnibus imperata & neceſſaria.

His prælibatis probanda eſt prima pars, quæ aſſirmat nullo fideles omnes & ſingulos divino præcepto ad communionem utriuſque ſpeciei aſtringi. Probatur autem cùm expenendo loca illa, quibus duplicis ſpeciei uſus omnibus neceſſarius edici & præſcribi videtur; tum ex variis Eccleſiæ primitivæ ritibus, quibus Legiſlatoris noſtri Chriſti intentio, interprete ſacra traditione dignoſci poteſt.

In primis non habetur utriuſque ſpeciei mandatum

datum ex verbis illis Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tum quia Calviniſtæ non conſentiunt verba Salvatoris; quæ *Joan.* 6. leguntur, de Euchariſtia intelligi oportere: formidant enim, & meritò illi quidem, ne micantiſſimâ verborum illorum luce præſentiæ figurativæ aut virtualis corporis Chriſti, quam ſolam, repudiatâ præſentiâ reali comminiſcuntur, tenebræ diſpellentur. Tum quia juxta conſuetudinem Scripturarum particula *&*, non ſemper copulativè, ſed ſæpe disjunctivè uſurpatur. Exodi 21. *Qui percuſſerit patrem & matrem, moriatur.* 1. Corinth. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Id eſt, qui manducat aut bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit; ille enim ſibi condemnationem judicis acceſſet, qui alteram ſpeciem indignè præſumit accipere, tametſi utramque ſpeciem non ſumat. Unde ſatis clarus ejus teſtimonii ſenſus eſſe poteſt, ſi particula *Et*, pro particula *Vel*, accipiatur; & particula *Niſi*, ſeu ut habetur in Græco, *Si non*, cadat ſupra particulam *Et*, ſeu *Vel*, in hunc modum. *Si neque manducaveritis carnem Filii hominis, vel neque biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quo ſenſu dicitur Actor. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt neque argentum eſt mihi, neque aurum. Quod & aliis Scripturæ locis illuſtrari confirmarique in promptu eſſet. Hanc fuiſſe Salvatoris intentionem rectè colligit ex ipſo Joannis capitis 6. contextu Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. his verbis: *Sicut neque ex ſermone illo, apud Ioannem ſexto, rectè colligitur utriuſque ſpeciei communionem à Domino præceptam eſſe, utcumque juxta varias ſanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Is denique qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ergo ex mente Salvatoris vis præcepti non tam ad ſumendi modum, quàm ad rem ipſam ſumendam collimat. Quod ex eo ampliùs confirmatur, quòd Chriſtus verba illa protulerit adverſum litigantes Capharnaïtas, & inter ſe dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* At Judæi non de modo ſumendi ſub una ſpecie vel duabus, ſed re ſumenda, ſcilicet carne Chriſti litigabant. Ergò non modum ſumendi, ſed rei ſumendæ neceſſitatem verbi illis inculcare ſibi Veritas propoſuit.

Secundò non continetur utriuſque ſpeciei ab omnibus & ſingulis ſumendæ præceptum in ipſa Chriſti inſtitutione, quæ ſub utraque ſpecie facta eſt. Tum quia Chriſtus non ſolùm Sacramentum inſtituit, ſed & ſacrificium obtulit. Unde illi morem Catholica gerit Eccleſia, dum ſacrificantes ad utriuſque ſpeciei uſum indiſpenſabiliter aſtringit. Tum quia ſatis eſt id quod Chriſtus fecit, in Eccleſia regulariter fieri, tametſi non ab omnibus & ſingulis fiat: factum autem Chriſti Eccleſia in Sacerdotibus ſuis, & in ſingulis Miſſis religioſiſſimè obſervat. Tum quia non omnia quæ Chriſtus fecit omnibus facienda præcepit. Neque enim ad Euchariſtiam poſt cœnam conficiendam, vel ad eam duodecim tantùm viris, nulliſque mulieribus diſpenſandam, vel ad eam in cœnaculo, non in templo celebrandam, vel ad eam etiam in azymo duntaxat ubique terrarum, & nullibi in fermentato peragendam, propterea quod Chriſtus ritus illos omnes obſervarit, obligamur. Ergo neque ex præciſa Chriſti Domini inſtitutione, neque ex ſimplici ejus facto utriuſque ſpeciei uſus intelligitur imperatus.

Tertiò utriuſque ſpeciei à laicis etiam neceſſariò uſurpandæ præceptum nequaquam colligitur ex verbis illis Matth. 5. 26. *Bibite ex hoc omnes.* Quia verba illa ad Apoſtolos præſentes Chriſtus direxit. Unde Marcus cap. 14. dicit: *Et biberunt ex illo omnes*; ſignificans præceptum Chriſti ad Apoſtolos pro eo tempore ſpectans, eodem etiam tempore fuiſſe impletum. Et ſanè mira eſt hæreticorum ſolertia, & in Scripturis exponendis ſibi arrogata licentia. Cùm Chriſtus Apoſtolis remittendorum, retinendorumque peccatorum facultatem fecit, cùm eiſdem ligandi & ſolvendi authoritatem contulit, cum Petri ſingulariter arbitrio claves æterni aditus tradidit, ut ejus terreſtre judicium præjudicata ſit authoritas in cœlo, & quæ in terris ab eo aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlis: illa omnia ita ad ſolos Apoſtolos dicta intelligi oportere volunt, ut nec ad Presbyteros eorum ſacerdotii ſucceſſores, nec ad Epiſcopos eorundem juriſdictionis hæredes, nec ad Romanum Antiſtitem Petri ſedem continenti ſerie occupantem pertinere contendant. Cùm verò Apoſtolis præſentibus ex calice bibere imperavit, edictum illud non ad ſolos Miniſtros ſacra facientes, ſed ad omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtianos de ſuo arbitratu dilatant. Scio equidem multa Apoſtolis dixiſſe Chriſtum, quæ omnibus dicta intelligi voluit, ea potiſſimùm quæ ad Chriſtianæ vitæ caſtimoniam, & Evangelicæ legis obſervantiam attingunt, ad omnes attinere fideles edixit Marci 13. *Quod vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Ubi Chriſtianæ legis profeſſores omnes vigilare, ſeu in negotium ſalutis mente & animo inſiſtere, & in omnes declinandi à malo & faciendi boni occaſiones intendere præcepit. Attamen quæ Chriſtus dixit Apoſtolis, omnia ſingulis Chriſtianis dicta intelligi oportere, abſurdiſſimum, & juxtà falſiſſimum eſt. Neque enim prædicandi in mundo univerſo Evangelii, fundandi Eccleſiæ, Sacramenta conficiendi diſpenſandique, paſcendi oves, aliaque id genus exercendi poteſtas omnibus indiſcriminatim fidelibus facta eſt; alioquin nullo ordine, ſed perpetuo horrore omnia in Eccleſia turbarentur, & ſurſdeque miſcerentur. Sed hæretici noſtrates vel Eccleſiæ hierachiam divinitus conſtitutam perire malint, quàm Eccleſiæ cedere poteſtati. Neque veritatem illi in proferendis interpretandiſque Scripturis tantoperè cupiunt, quantoperè quam averſantur Catholicam Eccleſiam infamare.

Quartò ad utriuſque ſpeciei communionem omnes & ſingulos non aſtringunt verba illa Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ apud Lucam c. 22. & apud Paulum 1. *Cor.* 11. habentur. Obſervandum enim eſt, verba illa Lucam ſemel duntaxat referre poſt conſecrationem panis, & ante conſecrationem calicis; Apoſtolum verò ea referre abſolutè poſt conſecratum panem: *Accipite*, inquit, *& manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem.* Eadem verò verba repetere Paulum poſt conſecratum calicem, non abſolutè, ſed hypotheticè, his verbis: *Similiter & calicem poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem.* Quare præceptum bibendi Calicis ex illis verbis colligi nequit ut prolatis ante conſecratum Calicem, cum una tunc eſſet tantùm ſpecies; neque ex eiſdem poſt conſecratum Calicem prolatis, cum tunc non uſus Calicis abſolutè præcipiatur, ſed mandetur, ut bibens Calicem, quotieſcumque id facere contigerit, in Chriſti memoriam faciat, & mortem Domini annunciet. Ergo ex verbis illis haberi quidem poteſt uſum Calicis in Eccleſia perpetuò retinendum eſſe, ut memoria paſſionis dominicæ jugiter repræſentetur; ſed ab omnibus & ſingulis calicem uſurpandum eſſe omnino col-

mè colligitor. Saoè ſicut præcepto illi *Geneſees cap. 1.* denunciato, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, ſatisfacit Reſpublica, tametſi non omnes & ſinguli matrimonium ineant, nec procreaodis liberis operam dent: ita præcepto bibendi in memoriam Paſſionis Chriſti calicis morem gerit Eccleſia, qoanvis non omnes, ſed ſoli Sacerdotes de ſacro Calice bibant. Adde omnia quæ tunc præſentibus Apoſtolis Chriſtus præcepit, omnes & ſingulos, fatente ipſo hæreſiarcha Calvino *lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 43.* minimè obſtringere. *In manu*, inquit, *accipiant fideles, necne; inter ſe dividant* (quod tamen Chriſtus expreſsè verbis iſtis Apoſtolis imperavit: *Accipite, & dividite inter vos*) *an ſinguli quod ſibi datum fuerit edant; calicem in manu Diaconi reponant, an proximè tradant; panis ſit fermentatus, an azymus; vinum num rubrum, an album, nihil refert. Hæc indifferentia ſunt, & in Eccleſia libertate poſita.* Quaſi ex Calvini cerebro, & non ex Eccleſiæ judicio, quæ indifferentia, quæve neceſſaria judicanda ſiot pendeat.

Ex quibus etiam planus habetur aliorum ejuſdem Apoſtoli in eodem capite verborum ſenſus: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & calice bibat.* Non enim inibi omnibus & ſingulis de calice libere abſolutè jubet, ſed modum & animi apparatum præſcribit, quo illum oportet eſſe inſtructum, qui de pane illo edendo, vel de calice bibendo, cogitaverit; & tum demùm ſive cœleſtem panem, ſive ſacrum calicem eſſe ſumendum, cum ſeipſum accuratè probaverit.

Eadem veritas ex variis primitivæ Eccleſiæ ritibus comprobatur.

Uſum etiam alterius, vel utriuſque ſpeciei fuiſſe priſcis temporibus indifferentem, & Eccleſiæ arbitrio permiſſum, argumento ſunt varii Eccleſiæ antiquitùs probati ritus, ex quibus unam duntaxat ſpeciem fuiſſe uſurpatam liquidò conſtat.

Primùm antiquiſſimo ritu ſacra Euchariſtia domum à fidelibus deferebatur: cujus praxis teſtes ſunt Tertullianus *lib. 2. ad uxorem, cap. 5.* Cyprianus, Baſilios, & alii teſtes locupletes ſuprà dum de Miniſtro Euchariſtiæ memorati, ex quibus etiam conſtat Euchariſtiam & à Monachis in deſerto & ſolitudine diu ſervandam, & ab itinerantibus ad loca remotiſſima proficiſcentibus fuiſſe deportatam. Atqui iocredibile eſt duplicem ſpeciem ſemper fuiſſe domum, in Monaſteriorum receſſus, in navem pelago committendam, atque in longinquas & remotiſſimas regiones deportatam; tum quia nunquam dicitur ſanguinem Chriſti, ſed ſemper corpus fuiſſe delatum; quo loquendi modo una ſpecies panis, qui vi verborum in corpus Chriſti convertitur, ſignificatur. Tum quia Euchariſtia ſic delata aliquando per annum integrum, ut habetur in Prato ſpiritali, *cap. 49.* in ſolitudioe, ſæviente, præſertim perſequutione ſervabatur. Quod tamen à natura liquidorum, vini præcipuè, quod facilè aceſcit & corrumpitur, abhorret. Tum quia ſacratus Calix nunquam in manus laicorum dari, & multò minùs aliorſum deferri ſolitus erat, ſed per manus Diaconorum miniſtrabatur. Tum demùm quia loco citato Tertullianus loquens de muliere quæ geotili nupta ſit: *Non ſciet*, inquit, *maritus, quid ſecreti ante omnem cibum guſtes; & ſi ſciverit, panem non illum eſſe credit qui dicitur.* Ubi & unius panis ſpeciei mentionem facit, & illam fuiſſe tantùm adhibitam, clarè ſignificat, alioquin ex odore vini quid mulier guſtaſſet, facilè vir ſcire potuiſſet. Ergo unius tunc temporis ſpecie uſus frequentabatur.

Nec valet reſponſio Kemnitii aientis non eſſe quæſtionem de communione domeſtica, ſed de ea quæ in Eccleſia ſub duplici ſemper ſpecie diſpenſabator; & ideo privata illa communio quæ ſenſim irrepſerat, antiquata & abrogata fuit, atque etiam ſeverius prohibita in Conciliis Toletano & Cæſaraugustano. Nihil, inquam, valet hujuſmodi effugium. Tum quia ſi quid probant quæ nobis hæretici objiciunt Scripturæ teſtimonia, ſuadeot etiam, nunquam uoicam ſpeciem ſive in templo, ſive domi, in qua Euchariſtiam Chriſtus ipſe conſecravit, eſſe uſurpaodam. Quæ proferunt etiam ad utriuſque ſpeciei neceſſitatem ſtabiliendam rationum momenta adverſarii, peræquè adversùs unicam ſpeciem domi atque in Eccleſia perceptam militant. Ergo nihil probant hoc ipſo quod nimis probant quæcumque motiva producunt. Tum quia Euchariſtiam in deſerta loca priſci deferebant Chriſtiani, ut divino de ſumenda Euchariſtia præceptu ſatisfacerent. Ergo per unius ſpeciei uſum illi morem ſe gerere præcepto arbitrabantur. Falſum porrò eſt quod Kemnitius de abrogandæ domeſticæ communionis motivo ſubjicit. Non enim idcirco interdicto eſt, quòd ejus uſu divinum præceptum non impleretur, ſed quia ceſſante perſequutionis procellâ, & neceſſitate ſublatâ, judicarunt Eccleſiæ Proceres rem tam ſacram non in prophano, ſed in ſacro duntaxat loco eſſe frequentandam, & in domeſticis communionibus populi incuriâ, ignorantiâ, vel etiam maliciâ plura tum indecora, cùm etiam ſcandoloſa facile irrepere proclive eſſe.

Confirmari autem hæc omnia validè poſſunt, quia ut docet S. Auguſtinus *lib. 2. cont. litter. Petiliani, cap. 23. & ferm. 152. de tempore*, viris Euchariſtia in manus, mulieribus verò in linteaminibus nitidiſſimis dabatur, corpus ut Domini acciperent. Ad quem morem alludit Canon 36. Coocilii Antiſiodorenſis: *Non liceat mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere, nec manum ſuam ad pallas dominicas mittere.* Et can. 39. *Unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem ſuum* [id eſt mundiſſimum linteum ad excipiendum Domini corpus idoneum] *habeat. Quod ſi non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Cùm ergo aliunde conſtet ſacrum calicem non niſi per manus Diaconorum fuiſſe diſpenſatum, relinquitor unam tantùm ſpeciem cùm viris, tum mulieribus domum deferendam, ibique percipiendam fuiſſe traditam.

Secundò infantibus olim Euchariſtia ſub unica ſpecie porrigebatur; & cùm non poſſent cibum aliquem ſolidum ſumere, aliquid ſanguinis Domini in os eorum per Presbyterum, aut Diaconum inſtillabatur. Hujus moris meminit Hugo à S. Victore *lib. 1 de ſacram. cap. 20.* cumque vocat *primariam Eccleſiæ inſtitutionem.* Narrat etiam S. Cyprianus *tract. de lapſis*, quod cùm puella nutrici relicta, inſciâ matre quæ ob perſequutionem fugerat, de idolothytis guſtaſſet, & in Eccleſiam tempore ſacrificii à matre allata fuiſſet; ubi, inquit, ſolennibus adimpletis, calicem Diaconos offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ Majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit autem Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento ſanguinis infudit: tunc ſequitur ſingultus & vomitus in corpore, *atque in ore violato permanere non potuit Euchariſtia*, utiq; ſub una vini ſpecie porrecta: ſi enim ſub ſpecie panis Euchariſtiam abſque difficultate puella ſuſcepiſſet, in ore violato permanſiſſet Euchariſtia, illeque vomitus non tam miraculo, quàm vini horrori vel alteri cauſæ naturali abſque negotio aſcriberetur. Si autem ſub unius ſpecie vini Euchariſtia etiam in Eccleſia priſcis temporibus, iiſque erroris labiſque puris miniſtrata fuit, profectò docti ab Apoſtolis Patres exiſtimarunt, unius ſpeciei uſu divino de ſumeoda Euchariſtia præcepto fideles ſatisfacere.

Tertiò Euchariſtia, ſicot modò in Eccleſia Catholica ſolet, ita priſcis temporibus ſervabatur pro infirmis ſacro Viatico muniendis. *De his qui recedunt ex corpore*, loquit Concilium Nicænum I. can. 12. *antiqua legis regula obſervabitur etiam nunc; ita ut ſi*

niſi fortè quis recedat ex corpore, neceſſarie vitæ ſuæ Viatico non defraudetur. Quod & antea Concilium Ancyranum *can.* 6. decreverat. Quam gratiam non eſſe hominibus in pœnitentia poſitis imminente extremo vitæ diſcrimine denegandam ſancivit Concilium Arelatenſe II. can. 12 *De his,* inquit, *qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio recipiatur.* Narrat etiam Euſebius *lib.* 6. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 44. ex epiſtola Dionyſii Alexandrini, Presbyterum dediſſe puero particulam Euchariſtiæ deferendam cuidam ſeni nomine Serapioni ægroto, atque juſſiſſe ut eam priùs madefactam ſeni porrigeret; quia nimirum ſpecies illæ panis diu aſſervatæ duruerant, nec poterant niſi madefactæ à ſene eoque infirmo deglutiri. Quem ritum uſque in hodiernum diem Græcos obſervare teſtatur oculatus teſtis Arcudius *lib.* 4. *c.* 53. & 55. Solent enim feria quinta Majoris Hebdomadæ Euchariſtiam in memoriam cœnæ Domini conſecrare, quam per annum integrum in uſum & gratiam infirmorum in ſacrarium reponunt & reſervant. Atqui ex eo ritu unius ſpeciei uſus manifeſtè convincitur; tum quia vini ſpecies non deferebatur tandiu ſervanda ob certum corruptionis periculum: tum quia ſpecies vini non niſi per Presbyteros & Diaconos diſpenſabatur: tum quia ſpeciem vini ad Seraphionem Presbyterum miſiſſe non legitur, imò præcipiendo ut puer eam madefaceret quò faciliùs deglutiretur, ſupponebat ſolam illam ſpeciem percipi, alioquin eam ipſe ſanguine Domini intinxiſſet & madefeciſſet; non enim contrectandi Dominici ſanguinis facultas omnibus indiſcriminatim fiebat. Vidit hujus argumenti efficaciam hæreticus ipſe Calvinus, & veritate coactus *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 17. §. 39. ſcripſit: *Sed enim qui ſic faciunt* [id eſt Euchariſtiam pro infirmis ſub ſpecie panis aſſervant] *habent veteris Eccleſiæ exemplum, fateor: verùm in re tanta, & in qua non ſine magno periculo erratur, nihil tutius eſt quàm ipſam veritatem ſequi.* Quaſi veritas Eccleſiæ veteri ejuſque ſequaci novæ ignota, uni ſe Calvino conſpicuam oſtenderit? Quaſi in re tanta Eccleſia columna & firmamentum veritatis veritate deſpectâ amplexata fuerit falſitatem? Quaſi periculum ſit veteris Eccleſiæ veſtigiis inſiſtere, & periculum potiùs non ſit diverticula flexionesque perſequi, huc ſe & illuc, atque in omnem doctrinæ ventum verſare, denique vetuſtatem novitate inceſſere non deſinere. Semper quidem cavendum, & maximè cùm periculum imminet: ſed incautus ille vehementer eſt, animique impotens, qui trepidat timore ubi non eſt timor; facit næ ille periculum timendo, ut in certum erroris barathrum incurrat. Sed hæreticis Eccleſiæ ſecuritas pro periculo; novitatis periculum pro ſecuritate; & infamandæ Matris Eccleſiæ non data, ſed accepta occaſio pro deliciis eſt.

Quartò ex omni chriſtianæ ætatis memoria ſervatur ritus communicandi ex præſanctificatis, qui ſam antiquæ originis eſt, ut principium ignoretur. Neque enim ſola Eccleſia Latina in Paraſceve Majoris Hebdomadæ ſolam ſpeciem panis die antecedenti conſecratam uſurpat, ſed ipſa etiam Eccleſia Orientalis morem illum ab antiquo retinet & ſervat per totam quadrageſimam, ſolis Sabbathis, *Dominicis*, & feſti Annuntiationis diebus exceptis, quibus integrum ſacrificium facit & conficit, Qua de re ſic olim conſtituerunt Trullani Patres can. 52. *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbatho & dominica, & Annuntiationis die fiat ſacrum præſanctificatorum ſacrificium* Dicitur autem ſacrificium non strictè acceptum quod in conſecratione ſitum eſt, vel eam certè omnino exigit; ſed quia eſt oblatio ſacrificii jam peracti & perfecti, & myſteriorum conſumptio. Ex hoc autem ritu unius ſpeciei uſus quàm probatus, quamve antiquus ſit manifeſtiſſimum eſt.

Nec refert ſi reſpondeas, Græcos Euchariſtiam ſive pro infirmis aſſervatam, ſive in Miſſa Præſanctificatorum perceptam ſanguine Domini intingere ſolere, ac proinde etiam tunc utramque ſpeciem & diſtribuere morientibus, & in Præſanctificatorum Liturgiis uſurpare. Non refert, inquam: tum quia hæc intinctio alicubi uſurpata nunquam fuit univerſim probata, ſed potiùs in Concilio Bracarenſi III. *can.* 1. reprobata. Tum quia, ut ſuprà vidimus, mulieres Euchariſtiam in nitidiſſimo linteolo excipiebant, quæ ſi fuiſſet ſanguine madens, ſacrum liquorem linteolum exſuxiſſet, vel non paucæ guttæ in terram defluxiſſent, quod ſine grandi irreverentia non contigiſſet: quod periculum quantùm præcavere Patres ſoliciti fuerint, patet ex homilia 13. Origenis in Exodum, ſic aientis: *Noſtis qui divinis Myſteriis intereſſe conſuevistis, quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat.* Quod & obſervat Auguſtinus, & ad mores piè reflectit libro quinquaginta homiliarum, homil. 26. *Quantâ,* inquit, *ſolicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat: tantâ ſolicitudine obſervemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat.* Tum quia idem apparet ex hiſtoria quam Sozomenus *lib.* 8. *hiſtor. cap.* 5. & Nicephorus *lib.* 13. *cap.* 7. referunt de muliere hæreſis Macedonianæ veneno infecta, quæ ſuam cùm vellet hæreſim occultare, ſeque Catholicam ſimulare in gratiam mariti concionibus Chryſoſtomi ad fidem catholicam converſi, qui vitæ communionem uxori negare minatus fuerat, niſi ſacrorum myſteriorum conſors fieret, panem Euchariſticum à Chryſoſtomo ſacra faciente tanquam paulò pòſt manducatura accepit, quem tamen fidæ ancillæ clam dedit, ab eaque panem prophanum domo delatum Euchariſtiæ loco propalâ comedendũ ſumpſit, qui continuò in lapidem juſti Judicis potentiâ converſus eſt Quem lapidem ſuo tempore, id eſt circa annũ 440. in theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ aſſervatum haberi Sozomenus teſtatur Ex quo facto liquet arbitrarium fuiſſe alterius ſpeciei etiam in Eccleſia Chriſtiana uſum; ſi enim indiſpenſabiliter ad ſumendum ſacrum Sanguinem omnes adacti fuiſſent, non potuiſſet impia illa fœmina errorem tegere & diſſimulare ſuum, nec vinum prophanum loco ſacri bibere & ſupponere potuiſſet, quia ſpecies vini non in manus alicujus ſumenda porrigebatur, ſed ab uno Diacono diſtribuebatur, tempore præſertim Chryſoſtomi, qui Diacono ſuo præceperat, ut vel ipſum Imperatorem coerceret, ſi indignè accedere præſumpſiſſet. Unde in modernos Græcos mos ille manavit ambas ſpecies commixtas populo, fraus ulla ut ne accidat, cochleari diſpenſandi. Idem etiam ex ſimulatione Manichæorum tempore S. Leonis magni poſtea referenda perſpicuum eſt. Tum demùm quia illa intinctio ad rem noſtram nihil prorſus facit: ideo enim Sectarii volunt utramq; ſpeciem neceſſariam eſſe, quia bibere ſanguinem præcipimur: at panis in pyxide per annum retentus, & olim in deſerto diutiſſime ſervatus omninò exſiccatur: unde qui illum edit, bibere nequaquam dici poteſt, cùm nullum liquorem ſorbeat.

Quintò ſacra Euchariſtia abſtemiis olim ſumenda porrigebatur; cujus moris meminit S. Hieronymus *epiſt.* 22. *ad Euſtoch.* ubi quarumdam Catholicarum virginum abſtemiarum meminit, quæ Romæ in ſacris myſteriis præ nativo vini horrore à ſpecie vini abſtinebant; ibidemque increpat & redarguit laſcivas quaſdam mulieres, quæ adversùs uſum illum obloquentes, ſacras illas Virgines miſeras & Manichæas dictitabant. Et certè abſtemios non ſolùm Catholica Eccleſia, ſed nec vel ipſi etiam

Luthe-

Lutherani & Calviniani ad uſum calicis unquam adſtrinxerunt. Ergo utriuſque ſpeciei uſus non eſt omnibus & ſingulis ad ſalutem neceſſarius.

Sextò ſolennis erat per univerſas Galliæ Eccleſias decimo ſæculo ritus, quo Epiſcopus Presbytero recens ordinato *Euchariſtiam* in una ſpecie panis per quadraginta dies in memoriam quadraginta dierum quibus Chriſtus cum Apoſtolis converſatus eſt, ſumendam porrigebat, quem refert Fulbertus Carnotenſis *epiſt. ad Finardum*, ubi & aſſerit, ſuos *Provinciales Epiſcopos in hujuſmodi ritum omnes conſentire; ut dum ordinati Sacerdotes quotidie cœleſtis panis alimonià reficiuntur, tempus illud in mentem habeant, quo per quadraginta dies Dominus diſcipulis apparens & conveſcens deſiderata viſionis ſocietate refecit.* Ergo unius ſpeciei uſus nedum toleratus, ſed commendatus etiam priſcis temporibus fuit.

Denique idem convincitur ex ritu illo quo aliquando uſus calicis ad internoſcendos Manichæos, vinum abſque ſacrilegio ſibi non poſſe eſſutientes præceptus eſt à S. Leone & Gelaſio Pontificibus. Sic enim habet Magnus Leo ſermone 4. de Quadrageſima: *Cum (Manichæi) ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris audeant intereſſe myſteriis, ita in Sacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant: ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ omnino haurire declinant. Quod ideo veſtram volumus ſcire Sanctitatem, ut vobis ejuſmodi homines & his manifeſtentur indiciis; & quorum deprehenſa fuerit ſacrilega ſimulatio, notati & proditi à Sanctorum ſocietate ſacerdotali authoritate pellantur.* Cum autem Manichæorum error tempore Gelaſii noodum eſſet extinctus, præceptum Pontifex renovavit, cujus decreti verba referuntur canone *Comperimus*, de conſecrat. diſt. 2. *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione a calice ſacrati cruoris abſtineant, qui procul dubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Ubi vides occaſione ſuperſtitionis eorum, qui vinum tanquam fel principis tenebrarum repudiabant, utramque ſpeciem percipi Gelaſium imperaſſe, quam integrum Sacramentum appellat, non quòd unaquæque ſpecies quoad rem contentam non ſit integrum Sacramentum, ſed quia tota ſacramentalis ſignificatio non niſi in utraque ſpecie invenitur. Ex hoc autem ritu claret uſum unius ſpeciei fuiſſe olim licitum, & à Catholicis indifferenter frequentatum. Si enim Catholici utramque ſemper ſpeciem uſurpaſſent latère tuto Manichæi ſub una ſpecie communicantes minime potuiſſent, ſed inſolito participandi ſacris myſteriis ritu retecti cito deprehenſique fuiſſent; tantumque abeſt ut ſe Catholicos ſimulare potuiſſent, ut potius ſeipſos apertiſſimè prodidiſſent.

Sicut ergo in Manichæorum impietatis execrationem unius ſpeciei uſu per ſe licito, & ſuo tempore frequentato fidelibus Magnus Leo prudenter interdixit, ambas ſpecies imperavit: ita poſteriores Pontifices & ſacra concilia extinctâ Manichæorum perfidiâ unius ſpeciei liberum uſum permiſerunt, quin propter hæreticos realem corporis Chriſti præſentiam, & omnium quæ in Chriſto ſunt concomitantiam in Euchariſtia inficiantes, accedentibus etiam aliis rationum & utilitatum momentis longè graviſſimis, utriuſque ſpeciei uſum laicis prohibuerunt. Solet enim à Deo gubernata Eccleſia non ſolùm hæreticorum errores, ſed & quos ſibi aſciſcunt mores proprios, tametſi in ſpeciem innoxios averſari; ne ſi vel ad latum unguem eis ceſſerit, ampliùs illi inſoleſcant. Sic ſi referentibus nonnullis credimus, emergente de neceſſitate indiſpenſabili panis azymi ad materiam *Euchariſtiæ* uſurpandi hæreſi, abdicatis azymis fermentatum Latina Eccleſia adhibuit, azymum panem deinde extinctâ hæreſi, revocavit. Sic Beatus Gregorius trinam baptizatorum merſionem per ſe irreprehenſibilem, ob hæreticos diviſionem Divinitatis hâc ceremoniâ ſignificare volentes, Magnus Gregorius *lib. 1. Regiſt. cap. 41.* improbavit: *Reprehenſibile, inquit, eſſe nullatenus poteſt, infantem in Baptiſmo vel ter, vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari. Sed quia nunc huc uſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur, faciendum apud nos non cenſet, ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, ſe morem noſtrum viciſſe glorientur.*

Alia pro una ſpecie probatio ex Scripturis, accedente Patrum interpretamento depromitur.

Eandem de unica ſpecie licitè uſurpanda Catholicam veritatem confirmare aggredimur, ſin evidenter & invictè, certè probabiliter ex quibuſdam Scripturæ teſtimoniis, quæ de ſacra Euchariſtia Patres intelligenda tradiderunt.

In primis *Lucæ 24.* dicitur, quod poſtquam Dominus intravit cum diſcipulis in caſtellum quò ibant, iiſdem panem Euchariſticum præbuit, in cujus fractione Salvatorem agnoverunt. Verba enim illa, *Cognoverunt eum in fractione panis*, de Euchariſtia intellexerunt Hieronymus, Author operis imperfecti *in Matth.* Venerabilis Beda, & Theophilactus in illum locum, atque etiam Auguſtinus *lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 25.* Atqui tunc Chriſtus unicam ſpeciem diſpenſavit; ſacer namque textus ita benedictionem, & fractionem, & porrectionem cum Chriſti receſſu conjungit, ut aliquam moram, in qua calicem illis dederit, minimè interceſſiſſe videatur: *Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum, ipſe evanuit ex oculis eorum.* Qui locus magis urget noſtrates Calvinianos, qui Puritanos audire ab omnibus volunt, quia purum putũ ſacrarum litterarum abdicatâ traditione textum recognoſcunt. At enim quod Chriſtus illis calicem præbuerit propinandum nunquam probabunt. Ergo ſola fracti panis communio ab ipſis diſcipulis Chriſto ipſomet miniſtrante adhibita eſt. Nunquam enim ex Scripturis probabunt verba illa per ſynecdochen eſſe intelligenda, & fracti panis appellatione utramque ſpeciem comprehendi.

Nec dicant Calviniſtæ, non conſtare fractionem illam panis fuiſſe euchariſticam, cùm de hoc quidam etiam magni nominis Theologi dubitent. Non itaque id dicant, quia etſi varia ſit loci illius intelligentia, id tamen nobis ſufficit, quamplures utriuſque Eccleſiæ Patres fractionem illam panis de Communione Euchariſtica expoſuiſſe, in qua tamen ſola diſcipuli Dominum abſque uſu calicis cognoverunt. Ergo Patres illi unam duntaxat ſpeciem tunc diſtributam eſſe, ac proinde diſtribui licitè exemplo Chriſti poſſe crediderunt. Unde ſignanter in titulo monui Eccleſiæ Catholicæ ritus traditionem ex Scripturis, accedente Patrum expoſitione erui.

Nec dicant rurſum Sectarii, ſequi unam duntaxat ſpeciem fuiſſe à Chriſto Domino conſecratam; quem tamen uſum nunquam ipſa Catholica ſequitur Eccleſia. Fruſtra enim id dicent; quidquid enim tandem illud ſit quod Chriſtus tunc conſecravit, de quo in ſuperioribus egimus, id nobis conſtat tamen, Chriſtum ſolum panem porrexiſſe, in ſoliuſque fractione panis ipſum Apoſtolos cognoviſſe. Cur ergo in Eccleſia damnant, quod in Chriſto revereri tenentur.

Secundus locus habetur *Actorum 2.* ubi de primis fidelibus legitur: *Erant autem perſeverantes unanimiter in doctrina Apoſtolorum, & communica-*

Google

tione fractionis panis, & orationibus. Quæ communicatio fractionis panis non ſolùm à Patribus & ſacris Interpretibus, ſed ab ipſis etiam Sectariis de communione Euchariſtica intelligitur, cùm in commendationem pietatis & ſervoris primorum Chriſtianorum id S. Lucas referat. Quæ verba de unius ſpeciei uſu intelligenda eſſe colligitur: tum quia ſolius fractionis panis meminit ſacer Textus, cui quidquam de noſtro etiam ex traditione depromptum addere, juxta Puritanorum principia, piaculum eſt. Tum quia fractionem panis à conſecratione & diſpenſatione calicis accuratè, ubi opus eſt, Scriptura diſtinguit, ut patet tum ex inſtitutione à tribus Evangeliſtis, atque à Paulo memorata; tum ex illo 1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Ubi non ſine cauſa doctus à Domino & Eccleſiam docens Doctor Gentium in veritate benedictionem calicis à ſeuctione panis diſtinguit, innuens calicem quidem in omni conſecratione benedici, ſed non omnibus ſemper diſtribui, quia omnes & ſinguli ſicuti panem, non ita calicem participabant tamen: panis verò ſemper in omni ſacrificio, pro illorum temporum fervore, aſtantibus frangebatur. Tum demùm quia inter illos naſcentis Eccleſiæ fideles in oratione & fractione panis perſeverantes nonnulli erat Nazaræi ad fidem converſi, qui permittentibus Apoſtolis ad tempus legalia ſervabant. Nazaræi porrò ex præſcripto legis Moſaicæ à vino, ab eoque omni quod inebriare poteſt ita abſtinebant, ut nec uvas etiam paſſas comedere ſibi indulgerent. Ergo unius ſpeciei uſus tunc temporis, approbantibus ipſis Apoſtolis, fractio nimirum ſolius panis frequentabatur.

Neque dicas id per ſynecdochen à S. Luca utramque ſpeciem ſub unius nomine complectente ſcriptum eſſe. Cujus fundamentum eſſe poteſt, quia quemadmodum ibi dicitur fideles in fractionis panis communicatione perſeveraſſe; ita *Actorum* 20. dicitur: *Una ſabbati cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem.* Cùm autem inter illas moras adoleſcens Eutychus cadens à tertio cœnaculo mortuus eſſet, & à Paulo reſuſcitatus, ſubdit ſacer Textus: *Aſcendens autem* (Paulus) *frangenſque panem & guſtans*, &c. Quæ verba de Euchariſtia ſacri Interpretes communiter exponunt poſt Auguſtinum *epiſt.* 86. Porrò illa per ſynecdochen intelligi oportere, ut conſecratio Calicis ſubintelligatur, hinc colligitur, quia alioquin in unica ſpecie Euchariſtiam Apoſtoli conſecraſſent: quod & abſurdum per ſe videtur, & ab ipſo Catholicæ Eccleſiæ ſenſu alienum.

Non, inquam, id dicas. Priora enim verba optimè exponi poſſunt ut ſonant. *Cùm conveniſſemus ad frangendum panem*, ſignificat eo die fuiſſe communionem non domeſticam & privatam his temporibus ob perſequutiones frequentatam, ſed generalem & Eccleſiaſticam. Communio porrò ſitatâ appellatione & ad occultandum infidelibus tanti Sacramenti arcanum peridoneâ dicebatur fractio panis, quia ſolius ſpecies panis ordinariè ſumebatur, juxta illud Actor. 2. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domum panem*; nimirum Euchariſticum, quem & in itinere, & in ſolitudinem ſeceſſus, & in loca remotiſſima deferebant, ne à quotidiano cœleſtis cibi uſu abſtinerent qui vitam cœleſtem ducebant. Ingentem autem vini copiam tunc, & deinde quandiu quotidianæ, vel ſaltem creberrimæ Communionis uſus viguit conſecratam fuiſſe, ut poſſet abſentibus omnibus provideri & tanto fervori ſatisfieri, incredibile eſt: ægrè enim ſacri liquoris abundantiam ad Sacerdotes conſecrandam detuliſſent, ægriùs diu eam aſſervaſſent, ægerrimè in diſſitas regiones aſportaſſent. Quare ordinariè ſola ſacrati panis ſpecies uſurpabatur; unde Communio Euchariſtica uſitali nomenclaturâ fractio panis appellabatur. Quæ tamen fractio panis peractum ſub utraque ſpecie ſacrificium ſupponebat, multæ enim in uno ſacrificio particulæ, ut etiam apud Catholicos moris eſt, diſpenſandæ conſecrabantur.

Patet ergo, ex priori teſtimonio non ſequi Apoſtolos unam duntaxat ſpeciem conſecraſſe; non enim eo loci dicitur quid Apoſtoli facerent, ſed quid plebs Chriſtiana facere in illa tanta concordia & morum caſtimonia ſoleret. Nihil ibi de conſecratione, ſed de uno duntaxat Euchariſtiæ uſu ſermo inſtituitur. Unde ex illa S. Lucæ hiſtoria non quid neceſſario conſecrandum ſit, ſed quid à fidelibus uſurpandum confirmamus.

Majorem præ ſe fert difficultatem alter ex Act. 20. depromptus locus. Ea enim die quæ Dominica erat, celebrata fuiſſe tremenda incruenti ſacrificii myſteria innuit Auguſtinus epiſtola citata. *Una etiam ſabbati*, inquit, *tunc appellabatur dies qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangeliis apertius invenitur. Nam dies Reſurrectionis Domini prima ſabbati à Matthæo, à cæteris autem tribus una ſabbati dicitur: quem conſtat eum eſſe Dominicus poſtea appellatus eſt.* ::: *Et ita eadem nocte fracturus panem, ſicut frangitur in Sacramento corporis Chriſti, produxit ſermonem uſque ad medium noctis, ut poſt Sacramenta celebrata, rurſus uſque ad diluculum alloqueretur congregatos, quoniam multùm feſtinebat, ut luceſcente proficiſceretur Dominico die.* Ex quibus obiter advertes, quàm antiqua & ab Apoſtolis derivata ſit Eccleſiæ Catholicæ conſuetudo, quâ fideles ad auguſta myſteria ſingulis diebus Dominicis accedant, quo & diem illum religioſiùs ſanctificent, & in illud religionis centrum coeuntes magis magiſque mutuâ charitate colligentur. Advertes etiam in illo Chriſtianorum ſacro conuentu Eccleſiaſticas cæremonias ſectariis noſtratibus tantoperè exoſas non defuiſſe. Nam ſicut etiamnum cereis & lampadibus inter celebranda myſteria altaria noſtra collocent: ita etiam tunc, ut verſu 8. narratur: *Erant lampades copioſæ in cœnaculo ubi eramus congregati*, non ſolùm ad pellendas tenebras, ad quod copioſis lampadibus opus non erat, ſed ad celebratæ Euchariſtiæ myſteria decoranda.

Atque hinc difficultas inſtauratur: Paulus enim conſecrans Euchariſtiam utramque ſpeciem adhibuit: & tamen fregiſſe panem, eumque guſtaſſe tantummodò dicitur. Ergo in fractione panis accipitur pars pro toto, & ſub illo nomine utraque ſpecies comprehenditur. Attamen nunquam mihi perſuaſerim Lucam tribus aut quatuor locis uſum Euchariſtiæ commemorantem ſemper impropriè, ſemper metaphoricè, & ſynecdochicè fuiſſe in re tanti momenti loqnutum. Certè ſi conjecturis indulgere liceat, & ſub fracto pane ſemper vinum intelligere oporteat, eadem facilitate dicemus Chriſtum in deſerto, ubi panem fregit, cados etiam vini multiplicaſſe.

Litteræ ergo quidam Theologi, quos ſequitur Becanus *libro de Communione ſub utraque ſpecie, cap.* 4. inſiſtentes cenſent Apoſtolum ſub una tantùm ſpecie conſecraſſe, exemplum Chriſti in caſtello Emaus ſequuti: unde inferunt utriuſque ſpeciei conſecrationem non jure divino, ſed Eccleſiaſtico duntaxat imperari; quod & quibuſdam factis confirmare nituntur. Sed quidquid ea ſupponat reſponſio, cum ſupra à nobis confutatum ſit, aliter argumento ſaciendum eſt ſatis.

Veriſimilior ergo reſponſio apparet, ſi dicamus ea quidem die ſacrificium fuiſſe celebratum, at non à Paolo tamen. Cùm enim Paulus in prædicandum totus incumberet, ſermonemque in mediam noctem protraxiſſet, quem uſque in lucem erat protracturus, ut patet ex verſu 11. non poterat ille in-

geoti

genti multitudini Euchariſtiam diſpenſare. Alius ergo Sacerdos Paulo jugiter prædicante Euchariſtiam diſpenſabat, & ille ſolus conſecraverat, atque utramque ſpeciem acceperat: alii verò aſtantes, quin & ipſe Paulus ſola panis fractione paſti ſunt. Quare ne à littera recedamus, dicendum Paulum prædicationem non interrupiſſe niſi ad excitandum mortuum è tertio cœnaculo lapſum, & ad frangendum panem, id eſt, ad ſacram Euchariſtiam ab alio conſecratam percipiendam. Nec eſt inconveniens Paulum citò diſceſſurum toto tempore diſtributæ populo Euchariſtiæ prædicaſſe; ſicut enim ſermons Chriſti corda fidelium in caſtellum Emaüs proficiſcentium charitate, quæ optima & una eſt ad cibum cœleſtem ſumendum & concoquendum diſpoſitio, inflammebantur; ita ignitis Pauli eloquiis fideles ad frangendum dignè panem Euchariſticum accendebantur. Unde, ut ait Chryſoſtomus, mira erat aſtantium devotio, qui convenerant, *ut audirent tubam illam, & amabilem vultum intuerentur.*

Ratione theologica idem Eccleſiæ Catholicæ uſus confirmatur.

Ille uſus legitimus eſt atque probandus, quo & Sacramenti ſalvatur integritas, nec fideles fructu Euchariſtiæ fraudantur, & ad quem inducendum graviſſimis & in reverentiam tanti Sacramenti cedentibus rationibus Eccleſie Catholica permota eſt. Atqui hæc omnia in ritu Communionis ſub una ſpecie à fidelibus populi, & à Sacerdotibus non celebrantibus frequentatæ inveniuntur & concurrunt: ergo ritus unius ſpeciei licitus, honeſtus, & probandus eſt. Major propoſitio eſt manifeſta; ſuppoſito enim quod Deus ritum illum non prohibuerit, ut à principio hujus ſpeculationis oſtendimus, nihil aliud ad ejus ſecuritatem & honeſtatem deſiderari poteſt, ut conſideranti patebit. Minoris ergo ſingulæ partes ordine ſuadendæ ſunt.

In primis in unicæ ſpeciei uſu ſalvari ſubſtantiam integram Sacramenti oſtendo; quia in una ſpecie totum Sacramentum, & quantùm ad neceſſariam rationem ſigni, & quantùm ad totum ſub eo ſigno contentum reperitur. Etenim unica ſpecies ſignificat Chriſtum præſentem: ſignificat etiam paſſionem & mortem Chriſti, cùm repræſentet carnem veluti ſeparatam à ſanguine: ſignificat etiam refectionem ſpiritalem animarum ſanctarum, quæ per cibum pariter atque per totum repræſentatur: nam Eccleſiaſtici 15. ſapientia modo pani, modò aquæ comparatur. Et Matth. 5. juſtitia dicitur à Chriſto cibus & potus: *Beati,* inquit *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Et Joan. 6. *Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me non ſitiet unquam.* Apoſtolus etiam ſuam prædicationem nunc cibum, nunc potum appellat. Unde quia in refectione ſpirituali nõ differunt cibus & potus, per alterutrum illa ſufficienter ſignificatur. Denique unica ſpecies ſpiritalem fidelium unionem ſignificat; nam per panem ex multis granis confectum unitatem fidelium intelligi Patres docuerunt, & ſignificat Apoſtolus dum ait: *Unus panis unum corpus multi ſumus.* Nihil aliud autem aſſignari poteſt quod ſacramentum Euchariſtiæ ſignificet. Ergo in unica ſpecie tota ſacramenti ſignificatio ſubſiſtit. Quanvis enim per duplicem hæc expreſſiùs ſignificentur, ſatis expreſſè tamen per unam: ſicut per totius corporis immerſionem expreſſiùs & pleniùs animæ ablutio deſignatur; ſufficienter tamen per aſperſionem, quâ pars corporis intingitur, repræſentatur.

Rem etiam ſub Sacramento contentam totam ſub utraque ſpecie contineri clariſſimũ eſt. Cùm enim res illa concreta ſit Chriſtus Dominus, perfectus Deus, perfectus homo, qui integer ſub utraq; ſpecie ſin formaliter & vi verborum, certe concomitanter invenitur ut ex dictis ſuprà perſpicuum eſt. Ergo in unica ſpecie totum ſub ſacramento contentum reperitur, ac proinde integra ſacramenti ſubſtantia in illa ſalvatur.

Per uſum etiam unius ſpeciei non fraudari fideles fructu Euchariſtiæ, quæ eſt ſecunda minoris principalis pars, ſic monſtratur. Fructus ſpecialis Euchariſtiæ eſt augmentum & conſervatio vitæ ſpiritalis; ad hoc enim carne Chriſti veſcimur, ut ſpiritus de Deo ſaginetur. Atqui fructum illum æquè nobis parit una atque gemina ſpecies, quia fructum illum edit Euchariſtia quatenus Chriſtum continet, qui æquè integrè ſub unaquaque habetur. Unde ipſe Salvator unius ſpeciei mentionem faciens, ait: *Qui manducat hunc panem, & qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Quare licèt expreſſior & explicatior ſit utriuſque ſpeciei ſignificatio, majorem tamen gratiam non ſignificat, nec eam proindè ex opere operante producit: ſicut licèt expreſſiùs animæ ablutionem immerſio totius corporis quàm unius partis aſperſio repræſentat, & licèt Chriſti cum Eccleſia unionem explicatiùs ſignificent nubentium verba quàm nutus; majorem tamen & copioſiorem gratiam non ſignificant. Ergo laici unica ſpecie refecti nullo Sacramenti fructu fraudantur, nulla illis proinde injuria irrogatur. Sanè cùm ſpecies vini gratiam ratione ſanguinis Chriſti, quem continet, producat; non carebit illâ gratiâ qui ſanguine Chriſti reficietur. At laicus unica panis ſpecie refectus ipſum etiam Chriſti ſanguinem ſumit, qui ſanguis ſive vi verborum, ſive per concomitantiam in ſacramento acceptus, ejuſdem virtutis & efficacitatis eſt, cùm totam quantam habet, à Divinitate hypoſtaticè ſibi unita derivet. Ergo *fatendum eſt, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ neceſſariâ ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt,* inquit Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 3.*

Denique juſtiſſimæ, graviſſimæ, & juxtà piiſſimæ rationes ſunt, quibus permota ſancta Mater Eccleſia utens poteſtate ſibi à Chriſto tradita Sacramentorum ſalvâ eorum ſubſtantiâ diſpenſandorum, ad majorem tanto Sacramento venerationem conciliendam, Fideliumque pietati conſulendum, laicis atque ipſis Sacerdotibus celebrantibus uſu Calicis interdixit. Quæ multæ cùm proferri in medium poſſint, ſelectiores producemus.

Primùm enim poſtulat tam auguſti myſterii reverentia, ut caveamus, ne ſanguis Domini in terram fundatur: quanvis enim periculum effuſionis floccifaciant Calviniani, qui nihil in Calice præter vinum recognoſcunt, illud tamen non formidare non poſſunt catholicæ ſanguinis Chriſti præſentiæ adoratores, perpetuæque illius fidei profeſſores: unde tot & tantæ in caſu effuſionis ſanguinis Chriſti Sacerdotibus etiam citra malitiam contingentis pœnæ à ſacris Canonibus leguntur impoſitæ. Atqui illa effuſio difficillimè vitari poſſe videtur, ſi ſacrum calicem ingenti populi multitudini miniſtrari, & ſenibus tremulis, juvenibus inconſideratis & indiſcretis porrigere, & ad infirmos omnes deferre oporteret. Ergo ingenita Catholicis erga Euchariſtiam religioſa obſervantia uſum illum laicis prohiberi poſtulat.

Secundò eadem Euchariſtiæ reverentia exigit, ut quoad fieri poteſt in hujus venerabilis Sacramenti uſu quidpiam non incidat, quod munditiei & decori adverſetur: patet autem, quod cùm Euchariſtia ægrotis præſto eſſe debeat, manifeſtum periculum ſit, ne ſpecies diu aſſervatæ coaceſcant, quod indecorum eſſet; néve hyeme in regionibus præſertim frigidis congelentur, quod valde incommodum foret.

Tertiò uniformitas in Sacramento unitatis maximè obſervanda videtur, ut idipſum omnes non ſolùm dicant, ſed & faciant, qui unum corpus multi ſunt omnes de uno pane participantes. At enim magna eſſet varietas, ſi uſus Calicis laicis permitteretur, tum propter abſtemios qui vini ſaporem ne

ne

ne odorem quidem perferre ullo modo poſſunt; tum propter infirmos quoſdam, quibus vini uſus & horrendus & noxius eſt: quamvis enim modica vini quantitas nocere per ſe non poſſit, imaginatio tamen infirmi vini horrore occupata non parvum detrimentum parere nata eſt: judicavit verò prudens Mater *Eccleſia*, ſumendam ab omnibus non eſſe illam ſpeciem, quæ corporis valetudini nocumentum eſſet aliquod allatura. Tum denique propter vini penuriam, quâ in pluribus provinciis laboratur; in quas etiam aliunde non niſi maximis impenſis, difficillimiſque itinerum longiſſimorum tractibus convehi poteſt. Ergo & uniformitatis Eccleſiaſticæ decor, & fidelium utilitas unius ſpeciei uſum juſtiſſimè poſtularunt.

Quartò in hoc Sacramento pietatis & devotionis centro devotioni fidelium ac frequenti eorum communioni conſulendum fuit. At ſi ab omnibus & ſingulis ſumendus eſſet calix, multi à Communionis frequentia, qua non mediocres fructus capiunt, retardarentur; tum aliquando ob vini in quibuſdam locis penuriam & caritatem; tum propter vini conſervandi difficultatem, hyeme ne gelu rigeret, æſtate ne aceſceret; tum etiam propter vini horrorem; tum propter pateræ communionem, de qua cum ſordidis, graveolentibus, & nauſeabundis bibere oporteret. Ergo tantùm abeſt ut fructu aliquo fideles populi unius ſpeciei uſu fraudentur, quemadmodum hæretici garriunt, ut potiùs eorum eo ritu majoribus utilitatibus provideatur.

Quintò expedit ut in Sacramento, quod fidelibus familiare & quotidianum eſſe oportet, nullus error incidat, ſed veritas Catholica pateſcat, & ante omnium oculos ponatur neceſſum eſt: proclive autem eſt rudem populum credere ſolum ſine ſanguine corpus ſub ſpecie panis exiſtere, ſi utriuſque ſibi ſpeciei uſus eſſet neceſſario adhibendus; præſertim cùm quidam hæretici totum Chriſtum ſub utraque ſpecie eſſe inficientur, corpus exſangue ſub ſpecie panis, ſanguinem purum & ſeparatum ſub ſpecie vini comminiſcentes. Ergo tum ad convellendas hæreſes, tum ad populorum præcavendos errores unius ſpeciei uſus ſalubri conſilio inſtitutus eſt.

Sexto hoc Eccleſiæ præcepto, & hæreticorum temeritati, Catholicorum ſcrupulis proviſum eſt. Cùm enim ex una parte hæretici utriuſque ſpeciei uſum indiſpenſabiliter neceſſarium eſſe contendant, nullamque indifferentiam in ſpecierum delectu contra totius Eccleſiæ ſenſum & praxim ab initio frequentatam agnoſcere velint, non ſolùm verbis, ſed etiam factis eorum hæreſi reſiſtendum fuit. Ex alia verò parte, cùm ex varia *Eccleſiæ* pro temporum circunſtantiis ſervatâ conſuetudine dubitare poſſent Catholici, quiſnam eſſet ad ſalutem ritus præferendus, æquum fuit conſuetudinem ſub unica ſpecie communicandi dudum invectam ſtabili lege firmari, ut ne eſſemus ſicut parvuli fluctuantes, omni doctrinæ vento agitati, omniſque ſchiſmatis & falſæ æmulationis occaſio præcluderetur.

Solutis Sectariorum objectis, quid ſit Communio laica explicatur.

Quæ ab Scripturis argumenta deſumunt Novatores, ſuprà poſitivè confutavimus: ut iis quæ aliunde urgent occurramus, quædam ſcitu digna præmonenda ſunt.

Sciendum ergo & fatendum eſt, Chriſtum ſub utraque panis & vini ſpecie ſacroſanctam Euchariſtiam inſtituiſſe: ſed illud præ oculis habendum eſt, Chriſtum nedum Sacramentum, ſed etiam ſacrificium inſtituiſſe; ad cujus integritatem ita utramque ſpeciem conſecrari & conſumi cenſet Eccleſia, ut nullum Sacerdotem conficientem à ſumptione calicis diſpenſare poſſe ſe credat, præcipiatque in caſu repentinæ ante conſumptum ſacrificium mortis alteram ſpeciem ab alio Sacerdote, imò & à laico accipi, ſi nullus adſit, vel expectari ob imminens corruptionis periculum poſſit, qui conſumere queat Sacerdos.

Sciendum rurſus utriuſque ſpeciei uſum fuiſſe per plura ſæcula indifferentem, ut ex variis Eccleſiæ receptiſſimis ritibus probavimus: imò, ut vidimus, aliquando Eccleſiaſtico Magni Leonis & Gelaſii Pontificum præcepto uterque fuit uſus imperatus, occaſione nimirum Manichæorum, qui cùm magno errore ſentirent, non poſſe abſque ſacrilegio vinum guſtari, communionem ſub ſpecie vini tanquam nefariam execrabantur.

Sciendum tertiò Eccleſiam Catholicam poſterioribus ſæculis ſupra recenſitis rationum momentis aliiſque experimentis permotam uſu Calicis tum laicis, tum Sacerdotibus non conſecrantibus interdixiſſe, ut ex Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi, & Tridentino notiſſimum eſt. Verumtamen ſtatim atque legem illam tulit Eccleſia, nonnullis permiſit aut permitti poſſe pronuntiavit, quod tunc juſtis de cauſis prohibebat. Fertur enim Martinum V. è Concilio Conſtantienſi Romam ingreſſum laicis ſub utraque ſpecie Communionem dediſſe. Ubi obiter notare te velim, Catholice Lector, quàm injuſta, quàm à ratione aliena ſit Lutheranorum & Calvinianorum adversùs Romanos Pontifices, in quorū odio ſuum ultimum finem poſuiſſe videntur, maledicentia; quâ illos tyrannidis & violentiæ inſimulant, quod Laicos Calicis uſu privarint: hinc ad Concilia appellandum eſſe proteſtantur. At enim ſi evacuare ſua præjudicia, & capitale in Romanum Antiſtitem odium tantiſper ſeponere paſſionis æſtus ſiverit, citò advertent non à Romanis primùm Pontificibus, ſed à Concilio Conſtantienſi uſum Calicis fuiſſe Laicis vetitum. Nec caviſari poſſunt ibi authoritatem Pontificiam fuiſſe dominatam, & Patres Concilii ad hoc decretum adegiſſe: nemo enim neſcit Concilium illud tempore & occaſione funeſti ſchiſmatis tres Summos Pontifices invehentis fuiſſe coactum, qui omnes eo in concilio exauthorati ſunt & ineligibiles declarati *ſeſſ.* 12. & Cardinalem Odonem de Columna die 11. Novembris fuiſſe in Romanum Pontificem electum, qui Martinus V. appellari voluit; quæ electio *ſeſſione* 41. contigit. Manifeſtum eſt autem præceptum unius ſpeciei à laicis uſurpandæ fuiſſe *ſeſſione* 13. editum, in qua nullus Pontifex, nullus Summi Pontificis Legatus aderat, ſed plena & ſola erat Patrum Concilii libertas & poteſtas: ergo mendaciſſimè Romanis Pontificibus, ut illis populorum invidiam & odium accerſant, prohibiti Calicis legem aſſerunt, cùm tamen ante Concilium Conſtantienſe Romani Antiſtites & uſum Calicis Eccleſiarum optioni ſemper permiſerint, & aliquando præceperint, & ipſe Martinus V. etiam poſt concilium Conſtantienſe, ut quorundam poſtulationi ſatisfaceret (quæ ſumma & innata eſt ſanctæ & primæ Sedis clementia tota ad humanitatem & indulgentiam comparata) laicis utramque ſpeciem diſpenſaverit. Juſtis quidem de cauſis decretum illud Conſtantienſe Concilium edidit, quod & Romana, & aliæ Catholicæ Eccleſiæ receperunt: ſed ad id notandum & ſcribendum animum meum impulit modernorum iniquitas hæreticorum, qui quieſcere, & à maledicendo Romano Pontifice deſinere non poſſunt. Illis in præſentia reſpondere volui; laceſſere non ſtudui. At quomodo poſſem de illis finem facere dicendi mihi, peccandi adversùs *Eccleſiam* Romanam cùm ipſi finem non faciant, rapere in pejorem partem quidquid ſacræ Eccleſiæ Hierarchæ agunt affectent? Enitendum ergo nobis eſt, ne plus iniquorum malevolentia poſſit, quàm æquorum hominum ſincera exiſtimatio. Eo animo nunquam fuit noſtrates hæreticos inclementiùs lædere, quibus ſalvâ veritate placere peroptarem. Illos charitate complector, à quibus communione ſejungor; & eoſdem, ut rectè alicubi Salvianus, quos amor facit amare, amor interdum cogit offendere: hus interdum ejuſ-

dem

dem eſt animi ejuſdémque pietatis ; & cùm ſpecie diſſentiat, ratione concordat : uttumqua unum eſt, cùm tamen aliud amoris habeat gtaniam, aliud odii patiatur offenſam. Nunquam laboribus & ſtudiis meis pretium ſtatui alios contemnere, ſad hunc eſſe quæſtum in animum induxi maximum, quàm maximè ſarvire commodis veritatis. Denique, ut cum Tarentio loquar, *ſic exiſtiment adverſarii; ſciant reſponſum, non dictum eſſe, quia ipſi laſerunt prius.* Sed enim aò unde digreſſa eſt revertatur oratio.

Sciendum 4. ipſum Concilium Baſileenſe poſt interdictam laicis Calicis ſumptionem, attamen *ſeſſ. 30.* pro bono pacis & unitatia conceſſiſſe Bohemia & Moravis ſub utraque ſpecie Euchariſtiam uſurpare: Concilium enam Florentinum motem Græcorum ſub utraque ſpecie communicantium minimè improbaſſe. Denique Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22.* in fine decretum ſuper conceſſione calicis ita expreſſit: *Inſuper tum eadem ſacroſancta Synodus ſuperiori ſeſſione* (immediatè poſt canonem quartum) *duos articulos alias propoſitos* (ſcilicat *ſeſſ.* 13. in decreto protogationis) *& tum nondum diſcuſſos, videlicet: An rationes, quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes Sacerdotes ſub una panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione Calicis uſus cuiquam ſit permittendus; & : An ſi honeſtis & Chriſtianæ charitatis conſentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus concedendus ſit, & quænam illæ ſint, in aliud tempus, oblatâ ſibi occaſione, examinandos atque definiendos reſervaverit: nunc eorum pro quibus petitur ſaluti optimè conſultum volens, decrevit integrum negotium ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti decreto refert; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublica Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum Calicis fore judicaverit.*

Ex quibus apparet Eccleſiam Catholicam in adminiſtratione & uſu Euchariſtiæ Chriſtianorum paci & utilitati conſulere ſtuduiſſe, nec illam à permittenda ſumptione Calicis tta eſſe alienam, ut de illo præcepto aliquid in gtaniam & conſolationem nationum & regnorum remittere patata non ſit, ſi quoad dogmata veram fidem & ſinceram obedientiam in petentibus inveniret. Sed cùm videat Lutheranos & Calviniſtas eſſe pattinaces, nec tam velle utriuſque ſpeciei uſum ad conſolationem ſpititalem & majorem devotionem frequentara, quàm Eccleſiam Catholicam, quod omnes ad utramque ſpeciem non adigat inſamare, & altare contra altare erigere, nullum de permittenda quibuſdam nationibus utraqua ſpecie conſilium Chriſti Vicarii ſuſceperunt, nullam in illis poſtulantibus humilitatem, nullam hæreſeon ſuarum abjurationem advertentes: Pro ſua illa ſingulari prudentia à Concilio Tridentino laudata carnunt non futuros Bohemis Lutheranos Calvinianoſqua in promiſſis implendis fideliores, quibus cùm Eccleſia unitaris amans & cogitans cogitationes pacis uſum Calicis ea ſpe ut ad Matrem ſuam redirent conceſſiſſet, eventus docuit remedium illud minime profuiſſe, ſed in etrore de indiſpenſabili utriuſque ſpeciei neceſſitate pertinacius remanſiſſe.

Ut autem magis clareat, quantùm Romanom Pontificem pulſet & urgeat hæreticotum reducendorum zelus & amor paternus, pauca hic referre viſum eſt huic materiei opportuna, & Lectori, niſi me mea fallat ſententia, non injucunda. Poſtquam in colloquio Piſciaco rogatus eſſet Rex Chriſtianiſſimus Carolus IX. ut à Summo Pontifice poſtularet fieri Prælatis Galliæ facultatem ſuper uſum Calicis pro te præſenti, ſeu ut loquuntur, proviſionaliter diſpenſandi, expectatâ interim ſuper hoc Concilii Tridentini determinatione; ad Oratoram ſuum Dominum de Lisle Caroloa ſcripſit, eamque ei provinciam demandavit anno 1561. Negotium Summo Pontifici Otator propoſuit: Pontifex porrò (ut in litteris ad Regem ab aodem ſcriptis præfatus Dominus de Lisle teſtatur) axétari ſe ſinabat, & ab ea facultate concedenda, reclamantibus licèt quibuſdam Prælatis, averſum animum non hababat, qui ut omnibus omnia fiatat, rem totam ad Concilium generale Tridentinum remiſit.

Ex quibus patet, aom aſſe Sedis Apoſtolicæ charactarem eximium, calamitoſis præſertim temporibus, unitatis & pacis amore ad multa connivere, nonnulla diſſimulare, & quædam de ſummo jure ita ramittere, ut modò juris divini integritas, Eccleſiæ Catholicæ unitas, & Sedis Apoſtolicæ dignitas & authoritas ſalva conſiſtat, nonnihil tamen hominum infirmitati & imbecillitati condonet. Quare ſi ex conceſſione abalienatas hæraticorum voluntates conciliara, excitatos de religiona tumultus pacare, noſtros ne labatentur retinere, exteros qui à nobis daſciverant revocare veriſimiliter credidiſſet, certiſſimè tanendum eſt Apoſtolicam Sedem facultatem illam dudum impertiviſſa.

Sed cùm recentes hæretici cum duplici ſpecia cætatos errores ſuos tetinera obfirmatè valiot, nolitque tres conditiones à Paulo III. in Bulla facultatum trium Legatorum, quos in Germaniam ad Carolum V. miſerat, ſubire; videlicet iis poſſa uſum Calicis concedi, qui ſincerè profitetantur tantùm ſub una quantùm ſub utraque ſpecie contineri; non minus recipere unâ ſpecie paſtum quàm duabus; & in cæteris omnibus Eccleſiæ Catholicæ unitatem ſe tatinere, & Sedi Apoſtolicæ filiale obſequium præſtara vella: cùm inquam, hæc ita ſint, & unius vel duplicis ſpeciai uſus ſit tantùm ſchiſmatis prætextus ab hæraticis conquiſitus, manifeſtum eſt conceſſionem otriuſque ſpeciai inutile eſſe ad revocandos noſtros hæreticos remedium; manifeſtum eſt ſedece eos in cathedra peſtilentiæ, ut ſub ſpecie fidei, fidei ſcindant, rumpant, diſtrahant unitatem: manifeſtum eſt eloquia eos divina contra Eccleſiæ ſenſum orthodoxum humanâ intatpretationa corrumpere; & inde concipera ſuorum ſuffragia criminum, unde aſſumere debuerant documenta virtutum: manifeſtum eſt utriuſqua ſpeciei poſtulationem non ab humilitate profectam, quæ quidquid facit totum Deo aſſignat authori, totum Eccleſiæ ſupponit arbitrio; ſed ab inflato hypocriſis & ſuperbiæ fermento prodire, in quo non eſt moles magnitudinis, ſed tumoris; & conſperſio tali ſpecie inflata eſt, non ditata. Denique manifeſtum eſt, hanc Novatorum petitionem fuiſſe ſpecioſum prætextum, ſubtilem ſpaciem, ſubtilitatem arte compoſitam aliud re agaotem, aliud promeotem in vultu, quin etiam ſecretum vitus, venenum latens, virtutis ſucum, tineam reſotmationis Novatores occultare voluiſſe: à fructibus enim eorum cognoſcimus aos, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecùs autẽ ſunt lupi rapaces.

Induant, quæſo, tandem filialem animum Lutherani & Calviniani; errores exuant inveteratos, & à Patre Patrum Romano Antiſtite non ſolam vini ſpeciem, ſed quod caput eſt, ipſius Chriſti ſanguinis obtinebunt veritatem. Perdiderunt illi quod eſt filii, ille quod Patris eſt non amiſit. Credite mihi, & ſi non creditis, probata, tentate, experimini, periculum facita: plus vos illa diligit, ò adverſarii, quàm vos illum odio proſequamini. Pro vobis etiam maledicentibus Deum ſupplicat, ſicut Chriſtus cujus vices gerit pro crucifigentibus orabat. In vobis etiam, quia Chriſtiani eſtis, ipſe qui Pater eſt Chriſtianorum, præ charitate patitur: nam ſicut honor capitis ad membra protendit; ita membrorum, vel quæ membra eſſe debent, pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriã. Si auditis Chriſtum, audite Eccleſiam, ne ſitis nobis ſicut Ethnici & Publicani. Si amatis Chriſtum, amatote pacem, quia pax nomen Chriſti: ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Perditis gratiæ largitatem, charitatis fraudamini bonis, unitatis

Vus

vos benedictio non manebit, ſi præter Eccleſiam vitam quæritis, quam in ipſa tantùm eſſe Propheta teſtatur: *Quoniam illic*, inquit, *mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in ſæculum.* Si Chriſtus non uni, ſed omnibus legem ſuam dedit; ſi non pro uno, nec ad unum, ſed pro omnibus & ad omnes venit, ut redintegraret omnes in unum; profectò malè corpus Chriſti diſſipatis, malè membra diſperditis, malè ad decorem unitatis ſuæ non patimini formâ dominici habitus pervenire. Nunquam pervenietis ad vocabulum filii Dei, niſi per nomen Pacifici: *Beati* enim *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Verè filii Dei ſunt homines pacifici, utpote Deo pacis ſimiles: nam *plantare pacem radicitus eſt Dei* inquit Chryſologus ſerm. 53. *evellere penitus inimici*, id eſt diaboli.

Ex his ſectariorum querimoniis & objectionibus ferè infinitis ſatisfactum manet. Noſtram enim aſſertionem non ſolùm conſuetudine Eccleſiæ per orbem frequentatâ contra quam diſputare *inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe* docet Auguſtinus *epiſt.* 118. ſed & iis eam rationum momentis munivimus, quibus nihil Eccleſiam contra Chriſti mandata agere, nihil primitivæ praxi adverſari, nihil illam injuriæ vel incommodi Fidelibus inferre, ſed potius ſpeciei unius ſubtractionem quamplurimis emolumentorum compendiis compenſare demonſtravimus. Nec nobis adverſantur aliqui Patres, qui uſus utriuſque ſpeciei laicis porrectæ interdum meminerunt; tum quia uſum ſuo tempore familiarem, etſi non indiſpenſabilem referunt, quem per ſe licitum eſſe non ſemel conſeſſi ſumus. Tum quia Patres illi de ſumptione pretioſi ſanguinis Chriſti loquuntur, quem ſub ſpecie etiam panis nos ſumere certiſſimè credimus; de modo autem ſumptionis nunquam illi fuêre ſoliciti ſed ſalvâ Sacramenti ſubſtantiâ ſumendæ Euchariſtiæ ritum & diſciplinam Eccleſiæ judicio reliquerunt, atque etiam pro diverſis enatis occaſionibus & periculis varia ipſi circa hoc ſcripſerunt, ut ex ritibus ſuprà memoratis liquidum eſt.

Sed dices: Licèt Chriſtum calicis uſum omnibus non præcepiſſe concedatur, eo tamen ipſo quod illum inſtituit, jus fidelibus perenditllius dedit: ergo Eccleſia jure illo privare fideles nequaquam poteſt. Sicut licèt Confirmationis ſacramentum non ſit abſolutè tanquam medium indiſpenſabiliter neceſſarium à Chriſto Domino imperatum, & multò minùs Sacramentum Matrimonii; neutro tamen fidelibus interdicere Eccleſia poteſt, ſed modò nullum intercedat canonicum impedimentum, utrumque adire fideles poſſunt, hoc ipſo quod pro ipſis inſtitutum eſt.

Reſpondeo ex inſtitutione Sacramenti Euchariſtiæ ſequi duntaxat Fideles omnes alioquin debitâ animi compoſitione inſtructos obtinere jus percipiendæ Euchariſtiæ, & cœleſti cibo veſcendi, quo eos ſpoliare jure Eccleſia nec poteſt, nec voluit unquam, quæ ad Communionem nedum hortatur, ſed ad illam etiam variis pœnis, gravibuſque cenſuris obligat. Utramque quoque ſpeciem, quia ad ſacrificium integrum neceſſariam eſſe voluit, Sacerdotes Eccleſia nedum monet, ſed ſeriò aſtringit, ut ipſi inter celebrandum & conſecrent & conſumant. At verò utriuſque ſpeciei uſum non ita pro populo fideli Chriſtus inſtituit, ut petendi illius jus habeat, ſed arbitro & prudentiæ Eccleſiæ à ſe continenter gubernatæ permiſit, ut ea ſtatueret vel mutaret quæ ſuſcipientium utilitati, atque ipſius tremendi Sacramenti venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis in Domino expedire judicaret. Quod Apoſtolus, inquit Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. non obſcurè viſus eſt innuiſſe, cùm ait: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Atque ipſum quidem Apoſtolum hac poteſtate uſum eſſe ſatis conſtat, cùm in multis aliis, tum in hoc ipſo Sacramento, cùm ordinatis nonnullis circa uſum hujus Sacramenti: *Cætera*, inquit 1. Cor. 11. *cùm venero diſponam.*

Nec eſt ſimile, ſed toto cœlo diſcrepat, quod de Confirmatione & Matrimonio dicitur: quia ſi Fidelibus inſtitutæ Confirmationis, inſtitutique Matrimonii uſu Eccleſia interdiceret, orbarentur illi fructu & gratiâ Sacramenti, cujus non eſt duplex partialis materia, in cujus unius ſuſceptione gratia ſacramentali fruerentur. At verò dum Fidelibus alterius ſpeciei uſus graviſſimis de cauſis interdicitur, nec Sacramento Euchariſtiæ, nec gratiâ Sacramenti fideles defraudantur, uti ſuperiùs multis demonſtratum eſt.

Inſtabis: Atqui non poſſunt uſu Calicis privari Fideles ſine ſacramenti & gratiæ ſacramentalis jactura: Ergo reſponſio nulla. Probatur ſubſumptum: Species vini eſt ſpeciale ſacramentum à ſpecie panis independens, conſtanſque ſpeciali materiâ & formâ, ſignificans, ſubindeque producens ſpecialem gratiam. Unde Clemens VI. dicitur Regi Angliæ conceſſiſſe, ut *ad gratiæ augmentum* quoties vellet, ſub utraque ſpecie communicaret. Et certè cùm ſpecies vini non ſit ſuperflua, aliquam ſpecialem gratiam ſignificare, ſubindeque efficere cenſenda eſt. Ergo poteſt populus uſu Calicis privari, quin ſacramento & ſpeciali gratiâ orbetur. Maximè quia Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. pronuntiando communicantem ſub altera tantùm ſpecie nullâ gratiâ ad ſalutem neceſſariâ fraudari, ſatis ſignificat aliis gratiarum additamentis privari.

Reſpondeo in una ſpecie totum, etſi non omni modo, Euchariſtiæ Sacramentum contineri, totam etiam Euchariſtiæ ſacramenti gratiam, quæ animarum refectio eſt, percipi; cum in illa totus Chriſtus omnis gratiæ origo integer contineatur, ut ſuprà ſatis ſuperque expendimus. Itaque cum utraque ſpecies ad unam animæ refectionem referatur, eamque ratione Chriſti, qui eſt præcipua res ſignificata, efficiat, ſub diſtinctis illis materiebus & formis unum eſt ſacramentum. Unde nec ſacramento, nec gratiâ ſacramenti populos fruſtratur Eccleſia, nec jure illos ullo vel beneficio depellit.

Scio Vaſquem alioſque magni nominis Theologos contendere ſpeciei vini ſpecialem reſpondere gratiam, nec propterea populis Eccleſiam eſſe injuriam; tum quia nullâ eos neceſſariâ ad ſalutem gratiâ privat, ſed ſolùm additamento & auctario non neceſſario; tum quia ſubductionem illam facilitate frequentandi Euchariſtiam ſub una ſpecie commodiorem compenſat; tum quia bonum commune & veneratio Sacramenti populorum utilitatibus minimè neceſſariis præponderat: unde parvulis nulla creatur injuria, dum propter eaſdem rationes à bono communi, quod divinius eſt, & à veneratione Sacramenti petitas, eis ante diſcretionis annos Euchariſtiam non diſpenſat Eccleſia, nec adultis bis aut pluries in die Euchariſtiam diſtribuit, ampliorem utique gratiam geminatis uſibus parituram. Sed decor diſciplinæ communis, veneratio Sacramenti, quod fortè iteratis ſumptionibus vileſceret, his ſunt emolumentis anteponenda. Sed oppoſitum nobis & aliis probabilius videtur, quia utraque ſpecies, ut ſæpe dictum eſt, & eundem gratiæ fontem Chriſtum integrè continet, & ad eandem animi refectionem ſpirituſque pinguedinem refertur. Bis quidem Chriſtum ſumit qui utramque ſpeciem uſurpat, ſed in ordine ad eandem cordis refectionem ſumit: ſicut qui unam poſt aliam panis particulam ederet, vel calicem diſcretis hauſtibus biberet, eandem operis operati gratiam participaret. Dico *operis operati*, quia ſi majus opus operantis, id eſt ferventior diſpoſitio accedat, tunc major gratia conferetur: ſed illam majorem diſpoſitionem habere etiam poteſt qui unica ſpecie reficitur, qui duas panis particulas ſucceſſivè glutit.

Nec obeſt Clementis VI. indultum, indultique illius

illius ratio. Tum quia valde dubia videtur hujuſmodi Bulla, quæ ut Sylvius refert, data dicitur anno 1341. & tamen anno duntaxat ſequenti ad ſummum Pontificatum Clemens evectus eſt. Tum quia multi, quos Sylvius, aliique ſequuntur, contendunt Bullam illam in favorem Regis Galliæ fuiſſe conceſſam: quod tamen incertum eſt. Conſtat autem ex hiſtoria Concilii Tridentini, poſt lectos quatuor canones ſeſſionis 21. de Communione ſub utraque ſpecie, anno 1552. menſe Julio, probatis per omnia canonibus, Legatos Regis Chriſtianiſſimi in hunc modum peroraſſe: Si in illis nonnulla mutentur, quemadmodum nonnullis viſum eſt, poſtulamus id fieri abſque eo quòd præjudicium ullum fiat authoritati & prærogativæ Regis Chriſtianiſſimi. Retinuerunt enim Galliæ Reges, & poſt mille & ampliùs annos, quaſi per manus acceperunt, ut quo die Regis inſignibus ornantur & conſecrantur, ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti communionem ſub utraque ſpecie accipiant. Ubi & uſum utriuſque ſpeciei non quoties voluerit, ſed in die coronationis Regi Chriſtianiſſimo vindicant, & uſum illum Clemente VI. longè antiquiorem eſſe teſtantur; & conceſſionem illam Clementis, utique non prætermittendam ſi vera foret, miſſam faciunt.

Sed utut ſit, dicendum, uſum illum Clementem ad majoris gratiæ ex opere operantis obtinendæ augmentum conceſſiſſe; in uſu enim calicis paſſionem Chriſti expreſſiùs ſignificantis, ſi accenditur charitatis affectus, augeſcit & gratia. Sapienter autem Pontifex ille præſumebat opus illud operantis Regem habiturum, qui ex ſingulari devotionis ſenſu gratiam illam poſtularat. Denique cùm Clemens nihil ibi definiat, nec quid credendum ſit, determinet, nec totam Eccleſiam doceat, privatam ad ſummum ſententiam producit Pontifex, quem cæteroquin eruditiſſimum fuiſſe narrant.

Nec propterea inutilis vel ſupervacanea eſt vini ſpecies, ſi nihil novi per ſe producat. Tum quia utiliſſima eſt hæc expreſſior ſignificatio, ſicut trina Baptiſmatis merſio fruſtra olim uſurpabatur, etſi deinde arbitraria fuerit; quia per eam effectus Baptiſmi ſignificantiùs exprimebatur. Tum quia vini ſpecies eſt ad integrum ſacrificium neceſſaria. Tum quia utraque ſpecies pro temporum circumſtantiis utilis fuit, jam commodis populorum opportuna eſt ſpecies panis, olim dum pueri Euchariſtiâ reficiebantur, ſpecies vini illi ætati erat accommodatiſſima. Tum demum, quia etſi probabilis ſit, gratiam Sacramenti in ſumptione prioris ſpeciei infundi, cùm ſubjecto diſpoſito non eſt cur differatur effectus, Sacramentumque, quod cauſa neceſſaria eſt, cùm primùm poteſt, operetur; non otioſè tamen ſumitur ſecunda ſpecies, cùm ad perfectionem ſacrificii deſideretur, & accedente majori diſpoſitione plus gratiæ conferatur.

Denique ad Tridentini teſtimonium reſpondeo, ſanctam Synodum noſtræ ſententiæ eò loci apertiſſimè favere. Cùm enim Concilium non loquatur de gratia ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, quæ per pœnitentiam ſine Euchariſtia re ſuſcepta haberi poteſt, intelligitur Concilium de gratia neceſſaria ad meliùs eſſe: eâ ergo non fraudantur laici, quæ neceſſaria ſit ad melius faciliùſque obtinendam vitam æternam. At nullus eſt gratiæ gradus, qui non ſit eo modo neceſſarius, quique non conferat ad meliùs faciliùſque ambulandum in via Dei. Ergo laici nullo Sacramenti gratiæ gradu privantur. Veritas tamen eſt, Tridentinum unius ſpeciei ſufficientiam adverſus hæreticos ſtabilire voluiſſe, relictâ libertate Theologis, ut de quantitate gratię diſputarent, modò gratiam neceſſariam ad ſalutem alteram ſpeciem dignè uſurpantibus dari, omnes docerent.

Quæres, quid ſit communio laica, de qua fit mentio in vetuſtiſſimis Patribus & Conciliis, Syricio Papa epiſt. 1. cap. 11. Cypriano lib. 4. epiſt. 2. Concilio Eliberino can. 76. Sardicenſi can. 1. & 2. Agathenſi can. 33. Toletano I. cap. 4. Bracarenſi I. cap. 31. aliiſq;?

Reſpondeo, varias eſſe ſententias. Aliqui Communionem laicam illam eſſe contendunt, quâ Euchariſtia laicis ſub una panis ſpecie diſtribuebatur, in hoc diſtinctam à clericali, in qua utraque ſpecies uſurpabatur. Cui communioni etiam Clerici in pœnam delictorum ſubjiciebantur. Hincque argumentum pro ritu unius ſpeciei depromunt.

Verùm hæc ſententia videtur à veritate aliena, ſubindeque ſuperſtructum & innixum illi opinioni pro unicæ ſpeciei uſu argumentum infirmum eſt & inefficax. Etenim temporibus illis laicis utramque ſpeciem frequentare, conceſſum erat eamque de facto ſæpè uſurpabant. Contrà verò Clerici nulli pœnæ obnoxii ſub una ſpecie extra ſacrificium à ſe celebratum communicabant, ut ex ritibus citatis claret. Ergo Communio laica ea eſſe non potuit, quâ unius ſpeciei panis uſus concedebatur.

Secundò, alii cum Bellarmino affirmant, communionem laicam eſſe uſum Euchariſtiæ ſub una ſpecie panis, quæ ideo dicebatur laica, non quòd laicis interdictus eſſet calicis uſus, vel è calice ſibi à Diacono propinato ſæpiùs non biberent; ſed quia in domum ſolam ſpeciem panis deferri, licitum erat.

Difficilis eſt etiam illa interpretatio. Tum quia non ſolùm laici, ſed Sacerdotes etiam recèns conſecrati Euchariſtiam ſub unius ſpecie panis domum deferebant, ut Fulbertus ſuprà laudatus nos docuit. Tum quia canone 66. Concilii Eliberini ſtatuitur, ut communio laica Clerico detur poſt quinquennium peractæ pœnitentiæ, quæ Communio eis in Eccleſia more laicorum dabatur. At laicis in Eccleſia utraque ſpecies porrigebatur: ergo & Clericis, tametſi ad communionem laicam damnatis, utraque ſpecies diſpenſabatur. Accedit, quòd ſi Clerici ad communionem laicam fuiſſent ob delicta damnati, id eſt ad unius ſpeciei uſum, ſecundùm illius ſententiæ interpretationem potuiſſent, & ſanè debuiſſent laici ad illam communionem, id eſt ad unam ſpeciem ob crimina damnari, ut facinoroſi & pœnitentes ab innocentibus diſcernerentur. At non leguntur laici ad illam damnati: ergo per communionem laicam difficilè unius ſpeciei uſus intelligitur.

Tertiò, alii cum Jacobo Pamelio *in epiſt. 52. Cypriani, notâ 37.* eam fuiſſe communionem laicam cenſent, quæ extra cancellos & ſepta Altaris laicis in Eccleſia dabatur. Nam juxta diſpoſitionem Concilii Toletani IV. can. 17. *Sacerdotes & Levitæ ante Altare communicare, in Choro Clerus, extra Chorum populus* tenebantur. Et in Bracarenſi *can. 31.* ſic ſtatuitur: *Ingredi Sacrarium ad communicandum non liceat laicis, ſed tantùm Clericis.* Idem etiam perſpicuum eſt ex facto ſancti Ambroſii, quo Theodoſium Imperatorem intra cancellos hærentem, per Diaconum ſuum monuit, habere in Templo Dei Sacerdotes, habere & laicos locum ſuum. Quare juxta hanc ſententiam Clerici ad laicam communionem redacti, extra cho-

rum in ordine laicorum cōmunicare cogebantur.

Patitur etiam difficultatem hæc expoſitio. Nam Felix III. loco citato vult Clericos rebaptizatos in pœnam delicti ab omni Communione uſque ad diem obitus privari, & in ipſa morte, non niſi laica eos communione donari. Quin Concilium Sardicenſe *c. 2.* in flagitiorum quorumdam deteſtationem & pœnam vult Clericos nec vel in fine vitæ laicam communionem accipere. Atqui in communione laica privatim datâ, vel privatim etiam in morte denegatâ locum habere non poteſt diſtinctio communis in choro, & extra chorum, cùm illa in lecto decumbentibus & animam agentibus vel daretur, vel denegaretur. Ergo per communionem laicam ſola illa intelligi commodè non poteſt, quæ extra Altaris cancellos & ſepta chori populo porrigebatur.

Quartò, alii cenſent communionem laicam eſſe jus communicandi cum cæteris fidelibus more laicorum, qui ſunt in ſocietate chriſtiana. Unde clericum ad communionem laicam redigi, eſt in omnibus, quæ ad ſocietatem chriſtianam ſpectant, putà perceptione Euchariſtiæ, orationibus, aliisque munis non pro Clerico ampliùs, ſed pro laico haberi. Communio ergo laica opponitur functionibus eccleſiaſticis, & privilegiis clericalibus. Favere videtur canon 15. inter Apoſtolicos, ubi ſic ſtatuitur: *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum, relinquens propriam parochiam, pergat ad alienam; & omninò demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiam, in aliena parochia commoretur, hunc ulteriùs miniſtrare non patimur; præcipuè ſi vocatus ab Epiſcopo, redire contempſerit, in ſua inquietudine perſeverans. Verumtamen tanquam laicus ibi communicet.* Id eſt, ut videtur, jus ſolummodò cum cæteris communicandi more laicorum, qui talis eſt, obtineat. Cyprianus etiam *epiſt. 63.* de Baſilide ſic ſcribit: *Epiſcopatum pro ſua conſcientia vulnere ultrò deponens, ad agendam pœnitentiam converſus eſt, Deum deprecans & ſatis gratulans, ſi ſibi vel laico communicare contingeret.* Ubi per communionem laicam intelligere videtur jus, quod habent laici ad communicandum. Et epiſt. 72. ad Stephanum Papam: *Addimus planè & adjungimus conſenſu & authoritate communi, ut etiamſi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Eccleſia Catholica priùs ordinati fuerint, & poſtmodùm perfidi ac rebelles contra Eccleſiam ſteterint, vel apud hæreticos à pſeudo-epiſcopis & Antichriſtis contra Chriſti diſpoſitionem profanâ ordinatione promoti ſint, & contrà altare unum atque divinum ſacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre conati ſint, eos quoque hac conditione ſuſcipi, ut communicent laici, & ſatis habeant, quòd admittuntur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint: nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.* Et paucis interjectis: *Et idcircò ſatis talibus revertentibus veniam dari; non tamen debet in domo Dei perfidia promoveri. Nam quid bonis & innocentibus, atque ab Eccleſia non recedentibus reſervamus, ſi eos, qui à nobis receſſerint, & contra Eccleſiam ſteterint, honoramus?* Ubi per Clericos ad communionem laicam damnatos eos intelligit, qui clericalibus muniis & honoribus ob peccata privati, ad cōmunem laicorum ſtatum dejecti ſunt. Quod & epiſtola 52. priùs ſignificaverat his verbis: *Suſceptus eſt Trophim⁹, pro quo ſatisfaciebat fratrum reditus, & reſtituta multorū ſalus. Sic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laicus communicet; non ſecundùm quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet.* ::::: *Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis in periculo ſubvenitur. Poſteaquam tamen ſubventum eſt, & periclitantibus pax data eſt, ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi & manu noſtra in exitum mortis urgeri; ut quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem; cùm magis in hoc judicium divinæ pietatis & paternæ lenitatis appareat, quòd qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hi quoque ad vitam perceptâ pace teneantur.* Ubi communionem laicam dare idem videtur ac pacem impertire, cujus pacis pignus & coronamentum divina Euchariſtia eſt pœnitentibus in periculo mortis conceſſa. Denique in variis vetuſtiſſimorum Summorum Pontificum litteris ſignificari videtur, communionem laicam functionibus eccleſiaſticis opponi. Videſis Innocentii I. epiſtolam ad Epiſcopos Macedoniæ, nec-non Syricii ad Epiſcopum Tarraconenſem.

Verùm nonnullam etiam patitur hæc interpretatio difficultatem. Quamvis enim communionis nomen non rarò ejuſdem ſocietatis conſortium, eorundem Sacramentorum participationem, cum eodem Eccleſiæ corpore membrorum colligationem ſignificet, quæ in Symbolo Apoſtolorum *Sanctorum communio* nominatur, de qua fortaſſis in materia de Indulgentiis plura dicemus; attamen, ut rectè notavit Catechiſmus Romanus *part. 1.* in in expoſitione illius articuli, nomen illud magis proprium eſt Euchariſtiæ, quæ hanc efficit communionem; atque uſui Euchariſtiæ non ſolùm multa ſuperiùs allata teſtimonia, ſed & traditio, & Eccleſiæ conſuetudo eximium illud nomen attribuunt, ut ex dicendis capite ſequenti evidenter clarebit. Accedit, Canones velle Clericos lapſos poſt peractam magnæ humilitatis pœnitentiam, communione laica donari, & Euchariſtiâ more laicorum vel poſt præfinitum aliquod tempus, vel certè in articulo mortis refici. Explicandum ergo reſtat illi ſententiæ illud ſingulare diſcrimen, quod utramque inter communionem, clericalem & ſacerdotalem in ipſo communionis eucharisticæ uſu intercedebat; quod conſpicuum erat & aſpectabile, cùm per eam pœnitentes ab innocentibus diſcernerentur.

Quare veriſimiliùs dicendum videtur, communionem laicam in uſu Euchariſtiæ à Sacerdotibus lapſis frequentatam, ampliorem habere ſignificatum, & multas in ſua latitudine includere ceremonias, quibus à communione ſacerdotali extra ſacrificium adhibitâ internoſcebatur, ſive quoad locum, ſive quoad tempus, ſive quoad modum recipiendæ Euchariſtiæ. Quoad locum quidem, communio laica non niſi in determinato templi loco, extra ſacrarium & cancellos Altaris, ſæcularibus, Presbyteriſque ac Clericis lapſis porrigebatur. Quoad tempus, communio laica ſtatutis tantùm diebus & horis, præſertim pœnitentibus miniſtrabatur: tempus autem communicandi nunquam Sacerdotibus præfixus eſt, quia quotidie celebrare; miniſtri verò Altaris, qui ſacrificio Altaris intererant, quotidie juxta S. Anacleti decretum communicare ſolebant. Quoad modum tandem, quia credibile eſt, aliis ceremoniis laicos, aliis Sacerdotes Euchariſtiam accipere ſolitos fuiſſe etiam in articulo mortis: ſicut etiam in præſentis Eccleſiæ more poſitum eſt, Sacerdotes feria quinta in Cœna Domini Euchariſtiam cum ſtola adire, quæ innocentiam, & ſingularem prærogativam ſignificat. Ex quibus communionem laicam in articulo mortis lapſis & pœnitentibus datam faciliùs explicabis. Quamvis, ut verum fatear, magnus ſit in præſenti conjecturis locus. Quas ſi meliores inveneris,

non

non me repugnantem, ſed pro libertate theologica conſentientem habebis.

R E F L E X I O.

Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. Colligat ex eo unuſquiſque quantùm ſufficit ad veſcendum. Et collegerunt alius plus, alius minus: nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minùs paraverat, habuit minùs. Exodi 16. Verba illa ad literam de manna Iſraëlitis cælo divinitùs pluente conceſſa intelliguntur. Exiſtimant multi, verbis illis ſignificari omnibus, ſive viris, ſive fœminis, ſive ſenibus, ſive parvulis, eandem menſuram edendi præſtitutam, & æqualiter omnes comediſſe, vel certè inæqualiter comedentibus æqualiter profuiſſe, Deo manna ſingulorum viribus nutritivis attemperante. Quibus SS. Euchariſtia adumbratur, in cujus unica ſpecie, & minori ejuſdem ſpeciei particula æqualis à fidelibus fructus percipitur: nihil minus habent ſinguli, quàm univerſi, totum unus, totum duo, totum plures ſine diminutione participant: quia Sacramentum Chriſto realiter præſenti plenum diſtribui poteſt; majori diſtributione conſumi, minori reſtringi non poteſt. *Ubi pars eſt corporis*, inquit B. Papa Hilarius in ſuis decretis, quæ habentur 3. part. Concilior. *eſt & totum. Eadem ratio eſt in corpore Domini, quæ in manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minùs paraverat, habuit minus.* Et Guitmundus lib. de verit. Euchariſtiæ. *Poſſumus dicere*, inquit, *tantumdem eſſe in una quaſi portiuncula, quantùm erat in hoſtia tota: ſicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minùs collegerat, habuit minùs. Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt, nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis.*

Plura hominum millia paucis panibus, pauciſque piſciculis ſatiavit olim Chriſtus miſerens ſuper turbam triduo abſtinentem, & ſublata ſunt, quæ ſuperfuerunt fragmenta ipſo penu majora: quidni ergo ſufficiet populis omnibus & nationibus unum Chriſti corpus Divinitate unctum, & inhabitante Deitatis plenitudine inexhauſtum? Ipſe dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cælum & terra tranſibunt, verba autem illa non præteribunt. Ergo unam dum ſumis ſpeciem, noli timere, abſit fides dubia, & ſtans in verbis illis ſpes firma non nutet: vives, & æternùm beatè vives, ſi panem illum vitæ etiam ſine ſpecie vini vivâ charitate deguſtes. Æterni Dei verba referunt, æternitatem nullâ temporis inſtabilitate mutabilem.

Æqualis eſt in una vel utraque ſpecie refectis gratia ex opere operato, ut loquuntur; at pro opere operantis inæqualis eſt tamen. Plus retulit mulier illa evangelica, quæ fimbriam veſtimenti tetigit, premente illâ turbâ, quæ in totum irruit corpus. Plus ſaginatur mulierculæ fervidæ animus octidoana communione roboratus, Sacerdotibus illis tepidis, qui dum Chriſtum devotionis inanes quotidie edunt, ab ipſo Chriſto tepiditatis eorum impatiente, ſicut Scriptura loquitur, evomuntur. *Idcircò*, ut rectè monet Abbas Paſchaſius lib. de corp. & ſanguine Domini, cap. 17. *cogitandum à vobis eſt, non quantum dente prematur, ſed quantum fide & dilectione accipitur. Ideo fili, hoc myſterium dum communicas, dilata ſinum mentis tuæ, emunda conſcientiam, & percipe, non quantum mica exhibet, ſed quantum fides capit: quia in Chriſto plenitudo Divinitatis manet, in te autem de plenitudine, non quanta eſt, ſed quantum idoneus fueris, præſtatur.*

Sicut ergo diviſo Sacramento nulla rei, ſed ſolius ſigni fit ſciſſura, ita nec gratiæ ullius jactura. *Hæc quatuor*, inquit S. Thomas opuſc. 58. cap. 29. *corpus, ſanguis, anima, & Deitas, jam ultrà non poſſunt ſeparari: unde ſicut ſumit Sacerdos ſanguinem Chriſti ſacramentaliter de calice, ſic populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo corpore Chriſti: & eſt eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de calice. Canticorum* 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi. Duo ſumo in botro, uvam, ſcilicet corpus Domini in cibum, & ex uva ſugo dulcem ſanguinem in potum.* Nequaquam defraudabere unicâ ſpecie, & unicæ ſpeciei particulâ paſtus: ſolet Deus in minimis magnus eſſe, nec minùs potens eſt, dum totum clauſit in exiguo. In rebus ſacris ſanctitatis habetur ratio, non quantitatis. Atqui hoc Sacramentum non corporis ſatietati, ſed animi ſanctimoniæ inſtitutum eſt. Si gemmæ, authore Chryſoſtomo hom. 1. ad popul. Antioch. *non in corporis mole, ſed naturæ pulchritudine pretium habent*; ſi res quævis non ab externa mole, ſed ab intima virtute æſtimanda eſt; multò magis Euchariſtia non ab ſpecierum pluralitate vel quantitate, ſed ab eximiis, quæ ſub ea latent rebus penſanda eſt. *Idem eſt virtute*, inquit S. Baſilius epiſt. ad Cæſarium Patricium, *ſive unam particulam accipiet quiſquam à Sacerdote, ſive plures particulas ſimul.* Quia nimirum tantus eſt Chriſtus in exiguo fragmento, quantum eſſe conſtat in toto. Cùm in Eccleſia Fidelium ſumitur, ſicut plenus in univerſis, ita integer eſſe probatur in ſingulis. Unica ſub ſpecie Chriſtus & explebit famem, & extinguet ſitim, ſi caſtis te deſideriis æſtuantem, ſi viva charitate ſuccenſum, animam denique tuam ſi invenerit præparatam. Sed de his ſpeculatione ſequenti.

S P E C U L A T I O III.

Neceſſarius ad Euchariſtiam percipiendam mentis, cordis, & corporis apparatus exponitur.

QUia non homini præparanda habitatio eſt, ſed Deo, nihil mirum, ſi multiplicem diſpoſitionum apparatum Catholica requirat Eccleſia. Quia enim ſponſum ſuum Chriſtum Jeſum non verbo ſolùm, ſed opere etiam & veritate diligit, ideo filiis ſuis in Concilio Tridentino præcepit, diligentem ad ſacrum epulum diſpoſitionem adhiberi oportère. *Si non decet*, inquit ſacra Synodus ſeſſ. 13. cap. 7. *ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè quò magis ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et cap. 8. ait, illos ſpiritualiter & ſacramentaliter divinum hoc Sacramentum recipere, *qui ita ſe priùs probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti, ad divinam hanc menſam accedant.* Et can. 11. *Si quis dixerit, ſolam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit.*

At verò noſtrates hæretici, poſtquam plura Sacramenta Chriſti ad nihilum redigere conati ſunt, ſacros ritus in honorem Sacramentorum, ad inſtillandamque Fidelibus in eorum uſu reverentiam inſtitutos de medio ſuſtulerunt, quæ retinuerunt Sacramenta, non honorificentiùs habuerunt. Etenim Lutherus *ſerm. de præparatione ad Euchariſtiã*, ea de diſpoſitionibus ad communionem ſcripſit, quæ non dico in Chriſtianum, vel hominem ho-

neſtum, vel in Turcam muderatum, vel in Atheum ſolius inficiandæ Deitatis ſtudioſum, ſed in ſolum Antitheum, ſolum Antichriſtum, id eſt apertum & juratum Chriſti hoſtem, in Chriſtique myſteria certo conſilio & deditâ operâ furentem cadere poſſunt. *Optima diſpoſitio eſt*, inquit præclariſſimus ſcilicet reformator, *non niſi ea quâ peſſime es diſpoſitus; & ideo pœnitentia potiùs poſt, quàm ante Sacramentum digne peragitur. Magnus & pernicioſus error eſt, ſi quis accedat ad Sacramentum eâ nixus fiduciâ, quòd confeſſus eſt, quòd non eſt ſibi conſcius mortalis peccati, quòd orationes & præparatoria ſua præmiſerit: omnes hi judicium ſibi manducant & bibunt; quia his omnibus non fiunt digni, neque puri; imò per eam fiduciam puritatis pejus polluuntur: fiunt autem puri per fidem.* Et contra Regem Angliæ: *Furorem autem ejus*, inquit, *quo invehitur in me, quòd docuerim fidem ſine operibus optimam præparationem ad Sacramentum, & Chriſtianos non oportere legibus adſtringi ad percipiendum, contemno.* Si quis datâ operâ & meditatò vellet de præparatione ad Euchariſtiam perdirè & nefariè ſcribere, inſeminatum Chriſtianis omnibus in cæleſte epulum reverentiæ ſenſum extinguere, & iter ad everſionem & ludibrium Chriſtianiſmi munire, profectò non aliis regulis uteretur, quæ non niſi corruptiſſimis ingeniis placere poſſunt; illis verò, in quibus aliqua religionis ſcintilla ſupereſt, non diſplicere non poſſunt.

Etſi non ita petulanter, nihilo tamen veriùs & modeſtiùs Calvinus *lib. 4. Inſtitut. cap.* 17. §. 41. requiſitam à Catholicis diſpoſitionem in conſcientiæ indagine, peccatorum contritione, confeſſione, & ſatisfactione ſitam non ſolùm fiinecifacit, ſed etiam conſcientiarum torturam & divexationem appellat, concluditque § ſequenti, eam dignitatem unam & optimam afferre nos poſſe, ſi noſtram vilitatem & indignitatem Deo offeramus. Quaſi Eccleſia Catholica, dum illa facienda præſcribit, iſta omittat, & communicantes etiam multiplici apparatu à ſe præſcripto inſtructos iteratis vocibus non moneat, ut cum Centurione veraciter & humiliter profiteantur: *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, &c. Sed illos relinquamus, qui cùm veris Sacramentis careant, nihil mirum, ſi de neceſſaria ad Sacramentorum uſum præparatione tam perversè opinentur.

Mentis ad Communionem præparatio.

Tria deſiderantur, ut mens ſit ad ſacram Communionem ritè compoſita; ætas diſcretionis, uſus rationis, & pia attentio cogitationis. Singula expendemus.

In primis exigitur ætas diſcretionis; quia nimirum ea requiritur ætas, quæ cæleſtem panem à communi & prophano diſcernere valeat, ut monet Apoſtolus, qui etiam vult communicantes eam pietatis & religionis affectionem afferre, quæ mortem Domini annuntiare queat. At parvoli ante ætatis diſcretionem id præſtare nequaquam ſciunt & poſſunt. Accedit multiplicis indignitatis & irreverentiæ periculum; proclive enim eſt, puerulos à diſcretione deſertos, ſactum cibum vel evomere, vel exſpuere, vel aliis haud ſatis conſentaneis modis tractare & ſordidare. Nec obeſt antiquæ Eccleſiæ uſus in quibuſdam locis frequentatus, quo infantes Euchariſtiâ ſaltem ſub ſpecie vini faciliùs in eorum ora inſtillandi reficiebantur. Non obeſt, inquam, quia ut ſuprà, dum de neceſſitate Euchariſtiæ ex Tridentino ſatis diximus, aliæ fuerunt priſcorum illorum temporum rationes, quæ imp ſentiarum nequaquam urgent. Neque enim modò pueri adversùs perſequutiones divini panis ſaturitate armandi ſunt: nec jam parentum teneritudini, ſicut olim conſulendum eſt, qui ut ab idololatria faciliùs ſuaviúſque retraherentur, pueris eorum, quibus idolothytorum particulam impertire ſolebant, Sacramenti portionem Eccleſia omnibus omnia facta concedebat. Verùm ob graviores rationes pietati & tanto Sacramento debitæ reverentię conſentaneas mos ille jam dudum authoritate Eccleſiæ à Spiritu S. continenter gubernatæ vigere deſiit.

Si autem ſcire aveas, quâ ætate infantibus ſacræ Euchariſtiæ uſus concedendus ſit? Reſpondet Catechiſmus Romanus *part. 2. titulo de Euchariſt. numer.* 67. neminem meliùs convenientis diſcretionis annos conſtituere poſſe, quàm parentes & Sacerdotes: priores enim ex indole & convictu, poſteriores ex modo peragendæ confeſſionis internoſcere facilè poſſunt, num ad çibum illum diſcernendum ſint ſatis idonei: nam pro corporis temperie, judicii maturitate, educationis culturâ & varietate, alii citiùs, alii tardiùs ad rationis diſcretionem perveniunt. Explorent ergo parentes & Parochi, & à pueris percunctentur, an hujus admirabilis Sacramenti notitiam acceperint, num erga tremenda myſteria reverentes ſint, & eorum recipiendorum guſtum aliquem ſpiritalem habeant? Monendi etiam ſeriò pueri ſunt, ut ad primam communionem ſingularis pietatis & innocentiæ præparationem adhibeant, unde incredibiles ad vitam deinceps chriſtianè peragendam ſructus percepturi ſunt.

Secundò in adultis quâvis tandem ætate provectis, neceſſarius eſt rationis uſus; perpetua enim amentia non minùs quàm infantia recipiendæ Euchariſtiæ obſtat. Quòd ſi amentes lucida habent rationis intervalla, inter illas bonæ mentes motas & veluti parentheſes ſacrâ Euchariſtiâ dignandi ſunt, ſi modò tanti Sacramenti reverentiâ & guſtu afficiantur. Obſervat etiam Catechiſmus Tridentini paulò antè laudatus, quòd ſi amentes antequam in inſaniam inciderent, piam & religioſam animi voluntatem, & ſuſcipiendæ Euchariſtiæ devotionem præ ſe tulerunt, licebit eis in fine vitæ Euchariſtiam adminiſtrare, modò vomitionis, vel alterius indignitatis & incommodi periculum nullum timendum ſit. Sic enim ſtatuit Concilium Carthaginenſe IV. canone 76. *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phræneſim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſupervixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus, petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentia legibus, quamdiu Sacerdos, qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

Major difficultas eſt de ſurdis ac mutis à nativitate, atque etiam de energumenis. De prioribus autem dicendum, quòd ſi muti à nativitate nutibus ſignificent, ſe cognitionem, fidem, reverentiam & guſtum Chriſti in Euchariſtia præſentis habere, internumque animi habitum adoratione externâ, divinorum officiorum frequentatione, corporis vultuſque modeſtiâ demonſtrent, eis ſine dubio, præmiſsâ per nutus ſacramentali confeſſione, Euchariſtia porrigenda eſt. Hæc namque indicia argumento ſunt, eum qui juſſit de tenebris lumen ſplendeſcere, corda eorũ gratiæ cæleſtis radiis illuminaſſe. Quòd ſi nulla fidei, reverentiæ, ac illius Sacramenti famis veſtigia apparent, denegandam eſſe Euchari-

chariſtiam, certiſſimum eſt. In dubio viri prudentes & docti, & præcipuè Rectores animarum, & ſi opus eſt, Epiſcopi conſulendi ſunt.

Ad energumenos quod attinet, varia fuit Eccleſiæ diſciplina. In primis canon. 27. Concilii Elibertini, eis communione interdicere videtur: *Energumenum, qui ab erratico ſpiritu exagitatur, hujus nomen neque ad Altare cum oblatione eſſe recitandum, neque permittendum, ut ſuâ manu in Eccleſia miniſtret.* Verùm canon ille facilè explicari poteſt vel cum S. Thoma de energumenis non baptizatis, vel de illis, qui ita erratico ſpiritu exagitantur, ut ſui compotes eſſe non poſſint; vel certè de energumenis in extremo vitæ periculo non exiſtentibus. Conſtat hæc expoſitio ex ejuſdem Concilii canone 37. ubi ſic ſtatuitur: *Eos, qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi verò fideles fuerint, dandam eis eſſe communionem.* Porrò alia eſt præſentis Eccleſiæ diſciplina. Energumeni enim, ſi tamen ſui compotes permanent, nec ullum ſubeſt irreverentiæ & indignitatis periculum, ſacrâ communione reficiendi, & adverſus cacodæmonis infeſtationes roborandi ſunt. Imò, ſi rationis lumen dæmonum poſſidentium offuſis tenebris infuſcetur, idem de illis ac de amentibus judicandum eſt, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 80 *art.* 9. *ad* 2. Si enim lucida habent intermicantis rationis intervalla, concedi eis communio in illa rationis parentheſi debet. Quòd ſi à rationis uſu deſtituti ſint, & antequam à maligno arriperentur, hujus Sacramenti devotionem præ ſe tulerint, non debet eis ſacra Communio in exitu, citra vomitus vel irreverentiæ periculum denegari.

Devota mentis attentio ad conſequendum Euchariſtiæ effectum neceſſaria.

Tertiò, præter rationis uſum deſideratur etiam mentis attentio; quin non exigitur uſus rationis, nisi ut animi adſit applicatio voluntaria & liberè ſuſceptas evagantis cogitationis aberrationes & diſtractiones excludens. Unde qui in uſu Euchariſtiæ voluntariè mentē avocat ſuam, & de induſtria peccata venialia actu exercet, nullum profectò ex Euchariſtiæ perceptione emolumentum reportat.

Præter Cardinalem Cajetanum, Paludanum Patriarcham Jeroſolymitanum, Sylveſtrum, Alenſem, aliòſque primæ notæ Theologos, hanc noſtram ſententiam clariſſimis verbis docent duo Theologicæ Scholæ Coryphæi, & facilè Principes, pietate non minùs quàm eruditione ſpectabiles, SS. Thomas & Bonaventura. Sic enim ſcribit Angelicus Doctor in 4. diſt. 2. quæſt. 2. art. 1. q. 3. *Cùm hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc, quòd effectum ſuum plenè habeat in ſumente, oportet quòd adſit actualis devotio. Et quia interdum abſque mortali peccato actualis devotio impediri poteſt, cùm diſtractiones variæ ipſam impediant, & peccata venialia virtutum actus tollant, abſque peccato mortali poteſt effectus hujus Sacramenti impediri; ita quòd aliquis augmentum gratiæ non conſequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, ſed fortè reatum venialis peccati ex hoc, quod imparatus accedat.* Ergo D. Thoma authore, augmentum gratiæ non conſequitur, qui in actuali Euchariſtiæ uſu animo voluntariè peregrinatur. Quòd ſi augmentum gratiæ animus voluntariè aberrans non conſequitur, multò minùs mentis dulcedinem, & ſpiritalem pinguedinem in ſanctis cogitationibus, piiſque affectionibus ſitam, percipere poteſt; ſubindeque nullum Euchariſtiæ uſu incurioſus homo animum liberè avocans, ſuum fructum reportat.

Neque hanc doctrinam S. Thomas in Summa Theologica *quæſt.* 79. *art.* 8. retractavit, ut quidam neoterici arbitrati ſunt, dum ſic ſcripſit: *Effectus hujus Sacramenti non ſolùm eſt adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritalis dulcedinis; quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum, per peccata venialia mente diſtractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Non, inquam, per hæc verba doctrinam in ſententiis luculentiſſimè traditam S. Thomas ſenior, ſubindeque in Euchariſtiæ venerationem propenſior revocavit. Facilè enim conciliantur duo hæc teſtimonia in ſpeciem pugnantia diſtinctione, quam indicat celebris Thomiſta Didacus Nugno. Diſtractionum quippe duplex vel triplex eſt genus: alia enim eſt merè naturalis ſine culpa; alia venialis ex negligentia & tepiditate venialiter culpabili, voluntate tamen expreſsâ non ſuſceptâ; alia venialis quidem ex objecto, ſed ultrò formaliter, & de induſtria quæſita. Prima diſtractio ſaporem, & ſpiritalem Euchariſtiæ dulcedinem removet, augmentum tamen habitualis gratiæ non impedit. Secunda refectionem etiam Euchariſtiæ præcludit; an verò augmentum gratiæ ſaltem omne præpediat, etſi Cajetanus exiſtimet, & nobis probabiliſſimum ſit, non eſt ita certum: illud ſolùm ex D. Thoma conſtans, illam diſtractionem, tametſi non expreſsè deliberatam, peccatum tamen veniale eſſe ratione illius, à qua proficiſcitur negligentiæ. At tertia diſtractio, etſi ex objecto præcisè ſumpto venialis ſit, tamen in illis circumſtantiis obicem ponit gratiæ, éſtque gravis irreverentia. Unde præfatus magiſter Nugno, tametſi concluſione ſecunda ſubobſcurè loquutus videatur, in reſponſione tamen ad 2. ſic ait: *Si ex formali intentione vult illo tempore* (nimirum ſacræ Communionis) *eſſe cum diſtractione, credo quòd peccat mortaliter, atque adeò nullum conſequitur effectum Sacramenti, quia irreverentia illa gravis eſt.*

Hac ergo diſtinctione plana eſt S. Thomæ commemoratorum locorum concordia. In ſumma enim, dum ait diſtractionem & peccata venialia impedire dulcedinem gratiæ actualis, non tamen augmentum gratiæ habitualis, loquitur de diſtractione vel naturali, vel ex negligentia veniali profecta: loquitur etiam de peccatis venialibus non actu & expreſsè exercitis, ſed vel habitualiter animum afficientibus, vel uſum communionis ob hominis infirmitatem, ſed non ex propoſito comitantibus: incommodè enim humanæ infirmitati conſultum eſſet, ſi ad cæleſte epulum accedentes, ab omni purgatos peccato veniali eſſe oporteret: nec tam medicinæ quàm laquei Sacramenta forent. In ſententiis verò vult S. Doctor, diſtractionem venialem impedire augmentum gratiæ habitualis, quia tunc *homo imparatus accedit*; non tamen peccatum mortale committi, ſi nimirum diſtractio & indevotio ex negligentia veniali proficiſcatur.

Quare iſtud temperamentum tutum, niſi fallor, piis omnibus videbitur, ſi dicamus primùm diſtractionem merè naturalem, & omnino involuntariam, non impedire præcipuum Euchariſtiæ fructum, ſicut ut idem ſanctus Thomas 2. 2. edocet, orationis lucrum non exludit. Secundò, diſtractio venialiter culpabilis impedit quidem augmentum gratiæ, quod Euchariſtia ſolis ſpiritualiter ſimul & ſacramentaliter comedentibus confert, non eſt tamen peccatum mortale, quod deliberatum irreverentis comeſtionis actum per ſe requirit. Tertiò, diſtractio ſponte ſuſcepta, & de induſtria

inteota, quia quis prudens & volens cibum illum cœleſtem cum eadem indiffereotia & mentis evagatione atque cibos ordinarios edit, omni prorſus Euchariſtiæ effectui obicem ponit, & meo quidem aliorumque me doctiorum judicio grave & lethale peccatum eſt. Singula ex inferiùs dicendis probata manebunt.

In eodem planè ſenſu intelligendus venit Doctor Seraphicus, in materia pietatis nulli poſtponendus. Sic autem habet in brevil. p.6 cap.9. tom.1. *Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum efficaciter ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu; non in ventre, ſed in mente: & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem, ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad devotionem ideo ad hoc, quòd aliquis dignè accedat, oportet, quòd ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat, per qua non in ſe transformet Chriſtum, ſed ipſe potiùs trajiciatur in ipſum myſticum corpus. Propter quod manifeſtè colligitur, quòd qui tepidè, indevotè, & inconſideratè accedit, judicium ſibi manducat & bibit; quia tanto Sacramento contumeliam facit.*

Severiora, & paulò duriora tibi fortaſſis tanti Doctoris verba videbuntur: verùm ea ſuperiùs productâ diſtioctione temperabis. Ibi namque loquitur Bonaventura de his, qui deliberatâ & veluti affectatâ tepiditate, & mentis errabundæ evagatione prudentes ſimul & imprudentes in tremeoda myſteria advertentes irruunt, qui quaſi ſtudio perverſam languentis mentis inertiam negligentiamque alunt, nullum interim ſuæ calamitatis ſenſum habentes, vel ſibi certè eripientes. Nam cæteroquin poſſe contingere circa peccatum mortale venialem diſtractæ mentis negligentiam, tradit ipſemet S. Doctor io Compendio Theologiæ, *lib.6. cap.17.* his verbis: *Abſtineant quidam à Communione propter culpam propriam, & aliqui ſine culpa mortali, ſed propter Sacramenti reverentiam; ſicut qui ſentiunt ſe minùs mundos carne vel mente, vel etiam indevotos: & iſti benè faciunt, dummodo poſſint juſtè, & ſine aliorum ſcandalo ſuperſedere. Ubi enim non inſtat neceſſitas, conſulendum eſt talibus, ut de Communione expectent, quouſque parati, & devoti, & circumſpecti poſſint accedere. Nulla tamen neceſſitas debet compellere, ut aliquis in peccato mortali exiſtens ſcienter communicet.* Vides, poſſe aliquem abſque peccato mortali ad Euchariſtiam accedere, tametſi ſentiat mentem præ infirmitate divagationibus irrepentibus veluti aſperſis pulveribus infici. Jam ſingula quæ diſtinximus, ordine confirmemus.

In primis diſtractæ mentis evagationes merè naturales augmentum gratiæ non impedire, ſic explico, & oſtendo. Etſi in doctrina SS. Thomæ & Bonaventuræ, ad quemcumque fructum Euchariſtiæ percipiendum deſideretur ſpiritalis mentis (quæ os ſpirituale eſt, juxta illud Pſalmographi: *Os juſti meditabitur ſapientiam*) comeſtio, ſeu pia attentio: tamen ſi quis ante actualem communionis uſum pios fidei, ſpei, amoris, humilitatis, aliiſque affectibus mentem inſtruere & apparare ſategit; ſi deinde, dum actu divinum cibum accipit, animus aliò præter intentionem rapitur, (quæ magna eſt humanæ mentis & imaginationis debilitas) ratione præcedentium actuum virtute remanentium effectum Euchariſtiæ ſalutarem percipiet, quo ſine aliqua culpa ſua carere non poteſt. Sacramenta enim, quæ phyſicè ſunt effectuum ſuorum cauſæ, ſuum illicò effectum in ſubjectum nullo obice præpeditum infundunt. Internam ergo ſpiritalis refectionis ſuavitatem non ſapiet hujuſmodi divagatione occupatus, quia ſolâ cogitatione & affectione percipitur: augmento tamen habitualis gratiæ, quo vegetatior evadet, nequaquam fraudabitur.

Secundò diximus cum prædictis magni nominis Theologis, accedentem cum diſtractione ex negligentia & tepiditate veniali profecta, nullum ex Euchariſtia effectum capere, nec tamen mortaliter, ſed venialiter duntaxat peccare. Primum laudatorum ſanctorum Doctorum rationibus ſic confirmo: Euchariſtiæ Sacramentum per modum cibi inſtitutum eſt, unde ſub ſpecie panis porrigitur: at cibus nec nutrit, nec auget, nec comedentem reparat abſque ullo vitali illius actu: Ergo nihil proderit panis vitæ & intellectus, panis vivus, lac rationale ſine ulla vitæ ſpiritalis operatione. Et ideo ſuprà dixit S. Thomas, hoc Sacramentum recipientem perficere *conjungendo ultimo fini*: non conjungitur autem homo ultimo fini, niſi per actus mentis & voluntatis, quibus cœleſtes lautitias eſurit, ſitit, & ſapit. Dixit etiam eadem de cauſa S. Bonaventura, Chriſtum efficaciter ſuſcipi non ſola oris carne, ſed ſpiritu; non ventre duntaxat, ſed mente, attentione nimirum fidei, & ardore charitatis.

Deinde ſic argumentor: Tametſi Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato, vi ſcilicet in ipſa ex paſſione Chriſti derivatâ efficiant; attamen ut eam influant in adultos, aliquem exigunt piarum diſpoſitionum apparatum; nunquam enim gratiam adultis infundi ſine pio liberi arbitrii motu, conſtans eſt ſancti Thomæ doctrina, & habetur in Tridentino ſeſſ.6. cap.7. *Juſtitiam*, inquit, *in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem.* Neque dici poteſt id de prima infuſione gratiæ, non autem de augmento illius, verum eſſe. Nam augmentum gratiæ primam infuſionem, ejusque cōditiones ſapit, ſicut in naturalibus forma iiſdē diſpoſitionibus intenditur, quibus effecta eſt; & in humanis ſicut non efficitur, ita nec augetur habitus abſque voluntatis conatu, ut in materia de augmento charitatis fusè expoſuimus. Atqui ille, qui cum diſtractione vel tepiditate, vel alio affectu actuali veniali, abſque formali tamen reflexione, quæ ut jam dicemus, Sacramenti majeſtati injuria eſt, accedit; ille, inquam, nullo piæ cogitationis & affectionis motu præparatur, idque ex aliqua culpa ſua obvenit: ergo in illum Euchariſtia nihil producit, in illos duntaxat effuſa, qui ut Chryſoſtomus loquitur, fide reſpiciunt, honore mirantur, mente contingunt, cordis manu ſuſcipiunt, & hauſtu interiori aſſumunt.

Denique S. Bonaventura, S. Franciſcus Saleſius, aliique Patres ſpiritales capite proximè futuro latè referendi tepidos & erga venialia actu affectos hortantur, ut à communione aliquantiſper ſecedant, quò Euchariſtiam reverentiùs deinde adeant atque paratiùs. Etſi enim dilatio, quæ à negligentia & incuria ſalutis proficiſcitur, animo interim de præparatione ad communionem digniùs obeundam nihil ſolicito, ſed liberiùs cupiditatibus indulgente; etſi, inquā, hujuſmodi dilatio nihil ad communionem ſanctiùs percipiendam adjuvet, ſed potiùs ex adipe iniquitatis prodeat: attamen dilatio eo fine ſuſcepta, ut conſentaneum apparatum piorum operum ſtudio & exercitatione quis aſſequatur, utiliſſima eſt, à Patribusque cōmendata, atque à Sanctis redacta ad praxim ob leviſſimas culpas, vel etiam ſine actuali culpa, ut majorem pietatis & reverentiæ ſenſum paulisper remiſſum & tepefa-

ctum

ſtum excitarent, atque ad communionem puriores poſtmodùm ardentioréſque ſe referrent. Præclaras Patrum & D. Thomæ hac de re ſententias capite ſequenti producemus. Atqui ſi accedentes cum diſtractione & tepiditate actu noxiâ, gratiæ tamen habitualis incrementa ſuſciperent, perperàm Patres moram, intermiſſionemque Communionis ſalutarem eſſe conteſtarentur, perperam ad illam intercapedinem cohortarentur, ex qua non mediocris emolumenti, gratiæ ſcilicet ſanctificantis augmenti jactura conſequeretur: Ergo cenſent tepidos illos & incurioſos ad Euchariſtiam negligenter accedentes nullum ex Euchariſtia ſpiritale lucrum reportare. Quòd & multorum experimentis confirmare in promptu eſſet: ſed de his in proxima reflexione, ubi rationem illam urgebim⁹.

Dices: Ergo in peccatum mortale incurret, qui cum venialibus mentis divagantis culpis, citra contemptum tamen accederet, quod ſuprà cum D. Thoma inficiati ſumus. Probatur conſequentia; nam ponere obicem effectibus Sacramentorum, omnemque eorum fructum ad nihilum redigere, peccatum mortale eſt, utpote finem propter quem inſtituta ſunt irritum faciens; & quantum in ipſo eſt, fontes Salvatoris exſiccans. At hoc duriſſimum eſſe, & à veritate alienum, ſuperiùs confeſſi ſumus; quia alioquin à paucis etiam juſtis Euchariſtia ſine ſacrilegio ſuſciperetur, evaderetque laqueus & petra offenſionis medicina ſalutis.

Reſpondeo, tunc in Sacramentorum uſu ſacrilegium committi, quando obex poſitivus ex quadam irreverentiâ deliberatâ ponitur, quâ Sacramenti dignitati & ſanctitati injuria, & veluti contumelia irrogatur: obex autem negativus ex venialibus ſpecialem cum Sacramenti uſu oppoſitionem non habentibus profectus, veniale quidem peccatum eſt, at ſacrilegii tamen malitiâ non ſordeſcit; modò ex contemptu Sacramenti; vel de induſtria non ſuſcipiatur. Cùm verò dicitur, peccatum mortale poſſe finem Sacramenti evacuare, fructúmque ejus annullare, verum eſt illud quidem, ſi id ex propoſito deliberato fiat, vel ex ſtatu peccati mortalis vel cognito, vel culpabili ignorantiâ incognito oriatur; ſecus ſi obex ille concomitanter ſolùm ex humana infirmitate, quæ venialia & facilè admittit, & ſæpe præ tepiditate & incogitantia negligit, communionem inficiat. Præſertim quia non eo animo qui ſic comparatus eſt, accedit, ut negligenter tepidéque communicet, etſi tepor & venialis negligentia ſubrepant.

Inſtabis: Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. c. 7.* tradens diſpoſitiones ad dignam communionem neceſſarias, exigit ſolùm ut accedens nullius mortalis peccati conſcius ſit: *Communicare volenti*, inquit, *revocandum eſt in memoriam hoc Apoſtoli præceptum: Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Ergo ad percipiendum Euchariſtiæ fructum unus ſufficit gratiæ ſtatus peccati mortalis conſcientiam excludens.

Reſpondeo, eò loci velle duntaxat docere ſanctam Synodum contra Lutheranos & Calvinianos, ſolam fidem non eſſe ad Euchariſtiam dignè percipiendam neceſſariam, ut canone poſtea undecimo definit, ſed deſiderari inſuper conſcientiæ puritatem & gratiæ ſtatum, quo ſine indignè manducat, ſubindeque judicium ſibi manducat & bibit, qui ſe cordis munditiâ ac pœnitentiæ exercitationibus probare neglexerit. Cæterùm nec illo eodem loco pios reverentiæ & ſanctitatis motus ad dignam communionem deſiderari ſacrum Concilium prætermiſit: *Si non decet*, inquit, *ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè quò magis ſanctitas & divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentiùs cavere ille debet ne, abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat.*

Hinc Catechiſmus Romanus fidus ſacri Concilii interpres *part. 2. tit. de Euchariſtia, num. 59.* ad præparationem Euchariſticam requirit primùm, ut fideles diſcernant menſam à menſa, ſacram à prophanis, cœleſtem panem à communi, myſterii profunditatem inſcrutabilem non curioſis diſputationibus hæreticorum more perquirentes, ſed humili & inconcuſſa fide venerantes. *Hoc nimirum*, inquit, *eſt dijudicare corpus Domini.* Secundò poſtulat, ut unuſquiſque à ſeipſo quærat, utrum pacem cum aliis habeat, num proximos verè atque ex animo diligat, paratus relinquere munus ſuum ad Altare, priùſque fratri læſo reconciliari, quàm munus ſuum offerat, & tremenda myſteria adeat: hæc, inquit, eſt *altera præparatio maximè neceſſaria.* Tertiò exigit, ut conſcientiam noſtram diligenter ſcrutemur, ne fortè exitiali aliquo peccato contaminati ſimus; quod priùs ſit contritionis & confeſſionis medicamento eluendum: *Definitum eſt enim*, inquit, *à ſancta Tridentina Synodo, nemini licere, quem peccati mortalis conſcientia ſtimulet, ſi Sacerdotis facultas data ſit, antequam ſe ſacramentali confeſſione purgarit, quantumvis ſibi contritus eſſe videatur, ſacram Euchariſtiam accipere.* Quartò reverentis animi humilitatem, indignitatem tuam profitentis, & cum Centurione à Chriſto tam impensè laudato de corde puro dicentis, *Domine nõ ſum dignus, &c.* deſiderat: *Tacite*, inquit, *cum animis noſtris cogitemus, quam indigni ſimus, quibus divinum hoc beneficium à Domino tribuatur.* Quintò caſtum petit ſinceræ charitatis ignem, quo panis ille divinus ſpiritaliter concoquatur. *Exquiramus etiam à nobis* (verba ſunt ejuſdem Catechiſmi longè præclariſſima) *an illud Petri uſurpare nobis liceat: Domine tu ſcis, quia amo te.*

Ex quibus liquidum eſt, recentiorum nonnullorum laxitatem, affirmantium nullum peccatum ne veniale quidem admitti ab eo qui in Altaria cum diſtractione & tepiditate irruit, quia (inquiunt, peſſimam aſſertionem pejori ratione confirmantes) ſuſceptio Euchariſtiæ nõ eſt loquutio cum Deo ſicut oratio, ſed manducatio; nec ulla injuria fiat cibo, ſi diſtractè ſumatur: liquidum, inquam, eſt hanc doctrinam immensùm ab Eccleſiæ ſenſu in Tridentino ejuſque Catechiſmo abhorrere, nec ad hujuſmodi novitatum flagitia ad indignas communiones iter ſternentia confundenda exigi argumenta; ſed unum ſufficere communem Chriſtianæ pietatis ſenſum, ſufficere communiſſimas myſteriorum noſtrorum notiones animis non omninò corruptis inſeminatas. Nulla quidem communi cibo irrogatur injuria, ſi diſtractè ſumatur: ergóne idem de cæleſti cibo, qui Chriſtus eſt, quémve in Altari Angeli ſacro horrore perciti & contremiſcentes, uti Chryſoſtomus tam ignitè inculcat, adorant, cenſendum eſt? Cur ergo nobis cibum illum diſcernere, corpuſque Domini dijudicare tradens, quod à Domino Apoſtolus acceperat, imperavit? Quis in humano civilis urbanæque vitæ convictu ruſticitatem illius toleraret, qui attentè quidem cum Rege loquendum affirmaret, contenderet tamen dona ab illo impertita errabundo, negligenti, & incurioſo, citra ullam offenſam animo ſuſcipi poſſe?

vel menſæ regali accumbere immodeſto peregrinantique animo, Rege ipſo intuente, licitum eſſet? Quantò magis damnanda erit illi⁹ irreverentia, qui ad Regis Regum menſam ſedens, ipſum Dominum majeſtatis, qui ineffabili amoris miraculo conviva & convivium eſt, indevotè ſuſcipere; quæ apponit, id eſt ſeipſum in cibum porrectum non attendere, illumque panem vitæ & intellectus otioſâ & ſcurrili cogitatione manducare non reformidat? Sed de his ſtatim in tertio dicto ampliùs. Ergo attenti animi meditatio & reverentia adhibenda eſt, eademque præſertim à Sacerdotibus, ut omni mentis acie perpendant, quemadmodum ipſam Chriſti perſonam induti, elementa in Chriſti corpus & ſanguinem convertant, offerantque Deo hoſtiam pretii infiniti. Quid porrò indignius, iniquius, & ingratius, quàm ut munus, cujus Angeli digni habiti non ſunt, tanta cum incuria oſcitantes homines exequantur? Atque inde elice Euchariſtiæ ſe fructibus illos privare, qui neglectû interiorum actuum præparatione ad Euchariſtiam haud ſatis reverenter accedunt. Illos verò in fortitudine cibi illius ire de virtute in virtutem, qui caſtorum deſideriorum fervore cibum illum appetunt, vehementem fide adorant, charitate amplectuntur; ſuſceptum denique hoſpitem virtutum omnium officiis pro modulo honorare, pro virili colere, atque omnibus lætitiæ & amoris ſignificationibus demulcere, ac demereri conantur.

Denique diximus cum S. Bonaventura, Magiſtro Nugno, Cabezudo, aliiſque, eum qui deditâ operâ prudens & volens, atque ut Scripturæ phraſi utar, *erecto collo* cibum Euchariſticum invadit cum mentis evagatione aliiſque peccatis venialibus uſum Euchariſtiæ concernentibus actuque exercitis, tremendo myſterio contumeliam gravem inferre, ſubindeque in peccatum mortale incurrere. Tum quia hæc affectata temerarii animi impudentia diviniſſimarum rerum tremenda myſteria contemnit & flocci facit. Tum quia iſta temeritas ex adipe iniquitatis prodit, nec aliunde ortum habet, quàm ex vitiorum & cupiditatum conſuetudine inolita, quâ ita obducitur atque obruitur animus, ut jam non ſolùm nihil in ipſo loci divinarum rerum cogitationi relinquatur, ſed etiam in profundum demerſus atque defixus ſacra quæque contemnit: denique qui præcepto recitandi divini officii & audiendæ diebus feſtis Miſſæ non ſatisfacit, qui toto lecti Breviarii vel celebrati Sacrificii tempore vanis & otioſis advertenter vacat, atque adeo peccati mortalis reatu afficitur. At divinum & naturale præceptum eſt, Euchariſtiã attentè & devotè recipere, ut per ſe patet, & innumeris locis Patres oſtendunt, quorum teſtimonia capite ſequenti referem⁹: Ergo qui meditatè Euchariſtiam diſtractè & indevotè recipit, in grave peccatum incurrit, & longè ſatius utiliuſque foret à Communione abſtinere, quàm ſancta & ipſum Sanctum ſanctorum non ſanctè tractare.

Cordis ad Euchariſtiam præparatio.

De cordis diſpoſitionibus tum omninò neceſſariis, tum de proficuis & tanto cibo conſentaneis ordine agendum eſt.

1 In primis ad dignam hujus Sacramenti ſuſceptionem omninò requiritur cordis munditiès & innocentia, ſin baptiſmalis (quæ tamen convenientiſſima foret, unde olim baptizatis & confirmatis Euchariſtia filiorum cibus porrigebatur) certè per pœnitentiam reparata. Hinc tam ſeriò Apoſtolus 1. Cor. 11. *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quot verba totidem fulmina, quibus indignè communicantes conteruntur. *Probet ſeipſum homo*, ſcrutetur nimirum vitam, ſtatum, propenſiones, diſpoſitiones, & anteactæ vitæ rationem excutiat & recognoſcat. *Probet*, inquam, id eſt argumentis pœnitentiæ ſuæ, fidelitatis, firmitatis animi in peccata lethifera non relabentis confirmet, & oſtendat eor ſe habere ad ſacram Synaxim paratum. *Probet*, inquam, & perſuadeat Confeſſatio non verbis ſonantibus, ſed factis pronuntiantibus, ſe mutaſſe vitam, dum vult accipere vitam; quæ probatio dilectionis exhibitio eſt operis: & nihil proſunt infinitarum pollicitationum folia, niſi veræ virtutis digni fructus edantur. Probet igitur ſeipſum: *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit.* Ponderanda ſingularis loquendi formula. Manducare judicium, & non judicem dicitur indignè communicans; quaſi diceret, temerarius ille jam judicatus, jam condemnatus eſt: ibunt impii in reſurrectionem judicii, ſeu condemnationis, ut ait Scriptura, & iſte dum Chriſtum indignè edit, in anteceſſum prædamnatur; nunc judicium eſt ejus, ſecum fert æternæ mortis ſententiam. Impuri corporis obſcœnitates damnat virginea Chriſti caro: occallentis cordis duritiem ſanguis condemnat Salvatoris: ſanguis ejus ſicut olim ſupra Judæos, ita & modò ſuper eum. Animam infamem & crimino ſam damnat anima, quam poſuit ille pro nobis, qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium. Indignum hoſpitium, ſedem fœtidam & ſordentem damnat majeſtas hoſpitis, præſentia Divinitatis. Denique judicium ſibi manducat, qui manducat indignè, quia ſicut Euchariſtia dignè ſuſcipientibus eſt pignus gloriæ, & arrha ſalutis, ita certa eſt impiorum condemnatio, & præjudicata ſententia.

Irritam quis faciens legem Moyſis, inquit idem Apoſtolus Hebr. 10. *ſine ulla miſeratione duobus aut tribus teſtib⁹ moritur: quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* At per Communionem indignam Filium Dei conculcamus, pollutumque ducimus, qui conſcientiæ horrendæ ſordib⁹ eum, quantum in nobis eſt, conſpurcamus. Si hominibus Dei imaginibus intentatas injurias tam ſeverè vindicat Deus picturæ ſuæ zelotes; ſi prælatis vices ſuas gerentibus illata damna tam durè plectit; ſi teſtante ſacro eloquio Levit. 22. *Omnis homo qui acceſſerit ad ea quæ conſecrata ſunt à filiis Iſrael Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino:* quomodo in eos animadvertet, qui non imaginem, ſed archetypum; non Dei miniſtrum, ſed Dominum majeſtatis; non rem conſecratam, ſed principium totius ſanctitatis, à cujus obſequio quidquid ſacrum dicitur nomen habet, indigna communione flocci fecerint, quibus & veridicè regeri poteſt, *Moleſti eſtis Deo meo?* Nulla, nulla planè inhumanior ingratitudo hujuſmodi ſacrilegè accedentium præſumptione retribuentium mala pro nobis, ſterilitatem animæ Chriſti Jeſu.

Infanda fuit Judæorum in Chriſtum contumelia, cùm uti narrat *cap.* 27. Matthæus, *genuflexi ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum*; atque ut *cap.* 22. addit Lucas, *velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?* Nonne indignitatem illam, qui indignè accedunt, æmulantur? Corpore genuflectunt, cor autem eorum longè eſt ab eo: Chriſtum non velant, ſed ſpeciebus vela-

tum

rum quaſi nihil videret, nec eſſet Propheta vilipendunt. Quaſi idolum illum habeot, oculos habens & non videns, aures habens, & non audiens; putantque illum non intueri, qui videt tantò patientiùs quantò ſapientiùs.

Horrenda fuit tyrannorum illorum ſævitia, qui poſt nomina mille, mille tentatas nocendi artes, pro coronamento crudelitatis mortua quin etiam jungebant corpora vivis. Ecce imaginem ſævitiæ tuæ & meæ, Lector Chriſtiane, ſi quod Deus avertat, in ſtatu peccati in Altaria menſamque dominicam irruamos, panem vitæ cordi peccato mortuo inſerimus, Chriſtum cum Belial copulamus. Quid ergo mirum, ſi Chriſtum qui hujuſmodi ſunt, teſte Apoſtolo, rurſus crucifigunt in ſemetipſis? Crucifigunt, inquam, non Judæi quid faciant neſcientes, quique ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; ſed Chriſtiani, quos fides irradiat, doctrina imbuit, frequens admonitio terret. Crucifigunt non clavo triplici, ſed triplici funiculo iniquitatis, nimirum anteactæ vitæ ſordibus, confeſſionis vel pœnitentiæ ſimulatione, & ſacrilegæ communionis temeritate. Crucifigunt non corpus immortale realiter præſens, ſed corporis divinitate uncti efficacitatem impediunt, alligantque virtutem. Affixum cruci corpus diſtillabat ſalutis medicinam, & inter dolores parturientis formabatur interim Eccleſia, fluebant Sacramenta, in lymbos Patrum, in Latronem pœnitentem virtus Crucifixi derivabatur. At in ſacrilegum ſacræ menſæ invaſorem nihil vivifica Chriſti caro operatur, nihil agit actus purus: Ergo quantum in te eſt, moritur Chriſtus, niſi foret alioquin immortalis. Incarnationem, ejuſque extenſionem Euchariſtiam, *inſitionem* Tertullianus aliique appellant, favetque Jacobus *inſitum Verbum* Chriſtum appellans. Dum ramus caudici vel trunco inſeritur mortuo, mori ipſum & recipientis ſterilitate areſcere, neceſſe eſt. Ergo inſitus cordi tuo per Euchariſtiam Chriſtus morte tua moreretur, niſi foret cæteroquin immortalis. Vah perfidum, qui amantiſſimum Salvatorem oſculo & amplexu prodit! Vah crudelem, qui de corde ſuo patibulum erigit Redemptori; de corde, inquam, quod Chriſtus ſibi elegerat majeſtatis & clementiæ thronum, & reclinatorium aureum mediâ charitate ſtratum. *Utinam vel rebus iſtis* (verbà ſunt Beroardi ſerm. 3. de Reſurrect. in indignè communicantes meritò vibranda) *eſſet contenta voluntas, nec in ipſum, horribile dictu, deſæviret authorem. Nunc autem & ipſum, quantùm in ipſa eſt, Deum perimit voluntas propria. Omninò enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut non videre: vult ergo non eſſe Deum, quem vult aut impotentem, aut neſcientem. Crudelis planè & omnino execranda malitia, qua Dei potentiam, juſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.*

Eadem veritas rationibus S. Thomæ confirmatur: Sacramentum Euchariſtiæ eſt vinculum unionis, quo tota Eccleſia copulatur: unde qui hoc Sacramentum ſuſcipit, ex hoc ipſo ſignificat ſe eſſe Chriſto unitum, & membris ejus incorporatum. Quæ unio fide charitate formatâ, ſubindeque cum peccato mortali inſociabili initur: *Et ideo manifeſtum eſt*, inquit S. Thomas quæſt. 80. art. 4. *quòd quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum ſumit, falſitatem in hoc Sacramento committit; & ideo incurrit ſacrilegium tanquam Sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.* Pulchrè S. Doctor ait indignum illum ſuſceptorem *falſitatem in hoc Sacramento committere.* Falſidicus enim & falſificus eſt, qui Sacramentum pacis uſurpat, reverà cùm ſit pietatis hoſtis, Chriſti quem ſuſcipit inimicus. Nec fallere ſolùm contentus eſt, ſed falſa etiam, ſi poſſet, efficeret verba Veritatis. Veridicè dixit Salvator: *Qui manducat me, vivet propter me: qui manducat me, habet vitam æternam.* At promiſſiones illas longè veriſſimas indignâ communione irritas facit & nullas, qui mortem haurit de fonte vitæ, & panem vivum transfert in venenum.

Illuſtrat hanc doctrinam S. Præceptor in reſponſione ad primum argumentum, ex diſcrimine quod communicantes inter & converſantes cum Chriſto, quandiu in terris verſatus eſt, intercedit. Non ſubmovebat à ſe Chriſtus dum viveret peccatores, nec iſti peccabant; quia Chriſtus in propria ſpecie apparens non exhibebat ſe contrectandum hominibus in ſignum ſpiritalis unionis cum ipſis, ſicut exhibetur ſumendus in hoc Sacramento. Et ideò peccatores cum Chriſto propria in ſpecie conviventes in crimen falſitatis circa divina non incurrebant; ſecus tamen eſt de peccatoribus indignè Sacramentum unitatis & pacis uſurpantibus. Maximè quia Chriſtus vitam mortalem degens ſimilitudinem gerebat carnis peccati, nec peccatores à ſe arcebat qui venerat peccatores ſalvos facere; ſed omnes ad ſe alliciebat, & congregare optabat, ſicut congregat gallina pullos ſuos ſub alis. At in Euchariſtia corpus Chriſti glorioſum eſt, ibique menſam parat non hoſtibus, ſed amicis; non extraneis, ſed filiis: unde non habentes veſtem nuptialem, repellit, ligatoſque manibus & pedibus in tenebras projicit exteriores.

Si Petrus viſo inſolitæ capturæ piſcium miraculo, tremens ac ſtupens ad genua ſe illius projecit: *Exi*, inquiens, Luc. 5. *à me Domine, quia homo peccator ſum.* Si Centurio ad Chriſtum adire ipſe non audet, ſed amicos mittit qui rogent pro ſervulo ſanitatem; nec loqui audet, niſi ut indignum ſe profiteatur, qui domo ſuâ illum excipiat, ut Matth. 8. & Luc. 7. claret: Si mulier illa ſanguinis fluxu laborans Chriſto coram ſiſtere ſe non audet, ſed retrò accedens fimbriam veſtis tremebunda attigit, ut Matth. 9. & Luc. 8. videre eſt: Si mulier illa peccatrix poſt extinctam cœleſtis incendio amoris cupiditatis flammam, retrò ſecus pedes Domini ſtetit, non ſe illi coram obtulit, non arripere manum, ſed pedes tantùm oſculari, ac lacrymis rigare contenta: quâ fronte ad Chriſtum jam à Patre claritate quam habuit antequam mundus fieret clarificatum, æternaque gloria circumfluentem accedent impœnitentes peccatores; nec accedent modò, ſed ſument, ſed oſculabuntur, ſed manducabunt, eò procaciùs & petulantiùs, quò ſe fœdiores flagitiis, omnique pietatis ſenſu alieniores ſenſerint.

Illuſtrat rurſus hanc ipſam doctrinam S. Præceptor in reſponſione ad ſecundum, obſervando Euchariſtiam quidem, utpote Sacramentum medicinam eſſe, ſed tamen non omnem medicinam cuique ægroto ſecundùm quemlibet infirmitatis ſtatum eſſe opportunam & ſalutarem. Nam medicina, quæ daretur jam liberatis à febre ad confortationem, noceret ſi daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam Baptiſmus & Pœnitentia ſunt quædam medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem Sacramentum eſt medicina confortativa, quę non debet dari niſi liberatis à peccato. Maximè quia hoc Sacramentum non medicina tantùm, ſed cibus etiam eſt: ſicut autem cibi ore accepti in ſtomachum benè affectum illabentes corpora

pora alunt & ſuſtentant, qui verò in pectora vitioſis humoribus occupata infunduntur, graves morbos efficiunt: ſic cœleſtis iſte cibus dum animo ritè compoſito ſuſcipitur, ad perfectam animi ſanitatem & ſanctitatem maximo adjumento eſt: at verò cùm ipſo nos indignos præbemus, ſempiternam mortem affert.

Quorum rationem radicalem in reſponſione ad 3. S. Doctor profundè tradit: Maximis & veris bonis nullus quidem malè utitur tanquam perverſi uſus principio; illis tamen perverſi abutuntur tanquam objecto mali uſus, ut in iis liquet, qui de virtutibus ſuperbiunt. Euchariſtia ergo Sacramentorum maximum, Chriſtumque unum & ſummum bonum noſtrum realiter continens, mali uſus principium eſſe non poteſt, at objectum tamen, Nihil ergo mirum, ſi malum invehat indignè ſumentibus tanti boni ſuſceptio. Ut enim præclarè Catechiſmus Romanus *part. 2. titulo de Euchariſtia, num. 58.* dixit, optimis rebus & maximè ſalutaribus hoc proprium eſt, ut ſi in tempore iis utamur, vehementer proſint; ſin alieno tempore adhibeantur, perniciem & exitium allatura ſit intempeſtiva ſuſceptio. Ita optimè affecti & præparati animi ampliſſimis cœleſtis gratiæ muneribus in uſu Euchariſtiæ donantur; imparati verò non ſolùm nihil commodi, ſed maxima etiam incommoda & detrimenta accipiunt.

Corollaria derivata.

Ex quibus omnibus concludit S. Doctor *art. 5.* quòd etſi peccatum indignè communicantium non ſit omnium graviſſimum (quia peccata divinitatem ipſam immediatè inhonorantia, putà infidelitas, blaſphemia, odium Dei deteriora ſunt) ſacrilega tamen communio gravioribus criminibus accenſetur, & à Doctoribus peccato occidentium Chriſtum conſertur, quod contra corpus Chriſti patratum eſt. Comparatur etiam peccato Iſcariotis Chriſtum oſculo mortem illaturis tradentis. Sed de his jam antè ſatis diximus, quando locum illum Apoſtolicum exponebamus, ubi indignè communicantes rei corporis & ſanguinis Domini dicuntur.

Nota tamen ex eodem S. Doctore peccatum indignè ſumentium augeri poſſe vel minui ratione circumſtantiarum; peccatum enim ex ignorantia vel infirmitate levius eo eſt, quod ex contemptu certaque ſcientia proficiſcitur: & ſic longè graviùs peccant qui ex contemptu cum conſcientia peccati mortalis ſacram menſam invadunt, quàm qui ex timore vel aliqua inconſideratione in ſtatu peccati mortalis accedunt. Unde docet S. Thomas *ad 3.* quòd ille, qui projiceret hoc Sacramentum in lutum, longè graviùs indignè communicante peccaret, utpote de induſtria conculcationem, injuriam, & contemptum adorandi Sacramenti intenderet, ad quod indignè corpus Chriſti accipiens per ſe non attendit.

Infert 2. S. Præceptor, peccatum fornicationis & luxuriæ hominem ad ſuſceptionem puriſſimi Sacramenti magis ineptum efficere; quia nimirum obſcœna peccati carnalis libido ſpiritum carni dum ſubjicit, mentem hebetat, pietatem extinguit, & fervorem dilectionis ad concoquendum cœleſtem cibum tantoperè neceſſarium maximè impedit.

Hinc ſaucta mater Eccleſia caſtiſſimi Sponſi ſui amore flagrans, & zelo zelata pro decore domus Dei, per plura ſæcula peccati mortalis, luxuriæ potiſſimùm ſorde commaculatis cœleſti cibo interdicebat, Diaconos verò & Sacerdotes gradu in perpetuum dejiciebat. *Neque enim fas eſt*, ut ait Joannes II. in epiſtola 1. ad Cæſarium Arelatenſem, *pollutum criminibus ſacris myſteriis deſervire.* Et ut addit Gregorius Magnus lib. 4. epiſtolarum, epiſtol. 16. *ſi lapſis ad ſuum ordinem revertendi licentia concedatur, rigor canonica procul dubio frangitur diſciplina, dum pro reverſionis ſpe pravæ actionis deſideria quis concipere non formidat.* Idque præclarè confirmat S. Martinus I. ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum, his verbis: *Nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem Canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum Sacerdotis poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis, quoad uſque vixerit, in eadem pœnitentia addurare, ut commiſſum delictum divinâ gratiâ extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullùmque vita contagium præpediat; quantò magis ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnexius, omninò prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare?*

Infert 3. S. Thomas reſponſione ad quintum argumentum, indignè illos etiam ad communionem adire, qui ex ignorantia juris naturalis ſe eſſe in ſtatu gratiæ opinantur. Placet verba S. Præceptoris longè pulcherrima producere, quibus præter ſpecialem circa Euchariſtiam doctrinam, ſtabilitam olim à nobis de ignorantia juris naturalis (quam ſemper culpabilem, ſemper invincibilem diximus) ſententiam egregiè confirmat. *Hoc quòd non habet aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter: uno modo per culpam ſuam, vel quia per ignorantiam juris quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum, putà ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale; vel quia negligens eſt in examinatione ſui ipſius, contra id quod Apoſtolus dicit 1. Cor. 11. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Et ſic nihilominus peccator ſumens corpus Chriſti, licèt non habeat conſcientiam peccati; quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum. Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius, putà cùm doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus. Et in tali caſu non peccat ſumendo corpus Chriſti, quia homo per certitudinem ſcire non poteſt, utrùm ſit verè contritus. Sufficit enim ſi in ſe ſigna contritionis inveniat, putà ſi doleat de præterito, & proponat cavere de futuris. Si verò ignorat hoc quod fecit, eſſe actum peccati, propter ignorantiam facti quæ excuſat, putà ſi acceſſit ad non ſuam quam credebat eſſe ſuam, non eſt ex hoc dicendus peccator. Similiter etiamſi totaliter eſt peccatum oblitus, ſufficit ad ejus deletionem generalis contritio, unde jam non eſt dicendus peccator.*

Vide Angelici Doctoris ſemper ſibi ſimilis conſtantiam & conſonantiam in damnanda peccati juris naturalis ignorantia, putà fornicationis, quam tamen quidam Probabiliſtæ non ſolùm bonam, ſed (quod horribile dictu eſt,) meritoriam etiam poſſe eſſe effutierunt. Vides etiam certas & incorruptas regulas, quibus dignoſcere eſt, an & quando ignorantia peccati excuſat vel accuſat divinæ Euchariſtiæ ſuſceptores. Fruſtra ergo colores quærunt ad excuſandas excuſationes in peccatis, qui in mediis flagitiis nihil in ſe flagitioſum cenſentes liberos ſe peccatis mortiferis arbitrantur: pœnales enim cæcitates ſparſæ ſuper illicitas cupiditates, boni malique diſcrimen eripientes majora

ſunt

ſunt depravatæ mentis argumenta. Perperàm etiam ſe juxta Apoſtolicum mandatum probaſſe cenſendi ſunt, qui ſolâ peccatorum recenſione contenti, ſeriò non excutiunt aut ſcrutantur, num Deo ſe ſincerè dedant, num vitam mutent, num à peccati ſervitute ſe expediant, ut in poſterum ex Evangelii lege, ex Baptiſmi pacto mores ſuos componant. Quia nimirum falſis & inanibus Deus non capitur, non ſuperficie voluntatis, ſed internis cordis affectibus, qui in emendatiorem vitæ frugem funduntur. Nulla ſanè indignæ communionis pœna terribilior ſtupore illo, quo quis non intelligit vino ſuo poſt tot communiones eandem mortaliter peccandi infirmitatem, eandemque proclivitatem experiri.

Infertur 4. Præter contritionem ſinceram inſuper deſiderari confeſſionem ſacræ Communioni præmittendam. Etſi enim jus naturale exigat tantùm ut ſancta ſanctè tractentur, quod fieri poſſe videtur ab eo qui vero peccatorum dolore ex amore Dei concepto permotus fuerit: Confeſſionem tamen poſtulat jus tum Eccleſiaſticum, cùm divinum poſitivum. Eccleſiaſticum quidem in Tridentino *ſeſſ* 13 *can.* 11. expreſſum pronuntiante, nemini peccato mortali contaminato licere ad Euchariſtiam accedere, modò Confeſſoris copia non deſit, antequam ſacramentali confeſſione culpas eluerit. Idem etiam præcipere videtur jus Divinum verbis illis Apoſtolicis denuntiatum, *Probet ſeipſum homo*; quod mandatum à Deo acceperat Paulus: *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. Hoc autem præceptum de confeſſione tum Eccleſiaſtica conſuetudo, tum ſacra Tridentinæ Synodi authoritas interpretantur. *Eccleſiaſtica conſuetudo*, ait Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. *declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Patres etiam Euchariſtiæ ſuſceptioni præmittendam ſacramentalem Confeſſionem aſſeverantes, id ex Evangelica lege eſſe declarant. Videatur B. Cyprianus *epiſt.* 10. 11. & 12. ubi Presbyteros reprehendit, quòd Euchariſtiam darent lapſis, qui nondum egiſſent pœnitentiam, nec peccatorum exomologeſin, id eſt confeſſionem, contra Evangelii legem feciſſent. *Chriſtus Jeſus*, inquit S. Leo epiſt. 91. *Præpoſitis Eccleſiæ hanc tradidit poteſtatem, ut & pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ubi reconciliationem Communioni ex inſtitutione Chriſti præmittendam eſſe affirmat. Hinc in Concilio Ancyrano *can.* 4. & ſequentibus, & Nicæno *can.* 11. & 12. lapſis non ſolùm pœnitentia injungitur, ſed etiam quandonam eis Communio ſit concedenda, Sacerdotum eorum culpas & pœnitentiam dignoſcentium arbitrio permittitur. Unde confeſſionem neceſſariò præmitti oportere ſemper Eccleſia judicavit. Sanè ſi juxta Ambroſium in cap. 9. Lucæ, *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit antè ſanatus*; ſi Euchariſtia ſit vivorum alimonia, neceſſariò illud Sacramentum præmittendum eſt, quo innocentia perdita reparatur, adeundique Sacerdotes ſunt, quibus remittendorum eorum peccatorum Chriſtus contulit poteſtatem.

Conſultò autem dixit Concilium, *ſi deſit copia Confeſſoris, & Communionis neceſſitas urgeat*, ne in neceſſitate poſitos, & Confeſſoris penuriâ laborantes tam neceſſariâ alimoniâ privaret. Tunc porrò non eſt copia Confeſſoris, cùm nec Sacerdos adeſt, nec moraliter adeſſe poteſt; vel ſi adeſt, ſurdus eſt, vel linguam pœnitentis non intelligit, niſi fortè per ſigna & nutus totum ſuppleri poſſit. Tunc verò communicandi neceſſitas urget, quando ad communionem præcepto divino vel Eccleſiaſtico tenemur, putà in articulo mortis, in Paſchate, vel quum debet Parochus celebrare, nec per alium ullo prorſus modo ſupplere poteſt. Præcipit tamen ſacrum Concilium Sacerdotibus, ut ſi neceſſitate urgente abſque prævia confeſſione celebraverint, quamprimùm confiteantur, ut omiſſum propter circumſtantiarum anguſtias remedium ampliùs non differatur, foveatúrque miniſtrorum ſocordia, contra id quod ſcriptum eſt: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*. Specialiter autem ad promptam confeſſionem Sacerdotes, non laïcos divinitùs inſpirata Synodus obſtrinxit; tum quia Sacerdotes tales optat, qui quotidie, vel certè frequenter celebrare poſſint: ut ergo ad ſacra facienda idonei reddantur & permaneant, quantociùs illos ſacramentali confeſſione purgari imperavit. Hinc facilè judicatu eſt, quibus in caſibus licet non præmiſsâ confeſſione tremenda adire myſteria.

Ex quibus etiam intelliges quàm damnanda ſit Græcorum Sacerdotum cæcitas, qui ut refert Arcudius *lib.* 3 *cap.* 60. Liturgiam celebraturi nunquam fermè etiam poſt patrata crimina confitentur: quem abuſum Ruſſorum Presbyteros imitari refert *lib.* 4. *cap.* 2. Tanti abuſus, tantique ſacrilegii cauſa hæc eſt, quòd cùm Canones antiqui Clericos in peccatum ad mortem, & nominatim in fornicationem lapſos perpetuò ab exequutione Ordinum ſuſpendant, eoſque in ſortem laïcorum redigant; ne ab officio ceſſent, de graduque dejiciantur Græci Sacerdotes, néve ſcelera ſua ob interdictum miniſterium aliis patefaciant, ideo ſacramentalem refugiunt confeſſionem; quaſi verò idcirco magis digni magiſque ad divina conficienda, tractanda, ſumendaque idonei ſint, quòd culpas occultent ſuas: cùm non peccata fateri, ſed peccata admittere pudendum ſit, & Deo occultorum ſcrutatori & vindici horrendum? Nec advertunt veterem illam diſciplinam præ fervore priorum temporum inſtitutam his poſſe temporibus aliquâ, juſtâ tamen & rationabili indulgentiâ temperari. Nam idem Baſilius, qui lapſos miniſtros à gradu & exequutione miniſterii primitivorum Conciliorum veſtigia inſiſtens dejicit, utraque ſcire monet canone 3. *Et quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis: ſequi autem in iis, quæ ſummum jus non admittunt, formam traditam, hoc eſt conſuetudinem.* Canon etiam 73. vel juxta diſtinctionem Græcorum 74. *Si quis eorum*, ait, *qui peccatis à nobis ſuprà expoſitis implicati fuerunt, adhibita exomologeſi probus evaſerit, is cui à Deo benignitate ligandi atque ſolvendi poteſtas eſt credita, ſi ejus qui peccavit, præſtantiam confeſſionis intuens in diminuendo pœnarum tempore clementior fuerit, non utique reprehenſione dignus cenſebitur.* Cujus moderationis cauſam affert can. 48. *Hæc enim omnia ſcribimus, ut tamen fructus probentur pœnitentiæ. Non enim omninò hujuſmodi res tempore judicamus, ſed modum pœnitentiæ attendimus.* Longè etiam mitiùs erga peccatores ſeipſos accuſantes, & mutationis ſigna oſtendentes, quàm erga reos in malo deprehenſos, vel invitos convictos ſe gerere Eccleſiam, teſtatur ſanctus Gregorius Nyſſenus epiſtola ad Letojum, Epiſcopum Melitenſem. Quia nimirum Prælati pœnas & augere poſſunt & minuere, eiſque poteſtas ineſt nedum pœnarum tempora pro pœnitentium con-

tritione

tririone minuendi, ſed & pœnas etiam mutandi.

Infertur 5. quòd licèt in foro interiori Confeſſarius hos arcere debeat ab Altaribus, in quibus vera non cernit dignæ pœnitentiæ ſigna; attamen in foru externo non occultis, ſed publicis duntaxat notoriiſque peccatoribus ſacra Communio deneganda eſt. *Cùm enim quilibet Chriſtianus*, inquit S. Thomas quæſt. 80. art. 6. *ex hoc ipſo quòd eſt baptizatus, ſit admiſſus ad Dominicam menſam, non poteſt ei jus ſuum tolli niſi pro aliqua cauſa manifeſta. Occulta*, addit ad 1. *non poſſunt publicè puniri, ſed ſunt divino judicio reſervanda.* Idque confirmat *quæſt* 81. *ſequenti, art.* 2. exemplo Judæ, cui Dominus corpus ſuum porrexit, nec à Communione repulit, quem totius impietatis extremum effecerat indigniſſimum. *Quia Chriſtus* (verba ſunt ejus) *nobis debuit eſſe exemplum juſtitia, non conveniebat ejus magiſterio, ut Judam occultum peccatorem ſine accuſatore & evidenti probatione ab aliorum communione ſepararet, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi. Chriſto* (addit ad 2.) *nota erat Judæ iniquitas, ſicut Deo; non autem erat ſibi nota per modum quo hominibus innoteſcit. Et ideo Chriſtus Judam non repulit à Communione, ut daret exemplum tales peccatores non eſſe ab aliis Sacerdotibus expellendos.* Soli ergo peccatores publici publicè ab Altaribus arcendi ſunt.

Porrò per publicos peccatores intelligendi ſunt illi, quorum vitia notorietate facti explorata ſunt, quales ſunt manifeſti uſurarii, concubinarii, raptores, &c. vel qui tales per judicium Eccleſiaſticum vel ſæculare juridicè declarati ſunt. Neque enim, ut Cyprianus *epiſt.* 71. ait, vel Majeſtati divinæ, vel Evangelicæ diſciplinæ congruit, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Quare ante pœnitentiam publicam & manifeſtam, quæ ita ſit nota ut notum eſt crimen, non eſt hujuſmodi criminoſis Euchariſtia concedenda. Monet tamen S. Doctor publicis peccatoribus præcipuè in articulo mortis Communionem non eſſe denegandam. Quod & antea Concilium Carthaginenſe III. *can.* 35. ſtatuerat his verbis: *Scenicis atque hiſtrionibus, cæteriſque ejuſmodi perſonis, vel apoſtatis converſis ad Deum reconciliatio non negetur.*

Dices: Peccator occultus non habet jus petendi Euchariſtiam. Ergo non tenetur Sacerdos peccatori occulto ſibi noto Euchariſtiam impertire. Sanè qui habet enſem apud ſe depoſitum, furioſo illum repetenti ad occidendum reſtituere non tenetur, ſed ei potiùs denegare, ne homicidii reus ſit, omninò debet: quidni corpus Domini in condemnationem ſuam petenti Sacerdos recuſabit?

Reſpondeo, peccatorem peccato ſuo jus quidem ad Euchariſtiam in ſoro interiori amiſiſſe; at in exteroo, juxta quod Miniſtri in functionibus ſecundùm allegata & probata operantur, jus illud amiſiſſe non conſtat. Unde Sacerdos, qui ut publicus Chriſtianæ Reipublicæ Miniſter, & bonorum ejus œconomos agit, ſecundùm publicam, non verò ſecundùm privatam ſcientiam ſe gerere tenetur. Exemplum autem gladii occulto ſicario denegati multifariàm diſpar eſt. Tum quia cuſtos enſis non eſt miniſter publicus, poteſtque juxta privatæ ſcientiæ lumina boni communis intuitu operari. Tum quia retinendo gladium nullam petenti, cui denegat, creat infamiam: Sacerdos verò occultum peccatorem ad ſacram menſam publicè accedentem ſuâ repulsâ infamaret. At nemo poteſt occultum peccatorem propalare: & licèt gravius ſit indignè Communionem uſurpare, quàm peccatorem occultum dedecurare; nullum tamen malum faciendum eſt ut veniant bona, vel ut majora mala impediantur. Tum deniùm, quia denegato gladio vitatur homicidium: at ſubtractione Communionis etſi externum ſacrilegium impediatur, internum tamen, in quo tota malitia ſita eſt, non vitatur. Ergo grandis intereſt inter utrumque caſum differentia. Illud tamen facilè probaverim, quòd ſi aliqua ita honeſta & ſpecioſa excuſatio prætexi poſſet, ut nullum infamandi peccatoris, ejuſque occulti criminis prodendi periculum ſubeſſet, Communionem poſſet prudens Sacerdos peccatori occulto publicè petenti denegare. Sed rariſſimus eſt caſus, in quo prudentia & diſcretio ſupereminere neceſſe eſt.

Cavendus autem hîc diligenter eſt quorumdam ignorantium error, qui ad evitandum indignè communicantium ſacrilegium hoſtiam non conſecratam porrigendam opinantur. Sed hæc exiſtimatio etſi fortè à pietate profecta, tolerari non debet. Tum quia ſumenti & præſentibus hoſtiam proponere adorandam, cui nullus cultus debetur, nefarium eſt, & idololatriam veræ Religioni ſufficere ſacrilegum. Tum quia corpus Chriſti ſe præbere verbis factiſque Sacerdos ſignificat: quod mendacium intrinſecè malum cùm ſit, nullâ poteſt intentione honeſtari. Tum quia non vitatur ſacrilegium ſuſcipientis; qui enim credit ſe hoſtiam conſecratam indignè accipere, profectò corporis & ſanguinis Domini reus efficitur; malâ quippe voluntate reus quiſque efficitur, nec à ſacrilegii ſcelere eximitur, qui ſacrilegium voluit, licèt rem ſacram per accidens non invenerit. *Licèt is*, ut habetur extra de celebratione Miſſarum, *qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter ſi ſe ingerat; graviùs tamen videtur offendere, qui illud præſumpſerit ſimulare.*

Infertur 6. occulto peccatori occultè petenti negari poſſe Euchariſtiam, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 5. *quæſt.* 1. Quia nimirum tunc non propalatur delictum, nec ulla petenti accerſitur infamia: non injuſtitiæ ergo, ſed magnæ charitatis eſt Euchariſtiam ſacrilego illi denegare. Quod verum eſſe ait ibidem S. Doctor, *etiamſi Sacerdos ſciat peccatum alicujus per confeſſionem.* Nec propterea ſigillum confeſſionis aperiet, nec exprobrabit delictum in confeſſione cognitum, ſed merè negativè ſe habebit: neque hoc fiet crudeliter, ſed miſericorditer, ne perire volenti auxilium mortis conferat: ſicut denegare illi gladium poteſt, quo ad mortem inferendam uti velle ex confeſſione novit. Sed de his magis dum de ſigillo confeſſionis.

Infertur 7. reos morti adjudicatos Euchariſtiæ eſſe capaces, ſi modò verè pœniteant, & peccata confeſſione ſacramentali eluerint. Ita enim ſacri Canones declarârunt, ut habetur cap. quæſitum, 13. q. 2. *Quæſitum eſt ab aliquibus fratribus, de his qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam, utrùm cadavera eorum ad Eccleſias deferenda ſint, & Miſſæ celebrandæ, an non? Quibus reſpondemus, ſi de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine ſecundùm præcepta Canonum danda eſt, cur Canones Communionem vel ſepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt, & confitentur, vel confiteri deſiderant?* Hinc in pluribus Chriſtiani Orbis Regnis reis capitali ſententiâ damnatis, Euchariſtia porrigitur. In Italia quidem, ut patet ex diplomate

beati

beati Pii V. quo Confraternitas de Miſericordia confirmatur; atque ex Concilio V. Mediolanenſi ſub ſancto Carolo celebrato, in quo etiam Chriſtiani Judices & Magiſtratus laudantur, curantes, ut ne eo die capite damnati ſupplicio afficiantur, quo ad modum viatici cæleſti corporis Chriſti cibo refecti ſunt. In Hiſpania etiam morem illum vigere, teſtatur Sylvius *quæſt.* 80. *art.* 6. *quæſito* 1. & Marcus Serra in ſuis in hanc quæſtionem commentariis.

At verò in Eccleſia Gallicana conſuetudo illa dudum deſiit. Credibile etiam eſt, Patres noſtros piis rationibus permotos, morem illum abrogaſſe: tum ut Euchariſtiæ ſubtractione aliis criminoſis timor incuteretur, & ea pœna, quæ Chriſtianis maxima eſt, à peccandi facilitate cohiberentur. Tum, quia experientiâ rerum magiſtrâ comperêrunt, rariſſimè hujuſmodi ſcelaratos ad dignam Communionem ſatis eſſe compoſitos, qui de ſalute animæ parùm ſoliciti, & crimen inficiari, & actores odiſſe, & teſtes infamare, & Iudices deteſtari uſque ad locum ſupplicii ſæpiùs ſolent. Dedeceret autem in infami ſupplicii theatro, in quo duntaxat odia & ſimultates deponunt, adorandum Chriſti corpus circumgeſtare & miniſtrare: & præter quod in illis repentinæ mortis terroribus nec animus ſatis eſt ſibi compos, corpus etiam torturis debilitatum, mortiſque metu oppreſſum, ad manducandum ſacrum epulum haud idoneum eſt. Nec expediret corpus à carnifice ignominioſè tractandum, avibus, canibus, lupis, aliiſque feris quamprimùm exponendum, Chriſti Domini receptaculum & tabernaculum fieri: redundaret quippe in hoſpitem divinum hoſpitio illata injuria; & Domini præſentiâ conſecratam arcam diſcerpere, & inhonorare, ſine Sacramenti contumelia non contingeret. Canones ergo ſuprà laudati intelliguntur, quando inter ſupplicii & confeſſionis dies tanta intercapedo intereſt, ut rei & pœnitentiæ fructus edere, & mortem patienti animo ſubire, & ad Communionem neceſſariis virtutum chriſtianarum exercitationibus ſe apparare facilè poſſint. Tunc enim nihil cauſæ erit, cur Canones præfati non obſerventur.

Ex quibus obiter intelliges vulgi ſententiæ periculum, exiſtimantis ſecuram & tutam eſſe hominum ultimo ſupplicio adjudicatorum mortem, utpote minimè inopinatam, & ad extremum uſque ſpiritum rationis & judicii facultate gaudentem. Unde ortum eſt commune adagium: *Sicut nunquam difficiliùs quam ex aquis ſubmergentibus; ita nunquam faciliùs quam è patibulo in cælum conſcenditur.* Et aliud ei affine: *Submerſorum vix unus non perit; ſuſpenſorum vix unus æternùm perit.* Neſcio ubinam Scripturarum, Patrum, vel Conciliorum ſecuritatem iſtam legerint.

Ergo contrà apud Auguſtinum *hom. l.* 4. legi: *Non præſumo, non vos fallo. Fidelis benè vivens ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam, & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſtea benè vivens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Unde ſecurus ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Vis te de dubio liberare? Vis quod incertum eſt, evadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es. Tene certum, dimitte incertum.*

Legi apud eundem Auguſtinum ſerm. 57. de tempore: *Nec illud ſervet quis ex vobis conſcius criminum ſuorum, ut in extremo vitæ ſuæ tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non poſſit: inutilis eſt enim, dilectiſſimi, iſta perſuaſio. Parum eſt, peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideo, dilectiſſimi, quicumque invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ſi ſanus eſſe vult in futuro.*

Legi etiam apud Auguſtinum ſingularem caſum noſtrum tractantem, ideo Epiſcopos pro reis damnatiſque deprecari, ut vitâ iis productâ pœnitendi ſpatium non deeſſet. *Nullo modo*, inquit epiſt. 54. *culpas quas corrigi volumus, approbamus; nec quod perperàm committitur, ideo volumus impunitum eſſe, quia placet: ſed hominem miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quantò magis nobis ipſis diſplicet vitium, tantò minùs volumus inemendatum perire vitioſum. Morum porrò corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus eſt; nam poſt hanc vitam quiſque id habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut non poſſint finire ſupplicium.*

Si tantularum horarum ſpatio ad mortem ſanctè obeundam poſſint vel nocentiſſimi poſt flagitioſæ totius vitæ curriculum comparari, ſi à ſupplicii ignominia tam facilis & ſecura ſit ad æternam gloriam via & profectio, cur de vita reis producenda, ut protracto vitæ ſpatio, pœnitendi, deique placandi tempus ſuppeteret, tantoperè Patres fuêre ſoliciti? Cur rem eſſe plenâ periculi arbitrati ſunt, converſionem in extremum vitæ diem dilatam? Cur eam ſic peractam ſuſpectam parúmque tutam habuerunt, eamque ſecuram dixerunt, quæ *juſto tempore*, ut Cyprianus ait, diuturnarum lacrymarum vi diuturna flagitia elugente & eluente agitur? Cur paucula momenta multorum annorum debitis exſolvenda vix ſatis eſſe ſaltem de via ordinaria crediderunt; & ſubitaneam pœnitentiæ abundantiam, quæ Deo pauculo tempore ſatisfaciat, inuſitatis divinæ miſericordiæ miraculis accenſuerunt? Sed de his iterum dum de Pœnitentia.

Corporis ad Euchariſtiam præparatio.

Corpus etiam, quod animatum Chriſti tabernaculum futurum eſt, congruis atque ab Eccleſia Deo afflante inſtitutis diſpoſitionibus apparari oportet.

In primis corpus non debet eâ infirmitate laborare, ex qua tanti Sacramenti irreverentia meritò timeatur: purà, ſi infirmi tanta eſſet ſtomachi vel pectoris ægritudo, ut præ vomitus, tuſsiſque frequentia Sacramentum nec deglutire, nec retinere poſſet. Euchariſtiæ enim ſuſcipiendæ præceptum ſolos manducare valentes aſtringit: manducare autem non poſſe jure meritò ille cenſetur, qui porrectum cibum nec ſorbere valet, nec ſorptum retinere. Affirmativum etiam recipiendi Viatici præceptum negativo de nunquam irreverenter tractanda Euchariſtia cedit.

Prætereà talis deſideratur corporis munditia & nitor, taliſque totius externi habitûs modeſtia, ut in omnibus motibus nihil fiat, quod cujuſquam

offendat aſpectum, ſed quod chriſtianam ſanctitatem, & tanti myſterii reverentiam deceat. Etſi autem rationabile, & quodammodo religioſum videatur, per diem Communionis in veſtitu nitidiore prodire, & habitu corporis cultiore & ornatiore hilaritatem mentis oſtendere; ſicut etiam vaſa ſacra & Altaria in honorem Sacramenti propenſiore curâ mundantur: duo tamen ſunt, quæ probari nequaquam poſſunt. Primùm enim tolerari non poteſt effœminatus molliſque quorumdam vel quarumdam ornatus, meretrici aut ſaltatrici magis congruus, quàm Chriſtiano aut Chriſtianæ. Sanè nihil turpius, quàm corpus noſtrum Chriſti ſumptione conſecrandum, his propheanis nugis dehoneſtare, quæ mentem Deo vacuam, mundóque plenam, & cor inaniſſimum demonſtrant. Alterum non minùs cavendum corrigendúmque per grandem abuſum irrepere interdum ſolet; cùm nimium die ſuſceptæ Euchariſtiæ nonnulli carnali otio vacantes, totum tempus, quod piis exercitationibus tranſigendum erat, in ludis, aleis, ſpectaculis, choreis, conviviis, accepti doni obliti, conſumunt. Et tamen, ſi Superis placet, devotos haberi & audire volunt.

Tertiò mundi corporis diſpoſitio exigit, ut accedens ad Euchariſtiam non fuerit nocturnâ pollutione, exceptis quibuſdam caſibus citra culpam contingentibus, fœdatus. Poſtulat hæc diſpoſitio, ut exponamus doctrinam S. Thom. *q.* 80. *art.* 7. ubi præclaras in hanc rem regulas præſcribit.

Prima regula: *Quotieſcumque pollutio nocturna eſt peccatum mortale, Communionis uſum ex neceſſitate impedit.* Tunc autem pollutio eſt peccatum mortale, quando adeſt voluntatis conſenſus, vel quando ex cogitationibus, imaginationibus, vel ſermonibus impudicis ultrò ſuſceptis proficiſcitur. Si enim peccatum mortale uſum Euchariſtiæ impedit, à fortiori pollutio ex peccato lethali conſequuta, quæ culpæ corporis immunditiam, & mentis hebetudinem ſuperaddit.

Secunda regula: *Quoties pollutio nocturna ſine peccato contingit, ſacram Communionem non impedit ex neceſſitate.* Tunc verò peccatum non intervenit, quando laſcivæ cogitationes prorſus involuntariæ & in ſe, & in ſua cauſa ſunt; quando etiam aliquis causâ lectionis, diſputationis, miniſterii Confeſſionis ea revolvere cogitur; unde imaginatio, & deinde corpus repugnante voluntate fœdatur; quando demùm pollutio ex cauſa merè naturali, putà infirmitate, jejunio & vigilia accendente ſanguinem, vel naturæ ſuperflua ejiciente expultrice facultate ortum habet.

Tertia regula: *Pollutio quæ ex ſola dæmonum juſtos à Communione ejuſq; fructibus arcere volentium nequitia oritur, nullatenus ſuſcipiendæ Euchariſtiæ impedimento eſt.* Unde in collationibus Patrum, collat. 22. legitur, Fratrem quemdam arte, & factiosâ ludificatione dæmonum diebus feſtis, quibus uſurpanda de more monaſterii Communio erat, obſcœnis illuſionibus divexari, & pollutione inquinari ſolitum, de ſeniorum & divino lumine perfuſiorum Patrum conſilio ab Euchariſtia ſtatis diebus frequentanda minimè, uti trepidus cœperat, abſtinuiſſe, & maligni ſpiritus inſidias in fumum evanuiſſe.

Quarta regula: *Pollutio per ſe & naturâ ſuâ ex quadam congruitate impedit pro illa die Communionem, niſi neceſſitas, vel obedientia, vel magna utilitas, aliáve pia cauſa aliud ſuadeant.* Ratio eſt, tum quia reverentiam Sacramenti non decet fœditas illa corporalis ex immundo fluxu conſequuta; ſi enim lavare manus præcipiuntur, qui ſacra tractaturi ſunt, quantò magis à pane Angelorum recedere debet, non nominandis ſordibus infectus? Excipe, niſi fluxus eſſet præ infirmitate vel continuus, vel certè frequentiſſimus. Tum quia pollutio nocturna ordinariè ex immundis cogitationibus naſcitur, ſive inter dormiendum excitatis, ſive in vigilia immiſſis. Unde mentis evagatio, cordis diſſipatio, orationis ariditas, fervoris imminutio interdum ſequuntur. Quæ omnia ſponſi veri lectulum virtutibus floridum nonnihil deturpant. Unde D. Thomas *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. docet, quòd quando nullus pollutionis conſenſus præceſſit, poteſt quis urgente neceſſitate aut ratione potiore ſuadente celebrare: *Aliàs*, inquit, *ſi neceſſitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento; non tamen ſi celebrat, mortaliter peccat, ſed venialiter.*

Excepimus tamen caſus non ſolùm malitiæ dæmonum inſidiantium, ſed etiam neceſſitatis, utilitatis, præcipuè obedientiæ, devotionis publicæ, aliarúmve cauſarum, quæ viris piis non rarò accidunt. Exceptio hæc traditur à B. Gregorio epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, reſponſione ad undecimam interrogationem, ubi ſic habet: *Cùm ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, omni modo hæc illuſio non eſt timenda; quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt, quàm feciſſe. Cùm verò ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii, vel Miſſarum ſolennia celebrandi, cùm fortaſsè aut feſtus dies exigit, aut exhibetur myſterium pro eo, quòd Sacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii, qui implere myſterium valent, illuſio per crapulam facta à perceptione ſacri myſterii prohibere non debet; ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtinere, ut arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concuſſerit.*

Quinta regula: *Poſt pollutionem mortalem nullus etiam confeſſus & abſolutus eodem die ſacram menſam adire debet.* Ita expreſsè D. Thomas *in* 4. *diſt.* 9. *citata*, in reſponſione ad ſecundum argumentum, ubi crimine pollutis, tametſi contritis, intervallum aliquod præſcribit, anteaquam ad Euchariſtiam accedant. *Non eſſet conſulendum alicui*, inquit, *quòd ſtatim poſt peccatum mortale etiam contritus & confeſſus ad Euchariſtiam accederet, ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere.* Sed de his capite ſequenti, ubi de frequenti Communione operoſiùs diſputabitur.

Quartò corporis munditiés ad altare apportanda petit, ut copula conjugalis, ſive illa debitum reddendo; ſive illa, & multò magis, debitum petendo contingat, toto Communionis die intermittatur. Etenim ex illa non minùs, ſed longè magis quàm ex pollutione involuntaria fœditas corporalis & mentis divagatio conſequuntur. Sanè, ut optimè poſt Hieronymum D. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 7. *ad* 2. argumentatur: Si panes propoſitionis ab his, qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò antè vacavêre amplexibus, violari atque contingi? Neque propterea nuptias condemnamus, ſed in tanti reverentiam Sacramenti à Chriſtianis petimus, ut eo die Agni immaculati carnes non comedant, quo à carnalibus operibus non deſiſtunt. Congruit

ergo hujuſmodi hominibus dilationem aliquam ſuadere, quamvis ſi copula procreandæ tantùm gratiâ prolis acciderit, poſt datum pietatis conſilium tales, ut Gregorius ait, ſunt ſuo judicio relinquendi.

Si verò copulæ non generandæ prolis, vel debiti reddendi causâ quis operam dederit, ſed una eo in opere voluptas dominata fuerit, tunc eo die ſacram menſam invadere non debet, alioquin in peccatum veniale incurret; cauſa enim voluptatis, quæ per ſe peccatum ſaltem veniale eſt, non eſt illis cauſis potioribus annumeranda, quæ, ut loquitur S. Thomas *in 4. diſt. 9. relata*, actum reformare ſeu purgare poſſunt. Itaque conjugati omni induſtriâ, quantùm in illis eſt, ſtudere debent, ut immaculatam caſtimoniæ puritatem illo vel maximè tempore teneant, quo venerandæ aſſiſtere menſæ, & ſacroſanctam ac ſalutarem eſcam percipere optant, ut ad gratiam cibi ſalutaris confidenter accedant, & corporis Chriſti realiter præſentis, realémque munditiam poſtulantis, participes facti, medicinâ tam divini remedii non fraudentur.

Jejunium ad ſacram Communionem, exceptis paucis extremæ neceſſitatis articulis, ſemper neceſſarium.

Hæc eſt ultima corporis diſpoſitio, quam irrident hujus temporis hæretici Lutherani, omnium quidem Catholicæ Chriſti Eccleſiæ rituum hoſtes, ſed jejunii potiſſimùm inimici, cui poſt ablegatum cœlibatum conſequenter quidem, ſed impiè tamen bellum indixerunt. Approbant quidem Calviniſtæ Euchariſtiam à jejunis ſumi: nolunt tamen de hac circumſtantia, ſicut & de aliis jure divino non inſtitutis, non eſſe ſolicitos, rati nullum niſi à Deo præceptum Chriſtianis poſſe imponi. At verò Lutherus, hæreticorum omnium impudentiam procacitate ſua vincens, *lib. de abroganda Miſſa privata*, conſuetudinem Eccleſiæ jejunium ad Communionem requirentis, & non jejunos velut indignos ab Altaribus arcentis, *furorem furore furioſiorem*, ipſe furibundus appellat, laudatque cibum moderatum ante Euchariſtiam acceptum, quo os mundetur, caput ſublevetur, halitus fortaſſis graveolentior purgetur, rheuma temperetur, fiatque homo corpore & animo compoſitiſſimus. Hi ſunt novi Galeni aut Hippocratis, vel potiùs Nabuzardami aphoriſmi, ſi Superis placet, apparando ad Euchariſtiam Chriſtiano peridonei.

At enim jejunos ad ſacram menſam nos accedere oportere, Eccleſia Catholica docet, ita ut ſaltem à dimidia antecedentis diei nocte uſque ad illud temporis punctum, quo Euchariſtiam accipimus, nihil omninò comederimus, aut biberimus. Hæc enim perpetua fuit Eccleſiæ praxis, cujus luculentiſſimus teſtis eſt Auguſtinus epiſtola 118. ad Januarium: *Liquidò apparet*, inquit, *quando primùm acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa Eccleſia, quòd à jejunis ſemper accipitur? Ex hoc verè placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti priùs in os Chriſtiani corpus dominicum intraret, quàm cæteri cibi; nam ideo per totum orbem mos iſte ſervatur.* Videa, Auguſtino atteſtante, Euchariſtiam à jejunis *ſemper, per totum orbem, ab univerſa Eccleſia* accipi. Irridet hæreſiarcha Lutherus hanc rationem libro ſuperiùs memorato. *Feſtiva*, inquit, *ratio. Fortè nec nebulam, nec aerem priùs intrare licet os Chriſtiani, ne Sacerdotibus reſpiratione & vita interdicatur?* Verùm hanc non feſtivam, ſed inſanam reſponſionem, & inſcitiam ſtupendam, nebulam & aërem à cibo non diſcernentem occupaverat & præfocarat, eâ epiſtola Auguſtinus hac duplici regula orthodoxa: *Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Alteram Auguſtinus regulam ſic ſtatuit: *Si quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Qua duplici regulâ totus Lutheraniſmus ad nihilum protſus redigitur. Hujus etiam moris meminit Tertullianus *lib. 2. ad uxorem, cap. 5.* Cyprianus *epiſt. 63.* Chryſoſtomus *homil. 27. in priorem ad Corinthios*, ubi: *Tu autem*, inquit, *priuſquam quidem communicas, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas.* Hinc Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13. *Licèt*, inquit, *Chriſtus poſt cœnam inſtituerit hoc venerabile Sacramentum, tamen ſacrorum Canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit & ſervat, quòd hujuſmodi Sacramentum nec conficiatur poſt cœnam, nec ſumatur à non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à jure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo.*

Triplicem porrò hujus eccleſiaſtici præcepti congruentem rationem affert Angelicus Præceptor *quæſt. 80. art. 8.* Primùm id poſtulat honor cæleſti cibo debitus; etſi enim quod intrat in os, non coinquinet hominem interiorem, corpus tamen quadantenus commaculat cibus corruptibilis: ut ergo os mundum & labia pura pani Angelorum offeramus, conſentaneum & decorum eſt, ab omni nos cibo potuque vacuos, ad ſacram menſam accedere. Secundò voluit eo jejunii inſtituto Eccleſia ſignificare, illis vel maximè abſtinendum eſſe ab iniquitatibus, illicitiſque cupiditatibus, quibus cibus per ſe licitus interdicitur, ut ſicut divinus hic cibus primò in os ſtomachumque trajicitur, ita primum in corde locum amor Chriſti obtineat, ut in charitate radicati & fundati, regnum Dei primùm quæramus, & unum neceſſarium præcipuo ſtudio ſectemur. Tertiò, ſi ante Communionem edendi bibendique licentia omnibus fieret, immineret non ſemel vomitus, ebrietatiſque, vel certè diſſolutionis, aut vanæ lætitiæ ex ciborum uſu ſponte fluentis periculum non ſine tantarum rerum tractandarum majeſtatis injuria vel irreverentia à piis manibus tum maximè præcavenda, cùm Sanctum ſanctorum, in cujus conſpectu columnæ cæli tremunt, adeundum eſt. Quartam rationem ſubindicat B. Thomas in reſponſione ad 6. Quia maxima devotio in hujus ſumptione Sacramenti deſideratur, quâ effectus hujus Sacramenti, ſpiritalis nimirum refectio, mentiſque pinguedo percipiatur. Quæ ſanè ſpiritûs ſuavitas, teneriimúſque divinorum ſenſus à jejunis potiſſimùm capitur: jejunium enim, uti Patres docent, & experientiâ compertum eſt, multiloquium pietatis hoſtem fugit, ſilentium devotionis fomentum ambit, mentem elevat, ſenſum purgat, concupiſcentiæ nebulas diſpellit, libidines extinguit, caſtitatis & orationis lumen accendit. Unde illud à Bernardo alicubi ſcriptum: *Jejunium orationem, devotionem, & fiduciam donat. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiã meretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio ſanctificat jejunium, & Domino repræſentat.*

Sed dices: Chriſtus inſtitutam poſt cœnam Euchariſtiam diſcipulis utique non jejunis diſtribuit. Apoſtolos etiam primis Chriſtianis Euchariſtiam poſt cœnam porrexiſſe, indicat Paulus 1. Cor. 11.

Cùm convenitis, inquit, *ad manducandum* (ſcilicet corpus Domini) *invicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet. Convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare. Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum?* Quibus verbis docere videtur Apoſtolus, quòd poſtquam aliquis domi manducaverit, poſſit in Eccleſia corpus Chriſti manducare; vel certè commune charitatis convivium Euchariſtiæ participationem tum temporis anteceſſiſſe, ſubindeque eam à jejunis non fuiſſe perceptam.

Reſpondeo, Chriſtum ſpecialibus de cauſis, atque loci, temporis, & rerum circumſtantiis id ita exigentibus, Euchariſtiam non jejunis diſtribuiſſe. Tum quia, ut Auguſtinus epiſtola citata ad Januarium, & poſt eum S. Thomas docet, quæ ab amicis recedentibus ultimò dantur, vehementiùs commendantur: ut ergo magnitudo immenſi beneficii, quo Chriſtus diſcipulos in finem dilexit, diſcipulorum cordibus & memoriæ altiùs infigeretur, profundiùſque impreſſum infiniti amoris pignus magis in veneratione haberetur, eo opere cætera quæque coronare, ſubindeque poſt ultimam cœnam inſtituere & porrigere voluit. Tum quia Euchariſtiam per modum teſtamenti, quod in extremis fieri ſolet, Chriſtus inſtituit. Tum quia, ut *libro de Corpore Domini, cap.* 20. Paſchaſius tradit, Apoſtoli ideo jejuni jam non erant, quia neceſſe erat, ut paſcha typicum priùs compleretur, & deinde ad verum Paſchæ Sacramentum tranſirent. Quæ rationes ſingulares non probant refectis vel cœnatis Euchariſtiam modò eſſe porrigendam. Unde, ut ibidem ait Auguſtinus, id nobis Chriſtus minimè imperavit, ſed judicio Apoſtolorum, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, totum permiſit. Nam ſi hoc Chriſtus inſtituiſſet, ut poſt cibos alios ſemper Euchariſtia acciperetur, profectò morem illum tota Eccleſia à Spiritu ſancto continenter gubernata, non vitiaſſet.

Ad locum Apoſtoli dicendum, in primitiva Eccleſia ad exemplum ultimæ Domini cœnæ, commune charitatis convivium, quod Agape dicebatur, ſolenni more celebrari ſolitum fuiſſe, in quo pauperes æquè ac divites dapibus, perſonarum diſcrimine abdicato, reficiebantur. In eam autem communem refectionem charitate ſuggerente inchoatam reprehenſi à Paulo, abuſus irrepſerant, quòd nimirum pauperes à divitibus non expectarentur, aliiſque ebriis alii eſurirent. Quo autem ordine celebraretur Euchariſtia cum agapis, varii variè exponunt. Opinantur nonnulli, Euchariſtiam medio in convivio, inter epularum lautitias, fuiſſe uſurpatam. Verùm ſicut irreligioſa fuiſſet hæc prophanorum cum ſacris commixtio, ita ab omni veriſimilitudinis ſpecie deſerta eſt illa ſententia. Græci poſt S. Chryſoſtomum arbitrantur, Euchariſtiæ uſum convivarum epulas antevertiſſe. Quo ſuppoſito, nulla ſupereſt in argumento difficultas. S. Auguſtinus epiſtolâ memorata docet, poſt commune convivium ſacram Communionem fuiſſe celebratam: ſi enim Euchariſtiæ uſus præceſſiſſet, non dixiſſet Apoſtolus, fideles ſe invicem non expectare, & unumquemque ſuam cœnam, id eſt aſportata in Eccleſiam edulia præſumere, id eſt, aliis non expectatis manducare; quia ſi omnes ſacræ Communioni convivium antecedenti interfuiſſent, nullus fuiſſet abſentium expectandorum locus, vel propter aliquos non expectatos culpa admiſſa. Accedit, docere Apoſtolum, indignè eos communicare, qui præter & contra modum convivia illa uſurpabant: indignam autem communionem non ſequentia, ſed antecedentia peccata faciunt.

Hoc ſuppoſito, duo reſpondere poſſumus: Primùm, Chriſtianos Chriſti exempli imitandi prætextu, convivium ſacræ Communioni à Pſeudoapoſtolis, vel proprio errore deceptos, præmiſiſſe. Quem errorem correcturus Apoſtolus, ait: *Qui eſurit, domi manducet*; id eſt, ſi expectare præ eſurie jejunus non poteſt, domi cibos ſuos manducet, nec poſtea Euchariſtiam ſumat tamen. Secundò dici poteſt, nondum tunc ab Apoſtolis inſtitutam fuiſſe jejunii Communioni præmittendi legem, ac proinde Chriſtianos licitè poſt cœnam ſacrum panem fregiſſe & accepiſſe: ex quo cùm plures abuſus etiam in illis primitivi Chriſtianiſmi fervoribus ortum habuiſſent, ejuſmodi abuſus corrigit Apoſtolus; cætera, ut ipſe eodem capite ait, cùm venerit diſpoſiturus; cætera, inquam, ad dignam, honeſtam, & conſentaneam tractandorum & uſurpandorum ſacrorum myſteriorum praxim & methodum ſpectantia, ex quibus unum, ut Auguſtinus tradit, erat jejunium ſacræ Communioni præmittendum, quod univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, quódve nullà morum diverſitate variatur.

Verum quidem eſt, alicubi à nonnullis aliquando obſervatum, ut ad Dominicæ cœnæ repræſentandam memoriam in illius diei feſto anniverſario Euchariſtiam cœnati reciperent: unde in Concilio Carthaginenſi III. *can.* 29. ſic legitur: *Ut Sacramenta Altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur.* Cujus conſuetudinis meminit Auguſtinus epiſtola ad Januarium ſæpè relata, ejúſque probabilem fuiſſe rationem ait. Meminit etiam Cyprianus *epiſt.* 63. viguiſſe etiam morem illum apud Ægyptios, authores ſunt Socrates *lib.* 5. *cap.* 21. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 19. & Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 34. Nihilominus tamen mos ille particularis fuit abrogatus nedum contrariâ & univerſaliori conſuetudine prævalente, ſed etiam expreſsè revocatus in ſexta Synodo in Trullo celebrata, *can.* 29. & Bracarenſi I. can. 10. *Si quis feria paſchali, qua vocatur Cœna Domini, hora legitima poſt nonam jejunus Miſſas non tenet, ſed ſecundùm ſectam Priſcilliani, feſtivitatem ipſius ab hora tertia per Miſſas defunctorum ſoluto jejunio colit, anathema ſit.* Solebant enim nonnulli occaſione Miſſarum pro defunctis guſtato cibo & potu Euchariſtiam conficere, cujus abuſus meminit Concilium Bracarenſe II. can. 10. *Cognovimus quoſdam Presbyteros in hujus præſumptionis audacia retinere, ut Miſſas mortuorum etiam poſt acceptum merum vel oblationem auſi ſint conſecrare.* ::: *Si quis Presbyter poſt hoc edictum noſtrum ampliùs in hac veſania fuerit deprehenſus, hoc eſt non jejunus, ſed quocumque cibo præſumpto oblationem conſecraverit in Altari, continuò ab officio ſuo privatus à proprio deponatur Epiſcopo.* Et in Concilio Toletano VII. *can.* 1. poſtquam ſtatutum eſt in eventu languoris Presbyteri miniſtrantis & conſecrantis, poſſe alium conſecrationem exequi officii cœpti; additur tamen: *Ne tamen, quod natura languoris cauſà conſulitur, in præſumptionis perniciem convertatur, nullus poſt cibum potumq́; quàmlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat. Qui contrà fecerit, excommunicetur.* Hinc generaliter agapes in Synodo VII. citata univerſim *can.* 74. interdictæ ſunt: *Non oportet in Dominicis locis vel Eccleſiis charitates quas vocant facere, & intus in æde comedere, & accubitus ſternere. Qui hoc fecerint, ceſſent, vel excommunicentur.*

Dices

Dices iterùm: Tota, vel certè præcipua imperandi ante Communionem jejunii ratio à Sacramenti debita reverentia depromitur. At moderatus cibus in minima præſertim quantitate ſumptus, exhibendæ ſanctiſſimo Sacramento reverentiæ non adverſatur: tum quia cibus modiciſſimus ſobrietatem non lædit, nec jejunium euchariſticum frangit. Tum quia modico cibo recreatis viribus communicantium & celebrantium, validior eſſet & alacrior anima ſacra meditantis conatus. Tum demum, quia non minor reverentia ſumpto quàm ſumendo Sacramento debetur, quam potiùs ex reali Chriſti præſentia augeri oportet. Ergo ſicut poſt ſumptum licet comedere Sacramentum, ita & ante ſumendum.

Reſpondeo, præter reverentiam interiorem, quâ corpus Chriſti tenemur excipere, deſiderari etiam exteriorem, quæ internæ ſignum eſt & incentivum: modus porro exterioris reverentiæ ille potiſſimus, cæteriſque omnibus anteponendus eſt, quem ſancta Eccleſia divinitùs inſpirata, & Patrum traditioni innixa præſcribit. Cùm ergo jejunium ſacræ communioni Eccleſia præmitti imperet in ſignificationem reverentiæ Chriſto à ſe exhibitæ, contra venerationis Chriſto debitæ officium peccat, qui Euchariſtiam poſt aliquid comeſtum, vel potatum accipere præſumit. Iis enim Chriſtus gaudet obſequiis honorari, non quæ de proprio arbitratu quiſpiam confingit, ſed quæ vel ipſe præcipit, vel Eccleſia Sponſa ſua gratiſſimis filiis ſuis injungit. Quare licèt modico cibo non violetur jejunium eccleſiaſticum, quod ad macerandam carnem inſtitutum cùm ſit, micâ panis, vel hauſtu aquæ corpori nihil nutrimenti præbentibus nequaquam frangitur: attamen Euchariſtiæ præmittendum eſſe jejunium naturale, quidquid trajicitur per modum cibi aut potus excludens, Eccleſia in honorem hujus Sacramenti, aliiſque de cauſis ſapientiſſimè imperavit.

Robur autem corporale ex modico præaſſumpto cibo proficiſcens, aliis longè majoribus utilitatibus ex jejunio ſponte manantibus concedit (ut fecundæ inſtantiæ fiat ſatis.) Carnis enim munditiea & afflictio ex jejunio conſequuta, vitiorum morbos aufert, carnis paſſiones amputat, criminum cauſas, & concupiſcentiæ nebulas propellit. Denique vacuato ventre moderatione jejunii, exoneratus animus ad alta protendit; conſcendit ad virtutes, & ad ipſum nititur pietatis authorem totus aliger pervolare. Hinc Chryſologus *ſerm. 31.* explicans, quomodo ad communionem jejunium diſponat, ſic egregiè habet: *Sicut utres pellium ab omni ſquallore purgantur, & pigmentis liniuntur odoratis, ut ſaporem vini poſſint inviolabilem cuſtodire; ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum ſquallore purgantur, & fiunt utres divinis torcularibus apti, ut de prælo crucis accipiant vinum novum, & incorruptam novitatem conſervent.*

Ad id, quod ultimò objicitur de jejunio poſt Euchariſtiam peræquè atque antè ſervando, reſpondetur cum S. Thoma *ad 6.* quòd maxima devotio requiritur in ipſa ſumptione hujus Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus. Quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quàm per ſequentia: & ideo potiùs ante ſumendam, quàm poſt ſumptam Euchariſtiam jejunium inſtitutum eſt. *Debet tamen*, inquit Doctor piiſſimus, *eſſe aliqua mora inter ſumptionem hujus Sacramenti, & reliquos cibos. Unde & in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt Communionem dicitur, & communicantes etiam ſuas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones ſtatutum eſt a Papa Clemente, ut habetur de conſecratione, diſtinctione 2. Si manè Dominica portio editur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui eam ſumpſerint: & ſi tertia vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperum. Antiquitùs enim rariùs Miſſarum ſolennia celebrabantur, & cum majori præparatione. Nunc autem, quia oportet frequentiùs ſacra myſteria celebrare, non poſſet de facili obſervari. Et ideo per contrariam conſuetudinem eſt abrogatum.*

Etſi autem peractâ Miſsâ poſſit quis alios cibos urgente præſertim infirmitate, vel debilitate accipere, dedecet tamen ab Altari ad menſam ſtatim convolare; expedit verò accepto dono frui, divinum hoſpitem omnibus pietatis officiis demereri, & in eo fide & charitate manere, qui realiter in nobis manet. Tunc anima veluti ſpeculum mundum Soli ſe debet juſtitiæ exhibere, ut ſicut ipſe promiſit, charitatem quam dedit ei Pater, det & ipſi. Monet Spiritus ſanctus *Proverb.* 23. juxta lectionem Septuaginta: *Cùm ſederis ad menſam Principis, diligenter attende, quæ apponuntur tibi, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſciens quòd talia oportet te parare.* Totidem verba, totidem documenta. *Cùm ſederis.* Sedeat oportet anima cæleſti cibo paſta, id eſt, à negotiorum, & multiplicium cogitationum importunâ turbâ quieſcat ſolitaria, & tacens levet ſe ſupra ſe, concupito bono jam poſſeſſo fruitura. Sedeat, ut in illa felici hora, ſed brevi cæleſtis ſuavitatis mora guſtet, quoniam ſuavis eſt Dominus, & bonus his, qui recto ſunt corde. Perpendat, ſe ſedere *ad menſam Principis*, ſibique diſponi à Chriſto, ſicut depoſuit ei Pater regnum, ut edat & bibat ſuper menſam ejus in regno ejus, quod eſt Eccleſia. *Ad menſam Principis.* Exclamet ergo: Unde hoc mihi, ut Rex Regum, & Dominus dominantium veniat ad me? Maria poſt incarnatum Verbum aſcendit in montana, ſalutavit Elizabeth, Deum magnificavit. Euchariſtiam extenſionem Incarnationis Patres appellant: ergo poſt incarnatum in te Verbum, aſcende in montana, montem perfectionis conſcende, ardua chriſtianæ ſanctitatis propoſita concipe, olimque concepta inſtaura. Saluta Elizabeth, pro fratribus vivis & defunctis preces eò temporis pretioſiſſimi Deo per unionem ad Chriſtum acceptiſſimas funde. Deum magnifica, & dicito: Exulta, & lauda habitatio Sion; quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.

Diligenter attende, quæ apponuntur tibi. Doni magnificentia, donantis amor, Paſtoris ovem proprio cruore paſcentis pietas, Medici ad infirmitates curandas comparata præſentia, Doctoris veritatis radios affundentis familiaritas mentis tuæ oculis jugiter obverſetur. *Et ſtatue cultrum gutturi tuo.* Circumcide nimirum concupiſcentiæ motus, & parvulos tuos, ut loquitur Propheta, allide ad petram. Scandalizantis te oculi tui vanos illicitóſque conjectus amputa, illúmque imitare, qui pepigerat fœdus cum oculis ſuis, ne cogitaret de virgine. Denique margaritiferum conchilium imitare, poſt acceptum de cælo pluente rorem illum fœcundum, unde unio concreſcit, teſtam naturâ duce obturat, ne ulla amaris & ſalſis maris undis vel rima pateſcat. Ad Altare dum ſedes, rorant cæli deſuper, pluunt juſtum, & in te germinant Salvatorem: ergo maris hujus magni & ſpatioſi, mundi ſcilicet impuris aquis oſtium cordis occlude; quia amicitia mundi, Dei inimicitia eſt, atque inimicus Dei conſtituitur quicumque amicus mundi eſſe voluerit. *Sciens quòd talia oportet te parare.* Quis

enim

enim neſcit, retribuenda eſſe bona pro bonis, & ingrati eſſe, amorem ſi nolebat impendere, nolle rependere? Quis neſcit cum Seneca, ſapientis eſſe benè debere, beneficia benè ſolvere, vel ſi ſolvere non datur, benè fateri? Quis neſcit cum Chryſoſtomo, Bernardo, aliiſque Patribus, optimam beneficiorum cuſtodem eſſe ipſam memoriam beneficiorum, & perpetuam confeſſionem gratiarum: danti rependi quidquam gratiùs ab accipiente non poſſe, quàm ſi gratum habuerit, quod gratìs accepit; nam ſpiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis gratâ mente non ſuſcipit: & jugiter ſibi ſubvenire facere, cui collatum beneficium ante oculos ſemper aſſiſtit; quia meliora meretur ſuſcipere, qui collata beneficia de corde non probatur amittere? Talia ergo paremus; amor amori, charitas reſpondeat charitati, & ſoliciros inveniat, qui non ſolicitè tam quæſivit. Talia oportet parare, quia ſi referre gratias non poſſumus, agere certè debemus. Quid autem meliùs, ut alibi ex Auguſt. diximus, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? Hoc nihil dici breviùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi gratiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt. Ante Communionem mente purgatus ſummum bonum Chriſtum totis cordis medullis, totis præcordiorum affectibus concupiſce, dicáſque cum Auguſtino lib. 1. Confeſſ. cap. 5. *Quis mihi det, ut venias in cor meum, & obliviſcar mala mea, & tu ſolus ſis bonum meum, & inebries illud?* Poſt Communionem illud ejuſdem Auguſtini, vel aliud ſimile eructa verbum bonum: *Anguſta eſt domus animæ meæ, quò venias ad eam, dilatetur à te; ruinoſa eſt, refice eam. Habeo quæ offendant oculos tuos, fateor; ſed cui alteri præter te clamabo: ab occultis meis munda me.* Hæc & alia ſuggeret unctio docens omnia, & ſpiritus precum qui facit quæ Deo ſunt placita, poſtulare.

Nonnulla Conſectaria paucis derivantur.

Ex dictis ſequitur 1. Jejunium ad Euchariſtiam neceſſarium, eſſe jejunium naturale, importans privationem cujuſcumque præaſſumpti per modum cibi aut potus. Et ideo, inquit S. Thomas, neque poſt ſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcunque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert, utrùm aliquid hujuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodò ſumatur per modum cibi, vel potus. Illud porro per modum cibi vel potus accipitur, quod ore ſumitur comedendo & bibendo, ita ut glutiatur, & in ſtomachum hauſtu orali tranſmittatur. Unde quod per modum ſalivæ, vel halitus ſumitur, jejunium naturale non ſolvit. Ac proinde, ut idem B. Thomas ait, reliquiæ cibi remanentes in ore per modum ſalivæ trajectæ, hujus Sacramenti ſumptionem non impediunt. Et eadem ratio eſt de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur; quæ in parva quantitate ſalivæ permixtæ, non ponunt in numero cum ſaliva. Idem dicendum eſt de re quavis ad percipiendum ſaporem guſtata & ſtatim exſpuita. Idem facilè cum viris piis, quos conſilii causâ adivi, de foliis plantarum, vel fragmentis arborum vel radicum crediderim, quæ cùm ad exciendam pituitam mox exſcreandam aſſumantur, nihil ibi apparet, quod per modum cibi recipiatur, tametſi fortaſſis, & ut D. Thomas ait, *caſualiter* aliquid admixtum ſalivæ trajiciatur: *Quæ interiùs ingeruntur,* (regula eſt à S. Thoma in 4. *diſt. 8. quæſt. 1. art. 4.* tradita) *ſine exterioris cibi ſumptione non videntur ſolvere jejunium naturæ, nec impedire Euchariſtiæ perceptionem.* Non eſt tamen idem judicium ferendum de ſacchro vel ſalgamo ad epiphoram & aſperi humoris acrimoniam leniendam aſſumpto; quia cùm diſtillantis pituitæ vim non temperet, niſi glutiatur, profectò per modum cibi accipi, jure merito cenſetur.

Sequitur 2. illos, qui poſt cœnam noctem ducunt inſomnem, ſi manè Euchariſtiam adeant, contra præceptum jejunii minimè peccare, nec generali Eccleſiæ conſuetudini jejunium naturæ ſtrictè obſervanti, adverſari, quamvis alioquin ſint præ cruditate, vel nimia vigilia indiſpoſiti. In hoc tamen tertiæ partis articulo ſæpè laudato obſervat Angelicus Doctor, totus in hujus diviniſſimi Sacramenti reverentiam profuſus, quòd ſi præ indigeſtione vel vigilia mens admodum perturbetur, *homo redditur ineptus ad ſumptionem Sacramenti.* Et ſic interpretandum venit caput *Si conſtiterit*, de accuſationibus. Ubi Sacerdos, quia in caupona pernoctaverat, nullâque præmiſſâ dormitione Miſſam celebrarat, Eccleſiæ adminiſtratione privatus fuit. Non enim quia poſt cibum potumque non dormierat, plexus fuit, ſed propter acceptum poſt medium noctis cibum, vel certè præcipuè ob comeſſationis & vinolentiæ turpitudinem; quamvis, uti dictum eſt, mentis perturbatio ex inſomni nocte protecta percipiendæ cæleſtis alimoniæ ſuavitati impedimento ſit. Quia nimirum cæleſtis Euchariſtiæ cibus dum ore ſumitur, cogitatione & amore concoquendus eſt: onde ſi præ mentis languore & inertia, undecumque tandem proficiſcatur, divinas res cogitare, Chriſtum ſpiritualiter manducare, & ut loquitur ſanctus Bonaventura, fide & charitate maſticare & ruminare non poſſumus, tutiùs eſt & utiliùs paululùm à ſacra menſa ſecedere, quoad Spiritus ſancti fervore concepto, munda efficiamus venientis in nos Chriſti receptacula. *Nemo nauſeans*, inquit Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. *ad hanc menſam adeat, nemo remiſſus: ſed alacres, accenſi, & ferventes omnes accedant. Nam ſi Judæi ſtantes, calceati, ac baculos in manibus habentes cum feſtinatione paſchalem Agnum comedebant; quanto magis vigilare nos decet, vividoſq; & inflammatos ad Sacramentum iſtud animos afferre.*

Excipio juſtos illos, qui corde ſincero Deo intimè cùm adhæreſcant, vel malitiâ dæmonis interioris hominis habitum perturbantis, vel Deo ipſo juſtis de cauſis teneriorem pietatis ſenſum, & gratiæ cæleſtis uberem ſuavitatem ſubducente, ariditate interdum & quadam ſterilitate afficiuntur. Tunc enim animus in Dei nutu & providentia prorſus conquieſcens, ut ſe in his difficultatibus & ſpinis, quamdiu libuerit, exerceat, pietatis munia fortiter interim proſequens, humilis, & de miſericordia Dei confiſus accedat: modò tamen orationi firmiùs incumbat, gemat, quærat, pulſet, neque ab incepto antè deſiſtat, quàm exprimere à Deo nonnullos gratiæ radios mereatur. Nam ut Thomas à Kempis *lib. 4. de Imit. Chriſti* ait: *Oportet te devotionis gratiam inſtanter quærere, deſideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conſervare, ſtudioſè cum ea operari, ac Deo terminum & modum ſupernæ viſitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipuè te debes, cùm parum aut nihil devotionis interiùs ſentis; ſed non nimium dejici, nec inordinatè contriſtari: Dat ſæpè Deus in uno momento, quod longo negavit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis diſtulit dare. ::: Dat Dominus*

ibi

ibi benedictionem ſuam, ubi vaſa vacua invenerit: & quantò perfectiùs inſimus quis renuntiat, & magis ſibi ipſi per contemptum ſui moritur, tantò gratia celeriùs venit, copioſiùs intrat, & altiùs liberum cor elevat.

De iiſdem faſtidiis & languoribus, quibus interdum pii ſubjecti ſunt, & à Deo probandorum eorum animorum, vel purgandorum defectuum causâ exercentur, quæque in optimum quemque cadunt, Patres ſpiritales intelligendi ſunt, dum ajunt ob immiſſum quendam torporem non debere ſe juſtos ab hoc Sacramento ſummovere. Rem hanc præclarè exponit S. Bonaventura *lib. de profectu Religioſorum, cap. 77.* ubi ait eos *qui ſtudent magis innocenter vivere, & ſtudio devotionis frequentiùs intendere, confidentes de miſericordia Dei fiducialiter accedere oportere, licèt quandoque tepidè ſe habeant, nec ſentiant ſpecialem devotionis gratiam, cùm ſe ad illam præparare ſtudent,*

Sequitur 3. à generali regula & præcepto jejunii Euchariſtiæ præmittendi homines in extremæ neceſſitatis articulis poſitos excuſari. Patet ex dictis; cùm enim hoc præceptum ſit Eccleſiaſticum, eos non obligat quos ipſa Eccleſia excipit. At Eccleſia in multis caſibus ab hac ſua lege diſpenſat, nihil quidem de ſua in tantum Sacramentum reverentia remittens, ſed extremis filiorum ſuorum neceſſitatibus (quæ materna ejus pietas eſt) conſultura.

In primis ab hac lege, ut ait D. Thomas in fine corporis articuli octavi ſæpiùs memorati, excipiantur infirmi periculosè ægrotantes, qui ne ſine Communione decedant, ſtatim poſt acceptum etiam cibum communicandi ſunt, quia neceſſitas legem non habet. Unde *de conſecratione diſt.* 2. ex Concilio Wormatienſi dicitur: *Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur.* Nec expectandi ſunt extremi mortis agones, tum ut ne repentina morte ægrotus opprimatur, tum ut vigentibus adhuc animi ſenſibus, nondumque fractis corporis animique viribus, homo ſit ad cœleſtem edendum cibum, ejuſque percipiendam ſuavitatem paratior. Neque etiam ad ſervandam illam Eccleſiaſticam jejunii legem debet Euchariſtia aliqua poſt mediam noctem hora porrigi, quòd infirmus per alicujus horæ intervallum poſſit jejunus permanere: non, inquam, opus eſt illas ſcrupulosè horas aucupari; quia conſuetudo Eccleſiæ, quæ optima eſt legum interpres, non habet ut intempeſtiva importunæ noctis hora Euchariſtia, niſi alioquin urgens neceſſitas exigat, deferatur. Hora ergo cùm infirmo, tum Sacerdotibus commoda expectanda eſt, nec interim ægrotus à neceſſariis cibis, medicinis, aliiſque ſe debet ſolatiis abſtinere. Id verò non una tantùm vice in gravi morbo licitum eſt, quia periculo durante, aut recrudeſcente, aut poſt aliquod ſanitatis intervallum redeunte, poteſt infirmus Chriſti corpore iteratis vicibus refici, aliquot modò dierum interſtitium ſervetur, ut in pleriſque ritualibus determinatum eſt. Alioquin ſi præ devotione Communionem uſurpare frequentiùs aveat, lex jejunii ſervanda eſt, horaque ad id opportuna, ut in ſacris cœtibus fieri aſſolet, ſeligenda.

Secundò ſolvi jejunium oportet, ſi alioquin inceptum ſacrificium percipi, conſummarique non poteſt: verbi gratia ſi Sacerdos poſt conſecratam alteram ſpeciem, ſecundam conſecrare; vel poſt conſecratam utramque, conſummare eam infirmitate correptus non valet, poteſt Sacerdos non jejunus (ſi jejunus præſto non ſit) ſacrificium peragere & perficere. Similiter ſi poſt ſumptam panis ſpeciem, ſolam aquam in calice (quam vinum eſſe inter proferenda conſecrationis verba putaverat) reperit & bibit, vinum debet iterum conſecrare, incipiendo ab illis verbis Canonis: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*, &c. quia ut habetur in rubrica Miſſalis omninò legenda, divinum de perfectione incepti ſacrificii præceptum majoris eſt ponderis quàm quod à jejunis Eccleſia jubente ſumatur. Idem dicendum eſt, ſi Sacerdos poſt unam aut utramque ſpeciem conſecratam recordetur ſe non eſſe jejunum; non enim debet à perficiendo ſacrificio ob allatam rationem deſinere. Quod idem dicendum putant Doctores, ſi fracti jejunii ante conſecrationem meminerit, aliquod ſi ſcandalum, vel aſtantis populi perturbatio timeatur. Secus eſt, ſi ſublato ſcandali vel infamiæ periculo violati jejunii recordetur; tunc enim tutius eſt ab incepta Miſſa deſiſtere, & ab Altari ſe arcere. Eadem de causa conſecratarum hoſtiarum reliquiæ poſſunt à celebrante, antequam ab Altari diſceſſerit, poſt ablutionem accipi, cùm ad ejuſdem pertineant ſacrificii integritatem. Quod idem dici debet de reliquiis Communionis Fidelium ab ipſo Sacerdote conſecratis. Si autem Sacerdos ab Altari receſſerit, tutius foret eas reſervari; ſi tamen irreverentiæ, vel amiſſionis periculum illum immineat, ſumi eas ſatius eſt, quàm perire.

Tertiò poteſt & debet inſtante ſanctiſſimi Sacramenti conculcandi, inhonorandi, vel ab infidelibus comburendi periculo Euchariſtia à non jejuno Sacerdote vel laïco accipi, ne ſanctum detur canibus, & cœleſtis margarita ante infandos porcos projiciatur. Jejunium enim in reverentiam hujus Sacramenti inſtitutum eſt: ergo ad evitandam majorem Sacramenti irreverentiam & indigniſſimam ſceleratorum hominum profanationem, Euchariſtiam ſumi nullus debet præaſſumptus cibus impedire. Laudatur eximia cujuſdam Sacerdotis Ordinis noſtri pietas, qui ut Euchariſtiam ab adventantium militum copiis profana quæque & ſacra vaſtantibus tueretur, jejunus toto die & excubias agens permanſit, ut ad Eccleſiam ſe admovente appropinquantium hoſtium exercitu Euchariſtiam ſumeret, & Sanctum ſanctorum pectoris aſylo vallatum protegeret. Sed ad tantum tantæ pietatis officium nullo præcepto aſtringebatur: ſed quid debeat, quid poſſit aut non poſſit, non reſpicit vis amoris. Sanitatis ſevero jejunio frangendæ diſcrimen humana prudentia piiſſimo Sacerdoti objiciebat: at amor ignorat judicium, ratione caret, conſilium neſcit: amor non accipit de difficultate ſolatium, nec de impoſſibilitate remedium: amor impenetrabilis eſt lorica, periculis inſultat; ſi amor eſt, vincit omnia. Amore Chriſti ſuccendi heroicum illum Sacerdotem, & tota religioſiſſimæ ejus vitæ ſeries, & ejuſdem mors, quam in conſpectu Domini pretioſam omnes qui nôrunt, piè credunt, & ſuaviſſimus ejus quæ in benedictione eſt memoriæ odor perſuadent.

Quartum caſum profert Major affirmans licere Presbytero, ne ſine Viatico infirmus moriatur, poſt prandium hoſtiam, vel etiam fermentati panis particulam clam & abſque ſolennitate per ſola conſecrationis verba conficere, confectamque moribundo porrigere, ratus accipiendi è tanto Sacramento præſidii neceſſitatem legi eſſe jejunii anteponendam. Verùm hæc ſententia & à conſuetudine Eccleſiæ, & à veritate abhorret. Etenim multa involvit & invehit hæc ſententia, quæ Chriſti inſtitutioni & Eccleſiæ moribus repugnant.

Nam Euchariſtiam dimidiato ſacrificio conficere, ſectarium eſt; buccella autem panis abſque calice conſecrata pars ſacrificii eſt, non integritas. Non poteſt etiam Sacramentum hoc à Sacerdote confici, niſi ab eodem ſumatur: ergo unicum panis fruſtulum infirmo mox deferendum conſecrare ſacrilegium eſt. Denique in fermentato quavis de cauſa conſecrare Romana & Occidentalis Eccleſia nunquam permittit. Præceptum autem Viatici ſub articulum mortis recipiendi momentoſiori de non dimidiando ſacrificio legi concedit: præſertim cùm priori votis & Communione ſpirituali ſatisfieri in illis anguſtiis poſſit. Unde ſi contingat, ut dum infirmo imminentis mortis periculum ingruit, nulla ſit in pyxide hoſtia, ſitque jam dies progreſſus, quando nullus Sacerdotum jejunus eſt, non debet Euchariſtia violatis Dei præceptis & Eccleſiæ ritibus confectari. Conſuli etiam oportet tanti Sacramenti reverentiæ, ne indecenter & perfunctoriè celebretur.

REFLEXIO.

Quis tetigit veſtimenta mea? Et dicebant ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis, Quis me tetigit? Marci 5. Quærit Jeſus ſolicitè mulierem illam ab annis duodecim profluvio ſanguinis laborantem; miratur fidem; ſuſcipit pietatem, reſtituit ſanitatem. Sed cur illam circumſpicit tangentem fimbriam; & turbam circumfluentem & comprimentem oculatiſſimus Dominus non attendit? *Multi premunt*, inquit Auguſtinus *ſed pauci tangunt.* Multi Euchariſtiam frequentant, pauci uberes Euchariſtiæ fructus capiunt, quia accedunt imparati. Juxta menſuram vaſculorum, inquit alicubi S. Hieronymus, infundit Deus liquorem, tantùm muneris largiens, quantùm poteſt ille, cui donatur, accipere. Ingrediens Salvator in patriam ſuam, *non poterat ibi*, ut habetur Marci 6. *virtutem ullam facere.* Quomodo non poterat? Nunquid alligari poſſunt Omnipotentis manus? Nunquid ei non omnis data eſt in cœlo, terraque poteſtas? Abſit. Sed divinæ poteſtati ſapientia & providentia præluceut, quæ in diſpenſandis cœleſtium munerum munificentiis hominis cum Dei auxilio ſe præparantis diſpoſitiones attendunt. Cum Sanctis ſanctus eſt Deus; *Quidni*, inquit Bernardus ſerm. 69 in Cantica, *& cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſolicitus cum ſolicito?* Sacramenta novæ legis, eorúmque fœcundiſſimum Euchariſtia cauſæ ſunt gratiæ naturales: at illud cauſam phyſicam inter & liberam intereſt diſcrimen, quòd iſta pro ſuo arbitratu bona ſua profundit, ſpretiſque perſæpe recipientium dignitatibus beneficia largâ manu pronaque in immeritos ingratóſque confert & congerit, etiamſi initritum dare ſe noverit. At illa toto virtutis conatu juxta recipientis capacitatem ſe exſerit: tantùm enim caloris ignis, tantùm lucis Sol influit, quantùm ſubjecta ſibi materia capere poteſt. Ergo ſi nihil ex Euchariſtia utilitatis reportes, id uni tuæ inhabitati recipiendis divinis ſavoribus impari aſcribe.

Quis deplorandam tot Altaria frequentantium poſt plura quotidie celebratarum Miſſarum luſtra egeſtatem ab omni gratia & ſanctitate deſertam non defleat? Scio equidem charitatis augmentum occultiſſimum ipſum latere habentem, & ſub cineribus foveri ignis ſcintillas, & arbores quas creviſſe non vidimus, incrementum adeptas apparere. Sed à fructibus cognoſcimus ea. At quomodo tot Communionibus uſurpatis creſcit amor, qui nunquam factis egregiis prodit foras? Et tamen verus amor, Gregorio authore, non eſt otioſus, ſed operatur magna, ſi eſt; & ſi non operatur, non eſt.

Ne mirare. Ab Euchariſtia charitatis augmentum non accipit, qui amoris præparationem non affert; quia ejus vis & efficientia ſuſcipientis diſpoſitione continetur. Non prodeſt panis vitæ & intellectus, niſi dum ore ſumitur, mox mentis attenti & cordis amantis ardore coquatur. De frequentanda Euchariſtia ſolicitos multos cernimus; de excolendo componendoque animo paucos videmus curioſos. Hinc peccata venialia pro nihilo ducunt; nihil ab eis metuunt, ne quidem cùm ad myſteriorum omnium maximè terribile accedunt. Peccata illa, ſine quibus hìc non vivitur, pœnitentiæ remediis, piorúmque operum exercitationibus mundare non ſatagunt. Non curant deſidiam occupatione, loquacitatem ſilentio & in privatas domûs latebras receſſu, maleloquentiæ pruritum laude & commendatione, ſuſpiciones iniquas interpretandi benignitate, nimiam parſimoniam & in egenos duritiem liberalitate ac munificentiâ, ſuperbiam humilitate & modeſtiâ, voluntatis alienationem blandâ appellatione & charitatis ſignificationibus, ſegnitiem vigilantiâ & orationis inſtantiâ, voluptatum amorem ſenſuum caſtigatione & continentiâ, temperamenti ſtomachoſi acerbitatem manſuetudine ac morum commoditate ſarcire & compenſare. Hinc eſt, ut notat Auguſtinus homilia 50. *Quòd omnia illa peccata ſimul congregata velut ſcabies noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius ſponſi ſpecioſi formâ præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent.*

CAPUT II.

De frequenti Communione: ubi de Euchariſtia uſurpanda tradita à Patribus regulæ præſcribuntur.

HÆretici noſtrates omnem carpendæ, infamandæque Catholicæ Eccleſiæ occaſionem quæritantes (occaſiones enim quærit, qui vult recedere ab amico,) eccleſiaſticum de Communione annua præceptum ut accuſent, contendunt cum Calvino *lib. 4. inſtit. cap. 17. §. 44. & 46.* legem illam Chriſti inſtituentis intentioni & munificentiæ repugnare; quippe qui Euchariſtiam Eccleſiæ reliquit, quo frequenti in uſu Chriſtianis omnibus eſſet, crebráque memoriâ paſſio Chriſti repeteretur. Unde pro ſua impietate concludit, conſuetudinem quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſſe diaboli inventum, cujuſcumque tandem miniſterio invectum fuerit. Sed non advertit vir hæreſeos tenebris occæcatus, Catholicam Eccleſiam non hanc ſanxiſſe legem, ut à ſacræ Communionis frequenti uſu dignos arceret, quæ omnes ſtimulat & hortatur, ut eam vitam agant, quæ tantum cibum quotidie mereatur accipere, quæ in omnibus & ſingulis ſacrificiis aſtantium aliquos ſacrorum myſteriorum optaret eſſe participes, quæ ignavorum torporem objurgat, quæ vero omnes gregatim invitat, ut animum ſic excolant, ſic componant, ut fiant ad divinas lautitias frequenter deguſtandas idonei. Sategit ergo duntaxat câ lege Eccleſia, ut cùm eò frigiditatis & teporis res adducta eſſet, ut in plures annos Euchariſtiæ Communio differretur, ſemel ad minus ſingulis annis in Paſcha fideles omnes ſacrum Domini Corpus acciperent. Non intendit tamen ſancta Ec-

cleſia,

cleſia, ut qui ſemel communicaverunt, quaſi in reliquum anni tempus pulchrè defuncti, & in utramque aurem ſecurè dormientes, de iterando cœleſtis cibi uſu nunquam cogitent; ſed cùm omnes ad frequentem Communionem aptos velit, & hortetur, regulas tamen præſcribit ad quas Communionis frequentia & raritas exigantur. Quas in ſequentibus proponere & ſtabilire operæpretium eſt, quas prætermiſſa triplicis ſpeculationis ſolita ſectione, dearticulatè ante Lectorum oculos expandemus.

PRIMA REGULA.

Innocentes Euchariſtiam frequenter uſurpare oportet.

TOti diſſertationi una diſtinctio præmittenda omninò eſt veluti fundamentum, cui veram ſententiam ſuperſtruere oportet; quâ ignoratâ, innumeris datur æquivocationibus & ſophiſmatis locus. Conſiderandum ergo ante omnia eſt diligenter, Eccleſiam ex duplici hominum genere conſtare; alii enim innocentes ſunt, alii peccatores. Innocentes dico, qui tametſi peccatis venialibus obnoxii ſint, Baptiſmi tamen gratiam inviolatam, & incolumem tenent. Peccatores verò illi dicuntur, qui Baptiſmi gratiam peccato aliquo letbali violarunt, & extinxerunt. Porrò ſicut innocentibus accenſeri meritò poſſunt rei poſtquam criminum maculas longa & accurata pœnitentia eluerunt, atque ad laudabilis chriſtianæ vitæ inſtitutum ſeſe retulerunt; ita à fortiori peccatoribus annumerandi ſunt, qui acceptam in tribunali pœnitentiæ indulgentiam & gratiam novis prolapſionibus violant. Hoc prælibato;

Diximus certo eſſe, innocentes, qui Baptiſmi gratiam, ac ſancti Spiritus plenitudinem Baptiſmo & Confirmatione acceptam, inviolatâ puritate obſervant, vel poſt dignos pœnitentiæ fructus, à peccatis ſe abſtinent, frequenter Communionem ſacram adire oportere. Patet id ex libro Actuum Apoſtolorum, *cap.2.* ubi fideles dicuntur perſeveraſſe in doctrina Apoſtolorum, in orationibus, & in communicatione fractionis panis; quæ fractio à Catholicis Doctoribus de ſacra Communione intelligitur. Porrò illi Eccleſiæ primigeniæ fideles à Baptiſmi fonte recedentes veterem hominem cum actibus ſuis exuerant, novumque induerant; fide grandes miraculis ſigniſque clarebant; ſpe ſublimes terrena calcabant, cœleſtia confectabantur, ita ab omnibus effectibus expediti, ut ſuas res omnes ad Apoſtolorum pedes projicerent; charitate verò, quæ vinculum perfectionis eſt, ita ferventes, ut eorum omnium cor eſſet unum & anima una. Unde ſignanter de eis dicitur, quòd perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, hoc eſt, divinas inſtitutiones, quas Apoſtoli à Chriſto didiſcerant, præcipuâ religione cuſtodiebant. Illud etiam non omittendum, illam fractionis panis communicationem primos illos fideles frequentaſſe dici, cùm Spiritus ſancti plenitudinem ſacro die Pentecoſtes recepiſſent, quo intelligeremus Spiritus ſancti illapſu homines ad illum Angelorum panem edendum idoneos fieri; ut ſicut ad Incarnationis opus immenſum ſupervenieus Spiritus ſanctus virginalem Deiparæ Mariæ ſinum ſuis muneribus præmunivit, ita ad Euchariſtiæ, quæ ſecundùm Patres Incarnationis extenſio eſt, uſum idem Spiritus gratiæ ſuæ donis inſtruat & paret.

Hinc in primitiva Eccleſia, quando ſanctior diſciplina vigebat, tremendo ſacrificio circunſtantes fideles, quos ferveſcens adhuc & quaſi ebulliens Chriſti ſanguis illius amore impleverat, & flagrantes igne illo divino, quem in terram mittere Chriſtus venerat, venerandis ſeſe ſiſtebant Altaribus divino ac cœleſti pane reficiendi, ut ex canonibus Apoſtolorum, atque ex Beatorum Clementis & Dionyſii ſcriptis liquet. Id ſibi vult B. Martyr Ignatius *in epiſt. ad Epheſios*, dum ad frequentem eos Communionem (ſi tamen de ſacramentali Communione, & non potiùs de Chriſtianorum conventibus, quibus ad Dei laudes & gratiarum actiones celebrandas Chriſtiani coëuntes conſentiunt, loquitur, ut docti nonnulli ex contextu interpretantur) hac ratione hortatur; quia eo uſu frangitur diſſipatúrque omnis impugnatio immundorum ſpirituum, labefactantur vires ſathanæ, & ignita illius ad peccandum jacula irrita reſiliunt. Illos namque alloquitur vir ſanctus, *qui in Chriſti gratia permanſerunt*, quique *miſericordiam* conſequuti, *in Chriſto Jeſu confirmati ſunt.*

Eodem ſenſu B. Ambroſius *lib.4. de Sacramentis, cap.6.* & *lib.5. cap.6.* ait, quotieſcumque effunditur ſanguis in remiſſionem peccatorum, debere illum accipi, ut ſemper peccata remittantur, & ſemper peccantes ſemper medicinam accipere oportere. Ibi enim loquitur de venialiter peccantibus, cùm neophytos alloquatur è Baptiſmi aquis puros & innocentes emerſos, & Confirmationis gratiæ plenitudine cumulatos. Leges enim alias pœnitentibus præſcribit, ut poſtea patebit. Unde etiam *libro 5. cap.3.* ſic ait: *Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere.* Quibus verbis quotidianum Euchariſtiæ eſum non omnibus generatim ſine ulla exceptione permittit, ſed iis duntaxat, qui ſic vivunt, ut quotidie mereantur accipere; quive licèt quotidie peccent, quia homines ſunt, lethaliter tamen non peccant, quia filii Dei ſunt, quibus proinde jus eſt paſci corpore Chriſti, cùm *ipſi*, teſte Auguſtino lib. 22. de Civit. cap. 30. *ſint Corpus Chriſti.*

Eodem modo loquutus eſt S. Juſtinus Martyr *in apolog. 2.* ubi ſcribit, temporibus ſuis fideles tum ruri, tum in urbibus degentes in Eccleſiam conveniſſe, ubique Euchariſtiam præſentibus datam, ad abſentes verò miſſam. Cæterùm ibidem obſervat, illos ſolùm fideles Euchariſtiæ participes fieri debere, qui ſuſceptâ Chriſtianæ fidei veritate & regenerationis lavacro, *conſentaneam Chriſti præceptionibus vitam agunt.* Quod utique non præſtant qui repetitis peccatis mortalibus Baptiſmi innocentiam commaculant. Unde illud obſervandum eſt, quòd dum Concilia & Patres ad Euchariſtiam frequentandam hortantur, ea potiſſimùm ratione utuntur, ut fideles in accepta gratia proficiant, & in via Dei progrediantur, non regrediantur; non verò ut per cibum illum in viam Dei ingrediamur: ſupponunt enim Euchariſtiâ ſæpe utentes jam perfectionis viam ingreſſos ad Evangelicæ ſanctitatis perfectionem anhelare.

Unde mos iſte communicandi ab Apoſtolis primiſque Chriſtianis inchoatus S. Cypriani temporibus in Africa viguit, ut *lib. de oratione*, verbis iſtis ſignificat: *Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus*, &c. Ætate etiam Auguſtini perſeveraſſe morem illum indicat Doctor ſanctus epiſt. 118. cap. 3. quem locum infrà referemus. Ubi ſupponit, bonum Chriſtianum, id eſt à peccatis mortalibus liberum, & ad Evangelii leges vitam ſuam librantem, ſi ſaluberrimum Sacramentum honorare contendit, poſſe quotidie, vel certè frequenter cœleſtem Euchariſtiæ cibum

cibum accipere. Teſtatur etiam B. Hieronymus *epiſt.* 28. ad Lucinium, Romæ & in Hiſpania quotidianæ Cōmunionis uſum ſua ætate viguiſſe. S. quoque Ambroſius ultimis libri quarti de Sacramentis capitibus eandem conſuetudinem Mediolani fuiſſe retentam affirmat, quam tamen in Oriente dudum deſiiſſe ſignificat *lib.* 5. *cap. ultimo*, his verbis: *Si quotidianus eſt panis, quare poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci facere conſueverunt?* Denique S. Gregorius *hom.* 27. *in Evangelia*, laudat Caſſium Narnienſem Epiſcopum, quòd penè nullus vitæ ejus dies abſcederet, *quo non omnipotenti Deo hoſtiam placationis immolaret*. Sed ſtatim obſervat, Epiſcopi illius vitam *cum ſacrificio concordare; nam cuncta quæ habebat in eleemoſynas tribuens, cùm ad horam ſacrificii veniſſet, totus in lacrymis deſluens, ſemetipſum cum magna cordis contritione mactabat.*

Ex quo autem deſierunt Fideles diebus ſingulis Chriſti menſam adire, alii rariùs, frequentiùs alii Communionem uſurparunt. Nam ut Baſilius *epiſt.* 289. authur eſt, quater ſingulis ſeptimanis nonnulli communicabant, Dominico die, feria quarta, in paraſceve, & Sabbatho; ſed & per dies etiam alios, ſi Martyris alicujus memoria celebraretur. Chryſoſtomus etiam *hom.* 61. *ad populum Antioch.* & *hom.* 3. *in epiſt. ad Hebræos*, quorundam mentionem facit, qui in Epiphania, Quadrageſima, aliiſque diebus ad Dominicam menſam in cæleſti cibo reficiendi accedebant; quanvis, ut ibidem ait, tempus dignos accedere non faciat, *ſed animæ ſinceritas & puritas. Multi*, addit *hom.* 47. *in epiſt. ad Hebr.* hujus ſacrificii *ſemel toto anno ſunt participes, alii autem bis, alii verò ſæpe* Omnes tamen monet, ſolos illos eſſe in Euchariſtiam recipiendam idoneos, qui *cum munda conſcientia, cum mundo corde, cum vita quæ nulli affinis eſt, reprehenſioni accedunt. Qui ſunt hujuſmodi, ſemper accedant; qui non ſunt ejuſmodi, nec ſemel quidem.* Sed de hoc illuſtri teſtimonio inferiùs.

Hinc Patres Chriſtianos legitimè diſpoſitos ad frequentem Communionem hortati ſunt, minùs verò diſpoſitos, ut ſeſe ad Euchariſtiam crebrò percipiendam dignè pararent. Patet ex verbis Ambroſii ſuprà memoratis, quibus adde Chryſoſtomum hom. 61. ad populum Antiochenum: *In aliis quidem temporibus*, inquit, *cùm puri frequenter ſitis, non acceditis: in Paſcha verò licèt ſit aliquid à vobis patratum, acceditis. O conſuetudinem! ò præſumptionem! Sacrificium fruſtra quotidianum, in caſſum aſſiſtimus Altari, nullus cui hoc communicetur. Et non ut temerè communicemini dico, ſed ut vos dignos reddatis.*

Eadem fuit ſequentibus ſæculis Eccleſiæ ſententia. *Admonendus eſt populus*, inquiebat circa nonum ſæculum Theodulphus Aurelianenſis in ſua epiſtola, cap. 44. *ut ad ſacroſanctum Sacramentum corporis & ſanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abſtineat, ſed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquandiu ab opere conjugali abſtineat, ut vitiis ſe purget, virtutibus exornet, eleemoſynis & orationibus inſiſtat, & ſic ad tantum Sacramentum accedat; quia ſicut periculoſum eſt impurum quemquam ad tantum Sacramentum accedere: ita etiam periculoſum eſt prolixo tempore abſtinere.* Idem clarebit ex Petro Bleſenſi, S. Thoma, aliiſque deinde Theologis poſtcà referendis. Unde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. ſic habet: *Optaret quidem ſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles aſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare.* Optaret, inquam, modò fideles eâ eſſent diſpoſitione inſtructi, quæ tanta myſteria decet, ut ex capite præcedenti ſatis claret, magiſque ex dicendis clarebit.

Itaque nullus pius eſt, nulluſque Catholicus, qui Communione dignos à Communione deterreat, quique ad Communionis celebritatem non omnes ſtimulet & accendat, qui eâ puritate animi, eâ virtutis conſtantiâ, vitæque ad Evangelium exactæ laude præditi ſint, ut ad tantam Chriſti conſuetudinem aſpirare meritò poſſint.

Regula II.

Chriſtiani poſt amiſſam Baptiſmatis innocentiam, ii præſertim, qui in peccata mortalia iteratis lapſibus recidunt, non debent ante actos dignos laborioſa pœnitentia fructus ad Communionem accedere.

Dicimus itaque peccatores à ſanctitate Chriſtianæ vitæ lapſos, peccata præſertim mortalia frequentantes, non continuò ad frequentem Communionem recipiendos eſſe, ut inolita ſua vitia & crimina penè fragrantia & adhuc fumantia in Sacerdotis ſinum confeſſione effuderint. Ita enim perpetua Sanctorum Patrum, conſtanſque traditio docet.

Mens Dionyſii, Baſilii, & Cypriani aperitur.

In primis S. Dionyſius *lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 3. tradit, hunc ſua ætate fuiſſe Eccleſiæ morem, ut Evangelio pronunciato, lectiſque Scripturis, qui ad Euchariſtiam percipiendam non erant idonei, foràs pellerentur: quinam autem eſſent illi minùs idonei, his verbis declarat: *Excluduntur à templo Dei & ſacrificio, à cujus ſublimi & divina excelſitate nimium abſunt, primùm qui myſteriis nondum initiati eorum omninò experti ſunt.* Id eſt catechumeni, qui Baptiſmum Sacramentorum omnium januam non receperunt. *Deinde qui à ſanctitate vitæ deſciverunt.* Poſtquam verò idem dixit de energumenis ad diaboli terriculamenta facilè commoveri ſolitis, & ab invicta animi ad res divinas ſeſe applicandi virtute deſertos, addit: *Præterea qui à deteriore quidem vita jam diſceſſerunt, ſed animos à priſtina impuritatis phantaſmatis nondum ſatis expurgatos gerunt habitu amoreque Dei puriſſimo ac ſimplici. Denique qui nondum ſoli Deo unicè adhærent, quique, ut Scripturæ more loquar, nondum omninò irreprehenſibiles ſunt, atque immaculati.* Si Magno Dionyſio authore & teſte tremendorum myſteriorum ne quidem inſpectione dignandi ſunt, qui vel baptiſmalem integritatem lethali vulnere corruperunt, vel qui à deteriore quidem vita diſcedentes, nondum animos à priſtinæ impuritatis phantaſmatis expurgarunt, nondumque ſoli Deo irreprehenſibiles omninò & immaculati adhærent; profectò haud probaſſet Dionyſius peccata mortalia frequentantes ad frequentem Communionem propelli.

Viguit quidem in Eccleſia primitiva Euchariſtiæ frequentandæ mos; ſed uſus ille præclarum compoſiti & expurgati, vel labis puri animi apparatum in frequentiùs adeuntibus ſupponebat: alii verò ad cœleſtem menſam non ſolùm non accerſebantur, ſed ne quidem eis myſteriorum celebrationi intereſſe concedebatur. Unde eâ ſanctiſſimâ diſciplinâ abuti non licet, ad eos Altaribus paſſim admovendos, qui beatis illis temporibus nec templi ingreſſu, nec myſteriorum aſpectu dignati fuiſſent. Frequentem Communionem ſemper probavit, ſemper ſuaſit Eccleſia: at promiſcuè & indiſcriminatim ad cibum illum divinum omnes ſeu

nocen-

nocentes, ſeu innocentes non admiſit tamen. Veris Chriſtianæ vitæ cultoribus, & animabus puris frequentiorem Communionem multùm afferre fructus Eccleſia ſemper credidit; ſanctum verò dandum canibus, margaritas ante porcos projiciendas, & ſanctiſſimum Sacramentum in peccata mortifera relapſis ſtatim ut è cœno emergunt donandum, nunquam exiſtimavit.

Idem etiam Magnus Baſilius verbis luculentiſſimis docuit. Etenim *lib. 7. de Baptiſmo, cap. 3.* eo ſenſu ait Chriſtum Dominum nobis corpus ſuum manducandum præcepiſſe in perpetuam mortis ſuæ commemorationem: *Quia ſcilicet nunquam veriùs mortis Chriſti memoriam recolimus, quàm cùm juxta eundem Apoſtolum recogitamus illum unum pro nobis omnibus mortuum, ut qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt: atque adeo nos ergà mortem ipſius religioſos ac memores præſtandos vita noſtra caſtitate ac ſanctimoniâ, quam qui non habet, & ad ſancta nihilominus accedit, horrendam ſibi damnationem acquirit.* Et poſtea ſubdit, *eum contriſtare Spiritum ſanctum, qui charitatem non habens, quæ urget nos, ut illi ſoli vivamus qui pro nobis mortuus eſt, ad Euchariſtiam tamen accedere non veretur.*

Denique ſic concludit: *Oportet ut quiſquis accedit ad corpus & ſanguinem Domini in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, non ſolùm purus ſit ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ne judicium ſibi manducet & bibat; verùm etiam apertè palamque oſtendat ſe memoriam ejus recolere, qui pro nobis mortuus eſt ac reſurrexit, exhibendo ſe mortuum quidem peccato, mundo, ac ſibi, viventem autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Ergo S. Baſilio teſte peccatores etiam poſt nudam peccatorum confeſſionem non ſunt e veſtigiò ad cœleſtem menſam accerſendi, ſi nondum ab omni carnis & ſpiritus inquinamento mundati ſint; ſi peccato ſe mortuos manifeſtis indiciis & bonorum operum teſtimoniis non demonſtrant, ſique peccandi radices diu inolitas etiamnum viventes ac vigentes habent. Idem reperit in Moralibus, *regulâ 80. cap.* 22. ubi ait manducantem corpus Chriſti, & ſanguinem bibentem, debere *ab omni inquinamento carnis & ſpiritus mundari, perficere ſanctimoniam in timore Dei & charitate Chriſti, neque habere maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed eſſe ſanctum & immaculatum.*

Eandem doctrinam perſpicuè expreſſit Glorioſus Martyr Cyprianus, in citata & vehementi in eos oratione in tractatu de lapſis invehens, qui sæviente perſequutione lapſi nondum per aſperam & diuturnam pœnitentiam juſtitiâ Dei pacatâ ad Sacramentorum uſum admitti poſtulabant: [Emerſit, inquit, Fratres dilectiſſimi, novum genus cladis; & quaſi parum procella perſequutionis ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis Communicatio. Irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur. Perſequutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occultâ populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longâ & plenâ pœnitentiâ deprecetur, cùm ſcriptum ſit: Memento unde cecideris, & age pœnitentiam.]

Hinc idem Sanctus pane cæleſti, quotidiano & ſuperſubſtantiali frequenter paſcendos *tract. de oration. Dominica* ait, qui in Chriſto ſunt, vivunt, ac manent, quive mortiferis peccatis à Chriſto non ſeparantur; ideoque petunt panem illum quotidianum, ne aliquo delicto à cœleſti pane prohibeantur. Cui conſonans Auguſtinus homilia 42. *Ergo panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, inquit, *quid eſt? Sic vivamus, ut ab Altari tuo non ſeparemur.* Et immediatè antè: *Pro ſe rogant, ut bona faciant, ut in bonitate & fide, & vita bona perſeverent: hoc optant, hoc orant; quia qui non perſeverant in bona vita, ſeparabuntur ab illo pane.*

Ambroſii, Auguſtini, & Chryſoſtomi luculenta proferuntur teſtimonia.

Idem docet Ambroſius in libris de pœnitentia adversùs Novatianorum lapſis omnem veniæ & ſumendæ unquam Euchariſtiæ ſpem intercludentium crudelitatem conſcriptis, in quibus licèt magis in benignitatem quàm ſeveritatem à dura illorum hæreticorum inhumanitate deflexurus propendeat, nihilominus tamen Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigorem ullâ falsâ indulgentiâ & vera crudelitate, qua vitia foventur, infringi non ſinit his verbis lib. 2. cap 9. *Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi reddi Communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare; ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis induunt.* Ne verò dicatur S. Patrem de peccatoribus publicis duntaxat ſermonem habere, accipe verba clariſſima, quibus *lib. 1. cap.* 16. hoc effugium præcluſit: *Si quis igitur occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſè pœnitentiam egerit, quomodo iſtic recipit, ſi ei Communio non refunditur? Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi potius fletibus; ut ignoſcatur obſecret, & cùm ſecundò & tertiò fuerit dilata ejus Communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe, fletus augeat, miſerabilior poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſo dicat Dominus Jeſus: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Idem præclarè docet ſerm. Dominicæ 4. Adventus: *Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam, nam ſi non mutat vitam ad judicium, accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanetur; magis occiditur, quàm vivificetur.* Sed apertiſſimè, & juxta pulcherrimè *in Pſalmum* 128. idem docet & probat his verbis: *In ipſa Eccleſia, ubi maximè miſereri decet, teneri quàm maximè debet forma juſtitia, ne quis à Communionis conſortio abſtentus brevi lacrymulâ atque ad tempus paratâ, vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cùm uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

Id ipſum docuit Auguſtinus *epiſt.* 118. ubi duorum piè viventium hominum de Euchariſtiæ uſu controverſiam refert; ubi licèt duas de percipienda frequenter Euchariſtia diſſidentes ſententias in medium adducat, ſupponit tamen totam illam controverſiam controverſiæque concordiam illos ſolùm attingere, ad eóſque duntaxat pertinere, qui religionem vita factiſque decorantes fidem ſpe roborant, ſpem charitate alunt, qui vel Zachæi ſacra fame ad Euchariſtiam accedere avent, vel religioſo Centurionis pavore ad eam ſe ſiſtere verentur.

Nenter,

Neuter, inquit, *eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri prapoſuit, Zachaus & ille Centurio; cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, alter dixerit: Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes diverſo & quaſi contrario modo; ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſequuti.* Supponit etiam tanquam rem inter fideles ſuo tempore exploratiſſimam, & à nemine in dubium revocatam, Euchariſtiæ uſum ob peccata lethifera, quæ uno ictu animam perimunt, eſſe differendum. *Quaſieris, quare?* inquit cum prima ſententia. *Quoniam eligendi ſunt dies, quibus puriùs homo continentinſque accedat, quo ad tantum Sacramentum digniùs accedat: qui enim manducaverit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. ::: Hoc eſt enim indignè accipere*, inquit cum ſecunda ſententia ex principio utrique communi, & ab omnibus indubitanter admiſſo, *ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio ſuo, cùm libet, vel auferat ſe Communioni, vel reddat.*

Nec obeſt, quod ibidem ait, quòd *ſi peccata tanta non ſunt, ut excommunicandus quiſquam homo judicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare.* Non obeſt, inquam, quia non eo modo excommunicationem accepit, quo eam eo tempore accipimus pro cenſura illa ſolenni, quæ ac Eccleſia per longas formularum moras gravioribus peccatoribus infligitur. Nam apud Auguſtinum *excommunicare* idem ſonat ac à ſacra Communione & Altaribus prohibere; quæ pœna omnibus & ſingulis mortalibus ſceleribus, quæ contra ſe claudi faciunt regnum Dei, imponebatur, ut hoc temporario à ſacra menſa (quæ eſt imago cœli, à quo per peccatum mortale homo excluditur) exilio æternum illud à cœlo exilium, quod peccator promeritus eſt, ſibi proponat ac repræſentet, ratus dignissimum ſe eſſe qui à cœleſti cibo ſubmoveatur, quique etiam tremendorum myſteriorum aſpectu Chriſti realiter præſentis majeſtate deterritus recedat.

Idem tradit vir ille divinus *ſerm. 252. de tempore*, verbis luculentis, quæ inter officium Dedicationis conſecravit Eccleſia, & in lectionibus cantanda præcepit: [Ideo fratres chariſſimi, unuſquiſque conſideret conſcientiam ſuam; & quando ſe aliquo crimine (per crimen verò peccatum mortale ſemper intellexit Auguſt.) vulneratum eſſe cognoverit, priùs orationibus, jejuniis vel eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchariſtiam præſumat accipere. Si enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe à divino Altari ſubtraxerit, citò ad indulgentiam divinæ miſericordiæ perveniet. Quia ſicut qui ſe exaltat, humiliabitur, ita è contrario qui ſe humiliat, exaltabitur. Qui enim, ſicut dixi, cognoſcens reatum ſuum ipſe ſe humiliter ab altari Eccleſiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo & cœleſti convivio excommunicari penitus non timebit.] Sed nihil verbis illis apertius, quæ habet tractatu 26. in Joan. [O Sacramentum pietatis! ô ſignum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat à compage membrorum: non ſit putre membrum quod reſecari mereatur; non ſit diſtortum de quo erubeſcatur. Sit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum. Hæreat corpori, vivat Deo de Deo, nunc laboret in terra, ut poſtea regnet in cœlo.] Quod & infrà verbis luculentiſſimis confirmat, quæ inter publicas lectiones Octavæ Sanctiſſimi Sacramenti Eccleſia inſeruit.

Idem docuit Joannes Chryſoſtomus variis locis, qua affectione animi ſacra adeunda Communio ſit explanans; homilia enim 24. *inc. 10. 1. ad Cor.* poſtquam aurea ſua eloquentia dixit, *famem eſſe ac mortem myſtici illius convivii communicatione non frui, menſam illam eſſe anima noſtra robur, mentis cum Deo vinculum, fiducia noſtra firmamentum, ſpem ſalutem, lucem denique ac vitam noſtram: nos ſi ſacrificii hujus participes è vita exceſſerimus, magna cum fiducia cœli atria ſacra ingreſſuros, quibuſdam quaſi aureis armis ſeptos undequaque ac communitos.* quin tanti myſterii virtute terram in cœlum converti; ſiquidem quod in cœlis pretioſiſſimum eſt, maximéque venerandum, Angelorum ſcilicet omnium Regis ac Domini corpus nobis videndum exhibeat, neque videndum modò, ſed etiam contrectandum ac deguſtandum: ſubdit tamen adeundam eſſe Euchariſtiam *non ſine fervore & inflammata atque ignita charitate; ne in ſupplicium incurramus. Ut ſacro quodam horrore perfundamur, & reverentiam multò majorem hic exhibeamus, quàm cùm Magi procidentes Chriſtum adoraverunt: ne ſi temerè & inconſideratè acceſſerimus, carbones ignis ſuper caput noſtrum congeramus.* Hinc monet, *ne nobis ipſis per impudentiam mortem conſciſcamus, atque ut non niſi tremebundi ac puriſſimi cœleſti illi menſa accumbamus.* Et rationem ſubjungit: *Chriſtus aquilas vocat eos qui ad corpus ſuum conveniunt*, juxta illud Evangelii oraculum, *ubi corpus, ibi congregabuntur & aquila:* ut oſtendatur hujuſmodi animas ſublimes & in cœlum erectas eſſe oportere, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorſum trahantur aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ; ſed quæ indeſinenter ſurſum evolent, ipſumque juſtitiæ Solem acutis ac perſpicacibus mentis oculis intueantur. *Hac enim menſa aquilarum eſt, non graculorum.*

Præclara etiam in hanc rem verba habet *homil. 3. in cap. 1. epiſt. ad Ephef.* ubi poſtquam S. Doctor pravam ac perverſam eorum negligentiam coarguit, qui myſteriorum contemptu & incuria ſalutis perraro & ferè nunquam ad ſacram menſam accederent, dicatque: *Fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari, nemo eſt qui participet*; non omnes tamen paſſim, promiſcuè, & ſine delectu in ſacram menſam propellit: [Hæc non eò dico (ſubdit S. Archiepiſcopus poſt verba relata) ut participetis quocumque modo, ſed ut vos dignos præſtetis. ::: Audis Diaconum ſtantem & proclamantem: Exeant quotquot ſunt in pœnitentia. Si ex iis es, non debes participare. Multos video (proſequitur idem S. Doctor in eadem homilia) qui corpus Chriſti accipiunt temerè & perfunctoriè, ideoque eo potiùs quòd in uſum ac legem quandam videatur abiiſſe, quàm quòd judicio & ratione ducantur. Si Quadrageſimæ tempus inſtet, aut Epiphaniæ celebritas, qualeſcumque tandem illi fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt: at certè temporis ratio tempeſtivum ad ea acceſſum non facit. Neque enim Quadrageſimæ, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt ut dignè accedamus; ſed animæ integritas, atque innocentia. Hæc ſi adſit, ſemper accedito; ſi abſit, nunquam. Cogita quantam adhibebant diligentiam ac reverentiam, qui ad veteris ſacrificii victimas participandas ſe accingebant; quanto conatu ac ſtudio omnia agebant, ut omni ex parte puri ac mundi accederent. Tu verò qui hoſtiam attingis, quam vel ipſi tremebundi ac ſtupentes Angeli venerantur, nihil aliud curas, nihil

hil aliud curas, nihil aliud obſervas, quàm ſtata temporum feſtorúmque recurrentium intervalla. Intuere vaſa ipſa lota & terſa quanto nitore fulgeant. Atqui his longè nitidiores oportet eſſe animas noſtras, longè ſanctiores & ſplendidiores. Illa enim nonniſi noſtrâ causâ tanto ſtudio adornantur.]

Sed nihil illuſtriùs, nihil expreſſiùs afferri poteſt iis, quæ idem Pater divinitus ſibi tradita illâ cœleſti eloquentiâ fundit homilia 17. in epiſtolam ad Hebr. [Sed quoniam ſacrificii mentio incidit (verba ſunt ejus) vobis qui initiati eſtis, pauca dicere cupio; pauca quidem, ſi verba numerentur, ſed præclara ac maxima, ſi utilitas ac pondus attendatur. Neque enim dicta noſtra, ſed Spiritus ſancti dictata ſunt. Quid igitur illud eſt? Multi ſemel in anno ſacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii ſæpiùs. Ad hos ergo omnes mea convertitur oratio; nec ſolùm ad eos qui hîc adſtant, ſed ad eos etiam, qui in eremo degunt; quippe qui ſemel tantùm in anno, plerumque etiam poſt duos annos ſacra Communione impartiuntur. Quos igitur potiſſimùm laudabimus? An qui ſemel, an qui frequentiùs, an qui rariùs Communionem adeunt? Neque hos, neque illos; ſed eos demùm, qui cum puræ mentis conſcientia, qui mundo corde, ac vita integra atque inculpata Chriſti corpore reficiuntur. Tales ſemper accedant; cæteri nec ſemel accedant. Quid ita? Quia judicium ſibi ſumunt, & condemnationem, & pœnam, & ſupplicium. Quod ſanè mirum videri non debet; nam quemadmodum alimentum, quod natura ſua nutriendi vim obtinet, ſi in ventriculum nauſeantem atque impurum ingeſtum fuerit, ipſum gravat, damnis auget, atque adeo invecta multiplici corruptela morbos creat: idem quoque iis accidit, qui malè affecto animo tremenda illa perinde ac veneranda Sacramenta manducant.]

Quid illis verbis planiùs, quid luculentiùs ad eos arcendos ab Altaribus, qui non ſe arcent à criminibus, quíque cordis puritatem, & inculpatæ vitæ integritatem ſacræ menſæ non afferunt? Quid illis porro vocibus vel peccatoribus terribilius, vel cæleſti cibo, atque ipſa Chryſoſtomi ſanctitate dignius? Quid demùm illis magis retinendum, quæ non tanquam dicta ſua, ſed tanquam Spiritus ſancti dictata pronuntiat? Hinc homilia de filio Prodigo, quæ habetur tomo 6. peccatores Chriſti ſanguinis per peccata mortalia conculcati ſibi conſcios, temporaria ab Euchariſtia ſeceſſione, & ſacræ Communionis dilatione, ut interim pœnitentiæ laboribus peccata eluant ſua, ſeſe ad cæleſtem cibum præparare vult; expendens enim illam filii prodigi pœnitentis & revertentis vocem, *Jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis*; ſic peccatorem converſum loquentem inducit: [Ne me abigas ab aula tua, Domine, ut ne rurſum me inventum hoſtis errantem velut captivum abducat. Neque me ad tremendam & myſticam menſam accedere compellas. Non enim auſim impuris oculis Sancta Sanctorum intueri. Patere me tantùm cum catechumenis in ima Eccleſiæ parte ad fores conſiſtere, ut myſteria contemplans, quæ in ea celebrantur, eorum rurſus particeps ſenſim fieri concupiſcam; ut ſacris verbi divini laticibus perfuſus, ſordes abſtergam, quas aures meæ ſpurcarum cantilenarum auditâ turpitudine contraxerunt; ut cùm margaritas tuas à ſanctis viris piè rapi videro, ego quoque tanti muneris ſusceptione dignas manus habere ſtudeam.]

Celebris Gennadii locus producitur.

Idem quoque tradit Author libri de dogmatibus eccleſiaſticis, Auguſtino perperàm attributi, & Gennadio verè aſſerti. Sic enim habet cap. 53. [Quotidie Euchariſtiam percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo & hortor; ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamvis peccator mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miſeratione, qui peccata piæ confeſſioni donare conſuevit, accedat ad Euchariſtiam intrepidus & ſecurus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor priùs publicâ pœnitentiâ ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni ſociari, ſi vult non ad judicium & condemnationem ſui Euchariſtiam percipere. Sed & ſecretâ ſatisfactione ſolvi crimina non negamus, ſed mutato priùs ſæculari habitu, confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu, miſerante Deo; ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ pœnitet, agat, & Euchariſtiam omnibus Dominicis diebus ſupplex & ſubmiſſus uſque ad mortem percipiat.]

Quo in teſtimonio ponderandum eſt primùm, Gennadium quotidianam juſtorum Communionem nec laudare, nec reprehendere; quia etſi aliquibus pietate & charitate rarâ præditis, putà B. Thereſiæ proſit quotidianus uſus, multis tamen aliis divinorum reverentiam minuit, & in vita ſpirituali ſæpè illud experiri eſt, quod apud Philoſophos pervulgatum eſt: *Ab aſſuetis non fit paſſio.* Maxima etiam Dei benignitatis & potentiæ opera, teſte Auguſtino, uſu vileſcere ſolent. Unde nec laudatur ille mos non omnibus utilis, nec reprehenditur, qui animabus quibuſdam selectis de conſilio Paſtoris poteſt eſſe ſalutaris.

Ponderandum rurſus, Gennadium juſtos cum pœnitentibus non confundere, nec utriſque peræquè octiduanam Communionem permittere; ad Communionem enim octavo quoque die frequentandam eos duntaxat hortatur, qui innocentiam Baptiſmi peccatis lethalibus non commaculant: quos verò mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, jubet ante Communionem rigoroſæ pœnitentiæ, jejuniis ſcilicet, vigiliis, orationibus, eleemoſynísque ſedulam operam dare.

Ponderandum tertiò, Gennadium illos duntaxat à publicæ pœnitentiæ ſeveritate excipere, qui relicto ſæculari habitu, ſtatum religioſum ingrediuntur, ac proinde pœnitentiam quidem occultiorem, attamen laborioſiorem, auſteriorem, & diuturniorem deligunt, quatenus mundi voluptates, honores, & res in perpetuum repudiant, continuis orationibus, vigiliis, aliíſque temperantiæ & humilitatis, cæterarúmque virtutum exercitationibus iram Dei placant, & quotidianas lacrymas tanquam vulnerati, ſanguinem cordis Deo ſacrificant. Quid enim eſt ſtatus religioſus ad amuſſim probatæ ab Eccleſia regulæ compoſitus, quàm publicæ pœnitentiæ à ſæculo dudum exulis, & in monaſteria relegatæ publica profeſſio? Quid eſt monaſterium rectè inſtitutum, quàm aperta pœnitentiæ domus, & patens peccatorum converſorum aſylum, in quo non aliquot dies aut menſes, ſed toto vitæ curri-

curriculo jejuniis, orationibus, vigiliis, ſacris ſtudiis, virtutum praxi opera continenter datur? Cui optioni à Gennadio datæ, & peccatoribus factæ, conſimile omnino eſt conſilium & præceptum Stephani Papæ ad Aiſtulphum virum nobilem, qui nono ſæculo vivebat. Cùm enim vir ille uxorem zelotypiâ percitus occidiſſet, impoſuit illi ſupremus Antiſtes, vel ut in monaſterium ſub Abbatis obedientia totâ vitâ ſubjiciendus ſecederet, vel in jejuniis, vigiliis, orationibus & eleemoſynis omni tempore perſeverans, in Eccleſia ſegregatus ab aliis Chriſtianis poſt oſtium & poſtes humiliter ſe reponeret, & ingredientium & egredientium orationibus ſe ſuppliciter commendaret, Communione corporis Domini totâ vitâ privandus, & in die duntaxat exitus per veniam & indulgentiam reficiendus, addens, ſe remiſſiùs cum eo agere, ut refert Gratianus 33. *quæſt* 2. *cap* 8. & Burch. *lib.* 6. *cap.* 40. & Ivo *part.* 8. *cap.* 126. Ex quo decreto in ſanctorum Canonum corpus inſerto videant Rectores animarum, & diſcant, non peccatores crudeli negligentiâ occidere, ſed clementi ſeveritate curare.

Ponderandum 4. illos ſolùm ad ſacram Communionem octavo quoque die adeundam hortari oportere, qui & commiſſa peccata venialia lacrymis & orationibus abſtergunt, & quorum voluntas peccatis venialibus affectu non adhæret; quia licèt peccatis venialibus juſti carere protſus non poſſint, ipſorum tamen affectu & amore carere omninò poſſunt. Quo affectu ſi implicentur accedentes ad Euchariſtiam, tum *Euchariſtia perceptione*, inquit, *mens gravatur magis quam purificatur.* Quod & S. Franciſcus Saleſius ſuo poſtea loco referendus, diſertiſſimè docuit, & ex profeſſo explicuit.

Eadem regula Hieronymi, Theodoreti, & Magni Gregorii teſtimoniis communitur.

Hieronymus explicans illud Zachariæ cap. 9. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, ſic ait: *Hunc panem iis comedendum, qui in Chriſto robuſti ſunt; bibendúmque hunc vinum ab his virginibus, quæ ſunt ſanctæ & corpore & ſpiritu, ut inebriatæ atque gaudentes ſequantur Eccleſiam, & dicatur eis: Adducentur Regi virgines poſt eam.* Quin non ſolùm docet vitæ innocentiam Euchariſtiæ ſumptionem antecedere, ſed etiam ſubſequi oportere. Interpretatus enim hæc Pſalmi 77. verba: *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* ſic fatur: *Hæc de his, qui Deum poſt acceptum manna dereliquerunt. Nam & nunc in Eccleſia, ſi quis carne & ſanguine Chriſti reficitur, & declinat ad vitia, noverit, Dei judicium imminere, ſicut Paulus Apoſtolus ait: Qui acceperit corpus & ſanguinem Chriſti indignè, judicium ſibi ſumit & bibit.*

Ejuſdem ſententiæ fuit Theodoretus variis in locis, ſed nominatim *in cap.* 5. *Canticorum*, ubi expendens hæc verba, *Comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei*, ſic habet: *Illius propinqui perfecti ſunt, qui ejus imaginem inviolatam & incorruptam ſervant, quique ipſi unitri ſummoperè exoptant. Iis verò non ut bibant modò, verùm etiam ut inebrientur, imperat.* Quibus verbis inviolatam vitæ ſanctimoniam in baptiſmate infuſam, vel conſtanti pœnitentis vitæ infirmitate reparatam, unam eſſe ad Euchariſtiam dignè ſuſcipiendam diſpoſitionem atteſtatur.

Magnus etiam Gregorius *lib.* 2. *in cap.* 1. *lib.* 1. *Regum*, ejuſdem eſt doctrinæ his verbis aſſertor: exponens namque illud Cantici Annæ, *Repleti priùs pro panibus ſe locaverunt, & famelici ſaturati ſunt*, ſic inquit; [Non ſaturantur niſi famelici; quia à vitiis perfectè jejunantes, divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt, quid reſtat, niſi ut à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minima ſunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferuntur fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus inſinuans, ait: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane iſto edat, & de calice bibat. Quid enim eſt hoc loco probare, niſi evacuatâ peccatorum nequitiâ ſe probatum ad Dominicam menſam & purum exhibere? De repletis etiam ſubdit: Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipſa ſola virtus eſt, quæ evacuat quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc verè famelici ſaturantur, quia quò ſtudioſiùs inundamur lamento pœnitentiæ, eò uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione.] Vides, qualem quotidianæ pœnitentiæ fervorem etiam in juſtis ſola duntaxat venialia admittentibus peccata ad Euchariſtiam ſuſcipiendam deſideret. Magnus Gregorius, quia ei auferetur, fructus internæ ſaturitatis, qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minima ſunt peccata, quæ congerit.

Beati Bernardi authoritate eadem regula firmatur.

Idem tanquam certum & exploratum tradit D. Bernardus, vel quiſquis alius eſt author libri de modo vivendi, *cap.* 28. his verbis: [Qui Chriſti corpus vult accipere, priùs ſtudeat in Chriſti fide & dilectione manere. Hinc eſt, quod ait Dominus in Evangelio: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Ac ſi diceret: Ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin niſi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo, carnem meam manducare (citra peccatum & ſacrilegium ſcilicet) non poteſt, nec ſanguinem bibere.] At quomodo in Chriſto manet, vel in ipſo permanet Chriſtus, qui nullam habet in ſolida pietate ſtabilitatem? Vox illa, *Manet*, firmitatem & conſtantiam in Scripturis ſignificat. Unde Paulus *Hebr.* 13. peregrinationis noſtræ fluxum expoſiturus, ait: *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Et divinus Præcurſor *Ioan.* 3. iram Dei incredulis perpetuò adhæſuram comminatus, ait: *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ergo illi duntaxat dignè communicant, qui bonorum operum exercitatione ſtabilem & firmam in Chriſto permanſionem aſſequuti ſunt. *Signum*, inquit Auguſtinus tract. 27. in Joan. *quòd quis tunc panem manducavit*, (quo nimirum modo manducare Chriſtus voluit, & eſt manducantibus proficuum) *hoc eſſe, ſi manet, & manetur; ſi habitat, & inhabitatur; ſi hæret, & non deſeratur.* Ergo vice verſâ, ſignum, quòd quis tunc panem dignè non manducavit, hoc eſt, ſi temporaria & momentanea ſit in Chriſto commoratio, ſi inanis converſio, ſi levis & volatica pœnitentia, ex qua nihil ſolidi perpetuique fructûs redundet, quàmve ſuſceptæ chriſtianæ vitæ deſertio comitetur.

Rurſum

Rorſum in aliis ſois indubitatis operibus eandem veritatem tradit, ut egregiè illuſtrat Doctor Mellifluus. Etenim *ferm. 28. de diverſis*, ſic fatur: [Quid iſtos agere dixerim, qui ſcurrilitates, detractiones, jactantiæ & impatientiæ verba noo reputant; & cum his quaſi gens quæ fecerit juſtitiam, accedunt liberè ad Eccleſiam, & ne ipſo quidem tremendo Angelis participare vereotur Dominici Corporis Sacramento? Quid, inquam, iſtos aliud agere dixerim, quàm ſecuros jam de gratia Domini ſui fiducialiter de ea, quam longo tempore promeruerint, familiaritate præſumere?] Vides, peccata frequentantes, ſacram frequentare menſam non oportere, eóſque qui piam & chriſtianam vitam agere non ſtudent, ſed ſcurrilitati, jactantiæ, detractioni, aliíſque peccatis liberè indulgent, Communionum crebritate magis magíſque cæcari atque obdurari. Quod author operis de imitatione Chriſti *lib. 4. cap. 1.* his verbis deplorat: *Heu cæcitas & duritia cordis humani! tam ineffabile donum non ſemper attendere, & ex quotidiano uſu etiam ad inadvertentiam defluere.* Ergo explorandæ ſunt, factiſque pronuntiantibus probandæ vires noſtræ, ne frequentior, quàm par ſit, Communio nos refrigeret, non incendat igne illo divino, quem Chriſtus mittere in terram venit.

Sed longè præclariſſimus ejuſdem Bernardi locus habetur *ferm. de B. Magdalena*, ubi duplex quo à Magdalena perfuſus eſt Chriſtus, unguentum expendens, & ad mores inflectens, ſic ait: [Eſt unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit. Eſt & melius quod eadem (ſi tamen eadem) ſuper caput recumbentis effudit. Notanda utriuſque differentia, & ſecundi ſublimitas attendenda: quoniam illud (ſcilicet unguentum pœnitentiæ) eſt ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus: & illud (ſcilicet Eucharistia, ut ex contextu liquet) ſacrificium laudis quod hooorificat Deum. Pedes igitur ungimus Salvatoris, cùm de peccatis compungimur. Ungimus caput, cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus. Interſtitii tamen moroſitas inter pedes debet eſſe & caput, quia profectò difficillimus & præſumptuoſus ſaltus eſt, à veſtigiis ad verticem Domini tranſvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit & caput; cùm illa meretrix nihil horum feciſſe legatur, ſecundùm illud: Verte impios, & non erunt. Unxit ergo Maria ſanctum Domini verticem, profectò jam electa, jam familiaris effecta, longéque à peccatricis illius obvoluta veſtigiis, quam infelix ille ſeptenarius confuodebat.]

Cernis ex hac præclara Bernardi oratione, *interſtitii moroſitatem inter ſacrificium cordis contribulati, & ſacrificium laudis eſſe debere*; nec poſt nudam gravium peccatorum confeſſiunem ſatis quempiam eſſe paratum, niſi converſionis motum motum emendatio, & digni pœnitentiæ fructus, quibus peccator jam non idem permanet, ſed alter evadit, conſequantur.

Eandem regulam ſanctus Bonaventura clariſſimè docuit & probavit.

Patres SS. Thomas & Bonaventura ſequuti ſunt. Prioris teſtimonia nitentiſſima produceemus, ab eóque rationum momenta derivabimus. Poſterior verò, nimirum Doctor Seraphicus D. Bonaventura, pietate magis & eruditione quàm ætate ſancto Thomæ conterminus, ſic *in Brevil. part. 6. cap. 9.* luculentiſſimè ſcribit: [Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu; non in veotre, ſed io mente; & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem; ita quòd fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, & charitas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc quòd aliquis dignè accedat, oportet quòd ſpiritualiter comedat, ut ſic Chriſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris ſuſcipiat, per quæ non in ſe transformet Chriſtum, ſed ipſe potiùs trajiciatur in ejus myſticum corpus. Propter quod manifeſtè colligitur, quòd qui tepidè, indevotè, & inconſideratè accedit, judicium ſibi manducat & bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo conſilium eſt his, qui qui ſe ſentiunt minùs mundos mente vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quouſque parati ad eſum veri Agni, mundi, devoti, & circumſpecti accedant.]

Sed longè præclariſſimè in hanc rem ſcripſit S. Bonaventura *in 4. diſt. 12. part. 2. art 1. queſt. 2.* his verbis: *Si quæritur, utrùm expediat frequentare* (Communionem) *alicui? Dicendum, quòd ſi videat ſe eſſe in ſtatu Eccleſiæ primitivæ, laudandum eſt quotidie communicare; ſi autem in ſtatu Eccleſiæ finalis, utpote frigidum & tardum, laudandum eſt quòd rarò; ſi autem in medio modo, medio modo debet ſe habere: & aliquando debet ceſſare, ut addiſcat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hoſpiti debetur honor, debetur & amor; & tunc ſecundùm illam partem, quâ viderit ſe magis proficere, ad illud magis declinet, quod homo ſolùm experientiâ diſcit. Omnes ergo rationes* (in utramque partem à ſe initio productæ) *intelliguntur ſalvâ debitâ præparatione, quæ eſt in pauciſſimis ut ſemper.* Quibus unis verbis & noſtram ſenteotiam, & quidquid à multis copioſè diſputari ſolet, breviſſimè & ſolidiſſimè complexus eſt.

Sacri Tridentini Concilii doctrina eidem regulæ apertiſſimè favet.

Eandem ſententiam oon obſcurè tradit ſacrum Concilium Tridentinoin *ſeſſ. 13. cap* 8. his piiſſimis verbis: [Paterno affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo jam tandem aliquando conveniant & concordent, memoréſque taotæ majeſtatis, & tam eximii amoris Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam oobis dedit ad maoducandum, hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis ejus eâ fidei conſtantiâ & firmitate, eâ animi devotione ac pietate & cultu credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint.] Quibus verbis optat quidem ſacroſancta Synodus, ut fideles frequenter panem illum ſuſcipere poſſint; verùm ad frequentem illam ſuſceptionem fidei conſtantiam & firmitatem, animi devotionem ac pietatem omninò præcedere oportere, conſtituit.

Simile votum fundit ſancta Synodus *ſeſſ. 22. cap. 6.* his verbis: *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quò ad eos ſanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.* Sed illis ipſis verbis, quinam ſacramentali Euchariſtiæ perceptione comunicare debeaot, ſatis declarat, cùm ait illos eâ ſacramentali perceptione eſſe

dignandos, qui *ſpiritnali affectu* Communionis participes eſſe poſſint. Explicaverat aureoi S. Syoodus ſeſſione paulò antè citata, quid ſit ſpiritualis ille affectus, his verbis: *Quoad uſum autem rectè & ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi, diſtinxerunt: quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter duntaxat id ſumere, ut peccatores; alios tantùm ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt.*

Ergo ad Communionem frequentandam fidem vivam, quæ per dilectionem operatur, quæque in bonorum frequentia fructum & utilitatem ſanctiſſimi Sacramenti efficit, omninò deſiderat. Quod & capite 7. antecedenti ſacrum Concilium apertè ſignificaverat: [Si non decet, inquit, ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſanctè; certè quò magis ſanctitas & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano compcrta eſt, eò diligentiùs cavere ille debet, ne abſque magna reverentia & ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.] Ergo non omnes ex ſacri Concilii mente ad Euchariſtiam frequentandam propellendi ſunt, nec canibus ad vomitum peccati mortalis ſæpè redeuntibus, & oculis Dei horribilibus filiorum panis ſine ullo eſt delectu prodendus.

Quantùm fuerit hujus doctrinæ æmulator viva antiquæ pietatis imago & noſtræ forma S. Carolus Borromæus, luce clariùs apparebit, dum de Pœnitentia inferiùs diſſeremus.

Sancti Franciſci Saleſii, & Magiſtri Avilæ apertis teſtificationibus eadem regula ſtabilitur.

Eandem veritatem vir Dei, dilectus Deo & hominibus S. Franciſcus Saleſius luculentiſſimè docuit, & ex profeſſo expoſuit ac confirmavit in Philothea ſua, *part.* 2. *c.* 20. his verbis: [Quotidie Euchariſtiam percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit. Utor ipſis B. Auguſtini verbis (è libro nimirum de eccleſiaſticis dogmatibus, qui ſub Auguſtini nomine paſſim circumfertur) quem ſequens, quotidianam Communionem omninò nec laudo, nec vitupero. At cernis Philothea, D. Auguſtinum vehementer ſuadere atque hortari, ut die quoque Dominico Euchariſtia percipiatur. Hoc ergo quoad poteris, facito. Cùm enim te ab omni tum mortalis, tum venialis peccati ſtudio ac voluntate alienam exiſtimem, eam planè, quam requirit Auguſtinus animi affectionem & præparationem es adepta.] Et in fine capitis hanc regulam ſtatuit omnibus adverſariorum effugiis impervіam: *Ut quis octavo quoque die Euchariſtiæ Communionem percipiat, ab omni eum mortalis peccati labe, ab omni venialium peccatorum ſtudio ac voluntate immunem eſſe, ac præterea ſacræ Euchariſtiæ vehementi deſiderio flagrare oportet.* Ergo ex mente ſanctiſſimi illius Epiſcopi, ad frequentem Communionem non ſolùm exigitur immunitas ab omni peccato mortali, ſed etiam ab affectu peccatorum venialium. Dico ab affectu; nam ut rectè exponit idem Sanctus ejuſdem libri *part.* 1. *cap.* 22. longè differunt peccatum veniale, & affectus peccati venialis. Venialia peccata omninò vitare nunquam poſſumus; ipſorum verò affectu & amore carere omninò poſſumus, ſi nulli quantumvis levi peccato inhærendi voluntatem foveamus. Exigitur etiam, *ut quis percipienda Euchariſtia vehementi amore flagret*, ſeu ut ait Divus Bonaventura de profectu Religioſorum, cap. 77. ut adſit *inuſitata devotionis fervor, & intemperata deſiderii ſitis pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit amantis animæ ardorem refrigerare.* Ex quibus patet, quàm falsò, quàm immeritò, quàm indignè ſanctiſſimi illius Præſulis puriſſimâ doctrinâ abutantur, qui conſilium ejus de Euchariſtia ſingulis hebdomadis uſurpanda, à neceſſaria præparatione ab eodem indicta divellunt & diſtrahunt, atque ad quoſvis promiſcuè homines virtute vacuos, & in lethalia ſæpè relabentes, cibo illo grandium obruendos potiùs quàm fovendos detorquent.

Id ipſum antè docuerat eximiæ ſanctitatis Sacerdos à beato Franciſco Saleſio, & ab Alphonſo Rodriguez non ſemel laudatus Joannes Avila, qui 1. *part. epiſt.* 65. hactenus ſtabilitam de frequenti Euchariſtiæ uſu doctrinam ſic egregiè confirmat: [Multùm errant, qui ſolam Communionis cupiditatem à conſuetudine potiùs quàm ratione veriore natam, pro idonea ad Euchariſtiam præparatione habent. Quòd ſi prætereà, dum Chriſti corpus accipiunt, lacrymulam exſtillent, magnoperè ſe profeciſſe arbitrantur. Verùm eo falluntur, quòd Communionis fructum, quem nullum capiunt, non ſatis attendunt; neque intelligunt unicum probæ Communionis ſignum animi profectum eſſe, atque ad pietatem progreſſionem, quam ſi aſſequantur, rectè ad Euchariſtiam ſæpiùs recurrunt: ſin minùs, ab ea debent abſcedere. Commonefaciendi ſunt, quanti periculi ſit, ignem divinum ſinu colligentem non incaleſcere, pane cæleſti veſcentem ejus ſuavitate non imbui, præſentiſſimâ medicinâ utentem in ſumma nihilominùs ægritudine jacere. Eripiendus illis cibus tanquam inertibus & ignavis, ut tanti boni penuriâ miſeros ſe agnoſcentes, pluris illud faciant, ſibique laboris aliquid & ſudoris ſubeundum intelligant, quo ad ſacras epulas ſanctiùs ſe præparent, culpas in quas identidem incurrunt, acriùs ulciſcantur, earum medicinam ardentiùs appetant, orationi ac bonis operibus toto pectore inſtent, ut ita inſtructi ac præculti cum interiori eſurie ad cæleſtem panem edendum properent: hic enim cibus, ut ait Auguſtinus, interioris hominis famem poſtulat.]

Senonenſis & Bituricenſis Synodi decretis eadem regula conſentanea eſt.

Eandem puriſſimam doctrinam variæ Synodi Provinciales docuerunt. Concilium enim Senonenſe anno 1528. contra naſcentem Lutheri hæreſim coactum erroribus illius hæreſiarchæ hunc accenſet: *Nihil conducit, ad ſuſceptionem Euchariſtiæ ſe præparare per contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, & alia bona opera.* Synodus etiam Auguſtenſis anno 1548. celebrata, quamplures affert cauſas, in quibus Communionem vel negari prorſus, vel certè differri, quoad peracta fuerit pœnitentia, jubet: & poſt enumeratos varios illos caſus, hanc generalem clauſulam adjungit: [Poteſt denique unus quilibet Confeſſor, cui curæ ſunt animæ ſibi confitentium, pro peccatorum magnitudine & gravitate, eiſdem ſibi confitentibus, ſeu filiis confeſſionis ſuæ, ex cauſa, quæ ſibi juſta videbitur, ad tempus ſacra Communione interdicere, eique tales confitentes morem gerere debent, niſi à ſuperiori eccleſiaſtica poteſtate aliud impetraverint.

Quòd

Quòd ſi peccatum occultum ſit, & talis quiſpiam ad Altare accedens, venerabile Sacramentum ſibi porrigi publicè petat, non id illi Sacerdos negare debet: quanquam hoc ipſo quod contra ſui Confeſſoris prohibitionem accedit, peccatum admittit.]

Synodus etiam Bituricenſis anno 1584. coacta, titulo 22. cap. 15. *Nemo*, inquit, *ſine contritione, confeſſione, & ſatisfactoriis operibus dignè præmunitus, ad Euchariſtiam ſumendam accedat.* Ergo cenſebant Patres illi neceſſarium eſſe, & maximè ſalutiferum, lapſos ad accipiendum Chriſti corpus bonis operibus ſeſe componere, eiſque temporis aliquid ante Communionem tribuere. Titulo etiam 21 cap. 2. Sacerdotibus præcipit, *ut Canones pœnitentiales diſcant, ut modum & rationem pœnitentiæ injungendæ meliùs intelligant.* Patet autem Canonibus pœnitentialibus addicere homines lapſos ad pœnitentiæ tempus, priuſquàm Communio ipſis adjudicetur.

Teſtimonium Mariani Victorii adducitur.

Eandem doctrinam exertè tradidit Marianus Victorius Epiſcopus Amerinus lib. de pœnit. cap. 7. *Vetus eſt inſtitutio Eccleſiæ*, inquit, *ratione & veterum Sanctorum authoritate firmata, ut quis ad Euchariſtiam non accedat, niſi factâ priùs peccatorum exomologeſi, & pœnitentia illi à Sacerdote impoſita ad finem uſque perducta.* Pœnitentiam porrò ante Communionem peragendam eam intelligit, quæ peccatorum gravitati reſpondeat, ut ipſemet monet in commentario de pœnitentiis antiquis, quem libro de pœnitentia adjunxit: [Libet, inquit, in fine hujus operis, omnes Chriſtianos Sacerdotes admonere, ne nimis remiſſi indulgenteſque in imponendis pœnitentiis ſint. Ex hoc enim non ſolùm eccleſiaſticæ regulæ diſciplina omnis reſolvitur, verùm etiam nullâ injectâ ex facinoribus præteritis verecundiâ hominibus rurſus redeundi ad ſcelera non parva relinquitur occaſio. Et hæc una, ut equidem reor, præcipua cauſa eſt deploratæ propemodùm nunc prolapſæque religionis; & quod hodie tam perfrictâ fronte, omnique Chriſtiano pudore ſepoſito crimina perpetrantur, & eccleſiaſtica vivendi regula paſſim contemnitur. Nam etſi arbitrariæ pœnitentiæ hodie ſint, Sacerdotis tamen arbitrium judicio, juſtitia, & veritate inniti debet. Et quamvis in tam corrupto & vitiato ſæculo ſeveritas iſta, quam ex veteribus collectam in hoc opere ante oculos Lectorum poſuimus, ſervari modo aliquo non poſſit, proptereáve remiſſa etiam ſit; videat tamen Sacerdos, & ſecundùm quod expedire pœnitenti & Eccleſiæ ex qualitate perpetratorum criminum adverterit, ex iſtis ſaltem Canonibus diſcat, quanta cura & diligentia pœnitentias ſeu publicas, ſeu privatas imponere debeat.]

Egregiis ſancti Thomæ teſtimoniis, ejuſdemque rationibus eadem regula confirmatur.

A tam ſancta regula omnium Patrum calculo probata deſciſcere non potuit fidus Patrum diſcipulus & interpres Doctor Angelicus Sanctus Thomas. Inprimis in hac quæſtione 80. art. 10. ubi quærit, *Utrùm liceat quotidie hoc Sacramentum ſuſcipere*, poſtquam oſtendit quòd etſi conſiderata hujus Sacramenti virtute, utile ſit ipſum quotidie ſumere, ſubjungit tamen: [Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt quòd quotidie ſumat. Unde Auguſtinus cùm dixiſſet, Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit, ſubjungit: Sic vive ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indiſpoſitionem (ex pollutione & actu conjugali, uti ſuperiùs explicuerat profectam,) vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotiſcumque ſe ad illud homo invenerit præparatum. Unde in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus dicitur: Quotidie Euchariſtiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.] Atqui ille qui è peccatorum cœno emergens, nullâ pœnitentiæ dignis fructibus probatæ præparatione purgatus in Dominicam menſam irruit, ille nec *cum magna devotione & reverentia accedit.* Devotus enim quomodo dicitur tanto qui torpore gravatur, ut in eadem ſemper flagitia recidat; cùm devotio, authore S. Thoma, in animi ad divina propenſi prompta facilitate ſita ſit? Quomodo reverens, qui fumantibus adhuc vitiis tremenda myſteria invadit, qui difficillimo & præſumptuoſo ſaltu à veſtigiis ad verticem Domini tranſvolat, qui Sanctum Sanctorum ſqualido ore, & nondum expurgatâ conſcientia haurit, & quaſi gens quæ fecerit juſtitiam, ut ſuprà Bernardus aiebat, ipſi quidem verendo Angelis participare non veretur Dominici corporis Sacramento.

Atqui rurſum qui in peccata lethalia frequenter relabitur, non *ſe quotidie ad hoc Sacramentorum paratum invenit, nec ſic vivit ut quotidie mereatur accipere, ſed multa habet devotionis impedimenta:* cùm contaminatiſſimam ac prorſus ethnicam vitam conterat; cùm ex Confeſſionibus & Communionibus frequentatis nihil aliud fructus capiat, niſi improvidam divinæ miſericordiæ fiduciam, qua nullum Evangelii præceptum exequens, viaque lata ad interitum ducente ſecuriſſimè graſſans, ſalutem ſibi nihilominus felicitatemque deſpondet. Ergo ex S. Thoma, qui hujuſmodi eſt, Euchariſtiam frequentare non debet, niſi priùs mente mutatus, vitam emendet, Deumque judicem gemitibus & lacrymis, orationibus, jejuniis, eleemoſynis, voluptatum contemptu, ſeceſſione, ſupervacaneorum conventuum fuga, & omni demùm piorum operum genere placare ſtudeat; ut idoneis captatis temporibus converſionem ſuam probet, mentémque ſuam per pœnitentiæ ſubſidia ita componat, ut ad myſteriorum omnium maximè terribile ac venerandum aditum muniat.

Quo autem modo peccatoris animum in illis præparationis interſtitiis inſtrui oporteat, tradit idem Doctor Angelicus opuſculo de Sacramento Altaris, *cap.* 15. his compendioſis, & ſucco pleniſſimis verbis: *Si quis*, inquit, *ad ſuſcipiendum Dominum benè mundus vult fieri, primò debet per aquam lacrymarum mundari: ſecundò per opera pœnitentiæ* (id eſt per jejunia, orationes, aliáque id genus, ut paulò inferiùs docet) *torqueri: tertiò per fervorem amoris Dei à carnalium deſideriorum humore ſiccari.* Ergo non continuò quis frequentandæ Euchariſtiæ ſit idoneus, quòd eadem peccata Confeſſario expoſuerit, retentis iiſdem non minùs quàm olim moribus depravatis. Nec eam ille munditiam à S. Thoma deſideratam aſſequutus eſt, cujus tota mutatio in eo poſita eſt, quòd octavo quoque die ea narret Sacerdoti, quæ ſingulis antea menſibus aut annis enarrabat.

Ejuſdem neceſſariæ moræ doctrinam apertiſſimè tradit idem S. Thomas, eámque Auguſtini authori-

thoritate confirmat in illud 1. Cor. 11. *Si noſmetipſos dijudicaremus*, &c. ait namque: *Dicit Auguſtinus, Ab ipſa mente pœnitentis talis ſententia proferatur, ut ſe indignum judicet participatione corporis & ſanguinis Domini, ut ad tempus per eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis panis ſeparetur.* Quibus verbis nihil planius. Et ſanè, ſi juxta veridicam ejuſdem S. Doctoris ſententiam, quam *in 4. diſt. 12. quæſt. 3 art. 1. quæſt. 3.* nobis reliquit, *a quotidiana communione abſtinere debet is, qui ſentiat per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multùm augeri*: quid ſanè de iis dixiſſet, in quibus nedum fervor non multùm augetur, ſed quorum etiam non minùs, ſed quandoque magis peccandi conſuetudine firmatæ avaritia, ambitio, cupiditas ferven; qui non minùs voluptati, impudicitiæ, vinolentiæ, fallaciæ, perfidiæ, maledicentiæ, juramentis & blaſphemiis ſtudent; denique qui non minùs ſæculi pomparum, quibus in baptiſmo renuntiarunt, nec minùs ſui amantes ſunt?

Ex his patet, quantum à S. Thomæ doctrinæ caſtimonia quorundam Recentiorum corruptela abhorreat, qui nedum laicis, ſed & Sacerdotibus, (quorum ſtatus, character, & teſſera ſanctitas eſt,) poſt patrata nefandiſſima carnis peccata, nedum Communionem, ſed & ſacratiſſimorum myſteriorum tractationem & celebrationem concedunt, eóſque à lupanaribus (horribile dictu) adhuc recentes, adhuc calentes, ad tremenda Altaria immittunt, inferunt, & quadantenus ſuis aſſertionibus propellunt. Si ita ſit, fruſtra Doctor ſanctus poſt Patres magnam animi ſanctimoniam ad ſacrum hoc epulum veſcendum requirit, & magnam diligentiam, curam, & reverentiam in parando ad Euchariſtiæ ſuſceptionem animo poſtulat. Ergo ſententia illa recenter invecta, quæ quoslibet etiam gratiæ inaniſſimos, ſæculo prodigaliter addictos, ſui & mundi amore tumentes, & iteratis flagitiis cordis corrupti depravationem ſignificantes, ad tremendum myſterium poſt nudam confeſſionem admittit: tantum longè eſt à S. Thoma, quantum lux à tenebris, à die nox, & ortus diſtat ab occidente.

Si juxta D. Thomam quæſt. 80. artic. 3. ad 2. *Peccatum fornicationis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti, in quantum ſcilicet per hoc peccatum ſpiritus maximè carni ſubjicitur, & ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento*: quomodo ad frequentem Communionis uſum non erit ineptus, qui nedum uno fornicationis ſimplicis actu vitam commaculavit, ſed etiam fornicationis culpa leviori exiſtimata, in adulteriis, ſtupris, aliíſque infandis luxuriæ & libidinum monſtris viam conſumpſit?

Si juxta eundem doctum à Domino Præceptorem nocturna pollutio etiam citra peccatum contingens ex quadam congruentia hujus Sacramenti ſumptionem impedit, [quantum ad duo, inquit quæſt. 80. art. 7. quorum unum ſemper accidit, ſcilicet fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad Altare accedere: aliud autem eſt evagatio mentis, quæ ſequitur pollutionem nocturnam, præſertim quando cum turpi imaginatione contingit. Et tunc, addit ad 3. impedit ſumptionem hujus Sacramenti per illum diem, quo hoc accidit.] Quid dixiſſet, amabò, de pollutione voluntaria, de ſacrilegio, de adulterio, de aliíſque libidinum furiis magis quàm lapſibus, contra naturam, ultra jura naturæ patratis? Quid, inquam, dixiſſet, niſi quod ſcriptum inibi reliquit? *Si verò pollutio*, inquit, *ſit cum peccato mortali, impedit ex neceſſitate.* Et ad 1. *Dicendum, quòd ex neceſſitate quidem non impeditur homo à ſumptione hujus Sacramenti, niſi propter peccatum mortale.*

Sed fortè D. Thomas, inquies, loquitur de peccato mortali, quod non eluetur præmiſſa Confeſſio. Nihil minus. Nam illam ipſam difficultatem verſat in reſponſione ad 5. quod erat hujuſmodi: [Peccatum veniale non impedit hominem à ſumptione hujus Sacramenti, ſed nec etiam peccatum mortale poſt pœnitentiam. Sed dato, quòd nocturna pollutio provenerit ex aliquo peccato præcedenti, ſive crapulæ, ſive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum eſt veniale; & ſi eſt mortale, poteſt contingere, quòd de mane pœniteat, & peccatum ſuum confiteatur. Ergo videtur, quòd non debet impediri à ſumptione hujus Sacramenti.]

Ecce unum Recentiorum fulcrum, ecce quam totam ad Euchariſtiæ eſum requirunt etiam à pluries lapſis neceſſariam animi compoſitionem. Sed quid D. Thomas? *Dicendum*, inquit, *quòd licèt per contritionem & confeſſionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis ex pollutione conſequuta.* Quid ergo de illis dicendum credidiſſet, non qui ſemel nocte præcedenti ceciderint, ſed qui frequentibus & iterans poſt tot ſponſiones lapſibus pœnitentiam ſuam vel irriſoriam, vel certè inanem demonſtrant? Utique non dixiſſet, tremendam menſam extemplò eſſe adeundam, poſtquam ſcripſit, & poſt pollutionem involuntariam eodem die eſſe abſtinendum, & ordinariam impii frequentibus maximè lapſibus indurati juſtificationem non eſſe unius horæ, vel momenti opus. *Eſt communis & conſuetus curſus juſtificationis, ut Deo movente interiùs animam homo convertatur ad Deum: primò quidem converſione imperfecta, ut poſtmodùm ad perfectam deveniat; quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici*, inquit 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 10.

Si juxta Eccleſiæ præceptum à D. Thoma egregiis convenientiis illuſtratum, non ſolùm animi, ſed corporis etiam præparatione opus eſt: nam jejuni ad ſacram menſam accedere debemus, nullo accepto cibo vel potu à dimidia antecedentis diei nocte ad illud uſque temporis punctum, quo Euchariſtiâ cibamur, ut nimirum Chriſtus in os & ſtomachum hominis intret, nullo terreno epulo occupatum: quomodo, vel qua ratione Eccleſiæ ſenſibus conſentaneum erit, peccatores amore mundi plenos & ebrios, adhuc fumigantes, & è lupanari prodeuntes, quovis tempore, quovis modo, poſt quævis flagitia pane illo cæleſti paſcere, & ad reverendum Chriſti corpus ſine ulla dubitatione invadendum exſtimulare, quod jejunum à vitiis animum potiſſimè requirit?

Si juxta æquiſſimum ejuſdem Eccleſiæ ſenſum, qui matrimonio juncti ſunt, aliquot dies à legitimo concubitu abſtinere expedit, Davidis exemplo admoniti, qui panes propoſitionis à Sacerdote accepturus, purum ſe ab uxoris conſuetudine ſervavit, ut 1. *Reg.* 21. liquet: ſi teſte beato Gregorio à S. Thoma laudato, actus conjugalis non amore procreandæ ſobolis, vel reddendi debiti causâ, ſed ſolo voluptatis per ſe non prohibitæ illicio exerceatur, ita ut voluptas dominetur in opere, homo vel mulier *tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum*, quam doctrinę puritatem ex Hieronymo hauſerat, qui in apologia pro libris adversùs Jovinianũ vehementer inſectatur eos, qui poſt matrimonii uſum, cùm in Eccleſiam ingredi præ juſto pudore

non

non auderent, eo tanto, ſacrum cibum domi aſportatum privatim ſumebant; & cùm ad ſubeundas baſilicas Martyrum minùs puri ſibi viderentur, ad Regem ipſum Martyrum in ſe recipiendum ſatis puros & integros eſſe cenſebant: ſi, inquam, ita ſit, à fortiori iniquum & indignum eſt, ut qui recenter animum & corpus nefandâ luxuriâ polluit, Sanctum Sanctorum impuro & adhuc fœtenti ore & corde ſuſcipiat; & quod horribile dictu eſt, ſi Sacerdos ſit, pro Eccleſia ſolenniter oret, pro peccatoribus ſacrificet, qui alienarum precum & lacrymarum miſericordiâ eget.

Denique ſi authore Baſilio *epiſt. 1. ad Amphiloc. can. 13.* qui in bello hoſtem interfeciſſent, ab Euchariſtia temporario ſaltem Eccleſiæ interdicto removebantur: unde Theodoſius poſt reportatam de Eugenio tyranno victoriam, quâ Chriſtiani orbis tranquillitatem ſtabiliverat, cœleſtem menſam attingere, & ad Altare manus juſto licèt cruore perfuſas & reſperſas afferre non auſus eſt tamen; & ut ait Ambroſius de obitu Theodoſii, præclaram adeptus victoriam, tamen quia hoſtes in acie ſtrati ſunt, abſtinuit à conſortio Sacramentorum, donec Domini circa ſe gratiam filiorum experiretur adventu: qua fronte Chriſtianus, non victor, ſed proſtratus, non triumphans de hoſtibus, ſed innumeris vicibus victus, nec tam victus quàm à diabolo quieto jure poſſeſſus, Dominum majeſtatis familiari frequentis Communionis uſu contrectare, & in ſinum, qui hactenus fuit cloaca vitiorum, trajicere præſumet?

Fundamentalis hujus regulæ ratio.

Non eſſet opus in præſentiarum Theologiæ ope vel rationum momentis: ipſe communiſſimus pietatis ſenſus omnibus omninò Chriſtianis inditus, ipſe communis reverentiæ erga ſanctiſſimum Sacramentum inſtinctus Catholicis omnibus inſeminatus, ipſa ſola præſentiæ realis corporis Chriſti fides ſtatutam regulam ſatis ſuperque confirmat.

Etenim quibus fides Catholica perſuaſa eſt, quâ certiſſimè credimus Chriſtum ſub ſpeciebus Euchariſticis realiter contineri, ægrè profectò ferent, menſam Chriſti peccatorum in eadem peccata relabentium, & è turpiſſimo flagitiorum cœno redeuntium frequentiâ pollui, tantique Sacramenti ſanctitatem violari; ſed ad fidem realis Chriſti præſentiæ omninò conſonè, & per modum connaturalis corollarii conſequenter inferent, removendos eſſe ad tempus è ſacris Altaribus, qui cùm iiſdem ſemper hæreant flagitiis, nullam futuræ emendationis ſpem oſtendunt. Ergo priùs ſalutaribus pœnitentiæ officiis purgandi ſunt, quàm ut panem Angelorum comedere liceat. Ergo priùs faciendum privatim, quod olim palam & publicè in Eccleſia factitabatur; id eſt, in dolore & labore pœnitentiæ ad virium rationem accommodato aliqua hebdomada aut menſe faciendum, quod olim pœnitentes plures annos, in ſacco, cinere, cilicio, jejuniis, vigiliis, omnimoda victus & cultus aſperitate, aſſiduiſque lacrymis & lamentis agebant. Ergo priùs evacuandum eſt pectus infandis cupiditatibus eructantibus ea hoc in illud, quàm ut tanti hoſpitis receptaculum & reclinatorium fiat. Ergo ab immaculato Chriſti corpore ad tempus recedendum eſt, ut peccator interim ſincera verioreque pœnitentia paratus, ad cœleſtem cibum cum fiducia accedat; & ut Auguſtinus *ſerm. 50. & 52. de tempore* ait, à temporario ſanctuario paoliſper ultrò cedendum, ne ab æterno ſupremi Judicis ſententia invitum abigat. Ergo priùs Publicanus evangelicus imitandus, qui ne quidem eam templi partem, quam Sanctuarium dicebant, aſpicere fas duxit. Priùs conſectanda prædicata à Chriſto Chananeæ humilitas, quæ ſe pane filiorum indignam putans, ſolis micis è menſa decidentibus, hoc eſt, Patribus interpretantibus, verbi cœleſtis pabulo refici interim contenta erat, quoad pane illo divino potiri digna fieret: ut nimirum ſalutari intermiſſæ Communionis intercapedine, mens ſanctis actionibus & pœnitentiæ exercitationibus aptior & ornatior evadat. Et tunc à ſacra Communione veluti indigni ſe abſtinentes, hoc ipſo ſe digniores efficient; à menſaque Chriſti recedentes, ad Chriſtum accedent; & reveriti accipere Salvatorem, ſalutem conſequentur, juxta præclarum illud de Centurione *ſerm. 26. in Dedicat.* ab Ambroſio dictum: *O fides Chriſtiana, quæ totum cum humilitate impetrare conſuevisti! Ecce religioſus Centurio ad accipiendam ſalutem dignior fit, dum ſe profitetur indignum. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus; non pergit Dominus, ſed pergit Domini medicina. Non viſitat ægrum Salvator, ſed viſitat ſanitas Salvatoris.*

Confirmatur: Ad frequentem Communionem requiritur magna devotio & reverentia; & ad ipſam Communionem deſideratur ſincera contriti cordis converſio, ut ex Divo Thoma, perpetua traditione, & lumine naturali, ſuppoſitâ fide, evidentiſſimum eſt. At qui in peccata mortalia iteratis lapſibus recidit, nec vera devotione, nec humili reverentiâ cietur, nec cor habet in Deum verè converſum. Etenim devotio eſt in juſtitiam cogitandam, amandam, operandamque proclivitas à dilectione Dei proficiſcens, cùm ſit charitatis flos, fructus, odor, & ſplendor, ut ex D. Thoma initio ſuæ Philotheæ S. Franciſcus Saleſius egregiè exponit: homo verò à peccatis abſtinere lethiferis non valens, utique non ad ſpiritualia, ſed ad carnalia, terrenaque gravi pondere impellitur. Reverentia etiam in illo, ſeu ſacer juſtitiæ Dei toties læſæ timor & tremor non invenitur, qui ſcelerum oblitus, familiarem Chriſti conſuetudinem ambit, & quaſi eſſet Sponſa ſacri epithalamii, dicere non veretur: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Quod oſculum de Euchariſtiæ eſu Patres interpretantur. Certè ſi peccatorum ſuorum horrore & Chriſti præſentis majeſtatis timore commoveretur, utique cum Petro tremens & ſtupens diceret, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*: cum Centurione, *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: cum muliere ſanguinis fluxu laborante veſtis tantùm fimbriam tangeret: cum muliere peccatrice ſtans retrò ſecus pedes Domini, non ſe illi coràm offerret, pedes tantùm oſculari ac lacrymis rigare contentus.

Denique, quantum humanâ & chriſtianâ prudentiâ conjicere licet, non eſt in illo ſincera converſio, nec vera, ſed falſa pœnitentia, ſeu ut ajunt Patres, pœnitentiæ larva. Nam pro converſo habendus non eſt, qui nunquam facit quod ſemper promittit, qui ab infandis iteratiſque ſine emendatione ſpurcitiis adhuc libidinum igne flagrans, & fumo ſordens, & fœtore graveolens emergit; ut propterea ſolâ interpoſitâ Confeſſionis morâ & veluti parentheſi, ad divina admittatur Sacramenta. Næ illi verò pœnitentiæ ſpiritu hoc ipſo non agi credendi ſunt, quòd poſt flagitia ad tremendam menſam ſine intermiſſione accedere non verentur? nam nec Sacramenti dignitatē, nec ſacrificii ſanctitatem, nec Chriſti realiter præſentis majeſtatem, nec turpitudinis ſuæ fœditatem apprehēdunt.

Ergo hominibus hujuſmodi in peccata mortalia relabentibus differenda communio eſt, quoad, ut ait Anſelmus, per ſacrificium ſpiritus contribulati, cordiſque contriti Deum placantes, ad virtutum profectum ſtudioſè contenderint, pro aliiſque ſupplicet humilitas, ſuggerat contritio, intercedat mutatio.

Solvitur objectio à Patrum authoritate petita.

Dices: SS. Patres non ſemel eos reprehendunt, qui ab Euchariſtia diu ſe abſtinent: ergo omnes ad Communionem frequentandam hortandi ſunt.

Reſpondeo, SS. Patres illud genus hominum æquiſſimis ac veriſſimis reprehenſionibus exagitare, qui per deſidiam & ſalutis incuriam à ſacra Euchariſtia ſe removent, nec interim de animo ad ſacram menſam præparando ac componendo laborant: unde illi non ex reverentia ab amore & humilitate profecta, ſed ex contemptu & faſtidio cæleſtis cibi (quod ſummam vituperationem meretur,) à Chriſti corpore abſtinent. Cæterùm Patres eos non damnant, ſed laudant, imitandóſque proponunt & præcipiunt, qui myſteriorum auguſtâ majeſtate perculſi, poſt patrata flagitia ab Euchariſtia ſecedunt, eam ut puriùs poſtmodùm ac ſanctiùs ſuſcipiant, eáque humilitate illam à qua prolapſi ſunt, morum integritatem ſenſim ac pedetentim redintegrent.

Hinc recolendæ memoriæ S. Franciſcus Saleſius cohortationes Patrum octiduanam Communionem collaudantium ad pias mentes refert, quæ non modò à criminoſis cupiditatibus, ſed & à minimarum ac tenuiſſimarum offenſiuncularum ſtudio atque effecto liberæ ſint. Unde *lib. 2. epiſt. 38.* ad primatiam fœminam ſcribens: *Nolim*, inquit, *filiam tuam ad frequentem adeò Communionem adducas, niſi antea quid ſit Cõmunio, frequens rectè perpendere noverit. Aliud eſt Communionem ab aliarum rerum perceptione, aliud frequentem communionem à rariori communione ſecernere. Si tenella illa anima ſatis perſpicit, ad hoc myſterium crebriùs adeundum magna mentis puritate, magnâque flagrantiâ opus eſſe; ſi ad eam enitatur, ſi eâ ſeſe ornare ſtudeat, tum verò ſæpiùs, hoc eſt decimoquinto quoque die eam ad illud admovendam aſſentior. Sin communionis tantùm percipiendæ, non levium puerilis ætatis macularum eluendarum ſtudio tenetur, conſiteri eam octavo quoque die, & menſtrua tantùm communione uti commodiùs cenſeo. Sacra Communio, chariſſima filia, ſummo, ut mihi quidem videtur, ad perfectionem comparandam adjumento eſt. Sed eam ita à nobis adiri oportet, ut quidquid Deo, quem recipere volumus, diſplicet, evellendi atque amovendi ſtudium acre ac diligens afferamus.* Quid ergo ſenſiſſet B. Epiſcopus de hominibus ſæculo immerſis, variiſque ſceleribus obnoxiis, poſtquam puerilis ætatis offenſiunculas octiduanæ Communioni impedimento eſſe, definivit.

Idem antè docuerat Venerabilis Presbyter Avila 1. parte, epiſt. 64. *Noli ſinere*, inquit alloquens nonnullum animarum Rectorem, *eos ad Dei menſam accedere, quoties cupient. Multi enim animi levitate potiùs, quàm intimo pietatis ac venerationis ſenſu Euchariſtiam adeunt. Unde accidit, ut ex ea nihil fructus capiant, nec meliores efficiantur. Quod quidem damnum animæ permagnum eſt, & quoad fieri poteſt, ſummoperè vitandum. Fac ut myſterii hujus ſublimitati profunda ac religioſa animi dejectione ſe ſubſternant. Quòd ſi quem ſecus ſe habere deprehenderis, argue illum, cæleſtemque panem ei ſubtrahe, quoad illum vehementer concupiſcat, ſeq; eo indignum fateatur. Vulgus fidelium ter quaterve per annum; alios novies, aut decies; Religioſos decimoquinto die Communionem percipere ſatis fuerit. Conjuges tertia quaque hebdomada, vel ſingulis menſibus idem præſtare commodè poterunt. In quibus autem eximium quemdam Dei zelum atque amorem ſic fervere perſpexeris, ut eorum in vita ſanctitate incrementum atque progreſſus quaſi ad oculum pateat, iis octavo quoque die ſacra Communione veſci licebit.::: Niſi fortè aliud ſuadere videatur aut fames ardentior, aut reverentia inſignior, aut tentatio acrior, aut neceſſitas manifeſtior. Quæ quidem animadvertenda in nonnullis, & prudenter gubernanda ſunt. Rarum autem eorum genus exiſtimo, quibus ſæpius quàm octavo quoque die Communionem adire conveniat.*

Id ipſum antè docuerat S. Bonaventura, non ſolùm locis ſuprà memoratis, ſed etiam *lib. 2. de profectu Religioſorum, c. 77.* ubi de Religioſis conditione ſua ad ſacram Euchariſtiam utique paratioribus inſtituendis agens, ſic habet: [Si aliquis deſiderat experiri, utrùm ſit melius ſæpiùs an rariùs Corporis Chriſti ſuſcipere Sacramentum, videtur mihi, quòd non poſſit ſuper hoc omnibus dari regula uniformis. Varia ſunt hominum merita, & diverſa operum ſtudia, & differentia deſideria, & multiplices Spiritus ſancti operationes in ſingulis, & diverſi etiam ſtatus in Religione. Et ideo ſicut ægrotantibus non poteſt una forma ſervari in dandis medicinis corporis, propter diverſitates complexionum aut loci, aut temporis, aut diætæ, aut aliarum conſiderationum, pro quibus aut rariùs aut ſæpiùs, aut majori aut minori quantitate eadem medicina datur: ita de medicina ſpirituali, quæ eſt Corpus Chriſti, intelligendum. Mundanis enim curis occupati rariùs poſſunt ſe ad illud recipiendum expedire, quàm illi, qui tantùm ſpiritualibus ſtudiis ſunt intenti. Præterea alii magis, alii minùs ſunt circumſpecti in cuſtodia vitæ ſuæ, & morum, & conſcientiæ ſuæ puritate. Vix tamen aliquis ita religioſus eſſe videtur & ſanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in ſeptimana ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque vel ratio plus ſuadeat. Infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolennis, vel inuſitatæ devotionis fervor, & intemperata deſiderii ſitis ſit pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non niſi à Spiritu ſancto eſt, ut creditur, ideo legibus humanæ conſuetudinis & ſtatutis mortalium non arctatur.] Verbis tam perſpicuis, tam ſplendidis, tanta rationum mole vallatis, tam ſpirituali diſcretione conditis nihil attinet adjicere.

Tertia Regula.

Negotiorum honeſtorum multitudo bonos Chriſtianes à frequenti Communione non ſubmovet.

SI talis ac tanta, qualem deſcripſimus, ad Communionem animi compoſitio & præparatio deſideraretur, nullus (dicet aliquis,) penè ſacram Euchariſtiam adire deberet, aut poſſet; cùm omnes fermè negotiis aut occupationibus diſtenti ſint, quibus impediuntur, quominùs tam accuratè ſe præparent. Id autem abſurdum eſt & durum. Quomodo igitur quæ de frequentis Communionis uſu ſtabilivimus, ſunt veritati conſentanea?

Verùm nequaquam id ſequitur, ſi quæ diximus, rectè intelligantur. In primis licèt in Communione præfinienda, ejúſque temporibus conſtituendis

tuendis

tuendis aliqua cujuſque occupationum habenda ſit ratio; illud tamen certiſſimum eſt, Chriſtianos piè ſanctéque viventes, & Chriſti in Euchariſtia latentis amore caſto flagrantes à cœleſti cibo recipiendo occupationum & negotiorum honeſtorum multitudine minimè eſſe prohibendos. Occupationes enim honeſtæ & Reipublicæ utiles, Dei vocatione ſuſceptæ, & ex charitate abſolutæ, orationis & diligentioris ad Euchariſtiam præparationis locum & vicem implent, cùm qui eas ſanctè obeunt, illud Scripturæ mandatum juxta Patres impleant, *Sine intermiſſione orate.*

Sine intermiſſione enim orat, qui ſine intermiſſione in illis functionibus, quibus à Deo alligatus eſt, propter Deum operatur. Sine intermiſſione orant Sacerdotes, Parochi, & Epiſcopi occupatiſſimi ſuis muneribus inceſſanter addicti, id eſt ſacris ſtudiis, pauperum cauſis, litibus componendis, caſibus conſcientiæ reſolvendis, ignaris erudiendis, concionibus parandis pronuntiandiſque, Eccleſiis viſitandis jugiter incumbentes, ob quæ à ſacro quotidie faciendo (niſi interdum præ reverentia recedant) abſtinere nequaquam debent. Sine intermiſſione enim orabant naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani in rerum domeſticarum cura, familiarum adminiſtratione, manuum etiam juxta Apoſtoli præceptum, labore continenter verſantes.

Itaque nec Magiſtratûs officia, nec familiæ negotia, nec laboris inſtantia chriſtiano animo peracta impedimento, ſed potiùs adjumento ſunt Euchariſtiæ uſurpandæ. Sicut è contra qui levibus vel nullis occupationibus detinentur, ſed totam hebdomadam in voluptatum, ambitionis, & avaritiæ ſtudiis otioſi conterunt, ad Euchariſtiam proximo Dominico ſuſcipiendam ideo idonei cenſendi non ſunt, quòd aliquod tempus in evolvendis nonnullis precationibus impendunt. Temporis enim & ſpatii, ut dixi, ad ſacram Communionem ſeſe accingendi nonnulla ratio habenda eſt, ſed longè major meritorum cujuſque, animi affectuum, morum, probitatis, vitæ integritatis, ſancti Spiritus munerum ac donorum, quæ in viris etiam occupatiſſimis ſæpe non deſunt.

Quarta Regula.

Peccata venialia juſtorum frequentem Communionem non prohibent: eorum tamen affectus Communionis dilationem exigit.

Accuratè cum B. Franciſco Saleſio peccata venialia ab affectu & ſtudio peccatorum venialium diſtinguenda ſunt. Peccata venialia à ſacræ Communionis uſu non prohibent: peccatorum venialium amor & affectus (qui operibus utique dignoſcitur, & occaſionum fugiendarum incuriâ & voluntario neglectu innoteſcit) prohibet. In peccatis etiam venialibus attendenda, non confundenda ac permiſcenda diverſitas eſt. Alia enim inſidiosè obrepunt, alia à volentibus & ſcientibus ſuſcipiuntur; & longè alia eorum habenda ratio eſt, quæ ignorantia vel fragilitas parit, atque eorum quorum malitia, & uſus mater eſt; & ſtudioſiùs redimenda ſunt quæ charitatem lædunt, vel ſcandalo ſunt, vel quæ multitudine animi candorem infuſcant, quàm in quæ naturæ imbecillitate aſſiduè incurrimus aut impingimus.

Hinc præclarè Auguſtinus ſerm. 244. *Noli*, inquit, *deſpicere peccata tua, quia parva ſunt. Nam & pluviarum guttæ ſunt, ſed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum ſuis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia parvum peccatum eſt, vellem ſcire quoties tale peccatum admittis, ſi tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut ſciſſuras in veſtibus tuis fieri velis? Cùm ergo in corpore tuo plagas, nec in veſte tua ſciſſuras vel maculas fieri acquieſcis, qua conſcientia tot facere in anima tua non erubeſcis. Ac ſic quicumque hoc fecerit, plus amat veſtem aut carnem ſuam quàm animam. Cùm enim ad imaginem Dei facti ſimus, quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, toties Dei imaginem ſordidamus. Etiam videte, ſi hoc deceat vos, aut oporteat. Verè dico vobis, Fratres chariſſimi, quia non hoc Deus de nobis meretur, ut in nobis imago ipſius per malas concupiſcentias injuriam patiatur. Et cùm nullus homo velit cum tunica ſordibus plena ad Eccleſiam convenire, neſcio qua conſcientia cùm anima per luxuriam* (non utique lethiferam, ſed venialem, qualis eſt in iis, qui in matrimonio per ſe licito intemperanter ac extra liberorum procreandorum juſtiſſimum finem utuntur; de illis enim inibi ſermonem habet Doctor ſanctiſſimus) *ſit inquinata, præſumit ad altare accedere, non timens illud quod Apoſtolus dixit: Qui enim manducat corpus, & ſumit ſanguinem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Si erubeſcimus ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere, plus debemus ipſam Euchariſtiam intus in anima polluta ſuſcipere.*

Auguſtinum ſequutus eſt magnus Gregorius *lib. 2. in 1. Reg. cap. 1.* his notantiſſimis verbis: *Qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etſi minima ſint peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus inſinuans ait: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid eſt enim hoc loco probare, niſi evacuata peccatorum nequitia ſe probatum ad Dominicam menſam & purum exhibere?*

Patribus conſentiunt S. Bonaventura, & S. Franciſcus Saleſius. Poſterioris verba retulimus. Prior verò *lib. de præparat. ad Miſſam*, his præclaris verbis mentem ſuam aperuit: [Proba teipſum ex quanta charitate, & quali fervore accedis. Non ſolùm enim mortalia vitanda ſunt, ſed etiam venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconſiderationem ac per diſtractionem diſſolutæ vitæ & malæ conſuetudinis, licèt non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum, & indiſpoſitum, & ineptum ad celebrandum, niſi dicti pulveres & ſtipulæ venialium per afflatum Spiritus & flammam charitatis ventilentur & conſumantur, exardeſcente igne cordis, & ex conſideratione propriæ vilitatis. Ideo cave, ne nimis tepidus & inordinatus accedas; quia indignè ſumis, ſi non accedis reverenter, circumſpectè, & conſideratè. Unde Apoſtolus: Judicium ſibi manducat & bibit. Quod apertiùs inſinuat dicens: Ideo inter vos imbecilles multi, ſcilicet per fidei inconſtantiam; & infirmi, id eſt gravi peccato ſauciati; & dormiunt multi, ſcilicet per torporem & deſidiam. O quàm graves anguſtiæ me undique affligentes! Accedere indignè, horrendum; non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis eſt culpa.] Quam doctrinam factis ſuis vit ſanctus, & Deus miraculo comprobavit: cùm enim tanti myſterii reverentia & ſacro horrore perculſus aliquot dies ab Altari receſſiſſet, ut humiliati cordis ſacrificio Deum honoraret, viri Seraphici humilitate Chriſtus delectatus particulam hoſtiæ in os ejus immiſit.

Hanc ſanctiſſimam doctrinam non ſolùm verborum

borum ſuorum authoritate, ſed & vitæ ſuæ exemplis factiſque Sancti docuerunt. Hinc vir divinus Joannes Chryſoſtomus, quòd animum ſuum nonnihil ſemel commotiorem ſenſerit, alium Epiſcopum ut ſacrum faceret, rogavit; & referente Palladio, vitæ ipſius oculato teſte, *Sacrificium offerre noluit*, ſed altæ reverentiæ ſenſu perfuſus è templo venerabundus exceſſit. Hinc ſanctiſſimus vir & Doctor à Deo Eccleſiæ proviſus Hieronymus, ipſomet in opere contra Vigilantium atteſtante, quando ſubiratus fuerat, vel aliquid mali in animo cogitarat, vel nocturno fuerat phantaſmate deluſus, *Baſilicas Martyrum*, inquit, *intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremiſco. Rideas forſitan*, addit, *& muliercularum deliramenta ſubſannes. Non erubeſco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum reſurgentem, quæ mittuntur ad Apoſtolos, quæ in multis a Domini Salvatoris ſanctis Apoſtolis commendantur.*

Si ob iracundiæ motum, ob cogitationem intemperatiorem, ob nocturnam illuſionem ſæpe & ferè ſemper in Sanctis culpa vacantem, ne in Baſilicas quidem Martyrum ingredi, & Sanctorum reliquiis adſtare audebat Hieronymus, quomodo ad altare tremendum aſpirare, Dominumque majeſtatis, cujus præſentia & gloria Angelos ipſos ſacro horrore percellit, ſuſtinere potuiſſet?

Hinc Magnus Gregorius metuens ne ſuâ culpâ pauperculus in vico urbi vicino fame & egeſtate interiiſſet, per aliquot dies à ſacris Altaribus receſſit, & cæleſtium ſibi ipſi myſteriorum celebratione interdixit. Hinc S. Romualdus Religioſos, qui orationis tempore ſomni obrepentis illecebris aliquantulum ceſſiſſent, ne ſacrum facerent prohibebat. Hinc S. Bernardus laudat S. Malachiam, quòd Diaconum nocte præcedenti humanum aliquid paſſum, & die ſequenti ad altare miniſtrantem his verbis caſtigaverit: *Non debueras hodie miniſtraſſe, ſed verecunde te ſubtrahere ſacris, & deferre tantis tamque divinis myſteriis, ut hac humilitate purgatus dignius deinde miniſtrares.* Hinc S. Thomas Cantuarienſis, quòd Regis leniendi, ac Cleri à vexatione vindicandi causâ nonnihil de ſolita propugnandæ eccleſiaſticæ libertatis firmitate remiſiſſet, ſeipſum à ſacrificio excluſit, nec ad Altare niſi obtentâ Summi Pontificis abſolutione regreſſus eſt. Hinc S. Carolus cùm in Eccleſiæ ritibus nonnihil peccaſſet, pluribus diebus à tremendo ſacrificio receſſit, pluribus receſſurus, niſi populi ſtudiis & devotioni cedendum exiſtimaſſet. Hinc Beatus Franciſcus Saleſius *libro ſecundo, epiſt.* 39. illuſtrem fœminam ob voculas acriores, quæ ipſi per impatientiam excidere ſolebant, à Confeſſario frequentioris Communionis ſolatio rectè multatam exiſtimat; tum ut eæ maculæ humilitate abſtergerentur; tum ut ad eas fugiendas diligentior inpoſterum evaderet; tum ut illius obedientiæ periculum fieret, & in ea pœnitentia quoad Confeſſarius juſſerit, perſtandum exiſtimavit. *Nunquam enim*, addit dicta ſua ratione confirmans, *ſalubrior cibus eſt, quàm cùm ab exercitato & eſuriente percipitur. Intervallo autem eſuries atque appetentia creſcet: comprimenda verò impatientia exercitatione ſtomachi ſpiritualis vis ac firmitas redintegrabitur.* Hinc ſanctæ memoriæ Bartholomæus à Martyribus Bracharenſis Archiepiſcopus, ut refertur in ejus vitæ tam eleganter & juxta piè annis ſuperioribus gallicè ſcriptæ *lib. 4. cap.* 27. tametſi ſingulis fermè diebus divina myſteria faceret, quò graviſſimarum functionum labores levaret, & interruptum negotiorum mole charitatis ardorem inſtauraret: unum tamen cujuſvis hebdomadis diem ſeligebat, quo à Communione ſe abſtinens & reverentiæ ſuæ ſenſum ſignificaret, & majorem cæleſtis cibi appetentiam concitaret. Deſideriis enim humilitate temperatis, & cum vitæ integritate conjunctis mirum in modum animus apparatur. Nam ut ait Sanctus Anſelmus tract. de Sacramento Altaris: *Hunc cibum plus manducat, qui amplius amat; & plus amando rurſus, qui plus manducat, & plus amat.*

Solvuntur objectiones à ratione deprompta.

Dices 1. Nunquam Eccleſia poſtulavit ante Communionem plures dies agendæ pœnitentiæ tribui; nec unquam talem uſum aut praxim tenuere Patres: illi ſolùm à ſacra Communione abſtinebant, qui ob atrocia crimina publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur, quoad reconciliati eſſent. Ergo Eccleſiæ ſenſibus noſtra doctrina non congruit.

Reſpondeo, falſiſſimum eſſe hujus argumenti antecedens; cùm contrà certiſſimum ſit, prioribus Eccleſiæ ſæculis morem doctrinæ noſtræ conſentaneum in Eccleſia viguiſſe. Etenim cùm ſancti Patres recenſiti in ea ſententia fuerint, ut poſt commiſſa mortifera peccata, qualiacumque tandem eſſent, plurimis diebus pœnitentiam agi oportere exiſtimarint, antequam ad Euchariſtiam accederetur, manifeſtum eſt Sanctos illos eam doctrinam à ſe traditam, à ſe prædicando ſcribendóque inculcatam ad mores praximque ſemper & ubique reduxiſſe: alioquin ſimiles Phariſæis dixiſſent & non feciſſent, contraxiſſet doctrina moribus, & ſimulatâ pietate veráque hypocriſi in duplicem iniquitatem incurriſſent. Abſit à Sanctis, abſit ab Eccleſiæ Patribus hæc fallax fraudulentáque ars, aliud docens, aliud efficiens; cùm de unoquoque eorum verè illud intelligatur: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus erit in regno cælorum*; omnéſque & ſinguli illius diſcipuli fuerint, qui *cœpit facere & docere*. Factis etiam & exemplis doctrinam confirmaſſe ſuam, in fine reſponſionis ad proximè ſuperiorem objectionem clariſſimè monſtravimus.

Hinc S. Cæſarius Arelatenſis Præſul ſexti ſæculi, in quo floruit, Eccleſiæ ſenſum exprimens, *homil.* 8. ait peccata quidem venialia & minuta eſſe quotidie redimenda infirmos viſitando, in carcere poſitos requirendo, diſcordes ad concordiam revocando, indicto ab Eccleſia jejunio jejunando, hoſpitibus pedes abluendo, ad vigilias frequentiùs conveniendo, eleemoſynas ante oſtium prætereuntibus dando, inimicis noſtris quoties petierint, indulgendo. *Pro capitalibus verò criminibus* (addit loquens de ſacrilegio, adulterio, homicidio, falſo teſtimonio, furto, rapina, ſuperbia, invidia, avaritia, diuturna iracundia, ebrietate aſſidua, ut patet ex contextu) *non hoc ſolùm ſufficit, ſed addenda ſunt lacrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & longè protracta jejunia, largiores eleemoſynæ, etiam plus quam nos ipſi valere poſſumus eroganda, ultrò nos ipſos à Communione Eccleſiæ removentes, in luctu & triſtitia multo tempore permanentes.* Quibus verbis nihil planius, nihil luculentius, nihil apertius dici poteſt.

Dices 2. Euchariſtiæ interdictio excommunicatorum pœna eſt, qua & ab Eccleſia, & à Sacramentis arcentur: Ergo non cujuſque modi peccatorum mortalium hæc pœna eſt, nec arcendi ſunt ab Altaribus qui in peccata lethalia, quibus excommunicationis pœna annexa non eſt, prolapſi ſunt.

Reſpondeo, quòd licèt his temporibus excommunicatio certis tantùm peccatis, gravibus illis quidem per longas ſormolarum obſervationumque moras infligatur, qua deſperati & inſanabiles peccatores, ne per plures ſerpant dira contagia, paſtorali neceſſitate tanquam oves morbidæ à ſanis ſeparantur, quæve eſt veluti ultimum Eccleſiæ in contumaces fulmen; nihilominus tamen antiquitùs verbum *Excommunicare*, idem ſonabat ac pœnitentes anteacta ſcelera ex animo averſantes à Communione & altaribus arcere & prohibere; quæ quidem pœna omnibus peccatis mortalibus irrogabatur, quámve pœnitentes ultrò ſibi imponebant, ſemetipſos à Communione pro ſuo reatu ſuſpendentes, ne ab altari quod in cælo eſt removerentur, ut *hom.* 13. docet S. Cæſarius Arelatenſis: [Ut qui ſeparari, inquit S. Auguſtinus homil. 50. à regno cælorum timet per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis panis interim ſeparetur. Verſetur ante oculos imago futuri judicii, ut cùm alii accedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, quâ percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam.]

Hinc authore S. Eligio *hom.* 8. pœnitentes veſtibus ex hœdorum pilis contextis in ſiniſtra Eccleſiæ parte ſe collocabant, ut ſe peccatis factos dignos agnoſcerent & profiterentur, qui ad ſiniſtram inter hœdos in die judicii collocarentur. Unde huic damnationis imagini & formæ ultrò ſe ſubjiciebant, ut ab æterno convivio non arcerentur, illa Apoſtoli voce freti: *Si noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Hinc B. Cyprianus quartam Orationis Dominicæ poſtulationem explanans: [Hunc panem, inquit, dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.] Ad quem locum alludens Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 4. [Hæc verba ſancti hominis Dei, inquit, perſeverantiam à Domino Sanctos indicant poſcere, quando hac intentione dicunt, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodiè, ne à Chriſti corpore ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneant, quâ nullum, quo inde ſeparari mereantur, crimen admittant.

Hinc Concilium Turonenſe III. canon. 22. *Epiſcopus*, inquit, *& Presbyteris diligenti cautela pertractandum, qualiter hominibus ſua ſibi delicta confitentibus tempus abſtinendi præſcribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abſtinentia* (à ſacra Communione) *indicatur.*

Hinc Ivo Carnotenſis epiſt. 230. teſtatur moris fuiſſe, *ut crimina ſua confitentes aliquandiu à corporis & ſanguinis Chriſti Communione Eccleſia ſuſpenderet.* Hinc denique Auguſtinus ſæpe teſtatur pro quolibet crimine pœnitentes excommunicatione, id eſt à cæleſti pane ſeceſſu plecti; & hunc morem in omnibus Eccleſiis ſua ætate viguiſſe, ut refert epiſt. 108. *Quia hoc eſt indignè corpus Chriſti accipere, ſi eo illud tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam.* Illis ergo frequens Euchariſtiæ uſus permittebatur, quorum moribus ſanctitas chriſtiana non dedecorabatur, quorum fides ſpe roborabatur, ſpes charitate alebatur; qui quotidie peccabant, quia homines erant; ſed graviter non peccabant, quia veri Chriſtiani erant. Veri enim Chriſtiani teſſera eſt lethalia vitare peccata. *Cùm cœperit ea non habere homo, debet autem non habere omnis Chriſtianus homo, incipit caput erigere ad libertatem,* inquit idem Auguſtinus.

Dices 3. per pœnitentiam verè delentur peccata, reſtituitur gratia, reviviſcunt virtutes, fit homo Deo gratus, & infuſis cæleſtis gratiæ muneribus mundatur: Ergo non debet ſtatim poſt pœnitentiam impediri, quominus ſic per Sacramentum inſtructus ad Euchariſtiæ Sacramentum homo convolet.

Reſpondeo, pœnitentiam à Patribus, & deinceps à Theologis trifariam dividi: alia enim eſt quæ Baptiſmum antecedit, qua peccatorem de peccatis à ſe nondum regenerato patratis pœnitebat; alia eſt quotidiana peccatorum venialium, quæ omni ex parte effugere juſti non poſſunt; alia eſt pœnitentia pro peccatis mortalibus, quæ ſine Eccleſiaſticarum clavium authoritate remitti nequaquam poſſunt. Hujus diviſionis ſæpe meminit Auguſtinus, ex quo eam deſumpſit Angelicus noſter Doctor ultimo ſuæ Summæ Theologicæ articulo, his verbis: *Pertinet ad pœnitentiam, ut deteſtetur peccata præterita cum propoſito vitam immutandi in melius, quod eſt quaſi pœnitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt ſpeciem ſecundùm finem, conveniens eſt, quòd diverſæ ſpecies pœnitentiæ accipiantur ſecundùm diverſas immutationes quas pœnitens intendit. Eſt autem triplex immutatio à pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam, & hæc pertinet ad pœnitentiam, quæ eſt ante Baptiſmum. Secunda autem immutatio eſt per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium poſt Baptiſmum. Tertia autem immutatio eſt in perfectiorem operationem vitæ, & hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis.*

Porrò huic tertiæ pœnitentiæ ſeparatio à ſacra Communione ſemper adjungebatur, ut peccator poſt violatam Baptiſmi innocentiam, & offenſam Dei majeſtatem interim concuſſus debitam flagitiis ſuis pœnam agnoſceret, hacque humilitate, aliiſque pœnitentiæ exercitationibus dignum ſe præſtaret, cui ad ſacram Communionem rurſum aditus pateret. *Reſtat ergo tertium pœnitentiæ genus*, inquit Auguſtinus *hom. 27. cap.* 3. ſermonem habens de pœnitentia, quæ ad delicta mortifera pertinet; *unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino propoſita & promiſſa perſolvam. Eſt pœnitentia gravior atque luctuoſior, in qua propriè vocantur in Eccleſia pœnitentes, remoti etiam à Sacramento altaris participando, ne accipiendo indignè, judicium ſibi manducent & bibant.*

Hac ratione nihil limpidius, niſi fortè hæc ejuſdem Auguſtini verba *hom. 50. cap. 2. & 3.* ubi expoſitâ præfatâ diviſione ſic habet. [Tertia eſt actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. In hac ergo pœnitentia majorem quiſque in ſe ſerveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus non dijudicetur à Deo, ſicut idem Apoſtolus ait: Si enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur. Aſcendat itaque homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud quòd oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, ut illud recipiat unuſquiſque quod per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat, nam minatur hoc Deus peccatori: Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carni-

ſex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini: ut qui ſeparari à Regno Cælorum timet per ultimam ſententiam ſummi Judicis, per eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cæleſtis Panis interim ſeparetur. ::: Quomodo ergo in interiora veli, & in illa inviſibilia Sancta Sanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam cæleſtis diſciplinæ contemnens, noluit pauliſper à viſibilibus ſeparari? Qui enim voluit humiliari ut exaltaretur, cùm exaltari voluerit, dejicietur, & in æternum ſejungetur ab æternis Sanctis.]

Quin paſſim ſupponit Auguſtinus, hanc Communionis privationem fuiſſe ſemper peccati mortalis reo annexam: [Qui violavit Sacramentum (Baptiſmi) inquit homil. 41. male & perditè vivendo, & ideò remotus eſt ab Altari, ne judicium ſibi manducat & bibat, mutet vitam, corrigat ſe, & reconcilietur cùm vivit, dum ſanus eſt. ::: Ergo qui veraciter egerit pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus & à Chriſti corpore ſeparatus, quandocumque defunctus fuerit ad Deum vadit.] Hinc peccatores poſt Baptiſmum in peccatum mortale ſponte ſua labentes comparat Adamo, quatenus ſicut iſte conſtitutum Deum inter & ipſum fœdus violavit, ideoque ligno vitæ orbatus eſt, ita peccator ictum cum Chriſto in Baptiſmate fœdus diſcrumpit, ideoque ab Euchariſtia arcendus: *Alienandus Adam fuerat à ligno vitæ*, inquit lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 40 *vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus: ſicut etiam in hoc Paradiſo, id eſt Eccleſia, ſolent à Sacramentis Altaris viſibilibus homines diſciplinâ eccleſiaſticâ removeri.*

Dices 4. longas illas, & laborioſas ſatisfactiones ante abſolutionem & Communionem præmitti ſolitas, ipſam etiam ab Euchariſtia ſeparationem publicis tantùm peccatis eluendis inſtitutas fuiſſe: Ergo privatis arcaniſque peccatoribus non eſt idem pœnitentiæ rigor imponendus, neque ullum à Communione abſcedendi tempus præſcribendum.

Reſpondeo prorſus eſſe à veritate alienum, hanc religioſam abſtinentiam & dilationem peccatoribus duntaxat publicis ad populi exemplum, ſarciendum Eccleſiæ honorem, & quæ in ipſam redundaverat ex Chriſtianorum ſceleribus infamiam eluendam duntaxat fuiſſe impoſitam. Veritas enim eſt, ob occulta arcanáque peccata, quibus pernotis damnum pœnitenti potuiſſet obvenire, putà ob adulterium mulieris publicâ pœnitentiâ pervulgatum, vel in ſuſpicionem vocatum, unde mulieri incommoda, vel etiam mors imminerent, peccatores impoſitam pœnitentiam, & ab Euchariſtia receſſum ſtatuto Canonibus tempore, authore Baſilio *epiſt. 2. ad Amphiloch. can. 34.* obſervaſſe. Quæ quidem pœna non ob ſola publica, ſed ob occulta quoque; non in aliorum duntaxat exemplum, ſed in lapſorum potiſſimùm ſalutem indicebatur.

Id etiam evidentiſſimè vel ex eo apparet, quòd Clerici ſacris miniſteriis addicti, etſi publicæ pœnitentiæ ob peccata ſecreta, quàmlibet gravia obnoxii non eſſent, ob mortiferum tamen peccatum ab altari depulſi pœnitentiæ clam diuque vacare jubebantur. *Alienum eſt à conſuetudine eccleſiaſtica* (inquit Magnus Leo epiſt. 82.) *ut qui in Presbyterali honore, aut qui in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi* (ſcilicet publicè) *Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Refert etiam Sozomenus *lib. 8. cap. 6.* Gerontium Diaconum ob admiſſum crimen, S. Ambroſii imperio *præſcripto tempore manere domi, & pœnitentia expiari*, fuiſſe juſſum, ut precibus, lacrymis, variiſque caſtigationibus ultrò ſuſceptis Deo ſatisfaceret. Refert etiam Gratian. diſt 92. cap. *Presbyter*, decretum Concilii Hibernici, quo jubetur, ut Presbyter in fornicationem lapſus, annos decem pœniteat, & *tribus quidem menſibus privato loco à cæteris remotus, pane & aquâ à veſpera in veſperam utatur, ſacco indutus humi adhæreat, die ac nocte jugiter miſericordiam Dei omnipotentis implores; finitis tribus menſibus exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo ſcandalum patiatur. Nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere ſicut laicus.* Unde patet, Sacerdotes ab Euchariſtia fuiſſe prohibitos, tametſi pœnitentiæ publicæ jugo colla non ſubmitterent. Unde S. Proſper ſeu Julianus Pomerius *lib. 2. de vita contempl. cap. 7.* in eos Sacerdotes acriter invehitur, qui peccati lethalis conſcii, *abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt, nec ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt.* Quos interim monet, ut *ab altari, cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, vitam tanquam mortuam plangant, certi quòd reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniant.* Certum ergo eſt, cuilibet peccato mortali, quo Baptiſmi ſanitas deperit, verecundum à Communione receſſum ſemper fuiſſe annexum, ut interim variis pœnitentiæ exercitationibus & ſanitatem peccator recuperaret, & ad reconciliationem atque Communionem ſibi aditum faceret; atque expiatis ſalutari ſatisfactione criminibus, & animo in Chriſtiana pietate obfirmato, abſolutionis & Communionis beneficio viam ſterneret ac muniret.

Dices 5. Peccatoribus criminum ſuorum indulgentiam plenariam Eccleſia ſæpe indulget: Illi autem plenariè non indulgetur, cui Communionis dilatio imponitur: Ergo doctrina noſtra non videtur indulgentiarum aſſertioni conſentanea.

Reſpondeo quòd ſicut verum non eſt vero contrarium; ita poteſtas clavium, à qua indulgentiæ proficiſcuntur, Eccleſiæ collata non eſt neceſſitati pœnitentiæ & peccatorum probationi in Scripturis, Patribus, & ab Eccleſia per ſuos Concionatores tantoperè inculcatæ adverſa. Eccleſiæ miſericordiam demonſtrant Epiſcoporum, & Romani præſertim Antiſtitis indulgentiæ, quia ut præclarè ſcripſit Cyprianus epiſtol. 55. ad Cornelium fratrem: [Nec Eccleſia cuiquam clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur, patientia, facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſtò eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino, delictis plùs quàm oportet remittendis penè ipſe delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes.] Sed tanta, omnibúſque oblata indulgentis matris Eccleſiæ clementia pœnitentiæ ad expurgandum componendúmque animum tantoperè neceſſariæ non repugnat: ſed ſicut nefarium

eſt,

eſt juſtitiam Dei à miſericordia ſejungere, ita & pœnitentiam per indulgentias ad nihilum redigere. Et magnæ terribilis Dei vindictæ argumentum eſt, cùm quis miſericordiâ Dei & Eccleſiæ indulgentiis abutens, dignos non ſatagit facere fructus pœnitentiæ. [Ira Dei eſt, ait ibidem Cyprianus, non intelligere delicta, ne ſequatur pœnitentia. Primus felicitatis gradus eſt non delinquere; ſecundùs delicta cognoſcere. Illic currit innocentia integra & illibata, quæ ſervet: hìc ſuccedit medicina, quæ ſanet. Unde concludit, quòd honor Deo non redditur, quando ſic Dei majeſtas & cenſura contemnitur, ut cùm ſe ille indignari & iraſci ſacrificantibus dicat, & cùm pœnas æternas & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur à ſacrilegis atque dicatur. Ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti: ſed ſublatâ pœnitentia pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicentur.]

Et libro de lapſis: [Cùm ſcriptum ſit, Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant: qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat; nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit, ſimulatque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus, arguo, & caſtigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus & ſecandum, & putaminibus (alii legunt putraminibus, id eſt putredinibus) amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget poſtmodùm cùm ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim, fratres dilectiſſimi, novum genus cladis; & quaſi parùm procella perſequutionis ſævierit, acceſſit ad cùmulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini & Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio; irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excuſſa eſt, graviſſimi, extremíque delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur. A diabolì aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt.]

Itaque nunquam intendit indulgentiis Eccleſiæ miſericordia ut peccatores exhalantibus adhuc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta corporibus dolentibus, Domini corpus invadant. Quia alioquin, ut ibidem glorioſus Antiſtes & Martyr ait, *vis infertur corpori ejus & ſanguini*. Nec eſt pax, quam verbis fallacibus vendicant, ſed bellum. Unde in omnibus Pontificiis diplomatibus illis indulgentia etiam in Jubilæo conceditur, qui *pœnitentiæ ſalutari* ſe ſuppoſuerint. At ſalutaris non eſt, ſed fallax & illuſoria eſt, quæ in verba ſonantia, non in facta pronuntiantia erumpit. Certè ſicut annua Communio capite *Omnis utriuſque ſexus*, tam rigidè ſub interminatione anathematis imperata, judicio tamen Sacerdotis eodem capite permittitur Communionis dilatio, ſi ad ſalutem pœnitentis noverit expedire: ita Indulgentiæ & Jubilæi gratia Sacerdotem ad citò peccatores abſolvendum, & ad altaria permovendum non aſtringit, niſi quem ſatis invenerit ad ſacras epulas comparatum: ineptum verò ſummovere à Dominica menſa tenetur, quoad tanto Sacramento & Indulgentiarum beneficio recipiendo fiat idoneus.

Et præclaram horum omnium rationem affert laudato loco Cyprianus, quia ea ſola peccata abſolvit divinitùs ſibi traditis clavibus Eccleſia, quæ Deus condonat; quia ſolus Deus principaliter miſeretur, & veniam peccatis ſolus ille largitur, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris Chriſtus Jeſus. At Deus ſine veris pœnitentiæ exercitationibus, lacrymis, orationibus, aliiſque id genus virtutum officiis gravia delicta non remittit: Ergo ea opera evacuare indulgentiis nunquam cogitavit Eccleſia. *Homo Deo non poteſt eſſe major*, inquit Cyprianus, *nec remittere, aut donare indulgentiâ ſuâ ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt. Credimus quidem poſſe apud Judicem plurimùm Martyrum merita, & opera juſtorum: ſed cùm judicii dies venerit, cùm poſt occaſum ſæculi hujus, & mundi, ante tribunal Chriſti populus ejus adſtiterit. Cæterùm ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed obeſt lapſis. Provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam; nec miſericordiam prius Dei deprecandam putare, ſed contempto Domino de ſua facultate præſumere.* Catholica eſt de utilitate indulgentiarum doctrina, at non minùs Catholica eſt de neceſſitate pœnitentiæ ſententia: utraque ab Evangelio tradita, utraque religioſè retinenda, quia ut ait ibidem Cyprianus: *Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat.*

Regulas hactenus conſtitutas illuſtriores Sancti Thomæ diſcipuli religioſè ſectati ſunt. Illuſtria P. Granatenſis teſtimonia.

Cùm ea quæ diximus hactenus è ſacra traditione Sole ipſo ſplendidiora hauſerimus, magna cum fiducia modum loquendi Hilarii *lib. 6. de Trinitate*, imitatus dixerim: *Hæc ita didici, ita credidi, & ita confirmata mentis fide teneo, ne aut poſſim credere aliter, aut velim. A Patribus, ab Apoſtolicis viris, à Summis Pontificibus, quæ teneo, edoctus ſum, his immedicabiliter imbutus ſum: & ignoſce omnipotens Deus* (ſuſpice Lector in Hilario traditioni adhærente exemplum fiduciæ ad miraculum intrepidæ) *quia in his nec emendari poſſum, ſed commori poſſum. Tardè mihi Doctores ætas nunc ejus ſæculi protulit. Serò hos habuit fides mea, quã tu erudiſti Magiſtros. Sit ſanè fides, ſit pœnitentia alia, ſi alia claves regni cœlorum ſunt. Sit pœnitentia alia, ſi erit alius Apoſtolatus ligata & ſoluta per ſe in terra ligans in cœlo atque ſolvens. Sit pœnitentia alia, ſi Chriſtus Filius Dei alius præterquam quod eſt, prædicatur.* Addiderim etiam, quòd ſi non eſt modò alius Spiritus ſanctus ac qui in Apoſtolos eſt illapſus, qui in Eccleſia Catholica miniſtranda Summis Pontificibus adfuit, qui Conciliis plenariis & regionalibus præfuit, qui innumeros Sanctos & Patres omnes ſpiritales, quotquot de pietate cum laude his etiam temporibus ſcripſerunt, inſtruxit & permovit, ea quæ toto hoc capite è Patribus non tam ſcripſi quàm exſcripſi, tutiſſimam eſſe & procurandæ peccatorum ſalutis, & permovendæ ſolidæ pietatis, & frequentandæ etiam

cum ingentibus utilitatibus Euchariſtiæ viam, ſine dubitatione credendum eſt. Ut tamen confirmandæ hujuſce veritatis cauſa nihil omittamus, operæpretium viſum eſt ſelecta celebriorum S. Thomæ diſcipulorum teſtimonia proferre, ut appareat quinam ſemper fuerit verorum Thomiſtarum in Euchariſtiam pietatis & reverentiæ ſenſus. Duos autem tres in aciem dumtaxat producam, tum ne diſſertationem ſatis prolixam cum cruce Lectoris plus juſto protendam; tum quia in ore duorum aut trium teſtium, & quidem omni exceptione majorum, ſtat omne verbum.

Primus occurrit Cardinalis Cajetanus in commentario art. 10. q. 80. [Circa quotidianam, inquit, celebrationem nota Auguſtini (Ambroſius eſt) verbum: Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Quoniam per ſic vivere intelligendum eſt, ſpiritualem vitam ſic vivere, ut quotidiana Communione ſemper augeatur. Alioquin non ſic vivitur, ut quotidie mereamus accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie ſic eſſe diſpoſitus, ut fructum Euchariſtiæ percipiat: fructus autem ſpiritualis hujus cibi non eſt ſolùm actualis refectio, ſed augmentum gratiæ: quoniam per totum tempus præſentis vitæ ſumus in ſtatu augmenti. Propter quod crebrò, vel quotidie celebrantes diſcutiant in ſeipſis fructum præteritæ celebrationis; & ſecundùm profectum, vel defectum proſequantur, vel à proſequutione deſiſtant. Qui verò multis celebrationibus peractis ad actus virtutum non meliùs ſe habet quàm antè, parùm aut nihil proficit.] Si de viris juſtis, in quibus gratia & virtutes, ſed in quibus virtutum poſt multas Communiones augmentum nullum relucet, ſcripſit doctiſſimus Cardinalis, oportere eos à multitudine Communionum deſiſtere, quid de eis quæſo ſentiebat, in quibus non modò nullum virtutum augmentum, nullus profectus, ſed continuus cernitur in eadem lethifera flagitia relapſus? Eaſdem conſequutiones ex illis Cajetani verbis derivare eſt, quas ex ſuprà ponderatis S. Thomæ teſtimoniis intulimus; quæ quia ſponte ſua fluunt, eas erudito Lectori deducendas relinquo.

Secundus occurrit Dominicus Soto *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. artic.* 10. ubi quærens quenam oporteat eſſe frequentis Communionis uſum, ait quæſtionem excitari de viris, qui à tumultu ſæculari ſemoti divinis vacant, vel de illis, qui à peccatis omninò mortalibus abſtinentes, ſoliciti ſunt quomodo placeant uxoribus, & ſæculi negotiis implicantur; vel de illis, qui cum paſſionibus luctantes tentationibus interdum cedunt; nunc lapſi, ſed mox reſurgentes. *Illos namque*, ait, *qui peccatis mortalibus ſordent, jam à præſenti quæſtione tanquam ineptos excluſimus.*

Hoc poſito aſſerit primò, immunes à peccato mortali laudabiliter Euchariſtiam frequentare, licèt laudabile etiam ſit illos præ reverentia ab Euchariſtia aliquando abſtinere. Affirmat ſecundò, per ſe loquendo laudabilius eſſe juſtos frequenter accedere quàm abſtinere, quia amor & fiducia præſtantiores virtutes ſunt quàm timor, qui eſt cauſa ceſſandi: *Quanquam*, inquit, *contingere poſſit, ut quandoque abſtinens devotiùs poſtmodùm accedat, & qui ob reverentiam abſtinet, merito ſuo per favorem divinum gratiam aſſequatur.* Attamen ab eo qui ex charitate frequentat, & gratia ſacramentalis, & devotio in Euchariſtia *crebriùs guſtatur, & avidiùs concupiſcitur.* Tertiò concludit: [Illis qui corruptis affectibus fluctuant, licèt quotidie reſurgant, non eſt ſanum conſilium quotidie ad Sacramentum accedere, etiamſi ſint Sacerdotes. Tum quia timendum illis eſt, ne non ſit eorum legitima pœnitentia; tum quia neque ſinceram & caſtam reverentiam afferre poſſunt, ut Sacramentum pro dignitate æſtiment.

Aliis verò ſæcularibus conjugatis, ait in calce articuli, qui rei familiari inſerviunt, licèt à peccatis mortalibus ſint liberi, non conſulerem frequentiùs quàm à quindena in quindenam ad Sacramentum accedere. Nam quamvis curam habeant expurgandæ conſcientiæ; nihilominus, ut ait Paulus, non poſſunt non curare quomodo placeant uxoribus, & quomodo rei familiari proſpiciant; quod frequentiori ſumptioni non eſt adeo congruens. ::: Quocirca ſi inter ſæculares eſſet aliqua perſona & probitate & modeſtia inſignis, nulla eſſet irreverentia, imò deceret fortè ſemel in hebdomada communicare: crebriùs autem, nullatenus approbare poſſem.]

Tertius occurrit magnus ille pietatis Magiſter toti Orbi notiſſimus Pater Ludovicus Granatenſis, qui concione ſecunda in feſto Corporis Chriſti Fideles quidem ad frequentiorem divini hujus Sacramenti uſum præcipuâ animi puritate & aviditate accedere hortatur, ut ſit in nobis fructus vitæ qui ſemper reparet, quod corruptæ naturæ morbus ſemper abſumit; & quod ardor concupiſcentiæ ad carnalia ſemper ſolicitans aſſiduâ infeſtatione devaſtat, virtute gratiæ quam nobis confert, redintegret atque inſtauret. Quia Medicorum dogma eſt, ubi morbi cauſæ permanentes ſunt, remedia quoque permanentia eſſe oportere: & cùm peccati fomes malorum omnium ſeminarium ad malum nos jugiter & juxtà potenter inclinet, aſſiduâ & frequenti reparatione inſtaurandum eſt, quod aſſiduâ impugnatione impetitur atque laceratur. Ex quo meritò illos eſſe accuſandos infert, tum qui ſe ad ſaluberrimum hoc infirmitatis humanæ remedium piè & religioſè frequentandum præparare negligunt; tum etiam illos qui vivificum cibum piè & frequenter uſurpantes objurgant, mordent, & vel temeritatis & audaciæ, & hypocriſis vel vanitatis inſimulant, quo à tantis divinæ gratiæ opibus & auxiliis, à tam multis infirmitatis & imbecillitatis humanæ remediis, atque adeo ab ipſa æterna vita pios homines avocent, quibus cum antiquo ſerpente, cum mundo, cum pravis hominibus, cum ipſa carne & cunctis ejus pluſquam tyrannicis cupiditatibus certare queant. *Cùm enim*, inquit, *ex Catholicæ fidei doctrina certò ſciamus, innumeros eſſe hujus divini Sacramenti effectus atque virtutes, quibus animarum ſalus conſtituitur; nihil eſſe conſtat, quod magis ad hanc ſalutem retinendam & conſervandam expediat, quàm ad illud puro & religioſo corde frequenter accedere. Verè enim ut corpora cibo, ita mentes noſtræ hac cœleſti alimoniâ vivunt; nec modò vivunt, ſed omnibus etiam virtutum & gratiarum opibus in dies augentur & cumulantur.*

Advertens tamen religioſiſſimus Pater, multos eſſe, qui hoc cœleſti cibo paſcantur, & multos item ex Sacerdotibus, qui ad hanc quotidie menſam accedant, cùm tamen nihilo meliores ac ſanctiores evadant; quia ſicut *idem ignis & ceram mollit, & lutum durat, ita hoc Sacramentum idem in ſe manens, aliis ſalutis & vitæ author, aliis mortis occaſio fit*; poſt multa in hanc rem prolata ſic concludit: [Fratres, nemo credat, me ita ad frequentiorem hujus Sacramenti ſumptionem adhortari, ut non etiam illos perterrefaciendos putem, qui ad illud minùs piè & religioſè accedunt,

ſive

ſive illi Sacerdotes ſint, ſive non ſint. Video enim eſſe nonnullos, qui partim ex præſcripta legum ſuarum neceſſitate, partim ex ſola conſuetudine, aliorum videlicet communicantium exempla, diſſimili tamen affectu atque devotione, ſectari volentes, ad illud frequenter accedunt. Ut quidam ergo excitandi ſunt, ne immodico timore correpti ab hac ſacra menſa recedant; ita alii perterrefaciendi ne indignè accedant. Quibus verbis nihil luculentius. Et concione 1. Cæterùm, inquit, non ita fideles ad frequentiorem hujus Sacramenti uſum adhortamur, ut non etiam illos officii ſui admoneamus, hoc eſt qua cordis & corporis puritate ad illud accedere debeant. Meminiſſe enim oportet ſcriptum eſſe: Domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. Et juſtitia & judicium præparatio ſedis ejus. His namque juſtitiæ opibus domus ac ſedes Dei ornanda eſt, & omnes ab ea vitiorum ſordes eluendæ, quo dignum illi habitaculum præbeat.]

Et concione quarta explicans contra quos ſtylo ſuo invehatur, qui à frequenti Communione dehortantur, declarat ſe adverſum illos perorare, [qui non contenti ſocordia ſua, pios homines, & ad hujus divini Sacramenti medicinam confugientes ſocordiæ ſuæ participes afficere nituntur, dum eos malignis verbis ac detractionibus ab hoc pio & ſalutari inſtituto revocant. Quorſum, inquiunt, toties confiteri? Toties Sacramentum Euchariſtiæ ſumere? Toties templa frequentare; cùm ſatis eſſe duxerit Eccleſia, ſemel quotannis confiteri? Indignum enim eſſe dicunt; tam familiari confidentia viles opifices & homunciones ad hæc tremenda myſteria accedere. Quæ cùm dicunt, non eo animo dicunt, quòd divinæ Majeſtatis injuriam dolenter ferant; ſed quòd piorum religio, illorum impietatem magis conſpicuam reddat. Ut enim D. Gregorius ait: Mos pravorum eſt invidere aliis virtutis bonum, quod ipſi habere non appetunt.] Ergo contrà, qui præ divinæ Majeſtatis injuriæ ſenſu peccatores eadem flagitia repetentes, & nullum ſolidæ emendationis argumentum præbentes hortantur, ut opportuna alicujus interſtitii mora animum inſtruant, ut poſtea Domini menſam ritè compoſiti frequenter adeant; & ſimul chriſtianè viventes, etiam plebeios & ſimplices, eoſque potiſſimùm ad frequentem Communionis uſum extimulant; illi, inquam, Religioſiſſimi Patris ſenſibus prorſus conſentanei ſunt. Is autem unus fuit noſtræ diſſertationis ſcopus. Concionem autem illam ſic concludit: [Hæc autem non eo conſilio à me dicta ſunt, Fratres, ut omnes ad quotidianam hujus Sacramenti perceptionem adhortari velim. Hoc enim cum Divo Auguſtino nec laudare, quia non rectè fieri poteſt; nec vituperare, quia rectè etiam fieri poteſt, debemus. Nimium autem ſibi tribuit qui quod ille damnare non eſt auſus, damnare ipſe, præſertim indictâ atque incognitâ cauſâ audet. Hujus namque rei definitio prudentis Sacerdotis judicio relinquenda eſt. Is enim quid cuique pro ratione ſtatus & conditionis, & virtutis ſuæ profectu expediat, diſcernere prudenter debet. Aliis enim rariùs, aliis frequentiùs ſacra Communio concedenda erit.] Additque illos demùm eſſe frequenti Communione dignandos, qui eximiâ puritate & præcipuâ reverentiâ præditi ſunt. [Neque enim, ait, qui tantam ſui conveniendi atque ſumendi copiam Dominus Fidelibus conceſſit, ideò minùs reverenter ad illum accedere debent: quandoquidem ipſe Dominus, qui in lege olim tantam à filis Iſraël Sanctuario atque Arcæ reverentiam exhiberi præcipiebat, nos in illis monebat, nos erudiebat, ut intelligeremus, quâ animi ſubmiſſione atque devotione ad illum accedere, illique aſſiſtere deberemus, qui tantam ſoli umbræ atque figuræ reverentiam tribui volebat.]

Et quidem ſingulari prudentiâ & majori pietate illos arguit Pater Granatenſis, qui *ex ſocordia* nec ad Euchariſtiam accedunt, nec alios accedere ferunt. Meritò enim reprehendendi ſunt, qui cùm præ amore mundi & voluptatum quo tument, ad Euchariſtiam mundi contemptu, aliiſque virtutum officiis ſe componere negligunt, hunc interim colorem & fucum prætexentes, ſe Communionem defugere, & à Domini menſa motu reverentiæ diſcedere. At enim noſtra doctrina ſocordiam non ingerit aut teporem. Eatenus enim à ſacra Communione interdum & aliquandiu pro ratione flagitiorum ſecedendum diximus, non ut homo per hanc temporis intercapedinem otio & mundanis voluptatibus indulgens, eam ſibi aſciſcat duritiem, quæ totius eſt pietatis exterminium, & religionis etiam interitus; ſed ut ad ſacrum epulum dignè percipiendum dignis pœnitentiæ fructibus & cæterarum virtutum exercitationibus peccator ſe paret & inſtruat. Receſſus ille, quem aſtruimus, à religione & humilitate profectus, non otioſa, ſed laborioſa mora eſt, quà non ſiſtit animus, ſed viam mandatorum Dei currit, ut ad Euchariſtiam deinde & frequentiùs accedat, & ſanctiùs; non ſecus ac flumina à mari, unde exeunt, dum recedunt, ad ipſum concitatiùs properant, ut uno tempore & recedere, & accedere videantur.

Si quis ergo Communionis conſilium in longum differt, ut interea terrena tranquilliùs ſapiat, & lautiori vitæ ſecuriùs ſe dedat, procul dubio & à noſtra doctrina abhorret immensùm, & in damnandum illum teporem, cui Scriptura Apocalypſ. 3. ſummi ſupplicii terrorem intentat, incurrit. Si quis autem humilitatis & ſacræ verecundiæ piè animum ſuffundentis ſenſu differt, ut animum piis omne genus operibus inſtruat, paret, ornet, ut vehementem hujus cibi famem excitet, & charitatis calorem ac concoquendam divinam illam alimoniam neceſſarium ſuccendat & foveat, intimum interim doloris ſenſum capiens, quod è cibo illo, in cujus uſu chriſtiana felicitas ſita eſt, peccatis ſuis ſegregetur; unuſque ſit ei dolor hac eſcâ privari, talem nemo niſi pietatis hoſtis reprehenderit. Pacis cibique ſolidi uſum frequentem Medicus non damnat, tametſi eo ad tempus infirmo interdicat, amaras interim potiones, venæ ſectiones, cauteriorum uſtiones morbi ſontem exhaurientes præſcribens. Non ergo à frequenti Communione pias animas avocamus, ſed peccatores monemus, ne ſi impuri accedant, diviniſſimum medicamentum in venenum ſua iniquitate convertant. Fugam Communionum non intendimus, qui quotidianam eam optamus; nec interſtitiorum moras peccatoribus præfinimus, niſi ut purgati & ſani ad Euchariſtiam deinceps frequentiùs adeundam puriores redeant & aptiores.

Meritò ergo Pater Granatenſis, meritò omnes pii in eos invehuntur, qui flagitioſâ ſalutis incuriâ plus æquo à ſancta Communione ſe ſubtrahunt, & deplorando ſtupore & quaſi lethargo ac divinorum contemptu ad cœleſte epulum non anhelant, atque ad Communionem paſchalem non pietatis ſenſu, ſed conſuetudine & unis Eccleſiæ anathematis perculſi ducuntur. Hanc doctrinam à Patribus hau-

hauſerat vir Dei Ludovicus Granatenſis, qui ſocordiam non communicantium dum reprehendunt, eos ſimul ad morum converſionem & piæ vitæ cultum priùs inſtituendum cohortantur, quàm ſacris altaribus ſeſe admoveant. [Sciant baptizati homines, inquit Cyrillus lib. 3. in cap. 6. Joannis, ſi longo temporis ſpatio propter ſimulatam religionem myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æternæ vita procul depellere. Quippe recuſatio hujuſmodi, quamvis ex religione proficiſci videatur, & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari, & rectè vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed variæ ſunt diaboli, multiplicesque ad decipiendum inſidiæ. Quare demus operam modò, ut vinculis ejus abruptis, & jugo ſervitutis peccatorum excuſſo, in timore Domini ſerviamus, & carnis voluptate per continentiam ſuperata, ad cœleſtem gratiam accedamus, & ad ſanctam Chriſti participationem aſcendamus.]

Vides eò loci, ubi fideles ad frequentem Communionem adducere S. Pater vel maximè nititur, præcipere tamen ut priùs peccatorum ſordibus abſterſis, chriſtianam vitam ingrediantur, quibus implicantur diaboli vincula abrumpant, temperantiæ & caſtitati operam dent, ſicque paratis ad Chriſti participationem accedant. Quod compendio lib. 4. ſic expreſſit: *Piam ſtudioſamque vitam agere inſtitue, atque ita Euchariſtiam ſumito.*

Itaque ne innocentes, nec ſincerè converſos ab Euchariſtia avocamus. Quin cum Iſidoro *lib. 1. de offic. Eccleſ.* libenter dicimus: *Qui peccare jam quievit, communicare non deſinat.* At peccare non quievit, qui à priſtinis peccatis continere ſe non valens, in eadem aſſiduè flagitia relabitur. Audiat qui ejuſmodi eſt, eundem Iſidorum ajentem: *Si talia ſunt peccata quaſi mortuum removeant ab altari, prius agenda pœnitentia eſt, ac ſic deinde hoc ſalutiferum medicamentum ſuſcipiendum. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit. Hoc eſt autem indignè accipere, ſi eo tempore quis accipiat, quo debet pœnitentiam agere.*

Eandem non communicantium ſocordiam reprehendit Auguſtinus ſerm. 57. de tempore: *Sæpe advertimus, dilectiſſimi fratres,* inquit, *nonnullos ex vobis Communionem Eccleſiaſticam declinare, & hoc intelligo fieri ex conſcientia gravium atque ingentium peccatorum. Inde admoneo vos, dilectiſſimi, quòd pravum hoc inſalubre conſilio duplicatur; quia homines iſta facientes & delictorum ſarcinam cumulant, & munus æternæ ſalutis amittunt. Hoc eſt reatum congregare, & remedium devitare.*

Sed quia probè noverat Doctor ſanctiſſimus, nihil attinere vulnus aperire, niſi ad curandum manus & opera adhibeatur, detectum abuſum tollere atque ſanare ſic aggreditur: [Ergo vos, dilectiſſimi fratres, hortor atque commoneo, ut ſi quis ex vobis conſcius criminum ſuorum indignum ſe Communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis: Quomodo aliquis dignum ſe Communione facere poſſit? Quomodo? Niſi ut errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat; ut qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactione mundetur. Nec illud ſervet, ut in extremo vitæ ſuæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non poſſit. Inutilis eſt enim, dilectiſſimi, ipſa perſuaſio. Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit; nam in ſatisfactione ingentium criminum non verba tantùm, ſed opera requiruntur.] Ecce quid ab illis præ ſocordia Euchariſtiam non adeuntibus exigat Auguſtinus; non ut ſtatim Domini menſam invadant, ſed ut vitæ pravitate emendatâ, emendatioñeque factis magis quàm verbis probatâ, eam puritatem animi, eam virtutis firmitatem, eam denique vitæ verè chriſtianæ ſeriem aſſequantur, quâ ad frequentem diviniſſimi Sacramenti uſum meritò aſpirent.

Plura alia ex aliis producere in promptu eſſet. Præclara nobis teſtimonia ſuppeditaret Hieronymus Baptiſta de Lanuza Concionator Ordinis noſtri inſignis, & ad Epiſcopatum provectus, aliique Theologi tum domeſtici, cùm extranei. Ipſa etiam Beata Thereſia huic noſtræ doctrinæ egregium teſtimonium perhibet. Sed hæc ſatis obvia, prolixior diſputatio ne ſit, miſſa facio. Plura etiam in tractatu de Pœnitentia in hanc rem dicturi ſumus. Cùm enim oſtenderimus, peccatoribus in eadem flagitia relabentibus differendam eſſe ſacramentalem abſolutionem, quò ſinceram cordis immutationem fructibus operum, non foliis verborum atteſtentur; utique palam erit eos non cœleſti cibo dignandos, qui nec abſolutione digni ſunt. Sed his omiſſis, vel in alium locum rejectis, unus Patris Emerici de Bonis, pii & eruditi è Societate Jeſu Theologi locus pro mille compatitur.

P. Emerici de Bonis longè præclariſſima profertur ſententia, de abuſibus qui in uſu ſacræ Communionis admittuntur.

Sacræ traditionis & rationum hactenus producta momenta confirmabit & veluti coronabit egregia P. Emerici de Bonis è Societate Jeſu oratio, quam in tractatu de Sacramento Altaris nobis reliquit immortale pietatis & eruditionis ſuæ monimentum. Verba ejus ex Italico in Gallicum idioma translata ſumma fide latinè ſic reddimus.

[Duos magnos abuſus, inquit, in frequenti ſumptione ſacroſanctæ Euchariſtiæ, qui faxit Deus ut citò tollantur, invenio.

Primum eſt quorundam hominum, quibus nulla hebdomada præterit, quin ſemel aut ſæpiùs luxuriæ ſpurcitiis ſe contaminent, qui tamen octonis quibuſque diebus ſanctiſſimo Chriſti corpore paſci poſtulent.

Sunt & alii, qui etſi rariùs peccent, iis tamen diebus quibus conſueverè, ad epulum Euchariſticum, quamvis recenter in peccatum lapſi, accedere velint.

Illorum abuſus errórque maximus eſt, quòd non ſatis cogitent, quàm infame & turpe vitium carnis illius virgineæ, humanitatis ſanctiſſimæ, Divinitatis auguſtiſſimæ, quam hoc Sacramento ſuſcipimus, munditiei atque puritati adverſetur. Cujus ſi verè dignitatem & excellentiam pernoſcerent, aut in vitam redirent & mutarent mores, aut non tam ſæpè, imò nunquam tremendum Sacramentum ſumere, (niſi fortè aliquâ Eccleſiæ lege obſtricti, quæ tamen neminem ſacroſancta illa myſteria niſi Paſchate percipere adigit, quæque ſemper ritè paratos poſcit,) auderent.

Et tamen ſunt homines adeò audaces, ſeu potiùs jam perfrictæ frontis, ut ſæpè ſine ulla vitæ emendatione carne Chriſti veſci, nihil horreant; quos ſi Confeſſarius à Communione, ut decet, ſummovere velit, iraſcuntur, nec religioſum vocant, nec verentur cum illo contendere, cauſari, alios eſſe Confeſſarios contrà ſentientes, & ad ſanctam ſynaxim accedere permittentes: ſi quo ſunt animi ſtatu, ad cœleſtem menſam accumbere,

piaculum eſſet, futurum eſſe ut non afficerentur illâ ſuavitate, illâque lætitiâ quam ſentiunt. Denique niſi cæleſti illo pane alerentur, fore ut crebriùs in peccata labantur; ut ſi fides illis ſit adhibenda, id ſaltem emolumenti à Communione percipiant, quòd rariùs peccent.

Ego verò etſi nemini legem præfinire velim, non mihi videor pravè ſentire, qui tales homines ad ſacram ſynaxim malè præparatos putem; cùm ipſi tam citò, tamque frequenter ad ſuas impuras libidines redeant: timendúmque valde eſſe, ne indignæ Communionis & infandi ſacrilegii periculo ſe exponant; quia crebri in eaſdem culpas relapſus debitam præparationem defuiſſe teſtantur. Nam ſi nullum adverſus vim & efficaciam Sacramenti obicem ponerent, effectus ejus procul dubio ſequerentur; quorum unus eſt, ut eos qui dignè ſumunt, caſtos faciat, quoniam multùm cupiditatem minuit, quæ ſic fracta & coërcita, facilè vinci ſuperarique poteſt. Quod nunc in multis cernitur, qui cùm antè luxuriæ vino deditiſſimi eſſent, poſtea cæleſti cibo ſæpe refecti caſtitatem coluêre; qui ſi pravam in meliorem vitam mutavere, quidni illi quoque idem poſſint? Sed vultis ſcire quid ſit quamobrem non faciant? Nolunt. Quapropter arcendi à Communione ſunt, unde qui ſecus facit, panem filiorum dat canibus, & margaritas projicit ante porcos; quod à Chriſto Domino prohibetur.

Quamobrem Confeſſarii & Directores diligentiùs attendere ſibi debent, ut ne judiciorum Dei experiantur acerbitatem, qui diſpenſati tam pretioſi theſauri accuratam ab eis rationem repoſcet. Ipſi ſecum reputent, indulgentiâ illâ & nimiâ facilitate indignos ad Communionem admittendi, multos eâ duritie, eóque animi ſtupore erga res divinas obriguiſſe, ut ne quidem ſtatus illius miſerrimi, in quo torpent, ſenſum habeant ſalutarem. Quo fit, ut cùm priùs venientes & venerabundi ad auguſtiſſimum Sacramentum accederent, jam id abſque timore, veneratione & pietate ſuſcipiant: quod inde manifeſtiſſimè patet, quòd nonnunquam eodem die (horrendum dictu & Angelis ipſis deteſtabile, quódve valeat Soli tenebras offundere, terram tremefacere, elementa permiſcere) ad ſuas ſordes revertantur.

De his quoque idem ſentio, qui poſtero, tertio aut quarto die quàm Euchariſtiam ſumpſerunt, idem quod antea peccant; aut qui pridie, nudius tertius aut quartus antè peccaverant. Ita ut vix à noxa uno die, biduo vel triduo per hebdomadam ſe abſtineant; qui tamen die Dominico ad ſacram ſynaxim admitti flagitent.

Quod dicunt, alios Confeſſarios eſſe, qui eos ſic affectos à Communione non arceant, ſat erit reſpondere, nolle mihi Deo talium Confeſſariorum agendi rationem eſſe præſtandam.

Non quidem ignoro, fuiſſe præteritis ſæculis, & etiamnum eſſe viros & piiſſimos & doctiſſimos, qui utile ſæpe eſſe, & aliquando neceſſarium cenſeant talibus abſolutionem denegare, hoc freti, quòd veræ contritionis, nequidem attritionis (ſine qua nemo abſolvi poteſt, & abſolvi ſacrilegium eſt) ſigna nulla oſtendant: qui etiam ſanctæ Reſurrectionis tempore eos qui ante paucos dies crimen aliquod admiſerint, à Communione ſuſpendant; continentiam aliquandiu antè ſervare jubentes, quàm tremenda adire myſteria ſinantur; tam crebris tam facilibus in peccata lapſibus meritò ſuſpicionem ingerentibus Confeſſario, deeſſe illis veram attritionem ſine qua non ſolùm poſſunt, ſed etiam debent ſuorum peccatorum vinculis obſtrictos remittere.

Utiliſſimum ergo relapſuum remedium eſt, & frequenti experientiâ confirmatum, ut in aliquod tempus iis hominibus abſolutio differatur, quo victu cultúque aſperiori, antequam ad Communionem accedant, ſe præparent. Eſt enim qui poſtquam innumera crimina & horrenda ſcelera ſacerdoti patefecit, perendino aut tertio die carne & ſanguine Chriſti refici non timeat. Quod ſanè non eſt permittendum; quoniam qui habitum peccati contraxit, non niſi magno niſu reſipiſcere, magnaque animi contentione excitare in ſe ſaluriferum peccatorum dolorem valet.

Quemadmodum arbor annoſa non unico ictu dejicitur, nec vas aliquo tetro liquore imbutum, ſi ſemel frigida abluitur, odorem amittit, ſed opus eſt ut diu in cinere & lixivio ferveſcat; eadem quoque agendi ratione ergo illos omnes utendum eſt, qui tam ſæpe ad ſua peccata recurrunt: ſubeant poſt expoſita expanſaque flagitia pœnarum & laborum genera, quibus ſentiant, doleant & deteſtentur præteritas culpas: quod quia ab illis non exigitur, citò ſuum vomitum reſorbent.

Multi Confeſſarii pii prudenteſque teſtantur, innumeros homines, qui peccatis priùs obſtricti erant, quòd eam rationem tenuiſſent, dilataque abſolutione ſæpiùs ad tribunal, ut animi ſtatum identidem aperirent, illis redire juſſiſſent, impoſitâ interim delictorum pœna, priſtinos mores in melius mutaviſſe, & magno gaudio, magnoque deinceps in virtute progreſſu infandam peccati conſuetudinem abjeciſſe.

Durum equidem & grave primò ipſis videbitur, toties ſine abſolutione & piacularibus pœnis oneratos remitti; verùm multi poſtea ſeveritatis illius fructum & utilitatem experti, gaudentes, & ut de ſe optimè meritis gratulantes rediere, futurumque ſantes fuiſſe, niſi ejuſmodi auſteritate eſſent cohibiti, laudabiliorem vitam ut nunquam inſtituerent. Magno dolore procul dubio dum Chirurgus humorem pungit ægrotus afficitur; ſed ſanatus gratias agit, mercedémque pro beneficio rependit.

Si Confeſſarii majorem ſeveritatem adhiberent, multò major frequentiorque pravorum hominum emendatio conſequeretur; non iiſdem ſemper criminibus obnoxios homines cerneremus, neque ſubinde, ut faciunt, Confeſſarios mutarent, ut aliquem tandem inveniant mollem facilémque, qui leves imponat pœnas, qui ſinat quoties libuerit, etiam moribus immutatis ad Euchariſticam menſam accedere; quem deinde inventum tanquam peritiſſimum prædicant. Cæteros qui perverſorum morum inſtitutorumque mutationem exigunt, tanquam incommodos, ſcrupuloſos, humanæque fragilitati nimium duros reprobant.

Sed miſeri illi animarum rectores non cernunt pravos homines in vitiis ſuis propterea ſuâ indulgentiâ detineri, atque in priſtina peccata relabi. Medicus qui ne moleſtus ſit ægroto, vulnus gangræna vitiari ſinit, quòd ſi validum unguentum, ignem etiam, aut ſcalpellum maturè adhibuiſſet, ſanari potuerat, non miſericors, ſed crudelis haberi debet. Idipſum tam multis peccatorum reis ob nimiam Confeſſariorum lenitatem & indulgentiam accidit. Offeret ſe aliquis, cujus ad expiandas noxas multis diebus jejunia & cilicia eſſent imponenda, huic ſemel Roſarii preces, aut ſeptem Pœnitentiæ Pſalmi recitandi impone-

imponentur. Et quoniam illæ pœnæ non ſunt moleſtæ, ſit ut illi citò ſuis ſe rurſus criminibus inquinent. Quòd ſi illi Confeſſarii rationem Deo de illis hominibus ſibi reddendam eſſe etiam atque etiam apud ſe cogitarent, multò impenſiùs ſibi cauturos eſſe exiſtimo.

Quòd iſti dicunt, ſe gaudia ſuavitatémque cùm Euchariſtiam ſumunt, experiri, auſim affirmare id valde ſuſpectum, & errori eſſe obnoxium, illóſque animi motus ab alia cauſa quàm à ſumpto corpore Chriſti proficiſci, aut aliquam dæmonis fraudem ſubeſſe, non autem ciere illos veram pietatem. Turcæ namque cùm ſuum Mahumetem colunt, aut de eo ſermonem audiunt, tam magno, támque ſuavi animi affectu commoventur, ut etiam erumpant in lacrymas; quod tamen vel divinitùs immiſſum gaudium, aut veræ pietatis affectum nemo dixerit.

Sancti Patres Eremicolæ eum qui per ſomnum mali dæmonis fraude, quamvis non ſuâ culpâ quid impuræ libidinis paſſus fuiſſet, ad ſacram ſynaxim accedere non ſinebant: quomodo putatis arcituros fuiſſe eos, qui tam libenter ac tam ſæpè in peccatum qua data porta ruunt? Non eſt dubitandum, quin à ſancta Communione eos penitus fuiſſent excluſuri.

Id modò expendendum reſtat, quòd dicunt, niſi cæleſti carne crebrò reficerentur, ſe frequentiùs in peccata lapſuros. Quibus reſpondendum eſt, ad id Euchariſtiæ Sacramentum non fuiſſe inſtitutum, ne tam ſæpe homines peccata committerent, quamvis id quoque, vel etiam quid præſtantius dignè ſumentibus præſtet, ſed ut ſit illis eſca cæleſtis, quâ ad virtutis culmen promoveantur. Ipſi autem divino cibo non aluntur; quandoquidem vitæ cæleſti nihil cum ea ne commune eſt, cui ita ſerviunt, ut aliter vitam ſe inſtituere non poſſe ipſimet affirment.

Venio jam ad eorum errorem, qui non hebdomadibus ſingulis quidem, ſed ſemel aut bis quibuſque menſibus ad ſacras epulas volunt accumbere, eò quòd ſodalitio aut ſocietati alicui nomen dederunt, quæ diebus quibuſdam ſacroſanctam Euchariſtiam percipere ſtatuit; qui licèt non ita frequenter in peccata libidinis incidant, ſi pridie tamen, aut nudius tertius eò ſe turpi crimine polluerint, abſtinere à ſacra menſâ nolunt; ne, inquiunt, ſi non faciamus, aliis malo exemplo ſimus & offenſioni. Quod eſt humanis rationibus potiùs quàm veræ pietatis affectu convivii Euchariſtici adeundi tempora definire.

Idem quoque aulicis nonnullis familiare eſt, qui diebus quibuſdam feſtis, cùm alioquin non ſumerent Panem Euchariſticum, eum tota familia illum uſurpare ſolent; quippe ideo faciunt ut ſpectentur, ne ab heris ſuis ejiciantur, minitantibus eos, quos vident ad ſacram ſynaxim rarò accedere, domo ſuâ ejecturos. Quid? Iſtis non permittenda Communio eſt?

Re ſicut diximus poſitâ, multis diebus poſt patrata ſcelera; ob reverentiam ſacroſancto myſterio debitam, cenſeo illos eſſe à Communione ſummovendos, præſertim cùm nullo ad id faciendum præcepto aſtringantur.

Sed quid de offenſione & prætenſo ſcandalo? Ei rei poſſunt aliquâ veriſimili excuſatione mederi. Cæterùm prudenti alicui Confeſſario ſe permittant, qui quod facto opus ſit, ſolerter dignoſcat, utrùm ſatiùs fuerit eum ad Euchariſtiam admittere, an offenſioni locum dare, quæ utut res fuerit, pœnitentis culpæ offenſio non vertetur.

Quoniam autem ſodalitii Præfectus inquirere ſolet à ſodalibus, cur ad ſacram Euchariſtiam non acceſſerint, dicet aliquâ animi anxietate imparatum abſtinuiſſe, aut non viſum Confeſſario. At ſi id cauſæ afferam, inquies, illi ſuſpicionem movebo. Immeritò. Quòd ſi quid mali ſuſpicetur, temerarii judicii culpâ ſe aſtringit. Poteſt enim Confeſſarius cuilibet non modò ob lethalem noxam, ſed nonnunquam ob levem, aut ut eum diutiùs exercendæ patientiæ causâ habeat, aut ut leve aliquod vitium corrigat, aut ut eorum quæ ad Dei cultum pertinent, magis ſolicitum faciat, aut quibuſdam aliis de cauſis Communionem denegare.

Si roges me, quandiu ille homo removendus ſit & Communione privandus? Reſpondeo, cùm varia ſint hominum genera, variæ occaſiones, varia ad peccandum proclivitas atque facilitas, varius admiſſarum noxarum dolor, diverſa præteritæ vitæ emendatio, cæteráque id genus, nullam certam & accuratam ea de re ſtatui regulam poſſe. Nam exempli causâ non eſt tamdiu removendus qui rarò peccat, quàm qui frequenter, æquo utriuſque dolore & emendationis propoſito.

Dicam tamen in univerſum, multò ſatius eſſe fræna cohibere quàm laxare; quoniam ſemper cauſa nimia illa facilitas ſuit & etiam nunc eſt, cur multi libentiùs in peccatum cadant, & corrigere ſe negligant.

Hortantur Canones, quamvis non adigant conjuges, ut quinque, ſex, aut octo dies antequam ad Sacramentum Altaris accedant, uſu conjugii abſtineant ſeſe; cùm tamen culpa vacare poſſint, ſi non abſtineant. Quomodo ergo poterit is qui ſe libidinis ſpurcitia octo dies antè inquinaverit, ad ſacroſanctam menſam admitti? Multi ſunt quos pluſquam duodecim arcere oporteat, adeò jam ægritudo increbuit & increbeſcet in dies, niſi Confeſſarii medeantur, coërceant, & ſibi diligentiùs caveant. Pronum eſt cæleſtibus dapibus ſæpe refici, ſi benè fiat; at ſi malè, nocet. Quare attendat unuſquiſque ſibi; quærat Confeſſarium prudentem, qui ſe libenter ducem præbeat; huic, cùm invenerit, totum ſe permittat, non præſcribendo quæ imperet, neque cum eo contendendo: nam vel id unum ſat gravis cauſa eſt, cur à ſacroſancto cibo depellatur; quanto potiori jure id faciet, ſi videat eum ſæpè in ſua peccata recidentem?

Quicumque ergo frequentiùs Euchariſtiam ſumere cupit, ceſſet peccare, vitet occaſiones omnes, caſtè deinceps vivere conſtituat. Ita demùm eam animi puritatem poterit adipiſci, quæ opus eſt, ut cum fructu ſanctam Euchariſtiam percipiat.

Peregrino ex regione aliqua peſte laborante advenienti quadraginta ſtatuuntur dies, ut exploratum fiat an ſanus ſit antequam ſibi ad urbem aditus pateat: cur non eodem pacto explorabitur, qui tam fragiliter peccat, qui tam incontinens eſt, qui tam ſæpè labitur? Non habitatur cubiculum in quo quis morbo interit ſtatim atque cadaver elatum eſt, ſed aër infectus aliquandiu purgari ſinitur. Itidem etiam hîc faciendum eſt.

R E F L E X I O.

Sancta Sanctis. Nolite ſanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas veſtras ante porcos. Sumunt boni, ſumunt mali ſorte tamen inæquali vitæ vel interitus. Mors eſt malis, vita bonis. Vide paris ſumptionis quàm ſit diſpar exitus! Ad Sacramentũ amoris præci-

præcipua quidem dipoſitio amor eſt; ſed ſicut oportet non amat, qui è peccatorum cœno vix egreſſus, Dominum majeſtatis eveſtigiò ſuſcipere non veretur. Audi non me, ſed Chryſoſtomum *hom.17. in epiſt. ad Hebr.* celebratum illud ab Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia carmen, *Sancta ſanctis*, explanantem. *Non poteſt dicere, Neſciebam, ignorabam hanc rem plenam eſſe periculi. Non hoc poſſis uti prætextu, ea de cauſa magna voce, terribili clamore, tanquam præco, manum tollens in altum, ſtans excelſus & omnibus manifeſtus, & in tremendo illo ſilentio vehementer vociferans, alios quidem vocat, alios vero arcet Sacerdos, non hoc manu faciens, ſed linguâ clarius, & apertius quàm manu. Nam vox illa in noſtras aures incurrens, tanquam manus alios quidem repellit & ejicit, alios autem introducit & ſiſtit. Nam quando dicit: Sancta ſanctis, hoc dicit: Si quis non eſt ſanctus, non accedat. Non ſolùm inquit, à peccatis purus, ſed etiam ſanctus. Sanctum enim non facit ſolùm liberatio à peccatis, ſed etiam præſentia ſpiritus, & bonorum operum abundantia. Non ſolùm, inquit, volo vos à cœno eſſe liberatos, ſed albos eſſe & ſpecioſos. Nam ſi Rex Babyloniæ juvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros ſpecie & vultu decoros; multò magis eos, qui adſtant menſæ regiæ, formoſos eſſe oportet, menſiſque pulchritudine præditos, auro fulgentes, pura mente amictos, regalibus calceis indutos, formoſum animæ vultum, ſplendidéque ornatum circumferentes, ac veritatis zonâ præcinctos. Qui talis eſt, accedat, & pocula tangat regia. Si quis autem pannis obſitus, ſordidus & ſqualidus ad menſam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, cùm non ſufficiant quadraginta dies*, (id eſt ſacrum Quadrageſimæ tempus ab Eccleſia ad Communionem adorandam divinitùs inſpirata deſtinatum) *ad abluenda quæ omni tempore ſunt admiſſa delicta. Nam ſi non ſufficit gehenna, licèt ſit æterna, idcirco enim eſt æterna; multò minùs hoc breve tempus. Non enim validam, ſed imbecillam ſuſcepimus pœnitentiam.*

Si ad Euchariſtiam frequentandam non ſolùm liberatio à peccatis, ſed etiam ſanctitas, & præſentia ſancti Spiritus cor inflammantis, & bonorum operum abundantiâ, authore Chryſoſtomo, & conteſtante univerſâ Patrum traditione deſideratur: ſatis mirari nequeo eorum Sacerdotum non ſecundùm ſcientiam zelum, qui nullâ ſanctitatis ſupellectile inſtructi, ſatis credunt ſe eſſe paratos, ut tremenda quotidie myſteria adeant. Sed illud magis deplorandum, in cœtibus ſeu communitatibus etiam numeroſiſſimis, Sacerdotes omnes ad ſacra ſingulis diebus facienda durâ neceſſitate pietatis colore oblitâ, promiſcuè propelli. Itáne veriſimile eſt omnibus & ſingulis, ſolidum illum panis cæleſtis cibum eſſe accommodatum, ut nullus ſit æger, nullus convaleſcens, nullus imbecillis, ut nulli opus ſit à ſacris Altaribus in aliquod tempus ſumovere? Itáne omnes naſcentis Eccleſiæ fidelium ſanctitatem, ac divinæ pietatis ardorem imitantur, ut eorum inſtar quotidie ſacra participare aut facere ſatis ſint idonei & comparati. Itáne omnes aquilæ ſunt, id eſt animæ ſublimes, & in cælum erectæ, nullum cum terra commercium habentes, nec deorſum tractæ, nec repentes cupiditate illectæ, ſed aſſiduè ſurſum evolantes, ipſumque juſtitiæ Solem acutis intrepidæ & puræ mentis oculis intuentes? Nulláne eſt anima tarda, tepida, ac frigida, & ut ſupra ajebat S. Bonaventura, *in ſtatu finalis Eccleſiæ conſtituta*, cujus charitas reſrigeſcens, divino illo Pane quotidie reſici non mereatur.

Sed tamen, omnes ad ſublimem perfectionis gradum aſcendiſſe, nullúmque in ſacris cœtibus eſſe ignavum ac deſidem, quod manifeſtæ tamen experientiæ adverſatur; honor certè & reverentia in adorandum Chriſti corpus realiter præſens exigit, ut ab eo nonnunquam humilitatis, & majoris deſiderii excitandi causâ ſecedamus, atque amoris ac venerationis vices alternantes tremenda myſteria tum religioſa abſtinentiâ, tum ſancta aviditate vereamur. Sanè hæc praxis, qua ad Miſſam quotidie celebrandam, omnes & ſinguli Sacerdotes indiſcriminatim aſtringuntur, quacumque ſpecie palliata, cum omnium Patrum doctrina velut adverſa fronte confligit; ipſis etiam, ut mihi quidem videtur; communiſſimæ pietatis notionibus adverſatur, quæ omnibus inſpirat ac præcipit, ut non niſi ſacro horrore perfuſi, ad tantæ Majeſtatis menſam, quam nec Angeli ſine religioſo quodam metu contuentur, accedant.

Non ſum neſcius, Chriſtum Dominum totius ſuavitatis fontem, omnes laborantes & oneratos ad ſe invitare & allectare; ſed eos ſimul monet, ut tollant ſuum ipſius jugum ſuper ſe, ut diſcant à ſe ipſo, quia mitis eſt, & humilis corde; hoc eſt, ut legis & perfectionis evangelicæ ſuaviſſimam ſarcinam alacres ſuſcipiant, ut fodiant fundamentum humilitatis, quò perveniant ad faſtigium charitatis; ut Auguſtinus interpretatus eſt. Vitam non habituros in ſe, qui non manducaverint hunc panem, Veritas interminatur; victuros verò in æternum, qui hunc panem de cælo deſcendentem comederint. Sed illud etiam probè ſcio, quod ab Auguſtino dictum eſt tract. 26. in Joan. *Aliud eſt Sacramentum; aliud eſt virtus Sacramenti. Quàm multi de Altari accipiunt, & moriuntur! Nonne buccella dominica venenum fit Judæ? Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo, Fratres, panem cælorum ſpiritualiter manducate, innocentiam ad Altare portate.*

Si beatus Franciſcus Saleſius omnium animarum Rectorum mitiſſimus, quotidianam Communionem ſuadere minimè auſus eſt ipſis fidelibus piè viventibus, lethalium vulnerum expertibus, & in leviores tantùm plagas, ob quas quotidie Sanctiſſimus quiſque pectus tundit, incurrentibus; ſatiſque habuit illos ad Euchariſtiam octavo quoque die percipiendam hortari, modò tamen, priuſquam ſacra illa menſa attingatur, leviores maculæ lacrymis & orationibus abſtergantur, ut ne voluntas peccatis levioribus illis affectu adhæreat: ſi, teſte eodem ſanctiſſimo Antiſtite, ſacram Euchariſtiam frequentantes, nullum erga peccata venialia affectum fovere debent, quia affectus ille, tametſi animam lethali ictu non conficiat, graviſſimè ſauciat tamen. *Muſcæ morientes*, inquit Sapiens, *perdunt ſuavitatem unguenti*, (verba ſunt S. Genevenſis Præſulis, hoc exemplo doctrinam ſuam egregiè illuſtrantis.) *Hoc eſt, muſcæ ſi in unguento minùs hæreant, illudque obiter ſtrictimque delibent, nihil ferè ex illo, niſi quod abſtulerunt, inficiunt. Si verò in unguento ipſo immoriantur, præſtantiam ejus & dignitatem extingunt, atque id in contemptum adducunt. Ita leviores culpæ cùm in animam piam inciderint, ſi in illa diutiùs non hæreant, haud magnoperè lædent; quòd ſi in ea ſtudio quodam & affectu permanſerint, unguenti, hoc eſt ſacræ devotionis ſuavitatem procul dubio extinguent.*

Si, inquam, hæc ita ſint, quis facilè ſibi perſuadeat, omnes numeroſi cœtus alumnos nullo titillantis peccati venialis affectu eſſe implicitos, nihilque noxii humoris cordi quaſi ſtomacho inſidere,

qui quominùs cœleſtis Euchariſtiæ cibus concoquatur, impediat, ut non ſolùm octavo quovis die, ſed & quotidie ſacram Communionem obire promiſcuè & indiſcriminatim poſſint? Quis in animum inducet ſuum, eximiam & optandam illam quidem omnibus Sacerdotibus & Religioſis cordis caſtimoniam, & à plerique ſervatam, adeo eſſe vulgarem & obviam, ut omnes & ſinguli ingentis familiæ incolæ Sacerdotes mentem à peccati venialis ſtudio ita reverà liberam & expeditam ſemper cuſtodiant, ut factis & operibus atteſtantibus, (quæ veri ſunt interiorum animi ſtudiorum tanquam radicum fructus) declarent & oſtendant, ſe leves omnes offenſiunculas animo deliberato non ſuſcipere oblatas, latentes & obrepentes pro viribus fugere, quidquid ad eas inducit ſedulò declinare, quidquid ab eis avertit accuratè ſtudioſéque ſectari: id eſt, ſolitudine & ſeceſſu maximè delectari, continentibus orationibus & ſacris ſtudiis paſci, negotiis omnibus non neceſſariis ſe ſubducere; denique omnes peccandi occaſiones declinando, ac neceſſarias vitæ emendandæ & perficiendæ rationes & vias ſequendo demonſtrare, ſe tacitam peccati repetendi voluntatem non alere. Si ita ſit, octiduanam communionem laudant Sancti, quotidianam in laicis nec reprehendunt, nec laudant.

Et quamvis longè alia ſit Sacerdotum & laicorum ratio, nihilominus tamen ad has tutiſſimas leges ſe exigant & excutiant, qui quotidie ſacra faciunt, neceſſe eſt. Cogitent etiam atque etiam, ſintnè à peccatorum venialium libidine & viſco & quaſi glutine ſoluti; num germanam & non fallacem & adumbratam ſentiant cibi euchariſtici appetentiam & famem ex divini amoris fervore, non ex pravo humore ſuperfuſo profluentem. Conſcientiam teſtem veracem & judicem ſincerum interrogent, quæ non alium fallit, quàm qui ſe ipſe fallere vult. Imos interioris animi receſſus explorent, ſpeculentur, ſcrutentur: & in lumine Dei perſpiciant, num omnis peccati venialis amore & permanenti guſtu defuncti ſint? Num ab omnibus, quæ Deo offenſioni eſſe poſſunt, abhorreant? Num ad omnem vitæ ſuæ rationem ex Evangelio moderandam, toto pectore intenti ſint? Num Spiritus ſancti fervore ſacro concepto, puro illius cibi deſiderio flagrent? Et tunc poſt jacta ſolidæ pietatis fundamenta, poſt adeptam diuturnis virtutum exercitationibus integritatem ac puritatem, ad Communionem frequenter accedant. Caveant verò Superiores, caveant Parochi, ne ſubditos ſibi Sacerdotes ad quotidiana Sacra inconſultâ facilitate propellant, in quibus nullum tot Communionibus dignum emolumentum, nullus fructus apparet: ne dum ſacriſtias ſuas pinguiores, & Eccleſias ſuas populorum frequentiâ celebriores reddere ſatagunt, ſibi commiſſas animas languidiores, ac in dies importabilis cibi uſu debiliores reddant. Itaque ſæpiùs hoc Salvatoris mandatum revolvamus: *Nolite ſanctum dare canibus*; id eſt, ut exponit Ambroſius lib 2. de pœnit. cap. 9. *Immundis ſpiritibus ſacræ Communionis non facilè impartienda commercia.* Vel ut interpretatur Clerus Romanus *epiſt. 30. ad Cyprianum:* Ne ſubminiſtrate *pro ſalutaribus dilationum remediis exitioſa properata Communionis venena.*

Dicam, & liberè dicam quod ſentio, nec ullus, niſi mea me fallat ſententia, pietatis veritatiſque amans contradicat. Si qua eſt in Clericis relaxatio, ſi qua eſt in monaſteriis diſciplinæ regularis jactura (& magnam eſſe in plurimis, nemo inficias ibit, qui vel canones non ignoraverit, vel non fuerit ipſe cum diſſolutis diſſolutus) tota quanta eſt à ſacræ Communionis, quam ſine præparatione frequentant, abuſu proficiſcitur. Indurat Sol lapides, qui ceram liquefacit: infirmum ſtomachum panis opprimit, qui ſanum vegetat & confirmat. Similiter igitur mortuis mortem, tepidis teporem auget frequentata communio, & iterata Miſſarum celebratio. Habenti devotionem datur major, & abundat; ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.

Qui ergo nec ſacra lectione, nec pia meditatione, nec inſtanti oratione, nec ullis interioris hominis exercitationibus alternatim animum ſuum paſcit, quomodo fructus ex Euchariſtia reportaret, quomodo cæleſtes aquas hauriset è fontibus Salvatoris, cujus morbus eò inſanabilior eſt, quò inſenſibilior, nec ipſum ſpiritalis vel religioſi hominis nomen meretur? Non proferam Patres, toto capitis decurſu ſatis productos. Audi, Lector, eximii Theologi Joannis à S. Thoma, Regiæ Catholicæ à Confeſſionibus, ſententiam in ſuo erudito Catechiſmo, part. 2. cap. 12. *Non meretur*, inquit, *nomen ſpiritualis perſonæ vel religioſæ, qui ad minùs ſingulis diebus in aliquo horum non ſe exercet. Nulla eſt occupatio adeo neceſſaria, quæ ſemper & continuò impediat, præſertim quoad exercitia interioris ſpiritus, in iis, qui vitam ſpiritualem profitentur, niſi fuerit acedia & indevotio. Et certè terribilia & notatu digna ſunt verba, quæ Magiſter Avila cuidam Religioſo ſcribit hoc modo: Religioſi qui ambulant ſine conſideratione finis proprii, efficiuntur tepidi, inquieti, murmuratores, ambitioſi, iracundi, loquaces, ſenſuales, hiſtriones, & duriores quàm ſæculares: & niſi Deus per ſuam miſericordiam ad pœnitentiam eos revocet aut conſervet, in mala labuntur præcipitia, quibus nunquam poſtea liberantur. Hactenus Magiſter Avila. Unde omnis diſſolutio Religioſorum* (& idem de omnibus omninò Sacerdotibus peræquè judicandum eſt) *naſcitur ex defectu conſiderationis ſui finis: & reverà idipſum ex effectibus enumeratis facilè colligi poteſt.* Si non meretur nomen ſpiritalis & religioſæ perſonæ, quomodo Sanctum Sanctorum, tremendum myſterium, puritatis authorem, impuritatis omnis impatientem quotidie præſumet accipere?

* * *

LIBRI

LIBRI XI.

DE DEO SALVATORE,

PARS TERTIA.

DISSERTATIO UNICA.

De Sacramento Pœnitentiæ: ubi & de virtute Pœnitentiæ diſputatur.

PRÆLOQUIUM.

NON ſatis fuiſſet humanæ infirmitati conſultum, niſi renatæ in Baptiſmo novæ creaturæ, & in Confirmatione auctæ, & in Euchariſtia paſtæ, alia ſuppeterent parata remedia, quibus amiſſa ſemel innocentia (quæ humanæ naturæ noſtræ fragilitas & imbecillitas eſt, quam in ſeipſo facilè quiſque experitur,) reſtaurari, recuperarique poſſit. Convenienter igitur providit divina clementia, & infirmis veteri meliorem Probaticam Piſcinam, quâ ægrotantium morbi ſanentur; & deſcendenti à Jeruſalem in Jericho, id eſt, à gratia ad peccatum; incidentique in latrones, dæmones ſcilicet injuſtos animarum poſſeſſores; & deſpoliato, id eſt virtutibus omnibus in baptiſmate diffuſis nudato; & plagis impoſitis ſemivivo relicto, id eſt, ad bonum agendum impoti præ dura peccati ſervitute, & illatis à concupiſcentia animo vulneribus, quibus tota diſſolvitur ſpiritalis hominis harmonia, infudit oleum & vinum, ejúſque vulnerum alligandorum illis provinciam commiſit, quibus dixit: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Matth. 18. Denique naufragantibus ſecundam tabulam, quæ unum æternæ mortis declinandæ perfugium eſt, porrexit, ad quam niſi confugiant, de eorum ſine dubio ſalute deſperandum eſt.

Sed antequam hujus tam neceſſariæ materiei adyta perſcrutemur, & rem ipſam aggrediamur, explicare in limine nominis etymologiam operæpretium eſt. Cùm enim hujus nominis ambiguitate in errorem multi prolapſi ſint, præmittenda omnino eſt ejus poteſtas & vera ſignificatio, ne perpetuâ vocis æquivocatione diſputatio noſtra laboret. Supponendum igitur eſt, per *Pœnitentiam* non intelligi ſimplicem reſipiſcentiam, ſeu mollem cordis affectum, ut hæretici noſtri temporis, à catholica veritate longiſſimè remoti, arbitrati ſunt, exiſtimantes pœnitentiam nullum præteriti temporis dolorem includere, ſed unam novæ vitæ inſtitutionem ſignificare. Hæc enim una fuit præclaræ ſcilicet Lutheranorum & Calviniſtarum reformationis ſolicitudo, quò in hominum illaberetur & faciliùs influeret animos, carni, ſanguini, & ſenſibus lenocinari, pœnitentiam peccatoribus, virginitatem Chriſti ſponſis, vota Religioſis, cœlibatum Sacerdotibus, jejunia fidelibus, univerſæ Eccleſiæ bonorum operum fructus uno impetu & velut agmine facto eripere. Certè, ut nomen ipſum ſonat, de iis tantùm pœnitentia dici poteſt, quibus aliquid diſpliceat quod antè placuerit; nam *pœnitentiam* idem eſſe ac *pœnæ tenentiam*, & *pœnitere*, *pœnam tenere*, Scriptura & Patres apertiſſimè declarant. Job enim ultimo dicitur: *Ago pœnitentiam in cilicio & cinere.* Et Propheta Joël peccatores ad pœnitentiam hortaturus: *Convertimini ad me*, inquit, *in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu & planctu.* Et Tertullianus lib. de pœnit. *Pœnitentiam nôrunt paſſionem quandam eſſe, quæ venit ex offenſa ſententia prioris.* Unde ait, prodere illam ſe precibus, lacrymis, ac carnis maceratione: *De ipſo enim habitu atque victu*, inquit, *mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire ad Dominum Deum dies noctéſq;, Preſbyteris adgeniculari, omnibus fratribus legationis ſuæ preces adjungere.* Idem docent alii Patres. *Pœnitere*, inquit Iſidorus lib. 6. etymol. cap. ultimo, *eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando.* Succinit Auguſtinus, vel alius Author libri de vera & falſa pœnit. cap. 8. his verbis: *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* Et verus Auguſtinus ſerm. 57. de tempore: *Ad emendanda crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur.* Idem in aliis Patribus videre eſt, qui integros de pœnitentia illa laborioſa libros & ſermones ediderunt, è quibus pretioſas gemmas in hujus diſſertationis decurſu, ubi ſe occaſio tulerit, carpemus.

Vera ergo & chriſtiana pœnitentia, quam qui non egerint, perituros omnes ſimul Veritas teſtata eſt, & propter admiſſum ſcelus intimo animi ſenſu dolet, & ejus ſinceri doloris externa ſigna profert, ut omnibus illis Sanctorum qui in ſacris litteris peccatorum ſuorum pœnitentiam egiſſe leguntur, exemplis demonſtrare in promptu eſſet, niſi rem omnibus notam & paſſim obviam confirmare ſupervacaneum jure meritò judicaremus. Et certè fallax eſt pœnitentia, quæ in opera ſatisfactionis non effunditur, dum facultas adeſt, neque quominùs id faciant, ullo impedimento retardantur. Fons vivus eſſe non poteſt pœnitentia, ſaliens in vitam æternam, niſi manantibus lacrymarum aquis foras exundet; néc bonis arboribus, niſi nos fallat Veritas, poteſt accenſeri, niſi bonos fructus pariat. Ut vera, Chriſtiana, Catholicáque Fides ſine oris confeſſione, vera charitas ſine bonorum operum proventu; ita vera pœnitentia ſine ſatisfactionis fruge nulla eſt, ficuíque illi ſimillima, quam Chriſtus foliis ornatiſſimis refertam, fructu vacuam invenit, & ei maledixit. Quàm piè, quàm nervosè ait ab hæreticis noſtris alienus Cyprianus tract. de

lapſis:

lapſis: *Si quem de tuis charum mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres; facie incultâ, veſte mutatâ, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſera perdidiſti: ſpiritaliter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera; ecce majora delicta: peccaſſe, nec ſatisfacere: deliquiſſe, nec delicta deflere.* Multis aliis etiam nominibus pœnitentiam Patres appellârunt. Dicitur enim aliquando *manuum impoſitio*, quia per multa ſæcula Sacerdotes peccatori pœnitenti reconciliando manus imponere conſueverunt. *Reconcilietur*, inquit Concilium Carthaginenſe IV. can. 76. *per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* Meminit etiam ejus ceremoniæ Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo, cap. 16. Et S. Pacianus epiſt. 3. ubi ait: *Miſerandis fratribus Sacerdotum manus exhiberi.* S. quoque Leo epiſt. 52. cap. 17. ait eos qui eſcis immolatitiis uſi ſunt, *jejuniis & manuũ impoſitione purgari.*

Deinde appellatur *exomologeſis*, id eſt, confeſſio, vel communicatio ex pane, quia pœnitentibus poſt peccatorum confeſſiones Euchariſtiæ uſus reſtituebatur. *Is actus*, inquit Tertullianus lib. de pœnit. cap. 9. *qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, quâ delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentiâ Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi & humiliandi hominis diſciplina eſt.* Et S. Cyprianus epiſt. 9. ſic habet: *Cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam, juſto tempore & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, ut per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant.* Videantur epiſt. 11, & 12. necnon S. Paciani epiſt. 3.

Præterea dicitur pœnitentia à Patribus, *ſecunda poſt naufragium tabula.* Sic Tertullianus lib. de pœnitentia, cap. 4. *Eam*, inquit, *tu peccator mei ſimilis, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem.* Et S. Cyprianus epiſt. 9. *Ne ſtatim nobis pœnitentiæ ſubſidia blandiantur, quæ ſunt infelicium remedia: cavendum eſt vulnus, quod dolore curatur. Aliud eſt integrâ nave & ſalvis mercibus portum ſalutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recurſibus ad acerrima ſaxa colliſi.* Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. *Qui ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cùm excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint: hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt.*

His circa Pœnitentiæ nomen delibatis, ut ad rem ipſam accedamus, Sacramentum Pœnitentiæ illud dicitur, in quo peccatorum venia pœnitentibus datur. Unde Sacramenti hujus vim ignorari neceſſe eſt, niſi quæ ſit Pœnitentiæ virtus, rectè intelligatur. Sapientiſſimè ergo D. Thomas virtutis Pœnitentiæ conſiderationem à Sacramenti Pœnitentiæ tractatione indivulſam eſſe, arbitratus eſt, eò vel maximè, quod ut ex dicendis conſtabit, virtutis Pœnitentiæ actiones materiã præbent, in qua Pœnitentiæ Sacramẽtum verſatur. Igitur priùs quæ de Sacramento virtuteq; Pœnitentiæ apud omnes ſunt in cõfeſſo, vel certè minùs difficilia habentur, more noſtro præmittenda ſunt, quàm ut difficiliores circa utrumque controverſias decidamus.

CAPUT I.

Quæ de Sacramento & virtute Pœnitentiæ certa vel faciliora ſunt, præmittuntur.

SI diligentiam & accuratam operam, quæ à Theologis in unoquoque argumento adhibenda eſt, ex rei quam tractant pondere & momento metiri oportet, nemo inficias iverit, divinorum tractatores nunquam adeo in explicanda Pœnitentia diligentes futuros eſſe, ut ſatis videri poſſint. Præſertim, quia ut benè obſervat Catechiſmus Romanus, de Sacramento Pœnitentiæ, quàm de baptiſmo eò accuratiùs agendum eſt, quòd baptiſmus ſemel adminiſtratus iterari non poteſt; pœnitentiæ verò toties locus datur, ejúſque repetendæ toties neceſſitas impoſita eſt, quoties poſt baptiſmum peccare contingit. Si ergo nihil utiliùs, nihil peccatoribus neceſſarium magis, quàm pœnitentia eſt, quâ teſte Chryſoſtomo peccatum remittitur, paradiſus reſeratur, contritus ſanatur, triſtis exhilaratur, mortuus de interitu revocatur, ſtatus reſtauratur, honor renovatur, fiducia datur, virtus reformatur, gratia abundantior refunditur; quâ ligata ſolvuntur, ſoluta cuſtodiuntur, adverſa mitigantur, contrita ſanantur, confuſa lucidantur, deſperata animantur; ita curandum eſt, ne rei tantoperè neceſſariæ in nobis incuria reprehendatur, eáque ex Patribus & ſacris Conciliis ſeligenda ſunt, quibus hoc ſaluberrimum pœnitentiæ medicamentum & ſuſcipi ritè, & ſuſcipientibus prodeſſe poſſit.

SPECULATIO I.

Exiſtentia & neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ ſuadentur.

SAcramenti Pœnitentiæ exiſtentiam ut demonſtremus, probandum eſt adverſùs antiquos Novatianos, & modernos hujus temporis hæreticos, Pœnitentiam eſſe verum novæ Legis Sacramentum: eſſentiam verò expoſuerimus, ſi quibus conſtat, materiam & formam explicemus: partes verò intelligemus, ſi de contritione, confeſſione, & ſatisfactione, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, exponamus.

Peccatoribus ſinceram de peccatis poſt baptiſmum commiſſis agentibus pœnitentiam, dari veniæ locum, oſtenditur contra Novatianos.

Certum eſt ergo primò contra Novatianos, & hæreticos hujus temporis, dari in Eccleſia verum Pœnitentiæ Sacramentum ad peccata poſt baptiſmum commiſſa remittenda divinitùs inſtitutum. Diverſis & è diametro oppoſitis motivis Novatiani & moderni hæretici Sacramentum Pœnitentiæ de medio tollere moliti ſunt. Illi in deſperationem homines inducentes, nullum pro peccatoribus remedium in Eccleſia agnoſcebant, qui idcirco *crudeles* à Patribus nominati ſunt. *Quis ante crudeliſſimum Novatianum*, inquit Vincentius Lirinenſis, *crudelem Deum dixit, eò quòd mallet mortem morientis, quàm ut revertatur & vivat?* Crudelem hunc ideo dicit, quòd in peccatum prolapſis, & ad Eccleſiam lacrymis, gemitu, & dolore pulſantibus divinæ pietatis & paternæ clementiæ viſcera clauſerit, nec ad fovenda vulnera admiſerit vulneratos, ſed ſine ſpe pacis & communionis relictos ad luporum rapinam, & diaboli prædam projecerit. *Ecce obortus eſt*, inquit Cyprianus epiſt. adverſùs Novatianos, *alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis adverſarius hæreticus Novatianus, qui non tantùm, ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut Sacerdos, vel Le-*

vita

vitet latentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa & nova crudelitate ſauciatum potiùs occideret. Videſis B. Ambroſii longè præclariſſimos de pœnitentia libros, in quibus ſanguinarium illud dogma Scripturarum authoritatis mole graviter premit. Noſtri verò econtra Lutherani & Calviniſtæ de divina clementia præſumentes, pœnitentiæ & confeſſionis neceſſitatem eliminant, rati ſolam fidem, quâ quis dimiſſa ſibi credit eſſe peccata, eorumdem remiſſionem ſatis ſuperque obtinere. Porro Novatianorum error antequam refellatur, operæpretium eſt hæreſeos illius hiſtoriam, quam breviſſimè tom. 4. diſſert. 5. perſtrinximus, paululùm fuſiùs ante Lectoris oculos expandere.

Confundunt ob nominum ſimilitudinem Novatum cum Novatiano Euſebius lib. 6. hiſtoriæ, cap. 15. Socrates, Theodoretus, & alii. Eos tamen diſtingui oportere, docet teſtis ocularus B. Cyprianus epiſt. 44. & 49. ad Cornelium, ſub cujus Pontificatu monſtra illa erebus excitavit. Idem etiam ex beato Paciano epiſtola 2. & 3. liquet. Unde abſque dubio hæreſis illius architectus Novatus fuit, Novatianus verò illius fuit aſſertor, ſectator, & propagator. Fuit autem Novatus Presbyter Africanus. Presbyter, inquam, & non Epiſcopus, ut putavit Cardinalis Baronius ad annum 254. eo fretus, quòd teſte Cypriano epiſt. 49. *Feliciſſimū ſatellitem ſuum Diaconum (nec permittente, nec ſciente Epiſcopo) ſua factione & ambitione conſtituit.* Verùm verba illa non ſignificant, Feliciſſimum fuiſſe à Novato ordinatum, ſed malis Novati artibus & factione, invito proprio Epiſcopo, ad Diaconatum fuiſſe promotum. Unde à S. Paciano, & ab Euſebio in chronico Presbyter duntaxat appellatur. Ait enim in eadem epiſtola Cyprianus, Novatum fuiſſe à ſuis Presbyteris ejiciendū, niſi ipſe ſucceſſiſſet. At Epiſcopos non à ſolis Presbyteris, ſed à Provinciæ Epiſcopis deponi & ejici potuiſſe, conſtantiſſimum eſt.

Romam profectus Novatus Novatianum ſibi antea adverſarium, in errorem ſuum oblaris honoribus prolectavit: dolore enim ſuccenſus, graviterque ſtomachatus Novatianus, quòd in Romanum Epiſcopum non fuiſſet aſſumptus, ſchiſmaticis ſe adjunxit, quorum ſavore à tribus epiſcopis rudibus & imperitis in Epiſcopum ordinatus eſt, ut conſtat ex epiſtola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, & ex Euſebio lib. 6. c. 43.

Ad errorem autem Novatianorum quod attinet, paulò ſuperiùs in eo diximus eſſe ſitum, quòd in perſecutione lapſis, omnia licèt veræ pœnitentiæ & converſionis ſigna præferentibus, negandam veniam crudeliſſimè affirmarent. Et ſicut in alios immites erant & ſævi, ita in ſeipſos ſupra modum lenes, ſeipſos puros, & ab omni labe vacuos, intolerabili & odioſiſſimâ ſuperbiâ dictitabant. Hoc enim ſuperborum ingenium, ut amore ſui tumentes, in alios ſint immiſericordes. Sic Diabolus Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſuperbus unà fuit & invidus; & ſicut teſtante ſacro eloquio, initium peccati ejus ſuperbia fuit, ita ſpiritus nequam homicida fuit ab initio.

Advertendum tamen eſt, eatenùs Novatianos cenſuiſſe, nullam lapſis ſalutis ſpem ſupereſſe, non quòd negarent peccatorum culpas à Deo poſſe abſolutè remitti, ſed quatenus vellent poſt baptiſmum lapſos ad Eccleſiæ non poſſe communionem admitti, nec penès Eccleſiæ poteſtatem eſſe, lapſum ullum aut apoſtatam traditis ipſi divinitùs clavibus reconciliandi. Ita docet S. Pacianus epiſt. 1. ubi poſtquam dixit: *Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti;* inducit Novatianum reſpondentem: *Solus Deus poterit.* At contrà reponit Pacianus: *Verum eſt, ſed quod per Sacerdotes facit, ipſius poteſtas eſt.* Et epiſt. 3. Novatiano objicienti: *Pœnitenti peccata dimittis, cùm tantùm in baptiſmate tibi liceat relaxare delictum?* ſic reſpondet S. Pacianus: *Non mihi planè, ſed Deo ſoli, qui & in baptiſmate donat admiſſum, & pœnitentium lacrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini. Sive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſive veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſto id authore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit?* Idem tradit S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Ajunt*, inquit de Novatianis, *ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervant.* Nullum itaque in Eccleſia reconciliandorum peccatorum & condonandorum criminum jus agnoſcebant. Et quamvis Novatus nullius omninò peccati poſt baptiſmum commiſſi remittendi poteſtatem Eccleſiæ conceſſerit, diſcipuli tamen ejus de tanta ſeveritate remittentes, leviorum peccatorum condonandorum facultatem Eccleſiæ aſſeruerunt. Ita obſervavit S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Ajunt*, inquit, *ſe exceptis gravioribus criminibus, veniam relaxare levioribus. Non hoc quidem author erroris veſtri Novatus, qui nemini pœnitentiam eſſe dandam putavit: ea videlicet contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret, ne ligando ſperaret à ſe facere ſolutionem.*

Advertendum eſt etiam, miram & ſtupendam fuiſſe hujuſmodi hæreſiarcharum in hæreſi illa conflanda cæcitatem. Quod ex duplici præſertim capite perſpicuum eſt. Primum eſt, abſurdiſſimum fuiſſe viros criminoſos, veniâ tantoperè indigentes, denegare veris pœnitentibus miſericordiam. Atqui Novatus & Novatianus non ſolùm culpâ non vacabant, ſed ingentibus erant contaminati flagitiis. Novatus quidem, quem ſcribit S. Cyprianus epiſtol. 49. fuiſſe novarum rerum cupidum, avaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundum, arrogantiâ & ſtupore ſuperbi tumoris inflatum; curioſum, ut perderet; adulatorem, ut falleret; nunquam fidelem, ut diligeret. Appellat etiam illum facem & ignem ad conflanda ſeditionis incendia; turbinem & tempeſtatem ad fidei facienda naufragia; hoſtem quietis, tranquillitatis adverſarium, pacis inimicum. Infanda etiam illius facinora S. Doctor ibidem recenſet, dum ait, ab illo ſpoliatos fuiſſe pupillos, fraudatas viduas, pecunias quoque Eccleſiæ denegatas; quin & projectum extra domum patrem, nec fame mortuum, fuiſſe ab illo ſepultum; denique uxoris gravidæ uterum calce ab eodem fuiſſe percuſſum. Similia legere eſt apud S. Pacianum epiſtol. 3. Nihilo melior fuit Novatianus: nam ut refert S. Cornelius epiſt. ad Fabium Antiochenum, cæremonias baptiſmi, quem ægrotus in lecto ſuſceperat, ſprevit poſtquam convaluit, & Confirmationis Sacramento obſignari neglexit, & deſiderio ſuſcipiendi Presbyteratus flagravit, & metu perſequutionis atque amore vitæ Presbyterum ſe eſſe negavit, & incredibili incenſus ambitione, in Romanū Epiſcopum ordinari ſe fecit, Cornelio in Cathedra Petri ſedente. Hujuſmodi ergo homines peccatorum ſuorum im̄enſas labes non advertentes, nec ipſas aliorum feſtucas condonari ſinebant.

Secundum deplorandæ eorum cæcitatis argumentum eſt, quòd veniam peccatoribus denegantes, & ſpem remiſſionis eripientes, illis tamen pœnas imponere ſolebant, quaſi ſola puniendorum, & non remittendorum criminum poteſtas eſſet penès Eccleſiam. *O hæreticæ inſtitutionis inefficax &*

vana

vana traditio! (exclamat S. Cyprianus epiſt. 52. hanc eorum doctrinæ inconſequentiam deplorans) *hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam! Dicere fratribus noſtris: Plange, & lacrymas funde; diebus ac noctibus ingemiſce, pro abluendo delicto tuo largiter & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt iſta omnia morieris: quodcumque ad pacem pertinet, facies, ſed nullam pacem quam quæris, accipies.* Idem docet S. Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. ubi ait, voluiſſe Novatianos ligare quod non reſolverent, noluiſſe ſolvere quod ligaſſent: cùm tamen Dominus par jus & ſolvendi eſſe in Eccleſia voluerit, & ligandi.

His de Novatianorum hæreſi delibatis, hic eorum error poteſt facillimè confutari. Quid enim in Scripturis frequentiùs, quid in Patrum omnium monimentis legimus inculcatiùs, quàm ſpondere Deum pœnitentibus veniam, & ad pœnitendum omnes eſſe ſalutaribus hortamentis permovendos. *Si impius*, inquit Ezechiel cap. 18 *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ vivet.* Et cap. 33. *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Innumera etiam è novo Teſtamento teſtimonia erui poſſent; ſed quia illa de pœnitentia ante baptiſmum peragenda interpretabantur Novatiani, ea loca producenda ſunt, quibus lapſis venia promittitur, & revera indulgetur. Hujuſmodi eſt illud Apocalypſis 3. quòd Angelo Sardis, id eſt Epiſcopo utique baptizato, dicendum præcipitur: *In mente habe, qualiter acceperis & audieris, & ſerva, & pœnitentiam age.* Paulus etiam 1. Cor. 5. fornicario, ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus in die Domini ſalvus eſſet, tradito pepercit & indulſit. *Sufficit illi qui hujuſmodi eſt*, inquit, *objurgatio hæc, quæ fit à pluribus: ita ut è contrario magis donetis & conſolemini.*

Unde Patres Novatianorum crudelem immiſericordiam, utpote Chriſti manſuetudini adverſam, acriter reprehendunt. Nam Paſtor ille evangelicus, ut ponderat Ambroſius, laſſam ovem vexiſſe legitur, non abjeciſſe. Ideo Dominus Jeſus compaſſus eſt nobis, ut ad ſe vocaret, non ut deterreret. Mitis venit, venit humilis; denique Matth. 11. ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Reficit ergo Dominus, non excludit, meritòque tales diſcipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. *Unde liquet*, infert Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. *eos inter Chriſti diſcipulos non eſſe habendos, qui dura pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda opinantur; & cùm ipſi quærant Domini miſericordiam, aliis eam denegant. Quid duriùs quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent, cùm utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.* Et cap. 2. *Quid quòd inſolentiores ſunt? Nam cùm ad miſericordiam promptior, quàm ad ſeveritatem ſit ſpiritus Dei, quod ait ſe velle, id nolunt; quod nolle, hoc agunt: cùm vindicare, judicis ſit, remittere miſericordis.* ::: *Ut cognoſcamus igitur, Deum miſericordia magis indulgentem eſſe, quàm ſeveritatis tenacem, ipſe ait:* (Oſeæ 6.) *Miſericordiam malo, quàm ſacrificium. Quomodo igitur veſtrum poteſt eſſe acceptum ſacrificium Deo, qui negatis miſericordiam, cùm ipſe dicat, nolle ſe mortem peccatoris, ſed correctionem?* ::: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accuſabit adverſum electos Dei? Deus eſt qui juſtificat: quis eſt qui damnet? Chriſtus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Pro quibus ergo Chriſtus interpellat, eos Novatianus accuſat. Quos Chriſtus ad ſalutem redemit, eos Novatianus damnat ad mortem. Chriſtus dicit: Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum: Novatianus dicit, immitis ſum. Chriſtus dicit, invenietis requiem animabus veſtris, jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve: his grave onus & durum imponit jugum Novatianus.*

Fundamentum potiſſimum Novatianorum verbis Apoſtoli in epiſtola ad Hebræos traditis innitebatur. *Impoſſibile eſt*, inquit Paulus cap. 6. *eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti*, & prolapſi ſunt, *rurſus renovari ad pœnitentiam. Voluntariè peccantibus*, addit cap. 10. *poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia; terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Si impoſſibile eſt ſemel illuminatos revocari ad pœnitentiam, ſi illis nulla relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed illos terribilis expectatio judicii manet; quomodo nos remiſſionem peccatorum nedum non impoſſibilem dicimus, ſed eam aſſerimus quotidianam? Quomodo illis non hoſtiam ſolùm relinquimus, ſed etiam familiare & facillimum Sacramentum? Certè noſtra ſententia facilitate veniæ incentivum præbet delinquendi, dummodo nimis dilatat Dei miſericordiam, portam aperit, viámque pandit & munit ad impietatem; facilè enim in eam prolabetur, pro qua noverit omnibus obvium Sacramenti Pœnitentiæ eſſe remedium.

Reſpondeo, locis illis Apoſtolicis, baptiſmi unius, quem pluries poſſe iterari, Judæi non ſecùs ac legalia lavacra & Moſaicas hoſtias arbitrabantur, repetitionem impoſſibilem inculcari, pœnitentiæ aditum non præcludi, ut poſt Ambroſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, & Theophylactum in comentariis illius loci exprimit Patrum diſcipulus s. Thomas. Unde fruſtra in patrociniũ ſui dogmatis primũ locũ trahebant Novatiani fruſtra ex ſecundo loco præſidium ſui erroris quærebant. Adde primò *impoſſibile* ab Apoſtolo expreſſum idẽ eſſe, ac ſummè difficile, ſi de iis præſertim peccatoribus intelligatur, qui peccatis peccata adjicientes, delinquendi cõſuetudine fecerunt ſibi neceſſitatem premendo blandientem, blandiendo premẽtem, ut loquitur Beloardus: unde ſignificare voluit Apoſtolus, quàm ſit periculoſa recidiva, & in veteris vitæ peccata relapſus; ubi etiam Calvini & aliorũ ſectariorum præfocavit errorem, negantè hominem ſemel juſtificatũ poſſe gratiâ excidere. Adde ſecundò cum dicto Eſtio, in commentario illius loci, inde colligi pœnitentiã duntaxat baptiſmalẽ iterum repeti non poſſe, velle Apoſtolum: tum quia loquitur de ſemel illuminatis, quos rurſus renovari, id eſt baptizari poſſe negat; baptiſmus enim *Sacramentũ illuminationis & renovationis* dicitur, juxta illud cap. 10. *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati*, (id eſt baptiſmo ſuſcepto facti Chriſtiani) *magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* Id etiam indicat verbum *renovari*: gratia etiam renovans, ſeu novam vitam conferens, eſt baptiſmalis, unde baptiſmus dicitur ab Apoſtolo Tit. 3. *Lavacrum regenerationis & renovationis.* Unde loquitur de gratia baptiſmi, quæ dicitur *gratia illuminationis*, quia per illam transfert nos Deus de tenebris in admirabile lumen ſuum, ut qui fuimus aliquando tenebræ, lux fiamus in Domino: per eam quoque dicimur

mur participes fieri Spiritus Sancti, juxta illud Principis Apoſtolorum Act. 2. *Baptizaretur unuſquiſque veſtrûm, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Illud etiam Pauli ad Titum 3. *Per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Eſt igitur germanus Apoſtoli ſenſus, hominem ſemel baptiſmi Sacramento renovatum, ſi relapſus fuerit in veſtuſtatem peccati, non poſſe iterum actâ pœnitentiâ eam conſequi novitatem, quam in baptiſmo acceperat. Baptizato enim ita remittitur pœna, ut nihil pro peccatis ſolvendum ſuperſit: lapſus verò poſt baptiſmum etiamſi reſipiſcat, expectare debet terribile judicium, niſi ipſemet in ſe laborioſa caſtigatione vindicet quod peccavit.

Ex his etiam intelligitur ſecundus Apoſtoli locus, quem Novatiani lapſis peccatorum veniam negantes, ſuo errori vendicabant. Eatenus enim, ut ait Chryſoſtomus, poſt baptiſmum voluntariè peccantibus & in gravia delicta relapſis negat Apoſtolus relinqui hoſtiam, quatenus in Eccleſia nullus ſit ſecundo baptiſmo locus, quo iterum ſicut priùs totaliter tam quoad culpam, quàm quoad pœnam ſcelera remittantur. Convenienter enim baptiſmus *hoſtia* dicitur, quia mors & crux Chriſti, in qua Salvator hoſtiam pro peccatis obtulit, potiſſimùm operatur. Nulla igitur relinquitur hoſtia, quia etiam pœnitentes manet reatus pœnæ, pro qua poſt oblatas hoſtias non ſolet exigi ſatisfactio. Voluit etiam divinus Apoſtolus eò loci ſignificare, voluntariè, id eſt malitiâ & deſtinatâ voluntate peccantes, de quibus poſtea ait, quod filium Dei conculcarunt, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerunt, & gratiæ contumeliam faciunt, quales ſunt qui poſt acceptam notitiam veritatis retrorſum convertuntur ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato, quod peccatum Joannes, cap. 5. primæ epiſtolæ vocat *peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*; quodve Veritas *peccatum in Spiritum Sanctum* nominavit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro remittendum; voluit, inquam, Apoſtolus indicare peccatores hujuſmodi vix ac ne vix quidem unquam in veram pœnitentiam, niſi ingenti miraculo adduci. Sed prior expoſitio eſt magis litteralis: *Non enim dixit*, inquit Chryſoſtomus, *non eſt ampliùs pœnitentia, neque eſt ampliùs remiſſio, ſed non eſt ampliùs hoſtia; hoc eſt, non eſt ampliùs crux ſecunda, hoc enim vocat hoſtiam.*

Quod verò additur, facilitatem veniæ eſſe incentivum culpæ, à Patribus occupatum jampridem eſt, qui volunt veniam non niſi verè pœnitentibus, & pœnitentiæ ſincerum affectum fructibus & operibus demonſtrantibus impertiri. Unde juxta incorruptum Eccleſiæ ſenſum peccatoribus crebrò præſertim in peccata gravia relabentibus, quoad vitæ converſionem non verbis ſonoribus, ſed factis pronuntiantibus monſtraverint, venia differtur, communio denegatur. *Vult veniam ut ſperet*, inquit Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 16 *petat eam lacrymis, petat populi tantùm fletibus, ut ignoſcatur obſecret: & cùm ſecundo, & tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remiſſiùs ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior, poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipſa dicat Dominus Jeſus: Remiſſa ſunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multùm.* Hac ſacrâ praxi nec peccatoribus ſpes adimitur, nec facilitate veniæ incentivum peccati præbetur. Unde narrat ibidem Ambroſius, peccatores hac ſaluiferâ methodo curatos præclaros pœnitentiæ fructus ediſſe. *Cognovi*, inquit, *quoſdam in pœnitentia ſulcaſſe vultum lacrymis, exaraſſe continuis fletibus genas, ſtraviſſe corpus ſuum calcandum omnibus, jejuno ore ſemper & pallido mortis ſpeciem ſpiranti in corpore prætuliſſe.* Obſervat etiam S. Auguſtinus lib. 50. homiliarum homil. 27. adverſam hæreticorum ſententiam nullum peccantibus veniæ locum dantem ad iteranda nedum incitare peccata, ſed penè propellere: ſi enim omnis clauſus ſit veniæ aditus, nonne peccatores tantò magis addent peccata peccatis, quantò ſibi magis ignoſci poſſe deſperant? Servient ergo libidinibus, facient non quod licet, ſed libet, paſcentque interim cupiditatem, qui non ſperant invenire ſe poſſe charitatem, vel fructuoſæ pœnitentiæ utilitatem. Quod idem tradit Ambroſius verbis ſuperiùs recenſitis.

Pœnitentiam verum eſſe novæ Legis Sacramentum, adverſùm Lutheranos & Calviniſtas demonſtratur.

Totum rationum & ſacrarum authoritatum momentum hoc diſcurſu complector: Signum ſenſibile permanenter à Chriſto inſtitutum ad ſignificandam & efficiendam gratiam eſt verum novæ Legis Sacramentum, ut ex dictis de Sacramentis in genere claret, nec inficiari ſatis poſſunt hæretici quos impugnamus. Talis eſt pœnitentia, in qua duo inveniuntur, actus nimirum pœnitentis, & abſolutio Sacerdotis; quippe utrumque eſt ſignum ſenſibile gratiæ; pœnitens enim dolore ſuo humili confeſſione expreſſo ſatis ſignificat ſe recedere à peccato: Sacerdos etiam prolatione verborum ſignificat ſe peccata remittere, eaq; verè remittit etiam quoad culpam. Ergo pœnitentia eſt verum novæ Legis Sacramentum. Tota hujus diſcurſus difficultas eſt in eo poſita, ut probemus, Sacerdotem verbis quæ profert, confeſſa peccata dimittere.

Id autem perſpicuè colligitur ex illis verbis Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis Chriſtus Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus remittendorum peccatorum poteſtatem largitus eſt, quæ poteſtas in ſolo pœnitentiæ tribunali exercetur. Nec poteſt intelligi de peccatis per baptiſmum remittendis, vel de remiſſione per prædicationem excitanda, ut hæretici comminiſcuntur: non poteſt, inquam, ita intelligi & eo ſubterfugio eludi aut obſcurari locus ſplendidiſſimus: tum quia alibi tradidit Chriſtus baptizandi prædicandique poteſtatem, Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Tum quia eadem eſt remittendi quæ retinendi peccata: at poteſtas baptizandi & prædicandi, non eſt poteſtas retinendi peccata: datur ergo alia poteſtas procedens cum cognitione cauſæ, & legitima judicis juriſdictione, qui pro rei meritis aut ſolvat, aut retineat. Tum quia facultas remittendi peccata eſt poteſtas judiciaria, ut colligitur ex cap. 18. Matth. ubi Chriſtus præcipit, clam peccantem & fraternam correctionem aſpernantem, poſt adhibitos unum vel duos teſtes, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, accuſandum eſſe coram Eccleſia, id eſt Eccleſiæ judicibus, quibus animadvertendorum delinquentium provincia & poteſtas commiſſa eſt, quorum ſententiam eſſe definitivam & decretoriam, apertè indicat ibidem Salvator immediatè ſubjiciens: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Denique ita locum illum intellexere Patres, quibus interpretandarum Scripturarum gratia divinitus conceſſa eſt. *Pater omne judicium dedit Filio ſuo*, inquit Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. *Cæterùm video ipſum omne judicium à Deo Filio Sacerdotibus traditum eſſe, & ſervorum ſententiam Deus confirmat, cùm dixit. Quorum remiſeritis peccata,*

cata, remittuntur eis. Et cap. 6. *Corporis lepram purgare, vel purgatam oſtendere, Judæorum Sacerdotibus licebat. At verò, noſtris Sacerdotibus animæ ſordes non dico purgatas oſtendere, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Idem docent alii Patres, præſertim Auguſtinus lib. de adult. conjug. cap. ultimo, & lib. 20. de civit. cap. 6. quæ teſtimonia prolixius foret recenſere. Vide Richardum Victorinum lib. de poteſtate ligandi & ſolvendi, cap. 21. ubi ſic ſcripſit: *Extat quorumdam ſententia tam frivola, ut ridenda potiùs quàm refellenda videatur: putant enim Sacerdotes non habere poteſtatem ſolvendi, ſed oſtendendi ſolutos. Sed nunquid Dominus dixit, quod ſolutum oſtenderitis, erit ſolutum? Dicunt, Sacerdotes non habere poteſtatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat: & dicunt habere poteſtatem oſtendendi remiſſa, cùm Dominus hoc non dicat.*

Eandem veritatem convenientiâ illuſtrat D. Thomas lib. 4. contra gent. cap. 70. Quia ſicut gentilem populum Chriſtus non eſt paſſus mori, ita nec redemptum patietur extingui: quemadmodum ergo inſtituit baptiſmum ad remiſſionem peccatorum ante baptiſmi ſuſceptionem à gentibus commiſſorum; ſic bonitatem ejus decuit, Sacramentum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum à Chriſtianis patratorum inſtituere, quo culpæ omnes poſt baptiſmum voluntate vel actione ſuſceptæ deleantur. Alioquin in crudelem Novatianorum ſententiam relabentes, ſummæ Dei bonitati & clementiæ diffidere videremur. Ut ergo ad pœnitentiam confirmetur Chriſtianorum lapſorum animus, atque ad ſpem divinæ gratiæ erigatur, proponendum illis eſt pœnitentiæ Sacramentum, & apertus in ablutionem ſceleris fons irriguus indicandus, quo mundantur peccata, & hominum animæ ne pereant reſtaurantur. Omnes quidem à recidiva pro virili deterreamus, ſed in toto corde ſuo converſis, & ſinceram cordis mutationem operum teſtimonio probantibus Sacramentalis pœnitentiæ ſalutiferum offeramus remedium, quod ut Tertulliani verbis utar, cùm provolvit hominem, magis relevat; cùm ſquallidum facit, magis mundatum reddit; cùm accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſolvit; denique peccatorum fluctibus merſum prolevat, & in portum divinæ clementiæ protelat.

Dices: B. Ambroſius in Jure relatus: *Verbum Dei,* inquit, *dimittit peccata, Sacerdos autem nullius poteſtatis jura exercet.* Cui concinit Hieronymus in illum Matth. 12. locum, *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ubi ſic habet: *Hunc locum non intelligentes Presbyteri & Epiſcopi, aliquid ſibi de ſupercilio Phariſæorum aſſumunt, ut vel damnent innocentes, vel abſolvere ſe noxios arbitrentur; cùm apud Deum non Sacerdotis ſententia, ſed reorum vita quæratur.* Ergo in Eccleſia non viget remittendorum peccatorum ulla poteſtas. Maximè quia S. Auguſtinus lib. de nupt. & concup. aſſerit, *lavacro regenerationis non tantùm peccata præterita, ſed etiam poſteriùs admiſſa remitti.* Unde videtur ſufficiens Baptiſma ad memoriam revocatum.

Reſpondeo his teſtimoniis perſuaſum Magiſtrum Sententiarum, alioſque antiquiores Theologos arbitratos fuiſſe, Sacerdotem dum ait, *ego te abſolvo*, non peccata remittere, ſed à Deo remiſſa declarare; pertinere tamen verba illa ad Sacramentum pœnitentiæ, quia gratiam à Deo eo momento datam ſignificant. Sed non videtur ea ſententia doctrinæ Concilii Tridentini conſentanea; *Si quis dixerit,* inquit ſeſſ. 14. can. 9. *abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, anathema ſit.* Certè cùm Sacramenta novæ Legis id efficiant quod ſignificant, ſignificetur verò præcipuè verbis à Sacerdote prolatis remiſſio peccatorum, Sacerdotes verè peccata remittere fatendum eſt. Proportionaliter enim, ut ait D. Thomas, oportet loqui de Sacramentis & poteſtate miniſtrorum: unde ſicut noſtra Sacramenta à veteribus differunt, quòd Chriſtiana gratiam, quam Moſaïca duntaxat figurabant, efficiunt; ita per eandem effectivam cauſalitatem differre miniſtros Evangelicos à legalibus certiſſimè tenendum eſt. Præſertim quia in Lege veteri pœnitentia non erat Sacramentum, quod Chriſtus ſpecialioris favoris præcipuâ dignatione Legi novæ conceſſit, unde & majorem noſtris Sacerdotibus contulit poteſtatem. Vel ſi erat Sacramentum, ut vult Joannes à S. Thoma diſp. 32. art. 2. in antiquis tamen ſtatibus ab ea perfectione deficiebat, quâ in lege Evangelica eminet. Sed, ut verum fatear, hæc poſterior ſententia non videtur Concilio Tridentino conſentanea.

Nec obſtant adducta Ambroſii verba, quæ ſolùm poteſtatem remittendi peccata principalem ſoli Deo eximiam, non miniſterialem Evangelicis miniſtris communicatam excludunt. Hieronymus autem eorum duntaxat ignorantiam vel præſumptionem redarguit, qui datâ ſibi poteſtate abutentes, & indignis beneficium abſolutionis ſe poſſe impendere, & dignis denegare, innocenteſque pro arbitratu damnare ineptiſſimè exiſtimabant, cùm apud Deum non Sacerdotum ſententia (ſola ſcilicet, & præſertim iniqua,) ſed reorum vita & vitæ mutatio ad Sacerdotum ſententiam prærexigatur. Cæterùm peccatores teneri ſententiæ Sacerdotum & Eccleſiæ clavibus peccata ſua ſupponere, eamque Dominum quærere, apertiſſimis Evangelii locis demonſtravimus. Unde Hilarius ponderans verba Chriſti ad Petrum, quibus ei claves regni cœlorum & cujuſvis ligandi ſolvendique contulit poteſtatem, ſic ait can. 16. Comment. in Matth. *O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata authoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo.*

Ad authoritatem Auguſtini dicendum, eatenus S. Doctorem tradidiſſe, Baptiſmo poſteriùs admiſſa peccata remitti, quia Baptiſmo charactere Chriſtianitatis ſignati ſumus, quo jus habeamus ad Sacramentum pœnitentiæ, per illudque remiſſionem peccatorum ſuſcipiendam. Subdit enim poſt verba objecta Sanctus Pater: *Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet.* His verbis ſignificans, quod ſicut pœnitentia ante baptiſmum eſſet inanis, niſi ad ſuſcipiendum baptiſma tenderet; ita fruſtra quæreretur Sacramenti pœnitentiæ ſalutare remedium, niſi baptiſmus præcederet, qui cùm ſit Sacramentorum omnium janua, omnium debet ſuſceptioni præmitti. Verùm ſuſcepto ſemel baptiſmate neceſſarium eſſe pœnitentiæ Sacramentum, epiſt. 23. luculenter tradit idem Doctor Sanctiſſimus his verbis: *Si parvulus baptizatus, grandævus factus propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittetur? Non regeneratione, ſed alia curatione reſarciri poſſunt.* Illam autem aliam curationem Sacramentum pœnitentiæ ſemper Catholica exiſtimavit Eccleſia.

Dices rurſum: Si pœnitentia ſpeciale foret novæ Legis Sacramentum, Chriſtus illud alicubi, vel aliquando inſtituiſſet. Atqui nullibi legitur Chriſtum Sacramentum pœnitentiæ inſtituiſſe, unde & aliqui Theologi illud ab Eccleſia inſtitutum eſſe fatentur, ut S. Bonaventura, & Marſilius in 4. diſt. 17. Ergo pœnitentia non eſt ſpeciale Chriſtianæ Legis Sacramentum.

Reſpondeo certiſſimum eſſe, Chriſtum eſſe authorem Sacramenti pœnitentiæ. *Si quis dixerit,* inquit

quit Tridentinum ſeſſ. 17. can. 1. *in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit.* Et certè cùm inſtitutio Eccleſiæ non minùs ad operationem miniſtrorum præſupponatur, quam opus creationis ad operationem cauſarum ſecundarum; aliunde verò Eccleſia fundetur in Fide & Sacramentis, conſequens eſt ad miniſtros Eccleſiæ minimè pertinere ſive novos fidei articulos edere, aut editos removere; ſive Sacramenta nova inſtituere, aut inſtituta removere, vel commutare; ſed ad eum duntaxat ſpectaſſe Sacramenta inſtituere, in quo excellentiæ poteſtas ad Eccleſiam ſupra tales baſes fundandam reſidet: & hic ſolus eſt Chriſtus Dominus, quia non eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo nos oporteat ſalvos fieri; & ipſe eſt ſummus lapis angularis, cui tota Eccleſia ſubnixa eſt: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

Quo autem tempore inſtituerit hoc Sacramentum Chriſtus, non conveniunt Doctores, ſed diſſidium determinat ſacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. de juſtific. cap. 14. his verbis: *Etenim pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, cum dixit* (Joan. 20.) *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et ſeſſ. 14. cap. 1. *Fuit quidem pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria: : : Porrò nec ante adventum Chriſti pœnitentia erat Sacramentum, nec poſt adventum illius cuiquam ante baptiſmum. Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos explofit, atque condemnavit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Evangelium annuntiandi, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.*

Ubi obſervandum eſt, ſacram Synodum docere, quod Chriſtus *ſacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit*, quia nimirum aliis locis Sacramentum iſtud Salvator inſinuavit, ut cùm ejus neceſſitatem inculcavit, & ligandi ſolvendique poteſtatem diſcipulis, Petro etiam claves regni cœlorum largiturum ſe promiſit. Joannes tamen 20. præcipuè hoc Sacramentum inſtituit, quia tunc tribunal pœnitentiæ erexit, attributâ Apoſtolis eorumque legitimis ſucceſſoribus judiciariâ remittendorum retinendorumque peccatorum poteſtate. Et certè conveniens ter hoc Sacramentum poſt reſurrectionem uſque diſtulit inſtituendum Chriſtus; tum quia cùm efficacia Sacramentorum ex plenitudine redundantiæ Paſſionis fluat, eâ peractâ, piſcina probatica debuit ex ſanguine Chriſti confici, in qua ſin pleniùs, certe frequentiùs percipitur virtus Redemptoris. Tum quia in hoc Sacramento peccator reſurgit, ſubindeque pœnitentia eſt Chriſti reſurrectionis imago, quam debuit præcedere archetypus, ut per pœnitentiam non ſolùm Chriſti reſurrectionem exprimamus, ſed in peccata non recidentes modum reſurrectionis ejus æmulemur, qui in eo poſitus eſt, quod *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel; quod autem vivit, vivit Deo*, ut dicitur Rom. 6.

Dices 3. Abſque Sacramento pœnitentiæ per veram ſinceri cordis contritionem obtineri poteſt remiſſio peccatorum; contritionem enim ex natura rei comitatur gratia, quæ cùm peccato incompoſſibilis eſt: unde juxta Scripturas & Patres, ut contritionem mente concepimus, peccatorum veniam ſtatim impetramus; neque enim minorem habet in lege nova vim contritio, quàm haberet in lege Moſaïca atque in lege naturæ, in quibus nullum erat inſtitutum pœnitentiæ Sacramentum. Ergo ſola contritio, ſola charitas ſufficiunt ad operiendam multitudinem peccatorum. Nam Magdalenæ remiſſa ſcimus peccata multa, *quoniam dilexit multùm*, ut dicitur Luc. 17. Et Iſaiæ 30. juxta verſionem Septuaginta legimus: *Cùm converſus ingemueris, tunc* (id eſt nullâ interpoſitâ morâ) *ſalvus eris.* Vel ut habet editio vulgata: *Hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſraël: Si revertamini, & quieſcatis, ſalvi eritis.* At quem locum alludens Cœleſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, cap. 2. *Vera converſio*, inquit, *mente potiùs quàm tempore metienda eſt, dicente Propheta: Si converſus fueris, ſalvus eris.* Succinit Magnus Leo epiſt. 91. *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cùm ingemueris, tunc ſalvus eris.* Certè cùm plenitudo legis ſit dilectio, & Chriſtianiſmi character ſit charitas, cuncta ſcelera, quæ animam inquinant, ubi charitas fuerit, ſolvantur neceſſe eſt. *Sicut ignis*, ait Chryſoſtomus hom. 2. in 1. epiſt. ad Timot. *ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit; ita & charitatis fervor quòcumque inciderit, omnia perimit atque perrumpit, quæ divinam ſegetem demoliantur, emundatque humum ſuſcipiendis atque fovendis altè ſeminibus. Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala.*

Reſpondeo Sacramentum pœnitentiæ eſſe medium ad peccata poſt baptiſmum commiſſa delenda omninò neceſſarium. *Eſt autem hoc Sacramentum pœnitentiæ*, ait Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus.* Sicut ergo vis charitatis & contritionis, quantaquanta ſit, neceſſitatem baptiſmatis non excludit, ita nec Sacramenti pœnitentiæ ſaluberrimam medicinam in re, vel certè in voto ſuſceptam eliminat. Unde eadem ſancta Synodus ſeſſ. 14. cap. 4. ſic habet: *Docet præterea* (Sancta Synodus) *etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quam ſanè doctrinam Sacrum Concilium ex Scripturis & Patribus deprompſit: cùm enim Salvator Petro & Apoſtolis, eorumque legitimis ſucceſſoribus claves regni cœlorum conceſſerit, manifeſtè hac loquendi formula ſignificavit, quod quemadmodum ſine clavi aperiente januam non patet ad domum occluſam aditus, ita tandiu reſeratum erit oſtium regni cœlorum, quandiu januam cœli, quam nobis peccatis noſtris occluſimus, ſuâ non aperuerint Sacerdotes remittendorum peccatorum poteſtate. *Multiplex Dei*, inquit Magnus Leo epiſt. 91, *ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ repararetur æternæ: ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis*

ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc Eccleſiæ præpoſitis tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sanctorum per januam reconciliationis admitterent. Idipſum docuit Auguſt. lib. 2. de adulter. conjug. cap. ultimo: *Quæ baptiſmatis*, inquit, *eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet mater Eccleſia.*

Ex quibus ſine negotio occurrere eſt argumento facto, cùm eatenus contritione etiam charitate formatâ peccata remittantur, quatenus in ea votum Sacramenti pœnitentiæ, cui Deus remiſſionem peccati in favorem honoris divini hac reparatione reſarciendi alligavit, continetur. Præſertim quia quàmlibet magnus videatur eſſe contritionis dolor, de ejus tamen ſufficientia ſemper patres dubitarunt, nobiſque dubitandi rationem inculcarunt, donec fuerit pœnitentiæ Sacramento ratus factus, & Sacerdotis ſententiâ confirmatus: *Si miniſtri deſint*, inquit Auguſtinus epiſt. 118. ad Honoratum, *quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Et Magnus Leo ſuprà laudatus: *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, à munere indulgentiæ præſentis exciderit, priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humanâ conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit. Nec neceſſe eſt nos eorum qui ſic obierint merita actuſque diſcutere; cùm Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit: ita poteſtatē ſuam timeri volens, ut hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem Sacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* Vides ergo contritionis quemlibet fervidum motum non ſufficere niſi vel in ſe, vel certè in voto clavibus Eccleſiæ ſupponatur; nec plenam invehere ſecuritatem, niſi peccatorum vincula Sacerdotum poteſtate rumpantur.

REFLEXIO.

Niſi pœnitentiã egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Duplex eſt ad ſalutem via, innocentia ſcilicet, & pœnitentia. Ergo omnes criminis reos, & perditæ peccatis innocentiæ conſcios æternùm ſine pœnitentia perituros fatendum eſt. Et tamen credit Ambroſius plures eſſe innocentiæ cuſtodes (quod tamen in hoc ſæculo nequam inſtar prodigii eſt) quàm veræ pœnitentiæ. *Faciliùs*, inquit, *inveni, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam*, de pœnit. lib. 2. c. 10. Quia nimirum multi ſe aſſiduè, ut Auguſtinus ait, dicunt peccatores, & tamen eos peccare delectat; profeſſio eſt, non emendatio; accuſatur anima, non ſanatur. Si teſtantibus Patribus, & definiente Tridentino, ad pœnitentiam non ſufficit morum in melius mutatio, & novæ vitæ ſuſceptio, niſi Deo per dolorem, per lacrymas, per contriti cordis & caſtigati corporis ſacrificium ſatisfiat; ubinam gentium, quæſo, pœnitentes invenire eſt, cùm peccatores non ſolùm peccata non defleant, cor dolore non ſcindant, corpus ſatisfactionibus non macerent, ſed etiam mores in melius non mutent, peccata peccatis cumulantes, apponentes iniquitatem ſuper iniquitates ſuas, vitæ converſionem verbis pollicentes, factis autem negantes? Anima pœnitens rugit in gemitu cordis ſui, miſerque facta & curvata uſque in finem tota die contriſtata ingreditur, & teſte Propheta Baruch. 2. *triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes.* Ergòne pœnitentibus accenſendi ſunt illi circumornati ut ſimilitudo templi, auro rutilantes, unguentis obliti, pigmentis effœminati; quos, ut ait Chryſoſtomus, diceres ad Eccleſiam pergere ſaltaturos, & in domo Dei laſciviæ oblectamenta quærere? Itàne benè convenit pœnitentia cum ſericis, & monilibus, & ludis, & choreis, & comœdiis eodem die ab hujuſmodi larvatis pœnitentibus ſuſceptis? Illíne pœnitentes reputandi ſunt, qui nec præterita mala plangunt, nec plangendo devitant; qui dolent damnum pecuniæ, & non dolent damnum juſtitiæ, qui poſt temporalium jacturam omni mœrori ſe dedunt, poſt animam perditam vix moventur? Verus pœnitens ob gehennæ metum, ob reparandam læſæ Dei majeſtatis injuriam configens timore carnes ſuas, & amore voluntatem accendens, levia arbitratur aſperrimæ onera pœnitentiæ, quia qui timet Deum, nihil trepidabit; qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis, & verus amor difficultatis nomen erubeſcit. Quomodo ergo pœnitentibus annumerabimus, quos unius diei jejunium, unius horæ oratio, unius Evangelii, vel Thomæ à Kempis, vel Granatenſis capituli lectio, ipſa etiam faſtûs abdicatio, ipſa comeſſationum interpolatio fatigat & penè opprimit? Ergo rara eſt, & ferè nulla pœnitentia, non impio & crudeli Novatianorum ſenſu, qui eam gementibus ſincerè converſis denegabant, ſed Catholicorum abuſu, non in toto corde ſuo, ſed in mendacio revertentium, doloſè agentium in conſpectu Dei, labiis doloſis in corde & corde loquentium, malitiam non odientium, aſtantium omni viæ non bonæ, & *quæ humilitate ſermonis accuſant, corde perverſo complectentium*, ut S. Fulgentius ait.

Si Princeps Apoſtolorum baptizandos, quibus unda ſacra & culpam, & omnis reatum pœnæ remiſſura erat, ad pœnitentiam, ut patet Actorum 18. hortatur, qualis debet eorum eſſe pœnitentia, quos à peccatis baptiſmate mundatos inhoneſtiùs maculat iterata facinorum turpitudo? Hanc conſequentiam deducit & ponderat Magnus Gregorius lib. de cura Paſtorali, part. 3. admonit. 31. *Illos emendatior vita ſanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflicto fletuum mundat. Hinc Petrus quoſdam, cùm territos malorum ſuorum conſideratione conſpiceret, admonet dicens: pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm. Dicturus enim baptiſma, præmiſit pœnitentiæ lamenta; ut priùs ſe aquâ ſuæ afflictionis infunderent, & poſtmodùm Sacramento baptiſmatis lavarent. Quâ ergo mente, qui tranſactas culpas flere negligunt, vivunt ſecuri de venia, quando ipſe Summus Paſtor Eccleſiæ, huic etiam Sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit?*

SPECULATIO II.

Eſſentia & partes Sacramenti pœnitentiæ exponuntur.

QUia omne Sacramentum novæ legis rebus & verbis eſſentialiter conſtat, ut ex dictis de Sacramentis in genere ſatis liquet, eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ tradiderimus, ſi quâ conſtat materiâ expoſitâ, ſingulas ejus partes, cùm eſſentiales, tum integrales accuratâ brevitate in hac ſpeculatione explicemus, in ſequenti formam hujus Sacramenti expoſituri.

Materia Sacramenti pœnitentiæ proxima ſunt actus pœnitentis.

Hanc veritatem expreſsè docet Tridentinum ſeſſ.

ſeſſ. 14. can. 4. *Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Ratio verò petitur ex diſcrimine quod intercedit inter pœnitentiam & matrimonium ex una parte, & cætera Sacramenta ex alia. Etenim in Sacamentis gratiam ſuperabundantem magis ex opere operato quàm ex opere operantis conferentibus materia eſt tesmerè ſenſibilis & externa, ut ſignificetur effectum Sacramenti, effuſam ſcilicet gratiæ plenitudinem, à Deo duntaxat proficiſci; quippe qui ſolus tam vilibus elementis ſtupenda gratiæ miracula operari poteſt; quippe, ut ait Pſalmographus, *facit mirabilia magna ſolus*. Sic in Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia, Extrema-unctione, & Ordine, actus humani non ſunt materia Sacramenti, ſed unam meræ diſpoſitionis rationem habent, quâ ad gratiam Sacramentalem ſuſcipientis animus præparetur, peccatorumque, ſi qui ſint, voluntarii obices removeantur. Cujus etiam ſignum eſt, quod gratia baptiſmalis, cujus tanta eſt vis, tantaque copia, ut non ſolùm ab omni culpa, ſed à cujuſvis pœnæ reatu peccatorem innumeris peccatis ſordentem, verè tamen contritum liberet & prorſus eximat; hæc, inquam, tanta gratia pueris eliciendo ulli actui imparibus datur: & alia etiam relata Sacramenta valida eſſent, etiamſi nulli elicerentur à ſuſcipientibus actus virtutum, quanvis tunc vel illicita prorſus, ſi ſuſcipiens eſſet in peccato mortali, cui eluendo virtutis operatio neceſſaria eſſet; vel certè parum fructuoſa foret tam jejuna ſuſceptio. At verò in pœnitentia & matrimonio res aliter ſe habet, effectus enim huic duplici Sacramento correſpondentes ita actus humanos ſupponunt, ut ſine ipſis nec eſſe, nec intelligi quidem poſſint. Cùm enim in pœnitentia convertatur ad Deum peccator, eſſentialiter actus pœnitentis deſiderantur; ut ſicut per actum proprium à bono incommutabili receſſit, ità & per proprium motum ad ipſum revertatur; nec poterit unquam ſine vera pœnitentia Sacramentum conſiſtere Pœnitentiæ. Similiter cùm matrimonium ſit contractus humanus, ſine conſenſu partium verbis vel ſignis expreſſo conſtare nequaquam poteſt. Ergo ſicut in medicinis corporalibus, quædam exteriùs adhibitis conſtant adjumentis, ut unctionibus, lotionibus, cataplaſmatibus; quædam verò ſunt ipſimet ſanandorum actus, ut exercitationes & dietæ: ita in Sacramentis, quorumdam materia externa eſt, & ab alio applicatur; aliorum verò materia ab ipſo ſuſcipiente propriis actibus intus incipientibus, ſed foris prodeuntibus miniſtratur.

Dices: Ergo pœnitens erit miniſter Sacramenti pœnitentiæ, cùm materiam miniſtret, partialiter Sacramentum efficiat, ejuſque effectum ex parte producat. Conſequens autem eſt in Eccleſia Catholica inauditum; Ergo antecedens, unde deducitur, à veritate alienum eſt.

Reſpondeo id non ſequi; quia qui ſolam materiam miniſtrat, Sacramentique effectum ſolus exhibitione materiæ producit, miniſter appellari non conſuevit; ſed ille ſolus miniſter dicitur, qui formam, quæ dat ſpeciem rei, apponit: ſicut non dicitur architectus, qui lapides conſtruendo ædificio portat, ſed qui paratos in ordinem & figuram ædificii appoſitè diſponit.

Porrò illi actus pœnitentis alii non ſunt, quàm qui à Tridentino enumerati ſunt, contritio ſcilicet, confeſſio, & ſatisfactio. In primis enim quod requiratur confeſſio, ſatis per ſe patet, cùm in omni judicio intervenire debeat accuſatio rei judici nota; in hoc autem foro accuſator eſt, qui ſe non niſi confeſſione ſincerâ accuſat. Quod verò deſideretur etiam eſſentialiter contritio, inde convincitur contra Durandum, quia nuda peccatorum externaque confeſſio, ab interno animi ſeſe accuſantis dolore non proficiſcens, hiſtorica ſolùm narratio eſt, peccata quidem prodens, ſed Sacramentum pœnitentiæ minimè conſtituens. Et quanvis contritio interior non ſit ſenſibilis immediatè & ratione ſui (ut tacitè fundamentum Durandi convellatur) benè tamen mediatè, mediis ſcilicet humilibus confeſſionis lamentis; quod ſufficit, ut contritio ſit ſignum Sacramentale, quia cognita per confeſſionem ducit nos in illius effectûs ſpiritalis cognitionem, quem virtus divina operatur. Denique exigi ſatisfactionem inde monſtratur, quod ad perfectionem judicii omninò requiritur ut pœna reo, ſatisfactio læſo imponatur. Cujus etiam convenientias ſic præclarè proſequitur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. *Sanè & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione acceptâ peccata leviora putantes, velut injurii & contumelioſi Spiritui ſancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Ejuſdem etiam materiæ proximæ in actibus illis pœnitentis ſitæ congruentiam egregiè tradit Catechiſmus Romanus; quia cùm animo, verbis, & re peccata in Deum committamus, conſentaneum eſt, ut nos ipſos Eccleſiæ clavibus ſubjicientes, quibus rebus Deus à nobis iniquè violatus eſt, iiſdem etiam ejus iram placare, honorem reparare, & peccatorum ab eo veniam impetrare conemur, cordis nimirum contritione, oris confeſſione, & ſalutarium operum ſatisfactione. Sanè cùm pœnitentia ſit voluntaria & ſeria delictorum compenſatio, ab ejus voluntate profecta qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum eſt, conſtituta; prorſus & compenſandi voluntas requiritur, in quo maximè contritio verſatur; & pœnitens Sacerdotis vices Dei gerentis judicio ſe humili confeſſione ſubjiciat neceſſe eſt, & conſtitutam ab eo pro ſcelerum magnitudine pœnam veraci ſatisfactione ſubire tenetur.

Dices: Ipſum Tridentinum actus pœnitentis *quaſi materiam* appellat; Ergo non cenſet actus pœnitentis eſſe veram hujus Sacramenti materiam proximã.

Reſpondeo ſacrum Concilium hac particula diminuente, *quaſi*, diſcrimen duntaxat voluiſſe indicare, quod inter hujus & aliorum Sacramentorum materiam intercedit, in hoc conſiſtens, quod aliorum Sacramentorum materia eſt res aliqua naturalis, vel arte effecta; Sacramenti verò pœnitentiæ materia ſunt operationes pœnitentis jam expoſitæ, quæ cùm in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & plenam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requirantur, hac ratione materia & partes eſſentiales pœnitentiæ meritò dicuntur. *Neque verò ita actus*, inquit Catechiſmus Romanus laudatus, *quaſi materia à Sancta Synodo appellantur, quia vera mate-*

ria rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in Baptiſmo, & chriſma in Confirmatione.

Dices iterum: Verba abſolutionis de præſenti ſignificant remiſſionem peccatorum, nondum inchoatâ ſatisfactione: Ergo eam ante ſatisfactionem producunt, ſubindeq; ante illam Sacramentum pœnitentiæ peragitur: Ergo ſatisfactio non eſt materia Sacramenti pœnitentiæ, cùm materia formam non ſubſequatur, ſed ei ſupponatur & ſubſternatur, ut ab ea perficiatur. Maximè quia in aliquo caſu validum eſt & licitum ſine ſatisfactione Sacramentum pœnitentiæ, ut cùm quis contritus, confeſſus, & abſolutus repentinâ morte abripitur, nondum inceptâ vel expletâ ſatisfactione.

Ad hanc difficultatem prompta & expedita pateret reſponſio, ſi mos ille teneretur, qui per duodecim ſæcula in Eccleſia viguit; ut nimirum poſteaquam peccatores omnia cordis vulnera Sacerdoti aperuiſſent, idonea illis curandis remedia ab ipſis acciperent, quibus ſcilicet & ſatisfactionis modus conſentaneus imponeretur, & ſecundùm peccatorum differentiam pœnitentiæ tempora decernerentur, ut ait Concilium Carthaginenſe III. can. 31. & tempus à Sacra Euchariſtia abſtinendi, ut docet Concilium Turonenſe III. can. 22. præſcriberetur, & per neceſſaria tempora remedia obducerentur cicatrices, ſicut loquitur Clerus Romanus in epiſt. ad Cyprianum.

In illis ergo beatis fortunatiſque temporibus, in quibus & auſterior erat pœnitentia, & culpa rarior, primùm peccator peccata confitebatur & pœnitentiam poſtulabat: pœnitentiam deinde cum conſiliorum neceſſariorum præfatione Sacerdos imponebat: impoſitam pœnitentiam poſtea pœnitens implebat, certum ac fixum animo habens, eo ſe Deum mitiorem ac placabiliorem experturum, quo in ſeipſum foret ſeverior, juxta illud Auguſtini ſerm. 34. de diverſis: *Sit oportet in ſe ſeverus, ut in eum ſit miſericors Deus.* Illud etiam S. Paciani in paræn. ad pœnitent. *In quantum pœnæ veſtræ non peperceritis, in tantum Deus vobis parcet.* Poſt exactam lacrymarum, vigiliarum, orationum, jejuniorum, & aliarum exercitationum pœnitentiam, ſic contrito & humiliato abſolutionem, & continuò Sacram Euchariſtiam in veræ reconciliationis pignus, ſignaculum & complementum, cumulum & conſummationem, ac velut coronidem Sacerdos impertiebat. Hujus porrò antiquæ & communis olim conſuetudinis probationes nonnullas dedimus dum de uſu Euchariſtiæ, ampliores dabimus inter agendum de abſolutione peccatoribus in peccata mortalia relabentibus deneganda. Hujus etiam moris meminit tum Leo Magnus epiſtol. 91. docens conceſſam Sacerdotibus poteſtatem in eo verſari, *ut confitentibus actionem dent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittant.* Quod & apertè indicat S. Eligius homil. 11. his verbis: *Confeſſio pœnitentiam monſtrat: pœnitentia ſatisfactionem oſtentat: ſatisfactio veniam ſibi divina pietate conciliat.* Cui affine eſt illud multò antea à Tertulliano de pœnit. cap. 9. prolatum: *Satisfactio confeſſione diſponitur: confeſſione pœnitentia naſcitur: pœnitentia Deus mitigatur.* Quod & confirmat S. Gregorius Papa lib. 16. in 2. Reg. cap. 15. dum ait: *In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentiam eſſe cognoſcendam. Confeſſionis verba nihil aliud eſſe niſi folia, adeoque non nobis folia propter ipſa, ſed propter fructum expetenda. Qua idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur.* Et ſanè eò ſpectaſſe videtur Concilium Tridentinum, dum definivit omnia peccata non in genere duntaxat, ſed in ſpecie & ſigillatim eſſe Sacerdoti aperienda, ut rector animarum, perſpicuâ illorum cognitione acceptâ, in piacularibus pœnis præſcribendis æquitatem, & ad delicta proportionem tenere queat. Si autem confeſſio via eſt & medium divinitus inſtitutum ad pœnitentiam imponendam; ſi rurſum pœnitentia & ſatisfactio ex Patribus memoratis ad reconciliationem & abſolutionem, atque adeo ad ſacram Communionem, reconciliationis complementum, via & gradus eſt, proculdubio priùs imponebatur, priuſq; peragebatur conſentanea gravitati peccatorum pœnitẽtia, quàm peccator ad abſolutionem & Euchariſtiam admitteretur.

Verumtamen quia jam Eccleſia ſatisfactionis abſolutioni præmittendæ neceſſitatem non omnibus indicit, præſertim ubi perpetuus in iterata flagitia relapſus non contingit; præſentem autem Eccleſiæ ſine prævia pœnitentia abſolvendi morem non modò damnare nemo poteſt, ſed etiam quandiu ex Eccleſiæ mente obſervatur, à nemine ſine magno errore damnari poſſe certiſſimum eſt; quia ipſa Eccleſia, quæ corpus Chriſti myſticum eſt, de ſpiritu Chriſti vivens, ab ipſo Salvatore perpetuam in continua temporum viciſſitudine unitatem, & inviolabilem in præſcribendis tum fidei, tum morum regulis infallibilitatem jugiter accipit; idcircò argumentum ſolvendum nobis incumbit; unde

Reſpondeo ſatisfactionem quæ ſequitur abſolutionem, non poſſe habere rationem partis eſſentialis, ſed tantùm integralis, ut convincit argumentum, ut etiam apertè tradit Catechiſmus Romanus, his verbis: *Pœnitentia ex his e tribus partibus ita conſtituitur, ut quamvis quoad ejus naturam attinet, contritio & confeſſio, quibus homo juſtus efficitur, ſatis ſit; tamen niſi tertia etiam pars, id eſt ſatisfactio accedat, aliquid ei omninò ad perfectionem deſit neceſſe ſit.* Licèt porrò materiam eſſentialem formæ ſubſterni neceſſe ſit, integralem tamen eam ſubſequi ſæpe contingit; tùm hominem formatum conſequuntur dentes & ſtatura; arborem productam integrant dimenſiones & rami: quæ omnia ſi deeſſent, meritò diminutus homo & arbor imperfecta dicerentur. Accuſatio quoque teſtium, ſententia judicis, ſolutio pœnæ, cùm non ſint ſimul, ſunt tamen de integritate judicii: & in omnibus, quorum partes quemdam ſucceſſionis ordinem habent, non oportet ſingulas ſimul coëxiſtere. Hæc ergo tria totam, integramque pœnitentiam conſtituunt, quæ teſte Chryſoſtomo hom. 26. ab popul. Antioch. conſummata ut ſit, debent in corde contritio, in ore confeſſio, in opere humilitas & fructifera ſatisfactio inveniri.

Inſtabis: Impoſitio ſatisfactionis non eſt pars integralis pœnitentiæ, neque quoad materiam, cùm pœnam non ſibi imponat, ſed recipiat impoſitam reus; neque quoad formam, cùm in prolatione verborum ab Eccleſiæ miniſtris adhibitorum non exprimatur: ergo propter paritatem rationis ſatisfactio etiam non eſt pars integralis pœnitentiæ.

Reſpondeo, omiſſis variis ſolutionibus, impoſitionem ſatisfactionis, ſicut & ipſam ſatisfactionem, eſſe partem materiæ & formæ per modum complementi & integritatis utriuſque formæ quidem, quia hanc requirit judicium perfectum; materiæ verò, quia eam petunt, illique ſe ſubjiciunt actus pœnitentis.

Urgebis: Si ſatisfactio Sacramentum pœnitentiæ vel conſtitueret, vel integraret, gratiam ex opere operato produceret; pars enim Sacramenti naturam & virtutem Sacramenti participat, unde cùm rationem Sacramenti ſit gratiam ex opere operato producere, id etiã ſatisfactioni cõvenire neceſſe eſſet.

eſſet. Atqui ſatisfactio gratiam Sacramenti pœnitentiæ non producit, ſed à Sacerdote abſolvente productam ſupponit; maximè quia alioquin, qui in peccato mortali injunctam ſibi pœnitentiam adimpleret, mortalem in culpam incurreret, utpote Sacramentali gratiæ à ſatisfactione profecturæ obicem ponens. Ergo ſatisfactio neque eſſentialiter, neque integraliter ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinet.

Reſpondeo quod licèt ſatisfactio gratiam ex opere operato non produceret, à ratione tamen partis integralis Pœnitentiæ minimè deficeret: tum quia, ut ait D. Thomas in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 1. quæſtiune. 2 ad 3. *ex propoſito ſatisfaciendi gratia confertur, quamvis ſatisfactio actualis gratiam præſupponat.* Sufficit autem ut ſit pars integralis Sacramenti, quod ex propoſito ſatisfaciendi gratia conferatur, cùm illud propoſitum inane & inefficax meritò habendum ſit, quod intentam ſatisfactionem opere non complet. Tum quia, ut ibidem ait S. Doctor, *per ſatisfactionem conſequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter à reatu peccati.* Illud autem meritò pars Sacramenti cenſendum eſt, quod ad perfectum gratiæ ſacramentalis effectum, reatum ſcilicet pœnæ tollendum, concurrit.

Verùm idem S. Doctor 3. p. quæſt. 90. art. 2. aliquid ampliùs ſatisfactioni tribuere videtur, eam nimirum augmentum gratiæ habitualis conferre, ait enim: *Dicendum quod ſatisfactio confert gratiam, prout eſt in propoſito, & auget eam prout eſt in executione, ſicut etiam Baptiſmus in adultis, ut ſuprà dictum eſt.* Ideo ne ab hac aſſertione, quâ opera ſatisfactoria à Sacerdote impoſita immensùm commendantur, recedam: reſpondeo ad argumentum, quod licèt ſatisfactio gratiam eſſentialem Sacramenti à Sacerdote productam ſupponat, ejuſdem tamen gratiæ complementum & conſummationem ipſa producit, ſi tamen conditionibus ad ſatisfaciendum neceſſariis non careat. Conditiones autem ad ſatisfaciendum requiſitæ eædem fermè ſunt, quas ad merendum in tractatu de merito deſideravimus, nimirum primò ſtatus gratiæ, quia ſine charitate nihil prodeſt ad ſalutem; ſecundò ſtatus viatoris, poſt quem *venit nox, quando nemo poteſt operari*, ut dicitur Joan. 9. Tertiò opus bonum, quia malum opus non pœnæ ſatisfacit, ſed novam pœnam meretur. Quartò opus liberum, vel liberè acceptum, qualia ſunt flagella à nobis quidem non ſuſcepta, patienter tamen dum à Deo infliguntur tolerata: quia quod coactè & invitè facimus, nullius pretii apud illum eſt, qui cor ſibi potiſſimùm præberi poſtulat. Quintò opus pœnale, quo peccator quantùm ſe glorificavit, tantùm ſuſcipit tormenti & luctus, juſtum eſt enim, ut Magnus Gregorius ait, ut peccator tanto majora ſibi inferat lamenta per pœnitentiam, quanto majora ſibi intulit damna per culpam. Non ita tamen requiritur opus pœnale, ut pœna ſentiatur; ſæpe enim filii Dei accenſâ in Deum charitate, quæ per ſe gravia ſunt, ne ſentiunt quidem. Unde omnibus pietatis & virtutum chriſtianarum operibus vim ſatisfaciendi aſſerimus, quia etſi amanti vel exercitato levia ſint, naturæ tamen corruptæ per ſe moleſta ſunt. Sextò exigitur opus ſupernaturale, vel à motivo ſupernaturali proficiſcens, quia enim opera ſatisfactoria ad finem ſupernaturalem citius ſaltem conſequendum referuntur, niſi ſupernaturalia ſint, finem illum non obtinebunt, cùm finem inter & media proportionem eſſe neceſſe ſit. Denique libera & gratuita Dei acceptatio requiritur, quia opera noſtra innumeris titulis ſibi debita, & pœnam peccatis debitam minimè adæquantia nihil ad ſatisfaciendum prodeſſent, niſi eis miſericordiâ ſuâ contentus foret.

Utrum autem pœnitentia & ſatisfactio in peccato mortali peracta peccatum ſit, quod obicem gratiæ ex ea manaturæ, ſi in gratia fieret, ponat, affirmare non auſim; tum quia ſatisfactionem gratiam ſacramentalem producere non eſt admodum certum, idq; duntaxat conſtans eſt, opera ſatisfactoria, ut ſunt partes integrales Sacramenti, à pœnæ reatu liberare; gratiam verò tum augere, cùm aliis ad merendum conditionibus inſtructa ſunt, quod omnibus pietatis operibus commune eſt. Tum quia etiamſi ſacramentalis gratiæ complementum & veluti coronidem ſatisfactio conferat, non videtur tamen Sacramento injurius, qui gratiæ eſſentiali Sacramenti obicem non poſuit, tametſi ejus ultimum fructum non recipiat. Tum maximè, quia ex pia Eccleſiæ praxi & conſuetudine patet, diuturnas gravioribus & inveteratis peccatoribus pœnas imponi, quos tamen in aliquod peccatum mortale naturæ imbecillitate ruituros probabile, aut certè periculoſum eſt; illos tamen à pœnitentia impoſita poſt peccatum Sancti non eximunt, ſed ad ea potiùs peragenda & augenda hortantur; tum ut pœnitendi præcepto ſatisfaciant; tum ut ad ſimilia opera, quando in gratiam redierint, faciliùs elicienda diſponantur; tum quia, licèt opera ſatisfactoria in peccato elicita nihil proſint, effectus tamen qui tranſeuntibus ſatisfactionis actibus remanet, putà attenuatio & maceratio corporis ex jejunio, rerum ex eleemoſinis imminutio, Deo in ſatisfactionem, recuperatâ tandem gratiâ, offerri poterunt. In hoc tamen futuri peccati periculo author eſſem, ut Sacerdotes pœnitentiam aliquam ad integrandum Sacramentum brevi perficiendam imponerent; diuturniorem verò in medelam peccati authoritate judicis cui obtemperare rei tenentur, præciperent, ut hac ratione ſatisfactio Sacramentalis in ſtatu gratiæ peragatur, & vindicta tamen de peccatis præteritis ſumatur, & futuris quoque lapſibus prudenti cautione provideatur. Pœnitentias porrò & ſatisfactiones à Sacerdote imperatas vim quandam ſingularem ac præcipuam obtinere Patres conſentiunt. *Afflictiones pœnitentiæ*, inquit Magnus Gregorius lib. 3. in 1. Reg. *ad delenda peccata tunc demùm idonea ſunt, cùm Sacerdotis fuerint judicio imperata.*

Remota Sacramenti Pœnitentiæ materia peccata ſunt.

Hæc poſitio facilis probatu eſt: illa enim materia remota alicujus appellatur, circa quam proxima verſatur; at materia proxima pœnitentiæ, quæ ſunt actus pœnitentis, circa peccata, de quibus dolet contritio, quæ Eccleſiæ clavibus ſubjicit confeſſio, quæve emendat ſatisfactio, occupatur: Ergo peccata ſunt remota ſacramenti pœnitentiæ materia; aliter tamen, & aliter. Nam peccata mortalia ſunt materia neceſſaria; ſufficiens verò ſunt venialia (de quibus poteſt eſſe dolor & confeſſio) & mortalia alias confeſſa. De mortalibus & venialibus quod diximus, tradit apertè Tridentinum ſeſſ. 14. cap 5. *Venialia*, inquit, *quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verùm cùm univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda confeſſione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Chriſti fideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſ-*

tenda exponunt; qui verò ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum præponunt: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Quod verò diximus de peccatis aliàs confeſſis, hinc patet, quod variatâ materiâ proxima, eadem poteſt materia remota in Sacramentis adhiberi: unde ſicut eâdem aquâ, diversâ tamen ablutione plures poſſunt diverſo tempore baptizati, eodem chriſmate plures diſtinctis chriſmationibus confirmari: ita eadem peccata diſtinctis contritionibus & confeſſionibus abſolvi. Et quamvis de eadem cauſa bis non feratur in foro humano & contentioſo judicium, quia politica judicia ad liberandos innocentes, puniendos foris reos, liteſque in infinitum procedentes compeſcendas ordinantur: attamen in foro conſcientiæ Sacerdotum ſententia, quæ ad ſanctitatem animæ interiorem inſtituta eſt, ad augendum pium, in quem tendit, animarum fructum ſpiritalem iterari poteſt.

Quid verò dicendum ſit de peccatis dubiis, paucis accipe. Vel dubium eſt, an peccata ſint mortalia vel venialia, & tunc ſine dubio huic tribunali exponenda ſunt, ut Sacerdos, cujus eſt inter lepram & lepram diſtinguere, judicet feratque ſententiam. Si verò dubium ſit an peccata illa quæ certò mortalia creduntur admiſeris, ea etiam ſub dubio confiteri teneris, adjunctis aliis quæ certam materiam præbeant; quia & illa omittere periculoſum eſt, quæ fortaſſis commiſſa ſunt; & illa ſola exponere, quibus irritum fieret Sacramentum, falſæ materiæ, ſi fortè patrata non ſint, appoſitione, eſt Sacramenti integritati injurium. Et certè ſicut de peccatis dubiis tenentur homines conteri, ne ſe damnandos æternæ periculo exponant, ita eadem confiteri omnes tenentur: nam Chriſtus reliquit Sacerdotes ſui vicarios, ad quos recurrere tenentur Fideles per confeſſionem, ſicut ad Chriſtum recurrunt per contritionem. Maximè quia, ut alibi jam diffusè oſtendimus, in dubiis tutior pars eſt elegenda, præſertim quando periculum eſt certum. Sicut morbo periculoſo, tametſi dubio tenemur remedium illud adhibere, quod alioquin non nociturum certum eſt: & quando eſt dubium, an ſit fera, vel homo, à jaculo vibrando abſtinere tenemur; & pauperi, quem fame, niſi ſuccurratur, periturum dubium eſt, piis ſubvenire eleemoſynis præcepto charitatis aſtringimur, quia etſi calamitas ſit dubia, periculum tamen certum eſt. Planum ergo eſt, peccata eſſe materiam remotam à pœnitentia deſtruendam: ut enim ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis comburuntur; ita peccata, quæ pœnitentiâ delentur, materiam pœnitentiæ rectè Theologi compellant.

Partes pœnitentiæ ſigillatim explicantur, & primùm Contritio.

Quia materia hujus Sacramenti in actibus humanis ſita eſt, ea verò quæ in actionem cadunt, non ſatis eſt universè explicare, de pœnitentiæ partibus ſigillatim tractare nobis curandum eſt, ex quibus veræ & ſalutaris pœnitentiæ ratio à Theologis & ulteriùs & ſecuriùs perooſcatur. Et primùm de contritione agendum eſt, quæ ut ait Tridentinum, primùm inter pœnitentiæ actus locum ſibi vendicat. Quod ſequentibus documentis uti clariùs, ita breviùs præſtabimus.

Eſſentia contritionis.

Sciendum igitur primò, contritionem ſic benè definiri à Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. Contritio eſt *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Dicitur *dolor*; adveram enim contritionem requiritur mentis afflictio; ſicut enim ea conteri dicimus, quæ dura cùm ſint minutatim confringuntur, ex quo dolor in his quæ ſenſibus vigent, ſentitur; ita corda noſtra quæ peccati ſuperbiâ obduruerant, veræ pœnitentiæ vi contunduntur, unde ſalutaris mentis mœror conſequitur, juxta illas Davidis pœnitentis voces, Pſalm. 6 *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et iterum Iſaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Pulchrè Catechiſmus Romanus; *Quemadmodum ferro tumida ulcera ſecantur, ut incluſum virus poſſit erumpere; ita corda quaſi ſcalpello contritionis adhibito inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere.* Quare & ſciſſio cordis à Joële Propheta vocata eſt: *Convertimini*, inquit cap. 2. *in toto corde veſtro, in jejunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* Hinc ab Iſidoro *compunctio mentis*, à Magno Gregorio *humilitas ſpiritûs annihilans peccatum*, jure merito nominatur. Ratio verò eſt, quia vera pœnitentia injuriis Deo illatis ſatisfacere intendit; ſatisfacit autem, vel certè ſatisfacere incipit, qui voluntario dolore punitur: unde non ſufficit merum ſine dolore peccati odium, quod etiam in innocentibus, qui non peccaverunt, invenitur; ſed mentis amaritudo deſideratur, quâ nefanda peccati voluptas caſtigetur.

Additur *deteſtatio de peccato*, quia non ſufficit mentis mœſtitia, non ſufficiunt lacrymulæ doctæ mentiri, ut loquitur S. Bernardus, niſi ſincerum peccati odium interſit; nec eſt verus, efficaxque voluntatis dolor, niſi odium peccati adſit; quia ſicut in omnibus voluntatis aliquid proſequentis actibus amor invenitur (cùm enim amor ſit voluntas boni, bonum proſequi ſine amore non poſſumus;) ita in omnibus voluntatis actibus, quibus malum fugimus, odium inveniri neceſſe eſt, cùm malum non fugiamus aut deteſtemur, niſi quia illud odio proſequimur. *Declarat igitur Sancta Synodus*, inquit Tridentinum paulò antè laudatum, *hanc contritionem non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ novæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et certè qui illos Sanctorum clamores conſideraverit: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.*

Porrò ille dolor, illa deteſtatio debent eſſe de Deo ut offenſo: ſi enim dolentis mentis afflictio ex eo proficiſcatur, quod voluntas ab ea quam diligit creatura recedere teneatur, non propriè dolor de peccato commiſſo, nec eſt juris divini ſatisfactio, ſed voluntatis adhuc terrena diligentis & in luto hærentis imperfectio. Verè ergo contritus non ideo dolet, quia creaturam deſerit, ſed potiùs quia Deum fontem aquæ vivæ peccans ſuis dereliquit, foditque ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas; verè contritus peccatum ſub ratione formali injuriæ Deo illatæ deteſtatur, ut ad Deum ultimum finem animum revocet, à quo peccato receſſerat. Hinc dolor, hinc lacrymæ fluunt, quas ad ſignificandam internam mœſti animi acerbitatem Patres tantoperè commendarunt, juxta præclaram Auguſtini ea de re ſatis notam ſententiam: *Non ſunt in te, Chriſtiane, charitatis viſcera, ſi luges corpus à quo receſſit anima, animam verò à qua receſſit Deus non luges.* Hinc Ninivitæ, David, & Princeps Apoſtolorum hac contritione perciti, plurimis lacry-

mis

mis Dei miſericordiam implorantes peccatorum veniam impertarunt. Hinc Peccatrix lacrymis cœpit rigare pedes Jeſu, & conſiderans quid fecit, noluit moderari quid faceret; & ſuper couvivantes ingreſſa, nec juſſa veniens lacrymas obtulit, ſignificans quo dolore arderet, quæ flere inter epulas non erubuit. Ratio verò omnium horum eſt, quia ut infrà dicemus, virtus pœnitentiæ eſt ſpecies juſtitiæ; juſtum enim eſt ut qui Deum offendit ipſi ſatisfaciat; ideoque ad vindicandam læſæ Dei majeſtatis injuriam reum punit: Ergo contritio, quæ eſt actus pœnitentiæ, deteſtatur peccatum quatenus eſt injuria Deo illata, non ſolùm ut ſummo bono & ultimo fini, & à quo peccando diſceſſit, ſed etiam ut ſupremo Domino & Legislatori, cujus legem contempſit & mandata peccator flocciſecit, ſuis ut libidinibus infandâ perverſitate deſerviret.

Denique dicitur eontririonem eſſe deteſtationem *cum propoſito non peccandi de tatero.* Niſi enim pœnitens vitæ emendandæ certam & ſtabilem cogitationem voluntatemque ſuſcipiat, inanis erit dolor, ficta erit deteſtatio, falſa denique pœnitentia, eruntque ſpecioſi illi pœnitentes, quàmlibet ſuſpiriis anhelent, pectus quàmlibet pugnis contundant, lacrymarum vim quàmlibet profundant, ſimiles illis de quibus ait Pſalmographus Pſalmo 77. *Linguâ ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Et Jerem. 3. *Non eſt reverſa ad me prævaricatrix in toto corde ſuo, ſed in mendacio.* Hanc certiſſimam veritatem his apertè verbis tradit Ezechiel. cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt; & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Et paulò poſt: *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit.* At paucis interjectis: *Convertimini,* inquit, *& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis: & facite vobis cor novum.* Eandem ſinceri propoſiti neceſſitatem docet Chriſtus, Jnan. 8. cùm mulieri in adulterio deprehenſæ præſcripſit: *Vade, & jam ampliùs noli peccare.* Paralytico etiam quem ad Probaticam piſcinam curaverat, ſic cap. 5. præcepit: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare.* Sane ſicut in humanis, qui amico reconciliari vult, quem injuriâ aliquâ affecerit, & doleat oportet quòd in eum injurioſus & contumelioſus fuerit, & diligenter reliquo tempore provideat, ne reconciliatio amici neceſſitudinem lædat: ſic recta ratio planè ſuadet, ad ſinceram cordis contriti pœnitentiam, & dolorem peccati admiſſi, & propoſitum cautionemque, ne quid hujuſmodi in poſterum committatur, in primis neceſſaria eſſe.

Dices: Dolor reſpicit malum præſens, quo patiens affligitur; odium verò fugit malum abſolutè, prout abſtrahit à præſenti, præterito, & futuro: Ergo contritio, quæ circa peccata præterita delenda occupatur, non dolor, ſed odium eſt.

Reſpondeo, quod licèt malum præſens ſit objectum doloris ſenſibilis, tamen voluntas quæ non ſecus ac intellectus abſtrahit ab omni tempore, de præterito dolore malo, deeoque ſpiritaliter affligi poteſt. Maximè quia malum præteritum fit intellectûs conſideratione præſens; ſicut etiam contingit dolor in ſenſu, quando malum præteritum importunâ imaginationis exhibitione fit præſens. Unde ex amara peccatorum recognitione in inferiorem animæ partem, quæ vim ſentiendi habet, dolor effluit; unde ad eum declarandum pœnitentes & cineribus aſperguntur (ut patet ex laudabili Eccleſiæ cõſuetudine, quæ filios ſuos initio Quadrageſimæ, quod eſt ſpecialioris pœnitentiæ tempus, incinerare ſolet) & veſtem etiam mutare ſoliciti ſunt, ut in Monachis arctioris pœnitentiæ vitam profitentibus apparet. Quod & Veritas Matth. 11. his verbis indicavit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Betſaida, quia ſi in Tyro & Sidone facta eſſent virtutes quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

Digladiatur porrò inter ſe recentiores Scholaſtici, quænam ex prædictis ratio ſit eſſentialis contritioni, quænam modum proprietatis habeat; ſed non vacat rei graviſſimæ pondus tam levibus velitationibus detrahere. Sanè cùm in definitione contritionis hæc omnia S. Synodus complexa ſit, eſſentialia illa omnia eſſe cenſenda ſunt, cùm nec verus ſine peccati deteſtatione dolor, nec ſine ſincero peccatorum cavendorum propoſito vera deteſtatio eſſe poſſint.

Diviſio contritionis.

Sciendum ſecundò, contritionem explicatam duplicem eſſe, aliam perfectam, imperfectam alteram, quæ poſterior ſolet etiam *attritio* nominari. Contritio perfecta eſt illa quæ ab amore Dei incipit, unde eam *charitate perfectam* appellat Tridentinum; ex eo enim quod peccatum eſt malum divinum, Dei ſcilicet oppoſitum bonitati, avertens ab ultimo fine, illum in creatura nefario præpoſteroque ordine conſtituens, Patriſque cœleſtis amicitiam diſſolvens, de peccato dolet filius pietatis paternæ peccando oblitus, ſed eâ unicè ad revertendum permotus; hincque ſummum & maximum dolorem ex peccatis quæ commiſſa ſunt ſuſcipit, quo nullus major excogitari poteſt, ut præclarè probat his verbis Catechiſmus Romanus. *Cùm perfecta contritio ſit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filialis eſt, proficiſcitur, patet eundem charitatis & contritionis modum ſtatuendum eſſe. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectiſſimus eſt amor, hinc fit ut contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat: ut enim maximè Deus diligendus eſt, ita quæ nos à Deo alienant, maximè deteſtari debemus. In quo etiam illud obſervandum eſt, eodem loquendi genere charitatis & contritionis magnitudinem in ſacris litteris ſignificari. De charitate dictum eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Rurſus quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam: Convertimini in toto corde veſtro. Præterea ſi uti Deus ſummum bonum eſt inter omnia quæ diligenda ſunt, ita etiam peccatum ſummum eſt malum inter omnia quæ odiſſe homines debent; illud ſequitur, ut quam ob cauſam Deum ſummè diligendum eſſe confitemur, ob eandem rurſus peccati ſummum odium nos capiat neceſſe eſt.* Porrò dolorem illum *ſummum* & *maximum* ideo appellat, non quòd ſemper ſit magis ſenſibilis, cùm ſæpe his quæ ſenſibus ſubjecta ſunt, magis quàm ſpiritualibus afficiamur; unde majorem ex filiorum obitu vel fortunarum dilapidatione, quàm ex Dei offenſa doloris ſenſum homines juſtos capere contingit: ſed eatenus dolor ille *ſummus* dicitur, quatenus rebus omnibus peccati odium juſti anteponunt, ut ne quidem vitæ conſervandæ causâ peccare velint, ut quemadmodum S. Bernardo teſte nullus finis, nulluſque modus charitati præſcribitur (*modus enim,* inquit ille, *diligendi Deum, eſt ipſum diligere ſine modo:*) ita peccati deteſtationi nullus modus definiatur. Contritio verò imperfecta, ſeu attritio concipitur & incipit communiter, ut ait Tridentinum, vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu. Quia tamen attritio vera contritio eſt, licèt imperfecta, ideo peccatum ut Dei

iojuria

injuria eſt deteſtatur, eique ſatisfacere intendit quem violavit, ſi verus eſt pœnitentiæ actus.

Hinc ſequitur, contritionem & attritionem non differre ſpecie; cùm enim uterque ille actus ab eadem virtute pœnitentiæ proficiſcatur, cùm uterque idem objectum formale ſub eodem intrinſeco motivo reſpiat, peccatum nimirum ut Dei offenſa eſt per compenſationem & ſatisfactionem emendabilis, ad eandem ſpeciem utrumque pertinere neceſſe eſt. Quod verò illud juris divini læſi reſarciendi, reique eam ob cauſam puniendi propoſitum ex amore Dei, vel ex gehennæ metu, vel ex turpitudine peccati primùm oriatur, actui pœnitentiæ extrinſecum & accidentale eſt, non eſſentiale.

Ex quibus ſine negotio oppoſitæ ſententiæ quorùmdam recentiorum, quos noviſſimè ſequitur Baptiſta Gonet, argumenta convelles. Non enim ut illi exiſtimant, objectum attritionis eſt peccatum ſub ratione mali peccatoris, vel ſub ratione inhoneſti; nam odium peccati prout eſt malum morale & peccatori nocivum, à ſola voluntate proficiſcitur; ſiquidem ab eodem principio procedit amor boni, & odium mali oppoſiti; docent autem communiter Thomiſtæ, voluntatem nullo egere habitu ad bonum honeſtum proprium ut ſic proſequendum: ergo nec itidem ad malum proprium ut ſic proſequendum. Si verò peccatum ut eſt malum ſpeciale cuilibet virtuti oppoſitum conſideretur, ſic peccati deteſtatio ab illa virtute elicitur, cujus bono vitium adverſatur, cùm ut dictum eſt, ab eodem principio amor boni & oppoſiti mali odium ſemper prodeat. Attritionem verò eſſe actum virtutis pœnitentiæ nullus Theologus, ſed præſertim adverſarii, inficiari rationabiliter poſſint; cùm enim ſecundum omnes attritio ad recipiendam Sacramenti pœnitentiæ gratiam diſponat, & ſecundùm illos ſine ullo Dei amore omninò ſufficiat, planum eſt attritionem eſſe actum virtutis pœnitentiæ, cùm ſecundùm D. Thomam & communiſſimam Theologorum omnium vocem, ſoli actus virtutis pœnitentiæ ad Sacramentum pœnitentiæ vel diſponant, vel ſufficiant; ideoq; tractantes de Sacramento pœnitentiæ, de virtute pœnitentię unà diſputant, quia ſola illa virtus materiam huic Sacramento ſuis actibus præbet; unde per *conſtructionem*, aiunt, *intranſitivam* Sacramentum pœnitentiæ dicitur, quia ſine actibus virtutis pœnitentiæ non eſt iſtud Sacramentum. *Dicendum*, inquit S. Thomas q. 86. art. 6. ad ultimum, *quod actus pœnitentiæ virtutis habet quod ſine eo non poſſit fieri remiſſio culpæ, inquantum eſt inſeparabilis effectus gratiæ, quæ operatur in omnibus Sacramentis.* Quare ab eodem habitu uterque ille actus exoritur, uterque idem objectum, peccatum ſcilicet, ſub ratione formali injuriæ Deo illatæ reſpicit, ſed penes motiva duntaxat extrinſeca, juxta clariſſimam Tridentini mentem diſtinguitur, quatenus contritio charitate formata ab amore Dei, attritio à metu gehennæ vel turpitudinis peccati ſalutiferâ conſideratione originatur.

Cujus etiam argumentum, niſi meus me fallit animus, evidentiſſimum eſt, quòd attritio, quam ad Sacramenti pœnitentiæ gratiam diſponere Sacrum Concilium tradit, omnem peccandi voluntatem debet excludere: ergo debet reſpicere rationem univerſalem & communem, quæ nullum peccandi affectum retineat, ſed omnem eliminet: illa autem ratio communis non poteſt eſſe alia quàm ratio injuriæ Deo illatæ vindicandæ, & compenſandæ: nam horror intemperantiæ ex una turpitudine ebrietatis v. g. vel luxuriæ conceptus, non propterea affectum vanæ gloriæ, vel divinarum injuſtè partarum excludit; metus etiam gehennæ metus omnem peccandi affectum ſaltem conditionatum non excludit, ut cùm aliquis eſt ita comparatus, ut ſola ſupplicia metuat, & peccatum quod intus amat, vellet facere ſi poſſet impunè: Ergo aliud eſt generalius attritionis motivum, injuriæ nimirum Deo illatæ compenſatio & reparatio. Hinc vera attritio, de qua loquitur Tridentinum, omnem peccandi affectum extinguit, à peccato avertit, ad Deum convertit, eumque ut verum juſtitiæ fontem diligere incipit, ut idem Tridentinum alibi referendum teſtatur. Unde attritus poteſt fieri contritus, ſicut quod imperfectum eſt, connaturalem perfectionem comparare poteſt, ut dum puer adoleſcit, & tandem vir perfectus evadit: attritio autem eſt contritio imperfecta, ut expreſsè definit Tridentinum, ſolumque penes motivum extrinſecum vel principium remotum à contritione diſcrepat: ac proinde qui primùm ſacro terrore permotus dolore incipit, poteſt deinde ex amore pœnitere, nunquam tamen actus attritionis fiet actus contritionis, ut D. Thomas docet, quia adveniente quod perfectum eſt, evacuatur quod imperfectum eſt: unde ſicut actus fidei informis nunquam fit actus fidei formatæ, quia ille adveniente charitate tranſit, ita dolor informis accedente formato deſinat neceſſe eſt.

Præceptum contritionis.

Sciendum tertiò non ſolùm divinum dari de contritione præceptum (ut ex dictis liquet) ſed etiam naturale: lex enim naturalis omnibus implantata, injuriis Deo illatis ſatisfacere præcipit, quæ injurias etiam humanas imperat reſarcire. *Fuit*, inquit ſacrum Tridentinum ſæpe memoratum, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt baptiſmum lapſo, ita demùm præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cùm fiducia divinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Eandem contritionis neceſſitatem egregiè probat S. Thomas q. 84. art. 5. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, & miſericordia non liberant hominem à peccato ſine pœnitentia. Requirit enim charitas quod homo doleat de offenſa in amicum commiſſa, & quod amico homo ſtudeat ſatisfacere. Requirit etiam ipſa fides, ut per virtutem paſſionis Chriſti; quæ in Sacramentis Eccleſiæ operatur, quærat juſtificari à peccatis. Requirit etiam & ipſa miſericordia ordinata, ut homo ſubveniat pœnitendo ſuæ miſeriæ, quam per peccatum incurrit, ſecundùm illud Proverbiorum 14. Miſeros facit populos peccatum. Unde Eccleſiaſt. 30. dicitur, miſerere animæ tuæ placens Deo.* Unde art. 7. ad 2. ſic concludit: *Dicendum quod de jure naturæ eſt, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea feciſſe, & remedium doloris quærat per aliquem modum.* Hinc in corpore articuli dixerat, quod *hujus Sacramenti materia præexiſtit à natura: ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis quæ fecit.* Et certè ex eo quod Deum colere, Deumq; diligere præcepto naturali tenemur, dolere de peccatis ut ſunt injuria Dei, quidquid Deo diſplicet deteſtari, eique pro viribus ſatisfacere eodem præcepto tenemur.

Objectiones ſolvuntur, & accepta occaſione enodantur perutiles difficultates.

Dices: Contritio eſt actus ſupernaturalis, cùm etiam de attritione quæ eſt contritio imperfecta, dicat Tridentinum, *donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis.* Atqui de actibus ſupernaturalibus non datur præceptum naturale, ſed duntaxat poſitivum; nā præcepta naturalia cùm ſint naturæ nota, objectum naturale, non ſupernaturale, naturæ ignotum man-

mandare poſſunt: Ergo non datur naturale de contritione præceptum.

Reſpondeo certiſſimum eſſe, contritionem actum ſupernaturalem exiſtere, tum quia id apertiſſimè tradit Tridentinum in objectione relatum, ipſumque antè tradiderat S. Thomas 3. p. q. 84. art. 1. ad 2. *in hoc Sacramento*, inquit, *actus humani ſunt pro materia, qui proveniunt ab inſpiratione interna; unde materia non adhibetur à miniſtro, ſed à Deo intus operante.* Tum quia id convincit ratio manifeſta: nam diſpoſitio ad formam ſupernaturalem omnino ſupernaturalis eſt, cùm diſpoſitionem & formam ejuſdem ordinis eſſe neceſſe ſit. At contritio eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ utique ſupernaturalis eſt, cùm ipſa etiam attritione dicat Tridentinum, impulſum eſſe à Spiritu ſancto inſitum, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, & ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Tum quia contritio, ſive perfecta, ſive imperfecta, includit efficax propoſitum legis Dei fideliter obſervandæ, & omnem peccati ſaltem mortalis affectum penitus excludit, alioquin nec novæ vitæ initium duceret nova creatura, nec radicitus exſtirparetur peccati virus, quod utique non evacuat nullis animi affectus, nec ſemivolentia & ſeminolentia illa deſideria, quæ *velleitates* appellant, quibus plenum eſſe infernum Bernardus teſtatur. Addi etiam poteſt ratio in ſuprà adductis S. Thomæ verbis indicata; nempe quià actus contritionis induit rationem materiæ proximæ Sacramenti pœnitentiæ, quæ immediatè ſubjicitur clavibus Eccleſiæ & ſanguini Chriſti: hanc autem habitudinem non importat actus humanus merè naturalis. Nec ſufficit mera denominatio vel ordinatio extrinſeca, ſicut in aliis Sacramentis contingit, in quibus materia merè naturalis eſt, ut aqua, oleum, vel panis, quæ ex ſola miniſtri ordinatione formæ ſacramentali ſubjiciuntur. Nam in Sacramento pœnitentiæ ipſe pœnitens materiam præbens, objectum aliquod, mediante aliquo motivo per claves Eccleſiæ aperientes januam Regni cœlorum, & per operationem ſanguinis Chriſti proſequitur, quod totum ſupernaturale eſt. Hinc Veritas Luc. 13. ſerio monet: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et ut non intelligatur de habitu, ſed etiam de actibus pœnitentiæ, de quibus ſolummodò præceptum datur, addit Salvator: *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Hinc Apocalypſis 2. minatur Ioannes: *Age pœnitentiam; ſin autem, veniam tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Unde ſaltem patet, præceptum iſtud eſſe à Deo latum, (ſi fortaſſis præceptum naturale quis in hac parte contumax inficiatus fuerit) cui parère pernecesſarium eſt. Nam ut ait Tertull. lib. de pœnit. *Audaciam exiſtimo, de bono divini præcepti diſputare. Nec enim quia bonum eſt, ideo auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt authoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit: quod igitur Deus tantoperè commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur, ſumma utique gravitate & aggredi, & cuſtodire debemus.*

Ad argumentum ergo dicendum, hinc manifeſtè fallaciam hujus objectionis oſtendi, quòd ſi quid evinceret, peræquè nullum de Deo ſuper omnia diligendo præceptum naturale extare, contra reclamantem totius naturæ vocem ſuaderet, cùm dilectio Dei ſuper omnia totius naturæ, maximè verò lapſæ ſuperet poteſtatem. De pœnitentia ergo, tamerti ſupernaturali præceptum eſt, quia actus humanus in noſtra cum gratia Dei poſitus poteſtate, ſuperioris præcipientis imperio ſubjicitur, quam gratiam omnibus oblatam ſine hominis culpa Deus non ſubtrahit, quia dum urget præcepto, ſemper, niſi obicem ponamus, unà præcurrit prævenitque auxilio, qui impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet facere, quod poſſis, petere quod non poſſis, adjuvatque ut poſſis. Dicitur autem hoc præceptum naturale, non quòd pœnitentiam ſupernaturalem excludat, ſed quia cujus amicitiam violavimus, naturali præcepto dare operam tenemur, ut ſatiamus. Et certè ſi ægroto corpori quiſque neceſſariam adhibere medicinam naturali lege præcipitur, planè relinquitur, non minùs eſſe naturali lumini conſentaneum, ut medicinam ægro animo adhibere teneamur, cùm corpore non minùs animum diligere debeamus. Quare quemadmodum inſtigante naturæ lege, ait Tertull. lib. de pœnit. & poſt illum Hieronymus in cap. 7. Eccleſ. hirundo pullos ſuos de ſucco oculat chelidoniæ, & dictamnum cervi appetunt vulnerati, & cætera animantia bruta medicinas ſibi divinitus attributas inſtigantur ut quærant; ita proculdubio homines rationales incitat innata lex, ut omnium lapſis hominibus remedium ad ſalutem animæ proſequantur. Videſis Melchiorem Cano releck. de pœnit. part. 4. ubi ſibi eximiâ & beatâ de Theologicis eleganter ſcribendi facilitate veritatem iſtam locupletat.

Inſtabis: Si contritio deberet eſſe ſupernaturalis, de illaque foret præceptum, daretur locus infinitis animi ſolicitudinibus & anxietatibus; cùm enim actus ſupernaturalitas ſit quid maximè reconditum, & vix ac ne vix quidem actus naturalis à ſupernaturali internoſci diſcernique poſſit, nunquam tranquillabitur conſcientia, ſed ſemper erimus dubii & penduli, num neceſſariam pœnitentiæ materiam, ſine qua annullatur Sacramentum, porrexerimus. Hunc autem intolerabilem angorem ſubmovebimus, ſi contritionem naturalem ſufficere dixerimus: Ergo ne nimiùm anxios reddamus ſcrupuloſos, imò piorum & cordatorum animos perpetuâ iterandæ confeſſionis ſolitudine ne turbemus, contritionem ſupernaturalem optandam illam quidem eſſe dicendum eſt, at non neceſſariam item. Nam quando ſalvâ pietate id facere poſſumus, confeſſionis jugum per ſe ſatis durum molle faciendum eſt, nec eo potiſſimum Sacramento injiciendi laquei ſunt, quod in id paratum eſt, ut ab omnibus laqueis liberemur.

Reſpondeo Theologorum non eſſe materias Sacramentorum à Chriſto inſtitutas permutare; cùm igitur Concilium ſæpè laudatum atteſtetur, actus pœnitentis Spiritus ſancti impulſu excitatos ad integritatem Sacramenti, & ad plenam peccatorum remiſſionem *ex Dei inſtitutione* requiri, fruſtra aliud quidpiam aſſignabimus, fruſtra aliam materiam obtrudemus, quia non ſecundùm noſtram exiſtimationem, ſed ſecundùm Chriſti inſtitutionem ſuos Sacramenta effectus ſortiuntur. Nec propterea anxiam & ſcrupulis inquietam efficimus hominum vitam. Tum quia ſecundùm omnes ad veram pœnitentiam requiritur efficax non peccandi propoſitum, de quo tamen certi ſecurique reddi nequaquam poſſumus, quia humanæ diligentiæ conatus, utpote mutationi obnoxius, ipſos conantes latet, qui dum ſufficientem navare ſe operam tentur, coram Deo, & in rei veritate falluntur; dum enim plura facere poſſent, & non faciunt, ſeipſos decipiunt. Sæpe enim & ſanè nimium amor proprius ſibi ipſi blanditur, & dum novam vitam & Dei gloriam extremis velutì mentis labiis, & *ſuperficie cogitationis* ac voluntatis, ut loquitur Gregorius Magnus cap. 9. 1. part. Paſtoralis, quærere ſibi ſuadet, propriis duntaxat

emo-

emolumentis ſtudet. *Fit enim ut altum in imu intentio ſupprimat*, (verba ſunt Sanctiſſimi Pontificis) *aliud tractantu animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Nam ſæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, & fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Et tamen propter illam ignoratam propoſiti efficacis ſinceram voluntatem, ab ejuſdem aſtruenda neceſſitate Theologi non deterrentur. Ergo ab aſſerenda contritionis ſupernaturalis neceſſitate diſſuaderi minimè debemus] ; propterea quod actuum noſtrorum ſupernaturalitatem ignoramus. Tum quia licèt ſupernaturalitas actus in ſe immediatè cognoſci nequeat, in ſuis tamen motivis, quæ cùm ab intellecte proponantur, conjecturas noſtras fugere non poſſunt, cognoſci poteſt. Unde magno cum judicio monet ſapientiſſimus Ioannes à S. Thoma diſp. 33. art. 4. pag. mihi 310. *Oportet miniſtrum eſſe valde vigilantem in inquirendo motivo ex quo pœnitens movetur ad dolorem, præſertim cum hominibus rudibus & ignorantibus, quos debeat exhortari, ut accedant cum dolore & motivo ſupernaturali, hoc eſt regulata per fidem, ſeu concepto ex motivis quæ docet fides, ut ex timore inferni, turpitudine peccati, amore ipſius Dei & virtutis. Sicut enim in aliis Sacramentis miniſter debet attendere diligenter, ut vera materia ſibi adhibeatur ad perficiendum Sacramentum, ut v. g. vera aqua naturalis, vel oleum verum, verus panis, &c. Ita in hoc Sacramento pœnitentiæ debet procurare, quod pœnitens debitam & proportionatam materiam apponat, ſcilicet ſupernaturalem dolorem.*

Nec tamen propterea omnimodam pœnitentibus ſecuritatem ſpondemos, tametſi quietem, ſpem, fiduciamque multam polliceamur. Etenim in hac vita ita nonnunquam vicini ſunt veræ pœnitentiæ actus falſæ pœnitentiæ conatibus, ita veras virtutes falſa pietas aliquando mentitur, ſupernaturales actiones à merè humanis affectibus liquidò dignoſci non poſſint. Quia enim ad ſalutis profectum maneat nos oportet humilis ſolicitudo, ut Apoſtolicum illud præceptum impleamus, *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini*; latêre voluit nos Deus, num pœnitentiæ motus ſpiritu ipſe ſuo in nobis operetur, an etiam quæ benè agere nobis videmur, occulta concupiſcentia efficiat. Non tamen hic timor ejuſmodi eſt, ut quietem ac pacem ſecum non admittat, quia licèt poſſit pœnitentia noſtra ex amore proprio proficiſci, rarò tamen admodum contingit, ut veram pœnitentiam falſa contritio per totam vitam mentiatur. Unde qui ſpiritu pœnitentiæ virtutum officiis funguntur, jejunia orationeſque frequentant, eleemoſynas elargiuntur, carnem macerant, cupiditates domant, conſcientiam quam poſſunt maximè humanis affectibus expurgant; illi, inquam, multam non immeritò fiduciam concipiunt: quia etſi nemo ſciat, an odio vel amore dignus ſit, certò tamen ipſi ſciunt, ſe in eorum numero eſſe, è quo pauci damnandi ſunt; cùm illi contrà, qui ad pœnitentiæ Sacramentum non niſi cenſuris Eccleſiaſticis ſemel in anno recipiendum adiguntur, licentiorem interim vitam ſequuti, parùm admodum cauſæ habeant, cur multùm ſuæ ſaluti confidant, cùm in eorum ſint numero, qui latam viam, quæ ducit ad perditionem, ingreſſi ſunt.

Dices rurſus: Si daretur naturale vel divinum de contritione præceptum, tenerentur homines ad pœnitentiam confeſtim agendam, ita ut peccatum mortale novum ſit, ſi quis non ſtatim ac in peccatum incidit, vel ſaltem quoties peccata memoriæ occurrerint, pœnitentiam agat: non enim eſt major ratio cur uno tempore magis quàm alio præceptum hoc urgere dicendum ſit. Conſequens autem videtur valde durum, & majori Theologorum parti refragatur, quin & Fidelium praxi; nec enim pœnitentes in confeſſione hujus criminis ſe accuſant, nec Sacerdotes id curant quando pœnitentes examinant; cùm tamen nullus peccator ferè ſit, qui hujus præcepti reus non haberetur, & innumera peccata mortalia hujus præcepti tranſgreſſione committeret. Ergo homo ad pœnitentiam agendam naturali præcepto non obligatur.

Reſpondeo in hujus difficultatis explicatione tam varias tamque inter ſe diſſidentes eſſe Doctorum ſententias, ut eas enumerare moleſtum, & fortaſſis inutile fuerit. Placet tamen graviſſima adverſa[illegible] duarum ſententiarum fundamenta proponere, & judicio Lectoris permittere, ut ſemota pugnaci pertinacique contentione, quam veriorem judicaverit ſententiam liberè tueatur, eandem poſtea ſimili libertate retractaturus, ſi melior forſitan opinionis adverſæ ratio occurrat. Te enim, Lector optime, ita comparatum crediderim ac optarim, ut apud te non tantum opinio præjudicata poſſit, ut etiam ſine ratione valeat authoritas. Ego verò ita me paratum ſentio, ut in re momentoſiſſima, ſi quid melius quiſpiam ad hujus difficultatis lucem afferre poterit, id me ſanè volente & gratulante facturus eſt.

Prima ergo & communior ſententia fert, non teneri hominem ſtatim atque peccavit, vel quoties peccata memoriæ occurrerint, de peccatis ſuis conteri & pœnitentiam agere. Tum quia cùm præceptum de pœnitentia affirmativum ſit, in quo poſitivus actus præcipitur, aliorum præceptorum affirmativorum conditionem habet: ergo ſicut reliqua præcepta affirmativa ſemper quidem obligant, ſed non pro ſemper; ita non eſt cur ab hac generali regula præceptum contritionis excipiamus, ſi nullus inſtet ſpecialis neceſſitatis articulus. Tum quia non minùs ad ſalutem deſiderantur fides, ſpes; baptiſmus, & Dei dilectio, quàm pœnitentia. At præceptum fidei, ſpei, dilectionis, & baptiſma non ita obligat, ut protinus in actus fidei, ſpei, & dilectionis exire teneamur, vel baptiſmum ſine mora ſuſcipere: ergo pœnitentiam confeſtim agere non tenetur qui peccavit. Nec urget illa obligatio occurrente peccati memoriâ; quia vis obligatioque præceptorum non ex memoria aut intelligentia noſtra, ſed ex neceſſitate rei ſumitur: non enim quia intelligimus aut meminimus, obligamur; ſed quia obligamur, dare operam debemus, ut legem memoriâ teneamus. Tum Denique, quia cùm nullum jus humanum, divinum, aut Evangelicum proferri poſſit, quo præceptum adeo durum aſſeratur, quâ facilitate lex illa ab aliquibus inducitur, eâdem quoque ab aliis rejicitur.

His tamen non obſtantibus Alexander de Hales, D. Bonaventura, Sylveſter, Paludanus cenſent præceptum eſſe pœnitere de peccato ſimul atque homo peccavit, vel ſaltem quoties peccata memoriæ occurrerint; eique aſſertioni, fateor, non parum favet S. Thomas paulò poſt referendus. Nec deſunt rationes graviſſimæ, quibus hæc ſententia confirmetur. Primò, quia non minùs tenetur homo injuriam Deo illatam reſarcire, quàm proximo illatum damnum reparare; nec minùs ſaluti animæ providere, quàm ægrotanti corpori ſubvenire. Atqui homo damnum proximo in pecunia vel fama importatum illicò compenſare tenetur reſtitutione bonorum, & honoris læſi inſtauratione: idem etiam homo poſtquam in morbum incidit, illicò medicinam corporalem omninò neceſſariam, ſi occurrat, adhibere aſtringitur: Ergo à fortiori Deo per peccatum læſo, ejuſque amicitiæ per injuriam violatæ pœniten-

tiâ ſatisfacere, & animæ per peccatum graviſſimè ægrotanti ſuccurrere ex præcepto juſtitiæ & charitatis tenemur. Nec poteſt dici, non imminere nobis à peccato grande periculum: non, inquam, id à Chriſtiano dici poſſe videtur, qui norit peccato mortali æternitatem miſeriarum eſſe paratam, quive attentè Gregorii illud veridicum pronuntiatum attenderit: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Velle autem periculum, eſt profectò velle perire; nam *qui amat periculum, peribit in illo*, juxta Eccleſiaſtici oraculum cap. 3. Secundò, quia non ita affirmativum eſt de pœnitentia agenda præceptum, ut aliquid præcepti negativi non habeat: negativo quippe præcepto, Deo ne ſimus inimici aſtringimur, cùm eſſe Dei hoſtem ita intrinſecè malum ſit, ut nullo queat colore honeſtari, & nullo eventu velle Dei inimicitiam circa gravem culpam valeamus. Ergo quamdiu homo in peccato mortali perſeverat, tamdiu præcepto negativo adverſatur, præſertim cùm peccatorum memoria menti ſe offert, & pœnitentiæ conſilium ſacra cogitatio inſpirat; tunc enim interiorem pœnitentiam in aliud tempus qui rejicit, eo ipſo interpretativè vult in Dei inimicitia perdurare, cui non curat ſtatim ſe contritione conciliare. Denique non commentitium, aut gratis invectum eſſe iſtud præceptum, ex illo Eccleſiaſtici 5. confirmant hi Authores: *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem; ſubitò enim venit ira ejus.* Ergo pœnitentiam in aliud non reſervare tempus, & contritionem de die in diem non protrahere præceptum eſt, cujus neglectus quàm grave peccatum ſit, ex eo patet, quod ei divinam iram Dei nomine Eccleſiaſticus interminatur. Cui affine eſt illud Apocalypſeos 2. quod Angelo, id eſt Epiſcopo Epheſi dicitur: *Age pœnitentiam, & prima opera fac; ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Affine etiam illud quod ibidem Angelo Pergami Eccleſiæ præcipitur: *Similiter pœnitentiam age; ſi quo minus, veniam tibi citò.*

Neque ab hac ſententia alienus eſt S. Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſt. 4. & habetur in Supplemento 3. p. quæſt. 6. art. 5. ubi licèt doceat contra nonnullos Theologos, non teneri peccatorem ad peccatum confeſtim confitendum, quanvis periculoſum ſit differre; de contritione tamen ita ſentire videtur, ut homo ad pœnitendum obligetur, cùm peccata memoriæ occurrunt, & præceptum pœnitendi nullas moras in peccatore permittat, vel tardeias, ſi peccati memoriam & conſcientiam habeat; *Reſpondeo dicendum*, inquit Doctor Angelicus, *quod cùm propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet quando peccata memoriæ occurrunt.* Ne autem dicas S. Thomam olim juvenem hanc auſteram nimis ſententiam docuiſſe, quam ſi Summæ Theologicæ extremam manum impoſuiſſet, vel retractatione, vel certè moderatione aliqua correxiſſet: audi quid ſcripſerit 2. 2. quæſt. 62. art. ultimo, ubi utrumque pariter affirmat, & teneri homines ex præcepto peccatum deſerere, & ad pœnitentiam confeſtim agendam non minùs obligari, ac qui rem alienam furto abſtulit, reſtituere protinus ſine mora aliqua debet. *Manifeſtum eſt autem*, inquit, *quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere, ſecundùm illud Eccleſiaſtici 21. Quaſi à facie colubri fuge peccatum: & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt.* Et in reſponſione ad 1. argumentum, oppoſitæ ſententiæ fundamentum ſic convellit: *Dicendum quod præceptum de reſtitutione facienda, quanvis ſecundùm formam ſit affirmativum, implicat tamen præceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Non ergo retractaſſet in Summa S. Thomas ſententiam olim traditam, cùm eam 2. 2. loco memorato ſatis apertè tradat. Eſt ergo de mente D. Thomæ hæc concluſio, quæ articulo 5. quæſt. 6. Supplementi laudati habetur: *Quanquam ſtatim omnes de ſuo dolore peccatis teneantur, & confeſſionem differre periculo non careat; de neceſſitate tamen ſalutis non eſt ut ſtatim peccata ſua quis confiteatur, ſed habitâ copiâ confeſſoris, & ſtatutis ab Eccleſia pro pœnitentia temporibus.* Vides S. Doctorem diſcrimen inter contritionem & confeſſionem illud ſtatuere, quod licèt præceptum confeſſionis aliquas moras in peccatore admittat, peccatum tamen ſpeciale eſt pœnitentiam confeſtim internam non agere ac mortale peccatum vel commiſſum eſt, vel certè dum memoriæ occurrit, vel conſcientia ſtimulat, cujus dictamini homo tenetur obnoxius.

Equidem in re vehementer ambigua, ut verum fatear, non mihi planè ſatisfacio, nec quidquam audeo contra tot hinc inde motivorum urgentium momenta, nondum mihi perſpectâ veritate, definite. Nam contra occultam mihi veritatem fruſtra niti, & nihil aliud quàm graviſſimorum Doctorum urgentibus rationibus ultro citroque pugnantium odium quærere, extremæ, ut verbis Saluſtii utar, dementiæ eſt. Ex illo tamen opinionum conflictu duo elicio non minùs utilia quàm vera. Primum eſt, periculoſiſſimum eſſe pœnitentiam poſt lapſum protrahere, cùm ſententia affirmans dari ſpeciale de peccato confeſtim contritione delendo præceptum, iis rationum ponderibus, iis muniatur authoritatum momentis, iis præſertim S. Thomæ verbis ſatis apertis doceatur, quibus (ut mea opinio vel imbecillitas fert) ſatisfacere nequeo; & ſi tuum judicium (Lector cordate) ita adhibeas, ut alienum non niſi cognitâ causâ ſequare, ultro fatebetis, talia eſſe poſterioris ſententiæ argumenta, ut eis evidenter reſponderi poſſe planè diffidendum eſſe cenſueris. Dices ergo cum Magno Leone epiſt. 91. ad Theodorum: *Oportet unumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere judicium, ne converti ad Dominum de die in diem differat, nec ſatisfactionis ſibi tempus in finem vitæ ſuæ conſtituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum ſe reſervet incertum.* Sed de his plura videſis in reflexione.

Secundum quod elicio eſt, tunc ſaltem contritionis urgere præceptum, quando vel mortis periculum inſtat, vel quando opus agendum eſt, ad quod interna ſanctitas deſideratur, putà cùm recipiendum aut miniſtrandum eſt aliquod Sacramentum. Cùm enim præceptum affirmativum aliquo tempore obliget, nullum certè aſſignari poteſt, quo magis præceptum illud implere debeamus. Quantaquanta porrò ſit iſtius præcepti neceſſitas, illud tamen improbabile mihi ſemper viſum eſt, quod nonnullis Doctoribus, & in iis Scoto & Gabrieli placuit, præceptum iſtud diebus feſtis, & potiſſimùm Dominicis urgere ſpecialiùs, cùm illius man[illegible]ti nullum jus afferri poſſit. Licèt enim corporalis quies, & bonorum operum, orationis præſertim praxis nobis Divino & Eccleſiaſtico præcepto diebus feſtis præcipiatur, ut Deo vacare poſſimus; præceptum tamen illud implet qui ab operibus ſervilibus ceſſans actibus religionis incumbit, tametſi finem Legiſlatoris, qui ſub præceptum non cadit, minimè aſſequatur: alioquin cùm finis legis omnis ſit charitas, & finis imperati jejunii ſit elevatio mentis in Deum, præceptum nullum impleret, qui propter Deũ ſummè dilectum mandata cætera non ſervaret; nec legi jejunii ſatisfaceret, qui diebus Quadrageſimæ ſacris ad Deum contemplationibus mentem nõ attolleret.

Nec opponas illud Levitici cap. 16. *In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris, coram Domino mundabimini: Sabbatum enim requietionis eſt, & affligetis animas veſtras religione perpetua.* Et cap. 23. *Affligetis animas veſtras, omne opus ſervile non facietis in tempore diei hujus: omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo ſuo.* Non, inquam, illa opponas, non ſolùm quia lex vetus aboliſa eſt, vimque obligandi eâ ſolùm parte habet, quâ Legis naturæ præcepta continet: ſed etiam quia lex illa de certo quodam die feſto, nimirum propitiationis loquitur, in quo Sacerdos ſemel in anno pro peccatis populi peculiares ad Deum orationes fundebat, hoſtiaſq; expiationis menſe ſeptimo offerebat, cui Legi annuæ confeſſionis præceptum ſucceſſit, ut quod nunc Eccleſia ſemel in anno facit, in vetere illo populo, cui omnia in figuris contingebāt, præſignaretur. Porrò nullibi extat lex, quæ hoc ſingulis feſtis, & Sabbatis afflictionem præſcribat.

Dices tertiò: Si daretur ſpeciale de contritione præceptum, opus eſſet de ſingulis peccatis ſingulari pœnitentiâ dolere, cùm ſit par de ſingulis ratio: At præceptum non eſt, quo homo pluribus criminibus involutus totidem elicere contritionis actus teneatur: Ergo nullum extat ſpeciale de contritione præceptum.

Reſpondeo illud in difficultate hocce argumento indicata certiſſimum eſſe, non mediocriter ad pœnitentiæ perfectionem conferre, ſi ad ſingula mortalia crimina proprium contritionis, diſtinctúq; dolorē adhibeamus, ita enim Ezechias apud Iſaïam cap. 38. contritionem deſcribit, cùm ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Enim recogitare omnes annos, ut Catechiſmus Romanus interpretatur, eſt ſigillatim peccata excutere, ut de eis ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque cap. 18 ſcriptum legimus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet.* Hinc per *diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem recogitantem peccata in amaritudine animæ ſuæ*, parari contritio dicitur in Tridentino ſeſſ. 14. can. 5. Hac etiam de cauſa in ſacris literis pœnitentia *judicium* nominatur. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, & fecerit judicium.* Pſalm. 118. *Feci judicium & juſtitiam.* Ut intelligeremus, quod ſicut judex, cui eſt judicandi authoritas demādata, reorum delicta inquirit atque examinat ſpeciatim, ut juxta culparum modum ſit moderatio pœnarum; ita peccatores, ut pœnitentis munus fideliter exequantur, non debent eſſe contenti peccata ſi ſolùm in genere deteſtentur, ſed ſeipſos ſeriò interrogantes ſingularia debent expendere peccata, ut ex qualitate culparum imponant ſibi doloris & pœnitentiæ modum. Sic Apoſtolico parebunt monito, quod tradit 1. Cor. 11. *Probet ſeipſum homo.* Sic pœnitentē Davidem imitabuntur, Pſal. 76. aientem: *Recogitavi dies antiquos, & meditatus ſum nocte cū corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Vel ut Auguſtinus legit, *ſcrutabar ſpiritum meum*, id eſt, ut ipſe exponit, *ſeipſum interrogabat, ſeipſum examinabat, in ſe judex erat.* Conſentiunt huic veritati Sancti Patres. *Conſideret peccator*, inquit Auguſtinus, vel author libri de vera & falſa pœnitent. cap. 9. 14. & 17. *qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate perſonæ.* *Verſum puto, qui dolet de crimine; converſum, qui dolet de omni ejus, quam expoſuimus, varietate.* Adſtipulatur Chryſoſtomus in fine libri primi de contritione cordis, ubi: *Hoc eſt*, inquit, *quod expoſcitur à nobis, ut ſemper recordemur mala noſtra, & ad animum revocemus, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, ut pronis ſupplicemus Deo, Oportebat nos ſemper* (addit libro 2. circa finem) *non ſolùm ſcire exomologeſin, & confiteri, quia in nobis multa delicta ſunt; verùm & unumquodque peccatum, & majus, & minus, quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcriptum; idque frequentiùs recognoſcere, atque ante oculos ponere, & nunquam hac nuper admiſſa lugere.* Sed adhuc manifeſtius hom. 4. de Lazaro, circa finem: *Singulis horis & diebus renovemus apud nos hoc judicium, ſententiam adverſus nos ipſos feramus, omnique modo conemur confiteri Deo. Nam ſi noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur à Domino. Ut igitur nec puniamur, nec pœnas demus, in ſuam quiſque conſcientiam ingrediatur, vitamque explicet, cunctiſque commiſſis diligenter excuſſis, condemnet animam quæ hæc patravit, puniatque cogitationem, affligat, cruciet que ſuam ipſius mentem, ſupplicium à ſeipſo exigat pro peccatis.*

Videri etiam debet Magnus Gregorius lib. 4. Moral. cap. 17. & lib. 8. cap. 11. Priori enim loco ſic ſcribit: *Dum ad mentem male geſta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur; perſtrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devaſtat, in ærumnam mens vertitur, & quaſi quodam nubilo caliginis obſcuratur. : : : Nam dum peccatum quiſque quod fecit intelligit; dum pravitatis ſuæ nequitiam ſubtiliter penſat, mœrore mentem obnubilat, & quaſi concuſſo ſerenæ lætitiæ aëre, omnem in ſe tranquillitatem cordis pœnitentiæ turbine devaſtat.* Poſteriori verò ſic habet Doctor Sanctiſſimus. *Confabulabor cum amaritudine animæ; pavore namque divini judicii afflicti, dum quædam malè geſta plangimus, ipſâ vi noſtræ amaritudinis ad diſcutiendos nos vigilantiùs excitati, alia in nobis etiam quæ amplius defleamus invenimus. Nam ſæpe quod torpentes latuit, flentibus ſubtilius innoteſcit: & afflicta mens certiùs invenit malum quod fecerat, & neſciebat, eique rixa ſua veriùs aperit, quantùm à veritatis pace devirtavit; quia reatum ſuum, cujus ſecura non meminit, hunc in ſe commota deprehendit. Succreſcens quippe amaritudo pœnitentiæ, verecundanti cordi importunè ingerit illicita quæ commiſit, diſtrictum contra hæc judicem oſtendit, ſuppliciorum minas inmittit, pavore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat; quietem noxiæ ſecuritatis turbat. Quæ ei Conditor bona contulit, quæ ipſe bonis ipſius mala rependit, enumerat; quod mirè ab eo conditus, quod gratuitò nutritus, quod rationis ſubſtantiâ in conditione ditatus eſt; quod conditoris gratiâ vocatus, quam ſequi ipſe & vocatus noluit; quod vocantis miſericordia nec ſurdum hunc renitentemque deſpexit; quod illuminatus donis, quod ſuâ ſponte pravis actibus etiam poſt dona cæcatus eſt; quod à cæcitatis ſuæ erroribus paterna ſolicitudinis flagellis expiatus, quod à flagellorum doloribus ad ſalutis gaudia miſericordiæ medicamento reductus eſt, quod quibuſdam culpis, etſi non gravibus ſubditus, peccare tamen & inter flagella non deſinit; quod peccatorem ſuum ſuperna gratia nec contempta derelinquit. Cùm igitur afflictam mentem modò per replicationem donorum, modò per improperia actionis ſuæ tantâ ſeveritate increpat, habet in corde juſtorū amaritudo animæ linguam ſuam, quæ tantò eis ſubtiliùs loquitur, quantò & interiùs auditur.* Hactenus Gregorius, cujus verba longiuſcula licèt, referrè viſum eſt, quia modum excitandæ contritionis piis omnibus per neceſſarium egregiè declarant.

Quanvis autem hæc ita ſint, non arbitror tamen neceſſarium, ut ad ſingula peccata mortalia totidem ſingulares & individuæ contritiones requirantur ſpeciei vel numero peccatorum correſpondentes, cùm uno eodemq; actu de multis ſpecie numeroque peccatis conteri valeamus. Debet quidem homo ſingula quæ commiſit peccata inſpicere, inſpiciendo deflare ut ea deteſtetur quæ confeſſione aperit, ne ficta ſit fraudulentaque confeſſio, ut cuncta deſtruat, pro cunctiſque ſatisfaciat quæ patravit: ſed ad

hoc

hoc tamen unica contritio ſufficit, ſi ad cuncta feratur. Et hæc eſt genuina S. Thomæ ſententia, qui eatenus ſpecialem atque diſtinctam ad ſalutem & converſionem deſiderat pœnitentiam, quatenus præter generalem confuſamque contritionem, quâ peccatorem ſe fuiſſe dolet pœnitens, de ſingulis inſuper peccatis ad memoriam revocatis, dum ſaltem per anguſtiam temporis licet, unicâ contritione peccata ſingula poſt accuratum examen ſibi ante oculos mentis expanſa deteſtatur. *In tempore præcedenti juſtificationem*, inquit Doctor Sanctus. 1. 2. quæſt. 113. art. 5. ad 3. *Oportet ut homo ſingula peccata quæ commiſit deteſtetur, quorum memoriam habet. Et ex tali conſideratione præcedenti ſubſequitur in anima quidam motus deteſtantis univerſaliter omnia peccata, inter quæ etiam includuntur peccata oblivioni tradita: quia homo in ſtatu illo ſic eſt diſpoſitus, ut etiam de his quæ non meminit, contereretur, ſi memoriæ adeſſent.* Quod & repetit 3. p. quæſt. 87 art. 1. his verbis: *Ad remiſſionem peccati mortalis requiritur ut homo actualiter peccatum mortale commiſſum deteſtetur, ut ſcilicet quantùm in ipſo eſt, diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, ut ſingula deteſtetur.* Et ratio à priori horum omnium eſt, quia vera contritio eo motivo cietur, quo excluditur omne peccatum, cum de peccato, ut eſt injuria Deo illata, & per pœnitentiam ſarcienda doleat. Ergo unica contritio ſingula peccata delet, nullumque compatitur, ſi ſincerè unâ ratione injuriæ Deo illatæ ſingulis peccatis communi moveatur. Quod uſqueadeò verum eſſe exiſtimavit S. Doctor, ut quæſt. 28. de verit. art. 5. ad 4. ſcripſerit, ſine ſpeciali peccatorum recogitatione juſtificationem poſſe contingere, ſi præcedat vel ſequatur memoria peccatorum, pro quibus ſatisfaciendum eſt: *Ad juſtificationem* (verba ſunt ejus) *non requiritur, quod in ipſo juſtificationis momento aliquis de peccatis ſingulis cogitet. Recogitatio autem ſingulorum peccatorum debet vel præcedere, vel ſaltem ſequi juſtificationem.*

Secunda pœnitentiæ pars, Confeſſio.

Confeſſionem eſſe partem Sacramenti pœnitentiæ, definit Tridentinum ſeſſ. 14. can. 4. *Si quis negaverit*, inquit, *ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* Et can. 6. *Si quis negaverit confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam jure divino, aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit & obſervat, alienũ eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanũ, anathema ſit.* Quã veritatẽ non ſolùm ex perpetuo Eccleſiæ uſu, cujus initii nulla memoria habetur, ſed etiam ex Patribus Sacrum Concilium accepit. Nam confeſſionis auricularis meminit S. Dionyſius epiſt. 8. ad Demophilum, & Origenes hom. 1. & 2. in Pſal. 37. & homil. 10. ſuper Numeros, & Tertullianus initio hujus diſſertationis relatus, ex lib. de pœnitentia, quam vocat *diſciplinam proſternendi & humilificandi hominis*, quave *preſbyteris advolvimur, & charis Dei adgeniculamur*. Et Irenæus lib. 1. adverſùs hæreſes, cap. 9. & lib. 3. cap. 4. ubi exomologeſin ſeu peccatorum confeſſionem commendat. Et Cyprianus ſerm. 5. de lapſis: *Apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt.* Et paulò poſt: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotem apud Dominum grata eſt.* Et Baſilius in regulis brevioribus, regula 228. *Iis*, inquit, *peccata aperire debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Et Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 6. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum; ſolvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum.* Et Auguſtinus lib. 50. homiliarum, hom. 41. hortatur Chriſtianum abſtinere à peccatis: *Quia*, inquit, *ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit.* Et homil. 49. cap. 3. *Nemo ſibi dicat, Occultè pœnitentiam ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo. Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei. Fruſtramus Evangelium Dei: fruſtramus verba Chriſti.* Et Chryſoſtomus, qui lib. 2. de Sacerdotio docet debere *ultrò ſibi perſuadere Chriſtianos, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.* Et lib. 3. cap. 5. & 6. apertè, uti ſuprà retulimus, docet omne judicium ſuum Sacerdotibus Chriſtum contuliſſe, eiſque animæ ſordium purgandarum poteſtatem eſſe conceſſam. Id etiam in pleriſque veteribus Conciliis definitum eſt, quorum ſyllabum recenſere prolixum eſſet.

Quare intolerabile eſt Calvini mendacium, quod contra omnem veritatis ſpeciem in ſuo Tridentinæ ſupra omne venenum peſtifero antidoto ſcripſit, nullum ſcilicet per annos mille fuiſſe in Eccleſia Confeſſionis uſum, *donec*, inquit, *Innocentius III. cum pauculis cornutis beſtiis laqueum hunc populo Chriſtiano induxit, quem Tridentini Patres adſtringunt.* O damnandæ vocis temeritatem! ô hominis poſt hominum memoriam, impudentiſſimam audaciam! ô ſtultiloquium ſatis nunquam animadvertendum! Itane tandem ſterquilinio, mille ducentorum Patrum Lateranenſium auguſtiſſimam coronam, *pauculas cornutas beſtias*, appellare licebit? Hæccine flagitia evomere, hæc effutire indigna homine benè morato? Sed de hæreſiarcha bonorum extortore, legum omnium contortore finem faciam dicendi mihi, peccandi licèt ipſe de ſe finem non fecerit. Maximè cùm ejus mendacium his ſancta Synodus loci citati cap. 5. verbis contriverit: *Cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, quâ ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modò etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis ſaltẽ ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ. Quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat & amplectitur tanquam pium & meritò retinendum.* Irrideret, ſcio, ſacratiſſimæ Synodi voces moroſiſſimus & ſupra Luciferum ſuperbus hæreſiarcha: ſed ad hæc Auguſtini verba hom. 50. quid reſponderet non tam hominis quàm belluæ petulcitas: *Cùm ipſe* (peccator) *in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam* (quæ nimirum judicat ſe indignum participatione Corporis Domini) *veniat ad Antiſtites, per quos illi claves in Eccleſia miniſtrantur; & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito à præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Quid ad hæc Gregorii fulmina, lib. 3. in 1. Reg. cap. 5. *Afflictionem illam pœnitentiæ ad delendâ peccata tum demùm ido-*

neam eſſe, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata, cùm ab eo confitentium actibus diſcuſſis, pro modo criminis onus ei decernatur afflictionis. Ratio verò theologica hujus catholicæ veritatis à Sacro Tridentino mox relato capite reddita eſt. Ubi ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ legitimè concludit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem. Cùm enim Chriſtus Dominus Sacerdotibus ſuis vicariis remittendorum retinendorumque peccatorum facultatem eximiam tradiderit, atq; proinde judiciariam de peccatis ſententiam ferendi poteſtatem contulerit, ipſo jure & veluti ſponte ſua ex eo præcepto detegendorum Sacerdoti peccatorum obligatio cunctos fideles aſtringens fluit, & non fluere revera non poteſt. Quomodo enim cauſam incognitam judicabunt conſtituti à Deo miniſtri? Quomodo in pœnis pro modo & gravitate peccatorum injungendis æquitatem ſervare poterunt æqui prudentesque judices, ſi in genere duntaxat, & non etiam in ſpecie & ſigillatim peccata ſibi declarata pernoſcant? Quomodo ignorata vulnera, latentesque morbos eò periculoſiores quò occultiores, ſpirituales medici curabunt? Ergo admiſsâ remittendorum retinendorumque peccatorum Sacerdotibus conceſsâ facultate (non admitti porrò non poteſt ab admittentibus Evangelium) & unà neceſſitatem confeſſionis pernegare, eſt in media luce voluntariè cæcutire; lumine enim naturali, quod obſcurare hæreſis quidem poteſt, extinguere certè non poteſt, manifeſtum eſt, non poſſe æquos judices de peccatis ſibi ignotis ferre judicium; nec ſcire illos poſſe, utrum ſolvere debeant, an ligare; remittere, an retinere, niſi judicantibus delicta patrata innoteſcant. Certè qui finem neceſſarium inſtituit, media etiam præfinivit quæ ſunt ad finem illum neceſſaria, niſi velimus Legiſlatorem imprudentem in neceſſariis deficiendo extitiſſe. Ergo ex poteſtate clavium miniſtris Evangelicis conceſsâ, peccata confitendi neceſſitas invictè demonſtratur; fruſtra enim Chriſtus Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus claves regni cœlorum contuliſſet, ſi aliunde quàm per illas claves pateret cœleſtis januæ introitus, ut Auguſtinus ſuperiùs laudatus hom. 48 argumentatur. Aliter enim nullus planè clavium uſus in Eccleſia videbitur; ac fruſtra is, cui clavium poteſtas data eſt, quempiam cœli aditu prohibebit, ſi tamen aliâ viâ introitus parêre queat: Ergo ut locum aliquem munitum ingredi nemo poteſt ſine ejus opera cui claves commiſſæ ſunt; ſic nullus admittetur in cœlum, niſi fores à Sacerdotibus, quorum fidei claves regni Dominus credidit, aperiantur.

Dices: Confeſſionis neceſſitatem Patres antiquiſſimi inficiati ſunt. Nectarius enim Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, Gregorii Nazianzeni ſucceſſor & Chryſoſtomi anteceſſor, confeſſionem quæ Sacerdotibus fit, abrogavit, ut lib. 9. hiſtoriæ tripartitæ, cap. 35. ex Sozomeno refertur, & videri poteſt Socrates lib. 5 cap. 19. ac Sozomenus lib. 7. cap. 16. Eam autem non abrogaſſet, ſi ſacramentalis confeſſio medium eſſet ad ſalutem neceſſarium; in mediis enim ad ſalutem neceſſariis nemini patrocinatur ignorantia. Admittitur quidem in hujuſmodi mediis excuſatio ne homo peccet, quando ſine culpa deſunt; non admittitur tamen ut ſine illis homo ſalvetur. V. g. quia fides Chriſti eſt ad ſalutem neceſſitate medii neceſſaria, etſi ille qui non audivit Evangelii prædicationem, non peccet ex eo quod in Chriſtum non credit; vitam tamen æternam minimè conſequetur, quæ ſine fide Chriſti, ſicut nec ſine baptiſmo, à nullo unquam obtinebitur. Nectarii ſucceſſor Chryſoſtomus confeſſione coram uno Deo facta contentus fuit, ſacramentalis confeſſionis uſum reliquit arbitrarium hom. 2. in Pſal. 50. *Peccata tua dicito*, inquit, *ut deleas illa: ſi confunderis alicui dicere quia peccaſti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico ut confitearis conſervo tuo qui exprobret, dicito Deo qui curat ea.* Et in oratione de Beato Philogonio: *Ego teſtificor*, ait, *ut ſi quiſque noſtrum recedens à priſtinis malis ex animo vereque promittat Deo, ſe poſtea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad ſatisfactionem ulteriorem.* Idem docere videtur in ſerm. de pœnit. & confeſſ. & hom. 20. in Geneſim, & hom. 31. in epiſtolam ad Hebræos.

Reſpondeo Melchiorem Canum relectione de pœnitentia, parte 5. pag. mihi 897. fateri Nectarium Chryſoſtomi anteceſſorem confeſſionem ſecretam de medio ſuſtuliſſe, Novatianorum pœnitentiæ hoſtium, quos ſibi in rebus fidei conſiliarios, teſte Socrate, frequenter adhibebat, fraudibus deceptum. Cui ſuccedens Chryſoſtomus de confeſſione auriculari verba facere noluit, eamq; noluit ſtatim reſtituere, ne apud populum, apud quem nondum ſedatum erat ſcandalum per occaſionem ſecretæ confeſſionis exortum, turbæ concitarentur. Nec propterea tamen inde confeſſionem eliminandam ſubinferre modernos hæreticos jure meritò poſſe, quia quemadmodum baptiſmus non ſtatim à paſſione Chriſti cœpit eſſe medium omnibus ad ſalutem neceſſariū, ſed duntaxat poſt ſufficientem Evangelii baptiſmique evulgationem; ita confeſſionis Sacramentum ex eo tempore cœpit omnibus hominibus eſſe neceſſarium, quo fuit ſufficienter promulgatum: unde non mirum, ſi Græci, nondum exploratâ & clarè definitâ confeſſionis neceſſitate, eam abjecerint. Verùm tanti Magiſtri, cujus veneratione nihil mihi antiquius, veniâ dixerim, eum non ſatis oculatè locum illum hiſtoriæ tripartitæ inſpexiſſe; nec meam ingenuitatem improbaret Canus, qui eam in dicendo & propriam privatamque ſententiam tuendo libertatem in Magiſtro ſuo Franciſco Victoria tantopere commendavit, tum in ejuſdem relationis parte 4. ferè à principio, tum initio libri duodecimi de Locis, qui ut ipſe ait, nihil pugnaciter pertinaciq; contentione defendere ſolebat, ſed ſuam interim ſententiam liberè tueri, eandem poſtea ſimili libertate retractaturus, ſi melior fortitan opinionis adverſæ ratio ſuccurriſſet. Hanc eruditiſſimi viri modeſtiam imitari avens Canus: *Si minùs*, inquit, *imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certè proximè accedimus, magiſtrumque conamur exprimere. In hoc enim ſumus docti, prudentes, facundi, ſi has egregias dotes animi moderatio comitetur: & parum valet ingenium, quàmlibet excellens & eximium, niſi definita animi moderatione gubernetur.*

Quare locum illum hiſtoriæ tripartitæ ſubtiliùs perveſtigavit Joannes Heſſelius, & ipſe eximius Theologus, qui in ſententia ſua de hoc Sozomeni loco Patribus Tridentinis exhibito, eruditè ex ipſo contextu oſtendit, à Nectario non auricularem confeſſionem ſed ejus appendicem quandam, publicam omnium peccatorum recitationem, vel publicæ impoſitione pœnitentiæ indicationem, quà peccatum nobilis matronæ cum Diacono patratum pervulgatum fuerat, prudenter fuiſſe ſublatam, quæ juxta ejus temporis morem à quodam inſtituto Pœnitentiario coram univerſo populo velut in theatro fiebat, *Viſum eſt antiquis Pontificibus* (verba ſunt Sozomeni) *ut velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſticæ populi delicta pandantur; & ad hanc cauſam Presbyterum bonæ converſationis, ſervantemque ſecretum, ac ſapientem virum ſtatuerint, ad quem accedentes ii qui delinquerunt, delicta propria fateantur.*

Nec obeſt, ibi Sozomenum aſſerere. Presbyterū illum debere eſſe *ſervantem ſecretum*, unde de con-

tellig-

feſſione occulta loqui illum infert Canus, quia ſi non eſſent occultè recitata peccata, non opotteret ſervare ſecretum. Non, inquam, obeſt; quia licet occultè peccata Presbytero exponerentur, peccatoribus tamen publica & nota pœnitentia veluti è theatro imponebatur; unde ne graviora ſcelera patefactâ pœnitentiâ patefierent, neve detrimentum externum lapſis importaretur, voluerunt Patres Presbyterum illum eſſe diſcretum, & ſecreti in impoſitione pœnitentiæ tenacem: quia tamen id difficillimum erat, ſi præſertim more illius temporis ſervarentur canones pœnitentiales, ideo ſolennem illam pœnitentiæ impoſitionem, publicæ peccatorum recitationi interdum fieri ſolitæ æquivalentem Nectarius, aliique deinde Pontifices abrogarunt.

Ad cujus evidentiam ſciendum, canones in primitiva Eccleſia ſervari ſolitos pœnas etiam externas pro diverſitate criminum præſcripſiſſe. V. g. Clericos in fornicationem lapſos ab exequutione Ordinum Canones antiqui ſuſpendunt, eoſque in ſortem laicorum redigunt, ut patet in conſtitutionibus Apoſtolicis can. 24. & can. 9. Neocæſareenſis Concilii, & Baſilii Magni can. 3. 32. 51. 68. Aliæ etiã pœnæ aliis ſceleribus præſcribebantur; unde Pœnitentiarius ille pœnitentes deſignatos propalam in locis pœnarum ſtatuebat (varia quippe loca, & variæ pœnitentiæ in illis primitivis fervoribus delinquentibus erant præſcriptæ) unde pœnitentium peccata facilè vulgabantur. Hinc Baſilius de uxoribus adulteratis & peccatum ſuum confitentibus canonem in ordine trigeſimumquartum edidit in hæc verba: *Adulteratas mulieres, & pio animo ob timorem futuri judicii confitentes publicare Patres noſtri prohibuerunt, ne confeſſis mortis cauſam præberent.* Ubi *publicare*, *δημοσιεύειν*, non hoc ſignificat, ut optimè Arcudius poſt Zonaram & Balſamonem exponit, quaſi licitum unquam fuerit Sacerdotibus peccata in confeſſione excepta divulgare; ſed pro eo accipitur quod eſt in locis pœnarum ſecreto confeſſos ſtatuere. Exempli gratia ſecundùm 58. Baſilii canonem adulteri quatuor annos cum flentibus ſtabant, quinque cum audientibus, & duos cùm iis qui communione orbabãtur. Qui ergo vidiſſet alicujus uxorẽ extra divinos Eccleſiæ ambitus ex præſcripto Pœnitentiarii, quantumvis aliuquin *ſecretum ſervantis*, ut loquitur Sozomenus, profectò abſque laborioſo diſcurſu intellexiſſet, eam illi peccatrici ob adulterii crimen pœnam eſſe injunctam. Nectarius ergo, Chryſoſtomus, & alii deinde Præſules publicam confeſſionem, & publicam etiam pro peccatis occultè confeſſis pœnæ impoſitionem ab Eccleſia arcendam eſſe cenſuerunt, ne gravia inde fidelium ſcandala vel detrimenta pœnitentium ſequerentur. Hinc Magnus Leo epiſt. 80. tum ea præcavens damna quæ ex hujuſmodi publicatione per ſe naſci ſolent, tum timens ne hac praxi ex fervore & plenitudine fidei aliquando frequentata multi à pœnitentiæ remediis arcerentur: *Illam*, inquit, *contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri: ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. ... Sufficit enim illa confeſſio quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.*

Hæc non improbabiliter & ad ſolutionem argumenti abundè dicta fuerint. Si tamen veritatem penitiùs indagemus, aliquid certius & ad profligendam Calvini audaciam fortius occurret, in primis cùm Socrates ejuſque exſcriptor Sozomenus Novatianorũ pœnitentiæ hoſtium juratorum errorem ſectati ſint, quis in materia pœnitentiæ, quam ad nihilum redigere volebant, inimicis pœnitentiæ fidem indubiam dabit? Quis ex hæreticorum ſuſpectiſſimo teſtimonio, & in hoc potiſſimùm articulo in quo ſingularis eorum hæreſis ſita erat, fidem Eccleſiæ Catholicæ non niſi iniquiſſimè adorietur? Certè nullus, niſi fuerit in Eccleſiaſtica hiſtoria peregrinus, ignorare poteſt, Socratem & Sozomenum fide græcâ, id eſt ſuſpectiſſimâ, literis commendaſſe apertiſſima mendacia, quorum ſpecimen dat author modernus Dovinus Armant in opere aureo & accurato vitæ Chryſoſtomi. Si in alienis & per ſe indifferentibus magnifica compertaque mendacia venditarunt, quantò magis indulſiſſe illos pro domo ſua, ſeu pro cardinali ſuæ hæreſeos capite falſis narrationibus inſtillandis credendum eſt? Ipſa etiam Socratica narratio mendaciis ſcatet: unum ſeligo omnibus in meridie non cæcutientibus manifeſtum.

Etenim falſiſſimum eſt, praxim illam conſtituendi Presbyterum ſuper pœnitentes, ſive privatos ſive publicos, tum incœpiſſe, cùm Novatiani ab Eccleſia ſunt diviſi, quòd nollent communicare cum his qui deliquerant ſub perſecutionibus Imperatoris Decii, ut Socrates ait. Etenim longè ante illum Novatianorum ſchiſmatis prætextum, regnante Alexandro Severo, & florente Origene praxis illa vigebat, ut patet ex hom. 2. Origenis in Pſalm. 117. ubi ſic habet: *Oportet peccatum non celare intrinſecus: fortaſſis enim ſicut ii qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut aliquid humoris vel phlegmatis ſtomacho graviter & moleſtè immanentia, ſi vomuerint relevantur; etiam hi qui peccaverint, ſi quidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecùs urgentur & propemodum ſuffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodò circumſpice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam: ut ita demùm ſi quid ille dixerit, qui ſe priùs & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit & præviderit, talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facilè ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.*

Hoc illuſtri Origenis teſtimonio non ſolùm evaneſcit impoſtura Socratis, qui praxim confeſſionis, ſive privatæ, ſive publicæ, à tempore perſequutionis Decii vigere incepiſſe ſcripſit, ſed etiam multa hinc elicere eſt ad revincendos modernos hæreticos, præſentemque difficultatem enodandam peropportuna. In primis enim clarum eſt, confeſſionem ſacramentalem & privatam verbis illis apertiſſimè declarari, quibus docet peccatori quærendum diligentiùs eſſe medicum, *cui debeat confiteri peccatum ſuum, cui debeat cauſam languoris exponere.* Arrige aures Calviniane: itane confeſſio vigere cœpit à tempore Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III.

Secundò perſpicuum etiam eſt in quibuſdam caſibus Sacerdotes poſt exceptam peccatorum confeſſionem ſecretam, pœnitentes interdum obligaſſe ad exponendum in conventu totius Eccleſiæ peccati languorem. Hic mos Conſtantinopoli Nectario eam Eccleſiam regente frequentabatur; hinc Pœnitentiarius Conſtantinopolitanus poſt audita nobilis matronæ delicta, quorundam ei peccatorum publicam recitationem in pœnitentiam impoſuit, ut illa ſaluti pudore ſuffunderetur. Hæc pœnitentiæ im-

poſitæ limites tranſiliens, turpem cum ejuſdem Eccleſiæ Diacono congreſſum propalavit. Hinc turbæ hinc ſcandala, hinc populum contra Clerum queritari, clamitare, & vehementer offendi. Quibus ut malis Nectarius mederetur, publicam illam peccatorum recitationem vel penitus, vel certè ad tempus abolevit. Dico *certè ad tempus*. Nam tempore S. Leonis Magni morem illum in quibuſdam Eccleſiis fuiſſe Nectario ſuperſtitem ex præfati Leonis epiſtola 80. ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum conſtitutos ſcriptâ conſtat, cujus verba ſuperiùs retulimus. Cæterùm nunquam abrogatam fuiſſe in Eccleſia Græca confeſſionem ſacramentalem, patet ex pervetuſtis Eccleſiæ Orientalis Ritualibus, quos doctiſſimus P. Joannes Morinus publici juris fecit.

Illud denique diligenter obſervandum & cavendum eſt, ut ne confeſſionem publicam cum pœnitentia publica confundamus. Publicam confeſſionem, etſi eam in nonnullis ultrò & prompto animo ob peccata publica ſua ſuſcipientibus tolerarit permiſeritque rarò Eccleſia, nunquam tamen eam abſolutè probavit, nunquam etiam publicam pœnitentiam acturis impoſuit. Quia ut ex Magno Leone abàs diximus, *ſufficit reatûs conſcientiam ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta*. Publicam verò pœnitentiam etiam in privatorum & occultorum criminum vindictam viguiſſe, teſtatur Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 16 *Si quis*, inquit, *occulta crimina habens*. : : : *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus*, & cætera quæ alibi retulimus. Idque ex Tertulliano, Chryſoſtomo, aliiſque Patribus patet.

Et hoc modo intelligendus venit Chryſoſtomus, quod ipſa contextus verba ſubindicant, cùm eam tantùm confeſſionem non conſulat, ex qua erat opprobrium pœnitentib⁹ naſciturum: *Non dico*, inquit, *ut confitearis ea conſervo tuo, ne exprobret*. Quod apertiùs oſtendit hom. 4. de Lazaro, ubi & alludit ad conſuetudinem illam adducendi peccatores in publicum theatrum: *Cave homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conſervo confiteris, ut in publicum profe-ras*. : : : *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes*.

Obſervat etiam eruditè Arcudius libro 4. cap. 2. quod quando Chryſoſtomus ſoli Deo ait exponenda peccata, ipſi ſoli explicanda vulnera, ab eoque pharmaca poſtulanda, non excludit propterea miniſtrorum peccata ſibi expoſita judicantium ſententiam, quam infinitis locis vir divinus non ſolùm commendat, ſed ad cœlos uſque ſupra Angelicam poteſtatem evehit, ut de Sacramento Ordinis agentes referemus; ſed quia concurſus cauſæ inſtrumentalis non impedit quominùs effectus cauſæ principali unicè aſſeratur, ideo quod miniſtris exponitur quod miniſtrorum operâ fit, uni Deo Sacramentorum præcipuo authori jure merito aſcribit. Sicut ergo propter hanc rationem de Euchariſtia loquens hom. 50. in Matth. ait: *Cùm Sacerdotem videris tibi exhibentem, ne Sacerdotem id facere putes; ſed Chriſti manum eſſe exiſtima, quæ ſe extendit. Miniſter enim eſt Sacerdos*. Quod & confirmat exemplo Baptiſmi his verbis: *Quemadmodum quando baptizat Sacerdos, non ipſe te baptizat, ſed Deus eſt*. : : : *Ipſius ſalum eſt donum*. Ita in eodem planè ſenſu ſoli Deo aſſerit recitanda peccata, ab eoque ſolo vulnerum curationem flagitandam; quia ſicut qui baptizat, non ut homo & conſervos, ſed ut Chriſti nomine baptizat, ita & eodem nomine peccata remittit. Noverat enim vir in ſacris litteris verſatiſſimus, ſecundùm conſuetudinem Scripturarum negari nonnunquam hominem agere cùm agit, ubi Deus cauſa eſt agendi præcipua. Hinc Exodi 16. *Nec contra nos eſt murmur veſtrum*, ait Moyſes, *ſed contra Dominum*: tametſi paulò ante dictum ſit, *Et murmuravit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſem & Aaron*; quippe qui perſonam Dei gerebant. Et 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*, dixit Dominus ad Samuëlem, loquens de populo illius vices Dei gerentis imperium detrectante. Princeps Apoſtolorum Act. 5 Ananiæ agri divenditi pretii partem ſibi ſervanti dixit: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo*.

Cæterùm confeſſionem Sacerdoti factam, quâ pateſiant errata, quâve pro varietate peccatorum ſatisfactiones & mulctæ imponantur, variis locis, ſed nominatim in præclaris de Sacerdotio libris apertiſſimè docuit his aureis verbis, & quæ à Sacerdotibus obſerventur digniſſimis: *Non ſimpliciter pro delictorum modo pœna infligenda eſt, ſed delinquentium ſimul ſpectandus eſt animus; ne cùm vis ruptum ſarcire, deteriorem eam facias; & cùm erigere proſtratum ſtudes, graviorem caſum efficias. Imbecilles enim ac diſſoluti, quique majori ex parte mundi deliciis dediti ſunt, præterea etiam generis nobilitate ac potentiâ gloriari poſſunt, ſenſim quidem ac lenitor ad bonam frugem ſe colligentes poſſunt, etſi non perfectè, ſaltem ex parte à malis liberari, quibus detenti ſunt. Quodſi quis nimia diſciplina ſeveritate utatur, minore etiam eos diſciplinâ & emendatione privabit. Nam poſtquam animus pudorem depoſuerit, in deſperationem cadit, nec blandis cedit admonitionibus in poſterum, nec minis deterretur, nec beneficiis incitatur, verùm multò pejor redditur eâ civitate, quam vituperans Propheta dixit: Frons meretricis facta eſt tibi, deſiiſti erubeſcere apud omnes. Quamobrem paſtori multâ opus eſt prudentiâ, & oculis innumerabilibus, ut undique circumſpectè animæ habitum intueatur. Quemadmodum enim animum deſpondent multi, & in ſalutis propriæ deſperationem cadunt, quòd acerbiora remedia perpeti non potuerint: ſic ſunt alii, quibus quòd par delicto pœna non irrogatur, in contemptionem convertuntur, & multò fiunt deteriores, ut graviùs quandoque peccent. Horum igitur nihil inexploratum relinquendum, ſed exactè omnia perſcrutando ad eum conveniens emendatio adhibenda, ne fruſtra ſe laboraſſe comperiat.* Non poteſt autem *ſpectare animus*, nec *innumerabilibus oculis undique animæ habitum intueri* valet Sacerdos, nec *animam ſcrutari*, niſi interiores ægri animi receſſus confeſſione pandantur. Alium non minùs egregium Chryſoſtomi locum in reſponſione ad proximè ſequentem objectionem referemus.

Denique quando Chryſoſtomus variis locis auditores hortatur ut peccata Deo confiteantur, manifeſtè loquitur de quotidiano conſcientiæ examine ab unoquoque bono Chriſtiano ſingulis diebus conſtanter peragendo. Quin & confeſſionem ſacramentalem ſatis iis in locis indigitat; eſt enim ejuſmodi Chryſoſtomi ſenſus: Si erubeſcis peccata homini confiteri, ſi times conſervo tuo privata aperire delicta, illa ſaltem non prætermittas coram Deo recogitare quotidie in amaritudine animæ tuæ, ab animoque tuo dictorum atque factorum ſingulis diebus rationem repoſcere; quia coram illo non confunderis fateri delicta, cujus oculi imperfectum tuum noverunt, nec eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, ſed omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus. Hanc eſſe perſpicuam & planam Chryſoſtomi mentem inde apertè colligitur, quòd homiliæ illæ, unde Calviniſtæ errorem ſuum confirmare nituntur, Antiochiæ à Chryſoſtomo dictæ ſint, ubi abrogatam exemplo Nectarii confeſſionem ſacramentalem nullus ſanæ mentis dixerit.

Dices rurſum: Sacræ litteræ nobis alia ſanandorum peccatorum remedia, ad eaque delenda effi-

cacia

ficacia, à confeſſione oneroſâ diſtincta ſubminiſtrat. Nam amore Dei remitti peccata tradit Veritas Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et Princeps Apoſtolorum cap. 4. ſuæ primæ: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Martyrio etiam remittendorum criminum, & ad cœlum perducendi efficacitatem aſſerit Salvator, Matth. 10. *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Eandem virtutem eleemoſynæ aſcribit Tobias cap. 8 aſſerit & Chriſtus Luc. 11. *Eleemoſyna,* inquit ille, *ab omni peccato & à morte liberat. Date eleemoſynam,* inquit iſte, *& ecce omnia munda ſunt vobis.* Remiſſionem etiam peccatorum remittentibus privatas injurias Veritas ſpopondit, Matth. 6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & Pater veſter cœleſtis dimittet vobis delicta veſtra.* Sed id ſaltem contritioni cordis & ſinceræ pœnitentiæ denegari non poteſt, poſtquam Ezechiel. 18. dictum eſt: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ergo gratis durum & permoleſtum, & vix infirmitati humanæ tolerabile confeſſionis onus imponimus, & conſcientiarum carnificinam invehimus.

Reſpondeo, enumerata illa virtutum opera ad pœnitentiam non parum conferre, pleraque etiam illorum deſiderari, ſed ſine pœnitentiæ Sacramento divinitus inſtituto minimè ſufficere. Unde ſicut ſine fide Chriſti explicita, ſine lavacro regenerationis; ita ſine pœnitentiæ Sacramento in re vel certè in voto ſuſcepto nemo lapſus ſalutem conſequitur, quia ſine mediis ad ſalutem divinitus conſtitutis nemo ſalvatur; unde ſicut nemo ſine baptiſmate ſalvus efficitur, quantumvis ſive occupatus circa res alias, ſive oblitus baptiſmatis eſſe fingatur; ita ſine confeſſione voto ſaltem ſuſcepta, quavis excuſatione prætenſâ nullus ſalvabitur, quia ſine clavibus non patet aditus januæ cœleſtis. Hanc doctrinam præclarè exponit os Chryſoſtomi aureum hom. 9. in epiſt. ad Hebr. ubi quæ enumerata ſunt, ad peccatorum remiſſionem juvare, & pœnitentiam ipſam munire docet; ſed illa tamen pietatis & compunctionis opera obſignare Sacerdotis abſolutionem.

Verba Chryſoſtomi ſunt hæc: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Chriſtus, attingamus tantùm pœnitentiam. Nam videte Dei benignitatem & clementiam. Oportebat nos omni modo punire; & non ſolùm non punivit, ſed etiam bonis impertiit innumerabilibus, idque perinde ac ſi res magnas & præclaras geſſiſſemus: iterum lapſi ſumus, & ne ſic quidem punit, ſed dedit medicamentum pœnitentiæ, quod ſufficit ad delenda & abſtergenda omnia noſtra peccata, ſi modò viderimus cujuſmodi ſit medicamentum, & quomodo id ſit applicandum.*

Cujuſmodi ergo medicamentum pœnitentiæ, & quomodo conficitur? Primùm & ſuorum peccatorum condemnatione, & ex confeſſione. Delictum, inquit, meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abſcondi. Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Et iterum: Dic peccata tua prior, ut juſtificeris. Et: Juſtus eſt ſui accuſator in primo ſermone. Secundò ex multa humilitate; eſt enim velut quædam catena aurea, & ſi initium acceperit, ſequuntur omnia. Nam ſi peccatum fueris confeſſus, ut oportet confiteri, fit humilis anima; nam enim verſans & agitans conſcientia, efficit ut ſit contracta. Oportet autem alia quoque addere humilitati, ſi talis ſit qualem beatus David habebat, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Nam quod eſt contritum non exurgit, non ferit, ſed eſt paratum ad malè patiendum, ipſum autem non exurgit. Talis eſt cordis contritio; etiamſi affecta fuerit contumeliâ, etiam malè paſſa quieſcit, nec concitatur ad vindictam. Poſt humilitatem verò opus eſt intenſis precibus, multis lacrymis & interdiu & noctu. Lavabo, inquit, per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: laboravi in gemitu meo. Et iterum: Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Et poſt orationem adeo intenſam multâ opus eſt eleemoſynâ. Hoc enim eſt quod reddit admodum validum medicamentum pœnitentiæ: & quomodò in medicorum adjumentis eſt medicamentum quod multas quidem capit herbas, ſed unam quæ obtinet principatum: ita etiam in pœnitentiâ, ipſa eſt herba quæ principatum magis obtinet, ipſa fuerit univerſum. Audi enim quid divina dicat Scriptura: Date eleemoſynam, & omnia erunt vobis munda. Et iterum: Eleemoſynis & fide mundantur peccata. Et: Ignem flammantem extinguet aqua, & eleemoſyna compeſcet magna peccata. Deinde non iraſci, neque injuria accepta meminiſſe, omnibus peccata remittere. Homo homini, inquit, reſervat iram, & apud Dominum quærit medelam? Remittite, inquit, ut remittatur vobis. Et fratres ab errore convertere. Vade, inquit, & converte fratres tuos, ut remittantur tibi peccata tua. Et ſe in Sacerdotes ut convenit gerere. Et ſi fecerit, inquit quiſpiam, peccata remittentur ei. Vides in tam accurata medicamenti pœnitentiæ confectione non omiſiſſe Chryſoſtomum confeſſionem, qua peccator ſe in Sacerdotes ut convenit gerit, ut ſibi peccata Sacerdotis poteſtate remittantur.

Quod verò dicitur, præceptum illud confeſſionis durum eſſe & grave: reſpondeo cum Tridentino ſeſſ. ſæpe memorata, videri id quidem poſſe, niſi tot tantiſque commodis peccatorum detegendorum verecundia levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per abſolutionem certiſſimè conferuntur. Etenim, ut tactè proſequitur Catechiſmus Romanus, confeſſionis beneficio faciliùs peccatorum veniam obtinemus; peccata namque extra confeſſionem non niſi acri intenſoque dolore, qui cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit, remitti poſſunt; unde cùm pauci admodum ad tantæ perfectionis gradum perveniant, à pauciſſimis etiam peccatorum venia ſperanda foret. At verò per confeſſionem faciliori ratione communi hominum ſaluti conſultum eſt; nam etſi quis eo perfecto dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam ſatis eſſe poſſit, modò tamen ſincerè in Deum convertatur dolens de præterito, cavens de futuro, vi clavium peccata remittentur & condonabuntur. Deinde nihil tam ad ſolatium animi conferre experimur, quàm ſi interdum occultas animi cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti & fideli amico patefaciamus, qui nos operâ & conſilio juvare poſſit. Quare ad eandem rationem maximè ſalutare exiſtimandum eſt iis qui ſcelerum conſcientiâ agitantur, ut Sacerdoti tanquam Chriſti Domini Vicario, cui perpetui ſilentii ſeveriſſima, & nullo unquam caſu violanda lex impoſita eſt, animæ ſuæ morbos quoſvis, & vulnera, vulnerumque receſſus ac ſinus omnes aperiant. Præterea hac humili & clanculariâ peccatorum recitatione multa inveniunt infirmi ſpirituales parata ſibi remedia, quæ non ſolùm præſentis ægritudinis ſanandæ, ſed etiam futuris præcavendis, vitandiſque præterea recidivis opitulantur. Denique, aliis omiſſis, ex recto confeſſionis uſu tota Chriſtianiſmi reformatio pendet: ſi enim pœnitentes eâ cordis contriti humiliatione accederent, ſi Confeſſionarii convenientia apponerent medicamenta ſalutis, & moderante Chriſtiana prudentia vinum cum oleo more Samaritani vulneribus apponerent, vinum Eccleſiaſticæ diſci-

diſciplinæ ne putreſcant vulnera, oleum conſiliorum, & paternæ, quin & maternæ teneritudinis curas, hac forti ſuavique temperantiâ totum Chriſtianum orbem mutatum iri certiſſimum eſt. Illud etiam addo, quod ſicut quidquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis in Eccleſia ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magna ex parte confeſſioni tribuendum eſt: ita ad Chriſtianæ vitæ conjunctionem, ſocietatem, & ſecuritatem confeſſio magnopere juvat; non ſolùm quia confitendi verecundia delinquendi cupiditati frena injicit, & licentiæ improbitatem veluti cauterii uſtione coërcet; ſed etiam quia ejus frequentiâ occulta nefandaque ſcelera externis ſæpe graviora cohibentur, quæ nulla exterior diſciplina curare valet. Unde nihil mirandum eſt, ſi humani generis hoſtis fidem Catholicam funditus everrere cogitans, hanc Chriſtianæ Religionis arcem, ſuperædificatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu totis viribus per impietatis ſuæ miniſtros & ſatellites oppugnare conetur.

Tertia Sacramenti Pœnitentiæ pars, Satisfactio.

Cùm ex dictis conſtet ſatisfactionem eſſe partem integralem Sacramenti pœnitentiæ, evidens eſt quod quemadmodum judicium in quo probatus reus ſine mulcta abſolvitur, perfectione caret, ita mancum & imperfectum eſt ſine ſatisfactione pœnitentiæ Sacramentum: ergo neceſſaria eſt ſatisfactio, non ſolùm illa quæ ex arbitrio pœnitentis proficiſcitur, ſed quæ eſt judicii ſacramentalis complementum, quæve ut ait Concilium Florentinum, *ſecundùm arbitrium Sacerdotis* imponitur. Debet tamen abſolutionis beneficium votum ſatisfaciendi præcedere, quo ſe pœnitentes Eccleſiæ poteſtati ſubjiciant, ut juxta ejus arbitrium peccata compenſent. Unde non eſt liberum pœnitenti impoſitam pœnitentiam prætermittere, alioquin fruſtra eſſent Sacerdotes judices divinitus conſtituti, ſi eorum ſententiæ parêre non eſſet neceſſarium: inanis quippe eſt illa judicandi authoritas, imò & ridicula, & in nullos futura uſus, quæ impunè pro judicatorum arbitratu rejici poteſt, in eo præſertim judicio, quod non ad litigandum, ſed ad vindicanda ſcelera inſtitutum eſt. Certè ſicut judicibus neceſſarium eſt pœnam reis indicere, ne iniqui judices habeantur & ſint; ita judicium illud exequi peccatores tenentur, falſi pœnitentes ne videantur & reipſa ſint. Quem enim, quæſo, dolorem de peccatis, quem emendandæ vitæ animum ille habere poteſt, qui pœnitentiam à judice Dei locum tenente juſtam & æquam nec acceptare vult, nec implere? Quodnam cordis contriti & humiliati verum ſignum dabit, qui pœnam in compenſationem injuriæ Deo factæ ſubire detrectat? Sicut ægrotus medico ſalubriter præcipienti parêre nolens, nolle ſanari convincitur; ita nulla ſalutis ſpes infirmo ſpirituali ineſt, qui præſcripta à Sacerdote remedia curationis animæ negligit. Si in humanis juſtitiæ præpoſitis à Principe ad judicandum de criminibus delegatis obtemperare rei tenentur, quin ſi in privatis negotiis judicis vel arbitri propriâ voluntate delecti aquæ ſententiæ non parêre iniquum eſt, & judici injurium, qua æquitatis ſpecie judici divina authoritate conſtituto obedire reluctabimur? Nunquid ſacri miniſtri ſicut ſolvendi, ita & ligandi accepêre poteſtatem? At quæ tandem illa erit ligandi poteſtas, quam licet impunè rejicere. Quare ſicut Sacerdotes, cùm formam Sacramenti proferunt, vice Dei abſolvunt; ita cum mulctam pro peccatis indicunt, vice Dei ligant; quorum proinde ſententiæ non minùs in ligando, quàm in abſolvendo eandem habere vim cenſendæ ſunt, ac ſi à Chriſto, cujus vicarii ſunt, latæ fuiſſent. Quare probari mihi nunquam potuit ſententia Scoti vel Cajetani, quorum ille nullum pœnitentem ad injunctam pœnitentiam acceptandam obligari aſſerit, tametſi ſemel acceptam implere teneri velit: iſte verò exiſtimavit, pœnitentem nec injunctam pœnitentiam acceptare, nec acceptatã implere teneri. A quorum ſententia non videtur alienus Gabriel in 4. diſt. 16. quæſt. 2. ubi affirmat, quod quoniam pro peccato puniendo duo remedia ſunt, alterum in hac vita per fructus pœnitentiæ, alterum in futura per peculiares Purgatorii flammas, poteſt pœnitens neglectâ injunctâ pœnitentiâ eligere unam futuri ſæculi ſatisfactionem. Sed hæ ſententiæ non ſolùm nulla ratione convenienti nituntur quæ accuratè ſolvatur dignâ, ſed ut præmiſimus, judicianam ligandi poteſtatem omnemque ſatisfactionis rem & nomen ipſum de medio tollunt, & ad nihilum redigunt.

Quapropter præ oculis habenda eſt doctrina Cõcilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 8. ubi ſatisfactionis neceſſitatem & fructus ſtabilit contra Novatores, qui culpam à Deo nunquam remitti, quin tota ſimul pœna abſque ſatisfactionis ullius onere condonetur, affirmarunt. Quam orthodoxam veritatem tot illuſtribus Scripturarum exemplis & perpetua traditione ſatis perſpicuam confirmat: tum primò, quia juſtitiæ ratio exigit, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui ſemel à peccati & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidarunt. Tum ſecundò, quia divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione acceptâ, peccata leviora putantes, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in diem vindictæ. Tum tertiò quia & ad futura peccata præcavenda, & ad pravos habitus exſtirpandos pœnitentia omninò neceſſaria eſt. Unde concludit: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed ad ligandum conceſſas etiam antiqui Patres & credunt & docent.* Hinc can. 12. & 13. ſic pronuntiant: *Si quis dixerit totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemque pœnitentium non eſſe aliam quàm fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, anathema ſit.*

Eandem ſatisfactionis neceſſitatem præclariſſimè illuſtrat Catechiſmus Romanus non ſolùm præfatis Tridentini verbis, sed etiam quia manifeſtis Scripturæ locis conſtat, dimiſſâ culpâ non ſemper pœnam certo tempore definitam remitti, ut patet clariſſimo Davidis exemplo, cui etſi Nathan dixerat 2. Reg. 12 *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris*; attamen graviſſimas pœnas ultrò dedit divinamque miſericordiam noctu & interdiu im-

enar-

inarrabilibus lacrimis exoravit. Et adhuc poſt tantæ humilitatis pœnitentiam, eum tamen Dominus ultionum, tum filii ex adulterio ſuſcepti morte, tum quem unicè diligebat Abſalonis rebellione & nece, tum antea illatis innumerabilibus calamitatibus mulctavit. Idem exemplo populi Iſraëlitici claret, etſi enim Dominus Moyſis precibus exoratus populo idololatriæ neſandum ſcelus pepercisſet, minatus eſt tamen ſe tanti flagitii graves pœnas repertiturum eſſe: ipſeque Moſes teſtatus eſt fore, ut illud Dominus ſeveriſſimè in tertiam & quartam uſque generationem ulciſceretur, ut legere eſt Exodi 32. Accedit quod hujuſmodi doloroſæ ſatisfactionis perpeſſione conſequimur, ut capitis noſtri Jeſu Chriſti tantoperè pro nobis in carne paſſi ſimilitudinem & imaginem geramus: ut enim à S. Bernardo veridicè ſcriptum eſt, nihil tam deforme videri poteſt, quàm ſub ſpinoſo capite delicatum membrum vegetari. Nam teſte Apoſtolo, cohæredes ſumus Chriſti, ſi tamen compatimur: & ſi commortui ſumus, & convivimus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Ergo quemadmodum ſanato vulnere, emiſſoque pure, cicatrices quædam remanent, quæ & ipſæ curandæ ſunt, ita in anima, culpâ condonatâ, purgandæ peccatorum reliquiæ ſuperſunt: & ut ait Chryſoſtomus, non ſatis eſt ſagittam è corpore extrahi, ſed plaga quoque à ſagitta inflicta ſananda eſt; ſic per contritionem extracto è corde peccati telo lethifero, pœnitentiæ ſatisfactione, quæ ſupereſt plaga ſanatur. Hinc Auguſtino in Pſal. 80. dictum eſt, miſericordiam & juſtitiam in pœnitentiæ tribunali obviare ſibi, pacem & æquitatem ſe invicem oſculari; miſericordiam, quæ peccatorum maculis & illis debitas æternas pœnas condonat; juſtitiam, quæ pœnis tempore definitis hominem punit.

Dices: Nequit homo pro pœna peccatis debita condignè ſatisfacere, tum quia homo peccando meretur pœnam æternam, quam nulla hujus vitæ pœna compenſare poteſt; nam pretium ordinis inferioris, debitum ſuperioris ordinis digna ſolutione ſarcire non poteſt. Tum quia Chriſtus paſſionibus ſuis pro nobis ſatisfecit: unde ne Chriſtus gratis paſſus, gratis mortuus eſſe dicatur, nullum pro peccatis ſuis hominem ſatisfacere poſſe dicendum eſt. Ergo inter partes pœnitentiæ falsô enumeramus hominum pœnitentium ſatisfactionem, quâ virtus crucis Chriſti evacuatur, & immenſum ſatisfactionum Chriſti meritum obſcuratur, & prorſus elevatur.

Reſpondeo quod licèt non poſſit homo peccatis de condigno ſatisfacere, ut in tomo ſuperiori operosè demonſtratum eſt, nec ſubinde pœnam æternam peccatu mortali debitam compenſare; poſſe tam pro pœna temporali, quæ etiam poſt culpæ & pœnæ æternæ condonationem danda eſt, de condigno ſatisfacere. Non enim ſine cauſa opera ſatisfactoria *dignos* pœnitentiæ *fructus* Scriptura appellat. Indicare nimirum voluit, pœnam temporalem peccatis debitam pœnitentiæ fructibus compenſari, ut ſicut illis gloriam de condigno meremur, ita & impedimenta gloriæ pœnas ſcilicet Purgatorii gloriæ introitum remorantes, de condigno poſſumus removere. Dignum ergo eſt ut miſericors Deus pœnis voluntariè aſſumptis Chriſti paſſionibus unitis, & à Chriſti gratia proficiſcentibus moveatur, ut pœnas Purgatorii non infligat. Unde nequaquam Chriſt⁹ fruſtra pro nobis ſatisfecit, nequaquam gratis pro nobis mortuus eſt, quia paſſionibus ſuis gratiam nobis promeruit ſalutarem, quâ & meritoria & ſatisfactoria opera poſſumus elicere. Satisfactio Chriſti, ut libro undecimo diximus, quàmlibet infinita, noſtras etiam ſatisfactiones exigit; nam ſicut prima cauſa ex abundantia bonitatis cauſas ſecundas ſibi cooperari facit; ita ſatisfactionis Chriſti plenitudo poſtulat, ut cum ipſo compatiantur qui voluerint cum ipſo regnare. Utilis ergo & planè neceſſaria fuit ſatisfactio Redemptoris, quæ noſtras qualeſcumque pœnas ſibi unitas perficeret, ad eas ſanctè ſuſcipiendas permoveret, & omnes juſtitias noſtras, quæ ſunt ſicut pannus menſtruatæ, in quibuſque reperit pravitatem veluti illitis meritorum ſuorum ornamentis condecoraret. Sed certè ſi eas non invenit, eas utique non ſanctificat, nec ſibi copulat, nec Patri reddit acceptas. *Poculum quippe immortalitatis*, uti ex Proſpero alibi diximus, *quod confectum eſt de infirmitate humana & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Perperam ergo inferunt moderni hæretici hac noſtrâ de ſatisfactionis neceſſitate doctrinâ evacuari crucem Chriſti, & immenſa ſatisfactionum ejus merita ad nihilum redigi. Nam ut præclarè à Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. dictum eſt: *Neque ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes dignos fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quamobrem, ut rectè Catechiſmus juſſu ejuſdem Concilii editus egregiè proſequitur, totum noſtrum meritum, tota noſtra ſatisfactio à Chriſti cruce proficiſcitur, neque perfectiſſimam & cumulatiſſimam Chriſti Domini ſatisfaciendi virtutem obſcurat ſed illam potiùs multò clariorem & illuſtriorem reddit. Eo namque copioſior & longè efficacior Chriſti gratia cenſenda eſt, quo vim nobis ſatisfaciendi profundit, & à ſe redemptos ſui efficit adjutores. Si quid ergo ponderis, ſi quid dignitatis operibus pietatis ineſt, quantumquantum eſt, totum ab illo ſalutis fonte derivatur. Quid ergo detrahi à nobis meritis Salvatoris hæretici pœnitentiæ hoſtes queritantur, à nobis, inquam, ultro aperteque prædicantibus, Chriſtum Jeſum tanquã caput in membra, tanquam vitem in palmites, vitam, gratiam & omnem pietatis motum in eos qui ſibi charitate conjuncti ſunt continenter effundere? Illi ne gratiæ Servatoris detrahunt, qui nulla bona opera agnoſcunt, niſi quæ gratia è vulneribus Chriſti effluxa antecedat, comitetur, & conſequatur, ſine qua proinde nec mereri prorſus, nec ſatisfacere ullatenus poſſumus?

Inſtabis: Si poſſet homo ſuſceptis laborioſæ pœnitentiæ operibus pro pœnis peccatis ſuis debitis ſatisfacere, poſſet etiam ſatisfacere pro pœnis quæ peccatis alienis debentur, cùm ſit par utriuſque ratio, nec magis repugnet aliquem opera illa pro ſe quàm pro alio offerre, & à Deo pro utroq; peræquè acceptari: atqui non poteſt homo pœnitens pro alio ſatisfacere, ſicut nec unus infirmus pro alio medicinam accipere: Ergo nequit homo pro pœnis peccatis ſuis debitis ſatisfacere.

Reſpondeo ſatisfactionem, ut eſt pars Sacramenti, ab illo ſolùm poſſe & debere peragi, qui recipit Sacramentum, ut convincunt rationes omnes quas pro ſtabilienda ſatisfactionis neceſſitate protulim⁹. Et cùm ſatisfactio pœnitentis ſit pars, ſi non eſſentialis, certè integralis Sacramenti, mancum erit mutilumque Sacramentum, niſi pœnitens ipſe injunctam ſibi à Sacerdote pœnitentiam exequatur. Cum his tamen ſtat, unum poſſe pro pœnis alteri debitis,

bitis. & in Purgatorio luendis ſatisfacere, & alterius nomine quod Deo debetur perſolvere, ut ſic quodam pacto alter alterius onera portet. Neque de hac veritate cuiquam Fidelium dubitandi locus ullus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem confitetur. Id enim exigit membrorum ejuſdem corporis communio, ut bona Fidelium opera ad omnes quandantenus pertineant. Quemadmodum enim neque pro ſuæ tantùm, ſed etiam oculorum utilitatis cauſâ munere ſuo fungitur; neque rurſus quod oculi videant, ad illorum propriam, ſed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum eſt: ita communia inter Fideles ſatisfactionis officia cenſenda ſunt. Qua ſpe fretus aiebat Pſalmographus Pſal. 118. *Princeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Favet etiam Apoſtolus Coloſſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Vide infrà corollarium 3. circa ſecundum effectum pœnitentiæ.

REFLEXIO.

Si uſqueadeò neceſſaria eſt pœnitentia, ut & materiam eſſentialiter cõſtituant actus pœnitentis, formam verò compleat impoſitio pœnitentiæ, profectò poſt peccatum vita hominis perpetua pœnitentia, ſpiritus perpetuæ compunctionis eſt. *Ingemiſce igitur*, ait Chryſoſtomus hom. 4. in 2. epiſt. ad Cor. *Neque nunquam id facere intermitte. Etenim hoc demùm eſt confeſſio. Non nunc lætum, cras autem mœſtum, ac rurſum lætum te præbe. Verum perpetuò in luctu ac tui contritione mane. Beati enim, inquit, qui lugent, hoc eſt qui aſſiduè hoc faciunt. Itaque ſic te compara, ut ſemper hoc facias, tibique ipſi animum intendas ac pectus tuum conteras, non ſecus ac ſi quis amiſſo filio unicè charo in luctu verſetur. Scindite enim, inquit, corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Porrò quod fractum eſt, haudquaquam ſe in altum extulerit; quod contritum eſt, haudquaquam exſurrexerit. Ob eamque cauſam alter ait: ſcindite: alter autem, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Quantumvis ſapiens ſis, quantumvis dives, quantumvis Princeps, pectus tamen ſcinde, nec ipſum alte de ſe ſentire, atque inflari ſine.* Si magnus Apoſtolus, ut argumentatur idem Chryſoſt. homil. 22. in eandam epiſtolam, peccata ante baptiſmum admiſſa, etſi prorſus extincta recogitavit, ſi ſe peccatorem, blaſphemum, contumelioſum appellavit, prioremque vitam invectivâ oratione proſcidit: *Quam nos veniam conſequi poſſimus, qui ea etiam quæ poſt baptiſmum perpetravimus, oblivione delemus? Quid ais homo? Deum offendiſti, & obliviſceris? Altera jam eſt hæc offenſio, altera inimicitia. Quibuſnam ergo peccatis ſolvi petis? An iis quæ ne tibi quidem nota ſunt? Ita ſanè: non enim laboras, anxioque animo es, quo pacto eorum rationem redditurus ſis, qui ne memoriâ quidem ea tenere cures, ſed ludas in minimè ludicris. Verùm aderit illud tempus, cùm non jam ultrà nobis ludus hic procedet.*

Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Terreant nos hæc verba, ne res conturbent. Præveniamus judicii diſtrictiſſimi æquitatem. Peccata pœnitentiâ deleamus, ne in finem reſervemus. Audiamus Eucherium: *Dominus*, inquit, *delet peccatum, ſed ſine ultione non deſerit: aut enim ipſe homo in ſe punit, aut Deus percutit.* Audiamus & Auguſtinum tract. 124. in Joan. *Productior eſt pœna quàm culpa; ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* Ergo ſi ſapimus, ſi nobiſcum eſt lumen oculorum noſtrorum, ſi eum timemus qui corpus & animam in gehennam mittere poteſt, ſi peccati mortalis granditatem, injuriæ gravitatem, Dei læſi majeſtatem apprehendimus, ſpiritu pœnitentiæ ea opera ſuſcipiamus, quæ naturâ ſuâ dolorem & moleſtiam afferunt; iis actionibus incumbamus, quæ præteritorum ſcelerum compenſationes ſint, & ut S. Cyprianus loquitur, *peccatorum redemptrices*: orationibus, jejuniis, eleemoſynis inſiſtamus, quibus Deum placemus, proximo ſatisfaciamus, noſmetipſos caſtigemus: multas variaſque ærumnas & calamitates, quibus dum in hac vita ſumus undique premimur, patienti animo perferamus, ut laboribus illis & incommodis à divina providentia immiſſis amplam, minuſve ſuſpectam ſatisfaciendi & merendi materiam naciſcamur. Denique tanta ſit, tamque connaturalis evadat pœnitentiæ conſuetudo, ut in illis moleſtis operibus, quæ naturâ ſuâ aliquid acerbitatis habent, omnem voluptatem noſtram ponamus, omne ſitum eſſe verum gaudium exiſtimemus, quin & felicitatem inchoatam inveniamus, juxta id quod à Veritate Matth. 5. & Luc. 6. dictum eſt: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Id tibi, Lector, id mihi victrix divinæ gratiæ delectatio præſtet, ut charitate divina & ſacro in præterita peccata zelo accenſi, quæ perpeſſu graviſſima ſunt ne ſentiamus quidem: ita divino amore inflammemur, ut in acerbis operibus & pœnitentiæ fructibus nos exercentes, aut nihil fermè incommodi ſentiamus, aut omnia lætiſſimo animo filiorum Dei more perferamus. Unde illud Auguſtini, vel alteriùs authoris lib. de vera & falſa pœnit. *Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.* Et verus Auguſtinus, lib. 5. Confeſſ. cap. 2. *Ecce ibi es in corde confitentium tibi, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis terges lacrymas eorum, ut magis plorent, & gaudeant in fletibus.*

Ad hanc continentem perpetuæ compunctionis praxim facilè permovebimur, ſi ſummum & maximum dolorem ex commiſſis peccatis ſuſcipiendum eſſe, ita ut nullus major excogitari poſſit, ſuadeamur: ſuadebimur autem, ſi cum Catechiſmo Romano attendamus, quod cùm perfecta contritio ſit charitatis fructus, ab eoque caſto timore, qui filiorum eſt, proficiſcatur, liquidum eſt eundem charitatis & contritionis modum ſtatuendum eſſe. Cùm enim charitas quâ Deum diligimus, perfectiſſimus amor ſit, hinc fit ut contritio vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habeat; quia ſicut Deus maximè diligendus eſt, ita quæ nos à Deo alienant maximè deteſtari debemus. Hinc ſacræ litteræ eodem loquendi genere charitatis & contritionis magnitudinem ſignificant; ut ſicut de charitate dictum eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ita quo ad contritionem hortatur Dominus per Prophetam: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Ergo Deum ſummum bonum ſuper omnia non diligimus, ſi peccatum ſummum malum ſuper omnia odio maximo non proſequimur. Unde illud etiam ſequitur, ut ſicut vita Chriſtiani perpetuus eſt ad Deum ſummè dilectum motus, ita & perpetua de patratis peccatis pœnitentia. *Ergo de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*, ut dicitur Eccleſ. 5. Quia ut optimè D. Thomas quæſt. 4. Supplem. art. 1. *Quandiu aliquis eſt in ſtatu viæ, deteſtatur incommoda, quibus à perventione ad terminum viæ retardatur, vel impeditur: unde cùm per peccatum præteritum vitæ noſtræ curſus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum recuperari non poteſt; ideo oportet quod ſemper in vita hujus temporis ſtatus contritionis maneat, quantum ad peccati deteſtationem, ſimiliter etiam quantum ad ſenſibilem dolorem; quia enim homo peccando pœnam æternam meruit, & contra æternum Deum peccavit, debet pœnâ æternâ in temporalem mutatâ, ſaltem dolor in toto homine æterno, id eſt in ſtatu hujus vitæ manere. Et propter hoc dicit*

Hugo

Hugo de ſancto Victore, quod Deus abſolvens hominem à culpa & pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ deteſtationis. Hinc Bern. lib. de triplici cuſtodia: *Volat tempus irremeabile, nec advertit inſipiens quid amittat; tempus quo divinam repropitiare tibi debueras pietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.*

Speculatio III.

Legitima Sacramenti pœnitentiæ forma eſt hæc: Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; quæ proinde non precatoria duntaxat, ſed judicialis eſt: ac ejus miniſter eſt ſolus Sacerdos, ad ſecretum omni jure aſtrictus.

SUpponit hæc ſpeculatio, ad formam hujus Sacramenti verba omninò deſiderari, nec ſolos ſufficere Sacerdotis nutus; illud enim diſcrimen formam matrimonii inter & formam pœnitentiæ & aliorum Sacramentorum Florentinum & Tridentinum Concilium ſtatuunt, quod ad illam ſufficiunt nutus, cùm matrimonium à mutis legitimè contrahi poſſit; at in aliis Sacramentorum formis verba prorſus & indiſpenſabiliter requiruntur, ut ex dictis de Sacramentis in genere ſatis ſuperque liquet. Hoc præmiſſo.

Probatur prima pars non ſolùm perpetuo Eccleſiæ Catholicæ uſu, ſed hoc etiam diſcurſu: Illa eſt legitima pœnitentiæ Sacramenti forma, quæ effectum pœnitentiæ Sacramenti optimè & aptiſſimè ſignificat; ad hoc enim formæ Sacramentorum ſunt inſtitutæ: & certè cum Sacramentum ſit ſignum gratiæ, illa germana habenda eſt Sacramenti forma, quæ collatam à Sacramento gratiam apertâ ſignificatione declarat. Atqui verba iſta, *Ego te abſolvo*, &c. effectum Sacramenti pœnitentiæ perſpicuè ſignificant, remiſſionem nimirum culparum, & ſolutionem peccatorum, quæ vincula ſacris in litteris appellantur: Proverb. 5. *Funibus ſuorum peccatorum quiſque conſtringitur.* Pſalm. 115. *Dirupiſti vincula mea.* Pſalm. 118. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Ergo quam retulimus convenientiſſima eſt hujus Sacramenti forma. An autem omnia illa verba ſint eſſentialia, videtur D. Thomas exigere ſolùm priora, nimirum *Ego te abſolvo*, quibus effectus Sacramenti ſignificatur. Et quamvis S. Doctor quæſt. 84. art. 3. eodem modo dicat verba iſta, *Ego te abſolvo*, in Sacramento pœnitentiæ, ac iſta, *Ego te Baptizo*, in Sacramento baptiſmi deſiderari, ut patet legenti textum quibus non excluduntur à forma baptiſmi verba ſequentia, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: veruntamen hanc ipſemet difficultatem in reſponſione ad 3. occupavit his verbis: *Sacerdos potiùs dicit, Ego te abſolvo quam ego tibi peccata remitto; quia hoc magis congruit verbis quæ Dominus dicit, virtutem clavium oſtendens, per quas Sacerdotes abſolvunt. Quia tamen Sacerdos ſicut miniſter abſolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam authoritatem Dei, ſcilicet ut dicatur: Ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vel per virtutem paſſionis Chriſti, vel authoritate Dei. Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti, ſicut in baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sacerdotis.* Vides ergo ex D. Thoma verba illa omnia non eſſe formæ Sacramenti pœnitentiæ eſſentialia. Quod verò addit, eorum appoſitionem relinqui arbitrio Sacerdotis, verum erat tempore D. Thomæ, ſed cùm Florentinum & Tridentinum Concilium ea omnia verba proferre ſaltem implicitè præcipiant, hoc ipſo quod dicunt, formam hujus Sacramenti eſſe hæc verba, *Ego te abſolvo, &c.* quæ pars cuiâ *&c.* alia ſaltem tacitè requirit, non eſt modò relictū arbitrio Sacerdotis verba illa, *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti*, ſilentio prætermittere. Maximè quia uſu Eccleſiæ ubique recepto, qui optimus eſt legum interpres, patet ut tametſi aliquando orationes precatoriæ abſolutionē præcedentes vel ſequentes, in magno præſertim populi concurſu prætermittantur, nunquam tamen verba præfata mutilâ facere quiſpiam præſumat: quamvis in rei veritate ſola potiora vocabula proprium hujus Sacramenti effectum, ſolutionem nimirum à peccati vinculis ſicut ſignificant, ita & efficiant, ſatiſque ex intentione proferentis & prævia pœnitentis confeſſione determinentur.

Secunda ſpeculationis pars, quæ ait formam Sacramenti pœnitentiæ non eſſe precatoriam, ſed judicialem, id eſt authoritate judicis, Deo tamen ſubordinatâ, à Sacerdote proficiſcentem, ex nuda formæ propoſitione per ſe verba penetrantibus conſpicua eſt. Cùm enim forma illis verbis exprimatur, *Ego te abſolvo, &c.* ut Concilia œcumenica ultimùm celebrata definierunt, quibus ut patet, non deprecatio vel oratio ulla funditur, ſed authoritas delegata exequutioni mandatur, manifeſtum eſt formam Sacramenti pœnitentiæ non deprecatoriam illam quidem, ſed judicialem eſſe dicendam. Id ipſum confirmat S. Thomas opuſc. 22. tum ex verbis Salvatoris, ex quibus conſtat Chriſtum Sacerdotibus abſolvendorum ſuo nomine peccatorum poteſtatem contuliſſe: *Præſumptuoſum ergo eſt* inquit, *ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non poſſit. Ego abſolvo te, quem Dominus abſolvere confitetur.* Tum ex Apoſtolo 2. Cor. 2. ſcribente, *ſe donaſſe peccatum in perſona Chriſti. Quaſi dicat ſecundùm gloſſam, ſe abſolviſſe à peccato.* Tum teſtimonio Sanctæ Eccleſiæ: *Quia*, inquit, *non eſt parva authoritas ejus quod in Eccleſia canitur, Iam bone Paſtor Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula reſolve tibi poteſtate traditâ. Poteſtas autem tradita Petro eſt poteſtas clavium: poteſt ergo habens claves dicere, Ego te abſolvo.* Tum quia *verba Scripturæ, quæ maximè ſpectanda ſunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, ſed magis ipſa verbo indicativo utuntur. Non enim dicit, quæcunque petieris eſſe ſolvenda, erunt ſoluta; ſed quæcunque ſolveris, &c. Si ergo illa tantùm dicuntur eſſe ſoluta, quæ habens claves ſolverit; qui autem petit aliquid eſſe ſolvendum, non ſolvit: miror quâ temeritate aliquis aſſerat, eſſe ſolutum, quem habens claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolùm rogat eſſe ſolvendum.* Tum quia id nedum conveniens, ſed planè neceſſarium eſſe videtur, quia Sacramenta novæ legis efficiunt id quod ſignificant: verba autem à Sacerdote prolata pertinent ad Sacramentum pœnitentiæ, cùm ſint forma illius: ergo gratiam abſolutivam à peccato efficiunt, nec illam ſolùm deprecationibus obtinet. Denique quia id ex perpetua traditione conſtat; nam neque Magiſter ſententiarum, nec ullus Sanctus aliâ verborum formâ legitur uſus: legitur autem quod Legislator noſter & Sacramentorum inſtitutor Chriſtus Dominus dixit: *Quodcunque ſolveris*, quod eſt majus omni authoritate. Ergo forma pœnitentiæ Sacramenti non precatoria eſt, ſed judicialis. Hæc omnia ferè D. Thomas, quæ Sancta Synodus Tridentina conſecraſſe videtur, dum ſeſſ. 14. can. 9. ſic pronuntiat: *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata, anathema ſit.* Certè non tam magnifica Chriſtus verba protuliſſet,

Digitized by Google

tuliſſet, niſi effectivam remittendorum peccatorum poteſtatem Sacerdotibus contuliſſet.

Sed dices: Sæpè contingit pœnitentem eſſe verè à peccatis abſolutum, cùm profertur Sacerdotis ſententia his verbis expreſſa, *Ego te abſolvo*, putà cùm pœnitens eſt perfectè contritus, vel peccata aliàs confeſſa & ſoluta Sacerdoti exponit, ut beneficium abſolutionis iteratò recipiat. Ergo tunc ſaltem forma à Sacerdote prolata non eſt judicialis, ſed merè precatoria, alioquin forma tunc verificari minimè poſſet.

Reſpondeo hoc argumento etiam adverſam ſententiam peti, ut vel inde pateat quantum à ſoliditate deſtituta ſit: ſi enim pœnitens antequam ad Sacramentum pœnitentiæ accedat à peccatis ſolutus quacumque tandem ratione ſit, profectò abſolutionem Sacerdos pro illo deprecari non poteſt, ſicut eam juxta adverſarios efficere nequit. Quamobrem ad communem omnibus ſententiis difficultatem dicendum, verba illa, ut optimè docet S. Thomas quæſt. 84. art. 3. ad 5. hunc ſenſum facere, *Ego Sacramentum abſolutionis tibi impendo*, id eſt gratiam per ſe peccati remiſſivam authoritate mihi divinitus conceſſa tibi impertio. Poteſt autem in hoc Sacramento conferri gratia ſolutiva & remiſſiva peccati, tametſi peccatum, quia non eſt, non remittat: ſicut baptiſmi forma catechumeno per votum baptiſmatis & amorem Dei regenerato gratiam regenerativam confert, tametſi regeneratum præcedentium operum apparatu ſupponat. Unde in utroque caſu non ſunt inania, ſed efficaciſſima Sacramenta, quia gratiam non perfectè contritis conferunt; in iis verò qui ſunt perfectè contriti, novis eam cumulant incrementis. Atque huic propoſito ea omnia peropportuna ſunt, quæ ſpeculatione prima diſputantes contra Lutheranos & Calviniſtas operosè ex Scripturis & Patribus protulimus.

Inſtabis: Forma Eccleſiæ Orientalis, in qua verom peragitur pœnitentiæ Sacramentum, eſt tantùm precatoria, nec veteres Patres aliud ad formam hujus Sacramenti requirunt, quàm preces Sacerdotum. Unde Magnus Leo epiſt. 99. ait, *indulgentiam Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum obtineri non poſſe.* Quæ verba referuntur de pœnitent. diſt. 1. canone *Multiplex*. Quibus conſentaneè Guillelmus Pariſienſis de Sacrament. pœnit. cap. 19. ſic habet: *Non more judicum forenſecorum pronuntiat Confeſſor, Abſolvimus te, ſed magis orationem facit ſuper eum, ut ei Deus abſolutionem, remiſſionem, & gratiam tribuat* Ergo forma hujus Sacramenti non eſt abſolutè judicialis, ſed poteſt eſſe precatoria.

Reſpondeo falſum eſſe, formam Sacramenti pœnitentiæ per modum meræ precationis, non ad modum judicii in Eccleſia Græca proferri. Quia ut refert Arcudius lib. 4. de pœnit. Rutheni Sacerdotes in fine ſuarum orationum ſic concludunt: *Ego quoque Pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo & à ſuperioribus meis conceſſa abſolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Et libello de Sacramentis à Gabriele Antiſtite Philadelphiæ edito, aſſignatur hæc forma: *Gratia Sanctiſſimi Spiritus per meam humilitatem habet te veniâ donatum & abſolutum.* Et in formula patriarchæ Antiocheni ſic habetur: *Mediocritas noſtra habet veniâ condonatum ſpiritualem filium ſuum.* : : : *Omnipotentis poteſtate, gratiâque Sancti & adorandi Spiritus eum ſolvimus, & habemus liberum & veniâ donatum.* Et Eccleſiaſtici Græci paſſim eâ formâ utuntur: *Habeo te ſolutum, veniâ donatum.* Quod idem eſt ac, Abſoluto te, & condono tibi peccata. ſicut à ſimili quando ligant & excommunicant, dum aiunt, *Habeo te ſegregatum*, idem planè eſt ac, Segrego te. Et quamvis Arcudius dicat non extare ejuſmodi formam in Euchologio Græcorum, nihilominus P. Goar in Oriente diu verſatus, & linguæ Græcæ peritiâ nulli ſecundus in illo præclaro ſuo Euchologio ſeu Rituali Græcorum, pag. 678. profert Euchologium apud eos jam paſſim receptum, in quo hæc verba habentur: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Deus, qui mandatum ligandi & ſolvendi peccata diſcipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua: Ego verò indignus ejus ſervus abſolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Item: *Dominus juſtus, qui propter nos carnem aſſumpſit & univerſi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat. Ego verò condono tibi omnia peccata tua.* Quod ſi in aliis Græcorum Ritualibus verba tantùm in ſpeciem deprecatoria legantur, putà iſta quæ apud Græcos familiariora ſunt, *Domine Ieſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolve hunc à peccatis ſuis*: vel iſta, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem, quæ per illos tranſiit ad nos, abſolvat te, ſive condonet tibi peccata tua*; dicendum, vel verba illa pertinere ad orationes Sacerdotis, quæ etiam in Eccleſia Latina ſolent abſolutioni ſacramentali præmitti: vel ut aliqui ingenioſè explicant, formam eo verborum tenore expreſſam non omninò deprecativam, ſed applicativam eſſe. Cùm enim his verbis agnoſcant Græci Sacerdotes ſe poteſtatem habere, eo dicendi modo intendunt virtutem & actionem principalis agentis applicare: unde practicè, & ut ita dicam, *in actu exercito* verba illa iſtis æquivalent, *Ego te abſolvo*; cùm ſe perſonam Dei in terris gerere, atque adeo ſe Dei virtute operari fateantur. Et certè, cùm nulla unquam extiterit Græcos inter & Latinos hac de re controverſia, non eſt veriſimile Sacramenti pœnitentiæ eſſentialem formam ullibi eſſe mutatam; ac proinde conſequens eſt, ut ea quam Latini uſurpant, æquivalenter contineatur in illa quâ Græci utuntur.

Ad id quod dicitur, Sanctos Patres, & in his Magnum Leonem orationes duntaxat deſideraſſe, ex ſuprà adductis ſpeculatione prima Patrum teſtimoniis patet quàm ſit falſum. Ideò enim Patres Novatianos tanquam hæreticos ea potiſſimùm de cauſa exploſerunt, quòd remittendi poteſtatem Sacerdotibus conceſſam pertinaciter negarent, & ut aiebat Aceſius Novatianus Epiſcopus à Socrate Scholaſtico in 1. lib. Eccleſiaſt. hiſtor. relatus, *remiſſionis ſpem non à Sacerdotibus, ſed à Deo expectandam.* Cui Magnum Conſtantinum, ut alibi retulimus, reſpondiſſe ferunt: *Erigito tibi ſcalam Aceſi, & ad cælum ſolus aſcendito.* Quam obrem cùm Patres orationes Sacerdotum deſiderant, non propterea authoritatem abſolvendi iis tanquam inſtrumentis delegatam excludunt, ſed ad eas orationes alludunt, quas ſolent Sacerdotes prolationi formæ præmittere, & cœleſte Numen ante vel poſt abſolutionem fuſis precibus invocare; eò ſpectantes, ut Deum principalem gratiæ cauſam, & Sacramentorum authorem eſſe ſignificent. Sanè quemadmodum formam Euchariſtiæ invocationem Sancti Numinis & gratiarum actionem, ob preces conſecrationem circunſtantes dicere ſolent, ita eandem ob cauſam ſupplicationibus Sacerdotum remittendorum peccatorum tribuunt poteſtatem.

Hanc eſſe Magni Leonis mentem ex homilia de Transfiguratione clarè patet, ubi ſic fatur: *Nec in ſolvendis & ligandis quorumcunque cauſis aliud ratum eſſet in cælis, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.* Quibus affinia ſunt quæ habet Chryſoſtomus hom. 5. de verbis Iſaiæ: *A terra judicandi principalem authoritatem ſumit cælum. Nam judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in ſupernis comprobat.*

Eodem

Eodem modo exponi debet Ambroſius libro 3. de Spiritu ſancto, cap. 19. *Ecce, inquit, quia per Spiritum ſanctum peccata donantur; homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neq; enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittuntur; iſti rogant, divinitas donat. Humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.* Quibus verbis precum earum meminit, quas Eccleſiæ juſſu Sacerdotes abſolutionem impertientes frequentant; vel principalem abſolvendi poteſtatem ſoli Deo eximiam Sacerdotibus negare duntaxat intendit. Eam fuiſſe Ambroſii mentem ex iis perſpicuum eſt, quæ lib. de Abel & Cain, cap. 4. his verbis ſcripſit: *Remittuntur peccata per officium Sacerdotis, ſacrumque miniſterium.*

In eundem ſcopum collimavit Auguſtinus lib. 3. de baptiſ. cont. Donatiſtas, cap. 3. dum dixit: *Quid eſt aliud manus impoſitio* (id eſt adminiſtratio Sacramenti pœnitentiæ, in qua manus imponi pœnitentibus ſolenne erat; loquitur namque ibi Auguſtinus de manuum impoſitione quæ iterari poteſt, quæ utique ſolius Sacramenti pœnitentiæ eſt propria,) *quàm oratio ſuper hominem?* Nam ſi Auguſtinus in fonte legatur, perſpicuum erit, eam duntaxat remittendorum peccatorum poteſtatem S. Doctorem reprobaſſe, quam hæretici propriis Sacerdotis meritis aſcribebant, ait enim: *Daturus erat Dominus hominibus Spiritum ſanctum, & ab ipſo Spiritu ſancto fidelibus ſuis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata.*

Denique ne nobis opponatur cum M. Joanne Launoio, viro alioquin erudito & antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcrutatore acerrimo, D. Thomæ ſententiam à Patrum vetuſtate recedere, quædam placet ſelectiora Patrum teſtimonia in medium producere, quibus noſtræ doctrinæ antiquitas ab omnibus objectionibus vindicetur. *Non ſolum Sacerdotes cùm regenerant,* inquit Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, *ſed etiam poſtea condonandorum peccatorum obtinent poteſtatem.* Ergo non ſolùm deprecandi, ſed etiam abſolvendi facultas & authoritas Sacerdotibus noſtris conceſſa eſt: Ergo ſicut in Baptiſmo forma abſoluta, non deprecatoria eſt, ita & in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ eadem utuntur, cùm ex Chryſoſtomo non minorem ad abſolvendum condonandumq; peccata, quàm ad regenerandum poteſtatem acceperint. *Duobus modis,* inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 56. vel cap. 22. & 23. modernæ editionis, *Dei ſpiritu pleni vel afflati homines peccata remittunt, ac retinent; vel cùm dignos admittunt ad baptiſmum, ac indignos excludunt, vel cùm filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt.* Ubi non ſecus ac Chryſoſtomus eandem Sacerdotibus ad peccata pœnitentibus remittenda, ac ad baptiſmum conferendum poteſtatem conceſſam agnoſcit. *Non intereſt,* inquit eodem planè ſenſu Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 7. *utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus* (remittendi peccata) *ſibi datum vindicent Sacerdotes: idem in utroque myſterio eſt.* Quam doctrinam e veteribus eſſe depromptam declarat Magnus Baſilius in regulis fuſiùs diſputatis, interrogat. 288. his verbis: *Neceſſariò iis aperiri peccata debent, quibus eſt credita diſpenſatio myſteriorum Dei. hanc enim rationem & in pœnitentia ſecuti ſunt veteres.*

Ad authoritatem Guillelmi Pariſienſis dicendum, verum eſſe, non eadem tamque principali authoritate Sacerdotem pœnitentem abſolvere, quantâ abſolvit judex forinſecus accuſatum; quia iſta poteſt eſſe abſoluta, ut in Principe vel ſupremo Senatu, qui nullas precationes præmittere, uti noſtri Sacerdotes, ſolent. Quanvis præfati Guillelmi teſtimonium non ſit cogens, vel tanta ſit ejus authoritas, ut à viri alioquin illuſtris ſententia non recedere ſit neceſſarium Theologo, qui ſoli Patribus, vel Eccleſiæ Doctoribus illud reverentiæ obſequium debet, ut eorum verba vel ſimpliciter recipiat, vel conſentaneâ expoſitione interpretetur.

Inſtabis iterum: Formam Sacramenti pœnitentiæ eſſe abſolutam, & admodum judicii & non ſolius precationis, potiſſimùm colligimus ex illis magnificis Salvatoris verbis, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis*: ex hoc enim quod Chriſtus non dixit, quocunque ſolutum oſtenderitis, vel pro quibus ſolvendis oraveritis, inferimus quod ſententiam Sacerdotum non præcedit, ſed ſubſequitur ſententia cœli: quia ſi nihil aliud facerent Sacerdotes, parùm eſſet de hujuſmodi declaratione curandum, vel ſaltem non plus facerent Sacerdotes quàm laici, qui utique pro fratribus peccatoribus orationes ad Deum fundere poſſunt. Atqui hic diſcurſus nihil efficit; nam eiſdem verbis à Chriſto prolatis promiſſa etiam & data eſt ab excommunicatione abſolvendi facultas; & tamen concors Theologorum ſententia fert, aliquem poſſe ab excommunicationis vinculo formâ precatoriâ, putà *abſolvat te Deus à cenſuris*, eiſdem irretitum abſolvere. Ergo forma hujus Sacramenti non eſt neceſſariò judicialis, ſed poteſt etiam eſſe precatoria, ruitque totum noſtrum fundamentum ex verbis & promiſſis Chriſti à nobis cum D. Thoma firmatum.

Reſpondeo quod licèt illis verbis, *quæcumque alligaveritis*, data ſit ſuperioribus Eccleſiaſtici ſententiam excommunicationis ferendi, & ab eadem abſolvendi facultas, poteſtatem tamen remittendi peccata & conſequenter Sacramentum pœnitentiæ potiſſimùm colligunt Patres & Theologi ex illis Joan. 20. verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus Veritas non ſolùm orandi pro peccatoribus, vel eos abſolutos declarandi, ſed ipſa peccata remittendi facultatem largitus eſt, quæ proinde formâ judiciali authoritatem à Deo datam præferente neceſſariò exprimitur, ut poteſtas illa exequutioni mandetur. Sed utut ſit, & quibus tandem verbis Chriſtus poteſtatem ferendi cenſuras, ab eiſque ſolvendi largitus fuerit, fateor abſolutionem à cenſura poſſe eſſe precatoriam, non tamen abſolutionem è peccatis. Et ratio diſcriminis non ſolùm ex uſu Eccleſiæ petitur, quæ ut benè ait Arcudius, vocem ſponſi audit & intelligit, ejuſque verba legitimè interpretatur; ſed etiam quia cùm abſolutio à cenſura non ſit ſacramentalis, ejus forma arbitratui ſuperioris Eccleſiaſtici permiſſa eſt, modò tandem intentionem ſuam exprimat; exprimit autem ea non ſolùm verbis abſolutis, ſed etiam deprecatoriis, quin & ſignis & nutibus, immò & familiari cum excommunicato conſortio, quod à ſuperiore quacunque tandem ratione liberè toleratur. At verò abſolutio peccatorum eſt ſacramentalis, ac proinde non hominum quorumcunq; permiſſa optioni, ſed juxta inſtitutionem Chriſti perenni traditione ab Apoſtolis ad Patres, à Patribus ad poſteros tranſmiſſa inviolabiliter obſervanda. Ut enim de Sacramentis in genere oſtenſum eſt, formæ Sacramentorum nulli ſunt mutationi obnoxiæ, quia non juxta ſolam Sacerdotum intentionem [quæ tamen alioquin in miniſtro neceſſaria eſt] ſed juxta Chriſti voluntatem gratiam producunt, quam ſignificant.

Urgebis: In Sacramento Extremæ Unctionis Sacerdotes orationibus ſuis formuliſque precatoriis non ſolùm remiſſionem peccatorum ægrotis à Deo petunt, ſed etiam illam impertiunt: ergo ſimiliter in Sacramento pœnitentiæ formâ precatoriâ gratiam remiſſivam peccati ritè contritis & confeſſis Sacerdos impendet. Maximè quia ideo nos poſt D. Thomam formam indicativam & authoritatem exprimentem deſideravimus, ut miniſter Sacramenti inſtrumentaliter concurrat, efficiatq; quod ſignificat. At illa ratio infirma eſt; nam miniſter Extre-

mæ-Unctionis verbis ſuis verè concurrit ad gratiam Sacramenti Extremæ-Unctionis producendam, eamque efficit quam ſignificat; & tamen forma illa verbis deprecatoriis exprimitur: Ergo etiam deprecatoriâ formâ peræq; poteſt gratia Sacramenti pœnitentiæ peccatoribus diſpoſitis impendi.

Reſpondeo non rectè iniri comparationem inter Sacramentum pœnitentiæ & Sacramentum *Extremæ*-Unctionis: diſparitas enim toto cœlo intercedit. Etenim Sacramentum Extremæ-Unctionis non exercetur per modum judicii, ſed per modum ſolatii, quod maximè præſtant orationes divinam miſericordiam interpellantes, & cœleſtis ſuavitatis lenimenta ſacris orationibus aptiſſimè ſignificata, à Patre miſericordiarum & Deo totius conſolationis impetrantes, ne infirmus morbi gravitate, vel tentationum mole oppreſſus fatiſcat. At verò Sacramentum pœnitentiæ per modum judicii miniſtratur, in quo reus accuſator ſui corrigitur, punitur, abſolvitur, vel ligatur. Patet autem nullam judicis ullius ſententiam verbis precatoriis ferri; ſed unis verbis indicativis, vel imperativis, quibus judicantis authoritas exprimitur, pronuntiatur. Alia ratio ex ipſa Sacramentorum inſtitutione petita ſatis ſuperque ſufficeret, etiamſi mox allatâ ex intimis utriuſque Sacramenti, ut ita dicam, viſceribus deſumptâ careremus. Cùm enim ex ſacris litteris conſtet, formam Sacramenti pœnitentiæ his verbis indicari, *quæcumque ſolveritis*, &c. *& quorum remiſeritis*, &c. Eccleſia divina inſtitutione formata optimè judicavit, quod ſicut ex verbis Chriſti baptiſmum inſtituentis rectè dicimus in baptiſmo conferendo, *ego te baptizo*; ita ex eiſdem non minùs perſpicuis Veritatis verbis rectè colligi, in Sacramento pœnitentiæ hanc eſſe formam, *Ego te abſolvo*. At verò ex eiſdem ſacris litteris, Jacobi cap. 5. tam luculenter expreſſis habemus, quod *oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*; ideo conſequens eſt ut forma Sacramenti Extremæ-Unctionis precatoriâ formulâ exprimatur, & ita Eccleſia Catholica à Spiritu ſancto continenter gubernata perpetuò exiſtimavit.

De miniſtro pœnitentiæ.

Tertia ſpeculationis pars, quæ tradit ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ, ferè patet ex dictis de inſtitutione & forma hujus Sacramenti, & definita fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6. his verbis: *Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, & falſas eſſe, & à veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, Clavium miniſterium pernicioſè extendunt; putantes verba illa Domini, Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt, alligata & in cœlo; & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo; &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt, ad omnes Chriſti fideles indifferenter & promiſcuè contra inſtitutionem hujus Sacramenti ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata; publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam.* Quod & canone 10. adjuncto anathemate repetit. Idque fuerat antea in Concilio Florentino definitum, & in omnibus antiquioribus tanquam in dubium præſupponitur.

Convenientiam adducit S. Thomas quæſt. 8. Supplementi, art. 1. Quia cùm ſolus Sacerdos miniſterium habeat ſuper corpus Chriſti naturale, illi ſoli etiam competit poteſtas in corpus Chriſti myſticum ſeu Fideles, qui ſunt membra Chriſti & corpus Eccleſiæ integrant. Et poteſt confirmari, tum quia ſolis Sacerdotibus in perſona Apoſtolorum conceſſa eſt peccatorum remittendorum poteſtas, atque authoritas judicialis, quæ in republica benè ordinata non omnibus communis, ſed quibuſdam debet eſſe eximia; & hi ſanè in Republica Chriſtiana Sacerdotes ſunt, qui cùm ratione officii mediatores inter Deum & homines conſtituti ſint, ad illos pro peccatis orare, pro peccatoribus ſacrificium Deo offerre, eoſque à peccatis mundare pertinet. Præſertim cùm Fideles hoc pœnitentiæ Sacramento ad ſacram *Eucharistiam* ſumendam apti idoneique reddantur, ad illos remiſſionem peccatorum Dei authoritate impendere ſpectat, quibus competit verum Chriſti corpus conficiendi miniſtrandique poteſtas. Tum quia ſumma ſemper religione in antiquiſſima Eccleſia jus ordinarii Sacerdotis conſervatum fuit, ut ex veteribus illis Patrum decretis perſpicuum eſt, quibus cautum eſt, ne quis Epiſcopus aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere audeat ſine ejus authoritate qui illi præeſſet, aut niſi magna neceſſitas cogere videretur. Quod & ab Apoſtolo ad Titum 5. ſancitum eſt, cùm illi præcepit, ut in ſingulis civitatibus Sacerdotes conſtitueret, qui ſcilicet verbi & Sacramentorum cœleſti pabulo fidelem populum alerent atque educarent.

Denique hujus veritatis ſignum juxta Patres dedit Dominus, cùm Apoſtolis id negotii demandavit, ut Lazarum à mortuis excitatum à vinculis ſolverent, quibus conſtrictus erat: confeſſio enim in mortui Lazari reſurrectione præfigurata eſt, ut docet Magn. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 9. *Mortuo Lazaro*, inquit, *qui magna mole premebatur, nequaquam dicitur, reviviſce, ſed veni foras: ex qua ſcilicet reſurrectione quæ geſta eſt in illius corpore, ſignatur qualiter nos reſuſcitamur in corde; ut homo in peccato jam mortuus, & per molem malæ conſuetudinis jam ſepultus, quia intra conſcientiam ſuam abſconſus jacet per nequitiam, à ſemetipſo foras exeat per confeſſionem.* Sicut autem per reſurrectionem Lazari confeſſio, ita per vinculorum ſolutionem Apoſtolis commiſſam abſolutio à peccatis ſignificatur. Unde Auguſtinus vel author libri de vera & falſa pœnitentia, ait ipſos Sacerdotes plus jam poſſe proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittunt. Quam ob cauſam Dominus Lazarum, quem jam ſuſcitaverat, obtulit diſcipulis ſolvendum, per hoc oſtendens poteſtatem ſolvendi Sacerdotibus eſſe conceſſam. Quod idem notat verus Auguſtinus ſermone 8. de verbis Domini. Quò etiam pertinet, quod iis qui à lepra in itinere curati ſunt, præceperat ut Sacerdotibus ſe oſtenderent, illorumque judicium ſubirent; ad quod factum alludens Venerabilis Beda relatus à Magiſtro Sentent. 4. diſt. 17. ait: *Porrò gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore juſſerit, purificare curemus.*

Nec obeſt ſi opponas illud Jacobi. 5. *Confitemini peccata veſtra*; quæ verba Auguſtinus lib. 50. homil. hom. 12. de confeſſione ſacramentali interpretatur. Illo autem Jacobi loco cuicumque peccata confitendi videtur libertas permiſſa. Unde author libri de vera & falſa pœnitentia, inter opera Auguſtini: *Tanta vis eſt confeſſionis*, inquit, *ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur laico.* Et extra de furtis, cap. *Fures* dicitur: *Fures ſi furando comprehenſi vel vulnerati Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.* Quod ex Triburienſi Concilio, atque ex Cypriano lib. 3. epiſt. 17. deſumptum eſſe videtur.

Reſpondetur enim cum D. Thoma art. 8. ad 1. *quod Jacobus loquitur ex præſuppoſitione divinæ inſtitutionis: Et quia divinitus inſtitutio præceſſerat de confeſſione Sacerdotibus facienda, per hoc quod eis poteſtatem remittendi peccata in Apoſtolis dedit, ut patet Joan. 20. ideo intelligendum eſt, quod Jacobus Sacerdotibus confeſſionem eſſe faciendam monuit.* Quare his verbis ſolùm B. Jacobus intendebat ipſos Sacerdotes non eſſe à ſacramentalis confeſſionis lege immunes, & ideo confiteri alterutrum præcipit, non ut omnibus excipiendarum confeſſionũ conferat fa-

tat facultatem, ſed ut omnes ſive Sacerdotes, ſive Epiſcopos, ſive ipſum Eccleſiæ Hierarcham confeſſionis declaret lege teneri. Unde quod Jacobus ait *alterutrum* idè eſt, ut exponit Hugo, ac alter alteri, id eſt homo homini, ſupple poteſtatem habenti, ad ſignificandum quod non ſufficit hominem Deo confiteri. Cui interpretationi favet Origenes hom. 2. in Leviticum.

Id verò quod ex authore libri de vera & falſa pœnitentia ſubjungitur, ſolùm ſignificat poſſe quempiam interdum laico vel Clerico non Sacerdoti peccata per modum commutationis & humilitatis exercendæ gratiâ, in articulo præſertim neceſſitatis, abſente Sacerdote confiteri. Qui uſus erat in primitiva Eccleſia familiaris, & nunc etiam in quibuſdam ſacrarum Virginum monaſteriis viget, in quibus inferiores ſuperioribus vel aliis ſpiritualioribus internum animi ſtatum, paſſionum prædominantium impetus, imperfectionum quotidianarum radices, tentationum conflictus humiliter detegunt, ut citiùs ſanentur, & tutiùs in via Dei ſub aliorum regimine procedant. Sed tunc non eſt confeſſio ſacramentalis, ſed humiliatio ſalutaris, in qua eximia prudentia opus eſt, quæ ſæpe deeſt mulieribus naturâ ſuâ plus juſto curioſis, & imperii amantibus. Quare ſuperioriſſæ iis in locis, ubi mos ille ſervatur, nec peccata graviora inquirere, nec libertatem ulla prorſus ratione adigere, nec aliud quidpiam exigere quàm generalem interioris domûs notitiam debent, ut infirmas ſuſcipiant, conſolentur puſillanimes, excitent tepidas, ferventiores moderentur. Cætera Sacerdotibus & Confeſſariis omninò relinquant. Quia ſcriptum eſt: *Altiora te ne quæſieris.* Et juxta tritum adagium: *Ne ſutor ultra crepidam.* Nec Mulier fortis in Proverbiis Salomonis cap. 31. commendatur, quòd conſcientias direxerit, vel quòd ſibi hoc ultro ſumpſerit, ut internis morbis medeatur; ſed quia *quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Apoſtolus etiam mulieribus in Eccleſia, id eſt de rebus Eccleſiaſticis & in Eccleſia celebrandis ſilentium arctiſſimum impoſuit.

Ad caput *Fures*, dicendum optimè obſervaſſe P. Nicolai locum eſſe mendoſum, atque ita legendum eſſe: *ſi comprehenſi & vulnerati, Deoque & Sacerdoti confeſſi, &c.* ut ex tomo 3. Conciliorum, parte 1. perſpicuum eſt. Et quanvis ita legeretur ut objectum eſt, exponi deberet locus ille non de confeſſione ſacramentali apud ſolos Sacerdotes habenda, ſed de confeſſione publica & reconciliativa, in primitiva Eccleſia frequentari ſolita, ut ſenſus ſit, poſſe Diaconum abſente Sacerdote ei peccatori publico, putà furi comprehenſo, communionem Euchariſticam miniſtrare, qui peccatum ſuum publicum publica deteſtatione confeſſus fuiſſet. Et ita interpretandus venit S. Cyprianus, qui revera loquitur de infirmis in pœnitentia publica conſtitutis, animamque fermè agentibus, quorum publicè reconciliandorum provinciam Sacerdotibus, & ob penuriam miniſtrorum abſentibus, vel non exiſtentibus Sacerdotibus, Diaconis Epiſcopus demandabat.

Oppones rurſus: Si Sacerdotes ex vi poteſtatis in ordinatione per impreſſionem characteris ſuſceptæ eſſent miniſtri Sacramenti pœnitentiæ, & poſſent à peccatis abſolvere, non indigerent ad eam exercendam nec Parochi licentia, nec Epiſcopi approbatione. Atqui utrumque ſacris Canonibus & Conciliis repugnat: primum quidem, tum quia in celebri decretali Innocentii III in magno Concilio Lateranenſi edita, cap. 21. expreſsè præcipitur: *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti.* ... *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ille ipſum non poſſit ſolvere vel ligare.* Tum quia ſicut Epiſcopus ſe habet ad diœceſim ſuam, ita Sacerdos ad ſuam parochiam: non licet autem uni Epiſcopo ſine licentia alterius Epiſcopale officium exercere in ejus diœceſi, ſecundùm ſacra canonum ſtatuta, ut legere eſt in decretis, cauſa 26. ubi ex Arauſicano Concilio 1. dicitur: *Si quis Epiſcoporum in aliena civitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, non præſumat dedicationem facere, quæ illius eſt in cujus territorio Eccleſia aſſurgit.* Et cauſa 9. quæſt. 2. can. 3. *Nullus Epiſcoporum alterius adeat civitatem ſuper cujuſquam diſpoſitione, niſi vocatus ab eo cujus juris eſſe dignoſcitur; aut quidquam ibi diſponat, vel ordinet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit.* Et cap. *Nullum*, ex Concilio Antiocheno cap. 13. ſic legitur: *Quod ſi nullo invitante inordinatè ſupervenerit, & quoslibet actus illi Eccleſiæ competentes, qui ad ſe minimè pertinent, uſurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia quæ geſſerit: ipſe vero hujus indiſciplinati auſus & irrationabilis cœpti dignas cauſas excipiat, tanquam depoſitus à Sancta Synodo, & propter hujuſmodi præſumptionem jam prædamnatus.* Secundum vero, quia ad validè abſolvendum requiri juriſdictionem ab Epiſcopo approbante conceſſam, nemo Catholicus inficiatur.

Reſpondeo ad ritè validéque abſolvendum præter poteſtatem Ordinis è manibus Epiſcopi in ordinatione receptam, deſiderari etiam poteſtatem juriſdictionis, quam ordinariam habet Parochus in ſua Parochia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, ſummus Pontifex in univerſo orbe Chriſtiano. Unde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. ſic habet: *Quoniam natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos tantùm feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit & veriſſimum eſſe hæc Synodus confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert in quem non habet ordinariam aut ſubdelegatam poteſtatem.* Quam rationem priùs tradiderat S. Thomas quæſt. 8. art. 4. Supplementi: *Oportet*, inquit, *quod ille qui diſpenſator hujus Sacramenti conſtituitur ſit talis qui poſſit imperare aliquid agendum: imperium autem non competit alicui in alium, niſi qui habet ſuper eum juriſdictionem.* Ex quo infert ad 3. *Quod electio diſcreti Sacerdotis non eſt nobis commiſſa ut ex noſtro arbitrio facienda, ſed de licentia ſuperioris, ſi fortè proprius Sacerdos eſſet minùs idoneus ad apponendum peccatis ſalutare remedium.* Et ad 5. *Quod in illis caſibus, in quibus probabiliter timet pœnitens periculum ſibi vel Sacerdoti ex confeſſione quam ei faceret, debet recurrere ad ſuperiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod ſi licentiam habere non poſſit idem eſt judicium quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis.* Obſervat etiam S. Doctor ad 6. debere eſſe Parochum admodum facilem in ejuſmodi licentiis alteri confitendi concedendis: *Peccaret Sacerdos*, inquit, *ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi; quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.*

Sed ad pleniorem eorum intellectum advertendum eſt, quod licèt ante ſacrum Concilium Tridentinum de jure vel conſuetudine probata Sacerdotes Parochiarum rectores poſſent alios Sacerdotes ſuorum inferiorum confeſſionibus audiendis ſufficere, & in propria Parochia approbare; facultatem tamen illam cuicunque & quavis ratione olim aſſertam ſancta Synodus abrogavit ſeſſ. 23. de reformatione, cap. 15. *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen S. Synodus nullum* [*etiam Regularem*] *poſſe confeſſiones ſæcularium* [*etiam Sacerdotum*] *audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Paro-*

chialo beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat: privilegiis & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus. Suppoſita ergo Epiſcopi approbatione poteſt Sacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis pœnitentem invito Parocho abſolvere, quia tunc à principaliori Rectore animarum juriſdictionem obtinet: unde ſicut Epiſcopus poteſt confeſſionem ejus, qui eſt de aliqua ſuæ diœceſis Parochia, invito Parocho audire, ita & alteri Sacerdoti ejuſdem audiendæ facultatem impertiri valet: tum quia ut arguit D. Thomas art. 5. quidquid poteſt inferior, poteſt ſuperior, ut vulgare axioma fert, dicente Boetio lib. 5. de conſol. proſa 4. *Superior vis amplectitur inferiorem; inferior verò ad ſuperiorem nullo modo aſſurgit.* Si ergo Sacerdos Parochus poteſt ſuo Parochiano dare licentiam ut alteri confiteatur, multò fortiùs ſuperior Prælatus id poteſt. Tum quia poteſtatem quam habet Sacerdos in populum, eam totam ab Epiſcopo habet: Ergo ſi ex illa poteſtate valet confeſſiones audire & confeſſos abſolvere, eadem id ratione alius poterit, cui Epiſcopus facultatem conceſſerit. Nèc propterea Parocho damnum vel detrimentum creatur, quia ut ſapienter ait S. Thomas art. 5. ad 1. *Præjudicium non fit alicui, niſi ei ſubtrahatur quod eſt in favorem ejus indultum: juriſdictionis autem poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis & honorem Dei. Et ideo ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis & honorem Dei promovendum, quod aliis qui ſunt juriſdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti; & qui gregi præſunt, non ut eum paſcant, ſed ut ab eo paſcantur.* Quam doctrinam gloriæ Dei caſti ſectatores præ oculis habere debent.

Nec obeſt quod divino mandato Rectoribus animarum præceptum eſt Proverb. 27. *ut diligenter vultum pecoris ſui agnoſcant;* hoc eſt, ut ibi Beda interpretatur, ut diligentem adhibeant iis curam, quibus ipſos præeſſe contigerit, agnoſcendo animos actúſque ſingulorum, & quidquid in eis vitii fœdidantis invenerint caſtigando. Quod impediri videtur, ſi alius quiſpiam ad audiendas confeſſiones admittatur. Non obeſt, inquam, quia ut rectè ait S. Doctor ad 2. *Rector Eccleſiæ debet vultum pecoris ſui*, id eſt ſtatum animarum ſibi ſubditarum, *agnoſcere dupliciter: uno modo per ſolicitam exterioris converſationis conſiderationem, quia invigilare debet ſuper gregem ſibi commiſſum; & in hac cognitione non oportet quod credat ſubdito, ſed certitudinem facti inquantum poteſt inquirat: alio modo per confeſſionis manifeſtationem; & quantum ad hanc cognitionem non poteſt majorem certitudinem accipere, quam ut ſubdito credat, quia hoc eſt ad ſubveniendum conſcientiæ ipſius; unde in foro confeſſionis creditur homini & pro ſe, & contra ſe, non autem in foro exterioris judicii. Et ideo ad hanc cognitionem ſufficit quod credat ſubdito dicenti ſe alteri abſolvere valenti fuiſſe confeſſum. Et ſic patet quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de confeſſione audienda, non impeditur.*

Inſtabis: Illud non debent ab Epiſcopis Sacerdotes de novo accipere, quod in ordinatione ſua per manuum impoſitionem receperunt. Atqui juriſdictionem audiendi confeſſiones Epiſcopi Sacerdotibus contulerunt, cùm eis manus imponentes dixerunt: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt.* Ergo non indigent nova Epiſcopi approbantis & juriſdictionem impertientis facultate.

Reſpondeo propter hoc argumentum graves Theologos, Armacanum, Cajetanum, Navarrum, Petrum Ledeſmam, & Vaſquem exiſtimare, Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis totam juriſdictionem, & completam à peccatis abſolvendi facultatem ab Epiſcopo manus imponente recepiſſe; illam tamen ab Eccleſia ligari & arctari, ut propriorum Sacerdotum jura ſalva conſiſtant: unde nequit ſive licitè, ſive validè facultas illa in actum exire, propter Eccleſiæ id non permittentis & ſubditos denegantis prohibitionem. Verùm cùm ſacrum Concilium declaret, illam abſolutionem eſſe nullius momenti, id eſt nedum illicitam, ſed etiam invalidam, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam vel ſubdelegatam non habet juriſdictionem, argumento ſatis manifeſto eſt, Sacerdotes juriſdictionẽ ex vi ordinationis minimè recepiſſe. Quamvis ad eorum Doctorum, quos aliqui in ferendis cenſuris liberales variè & plus juſto notant, defenſionem dici poſſet, ideo abſolutionem illam eſſe nullius momenti, quia fit tranſgreſſione præcepti ſacrilega, ſubindéque nulla, quia hæc eſt ſummè obſervanda differentia inter Sacramenta imprimentia characterem, & illa quæ gratiam ſolùm Sacramentalem producunt, quod priora modò adſit forma, materia, & intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſemper valida ſunt, nec ullo poſſunt miniſtrantium, vel ſuſcipientium quàmlibet ſacrilego obice, impediri. Sic Epiſcopus titularis vel alterius Diœceſis validè confirmat, validè ordinat ſibi etiam non ſubjectos, & proprio etiam Epiſcopo reclamante, quamvis hoc nefario auſu in grande incidat ſcelus, & variis pœnis juxta Sacros Canones obnoxius maneat. At verò Sacramenta unam gratiam ſanctificantem & Sacramentalem efficientia eo ipſo nullius momenti ſunt, quo ſunt illicita, quia cum illicitè miniſtrantur vel recipiuntur, gratiam non efficiunt; unde nullum ſortiuntur effectum, ſed potiùs ob recipientium vel conferentium malitiam ſcelera augent, & mortem inferunt. Quamvis, inquam, ad eorum Doctorum apologiam id ſatis probabiliter dici poſſit, veritas tamen eſt juriſdictionem à poteſtate ordinis eſſe diſtinctam. Unde quando Epiſcopus Sacerdoti in Sacra ordinatione dat poteſtatem remittendi peccata, non propterea dat illi juriſdictionem, quia ſubditos non deſignat, in quos talem authoritatem exerceat: eſt autem juriſdictio ſubditorum deſignatio in quos Sacerdos ſpiritale imperium exerceat, unde ſe habet ſicut approximatio cauſæ ad effectum, poteſt ignis, v. g. lignum comburere, illud tamen non comburet, niſi fiat indiſtans; ita poteſt Sacerdos peccata remittere, ſed exigitur ſubditorum deſignatio, & deputatio, quibus poteſtas illa applicetur.

Urgebis: Summus Pontifex poteſt quemcumque orbis Sacerdotem in Confeſſarium eligere, & quivis Epiſcopus quamlibet ſuæ Diœceſeos Sacerdotem: atqui illi Sacerdotes non habent juriſdictionem diſtinctam à poteſtate in ſua ordinatione recepta; neque enim juriſdictionem in ſe Papa vel Epiſcopi dare poſſunt, qui in ſe nullam habent, & nemo dat quod non habet: Ergo poteſtas juriſdictionis non eſt à poteſtate Ordinis ſejuncta. Cujus etiam ſignum eſt, quod quilibet Sacerdos, etiam hæreticus, præciſus, degradatus, & nominatim excommunicatus, poteſt quemcunque in articulo mortis conſtitutum confitentem audire, & confeſſum abſolvere.

Reſpondeo confeſſorem Summi Pontificis & aliorum Epiſcoporum habere juriſdictionem ſuper ipſos, quidquid ſubdubitans dicat doctiſſimus Cajetanus quæſt. unica de miniſtro Pœnitentiæ. Cùm enim Sacramentum pœnitentiæ ſit judiciale, neceſſe omninò eſt miniſtrum illius judicem eſſe: judex autem ſine juriſdictione nec quidem intelligi poteſt. Quare ſicut Summus Pontifex ſaltem in caſu hæreſis notoriæ ſubditur Eccleſiæ in foro exteriori, ſic per quodlibet peccatum mortale eidem in foro interiori ſubjicitur; unde coram Sacerdote comparere, ſe apud illum humiliter accuſare, illiuſque judicium & impoſitam pœnitentiam ſubire jure divino, quod ſub diſpenſationem Eccleſiæ non cadit, obligatur. A quo autẽ Confeſſarius tunc juriſ-

dictionem

dictionem accipiat, variant Authores: alii à tota Eccleſia variis in Conciliis congregata, & Pontificum oraculis in jure loquuta; unde ait D. Thomas in Supplem. quæſt. 9. art. 4 ad 4. *Prælatis conceſſum eſt à jure, quod poſſint ſibi eligere proprios Sacerdotes Confeſſores, qui quantùm ad hoc ſunt eis ſuperiores: ſicut etiam unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus, ſed in quantum infirmus.* D. Bonaventura & Cardinalis Turrecremata docent, Summum Pontificem eligendo Confeſſorem eidem conferre ſui abſolvendi facultatem, quam tamen ipſe exercere non poteſt; ſicut Diaconus in Epiſcopum electus & confirmat⁹ abſolutionem è peccatis aliis demandare poteſt, cùm tamen ipſe peccatores abſolvere non queat. Et quamvis Epiſcopus directè in ſe juriſdictionem non habeat, poteſt tamen eam alteri impertire: ſicut licèt nullus poſſit ſuus eſſe ſuperior, ſuum tamen ſuperiorem legitimè & canonicè eligere poteſt; quia ad hoc ſufficit quod poſſit ſeipſum alteri ſupponere, quod nemo non poteſt. Paludanus, Capreolus, & Melchior Canus ſentiunt, juriſdictionem quâ Sacerdos à ſummo Pontifice electus eum ipſum abſolvit, à Chriſto ſummo & æterno Sacerdote proficiſci; quia cùm ex una parte Deus Eccleſiæ Paſtori in neceſſariis non defuerit, ex alia verò Papa nec ſui paſtor, nec judex ſit, providit Chriſtus ut Sacerdos ab eo electus totam juriſdictionem neceſſariam jure divino habeat, ſicut & eodem jure in articulo mortis conſtitutos ab omnibus ſceleribus quilibet Sacerdos abſolvit, & venialia juſtorum peccata remittit, & ſemel ritè confeſſa iterum expoſita condonat.

Ad id quod de articulo mortis dicitur, reſpondeo certum eſſe, in articulo mortis poſſe quemvis Sacerdotem quemcunque peccatorem à quovis peccato quàmlibet gravi & reſervato abſolvere, ut ſacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis declarat: *Verum tamen piè admodùm, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* A quo autem hanc Sacerdos juriſdictionem obtineat, exſtimant Durandus, Paludanus, Capreolus, quorum doctrinam probabiliſſimam cenſet Canus, quemlibet Sacerdotem in mortis articulo habere authoritatem abſolvendi jure divino; quia cùm Dei provida gubernatio in neceſſariis non deficiat, quemadmodum providit ut in articulo morti quicumque poſſet licitè baptizare, non obſtante quacumque Eccleſiaſtica cenſura & prohibitione: ita ſtatuit ut in eodem articulo pœnitentiæ Sacramentum non minùs lapſis, quàm nondum regeneratis baptiſma, neceſſarium quilibet Sacerdos miniſtraret. Et ſanè quod univerſa tenet ſemperque tenuit Eccleſia, nec à Pontificibus aut Conciliis tempore aliquo poſt Apoſtolos definitum invenitur, traditione Chriſti & Diſcipulorum ejus, teſte Auguſtino lib. 4 de bapt. cont. Donatiſtas, cap. 24. rectiſſimè creditur conſtitutum. Atqui quod quilibet Sacerdos in extremo mortis impendentis articulo quemlibet poſſit à quovis ſive peccati, ſive excommunicationis vinculo abſolvere, ſemper in Eccleſia retentum eſt, ſemper creditum, ſemper obſervatum, nec invenitur nova aliqua Prælatorum conſtitutione ſancitum: Ergo à Chriſto & Apoſtolis mos ille profectus eſt & inviolabiliter inſtitutus.

Alii volunt, Sacerdotem quemcunque in illo articulo tantæ neceſſitatis ab Eccleſia authoritatem & juriſdictionem habere; quia nulli filiorum in tanto periculo deeſſe pia Mater vult: & cùm neceſſitas non habeat legem, non eſt exiſtimanda amantiſſima Mater legem quâ præciſos amovet à Sacramentorum miniſterio, ad extremum neceſſitatis articulum extendere voluiſſe. Maximè quia odia reſtringi, favores convenit ampliari; tum præſertim cùm id Dei honos populique fidelis ſpiritalia commoda poſtulant. At quod Sacerdos in urgenti mortis imminentis neceſſitate quemcunque poſſit abſolvere, gratia eſt & favor populi Chriſtiani. Ergo ad omnem omninò Sacerdotem favor ille ampliandus & ſine reſtrictione ulla eſt dilatandus. Quod autem excommunicati, penituſque præciſi à Sacramentorum miniſterio arceantur, in odium ſcelerum ipſorum eſt, & peccatorum eorum pœna; unde in aliorum fidelium emolumentum, non in præciſorum favorem pœnam illam legum interpretatione mollire, nõ verò exaſperare decentiſſimum eſt.

Ex omnibus hactenus dictis patet, poſſe ſibi Prælatos Eccleſiaſticos quoſdam caſus reſervare. Nam cùm juriſdictio ab eis tota pendeat, tota proficiſcatur, eam poſſunt, prout in Domino expedire judicaverint, limitare. Hinc Tridentinum ſeſſione 14. ſæpè laudatâ, cap. 7. ait: *Magnoperè ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde meritò Pontifices pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, id liceat pro illis in ſubditos tradità ſuper reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divina authoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.* Et can. 11. *Si quis dixerit Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere quominus Sacerdos à reſervatis verè abſolvat, anathema ſit.*

De Sigillo Confeſſionis.

Tertia pars ſpeculationis, quæ aſſerit miniſtrum confeſſionis ad ſigillũ ſeu ſecretum omni jure teneri, facilis eſt probatu. In primis ad ſecretum tenetur Sacerdos jure naturæ, quidquid dicat P. Vaſquez: tum quia jure naturali ſecretum non prodere tenemur; ſi enim commiſſum nobis violare depoſitum ſacrilegii damnant omnia gentium jura, quantò magis ſecretum peccatorum ſibi creditum violare nefarium & proditorium cenſendum eſt? Tum quia jure naturali alienæ famæ conſulere jubemur, & multò magis alium infamare prohibemur; revelari autem aliena peccata in confeſſione audita ſine famæ violatione non poſſunt. Tum quia mentiri eſt contra jus naturæ: qui autem revelat confeſſionem mentitur; revelans enim ſignificat ſe ſcire ut hominem, quod non niſi ut Deus, id eſt vices Dei agens cognovit. Tum quia qui revelat confeſſionem, alteri facit quod ſibi fieri nollet; unde principium & præceptum jure naturali omnibus obvium tranſgreditur.

Jure etiam humano id vetitum eſt, ut patet ex canone *Sacerdos*, diſt. 5. de pœnit. & in capite *Omnis utriuſque ſexus*, ubi dicitur: *Caveat autem omninò Sacerdos, ne verbo aut ſigno aliquatenus prodat peccatorem. Sed ſi prudentiori conſilio indiget, illud abſque expreſſione perſonæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum Monaſterium detrudendum.* Unde Catechiſmus Romanus part. 2. num. 75. explicans quantùm confeſſa revelare peccata ſtrictiſſimè cautum ſit, ſic ait: *Sed quoniam nemo eſt, qui non vehementer cupiat, ſcelera & turpitudinem ſuam occultari, monendi ſunt fideles, nihil eſſe quod timeant, ne ea quæ ipſi confeſſione patefecerint, à Sacerdote ulli unquã indicentur, neve aliquod ex ea periculi genus ſibi ullo tempore creari poſſit*

Sacra enim ſanctiones graviſſimè in eos Sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia quæ aliquis eis confeſſus fuerit, perpetuo & religioſo ſilentio compreſſa non tenuerint. Quare in Concilio Lateranenſi magno ita legimus: Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.

Denique jure divino ſigillum illud conſtat. Tum quia Sacramentum iſtud divinitus inſtitutum ſignificat deleta eſſe peccata, & oblivioni à Deo tradita, ſecundùm illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Unde cùm is qui revelat, ita ſe gerat ac ſi peccata confeſſa non eſſent deleta, nec oblivioni tradita, manifeſtè divinæ inſtitutioni contradicit, ac proinde præceptum divinum violat. Tum quia præcipiens finem, præcipit etiam media quibus finis ille fortiter & ſuaviter obtinetur: Ergo ex præcepto divino imperante confeſſionem, imperata intelligitur ſigilli confeſſionis inviolabilis obſervantia, ſine qua præceptum de confeſſione executioni mandari minimè poſſet, ſed potiùs ab eo obſervando homines deterrerentur, ac proinde ſigillum Chriſtus præcepit, ut eſſet quoddam levamen oneris confeſſionis. Unde præceptum illud eſt negativum, ſemper & pro ſemper obligans, in quo nulla diſpenſatio quovis imaginabili prætextu locum habere poteſt.

Unde nec ſpecie boni communis ſervandi vel augendi, vel hæreſis impediendæ, vel propriæ vitæ defendendæ unquam vel uſquam, directè vel indirectè peccata in confeſſione audita revelare licet. Quia nullum eſt bonum commune non ſolùm anteponendum, ſed ne quidem cum obſervatione ſigilli comparandum: nullum etiam bono communi detrimentum majus creabitur, quàm ſi confeſſio exoſa, inviſa, & intolerabilis reddatur, illique odium & invidia ſecretorum revelatione confletur. Non vetat tamen religioſa ſigilli cuſtodia actiones de ſe indifferentes, & ex aliis motivis communiter fieri ſolitas, ob grave periculum præcavendum prætermittere. V. g. licitè poteſt Sacerdos à ſacro faciendo abſtinere, ne vinum quod ex confeſſione toxico imbutum novit, exſorbeat: poteſt hominem colloquiis, vel aliis honeſtis artibus ſecum retinere, ne in hoſtes, quorum ex confeſſione paratas inſidias pernovit, incidat. Tunc enim nulla fit ſecreto, vel pœnitenti confeſſo injuria.

Hinc etiam inferunt Doctores, non licere uti ſcientia in confeſſione accepta, vel ad regimen, vel ad aliquem ab officio arcendum, vel ad indignum non promovendum; quia magna inde Sacramento pœnitentiæ crearetur invidia, & onus confeſſionis grave nimis redderetur: licet tamen officia externi regiminis, ad quæ alioquin tenetur Prælatus, accuratiùs & cautius obire, putà licet Rectori horis indebitis fores Eccleſiæ occludere, ne turpibus colloquiis, quæ fieri ex confeſſione novit, pateat, poteſt etiam vitia illa exaggerare, quæ ex confeſſionibus perviderit eſſe communiora; tunc enim nec oneroſa efficitur confeſſio, nec ullius privatum ſcelus indigitatur. Qua etiam ratione D. Thomas quæſt. 11. art. 1. ad 4. docet, poſſe aliquem ei denegare ſuffragium, quem ex confeſſione novit prælatione indignum; quia ex multis aliis cauſis redditur quis indignus prælationis officio, putà ex defectu ſcientiæ, ætatis, & aliorum hujuſmodi. Unde poteſt Confeſſarius ex confeſſione in regimine cautior, prudentior, & diligentior eſſe; ſi tamen hoc non ſit pœnitenti ullatenus incommodum, nec habeat vim occultæ reprehenſionis culparum. Sed in his magna prudentia opus eſt, ſemperque habendum præ oculis, illa omnia cavenda eſſe, quibus confeſſio inviſa, vel gravis efficitur, debetque omnis omnino occaſio funditus tolli, unde poſſit pœnitens vel conqueri, vel diffidere, vel ſuſpicari, vel ab integritate & candore in confeſſione tantopere neceſſario alienari. Unde nec defectus naturales, nec imperfectiones perſonales, nec facinoris conſcios aut conſortes, nec aliud quidpiam ſine expreſſa & liberrima pœnitentis licentia ullatenus ſive directè, ſive indirectè, ſive durante vita, ſive poſt mortem, ſive mortale, ſive veniale, uno verbo nunquam & nuſquam retegere citra grandem injuſtitiam, teterrimam infidelitatem, & nefarium ſacrilegium, neque Sacerdoti, nec alteri cuivis confeſſionem ex induſtria, vel caſu auſcultanti licet. Sed ad quæcumque interrogata à quovis facta reſpondere debet, imò & jurare poteſt Confeſſarius ſe neſcire, ſeque officio ſuo, prout Dominus dedit, perfunctum eſſe. Nec debet patratis vel impendentibus malis aliter quàm hortamentis, imperiis, abſolutionis denegatione, vel pœnitentis habitâ licentiâ ſubvenire.

Obſervent ergo diligenter Confeſſarii, ne in dubiis ſuis proponendis aliquid dicant, unde perſonæ aliquæ per diſcurſum tandem dignoſci poſſint. Unde cum magna cautela hi ſermones ſunt frequentandi, Tale peccatum viget in tali Eccleſia; ſi omnibus penſatis ad notitiam vel rationabilem ſuſpicionem alicujus perſonæ viri ingenioſi devenire poſſint. Porrò quàm ſit imprudens & temerarius eorum jocus, qui de peccatis in confeſſione auditis etiam citra periculum infamiæ vel pœnitentium verecundiæ, nugandi vel ridicula jactandi occaſionem arripiunt, nemo pius non videt. Caveant etiam pœnitentes ne dicta à Sacerdote propalent, quando id Sacramenti reverentia, Confeſſarii honor, aut alia id genus vetant, quæ ſecreto naturali celare tenentur. Poſſunt tamen & debent confeſſarium vel ad hæreſim inducentem, vel ſollicitantem ad turpia Superioribus revelare, ut ex Pontificiis diplomatis liquet. Monet etiam S. Carolus part. 2. Inſtruct. cap. 20. ne Sacerdos quavis neceſſitate coactus cum ipſo pœnitente de peccatis in confeſſione auditis extra confeſſionem loquatur, niſi præhabita ipſius venia; quæ liberè & ſponte concedatur. Unde ſi peccatum uſqueadeò eſſet occultum, ut non niſi ex prævia confeſſione conſtaret, nihil extra confeſſionem præſtare tenetur, quàm ferventi oratione peccatorem Deo commendare; & ſi ad ſacram communionem ſe præſentem ſiſtat, nullo eam pacto ei negare poteſt. Hac de cauſa ſecretum confeſſionis appellatur ſigillum, per metaphoram à ſimilitudine litterarum, quæ obſignari ſigillo ſolent, ut quod in illis continetur, ſacrum & inviolatum remaneat, nec aperiri à quopiam poſſit.

Varia quæ obſerventur digniſſima corollaria derivantur.

Ubi etiam de virtute & effectibus pœnitentiæ diſſeritur.

Ex dictis in decurſu hujus capitis quædam ſponte ſua fluunt conſectaria ad hujus materiei claritatem & complementum penitus neceſſaria.

Corollarium I.

Actus pœnitentis à virtute ſpeciali proficiſcuntur.

SEquitur enim primò actus interiores pœnitentis, qui materiæ hujus Sacramenti rationem habent, à virtute pœnitentiæ procedere, imo niſi ab ea proficiſcantur, parùm admodum prodeſſe. Ad cujus evidentiam ſciendum, pœnitentiam eſſe virtutem. Tum quia de actibus pœnitentiæ eſt præceptum legiſlatoris, eiſque reſpondet promiſſum præmium Matth. 4. *Pœnitentiam agite.* Lucæ 6. *Beati qui fletis, quoniam ridebitis.* Lex autem de iis tantum actoribus præcipit, quæ cum virtute ſunt conjuncti, ut enim 2. Ethic. Philoſophus dixit; *Legiſlator cives intendit*

tendit facere virtuoſos. Legumlatores, inquit, *aſſuefaciendo cives faciunt bonos & hæc porrò eſt uniuſcujuſque Legumlatoris voluntas.* Tum quia facilitas de peccato dolendi eſt habitus electivus, ſecundùm rectam rationē in mediocritate conſiſtens; recta namque ratio dictat ut dolor de peccatis eo fine modoque 'tias, quo debet. dolere ergo de peccato quando, quomodo, & quatenus oportet, virtutis eſt. Interdum enim evenit, ut ex admiſſis ſceleribus minorem quàm par eſt dolorem capiamus; & rurſus alii ita ſe animi mœrori & ægritudini dedunt, ut de ſalute etiam prorſus deſperent: qualis ſine dubio Cain fuit, dum Geneſ. 4. dicit: *Major eſt iniquitas, quàm ut veniam merear*; & qualis etiam Judas fuit, qui nimiâ & deſperatâ pœnitentiâ ductus ſuſpendio vitam & ſalutem amiſit Ut igitur modum in dolore teneamus, ea virtute egemus, quam pœnitentiam dicimus. Et quanvis ſit contra rationem virtutis quod aliquis præſens turpi facto ſordeat, de quo eum verecundari oporteat; non eſt tamen contra perfectionem virtutis, ut ait S. Thomas 3. p. q. 85. art. 1. ad 2. quod aliquis turpia priùs facta admiſerit, de quibus eum pœnitere oporteat, *cùm ex vitioſo fiat aliquis virtuoſus.* Fateor tamen pœnitentiam non eſſe virtutem abſolutè, ſed ex ſuppoſitione peccati neceſſariam; unde non niſi eo modo quo medicina appetitur, deſiderabilis eſt, quanvis etiam dici poſſit pœnitentiam ante peccatum elicere poſſe actum ex parte ſubjecti abſolutum, ex parte tamen objecti conditionatum, eligendo nimirum de peccato, ſi committatur, moderatè affligi. Et licèt in hoc patiatur voluntas dolorem & triſtitiam, delectationem tamen virtutis experitur, ab habitu facilitatem, & promptitudinem invehente proficiſcentem: unde & beatitudo lugentibus promittitur, Matth. 5. & Author libri de vera & falſa pœnit. Apud Auguſtinum ait: *Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.*

Dices, ideo verecundia ſecundum S. Thomam 2. 2. quæſt. 144. art. 1. non eſt virtus, quia eſt paſſio habens immutationem corpoream, quæ ex turpi facto apprehenſo proficiſcitur. Sed pœnitentia eſt dolor de turpi facto, qui ſenſibus etiam percipitur, & in lacrymas funditur: Ergo pœnitentia non eſt virtus.

Reſpondeo pœnitentiam non eſſe virtutem ut eſt paſſio & dolor ſenſibilis, ſed prout eſt electio voluntatis, unde etiam dolor ſenſibilis promanat. Adde quod verecundia non eſt tam de turpi facto, quàm de ignominia ex illo ſequuta; unde eſt triſtitia proveniens ex fantaſia & imaginatione confuſionis: pœnitentia autem eſt voluntarius de peccato dolor, quo pœnitens de crimine ut eſt offenſa Dei torquetur, & ita eum errati piget, ut animum voluntariâ caſtigatione maceret, confirmetque ſubinde ad rectum vivendum.

Sciendum rurſus, pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, quia cùm ſecundùm ſpecies actuum diſtinguantur ſpecies habituum, ubi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem habitum virtutis. Manifeſtum eſt autem, inquit D. Thomas 3. p. quæſt. 85. art. 3. quod in pœnitentia invenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem actus præteriti, inquantum eſt offenſa Dei; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis: ergo pœnitentia eſt virtus ſpecialis. Quare licet quælibet virtus ſicut amet proprii objecti honeſtatem, ita odium peccati ſuo objecto oppoſiti elicere nata ſit; nulla tamen rationem injuriæ Deo per quodvis peccatum intentatæ ex propria ratione ſarcit; unde hæc ratio à virtute ſpeciali, quam pœnitentiam nominamus, attingitur. Cui etiam ſpeciales difficultates, quod ſpecialis virtutis ſignum eſt, evincere incumbit, dum ea nimirum fugit quæ caro & ſanguis pergrata, ea aſſumit quæ ipſi moleſta ſunt.

Quod ut clarius percipiatur & unà profundiùs penetretur, conſiderandum eſt, varias eſſe in peccato lethali rationes diligenti accuratione diſtinguendas. Primòm enim peccatum mortiferum eſt quoddam malum morale honeſto ut ſic repugnans; & quia ab eodem principio amor boni & oppoſiti mali odium proficiſcuntur, ideo dolor & odium peccati ſub ratione mali moralis ſpectati à ſola voluntate procedit; ſuppoſitâ tamen eâ D. Thomæ ſententiâ; quam in materia de virtutibus ſtabilivimus, voluntatem ad proſequutionem boni ut ſic ſatis eſſe naturâ comparatam, ſane vi ſua inſtructam, nec habitus ullius additamento egere. Secundò peccatum eſt malum divinum divinæ bonitati adverſum, divinam amicitiam diſſolvens, rationem ultimi finis affectivè à Deo ſubmovens, illamque in viliſſimam creaturam nefandâ perverſitate transferens; & ſub hac ratione peccatum odit charitas, illudque quantùm Deum diligit, tantùm deteſtatur. Tertiò peccatum eſt malum ipſius hominis, quem bono rationis nudet, jure ad beatitudinem ſpoliat, omnique virtutum infuſarum & cœleſtium donorum ſupellectile privat & ſic peccatum odio habet vel voluntas in amorem ſui ſatis ſua ſponte propenſa, vel charitas proximi, quæ benè ordinata incipit à ſeipſa, vel certè ſpes bonum divinum & æternam beatitudinem amore concupiſcentiæ amans, æternam proinde miſeriam & peccatum hujuſmodi miſeriæ cauſam germanam deteſtata. Quarto peccatum eſt aliquod ſpeciale malum alicujus virtutis honeſtati repugnans; putà ebrietas honeſtatem temperantiæ, adulterium honeſtatem caſtitatis, furtum honeſtatem juſtitiæ extinguit: ſub hac ergo ratione ſingulari ſpectatum peccatum quælibet virtus odit, & fugit, ſive præſens, ſive præteritum, ſive futurum. Denique peccatum eſt injuria Deo non ſolùm quà ſummo bono, ſed etiam quà ſupremo Domino & Legiſlatori illata, quæ ab homine pro virili ſarcienda eſt & reparanda: & ſub hac ratione peccatum immediatè reſpicit pœnitentia, quæ tamen ab aliis virtutibus, ab omnium maximè regina charitate imperari poteſt: ſed illos actus elicere quibus Deo ſatisfit, ſeſeque opponentes difficultates vincere ad ſpecialē pœnitentiæ virtutem pertinet, quæ proinde ſingularis virtus cenſenda eſt, tametſi ad objecta omnium virtutum ſe extendat, quatenus omne peccatum, ſed motivo tamen proprio deteſtetur.

Dices: Virtus Theologica non conſiſtit in medio, id eſt non verſatur inter duo exceſſûs & defectus extrema: Atqui pœnitentia nullum pati poteſt in peccati dolore exceſſum; etenim quo magis Deum diligimus, eo ampliùs Dei offenſam deteſtamur, quo fit ut quemadmodum S. Bernardo teſte modus diligendi Deum eſt ipſum ſine modo diligere, ita deteſtationi peccati nullus modus definiatur; ſubindeque contritio, qui eſt præcipuus pœnitentiæ actus, vehementiſſimum animi dolorem conjunctum habet, ut ſuperiùs dictum fuit: ut enim maximè diligendus eſt Deus, ita quæ nos à Deo alienant, maximè deteſtari debemus; quia ſicut ille ſummum bonum eſt inter omnia quæ diligenda ſunt, ita peccatum ſummum eſt malum inter omnia quæ odiſſe homines debent. Ergo pœnitentia non ſpecialis virtus eſt, ſed ad Theologicas reducitur, & ad charitatem præcipuè ſpectat: unde eodem loquendi modo charitatis & contritionis modus & magnitudo ſacris in litteris ſignificantur: nam ſicut Deum ex toto corde diligere præcipimur, ita ad eum toto corde converti mandamur.

Reſpondeo, quod licèt non poſſit eſſe vitioſus de peccato ut opponitur amicitiæ divinæ dolor, de peccato tamen ut eſt offenſa Dei ſatisfactione pœnitentis reſarcienda dolor nimius contingere poteſt; talis enim poteſt eſſe triſtitia quæ inducat in deſperationem, ut Cain & apoſtatæ Judæ exemplis ſuprà relatis claret: poteſt etiam eſſe in remiſſione & molliore dolore defectus.

Nec valet ſi replices, hunc exceſſum ſe tenere ex

parte

parte ſubjecti, non ex parte objecti; qui exceſſus in theologica virtute contingere poteſt, ut cùm quis amore Dei illectus plus juſto contemplationis adoribus incumbit; vel divinis promiſſis fretus, beatitudinem ſine meritis & labore obtinere præſumit. Veruntamen ſicut nimia eſſe non poteſt dilectio, attentâ infinitâ Dei amabilitate, nec nimia ſpes, conſiderato bonitatis Dei hominem beaturæ auxilio: ita nec minus de peccato voluntatis dolor concipi poteſt, ſi offenſa Dei majeſtatis ex talis & tanti objecti dignitate appendatur. Non valet, inquam, hæc replica: hoc enim diſcriminis virtutes theologicas inter & morales intereſt, quod iſtarum actiones prudentia humana ſaltem infuſa metitur & definit: illæ verò ex nullis prudentiæ humanæ regulis ſubjacent, ſed omnes tranſiliunt, nullaſque in objecti infiniti proſecutione ſibi præſcribi metas patiuntur. At pœnitentia ex meritis objecti, peccati ſcilicet ut reparandi, penſata humanis ſupponitur normis, quibus & locus, & tempus, & modus ſatisfaciendi pro numero & gravitate criminum præſtituuntur. Unde patet quod pœnitentia non ſit virtus theologica, cùm ejus materia, & objectum formale non ſit Deus, ſed actus humani, quibus Deus offenſus placatur.

Inſtabis: Pœnitentia non habet quod ſit virtus ſpecialis ex hoc ſolo quod dolet de malo & offenſa Dei perpetrata, ad hoc enim ſufficeret charitas; ſed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei per ſatisfactionem emendanda, quæ emendatio offenſæ, ut ait S. Thomas art. 3. non fit per ſolam ceſſationem offenſæ, *ſed exigitur ulterius quadam recompenſatio, quæ habet locum in offenſis in alterum commiſſis, ſicut & retributio.* Et ut ſcitè dixit Auguſtinus lib. 50 homiliarum, hom. 50. *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, &c.* Atqui hoc totum pertinet ad juſtitiam, ut patet. Ergo pœnitentia non eſt virtus ſpecialis, ſed à virtute juſtitiæ proficiſcuntur actus pœnitentiæ: juſtum enim eſt ut qui offendit alterum, ipſi emendatione, retributione, & punitione ſatisfaciat. Unde idem Auguſtinus ad juſtitiam ſic pœnitentiam revocat epiſt. 54. *Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, niſi ut id quod mali fecerit, impunitum eſſe non ſinat: eo quippe modo ſibi non parcenti ille parcit, cujus altum juſtumque judicium nullus contemptor evadit.*

Reſpondeo certum eſſe, pœnitentiam eſſe partem juſtitiæ; nec tamen propterea ſequitur pœnitentiam eſſe ipſam juſtitiam; licèt enim omnis virtus quæ eſt ad alterum, & debitum ei reddit, juſtitiæ pars ſit, & ideo juſtitia virtus generalis dicatur; quia tamen in materia juſtitiæ diverſa ſunt objecta formalia partialia, diverſæ etiam diſtinguuntur partes juſtitiæ, ſive integrales, ſive ut loquitur S. Thomas, potentiales, id eſt quæ à perfecta ratione juſtitiæ deficiunt: quæ quidem in hoc ſita eſt, quod alteri reddatur quod ei debetur ſecundùm æqualitatem. Dupliciter autem aliqua virtus ad alterum exiſtens, ut eruditè oſtendit S. Thomas 2. 2. quæſt. 80. art. 1. à ratione juſtitiæ deficit: uno quidem modo in quantum deficit à ratione æqualis: alio modo, in quantum deficit à ratione debiti. Sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, ſed non poſſunt reddere æquale. Et primò quidquid ab homine Deo redditur, debitum eſt, æquale tamen eſſe non poteſt, ut ſcilicet tantum homo Deo reddat, quantùm debet, ſecundùm illud Pſalmi: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et ideo adjungitur juſtitiæ religio, quæ divinæ naturæ cultui ſtudet. Secundò parentibus non poteſt ſecundùm æqualitatem compenſari quod eis debetur, ut patet per Philoſophum 8. Ethic. cap ultimo, & ſic adjungitur juſtitiæ pietas, per quam, ut Tullius ait ſanguine junctis patriæque benevolis officium & diligens tribuitur cultus. Tertiò non poteſt ſecundùm æquale præmium recompenſari ab homine virtus, ut patet per Philoſophum in 4. Ethic. & ideo adjungitur juſtitiæ obſervantia, per quam homines virtute præcellentes & aliquâ nos dignitate antecedentes quodam ſpecialiori cultu & honore dignamur. A ratione verò debiti deficit homo, cùm id quod neceſſarium eſt non perſolvit: porrò dupliciter aliquid eſt neceſſarium, vel quia ſine eo honeſtas morum conſervari non poteſt, vel quia ad majorem honeſtatis abundantiam confert. Primum debitum exigit ut homo talem ſe exhibeat alteri in verbis & factis, qualis eſt. Et ideo adjungitur juſtitiæ veritas, per quam ea quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, immutata dicuntur. Exigit etiam hujuſmodi debitum ut bona in nos collata gratitudine muneremus, mala verò propulſemus: prius præſtat gratia ſeu gratitudo, quâ amicitiarum & officiorum alterius memoria, & illius remunerandi voluntas continetur: poſterius præſtat juſta vindicatio, per quam vis aut injuria, & omninò quid obfuturum eſt, defendendo aut ulciſcendo cum moderamine inculpatæ tutelæ propulſatur, non animo nocendi, ſed unius nocumenti duntaxat præcavendi gratiâ.

Quia ergo inter hominem pœnitentem & Deum offenſum non invenitur æqualitas, & aliunde bonum quod homo pœnitendo reddit Deo eſt particulare, & infinitis titulis Deo debitum; bonum verò divinum quod auferre niſus eſt, univerſaliſſimum & infinitum eſt, ſubindeque diverſi immenſùm ordinis. manifeſtum eſt pœnitentiam à perfectæ juſtitiæ ratione deficere. Nec valet ſi reſpondeas, ad juſtitiam commutativam & perfectam non eſſe neceſſe quod peccator de facto ſatisfaciat, vel poſſit ſatisfacere ad æqualitatem, ſed quod eligat ſatisfacere ſi fieri poteſt; quemadmodum liberalitas in paupere invenitur, qui ſincerè bona & pecunias honeſtâ largitate profunderet, ſi per facultates liceret. Non valet, inquam, hæc reſponſio; quia ad rationem virtutis requiritur electio efficax alicujus poſſibilis, tum ex natura objecti, tum ex conditione ſubjecti ſecundùm ſe conſiderati. Cùm enim virtus ſit habitus electivus, & electio non niſi ad poſſibilia feratur, manifeſtum eſt virtutem non circa impoſſibilia nugari, ſed poſſibilia appetere, & conſona, ſibique proportionata eligere, ſatisfacere autem Deo ad æqualitatem eſt quid cuivis puræ creaturæ impoſſibile. & pœnitentis ſtatui repugnans: unde qui eligeret Deo ad æqualitatē ſatisfacere, non tam virtutis actum eliceret quàm ſuperbæ præſumptionis conatum ſuæ paupertatis neſcius pertentaret. Non ergo ſibi perſuadeat peccator, ſe æquale poſſe Deo reddere, ſed gratia & meritis Chriſti Redemptoris adjutus ſi non reddit quod debet, reddat certè quod poteſt. Unde D. Thomas ſic eruditè diſcurrit art. 3. laudato, 3. p. quæſt. 85 *Sciendum eſt quod ſecundum Philoſophum in 5. Ethic. dupliciter juſtum, ſcilicet ſimpliciter & ſecundum quid: ſimpliciter quidem juſtum eſt inter æquales, eo quòd juſtitia eſt æqualitas quædam; quod ipſe vocat juſtum politicum vel civile, eo quod omnes cives æquales ſunt quantùm ad hoc quod immediatè ſunt ſub Principe, ſicut liberi exiſtentes. Juſtum autem ſecundùm quid dicitur, quod eſt inter illos, quorum unus eſt ſub poteſtate alterius; ſicut ſervus ſub domino, filius ſub patre, uxor ſub viro. Et tale juſtum conſideratur in pœnitentia. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis propoſito ſicut ſervus ad dominum, ſecundum illud Pſalm. 122. Sicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Et ſicut filius ad patrem, ſecundum illud Luc. 15. Pater peccavi in cælum, & coram te. Et ſicut uxor ad virum, ſecundum illud Jeremiæ 3. Fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.*

Ur-

Digitized by Google

Urgebis cum Cajetano exiſtimante pœniteotiam non diſtingui à virtute religionis: Ejuſdem virtutis eſt reſpicere bonum & malum ipſi oppoſitum: at pœnitentia reſpicit malum virtuti religioois adverſum; religio quippe circa cultum & honorem Dei occupatur, pœnitentia verò iojuriam honori divino intentatam ſarcire conator: Ergo ſi pœnitentia ad aliquam ſpeciem juſtitiæ pertinet, profectò ad religionem reducenda eſt, cùm tota quanta eſt ad honorem divinum reparandum connitatur, & ejuſdem virtutis ſit & honorem illæſum ſervare, & læſum reparare.

Reſpondeo pœnitentiam reſpicere peccatum non præciſe prout divino cultui opponitur, ſed quatenus eſt ſatisfactione compenſandum, unde licèt poſſit à religione, quæ eſt quædam virtus generalis, imperari; ab ea tamen actus pœoitentiæ non eliciuntur, ſed intra proprium objectum religio ſiſtit, quod eſt cultus Deo ut ſupremo Domino, omniumque creatori & gubernatori ratione infinitæ excellentiæ debitus, a qua ratione & aliæ virtutes, & ipſa pœnitentia abſtrahunt. Quia nimirum objectum pœnitentiæ eſt jus divinum læſum per ſatisfactionem & compenſationem quandam reparabile, quod Religio per ſe non attendit. Hanc rationem tradit S. Thomas in 4 diſt. 14 quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 5. dicens: *Aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latria ſive religio: alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit, & ſic reddit Deo debitum pœnitentia.* Quibus in verbis rationem fundamentalem à nobis traditam inſinuat, quia nimirum religio & pœnitentia objectum ſuum ſub diverſa formali ratione reſpiciunt; religio enim reſpicit cultũ Deo ut ſupremo Domino tribuendum, qui utique tribueodus eſt ab innocente, tametſi nullis ſit peccatorum maculis ſordidatus, nec Deum peccando offenderit; pœnitentia verò peccatum ut expiandum, juſque divinum læſum ut reſarciendum attendit. In quo ſane ſpecialem difficultatem patitur, quam religio non emolit; proclive enim eſt ſupremi Domini excellentiam omnibus venerationis obſequiis proſequi; at in ſatisfactionem juris divini læſi animum corpuſque macerare, & voluntario ſe dedere mœrori, ex quo digni pœnitentiæ fructus proficiſcantur, hoc opus, hic labor eſt. Quod verò dicitur, ejuſdem virtutis eſſe jus & hooorem illæſum ſervare, & læſum reſarcire, verum eſt ſiſtendo intra præciſam materiam & veluti lineam honoris; eadem religio v.g. & Deum honorat, & inhonorantes deteſtatur: ſi tamen ad reſtituendum jus læſum præter cultum Deo exhibendum deſideratur punitio & vindicatio rei, ratione novæ illius difficultatis ſpecialis exigitur virtus, quæ ad Deum vindicandum arma capeſſat.

Inſiſtes: Eadẽ virtute juſtitiæ commutativæ in humanis conſtituitur æqualitas in emptionibus & venditionibus, in offenſis & injuriis: Ergo ſimiliter eadem virtute religionis exhibere Deo cultum pro beneficiis, & ſatisfacere pro offenſis abſque novæ virtutis adjumento poſſumus.

Reſpoodeo eſſe diſparitatem, quia in humanis invenitur æqualitas, ſecus inter Deum & creaturas: unde eam virtute poſſunt ſibi homioes iovicem tam pro rebus acceptis in commutationibus, quàm pro iojuriis illatis ſatisfacere. At verò nequit pura creatura nec pro beneficiis acceptis, nec pro iojuriis importatis Deo æquale reddere: unde non datur una virtus illam perfectam æqualitatem intendens & præſtans. Si replices, eandem id præſtare virtutem, tametſi ſub ratione inæqualitatis; unde deficiet quidem à perfecta ratione juſtitiæ, ſed non ab ejuſdem virtutis, puta religionis unitate: Reſpondebo inæqualitatem illam diverſimodis à diſtinctis virtutibus ſervari; aliâ enim ratione religio reddit, etſi inæqualiter, Deo cultum, aliâ ratione pœnitentia ſatisfactionis debitum inæquale perſolvit: prior enim Dei reverentiæ ſtudet, poſterior ejuſdem offenſi placationi operam dat.

Perſiſtes: Eadem pietate filius patri reddit debitum, & injuriis patri illatis ſatisfacit, jus paternum ubique reſpiciens, ubique ſervans: Ergo eadem religione & cultum Deo exhibemus, & irrogatas ei injurias compenſamus.

Reſpondeo diſcrimen multiplex à variis aſſignari. Primò, quia pietas, ſive dum patrem honorat, ſive dum patrem placat, ſemper idem debitum jus nimirum paternum reſpicit: at verò virtus reddens debitum Deo cultum pro beneficiis, jus divini dominii reſpicit; virtus autem ſatisfaciens pro injuriis, jus proprietatis, ratione cujus omnia in Deum referri debent, attendit. Sed hæc diſparitas non multùm ſatisfacit: nam etiam pater habet non ſolùm jus dominii, ſed etiam proprietatis in filios, tanquam in rem ſuam, quam poteſt etiam in neceſſitate vendere, locare, & commodare: Maximè quia filius etiam innocens patrem venerari tenetur, filius verò ingratus inſuper tenetur injurias patri illatas ſarcire: ergo ſi eadem pietas utrumque præſtat, quidni utrumque erga Deum eadem præſtabit religio? Secundam rationem diſcrimiois ex eo petunt alii, quod offenſa filiorum in parentes non alia labe ſordeſcit, quàm impietatis & ingratitudinis, quam proinde oppoſita pietatis aut gratitudinis virtus ſufficienter compenſat. At verò peccatum mortale præter turpitudinem oppoſitam cuilibet virtuti cui adverſatur, importat inſuper ſpecialis injuſtitiæ labem, virtute proinde ſpeciali à religione & alia quavis diſtincta reparandam. Sed hæc etiam differentia vim argumenti non evacuat; nam peccatum & injuria filii in patrem, nedum impietatis, ſed etiam ſpecialis injuſtitiæ rationem habet; gravius enim eſt non reddere parentibus quæ debentur à filiis, quàm aliis debita ſua non perſolvere: hanc ergo ſpecialem injuſtitiam ſi una pietas ſarcit, cur injuſtitiam peccati in Deum commiſſi non compenſabit illa virtus, cujus eſt divino honori conſulere & cultu antequam lædatur, & pœnitentiâ ac ſacrificio ſpiritus contribulati, poſtquam læſus eſt, & per peccatum ablatus?

Verum ergo diſcrimen nõn eſt aliud præter id quod à D. Thoma paolò antè memorato poſitum eſt, in hoc coofiſtens, quod religio & pœniteotia jus quidem Dei, ſed diverſa tamen ratione reſpiciant: nam religio jus divinum attendit ut omni obſequiorum & cultûs genere promovendum; pœnitentia verò jus illud, ſed ut læſum & debitâ ſatisfactione compenſandum conſiderat: unde utraque virtus circa peccatum diverſo etiam motivo verſatur; religio namque peccatum quâ divinum dominium coarctat & quadantenus uſurpat, deteſtatur; pœnitentia verò peccatum ut deſtruendum & debita caſtigatione puniendum inſectatur: At verò pietas filii idem jus paternum, ſive dum cultũ exhibet, ſive dum injuriis patri illatis ſatisfacit, intuetur; nec peccatum io patrem admiſſum deteſtatur, niſi quia infanda impietatis labe conſpurcatur.

Pro ſolutione aliarum objectionum præ oculis habenda eſt præclara D. Thomæ doctrina quam habet art. 3. ad 4. ubi tradit quod licèt pœnitentia ſit directè ſpecies juſtitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim eſt juſtitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ ſunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto; unde pœnitentia eſt cum fide Paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccatis; & cum ſpe veniæ, & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. Inquantũ verò eſt virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ eſt directiva omnium moraliũ virtutum. Sed ex ipſa ratione juſtitiæ non ſolùm habet id quod ex juſtitia eſt, ſed etiam ea quæ ſunt temperantiæ & fortitudinis, inquantum ſcilicet ea quæ delectationem cauſant, ad temperantiam pertinent, vel quæ terrorem incutiunt, quem fortitu-

domo.

do moderatur, in communionem juſtitiæ veniunt. Et ſecundùm hoc ad juſtitiam pertinet & abſtinere à delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam; & ſuſtinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

Obſerva rurſus, quod quia pœnitentia punit peccatorem reum ad vindicandam Dei injuriam quam hominis afflictione & ſatisfactione reſarcire intendit, ideo pœnitentia quemdam juſtitiæ vindicativæ modum præ ſe fert: deficit tamen a perfecta ratione juſtitiæ vindicativæ, quia hæc non eſt in reo, ſed in judice, in quo habet rationem juſtitiæ commutativæ, quatenus reſpicit æqualitatem inter reum ſatisfacientem & perſonam offenſam in eundam: & vocatur vindicativa, quia ſatisfactionem per modum pœnæ imponit. Ergo quia pœnitentia eſt in ipſo reo, magiſque intendit Deo ſatisfacere quàm peccantem plectere, ideo enim eum punit, quia Deo læſo ſatisfacere concupiſcit; ideo pœnitentia non eſt juſtitia vindicativa propriè dicta, uti Scotus arbitratus eſt, ſed pars potentialis commutativæ, ut ſæpe dixit D. Thomas. Quia nimirum Deo nunquam ſatisfacit ad æqualitatem: quanvis enim actus perfectæ contritionis ad Deum perfectè convertat, ſicut peccatum mortale à Deo avertit, proindeque Deo reſtituat quod peccatum abſtulerat: non tamen propterea tantum ſatisfacit contritio, quantum peccatum fuit injurium; tum quia contritio id Deo reddit quod debet homo, etiamſi non peccet: plus ergo ab eo exigitur poſtquam peccavit; nec ex æquo ſatisfacit offenſæ per id quod deberet, etſi nulla offenſa præceſſiſſet. Tum quia etſi contritio non minùs habeat bonitatis moralis quàm peccatum turpitudinis & malitiæ moralis, quia utraque ex objecto conſono vel diſſono regulis morum reſpectivè derivatur: attamen valor ſatisfaciendi in contritione minor eſt, quàm ſit injuria peccati; quia valor & dignitas ſatisfactionis ex conditione perſonæ ſatisfacientis æſtimatur, gravitas verò injuriæ ex perſonæ læſæ gradu & dignitate expenditur. Quia ergo pura creatura quàmlibet virtutibus opima & gratiis ornata, finita eſt, dignitas verò majeſtatis divinæ infinita eſt, nulla creaturæ ſatisfactio injuriam Deo illatam æquare ullatenus poteſt, ut libro de Deo homine operoſiùs demonſtravimus. Unde confutatum manet Durandi & Suaris placitum, pœnitentiam ad perfectam juſtitiam commutativam revocantium.

Obſerva tertiò, quod licèt pœnitentia juſtitiam diſtributivam quadantenus imitetur, quatenus pro qualitate, gravitate, numero & modo criminum pœnas præſcribit & diſtribuit; à ratione tamen perfectæ juſtitiæ diſtributivæ recedit, quidquid in contrarium dicat Gabriel: tum quia perfectam proportionem inter ſatisfacientem & læſum ſervare non poteſt, cùm pœna quæcumque imponatur finita ſit, injuria verò Deo illata infinita, & finiti ad infinitum nulla ſit proportio. Tum quia juſtitia diſtributiva nullum diſtribuenti debitum imponit, & ideo in Deo puniente & præmiante formaliter inveniri alibi oſtendimus: in pœnitente tamen Deo læſo ſatisfaciendi debitum ineſt, à quo nulla poteſt ratione eximi, donec Deo fecerit ſatis. Denique juſtitia diſtributiva in ſuperiore præmia vel ſupplicia pro meritorum vel demeritorum modo diſponente, dividente, & ex proportionis legibus metiente duntaxat invenitur: pœnitentia verò non niſi in inferiore ſuperiorem offenſum placare pro viribus ſatagente reperitur. Ergo pœnitentia, tametſi modum juſtitiæ diſtributivæ æmuletur, perfectè tamen virtutis illius naturam non induit, nec ejuſdem habet eſſentiæ conſortium.

Obſerva denium quod licèt Theologos omnes recentiores pervaſerit hæc opinio, in eamque mentem cuncti veniant, pœnitentiam eſſe ab omnibus aliis diſtinctam & ſpecialem virtutem; ſi tamen, Lector, meam rogare aves ſententiam, fateor à pervulgata illa ſententia, qua omnes moderni imbuti ſunt, receſſiſſe nonnihil D. Thomam, me quoque tanti Magiſtri veſtigia prementem nonnihil recedere, qui ſancto Doctori, ubi apertè ſuam mentem aperit, indivulsè adhæreo. Quanvis enim Angelicus Præceptor docuerit & probaverit, pœnitentiam eſſe virtutem ſpecialem, id eſt non conſiſtere eam in aggregatione multarum virtutum, nec eſſe conditionem generalem virtutes cæteras vel comitantem vel tranſcendentem, ut olim Altiſiodorenſem, Majorem, & Alenſem arbitratos fuiſſe ferunt, quorum placitum rectè refellit S. Thomas ex ſpecialibus actibus ſpeciale objectum ſpeciali motivo inſpicientibus pœnitentiæ eximiis: attamen S. Thomam non intellexiſſe ſpecialem virtutem, prout diſtinguitur contra aliquam peculiarem virtutem ſed prout uni omnium virtutum acervo & aggregationi opponitur, manifeſtum videtur ex articulo 5 q. 85. tertiæ partis, ubi inquirit de principio pœnitentiæ. Ibi enim poſtquam dixit habitum pœnitentiæ immediatè à Deo infundi ſine nobis principaliter operantibus, non tamen ſine nobis diſpoſitivè cooperantibus per aliquos actus, enumerat deinde actus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, aitque in converſione pœnitentis intervenire tum motum fidei, qua remiſſionem peccatorum in Eccleſia fieri certiſſimè credit; tum motum timoris ſervilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur; deinde motum ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ, emendandi ſe, & ad meliorem frugem recipiendi propoſitum aſſumit; poſtea motum charitatis vel perfectæ, vel certè inchoatæ, quæ propter Deum ſummè dilectum, vel certè quem ut omnis juſtitiæ fontem diligere incipit, omnem ejus offenſam deteſtatur; quòve, inquit, *peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non jam propter ſupplicia.* Quibus omnibus ſuccedit motus timoris filialis, *quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntariè offert.* Ex quibus ſic concludit: *Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ à timore ſervili procedit ſicut primo motu affectûs ad hoc ordinato; à timore autem filiali ſicut ab immediato & proximo principio.* Ergo virtus pœnitentiæ ex D. Thoma non diſtinguitur à timore filiali; cùm expreſſè doceat timorem filialem nedum imperare pœnitentiæ actus, ſed eſſe eorum *immediatum & proximum principium.* Quia ergo timor filialis eſt ſpecialis virtus, ut in tractatu de virtutibus, diſſert. 3. cap. 2 oſtenſum eſt, pœnitentia etiam erit virtus ſpecialis. Et certè hanc ſententiam tum exemplum pietatis ſupra memoratum, tum ratio ſuprà facta, ex eo petita quod ad eandem virtutem pertinet Deum revereri, ejuſque jus illæſum ſervare, & læſum reſarcire, validè confirmant. Et certè hoc teſtimonium D. Thomæ ita luculentum & expreſſum eſt, ut mirum ſit recentiores Thomiſtas tam ſplendentem & oculis ſe ingerentem locum non advertiſſe.

Corollarium II.

Subjectum immediatum pœnitentiæ eſt voluntas rem otum eſt quivis peccati reus, vel capax.

Sequitur ſecundò, quod licèt pœnitentia, prout eſt paſſio & dolor ſenſibilis à mœrore non disjuncta, ſit in appetitu concupiſcibili, quod eſt ſedes triſtitiæ, vel in iraſcibili prout vindictam de peccato ſumere intendit; ira verò eſt appetitus vindictæ: tamen pœnitentiæ virtus cùm ſit juſtitiæ ſpecies, vo-

luntatem

luntati ut ſubjecto, ſicut ipſa juſtitia ineſt, ex quo deinde dolor in appetitum, & lacrymæ in oculos derivantur. Hinc Propheta pœnitentiam Pſalm. 50. *Sacrificium ſpiritus contribulati*, id eſt appetitûs ſpiritalis, qui voluntas eſt, appellat; unde & à voluntate proficiſci ait Pſal. 53. *Voluntariè*, inquit, *ſacrificabo tibi*. In quo ſacrificio, ut Caſſiodorus ibi obſervat, ſpiritus ſuperbiæ confeſſionis humilitate mactatur; unde non ſanguis egreditur, ſed lacrymarum fluenta decurrunt, quas Auguſtinus *Sanguinem cordis* nominavit. Hoc lacrymarum rore holocauſtum voluntatis pingue fit. *Holocauſtum ſiccum*, inquit Magnus Gregorius homil. 5. in Ezechielem, *eſt bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt; pingue eſt, quando hoc quod benè agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur.* Hoc lacrymarum ſacrificio dirigitur oratio noſtra ſicut incenſum in conſpectu Dei, & cœlum ipſum lacrymis rigatur, ut S. Chryſologus ſerm. 13. expendens illud Magdalanæ, *lacrymis rigabat pedes ejus*, obſervat: *En mutatur ordo rerum*, inquit, *pluviam terræ cœlum dat ſemper; ecce nunc rigat terra cœlum, imò ſuper cœlos & uſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum: ut juxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud, Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divinâ promulgatione ſententiam.* Hinc tantam vim lacrymis voluntariè ſuſceptis ſancti Patres aſſerunt, ut iis Deum cogi, invincibilem vinci, omnipotentem ligati, inclinari Dei majeſtatem, extingui iram conteſtentur. *Nemo ad Deum aliquando flens acceſſit*, inquit os Chryſoſtomi aureum, *qui non quod poſtulavit acceperit; nullus ab eo beneficiu dolenter optavit, qui non impetravit. Ipſe enim eſt qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat.* Et quanvis in illis nonnihil mœroris & triſtitiæ permixtum ſit, ſolent tamen illæ animum paſcere, mentem allevare: & ſicut poſt vehementes imbres mundus aër, ſudus ac purus efficitur, ita & poſt lacrymarum pluvias ſerenitas mentis atque tranquillitas inſtauratur. Hinc lacrymas fuiſſe ſibi panes die ac nocte Regius Propheta teſtatur, quia nimirum aquæ illæ in vinum optimum commutantur, dum in fervorem prodeunt charitatis. Quid ergo dulcius pane animarum, cibo mentium, corroboratione ſenſuum, abſolutione criminum, lavacro culparum, in quibus odor vitæ, refectio ſpiritûs, ſapor gratiæ, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, ſerenatæ conſcientiæ juge convivium ſenſibiliter percipiuntur?

Dices? Ibi virtus ponenda eſt, ubi difficultatem experimur: Sed difficultatem operum pœnitentiæ appetitus ſenſitivus experitur, utpote in delectabilia à quibus pœnitens abſtinet, nimis propenſus; in ardua, quæ pœnitens vindicandorum ſcelerum cauſa aggreditur, nimis mollis & remiſſus: Ergo in appetitu ſenſitivo reſidet virtus pœnitentiæ.

Reſpondeo quod cùm objectum virtutis pœnitentiæ ſit quid ſpiritale, nimirum jus divinum læſum juſtitiâ imperfectâ compenſandum, in ſubjecto ſpiritali, in quo juſtitia reſidet, pœnitentiam ſubjectari tenendum eſt. Porrò difficultatem appetitûs tam in deſerendis delectabilibus, quàm in tentandis ſuſcipiendiſque difficilibus, ſatis ſuperque evincit virtutum moralium paſſiones moderantium inſtructiſſimum ſatellitium. Fateor tamen ex virtute pœnitentiæ in voluntate reſidente redundare in appetitum ſacrum illum mœroris motum, & cordis compunctionem ſalutarem, ſicut ex voluntatis plenitudine in paſſiones effluunt paſſionum illarum motus, qui voluntatis affectibus conſentanei ſunt; nam flante ſpiritu fluunt aquæ compunctionis & devotionis. Fit autem illa inundatio vel motus alicujus impreſſione, vel certè ex naturali facultatum ſympathia & colligatione, qua vires animæ in eadem eſſentia radicatæ ſibi mutua conſenſione reſpondent. Et quanvis voluntas non eliciat actus aliarum potentiarum, eos tamen imperat, & ſæpe ex ſui affectûs abundantia inundat: unde cor reſolutum in lamentis liqueſit, tuncque percipitur ille ſacer fluminis impetus qui civitatem Dei domum interiorem lætificat. Et quanvis S. Thomas duplicem liberalitatem admittat, unam in voluntate, alteram in appetitu; idem tamen de pœnitentia objici non debet, quia ad appetitum non ſpectat Deo ſatisfacere, juſque divinum læſum ſarcire, pertinet tamen ad liberalitatem inordinatum pecuniarum amorem à nulla alia virtute frenatum moderari, ſicut ipſius eſt res & pecunias cum lætitia, & facili parataque celeritate erogare; quæ prompti animi executio paſſione appetitûs, cupiditate nimirum temporalium frequenter retardatur.

Secunda pars corollarii, quæ ait, ſubjectum remotum pœnitentiæ eſſe quemcunque peccati vel conſcium, vel certè capacem, docetur à S. Thoma art. 6. quæſt. 85. his verbis: *Aliæ virtutes per ſe videntur eſſe neceſſariæ ad bonum hominis: pœnitentia autem ſuppoſito quodam, ſcilicet peccato præexiſtenti*, vel ſaltem poſſibili: ergo ſubjectum incapax peccati, pœnitentiæ virtute nec eget, nec inſtruitur. Unde infertur in Chriſto non fuiſſe habitum pœnitentiæ; non enim datur virtus cujus actus ſit impoſſibilis: Chriſtus autem eſſentialiter impeccabilis, ſicut peccare, ita pœnitere prorſus non poteſt: ac proinde non per actum pœnitentiæ, ſed per actum juſtitiæ pro peccatis hominum condignè & de toto rigore ſatisfecit. Infertur etiam pœnitentiam in Angelis eſſe non poſſe, quia Angeli immobili & inflexibili libertatis arbitrio poſt deliberatam electionem gaudent, ut in tractatu de Angelis oſtenſum eſt: unde pœnitere non poſſunt, qui priorem voluntatem revocare non poſſunt. Infertur quoque, pœnitentiæ habitum fuiſſe Adamo ante peccatum cum gratia & virtutibus infuſum. Cùm enim in illo ſtatu Adamus peccati capax eſſet, ut funeſtâ experientiâ compertum eſt, pœnitentiæ etiam habitualis dono perfuſus eſt. Infertur rurſum, pœnitentiæ habitum cum cæterorum comitatu parvulis in baptiſmate infundi, quia ratione libertatis in utramque partem flexibilis, & peccare, & de peccatis dolere poſſunt. Infertur pariter, manere pœnitentiam in Beatis non ſolùm quoad ornatum, ſed etiam quoad actus ſecundarios, ſive gratitudinis pro peccatis condonatis, ſive gaudii de ſatisfactione aliàs Dei honoris reparandi gratiâ exhibita & peracta. Nec eſt ſimile de fide, aut ſpe, quia illam extinguit viſio, iſtam ad nihilum redigit ſperati boni æterna poſſeſſio.

An autem fuerit in B. Virgine pœnitentia, affirmant multi; quia etſi ex privilegio nunquam ne quidem venialiter peccaverit, potuit tamen ratione ſtatûs viatoris, & conditione libertatis creatæ peccare. Negat Nugno cum aliis, quia non datur virtus ad impoſſibile, ſi præſertim ejus actus, ſive primarius, ſive ſecundarius nunquam producturus eſt. In Beata autem Virgine peccatum erat impoſſibile, quia fomes peccati ab inſtanti primæ infuſionis gratiæ vel extinctus omninò fuit, vel certè ligatus, & in conceptione tandem Divini Verbi penitus evulſus: unde ſicut peccare non potuit, ita nec pœnitere. Et quanvis Beatis ſit pœnitentia, quibus tamen repugnat peccatum, non continuò idem de Deipara ſubinferre licet; quia licèt peccare non poſſint, aliàs tamen in ſtatu viæ peccaverunt; unde potuit in illis

mane-

manere & exerceri actus voluntariæ diſplicentiæ peccatorum, & gratiarum actionis pro liberatione à peccato, & gaudii pro ſatisfactione idonea Deo læſo perſoluta. Sanè cùm habitus dentur propter actus aliquos exercendos, quando actus omnis eſt impoſſibilis, undecumque impoſſibilitas illa proficiſcatur, habitus etiam vel non eſt poſſibilis, vel certè non eſt conſentaneus, ſed potiùs inanis & ſupervacaneus cenſendus. Huic ſecundæ ſententiæ, niſi meus me fallit animus, probabiliori, & Matrem honorificentiam magis decenti libens ſubſcribo. Nec eam aliquo virtutis ornamento ſpoliamus, cùm eo careat Chriſtus citra honoris vel decoris illius immutationem; quia ut benè dixit D. Thomas, pœnitentia non per ſe, ſed ſuppoſito peccato appetibilis eſt, ſimilis medicinæ quæ morbum vel præteritum ſanat, vel futurum præcavet. Sicut ergo in Maria nec fuit, nec potuit de potentia ordinaria eſſe peccatum, ita fruſtra & otiosè in ea poneretur pœnitentia; quæ, ut aiunt Patres, eſt medicamentum vulnerum, ſpes ſalutis, peccatorum remedium; quâ ſpiritus contribulatus cruciatur, & ſacro ſacro timore configitur; quâ ligata ſolvuntur, clauſa reſerantur, contrita ſanantur, confuſa lucidantur; quâ peccatorum cauſæ exciduntur, & peccandi ſuggeſtionibus aditus præcluditur; quâ à malefactis recedimus, mores in melius commutamus, Deoque ſatisfacimus per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium; quâ peccata diluuntur, languores ſanantur, leproſi curantur, mortui ſuſcitantur, ſanitas augetur, gratia reparatur, claudis greſſus, aridis copia, cæcis reſtituitur viſus: quâ denique, ut Magnus Gregorius ſcitè dixit, *anima lacrymis baptizata renovatur.*

Corollarium III.

Varii pœnitentiæ effectus ordine recenſentur.

Sequitur 3. varios eſſe pœnitentiæ tam virtutis, quàm Sacramenti effectus, ut patebit accuratâ inductione.

Primus effectus remiſſio peccati mortalis.

Primus pœnitentiæ effectus eſt remiſſio peccati mortalis, unde nullum eſt peccatum lethale tam grave vel immane, nullus tantus peccatorum numerus, qui verâ pœnitentiâ non deleatur. Hanc veritatem docent ſacræ litteræ. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua quam operatus eſt, vivet. Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis & vivat?* Et infrà: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum; & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite.* Et cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael? ::: Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

Eandem veritatem inculcat Iſaias cap. 1. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et cap. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Idemque clamat Jeremias cap. 3. *Revertere averſatrix Iſrael, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ego ſum, & non iraſcar in perpetuum. ::: Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras.* Et cap. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei.* Item Joelis 2. *Convertimini in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum; quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia;* id eſt, cujus clementia malitiæ humanæ immenſùm præſtat: adeo ut, ſicut exponit Hieronymus, ſi nos egerimus pœnitentiam ſuper peccatis, ipſum quoque comminationis pœniteat, & mala quæ comminatus eſt, non inferat, noſtræque mutatione ſententiæ ipſe mutetur. Denique Zachariæ 1. *Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. ::: Revertar ad Ieruſalem in miſericordiis.*

Aſtipulantur SS. Patres: Cyprianus lib. ad Demetrianum: *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus; in iſto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla ſera eſt, patet ad indulgentiam Dei aditus.* Chryſoſtomus epiſtol. 5. *Tanta eſt Dei benignitas & erga nos amor; nunquam averſatur pœnitentiam ſincerè factam: ſi quis ad malitiæ fines olim penetrarit, illinc enim ad virtutis viam reducere conatur, & recipit redeuntem.* Denique pleni ſunt hac veritate omnes Patrum libri, eorum præcipuè qui adversus crudele Novatianorum dogma pugnarunt. Unde Concilium Lateranenſe cap. *Firmiter*, ſic definit: *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper reparari poteſt.*

Ratio verò ſequitur ex dictis: Sacramenta enim id efficiunt quod ſignificant. Cùm ergo Sacramentum pœnitentiæ ſignificet peccata ſaltem mortalia remitti, ut patet ex verbis formæ, *Ego te abſolvo*, manifeſtum eſt per pœnitentiam peccata lethalia remitti: alioquin ſine cauſa dixiſſet Chriſtus Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Unde Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 1. & can. 1 & 3. definit Sacramentum pœnitentiæ eſſe ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſſa inſtitutum. Et Catechiſmus Romanus part. 2. num. 23. optime dixit, nullum eſſe tam grave & nefarium ſcelus, quod pœnitentiæ Sacramento non quidem ſemel, ſed iterum, & ſæpius non deleatur. Unde S. Joannes cap. 1. ſuæ primæ epiſtolæ: *Si confiteamur*, inquit, *peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Et paulò poſt: *Si quis peccaverit*, inquit, *advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Hinc etiam num. 42. rectè obſervat, quod licèt pleraque alia pietatis ſtudia, veluti beneficentia in pauperes, jejunia, orationes, & alia id genus ſancta & honeſta opera, hominum culpâ, à quibus proficiſcuntur, à Deo interdum repudientur; ipſa tamen contritio nunquam illi grata & accepta eſſe non poteſt, juxta illud Prophetæ Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.* Quin etiam ſtatim ut eam mentibus noſtris concepimus, peccatorum remiſſionem nobis à Deo tribui declarat idem Pſalmographus Pſal. 31. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Unde patet veræ pœnitentiæ eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim à Domino impetremus.

Id ipſum optimè confirmat ratio S. Thomæ 3. p. quæſt. 86. art. 1. ex libertate humani arbitrii & divinæ gratiæ efficacitate petita. Si enim peccatum pœnitentiâ deleri non poſſet, ideo eſſet, quia vel homo de peccato pœnitere nequiret, vel quia Deus hominis pœnitentis peccatum delere non vellet: utrumque autem eſt erroneum; primum quidem, tum quia libertatem voluntatis enecat, tum quia gratiæ divinæ per ſe efficacem virtutem eliminat, per quam omnium poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum, juxta illud Proverb. 21. *Cor Regis*

eſt in manu Domini, quocumque voluerit vertet il-lud Secundùm etiam divinæ miſericordiæ injurium eſt. *Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine,* inquit D. Thomas, *ſi homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet.*

Argumenta Novatianorum divinæ clementiæ hoſtium ſuprà diluimus: ſupereſunt quædam Scripturarum & Patrum ſententiæ, quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non poſſe, nec eorum veniam peccantes impetrare ullatenus potuiſſe; nam de Eſaü ait Apoſtolus Hebr. 12. quod *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Et de Antiocho 2. Machabæor. 9. dicitur: *Orabat ſcelestus Deum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* De peccato etiam in Spiritum ſanctum dicitur Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Et clariùs Marci 3. *Omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ, quibus blaſphemaverint. Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Idem docet Auguſtinus lib. 3. de ſerm. Domini in mont. cap. 22. de peccato illo quo quis poſt acceptam agnitionem Dei oppugnat fraternitatem, & adversùs ipſam gratiam invidiæ facibus agitatur.

Verùm hæc omnia ita cum Eccleſia Catholica interpretari oportet, ut difficilem admodum eſſe hujuſmodi peccatorum veniam intelligamus; quia ſicut quidam ſunt morbi quibus non ſolùm gravatur infirmus, ſed etiam quibus affectus ægrotus ſalutaris medicinæ vim odærit: ſic quoddam eſt peccati genus, quod non ſolùm gratiæ adverſatur (id enim omni ſceleri lethifero commune eſt) ſed etiam gratiam ipſam repellit & odio habet, rebelle lumini, ſcientiam viarum Dei nolens, & gratiam veluti importunam & infenſam cupiditatibus, quas adorat, deteſtans. Veruntamen quia miſericordiæ divinæ nec modus eſt ullus, nec numerus, poſſunt illa quàmlibat immania ſcelera, accedente ſinceri cordis pœnitentiâ remitti omnipotentiſſimâ gratiæ poteſtate, quæ etiam interdum *in profundum maris convertit,* ut dicitur Pſal. 76. ubi Auguſtinus: *Convertit eos qui in profundo hujus ſæculi jacent demerſi pondere peccatorum. Intelligitur hæc dixiſſe Dominum noſtrum, quod ſua miſericordia converteretur etiam in profundum maris, ad eos liberandos qui ſunt deſperatiſſimi peccatores.* Nihil autem mirum, ſi Eſaü vel Antiochus peccatorum veniam non impetrarint, quia vera utrique defuit pœnitentia; Eſaü quidem, ut patet ex hoc quod dixit Geneſ. 27. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Unde internam peccati voluntatem nefarius retinebat. Antiochus verò, quia ut ait D. Thomas ad 1. *Dolebat de culpa præterita, non propter offenſam Dei, ſed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur.* Unde non erat in illo niſi ſimulachrum & larva pœnitentiæ, quam ſanè, vereor equidem, ne Chriſtianorum perpetuò relabentium Paſchalis pœnitentia, vel in horam mortis dilata imitetur. Et idem dicendum eſt de peccato in Spiritum ſanctum, quod utique nunquam remittitur, ſi de finali impœnitentia intelligatur, cùm poſt hujus vitæ finem nulla contingat remiſſio peccatorum. Vel ſi intelligatur de peccato malitiæ, vel de blaſphemia in ipſam Sancti Spiritûs perſonam prolata, ſignificare Salvator voluit, non niſi difficillimè peccatum illud condonari; tum quia excuſatione caret malitia, proditque velut ex adipe iniquitas tranſiens in affectum cordis; tum quia peccatum illud gratiam & pietatem, totiuſque gratiæ & pietatis fontem Spiritum ſanctum faſtidit, floccifacit, & temerario auſu repellit: ægrè autem ſanari poteſt ille morbus & fermè deſperatus cenſendus eſt, quo ægrotus medicinam odit, & medicum ipſum execratur.

Porrò uſque adeo verum exiſtimat S. Thomas pœnitentiâ verâ, adjuncto præſertim Sacramento, omnia deleri peccata lethifera, ut articulo 3. quæſt. 86. concludat, fieri ullâ potentiâ non poſſe, ut per virtutem pœnitentiæ unum peccatum ſine alio remittatur. Quod breviter contra Scotum & Suarem exiſtimantes Deum per extrinſecam condonationem poſſe unum ſine alio peccato remittere, demonſtratur. Impoſſibile eſt peccatum, quod eſt privatio gratiæ, ſine ejuſdam gratiæ infuſione deleri; ſicut impoſſibile eſt aërem tenebroſum ſine perfuſione illuminari. Atqui gratia ſanctificans nullum peccatum mortale compatitur, nec cum illo ſociari unquam poteſt, ut in tractatu de gratia fusè oſtenſum eſt: quia per gratiam ſanctificantem fit homo ſanctus, mundus, Deo acceptus; quæ omnia nè vel unum peccatum mortale compatitur, cum repugnet eundem hominem eſſe ſimul amicum & hoſtem Dei. Igitur per pœnitentiam non poteſt unum mortale ſine alio remitti.

Id confirmat S. Thomas, quia peccatum mortale non poteſt ſine vera pœnitentia remitti, *ad quam pertinet deſerere peccatum, inquantum eſt contra Deum; quod quidem eſt commune omnibus mortalibus: ubi autem eſt eadem ratio, eſt & idem effectus. Unde non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, & non de alio: ſi enim ei diſpliceret illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) ſequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret. Unde ſequitur quod impoſſibile ſit unum peccatum per pœnitentiam remitti ſine alio.* Denique id eſſe contra perfectionem miſericordiæ Dei, ait Angelicus Doctor; cùm enim ejus perfecta ſint opera, cujus miſeretur, totaliter miſeretur. Unde author libri de vera & falſa pœnitentia, c. 9. *Quædam impietas infidelitatis eſt, ab illo qui juſtus & juſtitia eſt dimidiam ſperare veniam.* Quin in humanis *ridiculum videtur,* verba ſunt D. Thomæ ad 4. *quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offenſa, & non de alia.* Poteſt quidem homo, qui plura peccata committere conſuevit, ceſſare ab uno, & in alio patrando perdurare; ſed culpa & macula relicta deleri nequit, niſi omnis prorſus abſtergatur. Nec obeſt quod peccata non ſint connexa, quia ut optimè ait S. Thomas ad 3. peccata quanvis non ſint connexa quantùm ad converſionem ab bonum commutabile, ſunt tamen connexa quantùm ad averſionem à bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia: & ex hac parte habent rationem offenſæ, quæ gratia ſanctificante remittitur, & verâ pœnitentiâ deletur. Unde is cui peccatum in juſtificatione remittitur, eſt in Chriſto Jeſu: nihil autem, teſte Apoſtolo Rom. 8. *damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu; & in renatis nihil odit Deus,* ut ait Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. quod ad juſtificatos Sacramento pœnitentiæ reconciliatos extendendum eſt.

Secundus pœnitentiæ effectus: Remiſſio pœnæ æternæ, ac etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ.

Secundus pœnitentiæ effectus eſt remiſſio reatûs pœnæ æternæ, atque etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ ſuſceptæ. Remiſſio quidem pœnæ æternæ, reatus enim pœnæ æternæ conſequitur peccatum inquantum eſt averſio à bono incommutabili; juſtum quippe eſt, ut qui contra æternum bonum peccavit, æternùm puniatur: atqui per gratiam tollitur hujuſmodi averſio, quæ eſt de eſſentia peccati, & ſe habet ſicut formale in illa, ut docet D. Thomas, & nos in tractatu de actibus moralibus oſtendimus, ubi malitiam moralem in privatione eſſe ſitam cum S. Præceptore monſtravimus. Ergo per gratiam pœnitenti collatam pœna æterna tota remittitur.

Et obiter obſervari velim verba D. Thomæ art. 4. ad 2. ubi ſic habet: *Culpa mortalis utrumque habet, & averſionem à Deo, & converſionem ad bonum crea-*

creatum: ſed ſicut in 2. parte habitum eſt, averſio à Deo eſt ibi ſicut formale; converſio autem ad bonum creatum eſt ibi ſicut materiale: remoto autem formali cujuſcunque rei tollitur ſpecies, ſicut remoto rationali tollitur ſpecies humana. Et ideo ex hoc ipſo dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur averſio mentis a Deo ſimul cum reatu pœna æterna. Quibus in verbis non ſolùm habes rationem, cur remiſsâ homini culpâ, pœna quoque æterna remittatur: ſed etiam quàm ſibi conſtens ſit S. Doctor in illa aſſertione, quâ obique docet malum morale in aliquo privativo eſſentialiter eſſe ſitum. Et quanvis impræſentiarum loquatur de peccato habituali, idem tamen manifeſtè cenſet de peccato actuali, cùm ex his quæ de peccato actuali in ſecunda parte, id eſt 1. 2. quæſt. 71. art. 6. dixit, infert hic quid de culpa habituali dicendum ſit. Unde quod in illa quæſtione 71. quod pertinet ad ſubſtantiam actûs humani *quaſi materiale*, illud verò quod ad rationem mali pertinet *quaſi formale* appellarit, non officit, quia illud *quaſi* diminutivè accipiendum non eſt, ut accipiunt poſitivæ malitiæ aſſertores; nam illud ſubterfugium vel offendiculum ſui interpres removet S. Præceptor in præſenti, declarans eodem ſenſu ſe ibi dixiſſe *quaſi*, quo hic dicit *ſicut*. Utrumque verò ideo dixit S. Doctor (ut benè notat P. Nicolai poſitivæ deformitatis acerrimus paſſim impugnator, quam etiam abſurdum & indignum figmentum appellat, à nonnullis velut ipſa D. Thomæ doctrina venditatum, cui tam evidenter adverſatur tamen:) ideo, inquam, dixit S. Doctor, quia in moralibus non poteſt eſſe verum materiale, nec verum formale, ſicut eſt in phyſicis. Maximè quia ſi præter illud *quaſi formale*, agnovit D. Thomas aliam poſitivam iniquitatem, quæ ſit verè, & ſi dicere licet, *formaliter formale*, alicubi, vel aliquando rerum Doctor accuratiſſimus quæſtionem illam millies verſans illud verum formale expreſſiſſet, & proprio nomine deſignaſſet: at illud hactenus invenire adverſarii non potuerunt. Sed de his ſatis alibi.

Secunda pars corollarii, affirmans per pœnitentiam remitti etiam pœnam temporalem pro ratione & fervore pœnitentia, ſupponit pœnæ temporariæ reatum etiam remiſsâ pœnâ æternâ remanere poſſe, & ſæpe, imò ordinariè ſolere: quia ut rectè argumentatur S. Doctor, in peccato præter averſionem à bono incommutabili eſt etiam converſio ad bonum commutabile, cui pœna debetur; juſtum eſt enim, ut qui voluntati ſuæ plus indulſit quàm debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur. Unde Apocalypſis 18. dicitur: *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentorum & luctuum.* Quia tamen converſio illa ad bonum commutabile finita eſt, non habet ex hac parte peccatum cui debeatur pœna æterna, ſed tantùm temporalis. Hoc ſuppoſito faciliè probatur ſecunda hujus conſectarii pars: Sacramentum pœnitentiæ, quanvis remittat peccata virtute paſſionis Chriſti, non tamen ea delet niſi ſecundùm modum propriorum actuum, qui ſunt hujus Sacramenti materia; & ideo non ſtatim poſt primum actum pœnitentiæ, quo remittitur culpa, ſolvitur reatus totius pœnæ, ſed completis omnibus pœnitentiæ actibus, id eſt non tantùm contritione, vel etiam confeſſione, ſed etiam ſatisfactione actuali, ſive in hoc ſæculo, ſive in purgatorio exſolvenda. In quo à Sacramento baptiſmi differt pœnitentia; in illo enim, ut ait S. Thomas ad 5. homo participat totaliter virtutem paſſionis Chriſti, utpote per aquam & ſpiritum commortuus peccato, & in eo regeneratus ad novam vitam; & ideo in baptiſmo homo conſequitur remiſſionem reatûs totius pœnæ: at verò in Sacramento pœnitentiæ paſſio Chriſti non niſi mediis pœnitentis actibus applicatur. Quanvis autem paſſio Chriſti ſuo pretio ſit reconciliandis omnibus hominibus totique pœnæ ſtatim remittendæ ſufficientiſſima, ſuum tamen non ſortitur effectum, niſi in illis quibus applicatur, & pro modo applicationis pœnitentium. Nec eſt contra legem amicitiæ, ſi ab amicis ſuis, condonatâ ipſis pœnâ æternâ, ſatisfactionem temporariam exigat ſupremus Judex & publicus Legiſlator, ut publicæ juris læſi juſtitiæ fiet ſatis. Unde Machabæorum lib. 2. c. 12. pro illis etiam qui cum pietate dormierunt, & optimam habuerunt repoſitam gratiam, ſacrificium ad eorum reatum expiandum offertur; & pro eis exorare ut à peccatis ſolvantur, id eſt à pœna quæ temporaliter luenda remanet, liberemur, ſancta & ſalubris cogitatio nominatur. Hinc Tridentinum ſacrum Concilium ſeſſ. 14. cap. 8. ſic habet: *Sancta Synodus declarat falſum omnino eſſe & à verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quàm manifeſtiſſimè revincitur.* Sed de his ſatis egimus ſupra tum cùm de ſatisfactione ſermonem habuimus. Ergo quo ſatisfactio fuerit perfectior, & pœnitentia major, eo minuetur reatus, ſeu luendarum pœnarum temporalium peccato debitarum obligatio: unde ſi ea ſatisfactio imponatur, vel ſponte ſuſcipiatur, quæ gravitati criminum reſpondeat, ac prout oportet impleatur, tolli per eam poterit poenæ omnis temporalis reatus.

Idem dicendum eſt de reliquiis peccatorum, pravis nimirum diſpoſitionibus ex præcedentibus peccatorum actibus relictis, eas nimirum pro ratione fervoris poenitentis evelli. Ad cujus evidentiam ſciendum, vires animæ eò fieri debiliores & in peccatum propenſiores, quo plus, vel diutiùs, vel frequentiùs homo peccavit; unde & in intellectu cæcitas, & in voluntate infirmitas, quibus animi ad bonum operandum robur magis magiſque frangitur, conſequuntur: pravas has ex peccato ortas, & in peccatum inclinantes reliquias non ſolet ſtatim à principio poenitentia curare, vel penitùs exſtirpare, quia ut benè dixit Origenes hom. 8. in Levit. *Intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus accepit, etſi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris reſidentem.* Nihilominus tamen cùm poenitens vehementiſſima animi contentione, ſingulari ſtudio, & inuſitato ſacri caloris æſtu, atque Spiritûs Sancti fervore concepto ſit, ut ait alicubi in officio Eccleſia, in fide ſtabilis, in opere efficax, tunc vel omnes, vel certè plures peccatorum reliquiæ perſanantur. Nam ſicut ſocrui Petri ſtatim perfecta ſanitas reſtituta eſt, ita ut ſurgens miniſtraret illis, ut dicitur Luc. 4. ita etiam quandoque tanta commotione convertitur cor poenitentis, ut ſubitò perfectam conſequatur ſanitatem ſpiritualem, non ſolùm remiſsâ culpâ, ſed etiam ſublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet, inquit D. Thomas, de Magdalena Luc. 7. Non quod inde colligatur evidenter, ſed attentis Magdalenæ doloribus, fletibus, atque modo poenitendi toto vitæ decurſu retento, id omninò conſentaneum videtur. Et quanvis Lucas poenitentem illam, non Magdalenam, ſed mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, appellet, eam tamen fuiſſe Magdalenam conſtantiſſimum eſt, & benè oſtendit P. Nicolai ad art. 5. Nam Maria illa quæ dicitur Lazari ſoror, quaſi ſpeciali quadam nota ſignificatur, quod unguento Dominum unxit, Joan. 11. *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterſit pedes ejus capillis ſuis.* In Græco autem habetur, quæ *unxerat & exterſerat*; ut indigitaret Evangeliſta ſe non loqui de unctione futura, quam deinde cap. 12. recenſet, ſed de præterita, de qua Luc. 7. mentio fit. Hinc B. Gregorius hom. 33. in Evangelia: *Hanc verò,* inquit, *quam Lucas peccatricem, Ioannes Mariam nominat, illam eſſe Mariam credimus, de qua Marcus ſeptem dæmonia ejecta fuiſſe teſtatur.* Illam autem à ſeptem Dæmonibus liberatam, eſſe Magdalenam peccatricem oſtendit S. Doctor ſubjungens. *Et quid per ſeptem dæmonia, niſi univerſa vitia deſignantur? Quia enim ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, rectè ſe-*

ptenario

plenario numero univerſitas figuratur. Septē ergo dæmonia Maria habuit, quæ univerſis vitiis plena fuit. Nec mirū, nomen Magdalenæ à Luca premi, quia ut optimè ex Beda notat D. Thom. in catena antea: *Pulchrè Evangeliſta, ubi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifeſtat; ubi verò peccatricem, ſed pœnitentem deſcribit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tantæ famæ priſci errorum nota fuſcaret.* Glorioſum ergo Mariæ Magdalenæ nomen tunc ſolùm debuit exprimi, quando potuit in ejus gloriam redundare.

Dices: S. Thomas ad probandum remiſſis culpâ & æternæ pœnæ reatu remanere reatum pœnæ temporalis, atque etiam peccati reliquias, fundamento innititur quod infirmum vel caducum videtur, dum ait remiſsâ culpâ, *remanere tamen illud quod eſt materiale, ſcilicet inordinatam converſionem ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis.* Quod art. 4. in corpore, & ad 1. & art. 5. inculcat. Id autem videtur difficile, tum quia per pœnitentiam & gratiam juſtificantem tollitur omne id quod habet rationem peccati, ſive averſio à Deo ſit, ſive ad creaturam converſio. Tum quia pœna ſatisfactoria & temporalis non ſolùm debetur peccato ratione converſionis ad bonum, ſed potiſſimè ratione averſionis à Deo: cujus ſignum eſt, quod longè gravior pœna peccato mortalis conſciis quàm ſola in venialia prolapſis, non tantùm in futuri peccati remedium, ſed etiam in injuriæ Deo illatæ compenſationem injungitur. Tum quia converſio illa inordinata in uno duntaxat peccato actuali amplectente ſtercora, & in objectum diſſonum regulis morum tendente invenitur, non autem in peccato habituali, quod tranſacto actu manet, cùm non ſemper habitus per actum producatur. Ergo nutat doctrinæ hactenus traditæ fundamentum.

Reſpondeo variè à variis S. Thomæ Interpretibus verba illa per ſe ſatis nuda & aperta obſcurari magis quàm illuſtrari. In primis aliqui, quos ſequitur Baptiſta Gonetus, dicunt S. Thomam loqui per quamdam analogiam & accommodationem; nam quia converſio eſt quædam inordinata adhæſio voluntatis plus æquo temporalibus addictæ, ideo illi attribuitur pœna ſenſûs mediis creaturis inflicta; averſioni verò reſpondere dicitur pœna damni, quâ homo divino bono æternùm privatur, à quo ſponte receſſit; revera tamen utrique illi malitiæ in peccato repertæ utraque pœna reſpondet, licèt una uni, alteri altera per appropriationem aſſignetur. Verùm hæc reſponſio difficultati ſuccumbit, dum S. Thomam accuratè ſemper & formaliter loquentem ad ſenſus metaphoricos & analogicos ſine neceſſitate detorquet. Alii, quibus idem Gonet aſtipulatur, per converſionem illam intelligunt delectationem, quam quis ex objecto illicitò ſibi nimiùm indulgens percipit. Sed hæc expoſitio videtur à ſenſu D. Thomæ aliena; tum quia delectatio illa non niſi in actu peccati percipitur, qui tranſactus eſt & præterit; tum quia in pœnitente, in quo tamen remanere converſionem illam ait S. Thomas, delectatio illa non permanet, ſed potiùs ob illam dolor contritione ſentitur.

Alii cum Sylvio intelligunt, converſionem inordinatam manere quoad aliquem effectum, qui eſt inter Deum & hominem inæqualitas tamdiu manens, donec fuerit juſtâ pœnæ temporalis ſolutione ſatisfactum; rectus namque ordo poſtulat, ut per ſatisfactionem ea inæqualitas ab homine pro virili parte compenſetur. Unde inferunt pœnam gehennæ, cui homo peccato mortali obnoxius fit, complecti pœnam damni, pœnam ſenſûs, & æternitatem utriuſque: pœna damni averſioni, pœnæ ſenſus converſioni, æternitas utriuſque pœnæ injuriæ & inimicitiæ adverſus Deum reſpondet: primum & tertium verâ pœnitentiâ tolluntur, ſed ſecundùm juſto Dei judicio permanet; non enim divina juſtitia pari cū Chriſtianis lapſis atque cum recèns baptizatis liberalitate, ſed paulò ſtrictiore agendum cenſuit, ſtatuens ut non niſi adjunctâ ſatisfactione pœna tota remittatur. Nam & juſtitiæ divinæ ratio exigere videtur, inquit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. *ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritûs ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverint.* Unde eandem plenariam indulgentiam non conſequitur pœnitens, quam conſequutus fuerat in baptiſmate, de quo ait S. Chryſoſtomus hom. 24 in Joan quod *in aqua baptiſmi tanquam in ſepulchro caput immergentibus vetus homo ſepelitur, emergentibus inde novus reſurgit.* Verùm hæc doctrina, licèt multa commoda & vera contineat, difficultatis tamen punctum fugere videtur: nam illa inæqualitas, quam dimiſsâ culpâ remanere ait, non minùs converſionem quàm averſionem conſequitur; unde pœnæ ſatisfactoriæ pro utraque ſuſtinentur, imò pro injuria Deo averſione illa intentatâ pœna potiſſimùm imponitur.

Vera ergo, & plana D. Thomæ intelligentia ex ipſo Sancto Doctore eruenda eſt. Mentem autem ſuam dilucidè aperit S. Præceptor art. 5. his verbis: *Dicendum quod peccatum mortale ex parte converſionis inordinata ad bonum commutabile quandam diſpoſitionem cauſat in anima, vel etiam habitum, ſi actus frequenter iteretur.* Ad quorum evidentiam ſciendum, actus ſive virtutum, ſive vitiorum, vel procedere ab habitu, vel habitum aut certè diſpoſitionem in principio generare; cùm enim actus tendat in objectum, ſitque actualis illius proſequutio, ſubjectum in quo eſt ad tale objectum inclinat, vel impreſſione habitûs cùm eſt vehemens, vel frequenter iteratus; vel ſaltem inſitione diſpoſitionis, quando actus non eſt ita plenus & efficax, uti non ſolet eſſe in principio: igitur ex actu peccati, quo homo in bonum commutabile converſus eſt, ſin habitus pravus, certè inordinatio perverſa inſeritur, quâ voluntas in malum & aliàs dilectum objectum velut pondere fertur. Et hanc converſionem vel in habitu, vel in diſpoſitione ſitam appellat S. Doctor *reliquias iniquitatis*, quia à peccato relicta eſt, & in peccatum à quo manavit, ſponte ſua proclivis eſt. Illi ergo converſioni reſpondet pœna ſenſûs, non quòd illa mala & peccatum ſit in juſtificato, ſed quia ratione peccati actualis unde profecta eſt, juſta ei debetur afflictio; æquum eſt enim ut qui voluntati ſuæ plus indulſit, quàm debet, unde & voluntatem ſuam ad bona ſenſibilia nimiùm deflexit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, quo ut ait Tridentinum ſeſſione citata, *medeatur peccatorum reliquiis*, & vitioſos habitus pravaſque diſpoſitiones, quas malè vivendo comparavit, contrariis actibus tollat. Converſio ergo in bonum commutabile, D. ipſo Thoma interprete, nihil aliud eſt, quàm remanentes diſpoſitiones ex præcedentibus actibus cauſatæ, quibus ratione actus quem connotant, debetur pœna temporalis. Quæ quidem diſpoſitiones in juſtificatione non ſtatim à principio funditus, ſed ſenſim & pedetentim evelluntur: unde ut alibi dixit D. Thom. ſunt *in via corruptionis*; & hîc remanere eas ait *debilitatas & diminutas, ita quod homini non dominentur, ſicut etiam remanet fomes poſt baptiſmum.*

Tertius pœnitentiæ effectus, Remiſſio peccatorum venialium.

Tertius pœnitentiæ effectus eſt remiſſio peccatorum venialium. Ratio ſequitur ex dictis: nam per pœnitentiam homo convertitur ad Deum, vel imperfectè

perfectè cùm eum diligere incipit, vel perfectè, cùm illum ex toto corde unà Dei bonitate inelcatus amat: ſed tunc remittitur peccatum veniale; (cùm enim per peccatum veniale retardetur affectus hominis, ne promptè feratur in Deum, ubi primùm voluntas Spiritûs ſancti fervore concepto ſincera converſione ab amore indivulſa in Deum fertur, corrigitur & remittitur inordinatio illa è peccatis venialib' orta. Ergo per pœnitentiam remittuntur peccata venialia. Accedit, quod per veram pœnitentiam gratia infunditur: in habentibus autem uſum liberi arbitrii, in quibus ſolis poſſunt eſſe venialia peccata, non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum, quo facto motu peccata venialia remitti neceſſe eſt, cùm eo expellatur & veluti excutiatur animi creaturis plus æquo, etſi non contra Deum adhærentis torpor, rumpanturque funiculi affectionum, quæ ſunt veluti vulpeculæ demolientes perfectionis ſpiritalis vineam. Ergo per pœnitentiam remittuntur peccatorum venialium maculæ. Quod ita eruditè de more explicat S. Thomas 3 p. quæſt 87. art. 2. ad 3. *Dicendum quod ſicut in corpore contingit eſſe maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, putà debiti caloris, aut debitæ proportionis membrorum; alio modo per ſuperinductionem alicujus impedientis decorem, putà luti, aut pulveris: Ita etiam animæ inducitur macula, uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale; & hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infuſio gratiæ: ſed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removetur inordinata adhæſio ad rem temporalem.*

Obſervat etiam idem S. Doctor art. 1. in corpore, & ad 1. illud diſcriminis mortale inter & veniale intereſſe, quod ad remiſſionem peccati mortalis requiritur perfectior pœnitentia; ut ſcilicet homo actualiter deteſtetur peccatum mortale quantum in ipſo eſt, diligentiam adhibendo ad memorandum ſingula peccata mortalia, ut ſingula deteſtetur. Sed hoc non requiritur ad peccatorum venialium remiſſionem, ſed requiritur & ſufficit quædam virtualis diſplicentia, putà cùm aliquis hoc modo fertur ſecundùm affectum in Deum & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret quod eum ab hoc affectu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hoc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitet. Quod tamen non ſufficit ad remiſſionem peccati mortalis, niſi quantum ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionem. Unde infert ad primum, quod quia poteſt juſtus vitare ſingula peccata venialia, ſed non omnia, ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abſtinere à ſingulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas humana non patitur. *Debet tamen* (verba ſunt S. Doctoris quæ à viris ſpiritalibus obſerventur digniſſima) *habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cùm deſereret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectûs, quæ ſunt peccata venialia.*

Patet igitur ex Angelico Doctore, ad remiſſionem peccatorum venialium ſufficere pœnitentiæ vel actualis, vel virtualis motum, & illum etiam omninò requiri. Sufficit quidem; quia per actualem vel virtualem pœnitentiam homo conjungitur Deo: inordinatio autem voluntatis, vel potiùs impedimentum prompti & expediti in Deum motûs per veniale peccatum poſitum, actuali ordinatione, ſeu contratio animi in Deum contendentis impetu tollitur, animique flexus in terram incurvatus ad Deum ſacrâ contentione recurrit, & veluti retrogtaditur. Quod verò hujuſmodi actus requiratur, ex eo patet, quod ad remiſſionem venialis tolli debet macula ex inordinata animi plus nimio creaturarum diverticulis diſtenti converſione proficiſcens: tandiu autem manet illa macula, quandiu remorâ illâ captus animus in via ſalutis ſuſpenſus hæret & ſubſidet. Quod explicat S. Thomas quæſt. 7. de malo, art. 2. ex eo quod mortale & veniale finis conſequutionem impediunt; mortale quidem per deſtructionem ponderis quo homo fertur in Deum, jacturam nimirum charitatis; veniale verò per poſitionem obicis impedientis quominus pondus illud concitato curſu feratur in Deum: ſicut igitur primum lapidis impedimentum non niſi novâ gravitatis productione tolleretur; nec ſecundum, niſi vehementi impetu medium interpoſitum expellente, removeretur: ita nec mortale niſi novæ charitatis infuſione, nec veniale niſi fervido pœnitentiæ actualis vel virtualis motu remittitur. Quorum omnium radix eſt, quia non tollitur privatio niſi acceſſu formæ quâ privat: peccatum autem veniale in ratione maculæ nihil eſt aliud quàm privatio fervoris charitatis & virtutum, in ratione verò offenſæ eſt divini dominii ad omnia Juſti opera actu non ſe extendentis contractio & coarctatio: ergo ſine fervore charitatis vel aliarum virtutum à charitate imperatarum moras illas rumpente non deletur. Unde ad remiſſionem venialium ſacros illos motus exigit Bernardus ſerm. 40. in Cantica, his verbis: *Intendere in aliud quàm in Deum, non Mariæ otium, ſed Marthæ negotium eſt. Abſit autem ut quæ hujuſmodi eſt, quidquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim perveniſſe decorem: quippe quæ adhuc ſolicita eſt, & turbatur erga plurima, & non poteſt terrenorum actuum vel tenui pulvere non reſpergi; quem tamen citò faciléque deterget vel in hora ſancta dormitionis caſta intentio, & bona conſcientiæ interrogatio in Deum.* Idem docet Auguſtinus libro 50. homiliarum, hom. 50. dicens: *Quamvis ſingula non lethali vulnere ferire ſentiantur, tamen omnia ſimul congregata velut ſcabies noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius ſponſi ſpecioſi præ filiis hominum caſtiſſimis amplexibus ſeparent, niſi medicamento quotidianæ pœnitentiæ deſecentur. Quod ſi falſum eſt, unde quotidie tundimus pectora? quod nos quoque Antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus, Dimitte nobis debita noſtra? Non enim ea dimitti precamur quæ in baptiſmo dimiſſa ſunt; & niſi dimiſſa credimus, de ipſa fide dubitamus: ſed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam ſacrificia eleemoſynarum, jejuniorum, & ipſarum orationum, ac ſupplicationum quiſque pro ſuis viribus offerre non ceſſat.*

Ex quibus inferes, tria ad remiſſionem peccatorum venialium omninò requiri. Primum eſt ſtatus gratiæ, ſine qua nullum opus quàmlibet ex objecto inſigne, Deo acceptum eſſe poteſt, nec proinde meritorium vel ſatisfactorium; nam *dona iniquorum non probat Altiſſimus*, ut dicitur Eccleſiaſtici 4. Secundum eſt auxilium divinæ gratiæ. Nam ut ait S. Thomas art. 4. ad 2. *Licèt ad remiſſionem peccati venialis non requiratur nova infuſio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus.* Unde improbatur opinio Scoti exiſtimantis ad remiſſionem venialium ſufficere actum virtutis naturalis. Cùm enim peccato veniali retardetur motus ad Deum ut authorem ſupernaturalem, ad quem in hoc ſtatu provecti ſumus, non poteſt hæc mora niſi motibus in Deum ſupernaturalem, id eſt fide ſupernaturali cognitum & dilectione ſupernaturali diligendum rumpi: motus porrò ſupernaturales ſine gratiæ ſupernaturalis adjutorio non poſſe ab infirmo voluntatis arbitrio prodire manifeſtiſſimum eſt. Unde Concilium Arauſicanum can. 7. & 14. definit: *Nos ſine gratia Chriſti nihil vera ſanctaque pietatis habere, cogitare, dicere, agere poſſe. Nullus miſer de quantacum-*

tacum-

tacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſericordiâ prævenitur. Tertium eſt motus virtutis ſupernaturalis virtualem peccati venialis offenſæ diſplicentiam importans; quia nec ſine ſacro motu excitatur dormitantis voluntatis torpor, nec ſine illa ſaltem virtuali & generali diſplicentia tollitur affectus in objectum peccati venialis, tandiu perſeverans, quandiu non retractatur. Ut enim veridicè ſcripſit S. Thomas 3 p. quæſt. 87. art. 1. *Sicut peccatum mortale remitti non poteſt quandiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale; quia manente cauſa manet effectus.* Unde patet non ſufficere motum attritionis ſeu doloris peccati ex metu pœnæ concepti ad remiſſionem peccati venialis, ut Suarez, Coninchus, & Cardinalis de Lugo cenſuerunt. Tum quia motus ille attritionis invenitur in peccatore, in quo nondum inhabitat Spiritus ſanctus, ut Sacrum Concilium Tridentinum declaravit: veniale autem nunquam remittitur niſi in ſtatu gratiæ exiſtentibus, ut dictum eſt. Tum quia peccati venialis macula non tollitur, niſi accedente forma quâ privat: privat autem non metu pœnæ, ſed fervore charitatis & virtutum infuſarum, quæ gratiam ſanctificantem indiviſim comitantur. Tum quia attritio eſt dolor de peccato, non propter offenſam Dei, ſed ob unam pœnam infligendam: hic autem dolor non deſtruit offenſam ſub ratione offenſæ: ergo illam non remittit; tandiu namque non remittitur, quandiu manet, quia ut mox dicebat S. Thomas, manente causâ manet effectus. Imò nec ad remittenda venialia ſufficeret actus fervidæ charitatis, niſi formalem vel virtualem peccati venialis deteſtationem includeret, cùm non poſſit remitti peccatum, donec retractetur affectus in illud.

Dices: Multis in caſibus remittuntur peccata venialia abſque ullo pœnitentiæ formalis vel virtualis motu. Nam primò Sacramenta ex opere operato per infuſionem gratiæ peccata venialia remittunt, ut docet D. Thomas art. 3. quæſtionis mox citatæ. *Per Euchariſtiam,* inquit, *& extremam unctionem, & univerſaliter per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur.* Secundò eandem remittendorum peccatorum poteſtatem aſſerunt multi Theologi quibuſdam actionibus ſacris, quas ſacramentales vocant, putà benedictioni Epiſcopi, aſperſioni aquæ benedictæ, confeſſioni generali quæ fit in choro vel in principio Miſſæ, tunſioni pectoris, inclinationibus, genuflexionibus, & aliis id genus actibus religioſis. Tertiò baptiſma & martyrium omnia mortalia & venialia remittunt, *niſi*, ut ait D. Thomas art. 1. citato ad 2. *actualiter voluntatem invenerint peccato inhærentem.* Quartò peccata venialia Juſtis in eis decedentibus in alia vita ſine actibus pœnitentiæ vel ſatisfactionis remittuntur, cùm extra viæ ſtatum nulli ſint actus meritorii, vel ſatisfactorii. Quintò peccata venialia in inferno remittuntur, ne pœnâ æternâ ipſis indebitâ puniantur: in inferno autem nullus exercetur pœnitentiæ vel pietatis motus. Ergo varii ſunt caſus, in quibus peccata venialia ſine pœnitentiæ formalis vel virtualis actibus remittuntur.

Reſpondeo nunquam, & nuſquam peccata venialia ſine actibus pœnitentis condonari, juxta illud Auguſtini epiſt. 43. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.* Ad primum in contrarium dicendum, fatendum eſſe quidem Sacramenta novæ Legis remittere peccata venialia ex opere operato, cùm abſolutio Sacerdotis ex opere operato, quem ſignificat effectum producat; ſignificat verò remiſſionem peccatorum venialium tum maximè cùm pœnitentes nullius mortalis conſcii ſola venialia (quæ materia ſunt ſufficiens hujus Sacramenti, ut ſuperiùs oſtenſum eſt) in confeſſione aperiunt, de quibus fertur judicialis ſententia & abſolutio confertur. Sed tunc ſine actibus pœnitentis venialia non remittuntur, ſine contritione nimirum, quæ & affectum ac complacentiam ipſorum excludit, & eorumdem deteſtationem conjunctam habet. Sine qua contritione qui ſola peccata venialia nullum eorum deteſtatus aperiret, non ſolùm gratiam ex opere operato non reciperet, ſed in grande ſacrilegium incurreret, utpote Sacramentum pœnitentiæ mutilans, eique materiam debitam non miniſtrans.

Sed inſtabis: Hinc quidem ſequitur, peccatum veniale actibus pœnitentis in confeſſione deleri, ſed quomodo à Sacerdote ex opere operato remittatur, non explicatur: non enim poteſt tolli privatio niſi per formam quâ privat: atqui peccatum veniale eſt privatio fervoris charitatis & virtutum: ergo non niſi actibus charitatis vel virtutum, adjunctâ eorumdem deteſtatione, peccata venialia delentur: ſed Sacerdos non infundit actus illos: ergo Sacerdos ex opere operato peccata venialia non remittit.

Reſpondeo huic inſtantiæ ſanè difficili ſolvendæ multa à variis ſubtiliter eſſe excogitata. Probabilioribus ſelectis, quæ magis ad veritatem accedunt referemus. Dici ergo debet, explicari id poſſe per ea quæ alibi de gratia Sacramentali diximus: ſicut ergo per Sacramenta infunditur novus non ſolùm gratiæ gradus gratiam habentibus, ſed etiam novus modus gratiæ, novumque jus habendi auxilia opportuna ad certos virtutum actus eliciendos: ita in remiſſione peccatorum venialium & gratia augetur, & novus modus illi adjungitur, quo peccatorum venialium pulvis abſtergitur, quo languor ille ex venialibus relictus vel perſanatur planè, vel certè roboratur, & unà jus datur ad auxilia quibus permotus animus antea tepidus, in motus prorumpit ſalutares, quibus mentis acedia excutitur, & expedita ad bonum habilitas, cujus peccatum veniale habitualis privatio eſt, reſtituitur. Experiuntur enim viri ſpiritales ſe ex peccatis venialibus & quotidianis in illam incidere cordis dejectionem, quâ nec legere licet, nec orare delectat, nec in meditatione exardeſcit ignis. Quid ergo tunc præſtat à Sacramento devotè ſuſcepto auxilium proficiſcens? Præſtat ut tædio illo affectus nec deficiat, nec à ſtudio ſanctitatis deſiſtat, ſed potiùs inchoatum bonum fortiter, tametſi non ſortaſſis ſuaviter conſummet; ac tandem in ipſis piis fletibus jubilus in pavore tentationis, & admiſſis peccatis venialibus amiſſus, & quaſi evacuatus erumpit; & mens, quæ priùs cæca torpenſque jacuerat, ad inſpectionem interni fulgoris, ad ſenſum cœleſtis ſaporis ſuſpiriis vegetata convaleſcit. Hinc ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abſcondi poteſt, nec ſermonibus aperiri: & tamen, ut Gregorius alicubi dicit, quibuſdam proditur moribus, quanvis nullis proprietatibus exprimatur. Tunc cum mentis ſerenitate redit animæ nitor peccatis venialibus non extinctus, ſed obnubilatus; non obtenebratus, ſed obſcuratus; cùm verùm ac ſummum gaudium non de creatura, ſed de Creatore, non de iis quæ videmus, ſed de iis quæ expectamus ſentitur. Quod ſolidum gaudium nemo tollit à nobis, ſi nos ipſi iterum peccando non tollamus: gaudium, inquam, cui omnis humana jucunditas comparata mœror eſt; omnis ſuavitas dolor eſt, omne dulce amarum eſt, omne decorum fœdum; omne denique quod delectare ſolebat, moleſtum evadit. Novo ergo illo modo gratiæ & charitati impreſſo tollitur peccati venialis fœditas, & novis auxiliis à Sacramento manantibus torpor concitatur, tepor inflammatur, animique languentis & tædio contabeſcentis ſpiritus inſtaurantur. Si autem quæras quænam & quot peccata venialia per Sacramenta remittantur, cùm non videatur eſſe potior ratio de uno quàm de alio: Reſpondebo pro ratione diſpoſitionis voluntatis Sacramenta venialia remit-

remittere; unde ea potiſſimùm delent, quæ voluntas magis deteſtatur, ad eaque deſtruanda efficaciùs operatur. Unde rariſſimè omnia peccata venialia remittuntur; quia rarò contingit homines hanc mortalem vitam agentes ab omnibus affectibus liberos eſſe. Illa ergo peccata venialia Sacramentum ex opere operato delet, quæ pœnitens cum dolore & vero emendationis propoſito clavibus Eccleſiæ ſubjicit.

Ad ſecundum caſum de ſacramentalibus, volunt aliqui, in quibus noſter Gonetus, nonnulla ſacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, quia eis mentem purgari & ſanctificari, à quibuſdam Patribus dictum eſt; & id ad magnificentiam Chriſti & Eccleſiæ decorem & majeſtatem conferre videtur. Sed hæc doctrina & S. Thomæ repugnare, & à veritate, meo quidem & gravium Theologorum judicio, videtur aliena. Sanctus namque Doctor 3. p. quæſt. 87. art. 3. ubi hanc materiam accurato examine expendit, apertiſſimè declarat, ſacramentalia non niſi ratione actûs deteſtationis peccati vel motûs reverentiæ in Deum peccata venialia remittere. Angelica verba ſunt hæc: *Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem peccatorum venialium. Uno modo, inquantum in eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut ſupra dictum eſt* (ſcilicet art. 2. ſuperiori, ejuſque ibi rationem aſſignavit: *Quia in habentibus uſum liberi arbitrii, in quibus ſolis poſſunt eſſe venialia peccata, non contingit eſſe infuſionem gratiæ ſine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum; ideo quandocumque gratia de novo infunditur, peccata venialia remittuntur.*) *Secundò inquantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remiſſionem venialium peccatorum. Tertiò modo, inquantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas: & hoc modo benedictio Epiſcopalis, aſperſio aquæ benedictæ, qualibet ſacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſi qua alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.* Vides ex D. Thoma, ſacramentalia non niſi ex opere operantis, ratione nimirum deteſtationis & reverentiæ in Deum peccata venialia dimittere. Idem docet ad 1. & ad 3. *Reatus pœna,* inquit, *remittitur per prædicta ſecundùm motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minùs.*

Ratio etiam idem perſuadet. Tum quia ſacramentalia ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ, valentque ea pro voluntate, neceſſitate, vel utilitatem mutare, augere, minuere: Eccleſia autem non habet poteſtatem talem virtutem ſacris ceremoniis impertiendi, ut peccata venialia deleant, ut interiores maculas abſtergant, & intra animam illapſa operentur, ſed unis à Chriſto inſtitutis Sacramentis ad gratiam producendam uti poteſt. Tum quia ſi ſacramentalia peccata venialia ex opere operato delerent, eſſent revera Sacramenta: peccatorum enim venialium remiſſionem ex opere operato nequeunt efficere, niſi vel productione gratiæ habitualis, vel novi modi additamento, quo gratia ſacramentalis maculas veniales abſtergit; vel ſaltem inſpirando gratiam internam actualem, quibus pii pœnitentiæ & charitatis motus delendis peccatis venialibus idonei excitentur: atqui hoc eſt eſſe Sacramentum, ſcilicet ſignum viſibile gratiæ inviſibilis: ergo ne ſacramentalia cum Sacramentis confundantur, ſicque utraque pariter extinguantur, ne humana inſtituta ab Eccleſiæ nutu pendentia immutabilibus Chriſti myſteriis conferantur, omniaque ſurſum deque miſceantur; ne Eccleſiam hæreticorum ſannis exponamus, ſi tot ceremoniis virtutem interiùs in animas ex opere operato agendi, ſolis Chriſti Sacramentis eximiam, aſſeramus, dicendum omninò eſt, ſacramentalia non niſi ex opere operantis veniales culpas delere. Unde Petrus Aurelius in vindiciis cenſuræ Sorbonicæ: *Illa verò opinio,* inquit, *quam parvuli aliqui Scholaſtici nuper excogitarunt, non ſolum præter Scripturam, SS. Patrum & Eccleſiæ authoritatem, ſed etiam contra ſenſum tum eorum omnium, tum omnis propemodum ipſius Scholæ Theologorum, ſacramentalia effectus ad quos inſtituta ſunt operari ex opere operato, explodenda & longè amandanda eſt ex animis Catholicorum, eorum præcipuè qui ſolam Scripturæ, & traditionis Eccleſiaſticæ normam, non humani ſenſûs arbitrium ad res Theologicas dijudicandas adhibent. Eſt enim opinio merè voluntaria, nuper inventa, nullo fundamento theologico nixa, omnis authoritatis ac teſtimonii expers, ſine quo tamen res facti & voluntatis divinæ, qualis iſta eſt, ſine temeritate proferri non potuit.* Attamen ut benè dixit Paludanus in 4. diſt. 2. quæſt. 1. art. 2. *Non ſunt hæc contemnenda, licet non ſint Sacramenta, nec per modum Sacramenti habeant effectum ex opere operato: quia effectum habent per modum meriti & fidei ex opere operantis; & non ex ſolo fervore & devotione utentium, ſed totius Eccleſiæ.* Videſis Sylveſtrum verbo *Aqua benedicta,* quæſt. 1.

Porrò generales illæ loquutiones, quibus ſignificatur hoc pio ſacramentalium uſu mentes purificari, & mundari, facilè intelliguntur de opere operantis; quia nimirum pii illi ritus vel ad pœnitentiam, vel ad profundam erga divina reverentiam animas concitare nati ſunt; & etiam crediderim eorum intuitu propter Eccleſiæ ſponſæ ſuæ preces, quas exaudiri decet, ſolere Deum piè illa & ſine ſuperſtitione frequentantibus gratiam aliquam actualis devotionis, vel protectionis adverſùs Cacodæmonis inſidias impertire. Unde domus aqua benedicta aſpergi ſalubre eſt: benedictiones etiam Eccleſiæ pro diverſis rebus inſtitutæ non ſine fructu fieri variis experientiis comprobatum eſt. Si enim per umbram Petri ingentia Deus miracula patravit, ut refertur Actorum 5. *Ita ut,* inquit Textus ſacer, *in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* ::: *Qui curabantur omnes.* Si Pauli ſudaria totius ſanitatis diſtillabant medicinam, ut eodem libro, cap. 19. refert Lucas his verbis: *Virtuteſque vel quaſlibet faciebat Deus per manus Pauli: ita ut ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria & ſemicinctia; & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Si, inquam, tot mira Deus operatus eſt viliſſimis illis ſervorum ſuorum rebus, ut eorum ampliùs gloria claresceret; quidni ſacris Eccleſiæ ritibus pietatem undique ſpirantibus, & rebus Eccleſiæ Sacerdotum & Pontificum miniſterio benedictis gratias cùm internas, tum externas edet?

Ad tertium baptiſmatis & martyrii caſum reſpondeo grandem eſſe diſparitatem, quia in baptiſmo, & ſimiliter in martyrio pro Chriſto tolerato (quod vim baptiſmi obtinet) producitur nova in Chriſto creatura, unde tota remittitur pœna, ſi nullus peccati obex plenæ indulgentiæ ponatur. At in Sacramento pœnitentiæ materia ſunt actus pœnitentis, qui niſi adſint, Sacramenti effectum non confert forma, eóque perfectiorem producit, quo pœnitentis motus vehementior fuerit & purior.

Ad quartum caſum de peccatis venialibus in hac vita nullâ pœnitentiâ deletis, & in futura duntaxat remittendis, dicendum peccata venialia juſtorum remitti in alia vita, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Id enim ſignificavit Veritas Matth. 12. cùm de peccato in Spiritum ſanctum dixit: *Non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quæ verba ponderans Auguſtinus lib. 21. de Civit. cap. 24. *Neque de quibuſdam veraciter diceretur,* inquit, *quod non eis remittatur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remittatur in futuro.* Succinit Gregorius Magnus lib. 4. dialogorum, c. 39. *In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari.*

laxari. *Quod enim de uno negatur, conſequenter intellectum patet, quia de quibuſdam conceditur.* Et Bernardus ſerm. 66. in Cantica: *Cur hoc dixit, ſi nulla manet in futuro remiſſio purgatióve peccati.* Hunc etiam eſſe Eccleſiæ Catholicæ ſenſum patet ex eo, quod pia mater non ſolum pro defunctis filiis orat, ut à cunctis reatibus abſolvantur, ſed etiam *ut ſacrificiis purgati, & a peccatis expediti indulgentiam pariter & requiem capiant ſempiternam: atque quæ per fragilitatem carnis humanâ converſatione commiſerunt, Deus veniâ miſericordiſſimæ pietatis abſtergat.* Et ratio eſt clara: multi enim juſti cum affectu ad peccata venialia mortem obeunt, cum quibus maculis non ingrediuntur regnum cœlorum, in quod nihil coinquinatum intrat, ut dicitur Apocal. 21. Ergo in alia vita maculæ illæ remittuntur. Et ad hoc inſtitutum eſt Purgatorium, in quo purgantur ſordes, & non ſolùm pœnæ luuntur; non enim pœna, quæ non facit hominem ſordidum ac miſerum, ſed una culpa purgatur. Porrò remittuntur, delenturque illæ ſordes fervidis charitatis, humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum actibus, quas animæ patientes eliciunt, ut docet D. Thomas quæſt. 7. de malo, art. 11. quia licèt poſt ſtatum viæ non ſit in termino meritum nec ſatisfactio, poteſt tamen eſſe remotio impedimentorum, quibus ſublatis anima in igne ſicut aurum probata & examinata, ſicut examinatum argentum niteſcit.

Ad quintum dicendum, in inferno, ubi nulla eſt redemptio, nulla etiam peccata venialia remitti, quæ ibi propterea per accidens æternùm puniuntur; tamdiu enim pœna producitur, quandiu culpa perdurat: in inferno autem culpa æterna eſt, cùm nullâ deteſtatione, nullâ Deo gratâ ſatisfactione deleatur. Nec propterea ulla fit damnatis injuria, qui in illum calamitoſum ſtatum, in quo nulla eſt venia, ſponte ſua prolapſi ſunt. Nec etiam Deus ultra condignum punit, quia licèt per ſe peccato veniali pœna non debeatur æterna, per accidens tamen ex conditione ſubjecti peccatum ſemper amantis ſempiterna pœna infligitur. Juſtum eſt enim ut quos culpa ſemper inquinat, par etiam pœna ſemper affligat. Unde æternùm punitur culpa in tempore perpetrata, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum eſſe conſtat in pertinaci inflexibilis & obſtinatæ mentis voluntate, quæ etſi ad nihilum redigi vellet, ne pateretur; vivere ſemper vellet tamen, ut ſemper peccare poſſet. Ad magnam igitur judicantis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui nunquam volunt carere peccato.

Alii pœnitentiæ effectus breviter enumerantur.

Quartus ſinceræ pœnitentiæ effectus eſt reſtitutio gratiæ & virtutum, & quintus reviviſcentia meritorum; ſed quia hi effectus graviores patiuntur difficultates in hujus tractatus partem ſequentem utrumque rejicimus, ut pro argumenti dignitate operoſiùs exponantur.

Varios alios pœnitentiæ effectus recenſet S. Doctor quæſt. 10. Supplementi, qui ex dictis ferme expoſiti manent. Placet tamen ſingulos articulos emetiri.

Articulo 1. docet confeſſionem ritè peractam liberare à morte peccati; tum quia contritio à culpa non liberat, niſi quatenus votum confeſſionis annexum habet; tum quia contritio gratiam remiſſivam peccati auget; tum quia contritio interdum non eſt ita perfecta, ut ſola ad remittenda peccata ſufficiat, cum nimirum ex perfecto Dei amore non procedit, ut magis in ſequentibus exponemus.

Articulo 2. docet confeſſionem liberare aliquo modo à pœna non ſolùm æterna, quia hæc remiſſio eſt ab infuſione gratiæ indivulſa, ſed etiam temporali in Purgatorio luenda. Tum quia *per vim clavium in tantum minuitur, quod proportionata viribus pœnitentis remanet, ita quod ſatisfaciendo ſe in hac vita purgare poteſt,* inquit D. Thomas. Quæ verba piè Sacramentum frequentantes diligenter audire & libenter retinere debent. Tum quia peccatorum confeſſio verecundiam annexam habet: Et ideo quantò aliquis plurics de eiſdem peccatis confitetur, tantò magis pœna minuitur. Hinc illud Auguſtini, ſeu Authoris libri de vera & falſa poenitentia, cap. 9. *Laborat mens patiendo erubeſcentiam: & quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, dignus eſt miſericordiâ.*

Articulo 3. infert confeſſionem aperire paradiſum, à cujus introitu peccator culpâ & reatu pœnæ æternæ in confeſſione dimiſſis arcebatur. Hinc Gregorius explicans veſtibulum interius myſticæ civitatis, ſic habet: *Quid per interius veſtibulū, niſi æternæ vitæ latitudo ſignatur? Quæ modo inter anguſtias vitæ præſentis jam ſpe mente concipitur. De qua per Pſalmiſtam dicitur, intrate portas ejus in confeſſione, atria ejus in hymnis confeſſionum. Cùm enim peccata noſtra per lacrymas confitemur, anguſta via portam ingredimur: Sed cùm poſt hæc ad æternam vitam perducimur, porta noſtra atria in confeſſionum laudibus intramus; quia ibi jam anguſtia non erit, cùm nos lætitia perpetuæ feſtivitatis exceperit.*

Articulo 4 docet confeſſionem ſacramentalem ſpem ſalutis tribuere, quatenus per eam homo clavibus Eccleſiæ ex paſſione Chriſti ſalutis noſtræ cauſâ præcipuâ virtutem habentibus ſe ſubjicit. Hinc illud Ambroſii ſerm. 34. *Confeſſio paradiſum aperit, tribuit vim ſalvandi.* Hinc etiam illud ex Auguſtino tritum: *Confeſſio eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, expugnatrix Dæmonum. Quid plura? Obſtruit os inferni, aperit portas paradiſi.* Hinc Bernardus lib. de interiori domo, cap. 1. *Homo per veritatem ſtimulatus peccata ſua confitetur; Deus autem per miſericordiam flexus confitenti miſeretur. Felix conſcientia, in qua miſericordia & veritas obviaverunt ſibi; veritas confitentis, & miſericordia miſerentis: quia non poteſt illi miſericordia deeſſe, qui ſe agnoſcit in veritate.*

Articulo 5 docet Angelicus Doctor, per confeſſionem generalem deleri mortalia peccata oblita, quia Sacramentum gratiam infundens omnia peccata delet, cùm ſit impium dimidiam à Deo ſperare veniam.

Reflexio.

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Si hos in te effectus experiare, Chriſtiane Lector, in Domino confide, verâ te pœnitentiâ eſſe donatum. Quod ſi contra, confeſſionem licèt identidem adhibens, vitiorum impetus non comprimi ac ſedari, ſed in animo tuo etiamnum inſidere malarum cupiditatum æſtum, & in corde tuo libidinum æſtuare flammam ſentis, quæ primo quoque tempore erumpit, atque acriùs quàm antea, ac vehementiùs exardeſcit, magna tibi eſt cauſa timendi. Suſpectæ ſunt illæ lacrymulæ doctæ mentiri, ſuſpecta ea pœnitentia eſt, quæ vitia non urit, quæve ita ægro parcit, ut ægritudinem foveat. Unde ſi percurrens omnes infirmæ conſcientiæ tuæ angulos, ſpiritu compunctionis in animam illapſo non ſolùm te flecti & emolliri videris, ſed in dies ſenſim conſaneſcere, & converti funditus cor tuum, in timore quidem & tremore ſalutem tuam operari ne ceſſa, ſed te in Domino reconciliatum confide, atque ad ſanctum altare communionemque, Rectoris animæ tuæ conſiliis frequentandam accede, ut non gratiam modo, ſed omnium gratiarum fontem, nec medicinam duntaxat, ſed medicum ipſum accipias, animam tuam gratiarum & virtutum beatiſſimâ copiâ cumulaturum.

Sed quia non ſufficit novæ vitæ inita ratio, niſi quiſque etiam ſtudeat præteritorum peccatorum injurias pœnâ diluere & ſatisfactione penſare, frequentanda illa opera ſunt, quæ fructus pœnitentiæ

repræ-

repræſentent. Neque enim hodie minùs potens, minùs juſtus, minuſve tremendus Deus quàm in primitiva Eccleſia rigoriſſimæ pœnitentiæ tenace; non minor hodie Chriſtianiſmi gratia, non minor peccati immanitas, ſed potiùs tot Sacramentorum violatione auctior: ergo non minor debet eſſe priſtinæ pravitatis horror, non minus expiandorum criminum ſtudium, non minùs ſincera ad Deum ſeſe referendi voluntas. Sed dices, dura remedia non patitur humana imbecillitas benigniùs remiſſiuſque tractanda. Scio quidem quod delicatus es, ſed ſi majorem illam pœnitentiam quam tot ætates Eccleſia filiis ſuis imperavit reformides, cur partem ſaltem non æmularis? Cur quotidianas ab infinita Dei miſericordia miniſtratas occaſiones, quibus ſcelera expiare tua poſſis, non nanciſceris? Cur pœnitentiæ auſteritatem eleemoſynis, piis religionis officiis, in muneribus officiiſque fungendis fide & æquitate, animi demiſſione, manſuetudine, animi tranquillitate, & patientiâ omnem irruentium contumeliarum acerbitatem exhauriente ac velut concoquente non ſupples? Nam in omnibus humanæ vitæ officiis & ſingulis ferè temporis momentis multa occurrunt, quæ ſi pœnitentibus animis accipiantur, pœnitentiæ loco eſſe poſſint, & copioſam perfectæ ſatisfactionis ſegetem præbere. Si te antiquæ pœnitentiæ labor deterrat, faciliores ſaltem Dei offenſi propitiandi rationes ne negligas, & pro tempore natam mortificationis, humilitatis, cæterarumque virtutum praxim ne prætermittas. Cauſam Dei, Eccleſiæ, & proborum gravioribus quibuſque temporibus tuere, veritatem oppugnatam teſtimonio ſubleva, innocentiæ oppreſſæ patrocinare, ab infirmis & contemptis potentiorum impetum propulſa, nihil tua profeſſione & Chriſtiano nomine indignum gere, occurrentes quotidie tribulationes patienti animo ſuſtine in purgationem vitiorum, in probationem virtutum, in conſummationem meritorum. Intuere quæ viri ſanctiſſimi vel nullis, vel certè leviſſimis peccatis maculati, ut Deo ſatisfacerent pertulerunt, & quod tam parum pro criminibus tuis patiare erubeſce, ingemiſce, contremiſce. Intuere ſplendidiſſima illa Religioſorum Ordinum lumina, Brunonem, Bernardum, Norbertum, Dominicum, Franciſcum, quomodo & pœnitentiam aſperam ipſi fecerunt, quomodo & aliis faciendam erecto ubique terrarum pœnitentiæ vexillo præceperunt. Intuere quomodo à *Chriſto pœnitentiæ Principe*, ut loquitur Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ, *eorumque capite qui ſalvantur per pœnitentiam*, miſſi veluti ſeneſcenti Chriſtianiſmi ſecundati Apoſtoli fideles innumerabiles violatæ baptiſmalis innocentiæ reos poſteriore lacrymarum ac gemituum baptiſmate in integrum reſtituerunt. Intuere non ſolùm virorum, ſed delicatarum virginum turmas, quæ in media Eccleſiæ pace novum martyrii genus inducentes, caſtigationibus, aliiſque pœnitentiæ chriſtianæ laboribus vitam ſuam conterunt, & uſque ad mortem ſe contrituras publico & ſollenni voto profeſſæ ſunt. Intuere quomodo iſto & ſuperiori ſæculo enatis non tam hominibus quàm belluis, Luthero & Calvino, utrius voluptatis prædicatoribus, & Turcicam obſcœnitatem in Chriſtianiſmum impuriſſimè obtrudentibus, utroque ore adversùs pœnitentiæ labores, peccatorum confeſſionem, cœlibatum, jejunia, abſtinentias carnaliter blaterantibus Deus & antiquos Ordines inſtauravit & novos produxit, ut Capucinorum, utriuſque ſexus Carmelitarum Excalceatorum, aliorumque, quorum tam auſtera ac pœnitens vitæ ratio & hæreticorum petulcam laſciviam, & Catholicorum mollitiem confundit. Et cum Eccleſia Catholica fatere pœnitentiam unicum eſſe peccatoris poſt ruinam perfugium, unicam Dei poſt offenſiones placandi viam, denique cœli gaudium & terræ levamen. Sed proh dolor! Communem Eccleſiæ ſenſum & hæretici blaſphemiis, & mali Catholici factis delere conantur; illi nimirum, qui ut ait Hilarius in Matth. vitâ gentium vivunt, qui arctiſſimis ſæculo vinculis aſtringuntur, qui in voluptatibus ac deliciis conſectandis toti hærent, denique qui in peccata mortifera prolabuntur, quæ authore Auguſtino ſerm. 29. de verbis Apoſtoli, *non facit bona fides & bona ſpei Chriſtianus: ſed illa ſola, quæ quotidiana orationis penicillo terguntur.*

Ergo ſi vulneribus tuis ſalutarem adhibere ſatagis medicinam, ſed ad teipſum rediens te primorum parentum inſtar turpiter nudum eſſe perſpicias, ex quo Chriſtum exuiſti, ſi tibi grave eſt peccatorum tuorum pondus, ſi ſordium tuarum ſordes perſentis, ſi in intimo cordis receſſu ſententiam adversùm te feras, ſi corruptis ac putreſcentibus animæ tuæ cicatricibus mederi aves, ſi denique pœnitentiæ effectus experiri exoptas, age dignos pœnitentiæ fructus, noli comprimere lacrymas, præcludere gemitus, ſecundam poſt naufragium tabulam repudiare: judicium Dei anteverte, & voluntariâ ſententiâ in teipſum vindictam exerce. Priſtinæ ingratitudinis memor in fletibus ac lamentis jaceat, antequam ad ſacrorum myſteriorum gaudia aſpirare ſuſtineat. Deploranda anteactæ vitæ detrimenta accuratis ſeriæ pœnitentiæ, quæ pars juſtitiæ eſt, operibus reſarciat, & teterrimas ſcelerum maculas fluentibus compunctionis aquis abſtergat. Ob oculos ſuos auſteras illas primitivæ Eccleſiæ peccatoribus impoſitas pœnitentias ponat, ut ſua laxamenta deploret. Attendat eiſdem criminibus, quæ tam molliter modò expiantur, eundem nunc atque olim violari Deum, eandem violari Chriſtiani hominis perſonam, nec minùs acerbâ opus eſſe medicinâ, quando eadem animarum vulnera curanda ſunt. Ergo quidquid ad peccatorum expiationem facere quit, toto pectore amplectere, ea fletibus merge, ea orationum ardore abſume, eleemoſynis redime, charitate obrue, ut ubi abundavit delictum ſuperabundet & gratia.

Si peccati mortalis infinitam granditatem, & talem cui ſuppliciorum æternitas jure debetur, corde recogites; ſi illud Veritatis oraculum Chriſtiano ſpiritu excipias, *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, veritate coactus fatebere in eluendis criminibus, exſtirpandiſque vitiis vim atque violentiam adhibendam eſſe; fatebere ſuaves & delicatas ſatisfactiones eſſe non oportere; fatebere æquitatem poſtulare, aſperioribus pœnitentiæ remediis eos eſſe ſanandos, quos corruperant maleſuadæ voluptatum nefandarum blanditiæ; fatebere ad amovendam imminentem à Deo pœnam nullam ſecuriórem eſſe viam, non ſufficere Orationis Dominicæ aliquoties recitandæ laborem, ſed diuturna pœnitentiæ opera ad Deum placandum quammaximè deſiderari. Recogita quid fecerit Achab, ut intentatas ſibi à Deo per Eliam Prophetam minas averteret; nam teſtante ſacro eloquio, 3. Reg. 21. diſcidit veſtimenta regia, operuit cilicio carnem ſuam, jejunavit, dormivit in ſacco, & demiſſo capite ambulans, ne ad cœlum quidem oculos attollere auſus eſt. Recogitat quomodo Rex Aſſyriorum latam in Ninivem ſententiam abjecto ſolio, depoſito regali ornatu, ſacco induto, cineri incubans, jejunio cum populo armatus, & ad Dominum in fortitudine clamans, ut habetur Jonæ 3. iram Dei placaverit. Si pœnitere eſt pœnam tenere: ergo non ſunt tenendæ mundi deliciæ, nõ appetendæ ſæculi voluptates, non optandæ hominũ pompæ, non conquirenda carnis oblectamenta, non ambitioſæ colligendæ opes, potentia, & gloria, nõ reformidanda corporis incommoda, ſed unuſquiſque pœnitens cum Tertull. lib. de pœnit. cap. 11. uſurpare debet: *Deliqui in Deum, & periclitor æternùm perire. Itaq; nunc pendeo & macerer & excrucier, ut Deum reconciliem mihi quem delinquendo læſi.* Sed proh dolor! his temporibus ob mollem & degenerem Sacerdotum cum peccatoribus agendi rationem pœnitentia ludus eſt, pœnitentiæ Sacramentum nudæ confeſſionis factum eſt, ad peccatorum expiationem toto pectore non incumbunt pec-

catores.

catores, ſed verſantur in enumeratione ſcelerum, non in caſtigatione vitiorum.

Cogitent ergo peccatores pœnitentes peccata ſua Eccleſiam offendere, pœnitentiam non offendere; pœnitentiam, inquam, quæ ab Angelis de peccatorum converſione exultantibus in cœlo celebratur, quæ à Sanctis præſentiſſimum vulnerum remedium, pietatis incentivum, virtutis firmamentum, divinorum munerum fons uberrimus agnoſcitur; quæ ab ipſis Eccleſiæ hoſtibus cum quodam admirationis & reverentiæ ſenſu ſuſpicitur, quia ut veridicè ſcripſit Tertullianus lib. de velandis Virgin. cap. 3. *Bona res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem. Agnoſcant malum ſuum qui de talibus bene ſcandaliſantur.*

APPENDIX.

Præcipuæ animarum Rectoris & Moderatoris dotes expenduntur.

Nihil eſt ad viam ſalutis utilius quàm probum moderatorem uberiori luce cumulatum eligere, cujus conſiliis pareamus. Hac viâ à Deo ipſo conſtitutâ, nulla tutior, nulla exploratior. Hoc conſilium *admonitionem admonitionum* vocat S. Franciſcus Saleſius in ſua Philothea, part. 1. cap. 6. Certè ſicut in natura imperfectiora perfectioribus ſubjacent, ſicut in mundi univerſitate ex mutua & convenienti cauſarum inferiorum & ſuperiorum colligatione ſtupenda illa mundi harmonia conſurgit, ſicut corporis humani ſpecies ac decor partium continuatione ac membrorum à capite dependentiâ & ordine continetur: ita in via Dei Moderatore opus eſt, cujus nutum homines ſequantur, ne in itinere longè difficillimo divinos calles & anfractus ignorantes viam latam quæ ducit ad perditionē ingrediantur. *Magna cura*, inquit Magnus Baſil. ſerm. 1. de abdicat. ſæculi, *& ſollicitudine operam date, ut aliquem tibi virum invenias, quem in iſta quam amplexus es vitæ inſtitutione certiſſimum ducem ſequaris, qui probè ſciat Deum requirentibus viam monſtrare, qui virtutibus omnibus ornatus ſit, cui facta ſua idoneum charitatis ſuæ erga Deum dederint teſtimonium, qui ſacrarum litterarum ſcientiam habeat, firmum præterea ac conſtantem, neque iis rebus quæ hominum mentes labefactare ſolent, loco ſuo dimovendum, ab avaritia abhorrentem, à negotiis ſæcularibus liberum, atque omninò alienum, quietis cupidum, Dei amantem, pauperum & paupertatis ſtudioſum, non iracundum, injuriarum immemorem, qui lubens incumbat in inſtituendis atque informandis iis qui ad ipſum accedunt, quem inanis gloria non inflet, nec ſuperbia extollat, qui adulationem & blanditias oderit, qui denique cæteris omnibus rebus Deum longè anteponat.*

Sed ubi inveniemus virum talem? Quis putas fidelis ſervus, & prudens? Ex mille unum quærebat bonæ memoriæ Presbyter Avila, ex decem millibus unum ad id muneris ſeligendum cenſebat S. Antiſtes Saleſius, quia pauciores ſunt quàm dici poſſint, qui tanto ſint oneri munerique pares; quia ut aiebat Cardinalis Berullius, animam unam quàm mundum univerſum regere difficilius & majoris momenti eſt; quia ut ante illos dixerunt utriuſque Eccleſiæ lumina Magnus & Theologus Gregorius, ars artium eſt regimen animarum. Moderatoris & idonei ductoris reperiendi quanta ſit difficultas, ex dotibus & partibus à Baſilio memoratis ſatis colligitur. Tres tantùm perſtringam à S. Saleſio Introductionis 1. part. cap. 6. recenſitas: *Rector animarum*, inquit, *ſcientia, prudentia, & charitatis plenus ſit; periculoſius namque ac metuendum eſt, quem trium iſtorum aliquid deficiat.* De ſingulis ſummatim dicendum eſt, & ni fallor clarebit, regimen animarum artem eſſe paucorum.

Inprimis eximia deſideratur ſcientia; ut enim in bello nemo dux præficitur, niſi qui rei militaris gnarus atque intelligens fuerit, ut in corporibus ſanandis medicus ille explodiṫur, niſi qui artis medicæ ſcientiâ inſtructus ſit: ita animas nemo Confeſſarius vel Rector ſanabit infirmas, diriget ſanas, niſi ſcientiam Sanctorum non mediocriter teneat. *Vos eſtis lux mundi*, aiebat Veritas diſcipulis ſuis & eorum ſucceſſoribus. quomodo autem ignorantiæ tenebræ lucem effundent? Certè quemvis multum utilis, multumve neceſſarius ductor ſit, multò ſatius eſt tamen nullum habere prorſus quem eum qui regere neſciet: quia ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.

Oportet ergo eum, cui regendarum animarum provincia demandatur, ſacræ doctrinæ copiâ eſſe refertum, & priuſquam alios erudire aggrediatur, diu ac multum in ſeipſo inſtituendo erudiendoque laboraſſe. Unde illi ſcientiæ naveſſe operam debet, & quæ ex ſchola petitur, & quæ è Patrum traditione hauritur, & quæ ſtudio & meditatione orationibus accenſâ generatur: ut non ſolùm ſit Scholæ alumnus, & Patrum diſcipulus, ſed etiam auditor Chriſti & docibilis Dei. Omnis enim qui audit, dicit, Veni; id eſt qui Chriſtum in oratione & meditatione Scripturarum intus loquentem, intus ſine ſtrepitu ſonantem, intus coruſcantem audit, alios ad Chriſtum ut veniant vocat, vocatos dirigit, directos cuſtodit.

Secunda animarum rectoris virtus prudentia eſt ab interno Dei lumine profecta, uſu etiam atque experientiâ parta. Pervidenda enim ſunt & curationum tempora, & morborum remedia. Ne autem medicus ſpiritalis artis ſuæ tyrocinium in eis curandis non ſine eorum periculo & damno ponat, cœleſti priùs debet lumine perfundi, & operis rudimentum in propriæ animæ curatione conſtituere, & veluti periculum facere, quàm ſe aliorum medicum exhibeat. Priùs in abdito ſolitudinis receſſu Deum gemitibus & orationibus conſulere debet, num ab ipſo vocetur qui nullo indiget, ne ſumens ſibi honorem, in tremenda miniſteria per vim involet, & in munera Angelicis humeris formidanda ſeſe ingerat, vel quod pejus eſt, ſpe pinguioris Sacerdotii vel auctioris honoris ſe obtrudat, immiſceat, atque implicet, & ſe & alios in præcipitia æternæ mortis agat.

Hac prudentiæ luce & laude caret, qui ſpiritualis non eſt, ut judicet omnia. Porrò ſi abſit hæc cœleſtis ſpiritaliſque prudentia, ſcientia fit ſapientia carnis, inimica Deo, & omnis ſapientia inſaniæ falſa evadit, convertitur lumen in tenebras, nec niſi ignis quidem fatuus ſupereſt, quo in barathrum ruimus, alioſque deducimus. Hinc Chriſtus diſcipulos ſuos non ſolùm mundi lucem doctrinæ ſplendore, ſed ſal terræ incorruptæ prudentiæ diſcretione eſſe voluit, ut animabus & lucem effunderent, & eas à putredine liberarent.

Hæc prudentia ſpiritalis non ad opinionum humanarum regulam lesbiam & verſatilem diriget, ſed ad normas à ſacris Litteris & Traditione præmonſtratas exiget. Non enim alios probè reget qui privatarum opinionum præjudiciis occupatus ſalutares motum doctrinas à Spiritu Dei per Sanctos Patres quaſi per divinitora quædem organa promulgatas repudiare non veretur. Proptas dubio procul tenebras pro luce obtrudet, niſi animum cum Patribus conſentientiſſimum gerens, novas privataſque ſententias à Sanctorum placitis moribuſque abhorrentes fugiat. Hæc enim eſt vera Catholici ſpiritaliſque Doctoris ac ductoris teſſera, quod in Eccleſia invenit, tenere; quod didicit, docere; hoc filiis tradere, quod à Patribus accepit. Hac ſacræ Traditionis ſerie & præſidio corruptelas omnes opprimet, quibus hominum vel improbitas, vel infirmitas, vel inſcitia immaculatam Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ doctrinam depravare conata eſt:

& tum

& inm limpidiſſimas aquas ſitientibus propinabit, cum è ſacris Patrum aquæductibus, per quos è cœleſti Chriſti ſcaturigine fluenta ſalutis in nos derivantur, ipſe hauſerit quod effundat. Hinc præclarè Tertullianus contra Praxeam cap. 2. *Adverſus univerſas hæreſes jam hinc præjudicatum eſt, id eſſe verum quodcunque prius, id eſſe adulterum quodcumque poſterius.* Hinc Chryſoſtomus hom. 33. in Matth. *Non noſtra loquimur; neque enim nobis Magiſter ullus eſt ſuper terram, ſed quæ à Chriſto per Apoſtolos accepimus, ea tradimus.* Hinc Auguſtinus tract. 37. in Joan. conteſtatur, *non aliam ſe fidem ſequi, quàm Catholicam fidem; venientem de doctrina Apoſtolorum, plantatam in nobis, per ſeriem traditionis acceptam, ſanam ad poſteros transmittendam.* Hinc denique Vincentius Lirinenſis in aureo commonitorio ſuo profitetur, nullam ſe aliam amplecti doctrinam, *niſi Catholicam & univerſalem, & unam eandemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorruptâ veritatis traditione manentem, & uſque in ſæcula ſine fine manſuram.*

Hac prudentiâ ſpiritali inſtructus Confeſſarius omnia judicet: *ſpiritualia*, juxta præceptum Apoſtoli 1. Cor. 2. *ſpiritualibus comparet*; caſus conſcientiæ non in humanis fallacium opinationum prolubiis, ſed in Evangelii decretis penſet, & ut ait Auguſtinus lib. 3. contra Parmenianum, cap. 2. *non in ſtatera doloſa conſuetudinum humanarum, ſed in ſtatera aqua divinarum Scripturarum.* Studeat pro virili ut remedium inflicto vulneri reſpondeat, ſitque crimini pœnitentia ſuppar. Pœnitentis arborem non ex ſolis verborum foliis, ſed maximè ex actionum dignis fructibus æſtimet & expendat. Scriptum eſt enim, à fructibus eorum cognoſcetis eos; nec meliùs interni affectus habituſque ſinceritas quàm operibus innoteſcit.

Eadem ſpiritalis prudentia intrepidam animi libertatem & magnitudinem parit, quia teſte Apoſtolo 2. Cor. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Cùm enim homo ſpiritualis nulla cupiditate, nullo præſentium deſiderio teneatur, ſed ſupra terrena & caduca omnia elatus ſolis cœleſtibus atque æternis inhiet, creaturarum ſervitio expeditus eſt, uni omnium ſubjectus Creatori. Hinc peccatores non palpat, ſed peccata generosè arguit; non accipit perſonas, ſed cauſas; rigidas arctæ vitæ maximas inſpirat & inculcat, prorſus cogitat Chriſtianorum alios à baptiſmatis innocentia ſemel vel raro tantùm lapſos, alios pluribus peccatis mortalibus eâ excidiſſe, alios in peccatorum ſordibus hæſiſſe diutiùs; varia denique abſolutionis & Communionis impedimenta ſpectat, quæ pro peccatorum ratione, vel temporis quo quis in eis hæſit, graviora leviorave ducenda ſunt. Abſolutionis beneficium non ſans paratis vel denegat prorſus, vel certè differt; arcet ab altaribus non ſe arcentes à criminibus, criminumque occaſionibus, ſibique illud Chryſoſtomi homil. 13. Matth. ante oculos proponit: *Diabolo peculiare eſt, blandiri ut noceat; Dei verò maximè proprium, corripere ut proſit.* Illud etiam ejuſdem Patris hom. 15. in memoriam revocabit: *Chriſtum Dominum in Evangelio ſingularem pſeudoprophetarum notam aſſignaſſe, ſi ab omnibus hominibus benedicantur.* Meminerit cum eodem Sancto, *ſe tanquam ſal terræ à Chriſto datum, cujus ea virtus eſt, ut laxa quæque ac mollia urendo ac conſtringendo diffluere non permittat. Fortis igitur atque acri animo eum eſſe, qui probris atq; maledictis lacerari non refugiat, cùm multo magis timendum ſit, ne ſi adulari ac diſſimulare velit, ut hominibus placeat, ipſe corrumpatur ſalis inſtar infatuati, quod ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur.*

Denique plenitudo charitatis in animarum ductore ineſſe debet, ut ſit ſervus bonus & fidelis, in nemine autem bonitas excellit, niſi in quo excellit charitas. Et ſanè qui aliis poterit inſtillare ſanctimoniam à ſanctitate deſertus, & ſpiritum dilectionis inſpirare ſupereminenti charitatis ſcientiâ vacuus. *Quod tuum eſt ſpargis & perdis*, inquit Bernardus ſerm. 18. in Cantica, *ſi priuſquam infundaris tu totus, ſemiplenus feſtines effundere. Quamobrem ſi ſapis, concham te exhibebis, non canalem. Hic ſiquidem penè ſimul & recipit & refundit: illa verò donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat. Verùm canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis ſunt per quos nobis fluenta cœleſtia emanant, ut antè effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt. Ego nullum ad ſalutem gradum pietatis illius gradui anteponendum exiſtimo, quem Sapiens poſuit dicens: Miſerere animæ tuæ placens Deo. Quod ſi non habeo niſi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi, & omninò niſi ad Prophetæ juſſionem non profero. Si inſtiterint rogitantes aliqui ex his qui fortè exiſtimant de me ſupra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, reſpondebitur eis: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et nihilominus caſtè imitans illum de cujus plenitudine omnes accepimus, diſce & tu non niſi de pleno effundere: nec manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietur aquis. Non pudeas concham non eſſe ſuo fonte profuſiorem.*

Sine hac dilectionis plenitudine rectoris animarum executi animus: ſicut enim omnia ingrata videntur obſcura, ſic generaliter dilecta præclara ſunt: à ſomnori ergo aſperæ viæ arctæque ſalutis ſemitæ non difficiles modò, ſed impoſſibiles & falſæ à non amante vel amoris creaturarum præjudiciis occupato judicabuntur. Pulchrè obſervavit Chryſologus ſerm. 78. Joannem primùm vidiſſe Salvatorem, juxta illud Joan. 21. Dixit ergo Petro diſcipulus ille quem diligebat Jeſus, Dominus eſt; quia nimirum amor ad divina oculos aperit mentis: *Primus qui diligitur videt*, inquit, *quia ſemper amoris oculus acutiùs intuetur: & ſemper vivaciùs qui diligitur ſentit.*

Porrò illa dilectio & dilectionis Sacerdotalis plenitudo quantam in veros pœnitentes indulgentiæ benignitatem, tantam adversùs eos qui pœnitentiam detrectant, conſtantiam & firmitudinem exhibere debet, ne blanda mollique facilitate abrepti Rectores animarum ea foveant quæ non niſi ferro & cauteris uſtione poſſunt cohiberi, ne præproperâ facilitate eos occidant, quos niſi ſalutari cunctatione & impoſitâ conſentaneâ peccatorum gravitati pœnitentiâ in priſtinam ſanctitatem reſtituere non valebunt; & confitentibus in detrimentum & damnationem cedat, quod pro omnium eſt ſalute inſtitutum. Hanc benignitatis & fortitudinis temperaturam in Cypriano videre eſt epiſt. 55. ubi Epiſcopi paternus amor & unà heroici animi invicta magnitudo ita certatim ſplendet, ut neſcias utra utram vincat. *Si judicium noſtrum* (inquit de lapſis) *voluerint experiri, veniant. Denique ſi qua illis excuſatio & defenſio poteſt eſſe, videamus quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum. Nec Eccleſia iſtic alicui clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur: patientia & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi: opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis. Etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino, delictis plus quàm oportet remittendis penè ipſe delinquo. Amplector promptâ & plenâ devotione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes.* [En ubera miſericordiæ lacte manantia, & amantiſſimi Patris ſtudia: cerne jam Judicis firmitatem aheneâ fronte immotam

animi

animi conſtantiam exhibuerim.] *Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſibi non lamentationibus & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere; pro certo habeant contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta & fortia, & Domino tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, non poteſt vinci.* Quod confirmat authoritate Concilii: *Concilio*, inquit, *frequenter acto, non conſenſione tantùm Epiſcoporum, ſed & comminatione decretum eſt, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam agentibus nemo temerè pacem daret.* Ejuſdem temperamenti Sacri Concilii authoritate probati meminit epiſt. 52. ad Antonianum, his verbis: *Perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communionis & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quòd ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſæculum gentiliter viverent. Nec tamen rurſus cenſura Eccleſiaſtica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent; ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.*

Hac ergo animi firmitate à charitate proficiſcente munitus Sacerdos ratum fixumque habeat, peccatori qui à baptiſmi gratia eodem peccato mortali ſæpe per ſummam negligentiam iterato excidit, antè reconciliationis obtinendæ jus eſſe poſſe, quàm laborioſâ ſatisfactione defunctus legitimis ſe ac dignis pœnitentiæ exercitationibus expurgaverit: ne reconciliationem & Communionem invadat antequam pœnitentiæ iter emenſus ſit, antequam ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis legitimæ pœnitentiæ operibus inflexerit, antequam acrioribus remediis, & ad ſananda vulnera accommodatis ſaluti ſuæ conſulere conatus ſit: ne Sacerdotes contra Evangelii rigorem & Eccleſiæ leges falſam & periculoſam pacem relabentibus impertiant, nihil accipientibus profuturam, ſolis impertientibus & poteſtate ſua abutentibus nocituram: nec operiant morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegatur: ne prava & præpropere abſolvendi facilitas crudelis ſit perſecutio & nova tentatio, per quam ſubtilis inimicus, ut ait tract. de lapſis S. Cyprianus, impugnandis adhuc lapſis occultâ populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria vaneſcat, comprimatur pectorum gemitus, ſiſtatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longâ & plenâ patientiâ reus deprecetur: ne Dei miniſtri peſtiferâ aſſentatione iis conniventes qui momentaneam deſiderent medicinam, Domini præcepta reſcindant, Evangelicam veritatem infringant, fidei majeſtatem evertant, & palpationibus pernicioſis mentes in fraudem impellant, ſi eis peccata non retineant, qui longâ & auſterâ pœnitentiâ crimine quibus infernum meriti ſunt, minimè diluerunt. Imitetur ergo Sacerdos præclarem Cleri Romani fortitudinem, quam epiſt. 31. ad Cyprianum ſic expreſſit: *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis everſâ fidei majeſtate diſſolvere; ut cum adhuc non tantùm jaceant, ſed & cadant everſorum fratrum ruina, properata nimis remedia communionum utique non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad converſionem majorem eripiatur & pœnitentia.*

Peccatori lapſo, ſauciato, & ſemivivo relicto oleum infundat Sacerdos & vinum; oleum benignitatis, ne deſperet; vinum ſeveritatis, ne plaga putreſcens periculoſior fiet. Præ paterni cordis compaſſione lacrymas ſuas cum pœnitentis lacrymis jungat, cum ejus gemitu ſuos gemitus copulet; ſed ne propterea illi præproperam abſolutionem in ejus perniciem perverſâ facilitate indulgeat. Miſericordiâ abundabat S. Carolus, abundabant Sanctiſſimi Antiſtites, quorum veſtigiis inſiſtebat; compaſſionis viſceribus graviter & graviùs quàm nos commovebantur, animarum ſibi commiſſarum ſalutis zelo flagrabant, vel unius ovis infirmæ tuendæ cauſâ ſanguinem effundere parati erant: & tamen viri illi divini nunquam miſerationis ſpecie reos ad reconciliationem vel altaris pœnitentiæ laboribus non perfunctos ut admitterent induci potuerunt. Sciebant ſacri illi Doctores cœleſti lumine perfuſi, ſe non eſſe Eccleſiæ Patres, ut filiorum infirmorum cupiditatibus morem gererent, ſed ut eos in Chriſto formandos cruci Chriſti conformarent. Noverant paternum Epiſcopalis cordis amorem non in palpandis ungendiſque vitiis, ſed nullâ re magis quàm in emendandis eorum moribus vitiiſque coercendis eniteſcere: quia ſcriptum eſt pſalm. 140. *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et iterum Proverb 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.*

Non ergo ſeveritate utitur in peccatores, ſed ſalutari miſericordiæ manſuetudine Sacerdos, qui ſæpe relapſis abſolutionem tantiſper ſuſpendit ac ſubducit, ut ad illam digniùs recipiendam dignis ſinceræ pœnitentiæ exercitationibus ſe comparent: ut utili cunctatione cor interim recogitans annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ flectatur, emolliatur, & funditus tandem liqueſcat & convertatur; ut in dies convaleſcens demùm perſaneſcat, ut bonorum operum acceſſione & incremento quaſi pedetentim nova creatura conformetur, paretur, inſtruatur, matureſcat.

Itaque fallacem lenitatis ſpeciem ſibi & peccantibus exitioſam deponat, & prorſus abjiciat, ut ab officio non diſcedat, improvidâ præcocis abſolutionis facilitate innumerorum ſacrilegiorum particeps factus. Timeat ne dum abſolvit recidivantem in terris, ipſe à Deo in cœlis reus condemnetur. Timeat ne fallacem hominibus ſordibus immerſis pacem ingerat, quæ ipſos vitiorum ſomno & cœno altiùs remergat. Timeat ne ſe alienis criminibus irretiat, dum ea degeneri clementiâ fovet, nec peccatorem ad eluenda ſordentis vitæ iterata flagitia compellit. Timeat ne margaritas projiciens ante porcos, ſanctumque dans canibus ad vomitum redeuntibus, dum relapſos ad Dei menſam inconſultè adhibet, cum pane cœleſti unà propinet & venenum. Timeat ne qui Paſtor eſſe debet, lanius fiat. *Ea enim concedere quæ in perniciem vertant*, inquit Cyprianus epiſt. 11. *decipere eſt: nec erigitur ſic lapſus, ſed per Dei offenſam magis impellitur ad ruinam.* Timeat ne ſi pravis ægrotantium cupiditatibus aſſentiens cœleſtis medicinæ præcepta negligat, nec ſanitatem infirmis reſtituat, & eorum etiam culpam apud Deum ſuſtineat. Nam ut præclarè tract. de lapſis ſcripſit: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat; nec comprimit delicta illa, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul, atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Imperitus eſt medicus qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum mortale virus incluſum dum ſervat exaggerat. Aperiendum vulnus & ſecandum, & putredinibus amputatis medelâ fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum cùm ſenſerit ſanitatem.*

Reminiſcatur ergo Rector animarum, & ſeria ſecum cogitatione revolvat, ſe peccatorum quidem remittendorum à Chriſto conceſſam poteſtatem ac-

cepiſſe,

cepiſſe, ſed ejuſdem poteſtatis uſus reddendam ſibi rationem tamen. Perpendat ſe peccatorum eſſe judicem, ſed ſuperiori judici militare, ſibique divinitus traditam facultatem Dei voluntate, Eccleſiæque atque Sanctorum inſtitutis dimetiendam & temperandam eſſe. Sit ergo in condonandis peccatis fidelis ſervus & prudens, id eſt in peccatis condonandis & diſpoſitiones pœnitentium exploret, & fructus pœnitentiæ non præſocet. *Tunc namque*, inquit Magnus Gregorius lib. 6. in cap. 15. lib. 1. Reg. *verè converſum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Si ſecus ſe gerat, ſi vulnera operiat quæ ſecari & exuri debeant, ſic cùm in medullis ſerveat morbus, per ſuperficiem molle deducat unguentum; ſi leviſſima opera pro graviſſimis delictis injungat, ſi pauculorum Pſalmorum recitationem pro infinitis perjuriis, blaſphemiis; aliquod jejunium pro multorum annorum adulteriis & libidinum monſtris, profectò alienorum in ſe peccatorum onera ſuſcipiet, ut Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. non tam verbis quàm fulminibus declaravit. Tum verò maximè arceat à ſacro altari calentes adhuc recentibus flagitiis, donec juxta ſalubre Apoſtoli monitum ſeſe probaverint, dignis pœnitentiæ fructibus ſinceritatem converſionis experiendo, ne ore impuro ſanctiſſimum cibum indignè ſumentes judicium ſibi manducent & bibent. Niſi hanc arctiorem viam teneat Sacerdos, quomodo pœnitentia, uti Tridentinum definivit, laborioſum erit baptiſma, quo punietur qui templum Dei violavit, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidavit? Quomodo metu pœnarum revocabuntur peccatores, & infrunita relabendi licentiæ, quâ homines non minùs ad ſcelera quam ad ludum jocumque proſiliunt, quaſi freno coërcebitur? Quomodo vitioſi habitus, qui non niſi contrariis virtutum actionibus tolluntur, pœnitentiæ exercitationibus evellentur? An fortè inveteratos ſuperbiæ, avaritiæ, impudicitiæ, ebrietatis, & maledicentiæ habitus, Roſario ſemel aut iterum recitato, aut pauculis Pſalmis evolutis exſtirpabuntur? Itáne ſolis precatoriis verbis peccandi proclivitas naturâ inolita, & conſuetudine roborata, atque frequentatis peccatis robuſtiſſima & penè invictiſſima facta, in bonum, niſi accedat exercitatio pœnitentiæ ultricis vitiorum & altricis virtutum, ſicut à Bernardo nominatur, inflectetur? Quomodo Chriſto Jeſu qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficiemur, niſi aſperrimos Capitis noſtri labores & mortem acerbiſſimam exprimere pro virili connitamur, memores quod ſi in viridi ligno tot facta ſunt, in arido quid fiet?

Non eſt ergo ſatis confiteri ſæpiùs, ut toties beneficium abſolutionis peccator promereatur: non ſufficit flagitioſam vitam accuſare ſemper, emendare nunquam, ſicque perpetuâ viciſſitudine labi, exurgere; relabi rurſum, & divinæ hac inconſtantiæ levitate miſericordiæ illudere. Summâ cautione ac diligentiâ opus eſt, ut ea vitet peccator, ex quibus certa peſtis animæ imminet. Operibus & dignis pœnitentiæ fructibus probanda eſt voluntas, mores componendi, atque ad immutabilem Evangelicæ doctrinæ normam dirigendi. Ea vivendi via perſequenda eſt, quam Chriſti Domini veſtigia impreſſere; amovendæ procul omnium ſæcularium cupiditatum ſordes, eaque animi caſtimonia atque integritas cuſtodienda, quæ interim de ruinis reparandis, de vulneribus diligenter curandis ſedulò cogitet, & per aliquod tempus pœnitentiæ incumbat, priuſquam reconciliatione, & ſacrâ Communione pœnitens fruatur. Mortifera peccata, quæ non ictu animam perimunt, quæve qui agunt regnum Dei non poſſidebunt, penitùs exſtirpanda ſunt & præcavenda; quia gratia ſemel voluntariè amiſſa recuperatu difficillima eſt. Nuſquam crediderunt Patres tam facilè homines è peccatorum profundiſſimo cœno emergere, ac è mancipiis diaboli evadere filios Dei; ſicque perpetuis reciprocæ viciſſitudinis alternationibus toto vitæ decurſu contingentibus, nunc æternâ damnatione mulctandos, nunc extemplò ac nullo negotio æternæ felicitatis dignos. Quis credat ejuſmodi ſemi-Chriſtianos toto & ſincero corde ad Deum converti, qui cor dividentes ſuum, partim Deo, partim ſæculo inſerviunt; quorum vitæ ſeries peccatorum mortalium, inanis pœnitentiæ, & infructuoſarum confeſſionum perpetua viciſſitudine continetur, contra illud Veritatis immobile oraculum, *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*? Sed de hac infructuoſa & fucata pœnitendi ratione, quantóve periculo illi præpoperam abſolutionem indulgeant animarum Rectores, iterum & fusè dicemus, nempe pro rei momento, capitis ſequentis ſpeculatione tertiâ, ubi de differenda abſolutione diſputabimus.

Reflexio.

Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ. Matth. Si Paſtores & animarum Rectores ad antiquæ virtutis normam ſemel reſtituerentur, facili negotio communis Fidelium diſciplina refloreſceret, & plebs Chriſtiana ad vitæ integritatis leges formamq; rediret. Sicut enim Deus accenſo in mundo ſole terrarum orbem luce complet & influxibus ditat; ſicut maris refuſo regiones omnes fluviis, fontibus, rivis, aquarumve copioſiſſimis meatibus irrigat; ſicut civitatibus & regnis ornato regiis virtutibus Principe felicitas paratur: ita per Sacerdotes divino igne ſucceſos in univerſum orbem charitatis incendium effunditur, & diſſolutâ peccatorum glacie ſpargitur. Ipſi enim veri ſunt mundi ſoles, quæ oculis cerni non poſſunt cernenda exhibentes: ipſi illius aquæ fontes ſunt, quæ à cœlo exſiliens ſalit in vitam æternam: ipſi Principes animarum negotiis æternitatis præfecti.

Pietatem ſalutarem propinare hominibus nequit qui, ut verbis Epiſcopi in ultima Tridentini ſeſſione perorantis vehementiori voce utar, *poculo ſalutis primùm inebriatus non fuerit*; quia nemo niſi ſibi plenus & effluens in alios effluere exundareque poteſt. Quid ergo mirum, ſi (quod doleamus) plurimos in Eccleſia Dei Chriſtianos eſſe videmus, qui ut ait Auguſtinus in Pſalm. 30. *Paganis & Judæis pejus vivunt*; ſi legem & Evangelium in tam multis ita deperiiſſe, *ut Saraceni* [verba ſunt Gregorii VII. epiſt. 9.] *& quilibet Pagani ſuos ritus firmius teneant, quàm illi qui Chriſtianum nomen acceperunt*: ut namque ait Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 1. *Totus mundus pronus in malum per lubrica vitiorum in præceps ruit. Et, ô nefas, ab eis in veritate judaicè vivitur, qui ſuperficie tenus Chriſtiano vocabulo palliantur.* Quid, inquam, mirũ ſi infinita mala redundent, cùm illis regamur Sacerdotibus, in quibus diſciplinam, ut cũ Cypriano tract. de lapſis loquar, *pax longa corrumpit, in quibus non religio devota, non fides integra & viva, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina viget: cùm ſacrorum miniſtrorum navim undique inruunt fluctus, & putridæ naufragium tabulæ ſonent*, ut Magnus Gregor. lib. 1. epiſt. 4. loquitur: cùm, ut pleniùs ſerm. 33. in Cant lamentatur, ſerpat hodie putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latiùs eo deſperatiùs, eóque periculoſiùs quo interiùs: *Miniſtri Chriſti ſunt*, inquit, *& ſerviunt Antichriſto.* ::: *Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara priùs in nece Martyrum: amarior pòſt in conflictu hæreticorum: amariſſima nunc in moribus domeſticorum.* Videſis illum ibi.

Sed abſit, ut ponam in cœlum os meum; abſit ut quæ à Sacerdotibus patrantur eo animo obſervem, eaque voluntate recenſeam, ut ſtatum divinum, cujus obſervantia nihil mihi antiquius, inſimulem. Privatorum corruptelas non diſſenſionis ſtudio inceſſo,

ceſſo, ſed charitate deploro; miniſtrorum deliquia & defectiones animadverto, quia tam præcelſæ conditionis pulchritudinem nulla temporum viciſſitudine deteri, nec minùs hac quàm prima ætate nitere ac florere vellem. Ne igitur, Chriſtiane Lector veritatem in invidiam, charitatem in crimen, voces, præclaræ memor illius à Gregorio Theologo orat. 1. vocis fuſæ: *Etſi probrorum ac peccatorum, quæ apud Chriſtianos vigent, impetum comprimere majus ſit, quàm pro virium noſtrarum facultate; at certè odiſſe ac pudore affici, pietatis partem eſſe non minimam.* Illum animi habitum induere ſatagimus, qui in Conciliis Summorumque Pontificum decretis elucet. Non erubeſcunt innumerabilia penè Concilia ſe ad reformationem Cleri & populi Chriſtiani coacta fateri, ut in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. in Lateranenſi ſub Innocentio III. & altero Lateranenſi ſub Alexandro III. & in ipſa Tridentini fronte legere eſt.

Rectores ergo ac Paſtores animarum nec increpando, ſed qua par eſt reverentia rogando monemus, ut in regendis populis ſuæ curæ commiſſis, non ad corruptam conſuetudinem & putridam mollitiem diſciplinæ corruptricem, ſed ad illud incorruptum lumen ſeſe applicent, quod à Chriſto Eccleſiæ collatum perpetua ejuſdem Eccleſiæ traditione integrum ac purum continetur. Illud animo ſæpè revolvant, quod Magnus Gregorius lib. 30. Moral. cap. 7. ſcriptum reliquit: *Epiſcopi, etſi ſubſequentium populorum Patres ſint, præcedentium tamen Patrum ſe filios meminiſſe oportet.* Hoc itaque Paſtoris Evangelici officium, hæc Epiſcopalis regiminis adminiſtrationiſque forma, hæc tuta ad ſalutem via, ſacræ pietatis ac diſciplinæ leges Sanctorum monumentis ſanctiſque traditas exequutioni pro virili mandare: *Nam*, ut ait idem Gregorius Curæ Paſtoral. part. 2. cap. 2. *tunc Sacerdos irreprehenſibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indeſinenter tuetur, cùm Sanctorum veſtigia ſine ceſſatione conſiderat.* Sanè ſi ipſe Dei Filius ad orbem ſapientia & factis illuminandum miſſus, ea ſolùm dixit & fecit quæ à Patre audivit; ſi Spiritus ſanctus à Filio poſtmodùm miſſus illa duntaxat quæ à Filio accepit inſpiravit; ſi Apoſtoli in omnem terram à Spiritu Sancto miſſi id unum docuerunt atque fecerunt quod à Paracleto didicerunt: profectò Epiſcopi cæterique animarum Paſtores & Rectores ab Apoſtolis miſſi nihil aliud ſibi, aliiſque agendum tradere debent, quàm quod ab Apoſtolis traditum accepere. Non novas quaſdam vias priſcis virtutis Magiſtris planè ignotas debent incedere, ſed antiquum iter proſequi; uno verbo non mores temporum, ſed Evangeliorum exquirere tenentur, qui eos ac populum Dei illis creditum ad cœleſtem patriam felicitatemque perducturi ſunt.

DISSERTATIONIS UNICÆ

De Sacramento Pœnitentiæ:

CAPUT II.

Examinantur accuratiùs difficiliora quædam circa partes & effectus Pœnitentiæ.

Circa partes & effectus Sacramenti Pœnitentiæ cùm plures controverſias excitent Theologi, quarum plures, utpote faciliores breviter reſolvimus in capite præcedenti, inſigniores quædam ac momentoſiores ſunt, quas viſum eſt aut ſolùm tantiſper ſuperiùs attingere, aut ex integro reſervare in hoc proprio & ſpeciali capite diligentiùs excutiendas.

SPECULATIO I.

Dolor de peccatis ex uno pœnarum inferni metu conceptus, bonus quidem ille eſt, & ad gratiam juſtificantem in Sacramento recipiendam diſponit: non ſufficit tamen, ſi ab omni amore Dei deſertus ſit.

Si ad legendam ullam à nobis toto Theologiæ decurſu diſceptatam quæſtionem purum te & integrum, Lector optime, deſideravi, illam imprææſentiarum maximè à te poſtulo æquitatem, ut ſepoſitis cunctis affectibus, quos non illepidè quidam amoris proprii ſophiſmata nominavit, ad illam te redigas præjudiciorum vacuitatem, quæ Chriſtianum & Theologum decet, ne quam aggredimur rem tantam, & ad inſtituendam ſalutem dirigendamque tantoperè neceſſariam expendas potiùs, ut Auguſtini verbis utar, præjudicio conſuetudinis, quàm judicio veritatis, quæ vitâ ipsâ cuique debet eſſe antiquior. Si enim ita te compares, magna me ſpes ſubit fore, ut graviſſimam ſanctiſſimamque ſententiam, quam tutari aggredimur, & pro tuo pietatis zelo ſuſcipias, & pro nativo mentis acumine fide illuſtrato omnibus qui ad Deum ſeſe referre ex animo ſtudent, nedum fructuoſam, ſed prorſus neceſſariam intelligas. Minùs ergo ſodes apud te valeat privatæ vel præjudicatæ opinionis defendendæ cupiditas, quàm ſtudium percipiendæ veritatis, ne illos, amabò imiteris, in quorum mentibus contraria hæret ſententia, quia longo uſu aſſueti ſunt apertiſſima quæque reſpuere, ſi à præjudicatis eorum opinionibus abhorreant. Ita ſi te componas, nudam veritatem nudus aſſequêre, puramque purus tenebis, quia ut Auguſtinus lib. 6. contra Julianum, cap. ultimo, veridicè ſcripſit: *Quando animoſitatem, quâ teneris, viceris; tunc veritatem poteris tenere, quâ vinceris.*

Ut igitur in hujus quæſtionis indagine veritatem ſinceriùs intelligamus, attentionem mentis à præjudicatis opinionibus removeamus atque ſubducamus, ipſamque Veritatem omnibus circumfuſam ſupplices invocemus, quæ manens in ſe incommutabiliter, nullo modo ceſſat occultâ inſpiratione vocationis loqui ei creaturæ cui principium eſt, ut docet Auguſt. lib. 1. de Geneſi ad litt. cap. 50. Et præclarè lib. 10. Confeſſ. cap. 26. *Ubique veritas præſides omnibus conſulentibus te, ſimulque reſpondes omnibus etiam diverſa conſulentibus. Liquidè tu reſpondes, ſed non liquidè omnes audiunt. Omnes unde volunt conſulunt, ſed non ſemper quod volunt audiunt.* Non ita ſum rudis & in cœleſti Auguſtini doctrina peregrinus, ut credam aut præſumam veritatem diſcere te poſſe à me: admonere te poſſum per ſtrepitum vocis & ſcriptionis meæ lectionem, ſed niſi ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus meus. Munus Dei eſt intelligentia veritatis. Deum ergo loquentem audi, ut cum ipſa Veritate, Joan. 5 dicere queas: *Sicut audio, ſic judico: & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam.* Deus intelligibilis lux eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in qua, à qua, & per quam intelligibiliter lucent, quæ intelligibilia ſunt omnia. Hanc lucem implora, quæ à te non occidet, niſi tu ab ipſa occideris. *Nam etiam ſol iſte*, inquit Auguſtinus tract. 35. in Joan. *& videntis faciem illuſtrat & cæci: ambobus ſol præſens eſt; ſed præſente ſole unus abſens eſt. Sic & ſapientia Dei Dominus Ieſus Chriſtus ubique præſens eſt, quia ubique veritas, ubique ſapientia.*

Præjudicium autem in hac parte periculoſiſſimum eſt, ſi quorundam recentiorum authoritate perſuaſus ſententiam de ſufficientia attritionis ex ſolo metu, abſque ullo Dei amore ſaltem comitante conceptæ, articulum fidei; noſtram verò tanquam hæreſim inconſideratè pronunties; quia ut ſapienter à nonnullo dictum eſt, peſſima res eſt falſarum

ſententiarum apotheoſis, & pro peſte intellectûs habenda eſt, ſi vanis aut falſis accedat veneratio. Ex divinorum enim & humanorum malè ſana admixtione non ſolùm educitur philoſophia phantaſtica, ſed etiam religio vana. Itaque ſalutare admodum eſt, ſi mente ſobriâ fidei tantùm dentur, quæ fidei ſunt. Ad ſanandam autem hujuſmodi præjudicatæ ſententiæ, quâ nonnulli laborant, ægritudinem non ſolùm conferet ſincerus amor veritatis, quam qui videre non poteſt, pulſare debet non ad hominem diſputatorem, ſed ad Deum Salvatorem, ut quod non valet valeat, ſupplexque illi qui lumen mentis accendit attendere, ut intelligat, quemadmodum Auguſtinus epiſt. 112. & contra epiſt. fundam. cap. 33. monuit; ſed etiam Sanctiſſimi Papæ Alexandri VII. declaratio his verbis expreſſa in decreto Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, edito feria 5. die 5. Maii, anno 1667. „ Sanctiſſimus Dominus no-
„ ſter Alexander Papa VII. cum acceperit non ſine
„ gravi animi mœrore, Scholaſticos quoſdam acri-
„ ùs, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe conten-
„ dere, an illa attritio quæ concipitur ex metu ge-
„ hennæ, excludens voluntatem peccandi cum ſpe
„ veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento
„ pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dile-
„ ctionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus
„ aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantì-
„ bus: Sanctitas ſua enixè cupiens pacis vinculum
„ inter fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem
„ extingui, auditis votis Eminentiſſimorum & Re-
„ verendiſſimorum Dominorum Cardinalium ad-
„ verſùs hæreticam pravitatem generalium Inquiſi-
„ torum, necnon Dominorum Conſultorum &
„ Qualificatorum Sacræ Congregationis ejuſdem
„ Generalis Inquiſitionis, hoc præſenti decreto in
„ virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna excommu-
„ nicationis latæ ſententiæ huic Sanctæ Sedi reſerva-
„ tæ, aliiſque pœnis ejuſdem ſanctæ Sedis arbitrio
„ taxandis, præcipit cunctis & ſingulis Fidelibus quo-
„ cumque gradu ac dignitate, etiam Epiſcopali &
„ majori, imò & Cardinalitiâ fulgentibus, ut ſi dein
„ ceps de materia attritionis præfatæ ſcribent, vel li-
„ bros aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædi
„ cabunt, vel alio quovis modo pœnitentes aut ſcho-
„ lares cæteroſve erudient, non audeant alicujus
„ ſcholaſticæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contu-
„ meliæ notâ taxare alterutram ſententiam, ſive ne-
„ gantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in
„ præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ
„ hodie inter Scholaſticos communior videtur; ſi-
„ ve aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, do-
„ nec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid in hac re defi-
„ nitum: ſtatuitque præterea decretum hoc ſive il-
„ lius exemplar affigi ad valvas Baſilicæ Principis A-
poſtolorum de Urbe, &c. Quod integrum decretum referre operæpretium duximus, ut eorum cohiberetur licentia, qui noſtram de alicujus amoris Dei ad veram pœnitentiam neceſſitate ſententiam ſugillare præſumunt. Sed agè ad rem veniamus, ſi tamen priùs ſacri timoris honeſtatem ac utilitatem tantiſper commendaverimus.

Utilitas & honeſtas timoris ex metu gehennæ concepti.

Prior ergo pars, quæ aſſerit timorem ex metu gehennæ conceptum, quo perculſus peccator incipit odiſſe peccatum, actum eſſe ſalutarem, ex his quæ alibi agentes de ſacro timore diffusè ſatis diſſeruimus, manifeſta eſt. Eam tum Concilii Tridentini definitionibus, tum Auguſtini teſtimoniis, tum ratione S. Thomæ, tum potiſſimùm apertis Scripturæ locis demonſtravimus, quæ ex integro repetere ſupervacaneum foret. Fundamenta etiam Lutheri occupavimus, diſtinguentes in timore illo ſubſtantiam actûs à ſervilitate ejuſdem: & licèt iſta honeſta non ſit, illam tamen per ſe, & ex natura ſua eſſe bonam pluribus oſtendimus.

Ad eorum tamen quæ ibi diximus, lucem & confirmationem advertendum eſt ex Auguſtino in Pſal. 127. triplicem eſſe timorem: primus mala temporalia formidat, cùm timet quis ne ægritudo, damnum, orbitas, alicujus amiſſio chari, exilium, carcer, aut aliqua tribulatio accidant. Alter timor eſt gehennæ, ſeu pœnæ æternæ, quo quis non in hac terra pati timet, ſed gehennas timet, quibus terret nos Dominus, quo timore mens à peccato ſe continet. Tertius timor caſtus eſt, quo quis amore juſtitiæ timet à Deo quem diligit ſeparari. Porrò de ſecundo timore nondum caſto, qui pœnas timet, quo quis timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi boni divini, ſed timore patiendi malum, non timens ne perdat amplexus pulcherrimi Sponſi, ſed timens ne mittatur in gehennam æternam, ait ibi Auguſtinus: *Bonus eſt iſte timor, utilis eſt*, etſi non permanſurum dicat in ſæculum ſæculi, quod ſolius caſti proprium eſſe affirmat. Ejuſdem diſtinctionis meminit S. Pater ſerm. 18. de verbis Apoſtoli, cap. 4. 5. & 7. ubi poſtquam redarguit homines timentes pœnas temporales, nec timentes æternas, quia vanum eſt timere amittere bona terrena peritura, quæ auferre non poſſumus; de timore ignis æterni ſubjungit tamen: *Quare non committis adulterium? Et reſpondebis: Quia timeo gehennam, timeo ſupplicium ignis æterni, timeo judicium Chriſti, timeo ſocietatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam. Quid dicturus ſum? Malè times, quomodo tibi dicebam de adverſario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi enim rectè dicebam, Malè times? ſecurum te fecit Dominus tuus dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Modò cùm dicis, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo: quid dicturus ſum, Malè times, vanè times? Non audeo, quandoquidem ipſe Dominus ablato timore ſubjecit timorem, ubi dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, poſtea non habent quid faciant: ſed eum timete qui habet poteſtatem & corpus, & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis, hunc timete. Cùm ergo Dominus timorem incuſſerit, & vehementer incuſſerit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego ſum, Malè times? Ita non dicam. Planè time. Nihil melius times: nihil eſt quod magis timere debeas.* Ergo ex mente Auguſtini timor ex metu gehennæ conceptus bonus, honeſtus, & labis purus eſt, utpote quem S. Doctor non audet dicere malum & vanum, quem potiùs diſcernit à timore mercenario unum malum temporale formidante; quem utilem eſſe affirmat & peccata cohibentem, denique quem initium ſapientiæ eſſe, & præparare ad charitatem inculcat.

Unde obſervat Sanctus Pater, nunquam vel certè rarò peccatorem ad amorem juſtitiæ niſi ſacro illo timore exſtimulatum pervenire. *Rariſſimè accidit*, inquit lib. de catechiſ. rudibus, cap. 5. *imò verò nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus* (& idem dicito de malo Chriſtiano, qui veniat volens fieri bonus per Pœnitentiam Chriſtianus) *qui non ſit aliquo timore Dei perculſus.* Et in Pſal. 149. *Niſi*, inquit, *timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem: initium ſapientiæ timor Domini. Incipit ergo à vinculis ferreis, & finitur ad torquem aureum.* Hinc Doctor ſanctiſſimus comparat timorem illum ſetæ, qua introducitur linum: *Si nullus timor*, inquit, *non eſt quà intret charitas: ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur. Seta priùs intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat men-*

tem:

Digitized by Google

gem: non autem ibi remanet timor; quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Quapropter nihil nobis opus eſt in demonſtranda hujus timoris utilitate & honeſtate, tam manifeſtis non modò teſtimoniis, ſed etiam argumentis, quæ in præfatia inſinuantur, à Divo Auguſtino commendatâ. Major opera collocanda eſt in altera tituli parte, utpote inter Catholicos Doctores controverſa.

Timor ex metu gehennæ conceptus ſine aliquo amore & inchoatæ dilectionis motu ad juſtificationis gratiam recipiendam nunquam ſufficit, nequidem in Sacramento ullo, etiam Pœnitentiæ.

Contendunt plures recentiores, attritionem peccatorum ex ſolo metu gehennæ conceptam, etiam ab omni Dei amore divulſam, ſufficientem eſſe ad gratiam in Sacramentis ſaltem mortuorum recipiendam: quod etiam nonnulli ad alia Sacramenta vivorum extendunt; cùm quis, inquiunt, putans ſe eſſe contritum & amore Dei permotum, reapſe tamen charitate & dilectione caret, ſoloque gehennæ timore percellitur; quia tunc, inquiunt, Sacramenta gratiam infundunt homini, quem ſupponunt deteſtari peccata, ſubindeque nullo ad gratiam recipiendam obice præpediri. Nihilominus

Secunda ſpeculationis pars, affirmans nunquam ſufficienter hominem ad juſtificationem ſine aliquali Dei amore præparari, oſtenditur. Primùm iis omnibus teſtimoniis, quibus præceptum amoris Dei ſtabilitur. 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Cor. ultimo: *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema.* At manens adhuc in morte & anathemate perculſus, utique non eſt ad gratiam recipiendam ſatis paratus. Ergo timor quivis ab omni Dei dilectione ſejunctus, tametſi bonus & ad converſionem permovens, nequit eſſe ultima & ſufficiens ad gratiam recipiendam diſpoſitio.

Quod ſi dicas, præceptum amoris Dei in uſu Sacramentorum non urgere, ſed alio poſſe tempore opportuno impleri: hæc, inquam, ſi dicis, nihil dicis, & veritati apertiſſimæ contradicis. Tum quia etſi ſive præceptum charitatis tunc urgeat, ſive non, de quo ſtatim; attamen ſi Sacramentum ei confertur qui eſt à tali præcepto penitus averſus, gratiam utique non infundet, quam impertire nequit manentibus in morte, anathemati obnoxiis, & ab amore Dei deſertis, quales, ſacro teſtante eloquio, homines ſunt, qui nullo dilectionis affectu tenentur. Tum quia gratia ſanctificans eſt effuſio divinæ dilectionis; quos enim Deus ut filios diligit, muneribus ſuæ bonitatis adornat. At ex D. Thoma Deus in ordine ſupernaturali non diligit niſi diligentes ſe, juxta illud, *diligentes me diligo:* quin ipſe amor Dei diligentes non facit. Ergo gratiam juſtificationis non diligentibus ſe Deus impertit.

Sanè ſi vera eſt oppoſita ſententia, evacuari præceptum dilectionis Dei, & ad nihilum redigi neceſſe eſt. Etenim ſi abſque ullo amoris motu juſtificationis gratia quocumque tandem modo obtinere poteſt, poterit etiam homo abſque dilectione Dei ſalutem conſequi, cùm juſtificato & gratia habituali perfuſo denegari non poſſit vita æterna; gratia quippe ſanctificans eſt germen gloriæ, conſtituens filios adoptivos. Filius porrò hæres eſt, juxta illud Apoſtolicum: *Si filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Ergo ſine illo dilectionis actu adultus & juſtificabitur, & ſalvabitur. Ergo in lege gratiæ & charitatis non tenebitur ad dilectionem Dei Chriſtianus. Quod profectò pius & catholicus refugit ſenſus, & univerſæ S. Thomæ doctrinæ adverſatur. Affirmat enim S. Doctor, gloriam uni charitati reſpondere; charitati, inquam, non habituali duntaxat, ſed actuali in adultis: ſic enim habet 1. p. quæſt. 12. art. 6. *Plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate; quia ubi major eſt charitas, ibi eſt majus deſiderium.*

Res fiet exemplo planior & illuſtrior. Supponamus peccatorum poſt deperditam baptiſmatis gratiam, multoſque annos in flagitiis omne genus tranſactos, gehennæ timore concuſſum deteſtari peccata, & ad Sacramentum pœnitentiæ abſque ullo amoris ſenſu accedere; mox poſt exomologeſin ſacro ritu peractam, & acceptum abſolutionis beneficium, repentinâ morte correptum è vivis excedere. Quæro, vel ille ſalutem conſequuturus eſt, vel non? Si ſalutem obtinet: ergo inane eſt dilectionis præceptum, ſiquidem adultus nullo elicito dilectionis actu ad ſortem pervenit Beatorum; & in lege gratiæ & amoris peccator ſine amore ſalvabitur, qui nec in ipſa lege timoris ſine dilectione ſalutem poterat obtinere: ac proinde legis amoris privilegium erit à diligendi Dei obligatione immunitas. Si dicas ipſum defectu amoris Dei minimè fore ſalvandum: ergo etiam defectu dilectionis non fuit juſtificatus, cum ſuppoſito rerum curſu à divina providentia inſtituto, repugnet planè hominem juſtum, filium Dei, amicum Sponſi, hæredem gloriæ, à regno excidere & deturbari.

Quod autem dictum eſt, præceptum dilectionis Dei in uſu Sacramentorum non urgere, id eſt poſſe peccatorem nullo elicito dilectionis actu Sacramenta ſolo timore Dei perculſum uſurpare, à veritate prorſus alienum eſſe oſtenditur, & ſimul ſecundò noſtra reſolutio ſuadetur. Ille non accedit fructuosè ad Sacramentum Pœnitentiæ, qui non eſt ex toto ad Deum corde converſus; quam converſionem omnes ferè ſacrarum litterarum paginæ loquuntur & præcipiunt. At juxta Patres vera non eſt, & multò minùs totalis converſio, niſi cor Dei dilectio inſpiret & immutet. *Tria*, inquit Magnus Gregorius in cap. 15. lib. 1. Reg. *in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati: nam qui corde non convertitur, quid prodeſt ei ſi peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem ſunt qui peccata confitendo aperiunt, ſed non convertendo nequaquam deteſtantur: hi profectò confitendo nihil agunt; quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde & ſalubriter confiteri volentibus Scriptura intimat dicens: Corde creditur ad juſtitiam, confeſſio autem fit ad ſalutem. Quid eſt corde credere ad juſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cùm ergo quis cordis intentionem ad juſtitiam per amorem dirigit, per internum bonæ voluntatis fructum habet bonæ converſionis.* Ergo ſine amore juſtitiæ, qui à Dei qui ſumma juſtitia eſt, dilectione divelli nequaquam poteſt, bona nequit eſſe converſio. Amorem porrò juſtitiæ ſine amore Dei inveniri non poſſe docet Auguſtinus epiſt. 144. his verbis: *Tantùm porrò quiſque peccatum odit, quantùm juſtitiam diligit, quod non poteſt lege terrente per litteram, ſed ſpiritu ſanante per gratiam.* Gratia autem quæ ſona eſt aquæ ſalientis in vitam æternam, quatenus à lege terrente diſtinguitur, utique in Deum amandum permovet, dicente eodem Patre: *Inſpiratio dilectionis ipſa gratia eſt.*

Id ipſum tradit S. Bernardus epiſt. 11. *Puto*, inquit, *de illa charitate dictum: Lex Domini immaculata convertens animas, quod ſola videlicet ſit, quæ ab amore ſui & mundi avertere poſſit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam: mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam.* Ergo ut cordis verè in Deum convertatur affectus, Bernardo authore, dilectione Dei opus eſt in Deum dirigente, ab amoreque ſui & mundi avertente.

Probatur tertiò: Impoſſibile eſt peccatum adul-

torum etiam in Sacramento remitti ſine veræ Pœnitentiæ motu, quia cùm peccatum adulti ſit macula ex actibus pravis impreſſa, planè repugnat, ut ſupra fusè monſtratum eſt, voluntariam illam maculam abſtergi, niſi ſinceris pœnitentiæ actibus retractetur: unde ad contritionem & juris divini læſi reparationem peccatores jure naturali obligari certum eſt, & docet S. Thomas 3. p. quæſt. 84. art. 7. in corpore, & ad 1. à quo jure eximi homo nullâ ratione poteſt. Atqui ſine caſto Dei amore vera nequit eſſe peccatoris pœnitentia; pœnitentia enim, quæ eſt quædam juſtitiæ ſpecies, Deo læſo ſatisfacere conntitur, & revera illi ſatisfacit. At nemo qui Deum læſit, Deo ſatisfacit vel ſatisfacere unquam ſine dilectione poteſt: ille namque non ſatisfacit, qui quod abſtulit non reſtituit. Porrò peccator peccando à Deo quantùm in ipſo fuit rationem ultimi finis auferre præſumpſit, eam in creatura perverſiſſimè collocans, utendiſque fruens. Sicut ergo affectu à Deo rationem ultimi finis abſtulit, ita affectu illi reſtituere tenetur: reſtituera autem affectu rationem ultimi finis, eſt finem ultimum in Deo amando quærere, cùm ſola voluntas in finem amore feratur. Ergo impoſſibile eſt, veram eſſe ſine amore Dei, ſummique boni & ultimi finis noſtri dilectione pœnitentiam. Unde Auguſtinus ſerm. 7. de Tempore: *Pœnitentiam*, inquit, *certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei.* Et S. Thomas 3. p. quæſt. 83. art 6. *Actus virtutis pœnitentiæ eſt contra peccatum ex amore Dei.* Et quæſt 86. art. 6. docet, *requiri ad rationem veræ pœnitentiæ, ut diſpliceat peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum.* Et lib. 4. contra Gentes, cap. 72. *Primum,* inquit, *quod requiritur in pœnitentia, eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur à peccato, dolens de commiſſo, & proponens non committendum; quod eſt de ratione contritionis: hæc verò mentis ordinatio ſine gratia non eſſe non poteſt.* Et præclarè, & juxtà apertè S. Chryſoſtomus hom. 4. in 2. epiſt. ad Cor. *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis, nihil enim hoc eſt; ſed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem.*

Confirmatur utraque ſuperior ratio ex Auguſtino: Ad veram converſionem & fructuoſam pœnitentiam requiritur bona voluntas, ut per ſe notum eſt; ſicut enim malâ voluntate peccamus, ita bonâ voluntate convertimur, & à commutabilibus bonis ad incommutabile revertimur. At ex Auguſtino ſine amore Dei non eſt bona voluntas. *Quaſi verò,* inquit lib. de grat. Chriſti, cap. 2. *aliud ſit bona voluntas quàm charitas?* Et lib. 1. ad Bonif. c. 9. *Charitas ſola vult bonum.* Et lib. 2. cap 9. *Quid eſt enim bona cupiditas, niſi charitas?* Et Bernardus epiſtolâ laudatâ: *Charitas convertit animas, quas facit & voluntarias,* utique bonâ voluntate. Et ratio eſt, quia talis eſt voluntas, qualis & amor; ſicut talis arbor, quales fructus: porrò talis eſt amor, quale objectum quod diligitur; ideo impii dicuntur abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt: & juxta Philoſophos actus ſpeciem ab objectis ſortiuntur, & moralitas objecti in actus refunditur voluntatis. At Deus ſummum & ſolum bonum eſt, ſoluſque voluntatis humanæ finis. Ergo quæ tale bonum non amat voluntas, quomodo bona dici poteſt, quæ verum & unum bonum, quæve ſuum finem nondum diligit, ſed pœnas duntaxat amore ſui reformidat? Quomodo bona eſt, quæ ſummo bono nondum amore inhæret, quæ Deo frui non concupiſcit, quæ quantùm creaturas dilexerat peccando, tantùm nunc diligit Deum pœnitendo?

Confirmatur rurſum utraque ratio paulò ſuperiùs propoſita: ut homo peccator quocumque tandem modo juſtificetur, neceſſe eſt ut ad peccatum motu deteſtationis & ad Deum motu proſequutionis feratur, ſicque juxta verbum S. Remigii ad Clodovæum, incendat quod adoraverat, adoret quod incenderat: alioquin non erit nova cordis vita, nova in Chriſto creatura, nec fiet juxta Ezechielis cap. 18. præceptum *ſpiritus novus, & cor novum*: quod & Deuteronomii cap. 4. apertiſſimè injungitur his verbis: *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Ad Deum autem motu proſequutionis fertur, & toto corde convertitur, qui ipſum diligit; amor quippe pondus eſt voluntatis, quo fertur quòcumque fertur. Ergo ad juſtificationem etiam per Sacramentum recipiendam non ſufficit timor pœnæ, niſi adſit amor juſtitiæ, quo Deum amore proſequamur. Et ſanè ſi juxta veridicam Angelici Doctoris ſententiam à nobis in tractatu de gratia propugnatam, tenetur puer in ipſa prima rationis aurora ad Deum ſincero corde converti, ipſi ut ultimo fini ſe ſuaque ſubjicere, ab ipſoque ſumere vitæ rationalis primordia qui eſt alpha & omega, principium & finis: converti autem ad Deum, in illumque ſe & ſua omnia referre ſine amore non poteſt, quia ſola voluntas circa finem negotiatur, nec negotiatur niſi amando: à fortiori peccator dum in novitate vitæ poſt patrata flagitia ambulare vult, ad Deum tenetur amore converti, qui unum ſibi cor præberi petit. Nam ſi puer baptizatus, qui nec peccato originali inficitur, nec ullo adhuc crimine baptiſmalem innocentiam violavit, in Deum ſe amore referre aſtringitur, quantò magis qui à Deo propriâ voluntate receſſit, ab ultimo fine ſuo ſe ſubmovit & Creatorem creaturis poſtpoſuit? Puer non poteſt incipere vitam rationalem ſine motu ad Deum; quomodo ergo peccator ſine illo incipiet chriſtianam? Puer non quia peccavit, ſed ne peccet, ad Deum debet amore ferri: & homo poſt peccatum, ut peccatum proprium ſanet, non debebit ad Deum dilectione moveri? Expedire quidem ſe ab hoc argumento valent, qui S. Thomæ ſententiam non amplectuntur, negando ſuppoſitionem: at Theologus Thomiſta nunquam iſti argumento ſatisfaciet, vel veriſimilem afferet unquam probabilis diſparitatis rationem.

Confirmatur tertiò eadem ratio: Non poteſt eſſe vera cordis ad Deum converſio, niſi ſit dolor de peccato, ut eſt offenſa Dei, injuria Deo illata, & privatio amicitiæ ejus: ſi enim quis de peccato duntaxat doleat, quia nocet ſibi, non in Deum, ſed in ſe convertetur. Atqui nemo poteſt dolere de peccato, ut eſt offenſa Dei, injuria ipſi intentata, & privatio bonæ gratiæ & amicitiæ ejus, niſi magis placeat Deus, magis placeat juſtitia, gratia, ac amicitia Dei; quia ut dictum eſt, omnis dolor, omneque odium in amore fundatur: & ſicut nequit ullus dolere de aliquo, quod bonis temporalibus privet, niſi quia ei bona temporalia placent: ita de peccato, ut injuria & privatio amicitiæ Dei eſt, nemo dolere poteſt, niſi quia juſtitia Deo reddenda, & amicitia Dei voluntati placet. At voluntati Deum non amanti non placet amicitia Dei; amor enim à complacentia in objecto amato divelli ne quidem ratione poteſt. Ergo ſine caſta Dei dilectione nulla poteſt eſſe vera cordis converſio.

Probatur quartò: Dolor ad juſtificationem etiam in Sacramento habendam neceſſarius excludit omnem peccandi affectum; ex Tridentino enim ſeſſ. 14. c. 4. contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponere valet, *ſi voluntatem peccandi excludat*; dolor verò qui ſine amore Dei ad juſtificationem non diſponit, profectò ad juſtificationem ſufficere nequit. Atqui ſine caſto amore juſtitiæ, ſeu Dei juſtitiæ fontis, excludi nequit omnis peccandi voluntas. Ergo ſine amore Dei & caſto amore juſtitiæ dolor ex metu gehennæ conceptus non eſt ad gratiam in Sacramento recipiendam ſufficiens. Major propoſitio eſt evidens, & apud Adverſarios in confeſſo. Minor verò multipliciter demonſtratur. Tum quia, ut docet Auguſtinus epiſt. 144. *Tantùm*

quiſque

quiſque peccatum odit, quantum juſtitiam diligit. Inimicus ergo juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, ſi ejus amore non peccat. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, ſed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatum ipſum ſicut gehennas odit. Tunc enim verè timebit peccare. Ergo qui juſtitiam non diligit, peccatum non odit: ergo ſine amore juſtitiæ non excluditur, nec ſtirpitus evellitur omnis peccandi voluntas; & ideo *inimicus juſtitiæ* ab Auguſtino dicitur, qui uno *pœnæ timore non peccat*, non quòd timor malus ſit, ſed quia voluntatem peccati non evellit. Tum quia peccatum eſt privatio juſtitiæ, cùm ſit dictum, factum vel concupitum contra legem æternam: ergo non poteſt excludi omnis peccandi voluntas ſine caſto juſtitiæ amore; nam ut ait Auguſtinus lib. 2. contra adverſt. legis, cap. 7. *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Et ratio eſt, quia omne odium in amore fundatur; odium ergo peccati, prout eſt privatio juſtitiæ, ab uno juſtitiæ amore proficiſcitur. Hinc D. Thomas quæſt. 28. de veritate, art. 3. *In adultis*, inquit, *requiritur immutatio actus voluntatis ad juſtificationem; ſunt enim per actum voluntatis ad aliquid inordinatè converſi: quæ quidem converſio immutari non poteſt. niſi per actum contrarium voluntatis.* Ergo juxta D. Thomæ principia converſio in peccatum, quod eſt privatio juſtitiæ, *immutari non poteſt, niſi per actum contrarium*, videlicet per amorem juſtitiæ. Tum quia illud per ſe non excludit omnem peccandi voluntatem, quod poteſt annexam habere peccandi voluntatem; dolor enim qui voluntatem peccandi excludit, ut benè obſervavit P. Suarez 3 p. diſput 10. ſect. 4. is eſſe debet, cui voluntas peccandi ex ſe repugnet, alioquin voluntatem peccandi per ſe & ex propriis non excluderet, nec proinde ad juſtificandum valere poſſet. Atqui *timor ſervilis poteſt habere annexam voluntatem peccandi*, inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 59. art. 9. & ideo *non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritus ſancti, licèt ſit à Spiritu ſancto.* Ergo timor ille qui ex impulſus Spiritus ſancti, eſt bonus ille quidem, ad juſtificandum tamen nunquam & nuſquam ſine juſtitiæ amore ſufficit. Tum quia non excluditur voluntas peccandi niſi per bonam voluntatem; bonam, inquam, eo ſenſu, quod non ſolùm pœnas fugiat, ſed quod benè afficiatur erga juſtitiam. Atqui, ut ſexcentis locis docent Auguſtinus, Fulgentius, & alii gratiæ Chriſti defenſores & expoſitores, tunc ſanè bonam inſpirat gratia victrix voluntatem, quando facit ut Deus qui eſt ipſa juſtitia, magis nos delectet, quàm bona terrena quibus irretitus appetitus antea fruebatur. Sufficiant hæc præclara verba ex expoſitione Auguſtini in epiſt. ad Galat. cap. 5. verſ. 22. *Regnant ergo ſpeciales iſti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem iſta bona, ſi tantùm delectant, ut ipſa teneant animum, ne in peccati conſenſionem ruat. Quod enim ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Ut v. g. occurrit forma ſpecioſa fœmina, & movet ad delectationem fornicationis: ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima & ſincera ſpeciei caſtitatis per gratiam, quæ eſt ex fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum deſideriis ejus, ſed regnante juſtitiâ per charitatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoſcimus.* Tum demùm, quia non excluditur omnis peccandi voluntas, quandiu peccatum ſecundùm ſe & in ſe à circunſtantiis præciſum placet; tunc enim amor peccati intus latet, totuſque rea eſt voluntas, ut ſæpe dixit Auguſtinus, & nominatim epiſt. 144. *Times ardere, noli peccare; non agitur foris negotium cupiditatis, ipſa tamen cupiditas intus eſt hoſtis.* Atqui peccatum tandiu ſecundùm ſe placet, quandiu non amatur juſtitia, & Deus omnis juſtitiæ fons: nunquam enim, ut diximus, voluntas odiſſe poteſt unum contrarium, niſi ex amore contrarii ejus; ſubindeque peccator peccati amans nunquam deteſtabitur peccatum quà peccatum eſt, niſi in juſtitiam & honeſtatem in ſe & propter ſe feratur. Poterit quidem hîc & nunc illud odiſſe propter gehennam intentatam & malè agentibus imminentem, amorem tamen illius abſoluté retinebit, niſi ex amore juſtitiæ peccati turpitudinem in ſe ſpectatam abominetur. Ergo ſine Dei & juſtitiæ ejus amore non exſtirpatur omnis peccandi voluntas. Qui ſanè amor, licèt imperfectus, talis debet eſſe ut ex illo quodcumque bonum dimittere, quodcumque malum pati potiùs paratus ſit qui convertitur, quàm à juſtitia quam diligit recedat; niſi enim ita ſit comparatus, non excludet pœnitentia omnem peccandi voluntatem. Porrò amor ille non eſt dilectio juſtitiæ humanæ, ſed divinæ, quæ prima diligenda occurrit, prima per fidem monſtratur, & cui primùm à peccatore ſatisfaciendum eſt.

Probatur quintò, & magis confirmatur ratio præcedens: Quem ex mero timore gehennæ de peccato pœnitet, habet ille quidem voluntatem conſequentem, ut ita dicam, non peccandi; id eſt, peccare in illis circunſtantiis & periculis ſibi imminentibus refugit: retinet tamen voluntatem quam vocare poſſumus antecedentem peccati ſecundùm ſe ſpectati, & præciſi à circunſtantiis, quia nimirum peccatum non odit quia peccatum eſt, hoc ipſo quod non amat juſtitiam, ſed illud ut cauſam damni hîc & nunc deteſtatur. Quod ex doctrina S. Thomæ 1. 2. quæſt. 6. art. 7. omnium Theologorum & Philoſophorum Moralium calculo probatâ manifeſtè convincitur; nempe operationes ex metu factas eſſe quidem voluntarias ſimpliciter & hîc & nunc, eſſe tamen ſecundùm quid & ſecundùm ſe involuntarias. Mercator v. g. ingruente tempeſtate vult merces pretioſas hîc & nunc in mare projicere; nollet tamen eas abjicere, ſed retinere: unde timor mortis, ob quem illas projicit, mercium affectum non excludit: unde & illa mercium jactura voluntaria eſt ſimpliciter voluntate conſequente, ſed ſecundùm quid & voluntate antecedente involuntaria; unde non niſi ægro & repugnante animo eas projicit, quia earum ſecundùm ſe ſpectatarum affectum non deponit. *Qui per metum aliquid agit*, inquit S. Thomas loco citato ad 2. *manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur ſecundùm quod in ſe conſideratur, & ideo quod per metum agitur quodammodo eſt involuntarium.* ::: *Timidus agit contra id quod etiam ſecundùm ſe vult.* Unde hoc timorem inter & concupiſcentiam diſcrimen ſtatuit, quòd ille affectum non evellit, iſta totum affectum immutat. Ergo qui mero timore pœnæ à peccato recedit, affectum peccandi non excludit, ſed retinet: & tamen ad veram converſionem, ad converſionem ex toto corde ad gratiam recipiendam omninò neceſſariam, omnem prorſus excludi & extirpari voluntatem peccandi neceſſe eſt: ergo ſolus pœnarum timor ad gratiam juſtificationis recipiendam nonquam ſufficit, quóad divina dilectio, excluſo omni peccati affectu & voluntario guſtu, cor totum in Deum commutaverit. Hinc præclarè & appoſitè Auguſtinus epiſt. 144. *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Et quis coram Domino innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur! Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere*

facere quod non licet fieri; ſed ideo non facit, quia impunè non facit. Et concione 25. in Pſalm. 118. expendens illud: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*, ſic habet: *Timor iſte quo non amatur juſtitia, ſed timetur pœna, ſervilis eſt, quia carnalis eſt, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas. Cùm verò pœna creditur ſecutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat: quia non ſpiritualiter delectatur ejus bono, ſed carnaliter malum metuit quod minatur.*

Itaque timor pœnæ bonus quidem eſt, ſed ad juſtificationem etiam in Sacramento recipiendam ſufficere non poteſt; quia impoſſibile eſt quod tollatur voluntas antecedens, affectuſque peccati ſecundùm ſe, niſi in ſe diſpliceat ipſa ratio peccati & offenſæ Dei: implicat verò in adjecto, ut aiunt, diſplicere peccatum ut peccatum eſt & offenſa Dei, niſi ametur & Deus: cùm enim peccatum ſit privatio juſtitiæ, & offenſa Dei ſit veluti malum Dei, nunquam diſplicebit malitia, niſi placeat juſtitia quâ privat; nunquam diſplicebit offenſa Dei, niſi placeat bonum divinum: ſicut quia malum pœnæ eſt privatio benè eſſe, in tantum diſplicet pœna, in quantum placet benè eſſe quod evertit; & eatenus diſplicet triſte, quatenus amatur delectabile; diſplicet turpe, quia amatur honeſtum; diſplicet amarum amanti dulce. Ergo ut diſpliceat malum ut privans juſtitiâ, ut offendens & diſplicens Deo, debet profectò juſtitia, debet Deus fons omnis juſtitiæ ſincero corde amari. Ergo nondum omnis ſtirpitùs eradicatus eſt affectus peccati, quaodiu ſola pœna ſine ullo Dei amore timetur. Hinc Auguſtinus ſæpiſſimè docet, conſervare illum interius peccaodi voluntatem, ac proinde non in toto corde converti, nec de corde puro & optimo deteſtari peccatum, qui non amore juſtitiæ, ſed timore pœnæ peccatum odit. *Quicumque faciebat*, inquit lib. de ſpirit. & litt. cap. 8. *quod lex jubebat, non adjuvante ſpiritu gratia, timore pœnæ faciebat, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.* Unde ſic timentes epiſt. 120. & tract. 9. in 1. epiſt. Joan. comparat uxori, quæ timens virum abſtinet ab adulterio, ne damnetur à viro: comparat leoni & lupo non rapientibus prædam, quia latratu canum, & clamore paſtorum, & terrore circundantium revocantur à præda. Ita ſerm. 15. & 19. de verbis Apoſtoli: *Leo venit, leo redit: prædam non rapuit, malitiam non poſuit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, & ovis redit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens: lupus tamen eſt fremens & tremens.*

Ex quibus S. Doctor concludit, quod hactenus ſtabilitum eſt, timore ſcilicet pœnæ ſine amore juſtitiæ non converti voluntatem, nec ſanari cupiditatem. *Si talis eſt adhuc juſtitia tua*, inquit ſerm. illo 85. cap. 6. *juſtitia non eſt, quâ tibi conſulis ne tot quæratis. Quid magnum eſt pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro? Quis ſceleratus? Quis nefarius? Sed hoc intereſt inter timorem tuum timoremque latronis, quòd latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges hominum; tu autem leges ejus times, pœnam ejus times, quem fallere non potes: nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo & concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit.* Ex quibus patet Auguſtinum non loqui de timore merè naturali (ut occupetur tacita reſponſio) qualis eſt timor latronis, ſed de timore etiam illo quem dirigit fides, quo quis eum timet quem fide credit à ſe falli non poſſe; qui ſanè timor, ſicut & fides ipſum dirigens, ſupernaturalis eſt, à Spiritu ſancto immiſſus. Quod & apertè declarat ſerm. 29. de verbis Apoſtoli, his verbis: *Audeo dicere, ſi timore gehennæ non facis malum, eſt quidem in te fides, quia credis futurum Dei judicium: gaudeo fidei tuæ, ſed timeo malitiæ tuæ.* Ergo timor ille qui à fide ſupernaturali dirigitur, quique proinde ſupernaturalis & ipſe eſt, malitiam voluntatis ſine amore Dei nondum evacuat; ac conſequenter ad juſtificationem, niſi adſit amor Dei, ſufficere nequaquam poteſt.

Probatur ſextò, magiſque firmantur rationes ſactæ: Non poteſt eſſe vera pœnitentia ſolidaque converſio, niſi peccator in ſe reverſus verum habeat efficaxque divinorum ſervandorum præceptorum propoſitum, ut patet ex definitione contritionis, & per ſe liquet; cùm enim peccatum ſit contra legem, non excluditur voluntas peccandi niſi verâ obſervandæ divinæ legis voluntate. Nec ſufficit voluntas inefficax, quæ dicitur *velleitas*, quæ non vult, ſed vellet: quia voluntate languidâ, ſemiſauciâ, quæ ex toto non vult, & ideo non ex toto imperat, Deus nequaquam contentus eſt, qui toto ſibi corde, totâ animâ, totis viribus, totâ contritione cordis ſibi præcipit ancillari. Unde voluntatibus ſemivolentibus & ſeminolentibus refertum eſſe infernum S. Bernardus veridicè atteſtatur. Hinc ſuſpectas eſſe lacrymulas doctas mentiri, & tam multas pœnitentias inanes, falſas, larvatas, Patres inculcant: quia ut 1. p. Paſtoral. cap. 9. ait Magnus Gregorius: *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, ſitque ut aliud in intimis intentio ſupprimat, & aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat.* Atque adeo in peccatoribus legis Dei ſervandæ verum & in corde impreſſum conſilium non habentibus impletur illud Pſalmographi, Pſal. 77. *Dilexerunt eum in corde ſuo: cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Impletur & illud Propheticum Oſeæ 10. *Diviſum eſt cor eorum* (inter cœlum & terram, legem & officium motibus imperfectis appetens, reapſe tamen creaturis adhærens & infixum in limo profundi: conans, ſed fruſtra; enititur, & non datur ultra; veniens ad partum, & vires non habens pariendi:) *citò interibunt.* Quia converſio illa non liberat à morte peccati, quod ad æternam mortem citò obventuram viam ſternit ac munit. Atqui ſine amore Dei nequit eſſe efficax obſervandæ divinæ legis voluntas: talis namque voluntas propoſitum obſervandorum omnium & ſingulorum mandatorum Dei efficaciter importat, quia qui peccat in uno, factus eſt omnium reus. Ergo talis voluntas indivulſa eſt à propoſito efficaci obſervandi divinæ dilectionis mandatum, quod eſt primum & magnum mandatum, ex quo univerſa lex pendet & Prophetæ: At nequit eſſe efficax conſilium diligendi Dei ſine amore Dei; velle enim ſincerè & ex corde Deum diligere, eſt ipſum reverà amare, cùm voluntas nihil niſi amore velit. Unde Magnus Gregorius hom. 30. in Evangelia: *Qui mente integrâ*, inquit, *Deum deſiderat, profectò jam habet quem amat: neque enim quiſquam poſſet Deum diligere, ſi eum quem diligit, non haberet.* Verè ergo Deum diligit, qui Dei amandi verâ, integrâ, & ſincerâ voluntate tenetur. Et S. Auguſtinus tract. 74. in Joan. *Quomodo Dominus ait: Si diligitis me, mandata mea ſervate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: cùm hoc dicat de Spiritu ſancto, quem niſi habeamus, nec Deum diligere poſſumus, nec ejus mandata ſervare? Aut quomodo mandata ſervabimus, ut eum accipiamus, quem niſi habeamus, mandata ſervare non poſſumus?* Et paucis interpoſitis ſic quæſtioni illi ſatisfacit: *Reſtat ut intelligamus Spiritum ſanctum habere qui diligit, & habendo mereri, ut plus habendo plus diligat.* Cùm ergo quis ſincerè vult Deum diligere, jam habet Spiritum ſanctum auxiliantem, qui omnis eſt dilectionis fons: propoſitum namque diligendi, non poteſt à naturæ viribus, uti Pelagiani impiè affirmabant, proficiſci: habet, inquam, Spiritum ſanctum per auxilium ad dilectionem moventem, & in Sacramento diffusâ charitate habebit inhabitantem; & tunc anima Deo donante, & dilectione actibus creſcente & plus diliget, & Spiritus ſancti donis amplioribus abundabit.

Solvun-

Solvuntur objectiones.

Primum Adverſariorum argumentum, in quo magnopere confidunt, deſumitur ex Authoritate Concilii Tridentini ſeſſione 14. ubi ſic habetur: *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludit, cum ſpe veniæ declarat* (Sancta Synodus) *non ſolùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit.*

Hæc ſcribentem Authorem mors oppreſſit ut minimè mireris plures & graves objectiones hic tacitas, non inopiâ ſanè ſolutionis, ſed hac infelici neceſſitate.

Verùm quàm minimè nos urgeat hoc argumentum, ex his intelligi poteſt, quæ accuratè ſuperius docuimus, timorem pœnarum non excludere prorſus voluntatem peccandi, niſi quatenus aliquem initialem juſtitiæ amorem includit. Unde intelligenda eſt Concilii authoritas de timore non deſtituto omni prorſus amore Dei & juſtitiæ, ſed qui hujus amoris inchoati adjunctione adjutus voluntatem peccati radicitus exſtirpat. En aliam Concilii authoritatem, ex qua liquidò intelligitur, quàm germana ſit hæc noſtra expoſitio. *Diſponuntur*, inquit de peccatoribus ſeſſ. 6. cap. 6. *ad ipſam juſtitiam dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt. Atque illud in primis, juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore illumque TANQUAM OMNIS JUSTITIÆ FONTEM DILIGERE INCIPIUNT, AC PROPTEREA MOVENTUR ADVERSUS PECCATA, per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* Et idem dicendum de Sacramento pœnitentiæ; utrumque enim ſimilem diſpoſitionem requirit in adultis, ut eos peccatis mortuos vivificet.

Sed ut hæc ſolutio magis illuſtretur, non abs re fuerit hic attexere quid ſenſerint de partibus pœnitentiæ ipſi Tridentini Theologi, qui interfuere ſeſſioni ex qua ſuum argumentum eruunt Adverſarii, referente Cardinali Pallavicino lib. 12. hiſtor. Con-
» cil. Trident. parte 2. cap. 10. pag. mihi 315. his ver-
» bis: (Diego Lainet ch'era il primo à ragionare
» fra minori Theologi, condemnando la ſeconda
» parte del ſecondo articolo, dice: Che al Sacramen-
» to ſi richiedevan la penitenza, il timore, la dilezio-
» ne, la contrizione, l'aſſoluzione. Fù parimento an-
» nomerata per neceſſaria la dilezione da Giacomo
» Ferruſio Spagnuolo Theologo del Veſcovo di Se-
» gorbe: & con queſto il reprovo il prenominato
» articolo, adducendo che n'e ſoli terrori non è la
» dilezinne, la quale aſſolutamente fà di meſtiero,
» havendo affermato Chriſto: *Le ſi remiſteno molti*
» *peccati, perche molto amò.* E diſſe, *amò* in paſſato,
» però chè la dilezione precedente le remiſſione. Et
» l'Apoſtolo: *La triſtizia, la quale è ſecondo Dio* [cioè
» ſpiegava il Ferruſio, ſecondo Dio amato] *opera la*
» *penitenza in ſalute.* Et nel capo 2. à Romani: *La*
» *benignità di Dio vi adduce à penitenza.* Onde Sant'
» Agoſtino dice: Senza l'amor non ſi da la grazia.
» Richiedeva egli per tanto innanzi à ogni coſe un
» primo moto verſo Dio, in ſignificacion del quale
» ſi diceſſero quelle queſle parole d'ella Scritturà:
» *Convertici, Signor, à te. E, ſto alla porta, e picchio:*
» *voi ſempre faceſte reſiſtenza allo Spirito ſancto: E,*
» *Sporſi la mane, e non fù chi rimiraſſe.* Appreſſo à
» cio un' atto di fede, che però fù ſcritto: *Chi ſi acce-*
» *ſta à Dio, conviene che creda.* E, ſenze la fede è im-
» poſſibile il piacere à Dio. Quindi naſce, diſcorreva
» egli, che l'huomo deteſta i peccati, ſurge in eſpe-
» ranza, e comincia ad amare; onde Iddio infonde
» la prima grazia. Il quale amore però non e natura-
» le, mà e fatto d'alla grazia di Dio, berche l'amor ne-
» turale à cio enche adiuti. Coſi riputeva il Ferruſio.
» E Melchiore Avoſmediano, che all' ora era Theo-
» logo del Veſcovo di Baduioz, e che ritorno poi al
» Concilio di Pio come Veſcovo di Gaudix, dice che
» prima ci dogliamo per la pena, indi per Dio, e di-
» poi ci confeſſiamo. E Bernardo Colloredo Dome-
» nicano Theologo del Veſcovo di Forli, annome-
» rò per neceſſario il timore, la deteſtatione, e la fe-
» de; dalle qual naſca l'eſperanza, e da queſta le di-
» lezione. Lo ſteſſo parere diè Franceſco Contrera
» Minore Oſſervante. Et in verita, per quanto io
» ſcorgo da gli atti, l'intenzione de Theologi fù di
» condennar l'errore de gli Eretici che riprovaveno
» come cattivo il timor della pena; e non di ſenten-
» ziar la queſtione ſcholaſtica: ſe coſi fatto timore,
» non ſolo ſenze la contrizione perfetta [del che ep-
» pena fù lite, come vedeaſi] mà eziando ſenza ve-
» run eccitamento d'amore imperfecto baſti alla re-
» miſſion de peccati nel Sacramento. E cio ſi fe
» chiaro dalle prova ch'el Concilio apportar della
» ſua dottrina in queſto articolo nel capo quarto: la
» quale, ch'el pentimento de Niniviti moſſo da te-
» ma, giovo loro: eſſendo certo che à quel tempo
» non vi havendo Sacramento di penitenza, quel ti-
» moroſo pentimento non baſto per ſe el perdono;
» ma ſolo valſe ad impetrar nuova grazie, col cui
» ajuto vi ſi aggiugneſſe l'affetto della carite, de tut-
» ti confeſſato per neceſſario alla giuſtificazione a-
» vanti alla lege nuova.
» Nella congregazione de Padri pocci toverono
» queſto punto. Solo io trovo quelche cenno delle
» opinione, che nõ ſia neceſſerio l'amore nel diſcor-
» ſo dell'Arciveſcovo di Granata. Là dove Giovanni
» Emiliano Spagnuolo Viſcovo di Tuy ſoſtene l'al-
» tra eſteema ſentenze, che foſſe di meſtieri la con-
» trizione perfetta: ne per tutto ciò argoirſi ch'el Sa-
» cramento non rimetta i peccati da che li trove ri-
» meſſi per l'efficacia della preceduta contrizione;
» impero che queſta medeſime ciò faceva in virtù
» del Sacramento, il cui voto ella contiene.
» Oltro à queſto è da ſapere, che di poi nè decreti
» della dottrina s'erano meſſe tali parole: Quella
» contrizione la quale i Theologi chiamano attri-
» zione, per eſſer' ella imperfette, e ſola conceputa
» per le conſiderazione della bruttezza del pecceto,
» o per timor dell'inferno, e delle pene, il qual timor
» è chiamato ſervile; quando eſcluda la volontà di
» peccare, e eſprima qualunque dolore de commeſſi
» peccati: Statuiſce e dichiara queſto Sancto Conci-
» lio, che non ſolo non fa l'huomo ipocrita, e mag-
» giormente peccatore [come alcuni non dubitan-
» no di beſtemmiare] mà è beſtevole alla contrizio-
» ne di queſto Secramento; & e dono di Dio al im-
» pulſo veriſſimo dello Spirito ſancto, non gia an-
» cora babitante, mà ſolo movente. Col quale il pe-
» nitente ajutato [concio ſia coſa che appena poſſa
» eſſere ſenza qualche movimento d'amore verſo
» Dio] ſi fa ſtrada alla giuſtizia, è per eſſo ſi diſpone
» ad impetrar più agevolmente la grazia di Dio. Ma
» il Veſcovo prenominato averti qu'era falſo, appe-
» ne poterſi mai dare un tal dolore ſenza l'amore: E
» che intorno all'eſſer queſta attrizione baſtevolo
» alla conſtituzione del Sacramento, ſi che all'attri-
» to ſi remettanno i peccati in virtù dell'eſſoluzio-
» ne ſopravegnente, èrano varie le ſentenze de gli
» autori; e però doveva levarſi. Onde il decreto fù
» riformato come ſtà ora.] Quæ Cardinalis verba ſic latinè reddimus.

Didacus Lainius, qui primo loco inter minores Theologos ſermonem habebat, damnans poſterioris articuli partem dixit: Sacramento eſſe neceſſariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem. Dilectionem pariter tanquam neceſſariam enumeravit Jacobus Tremiſius Hiſpanus, Segobienſis Epiſcopi Theologus, & per hoc eundem articulum improbavit, cauſatus ſolis terroribus minimè contineri dilectionem, quæ abſolutè neceſſaria eſt, cùm Chriſtus pronuntiaverit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm:* &, *dilexit*, inquit, per præteritum, quia dilectio remiſſionem anteceſſit. Et Apoſtolus: *Triſtitia quæ eſt in Deum* [hoc eſt, interpretatur Perruſius, *ſecundum Deum dilectum*] *operatur pœnitentiam in ſalutem*. Et cap. 2. ad Rom. *Benignitas Dei vos adducit ad pœnitentiam.* Unde S. Auguſtinus ait, *Abſque amore gratia non datur.* Idcirco exigebat is ante omnia primùm quendam, ut vocant, motum in Deum, ad quem ſignificandum ea Scripturæ verba dicerentur: *Converte nos Domine ad te.* Et, *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret.* Poſtea verò actum fidei; unde ſcriptum erat, *Accedentem ad Deum oportet credere. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hinc oritur, aiebat ille, in homine peccatorum deteſtatio, aſſurgitque in ſpem animo, & amoris initium habetur. Inde verò primam gratiam Deus infundit. Qui tamen amor naturalis non eſt, ſed à divina gratia efficitur, tametſi naturalis amor ad id etiam conferat. Ita Perruſius.

At Melchior Avoſmedianus, tunc Pacenſis Epiſcopi Theologus, poſtea verò regreſſus ad Pii Concilium Guadicenſis Epiſcopus, dixit: Priùs nos propter pœnæ metum dolere; deinde propter Deum; poſtà verò, aiebat, peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus Forolivienſis Epiſcopi Theologus, tanquam neceſſaria numeravit timorem, deteſtationem ac fidem ex qua ſpes oritur, & ab hac dilectio. Ejuſdem ſententiæ fuit Franciſcus Contreras ex ordine Minorum Obſervantum: & reverâ, quantùm ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam quid inhoneſtum, improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent ſententiam de ſcholaſtica quæſtione. An hujuſmodi timor non ſolùm abſque contritione animi perfecta [de quo controverſia fuit, ſicuti patebit] ſed etiam abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento. Id verò clarè liquet ex ipſa probatione Concilii, quâ hujus articuli doctrinam firmat cap. 4. nimirum, Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe, cùm certum eſſet eo tempore quo Sacramentum pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidoloſam pœnitentiam minimè ſuffeciſſe per ſeipſam ad peccatum delendum, ſed vim tantummodò habuiſſe ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis effectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante novam legem ad juſtitiam recipiendam.

In Petrum conventu id pauci attigerunt, Aliquod duntaxat veſtigium reperio opinionis negantis neceſſitatem amoris, in iis quæ Granatenſis Archiepiſcopus diſputavit. At verò Joannes Æmilianus, Hiſpanus, Epiſcopus Tudenſis extremum oppoſitæ ſententiæ tenuit, hoc eſt, opus eſſe contritione perfectâ, nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum inveniret remiſſa præcedentis contritionis efficacitate; ſiquidem, aiebat, ipſa contritio id præſtat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.

Præterea oportet ſcire, poſtea decretis doctrinam complexis hæc verba fuiſſe adjecta: *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quòd imperfecta ſit, & ſolùm vel à turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui ſervilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat & dolorem qualemcunque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc Sancta Synodus & declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blaſphemare non verentur,) ſed etiam ſufficere ad Sacramenti hujus conſtitutionem, ac donum Dei eſſe & Spiritûs ſancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, cùm ſine aliquo in Deum motu vix eſſe queat, viam ſibi ad juſtitiam munit, & per eum ad Dei gratiam faciliùs impetrandam diſponitur.* Sed prænominatus Epiſcopus monuit, falsò dici hujuſmodi dolorem ſine amore vix ununquam concipi poſſe. Quod autem hæc attritio ſatis eſſet Sacramento conſtituendo, ita ut homini attrito remittantur peccata vi abſolutionis ſupervenientis, variare Authorum ſententias, adeoque id eſſe tollendum; quamobrem decretum fuit prout nunc extat, reformatum, & prout à nobis refertur.

Objiciunt ſecundò Adverſarii: Pœnitentia ita lege nova longè majorem habet efficaciam ad juſtificandum hominem, quàm Sacramenta quæ in veteri lege ordinabantur ad delenda peccata; proindeque longè minorem in ſubjecto recipiente diſpoſitionem requirit: Atqui eandem requireret, ſi non ſola attritio ex metu gehennæ concepta ſufficeret, ſed præterea exigeretur amor Dei: Ergo in nova lege ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam ſufficit ſola attritio ex metu gehennæ concepta ſine ullo prorſus amore Dei.

Reſpondeo hoc ipſo argumento, cui tantopere confidunt Adverſarii, ab eorum ſententia magis me magiſque alienari. Quis enim credat illam eſſe legis amoris ſeu Chriſtianæ prærogativam, ab amore Dei homines eximi ut juſtificentur? Sine amore non juſtificabatur Judæus, & ſine amore Dei juſtificabitur Chriſtianus? In lege timoris non ſatis erat ad habendam gratiam timor, & ſatis erit timor in lege dilectionis? Itáne illud eſt Chriſtianiſmi privilegium, pro quo Chriſtus venerit, paſſus & mortuus fuerit, Sacramenta inſtituerit, miſerit Spiritum ſanctum, ut neceſſitatem amoris à pœnitentia excluderet, faceret Chriſtianos ſolo timore juſtificandos? Quis hoc Evangelicæ legis amantium credat? Nolite, quæſo, nolite annuntiare in Geth, neque in compitis Aſcalonis: ne forrè lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum. Quàm longè ab ea ſententia diſtat Auguſtinus! tantùm enim abeſt ut privilegium novi Teſtamenti in immunitate pœnitentiæ à neceſſitate amoris, ſolo timore contentus conſtituat, ut potiùs hanc eſſe characteriſticam utriuſque Legis differentiam perpetuò aſſerat, quod nimirum timor pœnæ ad veteris Teſtamenti legem, amor verò juſtitiæ ad novi Teſtamenti gratiam pertineat. *Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur* (ait Auguſtinus lib. 3. ad Boniſacium, cap. 4. loquens de his qui ſolo timore acti legē ſervabant,) *ſed terrena cupiditas metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, proculdubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: mavult enim omninò non facere, ſi ſecundùm ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe qui præcipit, inſpicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jeruſalem, de qua dicit Apoſtolus, ſervit enim cum filiis ſuis, pertinent ad teſtamentum vetus, à monte Sina in ſervitutem generans, quod eſt Agar.* Et infrà: *Hi ad vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas ſervos; non Evangelica fides, ſpes & charitas liberos.* Hinc perpetuò docet, eos qui timore ſupplicii, quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſentiunt ſe abſtinere ab opere peccati, *ſub lege, non ſub gratia eſſe*, ut variis locis, & nominatim lib. de nat. & grat. cap. 57. videre eſt, quia nimirum nondum liberi ſunt, nec alieni à voluntate peccandi. In ipſa enim voluntate rei ſunt, qui mallent, ſi fieri poſſet, non eſſe quod timent, ut liberè facerent quod occultè deſiderant. Idem docet Angelicus Doctor

veſtigiis

veſtigiis Auguſtini fideliſſimè inſiſtens 1. 2. quæſt. 107. art. 1. ad 2. *Illi qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorē virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinſecam; & ideo lex nova, cujus principalitas conſiſtit in ipſa ſpirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris. : : : Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas ejus, qui amore juſtitiæ abſtinet à peccato; & propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.* Quin uſqueadeo amorem eſſe novæ legis differentiam, docet doctus à Domino S. Thomas, ut viros ſanctos veteris Teſtamenti, qui gratiæ & charitatis impulſu bona operabantur, ad novam legem in anteceſſum pertinuiſſe velit; Chriſtianos verò ad opera pietatis uno metu percitos, antiquæ legis vetuſtatem etiam poſt Evangelium retinere. *Fuerunt*, inquit loco citato, *aliqui in ſtatu veteris Teſtamenti habentes charitatem & gratiam Spiritus ſancti, qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales & æternas, & ſecundum hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam in novo Teſtamento ſunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo Teſtamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum.* Denique juxta Auguſtinum: *Breviſſima & aptiſſima differentia Legis & Evangelii, timor & amor.* Ita contra Donatum cap. 19. Et in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſt. ad Roman. *Evidentiſſime*, inquit, *duorum Teſtamentorum diſtincta ſunt tempora: illud enim ad timorem pertinet, novum ad charitatem.* Et lib. 1. ad Simplician. quæſt. 1. *Cùm verè ſit opus legis, charitate ſit, non timore, quia charitas eſt gratia novi Teſtamenti.* Quis autem credat diſpoſitiones ad gratiam novi Teſtamenti in Sacramentis novæ legis recipiendam, ſtatui illius legis non debere eſſe conſentaneas, & conditiones illius teſtamenti non ſapere oportere?

Dices: Ergo difficilior erit lex Chriſti, utpote ad magis ardua obligans, neceſſitati contritionis onus adjiciens confeſſionis: atque adeo immeritò jugum Chriſti dicetur ſuave, & onus leve.

Reſpondeo hoc argumentum principio & concluſione inde derivatâ peccare. Principio quidem, dum ſupponitur legem novam eſſe antiquâ laxiorem & remiſſiorem, nihilque ardui aut difficilis imperare, cui principio totum Evangelium è diametro adverſatur. Quid enim in eo inculcatius, quàm arctam & anguſtam eſſe viam quæ ducit ad vitam; ſequentibus Chriſtum proponendam eſſe crucem, ſui abnegationem, corporis mortificationem; regnum denique Chriſti vim pati, & violentos rapere illud? Quid aliud indicant ingeminata non ſumendæ vindictæ, hoſtes ex corde diligendi, bonum pro malo reddendi, ipſis malis cogitationibus reſiſtendi, aliaque patientiæ, paupertatis ſpiritûs, humilitatis, orationis, caſtitatiſque præcepta? Ad conſilia quod attinet nihil neceſſe eſt recenſere quàm ſint naturæ corruptæ repugnantia, & tamen Evangelii pars magna ſunt. Non ſuſtulit de medio Chriſtiana Religio difficilia, ſed auxit, dum intellectum in obſequium fidei myſteria rationem immensùm ſuperantia & obſcuriſſima proponentis, & voluntatem in perpetuum corporis proprii odium & mundi contemptum captivavit, atque res præſcripſit ad ſperandum arduas, ad operandum laborioſas. Præceptum ergo contritionis, quod atteſtante ſacro Tridentino fuit quovis tempore neceſſarium, non debet à pœnitentia in lege nova removeri. Hinc veri amoris divini eximiâ vi moti Sancti Patres adverſus illum malè blandientem dicendi modum tam acriter inſurrexerunt. *Tolle ſententiam*, inquit Hieronymus libro Dialogorum adverſùs Pelagianos ſecundo, *& rade de libro tuo, facilia Dei eſſe mandata.* Ex mox locum 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*, & præfatum ex Matth. 11. expoſiturus, ſubjicit: *Levia rerum eſt Evangelii dixiſſe mandata ad comparationem ſuperſtitionis Judaicæ, in qua varia ceremoniarum genera quærebantur, quæ juxta litteram, & Apoſtolus Petrus ſententiam nullus potuit explere.* Et iterum: *Vis audire facilitatem præceptorum Dei? Auſculta quod dicitur, Quàm arcta eſt via & anguſta quæ ducit ad vitam! Et pauci ſunt qui inveniunt eam. Non dixit, qui gradiuntur per eam, hoc enim difficillimum eſt; ſed qui inveniunt eam: pauci enim inveniunt, & multo pauciores ingrediuntur per eam.* Et Auguſtinus lib. de Paſtor. cap. 3. *Abſit ut dicamus vobis: Vivite ut vultis, ſecuri eſtote, Deus neminem perdit. Et ſi in ſpectaculis volueritis oblectare animos veſtros, ite, quid mali eſt? Et feſta iſta quæ celebrantur per univerſas civitates in lætitia convivantium, & publicis menſis ſeipſos, ut putant, jucundantium, re vera magis perdentium, ite, celebrate: magna eſt enim Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat. Hæc ſi dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores: & ſi ſint quidam qui nos ſentiant hæc dicentes non rectè ſapere, paucos offendimus, ſed multos conciliamus. Quod ſi fecerimus, non verba Dei, non verba Chriſti dicentes, ſed noſtra, erimus Paſtores noſmetipſos paſcentes, non oves.* Quare mirandum eſt & planè dolendum eorum ſtudium, qui legis Chriſti ſuavitatem à mollita vel ablata præceptorum difficultate petunt, cum potiùs Patres & veri deinceps Theologi eo Religionem Chriſtianam commendabiliorem & prorſus divinam affirment, quod cùm multa & ad credendum obſcura, & ad ſperandum ardua, & ad operandum difficilia proponat, per totum tamen fuerit orbem, repugnantibus carne & mundo propagata.

Sed longè graviùs concluſione peccat hæc objectio, quaſi amor Dei difficultatem legis prægravet, quo ſolo præceptorum omnium labor mollitur, & *dilatatis ſpatiis charitatis*, ut loquitur Auguſtinus, *tota dulceſcit legis amaritudo.* Præclarè idem Pater ſerm. 47. de diverſis, cap. 1. *Durum videtur quod Dominus imperavit, ut ſi quis eum vult ſequi, abneget ſemetipſum. Sed non eſt durum, nec grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. Nam & illud verum eſt, quod ei dicitur in Pſalmo: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras; & illud verum eſt quod ipſe dixit, jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Quidquid enim durum eſt in præceptis, ut ſit lene, charitas facit.* Et in Pſalm. 118. Conc. 22. expendens illud Davidicum. *Quomodo dilexi legem tuam Domine*, ſic habet: *Sæpè admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cùm mandata Dei facimus, patimur anguſtias, intelligendam eſſe charitatem: propter quod etiam in magno iſto Pſalmo, cùm ſuperiùs dixiſſet, Latum mandatum tuum valde, in hoc ſequenti verſu oſtendit, unde ſit latum, dicens: Quomodo dilexi legem tuam Domine. Dilectio igitur eſt latitudo mandati.* Non ergo in mitigando, vel minuendo, vel eliminando officiorum noſtrorum rigore Evangelii lenitas ſita eſt, ſed tota quanta eſt, ab una dilectionis dulcedine proficiſcitur.

Ab eodem dilectionis fonte Chriſtianæ legis ſuavitatem ſacrum Tridentinum Concilium hauſit ſeſſ. 6. cap. 11. *Deus*, inquit, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve.* Suavitatem autem illius Dominici jugi, & oneris levitatem ſic probat: *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervat ſermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt.* Concilii mentem aſſecutus eſt Catechiſmus Romanus ejuſdem Sanctæ Synodi juſſu editus, & B. Pii V. operâ publici juris factus. *Quin etiam*, inquit part. 3. num. 12. *legis juſſa non habere difficultatem oſtendat Parochus: quod vel unâ hac ratione ex S. Auguſtino docere poterit, cum dicit: Qui, quæſo, dicitur impoſſibile homini amare? Amare, inquam,* Creato-

Creatorem beneficum, Patrem amantiſſimum, deinde etiam & caram ſuam in fratribus ſuis. At verò qui diligit, legem implevit. Quare Ioannes Apoſtolus præcepta Dei gravia non eſſe apertè teſtatur, nihil enim juſtius, nihil cum majore dignitate, nihil majori cum fructu ab homine, teſte B. Bernardo, exigi potuiſſet. Et num. 13. *Quod ſi quis eam afferat excuſationem, impediri ſe quominus Deum amet, infirmitate naturæ: docendum eſt eum qui amorem requiſivit, amoris vim inſerere cordibus per Spiritum ſanctum: hic autem Spiritus bonus petentibus à Patre cœleſti datur, ut merito S. Auguſtinus precatus ſit: Da quod jubes, & jube quod vis. Quia igitur Dei auxilium præſto nobis eſt, maximè poſt Chriſti Domini mortem, per quam Princeps hujus mundi ejectus eſt foras; non eſt quod quiſquam rei difficultate deterreatur, nihil enim eſt amanti difficile.*

Denique tantùm abeſt, ut ex eo capite Chriſti lex difficilior & gravior cenſenda ſit, quòd amoris & contritionis neceſſitatem imponat, quin potiùs ſine amore Dei duriſſima lex Chriſti, ſine vera contritione intolerabilis eſſet pœnitentiæ & confeſſionis praxis. Unde enim vera facilitas, niſi à dilectionis ſacras infundente delicias, peccati illecebras victrice delectatione ſuperante, in eo quod amatur non laborante, aut ſi laboratur laborem amante? Ergo pœnitentes ab amore eximere, non eſt facilitatem accerſere, ſed dolorem ſuper dolorem addere, dare afflictionem afflicto, & filios adoptionis in miſeram Judæorum redigere ſervitutem. Onus quippe Confeſſionis per ſe durum durius eſt timenti, amanti verò ſuaviſſimum: quos enim verecundia & cupiditas obruit, hos devotio ſancta lætificat, ut quæ Deo non placent reſpuentes, divinorum potiùs, ſicut Eccleſia canit, repleantur delectationibus mandatorum. Omnis ergo facilitas laborantibus, omnis ſolida conſolatio mœſtis eripitur, dum præceptum contritionis de medio tollitur, & à lacrymis pœnitentis divinæ dilectionis unctio removetur. Crudelis ergo eſt illa miſericordia, vel potiùs miſericordiæ larva, quæ pondere peccatorum, ſub quo fatiſcunt, oppreſſis, unius timoris jugum ſuperimponit, & ſarcinam Chriſti, quæ non pondus, ſed pennas habet, nempe charitatem, ſpecie lenitatis excludit. *Hæc ſarcina gravis eſt, fides, ſpes, charitas?* inquit Auguſtinus ſerm. 24. de verbis Apoſtoli; *iſta enim humilem, iſta mitem reddunt. Et vide, quia oneratus non eris, ſi ipſum audieris; jugum enim meum lene eſt, ſarcina mea levis. Quid eſt, levis eſt? Quid ſi habet pondus? Sed minus: plus habet avaritia, minus juſtitia. Noli ſic intelligas. Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi. Habent enim & aves pennarum ſuarum ſarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, & portantur: portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo. Avi miſericordiam velis præbere, avi præſertim æſtate, & dicas, Miſeram iſtam aviculam onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui ſubvenire voluiſti. Porta ergo pennas pacis, alas accipe charitatis: hæc eſt ſarcina, ſic implitur lex Chriſti.* Fruſtra ergo in exonerandis à charitate hominibus laboret Probabiliſtarum dura compaſſio, dura planè; ſicut enim eſt aliquando miſericordia puniens, ita & crudelitas parcens; dura, inquam, quia pœnitentibus ſolatium vel unum eripit, quo laborioſi baptiſmi ærumnæ mitigantur; dura, inquam, quia jugum charitatis eripit, quod ut divinè Bernardus epiſt. 341. ſcripſit, *portat potiùs quàm portatur, & quo creſcit amplius, eo portabilius fit.* Et ratio horum omnium eſt perſpicua, quia præcepta Evangelica mortificationis, pœnitentiæ, dilectionis inimicorum, Confeſſionis, aliaque obſervatu facilia aut difficilia relativè ad vires eſſe meritò dicuntur; viribus enim valenti leve onus eſt, quod eſt invalido importabile. Ergo tunc durius & difficilius eſt confeſſionis aliorumque Chriſtianiſmi officiorum præceptum, cùm vires imminuuntur & franguntur; planius verò & facilius eſt, ſi vires augentur. Hæc verò Chriſtiani hominis fortitudo in amore Dei & æterni boni ſincero affectu tota ſita eſt, eoque creſcente augentur vires, decreſcente deficiunt, pereunte evaneſcunt: hæc enim eſt, ut ſuprà dicebat Auguſtinus, quæ latum facit mandatum Dei, illi innixus Apoſtolus, omnia in confortante ſe poterat, quia ſicut ſine Deo nihil poteſt humana infirmitas, ita diffusâ per Spiritum ſanctum charitate nihil non poteſt, & ut inſignis vitæ Magiſter Avila aiebat, *alter velut Deus efficitur.*

Reflexio.

Sicut exhibuiſtis membra veſtra deſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra deſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Rom. 6. Quæ verba ſic Auguſtinus epiſt. 144. interpretatur: *Quid enim eſt ſicut illud, ita & hoc? Niſi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſque peccati: ſic ad juſtè vivendum non vos ſupplicii metus urgeat, ſed ducat delectatio charitaſque juſtitiæ.* Et ſerm. 17. de verb. Apoſt. cap. 5. *Quando peccabatis, delectabamini in peccatis veſtris, timor vos adducebat ad peccandum, an ſuavitas peccati? Reſpondebitis Suavitas. Ad peccatum ſuavitas adducit, ad non peccandum timor impingit? Amate juſtitiam quantum amaſtis iniquitatem. Digna eſt juſtitia quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuiſtis iniquitati.* Sit ergo in nobis timor caſtus, quo amore deſideremus non videre cœlum & terram, ſed Deum cœli, & terræ, Deum noſtrum videre, amare Deum cordis noſtri. Videamus quid nobis in cœlo ſervetur, & cogitantes, & æſtuantes in cogitatione boni ineffabilis, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, non quæramus hoc vel illud in cœlo, ſed cum Propheta de corde bono, & caſto canamus: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Cùm Deus ſit merces mea magna nimis, aliudne quæram in cœlo vel ſuper terram? Cùm Deus ſit bonum meum, aliudne formidabo malum quàm eo carere? Cùm mihi ſervet Deus immortales divitias ſeipſum, ipſene volam à Deo in terra quod habent & impii, quod habent & mali, quod habent & facinoroſi, quod habent & viri ſcelerati & fœminæ turpes, aurum, argentum, gemmas, familias? Abſit ut pro magno deſiderem aliquid à Deo meo habere ſuper terram, cùm ſervet ſe mihi in cœlo Deus meus. *Quid enim intendere poteſt qui amor eſt,* inquit Auguſtinus ſerm. 4. de verbis Domini, *niſi amare & amari? Quod eſt amare, verè & plenè aſſequutus eſt: reſtat ergo ut impleamus quod eſt amari.*

Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, anathema ſit. 1. Cor. 16. Quomodo ergo juſtificabitur pœnitens ſi non amat, qui quandiu non amat anathema eſt? *Cor,* inquit Tertullianus lib. de anima, *eſt principale in anima, & theſaurus in corporis receſſu conſecratus, ad quem reſpicit Deus:* quia ut alibi dicit, *Creator diligendo Deus hominem ædificavit,* ut illi ſe totum homo traderet, à quo ſe totum habet: ergo qui Deum non amant, qui *cor ſuum,* ut loquitur Zacharias cap. 7. *poſuerunt ut adamantem,* quorum *cor induratur,* ut ait Job 46. *& ſtringitur quaſi malleatoris incus,* vel non habent cor, vel certè inane habent. Ergo purgemus pœnitentiâ amorem noſtrum, & aquam dilectionis antea fluentem in cloacam, convertamus in hortum; & quales impetus habebamus ad mundum, tales habeamus ad artificem mundi, & vero cordis centro amore uniamur, à quo perfectionem, immobilitatem, ſtabilitatemque hauriemus. In Chriſti dilectione modus amoris nullus ſit: ſine modo nos dilexit, ſine modo eum diligere debemus: modum dilectionis expreſſit, nos diligendo, pro nobis moriendo: nos quantum diligere eum debemus, non poſſumus: diligamus ergo Deum ex tota mente, ex toto corde, ex omni

anima,

anima, & ex omnibus viribus noſtris: hoc tantum quærit Deus, ultra non quærit.

Si teſte Bernardo tract. de diligendo Deo, *inexcuſabilis eſt etiam infidelis, ſi non diligat Dominum Deum ſuum, clamat namque intus ei innata & non ignota ratio juſtitiæ, quia ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat*: ſi, inquam, inexcuſabilis eſt etiam infidelis Deum non diligens, excuſabitur ne fidelis Deum non amans? Nam ut ait Auguſtinus ſerm. 69. de tempore: *Reliquis boni operibus interdum poteſt aliquis aliquam excuſationem prætendere; in habenda verò dilectione nullus ſe poteſt excuſare. Poteſt mihi aliquis dicere, non poſſum jejunare: nunquid poteſt dicere, non poſſum amare? Poteſt dicere, propter infirmitatem corporis mei non poſſum à carnibus & vino abſtinere: nunquid poteſt dicere, non poſſum diligere?*

Itaque qui diligitis Dominum odite malum, & peccati deteſtandi ratio ſit Dei caſta dilectio, ſeu ut Tertullianus lib. de pœnit. cap. 7 ait: *Pœniteat amaſſe quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipſi ſervulis noſtris ea quibus offendimur, non odiſſe permittimus: obſequii enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.* Tunc bonum eſt odium, ut ait Gregorius Magnus hom. 37. *quod non de malevolentia, ſed de charitate procedit.* Quamdiu non eſt amor Dei, perſeverat amor mundi: *Duo namque amores ſunt*, ut ait S. Leo alibi laudatus, *ex quibus omnes prodeunt voluntates; rationalis enim animus, qui ſine amore eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi.* Porrò ſi amor mundi habitet, non eſt, quo intret amor Dei: non poteſt homo amare quod æternum eſt, niſi deſtiterit amare quod temporale eſt: qui amat ſæculũ, amare Deum non poteſt; occupatum habet cor, nec gratiam poteſt accipere quæ offertur, ſi non vult dimittere quod tenebat. Hinc præclarè Auguſtinus lib. 50 homiliarum, hom. 37. *Eſt amor utilis, & amor noxius: amor amore impeditur: amor noxius ſecedat, & amor utilis ſuccedat. Vt non capiant, pleni ſunt; fundant, ut capiant. pleni ſunt amore voluptatum carnalium, pleni ſunt amore vitæ præſentis, pleni ſunt amore auri & argenti. Qui ergo pleni ſunt, ſic ſunt quomodo vaſa: vis ut intret mel, unde acetum nondum fudiſti? Funde quod habes, ut capias quod non habes.*

Quomodo ergo ad Deum convertitur, qui Dei de dilectione *principale præceptum* [ſic vocatur à Tertulliano lib. 1. adverſus Marcionem, cap. 4] non cuſtodit? Quomodo bona illius pœnitentis converſio eſt, qui bonam nondum voluntatem habet? Nam quomodo bona voluntas dici poteſt, quæ Deum ſummum bonum non amat, quæ Deum tanquam Deum, id eſt ſuper omnia non amat, ſine quo amore nullus quiſque benè utitur creaturis? Nam ut ait Auguſtinus lib. 4 de Civit. cap. 7. *Recta voluntas eſt bonus amor, & perverſa voluntas eſt malus amor.* Et in Enchiridio, cap 117. *Cùm quæritur utrum quiſque ſit homo bonus, non quæritur quid credat, aut quid ſperet, ſed quid amet: nam qui rectè amat, proculdubio rectè credit & ſperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ ſperat.*

Sed elicui, inquies, actum contritionis in enchiridione precum meorum conſcriptum, quique in piis paſſim libellis circumfertur: Ergo ſatis compoſitus, ſatis præſtructus, ſatis ſum ad abſolutionem recipiendam paratus. Benè eſt, de bono opere non lapidamus te, actuum illorum formulas non modò non reprehendimus, ſed laudamus: ſed ſi momento verbis illis prolatis veram te conſequi dilectionem reris, erras certè, & vehementer erras. Non ad arbitrium noſtrum illabitur vera contritio, veraque dilectio, ſtatim atque Deum ore vel mente nos diligere conteſtamur. Multi namque ſunt qui ejuſmodi actuum formulas ore proferunt, menteque revolvunt, qui germani Dei amoris ne veſtigium quidem vel umbram habent tamen. Piæ quidem ſunt ac religioſæ hæ actuum formulæ, ſed inanes ſunt ac fallaces, niſi revera in voluntate verum inſit pondus, quo reapſe in Deum mens caſta rapiatur, quo Chriſto inſervire, ei morẽ gerere, ejus voluntatibus obſequi toto corde ſtudeat; niſi divinæ gloriæ augmento moveatur, ejus gaudiis gaudeat, ejus injuriis tabeſcat, nihilque adeo vereatur, ac ne qua in re ei diſpliceat, cujus amore tenetur; niſi à rebus caducis & mortalibus abſtractus pœnitens, omnia arbitretur tanquam ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciat; niſi peccatum mortale inſtar mortis & ſupra mortem pertimeſcat, peccandique occaſiones pluſquam loca peſtifera fugiat; niſi ita comparatus ſit, ut malit bona, res, parentes, & amicos conculcare, quàm à Chriſti amabili ſervitute, & ab arctis Evangelii ſemitis diſcedere. Hæc niſi ſentias, niſi in te factis deprehendas, teipſum ludificas; ac fruſtra prolatis quibuſdam voculis, vel ſuſceptis Dei amoris cogitationibus ſterilib⁹, Dei te amoris, veræ contritionis, ſalutaris pœnitentiæ actus edidiſſe tibi gratulabere, qui nullam veræ charitatis ſcintillam poſſides. Hanc ergo à Deo continuis gemitibus dilectionem poſtula, quæ cordis glaciem ſolvat, & in ſplendidas ſacri amoris flammas commutet; à Deo, inquam, qui gratiæ ſuæ munera iis eſt pollicitus, qui in iis ardenti ſtudio flagitandis perſeveraverint: *Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulſanti*, teſtante Veritate Matth. 17. *aperietur. Promiſſa tua ſunt Domine*, inquit Auguſtinus lib. 12. Confeſſ. cap. 1. *& quis falli timeat, cùm promittit veritas?*

Specvlatio II.

Gratia per pœnitentiam reſtituitur, ac cum ea virtutes & merita priſtina reviviſcunt.

INter alios pœnitentiæ effectus, inſignis eſt reſtitutio virtutum, & reviviſcentia meritorum. Virtutes quidem reſtituuntur, quia per pœnitentiam dimittuntur peccata, non dimittuntur autem niſi per gratiam, nec gratia ſine virtutibus ex ea adinſtar proprietatum fluentibus infunditur. Idque ſignificatur Lucæ 15. ubi pius Pater filium prodigum revertentem non ſolùm oſculatur fugans crimina, expellens noxam, cunctam nequitiam propellens; non ſolùm procidit ſuper collum ejus, ut erigeret jacentem, ut amoris onere onus tolleret peccatorum; ſed etiam ne filio cicatricem, nævumve relinqueret, citò proferri ſtolam primam, & dari annulum in manu ejus præcipit: quia ut ait Chryſologus ſerm. 3. *Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat honorem.* Calceamenta etiam pedibus dari jubet, ut nihil nudum virtutibus appareat, ſed totus homo interior munitus ſit, ne rurſus offendat ad lapidem pedem ſuum, & ſcandalizatus corruat. In qua Prodigi converſione, veræ pœnitentiæ archetypo, quatuor indicantur ad veram hominis cum Deo reconciliationem perficiendam neceſſaria, quæ etiam Pſalmo 50. ordine exprimuntur. Nam primò Prodigus peccatum dolendo fatetur, & remiſſionem poſtulat criminis. *Pater peccavi*, & ibi: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Pœnitentiã verò ſequitur infuſio gratiæ & virtutum. *Proferte ſtolam primam*; & David: *Cor mundum crea in me Deus.* Gratiam juſtificantem fovet præſentiâ ſuâ & auxiliis Spiritus ſanctus: *Et date annulum in manu ejus*, qui annulus eſt pignus Spiritûs ſancti. Et David: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me; & ſpiritu principali confirma me.* Denique exiguntur fructus & opera pœnitentiæ, *& calceamenta in pedes ejus*, quibus & benè incedat, & bonorum operum exemplo alios doceat, juxta illud Apoſtoli: *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*

Quod

Quod etiam intendit David dicens; *Docebo iniquos vias tuas.*

Quinetiam contingit pœnitentem aliquando in majori gratiâ, ſubindeque intenſioribus virtutibus ornatum reſurgere, nempe cùm intenſiori pœnitentiâ percitus ad Deum revertitur; gratia enim & cæteræ virtutes, & univerſim omnes formæ quæ poſſunt recipere magis & minus, ſecundùm diverſam ſubjecti diſpoſitionem intenduntur & remittuntur. Quia ergo pœnitentes lapſibus ſuis facti humiliores, & cautiores, & ferventiores majori interdum ad Deum conatu revertuntur; ideo abundantiorem nonnunquam habitum gratiæ & virtutum conſequuntur, illumque ſtabilius cuſtodiunt, quia humiliores redeunt atque doctiores. *Diſcunt enim*, inquit Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 9. *in ipſa via justa cũ tremore ſe exultare debere, non ſibi arrogando tanquam de ſua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia ſua, Non movebimur in æternum; propter quod eis dicitur: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nequando iraſcatur Domin⁹, & pereatis de via juſta.:::Non habebat hunc timorem & tremorem, quid dicebat in abundantia ſua, non movebor in æternum: ſed quia filius erat promiſſionis, non perditionis, expertus, Deo paululum deſerente, quid eſſet ipſe: Domine, inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem; avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior tenuit viam, jam videns & confitens in voluntate ſua, Deum decori ejus præſtitiſſe virtutem.* Quia ergo pœnitens lapſibus ſuis humilior, & in vindictam de ſe ſumendam ferventior quandoque evadit, ideo ratione majoris diſpoſitionis majorem etiam conſequitur gratiam. Hinc Gregorius Magnus hom. 34. in Evangelia: *Qui erraſſe à Deo ſe conſiderant*, inquit, *damna precedentia lucris ſequentibus recompenſant. Majus ergo gaudium de eis fit in cœlo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reverſus hoſtem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit.* Quod & alia ſimilitudine in eandem ſententiam peridonea illuſtrat idem Sanctiſſimus Pontifex, inquiens: *Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas uberes fruges profert, quàm eam quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem producit.* Hanc pœnitentiæ ſuperabundantis gratiam poſtquam abundavit delictum, pœnitentium fervori correſpondentem extollit etiam os Chryſoſtomi aureum ſerm. de pœnitentia: *O pœnitentia*, inquit, *quæ vitam de interitu revocas, ſtatum reſtauras, gratiam abundantiorem refundis: quomodo ager frugifer, aut vinea fœcunda, aut arbor fructifera pingueſcit.*

Reviviſcunt etiam merita per peccatum mortificata, ut docet D. Thomas art. 5. & probatur ejus diſcurſu ampliùs expoſito & explicato. Quadruplex eſt hominis Chriſtiani operum genus; alia enim ſunt opera viva, alia mortifera, alia mortua, alia mortificata: viva ea ſunt quæ à gratia ex influxu vel imperio charitatis proficiſcuntur, juſtus enim ex fide per dilectionem operante vivit; mortifera ſunt peccata lethalia, quibus homo ſpiritalis moritur, Deo qui eſt vita animæ, gratiâ & virtutum beatiſſimâ copiâ privatus; mortua ſunt opera ex officio & objecto honeſta, ſed à principio vitæ ſpiritalis, charitate nimirum minimè enata; mortificata ſunt opera ſancta & olim viva, adveniente tamen peccato mortali vi perducendi ad vitam æternam orbata, ſicut plantæ & arbores aſperæ hyemis algore mortificatæ, ſeu compreſſæ & coërcitæ, nec fructus, nec viridantia folia edunt: vel ſicut aqua frigore nimio congelata non currit. De operibus vivis, vel mortiferis, vel mortuis nulla eſt difficultas; opera enim viva non indigent vitâ, mortifera repugnant vitæ, mortua nunquam vixerunt, quia nunquam à principio vitæ ſpiritalis proceſſerunt; unde quam nunquam habuerunt vitam recuperare non poſſunt: unde ea opera quàmlibet videantur eximia, comparat D. Thomas ſono citharæ, quæ dicitur vox mortua: quam ſimilitudinem deſumpſit ex Apoſtolo 1. Cor. 14. *Quæ ſine anima ſunt*, inquit, *vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur?* Hinc fit illa opera nihil prodeſſe, ut ait Apoſtolus cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodeſt*, nimirũ ad ſalutem, quamvis prodeſſe poſſint ad remunerationem temporalem, ut docet Magnus Gregorius hom. 40. in Evangelia, expendens illud Abrahami ad divitem epulonem: *Recepiſti bona in vita tua. Hæc ſententia*, inquit, *pavore plus indiget quàm expoſitione. Nam ſi qui eſtis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepiſtis, ipſum ut ita dicam donum exterius pertimeſcere debetis, ne vobis pro quorumdam actuum veſtrorum recompenſatione ſit datum; ne judex, qui hic dona exteriora reſtituit, à reſtitutione boni intimi vos repellat; ne honor hic vel divitiæ, non adjumentum virtutis vobis, ſed remuneratio ſint laboris. Ecce enim dum dicitur diviti: Recepiſti bona in vita tua, indicatur & iſte boni aliquid habuiſſe, ex quo in hac vita quædam etiam bona reciperet.* Proſunt etiam hæc opera ad hoc quod tolerabilior fiat ipſa damnatio, juxta illud Auguſtini lib. de patientia, cap. 26. *Non poſſumus dicere, Schiſmatico melius fuiſſet ut Chriſtum negando, nihil eorum pateretur: ſed exiſtimandum eſt, tolerabilius ei futurum judicium, quam ſi Chriſtum negando, nihil eorum pateretur.* Quare de ſolis operibus olim in charitate & ex charitate factis, & per peccatum mortificatis reſtat difficultas, & de his quod reviviſcant.

Probatur: Merita per peccatum mortificata reviviſcere, eſt ad priſtinam vitam redire: ſed merita per peccatum mortificata, ſincerâ cordis pœnitentiâ priſtinam vitam in Sacramento recipiunt: ergo reviviſcunt. Declaratur minor: Priſtina meritorum vita in hoc ſita erat, ut poſſent ad vitam æternam perducere: id verò per pœnitentiam conſequuntur; merita enim licèt actu non exiſtant, remanent tamen in acceptatione divina, & ideo quantum eſt in ſe, vim perducendi ad vitam æternam habent, niſi peccati poſito obice impediantur, quod utique impedimentum pœnitentiâ removetur: ergo ſublato per pœnitentiam peccato, efficaciam recuperant perducendi illum qui benè operatus eſt in vitam æternam, quod eſt per pœnitentiam reviviſcere. Ergo opera per peccatum mortificata reviviſcunt; & ſicut ventus auferens nubem, nobis ſolem reſtituit, ita pœnitentiæ motus, tanquam removens prohibens gratiam gratum facientem, & virtutum ornatum, & merita antiqua nobis reſtituit. Vel ſicut tota natura frigore vel aquilone coërcita & foliorum veſtitu nudata, flante verno auſtro veluti ad vitam revocata in varia ſeſe explicat folia, flores edit, fructus parit, undæ procedunt, prata reviveſcunt, & lata camporum planities nudata elegantiùs circumveſtitur: ita perflatus compunctione & amore animus per peccatum captivus ſolvitur; intellectus liberatus, Deo inſpirante quæ recta ſunt cogitat; voluntas terrenis capta & veluti paralytica fundit pietatis affectus, aſſumit pennas, volat, & nõ deficit, manua exſerit, & habilis facta evadit in operando tota ſedula, tota ſtrenua, tota actuoſa & gnava: merita denique redeunt peccatis præpedita, quia factus eſt in nobis fons aquæ ſalientis in vitam æternã, flavit auſter & fugavit aquilonem; emiſit verbum ſuum Deus, & liquefecit dura; flavit ſpiritus ejus, & fluxerunt aquæ & aromata operum illorum. *Quomodo frigus ligat aquã, ne currat*, inquit Auguſtinus in Pſalm. 125. *& nos alligati frigore peccatorum gelavimus. Auſter autem calidus ventus eſt. Quando flat auſter, liqueſcit glacies, & implentur torrentes. Gelaveram⁹ autem in captivitate, conſtringebant nos peccata noſtra: flavit auſter Spiritus ſanctus, dimiſſa ſunt nobis peccata, ſoluti ſumus à frigore iniquitatis, tanquã glacies in ſereno, ſic ſolvuntur peccata noſtra. Curram⁹ ad patriã, ſicut torrentes in auſtro.* Hanc gratiam poſtulabat Re-

gius

gius Propheta Pſalm. 125. *Converte*, inquit, *Domine captivitatem noſtram* (à peccato animas noſtras ligante & in captivitatem miſerrimam redigente ortam) *ſicut torrens in auſtro.* Poſtulabat & Sponſa Canticorum cap. 4. *Veni*, inquit, *auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius*, id eſt præcedentium virtutum & meritorum ſuaviſſimus odor & beatiſſima copia. Unde Chryſoſtomus hom. 6. in Geneſim: *Per miſericordiam Dei*, inquit, *ſi modò condemnare facta noſtra, & jam ſiſtere ignaviam voluerimus, poterimus ſtatim ad priſtinam abundantiam redire.*

Eandem meritorum mortificatorum reviviſcentiam non obſcurè indicant Scripturæ juxta traditum à Patribus ſenſum intellectæ. Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit.* Noceret autem plurimùm, ſi veterum meritorum fructum impediret. Joëlis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus & rubigo, & eruca*, id eſt præteritarum actionum mercedem, & donorum largitatem reſtituam, & faciam vos novis virtutum frugibus abundare, quia præcedentia opera perire Deus non paſſus eſt, ut exponit Hieronymus, qui mox addit: *Si poſt pœnitentiam autem Deus tantam ubertatem pollicetur, quid reſpondebit Novatus negans pœnitentiam*, & reformari poſſe peccatores in priſtinum ſtatum, ſi digna fecerint *opera pœnitentiæ?* Idem colligunt Theologi ex illis Apoſtoli verbis Galat. 3. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? Si tamen ſine cauſa.* Ubi Apoſtolus quorumdam à fide defectionem & in Judaïſmum prolapſionem exaggerat, quia tot bona opera & paſſiones pro Chriſto toleratas inania redderent, quæ propterea ſine cauſa, id eſt ſine utilitate pertuliſſent: id tamen veluti retractans ait, *Si tamen ſine cauſa*, quia effectu ſuo non ſunt illa, ſi reſipiſcant, caritura. Videatur Hieronymus in hunc locum, ubi & ait: *Quicumque ob Chriſti fidem laboraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora dicitur paſſus fuiſſe dum peccat; ſic rurſum non perdit ea, ſi ad priſtinam fidem & ad antiquum ſtudium revertatur.* Idem etiam ex illis Hebr. 6. inferunt, ubi Paulus ſic habet: *Confidimus de vobis meliora & viciniora ſaluti; non enim injuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri boni, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Quibus verbis, interpretantibus Anſelmo, Theophilacto, & D. Thoma, ad pœnitentiam lapſos Judæos hortatur, quia Deus priſtinæ eorum dilectionis gloriam, utique eſſentialem, promeritæ non obliviſcetur. Unde hæc verba expendens Sacrum Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. cap. 16. ſic fatur: *Juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuò conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo benè operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.* 12: *Nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur.* Ubi ſacra Synodus pœnitentes innocentibus æquiparat, ut ſicut iſtis rectè illud Apoſtolicum dicitur, *abundate in omni opere bono*; ita & pœnitentibus meritò dicatur, *non injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri boni.* Ergo bonis operibus in charitate factis etiam peccato interruptis gloria reſpondet, quæ proinde reviviſcere cenſenda ſunt. Hinc Auguſtinus epiſt. 54. *Deus facit etiam ſuper tales* (relapſos pœnitentes) *oriri ſolem ſuum, nec minùs tribuit quàm antè tribuebat, largiſſima munera vitæ & ſalutis.*

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Sunt aliquæ virtutes, quæ per pœnitentiam non redeunt, putà virginitas, quæ ſemel amiſſa reſturari vel recuperari nequaquam poteſt, juxta illud Hieronymi epiſtola 22. ad Euſtochium: *Audenter loquar, cùm omnia poſſit Deus, virginem ſuſcitare non poteſt poſt ruinam.* Et rationem aſſignat D. Thomas 1. p. quæſt. 25. art. 4. ad 3. Quia omnem corruptionem mentis & corporis Deus auferre poteſt à muliere corrupta, hoc tamen ab ea removeri non poterit, quod corrupta non fuerit; ſicut etiam ab aliquo peccatore auferre non poteſt quod non peccaverit, & quod charitatem non amiſerit. Similiter fides per pœnitentiam non reſtituitur, quæ peccato mortali, niſi infidelitatis fuerit, definiente Concilio Trident. ſeſſ. 6. cap. 15. & can. 28. non deperditur. Ergo non omnes virtutes pœnitentiam reſtituuntur.

Reſpondeo per pœnitentiam reſtitui formale virginitatis, quod in propoſito abſtinendi ab omni venerea delectatione ſitum eſt, quanvis materiale virginitatis, nimirum integritas corporalis, omnis voluntariæ carnalis delectationis ſenſu & experimento perceptæ impatiens, minimè reſtituatur; neque enim fieri ullâ potentiâ poteſt, ut qui delectationem illicitam voluntariè expertus eſt, eam non perſenſerit. Non recuperatur ergo flos virginitatis, nunquam marceſcens, minimè decolor: ſed recuperatur virginitatis fructus, ſervandæ nimirum propoſitum caſtimoniæ. Quoad fidem verò & ſpem attinet, in virtutum reſolutione & communi naufragio permanentes, dicendum reſtitui illas non ſecundùm entitatem quæ permanet, ſed ſecundùm perfectæ & chriſtianæ virtutis ſtatum qui periit? quia redeunte virtutum omnium formâ charitate, novo ſplendore nitens, & priſtinam perfectæ virtutis conditionem priſtinumque vigorem recuperant.

Objicies ſecundò: Per peccatum merita extinguntur, ad nihilumque redigitur totum præcedentium operum pretium, tota dignitas, tota ſatisfaciendi vis: ſed quod extinctum & deſtructum eſt, de via ordinaria non redit; à privatione enim ad habitum non datur regreſſus: ergo merita per peccatum mortificata, vel potiùs ad ſtatum mortis redacta, per pœnitentiam de via ordinaria & juxta conſuetum divinæ providentiæ agendi modum non reviviſcunt.

Reſpondeo, mortua quidem de via ordinaria non reſurgere, imò nec peccata virtute ſupernaturali redire, quia Deus peccati cauſa eſſe nequit: ſed mortificata aliquo impedimento coërcita iterum redire & veluti pullulare poſſunt. Per peccatum autem merita non omnino ad nihilum rediguntur, ſed manent in acceptatione divina; quod verò non perducant in vitam æternam, ſuumq; proinde non ſortiantur effectum, ex obice peccati oritur, quo ſublato antiquam efficacitatem recuperant. Maximè quia ut merita illa penitus morerentur, neceſſe eſſet ut omne ſpiritalis vitæ principium, à quo profecta ſunt, ad nihilum redigeretur, quod tamen non contingit. Etſi enim proximum earum principium, gratia nempe & charitas, peccato ad nihilum redactum ſit, primitiva tamen bonorum merito-

rum origo, nimirum Chriſtus Dominus, qui tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in opera pietatis influxit, vivit in æternum.

Inſtabis: Peccata & demerita per gratiam dimiſſa, novâ iteratorum flagitiorum prolapſione non redeunt, quia nimirum per gratiam priora peccata verè remiſſa, penitùſque deleta ſunt: ergo ſimiliter merita per peccatum mortificata, per gratiam pœnitentiæ non reviviſcunt, cùm non minùs merita peccatum, quàm demerita gratia deſtruat; nec minùs in deſtruendo efficax ſit malitia peccati infinita, quàm in ædificando finita pœnitentiæ virtus; nec minùs jus ad æternam gloriam aboleat peccatum, quàm gratia pœnæ ſempiternæ reatum.

Reſpondeo certum eſſe, peccata ſemel per gratiam dimiſſa ſequenti peccato non redire, quanvis Hugo Victorinus, & Guillelmus Pariſienſis id oppoſuerint. Cùm enim teſte Apoſtolo Rom. 11. *ſine pœnitentia ſint dona Dei*, peccata dono Dei dimiſſa per pœnitentiam nequaquam redeunt. Unde D. Proſper ad 2. Gallorum objectionem: *Qui recedit à Chriſto*, inquit, *& alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem vadit? Sed non in id quod remiſſum eſt recedit, nec pro originali peccato damnabitur.* Et Gelaſius Papa, cap. *Finali*, de pœn. diſt. 4. *Divina*, inquit, *clementia dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.* Et rationem affert S. Thomas quæſt. 88. art. 2. Quia peccata præterita per ſubſequens peccatum non revertuntur, neq; quoad converſionem, quis prius peccatum potuit eſſe infidelitas, poſterius vero avaritia, quà non ſit infidelis, cùm fides permaneat; præcedens etiam peccatum potuit eſſe avaritia, & ſubſequens prodigalitas; impoſſibile verò eſt contrarium eſſe cauſam ſui contrarii, cùm potiùs ipſum pro virili expellat & deſtruere moliatur; neque quoad averſionem, quæ ex converſione tanquam ex materia vel occaſione cauſatur, quia opus Dei per opus hominis irritari non poteſt: priorum autem peccatorum remiſſio fuit opus Divinæ miſericordiæ; unde per ſubſequens hominis peccatum irritari nequaquam poteſt, ſecundùm illud Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* Nec defectu conditionis à Deo conditæ, quaſi Deus eâ tantùm lege remiſerit peccata, ut ea iterum admittantur, adeo ut licèt ſecundùm præſentem juſtitiam peccata condonata ſint, ſecundùm præſcientiam Dei tamen prævidentis futurum relapſum nō ſinet abſolutè remiſſa, proindèque deſinente per peccatum gratiâ, redeat culpa, redeat & reatus æternæ pœnæ. Non, inquam, hoc etiam modo peccata ſemel deleta redeunt, quia causâ abſolutè poſitâ, effectus abſolutè ſequitur: per pœnitentiam verò & Eccleſiæ Sacramenta gratia abſolutè infunditur: ergo & abſolutè ac ſimpliciter peccata condonantur; res enim ſemel deſtructa ſemper manet deſtructa, niſi de novo producatur: & eodem modo Deus ſolvit in cœlo, quo Sacerdotes in terra, qui abſolutè abſolvunt, Unde in Tridentino ſeſſ. 6. can. 17. & 23. ſic definitur: *Si quis juſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpotè divinâ poteſtate prædeſtinatos ad malum; atque adeo eum qui labitur & peccat, nunquam fuiſſe verè juſtificatum, anathema ſit.* Peccatum ergo in juſtificatione virtute paſſionis Chriſti per pœnitentiam applicatæ ſemel dimiſſum non redit, quia non vindicat Deus bis in idipſum, ut habetur Nahum 1. juxta lectionem Septuaginta.

Obſervat tamen S. Doctor, peccata ſemel abolita per ſubſequens quadantenus redire, ratione ingratitudinis peccatoris ſequenti peccato clementiam Dei & præteritæ remiſſionis gratiam contemnentis; & ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizantis ſibi iram in die iræ. Et ſecundùm hoc intelligitur illud Jacobi 2. *Qui offendit in uno factus eſt omnium reus.* Quia nimirum quiſquis poſt acceptam remiſſionem peccatorum ad vomitum recidierit, tantò graviùs punitur, quantò magis benignitate Dei abuſus, veterum culparum acceptæ remiſſionis ingratus exiſtit. Unde Ezechiel. 18. Dominus comminatur: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur.* Quia ut exponit Hieronymus, ſicut juſtum antea prævaricatorem non prægravant antiqua delicta; ſic peccatorē qui priùs juſtus fuerat, non juvant veteres juſtitiæ. Hinc in Evangelio à ſervo nequam debitum Dominus repetit, qui conſervo ſuo debitum noluit dimittere, unde & tortoribus traditus eſt, quoaduſque redderet ultimum debitum, ut patet Matth. 18. Non quòd aliquando debitum in inferno perſoluturus ſit, ubi nullum eſt corrigendi ſpatium, nullus exeundi aditus, nulla demùm redemptio; ſed quia pro peccatis non remiſſis, & pro ingratitudine illa per modum conditionis generalis concomitante, vel per modum ſpecialis peccati aggravante, cùm in Dei & beneficii accepti contemptum peccata committuntur, ſine ulla remiſſione ab impiis tortoribus immiſericorditer per totam æternitatem ſolvet & nunquam perſolvet, ſed ſemper pœnam luet, dicente Chryſoſtomo hom. 62. in Matth. *Ad perpetuitatem ſupplicii eum tradidit, nunquam enim perſoluturus eſt.* Punientur ergo & propter peccata ſequentia, & proportionaliter pro modo ingratitudinis & gravitate ac intenſione contemptûs, qui eo cenſetur major, quo magis gratia floccifit, & quo peccata priùs dimiſſa plura & atrociora fuerunt: ut enim dicitur Deuter. 25. *Pro menſura peccati erit & plagarum numerus.* Hoc ſenſu dixit Auguſtinus ſerm. 15. de verbis Domini: *Si non dimiſeris, revocabo, & quidquid dimiſeram replicabo tibi.*

Ex his ergo reſponderi poteſt ad argumentum, magnum eſſe diſcrimen merita inter & demerita: quia merita per peccatum mortificata manent in acceptatione divina, & quadantenus in Chriſto, ex cujus influxu prodierunt. At verò peccata & demerita per gratiam & miſericordiam Dei irrevocabiliter remiſſa nullibi manent, unde nec phyſicè, nec moraliter revertuntur, nec poteſt homo opus divinæ miſericordiæ remittentis peccata irritare & annullare, quanvis quominus ſibi illa remiſſio proſit, novis peccatis impedire poſſit. Et quanvis Deus veterum juſtitiarum non recordetur, ſicut non recordatur veterum peccatorum, cum gratiam pœnitentibus largitur, ut patet Ezechielis 18. quatenus merita peccato impedita nihil ad ſalutem proſunt; ſicut demerita verè dimiſſa non obſunt; illud tamen differentiæ inter utraque intercedit, quod merita impedita in Deo tamen ea acceptante manent, demerita verò dimiſſa in Deo indignante manere non poſſunt hoc ipſo, quod depoſitâ omni indignatione ea ſincerè delevit. Maximè quia caput noſtrum Chriſtus Jeſus, qui in opera pietatis à membris ſuis elicita influxit, quodam pacto jus habet ut merita illa remoto per pœnitentiam obice munerentur.

Urgebis: Si ille cui per pœnitentiam peccatum mortale remiſſum eſt, incidens in novum peccatum mortem obeat antequam pœnam temporalem veteribus flagitiis debitam luerit, in æternum non ſolùm pro peccatis in quibus decedit, ſed etiā pro antiquis quæ nō expiavit plectetur: ergo reat⁹ præcedentiū peccatorū novo peccato redit, ſicut priſtina me-

tita

rita per pœnitentiam revertuntur.

Reſpondeo nullam eſſe illationem, quia dato quod antiqua peccata debitâ in hoc mundo ſatisfactione nun expiata æternùm puniantur, non ideo eſt, quia eorum macula vel reatus redierit, ſed quia peccator pro illis dum potuit ſatisfacere noluit, ſed potiùs in illum ſe ſtatum præcipitem egit, in quo pœna temporalis per accidens evadit æterna; quia nulla ibi redemptio, nullum levamen, nullum ſolatium adeſt; ſicut etiam propter eandem rationem peccata venialia ibi æternâ pœnâ mulctari propter obfirmatam peccatoris malitiam ſuperiùs diximus. Nulla ergo eſt conſequentia facta. Sed nec etiam antecedens verum eſt: probabilius enim eſt quod docet S. Thomas in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. ad 5. *Quod pœna cujus aliquis eſt debitor poſt culpam remiſſam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc ſequitur, quod in inferno ſit redemptio, quia pœna quæ ſolvitur non redimitur: nec eſt inconveniens, quod quantùm ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur uſque ad diem judicii, ſicut etiam augetur.*

Objicies tertiò: Si merita per peccatum mortificata reviviſcerent, & vim eandem perducendi ad vitam æternam recuperarent, qui centum gradus meriti olim habuit, reſurgens cum uno vel altero pœnitentiæ gradu, tot gradus gloriæ obtineret, totque gradus gratiæ recuperaret, quot olim habebat; quibus inſuper adderentur novi gradus præſenti diſpoſitioni & pœnitentiæ correſpondentes: nam merita reviviſcere eſt ad priſtinam vitam redire; priſtina autem vita centum gratiæ gradibus, quibus totidem gradus gloriæ debentur, conſtabat; unde ſi merita reviviſcant, totam gratiam antiquam recuperat, tot deinde gradus gloriæ conſequuturus. Atqui conſequens tam eſt alienum à doctrina D. Thomæ quàm quod maximè, cùm articulo ſecundo quæſt. 89. ex profeſſo probet reſurgentem à peccato modò æqualem modò majorem, modò minorem antiquâ recipere gratiam pro ratione diſpoſitionis præſentis. Ergo merita per peccatum mortificata non reviviſcunt.

Reſpondeo huic argumento ſolvendo multa adhibere Theologos modernos, præſertim Thomiſtas, qui à manifeſtiſſima ſancti Thomæ ſententia & avita Scholæ noſtræ doctrina rece lere volentes, nec exertè audentes, in tot figmenta prolapſi ſunt, ut quam doctrinam Thomiſticam de reviviſcentia meritorum ſuis interpretamentis mollire ſategerunt, ridendam potiùs communibus Angelici Doctoris adverſariis effecerint. Ut ergo firmum fundamentum ſtet, atque inconcuſſam S. Thomæ doctrinam ſine ullo prorſus errore ſcriptam, quam qui impugnaverit ſemper fuerit de veritate ſuſpectus, ut toties decantata Pontificum oracula nos docuerunt, ab intertitis S. Thomæ diſcipulis Capreolo, Ferrarienſi, Cajetano, Paludano, Bannez, omnibus denique ad unum antiquis, quos etiam eximius Doctor Sylvius ſequutus eſt, propugnatam, non tremuli, ſed intrepidi defendamus.

Declaratur in qua proportione merita mortificata per pœnitentiam reviviſcant.

Dicendum igitur omninò eſt, merita quidem per pœnitentiam reviviſcere, ſed duntaxat juxta quantitatem diſpoſitionis in qua peccator reſurgit; unde qui ante peccatum centum ſibi gratiæ gradus & jus ad totidem gradus gloriæ comparatat, ſi reſurgat cũ pœnitentia à charitate duobus v. g. gradibus duntaxat intenſa profecta, non niſi duos habitualis gratiæ gradus, juſque ad duos gloriæ gradus obtinebit, ita ut gratia & gloria in ſe & abſolutè ſumptæ meritis præcedentibus reſpondeant, ſed gradus gratiæ, graduſque gloriæ uni præſenti diſpoſitioni in qua reſurgit, in quave deceſſurus eſt commenſurentur.

Vel nihil unquam perſpicuè & diſtinctè docuit S. Thomas, vel ſententiam hanc noſtram, aut potiùs ſuam tradidit Doctor Sanctiſſimus. Etenim articulo 2. hujus quæſt. 89. ſic luculenter ſcripſit: *Motus liberi arbitrii, qui eſt in juſtificatione impii, eſt ultima diſpoſitio ad gratiam: unde in eodem inſtanti eſt gratia infuſio cum prædicto motu liberi arbitrii, in quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ. Manifeſtum eſt autem quod formæ, quæ poſſunt recipere magis & minus, intenduntur & remittuntur ſecundùm diverſam diſpoſitionem ſubjecti, ut in ſecunda parte habitum eſt. Et inde eſt, quòd ſecundùm quod motus liberi arbitrii in pœnitentia eſt intenſior vel remiſſior, ſecundùm hoc pœnitens conſequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intenſionem motus pœnitentis quandoque proportionatam eſſe majori gratiæ, quàm fuerat illa à qua ceciderat per peccatum; quandoque verò minori. Et ideo pœnitens quandoque reſurgit in majori gratia quàm priùs habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori, eadem eſt ratio de virtutibus, quæ gratiam conſequuntur.* Ergo manifeſtum ex D. Thoma eſt, non ſemper intenſionẽ gratiæ in juſtificatione infuſæ intenſioni meritorum antiquorum, ſed uni præſentis diſpoſitionis quantitati reſpondere. Idem confirmat ad ſecundum. *Dicendum,* inquit, *quod pœnitentia quantùm eſt de ſe, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem ſtatum. ſed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remiſſiùs movetur in Deum & in deteſtationem peccati.* Nihil planius, nihil luculentius his teſtimoniis.

Idem docet S. Doctor de gradibus gloriæ, reſpondere nimirum eos non toti præcedentium operũ & meritorũ quantitati, ſed uni intenſioni gratiæ, in qua pœnitens reſurgit. Sic enim habet in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. ad 4. *Homo per priora merita mortificata merebatur ſibi tantam gloriam, quantam charitatem habebat; ſed ipſe per peccatum factus eſt alter, & non plenariè ad priſtinum gradum reſtitutus; ideo non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, niſi quantùm ad præmium accidentale.* Et in 3. diſt. 18. quæſt 1. art. 2. ad 4. docet non poſſe charitatem moraliter in ratione meriti augeri, ſubindeque non illi plures gloriæ gradus reſpondere, niſi eadem charitas phyſicè actibus ferventioribus augeatur; quia charitas phyſicè ſumpta eſt principium meriti. Verba Angelici Præceptoris ſunt hæc: *Non eſt neceſſe quod omnis qui meretur, proficiat quantùm ad rationem merendi; hoc enim accidit ex eo quod radix meriti non eſt in ſuo termino; ſed oportet quod omnis qui meretur, proficiat quantùm ad mercedem; ut ſcilicet eam faciat ſibi debitam vel ſimpliciter; vel quantùm ad aliquem modum, qui priùs non debebatur.* Quod repetit articulo quinto, ubi docet meritum contingere tripliciter: *Primò quando aliquis præmium de non debito facit ſibi debitum. Secundo quando facit magis debitum quod erat minùs debitum; quod contingit in eo; in quo charitas augetur. Tertiò quando facit ſibi debitum uno modo, quod debebatur anteà alio modo.* Quibus verbis S. Thomas fundamentum adverſariorum evertit in hoc ſitum, non poſſe præmium duobus meritis reſpondere; & tamen D. Thomas apertè docet, tunc verè cõtingere meritũ quando quis facit ſibi debitũ uno modo, quod debebatur antea alio modo; idque ibidẽ illuſtrat exemplis, tum pueri primo charitatis actu facientis ſibi debitam vitam æternam, quæ ſibi prius titulo hæreditatis debebatur: tum Chriſti Domini, qui gloriam corporis titulo ſibi connaturalitatis

tis aſſertam merito etiam paſſionis comparavit. Et in 4. diſt. 49 quæſt. 1. art. 4. necnon 1. p. quæſt. 12. art. 6. & quæſt. 95. art. 4. & in cap 8. ad Roman. lect. 5. & in cap. 3. prioris ad Corinth. lect. 2. docet gloriam patriæ dari ſecundùm quantitatem charitatis viæ: *Charitas viæ*, inquit, *diſponit manſionei per modum meriti*. Nec poteſt dici S. Doctorem banc ſententiam olim in commentariis io libros Sententiarum evidentes traditam, in Summa Theologica sevocaſſe. Non, inqoam, id poteſt dici; tum quia in materia de charitate clariſſimè docet, actum quemlibet charitatis gloriam & gloriæ augmentum promereri quidem, illud tamen augmentum non conſequi actum semiſſum, ſed tantùm actum intenſum in ſtatu viæ eliciendum, ut libro 7. diſſert. 4 cap. 2 ſpeculat. 2. & 3. latè, nec minùs evidenter demonſtravimus; unde omnioo conſequens eſt, meritorum numero non reſpondere gradus gloriæ, ſed uni duntaxat præſentis diſpoſitionis fervori. Tum quia 3 parte, quæſt. 89. art. 5. ubi ex profeſſo de sevivifcentia meritorum diſputat, ſic fatur ad 3. *Dicendum quod ille qui per pœnitentiam reſurgit in minori charitate, conſequitur quidem præmium eſſentiale ſecundùm quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus quæ in ſecunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Ex quibus verbis, tametſi per ſe planiſſimis, ſic formatur argomentum: Si gradus gratiæ & gloriæ redirent juxta toram præcedentium meritorum quantitatem, ut volunt aliqui cum Nominalibus; vel ſi aliquot gradus gratiæ vel gloriæ juxta proportionem præſentis diſpoſitionis, diſpoſitionem tamen præſentem eatenus excedentes, quatenus ex gratia reſtituta & de novo infuſa major coaleſcit habitus, quàm ſit intenſa pœnitentia; ſi, inquam, hoc ſenſu aliquot priſtinæ gratiæ gradus pœnitens phyſicè recuperatet, ut Joannes à S. Thoma exiſtimat; vel moraliter in eſſe gratiæ, ut credunt Nunno, & alii recentiores Thomiſtæ, quos ſequitur Baptiſta Gonet, ita ut poſt hanc vitam gradus gloriæ excederent iotenſionem charitatis, in qua pœnitens moritur, planè ſequeretur, præmium eſſentiale excedere quaotitatem charitatis in qua pœnitens iovenitur, ſequeretur etiam pœnitentem non habiturum duntaxat præmium accideotale intuitu operum in prima charitate factorum. Atqui id totum eſt contra luculentam D. Thomæ mentem aſſerentis, reſurgentem per pœnitentiam, in minori charitate conſequuturum præmium eſſentiale *ſecundùm quantitatem charitatis, in qua invenitur*; & operibus in prima charitate factis reſpondere tantùm *gaudium majus*, *quod pertinet ad præmium accidentale*. Ergo dicere merita revivifcere ad omnes gratiæ & gloriæ gradus, vel ad aliquot gratiam præſentem excedentes, et tamen per modum diſpoſitionis phyſicæ vel moralis reſpondentes, eſt manifeſtè S. Thomæ contradicere.

Ratio fundamentalis tradita eſt variis in locis à S. Doctore, & à nobis loco memorato de charitate operosè propugnata, ſicq; breviter ioſtauratur: Gratia habitualis nunquam à Deo in animam adultorũ infunditur, niſi juxta voluntatis cum auxilio Dei ſeſe diſponentis conatum: juſtitiam *recipientes*, ut ait Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. *unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & operationem.* Quod tam io prima gratiæ infuſione, quàm in ejoſdem gratiæ augmento verum eſſe doces D. Thomas 2. 2. quæſt. 24. art. 6 ubi ait, *quod non quolibet actu charitas augetur*, ſed tunc ſolùm quando habilitate, quæ iteratis actibus etiam remiſſiſſimis diſponitur, creſcente, *homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum.* Cujus rationem ulteriorem aſſignat idem Doctor Sanctiſſimus in 2. diſt. 27. quæſt. 1. art. 5. quia licèt quilibet actus charitatis habeat rationem meriti, non tamen rationem cauſæ augmenti, niſi à toto habitûs conatu proficiſcatur: *Unde non oportet*, inquit, *quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur, quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu conſequatur augmentum habitûs, ſed ſolum in illo actu, quo quis utitur prædictâ gratiâ ſecundùm proportionem ſuarum virium, ut in nullo gratia Dei deſit per negligentiam.* Atqui pœnitens qui ante peccatum gratiâ ut viginti ornatus erat, reſurgit tamen cum actu pœnitentiæ intenſo ut duo, non eſt diſpoſitos niſi ad duos gratiæ, duoſque ſubinde gloriæ gradus. Ergo per pœnitentiam gratia juſque ad gloriam nec ſecundùm toram præcedentis gratiæ latitudinem, nec ſecundùm aliquos gradus gratiæ præſentem diſpoſitionem excedentes recuperantur. Maximè quia ut fatetur P. Gonet diſp. 6. art. 2. §. 2. eodem modo loquendum eſt de meritis mortificatis & per contritionem revivifcentibus, quo de actibus remiſſis charitatis, augmentum habitûs promerentibus, cùm ſit par utriuſque ratio; nam ſicut operibus mortificatis ſuum debetur meritum, ita & proprium aſſeritur actibus remiſſis. Atqui gratia & charitas habitualis actibus habitu remiſſioribus ſtatim non augetur, ſed tunc ſolùm quando homo prorumpit in actum ferventiorem. Ergo ſimiliter quando homo reſurgit à peccato per actum pœnitentiæ remiſſum, non ſtatim quam habebat ante peccatum gratiæ toram latitudinem recuperat, ſed tum ſolùm cum charitatem amiſſam actu fervido adæquabit: ſed tot duntaxat gratiæ gradus acquirit, quot gradibus intenſa eſt pœnitentia in qua reſurgit. Unde Ambroſius lib. 1. de Caïn & Abel: *Egreſſus malitiæ*, inquit, *virtutibus operatur ingreſſum: eodẽq; ſtudio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.*

Confirmatur id ipſum variis ſignis & indiciis: tũ quia ſi præcedens gratia vel ex toto, vel ex parte redderetus, illique adjiceretur præterea ea gratiæ quaotitas, quæ præſenti diſpoſitioni reſpondet, pœnitenses magis ſancti, magiſque ad divina quam prius fuerant, affecti reſurgerent; cùm ſanctitas, & in divina pronitas à gratia proficiſcantur, ac proinde creſcente pietatis cauſâ, nova etiam ſacrarum affectionum incrementa pœnitẽtes experirentur. At quis neſcit pœnitentium hominum vaxiis præſertim flagitiis fractorum virtutem tenellam & mollem ſæpe concuti, & infirmam cæſpitare nedum, ſed & declivitate ſua corruere? Quod tamen non contingit cùm pœniteos Spiritus ſancti fervore concepto, dum per indulti temporis ſpatium licet, magno animi æſtu ad Deum revertitur, conflans in lacrymis duritiam cordis, & poſt fugam humilior factus ac cautior, hoſtes fortiùs premit, & poſt peccatorum ſpinas fruges uberiores è terra cordis educit. Tum qoia pœnitens non eſt melioris conditionis quàm innocens, oiſi conditionem ſuam majori fervore effecerit meliorem; cæteris enim paribus ſtantibus, dignior eſt & æſtimabilior continuus vitæ innocentis famulatus & fidelitas perennis, quàm interruptum inconſtantis ſervi, labentis & reſurgentis obſequium. Et quanvis in Evangelio Luc. 15. affirmetur, quod gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigeot pœniteotiâ; & ibidem filio prodigo in ſe reverſo & ad patrem clamanti, eæ lætitiæ ſignificationes exhibeaotur, quas in gratiam filii ſenioris, qui patri tot annis ſervierat, & mandatum ejus non præterierat, nunquam pater oſten-

Digitized by Google

oſtenderat: id tamen non convincit pœnitentiam eſſe abſolutè innocentiâ meliorem, alioquin quod melius eſt, Chriſto & Deiparæ defuiſſet; ſed gaudii affluentem copiam in reditu peccatoris minimè expectato Beati magis experiuntur, quod humano more dictum putandum eſt, quo recentia & inſperata magis delectare aſſolent quàm vetera vel poſſeſſa: ſicut paſtor recuperatâ ove perdita ſenſibiliùs quàm de toto ſervato grege gaudet; & mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit unam, cùm invenerit, convocat amicas, & vicinas dicens: Congratulamini mihi quia inveni drachmam quam perdideram. Quamvis ergo pœnitentia ſit donum innocentia ſecundùm quid majus, quatenus indigno, ſubindeque magis gratis tribuitur; innocentia tamen eſt bonum abſolutè præſtantius, utpote immobilius, firmius, & nullâ inſtabilitate obſcuratum. Igitur pœnitens non eſt innocente melioris conditionis, niſi, ut dixi, actuum fervidorum contentio, ne ſuam efficiat conditionem meliorem. Atqui innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, niſi juxta actuum & diſpoſitionum præſentium proportionem; ergo peccatori pœnitenti juxta unum pœnitentiæ conatum habitualis gratia tribuitur. Tum quia gratiæ habitualis quantitas pœnitentiæ infuſæ quantitati reſpondet; cùm enim pœnitentia infuſa ſit gratiæ paſſio, eadem eſſe debet eſſentiæ, & proprietatis quantitas & menſura: ſed pœnitentia habitualis infuſa uni pœnitentis dolori reſpondet, cùm ſecùndum plures ex adverſariis pœnitentia actualis ab infuſa in genere cauſæ efficientis proficiſcatur, licèt in genere cauſæ diſpoſitivæ antecedat: & ſecundùm omnes gratia & virtutes in juſtificatione infuſæ, gratiæ actualis & moventis intenſioni correſpondeant: ergo quantitas gratiæ reſtitutæ & reviviſcentis, ſubindeq; gloriæ futuræ intenſio, præſentis diſpoſitionis & contritionis quantitatem non excedit.

Reſpondent Adverſarii, omnes illas argumentorum copias, duce D. Thoma in aciem productas, valere ſolùm adversùs Nominales & eorum ſequaces Suarem & alios recentiores exiſtimantes beneficio pœnitentiæ ita merita reviviſcere, ut præter gratiam & gloriam diſpoſitioni reſurgentis reſpondentem, dentur inſuper tot gradus gratiæ, totque reſtituendi ſint poſt mortem gradus gloriæ, quot habebat vel habiturus eſſet pœnitens, ſi antiqua merita minimè mortificata fuiſſent. Verùm adversùs eos nihil efficiunt noſtra rationum & authoritatum momenta, qui dicunt gradus gratiæ, ſubindeque gloriæ, juxta præſentem pœnitentis diſpoſitionem reſtaurari: quia, inquit Joannes à S. Thoma, contritio quâ aliquis lapſus convertitur, eſt diſpoſitio ad duplicem gratiam, ad illam nimirum quæ de novo in vi præſentis intenſionis confertur, & ad alteram tantum ex antiqua. V. g qui ante lapſum centum meritorum gradus aſciverat, ſi cum pœnitentia octo gradibus conſtante revertatur, ſexdecim gratiæ gradus conſequitur, octo quidem propter præſentis diſpoſitionis efficatiam, & alia octo propter merita antiqua, ad quus per accidens, remotione nimirum impedimenti præſens contritio diſponit. Multò minùs urgent noſtra argumenta in ſententia Nunnii & Goneti, aſſerentium reviviſcentiam meritorum in eo eſſe ſitam, ut tot gradus gratiæ in eſſe gratiæ, & tot conſequenter gradus gloriæ pœnitens aſſequatur, quot gradibus præſens contritio intenſa eſt. Per gratiam autem *in eſſe gratiæ* intelligunt moralem ejus æſtimationem, quia gratia deperdita in eſſe qualitatis recuperari non poteſt, donec voluntas in actum ferventiorem prorumpat; & quia actum illum ferventiorem in hac vita nemo elicit, quia quàmlibet ſit fervens actus, ſua ſemper illi gratia reſpondet, ac proinde carebit homo ſemper diſpoſitione neceſſaria quâ ſe præparet ad augmentum gratiæ in eſſe phyſico meritis reviviſcentibus, aut etiam remiſſis debitum, quouſque inſtanti ſeparationis animæ, vel in primo glorificationis momento, ut cùm quis Martyr vel perfectè purgatus occumbit, eliciatur actus intenſior, qui non erit meritorius, cùm ſit extra ſtatum viæ, ſed duntaxat diſpoſitivus ad augmentum gratiæ phyſicè producendum.

Verùm utraque reſponſio & à D. Thoma, & à veritate remotiſſima eſt. Prior quidem, quia juxta D. Thomæ doctrinam à Sacro Concilio Tridentino conſecratam, gratiæ habitualis infuſæ quantitas uni pœnitentis diſpoſitioni, diſpoſitioniſque intenſioni reſpondet & adæquatur; ex quo infert S. Thomas, tunc ſolùm ampliorem gratiam infundi, cùm voluntas in actum ferventiorem prorumpet. Ergo actui intenſo ut quatuor non reſpondent octo gradus gratiæ, quatuor ratione diſpoſitionis præſentis, & alii quatuor intuitu gratiæ antiquæ; quia non gratiæ antiquæ commenſuratur gratia reſtituta, alioquin tota reſtitueretur, ſed uni pœnitentis fervori: unde non habet majorem gratiam, neque ſubinde jus ad ampliorem gloriam qui minorem elicit dilectionis & pœnitentiæ motum, cùm diſtinctum præmium diſtinctum amoris fervorem exigat, nec poſſit eſſe intenſior viſio niſi intenſius fuerit Dei videndi deſiderium, quod utique defuit, ſi defuit amor ferventior, ſed tantùm remiſſior adfuit. Adde primò commentitium eſſe & nulla unquam authoritate, nulla ratione probandum, contritionem reſurgentis pœnitentis non ſolùm ad gratiam habitualem quæ ordine naturæ ſequitur, ſed etiam ad gratiam præcedentem diſponere, & non ad totam illius reſtitutionem præparare; ſi enim dicatur ideo eſſe, quia per contritionem removetur impedimentû peccati, quo merita antiqua in acceptatione divina ſemper manentia ſuo carebant effectu; cur, quæſo, eo impedimento remoto non tota gratia reſtauratur? Cùm enim ex natura ſua actus contritionis ut quatuor ſolam gratiam ut quatuor obtineat, ſi aliud quidpiam conſequitur; ideo tantùm eſſe poteſt, quia merita ſublato obice reviviſcunt; quidni ergo eo impedimento ablato, non tota redit gratia omnibus meritis præcedentibus longè majoribus comparata? Unde vel nihil de antiqua gratia eo depulſo obice, vel tota redit, cùm reſtitutio gratiæ unis præcedentibus meritis, non præſenti diſpoſitioni debeatur. Adde ſecundò, ex ea ſententia ſequi juſtificationis gratiam lapſis pœnitentibus conceſſam non eſſe merè gratuitam, ex ea nimirum parte quâ prior gratia habitualis propter merita præcedentia redderetur: & tamen gratia juſtificationis eo magis gratuita cenſenda eſt, quò magis indigno confertur. Qua de cauſa dixit S. Thomas 3. p. quæſt. 88. art. 2. ad 3. quod licèt innocentia ex quantitate beneficii abſolutè ſit majus pœnitentiâ donum: attamen ſi beneficium penſetur ex parte recipientis, qui minùs eſt dignus, quodque proinde ſit magis ex gratia, *hoc modo*, inquit, *beneficium remiſſionis culpæ eſt majus, inquantùm præſtatur totaliter indigno.*

Secunda verò reſponſio nihilo melior, vel S. Thomæ conformior, ſed longè improbabilior apparet. Tum quia illa diſtinctio gratiæ *in eſſe qualitatis*, & *in eſſe gratiæ*, omninò commentitia eſt in doctrina Angelici Doctoris, inaudita ac peregrina. Tum quia gratia non habet eſſe gratiæ, niſi quatenus qualitas realis eſt, alioquin prævalebit, vel certè ægrè hæreticorum error confutabitur gratiam in externo Dei favore, & in morali hominis juſti dignitate conſtituentium. Tum quia ſi contritio ſit diſpo-

ſi io moralis ad aliquos gradus gratiæ in eſſe gratiæ reſtituendos, cur non erit diſpoſitio moralis ad totam gratiam in eſſe gratiæ recuperandam? Cur ſublato peccati obice totum ſuum non ſortitur antiqua gratia per lapſum mortificata effectum? Cùm enim actus contritionis ut quatuor, gratiæ habitualis quatuor gradibus ex integro & ex æquo compenſetur, & veluti numerata pecunia cumulatè ſolvatur; non poſſunt præcedentis gratiæ gradus nec in eſſe phyſico, nec in eſſe gratiæ redire, niſi intuitu præcedentium meritorum, quæ non ſuo debent, ut tantopere Adverſarii dictitant, præmio fraudari; at præcedentia merita non minùs aliquot graduum gratiæ in eſſe gratiæ, quàm omnium reſtitutionem exigunt. Ergo vel nihil de gratia in eſſe gratiæ, vel tota inſtauratur. Denique quod comminiſcuntur divinantes adverſarii, in inſtanti ſeparationis vel in primo beatitatis ingreſſu elici actum intenſiſſimum præteritorum meritorum & remiſſorum etiam charitatis actuum gradus copulantem, figmentum eſt à D. Thoma ignoratum, nullibi revelatum, & à nobis diſſert. 4. de charitate, cap 2. ſpeculatione 3. validè, ni me mea fallat opinio, exploſum; quia ſecundùm veridicam S. Thomæ doctrinam nitentiſſimis ejuſdem teſtimoniis expreſſam, eoque loci commemoratam, gloria patriæ ejuſque intenſio uni charitatis viæ quantitati reſpondet. Et cùm gloria, ejuſque augmentum ſub meritum cadant, uni charitati viæ quæ ſola libera, ſola in ſtatu merendi fuit, commenſurari debet. Unde ſicut amori beato quàmlibet intenſo nullum meritum reſpondet, quia tempus merendi elapſum eſt; ita nec per primum amoris illius, quantus quantus ſit, productionem quidpiam anima ſeparata meretur. Unde ut ibidem diximus, longe plauſibilior foret Nominalium poſitio commento illo à Recentioribus excogitato: non enim tam abſurdum eſt, augmentum illud intuitu præcedentium meritorum fieri in ſtatu viæ & meriti, quàm ſi fiat in ſtatu ſeparationis; cùm illud voluntas in via promerita ſit.

Nec valet effugium adverſariorum aientium actui illi in primo beatitudinis limine elicito, non ut merito quidem, cùm ſit extra viam, ſed ut phyſicæ diſpoſitioni augmentum charitatis, ſubindeque gloriam reſpondere. Non valet, inquam, illud ſubterfugium, quod extremum eſt adverſæ ſententiæ vallum; tum quia actum illum intenſum gradus omnes remiſſos & merita quævis mortificata complectentem fingunt, non probant Authores quos impugnamus. Tum quia ſi ideo volunt id adverſarii (nec aliâ id causâ velle poſſunt) ut actus remiſſi, meritaque mortificata ſuo non fruſtrentur præmio, fateri vel inviti coguntur, actum illum intenſiſſimum omnibus meritis in hac vita retroactis reſpondere, ne merita illa fraudentur, utque reviviſcere dicantur; ac proinde jam merita non juxta pœnitentis diſpoſitionem, ut ipſi contendunt, ſed ſecundùm totam ſuam latitudinem reviviſcent. Tum quia charitas habitualis non augetur niſi per actum meritorium, alioquin fingam Beatos ſingulis æternitatis momentis novas meritorum divitias novis, vel continuans æternæ dilectionis motibus accumulare. Ergo dato quod in ingreſſu paradiſi intenſior actus dilectionis elicitatur (quod aliquo ſenſu propter amabiliſſimi objecti voluntatem rapientis præſentiam verum eſſe ibidem explicuimus) propter illum tamen actum gratia & charitas habitualis non creſcet, quia ſi augmentum habitus actibus ut meritoriis non reſpondet, neque illis ut diſpoſitionibus reſpondebit; cum juxta catholicam Theologorum omnium ſententiam, una ad augmentum habitualis gratiæ diſpoſitio meritum eſt ab amore Dei profectū. Videſis alias ejuſdem reſponſionis confutationes, ubi de augmento charitatis diſputavimus.

Sed dices: Meritorum reviviſcentia debet eum proprietate ſalvari, ut tot argumentorum moliminibus in priori parte demonſtravimus: ſed noſtra ſententia reviviſcentiam meritorum tantâ accuratione ſtabilitam non ſalvat, ſed ad nihilum redigit; etenim ſi nihil antiquæ gratiæ, ſive phyſicè, ſive in eſſe gratiæ conſideratæ adjiciatur gratiæ illi quæ contritionis conatui reſpondet; ſi nullum conſequenter majoris gloriæ gradum antiquorum intuitu meritorum pœnitens obtineat, quid prodeſt illa reviviſcentia, niſi ut gloria duplici titulo donetur? Quod eſt reviviſcentiam evacuare, & in titulum ſinere, vel tem de ſolo titulo, ſubindeque ad denominationem extrinſecá revocare. Quomodo in retributione gloriæ ſervabitur juſtitia diſtributiva, quæ exigit, ut habenti plura merita major quoque gloria, quæ propterea dicitur corona juſtitiæ, conferatur? Quomodo impietas impio converſo, contra verbum propheticum non nocebit, ſi ille qui poſt aſſiduos vitæ longævæ labores in peccatum infirmitate lapſus, & in pœnitentia ut quatuor reſurgens, majus præmium non conſequatur eo quod homini, qui tranſactâ in flagitiis vitâ per eandem ut quatuor pœnitentiam in hora mortis ad Dominum revertitur, confertur? Quomodo revertentur anni antiqui, quos comedit locuſta & bruchus, vel non obliviſcetur operis boni Deus, vel non erunt ſine cauſa tot labores exantlati? Ergo ſecunda aſſertionis noſtræ pars priorem convellit, & reviviſcentiam meritorum unâ manu tam operosè ædificatam, alterâ deſtruit & ab imis fundamentis ſubruit.

Reſpondeo poſteriorem partem priori non officere, quia verum non eſt vero contrarium, ſed illam duntaxat exponere & temperare. In primis illud diligenter obſervandum eſt, hoc argumento, ſi quid ei vis & roboris ineſt, peræquè peti recentiorum Thomiſtarum nobis adverſantium ſententiam. Enimverò ſi gratia non niſi juxta præſentis diſpoſitionis conatum reſtituatur, ſi poſt merita ut centum mortificata reſurgenti per pœnitentiam ut quatuor, octo duntaxat gratiæ gradus vel in eſſe phyſico, vel in eſſe gratiæ infundantur, quomodo antiqua merita reviviſcent? Quomodo ad priſtinam vitam in hoc ſitam, quod ad centum gradus gloriæ perducere nata erant, redibunt? Quomodo condignum antiquis meritis præmium eſſentiale ex juſtitia diſtributiva Deus reſtituet? Quomodo exantlatorum operum & laborum Deus non obliviſcetur, vel reparabuntur anni antiqui ſine cauſa longo curriculo in ſanctitate tranſacti? Ergo illo ſuo temperamento non effugiunt adverſarii difficultatem, nec ſalvant perfectam meritorum reviviſcentiam, quam nobis opportunè importunè objiciunt. Unde, ut dixi, longè veroſimilior eſt Nominalium ſententia eo novo cōmento reviviſcentiam meritorum parnente. Unde Præceptor olim meus R. P. Joannes Baptiſta Maderan, eruditione & ſubtilitate paucis ſecundus, & jam in Burdigalenſi Academia Anteſſor in non paucis celebris, merita mortificata ad totam gloriæ latitudinem prioribus meritis debitam independenter à præſentis diſpoſitionis conatu, ſed propter unam impedimenti remotionem pœnitentiâ partam, reviviſcere me docuit, ratus id eſſe S. Th. conformius, tria duntaxat in corpore articuli quinti ad meritorum plenam reviviſcentiam deſideranti, quod nimirum habeant priorem vitam, ſeu perducendi ad vitam æternam efficacitatem; quod maneant in acceptatione divina, & quod obex peccati, quod unum erat conſequutionis gloriæ antiquæ impedimentū, auferatur; aſſerebatq; ſe eâ potiſſimum causâ

in

in eam opinionem venire, quod moderniorum Thomiſtarum temperatura nec perfectam reviviſcentiam, nec S. Thomæ rigorem ſalvaret. Sed patietur vir ingenioſiſſimus & juxtà modeſtiſſimus, ut ſicut ipſi à Præceptoris quondam ſui Joannis Franciſci Dufaur à nobis alibi cum laude memorati, & à communis Magiſtri S. Thomæ, uti videtur, ſententia, ſuam interim propriam privatamque opinionem liberè tuiturus receſſerat: ita nos ab ejus aſſertione, in oppoſitam ſententiam vocante nos ratione & D. Thomæ authoritate, tranſeamus. In unius enim D. Thomæ verba juravimus, nec apud nos opinio, quam olim docti ſumus, præjudicata multùm valet, niſi ſolidâ ratione, & D. Thomæ ſuffragio nitatur. Illos enim, inquit eximius Theologus Melchior Canus in proœmio libri duodecimi de locis, probare non ſoleo, qui veluti ſacramento rogati, vel etiam ſuperſtitione conſtricti, ut Fabius loquitur, nefas ducunt à ſuſcepta ſemel perſuaſione diſcedere. Theologo nihil eſt neceſſe in cujuſquam privati jurare leges: majus enim eſt opus atque præſtantius ad quod ipſe tendit, quam ut cujuſpiam Theologi debeat veſtigiis ſemper inſiſtere, ſi quidem eſt futurus Theologiæ laude perfectus.

Directè ergo reſpondendo dicendum, non inficiam nos reviviſcentiam meritorum, ſed eam tameo pœnitentis conatibus dimetiri. Neque enim eatenus merita reviviſcere dicuntur, quatenus hominem per pœnitentiam reparatum ad tantam gloriam perducant; ſed quia rurſus pœnitens fit intuitu meritorum illorum dignus æternâ vitâ, pro illiſque, ſi perſeveret, eo majorem vel minorem gloriam eſt receptutus, quo in majori charitate decedet. Ut autem tanta gratia, tantumque jus ad gloriam redeant, quanta fuere perdita, ſecundùm D. Thomam & Concilium Tridentinum, non ſatis eſt tolli peccati impedimentum, ſed æqualem adeſſe diſpoſitionem oportet. Unde Deus nec meritorum illorum, nec annorum antiquorum obliviſcitur, quorum intuitu gratiam unà & gloriam largitur; nec impietas impii pœnitenti nocet, cui tota culpa, totus æternæ pœnæ reatus condonatur; cui damnatio, & omnis gratiæ doni privatio debebatur. Unde Deus in noſtra ſententia perfectiùs juſtitiæ diſtributivæ leges ſervat, cum pro ratione converſionis & diſpoſitionis gratiam pœnitentibus impertitur. Porrò delicatiſſimo adverſariorum faſtidio, gloriam duplici titulo conferri non ferenti conſuluimus diſſertatione de charitate ſuperiùs relata, ubi luculentis S. Thomæ teſtimoniis evicimus, gloriam actibus remiſſis duplici titulo concedi; unde etiam intulimus, quàm ſit aliena à D. Thomæ mente ea ſententia, quæ id contemnit quod S. Doctori fuit indubitatum. Et rationem ibi aſſignavimus, quia licet omnibus & ſingulis meritis debeatur præmium, non tamen diſtinctum vel majus ſed idem novo titulo confertur, quando diſtinctum præmium diſtinctam exigit in ſubjecto diſpoſitionem: nam teſte D. Thoma ibi laudato, retributio gloriæ non eſt ſecundùm numerum operationum, ſed ſecundum diverſos gradus charitatis; nec qui pluries meretur plus meretur, niſi ratio merendi ſit major. Unde exemplum adductum de homine poſt centum gradus meriti lapſo, & cum pœnitentia ut quatuor revertente, qui non majorem conſequetur gloriam quàm flagitioſiſſimus qui poſt ſceleſtam vitam tranſactam in articulo mortis cum pœnitentia ut quatuor convertitur, non urgere ibidem monſtravimus. Quia ſicut non eſt inconveniens Patremfamilias noviſſimos in vinea laborantes pares eis feciſſe qui portaverant pondus diei & æſtus, quia fervore & inſtantiâ laboris quod de tempore deerat ſuppleverant; ita non eſt mirum ſi flagitioſus ex omnium ſcelerum colluvie emerſus eandem obtineat gratiam & gloriam, ſi eodem ad illam conatu ſe diſponat. Nam ut benè dixit Hieronymus: *Apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris.* Et Chryſoſtomus in libro de reparatione lapſi: *Non temporis longitudine, ſed affectus ſinceritate pœnitudo cenſetur.* Quod ibidem exemplo Latronis illuſtrat: *Latro ille,* inquit, *qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingreſſum paradiſi mereretur: ſed tantùm ei ſpatii ſuffecit, donec unum poſſet proferre ſermonem; ita ut intra unum momentum temporis totius vitæ ſceleribus abſolutus, præcedere ad Paradiſum etiam Apoſtolos mereretur.*

Sed ne eadem cum Lectorum cruce repetamus, videantur quæ loco recenſito latè proſequuti ſumus. Quibus adde primò eandem pati difficultatem oppoſitam recentiorum Thomiſtarum doctrinam: ſi enim pœnitens antiquorum meritorum intuitu illos ſolùm gradus recuperet, qui longè minori diſpoſitioni reſpondent, profectò cæteris meritis non dabitur niſi duplici titulo gloria eſſentialis. Adde ſecundò, ſuam etiam antiqua merita manere mercedem, majus nimirum præmium accidentale, ut ait D. Thomas, amplius ſcilicet de operibus in priori charitate factis gaudium non contemnendum. Adde tertiò, quod illa à duplici titulo petita reſponſio ſi tibi diſplicet, dicito gloriam abſolutè, & quoad ſubſtantiam ſpectatam antiquis reſpondere meritis; gloriæ verò gradus inæquales præſentes converſionis diſpoſitioni commenſurari: igitur non fraudantur præmio vetera merita, quia pro illis datur vita beata; beatitudinis verò differentia differenti diſpoſitioni correſpondet, ſicut puero debetur gloria in ſe conſiderata, eidem verò adulto & in primo rationis diluculo Deum diligenti datur gloria pro modo & intenſione dilectionis in quam prorumpit.

Inſtant adverſarii: Gratia ſacramentalis, ſeu ex vi Sacramenti collata, per peccatum mortale amiſſa, ita per pœnitentiam reparatur, ut præter gratiæ, & gloriæ eſſentialis præſenti diſpoſitioni reſpondentem detur inſuper aliquis gradus propter Sacramentum olim ritè ſuſceptum: ſi enim Sacramentum fictè ſuſceptum confert gratiam ſibi correſpondentem, recedente fictione à fortiori Sacramentum ritè ſuſceptum gratiam ſacramentalem per peccatum deperditam renovat. Ergo idem de gratia meritis olim comparata dicendum eſt, cùm utraque ſicut peccato mortificatur, ita peræquè per pœnitentiam reviviſcat.

Reſpondeo multipliciter poſſe hoc argumentum confutari. Primò quia eaſdem in adverſarios, ſi quas habet, vires obtinet: nam ſicut gratia Sacramentalis tota per pœnitentiam redit, ita redire debet tota gratia antiquis operibus comparata, cùm utraque per peccatum æquè mortificetur, æquè per pœnitentiam reviviſcat. Quam diſparitatem afferent novi Thomiſtæ, dabimus nos cum antiquis. Maximè verò urget hæc inſtantia adversùs Nugnii & Goneti ſententiam: nam gratia ſacramentalis nedum in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe phyſico per pœnitentiam inſtauratur; Ergo ſimiliter antiqua gratia mortificatis bonis operibus reſpondens, nedum in eſſe gratiæ, ſed etiam in eſſe phyſico reſtituitur. Ergo manifeſtè quod in nos intorquent telum, in ipſos efficaciùs retorquetur. Secundò antecedens valdè incertum reputant Theologi ſapientiſſimi; etſi enim Sacramenta fictè ſuſcepta, ut communis opinio fert, gratiam ſuam recedente fictione conferant pœnitenti, non benè tamen idem de Sacramento ritè ſuſcepto, & gratiæ Sacramentalis effectum jam ſortito colligitur; quia Sacramentum debet quidem producere aliquando ſuum effectum, ſed poſtquam

illum produxit, non debet eum reproducere, poſtquam effectus ille malitiâ peccatoris deſtructus eſt. At verò Sacramentum fictè ſuſceptum nunquam effectum habuit ſuum, quo carere non debet; unde tunc illum efficit, cùm obex, & velum fictionis retinaculum aufertur. Tertiò admiſſo illo antecedente nulla eſt conſequentia: & diſparitas eſt aperta; quia Sacramenta novæ legis non ſolùm ex opere operantis, id eſt juſta ſuſcipientis diſpoſitione, ſed etiam ex opere operato, id eſt propriâ ſuâ virtute à paſſione Salvatoris derivatâ gratiam producunt, ut patet in pueris, quos baptiſmus ſine ulla diſpoſitione ſanctificat, & in pœnitentibus contritione ab amore amicitiæ perfecto proficiſcente cum voto Sacramenti pœnitentiæ juſtificatis, qui tamen actuali Sacramenti ſuſceptione ampliori gratiâ donantur; unde ſi gratia ſacramentalis à Sacramento piè ſuſcepto collata & per peccatum mortificata redit, non ſolùm operi operantis, ſed ſuſcepti Sacramenti operi operato reſpondet. At verò alia quævis gratia, quæ non eſt ſacramentalis, uni operantis diſpoſitioni, & diſpoſitionis intentioni reſpondet, quam proinde nunquam excedit. Pœnitentia enim menta mortificata ſubſequens, non ſolùm ſe habet ut removens prohibens, ſed etiam ut diſpoſitio quantitatem gratiæ habitualis reparatæ dimetiens, ſicut calor non ſolùm removet frigus à ligno introductioni ignis oppoſitum, ſed lignum etiam ad formam ignis diſponit; & ſtudium nedum falſarum opinationum præjudicia ſcientiæ vehementer adverſa depellit, ſed ad ipſam quoque ſcientiam, ſcientiæque majorem perfectionem eo ampliùs diſponit, quo accuratius fuerit & profundius. Alias objectionis loco ſæpè citato de charitate occupavimus.

Reflexio.

Verè univerſæ viæ Domini, ſed in opere potiſſimùm juſtificationis, miſericordia & veritas, ſeu juſtitia. Reſplendet quidem miſericordia lapſuum oblita, lapſum excitans, admiſſa dimittens ſanctitatis gratiam toties indignata, toties provocata reſtituens, peccataque tanquam glaciem ſolvens. Ite, inquit, proferte ſtolam primam, primitivum ſcilicet innocentiæ amictum, deperditum gratiarum decus reparaturum. Non dixit: Unde venis? Ubi ſunt quæ tuliſti? Quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutaſti? Sed, Proferte ſtolam primam, & induite illam, ut ubi abundavit delictum, ſuperabundet & gratia. Videtis, quia delicta non videt vis amoris, & tardam miſericordiam neſcit Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Iis ergo miſericordiæ illicis accenſi, omninò propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te, Domine Jeſu, audientes quod non ſpernas pauperem, ſed ſuſcitas à terra inopem, de ſtercore peccatores erigis. Non horruit benignitas tua confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in telonio, non publicanum à longè ſtantem, nec oculos ad cœlum levantem, ſed percutientem pectus ſuum, & dicentem, Deus propitius eſto mihi peccatori; non negantem diſcipulum, non perſequutorem diſcipulorum, non ipſos crucifixores tuos. Quis in odorem unguentorum illorum non currat, quibus eſurientes pane verbi & corporis ſui reficit, ſitientes potu ſapientiæ & ſanguinis ſui refrigerat, errantes in domum Patris revocat, infirmos cohimat, tribulatione oppreſſis ſubvenit, compatiendo & conſolando totius miſericordiæ viſcera effundit? Fateor Domine, & Fatebor, ut verbis Melliflui Doctoris utar, multitudinem miſerationum tuarum, quibus in peccata prolapſum, & in majora peccatorum pondera lapſurum, niſi omnipotens pietas tua declivem retinuiſſet, erigis, niſi enim, quia Dominus adjuvit me, paulò minùs cecidiſſet in omne peccatum anima mea. Quam benigna, quàm libera, quàm gratuita miſericordia tua! Ego peccabam, & tu diſſimulabas; ego non continebam à ſceleribus, & tu abſtinebas à verberibus; prolongabam ego multo tempore noctu & interdiu iniquitatem, & tu Domine patientiam & longanimitatem. Quid plura? Viſitaſti cor meum, & flante ſpiritu tuo feciſti ut amara fierent quæ malè dulcia priùs erant. Revertentem miſericorditer ſuſcepiſti, quin & cum adhuc longè eſſem, vidiſti me, Pater mi, & miſericordiâ motus qui loco moveri non potes, accurrens cecidiſti ſuper collum meum, non lapſu viſcerum, ſed compaſſionis, dediſtique oſcula, non quæ promerebar flagella. Nec à malo ſolùm liberare contentus fuiſſet paternus amor, niſi antiquam reſtitueret gratiam, veterum virtutum apparatum. Et poſt reparatam gratiam ſpes obtinendæ gloriæ ſuccedit, qua donas homini indigno de tua toties experta bonitate uſque ad cœleſtia ſperanda præſumere.

Sed non minor ſplendori juſtitiæ locus in juſtificatione pœnitentium datur, quæ gratiam perditam non niſi pro ratione doloris, pro fervore charitatis, pro conatu pœnitentiæ largitur; nec per qualemcunque pœnitentiam etiam veram, ſed per æqualem duntaxat præcedentibus mentis contentionem in priſtinum converſus revocat gratiæ & gloriæ gradum. Ergo ſi ſapis, Lector, ne arbitrere te comprehendiſſe; nunquam dicito, Satis eſt. ſed ſemper eſuri, ſitique juſtitiam: ita ut ſi ſemper viveres, ſemper pœnitere magis & juſtior eſſe contenderes. Quàm bona vinea pœnitentis, imò quàm bona vinea pœnitens, continuâ pœnitentiæ putatione fœcundior: cujus virtus, ut ait Bernardus, vitis; cujus actio, palmes; cujus lacrymæ, piæ ſunt contribulatorum amantium uvæ, cujus lingua & confeſſio, torcular expreſſionis; cujus denique vinum, teſtimonium conſcientiæ ſuaviſſimum. Igitur in tribunal mentis tuæ aſcende contra te, reum te conſtitue ante te, noli te ponere poſt te, ſed peccatum tuum contra te ſit ſemper, ne Deus te ponat ante te, ſicut ſcriptum eſt, Statuam ante faciem tuam. Pſalm. 49. Id divina juſtitia exigit, ut tibi amarum ſapiat in anima, quod antè dulce fuit in vita, & quod te priùs oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde; eaque ſit pœnitentia, quæ reſpondeat gravitati & multitudini criminum. Præclare & opportunè Auguſtinus in Pſalm 84. *Juſtitia de cœlo proſpexit, tanquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipſe ſibi non pepercit: ignoſcamus, quia ipſe agnoſcit: converſus eſt ad puniendum peccatum ſuum, convertar & ego ad liberandum eum.*

Fugiamus ergo de medio Babylonis, ſalvemus animas noſtras; illatarum Deo injuriarum pœnas exſolvamus, præteritas ruinas ſarciamus, atque ad pœnitentiæ tribunal convolemus, ubi poſſimus & præteritis ſatisfacere damnis, & in præſenti obtinere gratiam & futuram gloriam fiducialiter præſtolari. Nun nos retardet conſcientia delictorum; quia ubi peccata abundaverunt, ſuperabundare conſuevit & gratia: & teſte Magno Gregorio, *fit plerumq; gratior Deo amore ardens vita poſt culpam, quàm in ſecuritate torpens innocentia.* Nec etiam nos deterreat auſteritas pœnitentiæ, quia qui perfectè ſenſerit onus peccati, aut parùm, aut ex toto non ſentiet onera pœnitentiæ: nec grave reputabit, quo peccata noverit deleri præterita, & caveri futura. Non poterit ille pœnitentiæ ſanctos detrectare labores, qui attenderit

non

non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, & præteritam culpam quæ remittitur nobis, & ad præſentis conſolationis & pacis quæ exſuperat omnem ſenſum, gratiam, quæ infunditur nobis. Si verbis non credimus, credamus exemplis. Cernimus tot juvenes, tot adoleſcentes naturâ pariter & conſuetudine delicatos, puellas teneriſsimas ad pœnitentiam ingenti noſtro probro currentes. Quid, ſodes, reſpondebunt effrænati, delitiis diffluentes, & in omnem voluptatem effuſi, qui ut à jejuniis & abſtinentiis ab Eccleſia divinitus inſpirata indictis, & peccatis eorum immensùm inferioribus immunes ſint, quærunt excuſationes excuſantes in peccatis: quid, inquam, reſpondebunt non dico ad veterum Patrum vitæ aſperitatem, apud quos, referente Hieronymo, languentes Monachi aquâ frigidâ utebantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria erat; ſed ad omnium oculis ſe ingerentem aſpectabilem Carthuſienſium, Ciſtertienſium Abbatiæ de l'Atrape, quam non tam hominum conventum, quàm Angelorum cœtum meritò dixeris, Sanctimonialium ſanctæ Thereſiæ, & aliorum innumerorum, quibus velut reſpirare, ita jejunare proprium eſt, quique ſolo Dei timore confixi in tanta afflictione perſeverant pœnitentiæ, virtutem humanam ſupra naturam, & contra conſuetudinem? An nos peccatis referti nullo pretio ememus regnum cœlorum, quod illis tam carum eſt? Euge ergo fervore pœnitentiæ totum quod perdidimus reſtauremus, rati nihil eſſe credentibus impoſſibile, nihil amantibus difficile, nihil durum cogitantibus flammas æternas, quibus inſuper & gratia ſit in auxilio, & fervens devotio lenit rigorem.

Speculatio. III.

Sacerdos ne poteſtate ſibi cælitus commiſſa abutatur, peccatoribus in mortalia continuò relabentibus, atque criminoſæ vitæ ſeriem poſt iteratas confeſſiones minimè emendantibus, donec dignis pœnitentiæ fructibus ſuæ converſionis ſinceritatem probaverit, abſolutionis beneficium impertiri non debet.

Etſi ſuperiùs, cùm de dotibus Rectoris animarum agebamus, de differendæ abſolutionis ſalutari ac neceſſaria diſciplina quædam attigerimus, operæpretium tamen viſum eſt de re adeo momentoſa diligentiùs fuſiuſque ſpeciali titulo diſſerere. Neque enim hîc agitur de infructuoſa quadam doctrina, quam ſive ignoraverimus, ſive curioſiùs penetraverimus, nihilo propterea meliores erimus, aut ad ſalutem capeſſendam expeditiores; ſed de modo & ratione diſpenſandi ſanguinis Chriſti, quem cùm in aliis Sacramentis, tum maximè in Sacro pœnitentiæ lavacro ad abluenda crimina ineffabili Dei benignitate inſtituto, contentum ac nobis creditum, ſi præproperâ ac promiſcua abſolutionis conceſſione non modò inutiliter, ſed etiam perniciosè profuderimus, non dijudicantes ejus inæſtimabile pretium, illum in horrendo ſuo judicio de manu noſtra requiret Deus, cujus ſeveritas in ulciſcenda unigeniti ſui morte, & ſacratiſſimi ſanguinis conculcatione, tantò terribilior expectanda eſt, quantò in concedendo infinito illo dono mirabilior ac profuſior miſericordia eluxit. Age igitur, hanc ſalubrem ac neceſſariam diſpenſandæ abſolutionis regulam, cujus ductu ab hac prodiga & indigna ſanguinis Chriſti profuſione immunes eſſe poſſimus, omni argumentorum genere pro viribus confirmemus.

Atque ut ab authoritate Patrum probationem aggrediar, abſolutionem his quos in titulo deſcripſimus differendam eſſe, ſatis colligitur ex diſciplina quam in adminiſtranda peccatoribus recôciliatione & ipſi tenuerunt, & ſcriptis ſuis commendarunt, ſi, ut Tertulliani Apolog. cap. 10. verbis utar, *non præſumptio aut iniquitas judicet, altera quæ deſperat, altera quæ recuſat veritatem.* Neque enim ad ſalubriter impertiendam pœnitentibus reconciliationem, peccatorum confeſſionem ſufficere exiſtimarunt, niſi internus animi dolor Sacerdoti congruis innoteſcere indiciis. Atque ob id laborioſæ pœnitẽtiæ fructus præexigere in uſu ſæpe habuerunt, non quòd ſatisfactionem abſolutio præſupponere neceſſariò debeat, cùm ad eam validè impendendam ſatis ſit ſatisfaciendi votum in vero converſionis propoſito incluſum, ut ex uſu Eccleſiæ ac Doctorum conſenſu conſtare ſuperiùs dictum eſt; ſed ut pœnitentium animos, & emendandæ vitæ ſynceram voluntatem magis probarent, quæ factis longè certiùs ſe prodit quàm verbis; atque hoc pacto cœleſte beneficium ſibi concreditum non fruſtra & promiſcuè prodigentes, ſed antè probatis, ac pœnitentiæ dignis operibus, ut amarâ quadã medicina, pro temporum illorum ſeveritate purgatis paratiſq; peccatoribus tutiùs atque utilius impertientes ſanguinis Chriſti inæſtimabile pretium, in animarum lucra, & utilitatem Domini ſui, tanquam prudentes ac fideles ſervi dignè impenderent. Hujus diſciplinæ tam multa, tamque frequentia teſtimonia ſunt, ut minimè neceſſarium ſit ea hîc operoſiùs attexere. Atqui peccatores, quos in titulo deſcripſimus, ejuſmodi ſunt, ut nulla congrua indicia ſynceræ converſionis exhibeant, quin potiùs indurati cordis, & in anteactæ vitæ turpitudinem continuò relapſuri notas omnes præ ſe ferant. Ergo niſi velimus antiquorum Patrum diſciplinam funditus evertere, & ſanguinem Chriſti Domini, quem illi tam cautè diſpenſandum nobis commendarunt, ſacrilegâ temeritate prodigere, tantiſper differenda reconciliatio eſt indignis illis imparatiſque conſcientiis, donec ſuaviter ſimul & fortiter adhortante Patre ſpirituali verba tam ſæpè fallacia dignis aliquibus pœnitentiæ fructibus probantes, illius ſalubriter accipiendæ capaces evaſerint.

Probatur præterea ſecundò ratione: Sacerdotes jure clavium ſibi divinitus tradito poſſunt peccatoribus in eadem flagitia continuò relabentibus abſolutionem ad tempus denegare, & in aliud differre, illam etiam abſolutionis moram adhibere expedit ſaluti animarum: Ergo abſolutio non eſt impertienda peccatoribus in eadem ſemper flagitia relabentibus, ſive relapſus ex proxima peccandi occaſione retenta, ſive ex prava diuturnaque peccandi conſuetudine proficiſcatur. Conſequentia patet: cùm enim Sacerdotes ſint myſteriorum Chriſti diſpenſatores, non domini, clarum eſt eos traditâ ſibi divinitus poteſtate prout animarum ſaluti expedit uti oportere: unde ſi differendæ abſolutionis poteſtatem habent, eaque tarditas & dilatio ſaluti animarum utilis ſit, proculdubio abſolutionem toties quoties impertiri hominibus eadem peccatorum catenâ ſemper irretitis & in eadem crimina, & quandoq; graviora & numeroſiora præ ſummâ morum emendandorum incuriâ relabentibus, & concreditâ ſibi poteſtate abuti, & à fidelitate in Miniſtris ſanguinis Chriſti ab Apoſtolo tantoperè deſiderata deſciſcere.

Prima autem pars antecedentis, nimirum Sacerdotes poſſe jure ſibi à Deo tradito peccatoribus iterata flagitia perpetrantibus abſolutionem inficiari,

patet

paret ex verbis Salvatoris, qui non ſolum remittendorum, ſed etiam retinendorũ peccatorũ; non ſolùm ſolvendi, ſed & ligandi Sacerdotibus contulit poteſtatem: ergo manifeſtum eſt judiciaria poteſtate ſibi Chriſti ore commiſſa poſſe Sacerdotes vinculis ligare criminoſos, antequam eos reconciliando exſolvant. *Dominus* inquit, Ambr. lib. 1. de pœnit. cap 2. *ligandi ſolvendique poteſtatem pari conditione permiſit, ita ut alterum ſine altero uſurpari non debeat, & Eccleſia in utroque ſervet obedientiam, dum peccatum & alligat & relaxat.* Et S. Pacianus epiſt. 3. *Sive ad pœnitentiam cogimus* (ante abſolutionem agendam & veniæ præviam) *ſeu veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſti id authore tractamus.* Hinc Patres cùm criminum per confeſſionem editorum abſolutionem protrahebant, ut peccatores à gratia lapſi, & æternæ damnationis rei, pœnitentiæ Deum propitiaturi incumberent antequam Eccleſiæ miniſterio reconciliarentur, hanc præcipuè ſui regiminis cauſam afferebant, quod exiſtimarent poteſtatem ſibi à Chriſto commiſſam non eſſe cæcum in pravas hominum cupiditates obſequium, ſed retinendi peræquè ac remittendi peccata facultatem, ut patebit ex dicendis. Hinc Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. *Habeant*, inquit, *præ oculis Sacerdotes, ut ſatisfactio quam imponunt non ſit tantùm ad novæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres credunt & docent.* Hanc retinendorum dilatione abſolutionis peccatorum poteſtatem agnoſcunt omnes ferè Theologi Morales ſeu Caſuiſtæ, inter quos conſtat jus eſſe Sacerdoti ut pœnitentem ubi illud expedire judicaverit, jubeat impoſitam ſatisfactionem implere priuſquam abſolvatur, ut videre eſt apud Suarem de pœnit. diſput. 38. ſect. 7. num. 7. Bonacinam diſp. 3. ſect. 3. p. 2. Reginaldum & alios.

Secunda verò antecedentis ſuprà poſiti pars, illam abſolutionis protractæ procraſtinationem animarum expedire ſaluti, imò eſſe pernecesſariam aſſerens, facilè monſtratur; tum quia expedit ut peccatores ejuſmodi congruenti pœnitentiâ pluribus diebus actâ Deo ſatisfaciant, atque à divina miſericordia veræ ſolidæque converſionis gratiam impetrent, *ut ligandi ſolvendique poteſtas ritè exerceatur*, inquit Magnus Gregorius hom. 26. in Evangel. *Videndum eſt quæ culpa præceſſerit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui reſurrectio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia mortuum Dominus priùs vocavit & viviſicavit dicens, Lazare veni foras; & poſtmodùm is qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt: Cumque egreſſus eſſet qui ligatus fuerat inſtitis, tunc dixit diſcipulis, ſolvite eum & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuum ſolverent, fœtorem magis oſtenderent quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos debemus per paſtoralem authoritatem ſolvere, quos Authorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam viviſicare.* Quæ verba & Concilium Aquiſgranenſe cap. 37. & S. Eligius Noviodunenſis Epiſcopus hom. 11. tanquam excellentiſſima referunt. Igitur expedit prorſus, ut qui à Sacerdotibus veniam quâ toties abuſi ſunt, ſperant, veræ antè ſolidæque pœnitentiæ fructibus miſericordiam Dei emereri, juſtitiam flectere, iram mitigare, indignationem placare ſtudeant, & ſe tandem ſolidè ac verè pœnitentes comprobent: *Quia pœnitentibus, rogantibus, operantibus, quique operam dant ut alto vulneri* (verba ſunt Cypriani tract. de lapſis) *diligens & longa medicina non deſit utque pœnitentia crimine minor non ſit, nec ſint minora remedia quàm vulnera ac funera, abſolutio ſecurè impenditur.* Hinc Clerus Romanus epiſt. 31. ad Cyprianum, eos Presbyteros objurgans qui falsâ benignitatis ſpecie peccatoribus facilè reconciliationem impertiebant: *ubi enim*, inquit, *indulgentia poterit medicina proficere, ſi etiam ipſe medicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare, ſed ſi verum dicere volumus, occidere.* Itaque priùs expurgare vetus fermentum repetitæ atque inveteratæ malitiæ peccatores debent, quàm ut beneficio abſolutionis fiat nova conſperſio; vulnerumque curationem ſupra id quod vulgo exiſtimatur operoſam, à Deo lacrimis & laborioſâ exercitatione priùs impetrare quàm à Sacerdotibus reconcilientur. *Multùm illis proficiet*, inquit idem Clerus Romanus Apoſtolico primæ Sedis ſpiritu pleniſſimus, *modeſta petitio, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa* (id eſt expectans abſolutionis dilationem pœnitentiæ laboribus interim incumbens.) *Mittant legatos pro ſuis doloribus lacrymas: advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem. Imò ſi dedecoris admiſſi magnitudinem, ſi pectoris & conſcientiæ ſuæ lethalem plagam, & ſinuoſi vulneris altos receſſus verè medicâ manu tractant, erubeſcant & petere, niſi quia majoris eſt rurſum & periculi & pudoris auxilium pacis non petiiſſe.* Ex quibus ultimis verbis patet, quàm ſit inſolens, quàm impudorata eorum peccatorum audacia qui abſolutionem poſt iterata flagitia à Sacerdote extorquere nituntur, ſibique injuriam fieri dictitant ſi è cœno emergentibus non confeſtim reconciliatio impertiatur, vel alium faciliorem Sacerdotem ſe adituros minantur, niſi quod inverecundè petunt, ſine mora tribuatur. Quaſi verò medicus ægroto, judex reo, paſtor ovi ſubjiciendi ſint, & rei in ſacris tribunalibus, dejectis Sacerdotibus collocandi. Patet, inquam, hujuſmodi reos nec dedecoris ſui magnitudinem, nec conſcientiæ lethalem plagam, nec altos ſinuoſi vulneris receſſus medicâ manu tractare cùm juxta Clericum illum ſanctiſſimum tantù deberent eſſe pudore perfuſi, ut præ verecundiæ veniam, quâ ſe indignos reri tenentur, petere erubeſcendum eſſet, niſi majoris eſſet periculi auxilium pacis non petiiſſe. Nullum abſolutionis magis indignum Sancti exiſtimant, nullum à cordis contriti & humiliati neceſſariâ diſpoſitione remotiorem, quàm qui præproperam abſolutionem quaſi ſibi debitam, nullâ peractâ pœnitentiâ, nullâ factis probata cordis mutatione audacter flagitat, vel ſe Sacerdotis arbitrio permittit. Nam ut ait S. Proſper in ſent. *Quid tam dignum miſericordiâ quàm miſer? Et quid tam indignum miſericordiâ quàm ſuperbus miſer?* Præterea prorſus expedit ut pœnitentis converſio ſolida, ſtabilis & conſtans ſit, taliſque ſpiritali judici appareat. At non pœnitentia, ſed pœnitentiæ larva & merum ludibrium cenſenda eſt illa converſio, quæ perpetua confeſſionum & criminum ſibi alternatim ſuccedentium viciſſitudine involvitur. Irriſor namque & non pœnitens habendus eſt, qui commiſſa plangit, & plangẽda iterum committit; qui in Diſcipulorum gregem cooptari ſe ait, cùm mox deſerturus; quive ſtatim poſt pœnitentiam agit quæ poſtea indigent pœnitentiâ. *Si*

enim

citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, inquit Auguſtinus ſerm. 34. de diverſis, *ludus illi eſſet peccando vadere in mortem.*

Tertiò expedit ut peccator ille vim acerbitatemque morbi ſui ſentiat, ut in illum denuo incidere reformidet, ut ejus metu atque horrore perculſus, violentiæ pœnitendi cedat conſuetudo peccandi, ut aliqua mora debitum flagitiis ſuis æternum ſupplicium ſibi repræſentet, ut aliquo ſpatio miſerabilis ſtatus ſui horrores pendat & fœtores, ut in ea ſeipſum ſalutari cogitatione & ſancto propoſito confirmet, quidvis priùs dimittendum, priuſque patiendum, quàm ut in tantam peccati calamitatem ſe rurſus præcipitem ferri ſinat, ut in pia chriſtianaque vita inſtituenda altiores radices agat & firmiores, ut ſolitudine & ſeceſſu plagas ex hominum conſuetudine autaque peſtifera ſuſceptas curet, ut eleemoſynis, precibus, & laborioſæ pœnitentiæ functionibus inertiam præteritorum vitiorum matrem & fomentum excutiat, ut abſtinentiâ à licitis, multò magis ab illicitis abſtinere diſcat, extinguatque nefandarum voluptatum ſenſum ſalubri acerbitate compunctionis; denique *ut uſus doloris*, inquit Ambroſius lib. 2. de pœnit. cap. 10. *ableget luxuriam criminis, erroris delicias, dolende admiſſa excludantur admittenda, & fiat quadam de condemnatione culpa diſciplina innocentia.* Atqui hos omnes tam neceſſarios pœnitentiæ fructus præfocat & ad nihilum redigit inconſulta peccatorum abſolvendorum facilitas & lenitas omni inhumanitate crudelior, quæ dum reconciliationem prodigit, ex hominum animis memoriam peccatorum oblitterat, lacrymas exſiccat, gemitus comprimit, & mortiferis ægritudinibus laborantes fallaci opinionis ſanctitate illudit. Quid, inquam, illudit? Eos prava reſtitutæ innocentiæ, eſt quotus voluerint reſtituendæ confidentia deteriores efficit, & in turpiora flagitia procliviores. *Citò enim reſricatur vulnus* (inquit appoſitè Ambroſius ſerm. 4. in Pſal. 118.) *quod ſanatum medicinæ lege non fuerit, imò etiam fervorem medicinæ ſentit profectum. Ideoque ſi virus in interiora proſerpit, medicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit ergo medicina ratio, ut aut ſectione, aut aduſtione curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur fruſtra medicina manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus hujuſmodi ægrum legitimè ducit eſſe curandum, ut poſſit medicinâ proficere. Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia ſapientiaque miſeretur, ut ea dimittat quæ ſcit jure poſſe dimitti, nec cùm alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obnoxium. : : : Conſideremus etiam, ne ipſum deteriorem faciamus, cujus miſeremur injuſtè. Plerumque enim non coercere delinquentes majoris auſteritatis eſt quàm ſi ulciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui cùm aliquid inhoneſtum commiſerint, nullum culpæ pretium ferunt.* Ergo omninò expedit ut adhibitis moris & cautionibus peccator ille reconciliationi idoneus fiat.

Quartò expedit planéque neceſſarium eſt, ut Sacerdos illis ſolùm abſolutionem impendat, quos rationabiliter credit eſſe converſos, nec in priſtina flagitia relapſuros. Cùm enim Sacerdos non ſit nudus & ſimplex miniſter ad declaranda peccata remiſſa inſtitutus, ſed judex poſitus, ut causâ cognita liget & ſolvat, remittat aut retineat, illos ſolùm debet abſolvere, quos ex notitia in Confeſſione accepta judicat ſincero emendationis futuræ deſiderio teneri. Atqui talem ſinceri cordis affectum in caſu poſito dignoſcere & explorare non poteſt Sacerdos, niſi factis & pœnitentiæ ſolidis fructibus, veriſque vitæ emendatæ argumentis: non enim abdita cordis ſcrutari poteſt, quæ ſibi Deus reſervavit; nec ſolis verbis aut ſponſionibus peccatoris poteſt tutò fidere, cùm tam ſæpè peccator emendationem promiſerit, & ſemper promiſſa violarit. Ille namque in moralibus atque in omnibus vitæ humanæ officiis non ſincerè velle cenſetur, qui ſciens & prudens, quod poteſt & tenetur facere non facit; ubi enim nec ſcientia, nec poteſtas, nec obligatio deſunt, ibi ſola profectò voluntas deeſt. Si v. g. à divite peterem, ut mutuo daret centum nummos, quos mihi ſe daturum ſingulis ſeptimanis promitteret, poſt annum promiſſis non ſtanti veraciter dicerem, Nunquam mihi dives ille centum nummos mutuari ſincerè voluit, cùm enim nec neceſſitas mea latuerit, nec ipſi defuerit largiendi facultas, ſola dubio procul defuit voluntas: ſimiliter qui eadem in ſingulis confeſſionibus peccata, & ſæpe cum auctario recinit, emendationem nunquam non promittens, nunquam non fallens, certè nunquam peccata vitare voluiſſe judicandus eſt; cùm enim illi nec poteſtas defuerit, nec officii ſcientia, ſola defuit voluntas; quomodo igitur deceptutum fidemque fracturum non meritò ſuſpicabor qui ſemper hactenus decepit, ſemper fidem ſponſionéſque perfregit? Inconſultè ergo & imprudenter abſolutionem illi impertiam, cujus mihi converſio falſa, promiſſio fallax, ſponſio deluſoria factorum teſtimonio longè certiſſimo conſtat. Sanè in luto ſemper hærebit, in eadem ſemper ſcelera recurret, ſi una peccatorum confeſſione contentus illi nulla pœnitentia purgato, nulla mora ac dilatione perculſo reconciliationem impendam, atque eum ad altaria convolare ſinam. Quàm veridicè Magnus Gregorius lib. 6. cap. 15. lib. 1. Reg. *Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in unoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente: videlicet converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. : : : Signum ergo veræ converſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque verè converſum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis auſteritate delere nititur quod loquendo confitetur. Unde Ioannes Baptiſta malè converſos Iudæos ad ſe confluentes increpans ait: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira. Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ. In fructu ergò, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Confeſſionis ergo verba quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt: quia idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Unde & Dominus arborem folii decoram, fructu ſterilem maledixit, quia confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.* Ergo non ſoli peccatorum ejuſmodi confeſſioni, ſed eorum operibus veram converſionem pronuntiantibus credendum eſt. Ergo utrum peccator ille qui in peccata relabitur, jure abſolvendus ſit, non ex confeſſionis & promiſſionum foliis aut ramis, ſed ex pœnitentiæ fructibus ſtatuendum eſt. Ergo ne judiciaria criminum abſolvendorum Sacerdotibus ore Chriſti collata poteſtas in ſervilem tranſeat neceſſitatem, peccatoribus hujuſmodi illud Præcurſoris antequam abſolvantur intorquendum eſt; *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, ut cognita perſpectaque cauſa cordis habitus non ex verbis, quæ tam ſæpe mentita ſunt, ſed ex factis verba confirmantibus ſpectetur.

Confirmatur hæc ratio: Verum quidem eſt homines etiam ſceleſtiſſimos poſſe momento temporis ab improbitate ad pietatem victricis gratiæ, quæ tempore non eget, omnipotentia traduci; & ad reſti-

tuen-

tuendam innocentiam efficaciorem eſſe quandoque velocem clementiam, uti Bernardus epiſt. 8. proſequitur, quàm diuturnam pœnitentiam. *Nam & hoc ſalutis compendium ſanctus ille Latro conſecutus eſt, uno eodemque die ſimul confeſſus latrocinia, & introductus in gloriam: brevi quodam contentus ponte crucis ad tranſeundum de regione diſſimilitudinis in terram viventium, & de luto facis in paradiſum voluptatis. Hoc etiam ſubitum pietatis remedium percepit felix illa peccatrix, cùm repentè ubi ſuperabundaverant delicta, abundare cœpit & gratia. &c. Hoc quoque* (repentinæ gratiæ beneficio præventus) *paralyticus duplex atque celerrimum potentiſſimæ bonitatis perſenſit beneficium, priùs mente quàm carne curatus.* Hæc, inquam, vera ſunt, ſed rara, ſed inſolita, & ut loquitur idem Bernardus, *non tam exempla, quàm miracula*, mutationes dexteræ Excelſi, quæ etſi in diebus his malis abbreviata non ſit, atq; vim ſuam his prodigiis nonnunquam nobis commendet, maximè in Sacramentis ſanctè ſuſceptis & adminiſtratis; attamen ſecundùm communem curſum ita cœleſtem converſionis novi hominis diem pedetentim adducit, ut quaſi crepuſculum quoddam præmittere ſoleat rore lacrymarum madidũ ac paulatim effulgens quibuſdam operibus lucis, faſtidio anteactæ vitæ, deſiderio melioris, gemitibus, ſuſpiriis, & ſeriâ ad promerendam reconciliationis gratiam cordis præparatione, cujus ne veſtigium quidem ſuſpicari prudenter poſſumus in induratis: & inveterans illis relapſis, donec per aliquod tempus ſalutaribus pœnitentiæ exercitationibus probati, converſionis ſuæ ac veræ efficaci(que propoſiti fidem fecerint. Non enim ita facilè, crede mihi Lector, formatur in corde vera contritio, ſincera converſio, caſta dilectio, atque ore quibuſdam actuum formulis, laudabilibus illis quidem, atque ad excitandam pietatem perutilibus profertur, quaſi illis mentis mutatio alligetur. Falleris, ſi credas verba prolata cõtinuò animi metamorphoſim ſequi, eodemque momento vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata dirumpi, cor lapideum in carneum commutari. obtineri que converſionem, quæ non niſi petendo, quærendo, pulſando impetratur. Nam ut ait Auguſtinus epiſt 144. & lib. 12. Confeſſ. cap. 1. *Cùm nos hujus habitatu, quâ lex veriſſimè impletur, pauperes egenteſque ſentimus, non de inopia noſtra divitias ejus exigere, ſed orando petere, quærere, pulſare debemus. Longior porrò eſt impetratione petitio, & operoſior eſt manus pulſans quàm ſumens.* Confeſſarius ergo, cui non eſt datum ſcrutari renes & corda, peccatoribus in eadem ſemper flagitia recidentibus & perpetuò fallentibus non debet citò credere, quantumvis ore aſſerant ſe vitam commutaturos, & jam cordis reſolviſſe glaciem ob quaſdam vocum piarum formulas à ſe prolatas, & gratiâ converſionis ſe affici, quam nec ardenter petiverunt, nec ſtudioſè quæſierunt, nec inſtantibus pulſationibus, lacrymis & ſatisfactionibus poſtulaverunt. Maximè quia licèt peccator ille momento eſſe poſſit per ſummum miraculum converſus, attamen ut id exploret, cordibus non illabitur judex ſpiritalis. Eſt igitur & officii & prudentiæ ejus per aliquod tempus differre abſolutionem, ut veris pœnitentiæ fructibus converſionis ſinceritatem exploret, ne præcipiti veniâ & fallat & fallatur. Nec reluctabitur ſi verè converſus ſit, cùm genuinus ſinceræ converſionis character ſit cor humiliatum ſe veniâ indignum arbitrans, & Sacerdotum judicio ſine repugnantia vel exceptione ulla ſe permittens. Ergo ne conceſſâ imparato impœnitenti præproperâ reconciliatione vincula Confeſſarius implicet, quæ relaxare vult; ne abortiones filiorum ſpiritualium procuret, & exorientis vitæ ſcintillas obruat, uſitatum gratiæ curſum teneat, paulatim ſenſimque procedat, quem prudenter reconciliationi immaturum judicat, impoſitis peccandi inducus per pœnitentis vitæ aliquos labores ac dolores ad parturiendam novam in Chriſto creaturam diſponat, & ſanctiſſimis Ambroſii in Pſalm 37. & lib. 3. epiſt. 19. monitis morigeretur: *Medicus medendi tempus expectat, ut digeſtis ægritudinibus medicinæ ſubſidia deferantur, ne acerba adhuc & immatura, ut aſſerunt, ægritudo curationum remedia eeluctetur, & beneficium ſentire non poſſit. Nam etiam medendi periti, cùm vident notas ægritudines, ut ipſi appellant, medicinam quidem non adhibent, ſed tamen medicinæ tempus expectant: nec deſerunt invalidum, ſed lenioribus verbis, aut quibus poſſunt, palpant delinimentis; ne aut intermiſſa ægritudo deſperatione animi graveſcat, aut crudior medicinam reſpuat, eo quòd ad maturitatem pervenire nequeat, ſi indigeſta inſolens rerum hujuſmodi Medicus adhibeat manus.*

Denique quantum id expediat, experientiâ rerum magiſtrâ compertum eſt. Plures enim cernere eſt peccatores, quos abſolutionis habendæ confidentia in peccati cœno fixos detinuerat, hac una cunctationis & dilatæ abſolutionis medicinâ fuiſſe ſanatos. Qui licèt initio odioſam ſibi procraſtinationem illam, & diuturnæ pœnitentiæ moleſtias, quibus abſolutionis beneficium illis redimendum eſſet, ægrè ferrent, videntes tamen ſe hoc uno remedio convaluiſſe, & medicinam amant, & medico gratias agunt. Non ſecus ac infirmi in Medicum putriones amatas vel putridæ carnis ſectiones imperantem indignantur, in cujus deinde oſcula & amplexus adeptâ ſanitate ruunt. *Certi ſumus*, inquit egregiè Clerus Romanus epiſt. 30. ad Cyprianum. *quo ſpatio productioris temporis impetu iſto conſeneſcentur, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam; ſi tamen deſint qui illos armant ad periculum proprium, & in perverſum inſtruentes, pro ſalutaribus dilationis remediis exitioſa depoſcant illa properata communicationis venena.* Eadem quoque experientia perſpectum exploratumque eſt, innumeros abſolutionum facilitate & prodigalitate ad prolapſionis contagium provocari. *Facilitas enim veniæ*, ut præclarè inquit Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm. 8. *incentivum tribuit delinquendi. Hoc ideo dictum eſt, ut ſciamus ſecundùm verbum Dei, ſecundùm rationem diſpenſandam eſſe miſericordiam debitoribus. Medicus ipſe, ſi ſerpentis interiùs inveniat vulneris cicatricem, cùm debeat reſecare ulceris vitium, ne latiùs ſerpat; tamen à ſecandi urendique propoſito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit: nonne iſta inutilis miſericordia eſt, ſi propter brevem inciſionis vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vita uſus intereat? Rectè ergo & Sacerdos vulnus grave ne latiùs ſerpat, à toto corpore Eccleſiæ quaſi bonus medicus debet abſcindere, & prodere ulcus criminis quod latet, non fovere: ne dum unum excindendum non putat, plures faciat dignos quos excludat ab Eccleſia.*

Salvianus conſiderans olim hominum in humanis & ſecularibus curandis diligentiam, in iis, quæ Dei ſunt peragendis incuriam: *Solus Deus*, inquiebat, *in comparatione aliorum nobis vilis eſt.* Ad eundem modum de præproperis abſolutionibus, id eſt ſanguinis Chriſti diſpenſationibus dicere licet, *in comparatione aliorum negotiorum, ſola Sacramentorum adminiſtratio nobis vilis eſt.* Cùm enim divina remittendorum peccatorum poteſtas in neceſſariam converſa ſit abſolvendorum etiam inveterato-

rum

tum peccatorum ſervitutem, qui nec mores emendarunt, nec ulla præſeferunt pœnitentiæ ſigna, niſi centies & ſemper violata promiſſa, nullum eſt vel leviſſimum humanæ vitæ negotium, in quo major prudentia majorque cautela non adhibeatur. In rebus externis non verba duntaxat quærimus, ſed facta & effectus optamus: in mercibus, in jumentis, in bobus probandis & diligentiam adhibemus, & dum dubium ſuboritur, temporis diuturnitatem poſtulamus, nec temporis moram inutilem arbitramur; & omnibus, & ſemper, & ubique abſolutionem poſt ſexcenta violata promiſſa, nulla adhibita in diſpenſandis Chriſti myſteriis cautione impertiemur? Et ſi Superis placet, crudelitatis inſimulabimur, ſi iis abſolutionem differamus, qui iteratis lapſibus firmum ſibi vitæ in melius commutandæ propoſitum non adeſſe fidem faciunt? Quid ſupereſt, ſi poſt innumera vitia his temporibus falſis coloribus oblita, illa etiam quæ inanium probabilitatum pigmentis velari palliarique non potuerunt, abſolvendi facilitate ſicut aqua bibantur? Quarandem viâ ſcelerum frequentiæ, quâ orbis laborat, medebimur, ſi unicum quod reliquum eſt procraſtinandæ abſolutionis remedium eripiatur? Ergo omnis Eccleſiaſtica diſciplina labefactetur, omnis Chriſtianorum ſalus nefariè prodatur, omnis converſionis ſpes extinguatur, omnibus vitiis aditus & impunitas aperiatur neceſſe eſt, ſi peccatoribus in eadem flagitia relabentibus abſolutio toties quoties concedenda ſit, etiamſi emendationis futuræ ſpes nulla probabilis, id eſt factorum teſtimonio probata appareat. Ergo in hoc caſu non languidis voluntatis deſideriis & commotiunculis ſterilibus & vanis, quas nihil bonæ frugis allaturas tot præcedentibus experientiis convincitur, contentus debet eſſe Sacerdos, ſed exigere factorum pignora, quibus nixus prudenter exiſtimare poſſit, fractam toties fidem ac converſionis ſponſionem tandem aliquando effectum ſorrituram. Imitentur viri Apoſtolici Jacobum Apoſtolum, & ſicut iſte fidem operibus vacuam, inanem & mortuam pronuntiavit; ita illi irrita & infrugifera, ac toties fallentia deſideria pœnitentiam vanam, fallacem, emortuam meritiſſimè judicent. Qualis enim ſit voluntas exitus docet, conſiliorumque ſinceritas non verborum ſonis, non lacrymis doctis mentiri, non pollicitationum nunquam exequutioni mandatarum præſtigiis ab amore ſui profectis, ſed veris factis exploratur. Igitur relapſi peccatores antea quàm abſolvantur, priùs debent mentem verbi divini pabulo & cœleſtium rerum meditatione paſcere, animæ maculas lacrymis ac voluntatis pœnis eluere, ablata reſtituere, cum inimicis in gratiam redire, à vitiorum conſuetudine & viſco ſe expedire, & in pœnitentiæ exercitationibus tamdiu hærere, quoad neceſſe fuerit, ad impuras vitiorum imagines divinarum rerum meditatione abſtergendas, ad curanda gemitibus mentis vulnera, ad inveterata odia ex animo evellenda, ad opprimendos laſcivientes carnis motus morum depravatione fortiores, ad exitiales denique, quibus in peccati ſervitute detinentur, laqueos diſſolvendos.

Confirmatur ex ſacris Conciliis, quæ licèt conceſſam agnoſcant Eccleſiæ poteſtatem lapſis remittendi peccata quotieſcumq; ad ipſam cum vero pœnitentiæ ſenſu confugerint, in ejuſmodi tamen poteſtatis uſu prudentiam, cautionemque maximam adhibendam eſſe conſuerunt, ne indulgentia promiſcua & indignis conceſſa non modò culpas non abſtergeret, ſed & peccandi audaciam ingereret ac conſuetudinem nutriret. Hinc Concilium Toletanum III. ſub Pelagio II. can. 11. coërcendam eorum præſumptionem ſtatuit, qui quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari velint. *Quoniam*, inquit, *comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari poſtulent: ideo pro coërcenda tam execrabili præſumptione id à Sancto Concilio jubetur, ut ſecundùm formam Canonum antiquorum detur pœnitentia.* Gregorius etiam VII. in minori Britannia Synodum haberi juſſit, ad morem illum perniciosum evellendum, qui in illa regione Sacerdotum ignorantiâ inoleverat, ut eorundem criminum conſeſſi abſque ulla prævia emendatione abſolverentur. *Sacerdotalis culminis dignitas* (inquit Pontifex lib. 7. epiſt. 10. in Epiſcopos & Sacerdotes Britanniæ,) *tum imperitiâ, tum negligentiâ Sacerdotum, ſicut veſtra dilectio novit, ex longo jam tempore peccatis exigentibus fuit collapſa. Ex qua quidem re quaſi ex peſtifera radice innumera mala exorta ſunt, adeo ut uſque ad hac noſtra tempora, inter cætera quæ malè pullulant vitia, falſa nihilominus pœnitentiæ conſuetudo inoleverit. Infructuoſam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel ſimili, vel deteriori, vel parùm minori permaneatur. Unde quiſque dignè vult pœnitere, neceſſe eſt ut ad fidei recurrat originem; & quod in baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet pompiſque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo, & mandatis ipſius obedire, ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, quemiam aliter ſimulatio dici poteſt, non pœnitentia, illi peccatorum ſuorum remiſſionem, Apoſtolicâ freti poteſtate largimur: inſuper æterna beatitudinis gaudia de Omnipotentis Dei miſericordia conſiſi promittimus.*

Idem docent SS. Patres, qui licèt fateantur eos qui gratiam ſemel acceperunt, ab ea poſſe excidere, criminum tamen & converſionum perpetuam viciſſitudinem rem eſſe vulgatem & quotidianam, nunquam ſibi, nunquam aliis perſuadere potuerunt: ſed eos nunquam pœnitentiæ ſolidum ſenſum habuiſſe cenſuerunt, in quorum factis nullum mutationis veſtigium apparet; rati repentinas illas converſiones, quæ punctum temporis durant, ſtatimque evaneſcunt, falſas eſſe & fallaces, veriſque converſionibus minimè eſſe annumerandas. *Irriſor eſt, & non pœnitens*, inquit S. Iſidorus lib. 2 ſentent. cap. 16. *qui adhuc agit quod pœnitet; nec Deum videtur poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Canis reverſus ad vomitum, eſt pœnitens ad peccatum. Multi enim indeſinenter lacrymas fundunt, & peccare non deſinunt. Quoſdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, & effectum pœnitentiæ non habere conſtat; quia inconſtantiâ mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc verò reviviſcente uſu, ea quæ fleverant iterando committunt.* Idem docet Magnus Gregorius 3 part. Paſtoral. admonit. 31. *Conſiderare ſollicitè ſciant*, inquit, *quia flendo inaniter ſe mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cùm idcirco ſe lacrymis lavant, ut mundi ad ſordes redeant. Et qui admiſſum plangit, nec tamen deſerit, pœnæ graviori culpæ ſe ſubjicit, quia & ipſam quam flendo veniam potuit impetrare, contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum volvit: quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas ipſas lacrymas facit.* Id ipſum etiam præclarè tradit Petrus Bleſenſis tractat. de Confeſſione Sacramentali, his verbis: *Putant aliqui ſibi ſufficere, quod aliquandiu à ſua turpitudine deſtiterunt, atque de primitiis arrepta continentia præſumentes, veteres exceſſus non revolvunt; & quaſi ſpatio temporis evanuerint culpæ, vel earum oblitus ſit, aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis brevi pœnitentia*

compendio tranſegiſſe. : : : *Non ſine dolore cordis acerbiſſimo, & anxia cordis afflictione ſanantur, quæ longo uſu inolita & intimis animarum medullis infixa ſunt. Nec horariâ & levi contritione redimi poſſunt, quibus mors æterna debetur.* Et poſt pluta : *Nemo itaque de momentanea contritione vel affluentia lacrymarum præſumat.* : : : *Si ſenſeris in te gratiam compunctionis & affluentiam lacrymarum, non tamen ideo te ſtatim arbitreris Domino reconciliatum.* : : : *Vides profectò quàm gratum Deo ſit ſacrificium lacrymarum, & pro omnibus delictis ſufficiens holocauſtum. Sed quibus? Confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, ſed in ſpiritu humilitatis & in animo contrito fugientibus ad pia viſcera IESV, & continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.*

Ex quibus omnibus ſic formatur demonſtratio: Sacerdos non debet abſolvere niſi quos veræ pœnitentiæ ſpiritu agi probabiliter exiſtimaverit, niſi velit exiſtere ſibi traditæ poteſtatis diſſipator, non diſpenſator fidelis: maximè cùm Sacramentum pœnitentiæ non ſolâ peccatorum recitatorum abſolutione conſtet, ſed etiam actus pœnitentis, ideſt *veteris vitæ odium, novæ propoſitum, ceſſationem à peccato, novæ vitæ inchoationem, laborioſamque ſatisfactionem*, juxta Sacrum Concilium Tridentinum importet : ergo fruſtra eos abſolvet, quos non probabiliter crediderit, velle ſincerè ceſſare à peccatis, novam vitam inchoare, ſatisfactionis laboribus defungi. Atque ille qui in iterata flagitia nullâ emendatione interrupta relabitur, ex Patribus memoratis non veræ, ſed falſæ pœnitentiæ ſpiritu agitur, etiamſi lacrymis affluat, quas *ſordidas & lutoſas* vitæ inconſtantia reddit. Ergo multò minùs hujus ſæculi tenebentes, qui nec compunctione vehementi anguntur, nec lacrymis affluunt, ſed ſterilibus verborum pollicitationibus contenti ſunt, abſolvendi ſunt, nec tales habendi, ut eos in eadem peccata revolvendos meritò credendum non ſit. Certè ſanitas animæ non ex verborum foliis, ſed ex operum fructibus; non ex imperfectis mollis voluntatis deſideriis, quæ toties infructuoſa fuiſſe deprehenduntur, & quibus, authore Bernardo, inferi referti ſunt, ſed robuſtis & efficacibus, atque in opera ſeſe fundentibus affectibus dignoſcitur. Cùm enim vitia voluntaria ſint, nemo criminum morbis vexatur invitus. Ergo qui illis alternis vicibus ſine ulla emendatione laborat, & quæ hodie deflet, cras admittit, nondum ab illis plenè alienam gerit voluntatem; ad Deum converti nec fortiter vult, nec integrè, nec ſincerè, ſed ad ſummum, ut Auguſtinus loquitur, ſemiſauciam hac atque hac verſat & jactat voluntatem, partem aſſurgentem, cum alia parte cadente luctantem. Eſt igitur præſcripto à prudente confeſſario tempore ac ſalubri pietatis pœnitentiæque exercitatione injunctâ examinandus, ne Sacramentum invaliditatis periculo temerè exponatur.

Eandem doctrinam exertè tradidit, verbiſque & factis probavit Epiſcoporum gemma & Eccleſiaſticæ diſciplinæ archetypus S. Carolus Borromæus, à cujus vita & moribus ſincera decretorum Sacri Concilii Tridentini intelligentia repetenda eſt. Quomodo enim non eſſet Concilii ſenſum germanum aſſequutus Sanctiſſimus Cardinalis, qui ſanctam Synodum apud avunculum ſuum Pium IV. perficiendam curavit & impetravit; qui perveneràbilis cœtûs Patres & vidit, & affatus eſt diligenter; qui ejus autem Catechiſmo præfuit; qui Congregationem Cardinalium Sacri Concilii interpretum deligendam curavit, cujus & ipſe membrum fuit; qui ampliſſimæ Diœceſis & amplioris provinciæ ſuæ adminiſtrationem ad decretorum Concilii amuſſim exegit; qui in omnibus Conciliis Provincialibus & Epiſcopatibus quibus præfuit curſpectavit ut Tridentina juſſa perficeret, & ſancta vota impleret; qui ad reſtituendam collapſam diſciplinam & pœnitentiam, exemplum toti Eccleſiæ quàm latè patet Catholicæ propoſitum à Deo eſt ad imitandum; qui innſitatis & ad miraculum extraordinariis dotibus in unum hominem congeſtis deſignatus eſt, quem in inſtaurando pœnitentiæ ſtudio univerſa Eccleſia intueretur; qui & generis claritate, & copiarum abundantiâ, & Archiepiſcopalibus infulis, & purpuræ ſplendore, & Pii IV. affinitate tam propinquâ, & quod magis eſt, ſapientiæ cœleſtis lumine, vitæ ſanctitatis præſtantiâ rara in tribulationibus immobilis animi firmitudine, Epiſcopali temperato ſuaviſſimâ dilectione zelo & vigore, incredibilis & penè importabilis pœnitentiæ aſperitate, denique eximiis omnibus & ſingulis ornamentis illuſtris fuit, quibus vel in Eccleſia, vel in ſæculo ſumma dignitatum eminentia & majori ſanctimonia conciliari queant.

Hanc autem fuiſſe Viri divini mentem luculenter teſtantur hæc verba, quibus & antiquam canonum diſciplinam commendat, & obſervandam in concedenda reconciliatione cautionem præſcribit: *Patres docuerunt*, inquit in Inſtruct. pœnit. Actor. part. 4. pag. 523. *quàm neceſſaria admodum ſit Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium confeſſionibus verſantur, Canonum pœnitentialium ſcientia. Etenim ſi omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentiâ ſolùm ac pietate, ſed juſtitiâ etiam metienda ſunt, certè norma hæc è Canonibus pœnitentialibus ſumatur oportet. Sunt namque ii quaſi regula quædam, quibus cùm ad culpæ commiſſæ gravitatem rectè dignoſcendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam Sacerdotes Confeſſarii ita diriguntur, ut ubi ſingula & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis ſtatum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum demùm pœnitentiam judicio ac prudentiâ ſuâ moderentur.* Et in inſtructione Italica Confeſſariorum, quæ habetur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſ. part. 4. pag. 769. *Sacerdotes*, inquit, *Canones pœnitentiales teneant. Quanvis enim prudenter & conſideratè pro pœnitentis dolore, hominumque varietate, aliiſque circumſtantiis attemperari poſſint & debeant, eos tamen obſervari atque ut formam & regulam, quantum expedire videbitur, exprimi ſemper laudabile eſt.* Hanc autem ſeſe ad Canones conformandi neceſſitatem non ex propria mente, ſed ex Patrum fontibus hauſerat B. Carolus. Sic enim decrevit Cœleſtinus I. epiſt. 3. cap. 1. *Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum regulis poſſit obviare.* Et Gregorius VII. in Concilio Romano : *Falſas pœnitentias pronuntiat, quæ non ſecundùm authoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur.* Unde nihil magis doctrinæ Patrum conſentaneum, quàm pœnitentiæ exercitationes ante abſolutionem & Sacram Communionem tantiſper ſubire, & animum ſuum ad Sacramentorum uſum excolere. Quod quidem ut omnibus peccato mortali maculatis ſaluberrimum foret, ita & illis toties emendationis propoſitum negligentibus neceſſe eſt, ut tandem verborum fidem adſtruant, & converſionis ſinceritatem Sacerdoti compertam efficiant.

Id ipſum apertiùs ſignificavit Præſul Sanctiſſimus, dum docuit nihil ad fovendas vitiorum conſuetudines eſſe præproperis abſolutionibus cónducibilius, nihil ad eam minuendam aptiùs, quàm ſi peccatores ad agendam aliquandiu pœnitentiam ablegentur, neque priùs abſolvantur, quàm veris vitæ emen-

emendatæ argumentis animi converſionem teſtatam fecerint. *Vt norint Confeſſarii* (inquit in inſtructione Confeſſariorum, pag. 765.) *non conferendum iis abſolutionis beneficium, qui reverà eâ indigni ſunt (quod per incogitantiam, negligentiam, vel alia ex cauſa plerumque contingit; unde fit ut quamplurimi in iiſdem peccatis cum ingenti animarum ſuarum exitio longo tempore perſeverent :) Nos de conſilio multorum tum ex Clero, tam ex variis Regularium familiis Theologorum, quid in iis caſibus qui frequentiùs incurrunt, obſervari debeat, infra notabimus.*

Deſcendens autem Vir ſanctus ad caſus ſingulares, ait in primis, iis differendam eſſe abſolutionem, qui veſtium immoderato luxu labuntur. *Quia*, inquit, *his temporibus luxus iſte eò proceſſit, ut jam ultra quò progrediatur non habeat; idque magnam partem culpâ & negligentiâ Confeſſariorum, qui ſine ulla circunſpectione, ac fortaſſis ne admonitis quidem omninò eâ de re pænitentibus, eos abſolvunt.* Docet deinde iis abſolutionem eſſe differendam qui peccandi occaſiones non ſtudioſè declinant, donec poſtquam promiſſis non ſteterunt, eâ ipſa ab illis illecebris ſe expedierint. Nec obeſt quod illis ſine incommodo carere non poſſimus : immutabilis enim & æterna Dei lex non eſt noſtris commodis dimetienda vel inflectenda; cùm voce Veritatis dictum ſit, univerſi etiam orbis poſſeſſionem & lucrum pro nihilo putandum ubi animæ ſalus agatur. *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te* (inquit Chriſtus Matth. cap. 5. & cap. 18. & Marci. 9.) *abſcinde eum & projice abs te : bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te : bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quibus verbis res maximè utiles, charas & quibus ſine grandi incommodo & mentis acerbitate carere non poſſumus, procul amovere præcipimur, ſi ſpiritualis ruinæ occaſionem afferant. *Etſi*, inquit os Chryſoſtomi aureum hom. 17. in Matth. *tantùm aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice : aut ita tibi quempiam eſſe utilem putes, ut eum dextræ manûs habeas loco; & hi tamen animæ tuæ fortaſſis incommodent, etiam iſtos à te abſcinde. Et quidem vim ſermonis obſerva. Non enim dixit, à talium ſocietate diſcede: ſed maximam ſeparationem indicans: Erue, ac projice abs te.*

Ad circunſtantias adhuc magis individuas progrediens vir oculatiſſimus & ſanctiſſimus, peccandi occaſionibus annumerat res per ſe & ex officio innoxias, è quibus tamen peccandi occaſionem homo præ infirmitate nanciſcitur, quem abſolvi vetat niſi aut illâ occaſione dimiſſâ, aut certè aliquo temporis ſpatio rebus illis ad peccandum non utatur. *Sunt*, inquit in inſtructione Confeſſar. pag. 767. *aliæ occaſiones, quæ ſuapte naturâ quidem tales non ſunt, ſed hominum quorundam ratione : velut pleraque res per ſe licita, in quibus ſi pænitens hæreat, ut antea fecit, meritò iiſdem rurſus criminibus implicandus videatur. Tales plerique ſunt temporum iniquitate ac vitio, militia, mercatura, magiſtratus, cauſidicorum & procuratorum munia, aliaque hujuſmodi, in quibus qui ſæpe mortaliter peccare conſuevit, blaſphemiis, furtis, iniquis judiciis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, aliiſque ſimilibus culpis exploratum habet, ſi in eadem profeſſione permaneat, eaſdem ſibi peccandi occaſiones eventuras : Neque verò credendum, plus ſibi virium ad peccatum vitandum fore, quàm prius habuerit; ideoque in eadem peccata prolapſurum. Quamobrem ejuſmodi homines aut vitæ rationes ſibi adeo periculoſas deponere debent, aut certe in iis non verſari, niſi de pii prudentiſque Sacerdotis conſilio, qui neminem ſic affectum abſolvere debet, ut probabile cenſeat in eadem peccata recaſurum, ſi in iiſdem ocaſionibus perſeveret, ſed certum temporis ſpatium ſumere ad emendationem illius explorandam. Atque hic eò magis evigilandum eſt, excubandumque animo, quod confeſſorum culpâ & inertiâ factum videmus, ut in pleriſque artibus & profeſſionibus innumeræ corruptelæ & graviſſima delicta paſſim vigeant, ſine quibus res alioquin juſtiſſimæ tam à paucis admodum factitari poſſe videantur.*

Ergo ex mente S. Caroli non ſolùm peccatoribus in peccata mortifera ſæpe labentibus abſolutio differenda eſt, ſed etiam eo authore præproperæ abſolutiones fontes ſunt unde innumeri abuſus & infinitæ corruptelæ proficiſcuntur, quibus omnes artes, omneſque profeſſiones ita inficiuntur, ut à ferè nullis ſine certa pernicie tractari queant. Unde Sacerdotes non debent relabentes priuſquam vitæ in melius commutatæ argumenta viderint, inconſideratâ facilitate abſolvere. Quàm veriſſimam regulam à Patribus acceperat eximius Cardinalis. Ita enim docuit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio II. can. 22. his verbis: *Falſa fit pænitentia, cùm pænitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Ita docuit Gregorius VII. in Concilio Romæ habito : *Quicumque miles*, inquit, *vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pænitentiam venerit, cognoſcat ſe veram pænitentiam non poſſe peragere, niſi arma deponat, ulteriuſque non ferat niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia; vel negotium relinquat, vel officium deſerat.* Ita docuit Magnus Gregorius hom. 24. in Evangelia : *Sunt*, inquit, *pleraque negotia, quæ ſine peccatu exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt ut poſt converſionem animus non recurrat.*

Denique ſanctiſſimus Antiſtes totam hanc doctrinam his luculentiſſimis verbis eòdem loci confirmat : *Confeſſarios monitos volumus, ut iis quos peccata non dimiſſuros probabiliter exiſtimabunt, quantumvis polliceantur ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros, abſolutionem procraſtinent, quoad emendationem perſpexerint. Nominatim iis qui per multos annos in eadem peccata prolapſi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint.* Non poteſt autem rectè judicare Sacerdos peccatorem ſæpe relapſum, ſæpeq; promiſſionum iteratarum violatorem in ſancto non peccandi propoſito permanſurum, niſi mentis ad Deum converſionem pœnitês factis teſtatam fecerit. Soli enim illi ut eſt communis Patrû omnium vox, veram pœnitentiam agere cenſendi ſunt, qui dignos pœnitentiæ fructus vitæ ratione ad meliorem frugem deinceps inſtituta exhibent, non verò qui perpetua peccatorum & confeſſionum viciſſitudine & replicatione vitam alternant, qui ſordes Sacerdoti aperiunt, ad eas primo quoque die redituri, qui poſt confeſſionem & iidem ſunt & eadem operantur, quorum ſcelera Sacramentorum uſus etſi tantiſper ſuſpendat aut intermittat, non abrumpit tamen. Præclarè S. Iſidorus Hiſpalenſis lib 2. Sentent. cap. 13. & 16. *Ille pænitentiam dignè agit, qui ſic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, eſt quaſi ſi quis lavit laterem crudum, quem quantò magis laverit, tantò ampliùs lutum facit.*

Beati Caroli veſtigia ſequutus eſt S. Franciſ-

cus Saleſius Genevenſis Epiſcopus, qui ut in ejus vita proditum eſt, S. Borromæum ſibi ducem imitandum propoſuerat. Et quanvis piiſſimus ille Antiſtes ad Hæreticos ad Eccleſiam revocandos divinitus electus ſit, ideoque Genevæ Hæreticorum Babyloni Paſtor præfectus; diſciplinæ tamen Eccleſiaſticæ & pœnitentiæ inter Catholicos reſtaurandæ zelo flagravit. Fuit quidem illi, fateor, cœleſtis inſtillata lenitas atque eximia manſuetudo ad animos demulſis cordibus Deo diviciendos; fuit in illo charitatis eximia teneritudo ſuavitate diffluens & redundans, quâ paternis viſceribus & pietate ex animo corpus veluti irradiante omnibus omnia factus, peccatores omni manſuetudine & miſericordiâ complectebatur, & vel duriſſimos flectebat, vel immaniſſimos ad benevolentiam alliciebat. Veruntamen iis quos regendos ſuſceperat, pœnitentiæ ſtudium & praxim, arctamque mortificationis viam, quæ ſola in cœlum ducit, vehementer indicebat: & quia probè noverat cor non poſſe divinâ charitate mutari quin pœnitentiæ laborioſæ exercitationibus vitiorum ſtirpes evellat, paſſiones comprimat, illicitarum anteactæ vitæ voluptatum fluxum etiam licitarum privatione caſtiget, ideo pœnitentiæ labores pro gravitate criminum animabus quantùm erant ad eos ferendos idoneæ imponere ſolebat.

Eidem ſententiæ ſubſcripſit eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, ad annum 253. num. 79. ubi cum retuliſſet verba Cleri Romani ſcribentis ad Cyprianum, quibus decernit pœnitentem morte urgente eſſe reconciliandum, etiam non abſolutâ impoſitâ pœnitentiâ; ſi tamen profeſſâ frequenter ſuorum deteſtatione factorum, lacrimis, gemitibus, fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodidiſſet, infert Baronius: *Quàm ergo parùm tuta, quamque dubia ſit illa feſtinanter exhibita reconciliatio etiam petentibus eam cum lacrymis, dicta nuper ſententia declaravit.* Ergo ex mente ſapientiſſimi Cardinalis præproperæ illæ abſolutiones quæ idoneos pœnitentiæ fructus antecedunt, parùm tutæ & ancipites cenſendæ ſunt.

Idem docuit eximiæ ſanctimoniæ & doctrinæ Cardinalis Joannes Gropperus in præclaro de Inſtitutione Catholica opere, ubi non ſolùm pœnitentiam publicam revocari exoptat, quam *ſolâ vel incuriâ, vel inſcitiâ Præſulum Eccleſia exoleviſſe & pene abolitam eſſe* deplorat, quàm *rem ſummè neceſſariam eſſe* ait, *præſertim hoc deploratiſſimo tempore, quando omne flagitiorum genus ita ubique ſine pudore inundat, ut flagitia vix pro flagitiis habeantur*; ſed in ſpeciali de abſolutione peccatoribus danda ait pag. 231. *Non relaxari in Eccleſia gravia crimina, niſi ſatisfactione ſuſceptâ & peractâ.*

Illum etiam fuiſſe avitum Confeſſariorum Sacræ Patrum Societatis Jesu ſpiritum patet non ſolùm quia P. Adornus Jeſuita in condendis ſuprà relatis S. Caroli decretis, quibus hæc noſtra doctrina apertiſſimè traditur & præcipitur, affuit, ſed etiam quia S. Xaverius hanc diſciplinam in primis probavit, eam Confeſſariis Societatis inſpirare ſolitus: *Confeſſionem*, inquiebat referente Turſellino lib. 6. vitæ S. Xaverii, cap. 17. *non continuò ſequetur abſolutio.* Arbitrabatur enim vir Apoſtolicus, peccatorum animos lacrymis, meditationibus, reſtitutionibus, reconciliationibus, aliiſque voluntariis pœnis eſſe ad abſolutionis gratiam præparandos: *Hæc omnia*, inquiens, *abſolutionem præcurrunt rectiùs quàm ſequuntur.* Et quanvis vir Sanctus inter confeſſionem & abſolutionem bidui aut tridui moram exempli gratiâ afferat, quò magis peccatores ad pœnitentiam induceret, eoſque refractarios brevi ac facili additu allectaret; eſt tam judicio illius omninò conſentaneum, ut cùm opus fuerit, pœnitentibus longius temporis ſpatium adhibeatur. Cùm enim idcirco illâ intercapedine utendum cenſeat, ut ablata reſtituantur, ut ſimultates deponantur, ut enim *a libidinis conſuetudine, cæteriſque quibus implicitis ſunt flagitiis expediantur*, clarum eſt viri ſancti judicio longius communiter temporis ſpatium adhibendum eſſe, cùm tantulo tempore à depravatorum morum conſuetudine rariſſimi emergant, etſi aliquando id contingat, cujus illuſtre exemplum in vita S. Vincentii Ferrerii extat. Idem S. Xaverii ſpiritus perſpici poteſt in tractatu de ſanctiſſimo Sacramento à Patre de Bonis edito, ubi ſic habetur: *utiliſſimum remedium eſt adverſùs iteratos relapſus, multiſque probatum experimentis, abſolutionem peccatoribus differre, ut ſe aliquâ pœnitentiâ ad Communionem comparent. Varia igitur pœnitentiæ officia ipſis imponenda ſunt, quibus ad cognitionem, dolorem & deteſtationem peccatorum perducantur. Hoc autem niſi fiat, peccatores ſtatim ad vomitum redeunt. Hoc inſtitutum multis peccatoribus profuiſſe teſtantur graves & prudentes Religioſi.*

Primò, inquit P. Emericus de Bonis è Societate Jesu, in lib. quem *Speculum Confeſſionis* inſcripſit, caveant qui confeſſiones excipiunt, ne iis temerè abſolutionem indulgeant quibus negare oporteat, indignis videlicet & imparatis omnibus, qualis eſt quem admiſſorum in ſe criminum non pœniteret, aut cui diſcedendi à priſtina pravitate certa voluntas non eſſet, vel qui damna ſeu bonorum, ſeu famæ, ſeu cujuſlibet alius rei, quibus opus eſt, cùm poſſit, rependere abnueret, aut qui morifera peccati occaſiones vitare nollet; quoniam eorum nemo eâ vi doloris tangitur, quâ neceſſe eſt ut abſolvatur, cùm vel illa imperfecta, quæ attritio dicitur, contritione careat.

Secundò, ſacræ Pœnitentiæ adminiſter pœnas non ſolùm præteritis criminibus expiandis congruas pœnitentibus imponat, ſed queis præterea tanquam ſalubri antidoto à futuris deinde præſerventur. Nec ei muneri ſatisfacere putandus eſt, qui vel corona precaria, aut ſeptem Pſalmis Pœnitentiæ recitandis, aut levioribus etiam rebus mulctatur eos quorum peccata multis jejuniis, flagellis, eleemoſynis, ciliciis, & peregrinationibus eſſent expianda. Et quia neque duræ, neque difficiles ſunt impoſitæ fit ut citò ad priora flagitia relabantur.

Tertiò, ſi Confeſſarius ille ſedulò perpenderet de animabus iis Deum à ſe exacturum eſſe rationem, proculdubio majori tum ſibi, tum aliis cura provideret. Audiat Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. ſibi præcipiens: *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere: ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Falſas appellat D. Gregorius, ut refertur *cap. Falſas*, de pœnit. diſt. 5. omnes piaculares pœnas juſto leniores: non quod irritam confeſſionem putet, ſed quòd occaſionem præbeant erroris pœnitentibus, qui impoſitis ſibi à Confeſſario pœnis, divinæ juſtitiæ ſe feciſſe ſatis arbitrentur.

Pius Abulenſis Epiſcopus quæſt. 49. in cap. 18. Mat. Confeſſarium peccare ait qui non perſpecta criminum qualitate pœnam irrogat.

Adrianus Papa VI. in 4. Sent. diſt. 20. ait maleficiorum, ſcelerum, criminum in Deum commiſſorum prudenter dandam à Sacerdotibus veniam eſſe. Et Major, non eſſe amici veri leviores pœnas imponere, nec prudentis à ſibi rectè providentis quærere,

aut

aut adeptis gaudere. His omnibus teſtimoniis efficitur, ut Confeſſarius qui abſque legitima cauſa, ob multas graves noxas pœnas leviores infligit, officio ſuo deſit, nec ſuſcepto munere ritè fungatur.

Septem annos pœnarum ob peccata quædam lethalia Canones decreverunt. Et quanvis ad ſolum Deum, cui interior animi pœnitentia patet, congruam unicuique peccantium pœnam aſſignare pertineat; Confeſſarius tamen pro qualitate criminum, proclivitate ad peccatum, admiſſorum dolore, emendationis ſpe, viribus & conditionibus pœnitentium, convenientes imponendi munus incumbit. Non enim rectas prudentiæ regulas ſequeretur, qui largas eleemoſynas pauperibus, longa operariis jejunia, debilibus atque ægrotis flagella & cilicia imperaret.

Ipſe præterea meminerit, rem eſſe valde utilem, & longo plurimorum Confeſſariorum uſu firmatam, abſolutionem aliquando ſuſpendere, & ut ii qui frequenter in peccata recidunt ad ſacrum tribunal iterum ſe ſiſtant, interimque duris & operoſis quibuſdam pœnis propitiando Numini operam dent, maximè ſi peccata laſciviæ ſint, impellere. Id quia pauci præſtant, multi ad meliorem frugem nunquam ſe recipiunt, cùm è contrà à peccatis abſoluti, ſi tamen abſoluti dicendi ſunt, ipſa die aut paulò poſt ad eadem ſua crimina revertuntur. Unde non temerè conjectura fit, eos qui imparati ad Sacramentum acceſſerant, abſque peccatorum venia diſceſſiſſe. Confert enim ipſa gratiam, cujus ope anima certè aliquandiu peccatis reſiſtere poteſt. At illi è contra citò, nec ab ulla gravi tentatione vexati relabuntur. Sæpe etiam ipſi peccandi occaſiones quærunt & ſollicitant cupidines ſuas. Itaque optimum eſt eos cogere, ut iterum redeant ad tribunal, ut majori curâ deinceps ſibi caveant, & vitia ſua accuratiùs perſcrutentur. At fortaſſe non revertentur? Eo pejori loco res ipſis erit, dabunt enim argumentum certiſſimum eo dolore, eâque animi præparatione caruiſſe, quibus deficientibus à Confeſſariis abſolutio neganda eſt.

Quod ea quæ ab aliis pœnitentiæ adminiſtris eâ dare afferuntur, ſinite illos: præſtabunt ipſi Deo illas culpas nimiâ ſuâ facilitate ab iis quibus nimiùm indulgent admiſſas. Multò in peccatorum reos Confeſſarii crudeliores ſunt, quàm Medici in ægrotos, quibus ne moleſti ſint, ab aſperis unguentis & igne, cùm adhibitis eſt opus, abſtinent.

Quartò etiam atque etiam videant, quinam ad ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem ſint admittendi. Nefas enim eſt, abuſuſque intolerabilis eos ad ſacram Synaxim accedere, aut rem divinam facere, qui in turpium voluptatum cœno ſine ulla emendatione volutantur. Sunt tamen nimiùm multi qui ſæpiùs in hebdomade ſe inquinent, & tamen octonis, aut quinis & denis quibuſque diebus Synaxim ſumere, quia ita conſuevere, velint. Quo fit ut tanto animi ſtupore occalleant, ut nec ſtatum ſuum miſerrimum ſentire poſſint. Qui cùm priùs ſancto perculſi horrore & ſubmiſsâ veneratione trepidi ſacroſancta illa myſteria perciperent, audaces, intrepidi, & ſine pietate ſuſcipiant. Id inde manifeſtè arguitur, quòd eo ipſo die, dictu horrendum, ad eaſdem ſuas libidines revolvantur.

Ex his omnibus intelligere facilè poteſt Lector, quàm ardua ſit regendarum animarum provincia, quam meritò Gregorius Theologus, & poſtea Gregorius Magnus *Artem artium* appellarunt, quæve à Cardinali Berulio pietate magis quàm dignitate eminentiſſimo, uſque eò evecta eſt, ut unius animæ quàm regni cujuſvis quàmlibet ampliſſimi curam & adminiſtrationem magis arduam operoſioremque aſſeruerit. Nam vel nimiâ remiſſione atque indulgentiâ vel diſtrictiori quàm par eſt ſeveritate non prolabi, hoc opus, hic labor eſt. Nec ſine affuſo ſibi divinæ ſapientiæ lumine poteſt quis jura Dei ita tueri, ut ne hominum infirmitatem opprimat; vel ſic hominum imbecillitati obſequi, ut ne in jura Dei peccet. Utrinque anguſtiæ, utrinque periculum, vel ſi inani clementiæ umbone peccatores Sacerdos decipiens non expectet, *quod neceſſaria temporu remedia conducant cicatricem*, ut Clerus Rom. epiſt. 31. ad Cyprianum ait; vel ſi rigore indiſcreto *fortia tantùm loqui ſciat, non poſſibilia*, ut verbis utar Bernardi lib. 1. de conſid. cap. 5. *nec compatiatur naturæ, nec poſſibilitatem æſtimet*, ut Ambroſius alioquin diſciplinæ retinentiſſimus, in Pſalm. 118. faciendum monet. Quàm difficile, quàm lubricum, quàm charitatis & prudentiæ plenâ copiâ indigens miniſterium eſt Sacerdotum, ne dum lapſos erigere volunt, ipſi collabantur, ne pernicioſo obſequio vulnus benignâ attrectantes manu, ægritudinem foveant, ſeque ipſos vulnerent. Hinc B. Franciſco Saleſio 1. part. Introduct. cap. 6. teſte, Avila ex mille unum ad directoris munus eligendum cenſebat; ipſe verò ex decem millibus diſcernendum imperat, quia pauciores ſunt quàm dici poteſt, qui tantæ provinciæ ſunt pares. Hinc B. Thereſia quantum periculum ſit à ſemidoctis, tenui & exiguâ eruditione præditis, in vita ſua teſtatur. Sed quantâ præſertim in impertiendis abſolutionibus diſcretione opus ſit, ne flectent nunquam vel in acerbam ſeveritatem, vel in diſſolutiorem remiſſionem; ne vel in retinendo Sacerdotali rigore ſegniores aut verecundiores quàm par eſt ſint, vel contrà nihil de propoſito rigore remittant, vel condonent illis etiam, in quibus digni pœnitentiæ fructus viſuntur, declarat his ſalubribus perinde ac formidoloſis vocibus Magnus Baſilius epiſt. 2. ad Amphil. cap. 84. & 85. *Hæc autem omnia ſcribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probentur. Neque enim hæc omninò ex temporis ſpatio judicamus, ſed modum pœnitentiæ attendimus. Quòd ſi qui à propriis moribus non facilè avellantur, & carnis voluptatibus potiùs quàm Deo ſervire voluerint, vitamque ex Evangelio inſtitutam non amplectantur, nulla nobis cum illis intercedit communis ratio. Nos enim adversùs populum non credentem & contradicentem, illud audiſſe meminimus, Salvans ſalva animam tuam. Non ergo cum eis perire conſentiamus, ſed grave judicium reformidantes, & tremendam illam retributionis Domini diem præ oculis habentes, caveamus aliorum peccatorum ruinâ involvi.* Caveant ergò Confeſſarii ne per inanem clementiæ ſpeciem præſumptuoſam confidentiam vera pœnitentia deſtitutis peccatoribus ingerant, ne eos decipiant miſeros, ut qui poſſunt per ſinceram ac probatam converſionem Deo miſericordi precibus & operibus ſuis ſecurè reconciliari, ſeducantur ut magis pereant, & qui erigere ſe poſſent, plus cadant. Timeant ne in ſe cadat quod in ſui ſimillimos contorquet his vocibus Cyprianus tract. de lapſis: *Hoc ſunt ejuſmodi lapſis quod grando frugibus, quod turbidum ſidus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod navigiis ſæva tempeſtas. Solatium ſpei æternæ adimunt, arborem à radice ſubvertunt, ſermone morbido ad lethale contagium ſerpunt, navem ſcopulis ne in portum perveniat illidunt.*

Cùm ergo S. Carolus Epiſcoporum gemma, & Sacri Concilii Tridentini de pœnitentiæ diſciplina inſtauranda interpres & cuſtos hanc doctrinam luculentiſſimè docuerit, nec in alium ſcopum vir divinus collimaverit quam confirmatæ vel reſtitutæ à Tridentina Synodo diſciplinæ decreta diligentiſſimè implere, ut his verbis Ripamont. vitæ ipſius au-

thot lib. 2. pag. 107. 108. 111. teſtatur: *Sub Concilii Tridentini finem ſtatuit ingredi Apoſtolicæ perfectionis iter, vitaque inſtitutis exprimere ea quæ litteris & decretis comprehenſa eſſent.* Et iterum: *Graviſſimam hanc actionem ſuſceperat, ut Pontificatu ipſe adminiſtrationeque Eccleſia Mediolanenſis omnia Concilii Tridentini decreta diſciplinamque repræſentaret.* Cùm, inquam, hæc ita ſint, & ita eſſe Summi Pontifices & publicè agnoverint, & locupletiſſimi vitæ ipſius teſtes prodiderint, non poteſt hæc praxis ad ſacram Tridentini decretorum & mentis amuſſim exacta non haberi ſecura & certa. Nec dici poteſt virum ſanctum hac in parte ſicut & in cæteris inſtaurandis Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulis rigidiorem extitiſſe. Non, inquam, id dici poteſt: nam ut in concilio III. Provinciali Archiepiſcopus ſanctiſſimus profitetur, vix aut ne vix quidem inchoarat, nedum abſolverat quod aggreſſus fuerat. *Quod ſi quis veſtrûm*, inquit, *ſecus fortaſſe exiſtimat, quoniam in hac provincia aliquod majus Chriſtianæ pietatis ſtudium elucere videt quàm antea ſolebat, quàmque aliis fortaſſis locis apparet, na iſte planè quidem fallitur. Non eſt enim cur nos vel cum iis quæ proximè anteceſſerunt temporibus, vel cum aliorum factis actiones noſtras expendamus: ſed comparemus oportet cum ea ſanctè agendi formula nobis divinitus præſcripta, quaſi ob oculos verſabitur, facilè cernemus quàm longè ab ea diſtemus.* Nec rigidius exiſtimandum quod vir divino ſpiritu actus neceſſarium exiſtimavit: *Si quæ oves*, inquit orationibus in variis Conciliis Mediolanenſibus habitis, *impurâ vitiorum labe extabeſcunt, ſalis acrimoniâ ſananda ſunt. Quàm inanes & penè nefariæ voces hominum, qui populum noſtrum decipiunt dicentes: Pax, pax, & non eſt pax? Et quæ utilitas nobis exiſtet, ſi iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quadam indulgentiâ conciliemus?* Unde non poteſt ſtabilita à nobis ſententia reprehendi, quin eodem impetu Epiſcoporum hujus ætatis lumen S. Carolus reprehendatur.

Solvuntur objecta contra ſtabilitam de differenda abſolutione, temperandaque ejus frequenter relapſis impertienda facilitate, ſententiam.

Objicies primò: Conſuetudo Eccleſiæ eſt in omnibus æmulanda, ne novitatis meritò inſimulemur. Atqui paſſim in Eccleſia uſus abſolvendi quoſcunque aſſerentes ſe pœnitere, viget: ergo non eſt illis differendum abſolutionis beneficium.

Reſpondeo hanc ipſam objectionem ſæpe ſibi S. Carolum propoſuiſſe, & propoſitam contriviſſe. *Nec verò eſt*, inquit in Concilio II. Mediolanenſi, *cur à muneris noſtri ratione deterreamur, vel quia his paſtoralibus noſtris ſtudiis actionibuſque animos eorum exulceraſſe videamur qui filii ſunt perditionis, vel quia populares illæ, quibus quaſi foliis, deformes praviquе mores contegi ſolent, voces audiantur: Non ferunt hæc tempora veterum canonum ſervitutem: ſic jamdiu viximus; ita vixerunt, ita egerunt qui ætate nos anteceſſerunt: vita inſtitutam nihil eſt quod mutemus. At nos hæc atque alia ejuſmodi contemnamus.* *An verò fortaſſe*, addit in Concilio IV, *à curatione noſtra deterremur, quia hoc noſtro frequenti provinciæ ſanandæ ſtudio exulcerantur quorundam animi paſſim dictantium: Non ferunt hæc tempora veterum canonum & antiqua Eccleſiæ medicamenta? Imò ardentiùs progrediamur, quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maximè opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus diſciplina chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtauretur & conſervetur.*

Quare adverſæ ſententiæ non Eccleſiæ conſuetudo, ſed multorum abuſus favet. Neque enim Eccleſiæ conſuetudinibus & moribus accenſendum eſt quod à multis adversùs Spiritûs ſancti doctrinam, Apoſtolorum inſtituta, exempla Patrum, leges Canonum, Tridentinas Sanctiones, Sanctorum Epiſcoporum vota, & ſummorum Antiſtitum decreta fieri ſolet. Nec obeſt uſum illum in omnes Eccleſias ſerpere & dilatari, hoc enim duntaxat ſuadet abuſum ita effuſum ardentiùs coërcendum eſſe & Sacerdotali vigore fortiùs comprimendum. Errant ſanè & vehementer errant qui graſſantes Eccleſiaſticorum abuſus cum Eccleſiæ Catholicæ uſibus confundunt. Nam Eccleſiaſticam diſciplinam hominum vitio poſſe depravari fatetur Concilium Tridentinum, unde tot ad eam reſtituendam de reformatione ſanctiones edidit, nec minùs de reſtauranda collapſa diſciplina, quàm de opprimendis hæreſibus fuit ſollicitum. Hinc S. Carolus oratione habita in Concilio Mediolanenſi I. *Nota ſunt*, inquit, *vobis Eccleſiæ vulnera, graviſſima mala. Miſerabiliter prolapſa jacet Eccleſiaſtica diſciplina. Propè periit Chriſtianæ vitæ inſtitutio: conciderat penè ſalutarium rerum uſus, nulla ferè Cleri diſciplina, quaſique nullum populi in charitatis officiis ſtudium: prolapſus denique miſerabilem in modum erat totius ille ab Evangelii luce dimanans chriſtianarum virtutum ornatus. Vidimus provinciæ noſtræ faciem deformatam, nec planè collacrymabili illi templi Jeroſolymitani aſpectui diſſimilem.* Unde Chriſtianum orbem, oratione habitâ in Concilio VI. cum noſocomio ac valetudinario confert, in quo vis infinita languentium jaceat; additque eo deteriorem eſſe Chriſtianorum infirmitatem quò cum cæcitate ita conjuncta ſit, ut in tanta peccatorum, quibus mundus redundat, colluvione ne culpam quidem homines agnoſcant. Abſit ut inter conſuetudines Catholicæ Eccleſiæ uſus illos reponamus, tametſi multùm vulgoque frequentatos, ſed à Romanorum Pontificum, & ſacrarum Synodorum authoritate, Sanctorum Patrum regulis, Beatorum etiam his temporibus ad imitandum ſolenni apotheoſi ab eccleſia propoſitorum factis abhorrentes. Illud ergo Eccleſiæ conſuetudinibus annumeramus, non quod Eccleſia quandoque propter miſerrimi ac luctuoſiſſimi temporis calamitates gemebunda tolerat, ſed quod decretis probat, quod per Epiſcopos divini Spiritus flammâ ſuccenſos operatur, quod in Sanctis Patrum inſtituta conſectantibus extollit, quod collaudant Pontifices, quod univerſa demùm Eccleſia cum plauſu & fructu imperat & cum religione retinet, & ſummo honore veneratur. Cætera quàmlibet paſſim & à multis frequentata, inter abuſus reponenda ſunt ſi à Patrum inſtitutis, Canonum legibus, ſummorum Pontificum decretis, veteris Eccleſiæ uſu abhorreant. Res enim Eccleſiaſticas non moribus humanis, ſed divina auctoritate & Eccleſiæ Catholicæ traditione metiri oportet.

Quare in hoc negotio ſingulari & penè divina conſtantia Sacerdotibus opus eſt, ut humanarum quarumcunque rationum oppoſitas ſibi moles intrepidâ animi firmitate perrumpant, ſintque adversùs omnes obſiſtentium frangendos impetus *columna ferrea, muruſque æreus*, ut loquitur Jeremias cap. 1. Meminerint quantum malorum in omnes hominum ordines inconſultæ ac præcipites abſolutiones invexerint, & invehant inceſſanter. Illud præſertim præ oculis habeant, ut impertinentes quorumdam omnia ſibi non probata novitatis pueriliter inſimulantium criminationes deſpiciant ac floccifaciant, memores S. Carolum, cujus doctrinam propugnavimus, crebris tempeſtatibus ac procellis in omni vita jacta-

jactatum, & decreta illius *violenta, dura, iniqua, & nova* vocitata. Et certè non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrũ nec Chriſtianus ſuper Chriſtum, qui ut ex toto Evangelii decurſu liquet, peccator, everſor legis, Cæſaris hoſtis, vorax, ac vini potator, peccatorum amans, inſanus, blaſphemus, magus & incantatorum vel maximos, in Beelzebut principe dæmoniorum dæmonia ejiciens audivit. Quin potiùs ille novitatis reus meritò peragendus, qui à veræ Eccleſiæ teſſera, antiquitate nimirum deficit, qui à Patribus, Pontificibus, & Conciliis puræ & integræ diſciplinæ retinentibus recedit. Quia nimirum germanus ille puri Catholiciſmi character eſt, nihil novi de ſuo promere, nihil quod alii de ſuo depromunt accipere, omnes emergentes opiniones ad initia & fontes revocare; unde Auguſtinus lib. 2. contra Julian. cap. 10. de veris Catholicis ait: *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Hæc erectis cordibus, intentiſque animis Sacerdotes aſſiduè ſpectantes ſolo ſint Deo judice contenti, nec aliorum aut laudes petant, aut accuſationes pertimeſcant.

Inſtabis: Non minùs eſt incorruptibilis Eccleſiæ diſciplina, quàm fides, alioquin Eccleſia non eſſet peræquè agendorum ac credendorum regula immobilis: ſed quod multi paſſim Eccleſiaſtici & Sacerdotes frequentant, videtur ad Eccleſiæ diſciplinam pertinere: ergo quod à multis alioquin doctis & piis frequentatur, tutum eſt & ab omni errandi & peccandi periculo alienum.

Reſpondeo Eccleſiæ fidem & ipſum generalem de diſciplina ſenſum nulla temporum injuria, nulla depravatione corrumpi unquam poſſe; portæ namque inferi nunquam ſunt adversùs hanc petram prævalituræ: at diſciplinæ praxim in pleriſque Eccleſiæ membris poſſe corrumpi, & ſæpe reapſe corrumpi, prænuntiavit Chriſtus Matth. 24. & Luc. 11. ubi fore ait, ut refrigeſcat charitas multorum, Filiuſque hominis ſecundò veniens vix inveniat fidem in terra: fatetur Eccleſia diſciplinæ ſuæ deliquia & defectiones quotidie animadvertens, quotidie gemens, quotidie illius emendationem & emaculationem exoptans; agnoſcunt Sancti morum peccata; & laxitates non tam orationibus quàm verborum fulminibus dijiciunt & pro virili reprebendunt. Hinc Cardinalis Perronius lib. 2. replicæ, obſer. 4. cap. 7. ait, *Eccleſiam, ſi doctrina ſpectetur, nunquam; ſi mores, eluì ſemper & expurgari oportere.* Qui etiam ejoſdem operis lib. 1. cap. 59 obſervat, Eccleſiam ad finem uſque mundi veridicè illud de ſe prædicaturam, Nigra ſum, ſed formoſa; nigra nimirum membrorum moribus, formoſa doctrinis. Et certè non tot & tantas de reformatione cogitationes & curas Summi Pontifices, illi præſertim qui ſanctitatem Pontificatûs vitæ ſanctimoniæ acceſſione cumulant, qualis fuit ſuperiori ſæculo inclinante Pius V. Beatorum faſtis non ita pridem aſcriptus, ſuſciperent; non tot de inſtaurenda diſciplina ſanctiones Tridentinum & poſteriora deinceps Provincialia Concilia edicerent, niſi probè noſſent ſacrum Eccleſiæ diſciplinæ vigorem paſſim collabi poſſe, atque identidem excitandum reſtituendumque eſſe: quam diſciplinæ reſtituendæ neceſſitatem & fatentur quotquot ſunt ſolidè pii, & lacrymis continuis poſtulant, & fervidis deſideriis exoptant, ut morum integritate ſarcitâ errores omnes & hæreſes ſtirpitus convellantur. Scientia namque fidei à ſingularibus membris cum conſcientiæ naufragio ſæpe quaſſatur; ſæpe ſicut extra Eccleſiam boni mores hæreſum aberratione commaculantur, ita intra Eccleſiam fidei integritatem vitæ improbitas obſcurat.

Urgebis: In Eccleſia Catholica ſingularitas quæque vitanda & amandanda eſt; unde & illud pervulgatum Bernardi adagium celebratur: *Qui facit quod nemo, mirantur omnes.* Ergo non à privatorum moribus, ſed à communioribus uſibus Eccleſiaſticæ regulæ petendæ ſunt.

Reſpondeo præceptorum Eccleſiaſticorum obſervantiam, & caſtæ moralis diſciplinæ cuſtodiam eſſe quidem ſingularem, ſi cum illorum moribus conferatur qui laxiora ſectantur; ſcriptum eſt enim, *ſtultorum infinitus eſt numerus*: & voce Veritatis aſſeritur, quod lata eſt via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per illam. At verò ſi utrorumque vitæ conſuetudo ad Evangelicarum Eccleſiaſticarumque regularum amuſſim exigatur, jam quæ privata & ſingularis videbatur, communis jure cenſebitur, utpote communi Sanctorum uſu probata, tametſi à paucis arctam viam ineuntibus ſervata. Quæ verò communis habetur, privata habebitur, utpote à communibus veriſque inſtitutis recedens, & privatorum hominum incuriâ & ignaviâ ſuperinducta. Soli ergo illi, quàmlibet numero infinito, novam & ſingularem agendi rationem captant, qui à regia communium regularum viâ exorbitant; illi verò, quantumvis pauciſſimi ſint, vitæ communis æmulatores ſunt, qui Evangelii leges Chriſti vitâ & factis quaſi divinis quibuſdam coloribus expictas, & à Patribus Conciliiſque illuminatas, omnibuſque ad intuendum & imitandum propoſitas quàm religioſiſſimè proſequuntur. Mores ergo & uſus, vel potiùs inclinationes & caſus quacumque diuturnitate corroborati, peregrini & ſingulares dicendi ſunt, ſi à primævis normis per Patres & ſacras Synodos expoſitis illuſtratiſque diſſonent. Uſus verò quàmlibet ſingulares à pauciſque obſervati, communes catholicique cenſendi ſunt, qui antiquitati, traditionibus, Patrum conſenſioni, & priſcis Eccleſiæ moribus atque inſtitutis conveniunt. Quia antiquitas Patrumque conſenſio amuſſis eſt, ad quam nedum fidei dogmata, ſed & mores exigendi ſunt. Hinc præclarè Adrianus II. in libello per Legatos lecto in Synodo VIII. act. 5. *Prima ſalus*, inquit, *eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, deinde à conſtitutis Dei & Patrum nullatenus deviare; unum quippe eorum ad fidem pertinet: alterum ad opus bonum. Sicut enim ſcriptum eſt, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; ſic rurſus legitur, Fides ſine operibus mortua eſt.* Nec minùs egregiè Gregorius VII. in apologia pro Concilio Romæ à ſe habito, dixit: *Quamvis modò quidam non tam apertè cum Ario & reliquis Hæreſiarchis fidem Sanctorum Patrum impugnent, tamen eorum moralibus ſtatutis cum ipſa quidem fide per eoſdem Sanctos Patres eodem tempore, eadem ſubſcriptione roboratis obſtinatè reſiſtunt, quæ & cum eadem fide ex ſacratiſſimo fonte Scripturarum emanaverunt. Sed & in eorum nefandiſſima rebellione, etiam ipſam fidem Sanctorum Patrum probantur annullare, cùm in authenticis ſanctionibus authoritatem illorum pro nihilo ducunt, qui & fidem ſua authoritate confirmaverunt. Nullatenus ſane alicui fides Sanctorum Patrum proderit, qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, ſed pertinaciter reſiſtere ſtuduerit. Nam, ut Jacobus frater Domini teſtatur, fides ſine operibus mortua eſt, qualem & Dæmones habere fatetur. Non ergo minùs eſt reſiſtendum pertinacibus authenticarum inſtitutionum impugnatoribus, quàm ſacræ fidei violatoribus, cùm & Dæmonibus aſſimilentur quicumque inſtitutionem Sanctorum Patrum in fide tantùm, & non etiam in converſatione pro viribus affectantur.*

Objicies ſecundò: Pœnitentibus peccata con-

feſſis, & ſe dolere & emendari velle aſſerentibus denegare veniam & abſolutionem redolet errorem Novatianorum ſuprà reprobatum: Ergo pœnitentibus toties quoties confitentur & emendationem pollicentur impertienda abſolutio eſt.

Reſpondeo tantum diſtare ſententiam noſtram à crudeli Novatianorum dogmate, quantum à tenebris lux, ab errore veritas diſcrepat. Novatiani enim etiam verè pœnitentibus & pœnitentiæ veritatem factis comprobantibus veniam ac reconciliationem, reconciliationiſque pignus Euchariſtiam denegabant, quin & Euchariſtiæ recuperandæ ſpem pœnitentibus præcidebant. Unde in eos ſic invehitur Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 16. & lib. 2. cap. 3. *Fruſtra dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Nonne advertitis id evidenter jam à nobis expoſitum, quod merendi gratiâ Sacramenti*, hoc eſt ſacræ Euchariſtiæ, *ad peccandum impellimur; & hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia. Tolle gubernatori perveniendi ſpem, & in mediis fluctibus ducentis errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in ſtadio. Tolle piſcatori capiendi efficaciam, deſinit jactare retia. Quomodo ergo poteſt qui famem patitur animæ ſuæ ſtudioſus Deum precari, ſi ſacram deſperet alimoniam?* At nos nec abſolutionem, nec Euchariſtiam verè pœnitentibus eripimus, ſed pœnitentiam, ſæpiùs in priſtina peccata relapſorum, verâne ſit, an falſa, prudenti dilatione experimur, ut & abſolutio fructuoſior, & ſacra Communio ſit ſalutarior: cavemus ut ne ſanguis Chriſti ab impiis conculcetur, ne caro ejus à porcis comedatur, ne Sacramenta à ſacrilegis perpetuò relabentibus peſſumdentur. Efficimus pro virili, ne fruſtra pœnitentia prædicetur, ſi ejus antè fructus conceditur, quàm ad eam ſeriò agendam peccator acceſſerit. Sicut enim adverſus marinos labores non ſe inſtruit nauta, poſtquam in portum invectus eſt, certandi ſtudium abjicit athleta, ſi ingrediendi ſtadium deferatur corona; jactare retia deſinit piſcator, ubi ſperatam vim piſcium captaverit: ita pœnitentiæ labores & curas omnes à ſe amovet, qui nullo negotio, ſed ſumma facilitate & abſolutionem, & ſacram Communionem ſtatim poſt confeſſa omne genus ſcelera conſequitur. Ergòne cum Novatianis convenimus, qui eos Sacerdotes non laudamus, qui crudeli conniventiâ id efficiunt, ut peccatores facilitate abſolutionis nunquam denegatæ incenſi, vel potiùs obſtupefacti in eodem luto hæreant ſemper. Videant qui hanc cum Novatianis conſenſionem S. Caroli puriſſimæ & ab omnibus & ſingulis Patribus probatæ doctrinæ objiciunt, num ipſi ab Audianis hæreticis recedant, quorum erroribus Theodoretus Cyri Epiſcopus lib. 4. hæret. fabul. cap. 10. annumerat eorum aſſertionem & morem, qui peccatores confeſſor ſtatim promiſcuè abſolvebant, plenam ſibi condonandorum peccatorum abſque ulla prævia probatione poteſtatem arrogantes. *Jubent*, inquit, *unumquemque ſua peccata confiteri, deinde confeſſis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, ſicut Eccleſiæ leges præcipiunt, ſed poteſtate condonantes.* Leges autem pœnitentiæ publicæ quàm rigidæ fuerint hac in parte, vel ex hoc uno decreto Concilii Ancyrani intelligi poteſt: *Placuit eos inter audientes uno anno conſtitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem (pœnitentia nempe) anno reconciliari Sacramentis.* Quod idem apud Gregorium Nyſſenum, Thaumaturgum, Baſilium, & alios Græcos Patres videre eſt. Præclarè & opportunè Theodoretus lib. 5. hæret. fabul. cap. 29. Eccleſiæ doctrinam inter extremos Novatianorum & Audianorum errores, hinc denegatâ venia deſperationem crudeliter ingerentes, hinc mala facilitate vana paſcentes, mediam ſic exponit: *Medicabilia ſunt etiam quæ poſt baptiſmum ſiunt vulnera. Medicabilia autem, non ut olim per ſolam fidem* (utique per dilectionem operantem) *datâ remiſſione, ſed per multas lacrymas & fletus, & luctus, & jejunia, & laborem commiſſi peccati magnitudini reſpondentem. A Chriſto enim edocti ſumus, eos qui ſic affecti ſunt, nec deſperare debere, nec illis facilè ſacra impertienda eſſe. Nolite*, inquit, *ſanctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos. Has Eccleſia de pœnitentia leges habet.* Nec minùs appoſitè S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum adversùs Novatianos agens docet remiſſionem peccatorum paucos mereri, non quòd non ſit Eccleſiæ omnium omninò peccatorum remittendorum collata poteſtas, ſed quia pauci veræ pœnitentiæ labores ſuſcipiunt: *Labor iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.*

Objicies tertiò: Pœnitenti ſicut contra ſe, ita & pro ſe credendum eſt, cùm ipſe idem ſit in hoc tribunali reus, actor, teſtis: Ergo quando poſt aperta Sacerdoti peccata ait ſe ex corde novæ vitæ rationem inire velle, illi Sacerdos fidem adhibere debet.

Reſpondeo quod licèt in enumerandis anteactæ vitæ peccatis, in enarrandis ſcelerum numero, ſpecie & circumſtantiis peccatori credendum ſit, quippe qui ſolus malè geſta ſua dignoſcere poteſt: attamen quantum attinet ad cordis converſionem, cùm multories verba ſefellerunt, non ſatis tutò illi creditur, unde prudenter ex factis probatio exigitur. Tum quia voluntas ſincera non ita certò verbis ac operibus ſe prodit & indicat. Tum quia de diſpoſitione ad veniam recipiendam idonea æſtimare non ad reum pertinet, ſed ad judicem à Deo conſtitutum; non ad diſcipulum, ſed ad Doctorem & rectorem animarum; non ad ægrum, ſed ad Medicum. Tum quia tot ſunt in animis noſtris receſſus, tot latebræ, tot ſæpe præſertim poſt iterata flagitia nebulæ & offuſæ tenebræ, ut ſeipſum peccator dignoſcere non poſſit, quia ut frequenter in Theologiæ iſtius decurſu ex Gregorio recantavimus, nec iterare tam utile documentum piget: *Sæpe ſibi de ſe mens ipſa mentitur, ſitque ut aliud in intimis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat. Et fingit ſe de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Cujus ſignum eſt quod in præcedentibus confeſſionibus emendationem promittebat, & vero ſe propoſito affici putabat; & tamen mentiebatur iniquitas ſibi, nec reapſe mutatus erat, qui eadem peccata, eoſdem iniquitatis fructus edidit, juxta commune Philoſophorum axioma, *idem manens idem facit idem.* Idem ergo ei intus in corde manſit, qui eadem foris protulit; & qui ſeipſum toties decepit, ſeipſum decipere moraliter prudenterque cenſetur, niſi certiora argumenta producat. Hujus fallacis diſpoſitionis illuſtre exemplum in Antiocho Sacræ litteræ repræſentant. Hic namque poſt flagitia à Deo percuſſus, ſcelerumque antè patratorum horrore, & miſerabilis ſtatûs imagine permotus, & peccatorum granditatem agnovit, & confeſſus eſt, & dolorem expreſſit, & ſatisfactionem, nimirum Judæorum reſtitutionem, urbis ſanctæ libertatem, templi cultum, ſacrificiorum apparatum, veræ Religionis per totum quàm latè patet orbem propagationem ſpopondit, & veniam tot verbis amatorem intrinſecè ſignificantibus, tot converſionis indiciis, tot ſplendidis pollicita-

licitationibus, quibus pares non videmus in noſtris relabentibus, non promeruit. Quia nimirum tunc verba ſine factis, lacrymulæ etiam, quibus interdum ad horam colliqueſcunt peccatores, ad explorandam veram converſionem non ſufficiunt, ſed ad decipiendum & peccatorem & miniſtros valent. Ergo & peccatori & Sacerdoti videndum, vigilandum, orandum: videndum num vitæ chriſtianæ æquabilitate & conſtantia ſit in pietate ſtabilis, in opere efficax: vigilandum ut novæ vitæ firmitate contra boſtia communis & amoris propter inſidias muniaturi orandum, ut continentem in Dei famulatu animum retineat: & interim abſolutionis ſententia meritò pœnitentibus ejuſmodi ſæpiùs relabentibus ſuſpendenda eſt, quoad Sacerdos intimos ac reconditos pœnitentis motus pro ſua prudentia quibuſdam dignis pœnitentiæ fructibus probatos habeat.

Inſtabis: In quacumque die ingemuerit peccator, ſalvus erit, ejuſque Deus miſeretur, & peccatorum ejus, teſtante ſacro eloquio, non recordatur ampliùs: Ergo Sacerdos amore Dei peccatori ingemiſcenti, peccataque cum dolore confitenti veniam ſine mora confeſtim impertiri debet.

Reſpondeo Deū eximiâ ſibi poteſtate abdita cordis ſcrutari, unde peccatorem ſuâ gratiâ ſinceré pœnitentem ſine mora abſolvit, quia internam animi affectionem pervadit, cui latentiora cordis arcana nuda & aperta ſunt. At verò Sacerdos de interno hominis habitu non niſi exterioribus ſignis judicat, ut cauſa cognita & explorata liget aut ſolvat, remittat aut retineat peccata. Cùm igitur verba fidem amiſerint in peccatore illo toties relabente ac ſemper promiſſa prorſus frangente; ideo conſultè aget, ſi juſtum ſpatium ſumat ad factorum ſeriem ac novæ vitæ firmitatem ſpectandam, utque pervideat num peccator qui toties fuit irriſor, ad Deum reverti ſeriò meditans, quæ ad pravas affectiones cavendas, arctamque cœli viam capeſſendam exequenda ſunt, reapſe exequatur. Præclarè & opportunè hanc ipſam objectionem prævidens & præoccans Ivo Carnutenſis. qui ſæculo Eccleſiæ duodecimo floruit, epiſt. 230. ſic fatur: *Quærit Fraternitas tua, quomodo inter ſe conveniant prophetica ſententia, quâ dicis: in quacumque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit; & Synodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquandiu à corpore & ſanguinis Chriſti communione ſuſpendit? Repugnare tibi videntur, diſſentireque ſententia Capitis & Corporis: ut quos Caput, id eſt Chriſtus, celeriter à peccato liberat, eos Corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, ſub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæſtio facilè ſolvitur, ſi interni judicis animadverſio, & humanæ fragilitatis conſideratio diligentiùs attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem ſeparet à Capite & Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus judex tantò remittat celeriùs, quantò ſolus magis videt interiùs. Iudex verò qui tantùm videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum pœnitentiæ fructum quis ſit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum ſatisfit interno judici & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna converſio. Eccleſia verò quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum, licèt ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt publicâ ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum Communione ſuſpendit, & in cinere & in cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt intus vivificati, cùm fuerint longâ pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat Fraternitas tua, videbis nec diſſentire propheticam & ſynodalem ſententiam; cùm illa deferat quod ſuum eſt Capiti, & iſta concedat quod ſuum eſt Corpori. In diſcretione tamen Epiſcoporum eſt, ſecundùm affectum pœnitentiæ tempus abbreviare vel prolongare, dicente Beato Auguſtino: In actione pœnitentiæ, pro qua reus ab Altari ſeparandus eſt, non adeò conſideranda eſt menſura temporis, ut doloris.* His omnibus adde verba illa, *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit*. quæ ſacræ Scripturæ nomine circumferuntur, in ſacris libris non extare, neque in ulla probata verſione reperiri. Et quanvis Ezechielis 18. & 33. aliquid ſubſit quod eò accedere videatur, nunquam tamen fit peccatori ſpes veniæ, niſi vera ad Deum converſione mutetur. Ad veram porrò converſionem exigit S. Propheta, ut projiciant omnes prævaricationes ſuas in quibus prævaricati ſunt, ut faciant ſibi cor novum & ſpiritum novum, ut faciant pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operati ſunt, & cuſtodiant omnia præcepta Dei, & faciant judicium & juſtitiam, & pignus reſtituant, & rapinas reddant, nec faciant quidquam injuſtum.

Dices: SS. Patres abſolutionem & communionem ægrotis periculosè laborantibus & reconciliationem extremo ſpiritu flagitantibus non negabant. Atqui peccatores illi ſola verba & promiſſa habere poſſunt. Ergo præter verba & promiſſa nihil eſt aliud neceſſariò abſolutioni etiam à relabentibus præmittendum.

Reſpondeo quaſdam eſſe circumſtantias à prudentia chriſtiana obſervandas, in quibus peccatori etiam infinities relapſo, nulla quàm verborum probatione defuncto abſolutio atque adeo ſacra Communio impertienda eſt, quia nulla eſt lex adeo juſta, nulla regula adeo generalis in quam exceptio non cadat, imò quia juxta commune effatum, *exceptio firmat regulam*, eo verior eſt ſtatuta à nobis de abſolutione relabentibus deneganda diſciplina, quo eam nonniſi cogente extremæ infirmitatis neceſſitate violare licet. Quia ergo abſolutio moribundis nulla præter verborum & lacrymarum pœnitentiâ excultis, quia nullum erat pœnitentiæ factis probandæ tempus, à Patribus impenſa eſt, quoties tutioris viæ capeſſendæ copia exiſtit, tottus eſt abſolutio inveteratis relabentibus deneganda. Illud etiam diligenter obſervandum, Eccleſiam primis ſæculis reconciliationem iis denegaſſe, qui inſtante morbi periculo, quando peccata ſatisfactione redimere & expiare non poterant, veniam poſtulabant. *Idcirco pœnitentiam non agentes*, inquit Cyprianus epiſt. 52. *nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentatione ſuæ profeſſionis teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.* Idem ſtatuit Concilium Arelatenſe I, quod à Concilio Arelatenſi II. vocatur *Magna Synodus, & ex omnibus mundi partibus congregata. De his qui apoſtatant*, inquit can. 23. *& antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, niſi revaluerint & egerint fructus dignos pœnitentiæ.*

Et quanvis poſtea Eccleſia, ne Novatiani negantis veniam, aſperitatem & duritiem ſequi videretur, aliquantulum de illa diſciplinæ ſeveritate remiſerit, & peccatoribus totam vitam peccatis lethalibus maculantibus in extremo vitæ periculo non ſolùm veniam, ſed etiam Communionem quaſi viaticum profecturis indulſerit, eas tamen morti vicinas pœnitentias & abſolutiones ſemper ſuſpectas habuit.

Dices

Dico, inquit Auguſtinus homil. 4. *in conſpectu Dei timori veſtro timorem meum. Qui autem non timet, timentem contemnit, ſed malo ſuo. Certus ſum, quia homo baptizatus, ſi vitam, non audeo dicere ſine peccato (quis enim ſine peccato?) ſed vitam ſine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicenti: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: quando vitam finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam, de laborioſa ad quietam, de miſera ad beatam. Baptizatus autem deſerter & violator tanti myſterii, ſi agat pœnitentiam ex toto corde, ſi egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento quo erat obſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & benè poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam vivere debuit; poſt reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo diaboli ſeparabitur. Si quis autem poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia benè hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit. baptizatus ad horam ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam & reconciliatus, cùm ſanus eſt, & poſtea benè vivens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum & do ſecuritatem; unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Vis te de dubio liberare, vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es. Tene certum, dimitte incertum.*

Idem repetit Doctor ſanctiſſimus ſerm. 57. de tempore, his graviſſimis verbis: *Ego vos: dilectiſſimi Fratres, hortor atque commoneo, ut ſi quis ex vobis conſcius criminum ſuorum, indignum ſe Communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum ſe facere poſſit? Quomodo? Niſi errores priſtinos relinquat, & pœnitentiam petat; ut qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, examologeſis ſatisfactione mundetur? Nec illud ſervet ut in extremo vitæ ſuæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non poſſit. Inutilis eſt enim, dilectiſſimi, iſta perſuaſio: parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox peccatoris ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla jam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur infirma eſt; pœnitentia quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur. Et ideo, dilectiſſimi, quicumque invenire vult miſericordiam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ſi ſanus eſſe vult in futuro.*

Si igitur juxta Eccleſiæ ſenſum clariſſimis illis Auguſtini verbis expreſſum, morientium pœnitentia ex eo parum ſecura & ſuſpecta eſt, quod eam nulli pœnitentiæ fructus antevertant, profectò ſanis, robuſtiſque peccatoribus iteratis prolapſionibus vitam ſuam maculantibus poſt peracta ſinceræ pœnitentiæ opera abſolutionis beneficium tutiùs conceditur, ut tanta ſit in vulnerum curatione devotio, quanta fuit abrupta & vegeta ad malum mentis intentio; ut factis & operibus ſolidè ſe velle pœnitere probent, qui toties verborum fidem perfregère; ut peccata peccator dimittat, non ipſum peccata; votiſque facta reſpondeant, non voluntatem facta refellant, juxta illud Auguſtini hom. 41. *Quare ſecurus es? Quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipſam quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Hac de cauſa Patres moribundos in extremis compellente neceſſitate abſolutos ad pœnitentiam, ſi fortè convaleſcerent, adigebant, non ſecus ac ſi abſoluti minimè fuiſſent. *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ* (inquit Concilium Arauſicanum I. can. 3.) *placuit ſine reconciliatoria manûs impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundùm definitiones Patrum, qui hujuſmodi Communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manûs impoſitione recipiant.* Idem ſancivit Concilium Carthaginenſe IV. can. 76. *Si ſupervixerit* (infirmus in extremis abſolutus) *ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quandiu Sacerdos qui pœnitentiam dederit, probaverit.*

Inſtabis: Uulgaris vox eſt, vulgariſque ſententia, nunquam homines ad cœlum faciliùs convolare, quàm è patibulo & carnificina, quibus tamen peragendæ ante obitum pœnitentiæ ſpatium deeſt: Ergo pœnitentia non eſt criminoſis qui vitam in flagitiis contrivere, ante abſolutionem diu neceſſariò peragenda.

Reſpondeo alienos fuiſſe Patres ab illa vulgari ſententia, unde pro reis damnatis tam ſtudioſè deprecabantur, ut vitâ diutius productâ pœnitentiam factis miſeri illi probarent. *Nullo modo*, inquit Auguſtinus epiſt. 54. *culpas, quas corrigi volumus, approbamus; nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum, quòd placet; ſed hominum miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quanto magis nobis ipſis diſplicet vitium, tanto minùs inemendatum volumus perire vitioſum. Morum porrò corrigendorum nullus alius quàm in hac vita locus eſt; nam poſt hanc vitam quiſque hoc habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut non poſſint finire ſupplicium.* Rebantur nimirum Patres paucarum horarum ſpatio ad mortem ſanctè obeundam non poſſe nocentiſſimos comparari, rarum eſſe & arduum poſt longam ætatem pravè & nequiter actam cum Deo reconciliari, niſi juſto tempore accurata pœnitentia peragatur; ſeróque illum ſapere, qui de faciendo Deo ſatis tum demum cogitare connititur, cùm ad vitæ anteactæ, innumeriſque flagitiis ſorditatæ reddendam tremendo Judici rationem vocatur. Quia nimirum multorum annorum debita vix ac ne vix quidem pauculis horis exſolvuntur; ſed diuturna flagitia diuturnis lacrymis elugenda, & profunda vulnera profundæ humilitatis & pœnitentiæ medicina curanda ſunt.

Dices: Si abſolutio ſacramentalis foret relabentibus differenda quòad mentis ad meliora converſionem, ſpatio accepto, quibuſdam pœnitentiæ fructibus teſtatam feciſſent, poſſet peccatorum ſalus in diſcrimen venire; ſi enim, ut humana ferunt, repentina morte interim opprimerentur, periclitaretur æterna eorum ſalus. Quod eſt magnum inconveniens.

Reſpondeo inaniſſimum eſſe iſtud terriculamentum, & longè periculoſiſſimum; inaniſſimum quidē, utpote ab omnibus Patribus, tametſi de animarū ſalute ſollicitiſſimis, pro nihilo habitum, à S. Carolo Borromæo abſolutionē ſæpe differri jubente flocci

factum, à Theologis affirmantibus fas eſſe Sacerdoti in pluribus caſibus ad certum tempus abſolutionem differre, nihili factum. Periculoſiſſimum verò & maligni ſpiritûs arte confictum, ut una teſtantandorum peccatorum via præcludatur. Sanè miranda vel potiùs deploranda eſt peccatoris abſurda calliditas, quando vita ſordibus immergebatur, quando mores ethnicos & belluinos ducebat, quando in medio flagitiorum atque impuritatum cœno ſecurâ mente volutabatur, nullo tunc impendentis mortis periculo exagitabatur, nullâ inceſſebatur judiciorum Dei cogitatione, nullum ſibi repræſentabat diſcrimen, ut à peccatis concipiendis patrandiſque abduceretur, ſed omnem pellebat extinguebatque timorem, ut in crimina & crebriùs rueret & ſuaviùs. Jam verò dum crimina tantiſper lugenda ſunt, dum factis dignisque pœnitentiæ fructibus probanda firmandaq; eſt mentis converſio, mortis metum opponunt, ubi timendum fuerat nihil veriti, ibique abſurdiſſimè trepidantes timore ubi non eſt timor. Aſſimilatur inanis ille metus fallaci peccatoris pudori, quem deponit ut pudenda committat, quòve iterum perfunditur, ut commiſſa ne fateatur.

Accedit præterea primò valde decipi miſeros cæcoſque peccatores & Confeſſarios, dum putant hac præproperâ præcocis abſolutionis facilitate ſalutem contra mortis pericula in tuto collocare. Tum quia experientiâ rerum magiſtrâ & agendorum luce compertum eſt facilitate veniæ peccatorem ſemel abſolutum, ſin mox, certè poſt pauculos dies in ſcelera relabi ad plures menſes. Ergo abſolutione, quam ne temporis quidem momento differendam vult, non expeditur peccator ab exitiali peccati ſervitute, nec ejus proinde ſalus in tuto collocatur. Ille enim duntaxat ſalutem conſequetur, cujus firma eſt & ſtabilis in Dei famulatu voluntas; quam utique firmitudinem non abſolutionum prodigalitas, ſed ſalutaris dilatio & diuturni pœnitentiæ labores formant.

Accedit ſecundò, verum pœnitentem, qui cum ſpe veniæ ad Deum convertitur, his terriculamentis non permoveri, tum quia iram Dei quam provocavit, placare duntaxat ſatagit. Tum quia jactans cogitatum ſuum in Domino, illique omnem ſpem ſuam committens, cujus providentiæ legibus omnia gubernantur, illius ſe clementiæ permittit, ab eaque lucis uſuram expiandis criminibus tantoperè neceſſariam ſperat, quæ eum tum vivere ſivit, cùm vitæ beneficio ad multiplicanda ſcelera abutebatur: nec ab eo ſe deſeri extimeſcit, cujus patientia in mediis criminibus peccatorem pertulit, ut eum ad pœnitentiam adduceret. Si enim coacervantem per impœnitentiam theſaurum iræ peccatorem tam amanter accepit Deus, abſit ut tum iram profundere incipiat, cùm ad theſaurum miſericordiæ ſeriis pœnitentiæ fructibus properare pro virili conatur.

Accedit demùm, quod ſi pœnitens in pœnitentiæ ſtadio moriatur (quod ægrè prorſus advenit ob Sacerdotum copiam qui in mortis articulo abſolvere quemcunque poſſunt, & ob caſus rarò contingentes qui non cadunt ſub ſcientiam, non eſt evertenda fundatiſſima & omnibus utiliſſima diſciplina;) de illius tamen ſalute benè ſperare congruit, qui ad beneficium abſolutionis, quam ardenter concupiſcit, conſtitutis à Patribus modis ſe inſtruit. Felix illa mors cenſenda eſt, quæ pœnitentem in tam ſancta exercitatione occupat. Supplebit ſine dubio Sacerdos inviſibilis viſibile Eccleſiæ miniſterium, in gratiam eorum qui abſolutione Sacramenti pœnitentiæ humiles receſſerant, ut pœnitentiam honorarent. *Probè*, inquit Concilium Vaſenſe ſub Leone I. can. 2. *qui pœnitentiâ acceptâ, in bono vitæ curſu ſatisfactoriâ compunctione viventes, ſine Communione inopinato nonnunquam tranſitu in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu proſequendam: quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fidei affectu contendentes, dum ſe diutiùs reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſteriis judicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet.* Quia nimirum ſemper exiſtimavit Eccleſia, humilitatem animi divinis pœnitentiæ legibus ſeſe ſubjicientis, nulli unquam detrimento, ſed ſingulari emolumento eſſe; nec Deum ei defuturum qui à Sacramentorum uſu diſceſſit, quo ad ſacramenta paratior evaderet. Ut eorum exemplo poſſet confirmari, qui cum baptiſmi ſincero voto ante ſuſceptum baptiſma mortem obeunt, de quibus dum de baptiſmo diſſerebamus, ſatis actum eſt; cùm tamen non minùs catechumeno Baptiſma, quàm peccatori Sacramentum pœnitentiæ neceſſarium ſit. Ergo ex mente Patrum certiùs ſaluti ſuæ conſulit, qui Sacramentorum puriori animo adeundorum causâ ſtadium præſcriptæ pœnitentiæ conſtanter decurrit, etiamſi repentinâ morte abripiatur, quàm qui præproperam medicinam quærens, ſuique judicis judicem agens nullum veræ converſionis argumentum priùs edere vult, quàm ut Sacramentorum uſu reconcilietur. Quia à cœleſti Altari [illegible] illos non ſeparatum iri credendum eſt, qui peccatorum ſuorum vero dolore ab Altari Eccleſiæ ſeipſos removent. Et ſicut teſtante Veritate, qui ſe humiliaverit exaltabitur; ita qui ſe ab altari ſeceſſione noluerit humiliari, in æternum dejicietur.

Objicies quartò: Præcepto Eccleſiæ in Magno Concilio Lateranenſi edito tenetur omnis utriuſque ſexûs fidelis ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum reverenter accipere: ad Euchariſtiam verò nemo peccati conſcius accedere debet, niſi præviâ confeſſione & abſolutione ſacramentali munitus, ſi Sacerdotis copia non deſit, ut ex alio Concilii Tridentini decreto liquet. Ergo ut relapſus poſt iterata flagitia præceptum illud poſſit implere, debet ſine cunctatione abſolvi, ut intra quindenam Paſchalem cœleſti cibo paſci queat.

Reſpondeo Magnum Lateranenſe Concilium præceptum Communionis Paſchalis edicens, hanc objectionem occupaſſe, decretum ſuum hac exceptione temperans: *Niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum.* Cauſa autem maximè rationabilis, imò ferè unica differendæ ad tempus abſolutionis & Communionis, eſt cura agendæ pœnitentiæ, quâ quis non contemptu, vel negligentiâ, vel animo alieno, ſed humilitatis, modeſtiæ, ac doloris cauſâ à tremenda menſa tantiſper abeſt, quo deinde pœnitentia lurgatus ad ipſam religioſius & paratiùs ſeſe referat. Cujus etiam ſignum eſt, quod Eccleſia tempus Paſchali Communioni definiens, Confeſſionis tamen tempus pœnitentium arbitratui permiſit, nec ad feſtum Paſchatis Confeſſionis itidem ut Communionis præceptum aſtrinxit, ut nimirum integrum eſſet fidelibus poſt confeſſionem in pœnitentia verſari, quo ad cœleſtis cibi eſum paratiores poſſent accedere. Hinc in Diœceſibus admonentur peccatores, ut letha-

[illegible] lia

lia ſcelera ineunte Quadrageſima confiteantur, ut illa quadrageſimali jejunio orationibus & eleemoſynis munito purgantes, ad Paſchalem ſeſe Communionem accingant. Hujus moris meminit Petrus Bleſenſis in ſermone dici Cinerum: *Cum initio jejunii*, inquit, *debet eſſe initium confitendi. Unde in fine Quadrageſimæ de ablutione pedum diſcipulorum legitur vel dicitur: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Non dixit qui lavandus eſt, ſed lotus; nec dixit, niſi ut faciem & pedes lavet, ſed tantùm pedes. Ac ſi dicat: In principio jejunii debet quis criminalia peccata lavare, purè, & humiliter confiteri; in fine venialia quæ contraxit.* Meminit etiam S. Thomas in opuſculo de Sacramento Altaris, cap. 16. *ideo*, inquit, *ſtatuti fuerunt ante Paſcha quadraginta dies pœnitentiæ, ut hic peractis in jejuniis & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc poſſint communicare pœnitentes cum aliis bonis Chriſtianis.* Meminit etiam ſacrum Concilium Tridentinum moris ejuſdem ſeſſ. 14. cap. 5. aitque: *cum ingenti animarum fidelium fructu obſervari morem illum ſalutarem confitendi ſacro illo & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ*, non quidem in fine, ut abuſus irrepſit, ſed ſub ipſis ſacri illius temporis initiis, ut olim conſtitutum erat. Ita enim habetur in notis ad Concilium Tridentinum ex Bibliotheca Cardinalis Bellarmini: ita intellexit S. Carolus Borromæus, ut in actis & decretis ejus non ſemel patet: ita Synodus Cameracenſis anno 1604. coacta, tit. 8. cap. 16. & Bituricenſis titul. 21. cap. 41. & titul. 22. c[illegible] 5. morem illum inſtaurarunt: Ne quis ſine contritione & confeſſione, & ſatisfactoriis operibus non dignè præmunitus ad Euchariſtiam ſumendam accedat.

Urgebis: Opera pœnitentiæ ante gratiam juſtificationis elicita nihil proſunt ad ſalutem, quippe quæ ſine charitate mortua ſunt, & quia ex arbore mala (qualis eſt homo à charitate deſertus) non poſſunt boni fructus proficiſci. Ergo prius gratia remiſſiva peccati beneficio promptæ abſolutionis impertienda foret & non differenda, ut fructuoſa & non inania evaderent injuncta pœnitentiæ opera.

Reſpondeo bona quævis opera, putà jejunia, vigilias, orationes, carnis afflictationes, eleemoſynas, aliaſque virtutum exercitationes nihil illis quidem prodeſſe qui peccato mortali ita hærent, ut illius voluntatem ſemper foveant, nec ab eo ſe expedire conentur; & in hoc ſenſu verum eſt Theologorum proloquium, nihil fieri ab homine mortali culpæ addicto, quod Deo probari & gratum eſſe poſſit; veræ etiam in hoc ſenſu ſunt Scripturæ voces conteſtantes peccatorum oblationes & ſacrificia Altiſſimum abominari, orationes quoque eorum fieri in peccatum. Et hæc eſt à Patribus damnata falſa quorumdam ſecuritas, qui ſceleratiſſimè viventes, vitamque & mores corrigere non curantes, quibuſdam operibus ex officio bonis peccata ſua ſe redimere opinantur; *rati*, ut ait S. Eligius hom. 8. *ut cùm crimina quotidiana committant, quod Deus corruptorum judicum more pecuniam accipiat; & peccata dimittat. Accipit planè*, ſubdit S. Pater, *Deus pecuniam, & eleemoſynis delectatur; eâ tamen ratione, ut unuſquiſque peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat illi & animam ſuam. Quænam enim, Fratres, juſtitia eſt ut aliquis criminoſus pecuniam ſuam per eleemoſynam Deo offerat, & animam ſuam diabolo per iniqua opera tradat? Per pecuniam imaginem imperatoris offert Deo, & in ſeipſo imaginem Dei tradit diabolo.* Fruſtra ergo qui hujuſmodi ſunt, confidunt cœlum emere, dum quotidianis ſceleribus æternam ſibi damnationem accerſunt.

At longè alia de illis ratio eſt, qui ſacro compunctionis ſpiritu acti, & peccatorum dolore à Spiritûs ſancti impulſu profecto commoti, vitam reformare, & in novitate vitæ ambulare incipiunt. Unde in illis hujuſmodi opera, quæ ad gratiam viam parant & muniunt, non irrita & vana, non ſupervacanea vel mortua cenſenda ſunt, utpote ab authore vitæ inſpirata, & deſiderio melioris vitæ effecta. *Verè enim*, inquit egregiè Cardinalis Bellarminus lib. 3. de bonis operibus in particulari, cap. 3. *Ejuſmodi eleemoſynæ, partim ut diſpoſitiones ad juſtificationem, peccatum etiam quoad culpam ſuo modo delent, dum gratiam impetrant juſtificationis.* Et cap. ſequenti probat ejuſmodi opera ad gratiam juſtificationis diſponere, ſi fiant ab eo qui pœnitentiam agere incipit. Peccatores quidem Deus non exaudit, qui peccare & in peccato perſeverare intendunt; ſed exauditus enim eſt, qui oculos in terram demittens & pectus percutiens, de corde bono aiebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Videatur Auguſtinus tract. 44 in Joan. & lib. 2. cont. epiſt. Parmen. cap. 8.

Inſiſtes: Nullum bonum ſine gratia homo efficere poteſt; nam ut concinit Eccleſia in proſa Spiritûs ſancti, *ſine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Ergo ſupervacanea opera quæque ſunt ante gratiam juſtificationis (quæ Sacramento abſolutionis alligata eſt) elicita.

Reſpondeo nomen *gratiæ* (ut ex toto de gratia tractatu ſatis liquet, ubi rem accuratè diſtinximus) non ſolùm pro gratia habituali & ſanctificante uſurpari, ſed pro auxilio etiam Dei moventis & adjuventis accipi. Nam præter donum gratiæ habitualis, quam Scriptura & Patres vocant *gratiam remiſſionis peccatorum, gratiam adoptionis, gratiam inhabitationis, quâ amici & filii Dei conſtituimur, quâ ejuſdem conſortes naturæ evadimus, quâ Dei templa conſecramur, quâ totâ Trinitate ſpecialiùs inhabitante fruimur, quæve in parvulis baptizatis invenitur*; præter illam, inquam, gratiam, aliud eſt auxilium ad ſingulos actus bonos neceſſarium, mentem illuſtrans, voluntatem movens, & ad opera ſancta applicans, quod Auguſtinus lib. de geſtis Pelagii, cap. 14. appellat *ſubminiſtrationem Spiritûs, ut ad actus ſingulos adjuvemur*; & lib. 4. ad Bonifac. cap. 5. *inſpirationem dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus.* Hanc diſtinctionem paucis expreſſit idem Auguſtinus epiſt. 105. his verbis: *Aliter Spiritus adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans.*

Itaque ut opera ſint bona, non eſt neceſſe quod à gratia habituali proficiſcantur, ſed ſat eſt quod à gratia actuali oriantur; unde & opera juſtificationem antecedentia, ab eo auxilio manantia, bona eſſe, & ad gratiam juſtificationis diſponere, ſacrum Tridentinum Concilium veriſſimè contra Novatores definivit. Quia nimirum licèt tota juſtificationis œconomia gratuita ſit, & à ſola Dei miſericordia dependeat; ita tamen ſuaviter à Deo diſponitur, ut ad majora dona homo per minora inſtruatur, & per auxilia & opera ab illis profecta ad gratiam ſanctificantem præparetur. *Ignoſcis confitenti*, ait Auguſtinus in Pſalm. 37. Deum alloquens, *ignoſcis, ſed ſeipſum punienti. Ita ſervatur miſericordia & veritas: miſericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur. Plangenda ſunt peccata, quomodo audiſtis plangere iſtum: Quoniam ego cognoſco, & curam gero pro peccato meo. Ne ſecurus ſis cùm confeſſus fueris peccatum, tanquam ſemper paratus ad confitendum & committendum peccatum.* Ecce graphicè deſcriptam eorum falſam fiduciam,

qui

Digitized by Google

quidem peccatis duntaxat confitendis ſolliciti ſunt.) *Sic pronuncia iniquitatem, ut curam geras pro peccato tuo; hoc eſt enim curam gerere pro delicto, ſemper uti, ſemper intendere, ſemper ſtudioſè & ſedulò agere, ut ſanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, ſed fortè lacrymæ currant, & manus ceſſant: fiant eleemoſyna, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut tu gaudeas de dato Dei. Hoc eſt, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcunque facienda ſunt ad abluendum & ſanandum peccatum meum.*

Argumenta etiam facta falſum ſupponunt, nempe peccatores inveteratos poſt infinitos relapſus, mox ut confeſſi fuerint, beneficio abſolutionis gratiam obtinere, unde poſſint opera deinde ſequentia Deo accepta & grata effici. Id autem gratis ſupponitur, cùm juxta Patres & recentiores etiam Doctores ſpiritales, vel falſa, vel certè ſuſpecta ſit illa pœnitentia quæ ſemper plangenda committit, & præpopera abſolutio, non remiſſio peccati, ſed facilitate veniæ incentivum ſit culpæ: non peccati remedium, ſed blandimentum, & inane & noxium operimentum. Quod cùm variis Patrum locis demonſtraverimus, unum Papæ Gelaſii epiſt. 3. teſtimonium ſatis ſuperque ſufficiet: *Remitti culpa de præterito poteſt*, inquit, *correctione ſine dubio ſubſequente. Nam ſi deinceps ſinitur manſura perverſitas, non eſt benignitas remittentis, ſed conſentientis aſſenſio.* Atqui innumeris experimentis conſtat, nullam ſubſequutam fuiſſe correctionem & emendationem, ſed perverſitatem manſiſſe. Ergo fruſtra ſpetant abſolutione veniam, qui factis probant veram ſe non agere pœnitentiam: fruſtra conqueruntur ſibi denegari abſolutionem, qui Sacramento ad ſacrilegium abuterentur; nec ipſi abſolverentur, ſed Sacerdotem ligarent, ac reum efficerent malè diſpenſati ſanguinis Chriſti, ac Sacramenti invaliditati temerè expoſiti. Expectanda ergo tunc eſt cordis pœnitentis per quædam facta probatio, ſine quibus ſuſpecta eſt inveteratorum relabentium converſio. *Tunc benè converſum peccatorem cernimus* (ait Magnus Gregor. lib. 6. in 1. Regum,) *cum dignâ afflictionis auſteritate delere nititur quod loquendo confitetur.*

LIBRI XI.

DE DEO SALVATORE,

PARS QUARTA ET VLTIMA.

De Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.

DISSERTATIO I.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

PLURES ſunt unctiones, quæ etiamnum in Eccleſia vigent; nam ut omittam unctiones, quibus Altaria, Templa, Calices, &c. conſecrantur: prima unctio, quæ ad perſonas ſpectat, eſt unctio catechumenorum, quos nondum baptizatos, oleo ſimplici benedicto Sacerdos ungit in pectore, & inter ſcapulas: ſecunda eſt baptizatorum, quos chriſmate ungit Sacerdos in vertice: tertia eſt, quâ qui confirmantur, ab Epiſcopo unguntur in fronte: quarta ea eſt, quâ Principes ſæculares in humero, vel brachio unguntur: quinta eſt unctio Sacerdotum, aut Epiſcoporum, quæ fit in illorum ordinatione: ſexta eſt illa quæ infirmis vita periclitantibus ſolet adhiberi. Hæc ultima unctio, *Extrema unctio* rectè nominatur; nam licèt olim fuerit unctio quædam mortuorum, ut videre eſt *Marci* 16. & apud Dionyſium Areop. *lib. Eccleſ. Hier. cap. ult.* hæc tamen ultima jam pridem abolita eſt, ſicut etiam illa quâ inungebantur olim energumeni, teſte Beda *in Marc. 6. & Luc.* 8.

CAPUT I.

Eſſentia & inſtitutio Sacramenti Extremæ Unctionis explicantur.

VNctionem infirmorum Sacramentum eſſe negant noſtri temporis Sectarii: an verò in eodem errore fuerint Waldenſes, Albigenſes, Huſſitæ, & Wiclefus, non ita certum eſt. Quamvis enim communiter affirment Scholaſtici, contrarium tamen videtur probabilius; nam error iſte neque reperitur inter articulos damnatos Joannis Hus, neque inter errores Wiclefi, quem præterea Thomas Waldenſis ab ea accuſatione abſolvit. Albigenſes autem in ſua Fidei profeſſione ad Uladiſlaum Regem, ita loquuntur: *Sacramenta ſeptenario incluſa numero, Eccleſia Chriſti utilia eſſe paudimus.* De Waldenſibus major forſitan erit difficultas: nihilominus non tam Sacramenti hujuſce naturam videntur reprobaſſe, quàm varios errores qui circa illius adminiſtrationem ſubrepſerant, ut quod daretur tantùm divitibus, quia ſcilicet plures Sacerdotes adeſſe, atque duodecim luminaria accendi neceſſarium dicebatur, &c. Reprobarunt præterea olei conſecrationem: verum illam non eſſe ad valorem Sacramenti abſolutè neceſſariam, multi etiam è Catholicis affirmarunt.

Extremam igitur Unctionem è Sacramentorum numero dum expungunt hæretici, non eſt quod de erroris ſui antiquitate glorientur. Quod autem attinet ad abuſus, quos Waldenſes exprobrabant, Eccleſiæ Catholicæ tribui minimè debent, cùm illos ſemper Eccleſia condemnarit; nam in Synodalibus Conſtitutionibus Odonis Patris Epiſcopi Pariſienſis, ſæculo duodecimo editis, hæc habentur: *Cum reverentia deferatur oleum ſanctum ad infirmos, & eis ungant Sacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc ſunt ordinata, & inde nihil penitus exigatur, ſive à paupere, ſive à divite.* Idem legitur in Synodalibus Galonis & Simonis Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Galliam miſſorum per Innocentium III. Synodus Andegavenſis anni 1293.

hæc habet: *Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quod illud Sacramentum, ſine quo, ut dicunt Sancti, periculoſum eſt ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur; imò ut verius loquamur, ex Sacerdotum rapacitate & avaritia, qui in collatione hujus Sacramenti novas & inſolitas exactiones indicunt, aliquando petendo linteamina, quibus jacens inungitur ægrotans.* : : : *Caveant quoque dicti Rectores, & Capellani, ne in dicti collatione Sacramenti illicitas exactiones faciant, ſi divinam & canonicam voluerint effugere ultionem.* In Synodalibus Rhemenſis, & Trecenſis Eccleſiæ habitis circa initium decimiquinti ſæculi, hæc leguntur: *Ne propter hoc aliquid exigat, niſi ex poſtfacto pro labore aliquid de conſuetudine debeatur.* Synodus Senonenſis anni 1524. idem conſtituit. *Moneant Sacerdotes ſuos Parochianos omnes, tam pauperes, quàm divites, ut Extremam Unctionem dignè, reverenter & devotè petant & accipiant, quando ex aliqua gravi infirmitate ſe in periculo mortis exiſtimant conſtitutos.*

Speculatio I.

Extrema Unctio eſt verum legis novæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.

PArtem primam, nimirum unctionem infirmorum eſſe verum legis novæ Sacramentum, probari à nobis debet adverſus Lutheranos & Calviniſtas, qui contrarium ſentiunt. Ut autem in probationibus noſtris aliquis ordo ſervetur, ſit primus noſtræ ſententiæ patronus.

S. Jacobus Apoſtolus.

Prima authoritas erit Jacobi Alphæi, fratris Domini, & Jeroſolymorum Epiſcopi, qui *cap. 5. ſuæ Epiſtolæ canonicæ*, ſic loquitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat* (ſive ut eſt in Græco, *evocet*, aut *accerſat*) *Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ex his verbis apparet, unctionem infirmorum eſſe ſignum ſenſibile, perpetuum, collativum gratiæ ſanctificantis: nam primò unctio ex oleo eſt ſignum ſenſibile: ſecundò hæc unctio juncta orationi remittit peccata; eſt igitur collativa gratiæ: tertiò illa verba, *infirmatur quis in vobis, &c.* ſunt ſine ulla temporis limitatione: ergo prædicta unctione eſt ſignum ſenſibile, perpetuum, collativum gratiæ: eſt igitur verum novæ legis Sacramentum.

Objicit Lutherus, hanc Epiſtolam non eſſe canonicam, atque adeo fidem illi non debere adhiberi: id autem ex eo potiſſimùm probant, quod de illius authoritate quidam ſancti Patres olim dubitarint.

Reſpondeo verum quidem eſſe, quoſdam olim dubitaſſe de authoritate dictæ Epiſtolæ: verùm hæc dubitatio paucorum fuit, & per Innocentium Papam penitus ſublata eſt. Quod hæc dubitatio paucorum fuerit, docet Euſebius, qui *lib. 2. hiſtor. cap. 22.* de ea Epiſtola hæc ſcribit: *Etſi à quibuſdam tanquam adulterina ac minimè germana propterea judicetur, quòd non adeo multi ex veteribus illius Epiſtolæ, ſicut nec ejus, quæ dicitur Judæ, mentionem faciunt; tamen nos iſtas cum reliquis in quampluribus Eccleſiis publicè receptas, approbataſque cognovimus.* Hæc autem paucorum dubitatio paulatim amovebatur; ait enim D. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, quod hæc Jacobi Epiſtola *paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.* Poſtquam autem Innocentius Papa ad Exuperii Epiſcopi Toloſani rogatum definivit illam Epiſtolam eſſe canonicam, tum omnis, ut dixi, ſublata eſt dubitatio, vixque aliquem reperies qui poſt id tempus de Epiſtolæ illius authoritate dubitarit, ſi Lutherum, illiuſque ſectatores excipias.

Objicit ſecundò, Calvinus cum ſuis S. Jacobum loqui de ea unctione de qua loquitur Marcus, quæ unctio fiebat non ad remittenda peccata, ſed ad ſanitatem corporis conferendam: Atqui unctio quæ corporalem tantùm ſanitatem confert non eſt Sacramentum; Ergo unctio de qua loquitur Divus Jacobus, non eſt Sacramentum.

Huic objectioni dupliciter occurrunt Catholici; nam Theophilactus, & Beda credunt apud Marcũ, & apud Jacobum eandem unctionem deſcribi; quocirca negant unctionem de qua loquitur Marcus, ſolam corporis ſanitatem conferre, cùm idcirco tantùm per ejuſmodi unctionem corpora ſanarentur, ut mentes miraculo curationis repentinæ crederent Evangelio. Ita Maldonatus, qui vult hoc Sacramentum etiam nondum baptizatis ab Apoſtolis nondum fortaſſe Presbyteris fuiſſe collatum.

Reſpondent ſecundò alii Catholici, & quidem probabiliùs, negando eandem eſſe unctionem, quæ deſcribitur tum apud Marcum, tum apud Jacobum: quare concedunt unctionem quæ deſcribitur *Marci 6* non fuiſſe Sacramentum. Primò, quia videtur præcipuè collata propter ſanitatem corporis: ſecundò, quia non ſoli decumbentes, ſed etiam cæci, leproſi, &c. illa ungebantur; tertiò, quia non ſolùm fidelibus, ſed etiam non baptizatis tribuebatur hæc unctio: quartò, quia probabilius eſt tunc Apoſtolos nondum fuiſſe Sacerdotes. Itaque unctio quæ habetur *Marci 6.* non fuit Sacramentum, licèt fuerit figura quædam, imò repræſentatio unctionis apud Divum Jacobum expoſitæ, quam verum eſſe Sacramentum ſuperiùs oſtendimus.

Objiciunt tertiò, ſermonem Apoſtoli ſuperiùs relatum figuratum eſſe, ita ut S. Jacobus dum præcipit ægrum oleo ungere, nil aliud præcipiat quàm ægrotantis illius animum verbi dominici ſuavitate delinire. Ita quidam Sectarii, qui ut hæreticis mos eſt, commentitio tropo verum Scripturæ ſenſum conantur depravare.

Reſpondeo, hanc illorum interpretationem omninò falſam eſſe. Primò, quia loquendi ſimplicitas, quâ hîc utitur D. Jacobus, à tropico loquendi modo eſt penitus aliena. Secundò, quia unctio hæc non magis tropicè ſumi debet quàm unctio quæ habetur apud Marcum, quæ ſine tropo ab omnibus intelligitur. Tertiò, quia tropicum hunc ſenſum nullus Patrum agnovit.

S. Euſebius.

Apud Burchardum *lib. 18. cap. 11.* habetur canon Euſebii Papæ & Martyris, qui tertio ſæculo vigebat, quo Sacerdos jubetur ægrotum oleo ſancto ungere.

Eodem tertio ſæculo vigebat Origenes, qui *homilia 2. in Levit.* enumeratis ſex modis quibus remittuntur peccata, nimirum Baptiſmo, martyrio, eleemoſyna, condonatione offenſarum, converſione cordis, & abundantiâ charitatis, ſic deinde proſequitur: *Eſt adhuc & ſeptima, licèt dura & laborioſa per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymæ ſuæ panes die ac nocte, & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam, ſecundùm eum qui ait: Dixi pronunciabo adverſùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ,*

&

& imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini. Credidit igitur Origenes unctionem infirmorum ſimul cum oratione remiſſionem peccatorum conferre : Ergo credidit illam eſſe Sacramentum.

Objicies primò: Origenes loquitur hîc de unctione quæ eſt pars Sacramenti pænitentiæ ; non ergo loquitur de onctione infirmorum, quam Catholici contendunt eſſe Sacramentum à Sacramento pœnitentiæ diſtinctum.

Reſpondeo Origenem loqui de unctione infirmorum, ut clarum eſt, cùm citet verba D. Jacobi. Circa hoc verò quod eam habeat tanquam partem Pœnitentiæ, notandum eſt, Pœnitentiam aliquando ſtrictiùs ſumi pro Sacramento pœnitentiæ propriè dicto, aliquando latiùs pro univerſa pœnitentia chriſtiana, quæ præter Sacramentum pœnitentiæ propriè dictum, Sacramentum Extremæ Unctionis etiam includit: unde Concilium Trid. *ſeſſ.* 14. initio doctrinæ quam tradit de hoc Sacramento, dicit *illud non modo pœnitentiæ, ſed & totius chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſſe à Patribus.* Non diſſimili etiam ſenſu Sacramentum Confirmationis dictum eſt à ſanctis Patribus conſummatio, & perfectio Sacramenti Baptiſmi.

Objicies ſecundò, homiliam citatam non eſſe Origenis, ſed Cyrilli Alexandrini nomine ab Hervageo excuſam : Ergo non poteſt probare onctionem infirmorum fuiſſe in uſu tertio ſæculo.

Reſpondeo dictam homiliam Origenem valde ſapere. Primò, quia in illa continentur errores qui ſolent Origeni attribui, ut quod animæ ſint ante mundum creatæ, quod ob ſua flagitia in corpora tanquam in vinculo detrudantur, quod inferorum ſupplicia ſint aliquando finem habitura. Secundò quòd Rofinus illam tanquam Origenianam in Latinum tranſtulerit. Ex quibus ſufficienter indigitatur eam eſſe Origenis.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus.

Quarto ſæculo S. Joannes Chryſoſt *lib.* 3. *de Sacerdotio*, ubi Sacerdotum dignitatem commendat, ſic loquitur: *Neque enim ſolùm cùm nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Quod confirmat ex his Apoſtoli verbis : *Infirmatur inter vos aliquis, accerſat Preſbyteros, &c.* Credidit igitur Divus Chryſoſt. Sacerdotes habere poteſtatem remittendi peccata adhibendo olei unctionem, & orando ſuper infirmum ; atque adeo illam infirmorum unctionem eſſe Sacramentum.

Innocentius Primus.

Eodē quarto ſæculo floruit Innocentius I. cujus hæc ſunt verba in epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, cap 8. *Quoniam de hoc, ſicuti de cæteris conſulere voluit Dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœleſtinus Diaconus in epiſtola ſua eſſe à tua Dilectione poſitum illud quod in B. Iacobi Apoſtoli epiſtola conſcriptum eſt Si, infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Preſbyteros, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini; & ſi peccata fecit, remittentur ei: quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate inungendo.* Et paulò poſt: *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi.* Tandem hortatur Decentium, ut in ſua Eccleſia Romanam de hoc Sacramento conſuetudinem ſervet. Ex quo intelligere eſt, hanc Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem ex Apoſtolorum traditione eſſe profectam.

Quæres cur Innocentius dicat hoc Sacramentum non poſſe pœnitentibus concedi.

Reſpondeo, Innocentium illic loqui de pœnitentibus publicis ac nondum reconciliatis, quibus ſcilicet priùs reconciliatio concedi debet quàm Extrema Unctio.

S. Auguſtinus.

S. Auguſtinus, qui quinto ſæculo ſcripſit, in Speculo inter ea quæ ſunt de præcepto in lege nova, refert verba ſancti Jacobi. *Infirmatur quis in vobis*, &c. Ergo exiſtimavit in lege nova præceptum eſſe infirmis, ut à Sacerdotibus ungantur, quo ſcilicet peccatorum remiſſionem poſſint obtinere.

Libro 5. *de Baptiſmo contra Donatiſtas*, *cap.* 20 ſic loquitur idem Auguſt. *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, poſſit tamen Deus oleum ſanctificare, &c.* Et paulo poſt: *Si ergo ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio. Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Eucharistiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt, & valent, &c.* Hinc manifeſtè apparet, Auguſtinum crediſſe Extremam Unctionem eſſe Sacramentum, cujus effectus à bonitate, aut malitia Miniſtri non dependent. Item *ſermone* 215. *de tempore* ſic loquitur idem Auguſtinus: *Quoties aliqua infirmitas ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat; & inde corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo. Infirmatur aliquis, &c. Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam cucurrerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.* Quo nil clarius dici poteſt ad oſtendendum, unctionem infirmorum gratiam producere, ac proinde eſſe Sacramentum.

S. Cyrillus Alexandrinus.

S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus *lib.* 4. *de adoratione in ſpiritu & veritate*, contra incantationes proponit duo genera remediorum, orationem ſcilicet, & unctionem præceptam à Divo Jacobo : *Commemorabo etiam*, inquit, *divinitus inſpiratam Scripturam, quæ ait: Infirmatur quis in vobis? inducat, &c.*

Victor Antiochenus.

Victor Antiochenus ad hæc Verba Marci 6. *Vngebant oleo*, hæc habet : *Infirmatur, &c. Oleum inter alia & laborum moleſtias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in ſacra Vnctione adhibetur, & Dei miſericordiam, & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen poteſt, orationem hæc omnia efficere; oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantùm ſymbolum eſſe.* Credidit igitur Authur prædictus, unctionem infirmorum eſſe Sacramentum, licèt præcipuam illius vim orationi, formæ ſcilicet tribuerit, ſicut D. Aug. effectum Baptiſmi tribuit verbis prolatis, dum ait : *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, &c.*

S. Gregorius Magnus.

S. Gregorius, qui ſæculo ſeptimo floruit, feria 5. in

in Cœna Domini, in ſuo Sacramentario hæc habet: *Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit eum tam ipſe quàm omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum, his verbis: Emitte Domine Spiritum ſanctum tuum Paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis: ut tua ſancta benedictione ſit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandum omnes dolores, omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.*

Theodorus Cantuarienſis.

Theodorus, quem anno 668. Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinavit Vitalianus Papa, Pœnitentiale compoſuit, cujus hæc verba referuntur à Burchardo cap. 14. & ab Ivone Decreti parte 15. cap. 36. *Ab infirmis in periculo mortis poſitis pura eſt inquirenda confeſſio. : : : Et ideo ſecundùm authoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clauſa videatur, orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis, ſacra cum unctione olei inuncti ſecundùm ſtatuta ſanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.*

Beda.

Beda Presbyter Anglus, qui octavo ſæculo floruit, ad hæc verba Marci 6. *Et exeuntes, &c.* hæc habet; *Dicit Apoſtolus Iacobus, Infirmatur, &c. Unde patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione conſecrato.* Et in hæc Jacobi verba, *Infirmatur, &c.* ait: *Hoc & Apoſtolos feciſſe, & nunc Eccleſia conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur à Presbyteris, & oratione comitante ſanentur.* Præterea Guillelmus Malmeſburg. *lib. 1. hiſtor. cap. 3.* ſcribit Bedam ſecundo ante mortem die Sacramentum Unctionis accita congregatione ſuſcepiſſe. Idem etiam refert Trithemius.

Dices: Unctio de qua loquitur Beda, tradebatur energumenis: Ergo non erat extrema unctio, quæ à Catholicis dicitur eſſe Sacramentum.

Reſpondeo, Bedam docere quidem, quod ungebantur energumeni, non verò eandem fuiſſe unctionem energumenorum, & infirmorum.

Capitularia Caroli Magni.

In Capitularibus Caroli Magni, qui nono ſæculo floruit, *lib. 1. cap. 162.* hæc habentur; *ut Presbyter in Cœna Domini tres ampullas ſecum deferat, unam ad chriſma, alteram ad oleum ad catechumenos, tertiam ad infirmos, juxta ſententiam Apoſtolicam, ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Et *lib. 6. cap. 75.* hæc leguntur: *Si infirmitate depreſſus quis fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione Sacramentali olei careat.*

Concilium Cabilonenſe.

Concilium Cabilonenſe II anno Domini 813. celebratum, canonem 48. ſic condidit: *Secundùm B. Iacobi Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent; ſic enim ait, Infirmatur, &c. Non eſt itaque parvipendenda hujuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus.*

In hoc eodem ſæculo multa alia Concilia eandem catholicam veritatem ſtabiliunt. Concilium Aquiſgranenſe an. 836. *can.* 3. Moguntinum an. 847. *cap.* 26. Regiaticinum an. 850. *cap.* 8. Wormatienſe an. 868. *can.* 72.

Oſbernus in vita Sancti Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi ait, quod leguntur hæc verba cujuſdam matronæ ad ſanctum Dunſtanum adhuc monachum: *Tantùm precor, ut cras ad me venias, & mihi cum Sacramento ſacræ Inunctionis Viaticum Dominici corporis tradas.*

Hugo à Sancto Victore.

Hugo à S. Victore *Sententiarum tractatu 6. cap. 15.* ait: *Eſt & aliud Sacramentum, ſcilicet unctio infirmorum, quæ fit oleo conſecrata per Epiſcopum. Hoc Sacramentum inſtitutum fuit ab Apoſtolis, &c.*

Petrus Lombardus.

Petrus Lombardus *lib. 4. Sent. diſt. 23.* veritatem Catholicam de Sacramento Extremæ Unctionis clarè exponit. Petrum Lombardum omnes ferme Theologiæ Doctores ſequuti ſunt, quos omnes referre ſi vellemus, eorum numero ceu nube quadam obrueretur potiùs animus quàm illuſtraretur. Multos etiam præcedentium ſæculorum Scriptores prætermiſi, quia quos breviter attuli, ad victoriam de adverſariis reportandam abundè ſufficiunt. Itaque ex omnibus illorum Scriptorum authoritatibus ſic argumentor.

Argumentum ex Traditione petitum.

Ex allatis ſuperiùs Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum teſtimoniis patet, nullum fuiſſe ſæculum, quo aliquis Author non docuerit, unctioné infirmorum eſſe Sacramentum, aut quod idem eſt, gratiæ conferendæ vim habere; eam infirmis eſſe adhibendam, eam non eſſe de novo inſtitutam, ſed ab Apoſtolis acceptam. Certiſſime igitur conſtat Extremam Unctionem eſſe verum Legis novæ Sacramentum.

Supereſt ut ſupradictis authoritatibus accedant definitiones trium œcumenicorum Conciliorum, Conſtantienſis *ſeſſ.* 15. Florentini *in Decreto Eugenii*, & Tridentini *ſeſſ.* 14.

Objiciunt adverſarii primò, Scriptores de unctione infirmorum penitus conticuiſſe, idque variis allatis teſtimoniis conantur confirmare, & inde concludunt unctionem infirmorum non eſſe Sacramentum.

Reſpondeo, vanum & futile prorſus eſſe hoc adverſariorum argumentum; quare ut illius imbecillitas, ſimulque probationis noſtræ vis, & pondus omnibus appareat, notandum eſt, quod ut aliqua doctrina oſtendatur ab omnibus Patribus tanquam catholicam & univerſalem habitam fuiſſe, minimè requiritur, ut omnes omninò doctrinam illam ſcriptis ſuis expoſuerint, ut aliqui injuſtè exigunt; neque enim Patres omnes de eadem materia ſemper ſcripſere, neque omnia illorum ſcripta ad nos uſque pervenerunt. Quapropter doctrina quæcumque ſatis ſuperque catholica eſſe oſtenditur, & ut talis à Patribus habita, ſi hæc duo oſtendantur. Primum ſi præcipui è Patribus diverſarum regionum doctrinam illam ſcriptis ſuis conſignarint, neque ullus ex illis, modò ſit ab omni ſchiſmatis ſuſpicione liber, contrarium docuerit. Secundum eſt quod Patres illi, qui doctrinam hanc ſcriptis ſuis conſignarunt, illam habuerint non ut novam & jam primò inventam, ſed ut univerſalem, & ab omnibus Eccleſiis jam inde ab Apoſtolorum tempore creditam & obſervatam. Porrò hæc duo cùm manifeſtè reperiantur in probatione quam ſuperiùs ex Traditione retulimus, patet quàm futilis ſit adverſariorum objectio, qua nobis opponunt, omnes omninò Patres de Extremæ Unctionis Sacramento non fuiſſe loquutos.

Objiciunt ſecundò Extremæ Unctionis nullam mentionem fieri ab iis qui antiquorum Patrũ obitus

deſcrip-

deſcripſerunt, ac proinde illam unctionem tunc temporis in uſu non fuiſſe.

Reſpondeo primò, illos ſcriptores multa etiam alia ſilentio prætermiſiſſe, nimirum reconciliationem, & Euchariſtiam; quæ tamen in uſu tunc fuiſſe certiſſimum eſt. Secundò, Extremam Unctionem olim collatam fuiſſe ante Euchariſtiam; quapropter illos eoſdem Euchariſtiam ſuſcepiſſe narratur, quos oleo ſacro inunctos fuiſſe credendum eſt, licèt illud non exprimatur.

Confirmatur hæc reſponſio. Ille qui narratur Euchariſtiam ſuſcepiſſe, cenſetur emundaſſe conſcientiam, & à peccatis abſolutionem recepiſſe, niſi quis velit dicere. Euchariſtiam olim nondum reconciliatis fuiſſe conceſſam: Ergo ſimiliter qui Viaticum aut Communionem ſuſcepiſſe cenſetur, Extremam quoque Unctionem, quæ Sacramenti Pœnitentiæ complementum eſt recepiſſe credendum eſt.

Sacramentum Extremæ Vnctionis eſt à Chriſto Domino inſtitutum.

Sacramentum Extremæ Unctionis à Chriſto Domino fuiſſe immediatè inſtitutum, de fide eſſe affirmant plurimi è Scholaſticis, idque dicunt à Concilio Trident. fuiſſe definitum. Verùm neſcio, an hac ſuper re Concilii mentem ſatis aſſequantur, quam certè aliter exponunt Paulus Suave, & Cardinalis Pallavicinus, qui ambo in hiſtoriis, quas de prædicto Concilio adornarunt, unamiter docent Synodi Tridentinæ Patres non definiſſe à Chriſto immediatè inſtitutum: neque enim credibile eſt, ait Cardinalis Pallavicinus *hiſtoria Concil. Trid. lib. 12. cap. 12.* Concilium voluiſſe definire aliquem articulum non conſentientibus antiquis Patribus, ſed adſtipulantibus duntaxat paucis, iiſque non primæ ætatis, nec præcipuæ authoritatis, ac repugnantibus è Schola Primipilis Hugone à Sancto Victore, Petro Lombardo, Alexandro Alenſi, S. Bonaventura, quibus placet Sacramentum Extremæ Unctionis fuiſſe inſtitutum ab Apoſtolis poſt deſcenſum Spiritus ſancti.

Quidquid ſit de Concilii Tridentini mente, certum eſt illud ſententiæ noſtræ multùm favere; ſic enim loquitur ſeſſ. 14. de Sacramento Extremæ Unctionis, & cap. 1. *Inſtituta eſt autem ſacra hac unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Teſtamenti à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum.* Et ibid. can. 1. *Si quis dixerit Extremam Vnctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus aut figmentum humanum, anathema ſit.* Credidit igitur ſancta Synodus primò, Sacramentum Extremæ unctionis à Chriſto Domino apud Marcum fuiſſe inſinuatum, ac proinde in notitiam adductum, & latenter introductum. Secundò à Paulo Apoſtolo fuiſſe promulgatum tantùm: ergo non inſtitutum; nam aliud eſt inſtituere Sacramentum, aliud ab alio jam inſtitutum promulgare; Igitur Synodus Tridentina huic noſtræ ſententiæ plurimùm favet, nimirum Sacramentum Extremæ unctionis à Chriſto Domino fuiſſe immediatè inſtitutum.

Objicies: Nullus Evangeliſta hocce Sacramentum à Chriſto fuiſſe inſtitutum narrat: Ergo Chriſtus illud non inſtituit.

Reſpondeo negando conſequentiam; multa enim Dominus fecit, & dixit, quæ in Evangeliis non continentur.

Quæres quo tempore hoc Sacramentum Chriſtus inſtituerit?

Reſpondeo primò juxta quoſdem hoc Sacramentum inſtitutum fuiſſe *Marci 6.* Verùm hæc opinio minùs eſt probabilis, propter rationes ſuperiùs allatas.

Reſpondeo ſecundò alios quoſdam credere illud inſtitutum fuiſſe in nocte Cœnæ, quando Chriſtus Dominus Apoſtolos in Sacerdotes ordinavit.

Reſpondeo tertiò alios tandem probabiliùs exiſtimare Chriſtum illud inſtituiſſe poſt reſurrectionem, quando cum illis erat loquens de regno Dei; non enim eſt credibile, inquiunt iſti Authores, hoc Sacramentum inſtitutum fuiſſe ante Sacramentum Pœnitentiæ, cujus eſt completivum.

Materia remota Extremæ unctionis eſt oleum ex olivis expreſſum, & ab Epiſcopo benedictum.

Extremæ unctionis materia duplex eſt, proxima, & remota. Remota eſt res, quâ fit unctio, ſicut materia remota Baptiſmi eſt aqua, quâ fit ablutio. Proxima eſt ipſamet unctio, ſicut Baptiſmi materia proxima eſt ablutio.

Concluſio prima: Materia remota extremæ unctionis eſt oleum proprium, ſive oleum ex olivis expreſſum, & ab Epiſcopo benedictum.

Probatur prima pars ex illis verbis Jac. 14. *Vngentes eum oleo*, per quod nihil aliud intellexit unquam Eccleſia, quàm oleum olivæ; ſicut enim aquæ nomine aqua elementaris, ſic etiam olei nomine, oleum olivæ propriè ſignificatur.

Objicies: Materia hujus Sacramenti vocatur aliquando chriſma; ſic enim vocat Innocentius primus *in epiſt. ad Decentium*, & Gloſſa *can. 2. diſt. 95.*

Reſpondeo Innocentium primum illic loqui de materia proxima Extremæ Unctionis; chriſma enim eſt verbum Græcum, quod Latinè unctionem ſignificat. Dicemus autem infrà unctionem eſſe materiam proximam hujus Sacramenti.

Quæres, an oleum balſamo mixtum non poſſit eſſe materia ſufficiens hujus Sacramenti.

Reſpondeo, poſſe eſſe, modò poſt mixtionem olei natura permaneat; ſi verò tantum balſami admiſceretur, ut mixtum diverſæ naturæ exſurgeret, non eſſet ampliùs materia idonea.

Hinc collige primò, in caſu neceſſitatis poſſe Sacerdotem chriſmate uti loco olei. Secundò eum tamen peccaturum, qui alienam materiam oleo admiſceret.

Probatur ſecunda pars concluſionis ex traditione Apoſtolica, ut videre eſt apud Bedam, qui *in caput 6. Marci*, hæc habet: *Vnde patet, ab ipſis Apoſtolis hujus ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione conſecrato.* Idem expreſſiùs habetur apud Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 1. de Sacram. Extremæ Vnctionis*, ubi allatis Divi Jacobi verbis, hæc habentur: *Quibus verbis, ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti; intellexit enim Eccleſia materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum.*

Concluſio ſecunda. Non eſt de neceſſitate Sacramenti, ut oleum immediatè ab Epiſcopo benedicatur.

Probatur concluſio ex ritu, & conſuetudine totius Orientalis Eccleſiæ, in qua Presbyteri tunc oleum infirmorum benedicunt cùm infirmum uncturi ſunt; unde fit, ut oleum infirmorum apud illos non aſſervetur.

Probatur ſecundò ex inſtructione Clementis VIII. ſuper ritibus Græcorum de oleo catechumenorum & infirmorum, in qua hæc ad verbum leguntur: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci olea ſancta, præter chriſma ab epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere; cùm hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur.*

Quando igitur Concilia, & Theologi dicunt, materiam hujus Sacramenti eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum, intelligi debet, benedictionem illam Epiſcopalem eſſe quidem de præcepto Eccleſiaſtico, ſed non eſſe de eſſentia Sacramenti, neque de jure divino: quam ſententiam tuentur Victoria, Emmanuel Sa, Martinus Ledeſma, & alii.

Vel intelligi debet, benedictionem illam Epiſcopalem eſſe quidem de jure divino, ſed quantum attinet ad ordinariam poteſtatem tantùm; hoc autem non impedit quominus extraordinariè & ex commiſſione Presbyteri poſſint oleum benedicere. Ita Arcudius; tunc enim benedictio fiet ab Epiſcopo ſaltem mediatè, ut loquitur Pater Gonet, qui Arcudii ſententiam amplectitur.

Quæres, an in Eccleſia Latina liceat Presbyteris oleum infirmorum conſecrare.

Reſpondeo in Eccleſia Latina id illis non licere: quando verò oleum ab Epiſcopo conſecratum deficit, tunc poteſt Sacerdos oleum non conſecratum oleo conſecrato admiſcere, ut totum efficiatur conſecratum; quo modo etiam aqua non benedicta miſceri poteſt aquæ benedictæ, ut tota efficiatur benedicta.

Concluſio tertia: Ad valorem Sacramenti non requiritur benedictio olei facta certo ritu, & certa forma, ſed ſufficit benedictio quocunque modo facta. Ita Pater Gonet, qui aſſerit oleum catechumenorum licèt diverſa benedictione conſecratum, eſſe materiam ſufficientem hujus Sacramenti.

Probatur concluſio authoritate Innocentii III. *extra de Sacramentis non iterandis. cap. Paſtoralis*, ubi Summus ille Pontifex ratum habet Sacramentum Confirmationis factum per ſolam olei unctionem; quod alii, ut Dominicus, aſſerunt fuiſſe oleum catechumenorum; alii autem cenſent fuiſſe oleum minimè conſecratum: Ergo ſimiliter oleum non conſecratum, vel ſaltem oleum quacunque benedictione conſecratum erit materia ſufficiens Extremæ Unctionis.

Poſterius amplectitur Pater Gonet, ut diximus: prius autem ſequuntur Authores ſuperiùs citati, qui affirmant conſecrationem eſſe tantùm de præcepto: quos inter Durandus, & Paludanus dicunt Papam poſſe ungere oleo non conſecrato.

Materia proxima Extremæ Unctionis eſt unctio, quæ unica requiritur ad valorem Sacramenti.

Concluſio unica: Materia proxima hujus Sacramenti eſt unctio, quæ unica requiritur ad valorem Sacramenti. Prior concluſionis pars nullâ indiget probatione; poſterior autem, nimirum unicam unctionem requiri ad valorem Sacramenti.

Probatur primò. Ad Baptiſmi eſſentiam ſufficit una ablutio cujuſcunque partis: Ergo ſimiliter ad eſſentiam hujus Sacramenti ſufficit una unctio.

Reſpondet Pater Gonet negando conſequentiam & paritatem, quia inquit, in Baptiſmo ſufficit quod homo dici poſſit ablui: at in Extrema unctione non ſufficit quod homo dicatur unctus, ſed debent præterea radices omnium peccatorum, quæ ſunt in quinque ſenſibus, inungi. Verùm illa reſponſio gratis aſſeritur, ut apparebit ex probationibus quæ ſequuntur.

Probatur itaque ſecundò ex Concil. Trident. verbis quæ habentur ſeſſione 14. de Extrema Unct. cap. 3. *Nec profectò Eccleſia Romana aliarum omnium mater & magiſtra aliud in hac adminiſtranda unctione quantum ad ea quæ hujus Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſervat, quàm quod Beatus Iacobus præſcripſit.* Atqui S. Jacobus nudè præſcripſit unctiones, ait enim: *Ungentes eum oleo.* Ergo cenſet Eccleſia Romana unicam unctionem eſſe de eſſentia Sacramenti.

Dices: Eccleſia Romana ſervat unctiones quinque ſenſuum: Ergo Divus Jacobus cenſeri debet illas præſcripſiſſe.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia etiam ungit pedes, & renes: quas unctiones fatentur omnes ad Sacramenti eſſentiam non pertinere. Itaque multa obſervat Eccleſia Romana, quæ non præſcripſit D. Jacobus, ſed ea non cenſet eſſe de eſſentia Sacramenti: & ille eſt ſenſus Concilii Trid.

Probatur tertiò: Multa Ritualia approbant unicam unctionem ubi urget neceſſitas, ita codex Remigii Rhemenſis item Paſtorale Mechlinienſe anni 1588 à tota Facultate Lovanienſi approbatum: item Paſtorale Bartholomæi ab Aula, à Lovanienſibus Theologis itidem approbatum: item forma Ambroſiana & Veneta unius tantùm unctionis mentionem faciunt: præterea huic ſententiæ adſtipulantur Albertus Magnus, Molanus, Serarius, Becanus, Poſſevinus, Arcudius, Eſtius, Sylvius, & Octavius Tricarienſis per Germaniam & Belgarum provincias Nuntius Apoſtolicus. Hic enim in Directorio Eccleſiaſticæ diſciplinæ approbat unicam unctionem factam tempore peſtis.

Reſpondet Pater Gonet, in rebus ad fidem vel ad ritus Sacramentorum pertinentibus ſequendam eſſe Eccleſiam Romanam, quæ etiam peſte graſſante quinque ſenſus inungit.

Verùm hæc reſponſio probationis noſtræ vim non infringit; aliud enim eſt Eccleſiam Romanam quinque ſenſus ſemper ungere, quod non diffitemur; aliud Eccleſiam Romanam credere unctiones quinque ſenſuum eſſe de eſſentia Sacramenti, quod negamus: primò propter illa quæ diximus in probatione ſecunda: ſecundò, quia forma Veneta, quæ unius unctionis meminit, à Leone X. fuit approbata: tertio, quia Octavius Tricarienſis Nuntius Apoſtolicus unicam unctionem ratam habuit, ut diximus ſuperiùs.

Probatur quartò: Mutilati qui aliquibus ſenſuum organis privantur, Sacramentum hoc validè recipiunt; imò quod magis eſt, nauſeæ vitandæ causâ, non lingua aut palatum, ſed os, aut labia inunguntur. Ergo non eſt de neceſſitate Sacramenti ut quinque ſenſuum organa liniantur.

Probatur quintò: Apud Græcos non unguntur oculi, nares, aures, &c. ſed frons, mentum, ambæ genæ, utraque manus, pectus, & pedes; & alicubi omittuntur & pedes: Ergo non eſt de neceſſitate Sacramenti, ut ungantur quinque ſenſus.

Objicies primò: Concilium Florentinum dicit, quinque ſenſus eſſe inungendos: Ergo ad eſſentiam Sacramenti requiruntur unctiones quinque ſenſuum.

Reſpondeo negando conſequentiam; Concilium enim enumerat quidem illas partes, ſed ut jam uſitatas, non autem ut ſimpliciter ad Sacramenti naturam ſpectantes; ibidem enim dicit, pedes & renes eſſe inungendos, quos inungi neceſſariò non debere certum eſt: ita Arcudius, & Sylvius.

Obji-

Objicies ſecundò: D. Thomas *hic quæſt. 32. art. 6.* ait, unctionem quæ fit ad quinque ſenſus, ab omnibus obſervari quaſi de neceſſitate Sacramenti: Ergo, &c.

Reſpondeo cum Sylvio, D. Thomam affirmare, quinque illas unctiones eſſe *quaſi* de neceſſitate Sacramenti, quia multi ita exiſtimant : an autem D. Thomas ita ſenſerit, non conſtat. Primò quia *quæſt. 29. art. 2. in corpore*, ait plures actiones eſſe de perfectione hujus Sacramenti, nihil dicens de eſſentia: ſecundò, quia ibidem *in reſp. ad 3*. dicit unctionem in una parte factam ita eſſe ratam, ſicut rata eſt conſecratio unius hoſtiæ: tertiò quia *hic, in art. ſequenti*, ſatis indicat ipſorum organorum unctiones non eſſe eſſentiales, cùm cenſeat illis validè miniſtrari Sacramentum hoc, qui non habent illa quinque ſenſuum organa.

Concluſio quinta: In unaquaque Eccleſia eæ unctiones fieri poſſunt, quæ in illa ſunt receptæ, & approbatæ,

Probatur concluſio ex praxi & ritibus omnium Eccleſiarum, quibus ſemper licuit eas unctiones ſervare, quæ in illis erant uſitatæ. Sic paſſim apud Latinos præter quinque ſenſus unguntur etiam & pedes, & renes virorum; in Eccleſia autem Herbipolenſi, teſte Serario, renes omittuntur. In veteri Pontificali Anglicano dictis unctionibus adduntur unctiones colli, ſcapularum, pectoris, umbilici, & loci ubi plus doloris imminet. In codice Tiliano additur unctio cordis, labiorum, menti : prohibetur verò ungi frontem & verticem, quia unctio frontis ad Confirmationem, unctio autem verticis ad Baptiſmi ceremonias pertinet. Apud Græcos autem unguntur frons, mentum, genæ, & manus; imò etiam apud alios pectus, & pedes.

Hæc cùm ita ſint, receptam Eccleſiæ alicujus conſuetudinem nemo debet privato judicio aut permutare, aut auferre, ut prudenter monet Serarius; & multò minùs condemnare, ut addit Arcudius.

Concluſio ſex: Mutilati ungendi ſunt in partibus propinquioribus partibus quæ inungi debuerant; quia licèt peccare non potuerint per illa ſenſuum organa, quibus carent; interiùs tamen, & per voluntatem ſaltem peccare potuerunt.

Forma Extremæ Vnctionis deprecatoria eſt, licèt probabile ſit indicativam ſufficere.

Hujuſce Extremæ Unctionis Sacramenti tres diverſæ formæ inveniuntur; aliæ enim ſunt deprecatoriæ tantùm, aliæ indicativæ tantùm, aliæ deprecatoriæ & indicativæ ſimul.

Concluſio prima: Forma deprecatoria eſt forma ſufficiens & legitima hujus Sacramenti.

Probatur concluſio primò authoritate Concilii Florentini *in Decreto Eugenii*, & ex praxi univerſalis Eccleſiæ; nam Eccleſia Latina hac forma deprecatoria utitur, ſcilicet: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, &c.* Eccleſia autem Orientalis utitur aliâ quidem formâ ſed etiam deprecatoriâ; utuntur enim Græci longa oratione, quam refert Arcudius, qui credit orationis illius illa tantùm verba eſſe de eſſentia Sacramenti, nimirum: *Pater ſancte, medice animarum & corporum, ſana hunc ſervum tuum à morbo corporis & animæ, quo detinetur.*

Probatur ſecundò, quia forma deprecatoria eſt conformis verbis ſancti Jacobi, qui tribuit efficaciam hujus Sacramenti orationi. *Oratio fidei* (inquit) *ſalvabit infirmum.*

Objicies: Effectus Sacramenti debet eſſe certus; Sed effectus certus non poteſt exprimi per verba deprecatoria; Ergo forma hujus Sacramenti non poteſt eſſe deprecatoria.

Reſpondeo negando minorem, quia efficacitas Sacramentorum non dependet ex vi formæ, quatenus eſt opus operantis, ſed ex virtute promiſſionis Chriſti; unde impoſſibile eſt orationes Eccleſiæ non exaudiri propter promiſſionem Eccleſiæ factam.

Concluſio ſecunda: Forma mixta, ſive partim deprecatoria, partim indicativa, eſt etiam legitima.

Probatur concluſio ex ritu variarum Eccleſiarum; ejuſmodi enim formam mixtam refert Palatius ex libro Sacramentali Venetorum, approbato à Leone X. Item ſimilis forma reperitur in libro Sacramentarii Sancti Gregorii, in codice antiquo Haltgarii, qui vixit circa annum 820. apud Albertum Magnum *in 4. diſt. 23. art. 1. quæſt. 2.*

Concluſio tertia: Si quæ ſit forma merè indicativa, probabile eſt illam eſſe formam legitimam hujus Sacramenti. Dixi, *ſi quæ ſit forma indicativa*, quia forma Ambroſiana, quæ ut talis ſolet circumferri, eſt partim deprecatoria; his enim verbis continetur: *Vngo te oleo ſanctificato, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut more militis unctus preparatus ad certamen aëreas poſſis ſuperare poteſtates.*

Concluſionem noſtram tuentur Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, Richardus, Navarrus, Eckius, Eſtius, Becanus, & Pater Gonet, qui quamvis ſententiam oppoſitam cenſeat eſſe probabiliorem, refutat tamen Nuño qui vult opinionem noſtram eſſe omninò improbabilem : quocirca valde probabile eſt, ait Pater Gonet, Chriſtum aliquorum Sacramentorum formas vel materias determinaſſe ſolùm in genere, & poteſtatem eas determinandi in ſpecie Eccleſiæ reliquiſſe; unde orta eſt diverſitas illa formarum, diverſique ritus adminiſtrandi Sacramenta aliqua in Latina & Græca Eccleſia ſubſtantialiter, & ſpecie diverſi.

Ex dictis manifeſtum eſt, unumquemque teneri ſervare conſuetudinem in ſua Eccleſia receptam.

Speculatio II.

Animæ infirmitates ſanare, peccata dimittere, & corporis morbum, ſi ita expedit, amovere, ſunt effectus Sacramenti Extremæ Vnctionis, cujus miniſter eſt Sacerdos, ſubjectum autem infirmus periculosè laborans, cui etiam in eadem infirmitate Extrema unctio ſæpiùs poteſt concedi, ſecundùm diverſum tamen infirmitatis ſtatum.

PRima pars, quæ ſcilicet effectus hujuſce Sacramenti recenſet, probatur primò ex D. Jacobo, qui omnes effectus prædictos recenſet; nam illis verbis, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, hæc ſubjicit. Primò, *Et oratio fidei ſalvabit infirmum*: ubi notari debet vocabulum *ſalvabit*, quod tam de anima, quàm de corpore dicitur; imò frequentiùs in ſacris Litteris ad animam refertur, ut in fine hujus capitis. *Salvabit animam ejus à morte*. Secundò addit, *Et alleviabit eum Dominus*: alleviabit, Græcè, *eriget*, ægri ſcilicet mentem à torpore, mœrore, & anxietate, quâ à divinorum conſideratione revocatur. Tertiò tandem adjicit, *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Quibus ultimis verbis peccatorum remiſſio clariſſimè enuntiatur. Igitur juxta Divum Jacobum, Extremæ Unctionis effectus ſunt primò, corpus & animam

ſalvare; ſecundò, mentem alleviare à nimia ægritudine, quâ à divinis abſtrahitur: tertiò, peccata dimittere.

Objiciunt hæretici. Primus effectus, ſcilicet *ſalvabit infirmum*, tribuitur orationi: Igitur malè à nobis tribuitur Sacramento Extremæ Unctionis.

Reſpondeo negando conſequentiam, prædictus enim effectus non tribuitur orationi ſoli, & per ſe conſideratæ; ſed tribuitur orationi, quatenus oratio eſt pars Sacramenti Extremæ Unctionis. Cùm autem oratio ſit forma, ac proinde potior para hujus Sacramenti, nihil mirum ſi orationi potiùs quàm unctioni Sacramenti effectum tribuit Apoſtolos.

Quæres primò, quiſnam ex illis effectibus ſit primarius & principalis effectus hujus Sacramenti.

Reſpondeo primò, quoſdam non malè ſentire, primarium hujuſce Sacramenti effectum non eſſe ſimplicem, ſed ex pluribus aggregatum, quibos Patres Concilii Tridentini videntur concinere; allatis enim D. Jacobi verbis, ſic proſequuntur: *Res etenim hæc gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, &c.*

Reſpondeo ſecundò, probabiliter etiam Divum Thomam aſſerere, primarium hujus Sacramenti effectum eſſe ſanationem, aut medicationem, ut loquitur, illius debilitatis, aut ineptitudinis, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali.

Probatur hæc ſecunda opinio oſtendendo cæteros effectus non eſſe effectus primarios hujus Sacramenti; nam primò quod attinet ad ſanitatem corporalem; certum eſt eam non eſſe effectum primarium, cùm juxta D. Auguſt. Enchir. cap. 66. *Totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertineat.* Unde Patres tum Florentini, tum Tridentini definierunt effectum hujus Sacramenti eſſe mentis ſanationem; in quantum autem expedit, etiam corporis.

Quod autem peccatorum remiſſio non ſit etiam primarius Sacramenti hujus effectus, probat D. Thomas; quòd ſola pœnitentia principaliter inſtituta ſit contra actualem culpam, Extrema autem Unctio ſit medicina, quæ proinde iis dari non poteſt, qui ſpiritalem vitam per peccatum mortale amiſerunt.

Quod etiam non ordinetur principaliter contra veniale, probat idem S. Doctor primò, quòd pœnitentia ſufficienter deleat peccata venialia quoad culpam: ſecundò, quòd ad delendum veniale non requiratur nova gratiæ infuſio; unde fit, ut nullum Sacramentum novæ legis inſtituatur directè contra veniale.

Quæres ſecundò, quænam peccata hîc dicantur à Divo Jacobo per Extremam Unctionem remitti.

Reſpondeo, varias eſſe hac in re Interpretum mentes; nam alii cenſent eſſe peccata venialia, iique volunt illam loquendi formulam, *Si in peccatis ſit*, non eſſe indicium rei dubiæ & incertæ ſed certæ & indubitatæ, ut dum *Malach. 1.* dicitur: *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus.* 2. Theſſal. 1. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere.* Hîc apud Jacob. cap. 1. *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo.* 3. Reg. 8. *Quid ſi peccaverint tibi, non eſt enim homo qui non peccet.* Alii verò qui nolunt Sacramenta novæ legis inſtituta fuiſſe ad remiſſionem venialium, putant per peccata hîc intelligi parvas inclinationes ex peccatis relictas. Alii tandem Apoſtolum exponunt de peccatis mortalibus per oblivionem aut ignorantiam in confeſſione omiſſis.

Verùm cùm B. Jacobus generaliter nominet peccata, ſatius videtur illum intelligendum eſſe de omnibus cujuſcumque generis peccatis, comprehenſis etiam inclinationibus & affectibus vitioſis.

Quæres tertio, an ſanitas corporis dici poſſit Sacramentalis effectus Extremæ Unctionis, ſive an dici poſſit produci ex opere operato.

Reſpondeo difficultatem illam levem non eſſe; id enim quod ex opere operato producitur, remoto obice ſemper producitur: ſanitas autem corporis Extremam Unctionem etiam remoto obice non ſemper videtur conſequi. Quocirca non malè aliqui reſpondent, ſacram Unctionem reſpectu corporalis ſanitatis non tam Sacramentum eſſe quàm ſacramentale quoddam, cujuſmodi eſt aſperſio aquæ benedictæ. Videtur hæc reſponſio conformis eſſe Conciliis Florentino & Tridentino, quæ huic effectui conditionem apponunt; & Catechiſmo Romano, qui effectum hunc docet conſtanti & perpetuo ordine non evenire; cùm tamen Sacramenta, ut Sacramenta, abſolutum, eumque conſtantem effectum habere debeant.

Miniſter Sacramenti Extremæ Unctionis eſt Sacerdos.

Secunda hæc ſpeculationis pars manifeſtè probatur ex his Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, &c.* Quibus verbis Eccleſia ſemper intellexit veros Eccleſiæ Presbyteros aut Sacerdotes, ut videre eſt ex authoritatibus D. Chryſoſt. Innocentii I. Origenis, Bedæ, &c. quas ſuperiùs fusè retulimus.

Quare explodenda prorſus eſt hæreticorum ſententia, qui per Presbyteros intelligunt ætate ſeniores, hæc enim interpretatio non ſolùm dictis authoritatibus repugnat, verùm etiam à ratione aliena eſt: nam juxta illam, ſi quis adhuc juvenis Sacerdos, aut etiam Epiſcopus ordinaretur, Sacramenti Extremæ Unctionis miniſter eſſe non poſſet. Unde hunc errorem meritò ſub anathemate condemnavit Synodus Tridentina *ſeſſ. 14. can. ultimo.*

Objici poteſt id quod ſuperiùs retulimus ex Innocentio I. in Epiſtola ad Decentium, nimirum: *Quo oleo ab Epiſcopo benedicto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo.* Unde patet non ſolùm Presbyteros & Sacerdotes, ſed etiam Chriſtianos omnes poſſe ſe aut alios inungere, ac proinde Chriſtianos omnes eſſe hujus Sacramenti miniſtros.

Reſpondeo primò prædicta Innocentii verba, *in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo*, non debere ſumi activè, quaſi ſcilicet omnibus Chriſtianis liceret ſe aut ſuos inungere; ſed ſumi debere paſſive, quatenus ſcilicet omnibus licitum eſt ut à Presbyteris inungantur. Neque paſſivus hic loquendi modus apud Latinos inſolitus eſt, dicente Poëta: *Uritque videndo fœmina*; ideſt, dum videtur: *Cantando rumpitur anguis*; ideſt, dum incantatur.

Reſpondeo ſecundò, allata Innocentii verba aliâ ratione explicari à Soto, ab Arcudio, & ab Eſtio, & cæteris, qui probant ex illo contextu omnibus licere ſe, aut ſuos inungere: verùm affirmant illam unctionem Sacramenti rationem non habere. Hanc autem ſuam reſponſionem confirmant primò ex teſtimonio Tertuliani, qui in libro ad Scapulam narrat Proculum Chriſtianum Imperatori gentili fuiſſe chariſſimum, quòd ipſum gravi morbo conflictantem oleo ſanaſſet. Secundo ex vita S. Genovefæ, apud Surium *tom. 1. tertia Ianuarii*, in qua narratur dæmoniacum quendam ad S. Genovefam allatum fuiſſe, ad quem ſanandum ampullam illa afferri juſſit, in qua

ſacratum oleum aſſervare ſolebat. Cùm autem nihil olei eo tempore ampulla haberet, nec Epiſcopus adeſſet qui oleum conſecraret, oratione impetravit ut ampulla oleo impleretur, cujus unctione dæmoniacum emundavit. Tertiò ex vita S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani, apud Sur. *tom. 1. ſexta Aprilis*, in qua hæc habentur: *Oleo Sancto unxit manum à dæmone inflammatam tribus diebus: cæca viſum reſtituit, abſoluta precatione unxit eum tribus diebus.* Ibidem: *Solita precatione adhibita pretioſo oleo laborantem oculum inunxit*, &c. Et infrà: *Hydropicum cùm ille precatus eſſet, & oleo ſancto unxiſſet, dimiſit.* Quartò ex eo quod habet idem Surius *tom. 4. quarta Iulij*, in vita S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani; & *tom 7. quarta Maii*, in vita S. Gothardi Epiſcopi. Quintò ex eo quod S. Hieronymus refert de S. Hilarione in ejus vita.

Porrò de hac eadem unctione quæ Sacramentum non eſt, interpretatur Arcudius illam unctionem quâ ſani etiamnum apud Græcos oleo ſacros inunguntur, ut inferiùs dicemus.

Objici poteſt ſecundò id quod habet Beda *in caput 5. Iacobi*, ubi dicit, *infirmos moneri ut ſeniorum adjutorio curare ſe meminerint, neque ad juniores, minuſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis referant*, &c. unde apparet per Presbyteros intelligi debere ſeniores, non verò Eccleſiæ Sacerdotes.

Reſpondeo eo loci duplicem ſenſum verborum D. Jacobi Bedam afferre; priorem myſticum & moralem in allatis illius verbis expoſitum; poſteriorem litteralem, quem poſteriora illius verba referunt, nimirum: *Nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, ut infirmi oleo conſecrato ungantur à Presbyteris, &c.*

Quæres primò, an unicus Presbyter ſufficiat ad hoc Sacramentum adminiſtrandum, cùm apud D. Jacobum habeatur, *inducat Presbyteros*, non *Presbyterum*.

Reſpondeo unicum Sacerdotem ſufficere ad inungendum ægrotum, ut probari poteſt ex Concil. Aquiſgranenſi, *can. 5.* ex Hincmaro Rhemenſi *in capitul. 10.* ex conſtitutionibus Alfredi, *conſtitut. 32.* ex iis quæ retulimus ſuperiùs de Dunſtano, &c. quapropter dum D. Jacobus dicit, *inducat Presbyteros*, idem eſt ac ſi diceret, inducat aliquem ex Presbyteris.

Quæres ſecundò, an plures Sacerdotes poſſint ſimul hoc Sacramentum adminiſtrare.

Reſpondeo primò, quod ſi unico ungente, & Sacramentum adminiſtrante plures alii aſſiſtant, quorum unuſquiſq; preces fundat, hoc eſſe validum & licitum, imò univerſalis Eccleſiæ praxi conforme, ut docet Ledeſma qui affirmat, illum Presbyterum peccare, qui ſolus Extremam unctionem adminiſtrat, dum plures Sacerdotes poſſunt adeſſe: quod confirmat ex Gloſſa *in cap. Quæſivit.*

Reſpondeo ſecundò, quod ſi plures Sacerdotes adſint, quorum unuſquique unam unctionem faciat, & partialem formam proferat, tunc Sacramentum adminiſtrari validè, non tamen licitè, ut docent communiter Scholaſtici.

Reſpondeo tertiò, morem eſſe apud Græcos in uſu receptum, ut plures Sacerdotes, Septem videlicet, aut ad minus tres accerſantur, qui ſucceſſivè infirmum ungunt, & ungendo formam proferunt, adeo ut unuſquiſque illorum integrum Sacramentum reiteret: qua in re culpandine ſint Græci, an approbandi, definire non auſim; ut enim ait Arcudius: *Vbi Eccleſia Græca convenit cum Latina, ibi errorem abeſſe omninò fatendum eſt; ubi verò variat, ibi cautè procedendum eſt, ac diligenter conſiderandum, quænam ut bonæ conſuetudines ſint recipiendæ, quæ item ut improbæ rejiciendæ.* Præſertim ubi nullum extat Eccleſiæ judicium eundem morem olim in Eccleſia Occidentali etiam viguiſſe, ut patebit ex dicendis in ſpeculatione tertia hujus capitis.

Quæres tertiò, an cuilibet Sacerdoti licitum ſit hoc Sacramentum adminiſtrare?

Reſpondeo hoc Sacramentum poſſe à quolibet Sacerdote validè conferri, non tamen licitè, niſi ab habente poteſtatem, vel ordinariam, ut Parochus; vel delegatam, ut cui Parochus licentiam dedit.

Probatur hæc reſponſio ex Clementina unica de privilegiis, & Clementina *Dudum*, de ſepulturis: ubi ſub pœna excommunicationis prohibetur ne abſque licentia Parochi ullus etiam Religioſus Extremam Unctionem adminiſtret. Abſente tamen Parocho, vel eo per evidentem malitiam recuſante, poſſet quilibet Sacerdos ſacrum oleum conferre in caſu neceſſitatis; quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ deſtituere tales moribundos hujus Sacramenti beneficio, ſed coërcere Religioſos ne invadant officium Parochorum.

Quæres quartò, an Parochus teneatur ſuis parochianis aliquo morbo contagioſo laborantibus Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrare.

Reſpondeo ſecuriorem & veriſimiliorem eſſe illorum ſententiam qui affirmant, Parochos ad id teneri, niſi id fiat per aliquem alium. Primò, quia Parochus ex officio, atque adeo ex juſtitia tenetur parochianis ſuis miniſtrare non ſolum ea quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt, ſed inſuper quæ valde ſunt ipſis utilia, & quodammodo neceſſaria. Secundò, quia fieri poteſt ut multi ſalventur percepto hoc Sacramento, qui alioquin eſſent damnandi. Tertiò ex uſu Eccleſiæ; Parochi enim timoratè illud ſolent obſervare, ut patet ex Sancto Carolo & aliis. Quartò, quia magnum ſcandalum oriretur in populo ſi Parochi illud omitterent.

Subjectum Sacramenti Extremæ Vnctionis eſt infirmus periculosè laborans.

Hæc tertia ſpeculationis pars probatur ex iis D. Jacobi verbis: *Infirmatur quis, &c.* & rurſum: *Oratio fidei ſalvabit infirmum.* Ex quibus verbis Concilium Tridentinum docuit, *hanc unctionem infirmis adhibendam eſſe, illis verò præſertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur.*

Quæres primò, an iis Extrema Vnctio licitè conferatur qui nondum ſunt in ſtatu exeuntium.

Reſpondeo illis hoc Sacramentum licitè conferri. Primò, quia S. Jacobus infirmitatem duntaxat deſignat, non verò vitæ exitum. Secundò ex verbis Concilii Tridentini proximè relatis, quibus declarat, *hanc unctionem infirmis adhibendam eſſe, præſertim, &c.* Tertiò, quia requirebatur olim ab infirmo, utrum vellet inungi. Canones enim Elfrici ſic habent: *Nemo præſumat eum inungere, niſi exoratus.* Et Beatus Lanfrancus in Decretis pro Ordine S. Benedicti, *cap. 13.* ſic ſtatuit: *Si infirmus ſe petat inungi.* Et codex S. Mariæ Rhemenſis: *Tunc Sacerdos accipiens oleum ungat infirmum, ita tamen ſi infirmus inquiſitus hoc voluerit.* Quartò ex antiqua Eccleſiæ praxi, infirmos ſcilicet per ſeptem dies & amplius, ſi neceſſitas fuerit, inungendi. Id docet Matthæus Galenus in promptuario Theologico, catecheſi 182. ubi: *Ad hæc*, inquit, *non fiebat illud perfunctoriè ac properanter, ſed ubi æger non convaleſcebat, redibant eodem Sacerdotes per ſeptiduum ungentes, non quidem Sacramentum toties repetentes, ſed ſtatis precibus unctione curantes*

tes

Digitized by Google

tes laborioſa membra, &c. Idem repetit catecheſi 18. & 80.

Quæres ſecundò, an Sacramentum extremæ unctionis ſanis validè conferri non poſſit.

Reſpondeo, difficillimam eſſe quæſtionis hujuſce ſolutionem propter receptum in univerſa Eccleſia Orientali uſum; non enim in Græcia ſolùm, ſed etiam in tota Ruſſia, & in univerſa Moſcovia, non ſolùm paſſim Presbyteri, ſed ipſimet Antiſtites, Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ſemel in anno hoc oleum benedicunt, & aſtantem deinde, ac circumfuſum populum inungunt, nihil prorſus omittendo eorum quæ in ægrotorum inunctione ſolent adhiberi, ut etiam fatetur Arcudius; licèt deinde inſinuare conetur, unctionem hanc, quæ apud Græcos ſanis adhibetur, non adhiberi tanquam Sacramentum: in hoc autem ab ipſis Græcis diſſentit, ſiquidem Job Manachus, Gabriel Philadelphienſis, Simeon Theſſalonicenſis, Joannes Nathanael Cretenſis, Jeremias Conſtantinopolitanus, quorum verba ab Arcudio referuntur, apertè profitentur Græcorum morem eſſe Unctionem ſacram etiam per modum Sacramenti ſanis adhibere.

Jam verò quis audeat proprio ſuo ſenſu praxim ab univerſa Orientali Eccleſia receptam audacter condemnare, præſertim cùm illa minimè condemnata fuerit, neque à Concilio Florentino, neque ab Innocentio IV. qui in Epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanum, in Regno Cypri Sedis Apoſtolicæ Legatum, prohibet quidem ne Sacerdotes pro ſatisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam ſolummodò injungant, ſed non vetat illam unctionem injungi, modò aliquid aliud ſimul injungatur.

Supereſt ut inquiramus an ille Græcorum ritus opponatur aut verbis Divi Jacobi, aut definitioni Concilii Tridentini. Nam ſi hoc ſit, procul dubio culpandus erit & rejiciendus. Dicit quidem D. Jacobus: *Infirmatur quis in vobis, &c.* & Concilium Tridentinum definit ſubjectum hujus Sacramenti eſſe infirmum. Verùm aliud eſt aſſerere infirmum debere inungi, aut infirmum eſſe ſubjectum Sacramenti Extremæ unctionis; aliud aſſerere infirmum dumtaxat poſſe inungi, aut eſſe ſubjectum validum hujus Sacramenti. Prius quidem docetur à D. Jacobo, & à Concilio Tridentino, ſed non poſterius. Unde patet neque etiam hac ratione Græcorum praxim eſſe condemnatam. Huc accedit quod, ut diximus, multi tum è Græcis, tum è Latinis docuerint, & etiamnum doceant, Sacramentum Extremæ unctionis non ſolùm *Jacobi 5.* ſed etiam *Marci 6.* traditum eſſe. Patet autem unctionem quam ab Apoſtolis factam fuiſſe narrat S. Marcus, non ægrotis ſolùm, ſed etiam ſanis fuiſſe adhibitam. Quare tutius credam Eccleſiæ judicio hanc controverſiam definiendam relinquere, quàm proprio & privato judicio audaciùs quàm veriùs terminare.

Quæres tertiò, an Sacramentum hoc conferri poſſit furioſis, amentibus, pueris, &c.

Reſpondeo non debere conferri pueris qui nondum actualiter peccaverunt, neque etiam furioſis atque amentibus, qui uſum rationis nunquam habuerunt: poterit tamen conferri iis qui cùm uſum rationis aliquando habuerint, actualiter peccare potuerunt, maximè ſi illud petierint, aut bonæ vitæ fuerint.

Probatur: Sacramentum extremæ unctionis eſt conſummativum, aut complementum pœnitentiæ, ut loquitur Concilium Tridentinum poſt SS. Patres. Ergo iis tantum conferri poteſt qui actualiter peccaverunt.

Dices ex D. Thoma: Extrema Unctio non poteſt iis adhiberi, qui actualem devotionem non habent: Ergo non debet dari iis qui amentes ſunt, aut furioſi.

Reſpondeo Divum Thomam à Sylvio, & à Sylveſtro ita exponi, ut ſcilicet Extrema unctio furioſis & amentibus non concedatur dum ſubeſt periculum irreverentiæ.

Quæres quartò, quænam infirmi partes inungi debeant.

Reſpondeo quod quamvis probabile ſit unicam unctionem ad Sacramenti valorem requiri, convenientiſſimè tamen inungi quinque ſenſuum organa, quia in illis reſidet morbi radix, cui ſanando Unctio ceu medicina adhibetur. Neq; id ſolum convenienter fit, ſed etiam de neceſſitate ſaltem præcepti, adeo ut ille graviter peccaturus ſit qui in Eccleſia Latina aliquem ſenſuum inungere omitteret.

Quæres quintò, utrum Fideles teneantur ſub mortali hoc Sacramentum ſuſcipere.

Reſpondeo, Fideles ad id per ſe non teneri ſub mortali, quia Sacramentum hoc ad ſalutem non eſt ita neceſſarium, ut ſine illo ſalvari quis non poſſit. Certùm eſt tamen, illud neque negligi ſine culpa, neque contemni ſine mortali peccato poſſe, ut habetur in bulla Martini V. edita Conſtantiæ, & in Concilio Tridentino *ſeſſione 14. de Extrema Unctione, can. 3.*

Extrema unctio etiam in eadem infirmitate ſæpius poteſt iterari, ſecundùm diverſum tamen infirmitatis ſtatum.

Ultima hæc ſpeculationis pars docetur à S. Thoma, & toti' Eccleſiæ praxi innititur. Rationem affert S. Doctor, quòd ſcilicet Extrema Unctio non infirmitatem tantùm, ſed etiam infirmitatis ſtatum reſpiciat: unde quando durante diuturno morbo ſæpiùs in mortis periculo æger verſatur, ſæpiùs hoc Sacramento inungi poteſt, quia ſcilicet per id tempus novæ peccatorum reliquiæ contrahi ſolent.

Speculatio III.

Extremæ Unctionis ceremoniæ recenſentur.

PRimò, cùm ii dumtaxat Extremam unctionem nunc recipiant qui in lecto periculoſæ decumbunt, patet locum in quo Sacramentum hocce adminiſtratur, eſſe infirmi cubiculum. Monet tamen Rituale Romanum tunc infirmos, ſi fieri poteſt, inungi debere, *cùm in illis adhuc integra mens & ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipſi etiam ſuam fidem ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum ſacro liniuntur oleo.*

Infirmus hoc Sacramentum ſuſcipiens, ubi vires permittebant, extra lectum olim erat, ut docemur ex antiquo codice Siculo qui ſervatur in Bibliotheca Barberina: ibi enim obſervatur, quod infirmus ſtat ad dextram Sacerdotis, & genua flectit dum Sacerdos hanc orationem recitat: *Domine Deus, qui per Apoſtolum, &c.* Imò infirmos olim ad Eccleſiam iviſſe ut hoc Sacramentum ſuſciperent, patet ex S. Oſvvaldo, qui ut ait author ejus vitæ, *Regreſſus in Oratorium, convocatis fratribus hortatur eos impendere ſibi miniſterium ſacræ Unctionis.* Idem de S. Malachia docet D. Bernardus.

Secundò, Extremam Unctionem poſt Pœnitentiæ, & Eochariſtiæ Sacramenta conferri nunc debere, docet Rituale Romanum, & univerſa Eccleſiæ praxis; illam tamen ceu Pœnitentiæ appendicem ante communionem collatam olim fuiſſe, docet codex Tilianus, ſeu Sagienſis; neque antiqua hæc praxis penitus inolevit, cum etiamnum vigeat in Ordine Ciſtertienſi.

Tertiò Sacerdos Extremam unctionem miniſtraturus ſuperpelliceo ſtolaque violacea indui debet, & convocatis Clericis, vel ſaltem uno clerico, qui crucem ſine haſta, aquam benedictam cum aſperſorio, & librum ritualem deferat, ipſe Sacerdos vas ſacri olei ſacculo ſericeo violacei coloris incluſum decenter, & cautè defert. Intrans autem cubiculum infirmi dicit: *Pax huic domui*. Reſp. *Et omnibus habitantibus in ea*. Deinde depoſito oleo ſuper menſam ad id paratam, in modum crucis infirmum & cubiculum & circumſtantes aſpergit dicens antiphonam. *Aſperges, &c.* Quod ſi ægrotus voluerit confiteri, audit illum, & poſtea dicit, *Adjutorium noſtrum, &c.* & Orationes quæ ſequuntur, quæ tamen omitti poſſunt cùm tempus urget. Facta deinde confeſſione generali. Sacerdos dicit: *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* & antequam ungere incipiat monet adſtantes, ut pro infirmo orent, dicantque ſeptem Pſalmos, Litanias, vel alias preces, &c. Deinde præmiſsâ priùs oratione infirmum ungit, & poſt quamlibet unctionem loca uncta Sacerdos vel miniſter, ſi in ſacris ſit, novo globulo bombycino vel rei ſimilis abſtergat, & in vaſe mundo reponat, & ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineteſque projiciat in Sacrarium. Ita Rituale Romanum.

In codice autem S. Mariæ Rhemenſis ante annos quingentos ſcripto, cujus meminit doctiſſimus Morinus *lib. 10. de Pœnitentia, cap. 15.* habetur quod Sacerdos indutus eſſe debeat ſuperhumerali, alba, & ſtola; quod Diaconus Evangelii textum, & infirmorum oleum ferre debeat; quod unus ceroferariorum debeat ferre dextra cereum, lævâ codicem in quo orationes hujus Officii continentur. Ubi autem Sacerdos ad ægrotum pervenit, dextrâ ſe ſigno crucis muniens poſt aſperſionem domus & circumſtantium ex aqua benedicta, dicit ad infirmum, *Quid me advocaſti frater?* Ille ait: *Vt mihi Vnctionem tradas*. Tum Sacerdos: *Donet tibi Dominus noſter Ieſus Chriſtus veram facilemque Vnctionem: tamen ſi te reſpexerit & ſanaverit te Deus, cuſtodies illam.* Reſpondet infirmus, *Cuſtodiam*. Deinde Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua ſuper pectus ejus, & imponit cilicium deſuper dicens: *Si quis infirmatur agat pœnitentiam, &c.*

Poſt hæc dicebantur Litaniæ quæ in multis diverſæ ſunt à noſtris, ut videre eſt in codice Monaſterii S. Remigii apud Menardum *pag. 345.* Poſt Litanias fiebat Sacerdoti confeſſio peccatorum, & dum ungebatur infirmus ab uno vel pluribus Sacerdotibus, circumſtantes recitare ſolebãt pſalmos, antiphonas, verſiculos & orationes. Poſt unctionẽ infirmo porrigebatur Euchariſtia, & ſic per ſeptem continuos dies, tam de Communione, quàm de alio Officio, id eſt Extrema Unctione, quæ per ſeptẽ dies repetebatur, niſi neceſſitas illam repetitionem impediret. Tandem dicebatur Miſſa pro infirmo, quæ duplex legitur in codice S. Remigii Rhemenſis: una ſi infirmus ad Eccleſiam ire poſſit, in qua fit conſecratio: altera quæ dicebatur in cubiculo infirmi, in qua omnia dicebantur, excepta conſecratione.

Ex iis patet etiam in Eccleſia Latina in Sacramentis adminiſtrandis eoſdem ritus non ſemper fuiſſe ſervatos, potuit enim ſemper Eccleſia ritus ſuos aut abolere, aut novos inſtituere, aut in melius mutare. Veruntamen cùm uſus aliquis ab Eccleſia inſtitutus eſt, illum ſervare unuſquiſque tenetur; id enim ſub anathemate præcipit Synodus Tridentina *ſeſſione 7. de Sacramentis in genere, can. 13.* ibi: *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorũ adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.*

DISSERTATIO II.

De Sacramento Ordinis.

SACRAMENTA quæ hactenus expoſita fuere, pro ſingulorum ſalute inſtituta ſunt: quæ autem ſuperſunt pertractanda bonum publicum ſpectant; Ordo enim ad ſpiritualem, Matrimonium verò ad carnalem Fidelium propagationem deſtinatur.

Eſt autem Ordo, ſi vim nominis ſpectes, rerum parium diſpariumque unicuique ſua loca tribuens congrua diſpoſitio: aliquando tamen Ordinis vocabulum ſumitur pro ſtatu, ſeu conditione ſublimiori, ſive pro gradu dignitatis quo quis aliis excellit; & in hoc ſenſu Ordinis nomen Eccleſiaſticis gradibus per excellentiam convenit.

Non ea tamen eſt apud Græcos quæ apud Latinos nominis hujus uſurpatio; nam quod nos Ordinem, Græci *χειροτονίαν*, ſive manuum impoſitionem appellant, propterea quod ſpiritualis Eccleſiæ poteſtas per manuum impoſitionem ſolet Miniſtris communicari.

CAPUT I.

De iis quæ ad Ordinem in genere ſpectant.

DAri in Eccleſia Ordinis Sacramentum, quo Ordinati à cæteris fidelibus diſcernantur, & ſuperiorem quàm illi dignitatem obtineant, negat Lutherus, qui paſſim docet Chriſtianos omnes æqualiter eſſe Sacerdotes; Sacerdotes novi Teſtamenti non fieri, ſed naſci; Claves eſſe totius Eccleſiæ, & cujuſvis membri, &c. Verùm quàm falſa ſit hæc Lutheri opinio, cui hac in parte ne Calvinus quidem aſſentitur, evidenter demonſtrabunt quæ inferiùs adducemus. Sit ergo

SPECULATIO I.

Ordo eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto domino inſtitutum.

VT Ordo Sacramentum novæ Legis dici poſſit, oportet ut ſit primò cæremonia externa & viſibilis: ſecundò conſtans & perpetua: tertiò gratiam conferens: quartò à Chriſto immediatè, vel ſaltem (ut alii volunt) mediatè inſtituta. Hæc autem quatuor in ordine reperiri probatur primò ex Scriptura. Nam 1. *Timoth.* 4. hæc habentur: *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, per impoſitionem manuum Presbyterii.* Hic habes primo ceremoniam externam, nimirum impoſitionem manuum Presbyterii, id eſt totius cœtus Presbyterorum, ſive Epiſcoporum, ut interpretatur Chryſoſtomus. Alii tamen hæc verba *per impoſitionem manuum Presbyterii*, ſic intelligunt, per impoſitionem manuum quâ factus es Presbyter, vel Epiſcopus. De hac eadem manuum impoſitione ſermo fit ibidem *cap. 5. 2. ad Timoth. 1. Act. 9. 17. Act. 13. 3.* Secundò in textu ſuperiùs allato habetur gratiam collatam fuiſſe per illam manuum impoſitionem.

Objicies primò: Gratia illa dicitur data fuiſſe per prophetiam: Ergo non fuit data per impoſitionem manuum.

Reſpon-

Reſpondeo *per prophetiam*, ibi idem eſſe ac ſecundùm prophetiam, ut ſenſus ſit, *noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi (ſecundùm prophetiam priùs de te factam) per impoſitionem, &c.* Eumque eſſe verum hujus loci ſenſum agnoſcit ipſe Calvinus.

Objicies ſecundò: Gratia, de qua hîc loquitur Apoſtolus, eſt gratia gratis data, non verò gratia gratum faciens; Ergo malè indè concluditur ordinationem eſſe Sacramentum.

Reſpondeo, gratiam hîc uſurpatam eſſe generaliùs quatenus ſcilicet complectitur gratiam omnem ad Epiſcopale munus obeundum neceſſariam, ac proinde gratiam ipſam ſanctificantem, quæ ad id eſt maximè neceſſaria. Hæc reſponſio confirmatur ex 2. *ad Tim. cap.* 1. ubi Apoſtolus de eadem gratia ſic loquitur: *Moneo te ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Sola autem gratia ſanctificans poteſt ſuſcitari, nimirum oratione, meditatione, lectione, ſtudio rerum ſacrarum, ſancti propoſiti renovatione, &c.

Jam verò Sacramentum Ordinis eſſe à Chriſto etiam immediatè inſtitutum, patet, ex iis Chriſti verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus Apoſtolos creatos fuiſſe Sacerdotes docet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap.* 1. Idem etiam patet ex iis quæ habentur Joan. 20. 22. *Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Tandem cùm proximè allata Chriſti verba nullam temporis limitationem includant, patet poteſtatem illam Apoſtolis traditam conſtantem eſſe & perpetuam, ac proinde ordinationem Sacerdotum eſſe verum, & proprium legis novæ Sacramentum: quod erat oſtendendum.

Idem ſecundò probatur ex Traditione, ſed non multùm immorabor in hac noſtra concluſione ex Traditione comprobanda; authoritates enim omnes quæ hanc in rem eſſent afferendæ, opportuniùs infrà adducentur, cùm de Ordinibus in particulari ſermonem habebimus. Quare ſatis nunc erit unicum teſtimonium è Divo Auguſtino afferre, quo docetur ſacram ordinationem verum eſſe Sacramentum; ſic enim loquitur libro 2 contra Parmenianum, cap. 13. *Ipſi explicent quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti? Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt.* Ubi maximè notari debent hæc verba, *quod nemo dubitat*, demonſtrant enim tempore Divi Auguſtini ordinationem clericorum ab omnibus ut Sacramentum haberi.

Sacramentum Ordinis unicuique Fideli non convenit.

Ordinem Clericorum à Laïcis in Eccleſia fuiſſe ſemper diſtinctum, tot tamque claris antiquorum teſtimoniis poteſt comprobari, ut Lutherus qui contrarium docuit, ridendus potiùs ſit quàm pluribus refutandus: ita tamen quæ pro aſtruenda illa Lutheri falſitate poſſent proponi, breviter reſpondemus.

Objiciunt primò D. Petrum, qui *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *verſ.* 45. ſic loquitur: *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides ſuperædificamini domus ſpiritualis Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum. Et verſ.* 9. ſic, *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, &c.* Ex his D. Petri verbis, quæ ad omnes Fideles ſpectant, concludit Beza cum aliis fideles omnes eſſe Sacerdotes. Idem etiam concludit ex iis quæ habentur Apoc. 1. verſ. 5. & 6. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.*

Reſpondeo ex iis authoritatibus concludi tantùm poſſe, Fideles omnes eſſe Sacerdotes eo ſenſu, quo ſunt lapides domus ſpiritualis, regnum, &c. Quare cùm metaphoricè tantùm regnum & domus ſpiritualis Fideles dici poſſint, metaphoricè etiam dumtaxat Sacerdotes dici poterunt, quatenus ſcilicet orationes & preces Deo poſſunt offerre.

Objiciunt ſecundò Tertullianum, qui ex allato loco Apocalypſeos concludit, Fideles omnes eſſe Sacerdotes.

Reſpondeo aliam planè eſſe Tertulliani mentem, ut ex integro illius contextu apparebit. Ait igitur lib. de exhortat. caſtitatis, cap. 7. *Vani erimus ſi putaverimus quod Sacerdotibus non liceat, laicis licere.* Quibus oſtendit majorem eſſe Sacerdotum quàm laicorum poteſtatem. Deinde autem per modum objectionis ſubdit: *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit.* Statim reſpondet: *Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas.*

Inſtabis: Igitur ex Tertulliano diſcrimen quod inter Ordinem & plebem reperitur, ab Eccleſiæ dumtaxat authoritate profluit.

Reſpondeo Tertullianum hoc in loco ab aliis Eccleſiæ Patribus, imò & a ſeipſo manifeſtè diſſentire; docet enim alibi Epiſcoporum ſucceſſionem eſſe de Jure divino; ſic enim de hæreticis loquitur de præſcrip. cap. 32. *Cæterùm ſi qui audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, edant ergo origines Eccleſiarum ſuarũ, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentẽ, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit authorem vel anteceſſorem.* Alibi autem docet meram eſſe vanitatem quâ populus ſe Clero coæquari putabat. *Sed quum extollimur, ait, & inflamur adverſus Clerum, tunc unum omnes ſumus, tunc omnes Sacerdotes quia Sacerdotes nos Deo & Patri fecit: cùm ad peræquationem diſciplinæ ſacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & impares ſumus.*

Quæres cur ergo diſtinctionem Cleri à populo in loco ſuperiùs allato de exhortatione caſtitatis, Eccleſiaſtici dumtaxat Juris eſſe affirmavit Tertullianus?

Reſpondeo id eum feciſſe ut meliùs perſuaderet laïcis, ſecundas illis nuptias eſſe prohibitas, quas Clero prohibitas eſſe in Scripturis videbat. Verùm melius nos hunc in modum ratiocinabimur. In Scripturis ſecundæ nuptiæ prohibentur Clero, non populo: Ergo ex Scriptura, & proinde ex Jure divino Clerus differt à populo

Objiciunt tertiò ea D. Pauli verba ad Galatas 3. *Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.* Ergo, inquiunt, malè apud Chriſtianos Sacerdotes à laïcis diſtinguuntur.

Reſpondeo Chriſtianos omnes reverâ unum eſſe in Chriſto, quatenus idem dicunt, idem ſentiunt, in nullum ſchiſma abeunt, juxta illud Epheſ. 4. *Una fides, unum Baptiſma, unus Deus & pater omnium.* Huic autem unitati non repugnat diſtinctio Sacerdotum à laïcis, ſicut unitati corporis non repugnat diſtinctio membrorum; ut enim habetur 1. Corinth. 12. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod ſi eſſent omnia unũ membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*

Objiciunt

Objiciunt quarto quæ habcntur Petri 1. c. 5. *Paſcite qui in vovis eſt gregem Dei providentes non coactè, ſed ſpontaneè; neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Hîc inquiunt, D. Petrus Clerum à reliquo populo non diſcernit: Ergo inter Clerum & populum nulla eſt diſtinctio admittenda.

Reſpondeo primò ibi nomen Cleri non ad univerſos fideles, ſed ad eos tantùm qui propriè Clerici ſunt, extendi debere. Ita D. Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum, & Oecomenius in commentario hujus epiſtolæ.

Reſpondeo ſecundò Cleri nomen univerſo Fidelium gregi concedi poſſe, ſed alia & alia ratione; ſicut etiam nunc aliter ii qui Tonſuram ſolùm habent Clerici dicuntur; aliter qui minores habent Ordines, &c. Cùm enim Cleri nomen ſortem ſignificet, & Eccleſia univerſa ſit ſors atque hæreditas Chriſti, patet Fideles omnes aliqua ratione Clericos poſſe nominari, licèt peculiari, & magis propria ratione nomen iſtud iis tribuatur qui Altaris miniſterio ſunt conſecrati. Sed hæc reſponſio ex infrà dicendis fiet apertior.

Epiſcopatus eſt origo & plenitudo Sacramenti Ordinis.

Quanvis Catholicorum nullus Sacramentum Ordinis Epiſcopis convenire eat inficias, quòd ſcilicet Epiſcopatus Presbyteratum neceſſario ſupponat; multi ſunt tamen qui negant veram, & propriè dictam Sacramenti rationem Epiſcopatui convenire: contra quos affirmamus, Sacramentum Ordinis convenire Epiſcopis ſub illa ratione ſub qua Epiſcopi ſunt, ſive Epiſcopatum ex propria & interna ratione eſſe Sacramentum.

Probatur primo, quia quæcumque ex Scriptura ſuperiùs attulimus, ut oſtenderemus Ordinem eſſe Sacramentum; hæc eadem probant Epiſcopatum eſſe ſacramentum; neque enim Chriſtus Apoſtolos ſuos Presbyteros tantùm ordinavit, ſed etiam Epiſcopos: neque etiam Titus & Timotheus ab Apoſtolo Paulo Sacerdotes ſimpliciter creati ſunt, ſed ſummi Sacerdotes, id eſt Epiſcopi. Cùm igitur ex eorum ordinationibus probetur Ordinem eſſe Sacramentum, neceſſe eſt, ut ex iiſdem oſtendatur Epiſcopatum eſſe Sacramentum.

Hæc ratio firmior evadet ſi advertatur, Chriſtum qui Sacramentum Ordinis inſtituit, non tribuiſſe Apoſtolis ſuis omnes Ordines ſenſim & ſucceſſivè; ſed ſummam Sacerdotii dignitatem & plenitudinem illis ſimul conceſſiſſe. *Chriſtus* (ait eximius quidam noſtri hujus ſæculi Theologus) *perfectionem Sacerdotii à Patre accepit quando ab illo miſſus eſt: perfectionem deinde Sacerdotii ſive Epiſcopalem utramque* (ordinis ſcilicet & juriſdictionis) *poteſtatem ſimul dedit Apoſtolis quando miſit eos, ſicut ipſe à Patre miſſus fuerat. Eandem denique perfectionem ipſi tradiderunt Epiſcopis, mittentes eos ſicut ipſi miſſi fuerunt à Chriſto, ut vera ſit Pauli vox: A quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur; nulla enim major in terris paternitas quàm Apoſtolica & Epiſcopalis, quam ſibi Paulus idem ſumpſit cùm diceret: Sed non multos patres.*

Probatur ſecundo authoritate Patrum & Theologorum. Divus Ignatius epiſt. ad Smyrn. de Epiſcopis ſic loquitur: *Honorare Epiſcopum tanquam Principem Sacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum ſecundùm Deum, Sacerdotium verò ſecundùm Chriſtum, ſolum natura Principem Sacerdotum.*

Eandem doctrinam tradunt SS. PP. Anacletus, Leo, Gregorius, Gelaſius, Epiphanius, Auguſtinus, &c. quos vel recenſere longum eſſet: è Scholaſticis autem Altiſſiodorenſis, Major, Eckius, Scotus, &c. imò & Divus Thomas qui quanvis in 4. Sent. docuerit Epiſcopatum non eſſe Ordinem, ſenior tamen factus ſententiam mutavit; nam in opuſculo de perfectione vitæ, cap. 24. hæc habet: *Quod quartò proponitur, quod Epiſcopatus non eſt Ordo, hoc manifeſtè continet falſitatem, ſi abſolutè intelligatur.* Et poſtea: *Quod autem habeat aliquem Ordinem, & non juriſdictionem ſolam, ſicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod Epiſcopus poteſt multa facere quæ non poteſt committere, ſicut confirmare, ordinare.* Et ſcribens *in* 2. *ad Timoth. cap.* 1. dicit, quod in ea manuum impoſitione data fuerit Spiritus ſancti gratia.

Occurritur objectionibus.

Objicitur primo: In Eccleſia ſunt tantùm ſeptem Ordines, quos enumerat Concilium Tridentinum, in quibus Epiſcopatus non reperitur: Ergo Epiſcopatus non eſt Ordo.

Reſpondeo nullibi definitum eſſe, dari tantùm ſeptem Ordines, licèt in Tridentina Synodo, & in decreto Florentino ſeptem tantùm enumerentur: imò Juriſperiti novem Ordines admittunt, ſeptem enim vulgò notis Epiſcopatum addunt, & officium Cantoris.

Objicitur ſecundo: Diſtinctio Ordinum deſumitur ex illorum ad Euchariſtiam relatione; Sed Epiſcopatus nullam habet ad Euchariſtiam relationem: Ergo, &c.

Reſpondeo primo, negari poſſe Ordines diſtingui ex illorum ad Euchariſtiam relatione, aut ſaltem id tantùm verum eſſe de cæteris Ordinibus Epiſcopatu inferioribus.

Reſpondeo ſecundo negando Epiſcopatum nullam habere relationem ad Euchariſtiam; nam præterquam quod Sacerdotes qui ſacrificium immolant, ab Epiſcopis conſecrantur, peculiari etiam quadam ratione Epiſcopus Euchariſtiam celebrat; illam enim celebrat cum plena poteſtate, Presbyter autem dependenter ab Epiſcopo, id eſt quando, & ubi voluerit Epiſcopus. *Non licet ſine Epiſcopo neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque Miſſas celebrare*, ait S. Ignatius epiſtola ad Smyrn.

Presbyteratus habet veram Sacramenti Ordinis rationem.

Veram Sacramenti Ordinis rationem Presbyteratui convenire adeo eſt extra dubium apud Catholicos, ut vel multi Authores doceant ſolum Sacerdotium eſſe Sacramentum, adeo ut juxta illorum pleroſque ipſemet Epiſcopatus Sacramenti Ordinis rationem non aſſequatur, niſi in quantum Sacerdotium, aut Presbyteratum includit. Verùm meliùs, ni fallor, docuiſſent Sacerdotium eſſe verè Sacramentum Ordinis; illud autem plenariè & ſine ulla limitatione in Epiſcopis reperiri; at in presbyteris non ſine aliqua limitatione, & ab Epiſcopis dependentia: etenim cæteri omnes Ordines, ne Presbyteratu quidem excepto, rivuli dumtaxat, & radii eſſe videntur ab Auguſtiſſimo Epiſcopatus fonte & ſole dimanantes.

Veritatem hanc, quam jam ſuperiùs ſtabilivimus, unanimi omnium Patrum conſenſu innixam eſſe, fusè probat Ludovicus Thomaſſinus, Oratorii Domini Jeſu Presbyter, in libris ſuis *de antiqua & neoterica Eccleſiæ diſciplina* conſcriptis: nobis au-

tem ſatis erit unicum Gulielmi Pariſienſis teſtimonium huic afferre. *Et quia*, inquit Epiſcopus ille doctiſſimus, *in ſolis Epiſcopis plenitudo poteſtatis, & iſtorum officiorum perfectio eſt, manifeſtum eſt Epiſcopatum plenum & perfectum eſſe Sacerdotium; officium enim ſacramentandi plenum atque perfectum minores Sacerdotes non habent, quia nec Sacramentum Confirmationis, nec ſacros Ordines, nec majora Sacramentalia impendere poſſunt. Similiter authoritatem docendi, ſeu magiſtros inſtituendi modicam habent.*

Neque tamen aliquis ex iis quæ diximus concludere debet, parvam aut contemnendam eſſe Sacerdotum ſimplicium dignitatem; tanta enim fuit ſemper eorum in Eccleſia poteſtas, dignitas & authoritas, ut aliqui occaſionem inde arripuerint Presbyterorum Epiſcopis coæquandorum; in quo tamen graviter aberrarunt ut oſtendemus inferiùs.

Ratio Sacramenti Ordinis convenit etiam Diaconatui

Tanta eſt Epiſcoporum dignitas, ut cæterorum Miniſtrorum authoritas probari non poſſit, quin ſimul Epiſcopalis poteſtas validiùs ſtabiliatur. Diximus ſuperiùs Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis, & per Apoſtolos cæteris Epiſcopis omnem Sacerdotii plenitudinem contuliſſe; nunc autem addimus, Apoſtolos à Chriſto poteſtatem, & mandatum accepiſſe, non ſolùm plenariam ſuam poteſtatem ſucceſſoribus ſuis, Epiſcopis ſcilicet tranſmittendi, ſed etiam illam juxta diverſos gradus diſtribuendi: unde factũ eſt ut apoſtoli aliquos Sacerdotes ſimplices ordinarint, aut ordinari permiſerint, quibus omnes Epiſcopat' prærogativæ non concedebantur, aut etiã Diaconos procrearint, qui Epiſcopis & Presbyteris in miniſteriis ſacris deſervirent? Quare licèt Durandus, Cajetanus, & Maldonatus negent Diaconatui concedendam eſſe Sacramenti Ordinis rationem, contrarium tamen videtur multò probabilius, ut fusè demonſtrabimus dum de Diaconatu ſeorſim agemus inferiùs.

Inquiritur an Subdiaconatus & cæteri minores Ordines Sacramentum dici poſſint.

Qui auguſtam Sacramenti rationem Diaconatui denegant, iidem majori cum ratione eam Subdiaconatui, cæteriſque inferioribus Ordinibus non concedunt; neque enim in Scripturis ulla illorum fit mentio, neque antiqui Patres in illis recenſendis ſatis conveniunt; aliquos enim recenſent, quorum uſus jam inolevit; alios omittunt, quos jam univerſa recepit Eccleſia. Quia tamen omnes illi Ordines à Diaconatu, cujus ſunt veluti portiones quædam, initium videntur duxiſſe, dici poteſt illorum inſtitutionem eſſe aliqua ratione juris divini, ratione ſcilicet Diaconatus, à quo dimanant. Sed de his fuſiùs cùm de illis Ordinibus ſermonem habebimus.

SPECULATIO III.

De materia & forma ſacræ ordinationis.

CUm Sacramentum ſit rei ſacræ ſignum, Doctores omnes Eccleſiaſtici ſpatio mille & ducentorum annorum Sacramenti naturam per verba ſigni & rei ſacræ explicarunt; centum autem annis poſt Philoſophiam Peripateticã in Scholis Theologicis receptam cœperunt Theologi id quod ſignum antiqui vocabant, materiæ & formæ nominibus exprimere. Aſſerit Morinus ſe nullum legiſſe Gulielmo Altiſiodorenſi antiquiorem, qui hanc explicandi methodum amplexus ſit: hunc autem Authorem, qui ſcribebat poſt annum Chriſti 1215. ſequuti ſunt Alenſis, Albertus Magnus. & tota cæterorum Scholaſticorum turba: imò modus iſte loquendi in Orientem uſque penetravit, ut colligitur ex reſponſione Heremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Theologos Vittenbergenſes.

Porrò ut omnis de hacce materia difficultas clariùs diſſolvatur, res omnis per quaſdam propoſitiones videtur exponenda.

Propoſitio prima: Apud Græcos materia ſacræ ordinationis eſt ſola manuum impoſitio.

Hæc propoſitio facilè poteſt comprobari ex ritibus qui apud Græcos ſervantur; licèt enim apud illos quædam nunc ſit inſtrumentorum traditio, tamen neque illa apud illos ſemper obſervata fuit, neque etiamnum ab omnibũs illorum Epiſcopis obſervatur, neque cùm fit verbum ullum pronuntiatur, immò traduntur hæc inſtrumenta iis qui jam ordinati ſunt. Ordinato enim Lectori datur liber Epiſtolarum Apoſtolicarum, ut in illis legendis munere ſuo fungatur. Similiter Subdiaconus jam ordinatus, accepto de manu Archidiaconi vaſis, ſtatim aquam in manus Pontificis infundit; Diaconus verò, accepto flabello aërem movet ſuper ſacra myſteria: tandem Sacerdos ubi ordinatus eſt, recitat liturgiam, &c.

Ex his autem apparet inſtrumenta illa non conferri iis, qui ordinantur per modum materiæ; ſed illis, peractis jam ordinationibus tradi, ut officio ſuo fungi incipiant; atque adeo ſolam manuum impoſitionem apud Græcos eſſe hujuſce Sacramenti materiam.

Secunda propoſitio.

Apud Latinos materia ordinationis ſacræ eſt in Ordinibus quidem hierarchicis manuum impoſitio ſimul & inſtrumentorum traditio; in inferioribus autem Ordinibus ſola inſtrumentorum traditio.

Hæc ſecunda propoſitio probari poteſt ex univerſa Eccleſiæ Latinæ praxi, in qua dum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi conſecrantur, & manus illis imponitur, & inſtrumenta traduntur. Subdiaconis autem, & cæteris minoribus inſtrumenta duntaxat præbentur.

Tertia propoſitio.

In Eccleſia Africana in hierarchicis Ordinibus ſola manuum impoſitio eſt ſacræ ordinationis materia, & in hoc cum Græca convenit; in aliis Ordinibus ſola fit inſtrumentorum traditio, & in hoc concordat cum Romana.

Hanc tertiam propoſitionem clarè docet Concilium quartum Carthaginenſe, à canone primo ad decimum.

Conciliantur varii illi ordinationum ritus.

Cum inferiores Ordines, uno Subdiaconatu quidem excepto, non divinæ, ſed ut eſt longè probabilius, Eccleſiaſticæ dumtaxat ſint inſtitutionis, minor erit difficultas in variis illorum ritibus conciliandis; potuit enim ſemper Eccleſia eos illorum ritus, quos inſtituerat, aut mutare, aut ampliare, aut reſcindere.

Verùm longè major occurrit difficultas circa Ordines Superiores, quos divini Juris eſſe conſtat: non enim videtur quomodo illorum materia immutari

potue-

potuerit, aut alia ab aliis adhiberi. Quid tamen veriſimilius afferatur ad illam difficultatem enodandam, ſequentibus item propoſitionibus breviter conabor aperire.

Quarta propoſitio.

Impoſitio manuum eſt materia eſſentialis, adeoque immutabilis ſacræ ordinationis.

Probatur hæc propoſitio tum ex eo quod impoſitio manuum in hierarchicis Ordinibus conferendis ſemper fuerit adhibita tum apud Græcos, tum apud Africanos tum apud Latinos: tum ex eo quod illa manuum impoſitio ab Apoſtolica traditione ad nos uſque intemerata pervenit, imò in Scripturis ſacris de ſola manuum impoſitione fit mentio, adeo ut Maldonatus cenſeat fide catholica tenendum eſſe, impoſitionem manuum eſſe partem eſſentialem Sacramenti Ordinis.

Quinta propoſitio.

Porrectio inſtrumentorum eſt ſolùm materia accidentalis, eaque ab Eccleſia inſtituta.

Probatur primò, quia porrectio inſtrumentorum in conferendis ſuperioribus Ordinibus non ſervatur apud omnes Eccleſias, ut ſuperiùs docuimus.

Probatur ſecundò, quia porrectio inſtrumentorum nequidem apud Latinos ſemper fuit obſervata; antiqui enim Rituales illius inſtrumentorum traditionis minimè meminerunt, licèt multa alia diligentiſſimè deſcribant.

In Sacramentario Gregoriano ex Bibliotheca Vaticana, inter S. Gregorii opera Romæ edito, reperitur iſta inſtrumentorum traditio cum ſua formula; ſed in ordinatione Epiſcopi tantùm, non autem Presbyteri.

In ordine Romano, qui ab Alcuino Caroli Magni præceptore allegatur, refertur in ſecunda parte, non ſolùm manus ab Epiſcopo iis imponi qui Sacerdotio initiantur, & manus inungi; ſed etiam calicem cum vino aqua permixto, & patenam cum pane tradi, ſimulque iſta eis enunciari; *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tam pro vivis quàm pro defunctis.*

Illi ſunt fermè antiquiores libri, in quibus hujuſce inſtrumentorum traditionis mentio aliqua habeatur. Ex antiquis autem Scholaſticis omnes fermè quotquot illius meminerunt, affirmarunt inſtrumenta porrigi in ſignum poteſtatis antea acceptæ. Ita Hugo à Sancto Victore *lib. 2. de Sacramentis Fidei, parte 3. cap. 12.* & Petrus Lombardus *lib. 4. diſt. 24.*

Porrò id quod proximis duabus propoſitionibus ſtabilivimus, eſt ſententia Becani, qui hac ratione Concilium Florentinum cum Concilio Carthaginenſi conciliat; vult enim Concilium Carthaginenſe ſolius materiæ eſſentialis meminiſſe, Concilium autem Florentinum ſolam materiam accidentalem, & ab Eccleſia inſtitutam recenſuiſſe; aliam autem, nempe impoſitionem manuum, omiſiſſe, utpote ex Scripturis & antiquis Patribus ſatis notam. Quod autem traditionem inſtrumentorum dicit eſſe materiam accidentalem, hoc non impedit quominus credat illam apud Latinos ita neceſſariò requiri, ut ſi illa omitteretur, irrita foret ordinatio: credit enim hanc poteſtatem Eccleſiæ à Chriſto fuiſſe traditam, ut aliquid circa Sacramentorum collationem decernere poſſit, quo omiſſo Sacramentum reddatur irritum.

Plurimi alii, tum ex recentioribus tum ex antiquioribus Theologis, licèt in aliquibus à Becano diſſentiant, in eo tamen cum ipſo conveniunt, quod Eccleſia poſſit Sacramentum irritum reddere, ſi omittatur ritus aliquis, quem in illius Sacramenti administratione neceſſariò eſſe adhibendum decrevit. Ita Alexander Alenſis, S. Bonaventura, Innocentius IV. Oſtienſis, Panormitanus, Hallerus, Bellarminus, & cæteri.

Sexta propoſitio.

Valde etiam probabile eſt, quod quidam ex citatis Authoribus tradunt, nimirum Chriſtum materias & formas nonnullorum Sacramentorum in genere duntaxat deſignaſſe, adeo ut in Eccleſiæ poteſtate relictum fuerit, tale, vel aliud ſenſibile in individuo ſeligere, quod ſit Sacramenti materia: & juxta illorum ſententiam poteſt Eccleſia materiam priùs eſſentialem, accidentalem reddere, aliamque eſſentialem conſtituere. Id docent Bellarminus, Yſambertus, Gamachæus, & cæteri.

Si autem juxta illos Theologos Eccleſia poſſit antiquam ordinationum materiam, etiam ab Apoſtolis introductam abolere, aut mutare, aliam ſubſtituere, &c. multò magis poterit conditiones apponere, quibus violatis ordinatio reddatur irrita & invalida ob ſpretam Eccleſiæ authoritatem.

Septima propoſitio.

Eadem fermè ratione conciliari poſſunt varii ritus, ſecundùm quos forma ordinationis variè à variis profertur.

Ab antiquiſſimis temporibus, tam apud Latinos, quam apud Græcos, non modò in ordinatione Epiſcopi, ſed etiam Presbyteri, & Diaconi invocabatur Spiritus Sanctus. Ritus autem ille ordinationem conferendi per formam deprecativam apud Græcos etiamnum viget; verùm apud Latinos ab annis circiter quadringentis cœpit immutari: cùm enim aliqui Scholaſtici exiſtimarent invocationem Spiritus ſancti non ſufficere, addere voluerunt traditionem Spiritus ſancti modo imperativo.

Speculatio III.

De Inſtitutione Miniſtrorum Eccleſiæ.

Inſtitutio Miniſtrorum Eccleſiæ tria complectitur, nempe electionem, ordinationem, & miſſionem. Electio eſt deſignatio certæ perſonæ ad Eccleſiaſticam præfecturam: ordinatio eſt cæremonia ſacra, quâ certo ritu futurus Epiſcopus inungitur & conſecratur: miſſio ſeu vocatio juriſdictionem tribuit, ac re ipſa Paſtorem ac Præſulem facit. Quid autem circa ejuſmodi miniſtrorum inſtitutionem tenendum ſit, ſequentibus propoſitionibus aperire conabimur.

Prima propoſitio: Chriſtiani Sacerdotes carnali ſucceſſione non propagantur.

Probatur primò ex eo quod Eccleſiæ miniſtri ad cœlibatum ſervandum teneantur, ut oſtendetur inferiùs; unde manifeſtè ſequitur, Chriſtianos Sacerdotes carnaliter propagari non poſſe.

Probatur ſecundò ex differentia veteris & novi Teſtamenti: in Teſtamento enim veteri Sacerdotium Aaronicum carnale fuit, quippe quod totum in bobus & ovibus mactandis occupabatur: in novo autem Teſtamento Sacerdotium Chriſtianum ſpirituale eſt, ſpiritualem ſcilicet & divinam hoſtiam offerens. Ex quo fit, ut Sacerdotium Chriſtianum non carnaliter, ſed ſpiritualiter debeat propagari; & idcirco dicitur Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui ſine patre, ſine matre, ſine genealogia deſcribitur, Hebr. 7

Probatur tertiò ex convenientia; non enim de-

cuit eo modo Sacerdotium Chriſti propagari, quo modo pueri mali & improbi ad præcipuas Eccleſiæ dignitates neceſſariò admitterentur: hæc autem incommoda carnalem Sacerdotum ſucceſſionem neceſſariò comitantur: Ergo, &c.

Secunda propoſitio: Chriſtiani Sacerdotes non à plebe, ſed à ſolis Epiſcopis poſſunt ordinari.

Probatur primò ex Scriptura, in qua ubicumque fit mentio manus impoſitionis, ſemper ea Apoſtolis, cæteriſque Epiſcopis, nunquam verò plebi tribuitur, ut oſtendimus cùm probaremus Ordinem eſſe Sacramentum.

Probatur ſecundò ex Conciliis; id enim docet canon primus Apoſtolorum, & canon quartus Concilii Nicæni, vigeſimus nonus Concilii III. Carthaginenſis, & canon ſecundus quarti Concilii etiam Carthaginenſis.

Probatur tertio ex Patribus. S. Epiphanius *hæreſi* 75. refutans Aërium, qui Presbyterum inter & Epiſcopum diſcrimen nullum agnoſcebat, ita loquitur *Siquidem Ordo Epiſcoporum eſt ad gignendos Patres; nam Eccleſiæ Patres* (id eſt Sacerdotes & Epiſcopos) *progignit: at Sacerdotum Ordo cùm nequeat Patres* (*alios ſcilicet Sacerdotes*) *progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Eccleſiæ.* Ergo ex S. Epiphanio ſolius Epiſcopi eſt Eccleſiæ Patres progignere, id eſt alios Epiſcopos aut Presbyteros ordinare.

D. Hieronymus in epiſtola ad Evagr. *Quid facit* (inquit) *excepta ordinatione Epiſcopus, quod non faciat Presbyter?* Igitur ex S. Hieronymo ordinatio ita convenit Epiſcopis, ut ne Presbyteris quidem, nedum laïcis conveniat.

Objicies: Ex canone decimo Concilii Antiocheni apparet Lectores, Subdiaconos, & Exorciſtas à Choepiſcopis, qui utplurimùm Epiſcopi non erant, fuiſſe ordinatos: Ergo ordinatio ad ſolos Epiſcopos non pertinet.

Reſpondeo in eodem canone prohiberi ne Chorepiſcopi Diaconos aut Sacerdotes ordinent; quia ſcilicet Sacerdotum, & Diaconorum ordinatio eſt Juris Divini; idcirco autem poſſunt Subdiaconos, & inferiores miniſtros conſtituere, quia omnes illi ſunt tantùm Eccleſiaſticæ inſtitutionis, ut docet Innocentius III. *cap. à multis, de ætat. & qual. & ord. præfic.*

Tertia propoſitio: Electio miniſtrorum non fit à ſolo Deo interius prædeſtinatos tantùm vocante.

Hæc propoſito eſt contra errores Joannis Wiclef, & Joannis Hus, qui docebant Paſtorem malum eſſe æquivocè tantùm Paſtorem, non habere poteſtatem ſuper Fideles, &c.

Probatur primò, quia Deus non ſemper eligit prædeſtinatos ad gubernacula, ſive politica, ſive Eccleſiaſtica, ut patet ex Saüle, & ex Juda proditore.

Probatur ſecundò, quia inter Diaconos, quos *Act. 6.* elegerunt Apoſtoli, unus fuit Hereſiarcha, nempe Nicolaus.

Probatur tertiò, quia ut docet Origenes *hom. 4. in librum Iudicum*, perſæpe permittit divina providentia, ut impii ſedeant ad gubernacula tum regnorum, tum Eccleſiarum, ad punienda nimirum ſubditorum peccata.

Probatur quartò, quia ſi boni tantùm Sacerdotes eſſe poſſent, & ſi illos Deus interiùs tantùm, & ſine ullo exteriori ſigno Eccleſiæ Paſtores eligeret, Eccleſiæ Paſtores non poſſent ab aliis diſcerni, ſicque Eccleſiæ nulli eſſent uſui.

Quarta propoſitio: Inquiritur quodnam ſit jus plebis in electionibus miniſtrorum Eccleſiæ.

Cùm Eccleſia, Eccleſiæve miniſtri viſibiles eſſe debeant, oportuit dictam illorum electionem non à ſolo Deo intus illos vocante fieri, ſed ab iis qui Eccleſiam componunt, quique hac in parte ſunt Dei vicarii.

Quanquam autem præcipua electionum poteſtas penes Epiſcopos ſemper reſederit, negari tamen non poteſt, Electiones ſæpius factas fuiſſe per univerſam plebis turbam: idque primò, quia ipſorum intereſt habere bonum Epiſcopum, ſub quo non patiantur famem, nec ſitim. Anchar. *in cap. 1. in fin. de Parech.*

Secundò, *quia qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus debet eligi*, ait S. Leo. *Unde nullus*, ait idem, *invitis, & non petentibus ordinetur, ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religioſa quàm convenit, cui non licuerit habere quem voluit.*

Tertiò quia plebis erat de eligendis teſtimonium ferre. *Teneatur*, inquit S. Leo, *ſubſcriptio clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis.*

Porrò in ipſis electionibus à plebe factis duo potiſſimum occurrebant incommoda. Primum, quod tumultus, & ſeditiones ſæpius excitarentur. Secundum, quod imperiti, ignari, & improbi à populo tumultuoſo eligerentur. Ut primum incommodum tolleretur, non rarò Imperatoris requirebatur authoritas, qui ut Princeps & caput plebis, poteſtatem majorem obtinebat in electionibus faciendis quàm cætera plebs. Unde factum eſt, ut procedente tempore Imperatores modum ſuum ignorantes, non in numero conſentientium, ſed primi diſtribuentium, imò exterminantium eſſe voluerint: frequenter etiam in hæreticorum perfidiam prolapſi, Catholicæ Matris unitatem Eccleſiæ impugnare conati ſint; ideo Sanctorum Patrum ſtatuta adversùs eos prodiderunt, ut ſemet electioni non insererent, & quiſquis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret, anathematis vinculo innodaretur. Sic Rebuff. in ſuis Concordatorum interpretationibus, *gloſſ. Et cùm ex electionibus, in rubr. de electionis derogatione.*

Exinde electiones conceſſæ ſunt Canonicis, & Religioſis ſimul, *cap. Sacrorum, 63. diſtinct.* poſtmodùm ſolis Capitulis eligendi jus reſervatum eſt, ut qui meliùs noſſent in ſuis Eccleſiis viros ſanctos & juſtos, quàm extranei: verum cùm electores illi poteſtate ſua graviter abuterentur, eligendi jure privati fuerunt, juxta illud Evangelii: *Auferetur ſceptrum à vobis, & dabitur genti facienti fructum.*

Tandem in hoc Franciæ Regno per Concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. edita, data eſt nominatio Regi Franciæ de Archiepiſcopatibus, & Epiſcopatibus, Abbatiis, & Prioratibus verè electivis, prout in iiſdem Concordatis ſancitum eſt.

Ex dictis autem patet jus eligendi Eccleſiæ Miniſtros non convenire plebi jure divino, ſed ut ait Cardinalis Bellarminus, ex conniventia, ſeu conceſſione Epiſcoporum, ut ſcilicet hac ratione publico Eccleſiæ bono magis conſuleretur; ideo enim factum, ut variis temporibus variæ facultates plebi conceſſæ ſint, aut ademptæ.

Quinta

Quinta propoſitio: ſuprema in electionibus authoritas Epiſcopis & Metropolitano potiſſimùm debetur.

Probatur primò, quia Chriſtus non unicuiq; Fidelium, ſed Apoſtolis dumtaxat, & Apoſtolorum ſucceſſoribus, Epiſcopis videlicet dixit: *Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis, Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.* Joan. 20. 22.

Objicies: Eadem poteſtas quæ hîc Apoſtolis tribuitur, toti Eccleſiæ tribuitur *Matthæi* 18. 18. ubi enim Chriſtus præmiſit, *Si autem peccaverit in te frater tuus, &c.* verſ. 15. ſubjicit: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c.* Sed tunc Chriſtus loquitur toti Eccleſiæ: ergo non Apoſtolis, aut Epiſcopis ſolùm, ſed toti Eccleſiæ prædicta poteſtas conceſſa eſt.

Reſpondeo prædictam poteſtatem ita Eccleſiæ tribui, ut tamen in ſolis Prælatis reſideat: unde tota Eccleſia dici poteſt habere poteſtatem ſolvendi, ligandi, &c. quia illius Prælati illam habent poteſtatem eadem fermè ratione qua totus homo dicitur videre, quia illius oculi vident.

Confirmatur hæc reſponſio ex D. Chryſoſtomo, qui in commentario hujus loci, ad hæc verba, *Dic Eccleſiæ*, addit: *Præſulibus ſcilicet, ac Præſidentibus*, Et ad hæc verba, *Quæcumque ligaveritis ſuper terram &c.* ait; *Nec dixit Eccleſiæ Præſuli, Vinculis iſtum conſtringe; ſed Si ligaveritis, &c.* Ex quo patet, D. Chryſoſtomum intellexiſſe prædictam poteſtatem conceſſam fuiſſe ſolis Præſulibus. Ita etiam alii Patres hunc locum interpretati ſunt.

Probatur ſecundò authoritate Sancti Cypriani, quâ aſſertio noſtra, & ſuperior ratio mirè illuſtratur. *Loquitur Dominus ad Petrum: Super hanc petram &c. tibi dabo claves &c. & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: accipite, &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* Ita D. Cyprianus *lib. de unitate Eccleſiæ.* Ex illius autem verbis patet ſupremam Eccleſiæ regendæ, ac proinde Miniſtrorum inſtituendorum poteſtatem Apoſtolis omnibus, & peculiari quadam ratione Petro fuiſſe à Chriſto conceſſam: Igitur ſicut in propoſitione noſtra diximus, ſuprema in electionibus authoritas Epiſcopis, & peculiari quadam ratione Metropolitano debetur.

Objicies ex D. Aug. *tract.* 124: *in Ioan.* Claves datæ ſunt Petro quatenus perſonam gerebat Eccleſiæ: Ergo non ſoli Petro, ſed toti Eccleſiæ datæ ſunt.

Reſpondeo mentem Divi Auguſtini eſſe quod claves datæ ſint Petro in commodum totius Eccleſiæ; illa enim authoritas quam Chriſtus Dominus Petro & cæteris Apoſtolis, illorumque ſucceſſoribus largitus eſt, in commodum & utilitatem totius Eccleſiæ ceſſit.

Inſtabis: Sæpius affirmat D. Auguſtinus, Fideles omnes poſſe peccata dimittere, &c. Igitur mens D. Auguſtini eâ quâ dictum fuit, ratione exponi non poteſt.

Reſpondeo ex D. Auguſtino, imò etiam ex D. Ambroſio, Fideles omnes poſſe remittere peccata modo imperatorio, quatenus ſcilicet ſunt ſancta, & viva Eccleſiæ membra; non verò modo Sacramentali: nâ ille mod° poſterior ſolis Sacerdotibus convenit, ut agnoſcit ipſe Auguſtinus *lib. 2. contra epiſt. Parmeniani.*

Probatur tertiò exemplo Apoſtolorum, qui ſoli Epiſcopos creabant, eoſque ad populos abſentes, & infideles mittebant: unde cùm Epiſcopi Fidelibus ſint antiquiores, manifeſtum eſt illorum electionem à Fidelibus non poſſe dependere.

Reſpondet Kemnitius, qui argumenti hujus vim quacumque ratione conatur eludere, Epiſcopos illos ab Apoſtolis ad infideles miſſos, electos fuiſſe à plebe illius Eccleſiæ, in qua ordinabantur. Verùm illa Kemnitii reſponſio ridenda potiùs eſt quàm pluribus confutanda. Nam primò id gratis aſſerit: ſecundò quo jure populus unus alterius populi Epiſcopum poteſt eligere? tertiò dum Kemnitius & alii Sectarii affirmant de jure divino eſſe quod miniſtri à plebe eligantur, hanc afferunt rationem, ne ſcilicet populus paſtorem accipiat, quem neque novit, neq; cupit; unde apparet illos loqui de plebe cujus miniſter creandus eſt.

Probatur quartò ex ſimili antiquorum Epiſcoporum praxi; apparet enim ex Sozomeno, Socrate & Theodoreto S. Athanaſium, Euſebium Samoſatenum & alios propria authoritate novos Epiſcopos procreaſſe in Eccleſiis aut viduatis, aut ab Arrianis occupatis.

Probatur tandem, eandem electionis poteſtatem Metropolitano potiſſimùm convenire. Affirmat S. Chryſoſtomus Petrum ſolum potuiſſe Mathiam in Apoſtolum eligere. *Quid?* inquit, *An non licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè; verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Cùm ergo omnis Metropolitanorum poteſtas à ſuprema Petri poteſtate aliqua ratione dimanet, patet eligendi poteſtatem non ſolùm ſummo Pontifici, ſed etiam cæteris Metropolitanis peculiari quadam ratione convenire, unicuique quidem ſecundùm eam quam in Eccleſia obtinet authoritatem, & dignitatem.

CAPUT II.

De qualitatibus eorum qui ordines ſuſcipiunt.

IN iis qui Ordinis Sacramentum ſuſcepturi ſunt duo requiruntur; primum, ut nullum ſit in illis impedimentum quo à Sacris Ordinibus arceantur; ſecundum, ut eas omnes conditiones habeant quæ tantæ dignitatis ſuſceptionem prærequiruntur. Utrumque quàm poterimus breviter enodabimus.

SPECULATIO I.

De iis quos nefas eſt ad Ordines promovere.

QUoniam multi à ſacris Ordinibus ſuſcipiendis arcentur, ideo ut diſtinctiùs in hac materia procedamus, de iis agemus, eoſque ſeparatim recenſebimus.

Fœminæ, & non baptizati ſacrarum ordinationum ſunt prorſus incapaces.

Primò fœminæ prohibentur docere & loqui in Eccleſia, 1. *Tim.* 2. & 1. *Cor.* 14. Ergo Ordinibus non poſſunt initiari; nam ordinati poteſtatem habent publicè docendi.

Secundò teſtatur Epiphanius *in hæreſi* 79. quæ eſt Collyridianorum, apud quos mulieres B. Mariæ ſacrificium offerebant, quod ab initio mundi non legatur mulier Deo ſacrificaſſe. *Quod ſi*, inquit, *mulieribus conceſſum fuiſſet, maximè oportebat ipſam Mariam Sacrificium perficere in novo Teſtamento; quod tamen ut fieret, Deo non placuit.*

Nec eſt quod aliquis dicat, fuiſſe olim in Eccleſia

Diaconiſſas; nam oſtendetur inferiùs, Diaconiſſas illas nullam Sacramenti Ordinis dignitatem unquam habuiſſe.

Non ſolùm autem fœminæ, ſed illi etiam qui Baptiſmum nondum ſuſceperunt, ſacros Ordines nullatenus poſſunt recipere. *Si quis Presbyter*, ait Concilium apud Compendium celebratum, *deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Hujus Concilii ſententiam ſequitur, & probat Innocentius III. in Decretalibus, titulo de Presbytero non baptizato.

Mutili, & inſigniter deformes Iure Canonico à ſacris Ordinibus arcentur.

Qui mutili ſunt, aut inſigniter deformes irregulares habentur: hæc tamen irregularitas in Occidentali Eccleſia tardiùs viguit; in Orientali autem vix aliquando recepta eſt.

Id docet primò author conſtitutionum Eccleſiaſticarum, cujus hæc ſunt verba: *Pro una Tribu Sacerdotali juſſit ex unaquaque gente optimos quoſque ad Sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, ſed religionem & vitam.* Non ergo corporum vitia, ſed religionis aut vitæ à ſacris Ordinibus arcebant.

Idem docet canon 76. Apoſtolorum: *Si quis*, inquit, *vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat: non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.*

Quando tamen defectus illi ejuſmodi erant, ut impedirent quominus fieret Eccleſiaſtica munia, tunc ille qui illis defectibus obnoxius erat, non poterat ordinari. *Qui autem eſt ſurdus & cæcus, ne ſit Epiſcopus, non ut pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.* Ita Canon 77. Apoſt. Quando autem aliquis jam ordinatus propter aliquem corporis defectum Eccleſiaſtica munia obire ampliùs non poterit, *à dignitate non alienabitur; quin potiùs miſerandus erit, ac priore quidem honore fruetur; habebit autem etiam quæ ad vitam ſuſtentandam ſufficiant, & reliqua juxta priorem conſuetudinem.* Ita Balſamon in ſua ad Epiſcopum Alexandrinum reſponſione Juris Orient. *pag.* 374.

Innocentius I. declarat illum ſacris Ordinibus recipiendis idoneum non eſſe, qui aliquod corporis membrum ſibi abſcidit. *Qui partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt; cui verò caſu aliquo contigit:: hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & ſi in Clero fuerint reperti, non abjici.* Sic ſcribit Innoc. I. *epiſt.* 4. *cap.* 1.

Idipſum priùs ſtatuerant canon primus Concilii Nicæni, & canones 21. 22. 23. & 24. Apoſtolorum, qui cauſam etiam referunt: *Eſt enim*, inquiunt, *ſui homicida, & Dei opificii hoſtis.*

Demetrius Epiſcopus Alexandrinus Origenem, qui adhibitis quibuſdam medicaminibus ſeipſum eunuchum fecerat, ordinare noluit: & cùm reſciviſſet ipſum in Palæſtina ab Epiſcopis Cæſareenſi, & Jeroſolymitano ordinatum fuiſſe Sacerdotem, graves in ipſos querelas commovit. Ita Euſeb. *lib.* 6. *hiſt. Eccleſ.*

Propter eandem cauſam Euſtathius Præſul Antiochenus Leontium Presbyterum depoſuit, ut referunt S. Athanaſ. *apolog. de fuga ſua*, Socrates *lib.* 2. *cap.* 21. Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 24.

Igitur illos hucuſque irregulares eſſe comperimus: Primò qui propter corporum defectus obeundis muneribus Eccleſiaſticis idonei nõ erant. Secundò qui aliquod ſibi membrum non caſu, ſed volentes abſcindebant. Verùm Hilarius Papa eos omnes irregulares habuit, qui aliqua corporis parte carebãt, vetat enim ne Sacerdos, *aut literarũ ignarus, aut carens aliqua parte membrorum.* Ita *epiſt.* 2. Idem declarat canon tertius Concilii Romani ſub eodem Hilario; & poſt ipſum Gelaſius Papa, qui hanc rationem affert: *Quia vitioſum nihil prorſus Deo offerre legalia præcepta ſanxerunt.* Porrò hæc Gelaſii doctrina tandem valuit, & in Eccleſia Latina univerſim recepta eſt. Unde nunc irregulares cenſentur primò, qui propter aliquem corporis defectum munia ſacra obire non poſſunt: hujuſmodi defectus eſt carentia viſus in oculo ſiniſtro, qui vocari ſolet oculus canonis. Si tamen aliquis ita prævaleret oculo dextro, ut ſine ulla indecentia poſſit canonem de altari legere, non eſſet cenſendus irregularis; hujusce autem rei judicium ad Epiſcopum pertinet. Secundò qui notabilem habent deformitatem, putà qui naſo, aut auribus carent. Tertiò qui ſuâ gravi culpâ, quamvis invitus, caret aliquo membro, licèt occulto, vel deformitatem gravem non cauſante, ut ſi alicui in adulterio deprehenſo in pœnam vel ultionem virilia abſcindantur, *can. fin. diſt.* 55. Quartò qui ſe caſtrari permittunt ob cantum; ſi tamen id permitterent propter gravem morbum ingruentem, non cenſerentur irregulares, *can. Si quis abſciderit, & can. Si quis ſit*, & *cap. Significaſti, de corpor. vitiat.* In Eccleſia autem Orientali quanquam alioquin diſciplina hac in re remiſſior ſit, ut vidimus; tamen cuicumque virilia abſcinduntur irregularis habetur, ut refert Balſamon, cujus hæc ſunt verba: *Etſi nullum vidi ſacris initiatum, cui propter morbum permiſſum fuerit ut caſtraretur.*

Epileptici, energumeni & amentes ordinari prohibentur.

Inter irregulares recenſet Gennadius, *Qui in ſcena luſiſſe dignoſcitur, qui aliquando in furiam verſus inſanivit, vel afflictione diaboli vexatus eſt.* Ita *de dogmat. Eccl. cap.* 7.

Energumenis epilepticos adjungit Concilium XI. Toletanum, cujus hæc ſunt verba: *Benè quidem majorum regulis definitum eſt, ut dæmoniis, aliiſque ſimilibus paſſionibus irretitis miniſteria ſacra miniſtrare non liceat, &c.* Ita *can.* 13.

De illis idem decernit Carolus Magnus in ſuis capitularibus: *Dæmoniis, aliiſque paſſionibus irretitis non licet miniſteria ſacra tractare.* Ita *lib.* 1. *cap.* 51.

Epileptici, energumeni, lunatici, ſi nondum ordinati ſunt, à ſacris Ordinibus in perpetuum arcentur, quantumvis conſtet eos poſtea liberatos fuiſſe, *d. can. Maritum.* Conſuetudine tamen paſſim recepta irregulares non habentur quibus ante annum ætatis decimumquartum epileptici affectus acciderunt; quia teſte Hippocrate, epilepſia quæ tum temporis accidit facilè amovetur; quæ verò poſt annum vigeſimumquintum accidit, comitatur ad mortem uſque.

Si aliquis jam ordinatus in epilepſiam incidat, poterit ſuſceptos Ordines exercere, modo per annũ integrum epilepticum ſymptoma non recurrat. Si verò non conſtet, ſed ſolùm dubitetur de præterito epileptico caſu, ſufficit exploratio dierum triginta, ut exponit Gloſſa concilians canonem *Communiter, diſt.* 33. cum canone *Nuper*, 7. *quæſt.* 2. Idem judicium ferri debet de amentia, & dæmonis infeſtatione.

Tandem ſi aliquis rariùs quidem, ſed aliquando tamen ſolet epilepſiâ corripi, modo id fiat ſine ullo clamore, ſpumarum emiſſione, & corporis horrenda agitatione, hic poterit Sacrum celebrare, ſed adjuncto altero Sacerdote jejuno, qui ſi neceſſe ſit, poſſit Miſſam poſt inchoatum Canonem perficere, *d. can. Nuper.* Idem longè antè decreverat Concilium XI. Toletanum canone 14. his verbis: *Habeat quiſquis ille canens Deo, atque ſacrificans, poſt ſe vicini ſolaminis adjutorem; ut ſi aliquo caſu ille qui officia imple-*

Digitized by Google

impleturm accedit, turbatus fuerit, vel ad terram eliſus, à tergo ſemper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus.

Servi & curiales à ſacris Ordinibus removentur.

Triplici potiſſimùm ratione à ſacris Ordinibus ſervi removebantur. Primò, quia ſervi non ſui, ſed domini ſunt. *Debet autem immunis eſſe ab aliis qui divina militia fuerit aggregandus, &c.* S. Leo epiſt. 1. cap. 1. *Ne per Chriſtiani nominis inſtitutum aut aliena pervadi, aut publica videatur diſciplina perverti,* Gelaſi⁹ *epiſt. 1. cap. 16.* Secundò, quia plerumque idcirco tantùm Eccleſiaſtica munia ambibant, quo à ſervitute poſſent liberari. Tertiò, quia in illis nulla erat natalium, nullave morum dignitas. Quando autem tria hæc impedimenta amovebantur, tunc ſervi ordinari poterant, ut docet canon 82. Apoſtolorum, per hæc verba: *Servi in Clerum non ordinentur ſine dominis voluntate. Si quis verò dignus eſt, qualis Oneſimus fuit, domino conſentiente, & libertatem ei concedente, & extra domum ſuam emittente, in eum gradum aſcendat.*

Quando aliquis in Epiſcopum ordinatur, ab omni ſervitute, & aliena poteſtate eximitur. *Poſt ordinationem à ſervili & adſcriptitia fortuna Epiſcopos liberos eſſe præcipimus.* Juſtinianus novell. 123. cap. 4. *Qui enim omnium ſunt ſpirituales patres, quomodo ſub aliena poteſtate conſiſtant?* Idem Nov. 81. *præf. cap. 13.*

Qui ad ſacros Ordines ſciente domino evehebatur, libertatem illicò acquirebat: quando verò Epiſcopus ſervum inſcio domino ordinabat, tunc vel Epiſcopus, vel qui ſervum Epiſcopo obtulerat, duos alios ſervos domino tradere tenebatur.

Qua ratione ſervi, eadem curiales à ſacris Ordinibus arcebantur; illi enim nobiliori licet, aliqua tamen ſervitute tenebantur; ſiquidem non ſolum illorum bona, ſed perſonæ etiam publicis muniis erant addictæ. Illis tamen ad Clerum patebat aditus, modò aliquem ſubſtituerent, qui muniis quibus obſtricti erant, fungerentur, & aliquam bonorum ſuorum partem curiæ & fiſco cederent. Porrò hæc irregularitas jam pridem deſiit, ex quo ſcilicet munia curialia abrogata fuere.

In eadem irregularitate cenſendi ſunt quæſtores, curatores, publici adminiſtratores. Vide *cap. præterea. diſt. 51. & tot. titul. de oblig. ad ratiocin.* Hincmarus Rhemenſis Guillebertum Epiſcopum ordinare noluit, quia fuerat imbreviator, ſive deſcriptor ſtipendiorum regalium, quin priùs litteras à Rege accepiſſet, quibus ab omni ratione reddendæ redderetur immunis.

De irregularitatibus ex delicto.

Vult Divus Paulus, ut Epiſcopi, & Diaconi ſine crimine ſint. Sic *ad Tit. cap. 1 & 1. Timoth. 3.*

Idem decernit canon 61. Apoſtolorum, *Si adverſus fidelem aliqua accuſatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.*

Non quæcunque peccata, ſed gravia tantùm & capitalia, quæ crimina nominantur, eos à quibus perpetrantur reddunt irregulares. Id docet D. Auguſt. cujus hæc ſunt verba: *Ideo Paulus non ait, Si quis ſine peccato eſt; hoc enim ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur: ſed ait, Si quis ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera hujuſmodi.*

Rationem hujuſce irregularitatis reddit Hormiſda Papa *epiſt 25.* quia ſcilicet *irreprehenſibiles eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis: ſed nec de pœnitentibus quiſquam ad hujuſmodi gradum prophanus temerè aſpiret. Quâ conſcientiâ abſolvat reum, qui ſe peccata ſua populo ſcit teſte confeſſum?* Quibus verbis notari poteſt pœnitentes à Clero arceri, non quia pœnitentes ſunt aut fuerunt, ſed peccata ſua populo teſte confeſſi ſunt: unde patet crimen, non pœnitentiam, eſſe cauſam irregularitatis.

Quod crimen ſolùm, licèt occultum, non autem pœnitentia irregularitatem inducat, clariſſimè apparebit ex Gaudentio Epiſcopo, qui cùm in gravi morbo conſtitutus publicam pœnitentiam recepiſſet, à Patribus Concilii XIII. Toletani petiit, an poſt convaleſcentiá Epiſcopalia munia rurſus poſſet obire? Cui Concilium reſpondit, illum poſſe, *ſi ſe mortalium criminum profeſſione propria non notarit, &c. Cæterùm ſi quod fateri erubeſcit, abſconſum intra clauſtra ſui pectoris delitescit, noverit ipſe ſibi de ſe poteſtatem eſſe conceſſam, ut juxta conſcientiæ ſuæ fiduciam, utrum audeat, aut non audeat ſacrificare Deo, ex ſui potiùs arbitrii poteſtate, quàm ex noſtri judicii permiſſione procedat.* Ex illis Concilii verbis patet, pœnitentem qui nulla crimina publicè profeſſus eſt, ab Ordinibus non arceri. Secundò quod ſi aliquis criminis alicujus occulti reus ſit, eandem illum ſibi pœnam debere infligere, quam ab Eccleſia infligendam ſibi eſſe noſcit, ſi crimen illius eſſet manifeſtum; quandoquidem non publica criminis profeſſio, ſed illius perpetratio irregularitatis cauſa cenſenda ſit. Tertiò, quod illi qui criminis etiam occulti rei ſunt, non ſolum ab Ordinibus quos nondum receperant arcentur, ſed etiam ne eorum munia exerceant poſtquam ordinati ſunt, prohibentur.

S. Iſidorus Hiſpalenſis eandem doctrinam fuſè tradit *lib. 2. de Eccleſ. offi. cap. 5.* unde dubium eſſe non poteſt, quin ſuppoſititia ſit epiſtola ad Maſſanum, quæ inter illius opera extat, in qua contrarium prorſus edocetur, ut doctus quiſque facilè concedet.

De homicidis.

Cùm homicidium crimen ſit, & crimen omne irregularitatem pariat, patet homicidas eſſe irregulares. Porrò inter homicidas recenſentur nō ille ſolùm qui occidit, ſed etiam illi qui aut mandant, aut conſulunt: inter mandantem autem, & conſulentem illud admitti ſolet diſcrimen, quod qui mandatum dat occidendi, ſi ante homicidium factum mandatum revocat, ab irregularitate ſit immunis; qui verò conſulit, irregularitati manet obnoxius, etiamſi ante perpetratum homicidium conſilium ſuum revocaverit. Diſcriminis hujus hanc afferunt rationem, quòd mandatum ſit in ipſius mandantis commodum, & idcircò eo revocato mandans non amplius in necem videtur influere; conſilium autem ſit in commodum & gratiam ejus cui datur; & ideo qui conſilium revocat, non cenſetur ſuaſionis ſuæ influxum revocare, niſi is cui conſilium datum eſt à propoſito deſiſtat.

Ex eodem delicto irregulares eſſe cenſentur, qui abortum procurant, qui membra mutilant, &c.

De militibus.

Nemo Catholicus militiam ex ſe malam eſſe dicet, *alioquin Ioannes cùm ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? Reſponderet eis, Arma abjicite, militiam iſtam deſerite, &c. Sed quia ſciebat eos cùm hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis: Neminem concuſſeritis, &c.* Ita D. Auguſt. contra Fauſtum *lib. 22. cap. 74.* Quia tamen *ex novo Teſtamento oſtendi non poteſt, quod juſtus quiſquam interfecerit aliquem,* D. Auguſt. *epiſt. 163.* quia *Chriſtus pati venit, non defendi;* quia Eccleſia vel minimam

criminis umbram refugit: idcirco quicumque homicidium etiam ſine crimine volentes admittunt, irregulares ab Eccleſia declarantur: *Si quis poſt Baptiſmum militaverit, & chlamydem ſumpſerit aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi gravia non admiſerit, ſi ad Clerum admiſſus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.* Ita ex Concil. Tolet. 1. cap. 8.

Alia etiam ratio poſſet offerri cur milites irregulares ſemper habiti ſint, nempe quod milites aliqua ſervitute, militiæ ſcilicet obſtricti ſint: hinc enim factum eſt, ut Imperator Mauritius ipſorum etiam monaſteriorum ingreſſum illis interdixerit.

De judicibus.

Irregulares etiam habentur Judex, apparitor, carnifex, accuſatores, teſtes & ſimiles in cauſa criminis, ſi mors, aut mutilatio ſequatur, licèt illi ſuo juſtè fungantur officio. Id docet Innocentius I. *epiſt. 4. cap. 3.* Narratur etiam Chelidonium Epiſcopum Veſontinum à Cæſario Arelatenſi idcirco fuiſſe depoſitum, quòd aliquos capitali ſententiâ condemnarat. Ita Conc. Gall. *tom. 2. pag. 79.*

Itachius Epiſcopus cum aliis quibuſdam apud Maximum Imperatorem Priſcillianum impuriſſimum hæreticum accuſaverat, & illius mortem petiverat; idcirco D. Ambroſius etiam ab iis Epiſcopis qui cum Itachio communicabant ſe abſtinuit. Divus autem Martinus cum iis communicavit quidem, ſed ad horam tantùm, idque ut iis conſuleret, quorum cervicibus gladius imminebat.

De adulteris, fornicariis, &c.

Aliquas authoritates jam ſuprà retulimus, quibus fornicarii, adulteri, & alii à ſacris Ordinibus removentur. Aliis quamplurimus authoritatibus res eadem poſſet confirmari, verùm illud eſſet ſuperfluum; ſatis enim ſuperque manifeſtum eſt, fornicationem & adulterium inter crimina recenſeri, & antiquitus crimina omnia eos à quibus committebantur, ſacrarum ordinationum incapaces reddidiſſe, ut innumera fermè comprobant Concilia: ſufficiet unum hîc addidiſſe, nempe per mille, & ampliùs annos Sacerdotibus ſive clam, ſive palam in carnis flagitia lapſis reditum ad ſuam dignitatem nullum patuiſſe, ut doctè obſervat doctiſſimus Morinus.

Objicies: Ex Hincmaro Rhemenſi, & ex Rabano Moguntino patet, Sacerdotibus clam in crimina lapſis reditum ad priſtinas dignitates indultum fuiſſe.

Reſpondeo quod Hincmarus & Rabanus hanc indulgentiam ſubintroduxerunt decepti falſis litteris Gregorii ad Secundinum, Calliſti & Iſidori ad Maſſanum. Verùm remiſſior hæc agendi ratio non ſtatim omnibus fuit probata, neque ab omnibus recepta. *Si quis clericus*, ait Concilium Triburienſe, *nimium coactus homicidium fecerit, ſive ſit Presbyter, ſive Diaconus, deponatur.* Quanto igitur magis deponeretur ſi fornicationis, aut adulterii reus eſſet.

Non juvat plura hac de re referre; ſatis erit notaſſe, uſum paulatim invaluiſſe, ut Sacerdotes ad ſuum gradum poſt impletam pœnitentiam reverterentur: cùm enim priùs Clerici ob crimen admiſſum in æternum deponerentur, nullâ illis impoſitâ pœnitentiâ, crediderunt poſteriores Pontifices Clericum poſſe ad ſuam dignitatem reverti, ſi depoſitioni temporaneæ gravis adjungeretur pœnitentia, ut ſcilicet hac ratione depoſitio ad tempus, ſed pœnitentiæ conjuncta, æquivaleret depoſitioni in perpetuum, ſed quæ adjunctam pœnitentiam haberet nullam. Hac ratione Sylveſter II. Abbatem quendam ad tempus ab officio ſuo ſuſpendit.

De bigamis.

Clarius apparebit quàm aliena fuerit Eccleſia ab adulteris & fornicariis ad Clerum admittendis, ſi conſideretur iis omnibus Cleri aditum fuiſſe interclusum, qui vel aliquam impudicitiæ umbram præ ſe ferrent.

Hinc bigami ab Apoſtolo, à Patribus, & ab innumeris fermè Conciliis ordinatione indigni declarantur, nó quòd ſecundæ nuptiæ malæ ſint, ſed quòd incontinentia, in cujus remedium ſecundæ nuptiæ adhibentur, vix vitio caret. *Duæ ſunt* (inquit D. Hieronym. lib. 1. adverſ. Jovin. *Apoſtoli voluntates, una qua præcipit, altera qua indulget. Vult nos permanere poſt nuptias ſicut ſeipſum, ſin autem nos videret, nolle quod ipſe vult, incontinentiæ noſtræ tribuit indulgentiam.* Et hæc eſt ratio cur antiquitus bigami non ſolùm ab Ordinibus arcebantur, ſed etiam communione ad aliquod tempus privabantur, eiſque preces & jejunia præſcribebantur, ut conſtat ex Conciliis Laodiceno & Neocæſarienſi, adeout mirum nemini eſſe debeat ſi bigami qui aliquando ipſa communione privati ſunt, à ſacrorum Ordinum dignitate in perpetuum fuerint remoti: ut enim ait S. Leo epiſt. 84. cap. 3. *Sacerdotum tam excellens eſt electio, ut hæc quæ in aliis Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.*

Quæritur primò, an bigamus ille dicendus ſit qui ante Baptiſmum unam, & poſt Baptiſmum aliam uxorem ducit, ita ut ſcilicet ille non poſſit ordinari.

Ejuſmodi bigamum à ſacris Ordinibus non debere arceri cenſet D. Hieronymus; *quoniam illi per Baptiſmum innovato omnia vetera ſunt dimiſſa.* Hieronymo concinit Gennadius *de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap. 70.*

Hanc doctrinam à Græcis hauſerat Hieronymus, quos inter diutiùs verſatus eſt, atque illis quidem favere videtur canon 16. Apoſtolorum, cujus hæc ſunt verba: *Si quis poſt Baptiſmum ſecundis fuerit nuptiis implicitus, aut concubinam habuerit, non poteſt eſſe Epiſcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorſus ex numero Sacerdotali.* Igitur illi tantùm ab Ordinibus removentur, qui poſt Baptiſmum ſecundis nuptiis implicantur.

Ab hac tamen Hieronymi & Græcorum opinione alieni ſunt Latini omnes, qui in ſecundis nuptiis non tam crimen, quod utiq; per Baptiſmum remittitur, ut rectè docent Græci, quàm Apoſtoli legem conſiderarunt. Id clarè docet D. Ambroſius *lib. 1. de officiis, cap. ultimo*, his verbis: *Pleriſque mirum videtur, cur etiam ante Baptiſmum iterata conjugia electioni muneris & prærogativa ordinationis impedimenta generent, cùm etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint Sacramento. Sed intelligere debemus, quia in Baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In conjugio non culpa, ſed lex eſt: quod culpa eſt igitur, in Baptiſmo relaxatur; quod legis eſt in conjugio, non ſolvitur. Quomodo autem poteſt hortator eſſe viduitatis, qui ipſe conjugia frequentaverit?*

Eandem quam D. Ambroſius doctrinam fusè tradit Innocentius I. *epiſt. 22. cap. 2.*

Innocentio ſuccinit Divus Auguſtinus, qui ſententiâ ſuam confirmat præclara & Auguſtino planè digna ratione, idcirco ſcilicet *Antiſtitem Chriſtianum unius uxoris virum eſſe debere, ut ſignificet ex omnibus gentibus unitatem uni viro ſubditam Chriſto: quod*, inquit, *acutius intellexerunt qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram (uxorem) ordinandum eſſe cenſuerunt; de Sacramento enim agitur, non de peccato, &c.* Ita Auguſt. *de bono conjugali, cap. 18.*

Hanc Auguſtini rationem fusè & eloquenter more ſuo explicat S. Leo *epiſt. 87.* licèt *in epiſtola 84.* aliam etiam à nobis ſuperiùs relatam afferat.

Adeo

Adeo autem prævaluit poſterior hæc Latinorum Patrum doctrina, ut Hieronymus ipſe affirmarit ſe illam nullatenus velle ſubvertere. Sic enim loquitur apolog. ad Ruff. *Quid nobis videretur, reſpondimus nulli præjudicantes ſequi quod velit, nec alterius decretum noſtrâ ſententiâ ſubvertentes.*

Quæritur ſecundò, an bigami haberi debeant, qui uxorem non virginem ducunt.

Eos ut bigamos ab Ordinibus removet canon 18. Apoſt. *Si quis*, inquit, *viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ſervam, vel mimam, ſeu ſcenicam, non poteſt eſſe in Clero.*

Idipſum ita definit Concilium Arelatenſe III. ut affirmet ſe ea tantùm decernere, quæ omnes antè canones jam inſtituerant. Sic enim loquitur can. 3. *Nullus pœnitentem, nullus bigamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus* (Cleri) *audeat ordinare. Et licèt hoc jam prope omnium canonum inſtituta contineant, &c.*

Rationem affert Imperator Juſtinianus *novell. 6. cap. 5.* his verbis: *Nihil enim ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quàm in caſtitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes, aut ut unius uxoris vir vel qui fuerit, vel ſit, & ipſius pudicæ atque ex virginitate.*

Quæritur tertiò, an illi bigamorum pœnas incurrant, quorum mulieres adulterant.

Reſpondeo eos irregularitatem ut bigamos incurrere, ſi poſt adulterium vel ſemel mulieres ſuas cognoverint. Conſulantur canones, *Si cujus*, & *Si laici*, *diſt.* 34. Non forent autem irregulares ſi illas non cognoſcerent poſt adulterium, ut ibidem traditur.

De clericis conjugatis: ubi agitur de continentia, ſeu cœlibatu clericorum.

De cœlibatu clericorum dicendum eſt primò, illum non eſſe Juris Divini.

Probatur primò: Synodus Ancyrana permittit uxorum conſuetudinem Diaconis, qui in ipſa ordinatione proteſtati ſunt ſe non poſſe continere, aut continentiam ſervare nolle: igitur continentiæ lex non eſt Juris Divini.

Probatur ſecundò: Concilia generalia Lugdunenſe & Florentinum diſpenſarunt cum Sacerdotibus Græcis circa uſum matrimonii initi ante ordinationem: igitur, &c.

Dicendum ſecundò præceptum de cœlibatu ſervando eſſe Eccleſiaſticum, jam inde ab Apoſtolorum temporibus ſervatum. Hæc aſſertiò eſt contra hæreticos qui affirmant præceptum de cœlibatu à Syricio Papa primùm editum fuiſſe, & in Eccleſia Orientali nunquam receptum.

Probatur primò ex Origene qui ſic loquitur. *Videtur mihi quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.* Ita ille *hom. 23. in librum Numeror.*

Euſebius *lib. 3. demonſt. Evangel. cap. 9.* ait: *Veruntamen eos qui ſacrati ſint, atque in Dei miniſterio, cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos à commercio uxoris decet.*

Idem docent alii plurimi Patres, Epiphanius *ad finē operis contra hæreſes, & hæreſi* 59. Chryſoſtomus *homilia ſecunda de patientia Iobi*, Gregori' Nyſſenus *libro de virginitate, capite ultimo*, D. Ambroſius, & alii.

Probatur ſecundò ex Conciliis Ancyrano in Eccleſia Orientali, Carthaginenſi II. in Africa, Romano ſub Sylveſtro in Italia, Arelatenſi II. in Gallia, Eliberino in Hiſpania, Aquiſgranenſi & Wormatienſi in Germania, & aliis: unde apparet, hanc cœlibatus legem fuiſſe ubique terrarum receptam, & ſervatam.

Dicendum tertiò convenientiſſimum eſſe Eccleſiæ præceptum, quo clericis matrimonii uſus prohibetur; quia ſcilicet negotia quæ matrimonii uſum ſolent conſequi, Clericos ab iis functionibus quibus neceſſariò debent incumbere, penitus avocant. *Certum eſt*, inquit Origenes loco citato, *quia impeditur ſacrificium indeſinentiis qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt, unde videtur mihi, &c.*

Objectiones de cœlibatu ſolvuntur.

Objicit primò Philippus Melanchton, illa Scripturæ verba: *Creſcite, & multiplicamini.* Geneſ. 1. 28. quibus verbis contendit omnibus hominibus præceptum eſſe, ut matrimonium contrahant; unde concluditur, matrimonii præceptum eſſe Juris Divini, adeoque nulla lege humana poſſe ſolvi: immò additam eſſe de jure naturæ ut matrimonium homines ineant, ſicque ſpeciem humanam conſervent, quàm eſt de lege naturæ ut manducent ad individuum conſervandum.

Reſpondeo primò, prædicta Scripturæ verba non eſſe præceptum, ſed benedictionem, quâ ſcilicet primis hominibus virtutem Deus indidit filios procreandi: quod vel inde ſatis apparet, quod in eodem capite, *verſ.* 22. eadem verba, *benedixitque eis dicens, Creſcite & multiplicamini*, de beſtiis dicantur, quibus certum eſt præceptum datum non fuiſſe. Ita D. Aug. *de Geneſ. in oper. imperf. c. 15.* & *lib. de peccato originali, c. 35.*

Reſpondeo ſecundò, quod ſi his verbis præceptum contineatur, illud pertinere tantùm ad primos homines, quando terra in mundi exordio erat replenda; non verò ad homines hujuſce temporis, quandoquidem nunc cœlum potiùs per continentiam, quàm terra per matrimonium debeat repleri. Ita D. Hieron. *lib. 1. in Iovinianum*, Cyprianus *libro de habitu virginum*, Tertullianus *lib. de monogamia*, D. Auguſt. *de ſanct. Virginitate, cap* 9.

Reſpondeo tertiò præceptum de matrimonio contrahendo non ſingulares homines, ſed communitatem potiùs reſpicere; omnia verò quæ communitati jubentur, ab unoquoq; impleri non poſſunt, cùm obſervatio unius alterius obſervationem non rarò præpediat.

Objicit ſecundò idem Philippus Apoſtoli verba, quæ habentur 1. Cor. 7. 9. *Quod ſi non continent, nubant.* Quibus contendit omnibus incontinentibus præceptum eſſe ut matrimonium contrahant.

Reſpondeo primò, Paulum hiſce verbis non præceptum, ſed conſilium dare, idque ſecundùm indulgentiam, quandoquidem incontinentes multa alia remedia poſſent ſuæ libidini ſanandæ adhibere, putà preces, jejunia, &c.

Reſpondeo ſecundò, conſilium illud non omnibus dari, ſed iis dumtaxat qui nullo continentiæ voto ſeſe obſtrinxerunt; qui enim caſtitatem Deo voverunt, iis dicitur: *Redde Altiſſimo vota tua.* Pſal. 49. Ita S. Hier. *lib. 1. contra Iovin. c. 7.* ubi explicans hæc alia Apoſtoli verba, *Si nupſerit, virgo non peccavit*, ſuis verbis ita proſequitur: *Non illa virgo quæ ſemel Dei cultui dedicavit; harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.*

Hæc D. Hieronymi reſponſio deſumpta eſt ex aliis ejuſdem Apoſtoli verbis, quæ habentur 1. Tim. 5. 11. *Adoleſcentiores autem viduas devita* (id eſt rejice, ſive ne admittas in numerum viduarum ab Eccleſia alendarum;) *cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto* (id eſt cùm ex bonis Eccleſiæ genio & deliciis indulſerint adversùs Chriſtum) *nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem* (Chriſto tanquam ſponſo per votum caſtitatis datam) *irritam fecerunt* (ad ſecundas nuptias tranſvolando, & ſic fidem, ſive fidelitatem Chriſto priùs datam infringendo.)

Simili ratione ſolventur ea quæ afferre ſolent Se-

ctarii,

ctarii, nimirum matrimonium omnibus eſſe liberum, eſſe honorabile inter omnes, &c. hæc enim omnia vera ſunt quidem, ſi de illis qui nullo ſe voto obſtrinxerunt, falſa autem ſi aliter intelligantur.

Objicit tertiò Calvinus, Apoſtolos omnes uxores habuiſſe, à quibus nequidem in opere Evangelico ſecubarent, ut ſic ſcilicet oſtenderet nullius quantumvis excellentis functionis ſanctitate indignum eſſe conjugium: id autem probare conatur ex iis Apoſtoli verbis quæ habentur 1. Cor. 9. 5. *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas.*

Reſpondeo multos etiam è Catholicis ex hoc loco concludere, Paulum uxorem habuiſſe, quam tamen ſororis, non uxoris loco haberet; & idcirco eam hîc vocari *ſororem mulierem.* Ita ex antiquis Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom.* & ex recentioribus Laurentius Valla, Catharinus & Jacobus Faber. Sed hæc illorum expoſitio nullâ ſolidâ ratione nititur; quare

Reſpondeo ſecundò melius alios interpretari hunc locum de mulieribus, *quæ juxta morem Judaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum.* Verba ſunt D. Hieron. *lib. 1. contra Jovin. cap. 14.* Idem docet D. Auguſt. *lib. de opere monach. cap. 4. & 5.* Ita è Græcis Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, &c.

Quod autem hæc ſecunda reſponſio verior ſit, probari poteſt primò, quia plurimi veterum aſſerunt, Paulum non habuiſſe uxorem, ut Hieronym. *in Epiſt. ad Euſtochium*, Hilarius *in pſ. 127. &c.* Secundò, quia 1. *Cor.* 7. ſe ponit inter non nuptos, dicens: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.*

Objicit quartò Calvinus quod habent Socrates & Sozomenus, nempe Nicænum Concilium deſiiſſe à lege ferenda, quâ Clericis uxores habere prohiberetur, quod moneret Paphnutius, fore ut ex illa plus damni quàm utilitatis & boni eveniret.

Reſpondeo illam Socratis & Sozomeni narrationem, quam non pauci ſuſpectam habent, nihil prorſus continere quod Calvinianæ hæreſi faveat; non enim narrant Authores ſupradicti, cœlibatum fuiſſe Clericis interdictum, quæ eſt propria Sectariorum noſtrorum hæreſis, ſed ſolùm illis, qui uxores ante ordinationem habebant, matrimonii uſum non fuiſſe nova lege interdictum.

Objici poſſunt quintò aliqui canones, qui adverſariis noſtris prima fronte aliquantiſper favere videntur. Primus eſt canon ſextus Apoſtolorum, his verbis expreſſus: *Epiſcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.* Verùm illo canone nihil aliud jubetur, quàm quod expreſſiùs poſtea juſſit Concilium II. Turonenſe *can.* 12. his verbis: *Epiſcopus conjugem ut ſororem habeat, & ita ſancta converſatione gubernet domum omnem, tam Eccleſiaſticam, quàm propriam, ut nulla de eo ſuſpicio quaquâ ratione conſurgat.* Jubetur ergo Epiſcopo, ut uxoris curam gerat, ita tamen ut ne leviſſimam quidem det carnalis commercii ſuſpicionem.

Secundus eſt canon quartus Concilii Gangrenſis, in quo hæc habentur: *Quicumque diſcernit à Presbytero qui uxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit.* Verùm neq; etiam hoc canone aliquid contra cœlibatum Clericorum efficitur; in hac enim Synodo damnantur errores Euſtathii, qui nuptias eo uſque damnabat, ut omnem ſalutis ſpem conjugatis adimeret, ut habetur in Synodi præfatione. Anathema igitur dicitur ille, qui cum Presbytero qui uxorem aliquando habuit, nollet communicare; at vero Eccleſia Romana Presbyteros qui uxorem aliquando habuerunt, non damnat.

Tertius eſt canon decimuſtertius ſextæ Synodi, qui Presbyteris, & Diaconis jam ante ordinationem conjugatis permittit matrimonii uſum; imo reprobat conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, quâ Diaconi & Presbyteri tenentur continentiam profiteri.

Ut canonis hujus difficultas ſolvatur ſciendum eſt, quod antiquitus etiam in Eccleſia Orientali Presbyteri, & Diaconi caſtitatem ſervare tenebantur, ut è veteribus Græcis facilè poſſet commonſtrari: quinto tamen ſæculo oppoſita conſuetudo apud Græcos cœpit invaleſcere, paulo ante Synodum Quiniſextam; unde in hac Synodo Quiniſexta novam hanc ſuam conſuetudinem conati ſunt totius Concilii authoritate confirmare; unde cùm jam receſſiſſent Latini Patres, quidam Epiſcopi Orientalis duntaxat Eccleſiæ in Secretario Imperialis Palatii, quod Trullum nominabatur, convenerunt, ibidemque duos ſuprà centum canones ediderunt, quos inter legitur canon ſuprà laudatus. Verùm Romani Pontifices, præſertim Sergius, canones illos tanquam à ſchiſmaticis editos rejecerunt. In aliis tamen deinde Conciliis, putà in Lugdunenſi & Florentino, Presbyteris & Diaconis Græcis ante ordinationem conjugatis, matrimonii uſum permiſit Eccleſia Latina. Verùm evidens eſt ex hac tota hiſtoria nihil prorſus concludi poſſe in favorem illorum qui cœlibatum Clericorum impugnant.

De illegitimè natis.

Iis qui illegitimè nati ſunt, non ſemper fuit annexa irregularitas; nam antiqui Patres qui de cæteris irregularitatibus tam accuratè ſcripſerunt, de hac ſpuriorum irregularitate nullum verbum habuerunt: circa undecimum tamen ſæculum illegitimi inter irregulares habiti ſunt, quia ut ait Regino lib. 1. de Eccleſiaſtic. diſcipl. cap. 418. *Eos quos publicæ leges non admittunt, velut infamiæ maculis reſperſos reſpuunt, & quaſi degeneres deſpiciunt, Eccleſiaſtica dignitas nullatenus recipit, præſertim cùm nihil maculoſum Deo ritè poſſit offerri, vel ejus ſervitio applicari.*

At vero apud Græcos nunquam recepta eſt hæc irregularitas. *Qui ex concubinis geniti* (ait Balſamon) *non vetantur ſacrari; matres enim eorum pœnis ſcortantium obnoxiæ fuerunt: ipſi autem nihil deliquerunt, quamobrem nec pœnis ſubjiciuntur, ut reliqui. Igitur homines, qui nihil deliquerunt, honorem ſacerdotalem ſecundùm canones conſequentur & ipſi.*

De hæreticis, ſchiſmaticis & apoſtatis.

Hæreticos omnes, ſchiſmaticos & apoſtatas irregulares eſſe, palam omnino aſſerit Concilium Eliberitinum. *Ex omni hæreſi, qui ad nos fidelis venerit, minimè eſt ad Clerum promovendus; vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur.* Ita legitur *can.* 51. prædicti Concilii.

Quanvis autem hæretici omnes irregulares ſemper habiti ſint, in illos tamen ſeveriùs actum eſt, quos conſtaret hæreſeos fuiſſe authores. *Damnato uno Donato, qui author ſchiſmatis fuiſſe manifeſtatus eſt, cæteros correctos, etiamſi extra Eccleſiam ordinati eſſent, in ſuis honoribus ſuſcipiendos eſſe cenſuerunt.* Sic D. Auguſt. *epiſt.* 50.

Docet autem ibidem idem S. Doctor, quod cùm iſti ad radicem Catholicam veniunt, *nec eis, quanvis poſt erroris ſui pœnitentiam, honor Clericatus, aut Epiſcopatus aufertur, ſit aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem ſeveritatis.*

Docet deinde leviſſimum illud arboris (Eccleſiæ ſcilicet Romanæ) vulnus abunde compenſari, cum id fiat *maxime propter eos quos foris poſitos poſſent decipere, & à ſuſceptione illius muneris impedire. Deinde*

ut

Digitized by Google

ut etiam ipſorum infirmitas leviùs excepta intus ſanabilis fieret, jam nullâ pertinaciâ claudente oculos cordis adversùs evidentiam veritatis.

Docet tandem in Eccleſiæ poteſtate ſitum eſſe, ut majori, vel minori adversùs hæreticos clementiâ, prout res exigunt, uti poſſit. *Ut enim, ait, conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ.*

De filiis hæreticorum.

Alexander IV. *cap. 2. §. hæretici*, hæreticos, atque illorum filios uſque ad ſecundam generationem ad aliquod Eccleſiaſticum Beneficium, ſeu Officium publicum admitti vetat. *Quod ſi ſecus actum fuerit*, inquit, *decernimus irritum, & inane.*

Bonifacius VIII, qui *cap. ſtatutum, de hæreticis*, Alexandri decretum hac ſuper re renovat, dicit illud intelligi debere de iis dumtaxat, quorum parentes, vel etiamnum hæretici ſunt, vel in hæreſi deceſſerunt; non verò de iis, quorum parentes emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati.

Ex his ultimis Bonifacii verbis colligi poteſt, hodiernam Eccleſiæ praxim, quâ hæreticorum filii à ſacris Ordinibus arcentur, à vetuſta Eccleſiæ praxi dimanaſſe; vult enim canon 18. Concilii III. Carthaginenſis, *ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur, priuſquam omnes qui ſunt in domo eorum Chriſtianos Catholicos effecerint.*

Quapropter dici poteſt, filios hæreticorum à ſacris Ordinibus duplici ratione arceri, ſcilicet tum quòd hæreſeos infamia in ipſos etiam hæreticorum filios aliqua ratione redundet, tum quòd illis curæ non fuerit parentes ſuos hæreticos ad Fidem Catholicam reducere. Poſteriorem rationem antiqui, recentiores verò priorem potiſſimùm conſiderarunt.

De peregrinis, clinicis, & neophytis.

Cùm peregrini utplurimùm ignoti ſint, & aliqua hæreſeos infamiâ non rarò laborent, licèt ignoretur, eos idcirco non ſecus ac hæreticos ad Ordines promoveri prohibuit Gregorius Magnus *lib. 1. epiſt. 23.* Concilium Charthaginenſe anni 535. Eccleſiaſticos omnes ut hæreticos haberi voluit, qui Romam peterent ſine commendatitiis litteris.

Quos per ludibrium S. Cyprianus clinicos vocat, quòd in lecto Baptiſmum receperint, eos à Sacerdotio excludit canon 12. Concilii Neocæſareenſis. Longè autem ante Concilium Neocæſareenſe aſſeruerat Cornelius Papa, *non licere quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perfuſi eſſent, in Clerũ aſſumi.*

Vetat Divus Paulus ordinari neophytum, *ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.* 1. Tim. 3. 6. Præter rationem ab Apoſtolo allatam aliam profert Hormiſdas epiſt. 25. *Diſcere priùs quiſque debet antequam doceat: emendatiorem eſſe convenit populo, quem decet orare pro populo.*

Speculatio II.

Prædicta impedimenta ordinationem reddunt illicitam, ſed non irritam.

Validas eſſe ordinationes, quibus hæretici, ſchiſmatici, ſimoniaci, &c. aut ordinant aut ordinantur, modò fiant juxta receptam ab Eccleſia formam, unanimi conſenſu, & nemine refragante docuerunt quotquot quadringentis ab hinc annis Authores hac ſuper re ſcripſere. Tam diuturnus Eccleſiæ conſenſus jure merito legis inſtar omnibus eſſe debet.

Ratæ ſunt igitur prædictæ ordinationes, licèt ſint illicitæ; quia tamen plurimæ, eæque gravis momenti difficultates contra noſtram aſſertionem poſſunt afferri, eas ideircò in certas claſſes ob majorem facilitatem diſtributas diſſolvere conabimur.

Prima objectionum claſſis de ſchiſmaticis.

Primò ſchiſmatici duplicis generis poſſunt diſtingui; alii enim ab Eccleſia ſeſe dividunt, illi obedire nolentes, licèt ab illa in nulla alia re diſſentiant. Illi poſtquam eos pœnituerit, in eundem Ordinem admittantur, ait S. Baſilius.

Alii autem ab ipſa Eccleſia pulſi ſunt propter cauſas Eccleſiaſticas, ſed non capitales, ut Novatiani, Donatiſtæ, Meletiani, &c. De iis ita loquitur S. Baſilius epiſt. 1. ad Amphilochium: *Qui abrupti ſunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent poteſtatem. : : : Sed quoniam nonnullis Aſiaticis viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem eorum Baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.* Ergo juxta D. Baſilium ſchiſmatici & baptizandi, & ordinandi poteſtatem amittebant, quanquam Baptiſma ab illis collatum Eccleſiaſtica diſpenſatione ratum haberetur.

Secundò canone 8. Concilii Nicæni edicitur, ne Novatiani ad Eccleſiam redeuntes, *impoſitis eis manibus ſic in Clero maneant*; vel ut vertit Iſidorus, *ut ordinentur, & ſic maneant in Clero.* Idem ſenſus apparet in verſione ejuſdem canonis authoritate Concilii ſexti Carthaginenſis facta: *Placuit eos ordinatos ſic manere in Clero.* Igitur, qui à Novatianis ad Eccleſiam revertebantur, Ordinationem denuò recipiebant.

Tertiò Meletius, licèt Catholicus fuerit, & ſchiſmaticus verè dici non potuerit, niſi poſt Concilium Nicænum, cui ipſe & ſui non obedierunt; nihilominus ea tantùm conditione ab eodem Concilio ſuſceptus eſt, ut omne jus ordinationum illi adimeretur in poſterum, in anteceſſum verò factæ iterum celebrarentur, ut videre eſt in epiſtola Concilii ſcripta ad omnes quæ ſub cœlo ſunt Eccleſias. Habetur *pag. 249. tom. 2. Concil. R. P. Labbe*, & ibidem *pag. 85.* hæc habentur: *Abdicavit eadem* (Synodus Nicæna) *Meletium Thebaidis Epiſcopum unà cum ordinationibus ipſius.*

Secunda claſſis objectionum de depoſitis & degradatis.

Ordinationes ab Epiſcopis depoſitis factas, irritas eſſe, & vanas multa probant e præcipua tantum breviter recenſebimus. Primò Formoſus Portuenſis Epiſcopus propter varia crimina à Joanne VIII. Papa depoſitus, degradatus, & ad communionem laïcam redactus, eidem Joanni Papæ ſolenniter per jusjurandum promiſit ſe Romam nunquam rediturum, neque ſuum Epiſcopatum unquam in poſterum eſſe recepturum. Nihilominus à Marino Papa Joannis ſucceſſore ab anathemate abſolutus, & in ſuum Epiſcopatum reſtitutus, paucis poſt annis à Sede Portuenſi ad Sedem Romanam tranſlatus eſt. Porrò omnes Formoſi ordinationes irritas eſſe & vanas declararunt Summi Pontifices Stephanus VI. & Sergius III. *Cunctos quos ordinaverat Formoſus gradu proprio depoſitos iterum ordinavit Stephanus Sextus*, ait Luitprandus Diaconus Ticinienſis libro primo hiſtoriæ ſuæ, cap 8.

Stephani acta in Formoſum reſcidit quidem Joannes IX. convocata Romæ Synodo: verùm Sergius III. qui tertio anno poſt Joannis mortem ei ſucceſſit, Formoſi ordinationes iterum irritas fecit.

Secundò Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis declaravit irritas ordinationes omnes factas ab Ebbone, qui de Rhemenſi Sede depoſitus, illegitimè fuerat reſtitutus. Hincmari ſententiam decreto ſuo confirmavit Synodus Sueſſionenſis ſub Carolo Calvo, & Leone IV. congregata.

Ter-

Tertiò Nicolaus primus ideo Photium non fuiſſe Epiſcopum dicit, quia ordinatus fuerat ab Epiſcopo depoſito, nempe à Gregorio Syracuſano, quem S. Ignatius Patriarcha depoſuerat. *Nihil Photius*, inquit, *à Gregorio percepit, niſi in quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit.* Ergo poteſtas ſpiritualis per ordinationem collata, atque adeo character per legitimam depoſitionem amittitur, ſicque character non eſt indelebilis.

Quartò Ivo Carnotenſis in ſuo Decreto. *p. 14. cap. 55.* hæc habet: *Gregorius Papa Septimus in Synodo præſidens dixit: Ordinationes illorum qui ab excommunicatis ſunt ordinati, Sanctorum Patrum ſequentes veſtigia irritas fieri cenſuimus.* Quibus verbis ordinationes ab excommunicatis factas non ſolùm illicitas, ſed etiam invalidas declaratas fuiſſe teſtantur Bernardus Conſtantienſis, & Bertoldus, ambo eidem Gregorio benevoli & addicti, ejuſdemque temporis praxim perſpectam habentes.

Tertia objectionum claſſis, de neophytis.

Primò canon quartus Synodi VIII. Photii qui ſex dierum ſpatio omnes ordines ſuſceperat, depoſitionem ita exprimit: *Ut ambitionem veluti quandam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jus faſque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Chriſti inſilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam antea Epiſcopum fuiſſe, neque nunc ulla ratione eſſe, juſto decreto declaramus, nec ab illo creatos in eo Sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti ſunt, manere.* Teſtantur præterea Patres ejuſdem Synodi, Legatos Nicolai Primi iteraſſe Sacramentum Confirmationis à Photio, & Photianis datum, exiſtimantes ſcilicet neq; Photium, neque à Photio ordinatos ullam habere in Clero poteſtatem

Secundò, nihil in Conſtantini Papæ aſſumptione anno 767. peractæ defuit, niſi quod electus eſt in Pontificem, cùm adhuc eſſet laïcus, & quòd Ordinũ ſuſceptio in ejus conſecratione præcipitata eſt: nihilominus Concilium Romanum ſub Stephano IV. ſtatuit Conſtantinum nunquam fuiſſe Epiſcopum, omneſq; ejus ordinationes irritas eſſe, & invalidas: unde decrevit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi à Conſtantino ordinati, vel in perpetuum ſuis ſpoliarentur Ordinibus, vel ſi qui illorum placabiles fuiſſent coram populo civitatis ſuæ, iterum à populo & Clero electi denuo ordinarentur. Quâ promulgatâ ſententiâ Epiſcopi à Conſtantino conſecrati denuo à Clero, & plebe electi, à Sanctiſſimo Papa Stephano iterum conſecrati ſunt.

Quarta claſſis objectionum de ſimoniacis.

Primo Maximus Cynicus à S. Gregorio Nazianzano baptizatus, & Presbyter ordinatus, in Epiſcopum Conſtantinopolitanum corruptis pecuniâ Epiſcopis clam ſe ordinari curavit: à Patribus autem ſecundi Concilii ſtatutum eſt, *ut neque Maximus fuiſſe, aut eſſe etiam putetur Epiſcopus, neque hi qui ab eo ſunt ordinati, qualemcunq; gradum Clericatus obtineant, omnibus ſcilicet quæ circa eum, vel ab eo geſta ſunt, in irritum revocatis.* Ita canon illius depoſitionis.

Secundo Urbanus II. Dantbertum à Nezelano Epiſcopo Moguntino ſchiſmatico ſimoniaco, non ſimoniacè ordinatum, ex integro Diaconum ordinavit, & reſcribens Petro Piſtorienſi Epiſcopo, dicit Baptiſmum ab hæretico, ſive ſchiſmatico, Eccleſiaſtico more celebratum, ratum eſſe; non vero ordinationem.

Quinta claſſis objectionum de hæreticis.

Primo in Epiſtola Synodica Oecumenicæ Synodi Sardicenſis ad Alexandrinam Eccleſiam, quam ipſe refert Athanaſius *apol. 2.* hæc habentur: *Gregorium quidem, qui illegitimè ab hæreticis Epiſcopus conſtitutus eſt, & in veſtram civitatem ab illis deductus, ab univerſa ſacra Synodo de Epiſcopatu (tametſi revera nunquam pro Epiſcopo habitus fuerit) depoſitum eſſe, veſtram Unanimitatem ſcire volumus.*

Secundò canon Apoſtolicus 68. eandem doctrinam evidenter confirmat. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam ordinationem ab alio ſuſceperit, deponatur, & ipſe, & qui ordinavit, niſi utique conſtiterit quod ab hæreticis ordinationem habeat.*

Tertiò Innocentius I. *epiſt. 18. ad Alexandrinum Antiochiæ Epiſcopum, cap. ultimo*, ſic loquitur: *Ab hæreticis baptizati recipiendi ſunt cum ſuo Baptiſmo; ſed ab hæreticis ordinati non ſunt recipiendi cum ſuo ordine, quia hæretici ſolum Baptiſmum dare permittuntur.*

Prima Reſponſio.

Reſpondeo primò, ea quæ à Summis Pontificibus Stephano & Sergio contra Formoſum facta fuere, non eſſe permagni ponderis, cùm in illorum decretis non ratio aut jus ullum, ſed Stephani & Sergii perditiſſima nequitia, & fœdiſſima inferiorum Epiſcoporum adulatio prævaluerit.

Idem dici debet de Hincmari contra Ebbonem ſententia à Concilio Sueſſionenſi confirmata; nam illius Concilii acta Leo IV. approbare noluit. Refert quidem Flodoardus Benedictum Papam Leonis ſucceſſorem omnia illius Synodi acta confirmaſſe; verùm id fecit propter falſam Hincmari Rhemenſis relationem: unde re tota maturiùs deinceps diſcuſſa, Nicolaus primus Concilii ſententiam improbavit. Quare ex illis exemplis argumentum aliquod legitimum contra indelebilitatem characteris deduci non poteſt. Verùm cùm in objectionibus allatis multa ſint indubitatæ fidei, & permagnæ authoritatis, alia illis ratione reſpondendum eſt.

Secunda Reſponſio.

Reſpondeo ſecundò dubium olim in Eccleſia fuiſſe, an ordinationes ab hæreticis, ſchiſmaticis, degradatis, & ſimoniacis factæ validæ fuerint? Quandiu autem tale dubium duravit, potuerunt Pontifices quod ſibi fuit probabilius aut accomodatius in hac opinionum varietate viſum eligere. Hinc pleræque authoritates pro, aut contra ejuſmodi ordinationes afferri poſſunt, adeo ut referente Petro Damiano in ſexti opuſculi ſui præfatione, Leo IX. ex tanta opinionum varietate anceps admodum, & dubius, in poſtrema Synodo omnes Epiſcopos ex divina obteſtatione rogavit, *quatenus Dei miſericordiam in commune depoſcerent, ut quid ſuper hoc ſcrupuloſo negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret.*

Mirum autem alicui eſſe non debet, pleraſq; quæſtiones primis Eccleſiæ temporibus dubias fuiſſe & in utramq; partem vulgò diſputatas, quæ poſteris indubitatæ fuerunt; quot enim definivit Concilium Tridentinum, ut cætera omittam, quæ priùs in utramque partem probabiliter agitabantur.

Simili ratione factum eſt, ut præſens quæſtio, quæ priùs dubia erat, annis abhinc quadringentis ab omnibus Scholaſticis ut indubia traderetur. Quare tam diuturnus Authorum conſenſus inſtar legis eſſe debet, licèt hactenus nullo Eccleſiæ decreto ſtatutum ſit, ordinationes ab hæreticis, &c. factas eſſe validas; quæcumque enim definivit Concilium Tridentinum, de ſolis ordinationibus à Catholicis legi-

Tertia Reſponſio.

Reſpondeo tertiò, Scholaſticos nihil non moliri, ut omnes quæ ſuperiùs allatæ ſunt, objectiones ita explicent, quatenus ordinationes ab hæreticis, ſchiſmaticis, ſimoniacis, degradatis, &c. collatæ, illicitæ quidem, non verò invalidæ declarentur. Sed neſcio an hæc illorum ſolutio cuilibet objectioni plenè ſatisfaciat, iiſque videatur legitima qui in legendis antiquorum libris diutiùs inſudarunt.

Quarta Reſponſio.

Reſpondeo quartò in charactere duo debere diſtingui, characteris ſcilicet ipſius ſubſtantiam, ut ita dicam, & ipſius virtutem Character ſemel impreſſus ab Eccleſia non pendet amplius quantum ad ſubſtantiam, ſed eſt perpetuus & indelebilis: at ab Eccleſia pendet quantum ad agendi virtutem, adeo ut nihil agere poſſit quandiu vis ejus ab Eccleſia ſuſpenditur. Juxta hanc reſponſionem character, ſive poteſtas Ordines conferendi ſimilis erit poteſtati abſolvendi à peccatis, quam poteſtatem unuſquiſque Presbyter in ſua ordinatione verè quidem recipit, licèt illa ne validè quidem uti poſſit ſine ſuperioris permiſſu.

Hac quarta reſponſione diſſolvit olim Hincmarus authoritates Summorum Pontificum Leonis, Anaſtaſii, Gelaſii & aliorum, quas ſibi objecerat atque huic Hincmari ſententiæ conſenſerunt Galliæ Epiſcopi in Sueſſionenſi Concilio congregati.

Quinta Reſponſio.

Reſpondeo quintò, penes Eccleſiam eſſe Sacramenti alicujus adminiſtrationi certas adhibere conditiones, quibus non ſervatis Sacramentum non modò illicitum ſit, ſed etiam invalidum. Iſtam Eccleſiæ poteſtatem agnovere ex antiquis Theologis Alexander de Ales, S. Bonaventura, Innocentius IV. Cardinalis Oſtienſis, Abbas Panormitanus, & alii: ex recentioribus verò Cardinalis Bellarminus, Cardinalis Delugo, Franciſcus Hallerius, Pater Morinus, & alii. De hac ultima reſponſione aliquid iterum dicemus cùm de Epiſcopatus, aut Presbyteratus materia ſermo habebitur.

Exponitur ratio cur ordinationes validæ ſint, quæ à malis miniſtris conferuntur.

Ratio propter quam ordinatio à malis miniſtris facta rata ſit, eſt quia efficacia & virtus Sacramentorum novæ legis, non tam dependet à miniſtro qui illa confert, quàm à Chriſto qui intus operatur, juxta illud Joannis I. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ex quo fluit illa D. Auguſtini ſententia: *Baptizet Petrus, baptizet Paulus, baptizet Judas, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto,* nimirum Chriſtus. Ut enim latè proſequitur idem Divus Doctor tractatu quinto in Joannem, *parum refert utrum aqua ad areolas irrigendas per canalem lapideum, an per argenteum tranſeat.* Et libro 3. de Baptiſmo, cap 10. *Lumen ſolis, vel etiam lampadum non inquinatur, etiamſi per lutum tranſeat.* Et libro 3. in Creſcentium, cap. 8. *Nihil refert ad efficaciam ſementis & plantationis, an lotis manibus, an ſordidis id fiat, modo bonum ſit ſemen, & terra fertilis, nec deſit calor ſolis & pluvia de cœlo.* Et tandem ut Nazianzenus docet in oratione de Baptiſmo, *non minùs rectè imprimit imaginem Regis ſigillum ferreum quàm ſigillum aureum.* Ex his & ſimilibus patet, Sacramenta validè conferri etiam à malis miniſtris, imò ab hæreticis, ſchiſmaticis, &c.

Solvitur vulgaris objectio.

Adverſus ea quæ in hac ſpeculatione docuimus, objici ſolet difficultas ex vulgari axiomate repetita, ſcilicet neminem dare poſſe quod non habet, non poſſe aliquem conferre Spiritum ſanctum, aut gratiam non habet; eos qui ſunt extra Eccleſiam, putà hæreticos, ſchiſmaticos, &c. non poſſe conferre ea quæ ſunt ſolius Eccleſiæ.

Verùm illæ omnes difficultates evaneſcunt ubi attenditur ad ſuprà explicatum Divi Auguſtini principium, nimirum non miniſtrum eſſe qui efficaciter Sacramentorum effectum producit, ſed ipſum Chriſtum; ut enim ait idem Auguſtinus tractatu 80 in Joan. *Excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam ſublimitatem, nec omnino pertinet niſi ad agricolam Trinitatem.* Quocirca in forma ſic reſpondeo: Miniſtri qui non habent gratiam, aut Spiritum ſanctum, non poſſunt principaliter, & ex virtute propria gratiam, aut Spiritum ſanctum conferre, concedo; non poſſunt eſſe miniſtri, aut inſtrumenta quibus Chriſtus gratiam ſuam largitur, nego: unde dici poteſt, malos miniſtros non habere quidem gratiam quâ ſanctificentur, ſed habere gratiam quam aliis ceu miniſtri & inſtrumenta conferant; & ſic etiam verum eſt neminem dare quod non habet.

Ad id autem quod additur, hæreticos, Schiſmaticos, &c. qui extra Eccleſiam ſunt, non poſſe conferre Sacramenta quæ ſunt ſolius Eccleſiæ: Reſpondeo Eccleſiæ bona etiam apud hæreticos non rarò reperiri, ut eximiè docet D. Auguſtinus ſermone de geſtis cum Emerito, ubi loquitur de iis quos ex hæreticis, aut ſchiſmaticis venientibus recipit Eccleſia. *Propter malum quod habent,* inquit Doctor Sanctus, *non in eis poſſumus perſequi bona quæ agnoſcimus; malum enim diſſenſionis, ſchiſmatis, hæreſis, malum ſuum habent; bona verò, quæ in illis agnoſcimus, non ſunt ſua, Domini noſtri habent bona; Baptiſmus non eſt ipſorum, ſed Chriſti; invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati: non enim ſuſcipio Epiſcopum, ſi quando eſt ordinatus, ſuper caput ejus Donatus eſt invocatus: in errante & deſerente milite crimen eſt deſertoris; character autē non eſt deſertoris, ſed Imperatoris.* Hæc D. Auguſtinus, quibus rectè intellectis, nulla prorſus afferri poteſt circa præſentem materiam difficultas, cui facilè ſatisfieri non poſſit.

Specvlatio. III.

Expenduntur dotes, quibus debet inſigniri qui ad Ordines ſuſcipiendos accedit.

Dotes omnes quæ in Ordinandis neceſſariò prærequiruntur, ſicut innocentia, ſive ſanctitas vitæ; ſcientia, & vocatio: unde ſequentibus tribus propoſitionibus præſentem ſpeculationem abſolvemus.

Propoſitio Prima.

Sanctitas vitæ neceſſariò prærequiritur, ut aliquis Ordines licitè ſuſcipiat.

Præſens propoſitio ſufficienter probata eſt ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt de irregularitatibus ex parte criminis; ſi enim per crimen aliquod capitale etiam occultum homines Ordinibus indigni redduntur, patet maximam in ordinandis ſanctitatem requiri. Ut tamen ſanctitatis hujuſce neceſſitas magis appareat, breviter percurremus præcipuas rationes, propter quas hæc ſanctitas in ordinandis neceſſaria ſit.

Prima, & præcipua ratio petitur ex dignitate, ſanctitate & ſublimitate Sacerdotii, ut ſcilicet *quod Clerici ſunt profeſſione, actione potiùs demonſtrent quàm nomine, ut nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit honor ſublimis, & vita deformis; ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio.* Sic S. Ambroſ. *de dignit. Sacerd. cap. 3.*

Secunda ratio petitur ex eo quod Sacerdotis munus ſit pro populo orare. *Quomodo autem aliis veniam poſtulat, qui utrum ſibi Deus ſit placatus ignorat? Qua in re formidandum eſt, ne qui placare iram poſſe creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur.* Sic S. Gregor. *Paſt. part. 1. cap. 11.*

Tertia ratio petitur ex eo, quod Clerici laicis debeant & verbis, & operibus prælucere: hinc dicuntur lux mundi, ſal terræ, &c *Tanta debes eſſe (ait S.* Hiero-

Hieronymus) *ſcientia & eruditio Pontificis Dei, ut greſſus ejus & motus vocalia ſint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet & ornatu, & quidquid agit, quidquid loquitur, ſit doctrina populorum.* Ita S. ille Doctor *epiſt. 128. ad Fabiolam.*

Quarta ratio petitur ex eo quod Clerici ubi ſemel in crimina delapſi ſunt, vix ad meliorem ſe frugem recipiunt, ut paſſim teſtantur Sancti Patres, & præſertim Divus Chryſoſtomus, qui hanc hujuſce rei cauſam affert, *quia ſcilicet erubeſcit aliquando reus videri, qui aliorum ſemper fuerat Iudex.* Ita *hom. 43. Oper. imperf.*

Quinta ratio petitur ex decretis Eccleſiæ, quibus Clerici ſub graviſſimis pœnis jubentur ſanctitatem profiteri: quæ omnia decreta à Concilii Tridentini Patribus renovata fuere *ſeſſ. 22. de reformatione, cap. 1.*

Jam verò ut paucis aperiam quænam debeat eſſe Sacerdotum ſanctitas, ſufficiet uno verbo dixiſſe, Sacerdotes tum demùm ſanctos fore ut decet, ſi præceptis Evangelicis, Decretis Conciliorum, & Sanctorum Patrum inſtitutis vitam ſuam conformaverint.

PROPOSITIO SECUNDA.

Scientia in ordinandis neceſſariò prærequiritur.

Scientiam in ordinandis prærequiri manifeſtum eſt, cùm Clericorum ſit populos edocere; hinc unicuique de populo dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, &c. venies ad Sacerdotes, &c.* Deuter. 17. *Interroga Sacerdotes legem.* Aggæi 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malachiæ 2. Hinc Sacerdotibus dictum fuit: *Vos eſtis lux mundi.* Matth. 5.

Quapropter rectè Divus Hieronymus *in c. 2. Aggæi, ait: Si Sacerdos eſt, ſciat legem Domini, ſi legem Domini ignorat, convincit ſe non eſſe Domini Sacerdotem.* Et D. Chryſoſt. *homil. 15. in 1. ad Timoth.* de Sacerdotibus loquens: *Quomodo,* inquit, *lucerna, ſi non luceat? Profectò inſeparabile eſt lucere à lucerna. Tenetur ergo lucere* (utique abundantiâ doctrinæ) *quem Dominus habere voluit officium lucernæ.*

Quænam ſit ſcientia in ordinandis prærequiſita.

Itaque Sacerdotes tenentur ſcire Scripturas ſacras, & Canones, tum ut iis vitam ſuam conforment, tum ut illa populum edoceant, ut eos qui contradicunt poſſint arguere. *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas, & Canones meditentur; omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ.* Verba ſunt Concilii IV. Toletani, *can.* 24 à Gratiano citata. Non ſolùm autem Sacerdotes, ſed etiam inferiores Clericos ad id teneri docet Divus Hieronymus *in cap. 2. epiſt. ad Titum,* ibi: *Qualis enim erit ædificatio diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe majorem? Unde non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui præſident, converſatione, ſermone & ſcientia præcedant, verùm etiam & inferior gradus, Exorciſtæ, Lectores, Æditui, & omnes omninò qui domui Dei deſerviunt; quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit meliores eſſe laicos quàm Clericos.*

Tenentur præterea ſcire ea quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent. Hinc Concilium Tridentinum vult, ut illi tantùm ad Presbyteratus Ordinem aſſumantur, *qui ad populum docendum ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur.* Ita decernit *ſeſſ. 23. de reform. cap.* 14. & à Concilio Senon. an. 1528. in decreto morum *cap.* 3. inter ea quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, enumerantur *Liber Sacramentorum, Lectionarium, Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canon pœnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, & ſingulis feſtivitatibus apta: ex quibus ſi unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo conſtabit; quia valde periculoſæ ſunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur: Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.*

Tenentur quoque ea noſſe quæ neceſſaria ſunt ad reſolvendos ordinarios ſaltem conſcientiæ caſus, quorum tamen ſolutionem in Canonibus, in Decretis Summorum Pontificum, & in Sanctorum Patrum ſcriptis quærent potiùs quàm in modernorum Caſuiſtarum ſcriptis: ut enim præclarè monet Eminentiſſimus ac Doctiſſimus Cardinalis Bellarminus in opuſculo ad Epiſcopum Theanenſem nepotem ſuum: *Si quis velit tutò ſalutem ſuam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non reſpicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem ſequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali propoſita ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rerum, de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientiâ non remordente ad eum locum deſcendere ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.*

Non immeritò itaque ignorantes & illiterati à Sacerdotio repelluntur. *Quia repuliſti ſcientiam, ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Oſeæ 4. *Nemo illiteratos ad Clericatum ordinem promovere præſumat, quia litteris carens ſacris non poteſt aptus eſſe officiis.* Gelaſius epiſt. 1. *Nullus ad ſacra veniat indoctus, nullus ignorantiæ tenebris cæcutiens, ſed quem morum innocentia & litterarum ſplendor reddunt illuſtrem.* Concil. VIII. Tulet. *can.* 8.

Quinam fuerint antiquitus Doctores, & quæ Scholæ.

Cùm itaque ſcientia adeo neceſſaria ſit iis qui ordinandi ſunt, mirum non eſt ſi antiquitus Epiſcopi Doctoris & nomen, & officium habuerint; quippe docere, prædicare, Evangelizare præcipuum, & maximè proprium eſt Epiſcoporum munus. *Oportet Epiſcopum eſſe pudicum, hoſpitalem, doctorem.* 1. Tim. 3. 2. Unde Apoſtolus paſſim ſe *Doctorem, & magiſtrum gentium* appellat; & S. Leo *epiſt. ad Maximum Antiochenum,* vetat: *Ut præter Sacerdotes nullus audeat prædicare, ſive ſit monachus, ſive laicus, cujuslibet ſcientiæ nomine glorietur.* Tum temporis Epiſcopalis domus ſchola erat, in qua adoleſcentes ad Clerum deſtinati ſacris litteris erudiebantur, ut apparet ex Sancto Athanaſio, quem cum aliis pluribus in Epiſcopali domo erudiri juſſit Alexander in Alexandrina Sede Sancti Athanaſii prædeceſſor. Socrates *lib. 1. cap.* 15. Idipſum evidenter apparet ex ſequentibus verbis Concilii II. Toletani, *can.* 1. *Quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, ſtatuimus obſervandum ut mox cùm detonſi, & miniſterio Lectorum contraditi fuerint, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentia à præpoſito ſibi debeant erudiri.* Idem demùm dici debet de Laterali Palatio ſub Gregorio Magno, in quo refloruerant diverſarum Artium ſtudia, ut docet Joannes Diaconus *in vita S. Greg. lib. 1. cap.* 13.

Porrò cùm Fidelium, ac proinde Clericorum numerus in dies creſceret, fieri non potuit ut Schola in Pontificali domo erecta omnibus Clericis erudiendis ſufficeret; quare ſubſequentibus temporibus non Epiſcopi duntaxat, ſed cujuslibet Presbyteri domus ſchola erat junioribus Clericis erudiendis deſtinata: id nos docet Concilium Valenſe can. 1. *Placuit ut omnes Presbyteri, qui ſunt in Parochiis conſtituti, ſecundùm conſuetudinem quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus, juniores Lectores, quantoſcumque ſine uxore*

xore

xori habuerint, ſecum in domo ubi ipſi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni patres ſpiritaliter nutrientes, Pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant, ut ſibi dignos ſucceſſores provideant, & à Domino præmia æterna recipiant.

Non ſolùm autem particulares illæ ſcholæ in domibus Epiſcoporum aut Sacerdotum vigebant; erant enim præterea aliæ ſcholæ magis celebres, qualis fuit Alexandrina, de qua Euſebius *lib.5.c.10.* ait: *Per idem tempus Fidelium ſcholæ præerat vir doctrinæ causâ celeberrimus Pantænus, quippe jam inde à priſcis temporibus ſacrarum Litterarum ſchola in ea civitate* (Alexandrina) *fuerat instituta, quæ quidem noſtra adhuc ætate perſeverat.* Qualis fuit illa quam Edeſſæ Protogenes aperuit, ut narrat Theodoretus *hiſt. lib.4.cap.16.*

An aliqua ſint ſcientiæ, quæ Clericis debeant interdici.

Certum eſt primò, diſciplinas omnes ex ſe, & ratione ſui bonas eſſe; quis enim dixerit Philoſophiæ, Medicinæ, Mathematicarum Artium, &c notitiam malam eſſe, & ut talem rejiciendam? Etenim in prædictis diſciplinis veritas inquiritur & addiſcitur, veritatis autem inquiſitio & cognitio procul dubio bona eſt. Nullus etiam dixerit Rhetorices, aut Poëſeos artem malam eſſe, ſaltem quatenus inſinuandæ in hominum animis veritati inſerviunt. Rhetorica enim, ut etiam Poëſis, ex ſe nec bona eſt, nec mala, ſed bona evadit cùm veritati, mala cùm falſitati & errori inſervit: quare

Certum eſt ſecundò, quod quando Sancti Patres in Rhetoricam, aut in Poëſim inſurrexerunt, non tam Artes prædictas, quàm pravum illarum uſum improbarunt: quod etiam de Philoſophicis diſciplinis dicendum eſt, eas enim non propter ſe, ſed propter abuſum à Patribus condemnari oſtendunt hæc Auguſtini verba: *Non ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena ſunt carmina Poëtarum, ullo modo noſtræ conſonant libertati, non Oratorum inflata & expolita mendacia, non denique ipſorum Philoſophorum garrula argutia, qui vel Deum prorſus non cognoverunt, vel non ſicut Deum glorificaverunt.*

Non eſt igitur omninò repudianda Rhetorica; nam *quis audeat dicere adverſùs mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, ut videlicet illi qui res falſas perſuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, iſti autem non noverint? &c.* Ita S. Auguſt. *lib.4 doct. chriſt. cap 2.* Hæc tamen eloquentia miniſtris Eccleſiæ neceſſaria minimè quæri debet in prophanorum Poëtarum præſertim ſcriptis, quæ teſte Auguſtino lib. 14. de Trin. cap. 1. *plena ſunt ſupervacuæ vanitatis & noxiæ curioſitatis*; ſed in ſcriptis SS. Cypriani, Chryſologi, & aliorum.

Neque etiam rejici debent Philoſophicæ diſciplinæ, & Mathematicæ Artes, quas *quiſquis ad unum quoddam ſimplex verum certumque redegerit, non temerè jam quærit divina, non jam credenda ſolùm, verùm etiam contemplanda, intelligenda, atque retinenda: quiſquis autem vel cupiditates fugiens, caſtèque vivens, neſciens tamen* (enumeratas priùs diſciplinas,) *non dico de ſummo illo Deo, qui ſcitur meliùs neſciendo, ſed de anima ipſa ſua quærere ac diſputare voluerit, tantum errabit, quantum errari plurimùm poteſt.* Ita D. Auguſt. lib 2. de Ordine, cap. 16.

Non tamen crediderim Philoſophiæ principia ab ipſis prophanis eſſe repetenda (illorum quippe Philoſophia impietatem ubique ſpirat, & idololatriæ principia clanculum propinat;) ſed à Divo Auguſtino præſertim, qui Philoſophiam nobis proponit verè chriſtianam, à ſenſibus diſcipulorum animos abducentem, & ad divina contemplanda dirigentem. Hæc eſt Philoſophia quæ Clericos maximè decet.

Tertia Propositio.

Exponitur neceſſitas vocationis in iis qui ordines ſuſcepturi ſunt.

Ut aliquis ad Ordines licitè accedat, debet procul dubio & impedimentis carere quibus ab Ordinibus arceretur, & qualitatibus ornari quas ſuperioribus propoſitionibus expoſuimus: verùm illa nondum ſufficiunt; non enim ſatis eſt alicui quòd ſit probus & eruditus, ut ad Sacerdotium licitè accedat, niſi etiam ſe ad illud cœlitus vocari cognoſcat. Id non poteſt meliùs exprimi, quàm ſequentibus Fortunati verbis: *Gravat Sacerdos Ordinem, qui Epiſcopatum ſic petit: præcepta qui complectitur, fugit honoris ambitum: hoc ſi cui ſit debitum, coactus aſcendat gradum, non ſe petente callidè, ſed dante Chriſti munere. Ineptus eſt qui ſanctæ ſe præferre vult Eccleſiæ, nam rem ſacratam ſumere, electio divina ſit. Clarus Sacerdos Ordinem Hilarius non ambiit, Martinus illud effugit, Gregorius vix ſuſtulit. Leges refutant ambitum, invaſor omnis pellitur, quod reſpuunt Prætoria, vitat nefas Eccleſia.* Ita ille *Poëmat. lib. 1. cap. 16.*

Nempe una ſemper fuit, & communis omnium Patrum ſententia, illos eſſe Sacerdotio indignos, qui tremendam Sacerdotii dignitatem ultrò capeſſerent. *Quid miſeris illis dixeris qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium quos regis mulierum, & virorum, & puerorum à te reddenda ratio eſt, tanquam ignè caput tuum ſubjicis. Miror an fieri poſſit, ut ſalvus fiat aliquis ex Rectoribus, quam videam poſt minas & præſentem ſocordiam aliquos adhuc accurrentes, & ſe conjicientes in tantam molem adminiſtrationis. Nam ſi ii qui neceſſitate trahuntur non habent quò confugiant, & quo ſe excuſent, ſi rem malè adminiſtraverint, & ſint negligentes, quanto magis ii qui in hoc ſuum ſtudium ponunt, & in id irruunt? Timere enim oportet & contremiſcere, & propter conſcientiam, & propter molem imperii, & neq; ſi trahantur, ſemel recuſare.* Hæc D. Chryſoſt. *hom. 34. in epiſt. ad Hebræos.*

Non ſolùm ergo juxta D. Chryſoſtomum in Sacerdotium irruere non debemus, ſed neque ſi trahimur, ſemel tantùm debemus recuſare, ſed magis fugere, ut ibidem proſequitur, *prævidentes magnitudinem dignitatis*; adeo ut ne coacti quidem Sacerdotium ſuſcipiamus, ſi illi ferendo impares nos eſſe cognoſcimus, ut docet *lib. 4. de Sacerdotio, cap. 2.* ibi: *Decere arbitror, ut ſi te eò ſexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos ſpectare, verùm animi tui dotes priùs examinare, vireſq; tuas omnes exactè perſcrutari, atque ita demùm cogentibus cedere. Iam domum ſe aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non ſit, neque ægrotantia contingere corpora quiſquam aggrediatur, qui medicinam non didicerit.*

Chryſoſtomo ſuccinit S. Gregorius, dum ait quod ad Sacerdotium *indignus, nec coactus accedat.* Succinit Avitus Viennenſis, juxta quem *placere Deo penitus nequit, qui uſque ad ſui electionem ſibi ipſe placuerit.*

Porrò ſi in eo conſentiunt Sancti Patres, ut declarent eum qui Sacerdotio indignum ſe noſcit, nec coactum ad illud debere accedere, non minùs conſentiunt dum declarant illos in contrarium peccare, *ac per hoc contra juſtitiam facere, qui merito ſuæ converſationis, vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, & cùm poſſunt laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ adminiſtrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt.* Jul. Pomer. *de vita contemplat. lib. 3. cap. 28.* ut enim ait Gregorius Nazianz. orat. 1. *Par meo quidem judicio malum eſt, ac pariaque inordinatum, & omnes præeſſe atque imperare velle, & neminem id ſuſcipere.*

Duo igitur ſunt quæ apud Sanctos Patres æqua ratione certa ſunt & indubitata. Primum, ut indignus ad Ordines nunquam accedat, etiamſi ad id cogatur: ſecundum, ut qui præeſſe & prodeſſe populis poſſunt, honorem ſibi traditum contumaciùs non repel-

lant, ſed cedant neceſſitati, ac tanquam divinitus oblatam teſſeram accipiant: nempe juxta Sanctos Patres, tunc demùm aliquis ſe divinitus ad Ordines vocatum agnoſcit, cùm illos ſibi à Superioribus oblatos invitus accipit.

Quæres, an ſemper neceſſe ſit, ut aliquis Ordines legitimè ſuſcipiat, quod à Superioribus ſuis, Eccleſiæ ſcilicet Præſulibus ad id munus vocetur.

Reſpondeo primò hac de re nullum unquam dubium fuiſſe apud Sanctos Patres, apud quos conſtans ſemper fuit hæc Sancti Gregorii ſententia: *Locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, fugientibus offerendus.*

Reſpondeo ſecundò, Eccleſiam nunquam condemnaſſe, quin immò approbaſſe & laudaſſe praxim eorum qui filios ſuos miniſterio Eccleſiæ à prima pueritia deſtinabant, modò omnes illi pueri ad Clerum deſtinati, *in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant.* Ita Concil. IV. Tolet. *can.* 23. Verùm cùm illi pueri ad Cleri officia non eveherentur, niſi ad nutum Epiſcopi, ſub cujus præſentia erudiebantur, hæc Eccleſiæ praxis ſuperioribus Patrum ſententiis penitus eſt conformis.

Reſpondeo tertiò à ſuperioribus Sanctorum Patrum decretis illos etiam alienos non eſſe, qui in Seminariis eo animo commorantur, ut precibus ad Deum fuſis, adhibitiſque corporis mortificationibus mereantur cognoſcere quid de illis Deus poſtulet, adeo ut ad Clerum evehi minimè velint, niſi jubente Epiſcopo, aut jubentibus ſaltem illis qui ad illos examinandos & dirigendos ab Epiſcopo conſtituti ſunt. Porrò in eorum numero non ſunt annumerandi, qui in Seminariis quidem commorantur, at eo ardent Ordinum capeſſendorum deſiderio, ut ad illos obtinendos nihil non moliantur: vereri debent qui Cleri honores hac ratione ambiunt, ne de illis dicatur, *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non vocavi eos.* Oſeæ 8. Vereri etiam debent, ne ſimoniacorum culpam, & pœnas incurrant. Audiant quid dicat D. Chryſoſtomus in acta Apoſtol. homil. 3. *Cogita quid acciderat Simoni. quid enim refert ſi non das pecuniam, ſed loco pecuniæ adularis, ſubornas, multaque machinaris? Pecunia tua tecum ſit in perditionem, ad illum dictum eſt: & his dicetur, Ambitio tua tecum ſit in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei.*

Dices Epiſcopatum poſſe deſiderari, ac proinde neceſſe ſemper non eſſe quod aliquis ad Ordines vocetur, ut illos licitè ſuſcipiat; ait enim Apoſtolus: *Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* 1. Timoth. 1.

Reſpondeo ex D. Paulo bonum opus deſiderari cum Epiſcopatus deſideratur, ſed non idcirco benè deſiderari: ſcilicet hiſce verbis *Apoſtolus exponere voluit, quid ſit Epiſcopatus; quia nomen eſt operis, non honoris, ::: ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe, ::: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.* S. Auguſt. *lib.* 19. *de civit. cap.* 19.

Objicies ſecundò defuturos Sacerdotes Eccleſiæ regendæ neceſſarios, ſi nemo ad Ordines ſe offerat: Ergo, &c.

Reſpondeo fieri non poſſe, ut Christus Eccleſiæ ſuæ deſit, atque ſinat illam neceſſariis miniſtris carere; quare qui ſub hac ſpecie ſeſe Ordinibus ingerunt, de Chriſti erga Eccleſiam providentia videntur ſubdubitare.

DISSERTATIO III.

De Ordinibus in particulari ſumptis.

Jam inde à priſcis temporibus in Eccleſia Latina ſeptem Ordines ſolent diſtingui, ſcilicet Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor quos vocant minores, quibus plerique addunt Epiſcopatum. Omnes iſti Ordines eo nomine à ſe invicem diſtingui ſolent, quòd alii ſint hierarchici, alii verò non ſint hierarchici: de hierarchicis primum agemus, tum de iis qui hierarchici non ſunt.

CAPUT I.

De tribus Ordinibus hierarchicis, Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu.

Definit Concilium Tridentinum ſeſſione 23. can. 6. *In Eccleſia Catholica eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris.* Per miniſtros certum eſt intelligi Diaconos; an verò præter Diaconos Subdiaconi etiam, necnon cæteri inferiores Clerici hoc miniſtrorum nomine contineantur, non eſt ita certum. quare nunc eos tantùm Ordines proſequimur, quos hierarchicos eſſe nullatenus dubitatur.

Speculatio I.

De Epiſcopatu.

Ex dictis ſuperiùs de Sacramento Ordinis in genere, conſtat Epiſcopatum non ſolùm Sacramenti Ordinis rationem habere, ſed etiam eſſe totam, & integram Sacerdotii plenitudinem: quare hoc ſuppoſito, tanquam illic probato,

Inquiritur primò, quænam ſit materia Epiſcopatus.

Tres aut quatuor ſunt ritus in ordinationibus Epiſcoporum maximè celebres, & antiqui.

Primus eſt manuum impoſitio, quam ſuperiùs oſtendimus eſſe materiam eſſentialem Ordinum ad divinam hierarchiam pertinentium.

Secundus eſt traditio libri Evangeliorum, cujus meminit S. Dionyſius c. 5. *Eccleſ. hierarchiæ*, his verbis: *Pontifex qui ad initiationem Pontificiam accedit, utroque genu flexo ante Altare, ſupra caput habet eloquia divina* (id eſt Evangelium.) Ejuſdem traditionis meminit etiam S. Chryſoſtomus in oratione quæ inſcribitur, Quod idem ſit Legiſlator veteris ac novi Teſtamenti: *Quocirca*, inquit, *in Eccleſia in ordinationibus Epiſcoporum Evangelium Chriſti eorum capiti imponitur.* Græcorum Eucologium ejus etiam mentionem facit. *Aperit Evangelium Pontifex, & imponit capiti, & cervici illius qui ordinatur, &c.*

Ex his patet antiquum eſſe ritum illum, quo Evangelium Ordinando Epiſcopo imponitur: at verò ritus ille, quantumvis antiquus, haberi tamen non poteſt pro materia eſſentiali ordinationis Epiſcopalis. Primò, quia multæ Eccleſiæ, Alexandrina, Gallica, & Germanica Epiſcopos ſuos hac omiſſâ ceremoniâ ordinarunt. Secundò, quia nequidem Eccleſia Romana illam cæremoniam ſemper adhibuit, ſaltem ſi Alcuino, & Amalario credimus, quorum primus libro de Divinis Officiis, titulo *Qualiter Epiſcopus ordinetur in Eccleſia Romana*, & ſecundus *libro* 2. *de Officiis Eccleſiaſticis, cap.* 14. dicunt quod ritus ille non reperitur, neque in authoritate veteri, neque nova, ſed neque in Romana traditione. Tertiò, quia apud S. Iſidorum *lib.* 2. *cap.* 5. *de divinis officiis*, nullum pariter de illa verbum habetur, unde conjicitur neque in Hiſpania illam fuiſſe in uſu. Quartò, quia in ordinatione Cæciliani carthaginenſis Archiepiſcopi unius manuum impoſitionis fit mentio.

Tertius ritus eſt unctio, cujus uſus in Epiſcoporum ordinationibus eſt valdè antiquus, præſertim in Gallia; nam teſte Morino *lib. de ſacris ordinationibus, exercitat.* 6. c. 2. antiquus Ritualis liber in Gallia ante mille & centum annos ſcriptus illius meminit. Tardiùs uſurpata fuit hæc unctio in Hiſpania, in Africa autem non videtur fuiſſe unquam in uſu, ſicut neque in Orientali Eccleſia; nam quoties unctionis meminerunt Patres Græci, unctionem materialem, non ſpiritualem uſurpant: quapropter unctionem illam non eſſe eſſentialem Epiſcopatus materiam convincitur.

Quartus ritus eſt traditio baculi, aut annuli, quam non

non eſſe materiam eſſentialem Epiſcopatus, probatur primò, quia de illa apud omnes SS. PP. ante Gregorium magnum nulla habetur mentio. Secundò, quia nullus eſt illius apud Græcos uſus, adeò ut Græci Latinos ſugillent, quòd annulos corporaliter geſtent. Tertiò, quia olim annulus & baculus tradebantur antequam Epiſcopus ordinaretur, ut conſtat ex codice Ratholdi.

Reſtat igitur, ut ſola manus impoſitio ſit materia eſſentialis Epiſcopatus, & reverà quoties Sancti Patres Epiſcopatus cauſam & rationem allegant, toties ad manus impoſitionem confugiunt.

Quæritur quænam ſit forma Epiſcopatus.

Certum eſt, formam Epiſcopatus eſſe invocationem Spiritus ſancti; aiunt enim Sancti Patres, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & alii paſſim, ordinationem duobus perfici, manuum impoſitione, & imprecatione vocis: non eſt autem neceſſe, ut hæc Spiritus ſancti invocatio fiat per hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum*: primò, quia hæc verba antiquitus non proferebantur; unde Divus Auguſtinus probabat Chriſtum fuiſſe Deum, quòd diſcipulis ſuis Spiritum Sanctum dediſſet. *Quomodo*, inquit, *Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? Imò quantus Deus eſt, qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant: quem morem in ſuis Præpoſitis etiamnum ſervat Eccleſia.* Præterea hæc verba in nullis veteribus Sacramentariis, & Pontificalibus inveniuntur, adeo ut vix ab annis quadringentis cœpta ſint uſurpari. Tertiò apud Græcos alia verba proferuntur, ſive verba illa ſint *divina gratia, quæ ſemper infirma curat, &c.* ut opinatur Arcudius, ſive potiùs quædam alia oratio, quæ in Eucologio Græcorum ſubſequitur.

Dices: Ex Concilio Tridentino in ordinatione non fruſtrà dicitur: *Accipe Spiritum ſanctum*. Ergo ex Concilio Tridentino hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, ſunt forma ordinationis.

Reſpondeo negando conſequentiam; nam in hoc canone non definit Concilium quænam ſint verba, in quibus ordinationis forma conſiſtat, ſed definit tantùm Spiritum ſanctum dari virtute ordinationis.

De inſtitutione Epiſcoporum.

Epiſcopos Chriſtus inſtituit, dum Petro, & cæteris Apoſtolis plenam contulit Sacerdotii poteſtatem. *Hoc à Chriſto docemur*, ait S. Baſilius conſt. monaſt. c. 22. *dum Petrum Eccleſiæ ſuæ paſtorem poſt ſe conſtituit, Petre, inquit, amas me plus his? Paſce oves meas. Et omnibus deinceps Paſtoribus ac magiſtris eandem tribuit poteſtatem: cujus quidem rei ſignum eſt, quod omnes, ſimiliter atque ille & ligent & ſolvant.*

Quanquam autem eandem omnibus Apoſtolis poteſtatem Chriſtus tribuerit; *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur.* S. Cyprianus *lib. de unitate Eccleſiæ.*

Apoſtoli prædicta authoritate præditi Evangelium annunciare cœperunt in primariis civitatibus, ut fides in illis ſtabilita ad minores urbes faciliùs propagaretur. Id apparet ex actibus Apoſtolorum, & ex epiſtolis Sanctorum Petri & Pauli, quæ ad præcipuas urbes ſcriptæ fuerunt, ut ad Romanos, ad Theſſalonicenſes, ad Corinthios, &c. Unde factum eſt, ut illarum urbium magna ſemper in Eccleſia fuerit authoritas in dubiis quæ exoriebantur diſſolvendis. Id nos docet Tertullianus lib. de præſcript. cap. 36. *Proximè eſt tibi Achaia*, inquit: *habes Corinthum. Si non longè à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam.*

De Eccleſiis Patriarchalibus & Metropolitanis.

Porrò inter illas Eccleſias Metropolitanas, maximè celebres fuere Eccleſiæ Romana, Alexandrina, & Antiochena, quarum jus ibidem vindicat Concilium ſuprà relatum. *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque provincias ſuis privilegia conſerventur Eccleſiis.*

Eandem prædictarum Eccleſiarum præeminentiam non ſolùm aſſerit Gelaſius in Concilio Romano, anno 494. ſed præterea ejus præeminentiæ cauſam affert. *Quamvis*, inquit, *univerſa per orbem Catholica Eccleſia unus thalamus Chriſti ſit, ſancta tamen Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Evangelica voce Domini & Salvatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es Petrus, & ſuper, &c. Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes Romana Eccleſia, ſecunda autem ſedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco ejus diſcipulo & Evangeliſta conſecrata eſt, ipſeque à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, & glorioſum conſummavit martyrium: tertia verò ſedes apud Antiochiam ejuſdem Beati Apoſtoli Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic priuſquàm Romam veniſſet, habitavit, & illic primùm nomen Chriſtianorum novellæ gentis exortum eſt.*

Magna ergo ſemper fuit prædictarum Sedium authoritas, ſed Sedis Romanæ præſertim: nam ut ait Optatus lib. 2. *Negare non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur.* Hinc ſummus Pontifex Julius, *cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuam Eccleſiam reſtituit.* Sozomenus *lib. 5. cap. 7.*

De titulis Patriarchæ, Archiepiſcopi, Exarchæ, &c.

Ex ſuperiùs dictis patet, quod Epiſcoporum omnium dignitas non ſit communis, licèt ordo ſit generalis: *magna enim diſpoſitione proviſum eſt, ne omnes omnia ſibi vindicarent, ſedeſſent in ſingulis provinciis ſinguli, quorum inter fratres prima haberetur ſententia, & rurſus quidam in majoribus urbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem univerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil uſquam à ſuo capite diſſideret.* S. Leo *epiſt.* 84.

Hinc Epiſcopi, apud quos varia reſidet authoritas, variis etiam nominibus fuerunt inſigniti: alii enim Archiepiſcopi, ſive primi Epiſcopi, alii Exarchæ, alii Patriarchæ dicti ſunt. Cùm autem hæc nomina non ſemper in uſu fuerint, ubi uſurpari cœpere, à multis etiam cœpere condemnari; vult enim Concilium III. Carthaginenſe, can. 26. *Ut primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut ſummus Sacerdos, ſed tantùm primæ Sedis Epiſcopus.* Et S. Gregor. lib. 6. epiſt. 24. *Si unus Epiſcopus vocatur univerſalis, univerſa Eccleſia corruit.* Et lib. 7. epiſt. 30. *Si univerſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum.*

Verùm ſatis apparet prædicta vocabula eo tantùm ſenſu fuiſſe condemnata, ſecundùm quem ambitionem & faſtum præ ſe ferebant; quocirca procedente tempore homines hiſce nominibus aſſueti, & illa benigniùs interpretati, minùs illis reſtiterunt.

Ex omnibus hiſce titulis antiquiſſimum eſt Metropolitani nomen, quod etiamnum maximè commune eſt: quare de Metropolitanorum jure pauca dicenda ſunt.

De Metropolitanorum jure.

Primum & præcipuum Metropolitanorum jus eſt poteſtas Epiſcopos inſtituendi & conſecrandi. *Si quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus E-*

piſcopm, hunc magna Synodus definit Epiſcopum eſſe non oportere. Concilium Nicænum can. 6.

Ex illo primo Metropolitanorum jure factum eſt, *ut tanquam pater filiu honore primatem aſſiſteret, & ut Metropolitanus, tanquam pius pater Conſacerdotes ſuos honoret ut filios, & Sacerdotes tanquam boni filii eundem habeant ut parentem.* Concilium Taurinenſe *can.* 1. ubi per Sacerdotes intelligi debent Epiſcopi, qui à Proculo Maſſilienſi, cujus jus examinabatur, fuerant ordinati.

Hinc factum eſt primò, *ut firmitas eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo,* juxta Concil. Nicæn. *can.* 4. Secundò, *ut nec ullis liceat Synodos* (id eſt Concilia provincialia,) *per ſe facere, præter eos quibus credita ſunt Metropoles.* Concil. Antioch. *can.* 20. Tertiò, ut nullus Epiſcopus *ad Imperatorem ſe conferat, niſi cum deliberatione & ſententia Metropolitani provinciæ, & Epiſcoporum,* ut ſtatuitur *ibid. can.* 11. Quartò, ut communicatorias litteras examinent, & ſuo teſtimonio comprobent. Concil. Eliberinum *can.* 58. Quintò, ut Presbyter aut Diaconus, *qui ejicitur, poteſtatem habeat confugiendi ad Epiſcopum Metropolis ejuſdem provinciæ.* Sextò, *ut ſingulas provincias tempore Concilii viſitet Metropolitanus.* Ita *eod. can. Eccl. Afric.* Septimò, *ut ſi fuerit defunctus Epiſcopus, viſitatorem ipſi viduatæ deſignet Eccleſia.* Hincmar. *opuſc.* 55. *cap.* 6.

Porrò non eadem ſemper fuit Epiſcoporum poteſtas; variis enim temporibus varia accepit aut decrementa, aut incrementa, prout ſcilicet Eccleſiæ neceſſitas poſtulavit, & divina ordinavit providentia.

Hoc certè tempore hæc ſunt Metropolitanorum jura à Concilio Tridentino confirmata. Primò Metropolitanus ſuffraganeos Epiſcopos abſentes ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda, infrà tres menſes per litteras, ſeu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur, *ſeſſ.* 6. *de reform. c.* 1.

Secundò debet Metropolitanus legitimæ abſentiæ ſuffraganeorum à ſua Eccleſia cauſas in ſcriptis approbare, *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 1.

Tertiò debet Metropolitanus cum Concilio provinciali judicare de licentiis à ſe, vel à ſuffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis canonicis errantes puniantur curare, *ibid.*

Quartò debet Archiepiſcopus acriter corripere Epiſcopos, qui in Seminarii erectione negligentes fuerint, & illos cogere, ut quamprimùm hoc ſanctum, & pium opus promoveant, *ibid. cap.* 18.

Quintò debet Metropolitanus (negligente illud Capitulo) Sede vacante œconomum & vicarium, ſive officialem conſtituere, vel exiſtentem confirmare, *ſeſſ.* 24. *cap.* 10.

Sextò tenetur Metropolitanus quolibet ſaltem triennio Synodum in provincia ſua cogere, *ibid. cap.* 2.

Septimò, ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit exſtirpandus, vel omninò aliqua gravior quæſtio accidat, Epiſcopus antequam controverſiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio provinciali ſententiam expectet, *ſeſſ.* 25. *decreto de invocat. Sanctorum.*

Octavò, ſi in aliqua provincia Eccleſiæ nimia paupertate laborent, Metropolitanus cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in Eccleſia Metropolitana vel alia commodiori unum, aut plura collegia erigenda curabit, ubi pueri illarum Eccleſiarum educentur, *ſeſſ.* 23. *cap. ult.*

Nonò, ſi quæ Parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ monaſteriis in nulla diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates, & Regulares Prælati in docendis populis negligentes fuerint, à Metropolitanis, in quorũ provinciis diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam quoad hoc Sedis Apoſtolicæ delegatis compellantur, *ſeſſ.* 5. *cap.* 2.

Decimò, ſi monaſteria, quæ Generalibus Capitulis, aut Epiſcopis non ſubſunt, negligant ſeſe in Congregationes redigere, liceat Metropolitano tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato eos prædictis cauſis convocare, *ſeſſ.* 25. *cap.* 8.

De electione Epiſcoporum.

Ex iis quæ dicta fuerunt ſuperiùs, ſatis apparet Metropolitanorum, & comprovincialium Epiſcoporum eſſe Epiſcopos eligere; penes illos enim reſidet jus Apoſtolorum, quorum ſunt ſucceſſores: nihilominus propter rationes, quas attulimus cùm Clericorum inſtitutionem proſequeremur, poteſtas eligendi Epiſcopos penes univerſum Clerum, cæteramque plebem diutiùs remanſit; ſed cùm ejuſmodi electiones à plebe & ab univerſo Clero factæ multis ſcaterent malis, varia etiam ſubinde adhibita ſunt remedia, quouſque tandem per concordata inter Leonem X. & Franciſcum Primum Francorum Regem, poteſtas Epiſcopos nominandi ad Regem, & eoſdem confirmandi ad ſummum Pontificem in Galliis devoluta eſt

De electione Summi Pontificis.

Summus Pontifex, ut & alii Epiſcopi, per undecim integra ſæcula Cleri & Populi ſuffragiis electus eſt; unde cùm Innocentius II. à nonnullis tantùm Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus abſque reliqui Cleri populique conſenſu ad Petri Sedem aſſumptus eſſet, ejus electioni acriter ſe oppoſuit Portuenſis Epiſcopus, qui cum Clero & populo alium Pontificem elegit, Anacletum dictum. Prævaluit tamen Innocentii electio, primo ob favorem Lotharii, quem ex Rege in Imperatorem Innocentius creavit. Secundò, quia Anacletus malè ſe gerendo bonos à ſe averterat. Tertiò, quia Sanctus Bernardus, magni nominis vir, Innocentii partes tuebatur. Quartò, quia Innocentii electio ſanior erat, utpote à ſanioribus & pluribus Cardinalibus facta. Quintò quia Innocentius priùs fuerat electus.

Hæc Innocentii II. electio à ſolis Cardinalibus facta, Innocentium movit ut electionem Papæ ſolis Cardinalibus in poſterum reſervaret: quod Innocentii decretum confirmavit Synodus œcumenica Conſtantienſis, adeo ut nunc non ampliùs Clerus & Populus Romanus, ſed ſoli Cardinales in electione Summi Pontificis vices gerant totius Eccleſiæ.

De ordinatione, ſive conſecratione Epiſcoporum.

Concilium Nicænum *can.* 4. decernit, ut Epiſcopus ordinetur *ab omnibus aliis, ſi fieri poſſit, provinciæ Epiſcopis; ſin minus, à tribus ſaltem congregatis, accedentibus reliquorum abſentium ſuffragiis una cum Metropolitani conſenſu.* Hanc Concilii Nicæni conſtitutionem confirmavere ſubſequentia Concilia, adeo ut Joannes III. *Epiſt. unica,* dixerit, *omnia maxima Concilia affirmare, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs quàm à tribus Epiſcopis fuerit factus Epiſcopus.*

Hinc factum eſt, ut Cajetanus, Bellarminus, Vaſques, & alii crediderint, Epiſcopi ordinationem irritam eſſe, quæ minùs quàm à tribus Epiſcopis fieret, niſi ſaltem Eccleſiæ diſpenſatio adveneri. Longè tamen probabilius eſt, Epiſcopum validè, licèt illicitè ab uno tantum Epiſcopo poſſe ordinari.

Primò, quia fieri vix potuit, ut Apoſtoli varias provincias peragrantes, & novos ſubinde Epiſcopos procreantes, tantam Epiſcoporum copiam ſemper haberent.

Secundò, quia canon primus Apoſtolorum vult, ut *Epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur.*

Tertiò, quia S. Dionyſius *lib. de Hier. Eccl.* Epiſcopalem inaugurationem deſcribens, unius Epiſcopi conſecrantis meminit. Hinc in veteri Ordine Romano unus ſolùm Epiſcopus conſecrator nominatur: quapropter non malè aliqui conjiciunt, Epiſcopos conſecratori aſſiſtentes, non tam ad ordinationis vali-

validitatem requiri, quàm ad illius pompam & ſolennitatem.

SPECULATIO. II.

De Preſbyteratu, & primò de illius materia & forma.

Ex iis quæ dicta ſunt de Sacramento Ordinis in genere, apparet primò Preſbyteratum eſſe verè Ordinem: ſecundò, materiam illius eſſentialem eſſe manuum impoſitionem: tertiò materiam illius accidentalem eſſe porrectionem inſtrumentorum: quartò formam eſſe ea verba, quæ Epiſcopus profert cùm manus imponit.

Cùm autem in ordinatione Preſbyterorum triplex ſit manuum impoſitio, dubium eſſe poteſt quænam ex illis ſit materia eſſentialis Preſbyteratus. Prima manus impoſitio illa eſt, quâ Epiſcopus & omnes preſbyteri adſtantes imponunt ſucceſſivè ambas manus ſuper caput cujuslibet ordinandi. Secunda immediatè ſequitur, & eſt illa quâ tam Pontifex, quàm Sacerdotes tenent manus dexteras extenſas ſuper ordinandos, Epiſcopo dicente: *Oremus fratres chariſſimi, &c.* Tertia manuum impoſitiò illa eſt, quâ poſt communionem, Epiſcopus imponit ambas manus ſuper capita ſingulorum, dicens: *Accipe ſpiritum ſanctum, &c.*

Scholaſtici qui impoſitionem manuum pro materia eſſentiali Ordinationis admittunt, hanc tertiam manuum impoſitionem ferè omnes uſurpant: verùm in hoc falli videntur. Primò quia illa mille & ducentis annis in Eccleſia incognita fuit, nulla enim illius fit mentio in antiquis Authoribus, aut in antiquis Ritualibus: imò Joannes Major qui ſcribebat anno 1516. *diſt.* 24. *quæſt.* 7. poſtremam hanc manuum impoſitionem ex eo probat ad Preſbyteratus ſubſtantiam non pertinere, quòd aliqua Paſtoralia, inquit, hanc non habeant, nec ſit probabile quod deficerent in aliquo tam neceſſario ad Sacramentum. Secundò Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *can.* 3. docet Extremæ Unctionis miniſtros Epiſcopos eſſe, *aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum Preſbyterii.* Impoſitio autem manuũ Preſbyterii non eſt poſtrema manus impoſitio, cùm in illa ſolus Epiſcopus manum imponat. Tertiò, quia hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum,* quæ in ultima manuum impoſitione proferuntur, non ita pridem cœperunt in Eccleſia uſurpari: illa certè ævo S. Auguſtini non fuiſſe uſurpata, evidens eſt, cùm D. Auguſtinus probet, Chriſtum eſſe Deum, quòd Spiritum ſanctum dederit: *Quomodo,* inquit, *Deus non eſt qui dat Spiritum Sanctum? Imò quantus Deus eſt qui dat Deum? Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum; orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Ita Sanctus Doctor *lib.* 15. *de Trin. cap.* 26.

Hæc cùm ita ſint, ſupereſt ut prima, aut ſecunda manus impoſitio, quâ tam Epiſcopus, quàm Preſbyteri adſtantes tenent manus dexteras extenſas ſuper ordinandos, pro materia eſſentiali Preſbyteratus conſtituatur, oratio autẽ quæ immediatè poſt legitur, nempe: *Oremus fratres chariſſimi, &c.* ſit forma ejuſdẽ Preſbyteratus; hæc enim oratio antiquiſſima eſt, & in omnib⁹ fermè Ritualibus antiquis reperitur.

Oſtenditur Preſbyteros eſſe Epiſcopis inferiores.

Hac ſuper re tres evulgari ſolent ſententiæ. Prima eſt Aerii, qui ægrè ferens Epiſcopatum ſuiſſe ſibi denegatum, hanc Arianiſmo, quem profitebatur, hæreſim adjunxit, Epiſcopum à Preſbytero nihil differre. Hæc ſunt illius verba: *Nullum inter utrumque diſcrimen eſt, eſt enim amborum unus Ordo, par & idem ordo ac dignitas: manus imponit Epiſcopus, imponit & Preſbyter: baptizat Epiſcopus, idem facit & Preſbyter: œconomiam latria adminiſtrat Epiſcopus, non minus id facit & Preſbyter: Epiſcopus in throno ſedet, ſedet & Preſbyter.* Ut autem hæretici illius errorem confutaret ſanctus Epiphanius, Preſbyteros inter & Epiſcopos hoc ſtatuit diſcrimen, *quod Ordo Epiſcoporum ad procreandos Patres præcipuè pertineat, Preſbyter autem filios Eccleſiæ regenerationis lotione producat, non tamen Patres, aut magiſtros.* Sic Epiphan. *hæreſ.* 75. *num.* 3.

Secunda ſententia eorum eſt, qui Preſbyteros inter, & Epiſcopos aliquam quidem diſtinctionem admittunt, ſed ex jure tantùm Eccleſiaſtico exortam, ut ſcilicet hac ratione ſcandala & ſchiſmata vitarentur. Hanc ſententiam videtur edocuiſſe Sanctus Hieronymus dum ſic loquitur in epiſtola ad Evagrium: *Quod autem unus poſtea electus eſt qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* Et *in comment. in epiſt. ad Tit.* hæc dicit: *Sicut ergo Preſbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Preſbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cùm haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, ſeptuaginta elegit cum quibus populum judicaret.*

Hæc & quædam ſimilia habet D. Hieronymus, quorum causâ Michael Medina non dubitavit Divum Hieronymum in invidiam dogmatis Aëriani trahere, at temerè & imprudenter: ſi enim diligentiùs inquiratur Divi Hieronymi mens, neque aliqua ejus verba ſeorſim, ſed tota ejus doctrina ſimul conſpiciatur [quod ſcilicet in exploranda Authoris cujoslibet ſententia ſemper debet obſervari,] apparebit aliam prorſus eſſe S. Hieronymi mentem; nam primò ait, Epiſcopum Preſbyteris præpoſitum fuiſſe *in ſchiſmatis remedium*, cùm ſcilicet Fideles dicerent, *Ego ſum Pauli, Ego Apollo, ego autem Cephæ,* nempe in ipſo Chriſtianiſmi initio, unde præſumendum eſt id mandato divino factum fuiſſe: quis enim quod omnium Apoſtolorum conſilio factum eſt expreſſæ authoritati divinæ non imputabit? Hoc principium ſi quaſſes, vix erit aliquid in Sacramentis, ut cætera omittam, quod probari poſſit eſſe Juris Divini: præterea clarius etiam illud apparebit, ſi conſideretur Chriſtum Eccleſiæ authorem ea inſtituiſſe cenſeri debere, quæ ad vitanda ſchiſmata neceſſaria eſſe prævidebat. Id nos docet idem Divus Hieronymus *lib.* 1. *adverſ. Jovin,* ubi ſic loquitur: *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licèt id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Secundò ait Divus Hieronymus, Apoſtolis Epiſcopos tantùm, ſed etiam Preſbyteros ſucceſſiſſe. *Epiſcopi, inquit, & Preſbyteri habeant in exemplum Apoſtolos & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum.* D. Hier. *Epiſt. ad Paulin. de inſtit. monach.* Verùm hoc non impedit quominus Epiſcopi ſint etiam Jure Divino Preſbyteris ſuperiores; nam ut ait idem Hieronymus epiſt. ad Evagrium, *quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Preſbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Ergo juxta Divum Hieronymum, ſicut Aaron, ſupremus nempe Pontifex, cæteris Preſbyteris erat Jure Divino ſuperior, ſic in lege Evangelica Epiſcopi jure Divino ſunt Preſbyteris ſuperiores: neq; contrariũ evincitur ex D. Hieronymi verbis ſuperiùs relatis: *Epiſcopos ſcilicet Preſbyteris eſſe majores, magis conſuetudine, quã diſpoſitionis Dominicæ veritate.* Non enim his verbis Dominĩ diſpoſitionẽ abſolutè excludit, quanvis magis referat ad conſuetudinẽ Eccleſiæ, quàm ad Dominicam diſpoſitionem. Id autem dicit D. Hieronymus, quia in primitiva Eccleſia Epiſcopi ſimul cum Preſbyteris in commune omnia gerebant; unde aliqua ratione Epiſcopi & Preſbyteri pares erant in regimine, licèt poteſtas ſuprema apud Epiſcopum ſemper remaneret. Nam ut fatetur ipſe Hieronym⁹ Epiſcopus ſol⁹ ordinandi obtinet poteſtatẽ. *Quid enim* [ait Epiſt. ad

Evag.) *facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Quæ tamen Divi Hieronymi verba ita intelligi debent, ut eadem quidem faciant, excepta ordinatione, Epiſcopus & Presbyter, ſed non eum pari poteſtate; nam Epiſcopus munia ſua exequitur cum plena poteſtate, Presbyter verò non niſi cum dependentia ab Epiſcopo. Tertia ſententia aſſerit Presbyteros eſſe Jure Divino Epiſcopis inferiores. Hanc ſententiam omnium Patrum calculis comprobatam ſub anathemate definivit Concilium Tridentinum *ſeſſione* 23. *can.* 6. his verbis: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, anathema ſit. Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, anathema ſit.* Ita ibid. *can.* 7.

Presbyteros teneri Epiſcopis ſuis obedire.

Cùm plena Sacerdotii poteſtas in Epiſcopis reſideat, Presbyteri verò aliquam duntaxat illius portionem, eamque limitatam obtineant, fit ut Epiſcopalis dignitas, ut ſumma & in ſuo genere perfecta, juriſdictionem neceſſariò complectatur, nec ſine ea conſiſtat non magis quàm regia dignitas; Sacerdotalis autem, utpote imperfectior & Epiſcopali ſubjecta, ullam per ſe juriſdictionem nec includat, nec exigat. *Non licitum eſt ſine Epiſcopo neque baptizare, neque agapen facere.* S. Ignat. *epiſt. ad Smyrn.* Epiſt. ad Magneſ. *Quemadmodum*, inquit, *Dominus ſine Patre nihil fecit unitus exiſtens, ſic nec vos ſine Epiſcopis, nec Presbyter, nec Diaconus.*

Hinc vel jam ſatis apparet, quæ & quanta eſſe debeat obedientia, quam Presbyteri Epiſcopis ſuis debent. Verùm id evidentiùs adhuc apparebit, ſi conſideretur unumquemque Presbyterum in ordinatione ſua publicè profiteri, ſe Pontifici ſuo velle ſemper obedire, adeo ut jam illis non liceat publicam illam profeſſionem ſine ſacrilegio violare.

De Chorepiſcopis.

Quanquam Epiſcopi longè ſunt Presbyteris & dignitate, & juriſdictione ſuperiores, eam tamen poteſtatis ſuæ partem quibuſdam Presbyteris Epiſcopi communicarunt, ut dubium ſit apud multos, an Presbyteri illi qui Chorepiſcoporum nomine inſigniebantur, non fuerint verè Epiſcopi, hac præcipuè ratione, quod Chorepiſcopis Presbyteros & Diaconos ordinandi videatur poteſtas fuiſſe concreſſa.

Verùm cùm non liceat *in villulis, vel in agris conſtituere Epiſcopos*, juxta Concilium Laodicenum *can.* 57. Chorepiſcopi verò in villulis, vel in agris tantùm conſtituerentur, patet Chorepiſcopos non fuiſſe verè Epiſcopos. Præterea *Chorepiſcopum civitatis Epiſcopus ordinabat, cui ille ſubjectus eſt*, ut ait Concilium Antiochenum *can.* 10. cùm tamen Epiſcopus juxta Concilium Nicænum *can.* 4. conſtitui & ordinari debeat *ab omnibus aliis, ſi fieri poſſit, Eccleſiæ provinciis; ſin minùs, à tribus ſaltem congregatis accedentibus reliquorum abſentium ſuffragiis unà cum Metropolitani conſenſu.*

Poterat tamen fieri, ut aliqui è Chorepiſcopis Epiſcoporum dignitatem obtinerent, nō quà Chorepiſcopi erant, ſed aliunde: quod varia ratione contingebat. Primò, quando aliquis contra Canones ordinabatur. Secundò, quando Epiſcopus aliquis ex hæreſi ad Eccleſiam revertebatur. Tertiò, quando Epiſcopus legitimè ordinatus à plebe ſibi commiſſa recipi non poterat; ejuſmodi enim Epiſcopis Chorepiſcopatus gradus & poteſtas ſæpiùs conferebatur.

Quare de ejuſmodi Chorepiſcopis, qui ſimul erant Epiſcopi, intelligi debent verba Patrum, aut Conciliorum, quæ Chorepiſcopis ordinandorum Diaconorum, aut etiam Presbyterorum videntur poteſtatem concedere.

Porrò Chorepiſcopi, quatenus Chorepiſcopi, primò Presbyteris & Eccleſiis ruris exiſtentibus præficiebantur. *Si qui ſunt in vicis vel pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, ::: ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent.* Concilium Antioch. *can.* 10. Secundò Subdiaconos poterant ordinare, & cæteros minores Ordines conferre. *Conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotione contenti ſint.* Ita ibid. Concilium. Tertiò inſtituti erant propter ſollicitudinem pauperum: quartò erant vicarii Epiſcoporum. Ea omnia Chorepiſcoporum munia breviter & dilucidè complectitur S. Iſidorus *lib.* 2. *de Officiis Eccleſiaſticis, cap.* 6 his verbis: *Chorepiſcopi, id eſt vicarii Epiſcoporum, juxta quod Canones ipſi teſtantur, inſtituti ſunt ad exemplum ſeptuaginta Seniorum, tanquam Sacerdotes, propter ſollicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas.* Addit Rabanus Maurus *lib.* 1. *de inſtitutione Clericorum, cap.* 5. confirmandi munus fuiſſe illis conceſſum. *Ordinati ſunt*, inquit, *Chorepiſcopi propter pauperum curam, qui in agris & villis conſiſtunt, ne eis ſolatium Confirmationis deeſſet.*

Chorepiſcoporum mentio fit in Conciliis Ancyrano, & Neocæſareenſi, in quibus cùm non agatur de Chorepiſcopis creandis, ſed de eorum authoritate exercenda, manifeſtum eſt Chorepiſcoporum Ordinem in Oriente fuiſſe antiquiſſimum, ut qui circiter annum 270. vigere cœperit: in Occidente verò multò ſeriùs hic gradus invaluit; prima enim illius mentio habetur in Concilio Rhegienſi anno 439. celebrato. Cùm autem Chorepiſcoporum dignitas adeo in dies invaleſceret, ut ipſis etiam Epiſcopis evaderet formidabilis, paulò poſt nonum ſæculum tam in Oriente, quàm in Occidente penitus fuit abrogata.

De Archipresbyteris.

Primis Eccleſiæ temporibus Archipresbyter, ſive primus Presbyter dicebatur, qui ordinatione Presbyterali cæteros antecedebat, ut manifeſtè apparet ex epiſtola 57. S. Leonis, ex epiſtola 9. Gelaſii, & ex Concilio Milevitano *can.* 13. cujus hæc ſunt verba: *Litteras accipiant ab ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.*

Aliquando tamen major habebatur ratio meriti, quàm ordinationis priùs factæ: ſic D. Baſilius primum inter ſuos Presbyteros locum D. Gregorio Nazianzeno voluit concedere.

Archipresbyterorum munia erant primò viduarum, pupillorum ac peregrinorum gubernationem agere. Conc. IV. Carthag. *can.* 17. Secundò juniores Clericos coërcere. Concil. Turon. *can.* 19. Tertiò in Concilio provinciali Epiſcopi vicem gerere. Conc. Emeritenſe *can.* 5. Quartò Epiſcopo abſente Miſſarum ſolennia celebrare. S. Iſidor. *epiſt. ad Ludifred.* Quintò ordinandos Epiſcopis præſentare. Conc. Nannet. *can.* 11.

De Parochis.

Cùm in Eccleſiæ primordio exiguus eſſet Fidelium numerus, non in villis, aut in agris, ſed in urbibus tantùm, & quidem in unaquaque urbe unica erigebatur Eccleſia; hinc teſte S. Juſtino *apol.* 2. Solis die *omnium qui in urbibus, vel in agris degunt in eundem locum conventus fiebat, &c. Propoſitas preces, & Euchariſtias faciebat, &c. Diſtributio fiebat cuique præſenti, abſentibus per Diaconos mittebatur.*

Tunc ſcilicet temporis, ut majori cautelâ Eccleſiæ ſervaretur unitas, Epiſcopus ſolus Miſſam celebrabat, & ex Epiſcopi manu & Laici, & Clerici omnes, imò etiam Presbyteri Euchariſtiam recipiebant. Id apparet ex *lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtol. cap.* 13. ubi

hæc

hæc leguntur : *Poſtea communicet Epiſcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, &c.* Hunc etiam morem ſupponit conon 8. Apoſtol. *Si quis*, ait, *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius Ordinis Eccleſiaſtici, oblationis facta particeps non extiterit, cauſam dicito, & ſi juſta fuerit, veniam conſequatur ; ſin minus, à conſortio ſegregetur, ut auther offenſionis factus populo, & ſuſpicionem præbens in offerentem.* Mos ille etiam multò poſt tempore in Eccleſia aliquà ſaltem ratione perſeveravit; ſiquidem in Ordine Romano, *cap.* 2. hæc leguntur: *Si quando Epiſcopus feſtivis diebus Miſſam celebrare voluerit, &c.* Presbyteri & *Diaconi oſculando Epiſcopum , corpus Chriſti ab eo manibus accipiant in ſiniſtra parte Altaris communicaturi; Subdiaconi autem oſculando manum Epiſcopi, ore accipiant corpus Chriſti ab eo. Poſtquam verò Diaconi in ſiniſtro cornu Altaris de ſanguine Chriſti communicarunt, venientes Subdiaconi ordinatim, accipiant ſanguinem Chriſti ab Archidiacono, manus ejus oſculantes.*

Procedente verò tempore , cùm creviſſet Fidelium numerus , plures Eccleſiæ in eadem urbe cœperunt inſtitui, ita tamen ut Presbyteri, quibus illarum Eccleſiarum cura committebatur, in illis Eccleſiis Miſſæ celebrandæ poteſtatem non haberent , ne ſcilicet aliqua ſchiſmatis præberetur occaſio. *Illarum Eccleſiarum Presbyteri*, ait Innocent. I. epiſt ad Decent. *quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt , idcirco fermentum à nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut ſe a noſtra communione maximè in illa die non judicent ſeparatos*

Cùm tandem impoſſibile eſſet Epiſcopoa omnia ſua monia per ſe implere, quædam illorum Presbyteria conceſſerunt. Unde Presbyteri Miſſas celebrare cœperunt : ne tamen Presbyteri occaſionem inde arriperent in Epiſcopum inſurgendi , *fermentum ab Epiſcopo conſecratum* etiam tum tenebantur accipere, ut apparet è vita Syricii Papæ, in qua hæc habentur : *Hic conſtituit, ut nullus* Presbyter *Miſſas celebraret per omnem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſciperet declaratum, quod nominatur fermentum.*

Non ſolùm autem Miſſas celebrare , ſed omnia fermè exequi, quæ ab Epiſcopis antea fiebant, ſi unam ordinationem excipias , Presbyteris fuit permiſſum, ita ut tamen Presbyteri in illis muniis exequendis ab Epiſcopo dependere ſe ſemper agnoſcerent. *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, virginem non conſecret.* Concil. Carthag. III. *can.* 32. Et *can.* 36. *Statutum eſt , Diaconum non chriſmare , ſed Presbyterum abſente Epiſcopo; præſente verò, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Concilium I. Toletant. can. 2. *Propter reprobos, & perverſos mores à Presbytero ſuo excommunicatus.* D. Auguſt. epiſt. 255. *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi , dicente ſibi Presbytero : Vide ut quod ore cantas, &c.* Concil. Carthag. IV: can. 10. *Accepta ab Epiſcopis poteſtate, Presbyteri nonnulli coram Epiſcopis populis tractare cœperunt verbum Dei.* Poſſidius in vita Auguſtini, *cap.* 5. Apparet itaque, Presbyteris olim conceſſum fuiſſe primò pœnitentes reconciliare : ſecundò virgines conſecrare : tertiò chriſmare, ſeu confirmare : quartò excommunicare : quintò minores Ordines conferre : ſextò tandem prædicare. Unde meritò diximus , omnia fermè Epiſcoporum munia fuiſſe ipſis , & Presbyteris communia, neq; in hoc aliqua ratione læſa fuit Epiſcoporũ authoritas, cùm ut dixim⁹, Presbyteri ejuſmodi munia non potuerint abſque Epiſcopi licentia adimplere.

Ex muniis ſupradictis poteſtatem confirmandi per Eccleſiam univerſam nunquam obtinuerunt Presbyteri, ſed in quibuſdam duntaxat Eccleſiis; poteſtatem verò excommunicandi ſenſim etiam amiſerunt, ut manifeſtè apparet ex iis quæ habet D. Thomas *Supplem. quæſt.* 22. *art.* 1. ubi ait probabilius eſſe Presbyteros non poſſe propria authoritate excommunicare, licèt alii Theologi oppoſitum teneant,

Cenſura Facultatis Pariſienſis anno 1408 lata Parochorum munia & inſtitutionem evidenter exponit. *Domini curati*, inquit, *ſunt in Eccleſia minores Prælati & Hierachæ ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ex ſtatu jus prædicandi , jus confeſſiones audiendi , jus Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrandi, jus ſepulturas dandi, jus inſuper decimas, & alia jura parochialia recipiendi : item jus prædicandi, & jus confeſſandi competunt Prælatis & Curatis principaliter & eſſentialiter, & Mendicantibus de per accidens, ex privilegio, &c.*

Eadem Pariſienſis Facultas in alia cenſura à ſe lata declaravit Parochorum munus eſſe inſtitutionis divinæ. Quod perpendens Petrus Aurelius *tom.* 2. *pag.* 225. ait· *Parochorum officium, ſi minùs inſtitutionis divinæ ſeorſum in ſe eſt, at eſt in Epiſcopo, quia in Epiſcopo incluſum à Chriſto eſt, ut in fonte ac plenitudine Eccleſiaſtica & hierarchica poteſtatis , cujus Parochialis poteſtas eſt decidua pars ab Epiſcopo in Parochum, ut à Fonte in rivum transfuſa, ſine detrimento tamen, aut imminutione, &c.*

Speculatio III.

De Diaconis, & primò de Diaconatus materia & forma.

EX dictis de materia ordinationis in genere patet, quænam ſit materia Diaconatus, tum apud Latinos, tum apud Græcos: unde ſupereſt ut illius formam breviter inquiramus.

Scholaſtici fermè omnes, qui impoſitionem manum pro Diaconatus materia adſtruunt , volunt illius formam his verbis contineri: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur ad reſiſtendum diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini.* Sed cùm hæc forma antiqua non ſit , ut quæ in Ritualibus, aut in Sacramentariis ante quadringentos annos non reperiatur, cùm etiam univerſo Orienti hactenus fuerit incognita, patet illam non poſſe eſſe formam eſſentialem ordinationis Diaconi. Unde veriſimilius eſt, formam diaconatus eſſe orationem, quam per modum præfationia Epiſcopus recitat , & in cujus medio prædicta verba : *Accipe Spiritum ſanctum, &c.* profert. Hæc enim oratio antiquiſſima eſt, & in omnibus Ritualibus vocatur conſecratio Diaconi.

Oſtenditur præcipuum Diaconorum munus eſſe Altari deſervire.

Quanquam in Actibus Apoſtolorum non alia appareat creandorum Diaconorum occaſio, quàm neceſſitas miniſtrandi menſis, extra dubium tamen eſt, præcipuum , & primarium officium Diaconorum fuiſſe Altari, & ſacrificio deſervire.

Nam primò ex ipſis Scripturis apparet Diaconos non ſolùm miniſtraſſe menſis , ſed etiam Chriſtum prædicaſſe, *Act.* 6. 20. & 8. 6. Credentes baptizaſſe, *Act.* 8. 12. Scripturam interpretatos eſſe, *Act.* 8. 35. &c.

Præterea S. Ignatius *epiſt. ad Trall.* ait, *Diaconos miniſtros exiſtentes myſteriorum Jeſu Chriſti ſecundùm omnem modum omnibus placere ; non enim ciborum, & potuum ſunt miniſtri, ſed Eccleſia Dei.*

Author conſtitutionum Apoſt. lib. 8. cap. 28. *Oblatione*, inquit, *ab Epiſcopo, aut Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo , non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris. Nulli ex reliquis clericis licet facere opus Diaconi.*

Origenes homil. 2. in Num *Putaſne qui Sacerdotio funguntur , agunt omnia quæ illo Ordine digna ſunt? Et unde eſt quod ſæpe audimus blaſphemare homines, & dicere: Ecce qualis Epiſcopus , aut qualis Presbyter, aut qualis Diaconus.*

Tertullianus de Baptiſmo, cap 17. *Dandi quidem Baptiſmi jus habet ſummus Sacerdos , qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi authoritate.*

D. Cyprianus lib 3. epiſt. 9. *Diaconos poſt aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros.*

Optatus Milevitanus lib. 1. *Quid commemorē laicos? quid*

Digitized by Google

quid plurimos miniſtros? quid Diaconos in tertio? quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtituto? Ipſi apoſtoli & principes omnium Epiſcopi, &c.

D. Hieronymus lib. 2. adverſ. Jovin. *Si tollis ordinem Tabernaculi, Templi, Eccleſiæ, nec quicquam Epiſcopi, fruſtra Presbyteri, ſine cauſa Diaconi.* Et adverſ. Lucif. *Eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad ultimum Diaconis, Presbyteris, Epiſcopis finitur.*

An aliquando Diaconis licuerit pœnitentes reconciliare.

Extant quidam antiquorum Patrum contextus, qui videntur Diaconis reconciliandi pœnitentes poteſtatem concedere: nam primum D. Cyprianus *epiſt.* 13. de lapſis ſic loquitur: *Si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præſentiâ noſtrâ apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis, deſideraverunt.*

Concilium Elibertanum can. 32. *Si quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere ſine Epiſcopi conſultu, ſed potiùs apud Epiſcopum agat: cogente tamen infirmitate non eſt Presbyterorum, aut Diaconorum communionem talibus præſtare debere, niſi eis juſſerit Epiſcopus.*

Alcuinus de Divinis Officiis, in cap. Jejunii: *Si neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det ei ſanctam communionem.*

Antiquus Ordo Romanus: *Sicut ſacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi, vel Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt; ſic nec iſta judicia alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem, ac det Sanctam communionem.*

Caput *Fures*, extra de furtis, hæc habet: *Fures & latrones, ſi in furando & deprædando occiduntur, viſum eſt pro eis non eſſe orandum: ſed ſi comprehenſi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.*

In Canonibus Romanis apud Sirmundum *tom. 1. Concil. Gallic. pag.* 589. hæc leguntur: *Paſchæ tempore Presbyter & Diaconus per Parochias dare remiſſionem peccatorum, & miniſterium implere conſueverunt, etiam præſente Epiſcopo.*

Concilium Eboracenſe anni 1195. *can.* 4. ſtatuit, *ut non niſi ſumma urgente neceſſitate Diaconus baptizet, vel corpus Chriſti cuiquam erogat, vel pœnitentiam confitenti imponat.*

Concilium Londinenſe anni 1200. *can.* 3. ita decernit: *Non liceat Diaconis baptizare, vel pœnitentias dare, niſi duplici neceſſitate, videlicet quia Sacerdos non poteſt, vel abſens eſt, vel ſtultè non vult, & mors imminet puero, vel ægro.*

Qui jam allegatos Patrum contextus diligenter examinabit, vix poterit negare datam aliquando fuiſſe Diaconis reconciliandorum pœnitentium poteſtatem, maximè ſi advertat, communionis nomen priſcis illis temporibus non tam Euchariſtiam ſignificare, quàm Fidelium Societatem: quocirca Diaconum dare communionem pœnitentibus, erat Diaconū pœnitentes reconciliare, ſive eos in Fidelium conſortium recipere. In hiſce tamen rebus maximè ſervari debet illa Juris regula, ſecundùm quam hæc in argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa. Adde, illam abſolutionem à Diaconis datam, non fuiſſe ſacramentalem, cum clavium poteſtas nullatenus Diaconis conveniat. Id expreſsè docet canon 56 Pariſienſis relatus Spicil. tom. 11. pag. 220 *Ne diaconi ullo modo audiant confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate; claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere.*

Cætera Diaconorum munia breviter exponuntur.

Author conſtitutionum Apoſtol. lib. 8. cap. 28. *Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem, non baptizat, non offert: oblatione vero a Presbytero, aut Epiſcopo facta, ipſe Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris, &c. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem.*

Concilium Elibertinum can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem Epiſcopus perficere debebit.* Ubi vide poteſtatem baptizandi Diaconis conceſſam, quam illis denegarat Author Conſtitutionum: imo videtur concilium Elibertinum alicujus Parœciæ curam Diacono committere.

S. Cyprianus: *In præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carceres commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis, & Scripturarum præceptis gubernarent.*

Sozomenus lib. 7. cap. 19. *Sacrum codicem Evangeliorum legit Alexandriæ ſolus Archidiaconus, apud alios vero Diaconi, in multis etiam Eccleſiis ſoli Sacerdotes, diebus autem ſolennibus Epiſcopi, ut Conſtantinopoli prima feria Reſurrectionis Dominicæ.*

Author Conſtitut. Apoſtol. lib. 11. cap. 44. *Diaconus quidem de re omni ad Epiſcopum referat, ut Chriſtus ad Patrem: verùm quæcumque poteſt, facta ab Epiſcopo poteſtate moderetur per ſe, ſicut Chriſtus poteſtatem creandi & providendi a Patre accepit. Quæ vero majora ſunt, Epiſcopus judicet. Caterùm ſit Diaconus Epiſcopi auris & oculus, & item os, cor, & anima, ne Epiſcopus ſolicitudine multarum rerum, ſed graviorum tantum urgeatur.*

Diaconorum officia hac ratione recenſet Catechiſmus Romanus: *Ad Diaconum pertinet Epiſcopum perpetuo ſequi, concionantem cuſtodire, eique & Sacerdoti ſacra facienti, vel alia Sacramenta adminiſtranti præſto eſſe, & in Miſſa Sacrificio Evangelium legere.*

Olim verò Fidelium animos ſæpiùs excitabat, ut ſacra attenderent; ſanguinem etiam Domini miniſtrabat, in quibus Eccleſiis conſuetudo erat ut Fideles Euchariſtiam ſub utraque ſpecie ſumerent.

Diacono præterea Eccleſiaſticorum bonorum diſpenſatio commiſſa erat, ut unicuique neceſſaria ad victum ſubminiſtraret.

Ad Diaconum etiam attinet tanquam Epiſcopi oculum pervestigare quinam in urbe piè & religioſè, quive ſecus vitam traducant; qui ad Sacrificium & concionem ſtatis temporibus conveniant, ut de omnibus Epiſcopum certiorem faciat.

Catechumenorum etiam nomina recitare debet & eos qui Ordinis Sacramento initiandi ſunt, ante Epiſcopum ſtatuere.

Licet ei præterea, ſi abſit Epiſcopus & Sacerdos, Evangelium explanare, non tamen è ſuperiori loco, ut intelligatur hoc ejus proprium munus non eſſe.

Quanta verò diligentia adhibenda ſit, ne quis eo munere indignus ad hunc Ordinis gradum aſcendat, Apoſtolus oſtendit, cùm ad Timotheum Diaconi mores, virtutem, & integritatem expoſuit.

De Archidiaconis.

Cùm Diaconi fuerint *auris, oculus, os, cor, & anima Epiſcopi*, facilè crediderunt ſe ab Epiſcopo ſolo pendere, ſive Epiſcopi tantùm, non verò Presbyterorum eſſe miniſtros. Sed hanc Diaconorum arrogantiam repreſſit Concilium Carthag. IV. *can.* 37. ubi: *Diaconus, inquit, ita ſe Presbyteri, ut Epiſcopi miniſtrum noverit.* In eundem Diaconorum faſtum inſurrexit S. Hieronymus epiſtola ad Evagrium: *Quis, inquit, patiatur, ut menſarum & viduarum miniſter ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſq; conficitur?* Alibi tamen fatetur Diaconos eſſe Altaris miniſtros, ut ſuperiùs oſtendimus.

Primis ergo Eccleſiæ temporibus Diaconi nullam in Presbyteros juriſdictionem exercuere; ſed procedente tempore, cùm poteſtatem delegatam in Presby-

Preſbyteros primùm accepiſſent, ordinariam tandem obtinuerunt.

Hæc tamen Diaconorum in Preſbyteros poteſtas Archidiacono potiſſimùm conceſſa eſt. *Archipreſbyter verò ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis ſicut Epiſcopi ſui ſciat obedire.* S. Iſidorus epiſt. ad Ludifredum.

Decret. Greg. lib. 1. tit. 23. cap. 7. *Archidiaconus* [ſecundùm ſtatuta Beati Iſidori] *imperat Subdiaconis & Levitis: Parœciarum ſollicitudo, & earum ordinatio ad ipſum pertinet, & audire debet jurgia ſingulorum: Archipresbyteri, qui à pluribus Decani nuncupantur, ejus juriſdictioni ſe noverint ſubjacere. Secundùm verò Romani Ordinis conſtitutionem major eſt poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius: omnem ſollicitudinem & curam, tam in Clericis, quàm in Eccleſiis eorum impendendo ::: Item in Epiſtola Beati Clementis Papæ, oculus Epiſcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat & emendet.*

Archidiaconus autem tam ampla poteſtate ab Epiſcopo recepta, *cum deberet eſſe oculus Epiſcopi, factus eſt Epiſcopo ſuo clavus in oculum, prædo pauperibus, &c.* ut ſpeciatim de Liſiardo aſſerit Fulbertus *epiſt.* 34.

Hinc factum eſt, ut Epiſcopi amplam illam poteſtatem Archidiaconis ademerint, atque eorum loco Officiales & Vicarios generales procrearint.

CAPUT II.

De Subdiaconatu, de minoribus Ordinibus, & de cæteris quæ ad Ordines pertinent.

QUæcumque nobis reſtant de Ordinis Sacramento, reſpiciunt vel Subdiaconatum, cæteroſve Ordines, qui minores ſolent nominari; vel reſpiciunt ſimplices Clericos, qui ſcilicet ſolâ Tonſurâ ſunt initiati; vel quædam munia omnibus Clericis communia, quæ ſuperiùs non expoſuimus. Illa omnia tribus ſequentibus ſpeculationibus conabimur enodare.

SPECULATIO I.

De Subdiaconatu, & de minoribus Ordinibus, & primò de eorum antiquitate.

CErtum eſt, Subdiaconatum & cæteros Ordines minores eſſe in Eccleſia antiquiſſimos; illorum enim meminit S. Ignatius Epiſtola ad Antioch. *Saluto,* inquit, *Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas*: ubi omittit Acolythos, ſed complectitur Laborantes, de quibus ita Epiphanius in expoſit. Fid. Cathol. cap. 21. *Poſtea ſequuntur Exorciſtæ & linguarum interpretes, tam in lectionibus, quàm in concionibus. Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tum Janitores, & omnis ſeries.*

Author Conſtitutionum quæ tribuuntur Apoſtolis, meminit Hypodiaconi *lib. 8. cap. 21.* Lectoris *cap. 22.* eoſque ambos per manus impoſitionem vult ordinari. Meminit etiam Confeſſoris *cap. 23.* Exorciſtæ *cap. 26.* Cantoris *cap. 28.*

Tertullianus *lib. de præſcript. cap. 41.* meminit Exorciſtarum, & Lectorum.

Divus Cyprianus *lib. 3. cap. 22.* mentionem facit Lectorum Doctorum *lib. 2. epiſt. 8. 10.* & etiam Acolythorum.

Divus Cornelius apud Euſebium *lib. 6. cap. 43.* dicit Romæ fuiſſe quadraginta quatuor Preſbyteros, ſeptem Diaconos, ſeptem Subdiaconos, quadraginta duos Acolythos, & quinquaginta duos, tum Exorciſtas, tum Lectores, tum Oſtiarios.

Concilium IV. Carthaginenſe meminit *canone* 5. Subdiaconorum, *can.* 6. Acolythorum, *can.* 7. Exorciſtarum, *can.* 8. Lectorum, *can.* 9. Oſtiariorum, *can.* 10. Cantorum.

Cantores jam antè inter Clericos locum habuerant in Concilio Carthaginenſi III. *can.* 21. ibi: *Clericorum nomen etiam Lectores, & Pſalmiſtæ, & Oſtiarii retinent.*

Inquiritur an, & quomodo Ordines prædicti inter Ordines ſacros debeant recenſeri.

Ex ſuperioribus authoritatibus, & ex aliis quæ poſſent afferri, apparet primò eoſdem minores Ordines non ſemper & ubique viguiſſe. Secundò inter eos præcipuos ſemper fuiſſe Subdiaconatum, & Lectoratum. Tertiò, pleroſque priſcis illis temporibus uſurpatos fuiſſe, qui nunc penitus inoleverunt.

Hinc colligi poteſt, nullum ex illis eſſe ſacrum ex inſtitutione divina. Id expreſsè docet Urbanus II. dum vetat Epiſcopos eligi è Subdiaconis. *Nullus,* inquit, *in Epiſcopum eligatur, niſi in ſacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Subdiaconos verò, quia & ipſi Altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus; ſi tamen ſpectatæ ſint religionis, & ſcientiæ. Quod ipſum non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri concedimus.* Citatur apud Gratianum *diſt. 60. can. 4.*

Idem decretum Urbani II. vel potiùs Concilii Beneventani, cui præſidebat Urbanus II. refertur ab Innocentio III. *cap. nullus, de ætate & qualitate præfic.* ubi Innocentius III. vult, *ut Subdiaconus in Epiſcopum valeat liberè eligi, ſicut Diaconus, vel Sacerdos.* Quibus verbis Subdiaconatum ad Ordinis ſacri rationem videtur evexiſſe.

Quod clariùs etiam apparet ex ejuſdem Innocentii III. verbis, quæ habentur *cap. Miramur, de ſervis non ordin.* ibi: *De Subdiaconali Ordine, quia de eo non ſit mentio in Patrum ſtatutis expreſsè, videtur nobis quod & ſecum Diaconalis gradus privilegio gaudet eodem: nam licèt Sacer Ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva; tamen à conſtitutione Gregorii* (quâ ſcilicet ſtatuerat Gregorius Magnus, ut nullum facere Subdiaconum præſumerent Epiſcopi, niſi qui ſe caſtè victurum promiſiſſet,) *atque Urbani* (qui permiſerat Subdiaconum ſaltem cum diſpenſatione poſſe in Epiſcopum eligi,) *ſecundùm moderna tempora ſacer gradus eſſe minimè dubitatur.*

Conſtat ergo, prædictos Ordines, quos inter Subdiaconatum includo, non eſſe Ordines ſacros ex inſtitutione divina, ut apertè docet Magiſter Sententiarum *lib. 4. diſt. 24.* ibi: *Levitas ab Apoſtolis ordinatos legimus, Subdiaconos verò & Acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.*

Hoc tamen non impedit quominus Ordines prædicti inſtitutionis divinæ aliqua ratione dici poſſint, ut expreſsè docet Divus Thomas *in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1.* ibi: *"In primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis committebantur, ut patet per Dionyſium, &c. Nihilominus erant omnes prædictæ poteſtates, ſed implicitè in una Diaconi poteſtate; ſed poſteà ampliatus eſt cultus divinus, & Eccleſia quod implicitè habebat in uno Ordine, explicitè tradidit diverſis.*

Eandem veritatem videtur docuiſſe Concilium Tridentinum, dum *ſeſſione 23. can. 6.* definit: *Eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris.* Nam ibi per miniſtros, Diaconatum intelligit, quatenus cæterorum Ordinum eſſentiam implicitè ſaltem continentem.

Prædictorum Ordinum diſtinctio, & neceſſitas proponitur.

Minores illi Ordines idcirco fuerunt inſtituti, ut per illos quaſi per eoſdem gradus ad Diaconatum perveniretur. *Productior eſt aſcenſus ad Diaconatum* [inquit Petrus Bleſenſis ſerm. 47.] *nunc quàm in primitiva Eccleſia, in qua qui tantùm Fidelis erat, Diaconus fiebat vel Sacerdos: introducti ſunt poſteà quidam mino-*

minorum Ordinum gradus, per quos tanquam per canticagraduum aſcenditur ad Sacerdotium.

Non tamen per eoſdem gradus videntur Græci ad Diaconatum aſcendiſſe; nam etiam ante ſchiſmatis tempus per ſolum Lectoratum ad Diaconatum perveniſſe leguntur, ut pluribus authoritatibus fusè oſtendit Arcudius: unde Innocencius IV. Græcos cum Latinis conciliare ſtudens: *Præcipimus*, inquit, *quod Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cùm hucuſque tres de minoribus neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur.* Innoc. IV. *epiſt. ad Epiſcop. Tuſcul. in regno Cypri Legatum.*

Latini ipſi, qui dictorum Ordinum numerum, & diſtinctionem accuratiùs ſemper ſervarunt, illos tamen uno & eodem die conferendo, aliqua ratione in unum confuderunt. Hunc abuſum exſtirpare conatus eſt Joannes Peckam Archiepiſcopus Cantuarienſis *in cap. 5. conſtitutionum ſuarum*, apud Lambeth editarum. *Contra dignitatem*, inquit, *tam reverendiſſimi eſſe dignoſcitur Sacramenti, quinque ſimul Ordines non ſacros cum uno ſacro alicui uni homini exhibere. Unde in aliis provinciis quatuor minores Ordines non ſimul facilitèr conceduntur, aut conferuntur, ut aſcendentes Clerici ad Chriſti myſteria, quaſi graduum canticum concinentes, cùm probati extiterint in minoribus officiis, gradatim demum procedant ad majora, &c.*

Eundem abuſum exſtirpari curavit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 17.* ubi ſic ſtatuit: *Ut ſanctorum Ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſæ in uſum juxta ſacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otioſæ traducantur, illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans ſancta Synodus decernit, ut in poſterum hujuſcemodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur, &c.* Et ejuſdem ſeſſionis capite 11. *Minores Ordines iis qui ſaltem Latinam linguam intelligant per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratiùs quantum ſit hujus diſciplinæ pondus poſſint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præſcriptum, Epiſcopi ſe exerceant, idque in ea, cui adſcripti erunt Eccleſia, niſi fortè ex cauſa ſtudiorum abſint: atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in iis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accreſcat, &c.*

Recenſentur ordo & officia prædictorum Ordinum.

Cùm Catechiſmus Concilii Tridentini clarè, & nitidè officia illa expreſſerit, propria illius verba huc ,, afferre non gravabor. Oſtiarii munus [inquit de ,, Ordinis Sacramento, §. 32.] eſt templi claves & ,, januam cuſtodire aditu templi arcere eos quibus ,, ingredi interdictum eſt, ad ſanctum Miſſæ ſacrificium aſſiſtere, curaturus ne quis propiùs quàm ,, par ſit, ad ſacram accedat, & Sacerdotem rem divinam facientem interpellat, &c. Unde Epiſcopus ,, claves ex Altari acceptas ei tradens, quem Oſtiarium vult inſtituere: Sic age, inquit, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus ,, recluduntur.

Paragrapho autem 34. Ad Lectorem, inquit, pertinet in Eccleſia veteris & novi Teſtamenti libros ,, clara voce, & diſtinctè recitare, præſertim verò eos ,, qui inter nocturnam Pſalmodiam legi ſolent: Religionis Chriſtianæ rudimenta Fidelibus tradere. ,, Epiſcopus itaque præſente populo in ejus ordinatione librum in quo deſcripta ſunt quæ ad hanc ,, functionem attinent, illi tradens inquit: Accipe, & ,, eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis ,, qui verbum Dei miniſtrarunt ab initio.

Paragrapho autem 35. Exorciſtis, inquit, poteſtas ,, data eſt nomen Domini invocandi in eos qui ab ,, immundis ſpiritibus obſidentur. Quare Epiſco- ,, pus librum exorciſmorum eis porrigens: Accipe, ,, inquit, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive ,, baptizatos, ſive catechumenos.

Paragrapho 36. Acolythorum eſt miniſtros majores Subdiaconos & Diaconos in Altaris miniſterio aſſectari, eiſque operam dare, lumina deferre ,, & aſſervare cùm Miſſæ ſacrificium celebratur, ,, præcipuè verò cùm Evangelium legitur, ex quo & ,, Ceroferarii alio nomine vocati ſunt. unde Epiſcopus primùm lumina eorum ſingulis tradit, dicens: ,, Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Deinde dat illis urceolos vacuos, ,, quibus aqua & vinum in ſacrificio miniſtratur, dicens: Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum & ,, aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini.

Paragrapho tandem 37. Subdiaconi munus eſt, ut ,, nomen ipſum declarat, Diacono ad Altare inſervire, ſacra lintea, vaſa, panem & vinum ad ſacrificii ,, uſum neceſſaria parare, Epiſcopo & Sacerdoti aquam præbere cum manus in Miſſæ ſacrificio abluunt. Epiſtolam, quæ olim à Diacono in Miſſa recitabatur, legere, tanquam teſtem ad ſacrum aſſiſtere, prohibereque ne Sacerdos ſacra faciens à ,, quopiam perturbari poſſit.

Epiſcopus Subdiaconos ordinaturus primùm legem perpetuæ continentiæ huic Ordini impoſitam eſſe admonet, &c. His peractis, eorum ſinguli ,, qui ordinantur, ab Epiſcopo quidem calicem & ,, ſacram patenam accipiunt; ab Archidiacono verò (ut intelligatur Subdiaconum Diaconi officio ,, ſubſervire) urceolos vino & aquâ plenos, unà ,, cum lebete & linteolo, quo manus abſterguntur, ,, dicente Epiſcopo: Videte cujuſmodi miniſterium ,, vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis. Adduntur præterea ,, aliæ preces. Ad extremum cùm Epiſcopus ſacris ,, veſtibus Subdiaconum ornavit, ad quarum ſingulas propria verba & cærimoniæ adhibentur, tradit ,, ei Epiſtolarum librum, ac dicit: Accipe librum ,, Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis.

De iiſdem autem Ordinibus ita loquitur Concilium Tridentinum ſeſſione 23. cap. 11. *Cùm à minoribus Ordinibus ad altiores gradus & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat.* Et paulò antè ita legitur: *Niſi ſaltem linguam Latinam intelligant.* Et ejuſdem ſeſſionis cap. 5. *Ad minores Ordines promovendi bonum à Parocho & Magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant.* Cap. verò 13. *Subdiaconi ordinentur habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi: qui ſperant Deo auctore ſe continere poſſe, Eccleſiis quibus adſcribentur, inſerviant; ſciantque maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis & ſolemnibus cùm Altari miniſtraverint, ſacram communionem perceperint.*

Porrò tam Concilium Tridentinum, quàm illius Catechiſmus inter Ordines ſacros Subdiaconatum reponunt, quia ut ſuperiùs vidimus, ad eum honoris gradum Innocentius III. Subdiaconatum evexerat.

SPECULATIO II.

Quid ſit prima Tonſura, & quæ ad ipſam diſpoſitiones prærequirantur.

PRima Tonſura, quâ Clerici primùm initiantur, eſt quædam præparatio ad ordines accipiendos: ut enim homines ad Baptiſmum exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent; ita per primam Tonſuram ad Ordinis Sacramentum aditus illis aperitur.

Concilium Tridentinum *ſeſſione 23. cap. 4.* vult ne *prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirma-*

firmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciunt, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

De Seminariis erigendis, ex Concilio Tridentino.

Cùm simplices illi Clerici, qui primâ Tonsurâ donantur, hac sacra cæremonia ad Ordines suscipiendos præparentur, maximè conveniens fuit ut pueri illi in aliqua domo communi educarentur, quod etiam sapienter constituit Concilium Tridentinum *sessione 23. cap. 18.* „ Cùm, inquit, adolescentium æ-
„ tas, nisi rectè instituatur, prona sit ad mundi volup-
„ tates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem
„ & religionem informetur, antequam vitiorum ha-
„ bitus totos homines possideat, nunquam perfectè,
„ ac sine maximo ac singulari propemodum Dei om-
„ nipotentis auxilio in disciplina *Ecclesiastica* perse-
„ veret, sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedra-
„ les, Metropolitanæ, atque his majores *Ecclesiæ*,
„ pro modo facultatum & Diœcesis amplitudine,
„ certum puerorum ipsius civitatis & Diœcesis, vel
„ ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in
„ collegio ad hoc prope ipsas *Ecclesias*, vel alio in lo-
„ co convenienti ab *Episcopo* eligendo, alere ac re-
„ ligiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis institue-
„ re teneantur. In hoc verò collegio recipiantur qui
„ ad minimum duodecim annos, & ex legitimo ma-
„ trimonio nati sint, ac legere & scribere competen-
„ ter noverint, & quorum indoles & voluntas spem
„ afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò in-
„ servituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi
„ vult; nec tamen ditiorum excludit, modò suo
„ sumptu alantur, & studium præ se ferant Deo &
„ Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in
„ tot classes quot ei videbitur divisos, juxta eorum
„ numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica
„ progressum, partim cùm ei opportunum videbi-
„ tur Ecclesiarum ministerio addicet, partim in col-
„ legio erudiendos retinebit, aliosque in locum edu-
„ ctorum sufficiet; ita ut hoc collegium Dei mini-
„ strorum perpetuum Seminarium sit. Ut verò in
„ eadem disciplina Ecclesiastica commodiùs instito-
„ antur, Tonsurâ statim, atque habitu clericali sem-
„ per utentur: Grammatices, cantus, computi *Ec-*
„ *clesiastici*, aliarumque bonarum artium discipli-
„ nam discent: sacram Scripturam, libros *Ecclesiasti-*
„ *cos*, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum
„ tradendorum, maximè quæ ad confessiones audi-
„ endas videbuntur opportuna, & rituum ac cære-
„ moniarum formas addiscent: curet *Episcopus* ut
„ singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem
„ singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta
„ confessoris judicium sumant corpus Domini no-
„ stri Jesu Christi, &c.

De antiquitate Seminariorum.

Cùm tanta sit Seminariorum necessitas, ut è relatis superiùs Concilii Tridentini verbis manifestum est, dubitari nequaquam potest, illa jam inde à primis Ecclesiæ temporibus fuisse instituta. Etenim scholæ omnes, quas suprà retulimus, cùm de scientia in ordinandis prærequisita ageremus; totidem erant Seminaria, in quibus digni Parochis successores providebantur.

Videtur Divus Augustinus ejusmodi Seminaria, sive Clericorum collegia primus instituisse. *Perveni*, inquit, *ad Episcopatum: vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscumque venientibus, sive transeuntibus: quod si non fecissem, Episcopus inhumanus diceretur. Si autem consuetudo ista in monasterio permissa esset, indecens esset; & ideo volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium Clericorum.* Ita sanctus ille Doctor *de diversis serm. 49.*

Ex illo clericorum monasterio è D. Augustino instituto, & Presbyteri & *Episcopi* emanarunt: at docet Possidius in illius vita, plerosque alios Episcopos Divum Augustinum in instituendis Seminariis fuisse imitatos.

Non est autem credibile, quod ante Divi Augustini tempora instituta fuerint quædam Clericorum collegia; quomodo enim durante persequutionis æstu potuissent clerici vitam communem ducere? Narrat quidem sanctus Lucas, primos Christianos vitam communem duxisse; verùm id dicit de illis dumtaxat qui in Palæstina commorabantur, ubi Christiani eadem quâ Judæi libertate potiebantur, nempe Judæis permissum à Romanis fuerat secundùm legem suam vivere, & vitam in communi ducere. At in aliis regionibus idem factum fuisse, nullibi neque è D. Luca, neque à cæteris Apostolis narratur. Præterea Fideles illi, qui teste sancto Luca vitam communem ducebant, non Clericos solùm, sed laïcos etiam omnes, ipsasque mulieres comprehendebant: quapropter primus ille Fidelium conventus neque Clericorum collegium, neque etiam monachorum monasterium haberi potest. Manet ergo, quod priùs diximus, probabile esse, Divum Augustinum fuisse primum prædictorum Clericorum Seminariorum institutorem.

De antiquitate Tonsuræ & vestium clericalium.

Qua ratione ostenditur clericos primis Ecclesiæ sæculis communem vitam non duxisse, eadem videtur posse ostendi, nullam fuisse Tonsuram, nullamque vestem, quâ Clerici persequutionum temporibus à cæteris dignoscerentur. Tenebantur quidem Clerici tunc temporis capillos modestà attonsos habere, vestemque modestam deferre: at vestes penitus ab aliis diversas, aut tonsuræ coronam deferre minimè tenebantur.

Et quidem quod pertinet ad Tonsuram, nullum dubitandi locum nobis relinquit Divus Hieronymus, dum *in cap. 44. Ezechielis*, ubi hæc verba habentur, *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed attondebant capita sua*, sic loquitur: *Perspicuè demonstratur, nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere: nec rursus comam demittere, quod propriè luxuriosorum est, barbarorumque & militantium; sed ut honestus habitus in Sacerdotum facie demonstretur. Discimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur; sed in tantum capillos esse demittendos, ut opertum sit caput.*

Sapienter ergo Amalarius præsentem tractans quæstionem, hac ratione loquutus est. *Interrogatur ab aliquibus, quis primus tonsus sit more nostro? Legi in epistola cujusdam viri, Petrus. Sed quia non tanta auctoritatis est, ut ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus eam silentio præterire. ::: Sed quid ad nos? cùm multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum auctores non perferuntur specialiter.* Ita ille *de Divinis Officiis, cap. 5.*

Narrat Sanctus Paulinus *epist. 7. & 9.* quosdam monachos casta informitate capillum ad cutem cæsisse, ut sic se despicabiles redderent: unde non est improbabile, quod sequentibus temporibus hanc monachorum consuetudinem Clerici fuerint imitati; cùm enim magna Episcoporum pars è monachis fuerit assumpta, facilè factum est, ut Clerici monachorum mores imitarentur: id autem sub finem quinti sæculi, aut sub initium sexti factum fuisse videtur probabilius.

Quod ad vestes spectat, certum est etiam primis Ecclesiæ temporibus solam in illis modestiam fuisse præceptam. *Clericus professionem suam, & in habitu, & in incessu probet, & nec in vestibus, nec calceamentis decorem quærat*, ait Concilium IV. Carthag. *can. 45.* ubi manifestum est, solam simplicitatem præcipi, solùm decorem prohiberi. Verùm nullus supererit dubitandi locus, si diligenter attendamus sequentia Di-

vi Cœleſtini verba, quibus ad Epiſcopos provinciæ Narbonenſis, & Viennenſis ſcribens, certos quoſdam Presbyteros redarguit, qui veſte ſingulari à cæteris Clericis, aut etiam à plebe diſcerni cupiebant. *Didicimus*, inquit, *quoſdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potiùs cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati. Amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe Scripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per litteram completuros: nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur, cur non ſiunt pariter quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unà cum baculo teneantur.::: Diſcernendi à plebe, vel cæteris ſumus doctrinâ, non veſte; converſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu.::: Docendi potiùs ſunt Fideles, quàm illudendi, &c.*

Tempore autem Divi Gregorii jam mos inoleverat, ut Clerici à laïcis habitu diſtinguerentur. *Paulum clericum*, inquit lib. 3. epiſt. 24. *qui deſpecto habitu ſuo ad laïcam reverſus vitam in Africam fugerat, prævidimus in pœnitentiam dari.* Id clariùs adhuc edocet Gregorius Turonenſis *lib. 5. c. 14.* ibi: *Merovem tonſuratus eſt, mutataque veſte, quâ Clericis uti mos eſt, Presbyter ordinatur.*

De ſimplicium Clericorum antiquitate.

Non ſemper in Eccleſia mos ille viguit, ut Clerici per ſolam Tonſuram atque veſtium immutationem inſtituerentur; nullus enim olim inſtituebatur Clericus, quin aliquo ſimul Ordine, aut Lectoratus, aut Acholitatus inſigniretur. Tempore Divi Cypriani Clerici ordinabantur, & Lectores primùm inſtituebantur. *In ordinandis Clericis ſolemus vos antè conſulere, &c. Merebatur talis clericalis ordinationis ulteriores gradus, &c. Interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat.* Ita D. Cypr. *lib. 2. epiſt. 5.* Idem declarat Syricius Papa *epiſt. 1. cap. 9.* ibi: *Quicumque ſe Eccleſiæ vovit obſequiis, à ſua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari.* Juſtinianus *novel. 3.* agnoſcit in Eccleſia *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, Lectores, & Oſtiarios*; at Clericos nulla ordinatione donatos non agnoſcit.

Simplicium Clericorum mentio fit in canone 14. Synodi Oecumenicæ ſeptimæ, ubi ſic legitur: *Quoniam videmus, ſive manûs impoſitione à parvula ætate tonſuram Clerici quoſdam accipientes, nondum ab Epiſcopi manus impoſitione perceptâ, ſuper ambonem regulariter in Collecta legentes, præcipimus amodò id minimè fieri.* Erant ergo tunc temporis *quidam tonſuram Clerici accipientes ſine ulla manus impoſitione ab Epiſcopo percepta*; id eſt, ſine ulla ordinatione. Unde Zonaras prædictum canonem explicans, ſic loquitur: *Qui verò nec manuum impoſitione deſignatus, nec in Lectorum album relatus ſit, qualis illorum eſt ratio, qui à teneris Deo ſepoſiti, nihil aliud quàm coronam in capite geſtant, ab eo ſacram Scripturam de ſuggeſtu in conventu populo pronunciari, quædam Ordinis perturbatio eſt. Id igitur ne fiat in poſterum, decernit Synodus.*

Similes etiam Clericos nulla ordinatione inſignitos videtur inſinuare Concilium Meldenſe anni 845. *can. 58.* his verbis: *Canonicorum autem quidam in Parochiis tonſurantur, & erudiuntur, interdum etiam & ordinantur.* Igitur non ſemper tonſurati ordinabantur. Patet igitur jam inde ab octavo ſæculo Clericos fuiſſe tonſuratos duntaxat, ac proinde jam tum Tonſuram cœpiſſe eſſe primum ad Sacerdotium aditum, cùm antea aliqua aut Lectoris, aut Exorciſtæ, &c. requireretur ordinatio, ut aliquis Clerici nomen obtineret.

SPECULATIO III.

De reliquis Clericis: & primò de Chartophylace, ſive Chartulario.

QUid ſit Chartophylax, quæve ſint illius munia, exactè nos docet Anaſtaſius Bibliothecarius *in act. 2. Synodi 8.* Chartophylax, interpretatur chartarum cuſtos. Fungitur autem officio Chartophy-
„ lax apud Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quo
„ Bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet
„ inſulis Eccleſiaſticorum miniſtrorum, & agens Ec-
„ cleſiaſtica prorſus cuncta obſequia, exceptis illis ſo-
„ lis, quæ ad Sacerdotale ſpecialiter, ac propriè per-
„ tinere probantur officium. Sine illo præterea nul-
„ lus Præſulum, aut Clericorum à foris veniens, in
„ conſpectum Patriarchæ intromittitur: nullus Ec-
„ cleſiaſtico conventui præſentatur, nullius Epiſtola
„ Patriarchæ miſſa recipitur, niſi fortè à cæteris Pa-
„ triarchis mittatur: nullus ad præſulatum, vel alterius
„ ordinis Clericorum, ſive ad præpoſituram mona-
„ ſteriorum provehitur, niſi iſte hunc approbet &
„ commendet, atque de illo illi Patriarchæ ſuggerat,
„ & ipſe præſentet.

Chartophylax, ex Codino cap. 1. p. 5. *tabulas habet & inſtrumenta quæ Iura Eccleſiaſtica continent; Iudex eſt omnium cauſarum Eccleſiaſticarum; cauſis quoque matrimonialibus præeſt, quin & in cæteris Clericorum litibus judex eſt, tanquam dextra Patriarchæ manus.*

Chartophylax, inquit Balſamon in can. 10. Synodi VII. *omnia Patriarchæ jura exercet, quæ ei conveniunt ut Epiſcopo; etenim excommunicat, animæ delicta corrigit, Diaconos, & Sacerdotes ordinari permittit.*

Cùm tanta eſſet Chartophylacis dignitas, facilè factum eſt, ut Chartophylax, licèt Diaconus tantùm, ante Presbyteros ſederet. Hanc Diaconorum arrogantiam coërcere voluit Concilium in Trullo coactum, *can. 7.* ubi ait: *Quoniam in nonnullis Eccleſiis Diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantiâ & licentiâ fretos ante Presbyteros ſedere, ſtatuimus ut Diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt in officio quovis ſit Eccleſiaſtico, ante Presbyterum ne ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adſit in alia civitate ſuper aliquo capite; tunc enim ut locum illius implens honorabitur.*

Tantum autem abeſt, ut Diaconi Chartophylacis dignitate præditi prædicto decreto obtemperarint, ut etiam ſederint ante Epiſcopos ipſos. Id docet Jus Orientale *tom. 1 pag 144.* ubi: *Chartophylax*, inquit, *in congregationibus quæ fiunt extra Synodum ſedet non ſolùm ante Sacerdotes, ſed etiam ante Pontifices ex conſtitutione Alexii Comneni.*

Epiſcopi huic conſtitutioni fortiter ſeſe oppoſuerunt, ſed coacti ſunt cedere Imperatoris edicto, quo Imperator teſtabatur nihil hac ſuper re à ſe conſtitui, quod longa conſuetudine non fuerit receptum: quare, inquit, ſi hoc non ferant Epiſcopi, urbe Regia excedant. Ait nempe Imperator id longo jam uſo invaluiſſe, quod jam pridem Chartophylax omnia Patriarchæ jura exercuerit, quæ ei conveniunt ut Epiſcopo, ut jam diximus; adeo ut *exiſtimaretur eſſe os, & labra, & manus quodammodo Patriarchæ*, ut ait idem Balſamon.

Quod de Chartophylace dictum eſt, intelligi etiam debet de primariis Officialibus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Exocatacellis dictis, quaſi extra Patriarchæ cellam habitantibus, qui ab aliquot ſæculis ſunt tantùm Diaconi, quique hoc ordine conſtanti recenſentur: *Magnus Oeconomus, magnus Sacellarius, magnus Vaſorum Cuſtos, Chartophylax, Præfectus Sacelli, primus Defenſor.* Illi omnes ante Epiſcopos ſedebant, hujuſque præſidentiæ rationem affert Codinus, quòd hi in ſacris concionibus ſeu conventibus cum Patriarcha ſedeant,

De Cardinalibus.

Quod diximus de Diaconis Exocatacellis, qui in Eccleſia Conſtantinopolitana Epiſcopos præcedebant, de Diaconis Cardinalibus, qui nunc Epiſcopos in Eccleſia Romana præcedunt, dici debet, cum hoc ſolùm diſcrimine, quod Cardinalium Diaconorum præſidentia longè recentior ſit quàm præſidentia

Exoca-

Exocatacellorum ; nam jam ab octavo ſæculo Exocatacelli Diaconi Epiſcopos Conſtantinopoli præcedebant; Cardinales autem Diaconi non ante undecimum, aut etiam duodecimum ſæculum Epiſcopos Romæ præcediſſe videntur ; ſiquidem in omnibus Conciliis Romanis ante annum à Chriſto nato milleſimum celebratis, nequidem ſedere, nedum ante Epiſcopos ſedere, permittebantur Cardinales Diaconi.

Difficile tamen eſſet præcisè : tempus annotare, quo Cardinales cœperunt Epiſcopos præcedere; hoc enim ſenſim factum eſt, nempe cùm Cardinales ſæpiùs Legati fuiſſent, & legationis ſuæ jure Epiſcopos præcedere conſueviſſent, hanc ſuam ſupra Epiſcopos præſidentiam ordinariam reddiderunt.

Quanquam autem non ita pridem Cardinales Epiſcopos præcedant, dubitari tamen non poteſt, quin Cardinalium dignitas & authoritas vetuſtiſſimæ ſint : nam ut benè advertit Petrus de Alliaco, „licèt nomine Papatus, & Cardinalatus tempore „Petri & aliorum Apoſtolorum non fuerint in Ec„cleſiæ uſu ; tamen Eccleſiaſticæ poteſtates dictis „nominibus deſignatæ ex tunc in Apoſtolis præful„ſerunt, videlicet Papalis dignitas in Petro, & in ſin„gulis Apoſtolis Cardinalatus authoritas. Pro cujus „declaratione ſciendum eſt, quod ante diviſionem „Apoſtolorum Apoſtoli Petro tanquam Papale of„ficium gerenti aſſiſtebant, tanquam Cardinalatus „officium exercentes : poſtquam verò Apoſtoli à „Petro ſeparati ſpeciales ſibi diœceſes ſortiti ſunt, „ex tunc Epiſcopale officium exercuerunt. Ex hoc „poteſt inferri, quod Apoſtoli priùs Cardinales „quàm Epiſcopi fuerunt; quodque Senatui Apoſto„lorum ſuccedit collegium Sacrum Cardinalium „quantum ad illum ſtatum, quo Apoſtoli coaſſi„ſtebant Petro, antequam fierent particularium „Eccleſiarum Epiſcopi. Statui autem Apoſtolorum „in quantùm fuerunt Epiſcopi, ſuccedit ordo Epiſcoporum. Ita Petrus Alliacus in tractatu de authoritate Eccleſiæ, quem in ipſo Concilio Conſtantienſi compoſuit.

De Oeconomis.

Cùm antiquitus fundi Eccleſiaſtici viritim non fuerint diviſi, ſed ad Epiſcopum, omnemque Clerum indiviſim, atque in ſolidum pertinuerint; mirum non eſt, ſi ſuprema in bonis illis diſpenſandis authoritas apud Epiſcopum reſederit. *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ut eas in omnes gentes diſpenſet cum ſumma reverentia & timore Dei*, ait canon 25. Concilii Antiocheni.

Tanta verò erat Epiſcopi poteſtas in bonorum illorum diſpenſatione, ut nullam illius rationem, niſi ſoli Deo teneretur reddere. *Tibi laice convenit ut largiaris, Epiſcopo verò tanquam œconomo & adminiſtratori rerum Eccleſiaſticarum, ut diſpenſet. Cave tamen ne Epiſcopum ad rationes voces, neque diſpenſationem illius obſerves, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut ubi; utrùm bene, an ſecus: habet enim ipſe ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei Sacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit.* Ita legitur *lib. 2. conſt. Apoſt. cap. 35.*

Supremam illam Epiſcoporum in facultatibus Eccleſiæ diſtribuendis poteſtatem non minùs clarè adſtruit canon 41. Apoſtolorum, his verbis : *Præcipimus ut in poteſtate ſua Epiſcopus Eccleſiæ res habeat; ſi enim animæ hominum prætioſæ illi ſunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore, omnique ſollicitudine miniſtrentur. Ex iis autem quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum uſus ipſe percipiat, &c.*

Cùm autem Epiſcopi hac bonorum diſpenſatione à ſpiritualibus miniſteriis avocarentur, cumque etiam nonnunquam incuſarentur ea quæ ad Eccleſiam pertinebant ſibi uſurpare, præcepit Concilium Chalcedonenſe can. 26. *omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui diſpenſet res Eccleſiaſticas ſecundùm ſententiam Epiſcopi proprii; ita ut Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia procuretur.*

Oeconomi autem conſtituendi poteſtas penes Epiſcopum erat; id enim manifeſtè declaratur in actione 9. Concilii Chalcedonenſis, ubi leguntur : *Placuit Ibæ Epiſcopo ex propria voluntate permittere, quod de cætero ſecundùm formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per œconomos ex Clero ordinatos ab ejus religioſitate.*

Non ſemper tamen hæc conſtituendi Oeconomi poteſtas uni Epiſcopo reſervabatur; illam enim toti Clero tribuit Theophilus Alexandrinus in Commonitorio apud Balſamonem *cap. 9.* ubi ait : *Ut totius Sacerdotalis ordinis ſententiâ alius renuncietur Oeconomus, in quo Epiſcopus quoque conſentiſt.* Idem Theophilus ibidem ait, Oeconomi eſſe curare, *ut bona Eccleſiæ ut decet inſumantur, viduæ & pauperes, & peregrinantes hoſpites omni quiete fruantur, & nemo ea quæ ſunt Eccleſiæ ut ſua uſurpet.*

Quibus Eccleſiæ facultates diſtribui debeànt, inquiritur.

Ex iis quæ ſuperiùs diximus, apparet Epiſcopos, Oeconomosve non potuiſſe Eccleſiæ bona ut ſua uſurpare, ſed ex iis quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates percipere, ut ſtatuitur can. 41. Apoſtolorũ. Non ergo Clerici omnes, ſed ii tantùm qui indigent, aliquid ex facultatibus Eccleſiæ poſſunt accipere. *Quod habet Eccleſia* [inquit Julianus Pomerius lib. 2. de vita contempl. cap. 9.] *cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis qui ſibi de ſuo ſufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud ſit habentibus dare quàm perdere.* Et cap. 10. *Nec illi qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid inde volunt, ſine grandi peccato ſuo unde pauper victurus erat accipiunt.*

Quod ſi quilibet miniſter Eccleſiæ pergit ibidem idem Author, *non habet unde vivat, non ei præmium reddit hic, ſed neceſſaria præſtat Eccleſia, ut in futuro præmium laboris ſui recipiat, quod in hac vita jam ſpe Dominicæ promiſſionis certus expectat.*

Idem docet D. Hieronymus Epiſtola ad Nepotian. *Si ego*, inquit, *pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & Altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.*

Si pauperum compauperes ſumus, ait S. Auguſtinus epiſt. 59.] *& noſtra ſunt, & illorum: ſi autem privatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.*

Horum omnium rationem affert Pomerius in libro ſuprà laudato, hiſce verbis : *Scientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ niſi vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in uſus ſuos ut proprias, ſed ut commendatas pauperibus diviſerunt.* Eandem rationem affert Concilium quartum Carthag. can. 31. *Ut Epiſcopus*, inquit, *rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.*

Hinc factum eſt, ut Sancti Patres crediderint, Sacerdotibus licitum non eſſe res Eccleſiæ apud ſe conſervare. *Enthecam nobis habere non licet* [inquit S. Aug. ſerm. 49. de diverſis;] *non enim eſt Epiſcopi ſervare aurum, & revocare à ſe mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures triſtes relinquamus, quia quod poſſimus dare omnibus non habemus, non habemus enthecam.*

Id ipſum validiùs urget S. Hieronymus ad Nepot. de vita clericorum, ubi in pauperis perſona alloquitur Clericum res Eccleſiæ apud ſe coacervantem. *Ego*, inquit, *fame torqueor, & tu judicas quantum*

ventri meo ſatis ſit? Aut divide ſtatim quod acceperis, aut ſi timidus diſpenſator es, dimitte largitorem, ut ſua ipſe diſtribuat. Nolo ſub occaſione mea ſacculus tuus plenus ſit: nemo me melius mea ſervare poteſt. optimus diſpenſator eſt qui ſibi nihil reſervat.

Itaque juxta regulas quas tradunt Sancti Patres, primò Eccleſiaſticus dives nihil de Eccleſiæ bonis debet accipere: ſecundò, ſi pauper ſit, id tantùm accipere debet, quod ad illius victum & veſtitum neceſſarium eſt: tertiò quidquid reſtat poſt victum & veſtitum, pauperibus debetur: quartò, ac proinde illis quamprimùm tribui debent, quia quæ pauperum ſunt, à pauperibus ſervari debent, non à Clericis.

Quæritur quando bona Eccleſiæ in varias portiones cœperunt diſtribui.

Cùm Simplicius Papa reſciviſſet Gaudentium Anſinienſis Eccleſiæ Sacerdotem, id eſt Epiſcopum, Eccleſiæ ſuæ redditibus abuſum fuiſſe, Severo Epiſcopum commiſit, ut quartam duntaxat illorum redditunm partē Gaudentio relinqueret, ut ſimilem portionem Clericis pro ſingulorum meritis divideret, ut duas alias portiones Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturas Onagro Presbytero ab ipſo ſub periculo ſui ordinis miniſtrandas committeret, & tandem ut tres portiones, quas Gaudentius per triennium ſibi vindicarat, reſtitui curaret.

Eandem redditūum Eccleſiæ diſtributionem, ut jam ſtabilitam confirmat Gelaſius Papa *epiſt. 9. cap.* „ 27. his verbis: Quatuor, tam de redditu, quàm de „ oblatione Fidelium, ſicut dudum rationabiliter „ eſt decretum, convenit fieri portiones, quarum ſit „ una Pontificis, altera Clericorum, pauperum ter„ tia, quarta fabricis applicanda. De quibus ſicut Sa„ cerdotis intererit integram miniſtris Eccleſiæ me„ moratam dependere quantitatem, ſic Clerus ultra „ delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit „ expetendum. Ea verò quæ Eccleſiaſticis ædificiis „ attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata lo„ corum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum, „ quia nefas eſt ſi Sacris ædibus deſtitutis, in lucrum „ ſuum Præſul impendia his deſignata convertat. „ Ipſam nihilominus adſcriptam pauperibus por„ tionēm, quanvis divinis rationibus ſe diſpenſaſſe „ monſtraturus eſſe videatur; tamen juxta quod „ ſcriptum eſt, Ut videant opera veſtra bona, & glo„ rificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt, oportet „ etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ „ famæ præconiis non taceri.

Illa bonorum Eccleſiæ in quatuor partes diſtributio apud Scriptores Græcos non legitur, neque etiam apud Latinos ante Simplicium Papam: unde negari non poteſt, illam in Eccleſia duntaxat Latina, & quidem non ante quintum ſæculum viguiſſe.

Porrò licèt hac facta diſtributione, quarta portio pauperibus diſtribueretur, nòn tamen idcirco eximuntur Clerici à ſervandis ſuprà relatis Sanctorum Patrum regulis, juxta quas cùm Clerici bonorum Eccleſiæ diſpenſatores tantùm ſint, non poſſeſſores, ex illis ea tantùm accipere debent, quæ illis ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt. Si enim ipſimet laici non ſolùm decimas dare debent, ſed etiam de novem partibus quidquid ſolutis & expletis ſumptibus remanſerit, quaſi aliis tranſmiſſum fideliter erogare debent, ut ait Cæſarius Arelatenſis; quantò magis Clerici illud omne tenentur pauperibus erogare, quod illis expletis ſumptibus neceſſariis ſupereſt.

De Diaconiſſis.

Diaconiſſæ olim in Eccleſia per manuum impoſitionem ordinabantur. Id apparet *ex lib. 8. Conſtitut. Apoſt, cap.* 19. ubi hæc leguntur: *De Diaconiſſa ego Bartholomæus ſic conſtituo: Manus ei Epiſcope impones præſentibus Presbyteris, Diaconis & Diaconiſſis.* Et ex Concil. Chalcedon. *can.* 15. ibi: *Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum; ſi verò ſuſcipiens manus impoſitionem, &c.*

Diaconiſſas tamen ad Sacerdotium non pertinere, apertè nos docet S. Epiphanius *hæreſi* 79. his verbis: *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotis functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt, ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur, ſive ut Baptiſmi tempore adſit, ſive cùm nudandum eſt mulieris corpus, interveniat, ne virorum qui ſacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed à ſola Diaconiſſa videatur, quæ ad Sacerdotis mandata mulieris curam agit.*

Quatuor primis Eccleſiæ ſæculis nulla vidua ante ſexageſimum ætatis annum ordinabatur Diaconiſſa. Verum illud immutavit Concilium Chalcedonenſe *canone* 15. ſuperiùs relato.

Porrò cùm Diaconiſſæ non eam quam tenebantur continentiam ſervarent, circa duodecimum, aut decimum tertiū ſæculum penitus aboleri cœperunt.

Præter illas Diaconiſſas aliæ olim erant, nempe uxores Diaconorum: ut enim uxores Epiſcoporum Epiſcopiſſæ, Presbyterorum Presbyteriſſæ; ita etiam uxores Diaconorum Diaconiſſæ nominabantur. Illæ omnes continentiam ſervare tenebantur, & ad priorum Diaconiſſarum dignitatem non rarò evehebantur.

DISSERTATIO IV.

De Sacramento Matrimonii.

MATRIMONIUM ſub duplici ratione poteſt conſiderari, prout nempe eſt officium naturæ, & prout ad Sacramenti dignitatem evectum eſt. Matrimonium ſub hac duplici ratione in prima diſſertationis parte conſiderabimus, in poſteriori autem impedimenta matrimonii expendemus.

CAPUT I.

De Matrimonio tum ut eſt officium naturæ, tum ut eſt Sacramentum.

IN matrimonio hæc potiſſimùm occurrunt obſervanda: primùm in quo matrimonii ratio, ſive natura conſiſtat: ſecundum quid matrimonium efficiat: tertium quid matrimonium in ratione Sacramenti conſtituat.

SPECULATIO I.

Exponitur natura Matrimonii.

MAtrimonii natura conſiſtit in mutuo jure, ſive in mutua poteſtate quam propter mutuam corporis traditionem uterque conjux habet in corpus alterius. Nam, ut ait Apoſtolus 1. Corinth. 7. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Quapropter rectè definitur matrimonium: Legitima viri fœminæque conjunctio ad individuam vitæ conſuetudinem retinendam divinitus inſtituta.

Hac ſuppoſitâ matrimonii naturâ, multæ ſeſe offerunt difficultates ſequentibus propoſitionibus elucidandæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Copula carnalis non eſt de matrimonii eſſentia.

Quanquam matrimonii eſſentia videatur conſiſtere in poteſtate, quam uterque conjux habet in corpus alterius, & mutua illa poteſtas ad copulam carnalem videatur eſſentialiter ordinari; tamen neque copula carnalis, neque conſenſus ad copulam ad matrimonii eſſentiam ulla ratione pertinere credendum eſt. Eſt enim axioma Juris Canonici, uſum ab ipſo dominio ſeparari; imò etiam in jure Civili proprietarius alicujus rei non rarò ejuſdem rei uſu caret. Ex quo fit, ut inter illos qui continentiæ votum emiſerunt, verum & perfectum matrimonium poſſit reperiri.

Hinc ſancti Patres paſſim aſſerunt, matrimonium inter

inter Beatiſſimam Virginem, & Divum Joſephum, verum & perfectum fuiſſe: cujus rei rationem reddit Divus Ambroſius libro de inſtitutione virginis, cap. 6. *Non defloratio*, inquit, *virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis: cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum virili admixtione conjungitur.* Et lib. 2. in Luc. *Non virginitatis ereptio, ſed conjugii teſtificatio nuptiarum celebrationi declaratur.*

Idem clarè docet D. Auguſtinus libro 1. *de nuptiis & concupiſcentia, cap.* 11. ubi: *Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu non cognoverat Joſeph, nec fuerat cogniturus, nec peterat: nec mendax manſerat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commiſtio: propter quod fidele conjugium parentes Chriſti vocari ambo meruerunt, non ſolùm illa mater, verùm etiam ille pater ejus, ſicut conjux matris ejus: utrumque mente, non carne.*

Hinc ſequitur primò, illam quæ perpetuam vovit continentiam poſſe alicui nubere, modò vel aliqua revelatione, vel aliunde certo ſciat, virum quem ducit, debitum maritale nunquam petiturum: hæc enim duo inter ſe non pugnant, videlicet dare Deo corpus ſuum ad perpetuam continentiam, & ejuſdem corporis poteſtatem dare viro, quem certò ſciat non uſurum.

Sequitur ſecundò, duos jam conjugatos ex mutuo conſenſu poſſe continentiam vovere; cùm enim, ut ſuperiùs dictum eſt, uſus ab ipſo dominio poſſit ſeparari, poterunt conjuges poteſtatem in corpus alterius retinere; & tamen poteſtatis illius uſu votum emittendo ſe ipſos privare.

Sequitur tertiò, Divum Joſephum potuiſſe dici patrem Chriſti; cùm enim Joſephus fuerit vir Beatæ Virginis, in illius corpus poteſtatem habuit, atque adeo corpus & ſanguis Beatæ Virginis, corpus & ſanguis Joſephi dici poterant. Unde non immeritò Sancti Patres, dixerunt, Joſephum fuiſſe verè Chriſti patrem, & quidem verius quàm ſocer ſit patet privigni; quia ſocer non habebat poteſtatem in corpus uxoris, quando privignus natus & conceptus eſt, cùm privignus in priori conjugio natus ſit.

Propoſitio Secunda.

Copula carnalis, ſive actus conjugalis ad perfectionem ſecundariam matrimonii pertinet, & ideo illicitus haberi non debet.

Quanquam copula carnalis ad matrimonii eſſentiam non pertineat, quia tamen matrimonii finis eſt prolis ſuſceptio, proles autem juxta ordinarium naturæ curſum non aliter ſuſcipi queat quàm per copulam carnalem, patet copulam carnalem eſſe de perfectione ſaltem accidentaris matrimonii.

Hanc ob rationem matrimonium ante copulam licèt verum ſit & ratum, non tamen conſummatum dicitur, quanquam neque etiam poſt copulam ſit omninò perfectum matrimonium; ultimam enim ſuam perfectionem non acquirit niſi ſuſcepta prole, quæ proprius & præcipuus eſt matrimonii finis.

Ex illis autem ſatis apparet, copulam non poſſe dici malam, niſi etiam matrimonium malum eſſe affirmetur; quandoquidem ſine copula juxta conſuetum naturæ curſum proles non ſuſcipiatur.

Matrimonium autem malum non eſſe, reclamantibus licèt Marcione, Manichæo, aliiſque quibuſdam hæreticis, patet primò, quia Deus matrimonii auctor eſt & inſtitutor. Geneſeos enim capite 2 hæc leguntur. *Dixit quoq; Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum. faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* ::: *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam. Cùmque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una.* Quæ ultima Adami verba à Chriſto ipſi Deo per Adamum nimirum loquenti tribuuntur Matth. 19. *Non legiſtis*, inquit Chriſtus, *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Secundò patet, quia ex Apoſtolo primæ ad Cor. 7. *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Hebr. or. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.*

Tertiò, quia Chriſtus ipſe adeſſe voluit nuptiis in Cana Galilææ.

Quartò, quia in lege veteri frater ſuperſtes fratris ſine liberis defuncti, uxorem accipere ex præcepto legis tenebatur, ut fratri ſemen ſuſcitaret. Item Oſee Propheta jubetur meretricem in uxorem ducere. Item Sacerdotes veteris legis Sacerdotium propagare per carnalem generationem tenebantur. Item primi homines ut propagaretur genus humanum, & primi Judæi ut electus à Deo populus ampliaretur, uxores ducere ex præcepto tenebantur. Ex quibus omnibus ſatis efficitur, neque matrimonium, neque copulam carnalem inter res illicitas enumerari debere.

PROPOSITIO TERTIA.

Licèt actus conjugalis non ſit per ſe malus, & illicitus, aliquam tamen deordinationem importat in hoc corrupto naturæ humanæ ſtatu: quæ deordinatio per bona matrimonii removetur.

Cùm matrimonium à Deo inſtitutum fuerit, certum eſt in eo nullam deordinationem debere admitti in illo ſtatu, in quo creati fuere primi parentes; ut enim habetur Gen. 2. 25. *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & non erubeſcebant.* Nempe nulla in illis erat libido, propter quam nunc turpis eſt nuditas. Verùm cùm peccaſſent primi parentes, *aperti ſunt oculi amborum*, non quòd cæci priùs fuiſſent, ſed quòd tunc primùm rebellionem membrorum, libidiniſque motus etiam inviti experti ſint. *Cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos*, ex illa ſcilicet impudenti novitate, & erubeſcerent quòd in membra propria proprium perdidiſſent imperium, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Gen. 3. 7.

Itaque omne matrimonii malum in una conſiſtit libidine, quæ ut evidens eſt, ex Deo non eſt, ſed ex mundo, ſive ex peccato; quæ adverſùs ſpiritum concupiſcit, quæ ad fornicationes, adulteria, omneque impudicitiæ genus impellit, & in cujus uſu etiam licito ita mens hominis abſorpitur, ut ſancta cogitare non poſſit, ut ait D. Auguſt. *lib.* 5. *contra Iulianum, cap.* 8.

Porrò hæc matrimonii deordinatio efficit ut actus conjugalis licitus non ſit niſi in duplici caſu: prior eſt dum fit generationis cauſâ: poſterior quando conjugi petenti debitum redditur.

Licitus eſt actus conjugalis dum fit generationis causâ, quia tunc eo fine perficitur, ad quem à Deo fuit inſtitutus; non enim in Paradiſo tantùm, ſed etiam poſt peccatum deleto per diluvium humano genere, dixit Dominus, *Creſcite & multiplicamini*; & Chriſtus hæc verba protulit: *Quæ Deus conjunxit homo non ſeparet.* Et Tobias tanquam bonum opus commorans, hæc ait: *Et nunc Domine tu ſcis, quia non luxuriæ causâ accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in ſæcula ſæculorum.*

Licitus eſt etiam actus conjugalis reddendi debiti causâ; ait enim Apoſtolus 1. Cor. 7. 3. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Digitized by Google

Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi.

Hinc duo matrimonii bona [prout matrimonium naturæ officium eſt] rectè aſſignantur, quibus tollitur omnis matrimonii deordinatio: quæ duo bona his duobus vocabulis exprimantur, *proles*, & *fides*. Per prolem intelligitur prolis procreatio, & religioſa inſtitutio: per fidem autem, quam uterque conjugum alteri debet, fit ut neuter alteri petenti debitum neget, & ut alteri quàm conjugi non commiſceatur. Duobus hiſce bonis tertium adjicitur, nempe *Sacramentum*, de quo inferius agemus.

PROPOSITIO QUARTA.

An, & quando actus conjugalis omni culpa vacet, explanatur.

Ex dictis ſequitur, actum conjugalem tunc tantùm licitum eſſe, aut prolis ſuſcipiendæ causâ, aut ad reddendum debitum. Unde Divus Auguſt. lib. de bono conjugali, cap. 7. *Reddere debitum*, inquit, *nullius eſt criminis; exigere verò ultra generandi neceſſitatem, culpa venialis.* Idem etiam docet D. Thomas Supplem. q. 49. art. 6. *Dicendum*, inquit, *quod ſi delectatio quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut ſcilicet aliquis in conjuge non attendat quod conjux eſt, ſed ſolum quod mulier, paratus idem facere cum ea ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale: ſi autem quæratur delectatio intra limites matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, ſic eſt veniale peccatum.*

Dices primò: Non eſt peccatum accipere conjugem causâ fornicationis vitandæ: ergo neque etiam ex eadem cauſa illam cognoſcere.

Reſpondeo negando antecedens, matrimonium enim hac duntaxat ratione contractum veniali culpâ non caret.

Dices ſecundò: peccat qui conjugi miſcetur ad præcavendam in illa fornicationem: Ergo nec peccabit ad eam in ſeipſo præcavendam.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ut ait Divus Thomas, eſt ibi aliqua ſuperfluitas, quia ſcilicet alia ratione poſſet fornicatio devitari.

Dices tertiò: Matrimonium eſt inſtitutum in remedium continentiæ: igitur ad hunc finem illo uti licebit.

Reſpondeo cum Divo Thoma, ad hoc matrimonium non eſſe inſtitutum, niſi ſecundùm indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus.

Dices quartò: Igitur nec ſenes, nec ſteriles, aut quorum alter talis ſit, debitum petere ſine peccato non poterunt.

Reſpondeo concedendo totum, ſi certò credant ſe ſuſcipiendæ proli eſſe iniduncos; ut enim ait D. Auguſt. ſerm. 63. de diverſis, cap. 13. *Quis ſana fronte dat filiam ſuam libidini alienæ? Erubeſcat maritus aliter accipere, ſi erubeſcit pater aliter dare. Sed ſi non poſſunt, exigant debitum; & ſi egrediantur metas matrimonialis pacti, non egrediantur metas conjugalis teri. Numquid hoc non eſt peccatum, amplius quàm liberorum procreandorum neceſſitas cogit exigere à conjuge debitum? Eſt quidem peccatum, ſed veniale. Apoſtolus dicit: Hoc autem dico ſecundùm veniam; tanquam diceret, Non impero ut faciatis, ſed ignoſco ſi feceritis.*

Quæres an ſaltem aliquis non poſſit ſine culpa conjugi immiſceri propter ſanitatem recuperandam?

Hanc quæſtionem ſic ſolvit D. Thomas. *Dicendum*, inquit, *quod quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum, ut in propoſito in actu matrimonii.* Hæc ille.

Quæres præterea, quando actus matrimonii ſit peccatum mortale.

Reſpondeo eſſe peccatum mortale primò, quando aliquis ita conjugem cognoſcit, ut aliam etiam paratus eſſet cognoſcere, ut ſuperiùs docuit Divus Thomas.

Secundò quando quis uxorem gravidam cognoſcit, ſi periculum ſit fœtum, quamvis nondum animatum perdendi. Qui enim periculo peccati mortaliter peccat: quo in caſu etiam reddens debitum, peccat mortaliter, quia non tantùm occidens, ſed etiam cooperans in cædem mortali obnoxius eſt peccato.

Tertiò, quando quis per uſum veneris immoderatum ſuæ, aut conjugis ſanitati notabiliter nocet, quod etiam ad reddentem debitum non pauci extendunt.

Quartò, quando uſus naturalis non ſervetur, cujus peccati gravitatem paſſim deteſtatur Scriptura.

Quintò, quando uxor menſtruata cognoſcitur, illud enim crimen morte punitur Levitici 20. 18 *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ejus, interficientur ambo de medio populi ſui.* Aliqui tamen credunt illud peccatum venialibus tantùm debere annumerari.

PROPOSITIO QUINTA.

An aliquando liceat debitum petenti degare; & an conjugibus continentiam vovere non liceat.

Certum eſt conjugem debere alteri petenti debitum ex juſtitia reddere: unde qui ejuſmodi debitum ſine cauſa denegat, injuſtitiæ reus eſt, illiuſque peccatum eſt ex genere ſuo mortale, præſertim cùm plurima mala ex ejuſmodi denegatione ſuboriantur, veluti diſſenſiones, odia, ſeparationes, mœchiæ, &c. Qui enim debitum negat, ſimilis eſt dimittenti, & proinde ſimiliter ut ille, facit uxorem ſuam mœchari, id eſt mœchandi occaſionem ei præbet, ut paſſim urget Divus Auguſtinus.

Nihilominus non deſunt caſus, quibus licet debitum denegare. Primò, ſi mulier ſit gravida, & periculum ſit fœtum perdendi. Secundò, ſi mulier ſit menſtruata. Tertiò, ſi non poſſit reddi ſine ſanitatis detrimento. Quartò, ſi petens leproſus ſit, aut alio morbo contagioſo laboret, quandiu contagionis periculum eſt. Quintò, ſi conjux adulteravit; conjux enim adulterans petendi jus amittit.

Porrò ex jure petendi debiti, & ex obligatione illius reddendi manifeſtè ſequitur neutrum conjugum ſine alterius conſenſu poſſe continentiam, ſive ad tempus, ſive in perpetuum vovere; nemini enim vovere Deo licet, quod alterius eſt, ſine injuſtitia: unde hac ratione vovens mortaliter peccare convincitur.

Si autem uterque conjux in emittendo voto conſentient, poterunt ambo non ſolùm ad tempus, ſed etiam in perpetuum continentiam vovere; imò poſſet alter tantùm continentiam vovere, altero non vovente, ſi ille qui non vovet, conſenſum ſuum voventi præbeat. Hoc autem caſu, ei qui votum emittit, petere quidem non licet, ſed reddere petenti tenetur.

Major eſt difficultas, an alter conjux poſſit ſine alterius conſenſu votum facere de nunquam exigendo debito? Id illi licitum eſſe affirmat Richardus cum aliis quibuſdam, negat verò Sanctus Thomas cum aliis pleriſque: quorum hæc eſt ratio, quia per ejuſmodi votum matrimonium alteri onerosum redditur, quatenus illi ſoli exigendi debiti pondus & neceſſitas incumbit. Hinc Dominicus aſſerit non ſolùm virum irritare poſſe hujuſmodi votum uxoris, ſed etiam uxorem viri. Id vir poteſt, inquit Eſtius, quia eſt caput uxoris: id autem etiam uxor poteſt, quia uxor ex tali mariti voto magis gravatur propter naturalem illius pudorem; quanquam, ut addit, ſcrupulum hîc omnem tollere poteſt diſpenſatio Epiſcopi.

De aliis autem conjugatorum votis, ſi illa torum conjugalē vel indirectè attingunt, ſine alterius conſenſu non poterunt emitti: ſi verò ad torum nihil attinent, non pauci credunt quod etiam vir in eo caſu poſſit ut caput mulieris omnia uxoris vota irritare;

dicitur

dicitur enim Numer.30.7. *Si maritum habuerit, & voverit, & ſemel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento, quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiſerat: ſin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obſtrinxerat animam ſuam, propitius erit ei Dominus.* Et ibidem verſ.10. hæc habentur: *Uxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit & juramento, ſi audierit vir & tacuerit, nec contradixerit ſponſioni, reddet quodcumque promiſerat; ſin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea; quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit, & juramento ſe conſtrinxerit, ut per jejunium & cæterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit ut faciat, ſive non faciat. Quod ſi audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam, quidquid voverat atque promiſerat, reddet; quia ſtatim ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus.* Quæ ultima verba indicat mulieres liberas eſſe à voto, ſi maritus etiam ſine aliqua cauſa contradixerit; quo tamen caſu reus erit maritus voti ſine cauſa irritati: unde conſequi videtur, virum poſſe quidem omnia uxoris vota irritare; ſed id licitè tunc tantùm poſſe, quando mulieris votum marito nocet, aut familiæ adminiſtrationi.

Propoſitio Sexta.

An, & quæ polygamia illicita ſit, utpote matrimonio repugnans.

Duplex diſtingui ſolet polygamia; aliquis enim plures uxores habere poteſt aut ſimul, aut ſucceſſive.

Polygamia quâ aliquis plures uxores habet ſucceſſive illicita non eſt; docet enim Catholica doctrina ſecundas nuptias, imò tertias, quartas, & cæteras veras eſſe & ſecundùm ſe licitas & honeſtas: *Non damno digamos, imò nec trigamos etiam (ſi dici poteſt) octogamos, &c.* ait Hieronymus *in apologia ad Pammachium.* Ipſeque Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. 39. ait: *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat.* Et 1. *Timoth.* 5.14. de viduis loquens: *Volo,* inquit, *juniores nubere, filios procreare, &c.*

Quando igitur Divus Hieronymus, aut alii è Patribus, aut etiam quædam Concilia ſecundas nuptias videntur culpare, non ipſas nuptias, ſecundas licet, aut etiam tertias condemnant, ſed ipſam incontinentiam, cujus in remedium ſecundæ, aut tertiæ nuptiæ adhibentur. Vix enim fieri poteſt, ut qui toties matrimonium contrahit, aliquo incontinentiæ vitio non laboret.

Idem autem dici non poteſt de illa polygamia, quâ aliquis plures uxores ſimul habet; ait enim Synodus Tridentina ſeſſ.24. can. 2. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Ubi incertum eſt, an pronomen, *hoc,* referatur ad *Chriſtianos habere plures uxores,* vel ad *plures uxores habere* ſimpliciter, ita ut ſcilicet lege divina non Chriſtianis ſolùm, ſed aliis etiam plures uxores ſimul habere prohibitum fuerit.

Rationes autem propter quas hæc polygamia condemnatur, ſunt quia non ſolùm uxor eſt viri, ſed etiam vir uxoris: unde vir non videtur poſſe vivente priori uxore alteri uxori poteſtatem ſui corporis concedere; nam quomodo poterit vir pluribus uxoribus debitum petentibus reddere. Quod ſi alteri deneget, quot inde diſcordiæ, rixæ, &c. Quot item diſcordiæ in familia gubernanda, in filiis educandis, in dividendis inter illos poſſeſſionibus, &c.

Quæritur autem; an propter dictas rationes polygamia etiam jure naturæ illicita dicenda ſit? Affirmativè reſpondent omnes fermè Theologi, ſi unum Durandum excipias, & Alphonſum Epiſcopum Abulenſem.

Pro Durandi ſententia multùm facit Sanctorum Patriarcharum, aliorumq; Juſtorum exemplum, qui plures ſimul uxores habuere, ut patet in Abraham, Jacob, Davide, & aliis. Neque enim aliquis dixerit illos Sanctos Patriarchas ad mortem uſque tam aperto crimine voluiſſe legem divinam & naturalem violare. Unde videtur dicendum, polygamiam eſſe quidem contra legem divinam poſitivam, non verò contra legem naturalem, de qua nulla datur diſpenſatio.

Crediderim tamen in ejuſmodi polygamia duo eſſe. Primum, quod prohibeatur lege divina: ſecundum, quod pleraſque deordinationes includat, quales nempe ſuprà multas retulimus. Quatenus ergo polygamia plures deordinationes importat; non poteſt eſſe licita, niſi per alia bona illius deordinationes compenſentur: quatenus verò lege divina prohibetur, licita eſſe non poteſt, niſi accedente divina diſpenſatione: & illud eſt quod docent priores Theologi, dum poſt Sanctos Patres docent polygamiam non opponi primariis legis naturæ præceptis, cujuſmodi ſunt leges de diligendo Deo, de non mentiendo, &c. à quibus (inquiunt) diſpenſari non poteſt, ſed opponi ſecundariis legis naturæ præceptis, quæ mutatis rerum, & perſonarum circumſtantiis, ipſa etiam poſſunt immutari. Hac ratione facilè explicatur factum Patriarcharum.

Propositio Septima.

Matrimonium ex ſuapte natura eſt indiſſolubile.

Cùm in matrimonio uterque conjux in alterius corpus poteſtatem habeat, ſequitur conjugem non poſſe alteri debitum etiam ad tempus, nedum in perpetuum denegare, ex quo manifeſtè colligitur, matrimonium ex natura propria eſſe indiſſolubile.

Probatur item matrimonii indiſſolubilitas ex ipſius matrimonii fine; nam finis matrimonii eſt proles, quam uterque parens ex naturæ lege tenetur nutrire, fovere, inſtituere, & ad perfectum perducere: hoc autem ut parentes præſtare poſſint, ſimul debent cohabitare, illiuſque cohabitationis tempore ſibi fidem ſervare debent; ſi enim cum alio commiſcerentur, poſſent in filios ſuſcipere; ſicque educationi aut prioris, aut poſterioris prolis malè provideretur.

Tertiò, ſi matrimonium ex natura ſua non poneretur indiſſolubile, non daretur conſtans diſcrimen inter conjugium & concubinatum.

Quartò, ex lege divina probatur eadem matrimonii indiſſolubilitas; ait enim Adamus Spiritu Dei afflatus: *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una.* Quæ verba repetens Chriſtus, hæc addit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et Divus Paulus 1. Cor. 7. Iis, inquit, *qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus uxorem à viro non diſcedere.*

Quintò ex Sacramenti ratione. *Tertium matrimonii bonum,* ait Concilium Florent. *eſt indiviſibilitas matrimonii, propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ.*

Quæres primò, an matrimonium ita ſit indiſſolubile, ut nulla diſpenſatione ſolvi poſſit?

Reſpondet Divus Thomas, matrimonii ſolutionem non videri eſſe contra prima legis naturæ principia, & illius idcirco poſſe dari diſpenſationem.

Quæres ſecundò, an Judæis licitum fuerit uxorem dimittere?

Recentiores quidam credunt, opinionem illam eſſe probabiliorem, quâ dicitur Deum cum Judæis diſpenſaſſe, ut ſine ullo prorſus peccato uxorem ſuam potuerint dimittere. Verùm hæc ſententia nec authoritate Scripturæ, nec Sanctorũ exemplis innititur. Unde Divus Thomas ut probabilius affirmat, id Judæis licitũ non fuiſſe, niſi quatenus minus malum permittebatur, ut majus evitaretur. Idem olim

docue-

Digitized by Google

ducuerat Divus Hieronymus in cap. 5. Matthæi his verbis: *Moyſes libellum repudii dari juſſit, non diſſidium concedens, ſed auferens homicidium.* Et Divus Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Dom. in monte, cap. 14.* ſic ait: *Qui præcepit dari libellum repudii non hoc præcepit ut uxor dimittatur, ſed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret.* Non ergo tam repudium fuit illis permiſſum, quàm præceptum ut ſine libello non repudiarent.

Hinc mulier repudiata, quæ ad alterum virum acceſſit, dicitur polluta & abominabilis facta coram Domino. *Deut.* 24. Hinc Chriſtus dicit Judæis repudium non niſi ad duritiam cordis illis fuiſſe permiſſum.

Quæres tertiò ob quas cenſas potuerint Judæi uxores dimittere.

Aliqui putant ſolam fornicationem, aut adulterium fuiſſe cauſem repudii apud Judæos. Verùm propter adulterium lapidebatur mulier, & ita non erat loc⁹ repudio. Alii verò volunt Judæos potuiſſe uxores dimittere propter quamlibet rationem imò propter ſolum odium. Sed contrarium habetur *Deut. 2. Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam, quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, &c.*

Videtur ergo probabilius Judæos, utpote legibus gentilium imbutus, repudiaſſe ob eaſdem cauſas propter quas gentiles repudiabent: illæ eutem cauſæ apud Romenos erant adulterium, ſterilitas, veneficii ſuſpicio, lepra notabilis, morum improbitas, &c.

Illæ autem repudii cauſæ ſub adventum Chriſti ita multiplicabantur, ut tandem fuerit diſputetum, an ex quacunque ceuſa liceret uxorem dimittere.

Quæres quartò, an Judæi poſt repudium alias nuptias potuerint contrahere?

Reſpondeo primò, uxorem dimiſſem non potuiſſe contrahere: nam *Deut.* 22. dicitur mulier ille polluta, & ebominabilis coram Domino, quæ repudiate nuptias conttahit. Et Chriſtus *Matth.* 5. ait: *Qui dimiſerit uxorem ſuam, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.*

Reſpondeo ſecundò, virum potuiſſe apud Judæos poſt repudium ed alias nuptias tranſire, non quòd priores nuptiæ per repudium fuerint irritæ, ſed quòd Judæis fuerit licitum plures ſimul uxores habere, ec proinde una repudiata aliam ducete.

Dices Chriſtus *Matth.* 19. dicit, quod quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchetur. Ergo nequidem viro licebat poſt repudium aliam uxorem ducere.

Reſpondeò, his verbis Chriſtum revocare matrimonium ad primariam ſuam inſtitutionem, cui non ſolùm repudium, ſed etiem polygemia repugnat.

Quædem elia ſoperſunt quæ ad matrimonii indiſſolubilitetem pertinent: ſed de illis agemus, ubi loquemur de matrimonii impedimentis.

SPECVLATIO II.

Quæritur quæ ſit cauſa matrimonii, ubi etiam de ſponſalibus agitur.

CUm matrimonium ex dictis in eo conſiſtat, ut uterque conjux habeer poteſtatem in corpus alterius, matrimonii cauſa ille erit, quâ uterque conjux jus & poteſtatem acquirit in corpus alterius.

Hoc poſito, cùm Deus ſit ſupremus omnium Dominus, poterit ſine dubio virum & fœminam matrimonio conjungere ebſque ipſorum conſenſu: quo caſu dobitare nemo poteſt, quin conjuges illi divino illi decreto teneantur obtemperare. Indubium etiem videtur, Deum Eccleſiæ poteſtatem hanc potuiſſe communicare, adeo ut nempe quos Eccleſia vellet, ſimul mattimonio copularet, cui Eccleſiæ deetero homines tenerentur obedire.

Sed multò melius & convenientius fuit, quod nemo non niſi ultro & ſponte metrimonio copuletur: quod providens Deus, neminem unquem jure ſupremi ſui dominii, & non hebita ratione conſenſus illius, matrimonio copulavit. Quapropter verè dici poteſt, ſolam matrimonii cauſam eſſe mutuum conjugum conſenſum. Quæ autem ed ejuſmodi conſenſum pertinent, ſequentibus quæſitis reſolventur.

Quæres primò, qualis debeat eſſe ille conſenſus, id eſt, an debeat eſſe cunſenſus in copulam.

Reſpondeo, non eſſe neceſſe, ut conſenſus expreſsè & formaliter feratur in copulam, ut patet ex dictis in ſuperiori ſpeculatione: ſed ſufficit conſenſus in conjugalem vitæ ſocietetem, qui cum voto ſervandæ virginitatis ſtare poteſt, ubi habetur certitudo, quod conjux nunquam debitum petet, uti factum eſt in Beate Virgine.

Quæres ſecundò, an conſenſus ille aliquo exteriori ſigno debeat manifeſtari.

Reſpondeo debere exteriùs manifeſtari, alioquin non poſſent conjuges ſcire, an ſimul matrimonio ſint copulati.

Quæres tertiò, an conſenſus ille inter abſentes conſtituat matrimonium.

Reſpondeo matrimonium inter abſentes iniri poſſe, modò utriuſque conſenſus actu, vel virtute permaneat, dum alteri innoteſcit, & ab illo acceptatur.

Quæres quartò, an ratum ſit matrimonium per ſolum parentum conſenſum.

Reſpondeo ejuſmodi matrimonium nullum eſſe; ut enim validum ſit metrimonium, oporret ut contrahentes conſenſum ſuum tacitè ſaltem præbeant.

Quæres quintò, an filii poſſint invitis parentibus contrahere.

Reſpondeo, matrimonium ſic contractum validum haberi ab Eccleſia, quæ filios è tali matrimonio progenitos, ut legitimos agnoſcit: at in Galliis invalidum haberi quentum ad forum civile; unde filii qui ex ejuſmodi matrimonio pronaſcuntur, incapaces ſunt ad hæreditatem conſequendam.

Quæres ſextò, an conſenſus ille debeat eſſe de præſenti.

Reſpondeo conſenſum, quo ſit matrimonium, debere eſſe de præſenti; nam per conſenſum de futuro, non matrimonium, ſed ſponſalia conſtituuntur.

Expediuntur quæ ad ſponſalia pertinent.

Sponſalia ſunt mutua futurarum nuptiarum promiſſio ab illis facta qui futuris illis nuptiis conjungendi ſunt.

Sponſalia ſunt duplicis generis, alia enim abſoluta ſunt, alia conditionata.

Sponſalia conditioneta, poſitâ conditione evadunt abſoluta, modò conditiones appoſitæ honeſtæ ſint, & bonis matrimonii non repugnet: ſi enim conditiones illæ matrimonii bonis repugnent, ut ſi quis promitteret ſe aliquem ducturum uxorem ad tempus tantùm, vel ut ſe unicuique proſtitueret, vel ut generationem prolis impediret, tunc ſponſalia nulla ſunt: quod etiam dici debet, ſi conditio ſit impoſſibilis, ut: Ducam te in uxorem, modò facias ut Sol ſtet. Qui enim hac ratione promittit, aut etiam actu contrahit, irridere potiùs quàm promittere convincitur.

Porrò ubi ſponſalia abſoluta ſunt, obligent ſponſos, etiam ſub mortali peccato, ad matrimonium ineundum, niſi forſan graves cauſæ ſuperveniant, quibus ſponſalia poſſint irritari, cujuſmodi vulgò recenſentur, primò ſi alteruter aliquid addiſcat, quod ſi priùs ſciviſſet, ſponſalia veriſimiliter, & rationabiliter non fuiſſent contracta: ſecundò, ſi gravis inimicitia inter ſponſos, aut ipſorum parentes excitetur: tertiò, ſi non adimpleatur promiſſio appoſita: quartò, ſi alter conjugum diuti⁹ quàm par eſt, abſens ſit: quintò ſi alterutri gravis morbus, aut deformitas ſuperveniat; ſextò, ſi aliqua incurratur affinitas, aut aliud

Digitized by Google

aliud impedimentum : ſeptimò, ſi alter conjux fornicetur : octavò ſi alter conjugum Religionem ingradiatur, aut Ordines Sacroe ſuſcipiat : nonò, dom ſponſi ſibi invicem ſponſionem remittunt.

Quæres, an ſponſalia cum ſubſequente copula faciant matrimonium.

Reſpondeo matrimonium nunquam poſſe fiari ſine mutuo de præſanti conſenſu ; unde copula carnalis, quantumcunque ſponſalia præceſſerint, matrimonium non poteſt conſtituere, niſi fortè conjugali affectu ſponſi carnaliter conveniant. Dum enim cum tali affectu conveniunt, ſibi iovicem corporis ſui poteſtatam concedunt.

Quapropter cùm Eccleſia ſemper præſumat copulam ſponſalia ſubſequentem cum tali affectu habitam fuiſſe, idcirco qui poſt ſponſalia carnaliter fuerunt commixti, in foro axterno matrimonium contraxiſſe olim cenſebantur.

Nunc verò cùm Concilium Tridantinum omnia clandeſtina matrimonia irrita declaravit, patet matrimonium non fieri per copulam ſponſalia ſubſequentem, etiam cum expreſſo conſenſu de præſenti: ut enim matrimonium nunc validum ſit, coram Parocho & teſtibua contrahi debet.

Quæres ſecundò, an aliquia ſictè promittena teneat ur promiſſionem ſuam adimplare.

Reſpondeo non teneri, niſi primò ratiooa damni inſequentia, aut ſcandali : ſecundò ratione juramenti promiſſioni annexi; tunc enim etſi oon obligetur ratione promiſſionia, obligatur tamen ratione juramenti, & debitæ divino Numini revereotiæ.

Speculatio III.

De matrimonio ut eſt Sacramentum,

NOn ſolùm matrimonium rea eſt bona & licita, ſed etiam ſignum eſt rei ſacræ, habetque vim ſaltam in nova Lege gratiæ producendæ: quod ut aoucleatius perpendatur, ſit

Propoſitio prima.

Matrimonium ex primava ſua inſtitutione eſt ſignum rei ſacra.

Divus Paulus *Epheſ. 5.* cùm exhortatur maritos ut uxores ſuas diligerent, exemplum Chriſti Eccleſiam ſuam diligentis illia proponit, aitque adhæſionem viri cum muliere eſſe Sacramentum, ſive ſignum unionie Chriſti cum Eccleſia. *Relinquet*, inquit, *homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſua: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia.*

Quod autam dicunt hæretici noſtri, non matrimonium, ſed unionem Chriſti cum Eccefia hic nominari Sacramentũ, prorſua adverſatur genuino, & naturali ſenſui taxtus Divi Pauli; opponiturqua parpetuæ traditioni Patrum, qui prædictum textum eadem ac noa ratione ſemper ſunt intarpretati.

Hinc colliges primò, matrimonium in prima ſui inſtitutione, ac proinde in ſtatu innocentiæ fuiſſe ſignum rei ſacræ, ut docet D. Hieroo. *in Epheſ.* 5. & D. Aug. *lib. 1. de nuptiis, & concup. cap. 11.* & *lib. de bono conjug. cap. 5. & 18.*

Dices, Chriſtua non erat venturus, ſi Adam non peccaſſet : Ergo in ſtatu innocentiæ matrimonium non potuit eſſe ſignum uniona Chriſti cum Eccleſia.

Reſpondeo primò, certum non aſſe, Chriſtum noo fuiſſe venturum, niſi Adam peccaſſet : ſecundò, matrimonium potuiſſe eſſe Chriſti venturi propter peccatum jam præviſum : neqoe enim ullum eſt in hoc inconveniene.

Colligee ſecundò, quodcumque matrimonium, etiam infidelium, fuiſſe ſignom conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Probatur primò ex ipſia Apoſtoli verbis, *Sacramentum hoc magnum eſt* : hæc enim verba reſpiciuot ſaltem conjugia eorum omnium, ad quoa ſcribebat: ſed illorum plurimi ante Baptiſmum ſuſceptum, ſive cùm adhuc infidelea eſſent, matrimonium contraxerant: ergo etiam infidelium matrimonium eſt rei ſacræ ſignum.

Probatur ſecundò authoritate Innocentii III. qui *extra de divortiis*, affirmat Sacramentum conjugii apud Fidelea & infideles exiſtere: & ibidem *cap. veniens*, dicit Sacramentum coojugii à oon baptizatis racipi poſſe.

Quæres quid in matrimonio ſit propriè res ſignificana, quid res ſignificata.

Reſpondeo in matrimonio duplicem conjunctionem viri cum muliare poſſe conſiderari. Prior conjunctio eſt conjunctio animorum, quæ inter conjuges maxima eſſe debat, quæque hia Apoſtoli verbia exprimitur : *Adhærebit uxori ſua*, ſupple *& uxor viro.* Poſterior conjunctio corporum, quæ fit per copulam carnalem, de qua loquitur Apoſtolus cùm dicit, *Et erunt duo in carne una.*

Porrò prior conjugum conjunctio ſignificat illam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem, quâ eam ut ſponſam ſuam diligit : poſterior autem eam, quâ eidem Eccleſiæ ſponſæ ſuæ in utero Virginie per incarnationia myſterium, quaſi ſecundùm carnem copulatua eſt.

Prior conjunctio eſt de matrimonii eſſentia, poſterior autem de illiua eſt duntaxat integritate.

Propoſitio ſecunda.

Matrimonium Chriſtianorum eſt verum nova legis Sacramentum.

Oſtendimus propoſitione præcedenti, matrimonium eſſe Sacramentum, ſaltem impropriè, quatenus ſcilicat Sacramentum eſt ſignum rei alicujus ſacræ: verùm ſupereſt oſtendendum, matrimoniũ aſſe verè & propriè Sacramentum novæ legia, ac proiode matrimonium gratiam conferre.

Matrimonium verè gratiam conferra, probare conantur aliqui ex illia Apoſtoli verbis, *Sacramentum hoc magnum eſt, &c.* ſed malè, cùm illa verba matrimonium atiam infidelium raſpiciant, quæ matrimonia gratiam proculdubio non coofarebant.

Alii autam idipſum probare cooantur ex aliis locia ſacræ Scripturæ, ut ex illis Chriſti, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Sed neque etiam illa verba oſtendunt matrimonium gratiam conferra, ſicot neque hæc Apoſtoli verba, 1. Timoth. 2 *Salvabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Neque tandem ejuſdem Apoſtoli verba, quæ habentur 1 Cor. 7. *Unuſquiſque donum ſuum habet ex Deo, unus quidem ſic, alius autem ſic.*

Cùm ergo relata Scripturæ verba aa ſint, quibus ſolet probari matrimonium gratiam conferre, ſatis apparet veritatem haoc ex Scripturis non poſſe apertè ſaltem & evidenter demonſtrari : unde forſan factum eſt, ot Durandus, & alii nonnulli Doctores Catholici oppoſitum prorſua ducuerint, & ut Divus Thomas, S. Bonaventura, Scotua & alii, qui veram & catholicam ſeotentiam docuerunt, aam tantùm ut probabiliorem tradiderint.

Nooc autem circa hanc quæſtionem nullus eſt amplius dubitandi locua poſt claram hac ſuper re Tridentioi definitiooem : *Si quis dixerit*, ait Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 1. *matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem Legis Evangelica Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum, neq; conferre gratiam, anathema ſit.*

Huic Synodi Tridentinæ definitioni jam olim præiveraot Sancti Patres, qui unanimiter docent Chriſtum ad nuptias invitatum veniſſe, nuptiis benedixiſſe, ac gratiam conjugana contuliſſe. Sic ducenti Epiſcopi in Epheſina Syoodo, qui aiunt, *Chriſtũ ad nuptias in Cana Galilaa ſe contuliſſe, ſuaq; benedictione eaſdem diſpenſatoriè cohoneſtaſſe.* Sic S. Ambroſius, qui *lib. 1. de Abraham, cap. 7.* loquens de eo

qui alterius nuptam ſibi poſtulat in uxorem : *Qui ſic egerit*, inquit, *peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam ſolvit; & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.* Sic Innocentius I. qui *epiſt. 9. ad Probum*, dicit matrimonium divinâ gratiâ fundari, dum celebratur. *Statuimus*, inquit, *fide catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia fundatum.*

Sic Cyrillus Alexand. qui *lib. 2. in Joan. c. 22.* ſic loquitur: *Ut nativitatis noſtra principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificaret, oportebat certè, quia totam naturam hominis ad melius reſtaurabat, non ſolùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam naſcituris preparare, & aditum illorum ad hanc vitam, & authoritate miraculi, & præſentiâ ſuâ ſanctum facere.* Sic D. Auguſtinus, qui *lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia, cap. 10. & de bono conjugali, cap. 24.* matrimonium comparat cum Baptiſmo & Ordinatione, velut cum Sacramentis ejuſdem generis. Sic etiam Patres Concilii Florentini, quibus Græci ſubſcripſerunt, è quibus noviſſimè Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in cenſura Confeſſionis Auguſtanæ Lutheranorum, ſuo & reliquorum Præſulum nomine edita affirmat, matrimonium eſſe unum è ſeptem Sacramentis, quæ Chriſtus, & Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt.

Quæres, quam gratiam producat matrimonii Sacramentum?

Reſpondeo, præter gratiam habitualem, quæ communis eſt effectus omnium Sacramentorum, matrimonium etiam conferre gratias requiſitas ad vitam conjugalem ſanctè & piè tranſigendam. Itaque gratia matrimonialis datur, ut conjuges per actum conjugalem prolem quærant, quam deinde in Dei timore, & ſancta converſatione educent, ſicque omnes libidinis ardores intra matrimonii fines coarctentur, ut conjuges ſe mutuò diligant, mutuas infirmitates ſupportent, aliaque matrimonii onera patienter ferant.

PROPOSITIO TERTIA.

Diſquiritur an matrimonium omne inter Chriſtianos initum ſit verum legis nova Sacramentum.

Scholaſtici communiter, & inter alios Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de matrim. cap. 6.* cenſet matrimonium omne inter Chriſtianos contractum eſſe Sacramentum novæ legis, acriterque adverſus Melchiorem Canum inſurgit, quòd affirmaſſet, illud tantùm matrimonium eſſe Sacramentum, quod à miniſtro Eccleſiæ ſacris & ſolennibus verbis celebratur.

At verò Bellarminum refutat Scribonius Ordinis Minorum. Primò, quia Divus Auguſtinus, ut fatetur ipſe Bellarminus, dicit matrimonium non eſſe Sacramentum, niſi in Eccleſia : unde ſequitur matrimonium inter hæreticos contractum non eſſe Sacramentum. Secundò, quia matrimonia clandeſtina à Concilio Tridentino declarata ſunt irrita, & longè ante Concilium Tridentinum ſemper fuerunt interdicta. Tertiò, qui eadem matrimonia ab Evariſto Papa dicta ſunt adulteria. Quartò, quia nullis Conciliis probari poteſt conjugia clandeſtina declarata fuiſſe Sacramenta. Quintò, quia in matrimoniis clandeſtinis nulla plerumque proferuntur verba. Sextò, quia matrimonia illa aliquâ adulterii notâ ſemper inuruntur, quod matrimonii fidei repugnat.

Multis aliis argumentis poteſt inſuper comprobari Melchioris Cani ſententia, quâ nempe aſſeritur, tunc tantùm matrimonium Fidelium eſſe Sacramentum, quando accedit miniſtri Eccleſiæ benedictio. Verùm ea tantùm referam, quæ mihi videntur potiora.

Primum argumentum petitur ex Patrum authoritate. Primò Tertullianus *lib. 2. ad uxorem*, dicit illud matrimonium eſſe Eccleſiæ Sacramentum, quod Eccleſia conciliat, videlicet per ſuum Miniſtrum.

Secundò Syricius epiſt. 1. cap. 4. *Benedictio*, inquit, *quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.*

Tertiò D. Ambroſius epiſt. 20. *Conjugium*, inquit, *velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oportet.*

Quartò Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum: *Sanctificatur*, inquit, *quod per verbum perficitur matrimonium.* Supple, *per verbum Eccleſia.*

Quintò Innocentius I. *epiſt. 1.* dicit, *matrimonium fundari divinâ gratiâ quando celebratur*, ſupple *ſolenniter in Eccleſia.*

Hæ & aliæ authoritates, quæ à Cano, aut à Cani defenſoribus proferuntur, probabiliter ſaltem oſtendunt matrimonia clandeſtina non eſſe verè Sacramenta novæ legis. Conſulatur Gratianus 30. *queſt. 5.*

Secundum argumentum petitur ex Conciliis. Concilium IV. Carthag *can. 13.* ſic loquitur: *Sponſus, & ſponſa cùm benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel paranymphis efferantur : qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.* In fine Concilii Conſtantienſis Martinus V. vult ſuſpectum rogari, *an credat quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ Unctionis, vel ſolemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter.* In Concilio Lateranenſi III. *can. 7.* dicitur, *horribile nimis, ſi pro benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid exigatur.* In Concilio I. Colonienſi anno 1536. celebrato, *can. 40.* hæc leguntur: *Quod Sacramentum* (ſupple matrimonium) *ſi quis ſicut decet acceperit, accedente Sacerdotali precatione confert donum ſpiritus, quo vir diligat uxorem, &c.* Tandem Concilium Tridentinum vult, *Parochum viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, dicere : Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vel aliis uti verbis juxta receptum uniuſcujuſque provinciæ ritum.* Illa autem verba, *Ego vos conjungo*, quæ in Ritualibus communiter habentur, proferre non poſſet Sacerdos, ſi non eſſet illius matrimonii miniſter. His omnibus addi poteſt, quod in Synodo Cametacenſi anno 1567. celebrata, in Rituali Romano juſſu Pauli V. edito, & in actis S. Caroli Borromæi, *p. 4 paragrapho 1.* Sacerdos dicatur eſſe hujuſce Sacramenti miniſter.

Tertium argumentum deſumitur ex Scholaſticis, quorum primus erit Guillelmus Pariſienſis Alberto Magno contemporaneus, qui *tractatu de matrim. cap. 9.* negat matrimonium veri nominis Sacramentum eſſe, niſi ſacerdotali miniſterio conſecratum fuerit. Secundus erit Divus Thomas, qui pluribus in locis inſinuat, ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Matrimonii, quanquam in primis ſuis ſcriptis, cùm nempe junior eſſet, contrarium videatur docuiſſe. Ita Sanctum Doctorem explicant Eſtius & Sylvius. Tertius erit Melchior Canus, cui ſubſcribunt Eſtius, Scribonius, Sylvius, Toletus, aliique quamplurimi : unde Banneſius dicit communem Scholaſticorum ſententiam à multis improbari, non ſolùm poſt Concilium Tridentinum, ſed etiam antea : additque illam non fuiſſe omnibus communem, cùm multi oppoſitum docuerint, & præcipui ipſius aſſertores, ut Magiſter, D. Thomas, Scotus, nihil certò definierint.

Quartum argumentum ex inconvenientibus depromitur. Nam primò copula carnalis aliquando poſſet eſſe forma Sacramenti; olim enim per copulam maritali affectu poſt ſponſalia habitam matrimonium conficiebatur. Secundò plus tribueretur laicis contrahentibus, quàm Presbytero, aut Epiſcopo benedicenti. Tertiò, qui contrahentes ſæpius non habent intentionem faciendi quod facit Eccleſia.

Quartò, quia iidem eſſent ſuſcipientes, & miniſtrantes Sacramentum matrimonii.

PRO-

PROPOSITIO QUARTA.

Exponitur quis ſit miniſter, quæ forma, quæ materia Sacramenti Matrimonii.

Juxta communem ſententiam Scholaſticorum dicendum eſt, contrahentes eſſe miniſtros, verba autem ſeu ſigna quibus contrahentes mutuum conſenſum exprimunt, eſſe ſibi invicem materiam & formam ſecundùm diverſas conſiderationes: materiam nempe, quatenus traditionem corporum ſignificant: formam verò, quatenus mutuam illam corporum traditionem acceptant. Ita fermè Scholaſtici, licèt alii paulò aliter ſentiant. In opinione verò ſuperiùs relata dicendum eſt, Sacerdotem eſſe miniſtrum, formam eſſe verba quæ à Sacerdote proferuntur, ut: *Ego vos conjungo, &c.* aut alia ſimilia: materiam proximam eſſe actua ſenſibiles contrahentium, remotam perſonas legitimè contrahentes.

Objicies primò: Etiam poſt Concilium Tridentinum matrimonium eſt validum Parocho nihil dicente, modò præſens adſit, & intelligat quid agitur, ut habent reſponſa Cardinalium. Ergo neque Sacerdos miniſter eſt, neque verba ab eo prolata forma ſunt matrimonii.

Reſpondeo matrimonium hac ratione contractum validum quidem eſſe, non tamen Sacramentum: neque aliud evincunt reſponſa Cardinalium.

Objicies ſecundò: Ex Concilio Florentino, *cauſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus*: non ergo Sacerdos, ſed ipſimet contrahentes ſunt miniſtri matrimonii.

Reſpondeo Concilium Florentinum non aſſignare quinam ſit miniſter Sacramenti Matrimonii, ſicut in aliis Sacramentis fecerat; rem enim inter Theologos controverſam noluit Concilium definire: quare id tantùm aſſeruit quod extra controverſiam eſt, nimirum mutuum conſenſum eſſe cauſam efficientem matrimonii, non prout Sacramentum eſt, ſed prout eſt contractus: ut enim rectè ait Toletus in inſtructione Coloniæ impreſſa ann 1601. *lib. 7. cap. 2.* matrimonii efficiens cauſa ſunt *ipſi contrahentes in quantum eſt contractus quidam: at verè ut Sacramentum, Deus eſt cauſa principalis, miniſter eſt cauſa inſtrumentalis, ſicut in aliis Sacramentis.*

PROPOSITIO QUINTA.

An matrimonium per procuratores, vel per litteras contractum, ſit verum novæ legis Sacramentum.

Certum eſt primò, ejuſmodi matrimonia valida eſſe, modò quædam ſerventur conditiones. Prima eſt, ut procurator habeat à ſuo principali mandatum ſpeciale ad contrahendum matrimonium cum certa perſona, & non excedat ſuum mandatum. Secunda eſt, ut mandatũ illud exequatur per ſe, & non per ſubſtitutum, niſi ſpecialem alterius ſubſtituendi facultatem à principali obtinuerit. Tertia eſt, ut tempore contractus poteſtas procuratoris nõ ſit revocata; alias enim nullum foret matrimonium, etiamſi procurator illã revocationẽ ignoraſſet. Quarta, ut poſt publicationem Concilii Tridentini procuratores corã Parocho, & teſtibus contractum ineant.

Similiter matrimonium per litteras contractum validum erit, modò litteræ coram Parocho & teſtibus legantur, præſente altero conjugum, vel per ſe, vel per procuratorem.

Verùm difficultas adhuc manet, an prædicta matrimonia, licèt valida, ſint tamen Sacramenta? Affirmant illi, qui volunt matrimonium omne inter fideles validè contractum, gratiam conferre: hiſque præterea rationibus ſententiam ſuam confirmant. Primò, quia ejuſmodi matrimonia ab Eccleſia permittuntur. Secundò, quia ſunt indiſſolubilia. Tertiò, quia etiam in his matrimoniis gratia eſt neceſſaria: Ergo, inquiunt, prædicta matrimonia ſunt verè Sacramenta novæ legis.

Alii autem plerique etiam è Thomiſtis negant illa matrimonia eſſe Sacramenta. Primò, quia nullum Sacramentum ſuſcipitur per procuratorem, ut patet in Sacramento pœnitentiæ. Secundò, quia vir & mulier, aut dormientes, aut aliter occupati Sacramentũ reciperent, quod Cajetanus cenſet eſſe inintelligibile. Tertiò, quia poſito quod alter conjugum peccato mortali obnoxiꝰ tunc dormiat dũ contrahitur matrimonium, conjux ille dormiendo ſacrilegium committeret. Quartò, quia forma, verba nempe à Sacerdote prolata, debent applicari immediatè materiæ, illis nimirum qui contrahunt. Quintò addi poteſt, quod qui per procuratores contraxerunt, præſentes ſe ſiſtant coram Parocho: quod non facerent ſi matrimonium per procuratores contractum eſſet verè Sacramentum.

CAPUT II.

De impedimentis Matrimonii.

CUm matrimonium non ſolùm Sacramentum ſit, ſed etiam contractus civilis, mirum cuiquam eſſe non debet, ſi tam multiplici ratione irritari, & impediri poſſit.

Quæ verò matrimonium impediunt, non ejuſdem ſunt rationis; nam alia matrimonium non ſolùm contrahendum impediunt, ſed etiam contractum dirimunt, & vocantur impedimenta dirimentia: alia verò impediunt quidem ne matrimonium licitè contrahatur; at ubi contractum eſt, illud non irritant, aut dirimunt, & ea dicuntur impedimenta impedientia tantùm.

Impedimenta dirimentia hiſce verſibus ſolent comprehendi.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Quæ verò matrimonium impediunt tantùm, ſequentes verſus complectuntur.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechiſmus, ſponſalia, crimina, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quibus ſex communiter annectuntur, quæ ex impedimento criminis dicuntur proficiſci, ſuntque.

Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus proprie ſobolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolenniter, aut monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium ſociandum.

SPECULATIO I.

Explanantur impedimenta tum dirimentia, tum impedientia tantùm.

Impedimentum erroris.

QUadtuplex error ſolet recenſeri: error perſonæ, conditionis, qualitatis, & fortunæ.

Primò error perſonæ, quo quis putans contrahere cum Bertha, contrahit cum Catharina, matrimonium dirimit & irritat, niſi fortè errans intendat contrahere cum propoſita perſona, quæcunque illa ſit. Hinc apparet, inter Jacob & Liam non fuiſſe matrimonium, quando illam ſibi pro Rachele ſuppoſitam cognovit carnaliter; ſed tunc tantùm quando errore detecto, Liam in ſuam accepit: non tamen peccavit Jacob Liam cognoſcens, propter facti ignorantiam: cùm enim olim ſponſæ nuptæ, id eſt velatæ ad torum nuptialem ducerentur, nihil mirum ſi illam non agnoverit. Non autem ut Jacob, ita & Lia in hoc facto à peccato debet excuſari; erat enim filia hominis idololatræ, & patri ſuo in re mala obſequebatur.

Secundò error qualitatis, aut fortunæ, quã nempe aliquis credit aut divitem, aut ſobriam ducere, cùm tamen aut vinolentam ducat, aut pauperem, matrimonium non irritat, niſi fortè error qualitatis tranſeat in errorem perſonæ, ut cùm quis credens ducere filiam præſidis, illam ducit quæ præſidis filia non eſt; tunc enim in perſona erratur, & ſic invalidum eſt matrimonium.

[illegible] rſonæ matrimonium ir[illegible] eſt quia conſenſus ma[illegible] circa perſonas, non vero circa [illegible] motiva, quibus inducti [illegible] um præbent. Si tamen ali[illegible] c[illegible] tionem apponeret Illam duco, modo [illegible] ſit prædicta qualitate; tunc cum conſenſus [illegible] tantum conditionatus, non poſita conditione nullus eſſet, atque adeo nullum eſſet matrimonium.

Impedimentum conditionis.

Ultimus error [illegible] iter [illegible] or conditionis, quo aliquis potat liberam ducere, ſervam tamen ducit. Hic conditionis error matrimonium irritat, ſi errans ſit melioris conditionis, ut ſi liber contrahit cum ſerva, quam credebat liberam: non dirimit autem ſi errans ſit inferioris, aut æqualis tantùm conditionis.

Impedimentum voti.

Primò votum caſtitatis duplex eſt, ſimplex, & ſolemne.

Votum ſolemne illud eſt, quod emittitur aut in ſuſceptione ſacrorum Ordinum, aut in profeſſione Religionis. Votum ſimplex illud eſt, quo aliquis privatim votum emittit aut ingrediendæ Religionis, aut Ordines ſuſcipiendi, aut caſtitatis ſervandæ.

Secundò votum ſimplex impedit quidem matrimonium, quoniam matrimonium adimplenoni e[illegible] voti repugnat. at matrimonium contractum non dirimit, quia votum ſimplex, ait Divus Thomas [illegible] eſt imo [illegible] promiſſio corporis proprii, quâ aliquis corpore [illegible] dominio non privatur. unde poſt tale votum poteſt validè, non tamen licitè uxorem ducere.

Tertiò votum ſolenne caſtitatis emiſſum in valida profeſſione Religionis approbatæ dirimit ſubſequens matrimonium, etiam conſummatum, ut docet Concil. Trid. *ſeſſ. 24. can. 9.* Idem dicendum de voto ſimplici, quod emittunt Patres Societatis JESU, peracto biennio, ut decrevit Gregorius XIII.

Quarto votum ſolenne per ſolennem Religionis profeſſionem factum matrimonium ratum quidem, ſed nondum conſummatum dirimit, ut patet ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. can. 6.* Unicuique autem conjugi conceditur ſpatium duorum menſium ad deliberandum de Religionis ingreſſu, quo tempore poteſt debitum ſine peccato denegare.

Quintò matrimonium conſummatum etiam intra bimeſtre non diſſolvitur per ſubſequentem profeſſionem Religionis. unde neuter conjugum validè tunc poteſt Religionem profiteri, niſi primò in caſu perpetui divortii: ſecundò, ſi uterque conjux Religionem ingrediatur. tertiò, ſi alter conjux in ſæculo manens ſenex ſit, & continentiæ votum emittat, modò inſuper Epiſcopi conſenſus accedat.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex diſtinguitur, naturalis, legalis, & ſpiritualis.

Cognatio naturalis.

Cognatio naturalis, ſive conſanguinitas, definitur: Vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum.

In conſanguinitate varii ſunt gradus, qui ſic computantur. Filius dicitur diſtare à patre uno gradu, nepos duobus gradibus, pronepos tribus, & ita deinceps [illegible] dicuntur eſſe in linea recta conſanguinitatis: in linea vero collaterali, ſi Petrus, & Paulus, v. g. ſint ambo pronepotes Joannis, eodem gradu, nempe tertio, à ſe diſtabunt, quo diſtant à communi ſtipite Joanne; & hæc linea vocatur collateralis æqualis: ſi vero Petrus ſit nepos Joannis, cujus Paulus eſt pronepos, tunc Petrus, & Paulus eodem gradu à ſe diſtabunt, quo remotior, nempe Paulus à Joanne communi ſtipite diſtat: [illegible] tunc numerus graduum ſumitur à remotiori, non vero à proximiori: hujuſque rei hæc datur ratio, quoniam ſcilicet aliàs nimis Paulus diſtaret à Petro, quàm à Joanne, quod non videtur dicendum.

Jure Romanorum civili fratrum, & ſororum filii matrimonio jungebantur, quod jus apud ipſos etiam Chriſtianos aliquando locum habuit; ſiquidem filiæ Conſtantini Magni cognatos ſuos matrimonio duxerunt.

In Eccleſia Catholica cognationis impedimentum ad ſeptimum uſque gradum olim extendebatur, ut apparet ex D. Greg. *epiſt. 31.* ex S. Iſidoro, & aliis: nunc ad quartum gradum tantùm extenditur, ut docet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 5.*

Cognatio legalis.

Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum conſurgens ex adoptione. Eſt autem adoptio legitima aſſumptio extraneæ perſonæ in filium, nepotem, &c. vel in filiam, neptem, &c.

Ut aliquis poſſit adoptare, primo debet eſſe maſculus; nam fœmina ſaltem abſque privilegio non poteſt adoptare. Secundo debet eſſe ſui juris. Tertiò non debet eſſe à natura impotens. Quarto debet adoptatum decem & octo annis excedere, ut nempe pater illius carnalis eſſe poſſit. Quintò, ut ſit major viginti quinque annis.

Cognatio legalis contrahitur primò inter adoptantem & adoptatum atque adoptati deſcendentes uſque ad quartum gradum. Secundò inter uxorem adoptantis & adoptatum, & inter uxorem adoptati & adoptantem. Tertiò inter filios carnales adoptantis & adoptatum. Cognatio legalis impedit quominus prædictæ perſonæ validè poſſint inter ſe nubere; eſt enim impedimentum dirimens, quod etiam poſt ſolutam adoptionem manet, excepto tertio caſu, nam ſoluta adoptione cum adoptantis filia validè matrimonium contrahit.

Cognatio ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas conſurgens propter collationem Baptiſmi aut Confirmationis, & propter ſuſceptionem recipientis hæc Sacramenta.

Hæc cognatio contrahitur inter ſuſcipientes & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm, ut docet Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2.*

Contrahitur præterea ex Confirmatione inter confirmatum, illius patrem & matrem, ac patrinum, aut matrinam, ut docet *ibid.* idem Concil.

Porro cognatio hæc ſpiritualis matrimonium etiam dirimit: hinc jubet Concilium Trid. ut Parochi illud diligenter doceant, ne aliquis ignorans invalidum matrimonium contrahat.

De impedimento criminis.

Duplex eſt crimen impedimentum dirimens inducens, crimen homicidii, & crimen adulterii.

Ut homicidium ſit impedimentum dirimens tria requiruntur: primum ut ambo contrahentes conſpiraverint in occiſionem conjugis occiſi: ſecundò, ut idcircò in illius mortem conſpiraverint, ut mortuo conjuge poſſint inter ſe contrahere: tertio, ut mors conjugis ſequatur.

Adulterium tripliciter poteſt eſſe impedimentum dirimens.

Primò quando aliquis occidit conjugem cum intentione contrahendi cum illa, aut cum illo, quocum commiſit adulterium, licèt ille, aut illa quacum adulterium commiſit, illius occiſionis non ſit conſcia; & in hoc differt ſecundum hoc crimen à primo: vocatur autem hoc ſecundum crimen adulterium cum homicidio.

Secundò quando aliquis committit adulterium cum aliqua, cum qua deinde, vivente adhuc uxore,

con-

contrahi[illegible] matrimonium, modo tamen ambo contrahentes ſciverint [illegible] adulterium noviſſe; nam alioqui conjux, quæ [illegible] ſet, mortua priori conjuge poterit agere [illegible] monium ſecum contrahendum.

Tertiò quando [illegible] committit adulterium cum muliere, c[illegible] mortuo illius viro in uxorem ducturum, [illegible] quiritur ut promiſſio illa ſit mutua, [illegible] ſic [illegible] quod ab altera parte acceptetur: neque [illegible] refert, an promiſſio illa facta fuerit ante, vel [illegible] adulterium. Requiritur autem ut promiſſio facta ante adulterium, ante idem matrimonium non retractetur; ſi enim ante adulterium retractaretur promiſſio [illegible] adulterium promiſſioni non conjungeretur; quod tamen neceſſarium eſt, ut impedimentum inducatur.

Eſt ergo quadruplex crimen, quod matrimoium dirimit. Primum occiſio uxoris, in qoam ambo contrahentes eo animo conſpirarunt, ut inter ſe nubere poſſent. Secundum eſt adulterium cum homicidio, etiam ab altera tantum parte perpetrato. Tertium eſt adulterium cum matrimonio, vivente priori uxore contracto. Quartam eſt adulterium cum promiſſione matrimonii facta vivente priori conjuge.

De impedimento diſparitatis cultus.

Cultus diſparitas matrimonium dirimens reperi[illegible] tantum inter fidelem & infidelem, ſive baptiz[illegible] non baptizatum; non verò inter fidelem & [illegible] aut apoſtatam, aut excommunicatum, qu[illegible] grave crimen committatur cum [illegible] Catholicus hæreticam duc[illegible] tum propter Eccleſiæ prohibition[illegible] tum propter [illegible] perverſionis [illegible] poſſet tamen ob graves cauſas ejuſmodi matrimonium [illegible] contrahi.

Quando [illegible] s non baptizatum ducit, aut non baptizatu[illegible] uxitam, nullum eſt matrimonium, idque propter [illegible] Eccleſia univerſaliter receptam, [illegible] communem Doctorum ſententiam, potius quam propter aliquem canonem ejuſmodi matrimonia irritantem. Hæc Eccleſiæ praxis poſt Divi Auguſtini tempora videtur paulatim invaluiſſe, tum quia infidelitas magis ac magis in dies profligaretur: tum quia infideles reſtantes per conjunctionem reſtantem non ampliùs convertebantur.

Notandum autem, quod prædictum matrimonium inter fidelem & infidelem contractum, invalidum & nullum maneat, etiamſi conjux infidelis fidem poſtea profiteatur: quod enim ab initio nullum fuit, manet ſemper nullum & invalidum; unde poſtquam conjux infidelis ad fidem eſt converſus, matrimonium de novo contrahi debet.

Quod ſpectat ad matrimonium quod infideles inter ſe contrahunt, certum eſt illud eſſe validum: quædam tamen difficultates circa illud ſolent excitari.

Prima eſt, an liceat conjugi ad fidem converſo conjug[illegible] ate remanentem dimittere? Aliqu[illegible] quan[illegible] infidelis cum fideli paci[illegible] tat. [illegible] illud Apoſtoli 1. Corinth. 7. [illegible] *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit hab[illegible] cum [illegible] non dimittat illam.* Volunt enim hiſce A[illegible] verbis præceptum contineri de non dimit[illegible] infideli pacificè cohabitante. Veriùs tamen [illegible] D. Auguſtino & aliis antiquis Apoſtoli verba explicant non de præcepto, ſed de conſilio uxorem pacificam non dimittendi, ut apparet ex integra prædicti contextus lectione, quæ ſic ſe habet. *[illegible] Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem [illegible] infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Quem Apoſtoli locum explicans D. Auguſtinus *lib. 1 de adulter. conjug. cap. 81.* ſic loquitur: *Quoniã ab [illegible] fidelis fidelem diſcedere nec prohibet, nec jubet Dominus, ideo [illegible] ait [illegible] minus, habe[illegible] Spiritum [illegible] poſſit utile [illegible] fidele con[illegible] eſt Domini jubentis imperium, alio[illegible] miſericordiam, quæ illi a Domino eſt inſpirata, atque donata, fidele conſilium. [illegible] Aliud ibi [illegible] licet, hic autem licet. [illegible]: Tunc autem non expedit id quod licitum eſt, quando permittitur quidem, ſed uſus ipſius poteſtatis alii affert impedimentum ſalutis; ſicut eſt diſceſſio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injuſta non eſt: ſed prohibet Apoſtolus conſilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum ſalutis.*

Non ergo præcepit Apoſtolus, ſed conſuluit tantùm, ut fidelis infidelem pacificam non dimittat; expedit enim, ut cum illa manens ad ſalutem conetur illam pertrahere: cum verò refrigeſcente fidelium charitate majus eſſet periculum ne perverteretur fidelis, quàm ſpes infidelem convertendi, prohibitum fuit in Concilio Tolstano quarto circa annum 630. ne Judæi ad fidem converſi manerent cum uxoribus, quæ poſt dat[illegible] ſibi tempus fidem nollent amplecti. Id quod poſtmodùm ad infideles omnes ex generali Eccleſiæ conſue[illegible]dine extenſum eſt.

Secunda difficultas eſt, an fideli liceat relicta infideli conjuge aliam conjugem fidelem ducere? Reſpondeo id licere quando conjux infidelis cum fideli aut nullo modo, aut non niſi cum contumelia Creatoris habitare conſentit. Id docet Innocentius III ad Ferrarienſem Epiſcopopum ſcribens, his verbis. *Si alter conjugum ad fidem Catholicam convertatur altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit; [illegible] in hoc caſu intelligimus quod ait Apoſtolus. Si infidelis diſcedit, diſcedat; [illegible] frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi; & canonem etiam in quo dicitur contumelia Creatoris, ſolvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.* Si verò conjux infidelis non renuat pacificè cum fideli habitare, tunc [illegible] cebit quidem fideli infidelem dimittere; at quandiu conjux infidelis vivet, fidelis non poterit ad ſecundas nuptias tranſvolare, ut ſatis colligitur ex prædictis verbis Innocentii III. *Et in hoc caſu, &c.* quæ omnem alium caſum videntur excludere: quod etiam manifeſtius colligitur ex alia ejuſdem Innocentii epiſtola ſcripta ad Tiberiadis Epiſcopum.

Tertia difficultas eſt, quando prædictum matrimonium diſſolvatur? Alii dicunt illud ſolvi quando infidelis eſt in Chriſtum contumelioſus alii quando infidelis à fideli dimittitur. alii melius reſpondent, tunc matrimonium diſſolvi, quando fidelis novum matrimonium contrahit, id enim obſcurè docet Innocentius III. in epiſtol[illegible] ad Epiſcopum Tiberiadenſem, ibi. *Quod ſi converſam ad fidem & illa converſa [illegible] quatur, antequam legitimam ille ducat uxorem eam [illegible] recipere compelletur.* Ergo manet prius conjugium quandiu fidelis conjux aliam fidelem non duxit.

De impedimento vis.

Matrimonium non fit niſi per mutuum conſenſum, eumque voluntarium: [illegible] autem conſenſus voluntarius ſit, vis impedit. Eſt verò vis duplex: nam alia vis eſt quæ conſenſum omninò aufert, quando nempe aliquis coactus exterius quidem conſentit, aut potius conſentire fingit; interiùs verò diſſentit: & tunc cùm nullus ſit verus conſenſus, patet nullum eſſe matrimonium.

Eſt & alia vis, quæ metum incutiendo efficit, ut aliquis conſentiat [illegible] qui ſepoſito illo metu nunquam conſentiret: eſtque prædictus metus rurſus duplex; nam alius in virum conſtantem dicitur cadere, alius in virum non conſtantem.

Metus cadens in virum conſtantem is dicitur, quo

quo fit ut ad majus malum evitandum minus eligatur; ut ſi aliquis malit conſentire in matrimonium, quàm mori, graviter mutilari, &c. Quando autem aliquis conſentit metuens ne aliquot nummos, aut pallium v. g. amittat, ne è gratia domini ſui excedat, tunc meliùs ille dicitur cadere in virum inconſtantem & imbecillem. Ut autem cognoſcatur quis metus in virum conſtantem cadat, quis non cadat, ad virum prudentem, & maximè ad Epiſcopum erit recurrendum.

Hoc poſito docent communiter Doctores, ſolum metum gravem injuſtè illatum, ad hoc ut matrimonium fiat, reddere matrimonium irritum.

Ex quo colligitur primò, metum levem, ſive in virum inconſtantem cadentem, non irritare matrimonium. Secundò neque etiam metum gravem irritare matrimonium, ſi juſtè inſecatur, ut ſi quis metu mortis eam ducere cogatur, quam ſe ducturum antè juravarat. Tertiò, neque etiam matrimonium irritari, ſi metus non inſeratur ad hoc ut matrimonium fiat. Unde validum eſt matrimonium, quod aliquis morte condemnatus cum meretrice contrahit, ut mortis ſupplicium poſſit devitare.

De impedimento Ordinis,

Ordines majores dirimunt matrimonium ſubſequens, non verò matrimonium antè contractum: imò ſi aliquis invita & reclamante uxore Ordines ſuſciperet, teneretur uxori petenti debitum reddere, verùm nullam Ordinis ſui functionem poſſet exercere: hoc enim ipſo, quo Ordines abſque uxoris conſenſu ſuſcipit, incurrit irregularitatem, ut patet ex extravaganti *Antiqua, de voto.*

De impedimento ligaminis.

Ligamen eſt vinculum prioris matrimonii, quo durante poſterius matrimonium eſt invalidum.

De hoc impedimento ita loquitur Clemens III. ad Cæſarauguſtenſem Epiſcopum: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Idem docet Lucius III. ad Chriſtianos Saracenorum captivos ſcribens, addito inſuper: *Quod ſi aliquis, vel aliqua ad ſecundas nuptias migrare præſumpſerit de morte prioris conjugis adhuc dubitans, ei qua ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen noverit nullatenus exigendum. Quod ſi poſt hoc de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur.*

De impedimento honeſtatis.

Impedimentum publicæ honeſtatis matrimonium dirimens oritur primò ex ſponſalibus validis & certis. Secundò ex matrimonio rato, non conſummato; cum hoc tamen diſcrimine. Primò, quod honeſtas orta ex ſponſalibus ad primum tantùm; orta autem ex matrimonio rato, ad quartum gradum ſe extendat. Secundò, quod impedimentum honeſtatis non oriatur niſi ex ſponſalibus validis, oriatur verò ex matrimonio etiam invalido, putà clandeſtino: non oriretur tamen ſi matrimonium eſſet invalidum ratione conſenſus.

De impedimento amentiæ.

Cùm furia, ſive amentia uſum rationis tollat, qui ad conſenſum matrimonialem neceſſariò requiritur, certum eſt illum qui perpetuâ amentiâ laborat, non poſſe matrimonium contrahere: ſi tamen matrimonium ante amentiam contractum fuerit, per amentiam ſubſequentem non diſſolvetur. Sic intelligi debet quod habetur apud Gratianum 32. *quæſt.* 7. ibi: *Neque furioſus, neque furioſa matrimonium contrahere poſſunt; ſed ſi contractum fuerit, non ſeparentur.*

Quod ſi furia non ſit perpetua & continua, poterit amens cùm ratione utetur matrimonium contrahere; ejuſmodi tamen matrimonia debent diſſuaderi, quoniam amentes & furioſi inepti ſunt ad prolem educandam.

De impedimento affinitatis.

Affinitas eſt propinquitas ex carnali copula, aut licita, aut illicita. Si verbi gratiâ Titius conjungatur Berthæ, tunc Titius erit affinis conſanguineis Berthæ, & Bertha conſanguineis Titii: idque in eodem prorſus gradu, in quo conſanguinei Titii ſunt ad ipſum Titium; eadem enim ratione numerari debent gradus in affinitate, atque in conſanguinitate.

Advertendum autem eſt, quod per ejuſmodi copulam carnalem contrahatur affinitas inter eos qui ſic conjunguntur, & inter alterius conſanguineos; non verò inter conſanguineos unius, & conſanguineos alterius: unde duo fratres poſſent duas ſorores validè ducere.

Affinitas quæ provenit ex copula licita, ex actu nempe matrimoniali, matrimonium dirimit uſque ad quartum gradum: quæ verò provenit ex copula illicita, uſque ad ſecundum gradum, ut definit Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 4.*

Quod ſi aliquis poſt contractum & conſummatum matrimonium affinitatem cum conjuge contrahat, cognoſcendo v. g. illius ſororem, tunc conjux inceſtus illius reus privatur jure petendi debitum; quod tamen alteri petenti tenetur reddere.

De impedimento matrimonii clandeſtini.

Matrimonium clandeſtinum propriè dicitur, quod clam, & ſecluſo omni teſte contrahitur. Verùm apud Catholicos illud etiam matrimonium clandeſtinum habetur, quod aliter quàm coram Eccleſiæ miniſtro, & quibuſdam teſtibus contrahitur.

Matrimonium clandeſtinum ante Concilium Tridentinum validum erat, & etiamnum validum eſt in illis locis, in quibus Concilium Tridentinum aut non eſt promulgatum, aut non eſt acceptatum, quantum ad hoc decretum; lex enim niſi promulgata fuerit & acceptata, non obligat.

Cùm autem leges non cadant abſolutè ſuper perſonas, ſed ſuper perſonas exiſtentes in loco ubi leges receptæ ſunt; ſequitur primò, quod incola unius loci, in quo promulgatum, & acceptatum fuit Concilium Tridentinum, poſſit validè contrahere abſque Parochi præſentia, ſi exiſtat in Græcia, v. g. ubi non promulgatum fuit Tridentinum. Sequitur ſecundo, Græcum non poſſe validè contrahere abſque præſentia Parochi in ea provincia, in qua receptum eſt Tridentinum.

Licèt verò matrimonia clandeſtina ante Concilium Tridentinum Eccleſia non annullaverit; illa tamen ex juſtiſſimis cauſis ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit: cùmque prohibitiones illæ propter hominum inobedientiam non prodeſſent, & plerique priore uxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contraherent, & cum ea in perpetuo adulterio viverent; idcirco prædicta matrimonia irritavit ſancta Synodus Tridentina hiſce verbis: *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendū omninò inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.* Ita Synodus Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1.*

Ac ut prædictis matrimoniis clandeſtinis efficacius remediū adhiberet Synod⁹ Tridentina, *Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcepit,*

præcepit, ut in poſterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia publicè denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur. ::: Quod ſi aliquando probabilis fuerit, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur. Quod illius prudentiæ & judicio ſancta Synodus relinquit. Ita Concil. Trident. *loco jam citato.*

Cernis quàm circunſpectè præcipiat Concilium, ut denunciationes matrimonii celebrationi, aut ſaltem conſummationi præmittantur: quare non immeritò docent Theologi, illum peccati mortalis reum eſſe, non ſolùm qui omiſſis illis denunciationibus matrimonium contrahit, ſed etiam qui contractum conſummat: addentes non poſſe Epiſcopum ab ejuſmodi denunciationibus diſpenſare, ſi nulla ſubſit ejus diſpenſationis cauſa.

De impedimento impotentiæ.

Impotentia alia provenit ex ætatis imbecillitate, alia ex naturali frigiditate, alia ex maleficio: rurſus alia perpetua eſt, alia non perpetua, ſed temporaria tantùm: tandem alia reſpectiva dicitur, alia abſoluta.

Impotentia coëundi ſi perpetua ſit, matrimonium dirimit: quo diſſoluto, conjux quæ impotens non eſt, ad alias nuptias poterit tranſvolare; conjux verò impotens, ſi impotentiâ abſolutâ laboret, matrimonium non poterit de novo contrahere: ſi verò reſpectivè tantùm impotens ſit, poterit cum illa contrahere, reſpectu cujus non erit impotens.

Quando dixi impotentiam perpetuam matrimonium dirimere, illud intelligendum eſt de impotentia quæ matrimonium præceſſit; nam illa quæ matrimonio etiam tantùm rato, & nondum conſummato ſuperveniret, matrimonium non annullaret, quia quod ſemel validum fuit, dirimi nequaquam poteſt.

Porrò ut cognoſcatur, an impotentia perpetua ſit, an temporaria tantùm, interrogandi ſunt primùm conjuges, & præmiſſo juramento eorum reſponſiones in ſcripta redigendæ: deinde ſeorſim vocandi conjugum propinqui, ut quod hac ſuper re ſciverint, deponant: tum ſi neceſſe eſt, procedendum ad ſexuum inſpectionem, mulieris quidem per obſtetrices juramento adactas; viri autem per Medicos & Chirurgos, ſimiliter juratos. Quo facto, ſi nihil adhuc certi cognoſcatur, Jure Romano & Pontificio determinatur triennii tempus [in quibuſdam autem Galliæ locis dies unus, in aliis menſes tres ſtatuuntur,] quo tempore poterit quilibet conjux alterum cum plena libertate adire, ut experiantur an coire poſſint. Hoc autem tempore elapſo, ſi cognoſcatur alterutrius impotentiam eſſe perpetuam, diſſolvetur matrimonium: ſi verò vir neget ſe eſſe impotentem, reclamante muliere, non diſſolvetur matrimonium, niſi mulier ſe adhuc virginem probet, aut alia ratione viri ſui impotentiam poſſit manifeſtare.

Difficultas autèm eſſe poteſt, an impotentia ex maleficio proveniens judicanda ſit perpetua? Ad quam reſpondendum, illam perpetuam haberi debere, ſi per ſolum maleficium poſſit tolli; ut enim fert Juriſprudentiæ axioma, illud non poſſumus, quod jure non poſſumus: illud autem jure non poſſumus, quod non poſſumus abſque peccato.

Quæri poteſt præterea, an eunuchus qui vas fœmineum ingredi poteſt, poſſit validè matrimonium contrahere? Reſpondeo illos invalidè contrahere, quia tunc tantùm conjuges una caro efficiuntur, quando vir intra vas mulieris ſemen immittit. Illud autem declaravit Sixtus V. anno 1587.

Quæritur inſuper, an mulier ſterilis habenda ſit impotens?

Reſpondeo eam non haberi impotentem; docent enim exemplo Saræ, Rebeccæ, Annæ, & aliarum, verum matrimonium à ſterilibus mulieribus poſſe contrahi: unde mulier, quantumvis vetula, ſi non ſit arcta, poterit validè contrahere; ſecus tamen dicendum eſt de ſene omninò decrepito, quem conſtat omninò eſſe inhabilem ad copulam; nam in illo eſſet impotentia perpetua.

Superſunt ea enodanda, quæ ad hermaphroditum ſpectant, in quo ſi alter ſexus prævaleat, poterit ſecundùm illum ſexum matrimonium inire; ſi verò neuter ſexus prævaleat, poterit eligere quem maluerit, & ſecundùm illum matrimonium inire, cui non intererit Parochus antequam hermaphroditus coram Judice Eccleſiaſtico jurando promiſerit ſe ſexum non mutaturum. Si tamen mortuo priori conjuge ſecundùm alium ſexum matrimonium iniret, validè contraheret, non obſtante juramento de non varianda ſexus electione coram Judice Eccleſiaſtico præſtito.

De impedimento raptus.

De raptu ita loquitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. *Decernit ſancta Synodus inter raptorem, quamdiu ipſa in raptoris poteſtate manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominus raptor ipſe, ac omnes conſilium, auxilium & favorem illi præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi clerici fuerint, de proprio gradu excidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Quæres de quo raptore loquatur Concilium? Reſpondeo Concilium de illo loqui, qui mulierem etiam à ſe deſponſatam per vim abducit aut ad libidinem, aut ad matrimonium; non verò de illo qui mulierem conſentientem, invitis licèt parentibus abduceret.

De impedimentis non dirimentibus.

Impedimenta non dirimentia ſunt primò Eccleſiæ vetitum; prohibet enim Eccleſia, ne certo anni tempore, nempe à prima die Adventus ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſivè matrimonium contrahatur.

Secundò catechiſmus, ſive inſtructio Fidei, quæ fit ſolenniter ante januam Eccleſiæ ſuper baptizando, vel jam baptizato, ex qua tenens puerum contrahit cognationem ſpiritualem imperfectam. Verùm hoc impedimentum à multis dicitur per Concilium Tridentinum ſublatum fuiſſe.

Tertiò ſponſalia, quando nempe aliquis ſponſalia priùs cum alia contraxit, hæc enim ſponſalia impediunt ne cum alia contrahat.

Quartò crimina, quæ ſunt primò inceſtus cum conſanguinea conjugis, aut fornicatio habita cum matre aut filia. Secundò raptus alienæ ſponſæ: tertiò occiſio uxoris: quartò ſuſceptio propriæ ſobolis in Baptiſmo, aut in Confirmatione eo fine, ut debitum non poſſet reddere. Quintò occiſio Presbyteri: ſextò publica pœnitentia, quandiu illa durat: ſeptimò conjugium cum moniali ſcienter contractum. Sed hæc omnia impedimenta in uſu eſſe deſierunt, cùm qui illis irretiti ſunt, ſine ulla diſpenſatione videntibus Prælatis quotidie contrahant.

Quintò

Quintò votum ſimplex caſtitatis, de quo egimus cùm explicabamus votum ſolenne.

SPECVLATIO II.

Quæritur quænam ex prædictis impedimentis ſint de jure naturali, quænam de jure poſitivo.

PRimò cùm metrimonium contrahi non poſſit ſine conſenſu, conſenſus autem ſine rationis uſu neutiquam eſſe poſſit, patet amentiam eſſe impedimentum ex jure naturæ matrimonium dirimens: patet etiam, infantes ante uſum rationis eodem jure non poſſe contrahere.

Secundò, cùm ille qui matrimonium contrahit, in certam quandam perſonam conſentiat, patet illius conſenſum nullum eſſe, ſi alia ſupponatur perſona: non aliter atque emptio auri nulla & invalida futura eſſet, ſi pro auro ſubſtitueretur aurichalcum; ſicque conſtat errorem circa perſonem ex jure quoque naturali matrimonium dirimere.

Tertiò, cùm matrimonium ſit ex natura ſue indiſſolubile, illius autem indiſſolubilitati repugnet metus viro conſtanti injuſtè incuſſus, quatenus qui ejuſmodi metum paſſus eſt, poteſt juſtiſſimè queri de conſenſu extorto, atque poſtulare ut in priſtinam libertatem reſtituatur; idcirco impedimentum vis ex jure quoque naturæ videtur emanere.

Quarto, cùm ad ſubſtantiam metrimonii pertinear, ut mutuò vir & mulier dent & accipiant corporum poteſtatem; ejuſmodi verò poteſtatem tradere non poſſint qui perpetuâ laborant impotentiâ, certum eſt impotentiam naturæ jure matrimonium dirimere.

Quintò, quoniam ille corporis ſui poteſtetem conjugi tradere non poteſt, qui corporis ſui poteſtatem ampliùs non habet, evidens eſt ligameo eſſe impedimentum dirimens ex jure naturæ.

Sextò, quoniam qui votum ſolenne emittit, non ſolùm corpus ſuum, ſive corporis dominium Deo promittit, ſed etiam acceptante Eccleſia actu tredit; idcirco qui votum ſolenne emiſerunt, non poſſunt ex jure naturæ, ut probabilior fert opinio, poſt ejuſmodi votum validè contrahere. Idem dic de Ordinibos, non quidem quatenus Ordines ſunt, ſed quatenus votum ſolenne includunt.

Septimò propter quandam indecentiam & turpitudinem fit, ut etiam ex jure naturali nullum ſic matrimonium inter conſanguineos contractum, ſaltem in primo gradu lineæ, tum rectæ, tum tranſverſæ, id eſt inter parentes & filios, idque in perpetuum, & inter fratres & ſorores. Propter eandem indecentiam irritum ſimiliter eſt matrimonium ab affinibus, ſaltem in primo gradu lineæ rectæ. Dixi *ſaltem*, quia non deſunt qui cenſent, & quidem ſatis probabiliter, matrimonium item jure naturæ nullum eſſe, qood inter ſe contraherent privignus & noverca, vitricus & privigna; ac proinde etiam genere & ſocrus, ſocer & nurus.

Cætera autem omnia impedimenta, quæ hic non recenſuimus, non ex aliquo naturæ jure, ſed ex jure Eccleſiaſtico profluunt: quare reſtat oſtendendum, Eccleſiam potuiſſe ejuſmodi impedimenta matrimonio apponere.

SPECVLATIO III.

Oſtenditur Eccleſiam potuiſſe quædam impedimenta matrimonio apponere, à quibus proinde poterit etiam contrahentes diſpenſare.

ECcleſiam poſſe impedimenta matrimonii conſtituere, probatur primò ex eo, quod matrimonium non ſolùm Sacramentum ſit, ſed etiam contractus: quare cùm Eccleſia poſſit apponere conditiones, quibus non ſervatis, contractus ſit irritus, poterit etiam matrimonio impedimenta apponere.

Probatur ſecundò, quia Præfecti Eccleſiæ ſunt Dei miniſtri, ac proinde poteſtatem habent condendi leges ad Eccleſiæ gubernationē pertinentes: tales ſunt leges de matrimonio aut impediendo, aut irritando; cùm per prædicta leges pleraque mala evitentur, cæteroquin vix ac ne vix quidem evitanda, ut apparet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. quapropter eae leges Eccleſia potuit procul dubio conſtituere.

Probatur tertiò ex Concilio Tridentino, in quo anathema dicitur illi qui dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimenna, vel in iis conſtituendis erraſſe. Ita *ſeſſ.* 24. *can.* 4.

Cùm Eccleſie poſſit quædam matrimonii impediments conſtituere, dubium non eſt quod etiam in illis poſſit diſpenſare; cùm enim prædictæ leges ſint merè poſitivæ, ex jure naturali nequaquam emanantes, patet penes illum eſſe prædictas leges irritare, aut ab illis diſpenſare, penes quem fuit illarum condendarum poteſtas.

Circa prædicta impedimenta diſpenſare ad ſolum Papam regulariter pertinet: quando tamen Ordinarii ex omni memoria in quibuſdam impedimentis diſpenſandi jus ſemper conſervarunt, in eiſdem impedimentis licite & validè poſſunt diſpenſare; qui verò jus illud non ſervarunt, non poſſunt diſpenſare, niſi fortè matrimonium jam ſit bone fide contractum, neque adiri poſſit primæ Sedes ob conjugum paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſve ſimiles cauſas.

Una ſolùm ſupereſt difficultas, an ſcilicet Principes ſæculares poſſint impedimenta dirimenna circa metrimonium conſtituere? Affirmant communiter Doctores, & meritò quidem; ad Reges enim, aliosve Principes ſæculares pertinet leges quaſdam ſtatuere, ſecundùm quas contractus fieri debeant, & quibus non ſervatis, contractus ſecus initi nulli ſint.

Addunt tamen plerique Doctores moderni, hanc circa matrimonium poteſtatem Principibus ſæcularibus ab Eccleſia fuiſſe ademptam: verùm alii affirment, prædictum jus Regibus, aliſve Principibus nunquam fuiſſe ademptum, cujuſce rei qui pleniorem notitiem volet adipiſci, conſulat librum de Regia in Matrimonium poteſtate, in quo quæcunque ad præſentem quæſtionem ſpectant, fusè pertractantur.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

RERVM MEMORABILIVM, QVÆ HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

Numerus paginam, Litera A. columnam primam, B. ſecundam indicat.

ABjectio *ſalvatori noſtro à Iudæis inflicta*. 133.

Abſolvere *poteſt in mortis articulo quilibet ſacerdos quoslibet à quolibet peccato & cenſura*. 533. *a*. 223. *b. abſolutio dabatur olim poſt ſatisfactionem impletam*. 510. *a. quondam abſolutionis forma*. 527. *a. ſit ne forma precatoria, an judicialis. ibid. b. abſolutio à cenſuris poteſt eſſe precatoria* 529. *b. approbatur an poſſit invito parocho abſolvere* 532, *a. an ad eam ſemper neceſſaria ſit poteſtas jurisdictionis* 532. *a. neganda eſt recidivis* 573. *a. illa abſolutionis denegatio recidivis ſæpe eſt utilis*. 574. *a. b*. 576. *danda verò illis qui rationabiliter exiſtimantur converſuri* 575. *a. faciles nimis ſunt multi in abſolvendo* 576. 577. *neganda eſt veſtium luxui nimiùm deditis, & peccandi occaſionem non vitantibus*. 579. *a feſtina & faciles abſolutiones quanta invexerint mala*. 582. *b. abſolutionem negare, non eſt ſapere Novatum*. 586. *a. moribundis non eſt deneganda: an etiam ægris*. 585. *b. abſolutio poteſt etiam tempore paſchali differri*. 587. *b. v.* Pœnitentia.

Abuſus *tollendi* 582. *b*. NB. *Accidentia*.

Acetum *in euchariſtia ex ſpeciebus factum unde proveniat, cum abſit vini ſubſtantia*. 360 *a. b*.

Actiones *Chriſti divina, humana, mixta: perque eas potuit mereri*. 63. *a*.

Actus *conjugalis quando licitus vel illicitus*, 629. *a. b*. *v*. Conjuges. Copula.

Accidentia *ſine ſubjecto in euchariſtia ſuſtentantur* 359. *a*. 336. *a. b. an plura accidentia in eodem ſubjecto poſſint recipi*. 364 *b*.

Adam *habuit virtutes morales infuſas primo productionis inſtanti* 61. *a. eo non peccante, Deus non fuiſſet incarnatus* 19. *b. v*. Gratia, Incarnatio.

Adoratio *quid, & unde* 96. *a. non labiis, ſed corde Deus adorandus eſt. ibid. b. adoratio Chriſti in euchariſtia*. 378. 379. *v*. Cultus. Oratio.

Adulteri *quomodo irregulares* 608. *a*.

Advocatus *noſter Chriſtus eſt*. 94. *a*.

Ægris *an, & quando neganda abſolutio* 585. *b*.

Ætas *confirmandorum*. 292. *a. communicantium*. 460. *a. b*.

Affinitas *quomodo ſit matrimonii impedimentũ* 638. *b*

Afflictio *cur juſtis infligatur* 13. *b. afflictiones non ſunt mala, ſed bona* 141. *a. b. eas Deus temperat* 150. *b. non tolluntur per baptiſmum* 254. *b*. *v* Tribulatio.

Agape *convivium veteribus uſitatum quid?* 472. *a*.

S. Agnetis *martyrium mirabile* 297. *b*. 265.

Agnum *paſchalem quando immolabant Iudæi* 368. *a*.

Amor *Deum ad nos traxit: eique nil difficile* 3. *a*. 15. *ſi vis amari, ama* 15. *a. divinus nihil terreni compatitur* 29. *b. & valde ſuavis eſt* 89. *a. Deo debemus amorem, ut ipſa dictat natura* 104. *b*. 106. *amoris incentiva* 105. *a. non debet eſſe otioſus ſed operativus ibid. b. amor divinus in ſe, effuſus in alios* 132. *a. Chriſti amor in matrem, homines & peccatores incredibilis* 134. 135. *in redemptione noſtra* 136. *a. amoris decem ſunt gradus, & quomodo eos Chriſtus exercuerit ibid. b. Chriſti amor in paſſione eminet; viciſſim nos Chriſtum amare debemus* 394. 138. 139. 412. *de dilecto nunquam ſatis* 141. *b. amor Dei in euchariſtia* 393. 394. 412. *b*. 410. 411. V. Euchariſtia *amor fuit cauſa inſtituta euchariſtiæ* 411. *b. eaque eſt amoris effuſivum* 416. *a. b. amantis proprietates* 416. *ſeq. an in attritione requiratur aliquis amor Dei* 553. 554. *ſeq*. V. Timor. *ſine amore non juſtificabatur Iudæus, & juſtificabitur Chriſtianus?* 560. *b. amor Dei eſt character Chriſtianiſmi ibid. excludit peccatum, & ſervat ab eo &c*. 562. 563. v. Charitas.

Amentibus *an, & quando præbenda euchariſtia* 460. *b. prohibentur ordinari* 606. *b. quomodo amentia impedimentum matrimonii* 638. *a*.

Anima *hominis valde eſt pretioſa* 21. *a. b. Chriſti gratiâ habituali decorata* 51. 52. *animæ ſtatus conjunctionis & ſeparationis* 74. *a. anima ſalus non differenda* 211. *b. Chriſtus poſuit animam pro ovibus* 139. *b. anima Chriſti deſcendit ad inferos* 147. *b. animæ ſanitatem confert pœnitentia, & vires roborat* 542. *b. animarum cura grave eſt officium* 581. *a. b*.

Anna *mater Mariæ* 166. *a*.

Annihilatio *quid eſt, & an in tranſubſtantiatione fiat annihilatio* 361 *a*.

Angeli *quomodo incarnationẽ cognoverint* 3 *a. an angelus potuerit incarnari* 4. *a. angeli non acceperunt gloriam & gratiam à Chriſto eſſentialem, ſed accidentalem* 55. *b*. 56. *a. affectarunt angeli Dei potentiam* 38. *b. eſſentialis gloria angelis duplici titulo collata* 57. *b*. 64. *a. habuerunt fidem in Chriſtum* 57. *b. angelos non licet adorare cultu latriæ velut Dei imagines* 108. *a*.

Apetire *duplex ſignificatum* 117. *b*.

Apoſtatæ *ſunt irregulares* 610. *b*.

Apoſtoli *quinam teſtes transfigurationis* 162. *b. euchariſtiam proſtrati ad pedes Chriſti acceperunt* 381. *a*.

Apparitio *Chriſti reſurgentis quibus facta* 153 *b. qualis Chriſti apparitio fuerit* 154. *a*.

Appetitui *ſenſitivo inhærent virtutes morales* 60. *a*.

Approbatio *V*. Juriſdictio, Abſolvere.

Aqua *naturalis eſt materia remota baptiſmi, variis figuris præſignata* 244. *a. b. aquæ proprietates baptizatis applicantur* 251. *b. aqua baptiſmi debet conſecrari* 259. *a. V*. Baptiſmus. *Aqua vino miſcenda in euchariſtia* 387. *V*. Euchariſtia.

Arbitrium *liberum habuit Chriſtus* 79. 80. *V*. Voluntas.

Archidiaconi *quales ſunt* 622. *b*.

Archiepiſcopi *quinam, & eorum tituli* 617. *b. V*. Epiſcopus.

Archipresbyteri *quinam* 620. *b*.

Ariani *adorabant Chriſtum in euchariſtia ut puram creaturam* 380. *b*.

Ariditas *cordis tollitur per* S. *Euchariſtiam* 428. *b.*

Arnaldus *benè de præſentia Chriſti in euchariſtia ſcripſit* 310. *a.*

Aſcenſio *Chriſti mirabilis & neceſſaria quomodo facta* 155. *a. b. aſcendit virtute propria ſuper omnes cœlos & creaturas ad dexteram Patris* 156. *a. eſt cauſa noſtræ aſcenſionis ibid. b. vult noſtra ad ſe corda trahere* 157. *a.*

Attentio *mentis requiritur ad percipiendos euchariſtiæ fructus* 461. *a.*

Attributa *Dei mirificè lucent in incarnatione* 6. 7.

Attritio *quid: non differt ſpecie à contritione* 513. 514. *vera attritionis vis* 514. *a. b. an ſine ullo Dei amore, ſolo inferni metu ad pœnitentiæ ſacramentum ſufficiens* 553. *b.* 554. *ſeq. quid de hoc dicat* Concilium Trid. 559. *a. b.* v. Dolor, Contritio, Pœnitentia. Timor.

Auxilia *ſufficientia quomodo nobis dentur* 64. *b.*

Azymorum *dies quis* 366. *b.* v. Dies. *in pane azymo inſtituta eſt euchariſtia* 366. *a. b. Cur hic convenientior fermentato* 385. *b.* v. Euchariſtia.

Baptiſmus *Ioannis non fuit verum ſacramentum, nec contulit gratiam; licet probabiliter uſus fuerit aliqua forma* 118. *a. b.* 280. *Chriſtus à Ioanne convenienter fuit baptizatus* 118. 119. *baptiſmi character eſt potentia receptiva aliorum ſacramentorum* 211. *b. an poſſit dormienti conferri* 220. *a. Cyprianus baptiſmum ab hæreticis collatum volebat reiterari, ſed male* 221. 222. *omnis homo poteſt eum conferre* 222. *b. quænam intentio requiratur ad eum conferendum* 78. 79. *collatus ab hæreticis, infidelibus, Iudæis &c. eſt validus* 234. *a. baptiſmi definitio & natura* 240. *b. olim totus immergebatur homo, nunc abluitur. ibid. vocatur regeneratio, ſacramentum illuminationis, Chriſtianorum ſigillum, vel ſignaculum, cuſtodia vel præſidium* 241. *a. b. quo tempore à Chriſto inſtitutus, & quando obligabat* 242. *a. b. aqua naturalis eſt materia remota baptiſmi, proxima, ablutio; variis ſignis præſignata* 244. *a. b. in una gutta, glacie, nive, grandine &c. non valet ibid. b. ejus forma quænam: explicatur* 245. *a. b. variæ traduntur formæ* 246. *a. an liceat conferre nomine Chriſti* 246. 247. *ejus miniſter ordinarius, ſacerdos; neceſſitatis, omnis homo: in hoc tamen aliquis ordo ſervandus* 247. *a. b. nemo ſeipſum poteſt baptizare ibid. b. plures an unum poſſint baptizare* 248. *b. homo eſt ſubjectum baptiſmi; qui eſt neceſſarius neceſſitate medii* 249. *b. quamprimum eſt parvulis conferendus: quid de adultis* 250. *a.* 252. *a. ſine eo infantes morientes pereunt* 251. *b. martyrio baptizati ſalvantur ibid. b. votum baptiſmi in adultis morte præventis, an ſalvet* 252. *a. aquæ proprietates baptiſmo collatæ, Chriſtiano applicantur* 252. *b. baptiſmi effectus: tollit omne peccatum originale & actuale; non tamen concupiſcentiam* 253. *b.* 278. *relaxat omnes pœnas peccatis debitas; non tamen ærumnas & pœnalitates* 254. *a. b. infundit gratiam divinæ nos naturæ conſortes efficientem; infundit virtutes ad Chriſtianam vitam inclinantes, & ad bona opera fœcundantes* 255. *a. b. confert animi pacem, conſcientiæ tranquillitatem, & cœlum aperit* 256. *a. b. ejus character quid efficiat. ibid. b. quando ſub conditione conferendus* 257. *a. ejus effectus & gratia an omnibus æqualiter conferantur. ibid. b. ejus cæremoniæ* 259. *a. b. ejus anniverſarium cur olim ſervabatur* 261. *b. eſt fluminis, flaminis, ſanguinis: multi voto baptiſmi ſalvati* 262. 263. *ſanguinis ex opere operato juſtificat.* 264. *a.* v. Martyrium. *baptiſmus collatus parvulis Iudæorum, infidelium renitentium validus, ſed illicitus eſt* 271. 272. 273. *an pueris hæreticorum & ſciſmaticorum renitentium poſſit conferri* 272. *a. quando parentibus invitis poſſit conferri ibid. b. mancipiorum filii an parentibus invitis poſſint baptizari ibid. quid de filiis ſub tutoribus invitis?* 274. *b. baptiſmi fictio quid, & quotuplex* 276. *a. qui poſt ſuſceptum ficte baptiſmum verè pœnitet, non ſolum fictionis veniam, ſed fructum baptiſmi impetrat ibid. b.* V. Fictio. *baptiſmus eſt Sacramentorum janua* 291. *b. cur baptizatus Chriſmate inungitur* 296. *b.* 301. *a. an hæc unctio ſuppleat confirmationem* 301. *b. cur epiſcopi in ſolemni baptiſmo non adhibent chriſmationem* 302. *a. b. baptiſmi & euchariſtiæ diſcrimen quoad neceſſitatem* 370. *a. in baptiſmo participat homo totaliter virtutem paſſionis Chriſti* 542. *a. non baptizati ſunt confirmationis & S. Ordinum incapaces* 291. *b.* 605. 606.

Beatis *an per accidens infundatur omnis ſcientia naturalis & acquiſibilis* 78. 79. v. Sancti.

Beneficiis *Chriſti infinitis ſumus grati* 70. *b. beneficia pinguia multi ante tempus petunt* 120. *a.*

Berengarius *præſentiam Chriſti in euchariſtia negans convincitur, & convertitur* 334. *a.* 349. 353. *b. qualis fuerit, & quando ejus damnata hæreſis* 352. *b.*

Bertramus *qualis fuerit, & an contra euchariſtiam ſcripſerit* 351. *a. b.*

Bethlehem *cur natus Chriſtus* 113. *b.*

Bigami *quinam irregulares* 608. *b.*

Bona *terrena ſpernenda, non iis adhærenda* 157. *a. non eſt extra cœleſtem gloriam verum bonum* 171. *b. de bonis noſtris pauperibus ſuccurrendum* 203. *b.* 219. *a. bona eccleſiæ* V. Eccleſia.

Bonitas *Chriſti in euchariſtia infinita* 393. *b.*

Cæremoniæ *legales à Chriſto obſervatæ* 115. 116. *cæremoniæ ſacramentorum non debent omitti* 259. *a. baptiſmi quales ſint* 259. *a. b. cur inſtitutæ* 261. *b. cæremoniæ eccleſiarum diverſæ permittentur* 304. *b. cæremoniâ aliquâ omiſſâ an eccleſia poſſit ſacramentū irritare* 603. *a.*

Calix *euchariſticus cur non omnibus detur* 452. 454. *aliquoties permiſſus* 454. *b.* V. Euchariſtia.

Calvinus *realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam negavit* 311. *a. Calvinianorum cavillationes eliduntur* 315. *a. apoſtrophe ad eos, ut intellectum captivent, & præſentiam Chriſti credant* 318. 348. *confeſſionem auricularem negant* 519. *b.*

Calumniantibus *quandoque obſiſtendum* 131. 132. *quantis afflictus Chriſtus* 133. *ſeq.*

Capharnaitorum *murmur circa carnē Chriſti* 312. *a.*

Cardinales *unde, & quid?* 626. *b.*

Caro *ſuis conveniens materia corporis Chriſti ex ſtirpe Adæ, Abrahæ, David, Mariæ* 107. *a. b. carnales potius ſumus quam ſpirituales* 109. *b. quomodo fiamus ex carnalibus ſpirituales* 109. 110. *caro mortalis fiet immortalis* 151. *b. caro Chriſti eſt miraculorum operatrix* 163. *a. b. carnem ſuam dare nobis Chriſtus promiſit, & dedit* 311. 313. v. Euchariſtia.

Caſtos *Maria amat, & deſiderat ſervos* 187. *b. caſtitatē confert euchariſtia* 431. v. Cœlibatus, Continentia.

Cataphygum *mos Euchariſtiam conficiendi* 383. *b.*

Cerus *cur baptizato traditur* 261. *a.*

Characterem *ut effectum ſecundarium producunt baptiſmus, Confirmatio, Ordo* 207. *b. nec poſſunt iterari ibid. character quid eſt* 208. 210. *a. manet in damnatis, & cur* 210. 211. *character non eſt relatio, nec habitus* 211. *a. quod eſt baptiſmi character* 211. *b. hic character ad quid obliget* 212. *a. non recipitur in eſſentia animæ, nec voluntate* 212. *b. eſt diſpoſitio ad gratiam* 213. *a. eſt effectus ſecundarius ſacramentorum ibid. quis finis characteris ibid. a. b. per hæreſim non amittitur* 222. *a. character baptiſmi quid efficiat* 256. *b. quid confirmationis* 292. *b. eſt indelebilis* 294. *a. character epiſcopalis* 306.

Charitatis *actus intenſiſſimus non tantum honoris Deo attribuit, quantum peccato mortali ablatum* 16. *a. b. actus charitatis in Chriſto omnes fuêre liberi* 87. *b. actus charitatis via & patria an, & quomodo diſtinguantur* 88. 89. *habitualis charitas nunquam excidit* 89. *a. charitatis ordo prædicatoribus ſervandus* 123. *b. Charitatis Marianæ* 4. *dimenſiones* 170. 171. *charitas primum eſt martyrum principium* 267. *in paucis vera invenitur* 281. *a. qualis confeſſario neceſſaria* 550. *a. b. eo major infunditur, quo major eſt diſpoſitio* 567. 568. v. Amor.

Charrophylax *quid ſit* 626. *a. b.*

Chartularius *quid ſit* 626. *a. b.*

Choriepiſcopi *quinam* 620. *a.*

MEMORABILIVM.

Chriſma *confirmationis materia,explicatur 287.b. cur baptizatus chriſmate inungitur 260.b.296.b.301.a. cur Epiſcopi in ſolemni baptiſmo non adhibent ſolennem chriſmationem 302.a.b. illud ſoli conſecrant Epiſcopi 303. 305.*

Chriſtianus *ſic vivat, ut ex præmiſſis vitæ bonæ mortis ſequatur concluſio 5. a. 6. Chriſtiani dignitas 7. b. in quo Iudæo ſit pejor 11.a. non in finem differat virtutes & emendationem 61. a. exemplum, & omnia in Chriſto habet 90. a. b. Dei filius eſt, quanta dignitas? 93. b. v.* Filius. *vita veri Chriſtiani martyrium eſt; eſtque verè ſacerdos 95. b. 419. b. Chriſtum tenetur amare 106. a. b. legem Evangelicam ſæpius legat & imitetur 125. b. Chriſtianorum mater Maria 175. b. Sacramentis bene utatur 199. a. & conſideret ſæpe characterem ſuum 214. a. Chriſtianiſmus eſt ſtatus innocentiæ, quiſque ſecundum hunc ſtatum & characterem vivat 238. 239. 252. 258. a. b. 261. b. ſemper certare debet 286. b. 296. 290. 291. miles Chriſti eſt. ibid. oſtendat operibus quid ſit 294. a. b. ad integram Chriſtiani perfectionem neceſſaria eſt confirmatio 296. b. unde Chriſtianorum tepiditas & infirmitas 299. b. Chriſtianiſmi character eſt amor Dei 560. b. an difficilior ſit lege veteri 561. a. b.*

Chriſtum *ſcire eſt perfectiſſima ſcientia 1. eſt verus meſſias 9. a. omnes ei conveniunt Prophetarum Prophetiæ 9. b. non acquiſivit virtutes morales ſucceſſu temporis, ſed ſimul habuit omnes 61. a. quomodo ſit primogenitus omnis creaturæ 21. b. eſt finis omnium prædeſtinandorum, & omnis creaturæ 22. a. perſona Chriſti quomodo dicatur compoſita 29. a. in Chriſto unica eſt ſubſiſtentia relativa, quæ non eſt quid abſolutum 30. a. 31. a. propoſitiones aliquot quæ dici, quæ non poſſint dici 32. 33. Chriſtus convenienter humanam & non aliam aſſumpſit naturam 38. 39. b. eum amemus & adhæreamus, qui eſt adjutor noſter 38. 40. a. defectus corporis & animæ, dolores, triſtitiam &c. Chriſtus aſſumpſit 41. 42. an paſſiones aſſumpſerit 42. a. b. ejus prædeſtinatio non potuit cadere ſub merito Chriſti 43. 45 b. merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis 47. b. Chriſtus eſt medium & finis humanæ ſalutis 40. a. & debemus omnia noſtra, & præcipue amorem. ibid. fuit gratia habituali decoratus 51. 52. v.* Gratia. *quomodo eſt Deus per participationem 52. a. quomodo Angelis inferior 55. b. prædeſtinatorum caput 181. a. in Chriſto eſt gratia capitalis, de cujus plenitudine omnes accipimus; Angeli tamen eſſentialem gratiam vel gloriam ab eo non derivarunt 55. a. 56. a. natus eſt nobis, & ſeptem gratiarum plenitudines in nos effundit 58. b. exinanivit ſe, ut nos ditaret. ibid. omnes virtutes morales ipſi non repugnantes in Chriſto fuerunt: etiam omnes acquiſibiles ordinis naturalis 59. a. b. v.* Virtutes. *in eo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, & ſeptem dona Spiritus S. 61. 62. quomodo Chriſtus interpretatus ſit ſcripturas, & prophetaverit. ibid. meruit gloriam corporis, non tamen gloriam & gratiam eſſentialem 63. a. b. Triplices Chriſti actiones, divinæ, humanæ, mixtæ: & per liberas potuit mereri 63. a. meruit nobis prædeſtinationis effectus 63 64. ejus opera ad merendum & ſatisfaciendum infiniti ſunt meriti 65. a. ejus ſatisfactio fuit actus ſtrictæ juſtitiæ 67. a. v.* Satisfactio. *Chriſto pro infinitis beneficiis ſimus grati 25. a. 70. b. à primo conceptionis momento fuit illuſtratus ſcientia beata, dignoſcens omnia præterita, præſentia, futura 71. 72. omnia ſcit, omnia videt 73. a b. ſcientia fuit Chriſto infuſa. quibus prærogativis donata 73. 74. v.* Scientia. *habuit ſcientiam acquiſitam propriis actibus 77 78. quomodo videbatur otiari laborioſiſſim⁹ 79 a. habuit liberam voluntatem, humanam & divinam 79. 80. v.* Voluntas. *fuit impeccabilis; imo implicat peccaſſe 80. b. neque fuit in eo peccati fomes 82, b. nec habitus vitioſus, nec peccatum veniale, nec motus inordinatus, nec imperfectio 83, a. voluntas ejus, non obſtante impeccabilitate, erat libera 83. b. quomodo Chriſti libertas ſalvetur in obedientia 84 a. v.* Libertas *perfecta ejus obedientia. ibid. b. ejus actus charitatis fuere liberi 87. b. Chriſti vita noſtra ſit imitatio 90. a. in Chriſto habemus omnia. ibid. b. 97. b. 213. b. qua homo eſt ſervus patris 91. a. & filius Dei naturalis, non adoptivus 92. a. non eſt filius totius Trinitatis 93. b eſt noſter advocatus, mediator, ſacerdos: ſacerdotii ejus eminentia 94. a b. eſt cultu latriæ adorandus 96 a. Chriſti dignitas cogitata ingerit reverentiam 97. b. variæ Chriſti imagines ab ipſo expreſſæ 99. a. ei debemus amorem & imitationem 104. b. cur caro fuit conveniens materia corporis Chriſti 107. a. ex ſtirpe Adæ, Abrahæ, David, Mariæ fuit ibid. ejus genealogia 107. 108. factus eſt homo, ut homo fieret Deus. ibid. a. ejus conceptio tribuitur Spiritui ſancto 108. b. quomodo Chriſtus conceptus de Spiritu S. cujus tamen non eſt pater 109. a. v.* Conceptio. Incarnatio. Humanitas. Verbum. *Chriſti nativitas 112. a. v.* Nativitas. *cur parvus & non magnus factus 113. a. legales cæremoniæ in Chriſto obſervatæ 115. 110. Chriſti circumciſio, nominis impoſitio oblatio 116. 117. ejus humilitas & exinanitio 117. b. à Ioanne baptizatur 118. a b. quo anno, loco, baptizatus, & quomodo a Patre honorificatus 119. a. b. cur non convenerit, quod duxerit vitam ſolitariam 120 b. qualis fuerit ejus vita 121. ad eum datur omnibus acceſſus 122. a. cur in deſerto poſt jejunium tentatus, & quomodo. ibid. a. b. ejus prædicatio qualis fuerit 123. b. v.* Prædicatio. *non commendavit prædicationes ſuas ſcriptis, & cur 124. 125. ejus exceſſus paſſionis, mortis, abjectionis, doloris, amoris 132. 143. v.* Paſſio. *quanta abjectione à Iudæis depreſſus 133. b. ejus dolores & amores 134. a. b. 136. b. 148. ejus opera quanti meriti 037. b. omnes in paſſione exercuit virtutes, præſertim charitatem; viciſſim nos illum diu pro nobis afflictum redamemus 139. a. ipſe poſuit animam ſuam pro ovibus ib. b. v.* Mors. *cur Chriſtus in cruce paſſus, & quomodo omnia ad ſe traxerit 144. a. cur inter latrones mortuus 145. a. cur crucem noluerit deſcendere 146. b. & ſepeliri voluerit 147. a. anima ejus ad inferos deſcendit 147. b. paſſione ſua quadruplicem meruit exaltationem 150. a. ejus reſurrectio neceſſaria 150. b. v.* Reſurrectio. *quibus poſt reſurrectionem apparuerit 153. b. Aſcenſio Chriſti mirabilis fuit 155. a. b. v.* Aſcenſio. *Chriſti humanitati non eſt collata omnipotentia; ſed excellentiſſima poteſtas 157 b. v.* Poteſtas. *ejus miracula 159. a. ſeq. Chriſti transfiguratio 160. b. illum Pater in transfiguratione filium nominavit 161. b. Chriſtus an ſit cauſa principalis gratiæ 164. a. debebat matri ſuæ honorem 177. b. Chriſti ſalvatoris elogium ex D. Thoma 189. a. cauſa præcipua Sacramentorum Chriſtus eſt 204. a. eum in omnibus imitemur 239. a. ejus bonitas in Euchariſtia nobis collata 307. eſt verè & realiter in Euchariſtia præſens 311. ſeq. v.* Euchariſtia. *Manichæi duplicem Chriſtum ſunt fabulati 328. b. per Euchariſtiam debemus Chriſto toti inhærere 365. a. b. Chriſtus tam facilem omnibus, etiam nequiſſimis ſui copiam facit in Euchariſtia 393. b. mirabilis Chriſti in Euchariſtia obedientia 405. a. b.*

S. Chryſoſtomo *in presbyterum ordinato columba inſedit 197. b.*

Cibi *manducatio applicatur manducationi Euchariſtiæ 446. 447.*

Cicatrices *vulnerum Chriſti fuerunt glorioſæ 133. a.*

Circumciſio *Chriſti 115. 116. circumciſionis cauſæ, convenientia, quando inſtituta, effectus, & quomodo gratiam conferebat 280. 281. circumciſio morum & vitiorum hodie introducta 282. 283.*

Circumſtantiæ *ſeptem circa Chriſti paſſionem conſiderantur 142. ſeq. circumſtantiæ ſeptem circa tribulationes hominum & paſſiones 145. b. ſeq. alia paſſionem Chriſti ſubſequentes 146. 147.*

Claudii *miniſtri impoſtura, quod Eccleſia græca in articulo de Euchariſtia, à Latina diſſideat 341. ſeq. convincitur 347.*

Clavo *uno, an pluribus Chriſti pedes crucifixi 145. a.*

Clericorum *vocatio debet fieri divinitus 615. b. clerici conjugati 609. 610. an illis ſcientia aliqua poſſint & debeant interdici 615. a. v.* Miniſter, ſacerdos.

Cœlibatus *requiritur hodie dum in ſacris ordinibus 603. b non eſt juris divini, ſed Eccleſiaſtici 609. a.*

Cœlum *baptiſmus aperit 256. a. Eccleſia efficitur per Euchariſtiam cœlum 414. a.*

Cœna Domini *cur vocetur Euchariſtia 369. a. hæ-*

retici non ſervant ceremonias à Chriſto in cœna ſervatas ibid. cœna Iudæorum diverſa. ibid.

Cogitationum vanitas 38.a, cogitatio Chriſti ingerit nobis reverentiam 97.b.

Cognatio eſt impedimentum matrimonii 636.a. alia eſt naturalis, legalis, & ſpiritualis. ibid a.b.

Columbæ ſpecie Spiritus S. in Chriſtum deſcendit, quæ poſtmodum deſtructa eſt 119.b. Chryſoſtomo inſedit 197.b.

Communio indigna maximè cavenda eſt 355. cur exiguus apud multos ejuſdem fructus 427.b. 440.a.b. 446. v. Euchariſtia. Communio ſpiritualis 443. 444. ad paſchalem omnes tenentur 445.a.b. communio olim parvulis cum baptiſmo & confirmatione dabatur 370 a. an infantibus illa ſit neceſſaria neceſſitate medii 369 370. ſeqq. an Auguſtinus affirmativæ fuerit ſententiæ 370. 371. quantis homo in ea digetur honoribus & gratiis 411.b. Communio laica quid ſit 457.b. ſeq. indigna quantum malum 464. 465. 466. quinam ab ea poſſint arceri 468.a. 479. ſeq de frequenti communione quid dicendum 477. ſeq. an, & quomodo liceat quotidie communicare 479. 480. ſeq.

Compoſita quomodo dicatur Chriſti perſona 29.a.

Comprehenſio res quid requirat 76.b.

Conceptio corporis Chriſti tribuitur Spiritui S. 108.b. quomodo Chriſtus in nobis concipiatur. ibid. a. multa miracula facta ſunt in conceptione Chriſti: enumerantur quædam 110.b. in primo inſtanti conceptionis habuit Chriſtus plenitudinem gratiæ ſanctificantis corpus & animam, perfectum intellectus, voluntatis & liberi arbitrii uſum 111.a. de facto meruit, & fuit viator & comprehenſor eſſentiæ divinæ ibid. a.b. v. Chriſtus. Incarnatio.

Concilium Francofurtenſe in quo reprobetur 100. a. Tridentinum quid dicat de attritione & contritione 559.b.

Concionator, Concio 123. v. Prædicatio.

Concubinarii ſacerdotis miſſam an liceat audire 419.b. v. Occaſio.

Concupiſcentia carnis non fuit in Chriſto 82.b. non eſt peccatum, ſi abſit conſenſus 253.b.

Conditio quomodo ſit impedimentum matrimonii 636.a.

Confeſſarii copia quando deeſſe dicatur 467.b. quoſnam à S. Communione arcere, quos admittere debeant 496. 497. præter poteſtatem ordinis indigent poteſtate juriſdictionis 531.b. Confeſſarius Papæ unde habeat juriſdictionem 533.a. bonus vix è millibus unus: dotes ejus & requiſita 549. ſeq. quomodo alienis ſe oneret peccatis 552.a. malus multa cauſat mala, bonus bona. ib. b. recidivis deneget abſolutionem 573. ſeq v. Recidivus. Non facile credat relapſis 576.a. quomodo erga pœnitentes ſe debeat gerere 580. 581. grave eſt officium, ars artium 581.a.b. debet eſſe fortis, magnanimus 582. 550. v. Sacerdos. Abſolutio. Pœnitentia. Confeſſio. Sigill.

Confeſſio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ 519.a.b. 520. auricularem negavit Calvinus, an abrogarit Nectarius. ibid. ipſa eſt neceſſaria vel in re, vel in voto 523.a. quænam juvent confeſſionem. ibid. videtur quidem dura, ſed multis dives eſt commodis 523.b. eâ ſanctitas & religionis conſervatur pietas 524.a. v. Sigillum. 533. ſeq. & Pœnitentia. Confeſſio communioni præmittenda eſt 467.a.b.

Confirmationis character quid eſt 211. 212. eam Calvinus & Lutherus negant 283.b. 289.b. an, & quid eſt 283. per manuum impoſitionem dabatur 288. 284.a. b eſt verum Sacramentum 284. 285. ejus eſſentia & nomina 285. 286. ejus materia chriſma cum balſamo ab Epiſcopo benedictum 287.a.b. explicatur & applicatur ibid. an Apoſtoli chriſmate uſi 288.a. ejus materia proxima unctio per modum crucis 289.a. cur frons inungatur 286 289. 297. ejus forma 289 b. per eam milites Chriſti efficimur 290 a b. forma confirmationis græca quomodo differat à Latina 290.b. ejus miniſter Epiſcopus: quodnam ſubjectum: & quid requiratur in ea 291. b. 300. ætas confirmandorum; & cur patrini requirantur 292.a. requiritur ad eam ſtatus gratiæ. ib. per eam infunditur gratia, Spiritûs S. robur, imprimiturque character indelebilis. ibid.a. 298. 299. ideoque non iteratur 292. 293. v. Character. eſt à Chriſto in ultima cœna inſtituta, non exhibendo, ſed promittendo 295.a. b. 296.a. cur cum Euchariſtia eodem die inſtituta 296. a. confirmatio ad integram Chriſtiani perfectionem neceſſaria eſt 296.b. 298.a. an detur de ea præceptum, & ſine ea ſalvari poſſit 298.a.b. ordinarius ejus miniſter Epiſcopus, extraordinarius ex diſpenſatione pontificis ſimplex ſacerdos 300.a. 305. 313. eſt ultima perfectio & conſummatio baptiſmi 300.b. an confirmationis defectum ſuppleat unctio in baptiſmo 301.b. an in mortis articulo liceat ſacerdoti ſimplici confirmare 305.b. papa necdum Epiſcopus conſecratus, non poteſt confirmare 306.b. quia deeſt character Epiſcopalis. ibid.

Conjuges mutuo conſenſu poſſunt continentiam vovere 629.a. 631. actus conjugalis 629.a.b. v. Copula. actus conjugalis per ſe non eſt malus, importat tamen aliquam deordinationem, quam bona matrimonii removent 629.b. dupliciter eſt licitus. ibid. quando omni culpa vacet 630.a. quando mortalis. ib. a.b. eam petenti conjugi an liceat negare, & quando: & an negare ſit peccatum. ib. b. qualis inter conjuges requiratur conſenſus in matrimonium 632.b. conjuges quomodo martyres eſſe poſſint 270.b.

Conſcientia bona ſuave convivium 73.b. ejus tranquillitatem confert Euchariſtia 256.a. cum conſcientia Euchariſtia eſt ſumenda 464.a.b. quiſque conſcientiam ſuam examinet & corrigat 572.b.

Conſecrationis forma 394. ſeq. v. Euchariſtia. an uti poſſimus æquivalenti 400.b.

Conſenſus in matrimonium qualis requiratur 632 b

Conſolationes divinæ ex Euchariſtia 428.b.

Conſuetudo Eccleſiæ quænam dicantur 582.b.

Continentiam an, & quando poſſint conjuges vovere 631.b. an fuerit in Chriſto 59.b. eam confert Euchariſtia 431.b. continentia ſacerdotum non eſt juris divini, ſed Eccleſiaſtici 609.a. v. Cœlibatus.

Contritio quamvis deleat peccata, non excludit tamen confeſſionem 507.b. quæ ejus eſſentia 512.b. eſt perfecta & imperfecta vel attritio 513.b. quæ non differunt inter ſe ſpecie 514.a. datur præceptum divinum & naturale contritionis. ib.b. eſt actus ſupernaturalis. ib. a. nec ideo debet nos ſcrupuloſos facere, dubitantes an veram eliciverimus 515. 516. an teneamur ſtatim poſt peccatum conteri, & confiteri 516.b. an de ſingulis peccatis, vel uno actu ſuper omnia conterendum 518. 519. an ad veram pœnitentiam requiratur contritio, an ſufficiat attritio 553. 554. ſeq. ſine contritione intolerabilis eſſet confeſſionis praxis 562.a. v. Dolor. Attritio. Timor. quid de contritione ſentiat Concilium Trid. 559. b. meliores ſunt actus, quam preces contritionis 563.a.b

Converſio non eſt differenda 111. 112 v. Pœnitentia. Recidivus.

Convivium omnium nobiliſſimum Euchariſtia 414.a.b.

Cooperari, ſeu imitari Chriſti paſſionem debemus, aliàs inanis eſt 135.b. gratiæ cooperari debemus 164.b. 25.a.b.

Copula conjugalis quando & quomodo impediat S. Communionem 471.b. 486.b. non eſt per ſe mala, deordinationem tamen aliquam importat, quam matrimonii bona removent 629.b. non eſt de eſſentia matrimonii 628.b. ſed pertinet ad perfectionem ſecundariam matrimonii, ideo non eſt illicita 629.

Cordis niſi unus Deus ſit Dominus, erit inquietum 37.a. corde Chriſtus concipiendus 108. 365 a.b.

Corporis gloriam meruit Chriſtus 63.a. corpori Chriſti mortuo manſit unitum ſuppoſitum 140.b. an idem Chriſti corpus vivum & mortuum 140 141. reſurget cum Chriſto immortale 151.b. glorioſum. inviſibile 153.a. v. Reſurrectio. corporis cicatrices Chriſto gloriam auxêre. ib. corporis Chriſti transfiguratio qualis fuerit 160. ſeq. corpus Chriſti & miraculorum operativum 162. 163. corporis Mariæ pulchritudo 173.a. totum Chriſti corpus eſt in Euchariſt. 311. v. Euchariſtia.

Creatio attribuitur Patri per filium 39 b.

Creaturæ omnes in humanitate Chriſti nobilitantur 8.b. nulla creatura potuit cauſare unionem hypoſtaticam 24.a.b. omnium creaturarum principium & finis eſt Deus 49.b.

Ceimen *impedimentum & matrimonii* 636. b.

Crux *Chriſti quomodo purges* 57. a. *cur in cruce Chriſtus ſit paſſus* 143. b. *in ea Chriſtus omnia traxit ad ſe* 144. a. *crucem multi ferunt patienter, multi coacti* 144. a. *cur crucem Chriſti noluerit deſcendere* 146. b. *cruce quare ſignamus in confirmatione* 289. a. *crux adoranda eſt* 103. a. *apparebit in die judicii, ubi tunc & nunc dæmonibus & hereticis eſt terribilis.* ib.

Cultus *diſparitas impedimentum matrimonii* 637. a.

Cultu *latria honorandus eſt Chriſtus* 96. a. b. *quid eſt cultus latria dulia, hyperdulia* 96. b. *humanitas Chriſti praciſe non latria, ſed hyperdulia cultu adoranda* 97. a. *latria cultus debetur Deo per ſe primò imagini verò ejus propter exemplar quod repraſentat* 102. a. 103. *Angelus vel homines ut Dei ſimilitudines non licet honorare cultu latria* 103. a.

Cupiditas & *timor peccatorum ſunt fontes* 60. a.

Curiales *quinam ab ordinibus removeantur* 607. a

Cyriacos *ſeu Dominicanos mire calumniatus à Valleclauſa* 126. a b.

S. Damaſceno *imagines defendenti manus amputata, à B. Virgine reſtituta* 98. a. b.

Damnati *ad mortem an communiter bene & ſecure moriantur* 469. a.

Damnati *in inferno non participant de plenitudine gratia Chriſti* 55. b.

Debitum *conjugale* 630. b. v. Conjuges. Copula.

Defectus *corporis & anima verbum divinum aſſumpſit, & cur* 40. 41. *diligendi ſunt, quia Chriſtus eos aſſumpſit* 43. a.

Deformitas *nimia arcet à ſacris ordinibus* 606. a.

Defunctis *quomodo proſit Euchariſtia* 441. a. b. *pro eis ſæpe communicandum* 442. a. b.

Delectationes *Spiritûs ex S. Euchariſtia* 428. &c.

Deſiderium *Euchariſtia ardens eſt bona ad eam praparatio* 372. 373. 436.

Deus *quomodo homo factus, nihil tamen mutatus* 4. a. *fuit conveniens eum incarnari* 5. b. v. Incarnatio. Homo. *Deus factus eſt caro* 8. b. *utrobique magnus eſt in miſericordia & juſtitia* 541. 14. a. 504. a. *Dei offenſio in quo conſiſtat* 16. b. v. Peccatum. *Magna Dei in homines miſericordia* 21. b. 31. b. *Deus ſolus eſt cauſa efficiens incarnationis* 24. a. *propter intimam humanitatis cum verbo unionem poteſt dici de homine quod de Deo, & contra* 32. 33. *propoſitiones aliquot de hoc incarnationis divina myſterio.* ib. *Deus paſſus eſt* 33. b. *divina perſona ſola, nec alia, poteſt terminare naturam alienam* 34. b. *Chriſtus fuit Dei filius prædeſtinatus* 42. b. *factus eſt nobis per incarnationem pater* 55. b. *omnia videt* 73. a. b. *Dei filius*, v. Filius. *quomodo poſſit depingi* 100. b. *Deus factus eſt parvus, ut nos faceret magnos* 113. *ad Deum datur omnibus acceſſus* 122. a. *facit nobiſcum, ut nos cum illo* 164. b. *ſæpius per ſanctos quam per ſeipſum cur faciat miracula.* ib. a. b. *pronus eſt in ſubſidium noſtrum* 213. b. *Dei bonitas in adminiſtrata nobis Euchariſtia* 307. *Dei ſapientia, omnipotentia & amor in Euchariſtia, non plus ultra* 413. *ſeq. non poſſumus debitum ei recompenſare* 536. a.

Diaconiſſæ *quid?* 628. a. b.

Diaconatus *materia, forma, officia* 621. 622. *an eis olim licuerit reconciliare pœnitentes* 622. a. *quinam Archidiaconi.* ib. b.

Dies *feſtos & naturales Iudæi diverſè numerarunt* 306. a. *dies azymorum quando inceperint* 366. b. *cur ita vocati, & cur paſchales* ibid. *dies Dominici quàm ſanctè olim ſervati* 452. b.

Dilectionem *inter fideles Euchariſtia cauſat* 427. 428. *de dilectio nunquam ſatis* 141. b. v. Amor, Charitas.

Diſciplina *Eccleſiaſtica multum collapſa* 424. a. b. 583. a. *etiam regularis* 425. a. b. *diſciplina Eccleſia communis ſervanda eſt* 583.

Diſcipulis *quomodo Chriſtus reſurgens apparuerit* 153. b.

Diſpoſitio *ad Euchariſtiam ſuſcipiendam quanam requiratur* 459. 460. *ſeq.* v. Euchariſtia.

Diſtinctio *ſenſus compoſiti & diviſi quomodo, & an in Chriſti obedientia moriendi applicanda ſit* 86. a.

Diſtractiones *mentis Euchariſtia fructum impediunt* 461. a. *quatuplex eſt diſtractio.* ibid. b.

Doctrinâ *purâ & verâ Chriſtianus non debet turbari* 115. b. *Chriſtus ſuam Doctrinam convenienter non tradidit ſcriptis* 124. 125. *confeſſario eſt neceſſaria Doctrina* 549. b.

Doctores *quales fuerint antiquitus* 614. b.

Dæmones *an, & quomodo Chriſtum cognoverint* 3. a. *cur tanta eorum in homines poteſtas* 155. a. *Chriſto in eos poteſtas* 160. a. *in baptiſmo expellitur dæmon.* 260. a.

Dolores *Chriſti immenſi* 134. a. b. 143. a. v. Paſſio. *dolores corporis non ſunt mali, ſed boni, à ſummo bono immiſſi* 141. a.

Dolorem *de peccatis qualem requirat contritio* 552. 553. v. Contritio. Pœnitentia. Attritio. *dolor de peccatis poteſt eſſe nimius* 535. b. *dolor de peccatis ex ſolo inferni metu bonus eſt, & ad gratiam diſponit; non ſufficit tamen ſine Dei amore ad veram pœnitentiam* 553. 554. v. Timor. *requirit bonam voluntatem, excludentem affectum ad peccatum* 556. a. b.

Dominicanum *ordinem Petrus à Valle-clauſa nimium calumniatur* 126. a. b. *ejus in Eccleſiam merita* 127. a.

Dominium *Mariæ in Chriſtum filium ſuum* 177. b.

Dubia *peccata an ſint materia Sacramenti pœnitentia* 51e. a. *in dubio tutior pars eſt eligenda* 340. a.

Eccleſiæ *conſuetudo quanam dicatur* 582. 583. *communis ejus diſciplina eſt obſervanda* 583. b. *Eccleſia non poteſt inſtituere Sacramenta: an autem formam & materiam mutare* 196. 197. v. Sacramenta. *tota Eccleſia credidit realem in Euchariſtia Chriſti præſentiam ante Calvinum; & fictitium eſt eum erraſſe illam* 338. b. *ideoque in hoc Eccleſia præcipuè ſequenda* 339. 340. *Græca non diſſidet à Latina in articulo Euchariſtia* 341. 345. *ob Eccleſia conſolationem Chriſtus Euchariſtiam inſtituit* 411. b. *cælum novum eſt Eccleſia per Euchariſtiam* 414. a. *quomodo calicis communionem quandoque permiſerit* 454. *ſeq. Eccleſia conſtat innocentibus & peccatoribus* 477. a.

Eccleſiaſtici *ſtatûs dignitas quanta! ſed collapſa eſt* 424. a. b. 582. b. *ejus vocatio debet eſſe à Deo* 615. b. v. Clericus. Sacerdos.

Electio *Epiſcoporum & ſummi pontificis* 618. b. *electiones miniſtrorum Eccleſia quomodo plebi & regibus conceſſa &c.* 604. b. *competit vero illa Epiſcopis & metropolitanis* 605. a.

Eleemoſynam *requirit à nobis Deus* 203. b. 219. a.

Elipandi *hæreſis* 92. a. b.

Elogium *Chriſti ſalvatoris ex D. Th.* 189. a. b. *Mariæ* 190. b. *Caroli Borromæi* 579. *Franciſci Saleſii* 580. a.

Emendatio *vitæ ex operibus cognoſcitur* 578. 579. v. Abſolutio. Pœnitentia. Recidivs.

Energumeni *prohibentur ordinari.* 606. b.

Epileptici *non poſſunt ordinari* 606. b.

Epiſcopi *quando martyres eſſe poſſunt* 270. a. *ſunt confirmationis miniſtri* 291. b. 305. a. *cur in ſolemni baptiſmo non adhibent Chriſmationem* 302. a. *ſoli conſecrant oleum & chriſma &c.* 303. a. *Epiſcoporum officium & proprietates* 307. a. b. *Epiſcopatus eſt origo & plenitudo Sacramenti Ordinis* 601. a. *ſolus confert ordines* 604. a. *Epiſcopatus poteſt deſiderari* 616. a. *quæ ejus materia, forma, inſtitutio &c.* 616. 617. *eorum electio* 618. b. *ordinatio & conſecratio.* ib. *Epiſcopi olim ſoli Eccleſiaſtica officia adminiſtrabant* 620. b. 621.

Epiſtola *S. Iacobi eſt canonica* 590. a.

Erroe *eſt impedimentum matrimonii* 635. b.

Eſſentiam *divinam non vidit Maria continuo in hac vita* 171. b.

Evangeliſtæ *in Euchariſtia inſtitutione conveniunt* 314. a.

Evangelica *Doctrina non in eloquentia, ſed ſimplici veritate conſiſtit* 125. a. b. *beatus qui illam audit & facit.* ibid.

Euchariſtiæ *beneficium an ſit tantum, quantum incarnationis* 31. b. *non conſiſtit in re tranſeunte, ſed permanente* 196. b. *in ea conſiſtit totus cultus religionis Chriſtiana* 208. a. *cur eodem die Euchariſtia cum confirmatione inſtituta* 296. a. *in ea confortamur contra hoſtes* 296. a. b. *Chriſti bonitas in Euchariſtia nobis ſubminiſtrata* 307.

eſt opus excellentiſſimum 308. a. Cur ſic vocetur, & communio, viaticum, panis, fractio panis, corpus & ſanguis Domini; ſacramentum altaris & fidelium: cœna & aliis nominibus 308. 309. 316. de ea præ ceteris ſcripſit Arnaldus 310. a. in ea Chriſtus eſt vere realiter & ſubſtantialiter præſens 311. ſeq. idque nobis promiſit Chriſtus, & fecit 311. 312. 313. b. in cujus inſtitutione Chriſtus clare, non figurative locutus 313. 314. conſentiunt in ea Evangeliſtæ 314. a. Calviniſtarum adverſus Dei in Euchariſtia præſentiam cavillationes eliduntur 314. 315. ſub ea continetur, quod Chriſtus expreſſit 315. a. conſecrationis verba explicantur ibid. a. b. aſcendens Chriſtus in cœlum inviſibiliter manet in Euchariſtia 316. b. quomodo Patres & nos manducemus eandem eſcam 317. a. falſum eſt, quod nos eam ſolo fidei ore manducemus. ibid. b. in ea captivandus intellectus 318. a. b. fidem præſentiæ Chriſti in Euchariſtia acceperunt Apoſtoli à Chriſto, ab Apoſtolis SS. Patres & Concilia, ab his nos per traditionem accepimus 319. ſeq. v. Præſentia. Euchariſtia quomodo poſſit dici figura corporis Chriſti 331. b. cur, & quomodo Patres varios ſenſus verborum Chriſti de Euchariſtia interpretati ſint 332. a. in ea eſt corpus Chriſti in cruce antè viſibile. ibid. b. panis quomodo poſſit dici eſſe corpus Chriſti 333. a. non eſt in ea Chriſtus viſibilis vel palpabilis, quia miraculoſe adeſt 336. a. b. eſtque Chriſtus in diverſis locis ſupernaturaliter, & accidentia ſine ſubjecto. ibid. 359. a. Euchariſtiæ hoſtes & hæreſes recenſentur 350. a. caveamus ab indigna Euchariſtiæ ſumptione 354. 355. quomodo dicatur panis & vinum 356. b. Euchariſtiæ finis eſt transformatio animorum 365. 358. b. pietas ad illam neceſſaria ibid. b. vermes, acetum ex ſpeciebus Euchariſticis natum unde? 300. a. b. an in ea fiat annihilatio 361. a. an in ea corpus Chriſti, & ſubſtantia panis ſub ſpeciebus per Dei potentiam poſſint contineri 361. 362. an in ea corpus Chriſti de novo producatur 363. 364. eſt extenſio incarnationis 364. b. 394. a. per eam toti in Chriſtum debemus transformari 365. a. b. ſed multi judâ fiunt pejores. ibid. Euchariſtia inſtituta eſt à Chriſto in azymo, & quando 366. a. Græci in fermentato inſtitutam ajunt 366. 367. eſt omnibus neceſſaria neceſſitate medii; ita ut nullus abſque ea vel re, vel voto ſuſcepta poſſit ſalvari 368. b. ſeq. eſt finis omnium Sacramentorum 369. a. 370. a. in ea Chriſtus eſt velut rex in regno. ibid. eſt cibus animæ ad fovendam & augendam gratiam 369. b. baptiſmi & Euchariſtiæ diſcrimen quoad neceſſitatem 370. a. v. Communio. ardens ejus deſiderium bona eſt præparatio 372. 373. 436. in ſuſceptione ejus amor requiritur præſertim ſi frequenter ſumatur: bonum autem eſt aliquando ex humilitate abſtinere 373. a. b. tota ejus eſſentia conſiſtit in ſpeciebus Euchariſticis, corpus & ſanguinem Chriſti continentibus 374. a. b. quomodo diſtinguantur Sacramentum tantum, Sacramentum, & res Sacramenti ſimul 374. a. verba conſecrationis an ſint conſtitutivum hujus Sacramenti 375. a. binæ ſpecies unum efficiunt Sacramentum ibid. b. qualibet ſpecies continet Chriſtum, ſed non in qualibet totale eſt Sacramentum. ibid. pax eſt neceſſaria ſumentibus 376. b. eſt Sacramentum permanens, & non in uſu formaliter poſitum; hæretici in ſolo uſu conſiſtere ajunt 376. 377. quomodo olim domi ſervabatur 377. 378. reliquiæ olim ab infantibus ſumebantur 378. b. Chriſtus in ea cultu latriæ adorandus; quod fugiunt hæretici 379. cultu externo debet adorari; & Urbanus IV. ſpeciali feſto cum octava venerari juſſit 380. a. b. cur non in cœna, ſed alio die ſervetur feſtum cum proceſſione. ibid. b. eam forte Apoſtoli ad Chriſti pedes proſtrati ſuſceperunt 381. a. ſpecies Euchariſt. an cultu latriæ adoranda 382. a. alicubi ſpecialiter veneratur 382. b. ſæpe viſitanda adoranda eſt: & quinam flocci faciant 382. 383. impudens hæreticorum mos Euchariſtiam conficiendi 383. b. panis & vinum ſola & vera ſunt Euchariſtiæ materia 383. ſeq. panis debet eſſe triticeus, non de hordeo. ſpelta &c. ex aqua naturali coagmentatus 384. b. in figura rotunda 385. a. tam fermentatus quam azymus panis eſt valida ejus materia; azymus tamen convenientior cur ſit 385. a. b. Græci olim azymo, nunc utuntur fermentato, unde hoc? 386. a. vinum eſt materia Euchariſt. non ſuccus de pomis, uvis &c. non acetum &c. ſed muſtum, vinum congelatum &c. 387. a. quo jure, & quanta eſt miſcenda vino aqua: congruentia illius ibid. b. permixtio aquæ non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti. ibid. nec eſt tantæ neceſſitatis, quanta permixtio aquæ naturalis cum farina 388. a. non eſt indifferens aquam miſcere vel non. ibid. b. ut vinum vitigineum, ſic aqua naturalis adhiberi debet 388. b. cur in parva quantitate 389. quid de aqua vino infuſa fiat poſt conſecrationem, an in aquam Chriſti, vel ſanguinem tranſeat 389. aqua miſcetur ex Eccleſiæ præcepto ibid. b. aqua tranſit in ſanguinem mediante vino 390. a. ſi non miſcetur aqua in vinum, an tum non convertatur in ſanguinem 391. a. una ſpecies ſine alia valide, ſed illicite poteſt conſecrari ibid. b. materia conſecranda debet eſſe phyſice & moraliter præſens: & quid ad talem requiratur præſentiam 392. b. non opus eſt, ut ſit determinatæ quantitatis; ſed in quantalibet valide, ſed illicite poteſt conſecrari 393. a. quæ ergo licita quantitas materiæ conſecranda. ibid. debet etiam ſacerdos materiam determinare 393. a. b. Chriſtus in Euchariſtia facilem ſui copiam omnibus, etiam nequiſſimis præbet. ibid. b. amor ejus erga nos in Euchariſt. ibid. ſæpe cum amore & reverentia ſuſcipienda 394. a. b. quæ ejus forma: varia ab hæreticis ficta. ibid. b. 401. 403. an Chriſtus eâdem formâ, qua utimur, conſecrarit 395. b. non aliis Eccleſia vel ſacerdotes conſecratur verbis, ſed ſola formâ præſcripta 396. 397. an ad conſecrationem neceſſaria ſint verba: Qui pridie &c. Quod pro vobis &c. Novi & æterni teſtamenti &c. 398. 399. ſingula formæ verba explicantur 399. a. mira Chriſti in Euchariſtia obedientia 405. a. b. vi verborum ſub ſpeciebus panis corpus, ſub ſpeciebus vini ſanguis, cetera concomitanter continentur 406. b. an Pater & Spiritus S. ſint concomitanter in ea 407. a. quando Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtat. ibid. b. Chriſtus in ea non movetur localiter niſi per accidens, ratione ſpecierum 408. b. poteſt in ea Chriſtus per potentiam Dei oculo corporeo videri 409. b. ad talem exiſtendi in Euchariſtia modum adegit Chriſtum amor 410. 411. cauſa inſtituta à Chriſto Euchariſtiæ 411. 412. cur nobis Chriſtus in Euchariſtia non ſapit? 412. 413. in ea Deus ſeipſum quaſi vicit, & omnipotentia ejus metam attingit 413. b. per eam Eccleſia cœlum efficitur 414. a. eſt convivium omnium nobiliſſimum ibid. a. b. eſt divinæ ſapientiæ ultimus conatus. ibid. b. Salomonis judicium myſtice Euchariſtiæ applicatur 414. a. eſt divini amoris effuſionum corona 416. a. b. v. Amor. Chriſtus omnia in Euchariſtia in nos effundit, intimè nobis unitur, unicum noſtrum quærit commodum &c. 416. 417. cur exiguus in nobis Euchariſtiæ fructus 417. b. 440. 476. 494. 446. miniſter Euchariſtiæ & diſpenſator eſt ſacerdos; diaconus ex poteſtate delegata 418. 422. a. ſacerdos in hæreſin, excommunicationem &c. lapſus valide, ſed ſacrilege conſecrat 419. a. laici eam nequeunt conficere, nec miniſtrare; & pueri luſoriè eam volentes conficere graviter puniuntur 419. 420. 421. 422. eam in Eccleſia diſpenſandi uſus varii 422. b. ſolo perſecutionis tempore poſſunt eam laici diſpenſare. ibid. antiquorum circa eam fides, pietas 423. a. deferebatur abſtinentibus. ibid. ſacerdos eam conficiens, debet etiam ſumere. ibid. b. Euchariſtiæ effectus: gratia & vitæ ſpiritalis augmentum: unio Chriſtiani cum Chriſto & fidelium inter ſe: pinguedo ſpiritus, ſeu victrix gratiæ delectatio 427. 428. vigor ſpiritalis tentationibus & peccato reſiſtens: peccatorum venial. remiſſio: pœnæ extinctio: cordis caſtimonia 429. 430. 431. effundit reſurrectionis & immortalitatis ſemen 432. b. ſi viventia in nobis invenit, vitam immortalem; ſi peccato mortua, venenum mortis protendit 434. a. confert perſeverantiam finalem cum æterna felicitate 436. b. 434. b. non producit gratiam primam peccatum mortale remittentem, niſi per accidens 437. a. b. quo temporis momento

mento producat effectus ſuos 438. 439. Euchariſtia eminentia 441. a. Sacramentorum nobiliſſimum nobiliſſimos producit effectus. ibid. quibuſdam directe, aliis indirecte, & quomodo 441. a. b. quomodo proſit defunctis ibid. ſæpius pro defunctis ſumenda 442. a. b. ſumenda euchariſtia triplex modus 443. a. quinam putarint, peccatoribus euchariſtiam ſumentibus mutari in panem &c. ibid. b. Opus grande eſt, 444. b. Lex Chriſti præcepto, & eccleſiæ mandato debent adulti eam ſæpius ſumere 444 445. ſumenda eſt in articulo mortis, & quo alterius tempore 445. a. b. tempore etiam paſchali 446. a. cibi manducatio applicatur euchariſtiæ manducationi 446. 447. quinam hæretici ſub utraque ſumendam ſpecie dixerint, 447. a. b. ſub utraq; ſpecie non eſt imperata, nec neceſſaria ibid. olim domum conferebatur 449. a. b. quomodo dabatur infantibus ibid. b. olim & nunc ſervatur pro infirmis ad viaticum ibid. b. in lapidem converſa 450. b. olim ſacerdotibus recens ordinatis per 40. dies in una ſpecie dabatur 451. a. utriuſque ſpecies conſecratio an jure divino vel humano præcepta 452. b. in una ſpecie tantum eſt, quantum in duabus, nec ullo privamur fructu 453. b. 459. cauſa cur ſub una tantum ſumatur ſpecie 453. 454. b. conſecratio debet ſub utraque fieri ſpecie, nec poteſt in hoc diſpenſari 454. a. quandoque ſub utraque ſpecie laicis præbita 451. a. 454. b. vini ſpecies an habeant vim ſpecialem 456. b. communio laica quid ſit 457. ſeq. qualem præparationem ad eam requirant catholici, qualem hæretici 459. 460. 463. b. 479. 494. 496. quænam ætas requiratur ad eam ſumendam 460. a. b. quando amentibus præbenda ibid. b. quando mutis, ſurdis, energumenis 460. 461. quænam requiratur attentio: voluntarie diſtractus non percipit euchariſtiæ fructum 461. a. b. ſed venialiter peccat 462. b. quando in ejus ſumptione peccatur mortal. 464. a. qualem requirat cordis munditiem & ſanctitatem ibid. a. b. indigna communio quantum malum ibid. 465. 466. peccatum illud ex circumſtantiis augeri minuive poteſt: maxime autem euchariſtiæ injurioſa eſt luxuria 466. 486. juris naturalis ignorantia facit eâ indignos 466. præexigit contritionem & confeſſionê 467. a. quinam ab ea poſſint arceri 468. a. peccatori occulto occulte petenti neganda eſt 468. b. hoſtia non conſecrata non eſt peccatori publico præbenda ibid. reis ad mortem damnatis dari poteſt, quod in Gallia abrogatum eſt, & cur 469. 468. infirmi an & quando debeant eâ muniri 469. b. qualis ad eam requiratur corporis mundities ibid. quando impediat pollutio nocturna 470. a. quando copula carnalis ibid. b 486. quale requirat jejunium; & cur 471. 474. olim ante eam convivabantur 472. a. b. poſt eam quid agendum 473. b. quæ tepiditas ab ea arceat 474. 475. quando jejunium non requiratur ad euchariſtiam 475. a. b. de frequenti communione quid ſentiendum 477. ſeq. 494. innocentes frequenter debent ſumere 477. a. quam frequenter olim ibid. peccatores quando admittendi ad eam 478. 496. 487. 494. hoſtiam interficientes quam diu abſtineant 487. a. imperfectiones impediunt communionis effectus 488. a. b. religioſorum ad eam præparatio ibid. b. negotiorum multitudo, & peccata venial. non impediunt, ſed dilationem exigunt 488. 489. Paſſiones animi ſuadent eam differre 489. 490. quomodo peccatores olim ab ea remoti 491. a. ſacerdotes occulte nocentes quomodo olim removebantur 492. a. b. quinam admittendi, qui removendi 496. 497. recidivos oportet arcere ibid. quomodo digne poſſimus accedere 499. a. b. regularis diſciplinæ ruina ex neglectu præparationis ad euchariſtiam 500. b.

Eutrapelia an fuerit in Chriſto 59. b.

Eutychetis hæreſis de perſonis divinis, refutatur 25 b.

Exceſſus & cauſa paſſionis & mortis Chriſti quadruplex, triſtitiæ, abjectionis, doloris & amoris 132. ſeq.

Excommunicare verbum quomodo antiqui ſumpſerint 491. a.

Exemplum plus quàm verba valet 77. b. 552. b. Chriſtus incarnatus eſt, ut nobis eſſet exemplo 90. a.

Exorciſmus in baptiſmo uſitatus 260. a.

Extrema unctio eſt verum ſacramentum 590. ſeq. v. Unctio.

Facundi Hermanenſis auctoritas & liber levis eſt momenti 335. a.

Fallacia pietatis 279 a. b.

Fama bona defendenda 129. a.

Fames Iudæorum in Ieruſalem 11. 12.

Felicitatis Mariana pondus & immenſitas 171. b.

Fervor quo major, eò gloria, gratia & meritum majus 567. a. b. v. Tepidus.

Feſtum corporis Chriſti quando, & cur cum proceſſione inſtitutum 380. b.

Fictio baptiſmi quid, & quotuplex 276. a. v. Baptiſmus. omnia peccata poſt fictionem commiſſa, verâ pœnitentiâ remittuntur 278. a. ſacramenta characterem imprimentia ficte ſuſcepta, recedente fictione probabiliter ſuum ſortiuntur effectum ibid. b. multi fictâ, non verâ ſacramenta ſuſcipiunt 279. a. b.

Fide divina uti credimus, ſic etiam vivamus 5. a. b. fidei Chriſtianæ teſtes ſunt Iudæi, ideo per orbem diſperſi 11. a. fides ſine operibus mortua 61. a. an fuerit in Chriſto 59. a. b. vera fides ingerit reverentiam in Chriſtum 97. b. requirit aliqua miracula 159. b. fides & ſanctitas requiruntur in miniſtrante, vel recipiente ſacramenta; ſine quibus illicita, ſed valida ſunt 220. b. bona fides multos excuſat 222. a. vi ad fidem coacti, an eam ſervare debeant 230. b. fides circa Abrahæ tempora defecit & idololatria invaluit 280. 281.

Filius Dei convenienter humanam naturam aſſumpſit 38. b. ei virtus & ſapientia attribuitur 38. b. 39. a. in filium Dei fuit Chriſtus prædeſtinatus per naturam, non per gratiam 43. 45. 49. b. Chriſtus quà homo eſt filius Dei naturalis, non adoptivus 92. a. filium Dei eſſe, magna eſt dignitas: & quis Dei filius? 93. b. multi Chriſtianorum filii ſunt degeneres 93. 94. filio non licet mortem patris ſpe hæreditatis appetere 178. a. filii in patria ſunt poteſtate 273. b. quando invitis parentibus poſſint baptizari 272. 273. v. Baptiſmus.

Fœminam cur Chriſtus matrem, & ex ea carnem aſſumpſit 107. b. eſt incapax ordinum 605. b.

Forma euchariſtiæ 394. v. Euchariſtiæ.

Fornicatio maxime impedit S. Communionem 466. 468. fornicarii prohibentur à S. Ordinibus 608. b.

Fortitudinem contra hoſtes ſubminiſtrant Confirmatio & euchariſtia, eodem die inſtituta 296. a. 429. b.

Francofurtenſe Concilium in quo reprobetur 100. a.

Frons cur in Confirmatione ungatur 286. 289.

Futura quot modis cognoſcuntur 76. a. quomodo Chriſtus ſcientiâ inditâ illa cognoverit 75. 76.

Gaudium ſummum cum maxima triſtitia quomodo in Chriſto 142. a. b.

Genealogia Chriſti 107. b. Conciliantur de ea evangeliſtæ 108. a.

Gentiles nequiſſimos homines Deos adorabant 101. b.

Gloriam corporis meruit Chriſtus, eſſentialem non potuit 63. a. an perfectius ſit gloriam cum, vel ſine meritis acquirere 72. a. Chriſtus paſſione ſua quadruplicem meruit exaltationis gloriam 150. a. Corpus glorioſum eſt viſibile & palpabile 153. a. Mariæ immenſitas gloriæ 171. b. v. Maria gloriam æternam confert euchariſtia 434. 436. quo major diſpoſitio, eo major confertur gloria 567. b.

Græci in fermentato euchariſtiam ajunt inſtitutam 366. 367. 368. a. antehac uſi azymo ibid. b. unde Græcorum in hoc ſchiſma ortum 386. a. an in ſacramento pœnitentiæ utantur formâ precatoriâ, an judiciali 528. a.

Gratiæ effuſio in incarnatione 31. 32. gratia & ſanctitas Chriſti à divinitate 50. a. b. gratia habituali fuit anima Chriſti decorata 51. 52. & eſt proprietas unionis hypoſtaticæ 53. b. habetque terminos ſuæ intenſionis 53. a. eſt & diverſo ordine finita, & infinita ibid. b. gratia Chriſti fuit capax phyſici augmenti 54. a. vacuum gratia me-

tia mecito vitare deberemus,eamq́; à Chriſto haurire 54. b.capitalis gratia eſt in Chriſto,de cujus plenitudine omnes accipiunt præter infideles & damnatos 55.a.b.differentia gratiæ Adamo & Angelis in ſtatu innocentiæ collata 56. b. ſeptem gratiarum plenitudines Chriſtus in nos effudit 58. b. gratiæ gratis datæ fuêre pariter omnes in Chriſto,& dona Spiritus S. 61. b. gratiarum cuſtos timor & humilitas 62.b. triplex gratiarum plenitudo fontis, fluvii,vaſis,quid? 63.a. gratiam eſſentialem Chriſtus mereri non potuit 63. gratia ſufficiens quomodo nobis detur 64.b. in gratia comparanda otiari non licet ibid.gratiâ Chriſtus abundanter effluit, cur tam paucum ex ea participamus 25. 158 159. gratia cujuſvis inſtrumentum eſt Chriſti humanitas 162.b. an Chriſtus ſit cauſa principalis gratiæ 164.a.gratia non nobis,niſi nos ipſi deſimus ibid. b.eſt miraculis fœta ibid. b. Maria gratia in conceptione 165.167.b. V.Maria ad gratiam acquirendam & augendam omnes debemus adhibere vires : ſine ea nihil ſumus 170. b. an ſuperet maternitatem Dei gratia ſanctificans 180.a.ad gratiam gratis hauriendam ex fontibus ſacramentorum,omnes invitamur 192 a.ſacramenta efficiunt gratiam ex opere operato 206. a. V.Sacramenta quid eſt gratia prima & ſecunda 207.a. gratia ſacramentalis eſt quid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens 208. b. Copioſam dat nobis Deus , cur tamen ea imperfecti 213.b.ſacramenta efficiunt gratiam moraliter & phyſice 214.a.b. ſeq. gratiæ cauſa principalis eſt Deus 218. a. cur nihil,aut exiguum gratiæ ſacramenta , gratiarum fontes in nobis cauſent ibid.b.gratia baptiſmi qualis 255. a. augmentum gratiæ ab euchariſtia 427. a. gratiam primam mortale peccatum delentem non producit euchariſtia,niſi per accidens 437.a.b. amiſſa per pœnitentiam reſtituitur 563. b. quo major diſpoſitio , eo major gratia 567.a.b.

Grati infinitis Dei beneficiis eſſe debemus 70.b.

Gregorii VII.papæ elogium 334.a.b.

Hæreſis convitium grande & intolerabile eſt 129. a.infantibus hæreticorum renitentium an licite conferatur baptiſmus 272.a. hæretici ſacramenta irrident 289. b.converſi olim inungebantur 293.b. apoſtrophe ad eos de præſentia Chriſti in euchariſtia 337 a.b. hæreſes & hoſtes euchariſtiæ recenſentur 350. ſeq. Stercoraniſtæ quales ibid.nolunt adorare euchariſtiam 379 a. dicunt euchariſtiam in ſolo uſu conſiſtere 377. impudens mos hæreticorum euchariſtiam conficiendi 383.b. eam ſuggillant 476. b. ſunt irregulares 610. b. quid de hæreticorum filiis 611 a.

Hebdomadæ ſeptuaginta Danielis quid ſignificent. 9.a.

Hermaphroditus quis , & an poſſit contrahere matrimonium 639.b.

Herodes à Cæſare conſtituitur rex Iudæorum 9. a.

Hic vel Hoc quid in forma euchariſtiæ ſignificet 315. b.355.b.

S.Hieronymus laudatur , qui à Vaſquez carpitur 56.57.

Homicidæ ſunt irregulares 607.a.

Homini collata in incarnatione Chriſti emolumenta 7.a.b. 32. 34. homo eſt compendium univerſi mundi 8 a. homo nobilitatur in Chriſti humanitate 8. b. hominis cor durum, invincibile, amore tamen victum 15.a.homo purus non potuit pro peccato mortali Deo ſatisfacere 15. b.17.b.67. V.Redemptio. Satisfactio.humana natura convenienter à Deo eſt aſſumpta 38.b. V Natura. Homo appetiit Deo ſimilis fieri : & ideo Deus factus eſt homo,ut homo fieret Deus 38 b.108 a.omnes humanas partes, ſanguinem , defectus corporis & animæ Chriſtus aſſumpſit 40. b. V. Humanitas 41.b.homo fit filius Dei per gratiam 45.a. 49. Chriſtus eſt finis & medium humanæ ſalutis diverſimode 49. a. exinanivit ſe propter homines Chriſtus , & gratiarum plenitudinem in nos effudit 58 b. v. Gratia. homines velut Dei imagines non licet adorare cultu latriæ 103.a. homo eſt vera Dei imago. quã ſæpius dehonorat 104. a,b.quomodo Chriſtus in nobis recipiatur 108 a.homo non potuit altius aſcendere , quam per incarnationem 25.b.hominis cor ſolo Deo poteſt ſatiari 35.a.

Honeſtas quomodo matrimonii impedimentum 638.a.

Honor quid ? varii honorandi ſunt modi 96 a.b.honor Mariæ exhibitus 173.b.

Humanitas Chriſti potuit phyſice eſſe perfectior 3.4. V. Incarnatio. in humanitate Chriſti omnes creaturæ nobilitantur 8.b. humanitas per ſe primò ad ſubſiſtentiam relativam Verbi , ſecundario ad exiſtentiam divinam aſſumpta eſt 30. a. an humanitas potuerit aſſumi ad ſubſiſtentiam abſolutam , communem tribus perſonis ibid. b. in aſſumptione partium humanitatis fuit ordo ſervatus 41.b. humanitas Chriſti ſanctificatur à ſubſiſtentia verbi immediatè unita 50.a.b. humanitas Chriſti præciſe non latria,ſed hyperduliæ cultum eſt honoranda 97.a. humanitati Dei non omnipotentia , ſed excellentiſſima poteſtas eſt collata 157. b. eſt inſtrumentum phyſicum gratiæ & miraculorum 162.b.

Humiliavit ſe Deus , ut nos exaltaret 32.434.a.in humilitate Chriſti ſemper ſplenduit fulgor divinitatis 6. b.humilitas eſt gratiarum patrona & cuſtos 62.b. humilitas Chriſti quantum meruerit 65.a. humilitas exaltat 91.b.Chriſti inſignis humilitas 117. b. in paſſione exinanita 140.a.b.

Hypocriſis 279.a.b.

Iacobi epiſtola eſt canonica 590 a.

Iconoclaſtarum hæreſis,& impietas proſcripta 98.b.

Idiomatum communicatio in incarnatione 32.33. in hac dicuntur ea ſola prædicata ſimpliciter de verbo, quæ non repugnant perſonæ filii 93.b.

Iejunium irrident hæretici 471. a.quale ad euchariſtiam ſumendam neceſſarium ibid.effectus jejunii 473.a. quando non requiritur jejunium ad euchariſtiam 475.a. b.486.b.

Ieruſalem obſidetur,capitur, diruitur 11. 12.cur ibidem paſſus eſt Chriſtus 143.a.

Ieſu nomen imponitur Chriſto:hujus nominis vis ſuavitas &c.116.a.b.comparatur oleo 117.a. diabolis terribile 147.b.

Illegitimi ſunt irregulares 610.b.

Imaginibus Chriſti & ſanctorũ relativus cult' debetur & exhibetur 98.a.hæreſes & perſecutores imaginum Sanctorum 98. a.b. variæ Chriſti imagines ab ipſo expreſſæ 99. a. variæ Sanctorum imagines ibid. earum uſus honeſtus & utilis eſt 99.a.b. qualis earum cultus eſſe debeat ibid. variæ de earum cultu objectiones refutantur 100.a. b.imago Dei quomodo poſſit depingi 100.b. quare depingantur,& exponantur imagines 101. a. non aureas vel argenteas venerantur Catholici,ſed illud,cujus eſt exemplar 101. b. latriæ cultus debetur Deo per ſe primo, ejus vero imagini propter exemplar , quod repræſentat 102. 103.multi ſunt in illis abuſus ibid imagines in ſe flocci faciendæ,ne diabolus illudat 103.b. Crucis imago quomodo veneranda ibid. homo eſt Dei imago , eandem ſæpius dehoneſtat 104 a.b.

Imitari debemus Chriſtum 104.105.

Immenſitas Dei in incarnatione ſalvatur 6.b.

Immortalitatis ſemen euchariſtia infundit 432.b.

Impedimenta matrimonii alia dirimentia , alia impedientia 635.ſeq. 639. quænam ſint de jure naturali,quænam de jure poſitivo 640.a. eccleſia potuit aliquot impedimenta apponere , a quibus etiam poteſt diſpenſare ibid.b.

Impotentia quomodo matrimonii ſit impedimentum. 639 a.an mulier ſterilis ſit impotens ibid.b.

Incarnationis myſterium ſublime & amabile 1. 2. illius poſſibilitatem ratio humana nec demonſtrare , nec ante fidem poteſt ſuſpicari 2.a. b. ejus exiſtentia viribus naturalibus nequit cognoſci 2.b. Angeli & dæmones quomodo

modo eam cognoverint 3. a. per fidem detecta poteſt evidenter defendi 3. a. b. quomodo eſt omnium poſsibilium perfectiſsimum 3.4. in ea Deus nihil immutatus 4.0. Incarnatio probatur contra Iudæos 4. 5. non fuit indecens ſed conveniens Deum incarnari 5. b. lucent in ea mirificè Dei attributa 6. 7. Cur ita diu dilata fuit 7. a. emolumenta incarnationis hominibus collata 7. a. b. & univerſo generi humano collata 8. a. Iam facta incarnatio poteſt Iudæis demonſtrari. 8. 9 erat abſolutè Deo libera 14. b. ad ſatisfactionem peccati mortalis erat incarnatio ſimpliciter neceſſaria, nec potuit ab homine ſatisfieri 15. a. b. 17. b. non erat neceſſaria ad ſatisfactionem peccati venial. pro quo juſtus poteſt ſatisfacere 18. a. b. cauſa ejus eſt redemptio generis humani: unde Adamo non peccante, verbum non fuiſſet incarnatum 19. b. an redemptio hominum ſit incarnationi æqualis, & quomodo 22. a. ex amore facta eſt. ibid. b. an peccato non exiſtente tamen facta fuiſſet 23. a. facta eſt ad delenda omnia peccata, originale præſertim 23. b. an originali non exiſtente pro actualibus facta fuiſſet incarnatio. ibid. cauſa ejus efficiens ſolus Deus 24. a. b. terminus ejus totalis Chriſtus, formalis perſonalitas verbi 28. b. v. Unio. eſt omnium beneficiorum maximum 31. 32. major eſt quàm eucharistia. ibid. in ea ſe Chriſtus humiliavit, ut nos exaltaret 32. a. 34. in ea intima cum verbo humanitatis unio, & vera idiomatum communicatio 32. a. quonam propoſitiones in hoc myſterio vera, quæ falſa 32. 33. v. Natura. Perſona. Perſona Filii convenienter naturam humanam aſſumpſit 38. b. incarnatio procedit à tribus perſonis ratione effectus, non terminis naturæ aſſumpta à ſolo filio 39. a. incarnatio non poteſt cadere ſub merito Chriſti 45. b. 79. v. Meritum. per hanc Deus nobis factus eſt pater 51. b triplici de cauſa eſt facta 90. a. ejus accelerationē meruit Maria 179. a. decretū incarnationis an fuerit poſterius decreto exiſtentiæ Mariæ 181. b. incarnationis extenſio eſt eucharistia 364. b. 394. a.

Indulgentiæ plenariæ non patrocinantur peccatoribus 492. 493.

Infamantibus quandoque obſiſtendum 132. a.

Infantes olim cum baptiſmo accipiebant Confirmationem & eucharistiam: an etiam nunc debeat iis dari eucharistia neceſsitate medii 369. 370. ſeq. 372. v. Communio. Eucharistia. Græci infantes baptizatos communicant, non faciunt Latini 372. a. b. quomodo infantibus olim dabatur eucharistia 449. b.

Ad Inferos Chriſtus deſcendit 147. b. & quomodo 148. a. an moram fecerit in inferno, & præter SS. Patres, alios inde liberaverit. ibid. b.

Infideles non participant de plenitudine gratiæ Chriſti 55. b. eorum infantibus an liceat dare baptiſmum 272. 273. v. Baptiſmus.

Infirmi an, & quomodo debeant Eucharistiâ muniri 469. b.

Ingratitudo mala eſt 24. a. 70. b. 566. a. b.

Innocentes ſæpe debent frequentare eucharistiam 477. a. v. Eucharistia in ſtatu innocentiæ nulla erant ſacramenta 201. b. innocentia an laudabilior an majus donum pœnitentia 569. 568.

Inſtrumenti cujuſvis quatuor conditiones 162. b. ut producat effectū, non opus eſt ut ſemper conjungatur 216. a.

Intellectus Chriſti in uſu ſcientiæ inditæ an potuerit diſcurrere 74. b. v. Chriſtus. Scientia.

Intentio faciendi vel ſuſcipiendi quod fit in eccleſia, requiritur in ſacramentis, ut ſortiantur effectum 219. 220. non ſufficit habitualis vel interpretativa 220. a. quid de conditionata futura vel præſenti. ibid. qualem Lutherus ad valorem Sacramenti requirat intentionem 225. a. miniſter intendens agere quod facit eccleſia, idque omne, ſerio & attente agens verè conficit, & non irritat Sacramentum, licet intus impiè irrideat, & infideliter deteſtetur 225. ſeq.

S. Ioachim pater Mariæ 166. a.

S. Ioannes Baptiſta cur baptizaverit 118. a. in bapiſmo probabiliter uſus eſt aliqua formâ. ibid. b. v. Baptiſmus.

Ioannes Scotus quid de S. Eucharistia ſcripſerit 352. a.

Irregulares ex defectu quinam 605. 606. ex delicto 607. a. b.

Iudæi ob quas cauſas potuerint uxores repudiare, & cum nova contrahere 632. a. Iudæorum zephira & opiniones de Angelis, & mutatione Dei, &c. 4. b. deceptio & error eorum de incarnatione Dei 5. a. Meſsiæ adventus poteſt illis demonſtrari 8. 9. eorum principatus tempore Chriſti ceſſavit 9. a. eorum excuſationes de adventu Meſsiæ refutantur 10. a. b. ſunt teſtes Chriſtianiſmi; idea per orbem diſperſi 11. a. tragœdia Iudaicæ calamitatis 11. a. b. ad eos apoſtrophe ut convertantur: quantus olim Dei in illos amor 12. b. propter peccata puniti 13. a. b. quantis convitiis & dedecore Chriſtum affecerint 133. b. dies naturales & feſtos diverſimode numerarunt, & menſes à novilunio inceperunt 366. a. an licitum illis uxores dimittere 631. b. Iudæorum renitentium infantibus an liceat conferre baptiſmum 272. a.

Iudices quinam irregulares 608. a.

Iuris naturalis ignorantiâ affecti indigne communicant 466. b.

Iuſtitiæ jura in incarnatione ſalvantur 6. b. ſatisfactio Chriſti fuit actus ſtrictæ juſtitiæ, & omnes in ea fuere conditiones juſtitiæ 67. 68. Iuſtitia Dei eſt tutela bonitatis ſuæ 14. a. læditur in quolibet peccato mortali 17. a. juſtitiis omnium Angelorum & hominum non poteſt Deo ſatisfieri pro uno peccato mortali 17. b. à juſtitia commutativa Chriſti proceſsit ejus ſatisfactio 70. a.

Iuſti cur & quomodo affligantur. 13. b. v. Innocens.

Laica communio quid eſt? 457. b.

Latriæ cultus debetur Chriſto 96. a. v. Cultus.

Latrones inter cur Chriſtus mortuus 145. a. latro in cruce converſus 146. b.

Legalia quomodo poſt aſcenſionem Chriſti adhuc aliquamdiu ſervata 243. b. quando ceſſaverint 242. 243.

Leo Iſauricus iconoclaſta, ejuſq; filius imagines perſecuti 98. a. b.

Lex Chriſtiana non in facundia ſed ſimplici veritate conſiſtit, non tabulis, ſed corde ſuſcipienda 125. b. in lege veteri erant ſacramenta determinata, quibus peccata dimittebantur 200. 201. lex vetus timore, nova amore regitur 560. b. quænam e duabus difficilior 561. a.

Liberalitas Chriſti in eucharistia 393. b. v. Eucharistia.

Libertas voluntatis Chriſti, ſtante etiam ejus impeccabilitate 83. b. quomodo in obedientia Chriſto ſalvetur 84. a. varii de hoc modi & ſententiæ ibid. refutantur: & quomodo libertas Chriſti cum impeccabilitate conſiſtat, explicatur 85. b. quomodo ſtante præcepto habuerit Chriſtus libertatem non moriendi. ibid. liber quoque Chriſtus fuit in actibus charitatis 87. b. voluntas eo eſt liberior, quo Deo ſubjectior 89. a. b. libertas hominis ſummum bonum, quod Deus vult conſervari 275. a. b.

Ligamen impedimentum matrimonii 638. a.

à Luna Iudæi menſes incipiunt 366. a.

Lutherus præſentiam Chriſti in eucharistia admittebat; manere tamen panem dicebat 350. 354. v. Eucharistia. Tranſubſtantiatio. ad eccleſiam reduces invitantur Lutherani 455. b.

Luxurioſus cælum non ingreditur 174. a. non eſt filius Mariæ 188. a. Luxuria aliquando diſsimulanda 273. b. maximè injurioſa eſt eucharistiæ 466. a. b.

Magdalenæ quando Chriſtus reſurgens apparuerit. 153. b.

Magis cur apparuerit ſtella, & manifeſta Chriſti nativitas: quot, & quales fuerint 114. a. b. unde oriundi, & qualis apparuerit illis ſtella 115. a.

Magnificentia quid eſt; mirabilis in Dei incarnatione 6. a.

Magnus Deus in juſtitia & miſericordia 14. a.

Majeſtas Dei in incarnatione mirè ſalvatur 6. b.

Mala quandoque permittenda 273. b.

Mancipiorum filii an poſsint invitis parentibus baptizari 272. b.

Manichæi *duplicem Chriſtum admittebant* 328.*b.*

Manus *impoſitio requiritur in ſacramento ordinis* 197.*a. b.* 602. *ſeq. manus imponendo confirmabant olim Apoſtoli* 284. 288. *manus impoſitio varia* 295. *b. cur Chriſtus imponebat manus ægris parvulis* 295.*b.*

Maria *quantum à filio amata* 134. *b. ex Maria ſanguine, non ſemine Chriſtus carnem aſſumpſit* 107.*a. Chriſtus reſurgens ei primo apparuit* 153.*b. Marialogia, ſeu Mariæ dotes* 165.*a.b. quando, ubi, à quibus parentibus concepta* 166.*a. pauperem duxit vitam ibid. corporis & animæ perfectiones ſingulares ibid.* 167. *pulchritudo corporis & animæ* 167.*a.b. ejus modeſtia. ibid. in conceptione excelluit gratiâ Angelorum & hominum* 167.168. *ornata eſt innumerabili virtutum honeſtate* 168.*a.* 169. *triplicem habuit refuſionem, in animam, corpus, & alios homines. ibid. licet gratiâ plena, potuit tamen creſcere. ibid. gratiæ ejus incrementum triplicem efficit plenitudinem.* 168.*b. Maria lumine fidei dotata, in utero matris habuit uſum rationis & arbitrii* 169. *a. voluntatis etiam rectitudinem, excludentem moralem peccandi poſſibilitatem. ibid. a. b. quatuor ejus Charitatis & gratiæ dimenſiones ibid. b. ejus humilitas* 170.*a. omnia ad obtinendam gratiã impendebat* 170.*b. non vidit divinam eſſentiam hic continuo & permanenter* 171 *b. immenſum ejus gloriæ & felicitatis pondus* 171.172. *a. b. quænam bona ex viſione Dei habuerit ibid. virtutum ejus perfectio* 172.*a.b. Maria amore beatifico plus Deum dilexit quam omnes creaturæ ibid. b. gaudium ejus ineffabile* 173. *a. corpus ejus incorruptum animæ reunitum. ibid. plus gaudii ex pulchritudine corporis & animæ Mariæ ſancti percipient, quam ex paradiſo* 173.*a. honor à Deo & Angelis ei exhibitus. ibid. b. eam amemus, & honoremus* 173. 174. 183. *eſt mater Dei, id negans hæreticus eſt* 174.*b. eſt etiam mater Chriſtianorum, ut talem veneremur & amemus* 175. 176. *Maternitas Mariæ habet relationem ad filium Dei, dignitatem infinitam, affinitatem cum Deo, perfectiſſimam Dei ſimilitudinem, ſignaculum, unionem remotè ſubſtantialem inter Deum & Mariam, dominium in Chriſtum, ideoque ei honorem & amorem filialem debebat* 176. 177. 178. *Maria non potuit maternitatem Dei de condigno, nec de congruo mereri* 178. *b. meruit tamen diſpoſitionem ad illam, & incarnationis accelerationem ibid. Mariæ dignitas major eſt dignitate filii Dei adoptivi* 179. *b. an maternitas ſeorſim Mariam ſanctificet.* 180.*b. eſt prædeſtinatorum mater, & prima creaturarum, quomodo?* 181. *a. b. decretum exiſtentiæ Mariæ prius fuit decreto incarnationis. ibid. fuit prius & electa ad maternitatem, quam ad cumulum gratiæ, meritorum & gloriæ ibid. eſt Trinitatis complementum* 182. *a. eſt mater Dei, & noſtra, multas habent ad homines relationes* 182. 183. *illibata Mariæ virginitas probatur, illuſtratur* 183. *quomodo virgo peperit* 184.*a.b. virginitatem Deo vovit* 185. *b. verum cum S. Ioſeph iniit matrimonium: cujus aliquot recenſentur congruentiæ* 185. *a. quomodo illud non impediverit Mariæ virginitatem* 185. 186. 187. *Mariæ cliens caſtus & virginem fit* 187.*b. Maria potius virginitatem quam maternitatem elegiſſet* 188.*a. Mariæ ſodalitium, roſarium, ſcapulare &c. nihil juvant, niſi vitam & mores ejus imitemur. ibid. a. b. elogium Mariæ ex D. Thoma* 190.*a. an habitum pœnitentiæ habuerit* 539.*b.*

Martyrium *eſt veri Chriſtiani vita* 95.*b. martyrio baptizati ſalvantur* 251. *b. paſſum pro Chriſto ex opere operato juſtificat* 264. *a. commendatur* 265.*a. non ſolùm viri, ſed etiam mulieres illud ſubierunt* 265 *a. b. quid eſt* 268.*a. eſt opus maximæ charitatis* 265.*b.* 266. *b. requirit, ſi fieri poteſt, diſpoſitionem, confeſſionem, &c.* 266. *b. ſine charitate non eſt verè martyrium. ibid. non eſt ſacramentum, remittit tamen peccatum, confert gratiam, &c.* 267.*a. quando conferat gratiam ibid. quid ſi accepto vulnere adhuc ſupervivat? ibid. b. peſte laborantibus inſervientes & obeuntes, non ſunt martyres* 267. 268. *non quæcunque mors, ſed qualis requiratur ad martyrium* 268. 269. *habet eaſdem cum baptiſmo dotes. ibid. non oportet ſe ultro perſecutoribus objicere* 269. *b. martyriorum varia genera* 270.*a.b.*

Maternitatem *Dei nulla creatura, nec B. Virgo potuit mereri de condigno, nec de congruo* 178.*b. an gratia ſanctificans illâ ſit ſuperior* 180. *a. an ſeorſim ſumpta ſanctificet Mariam* 181.*b.* v. Maria.

Matrimonium *clandeſtinum prohibitum* 198.*b. non fuit in ſtatu innocentiæ inſtitutum ſacramentum* 203. *a. Matrimonium Mariæ fuit verum; & ejus congruentia* 186.*a.* v. Maria. *matrimonium malitioſa intentione contrahens ſacramenti valorem non impedit, ſi abſit dolus & violentia* 225 *b. in quo conſiſtat* 628. *b. copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonii ibid. ſed ad ejus perfectionem ſecundariam pertinet* 629.*a.* v. Conjugalis actus. *matrimonio repugnat polygamia* 631. *a. ex ſua natura eſt indiſſolubile ibid. b. Iudæis an licitum fuerit uxores dimittere. ibid. b.* v. Iudæus. *quæ cauſa matrimonii* 632.*a. qualis in eo requiratur conſenſus. ibid. b. an ſponſalia cum ſubſequente copula faciant matrimonium* 633.*a. fictè promittens matrimonium, an obligetur. ibid. clandeſtina ſunt irrita. ibid. matrimonium ex prima inſtitutione eſt ſignum rei ſacræ: & ſignificat conjunctionem Chriſti cum eccleſia* 633.*b. quis ejus miniſter, materia, forma* 635.*a. matrimonium Chriſtianorum eſt verum ſacramentum* 633. *b. qualem producat gratiam* 634. *a. an omne matrimonium inter Chriſtianos irritum ſit ſacramentum, an verò tantùm, quando accedit eccleſiæ benedictio* 634.*a.b. an per literas, vel procuratorem contractum ſit verè ſacramentum* 635. *a. matrimonii impedimenta dirimentia, & impedientia tantùm quænam* 635. *ſeq. matrimonium clandeſtinum eſt impedimentum contrahendi matrim.* 638. *b. quænam ſunt impedimenta non dirimentia* 639. *b.* v. Impedimenta *eccleſia poteſt aliquot impedimenta apponere matrimonio, à quibus etiam poteſt diſpenſare* 640.*b.*

Mediator *Chriſtus eſt* 94.*a.*

Melchiſedech *ſacerdos omnibus præeminet* 95.*a.b.*

Menſes *Iudæi inceperunt à novilunio* 366.*a.*

Meritum *de congruo in quo conſiſtat* 46.*b. incarnatio non poteſt cadere ſub merito Chriſti, nec Sanctorum* 45. *b.* 46. 179. *Chriſtus nõ potuit mereri de congruo reunionẽ cum Verbo in reſurrectione tamẽ meruit reunionẽ corporis & animæ* 46.*b. nec meruit continuationem ſuæ unionis ibid. nec Patres meruere incarnationẽ de condigno ſed de congruo* 47.*a. principium meriti quomodo non cadat ſub merito. ibid. b. merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis. ibid. ad meritum ſex requiruntur* 63. *a. Chriſtus meruit gloriam ſui corporis, nobis prædeſtinationis effectus non ſibi tamen gloriam eſſentialem* 63. *a. opera Chriſti ad merendum ſunt infiniti valoris* 65.*a.* 137. *ad meritum Chriſti an requiratur Patris promiſſio* 65.*b. infinita Chriſti merita non debent nobis peccandi licentiam tribuere* 66 *b. an perfectius gloriam cum, vel ſine merito acquirere* 72. *a. maternitatem Dei B. Virgo nec de congruo, nec de condigno potuit mereri* 170. *b. merita priſtina per veram pœnitentiam reſtituuntur* 563. *ſeq. per peccatum non planè in nihilum rediguntur, ſed manent in acceptatione divinæ, ideoque per pœnitentiam reviviſcunt* 565. *b. reviviſcunt ſecundum diſpoſitionis quantitatem. qua peccator reſurgit* 567.*a.b. ſententia variorum de meritorum reviviſcentia* 568. 569. *quomodo reviviſcant* 571. *a.b.*

Meſſiæ *commendatio* 2. 3. *ſeq. ejus adventus poteſt demonſtrari* 89. *Iudæorum de hoc excuſationes refutantur* 10.*a. b.*

Metropolitanæ *eccleſia quæ, & qualia jura* 617.*b.*

Milites *quinã irregulares* 607.*b. militia vita hominis ſuper terrã* 285.*b. ſtrenuos nos eſſe milites decet ibid. per confirmationem efficimur Chriſti milites* 290. *milites non otioſi, ſed ſtrenui ſimus* 291.*b.* 294.*a. b. in confirmatione roboramur* 297.*a.b.*

Miniſter Dei eſt cauſa inſtrumentalis ſacramentorum 204.205. ejus dignitas quantam requirat puritatem 205.b.223.b. v.Sacerdos. ejus ſanctitas in ſacramentis adminiſtrandis 220.221. hæreticus vel malitioſus valide, ſed illicite conficit ſacramenta 221.a. malus intra eccleſiam vera peragit ſacramenta, & confert eoſdem effectus, quos bonus. 222. b. miniſter ſolennitatis in ſtatu peccati mortalis confert ſacrilege; non neceſſitatis 223.a. quid ſi non exerceat, ſed confectum diſtribuat? ibid.a. à miniſtro tolerato licet ſacramenta recipere; melius tamen eſſet alium inquirere: quis ſit toleratus? ibid.b. incuſantur mali miniſtri 224.a.b. v.Intentio. miniſtri perverſitas non irritat ſacramentum 226.227.ſeq. 234.b. miniſter baptiſmi 247.a. v.Baptiſmus. miniſter eucharistiæ in hæreſim, excommunicationem, &c. lapſus valide, ſed ſacrilege celebrat 419 a. an talis miniſtri miſſam liceat audire ibid.b. miniſter ſacramenti pœnitentiæ eſt ſolus ſacerdos 530. a. v.Pœnitentia. Boni multa bona, mali multa cauſant 552.b. quodnam ſit jus plebi in electionibus miniſtrorum eccleſiæ 604. b. ſupremum jus eligendi miniſtros eccleſiæ competit epiſcopis & metropolitano 605. a. ordinationes à malis miniſtris factæ an irritæ 613.a.

Mirabilia Deus tria fecit, quæ? 275.a.414.415.

Miracula Christi cur in paſſione facta 146.b. in vita 157. 158. quare convenit Christum feciſſe aliqua miracula 159.a.b. divinitatem ejus demonſtrarunt. ibid. diſcretio miraculorum; & an falſi prophetæ miracula fecerint. ibid. ante perfectam ætatem miracula Christus non patravit 160. a. convenienter Christus miraculis egit in dæmones, circa corpora cœleſtia, homines, creaturas irrationabiles. ibid.a.b. miraculoſa fuit Christi transfiguratio 160.b. miracula cur nunc in eccleſia deſint, quia deſunt opera 162. a. humanitas Christi eſt inſtrumentum phyſicum miraculorum & gratiæ 162.b. ſæpius per ſanctos & virtuoſos quam per ſe operatur Deus miracula; quare 164.a.

Miſericordia Dei magna in incarnatione 6.a.14. b. miſericordes decet eſſe in peccatores 504.541.572. 21. a. magna Dei in homines miſericordia 21.b.23.24. in pauperes eſſe miſericordes debemus 203.b.219.a.

Miſſæ ſacrificium v.Eucharistia.

Modeſtia ſingularis Mariæ 167.a.b.

Monachi quomodo martyres eſſe poſſint. 271.b.

Monothelitarum hæreſis 79.80.

Morbi an contrariis, an ſimilibus curentur 7. b. non ſunt mali, ſed boni, à Deo inflicti 141.a.b. eos patienter ferentes ſunt martyres 270.b. v.Afflictio.

Moribundis non deneganda eſt abſolutio; an tamen & quomodo ægris 585.b.

Mori voluit Christus pro nobis, & poſuit animam ſuam 139.b. quare conveniens fuerit mors Christum 140. a. v.Paſſio, Christus. quomodo mors Christo inflicta fuerit violenta & libera 141.b. in morte Christi ſuppoſitum ejus manſit unitum cadaver. ibid. mortem patris non licet filio ſpe hæreditatis appetere 178.a. in mortis articulo quivis ſacerdos quoslibet a quolibet poteſt abſolvere 223. b.533.a. non quæcunq., ſed qualis ad martyrium mors requiratur 268.269. perſecutoribus non oportet ſe ultro objicere 269.a. mortis condemnati rei an communione præmuniendi 468.469. an eorum mors ſit tuta, & ſecura 469.a.b.

Mortificatio Christiano neceſſaria 64.b. 283. a. eſt longum martyrium 95.b.270. a.b. mortificatio Christi 121.a.286.b.

Mulieres multæ martyrium ſubierunt 265. a. b. v. Conjuges, Fœminæ.

Munditiem cordis qualem requirat eucharistia 464.a.b.

Mundi amore facta eſt incarnatio 8. a. ejus bonis non adhærendum 157.a.

Mundi ſunt ordinum incapaces 606.a.

Nativitas Christi temporalis 112.a.b. cur parvus nobis eſt natus 113.a. cur in Bethlehem? ibid.b. in ſtabulo, nocte, & quo tempore 113.b. nativitas Christi cur non omnibus nota, ſed aliquibus, & quibus 114.a. ſignis eſt manifeſtata, & interno ſpiritu 114.a.b. quo tempore manifeſtata. ibid.b.

Natura omnis creata, etiam angelica, à Verbo eſt aſſumptibilis, & verbum triduo manſit unitum cadaveri 37.a. an naturæ etiam incompletæ à verbo aſſumptibiles. ibid.b. v.Verbum. natura humana ſola convenienter à Deo aſſumpta eſt 38.39.b. duarum unio naturarum in una perſona difficilis eſt explicatu: quid Patres de ea? 26. b. v.Perſona divina.

Neceſſarium duplex eſt 14.a.

Negotiorum multitudo non impedit juſtos ab eucharistia, & bonis operibus 488.489.

Neſtorii hæreſis de perſona divina 25. b. refutatur 26.a.

Nomen bonum ſemper eſt defendendum 129.a.

Novati vita & mores, ejusque hæreſis circa pœnitentiam 503.a.584.

Obedientia quàm Christo ſit chara 83.b.84. quomodo libertas Christi in obedientia ſalvetur 84. a. felix obedientia quæ libertatem non minuit, ſed perficit 84. 85. obedire Deo ſumma eſt libertas 89. a. b. 275. b. quam à Christus obedientiâ paſſus 144. b. obedire magis Deo quàm hominibus debemus 274. a. mirabilis Christi obedientia in eucharistia 405.a.b. Deo obedientes ſimus, & cum eo exaltabimur 406.a.

Oblatio Christi in templo: oblationis præceptum in lege veteri 117.a.b.

Occaſionem peccandi non vitantibus deneganda abſolutio 579.a.

Oeconomi eccleſiæ quinam 627. a.

Offenſio Dei in quo conſiſtat 16.b. v.Peccatum.

Oleo nomen Ieſu comparatur 116.117. oleum & chriſma à ſolis conſecrantur epiſcopis 303.a. oleum eſt materia extremæ unctionis 593. v. Unctio. presbyteris non licet oleum infirmorum conſecrare, ſed aliquid non conſecrati affundere 594. a. olei benedictio non requirit certum ritum, ſed ſufficit qualiſcunque benedictio 594.b.

Omnipotentia Dei in eucharistia non plus ultra 413.b.

Opus præſens bene agamus, vix de futuro cogitemus 38.a. opera noſtra Christi operibus uniamus 54.b. v.Satisfactio. 71.a. opera Christi ſunt infiniti meriti tam ad merendum quàm ſatisfaciendum 65.a.b. eorum merita ex dignitate perſonæ penſanda 65.b. v. Merita. Opera, non nuda requiruntur verba 105. 106. Opera Christi quanti ſint meriti 137.b. opera bona niſi deficerent, non deficerent miracula 162. a. 164. a. multa opera ficta ſunt, non vera 279. a.b. opere oſtendamus quid ſimus 294. a. b opera bona in peccato mortali facta, an aliquid proſint 588.a.b. ut ſint bona quid requirant ibid.b.

Oratio eſt ſupplex omnipotentia 47.b. ejus vis 77.b. non labiis ſolum, ſed ſpiritu Deus adorandus 96. a. b. v.Cultus.

Ordines ſacri puritatem, baptiſmum pœnitentiæ & maturitatem requirunt 120. a. in iis requiritur manuum impoſitio tam apud Græcos quam latinos 197.a. b. ordinato Chryſoſtomo columba inſedit ibid. quænam Ordinis materia 197.198. ejus character 210.211.212. v. Character. Ordo eſt verum ſacramentum 599.b.ſeq. à Christo inſtitutum 600.a. Ordo non convenit omni fideli, etiam laico, ut voluit Lutherus ibid. epiſcopatus eſt ordinis origo & plenitudo 601.a. presbyteratus, Diaconatus & ſubdiaconatus ſunt veri ordines 601. 602. an ſola manuum impoſitio ſit materia ſacramenti Ordinis 602. ſeq. ſacri ordines requirunt cœlibatum 603. b. Ordines à ſolis epiſcopis conferuntur, non à plebe 604. a. electio ordinandorum ſit à Deo. ibid. v. Miniſter. quinam Ordinum incapaces 605.ſeq. multæ ordinationes ſunt illicitæ, ſed non irritæ; & quales 611.ſeq. factæ à malis miniſtris

an irrita 613.a. Ordinandorum dotes & requiſita: ſanctitatis vita & ſcientia 613.614 ordinandorum vocatio à Deo 615.b. an à ſuperioribus debeant vocari 616 a. epiſcoporum ordinatio 618.b. quæ materia & forma presbyteratus 619.a. Diaconatus materia, forma, officia 621. 622. Subdiaconatus & reterorum ordinum antiquitas, & an ſacri ſint 623. eorum diſtinctio, neceſſitas, officia. 623. 624. prima tonſura quid. & quæ eius diſpoſitio 624. Ordo eſt impedimentum matrimonii 638.a.

Otiari in gratia comparanda non expedit 64. b. 164 b. quando Chriſtus videbatur otiari, erat laborioſiſſimus 79.a.

Panis eſt materia euchariſtiæ, & cur 383. ſeq. triticeus 384.b. v. Euchariſtia. panis quomodo poteſt dici corpus Chriſti 333 a. panis in corpus Chriſti convertitur totus, & eſt vera tranſubſtantiatio 355.b. v. Tranſubſtantiatio. Euchariſtia, in azymo Chriſtus euchariſtiam inſtituit 366.a.

Papa quibus caſibus ſubjiciatur eccleſiæ 532. b. eius electio 618.b. nō poteſt confirmare, niſi ſit epiſcopus 306.b.

Paraſceve Iudæorum quid 367.b.

Parentibus invitis quando poſſit filiis conferri baptiſmus 272.a.b. filiis tenentur providere 273.b. quando illis non obediendum 274. a. parentibus non poſſumus debitum recompenſare 536.a.

Parocho invito an alius approbatus poſſit abſolvere 532.a. v. Miniſter Paſtor an teneatur peſte laborantibus adminiſtrare unctionem 597.b. unde? 620.621.

Parvis in rebus perfectio conſiſtit, & Deus magna operatur 203.a.

Parvulorum infidelium baptiſmus quando eſt licitus 271. 272. ſeq. v. Baptiſmus. In lege veteri fuêre juſtificati per fidē parentum Chriſti 282. a. v. Infantes.

Paſchæ dies quinam, & cur ſic dicti 366.367. agnum paſchalem quando immolabant Iudæi 368. a. omnes in paſchate tenentur communicare; & quodnam tempus paſchale 445.a.b.466.

Paſſione redimere, vel peccata condonare, quid melius? 8.a. paſſionis Chriſti cauſa & acceſſus 132.133. eâ merito moveatur Chriſtianus 134. a. paſſioni Chriſti compati, & imitari debemus, alias inanis eſt 135.a. b. v. Redemptio. Paſſio Chriſti operata eſt ſalutem humanam per modum cauſæ efficientis, & per modum meriti 137.a.b. per modum ſatisfactionis. ſacrificii, & redemptionis 138. a. Chriſtus paſſione ſua liberavit nos à peccato, à diaboli ſervitute: pœna peccati, & reconciliavit nos Deo, cœlumque aperuit 138.a.b. in ea omnes emicant virtutes, præcipuè charitas. ibid. paſſionis ſublimitas 139.a.b. & profunditas 140.a.b. in ea exinanita Chriſti humanitas. 140. a.b. de ea non poſſumus ſatis loqui 141. b. paſſionis circumſtantiæ: quis, quid, ubi &c. ponderantur 142.143. cur, quomodo, quando; quàm obediens, ſpontaneè paſſus 144.b. circa hominis paſſionis paſſiones & tribulationes 7. circumſtantiæ expenduntur 145.146. Circumſtantiæ paſſionem Chriſti ſubſecutæ 146.147. miracula in ea 146.b. pati debemus, ſi velimus reſurgere glorioſi 154. 155. in baptiſmo participat homo totaliter virtutem paſſionis; in pœnitentia nonniſi mediis pœnitentis actibus 542. 543. paſſionis memoriale inſtituit Chriſtus euchariſtiam 412.a.

Paſſiones animi an Chriſtus aſſumpſerit 42.a.b. 82. 83. paſſionum victrix euchariſtia 432.a.

Paſtores animarum ſcientiæ ſacræ incumbant 79. b. quæ eorum debeat eſſe puritas 83.a.b. debent propter ſacramentorum adminiſtrationem reſidere, & cavere abſentiam 263.b. eorum juriſdictio 531. b. v. Confeſſarius. Parochus. Sacerdos. Pœnitentia. an poſt Tridentinum poſſit ſuam poteſtatem alteri delegare 531.532.

Paſtoribus cur Chriſti nativitas manifeſtata 114.a.b.

Pater noſter factus eſt nobis Deus per incarnationem, 51 b.

Patientia facit martyres 270.b.

SS. Patres à Chriſto è limbo liberati 148.b. quidam in errorem quendam inciderunt 222.a. quinam & quomodo probarunt realem Chriſti in euchariſtia præſentiam. 319.320. ſeq.

Patriarchales eccleſiæ quales ſint 617.b.

Patrini includuntur confirmandis 292. a. patrini in baptiſmo officium 259.b.

Pauperem vitam duxit Chriſtus 121.a. in pauperes ſimus miſericordes 203.219.a.

Pax animi & tranquillitas conſcientiæ eſt effectus baptiſmi 258.a. pacem ubique ſectari debemus. præſertim euchariſtiam ſumpturi 376. b. pacis parens euchariſtia 427.428.

Peccata ſemel dimiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt nec phyſicè. nec moraliter, provocatur tamen major Dei ira & ingratitudo 566.a.b. peccatis mortal. reſiſtendi vigorem, & venialium remiſſionem ſubminiſtrat euchariſtia 430.429. peccatorum pœnas euchariſtia remittit 430.431. peccata venial. non impediunt euchariſtiæ frequentiam, ſed exigunt dilationem 489.a. quomodo redimenda 490.b. peccato ſunt materia remota pœnitentiæ 511. v. Pœnitentia. dubia an ſint materia pœnitentiæ 512. a. an poſt peccatum admiſſum teneamur ſtatim conteri & confiteri 516.b. v. Confeſſio. Contritio. Satisfactio. Peccata jugiter defleamus & ſatisfaciamus 526.a.b. peccatum quotupliciter poſſit conſiderari 535.b. dolor de peccato nimius poteſt in deſperationem adigere 533.b. quodvis remittit pœnitentia 540.a. 543.544. peccatorum reliquias evellit pœnitentia 542.b. quomodo peccatū animæ vires debilitet 7.b. 542.b peccata quibus actibus pœnitentis remittuntur 545. a. ad hoc tria requiruntur 544. Peccati venialis effectus, & quomodo tollantur 545.b. per peccatum merita non omnino rediguntur in nihilum, ſed per pœnitentiam reviviſcunt 565.b. omnes Dei perfectiones offendit, & omnes hominis vires infirmat 7.b. peccata nunquam melius Deus condonaſſet quam paſſione redemiſſet. 8.a. peccato creaturarum univerſitas offenſa 8. a.b. pro peccato mortali non potuit purus homo ſatisfacere, ideo incarnatio fuit neceſſaria 15. b. in quolibet peccato committitur contra Deum injuſtitia 17.a. non poteſt omnium angelorum & hominum juſtitia ſatisfieri pro una peccato mort. 17.a. 67. quantum malum eſt, & tamen ut aquam bibimus 18. a. pro ſatisfactione peccati venialis non fuit neceſſaria incarnatio; ſed pro eo poteſt ſatisfacere juſtus 18.a.b. venialis remiſſionem ex duplici cauſa petimus 19.a. caveamus ſedulo venialia ibid. 29.b. Chriſtus venit ad delenda omnia peccata, præcipue originale 23.b. peccatorū fontes, cupiditas & timor 60 a. peccandi licentiam non debent nobis præbere infinita Chriſti merita 66. b. nullum in Chriſto fuit peccatum, implicat fuiſſe 80 b. nec fomes peccati in eo fuit 82.b. horrendū & crudele monſtrū eſt 149.a. peccata veteris legis quomodo remittebantur 200.201. originala & actuale tollit baptiſmus 253. b. etiam omnes pœnas peccatis debitas 254.a. peccata poſt fictionem commiſſa verâ pœnitentia remittuntur 278.a. v. Baptiſmus. Fictio. venialia an, & quomodo per ſacramentalia remittuntur 546.a.b. remittuntur in altera vita quoad culpam & pœnam ibid.b. in inferno nulla remittuntur, ſed per accidens æternum venialia puniuntur 547. a. peccata ſequenti pœnitentiâ redimenda 547. 548.572. b. in eadem peccata continuo relabentibus neganda eſt abſolutio 573. ſeq. v. Recidivi. Abſolutio. Serio ſunt peccata emendanda 577.a.b. ex fructibus cognoſcitur emendatio 578. 579. opera bona in peccato mort. facta an proſint 588.a.

Peccatoribus compati debet 21.a.b. Dei in eos miſericordia 304. a. 572. a. an participent de plenitudine gratiæ Chriſti 55.b. an ſint membra Chriſti 56.b. quantas peccator merito ſuſtinet pœnas, ſi tot innocens Chriſtus 141.a.b. quanta Chriſti bonitas in euchariſtia in peccatores 393.394. quinam peccatores à communione poſſimus arcere 468.a. quinam dicantur publici. ibid. occulto euchariſtiā occulte petenti neganda eſt 468.b. quando licite ſumant

ſumant Euchariſtiam peccatores 478. b. quomodo olim ab ea remoti 491. a.

Perfectionem *ſuam quodlibet continet Sacramentum 374. a perfectio in parvulis rebus conſiſtit 203. a. ad eam nobis copioſa communicatur gratia; & tamen manemus imperfecti 213. b. 218. b. perfectio Chriſtiana requirit confirmationem 297.*

Perfectionis *tempore poſſunt laici Euchariſtiam diſpenſare 422. b.*

Perſeverantiam *docuit Chriſtus 147. a. eam fervent in regulis ſuis religioſi 149. b. finalem cum æterna felicitate confert Euchariſtia 434. b.*

Perſona *Chriſti quomodo dicatur compoſita 29. a. ſola poteſt alienam terminare naturam 34. b. omnis natura, etiã Angelica ab ea eſt aſſumptibilis 37. a. Perſonæ tres divinæ potuerunt eandem naturam creatam aſſumere, & ſibi unire 35. a.* v. Unio. *Sicut tres perſonæ poſſunt terminare eandem naturam; ita eadem perſona plures naturas. ibid. b perſona divina non potuit aſſumere naturam creatam retentâ propriâ ſubſiſtentiâ 36. a.*

Peſte *laborantibus inſervientes & obeuntes non ſunt verè martyres 267. 268. 270. a.*

Petrobuſſiana *hæreſis circa Euchariſtiam 353. b.*

Photius *cur in Eccleſiam inſurrexerit ratione confirmationis 300. b.*

Phrænoſis *extractione ſanguinis curatur 43. a.*

Pietas *erga Euchariſtiam neceſſaria 358. b.* v. Euchariſtia.

Pœna *æterna tollitur per pœnitentiam, etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ 541. b. pœnæ inflictæ non ſunt malæ, ſed bonæ, à Deo inflictæ 141. a b. non tolluntur per baptiſmum 254. b. temporales quomodo fiant quandoque æternæ 567. a.*

Pœnitentia *an fuerit in Chriſto 59. b. non differenda 111. 112. peccata ſua verè pœnitentes ſunt martyres 270. b. per pœnitentiam quomodo fictio Sacramenti ſuſcepti remittatur 276. 277. pœnitentia triplex eſt 491. b. ad ſubveniendum homini lapſo inſtituta 501. a. ejus etymologia. ib. a b. quæ eſt vera pœnitentia. ibid b. 508. a. b. variè à SS. Patribus denominata 502. a. ejus effectus ib. b datur in Eccleſia pœnitentia in remiſſionem peccatorum inſtituta 502. b. Novati circa eam hæreſis: qualis Novatus fuerit 503. a probatur pœnitentia eſſe Sacramentum contra Lutherum & Calvinum 505. b. quomodo per eam remittantur peccata 506. a. quando à Chriſto inſtitutum hoc Sacramentum 507. a. poſt relapſum eſt neceſſaria. ib. 523. materia Sacramenti pœnitentiæ proxima ſunt actus pœnitentis 508. 509. ejus partes ſunt contritio, confeſſio, ſatisfactio 509. a. b. olim dabatur abſolutio poſt ſatisfactionem 510 a. ſatisfactio eſt pars integralis ibid. b.* v. Satisfactio. *materia remota pœnitentiæ ſunt peccata: an etiam dubia? 511. 512. qualis ad eam requiratur dolor vel contritio 512. a. b.* v. Attritio. Contritio. Dolor. Timor. *requiritur ad eam efficax propoſitum non peccandi 515. b. an ſtatim poſt peccatum teneamur conteri, vel confiteri 516. b. unde ſingulis peccatis conteri, & agenda pœnitentia 518. a. b. legitima Sacramenti pœnitentiæ forma non precatoria ſed judicialis eſt, & qualis 527. a. Græci non utuntur forma precatoriâ, ſed judiciali 528. a.* v. Abſolutio. *ſolus ſacerdos eſt miniſter pœnitentiæ 530. a. ſi habet poteſtatem juriſdictionis 531. b.* v. Parochus. Paſtor. *an ad abſolutionem ſemper neceſſaria poteſtas juriſdictionis 531. 532.* v. Sigillum. *533. ſeq pœnitentia virtus eſt ſpecialis, & qualis, ab eaque actus pœnitentis proficiſcuntur 534. b. 535. 533. eſt pars juſtitiæ 536. a. an etiam ſpecies religionis? 537. a. comprehendit ea, quæ pertinent ad omnes virtutes 537. b. præ ſe fert modum juſtitiæ vindicativæ, diſtributivæ, potentialis commutativæ 538. a. ejus ſubjectum eſt voluntas; remotum, quivis peccati reus, vel capax 538. 539 in Chriſto non fuit habitus pœnitentiæ. an etiam in B. Virgine, & beatis 539. b. Pœnitentia omne quodvis grave peccatum remittit 540. a. an unum peccatum ſine altero in ea poſſit remittit 541. b. 547. b. remittit pœnam æternam, & pro ratione pœnitentiæ temporalem. ibid. quomodo pœnitentia participet virtutem paſſionis Chriſti 542. a. evellit pravas diſpoſitiones & reliquias peccatorum 542. b. & per pœnitentis fervorem perfectiorem animæ confert ſanitatem. ibid. remittit peccata venialia 543. 544. qualis requiratur pœnitentia ad remittenda peccata venialia 544. a. b. quibus pœnitentis actibus peccata venialia remittantur 545. a. b. liberat à morte peccati, à pœna purgatorii luenda, paradiſum aperit, ſalutis ſpem tribuit 547. a. b. an poſſit eſſe vera pœnitentia ex ſolo inferni timore, abſque Dei dilectione 554. ſeq. ad eam bona requiritur voluntas, excludens affectum ad peccatum 556 a. b & firmum propoſitum non peccandi 558. b. quid de attritione dicat Concil. Trident. 559. a. b. intolerabilis eſſet ſine contritione pœnitentia 562. a. per eam gratia, gloria, virtutes & merita reſtituuntur 563. 565. ſeq. quandoque in majori gratia & virtutibus pœnitens reſurgit 564. a. reſtituit virginitatis formale, non materiale 565. b. an ſit minus donum innocentiâ 568. 569.* v. Recidivus. *vera pœnitentia ex fructibus cognoſcitur 578. 579. 585. pœnitenti relapſo non facile credendum 584. b.*

Pœnitentia *ſeu* ſatisfactio *quomodo olim impoſita 520. 521. publicam nunquam Eccleſia impoſuit, nec probavit 522. a. jugiter pro peccatis pœnitentiam agamus 526. a. b. frequenti pœnitentiâ peccata ſunt delenda 547. 548. 572. b. qualis imponenda 580. b.*

Pollutio *nocturna quando ſumptionem Euchariſtiæ impedit, & quando peccaminoſa 470. a. b.* v. Conjuges. Copula.

Polygamia *hodiedum illicita 831. a.*

Poſſibilia *omnia utrum ſcientia Chriſti beata potuerit cognoſcere 72. a.*

Poteſtas *Chriſto excellentiſſima, non collata omnipotentia 157. b. ſumma Chriſti in poteſtate facilitas, univerſalitas, fœcunditas 158. a. quædam Chriſtus voluit, quæ facta non ſunt. ibid. b. Poteſtas juriſdictionis an ad abſolutionem ſemper neceſſaria 531. 532.*

Præceptis *Dei immobiliter adhærent non tentabiles 123. a. in præceptorum obſervatione erat voluntas Chriſti non obſtante impeccabilitate libera 83. b.*

Prædeſtinatus *fuit Chriſtus in filium Dei 43. b. prædeſtinatio Chriſti non potuit cadere ſub merito Chriſti, nec ſanctorum 45. b. prædeſtinatio & merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis 47. b. prædeſtinationis effectus meruit nobis Chriſtus 63. 64. prædeſtinatorum mater Maria 181. a.*

Prædicatio *Chriſti qualis fuerit, quomodo prædicatoribus dederit exemplum 123. b. ordinem charitatis ſervavit, zelum veritatis acuit, charitatis vi & dulcedine attraxit, publicè & ſimpliciter erudivit 123. 124. Chriſtus prædicationem ſuam non dedit ſcriptis 124. 125. prædicationem ſequi debent opera 149. b.*

Prædicatores *ſint maturi, docti, non vendentes vaniloquia 124. b. non deficient prædicatores miracula, ſi deficiant opera 162. a. quid ſi in ſtatu peccati mortalis concionentur, an peccent? 223. a.*

Præparatio *ad Euchariſtiam quanam requiratur 459. 460. ſeq.* v. Euchariſtia.

Præſentia *Chriſti in Euchariſtia eſt vera & realis 311.* v. Euchariſtia. *Calviniſtarum adverſus hanc cavillationes eliduntur 314. 315. præſentiam realem Chriſti in Euchariſt. probant Paulus & Andreas, Dionyſius Ignatius M. Juſtinus. Irenæus. 319. 320. 321. Tertull. Cyprian. Hilarius, Cyrill. Optat. Milevit. Baſil. Greg. Nazianz. Ephrem. Epiphan. 322. 323. 324. Greg. Nyſſ. Ambroſ. Chryſoſt. Hieronym. Auguſtin. 325. 326. 327. Cyril. Alexand. Leo, Gregorius M. Damaſcenus, &* Concilia. *336. b. 330. a. b. Rupertus 333. de hac præſentia apoſtrophe ad hæreticos 337. a. b. eam univerſa Eccleſia ante Calvinum credidit; & fictitium eſt, tunc erraſſe Eccleſiam 338. b. hæretici fatentur illam Chriſti præſentiam à SS. Patribus doctam 339. a. in hoc puncto Eccleſia præſertim ſequenda 339. 340. nec in hoc græca diſſidet à Latina 341. a. b. 345. præſentiam Chriſti agnoſcunt Lutherus & Lutherani, ſed manere ſimul ſpecies ajunt 350.*

INDEX RERVM

Presbyter v. Miniſter. Sacerdos. *precbyteratus eſt verſus ordo 601.b. ejus materia & forma 619.a. ſeq. presbyteri ſunt epiſcopis inferiores ibid. debent epiſcopis obedire 620.a. quinam archipresbyteri 620.b.*

Primogenitus *omnis creaturæ Chriſtus 21.b.*

Principatus *Iudaorum tempore Chriſti ceſſavit 9.a.*

Proceſſiones *V. Sacramenti quo die, & cur inſtituta 38.b.*

Proficimus *cur tam in bono exiguè 158. 159. non proficere, eſt deficere 79.a. 111.b. 572.*

Promittens *ficte matrimonium an obligetur 733. a. promiſit Chriſtus carnem ſuam daturum in Euchariſtia, idque implevit 313.b.*

Prophetiæ *prophetarum omnes Chriſto conveniunt 9. b. quæ differentia inter prophetiam & ſcientiam inditam 76.a. Propheta fuit Chriſtus 61.b.*

Propoſitum *firmum non peccandi requiritur ad pœnitentiam 558.b. 574. 575.* v. Abſolutio. Recidivus. *578. 579. 584.*

Prudentia *confeſſarii neceſſaria 549.b.*

Pulchritudo *corporis & animæ Mariæ 167.a. b.*

Purgatorio *quænam animæ à Chriſto reſurgente liberatæ 149.a.*

Quantitas *panis quomodo in euchariſtia ſuſtentetur 359.a.*

Raptus *matrimonii impedimentum 639.b.*

Raynaudi *ſententia, peſte laborantibus inſervientes & obeuntes, eſſe martyres, damnatur 267.b.*

Recidivos *ab euchariſtia oportet arcere 497.a.b. recidivorum major culpa, pœna, ingratitudo 566.a.b. recidivis neganda abſolutio 573.a.b. raro emendantur 575. 576. non facile iis credendum 576.a. 584.b. expedit eis negare abſolutionem 574 576.* v. Abſolutio.

Redemptio *generis humani fuit cauſa incarnationis 19 b. an, & quomodo incarnationi æqualis 22.a.* v. Satisfactio *67.a.b. in redemptione inveniuntur quatuor dimenſiones, longitudo, latitudo, ſublimitas, profundum, & quomodo 135.b.* v. Paſſio. *Chriſtus nos redemit 138.a*

Regulæ *diſciplina strictè ſervanda 149.b. ejus ruina ex neglectu præparationis ad S. Communionem 500.b.*

Religioſi *ſint in diſciplina obſervantia perſeverantes 149. b. quomodo martyres eſſe poſſint 271.a. 483.b. vivant ſecundum ſtatum ſuum 425.a.b. eorum ad euchariſtiam præparatio 488.b.*

Religio *Chriſtiana an difficilior lege Iudaicâ 561.a.*

Reſervare *poſſunt prælati caſus aliquos 533.a.*

Reſurrectio *Chriſti neceſſaria 150. b. fuit Chriſti præmium ibid. Sanctorum cum Chriſto reſurrectio qualis fuerit 151.a. reſurrectur⁹ cũ Chriſto, ſurgas à peccatis 152. a. caro mortalis ſurget immortalis 151.b. quo die reſurrexerit Chriſtus, & cur tertio die 152.a.b reſurrexit Chriſti corpus integrum, ſplendidiſſimum & glorioſum 152.b. quibus, & quomodo reſurrectio Chriſti manifeſtata 153. b. fuit efficaciſſima, & cauſa reſurrectionis Sanctorum 154.a.b. reſurrectionis & immortalitatis ſemen infundit euchariſtia 432.b.*

Reverentia *in Deum eſt gratiarum patrona & cuſtos (62.b.*

Robur *ſpiritale pugnandi datur per confirmationem 296. 299.* v. Confirmatio.

Sabathum *Iudæorum 367.a.b.*

Sacerdos *in æternum Chriſtus: ſacerdotii illius eminentia 94.a.b. præeminet omni poteſtati humanæ & angelicæ: eſtque Chriſtus ſacerdos & hoſtia, legiſlator, emundat peccata, manetque ab initio conceptionis in æternum ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech 94. 95. cur ſecundum ordinem Melchiſedech. ibid. Sacerdotes male arguuntur 224.a.b.* v. Miniſter. *ſimplex poteſt ex diſpenſatione confirmare 303 ſeq. non tamen conſecrato Chriſmate 303. 305. ſacerdotis concubinarii miſſam an liceat audire 419. b. novi non debent prævenire epiſcopum in conſecrationis forma 423.b. ſacerdotes licet animarum curam non habeant, tenentur tamen celebrare 424.a. ſecundum ſtatum, miniſterium & dignitatem ſanctè vivant ibid. qualis in eis requiratur ſcientia 614.a. ſacerdotes occulte peccatores quomodo ab euchariſtia olim arcebantur, & pœnitentiam agebant 492.a.b. collata eſt eis abſolvendi poteſtas 527. Solus eſt miniſter pœnitentiæ Sacramenti 530.a.* v. Pœnitentia. *Sunt lux mundi 552.b. data eſt iis poteſtas abſolutionem negandi & conferendi 573 574.* v. Recidivus *an aliqua iis ſcientia interdicenda 615.a. eorum vocatio ibid.* v. Clericus Ordines.

Sacramentalia *an, & quomodo peccata venialia remittant 546.a.b.*

Sacramenti *nomen varium 193.a.b. ejus definitio 194. a. an in iis liceat uti verbis æquipollentibus, addere; non licet autem corrumpere. ibid. b. eccleſia non poteſt ſacramenta inſtituere. ibid. ſunt ſigna practica, ſenſibilia gratiam in perceptione ſignificantia 195.b. eccleſia an poſſit materiam & formam ſacramentorum mutare 196. 197. Chriſtus formam & materiam ſacramentorum genericè, non ſpecificè determinavit 196.b. 198.a. 288. 603. Sacramentorum miniſtris quæ puritas neceſſaria 83. a. b. ex fontibus ſacramentorum gratiam gratis hauriendam omnes invitantur 292.a. in iis paſſionis virtus nobis communicatur 192.b. ſunt ſigna paſſionis Chriſti & redemptionis noſtræ, ut earum recordemur, & non flocci faciamus 199.a. 207. poſt peccatum ſunt neceſſaria, quæ in ſtatu innocentiæ non fuêre 199. 201. in lege veteri erant ſacramenta determinata, quibus peccata dimittebantur 200. 201. cauſa eorum præcipua Chriſtus; inſtrumentalis Chriſti miniſter 204. 205. Chriſtus potuit homini puro impertiri facultatem inſtituendi ſacramenta ibid. efficiunt gratiam ex opere operato: exiguntur tamen in adultis pios motus & virtutes 206.a. propter eminentes fructus ad eorum uſum Chriſtiani ſæpius excitandi. ibid. b. alia primam, alia ſecundam gratiam efficiunt 207. a. quænam vivorum & mortuorum. ibid. omnia poſſunt primam conferre gratiam 207.a. baptiſmus, confirmatio, Ordo præter primarium gratiæ effectum producant ſecundario characterem 207.b. nec poſſunt hæc iterari. ibid. cur hæc & non alia imprimant characterem, & quid ille? 208. 210.a.* v. Character. *primarius ſacramentorum effectus eſſe gratia ſacramentalis, aliquid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens 208.b. 210.a. cujuslibet ſacramenti characteriſticus finis, & ejuſdem modus gratia quæ? 209. 285. per ſacramenta ſpecialia conceduntur auxilia, & an quilibet ad ea jus habeat 209.b. quale illud eſt auxilium? ibid. ſacramenta cauſant gratiam moraliter & phyſicè 204.a.b. quando producant gratiam 216.b. per quid ut inſtrumentum gratiam cauſent 216. a. 217. ficte ſuſcepta, recedente fictione gratiam moraliter efficiunt 218 a. cur tam parum, aut nihil gratiæ in nobis cauſent gratiarum fontes 213. 218. b. ſacramenta ut ſortiantur effectum, requiritur intentio faciendi vel recipiendi quod fit in eccleſia 219 220.* v. Intentio Miniſter. *requiritur etiam fides & ſanctitas; ſine quibus valida, ſed illicita ſunt 220. 221. ſacramenta externo & debito ritu conferens vel ſuſcipiens, interius irridens, aut invitus, validè confert 229. 230. ſacramentorũ valor non dependet à miniſtri probitate vel perverſitate 234. b. varia 7. ſacramentorum ſimilitudines 239. b. ſeptem ſacramenta veneratur eccleſia & ſervat 240. a. ſacramenta figuralia in paſſione Domini terminabant 242 b. an obligarint ſub Chriſti vita. ibid. 243. ſacramentorum cæremonia non debent omitti 259. a.* v. Cæremoniæ. *quodlibet ſacramentum mortuorum gratiam peccati remiſſivam producit 277.b. characterem imprimentia ficte ſuſcepta an recedente fictione ſortiantur effectum 278. multi non verè, ſed fictè ſacramenta ſuſcipiunt 279.a. ſacramenta veteris legis quomodo conferebant gratiam 281. 282. a. differentia inter ſacramenta novæ & veteris legis 282.b. baptiſmus ſacramentorum eſt janua 291.b. in eccleſia orientali baptiſmus, confirmatio, euchariſtia ſimul à presbyteris dabantur 303 a. ſacramentorum om-*

nium

nium finis Euchariſtia 369.a. quodlibet ſuam confert perfectionem 374.a. forma non debet mutari: an autem æquivalentis poſſimus uti? 400. forma & materia non poſſunt ab Eccleſia mutari. ibid. v. Euchariſtia. Sacramentorum nobiliſſimum Euchariſtia 441.a. characterem imprimentia ſemper ſunt valida, modo materia, forma & intentio ritè adhibeantur; nec ullo miniſtrantium, vel ſuſcipientium ſacrilego obice poſſunt invalidari; alia gratiam tantum Sacramentalem conferentia eo ipſo ſunt nulla, quo illicita 532.b. Extrema unctio 589.ſeq. Ordinis 599. ſeq. an Eccleſia poſſit Sacramentum irritare ex ritu omiſſo 603. Sacramentum matrimonii 628.ſeq. v. Matrimonium.

Sacrificium Chriſtianum quodnam 95.b. ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris 138.a. ut juge eſſet in Eccleſia ſacrificium, inſtituit Chriſtus Euchariſtiam 412.a. ſacrificia vetera non fuere Sacramenta, ſed gratiam poſtulantia non ſignificantia 195.b. 202.b.

Salomonis judicium myſtice Euchariſtiæ applicatur 414.b.

Salus animæ non in ultimum differenda 121.b paſſio Chriſti quomodo ſalutem humanam operata 137.a.

Sancti cum Chriſto reſurgentes an iterum mortui 151.a. per ſanctos Deus ſæpius quàm per ſe operatur miracula 164.a. Sanctorum imagines. v. Imagines.

Sanctitas vitæ in ordinandis requiritur 613.b. ſanctitas quid eſt? 50. 51. ſanctitas vitæ quanta eſſe debeat in miniſtro Sacramentorum 83.a.b. 220. 221. in Euchariſtia ſuſcipienda. ibid. 464.a.b.

Sanguinem humanum aſſumpſit potiſſimùm Chriſtus 40.b. Chriſti ſanguis in ſindone, corona &c. qualis ſit? 41.a. ſuo ſanguine nos ſanavit 43.a. ex ſanguine, non ſemine B. Virginis Chriſtus formatus eſt 107.b.

Sapientia inflat, paucos humiliat 38.b. in Chriſto perfectiſſima eſt 61.b. ſapientia divinæ ultimus conatus eſt Euchariſtia 414.b. v. Scientia.

Satisfactio eſt perfecta aut ſufficiens, vel imperfecta 15.a. ad ſatisfactionem peccati mortalis erat incarnatio neceſſaria ſimpliciter, nec potuit purus homo ſatisfacere ibid.a.b. ſatisfactio Chriſti fuit actus ſtrictæ juſtitiæ 67.a 68.a. quæ rigoroſæ ſatisfactionis conditiones in Chriſto 68.a.b. ſatisfactio Chriſti proceſſit à juſtitia commutativa 70.a. & requirit noſtra opera 71.a. 135.b. ſatisfactione cauſavit Chriſtus noſtram ſalutem 138.a

Satisfactio eſt pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, & olim fiebat ante abſolutionem 510 a.b. 525.a. quot ſint conditiones ad ſatisfaciendum requiſita 511.a. an producat gratiam Sacramentalem: & an in peccato mortali peracta ſit peccatum. ibid. b. quomodo olim impoſita 520. 521. debet à pœnitente ut neceſſaria admitti & fieri, & cur? 524.a.b. licet nequeamus pro peccatis; pro pœna tamen temporali in condonationem æternæ impoſita ſatisfacere 525.a. ſatisfactio non evacuat crucem & merita Chriſti. ibid. b. an unus pro alio poſſit ſatisfacere 525. 526. qualis pœnitentibus eſt imponenda 580.b. v. Pœnitentia. Deo, parentibus, & virtuti non poſſumus æqualiter ſatisfacere 536.a.b.

Scholæ quales fuerint antiquitus 614.b.

Schiſmatici ſunt duplicis generis 611.b. quinam irregulares 610.b.

Scientia perfectiſſima eſt Jeſum ſcire 1. eam homo affectavit ab initio 38.b. filio Dei attribuitur. ibid. in Chriſto fuit perfectiſſima 61.b. ſcientiâ beatâ fuit Chriſtus illuſtratus à primo conceptionis momento, dignoſcens omnia præterita, præſentia, futura 71.b. an etiam omnia poſſibilia? 72.a. fuit ſcientia Chriſto indita, & quibus prærogativis donata 73. 74. ſcientia indita eſt media inter acquiſitam & beatam 75 a. extendit ſe ad omnia, quæ ab intellectu creato ſecundum rationes ſingulares & communes poſſunt cognoſci 75.b. hac inditâ ſcientiâ Chriſtus omnes actus liberos hominum & Angelorum dignoſcebat. ibid. quæ eſt differentia inter ſcientiam inditam & propheticam 76.a. non cognoſcit futura immediate in ſeipſis. ibid. per hanc Chriſtus omnia entia ſupernaturalia comprehenſive cognoſcit 76.b. quomodo hoc fiat. ibid. etiam myſterium Trinitatis quoad an eſt cognoſcit 77.a. ſcientia ſine opere inanis eſt 77.a.b. ſcientia acquiſita fuit in Chriſ[...] prius actibus comparavit 77. 78. & A[...] miniſterio ad hoc uſus eſt 78. diſcrimen in[...] quiſitum, & virtutes morales 78.b. an[...] tur omnis ſcientia naturalis & acquiſi[...] dens. ibid. animarum curatores debent ſcie[...] incumbere 79.a. ſcientia infuſa eſt ſpeculativa & practica 88.b. qualis requiratur in ordinando 614.a. qualis antiquorum fuerit ſcientia. ibid. b. an aliqua clericis poſſint interdici 615.a.

Scripturam quomodo Chriſtus fuerit interpretatus 61.b. v. Evangelium.

Seminaria an, & quomodo erigenda 625.a. eorum antiquitas. ibid.

Sepeliri cur voluerit Chriſtus 147.a.

Servire Deo ſumma eſt libertas 89.a.b. 91.b. ſervi quinam ab ordinibus removeantur 607.a. Servus Patris ſubjectus eſt Chriſtus quà homo 91.a. ſervitus triplex eſt. ibid. Servus Chriſti communicat in bonis cum Domino. ibid. b. ſervitus Dei cum libertate hominis conjuncta eſt mirabilis 275.a.

Sigillum confeſſionis tenetur confeſſarius jure naturali & divino ſervare 533.b. nullius boni ſpecie promovendi, aut mali impediendi, directè vel indirectè violandum; nec confeſſionis ſcientiâ utendum 534.a.

Signa ſenſibilia & practica gratiam ſignificantia ſunt Sacramenta 195.b.

Solitaria vita cur Chriſto non convenerit 120.b.

Spes an fuerit in Chriſto 59.a.b.

Species Euchariſtiæ an cultu latriæ adoranda 382.a. v. Euchariſtia. ad corruptionem ſpecierum Euchariſt. deſinit corpus & ſanguis Chriſti 365.a. tota Sacramenti Euchariſtiæ eſſentia conſiſtit in ſpeciebus Euchariſticis 374.a.b. ſpecies binæ panis & vini unum efficiunt Sacramentum 375.b. quælibet ſpecies continet Chriſtum, ſed non quælibet totale Sacramentum ibid.

Spiritales deberemus eſſe, ſed carnales magis ſumus: unde poſſimus dignoſcere an ſimus ſpiritales 109.b. quomodo fiamus ſpirituales 109. 110. 152.a. ſpiritalis virtus poteſt in ſubjecto corporeo recipi 163.a. ut ſpiritalis vitæ augmentum haberemus, inſtituta eſt Euchariſtia 412.a.

Spiritûs S. dona fuere in Chriſto 61.b. eidem tribuitur conceptio corporis Chriſti 108.b. &c. eſt amor Patris & Filii, fons omnis gratiæ & ſanctitatis: pater filiorum adoptionis; caſtitatis & virginum Architypus 108. 109. Spiritui S. tribuitur bonitas 109.a. quomodo de Spiritu S. conceptus Dei filius, cujus tamen non eſt pater 109 a. viſibili columbæ ſpecie in Chriſtum deſcendit 119.b.

Sponſalia quid, & quotuplicia 632.b. an ſponſalia cum ſubſequenti copula faciant matrimonium 633.a.

Stabulum fuit Chriſti naſcentis hoſpitium, & cur? 113.b.

Stella Magis apparens qualis fuerit 114. 115.

Stercoraniſtæ heretici quales fuerint 350.b.

Subdiaconatûs Ord. antiquitas, officium &c. 623. 624. v. Ordo.

Subſiſtentia in Chriſto eſt unica, eaque relativa, non quid abſolutum 30.31.

Superbus cœlum non ingreditur 174.a.

Surdis & mutis an præbenda S. Communio 460.b.

Tempus incarnationis cur ita dilatum 7.a. quo tempore Chriſtus paſſus 145.b. v. Paſſio.

Tentatio Chriſti a Diabolo qualis fuerit 122.a.b. tentationes quomodo ſuperandæ 123.a. tentationibus reſiſtendi vigorem miniſtrat Euchariſtia 429 b.

Tepidis occluſum eſt cœlum 174.a. 219.a. 261.a. 352 567. tepiditas Chriſtianorum 299.b. unde illa? ibid. tepiditas erga Euchariſtiam 394. 462.b. quæ tepiditas arceat ab Euchariſtia, quæ non 474. 475.

Teſtamenti verba rigide & naturaliter accipienda, & mens teſtatoris inde ſumenda: ſic in Euchariſtia 313.b. v. Lex. Religio.

Timor an fuerit in Chriſto: eſt cuſtos virtutum, & gratiæ patronus 62.b. Timor triplex eſt: gehennæ quàm

utilis

eſt opus excellentiſſimum 308. a. Cur ſic vocetur, & communio, viaticum, panis, fractio panis, corpus & ſanguis Domini, ſacramentum altaris & fidelium: cœna & aliis nominibus 308. 309. 316. de ea præ ceteris ſcripſit Arnaldus 310. a. in ea Chriſtus eſt vere realiter & ſubſtantialiter præſens 311. ſeq. idque nobis promiſit Chriſtus, & fecit 311. 312. 313. b. in ejus inſtitutione Chriſtus clare, non figurative locutus 313. 314. conſentiunt in ea Evangeliſtæ 314. a. Calviniſtarum adverſus Dei in Euchariſtia præſentiam cavillationes eliduntur 314. 315. ſub ea continetur, quod Chriſtus expreſſit 315. a. conſecrationis verba explicantur ibid. a. b. aſcendens Chriſtus in cœlum inviſibiliter manet in Euchariſtia 316. b. quomodo Patres & nos manducemus eandem eſcam 317. a. falſum eſt, quod nos eam ſolo fidei ore manducemus. ibid. b. in ea captivandus intellectus 318. a. b. fidem præſentiæ Chriſti in Euchariſtia acceperunt Apoſtoli à Chriſto, ab Apoſtolis SS. Patres & Concilia, ab his nos per traditionem accepimus 319. ſeq. v. Præſentia. *Euchariſtia quomodo poſſit dici figura corporis Chriſti 331. b. cur, & quomodo Patres varios ſenſus verborum Chriſti de Euchariſtia interpretati ſint 332. a. in ea eſt corpus Chriſti in cruce antè viſibile. ibid. b. panis quomodo poſſit dici eſſe corpus Chriſti 333. a. non eſt in ea Chriſtus viſibilis vel palpabilis, quia miraculoſe adeſt 336. a. b. eſtque Chriſtus in diverſis locis ſupernaturaliter, & accidentia ſine ſubjecto. ibid. 359. a. Euchariſtiæ hoſtes & hæreſes recenſentur 350. a. caveamus ab indigna Euchariſtiæ ſumptione 354. 355. quomodo dicatur panis & vinum 350. b. Euchariſtiæ finis eſt transformatio animorum 365. 358. b. pietas ad illam neceſſaria ibid. b. vermes, acetum ex ſpeciebus Euchariſticis natum unde? 360. a. b. an in ea fiat annihilatio 361. a. an in ea corpus Chriſti, & ſubſtantia panis ſub ſpeciebus per Dei potentiam poſſint contineri 361. 362. an in ea corpus Chriſti de novo producatur 363. 364. eſt extenſio incarnationis 364. b. 394. a. per eam toti in Chriſtum debemus transformari 365. a. b. ſed multi judâ fiunt pejores. ibid. Euchariſtia inſtituta eſt à Chriſto in azymo, & quando 366. a. Græci in fermentato inſtitutam ajunt 366. 367. eſt omnibus neceſſaria neceſſitate medii; ita ut nullus abſque ea vel re, vel voto ſuſcepta poſſit ſalvari 368. b. ſeq. eſt finis omnium Sacramentorum 369. a. 370. a. in ea Chriſtus eſt velut rex in regno. ibid. eſt cibus animæ ad ſovendam & angendam gratiam 369. b. baptiſmi & Euchariſtiæ diſcrimen quoad neceſſitatem 370. a. v.* Communio. *ardens ejus deſiderium bona eſt præparatio 372. 373. 436. in ſuſceptione ejus amor requiritur præſertim ſi frequenter ſumatur: bonum autem eſt aliquando ex humilitate abſtinere 373. a. b. tota ejus eſſentia conſiſtit in ſpeciebus Euchariſticis, corpus & ſanguinem Chriſti continentibus 374. a. b. quomodo diſtinguantur Sacramentum tantum, Sacramentum, & res Sacramenti ſimul 374. a. verba conſecrationis an ſint conſtitutivum hujus Sacramenti 375. a. binæ ſpecies unum efficiunt Sacramentum ibid. b. qualibet ſpecies continet Chriſtum, ſed non in qualibet totale eſt Sacramentum. ibid. pax eſt neceſſaria ſumentibus 376. b. eſt Sacramentum permanens, & non in uſu formaliter poſitum; hæretici in ſolo uſu conſiſtere ajunt 376. 377. quomodo olim domi ſervabatur 377. 378. reliquiæ olim ab infantibus ſumebantur 378. b. Chriſtus in ea cultu latriæ adorandus; quod fugiunt hæretici 379. cultu externo debet adorari; & Urbanus IV. ſpeciali feſto cum octava venerari juſſit 380. a. b. cur non in cœna, ſed alio die ſeveiur feſtum cum proceſſione. ibid. b. eam ſerte Apoſtoli ad Chriſti pedes proſtrati ſuſceperunt 381. a. ſpecies Euchariſt. an cultu latriæ adoranda 382. a. alicubi ſpecialiter veneratur 382. b. ſæpe viſitando adoranda eſt: & quinam flocci faciant 382. 383. impudens hæreticorum mos Euchariſtiam conficiendi 383. b. panis & vinum ſola & vera ſunt Euchariſtiæ materia 383. ſeq. panis debet eſſe triticeus, non de hordeo, ſpelta &c. ex aqua naturali coagmentatus 384. b. in figura rotunda 385. a. tam fermentatus quam azymus panis eſt valida ejus materia; azymus tamen convenientior cur ſit 385. a. b. Græci olim azymo, nunc utuntur fermentato, unde hoc? 386. a. vinum eſt materia Euchariſt. non ſucci de pomis, iris &c. non acetum &c. ſed muſtum, vinum coagulatum &c. 387. a. quo jure, & quanta eſt miſcenda vino aqua: congruentia illius ibid. b. permixtio aquæ non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti. ibid. nec eſt tanta neceſſitatis, quanta permixtio aquæ naturalis cum farina 388. a. non eſt indifferens aquam miſcere vel non. ibid. b. ut vinum vitigineum, ſic aqua naturalis adhiberi debet 388. b. cur in parva quantitate 389. quid de aqua vino infuſa fiat poſt conſecrationem, an in aquam Chriſti, vel ſanguinem tranſeat 389. aqua miſcetur ex Eccleſiæ præcepto ibid. b. aqua tranſit in ſanguinem mediante vino 390. a ſi non miſcetur aqua in vinum, an tum non convertatur in ſanguinem 391. a. una ſpecies ſine alia valide, ſed illicite poteſt conſecrari ibid. b. materia conſecranda debet eſſe phyſice & moraliter præſens: & quid ad talem requiratur præſentiam 392. b. non opus eſt, ut ſit determinatæ quantitatis; ſed in quantalibet valide, ſed illicite poteſt conſecrari 393. a. quæ ergo licita quantitas materiæ conſecranda. ibid. debet etiam ſacerdos materiam determinare 393. a. b. Chriſtus in Euchariſtia facilem ſui copiam omnibus, etiam nequiſſimis præbet. ibid. b. amor ejus erga nos in Euchariſt. ibid. ſæpe cum amore & reverentia ſuſcipienda 394. a. b. quæ ejus forma; variæ ab hæreticis ficta. ibid. b. 401. 403. an Chriſtus eâdem formâ, qua utimur, conſecrarit 395. b non aliis Eccleſia vel ſacerdotes conſecratur verbis, ſed ſola formâ præſcripta 396. 397. an ad conſecrationem neceſſaria ſint verba:* Qui pridie *&c.* Quod pro vobis *&c.* Novi & æterni teſtamenti *&c. 398. 399. ſingula formæ verba explicantur 399. a. mira Chriſti in Euchariſtia obedientia 405. a. b. vi verborum ſub ſpeciebus panis corpus, ſub ſpeciebus vini ſanguis, cætera concomitanter continentur 406. b. an Pater & Spiritus S. ſint concomitanter in ea 407. a. quando Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtat. ibid. b. Chriſtus in ea non movetur localiter niſi per accidens, ratione ſpecierum 408. b. poteſt in ea Chriſtus per potentiam Dei oculo corporeo videri 409. b ad talem exiſtendi in Euchariſtia modum adegit Chriſtum amor 410. 411. cauſa inſtituta à Chriſto Euchariſtiæ 411. 412. cur nobis Chriſtus in Euchariſtia non ſapit? 412. 413. in ea Deus ſeipſum quaſi vicit, & omnipotentia ejus metam attingit 413. b. per eam Eccleſia cœlum efficitur 414. a. eſt convivium omnium nobiliſſimum ibid. a. b. eſt divinæ ſapientiæ ultimus conatus. ibid. b. Salomonis judicium myſtice Euchariſtiæ applicatur 414. a. eſt divini amoris effuſionum coronis 416. a. b. v.* Amor. *Chriſtus omnia in Euchariſtia in nos effundit, intimè nobis unitur, unicum noſtrum quærit commodum &c. 416. 417. cur exigui in nobis Euchariſtiæ fructus 417. b. 440. 476. 494. 446. miniſter Euchariſtiæ & diſpenſator eſt ſacerdos; diaconus ex poteſtate delegata 418. 422. a. ſacerdos in hæreſin, excommunicationem &c. lapſus valide, ſed ſacrilege conſecrat 419. a. laici eam nequeunt conficere, nec miniſtrare: & pueri luſorie eam volentes conficere graviter puniuntur 419. 420. 421. 422. eam in Eccleſia diſpenſandi uſus varii 422. b. ſolo perſecutionis tempore poſſunt eam laici diſpenſare. ibid. antiquorum circa eam fides, pietas 423. a deferebatur abſtinerantibus. ibid. ſacerdos eam conficiens, debet etiam ſumere. ibid. b. Euchariſtiæ effectus: gratiæ & vitæ ſpiritalis augmentum: unio Chriſtiani cum Chriſto & fidelium inter ſe: pinguedo ſpiritus, ſeu victrix gratiæ delectatio 427. 428. vigor ſpiritalis tentationibus & peccato reſiſtens: peccatorum venial. remiſſio: pœnæ extinctio: cordis caſtimonia 429. 430. 431. effundit reſurrectionis & immortalitatis ſemen 432. b. ſi viventia in nobis invenit, vitam immortalem; ſi peccato mortua, venenum mortis protendit 434. a. confert perſeverantiam finalem cum æterna felicitate 436. b. 434. b non producit gratiam primam peccatum mortale remittentem, niſi per accidens 437. a. b. quo temporis***

mento

Digitized by Google

mentio producat effectus ſuos 438. 439. Euchariſtia eminentia 441. a. Sacramentorum nobiliſſimum nobiliſſimos producit effectus. ibid. quibuſdam directe, aliis indirecte, & quomodo 441. a. b. quomodo proſit defunctis ibid. ſæpius pro defunctis ſumenda 442. a. b. ſumenda euchariſtia triplex modus 443. a. quinam putarint, peccatoribus euchariſtiam ſumentibus mutari in panem &c. ibid. b. Opus grande eſt. 444. b. Ex Chriſti præcepto, & eccleſiæ mandato debent adulti eam ſæpius ſumere 444. 445. ſumenda eſt in articulo mortis, & quo alterius tempore 445. a. b. tempore etiam paſchali 446. a. cibi manducatio applicatur euchariſtiæ manducationi 446. 447. quinam hæretici ſub utraque ſumendam ſpecie dixerint, 447. a. b. ſub utraq; ſpecie non eſt imperata, nec neceſſaria ibid. olim domum conferebatur 449. a. b. quomodo dabatur infantibus ibid. b. olim & nunc ſervatur pro infirmis ad viaticum ibid. b. in lapidem converſa 450. b. olim ſacerdotibus recens ordinatis per 40. dies in una ſpecie dabatur 451. a. utriuſque ſpeciei conſecratio an jure divino vel humano præcepta 452. b. in una ſpecie tantum eſt, quantum in duabus, nec ullo privamur fructu 453. b. 459. cauſa cur ſub una tantum ſumatur ſpecie 453. 454. b. conſecratio debet ſub utraque fieri ſpecie, nec poteſt in hoc diſpenſari 454. a. quandoque ſub utraque ſpecie laicis præbita 451. a. 454. b. vini ſpecies an habeant vim ſpecialem 456. b. communio laica quid ſit 457. ſeq. qualem præparationem ad eam requirant catholici, qualem hæretici 459. 460. 463. b. 479. 494. 496. quænam ætas requiratur ad eam ſumendam 460. a. b. quando amentibus præbenda ibid. b. quando mutis, ſurdis, energumenis 460. 461. quænam requiratur attentio: voluntarie diſtractus non percipit euchariſtiæ fructum 461. a. b. ſed venialiter peccat 462. b. quando in ejus ſumptione peccatur mortal. 464. a. qualem requirat cordis munditiem & ſanctitatem ibid. a. b. indigna communio quantum malum ibid. 465. 466. peccatum illud ex circumſtantiis augeri minuive poteſt: maxime autem euchariſtia injurioſa eſt luxuria 466. 486. juris naturalis ignorantia facit eâ indignos 466. præexigit contritionem & confeſſionē 467. a. quinā ab ea poſſint arceri 468. a. peccatori occulto occulte petenti neganda eſt 468. b. hoſtia non conſecrata non eſt peccatori publico præbenda ibid. reis ad mortem damnatis dari poteſt, quod in Gallia abrogatum eſt, & cur 469. 468. infirmi an & quando debeant eâ muniri 469. b. qualis ad eam requiratur corporis mundities ibid. quando impediat pollutio nocturna 470. a. quando copula carnalis ibid. b 486. quale requirat jejunium; & cur 471. 474. olim ante eam convivabantur 472. a. b. poſt eam quid agendum 473. b. quæ tepiditas ab ea arceat 474. 475. quando jejunium non requiratur ad euchariſtiam 475. a. b. de frequenti communione quid ſentiendum 477. ſeq. 494. innocentes frequenter debent ſumere 477. a. quam frequenter olim ibid. peccatores quando admittendi ad eam 478. 496. 487. 494. hoſtiam interfectores quam diu abſtineant 487. a. imperfectiones impediunt communionis effectus 488. a. b. religioſorum ad eam præparatio ibid. b. negotiorum multitudo, & peccata venial. non impediunt, ſed dilationem exigunt 488. 489. Paſſiones animi ſuadent eam differre 489. 490. quomodo peccatores olim ab ea remoti 491. a. ſacerdotes occulte nocentes quomodo olim removebantur 492. a. b. quinam admittendi, qui removendi 496. 497. reſidivos oportet arcere ibid. quomodo digne poſſimus accedere 499. a. b. regularis diſciplinæ ruina ex neglectu præparationis ad euchariſtiam 500. b.

Eutrapelia an fuerit in Chriſto 59. b.

Eutychetis hæreſis de perſonis divinis, refutatur 25 b.

Exceſſus & cauſa paſſionis & mortis Chriſti quadruplex, triſtitiæ, abjectionis, doloris & amoris 132. ſeq.

Excommunicare verbum quomodo antiqui ſumpſerint 491. a.

Exemplum plus quàm verba valet 77. b. 552. b. Chriſtus incarnatus eſt ut nobis eſſet exemplo 90. a.

Exorciſmus in baptiſmo uſitatus 260. a.

Extrema unctio eſt verum ſacramentum 590. ſeq. v. Unctio.

Facundi Hermanenſis auctoritas & liber levis eſt momenti 335. a.

Fallacia pietatis 279 a. b.

Fama bona defendenda 129. a.

Fames Iudæorum in Ieruſalem 11. 12.

Felicitatis Mariana pondus & immenſitas 171. b.

Fervor quo major, eò gloria, gratia & meritum majus 567. a. b. v. Tepidus.

Feſtum corporis Chriſti quando, & cur cum proceſſione inſtitutum 380. b.

Fictio baptiſmi quid, & quotuplex 276. a. v. Baptiſmus. omnia peccata poſt fictionem commiſſa, verâ pœnitentiâ remittuntur 278. a. ſacramenta characterem imprimentia ficte ſuſcepta, recedente fictione probabiliter ſuum ſortiuntur effectum ibid. b. multi fictè, non verè ſacramenta ſuſcipiunt 279. a. b.

Fide divina uti credimus, ſic etiam vivamus 5. a. b. fidei Chriſtianæ teſtes ſunt Iudæi, ideo per orbem diſperſi 11. a. fides ſine operibus mortua 61. a. an fuerit in Chriſto 59. a. b. vera fides ingerit reverentiam in Chriſtum 97. b. requirit aliqua miracula 159. b. fides & ſanctitas requiruntur in miniſtrante, vel recipiente ſacramenta; ſine quibus illicita, ſed valida ſunt 220. b. bona fides multos excuſat 222. a. vi ad fidem coacti, an eam ſervare debeant 230. b. fides circa Abrahæ tempora defecit & idololatria invaluit 280. 281.

Filius Dei convenienter humanam naturam aſſumpſit 38. b. ei virtus & ſapientia attribuitur 38. b. 39. a. in filium Dei fuit Chriſtus prædeſtinatus per naturam, nos per gratiam 43. 45. 49. b. Chriſtus quà homo eſt filius Dei naturalis, non adoptivus 92. a. filium Dei eſſe, magna eſt dignitas: & quis Dei filius? 93. b. multi Chriſtianorum filii ſunt degeneres 93. 94. filio non licet mortem patris ſpe hæreditatis appetere 178. a. filii in patria ſunt poteſtatè 273. b. quando invitis parentibus poſſint baptizari 272. 273. v. Baptiſmus.

Fœminam cur Chriſtus matrem, & ex ea carnem aſſumpſit 107. b. eſt incapax ordinum 605. b.

Forma euchariſtiæ 394. v. Euchariſtia.

Fornicatio maxime impedit S. Communionem 466. 468. fornicarii prohibentur à S. Ordinibus 608. b.

Fortitudinem contra hoſtes ſubminiſtrant Confirmatio & euchariſtia, eodem die inſtituta 296. a. 429. b.

Francofurtenſe Concilium in quo reprobetur 100. a.

Frons cur in Confirmatione iungatur 286. 289.

Futura quot modis cognoſcuntur 76. a. quomodo Chriſtus ſcientiâ inditâ illa cognoverit 75. 76.

Gaudium ſummum cum maxima triſtitia quomodo in Chriſto 142. a. b.

Genealogia Chriſti 107. b. Conciliantur de ea evangeliſtæ 108. a.

Gentiles nequiſſimos homines Deos adorabant 101. b.

Gloriam corporis meruit Chriſtus, eſſentialem non potuit 63. a. an perfectius ſit gloriam cum, vel ſine meritis acquirere 72. a. Chriſtus paſſione ſua quadruplicem meruit exaltationis gloriam 150. a. Corpus glorioſum eſt viſibile & palpabile 153. a. Mariæ immenſitas gloriæ 171. b. v. Maria gloriam æternam confert euchariſtia 434. 436. quo major diſpoſitio, eo major confertur gloria 567. b.

Græci in fermentato euchariſtiam ajunt inſtitutam 366. 367. 368. a. antehac uſi azymo ibid. b. unde Græcorum in hoc ſchiſma ortum 386. a. an in ſacramento pœnitentiæ utantur formâ precatoriâ, an judiciali 528. a.

Gratiæ effuſio in incarnatione 31. 32. gratia & ſanctitas Chriſti à divinitate 50. a. b. gratia habituali fuit anima Chriſti decorata 51. 52. & eſt proprietas unionis hypoſtaticæ 53. b. habetque terminos ſuæ intenſionis 53. a. eſt & diverſo ordine finita, & infinita ibid. b. gratia Chriſti fuit capax phyſici augmenti 54. a. vacuum gratia me-

tia merito vitare deberemus, eamq; à Chriſto haurire 54. *b. capitalis gratia eſt in Chriſto, de cujus plenitudine omnes accipiunt præter infideles & damnatos* 55. *a. b. differentia gratiæ Adamo & Angelis in ſtatu innocentiæ collata* 56. *b. ſeptem gratiarum plenitudines Chriſtus in nos effudit* 58. *b. gratiæ gratis datæ fuêre pariter omnes in Chriſto, & dona Spiritus S.* 61. *b. gratiarum cuſtos timor & humilitas* 62. *b. triplex gratiarum plenitudo fontis, fluvii, vaſis, quid?* 63. *a. gratiam eſſentialem Chriſtus mereri non potuit* 63. *gratia ſufficiens quomodo nobis detur* 64. *b. in gratia comparanda otiari non licet ibid. gratiâ Chriſtus abundanter effluit, cur tam parum ex ea participamus* 25. 158 159. *gratiæ cujuſvis inſtrumentum eſt Chriſti humanitas* 162. *b. an Chriſtus ſit cauſa principalis gratiæ* 164. *a. gratia non nobis, niſi nos ipſi deſimus ibid. b. eſt miraculis fæta ibid. b. Mariæ gratia in conceptione* 165. 167. *b.* V. Maria *ad gratiam acquirendam & augendam omnes debemus adhibere vires: ſine ea nihil ſumus* 170. *b. an ſuperet maternitatem Dei gratia ſanctificans* 180. *a. ad gratiam gratis hauriendam ex fontibus ſacramentorum, omnes invitamur* 192. *a. ſacramenta efficiunt gratiam ex opere operato* 206. *a.* V. Sacramenta *quid eſt gratia prima & ſecunda* 207. *a. gratia ſacramentalis eſt quid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens* 208. *b. Copioſam dat nobis Deus, cur tamen ita imperfectis* 213. *b. ſacramenta efficiunt gratiam moraliter & phyſice* 214. *a. b. ſeq. gratiæ cauſa principalis eſt Deus* 218. *a. cur nihil, aut exiguum gratiæ ſacramenta, gratiarum fontes in nobis cauſent ibid. b. gratia baptiſmi qualis* 255. *a. augmentum gratiæ ab euchariſtia* 427. *a. gratiam primam mortale peccatum delentem non producit euchariſtia, niſi per accidens* 437. *a. b. amiſſa per pœnitentiam reſtituitur* 563. *b. quo major diſpoſitio, eo major gratia* 567. *a. b.*

Grati *infinitis Dei beneficiis eſſe debemus* 70. *b.*

Gregorii VII. *papæ elogium* 334. *a. b.*

Hæreſis *convitium grande & intolerabile eſt* 129. *a. infantibus hæreticorum renitentium an licite conferatur baptiſmus* 272. *a. hæretici ſacramenta irrident* 289. *b. converſi olim inungebantur* 293. *b. apoſtrophe ad eos de præſentia Chriſti in euchariſtia* 337 *a. b. hæreſes & hoſtes euchariſtiæ recenſentur* 350. *ſeq. Stercoraniſtæ quales ibid. nolunt adorare euchariſtiam* 379 *a. dicunt euchariſtiam in ſolo uſu conſiſtere* 377. *impudens mos hæreticorum euchariſtiam conficiendi* 383. *b. eam ſuggillant* 476. *b. ſunt irregulares* 610. *b. quid de hæreticorum filiis* 611 *a.*

Hebdomadæ *ſeptuaginta Danielis quid ſignificent,* 9. *a.*

Hermaphroditus *quis, & an poſſit contrahere matrimonium* 639. *b.*

Herodes *à Cæſare conſtituitur rex Iudæorum* 9. *a.*

Hic *vel* Hoc *quid in forma euchariſtiæ ſignificet* 315. *b.* 355. *b.*

S. Hieronymus *laudatur, qui à Vaſquez carpitur* 56. 57.

Homicidæ *ſunt irregulares* 607. *a.*

Homini *collata in incarnatione Chriſti emolumenta* 7. *a. b.* 32. 34. *homo eſt compendium univerſi mundi* 8 *a. homo nobilitatur in Chriſti humanitate* 8. *b. hominis cor durum, invincibile, amore tamen victum* 15. *a. homo purus non potuit pro peccato mortali Deo ſatisfacere* 15. *b.* 17. *b.* 67. V. Redemptio. Satisfactio. *humana natura convenienter à Deo eſt aſſumpta* 38. *b.* V Natura. *Homo appetiit Deo ſimilis fieri: & ideo Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus* 38 *b.* 108 *a. omnes humanas partes, ſanguinem, defectus corporis & animæ Chriſtus aſſumpſit* 40. *b.* V. Humanitas 41. *b. homo fit filius Dei per gratiam* 45. *a.* 49. *Chriſtus eſt finis & medium humanæ ſalutis diverſimode* 49. *a. exinanivit ſe propter homines Chriſtus, & gratiarum plenitudinem in nos effudit* 58 *b.* V. Gratia. *homines velut Dei imagines non licet adorare cultu latriæ* 103. *a. homo eſt vera Dei imago, quã ſæpius dehonorat* 104. *a. b. quomodo Chriſtus in nobis recipiatur* 108 *a. homo non potuit altius aſcendere, quam per incarnationem* 25. *b. hominis cor ſolo Deo poteſt ſatiari* 35. *a.*

Honeſtas *quomodo matrimonii impedimentum* 638. *a.*

Honor *quid? varii honorandi ſunt modi* 96 *a. b. honor Mariæ exhibitus* 173. *b.*

Humanitas Chriſti potuit phyſice eſſe perfectior 3. 4. V. Incarnatio. *in humanitate Chriſti omnes creaturæ nobilitantur* 8. *b. humanitas per ſe primò ad ſubſiſtentiam relativam Verbi, ſecundario ad exiſtentiam divinam aſſumpta eſt* 30. *a. an humanitas potuerit aſſumi ad ſubſiſtentiam abſolutam, communem tribus perſonis ibid. b. in aſſumptione partium humanitatis fuit ordo ſervatus* 41. *b. humanitas Chriſti ſanctificatur à ſubſiſtentia verbi immediatè unita* 50. *a. b. humanitas Chriſti præciſe non latria, ſed hyperduliæ cultu eſt honoranda* 97. *a. humanitati Dei non omnipotentia, ſed excellentiſſima poteſtas eſt collata* 157. *b. eſt inſtrumentum phyſicum gratiæ & miraculorum* 162. *b.*

Humiliavit *ſe Deus, ut nos exaltaret* 32. 434. *a. in humilitate Chriſti ſemper ſplenduit fulgor divinitatis* 6. *b. humilitas eſt gratiarum patrona & cuſtos* 62. *b. humilitas Chriſti quantum meruerit* 65. *a. humilitas exaltat* 91. *b. Chriſti inſignis humilitas* 117. *b. in paſſione exinanita* 140. *a. b.*

Hypocriſis 279. *a. b.*

Iacobi *epiſtola eſt canonica* 590 *a.*

Iconoclaſtarum *hæreſis, & impietas proſcripta* 98. *b.*

Idiomatum *communicatio in incarnatione* 32. 33. *in hac dicuntur ea ſola prædicata ſimpliciter de verbo, quæ non repugnant perſonæ filii* 93. *b.*

Ieiunium *irrident hæretici* 471. *a. quale ad euchariſtiam ſumendam neceſſarium ibid. effectus jejunii* 473. *a. quandam non requiritur jejunium ad euchariſtiam* 475. *a. b.* 486. *b.*

Ieruſalem *obſidetur, capitur, diruitur* 11. 12. *cur ibidem paſſus eſt Chriſtus* 143. *a.*

Ieſu *nomen imponitur Chriſto: hujus nominis vis ſuavitas &c.* 116. *a. b. comparatur oleo* 117. *a. diabolis terribile* 147. *b.*

Illegitimi *ſunt irregulares* 610. *b.*

Imaginibus *Chriſti & Sanctorũ relativus cultꝰ debetur & exhibetur* 98. *a. hæreſes & perſecutores imaginum Sanctorum* 98. *a. b. variæ Chriſti imagines ab ipſo expreſſæ* 99. *a. variæ Sanctorum imagines ibid. earum uſus honeſtus & utilis eſt* 99. *a. b. qualis earum cultus eſſe debeat ibid. variæ de earum cultu objectiones refutantur* 100. *a. b. imago Dei quomodo poſſit depingi* 100. *b. quare depingantur, & exponantur imagines* 101. *a. non aureas vel argenteas venerantur Catholici, ſed illud, cujus eſt exemplar* 101. *b. latriæ cultus debetur Deo per ſe primo, ejus vero imagini propter exemplar, quod repræſentat* 102. 103. *multi ſunt in illis abuſus ibid. imagines in ſe floccifaciendæ, ne diabolus illudat* 103. *b. Crucis imago quomodo veneranda ibid. homo eſt Dei imago, eandem ſæpius dehoneſtat* 104 *a. b.*

Imitari *debemus Chriſtum* 104. 105.

Immenſitas *Dei in incarnatione ſalvatur* 6. *b.*

Immortalitatis *ſemen euchariſtia infundit* 432 *b.*

Impedimenta *matrimonii alia dirimentia, alia impedientia* 635. *ſeq.* 639. *quænam ſint de jure naturali, quænam de jure poſitivo* 640. *a. eccleſia potuit aliquot impedimenta apponere, a quibus etiam poteſt diſpenſare ibid. b.*

Impotentia *quomodo matrimonii ſit impedimentum.* 639 *a. an mulier ſterilis ſit impotens ibid. b.*

Incarnationis *myſterium ſublime & amabile* 1. 2. *illius poſſibilitatem ratio humana nec demonſtrare, nec ante fidem poteſt ſuſpicari* 2. *a. b. ejus exiſtentia viribus naturalibus nequit cognoſci* 2. *b. Angeli & dæmones quo-*

modo

modo eam cognoverint 3. *a. per fidem detecta poteſt evidenter defendi* 3. *a. b. quomodo eſt omnium poſſibilium perfectiſſimum* 3.4. *in ea Deus nihil immutatus* 4. *a. Incarnatio probatur contra Iudæos* 4. 5. *non fuit indecens ſed conveniens Deum incarnari* 5. *b. lucent in ea mirifica Dei attributa* 6. 7. *Cur ita diu dilata fuit* 7. *a. emolumenta incarnationis hominibus collata* 7. *a. b. & univerſo generi humano collata* 8. *a. Iam facta incarnatio poteſt Iudæis demonſtrari*. 8. 9 *erat abſolute Deo libera* 14. *b. ad ſatisfactionem peccati mortalis erat incarnatio ſimpliciter neceſſaria, nec potuit ab homine ſatisfieri* 15. *a. b.* 17. *b. non erat neceſſaria ad ſatisfactionem peccati venial. pro quo juſtus poteſt ſatisfacere* 18. *a. b. cauſa ejus eſt redemptio generis humani: unde Adamo non peccante, verbum non eſſet incarnatum* 19. *b. an redemptio hominum ſit incarnationi æqualis, & quomodo* 22. *a. ex amore facta eſt. ibid. b. an peccato non exiſtente tamen facta fuiſſet* 23. *a. facta eſt ad delenda omnia peccata, originale præſertim* 23. *b. an originali non exiſtente pro actualibus facta fuiſſet incarnatio. ibid. cauſa ejus efficiens ſolus Deus* 24. *a. b. terminus ejus totalis Chriſtus, formalis perſonalitas verbi* 28. *b.* v. Unio. *eſt omnium beneficiorum maximum* 31. 32. *major eſt quàm eucharistia. ibid. in ea ſe Chriſtus humiliavit, ut nos exaltaret* 32. *a.* 34. *in ea intima cum verbo humanitatis unio, & vera idiomatum communicatio* 32. *a. quænam propoſitiones in hoc myſterio vera, quæ falſæ* 32. 33. v. Natura. Perſona. *Perſona Filii convenienter naturam humanam aſſumpſit* 38. *b. incarnatio procedit à tribus perſonis ratione effectus, non termini natura aſſumpta à ſolo filio* 39. *a. incarnatio non poteſt cadere ſub merito Chriſti* 45. *b.* 79. v. Meritum. *per hanc Deus nobis factus eſt pater* 51. *b. triplici de cauſa eſt facta* 90. *a. ejus accelerationē meruit Maria* 179. *a. decretū incarnationis an fuerit poſterius decreto exiſtentiæ Mariæ* 181. *b. incarnationis extenſio eſt eucharistia* 364. *b.* 394. *a.*

Indulgentiæ *plenariæ non patrocinantur peccatoribus* 492. 493.

Infamantibus *quandoque obſiſtendum* 132. *a.*

Infantes *olim cum baptiſmo accipiebant Confirmationem & eucharistiam: an etiam nunc debeat iis dari eucharistia neceſſitate medii* 369. 370. *ſeq.* 372. v. Communio. Eucharistia. *Græci infantes baptizatos communicant, non faciunt Latini* 372. *a. b. quomodo infantibus olim dabatur eucharistia* 449. *b.*

Ad Inferos *Chriſtus deſcendit* 147. *b. & quomodo* 148. *a. an moram fecerit in inferno, & præter SS. Patres, alios inde liberaverit. ibid. b.*

Infideles *non participant de plenitudine gratiæ Chriſti* 55. *b. eorum infantibus an liceat dare baptiſmum* 272. 273. v. Baptiſmus.

Infirmi *an, & quomodo debeant Eucharistiâ muniri* 469. *b.*

Ingratitudo *mala eſt* 24. *a.* 70. *b.* 566. *a. b.*

Innocentes *ſæpe debent frequentare eucharistiam* 477. *a.* v. Eucharistia *in ſtatu innocentiæ nulla erant ſacramenta* 201. *b. innocentia an laudabilior an majus donum pœnitentia* 569. 568.

Inſtrumenti *cujuſvis quatuor conditiones* 162. *b. ut producat effectū, non opus eſt ut ſemper conjungatur* 216. *a.*

Intellectus *Chriſti in uſu ſcientiæ indita an potuerit diſcurrere* 74. *b.* v. Chriſtus, Scientia,

Intentio *faciendi vel ſuſcipiendi quod fit in eccleſia, requiritur in ſacramentis, ut ſortiantur effectum* 219. 220. *non ſufficit habitualis vel interpretativa* 220. *a. quid de conditionata futura vel præſenti. ibid. qualem Lutherus ad valorem Sacramenti requirat intentionem* 225. *a. miniſter intendens agere quod facit eccleſia, idque omne, ſerio & attente agens verè conficit, & non irritat Sacramentum, licet intus impie irrideat, & infideliter deteſtetur* 225. *ſeq.*

S. Ioachim *pater Mariæ* 166. *a.*

S. Ioannes Baptiſta *cur baptizaverit* 118. *a. in baptiſmo probabiliter uſus eſt aliqua formâ. ibid. b.* v. Baptiſmus.

Ioannes Scotus *quid de S. Eucharistia ſcripſerit* 352. *a.*

Irregulares *ex defectu quinam* 605. 606. *ex delicto* 607. *a. b.*

Iudæi *ob quas cauſas potuerint uxores repudiare, & cum nova contrahere* 632. *a. Iudæorum zephira & opiniones de Angelis, & mutatione Dei, &c.* 4. *b. deceptio & error eorum de incarnatione Dei* 5. *a. Meſſiæ adventus poteſt illis demonſtrari* 8. 9. *eorum principatus tempore Chriſti ceſſavit* 9. *a. eorum excuſationes de adventu Meſſiæ refutantur* 10. *a. b. ſunt teſtes Chriſtianiſmi; ideo per orbem diſperſi* 11. *a. tragœdia Iudaicæ calamitatis* 11. *a. b. ad eos apoſtrophe ut convertantur: quantus olim Dei in illos amor* 12. *b. propter peccata puniti* 13. *a. b. quantis convitiis & dedecore Chriſtum affecerint* 133. *b. dies naturales & feſtos diverſimode numerarunt, & menſes à novilunio inceperunt* 366. *a. an licitum illis uxores dimittere* 631. *b. Iudæorum renitentium infantibus an liceat conferre baptiſmum* 272. *a.*

Iudices *quinam irregulares* 608. *a.*

Iuris *naturalis ignorantiâ affecti indigne communicant* 466. *b.*

Iuſtitiæ *jura in incarnatione ſalvantur* 6. *b. ſatisfactio Chriſti fuit actus ſtrictæ juſtitiæ, & omnes ineā fuêre conditiones juſtitiæ* 67. 68. *Iuſtitia Dei eſt tutela bonitatis ſuæ* 14. *a. læditur in quolibet peccato mortali* 17. *a. juſtitiis omnium Angelorum & hominum non poteſt Deo ſatisfieri pro uno peccato mortali* 17. *b. à juſtitia commutativa Chriſti procèſſit ejus ſatisfactio* 70. *a.*

Iuſti *cur & quomodo affligantur.* 13. *b.* v. Innocens.

Laica *communio quid eſt?* 457. *b.*

Latriæ *cultus debetur Chriſto* 96. *a.* v. Cultus.

Latrones *inter cur Chriſtus mortuus* 145. *a. latro in cruce converſus* 146. *b.*

Legalia *quam poſt aſcenſionem Chriſti adhuc aliquamdiu ſervata* 243. *b. quando ceſſaverint* 242. 243.

Leo Iſauricus *iconoclaſta, ejuſq; filius imaginū perſecutis* 98. *a. b.*

Lex *Chriſtiana non in facundia ſed ſimplici veritate conſiſtit, non tabulis, ſed corde ſuſcipienda* 125. *b. in lege veteri erant ſacramenta determinata, quibus peccata dimittebantur* 200. 201. *lex vetus timore, nova amore regitur* 560. *b. quænam e duabus difficilior* 561. *a.*

Liberalitas *Chriſti in eucharistia* 393. *b.* v. Eucharistia.

Libertas *voluntatis Chriſti, ſtante etiam ejus impeccabilitate* 83. *b. quomodo in obedientia Chriſti ſalvetur* 84. *a. varii de hoc modi & ſententiæ ibid. refutantur: & quomodo libertas Chriſti cum impeccabilitate conſiſtat, explicatur* 85. *b. quomodo ſtante præcepto habuerit Chriſtus libertatem non moriendi. ibid. liber quoque Chriſtus fuit in actibus charitatis* 87. *b. voluntas eo eſt liberior, quo Deo ſubjectior* 89. *a. b. libertas hominis ſummum bonum, quod Deus vult conſervari* 275. *a. b.*

Ligamen *impedimentum matrimonii* 638. *a.*

à Luna *Iudæi menſes inceperunt* 366. *a.*

Lutherus *præſentiam Chriſti in eucharistia admittebat; manere tamen panem dicebat* 330. 354. v. Eucharistia, Tranſubſtantiatio. *ad eccleſiam reduces invitantur Lutherani* 455. *b.*

Luxurioſus *cœlum non ingreditur* 174. *a. non eſt filius Mariæ* 188. *a. Luxuria aliquando diſſimulanda* 273. *b. maxime injurioſa eſt eucharistiæ* 466. *a. b.*

Magdalenæ *quando Chriſtus reſurgens apparuerit.* 153. *b.*

Magis *cur apparuerit ſtella, & manifeſta Chriſti nativitas, quot, & quales fuerint* 114. *a. b. unde oriundi, & qualis apparuerit illis ſtella* 115. *a.*

Magnificentia *quid eſt; mirabilis in Dei incarnatione* 6. *a.*

Magnus *Deus in juſtitia & miſericordia* 14. *a.*

Majeſtas *Dei in incarnatione mirè ſalvatur* 6. *b.*

Mala *quandoque permittenda* 273. *b.*

Mancipiorum *filii an poſſint invitis parentibus baptizari* 272. *b.*

INDEX RERVM

Manichæi *duplicem Chriſtum admittebant* 328. *b.*

Manus *impoſitio requiritur in ſacramento ordinis* 297. *a. b.* 602. *ſeq. manus imponendo confirmabant olim Apoſtoli* 284. 288. *manus impoſitio varia* 295. *b. cur Chriſtus imponebat manus ægris parvulis* 295. *b.*

Maria *quantum à filio amata* 134. *b. ex Mariæ ſanguine, non ſemine Chriſtus carnem aſſumpſit* 107. *a. Chriſtus reſurgens ei primo apparuit* 153. *b. Marialogia, ſeu Mariæ dotes* 165. *a. b. quando, ubi, à quibus parentibus concepta* 166. *a. pauperem duxit vitam. ibid. corporis & animæ perfectiones ſingulares ibid.* 167. *pulchritudo corporis & animæ* 167. *a. b. ejus modeſtia. ibid. in conceptione excelluit gratiâ Angelorum & hominum* 167. 168. *ornata eſt innumerabili virtutum honeſtate* 168. *a.* 169. *triplicem habuit refuſionem, in animam, corpus, & alios homines. ibid. licet gratiâ plena, potuit tamen creſcere. ibid. gratiæ ejus incrementum triplicem efficit plenitudinem.* 168. *b. Maria lumine fidei dotata, in utero matris habuit uſum rationis & arbitrii* 169. *a. voluntatis etiam rectitudinem, excludentem moralem peccandi poſſibilitatem. ibid. a. b. quatuor ejus Charitatis & gratiæ dimenſiones ibid. b. ejus humilitas* 170. *a. omnia ad obtinendam gratiã impendebat* 170. *b. non vidit divinam eſſentiam hic continuo & permanenter* 171 *b. immenſum ejus gloriæ & felicitatis pondus* 171. 172, *a. b. quænam bona ex viſione Dei habuerit ibid. virtutum ejus perfectio* 172. *a. b. Maria amore beatifico plus Deum dilexit quam omnes creaturæ ibid. b. gaudium ejus ineffabile* 173. *a. corpus ejus incorruptum animæ reunitum. ibid. plus gaudii ex pulchritudine corporis & animæ Mariæ ſancti percipient, quam ex paradiſo* 173. *a. honor a Deo & Angelis ei exhibitus. ibid. b. eam amemus, & honoremus* 173. 174. 183. *eſt mater Dei, id negans hæreticus eſt* 174. *b. eſt etiam mater Chriſtianorum, ut talem veneremur & amemus* 175. 176. *Maternitas Mariæ habet relationem ad filium Dei, dignitatem infinitam, affinitatem cum Deo, perfectiſſimam Dei ſimilitudinem, ſignaculum, unionem remotè ſubſtantialem inter Deum & Mariam, dominium in Chriſtum, ideoque ei honorem & amorem filialem debebat* 176. 177. 178. *Maria non potuit maternitatem Dei de condigno, nec de congruo mereri* 178. *b. meruit tamen diſpoſitionem ad illam, & incarnationis accelerationem ibid. Mariæ dignitas major eſt dignitate filii Dei adoptivi* 179. *b. an maternitas ſeorſim Mariam ſanctificet.* 180. *b. eſt prædeſtinatorum mater, & prima creaturarum, quomodo?* 181. *a. b. decretum exiſtentiæ Mariæ prius fuit decreto incarnationis, ibid. fuit prius electa ad maternitatem, quam ad cumulum gratiæ, meritorum & gloriæ ibid. eſt Trinitatis complementum* 182. *a. eſt mater Dei, & noſtra, multas habens ad homines relationes* 182. 183. *illibata Mariæ virginitas probatur, illuſtratur* 183. *quomodo virgo peperit* 184. *a. b. virginitatem Deo vovit* 185. *b. verum cum S. Ioſeph iniit matrimonium: cujus aliquot recenſentur congruentia* 185. *a. quomodo illud non impediverit Mariæ virginitatem* 185. 186. 187. *Mariæ aſpiciens caſtus & virginem fit* 187. *b. Maria potius virginitatem quam maternitatem elegiſſet* 188. *a. Mariæ ſodalitium, roſarium, ſcapulare &c. nihil juvant, niſi vitam & mores ejus imitemur, ibid. a. b. elogium Mariæ ex D. Thoma* 190. *a. an habitum pœnitentiæ habuerit* 539. *b.*

Martyrium *eſt veri Chriſtiani vita* 95. *b. martyrio baptizati ſalvantur* 251. *b. paſſum pro Chriſto ex opere operato juſtificat* 264. *a. commendatur* 265. *a. non ſolùm viri, ſed etiam mulieres illud ſubierunt* 265 *a. b. quid ſit* 268. *a. eſt opus maximæ charitatis* 265. *b.* 266. *b. requirit ſi fieri poteſt, diſpoſitionem, confeſſionem, &c.* 266. *b. ſine charitate non eſt verè martyrium. ibid. non eſt ſacramentum; remittit tamen peccatum, confert gratiam, &c.* 267. *a. quando conferat gratiam ibid. quid ſi accepto vulnere adhuc ſupervivat? ibid. b. peſte laborantibus inſervientes & obeuntes, non ſunt martyres* 267. 268. *non quæcunque mors, ſed qualis requiratur ad martyrium* 268. 269. *habet eaſdem cum baptiſmo dotes. ibid. non oportet ſe ultro perſecutoribus objicere* 269. *b. martyriorum varia genera* 270. *a. b.*

Maternitatem *Dei nulla creatura, nec B. Virgo potuit mereri de condigno, nec de congruo* 178. *b. an gratia ſanctificans illâ ſit ſuperior* 180. *a. an ſeorſim ſumpta ſanctificet Mariam* 181. *b.* v. Maria.

Matrimonium *clandeſtinum prohibitum* 198. *b. non fuit in ſtatu innocentiæ inſtitutum ſacramentum* 203. *a. Matrimonium Mariæ fuit verum; & ejus congruentia* 186. *a.* v. Maria. *matrimonium malitioſa intentione contrahens ſacramenti valorem non impedit, ſi abſit dolus & violentia* 225 *b. in quo conſiſtat* 628. *b. copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonii ibid. ſed ad ejus perfectionem ſecundariam pertinet* 629. *a.* v. Conjugalis actus. *matrimonio repugnat polygamia* 631. *a. ex ſua natura eſt indiſſolubile ibid. b. Iudæis an licitum fuerit uxores dimittere. ibid. b.* v. Iudæos. *quæ cauſa matrimonii* 632. *a. qualis in eo requiratur conſenſus. ibid. b. an ſponſalia cum ſubſequente copula faciant matrimonium* 633. *a. fictè promittens matrimonium, an obligetur. ibid. clandeſtina ſunt irrita. ibid. matrimonium ex prima inſtitutione eſt ſignum rei ſacræ: & ſignificat conjunctionem Chriſti cum eccleſia* 633. *b. quis ejus miniſter, materia, forma* 635. *a. matrimonium Chriſtianorum eſt verum ſacramentum* 633. *b. qualem producat gratiam* 634. *a. an omne matrimonium inter Chriſtianos irritum ſit ſacramentum, an verò tantùm, quando accedit eccleſiæ benedictio* 634. *a. b. an per literas, vel procuratorem contractum ſit verè ſacramentum* 635. *a. matrimonii impedimenta dirimentia, & impedientia tantùm quænam* 635. *ſeq. matrimonium clandeſtinum eſt impedimentum contrahendi matrim.* 638. *b. quænam ſunt impedimenta non dirimentia* 639. *b.* v. Impedimenta *eccleſia poteſt aliquot impedimenta apponere matrimonio, à quibus etiam poteſt diſpenſare* 640. *b.*

Mediator *Chriſtus eſt* 94. *a.*

Melchiſedech *ſacerdos omnibus præminet* 95. *a. b.*

Menſes *Iudæi inceperunt à novilunio* 366. *a.*

Meritum *de congruo in quo conſiſtat* 46. *b. incarnatio non poteſt cadere ſub merito Chriſti, nec Sanctorum* 45. *b.* 46. 179. *Chriſtus nõ potuit mereri de congruo reunionẽ cum Verbo in reſurrectione tamẽ meruit reunionẽ corporis & animæ* 46. *b. nec meruit continuationem ſuæ unionis ibid. nec Patres meruere incarnationẽ de condigno ſed de congruo* 47. *a. principium meriti quomodo non cadat ſub merito. ibid. b. merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis. ibid. ad meritum ſex requiruntur* 63. *a. Chriſtus meruit gloriam ſui corporis, nobis prædeſtinationis effectus non ſibi tamen gloriam eſſentialem* 63. *a. opera Chriſti ad merendum ſunt infiniti valoris* 65. *a.* 137. *ad meritum Chriſti an requiratur Patris promiſſio* 65. *b. infinita Chriſti merita non debent nobis peccandi licentiam tribuere* 66 *b. an perfectius gloriam cum, vel ſine meritis acquirere* 72. *a. maternitatem Dei B. Virgo nec de congruo, nec de condigno potuit mereri* 170. *b. merita priſtina per veram pœnitentiam reſtituuntur* 563. *ſeq. per peccatum non planè in nihilum rediguntur, ſed manent in acceptatione divina, ideoque per pœnitentiam reviviſcunt* 565. *b. reviviſcunt ſecundum diſpoſitionis quantitatem, qua peccator reſurgit* 567. *a. b. ſententia variorum de meritorum reviviſcentia* 568. 569. *quomodo reviviſcant* 571. *a. b.*

Meſſiæ *commendatio* 2. 3. *ſeq. ejus adventus poteſt demonſtrari* 89. *Iudæorum de hoc excuſationes refutantur* 10. *a. b.*

Metropolitanæ *eccleſia quæ, & qualia jura* 617. *b.*

Milites *quinã irregulares* 607. *b. militia vita hominis ſuper terrã* 286. *b. ſtrenuos nos eſſe milites decet ibid. per confirmationem efficimur Chriſti milites* 290. *milites non otioſi, ſed ſtrenuiſſimi* 291. *b.* 294. *a. b. in confirmatione roboramur* 297. *a. b.*

Mini-

Miniſter Dei eſt cauſa inſtrumentalis ſacramentorum 204.205. ejus dignitas quantam requirat puritatem 205.b.223.b. v.Sacerdos. ejus ſanctitas in ſacramentis adminiſtrandis 210.221. hæreticus vel malitioſus valide, ſed illicite conficit ſacramenta 221.a. malus intra eccleſiam vera peragit ſacramenta, & confert eoſdem effectus, quos bonus. 222. b. miniſter ſolennitatis in ſtatu peccati mortalis confert ſacrilege; non neceſſitatis 223.a. quid ſi non exerceat, ſed confectum diſtribuat? ibid.a. à miniſtro tolerato licet ſacramenta recipere; nolim tamen eſſet alium inquirere: quis ſit toleratus? ibid. b. incuſantur mali miniſtri 224.a.b. v. Intentio. miniſtri perverſitas non irritat ſacramentum 226.227.ſeq. 234.b. miniſter baptiſmi 247.a. v.Baptiſmus. miniſter euchariſtiæ in hæreſim, excommunicationem, &c. lapſus valide, ſed ſacrilege celebrat 419 a. an talis miniſtri miſſam liceat audire ibid. b. miniſter ſacramenti pœnitentiæ eſt ſolus ſacerdos 530. a. v. Pœnitentia. Boni multa bona, mali multa cauſant 552.b. quodnam ſit jus plebis in electionibus miniſtrorum eccleſiæ 604. b. ſupremum jus eligendi miniſtros eccleſiæ competit epiſcopis & metropolitano 605. a. ordinationes a malis miniſtris factæ an irritæ 613.a.

Mirabilia Deus tria fecit, quæ? 275.a.414.415.

Miracula Chriſti cur in paſſione facta 146.b. in vita 157. 158. quare convenit Chriſtum feciſſe aliqua miracula 159.a.b. divinitatem ejus demonſtrarunt. ibid. diſcretio miraculorum; & an falſi prophetæ miracula fecerint. ibid. ante perfectam ætatem miracula Chriſtus non patravit 160. a. convenienter Chriſtus miracula egit in dæmones, circa corpora cœleſtia, homines, creaturas irrationabiles. ibid.a. b. miraculoſa fuit Chriſti transfiguratio 160.b. miracula cur nunc in eccleſia deſint, quia deſunt opera 162. a. humanitas Chriſti eſt inſtrumentum phyſicum miraculorum & gratiæ 162. b. ſæpius per ſanctos & virtuoſos quam per ſe operatur Deus miracula; quare 164.a.

Miſericordia Dei magna in incarnatione 6.a.14. b. miſericordes decet eſſe in peccatores 504.541.572. 21.a. b. magna Dei in homines miſericordia 21.b.23.24. in pauperes eſſe miſericordes debemus 203.b.219 .a.

Miſſæ ſacrificium v.Euchariſtia.

Modeſtia ſingularis Mariæ 167.a.b.

Monachi quomodo martyres eſſe poſſint. 271.b.

Monothelitarum hæreſis 79.80.

Morbi an contrariis, an ſimilibus curentur 7. b. non ſunt mali, ſed boni, à Deo inflicti 141.a.b. eos patienter ferentes ſunt martyres 270.b.v.Afflictio.

Moribundis non deneganda eſt abſolutio; an tamen & quomodo ægris 585.b.

Mori voluit Chriſtus pro nobis, & poſuit animam ſuam 139.b. quare conveniens fuerit mori Chriſtum 140. a. v.Paſſio, Chriſtus. quomodo mors Chriſto inflicta fuerit violenta & libera 141.b. in morte Chriſti ſuppoſitum ejus manſit unitum cadaver. ibid. mortem patris non licet filio ſpe hæreditatis appetere 178.a. in mortis articulo quivis ſacerdos quoslibet à quolibet poteſt abſolvere 223. b.533.a. non quæcunq., ſed qualis ad martyrium mors requiratur 268.269. perſecutoribus non oportet ſe ultro objicere 269.a. mortis condemnati rei an communione præmuniendi 468.469. an eorum mors ſit tuta, & ſecura 469.a.b.

Mortificatio Chriſtiano neceſſaria 64.b. 283. a. eſt longum martyrium 95.b.270.a.b. mortificatio Chriſti 121.a.286.b.

Mulieres multæ martyrium ſubierunt 265. a. b. v. Conjuges, Fœminæ.

Munditiem cordis qualem requirat euchariſtia 464.a.b.

Mundi amore facta eſt incarnatio 8.a. ejus bonis non adhærendum 157.a.

Muti ſunt ordinum incapaces 606.a.

Nativitas Chriſti temporalis 112.a.b. cur parvus nobis

eſt natus 113.a. cur in Bethlehem? ibid.b. in ſtabulo, nocte, & quo tempore 113. b. nativitas Chriſti cur non omnibus nota, ſed aliquibus, & quibus 114.a. ſignis eſt manifeſtata, & interno ſpiritu 114. a. b. quo tempore manifeſtata. ibid.b.

Natura omnis creata, etiam angelica, à Verbo eſt aſſumptibilis, & verbum triduo manſit unitum cadaveri 37.a. an naturæ etiam incompletæ à verbo aſſumptibiles. ibid.b. v.Verbum natura humana ſola convenienter à Deo aſſumpta eſt 38.39.b. duarum unio naturarum in una perſona difficilis eſt explicatu; quid Patres de ea? 26. b.v.Perſona divina.

Neceſſarium duplex eſt 14.a.

Negotiorum multitudo non impedit juſtos ab euchariſtia, & bonis operibus 488.489.

Neſtorii hæreſis de perſona divina 25. b. refutatur 26.a.

Nomen bonum ſemper eſt defendendum 129.a.

Novati vita & mores, ejuſque hæreſis circa pœnitentiam 503.a.584.

Obedientia quàm Chriſto ſit chara 83.b.84. quomodo libertas Chriſti in obedientia ſalvetur 84. a. felix obedientia quæ libertatem non minuit, ſed perficit 84. 85. obedire Deo ſumma eſt libertas 89.a.b. 275. b. quantâ Chriſtus obedientiâ paſſus 144. b. obedire magis Deo quàm hominibus debemus 274. a. mirabilis Chriſti obedientia in euchariſtia 405.a.b. Deo obedientes ſimus, & cum eo exaltabimur 406.a.

Oblatio Chriſti in templo: oblationis præceptum in lege veteri 117.a.b.

Occaſionem peccandi non vitantibus deneganda abſolutio 579.a.

Oeconomi eccleſiæ quinam 627.a.

Offenſio Dei in quo conſiſtat 16.b. v.Peccatum.

Oleo nomen Ieſu comparatur 116. 117. oleum & chriſma à ſolis conſecrantur epiſcopis 303.a. oleum eſt materia extremæ unctionis 593. v. Unctio. presbyteris non licet oleum infirmorum conſecrare, ſed aliquid non conſecrati aſſundere 594. a. olei benedictio non requirit certum ritum. ſed ſufficit qualiſcunque benedictio 594.b.

Omnipotentia Dei in euchariſtia non plus ultra 413.b.

Opus præſens bene agamus, vix de futuro cogitemus 38.a. opera noſtra Chriſti operibus uniamus 54.b. v.Satisfactio. 71. a. opera Chriſti ſunt infiniti meriti tam ad merendum quàm ſatisfaciendum 65.a. b. eorum merita ex dignitate perſonæ penſanda 65.b. v. Merita. Opera, non nuda requiruntur verba 105. 106. Opera Chriſti quanti ſint meriti 137. b. opera bona niſi deficerent, non deficerent miracula 162. a. 164. a. multa opera ficta ſunt, non vera 279. a.b. opere oſtendamus quid ſimus 294. a. b opera bona in peccato mortali facta, an aliquid proſint 588.a.b. ut ſint bona quid requirant ibid.b.

Oratio eſt ſupplex omnipotentia 47.b. ejus vis 77.b. non labiis ſolum, ſed ſpiritu Deus adorandus 96. a. b. v.Cultus.

Ordines ſacri puritatem, baptiſmum pœnitentiæ & maturitatem requirunt 120. a. in iis requiritur manuum impoſitio tam apud Græcos quam latinos 197.a. b. ordinato Chryſoſtomo columba inſedit ibid. quænam Ordinis materia 197.198. ejus character 210.211.212. v. Character. Ordo eſt verum ſacramentum 599.b. ſeq. à Chriſto inſtitutum 600.a. Ordo non convenit omni fideli, etiam laico, ut voluit Lutherus. ibid. epiſcopatus eſt ordinis origo & plenitudo 601.a. presbyteratus, Diaconatus & ſubdiaconatus ſunt veri ordines 601. 602. an ſola manuum impoſitio ſit materia ſacramenti Ordinis 602. ſeq. ſacri ordines requirunt cœlibatum 603. b. Ordines à ſolis epiſcopis conferuntur, non à plebe 604. a. electio ordinandorum ſit à Deo. ibid. v. Miniſter. quinam Ordinum incapaces 605. ſeq. multæ ordinationes ſunt illicitæ, ſed non irritæ; & quales 612. ſeq. factæ a malis miniſtris

an irrito 613.a. Ordinandorum dotes & requiſita: ſanctificatio vita & ſcientia 613.614 ordinandorum vocatio à Deo 615.b. an à ſuperioribus debeant vocari 616 a. epiſcoporum ordinatio 618.b. qua materia & forma presbyteratus 619.a. Diaconatus materia, forma, officia 621. 622. Subdiaconatus & cæterorum ordinum antiquitas, & an ſacri ſint 623. eorum diſtinctio, neceſſitas, officia, 623. 624. prima tonſura quid. & qua ejus diſpoſitio 624. Ordo eſt impedimentum matrimonii 638.a.

Otiari in gratia comparanda non expedit 64. b. 264 b. quando Chriſtus videbatur otiari, erat laborioſiſſimus 79.a.

Panis eſt materia eucharistia, & cur 383. ſeq. triticeus 384.b. v. Euchariſtia. panis quomodo poteſt dici corpus Chriſti 333 a. panis in corpus Chriſti convertitur totus, & eſt vera tranſubſtantiatio 355.b. v. Transſubſtantiatio. Euchariſtia, in azymo Chriſtus euchariſtiam inſtituit 366.a.

Papa quibus caſibus ſubjiciatur eccleſia 532. b. ejus electio 618.b. nō poteſt confirmare, niſi ſit epiſcopus 306.b.

Paraſceve Iudæorum quid 367. b.

Parentibus invitis quando poſſit filiis conferri baptiſmus 272.a.b. filiis tenentur providere 273.b. quando illis non obediendum 274. a. parentibus non poſſumus debitum recompenſare 536.a.

Parocho invito an alius approbatus poſſit abſolvere 532.a. v. Miniſter Paſtor an teneatur peſte laborantibus adminiſtrare unctionem 597.b. unde? 620.621.

Parvis in rebus perfectio conſiſtit, & Deus magno operatur 203.a.

Parvulorum infidelium baptiſmus quando eſſe licitus 271. 272. ſeq .v. Baptiſmus. In lege veteri fuêre juſtificati per fidē venturi Chriſti 281. a. v. Infantes.

Paſchæ dies quinam, & cur ſic dicti 366.367. agnum paſchalem quando immolabant Iudæi 368. a. omnes in paſchate tenentur communicare; & quodnam tempus paſchale 445.a.b. 466.

Paſſione redimere, vel peccata condonare, quid melius 8.a. paſſionis Chriſti cauſa & exceſſus 132. 133. ad meritū moveatur Chriſtianus 134. a. paſſioni Chriſti compati, & imitari debemus, alias ingrati eſſ 135. a. b. v. Redemptio. Paſſio Chriſti operata eſt ſalutem humanam per modum cauſæ efficientis, & per modum meriti 137.a.b. per modum ſatisfactionis, ſacrificii, & redemptionis 138. a. Chriſtus paſſione ſua liberavit nos à peccato, à diaboli ſervitute: pœna peccati, & reconciliavit nos Deo, cœlumque aperuit 138.a.b. in ea omnes emicant virtutes, præcipuè charitas. ibid. paſſionis ſublimitas 139.a.b. & profunditas 140.a.b. in ea exinanita Chriſti humanitas. 140. a.b. de ea non poſſumus ſatis loqui 141. b. paſſionis circumſtantia: quis, quid, ubi &c. ponderantur 142.143. cur, quomodo, quando; quàm obediens, ſpontanee paſſus 144.b. circa hominis paſſionis paſſiones & tribulationes 7. circumſtantia expenduntur 145.146. Circumſtantia paſſionem Chriſti ſubſecuta 146.147 miracula in ea 146.b. pati debemus, ſi velimus reſurgere glorioſe 154. 155. in baptiſmo participat homo totaliter virtutem paſſionis; in pœnitentia nonniſi mediis pœnitentis actibus 542. 543. paſſionis memoriale inſtituit Chriſtus euchariſtiam 412.a.

Paſſiones animi an Chriſtus aſſumpſerit 42.a.b. 82. 83. paſſionum victrix euchariſtia 432.a.

Paſtores animarum ſcientia ſacra incumbant 79. b. quæ eorum debeat eſſe puritas 83.a.b. debent propter ſacramentorum adminiſtrationem reſidere, & cavere abſentiam 263.b. eorum juriſdictio 531. b. v. Confeſſarius. Parochus. Sacerdos. Pœnitentia. an poſt Tridentinum poſſit ſuam poteſtatem alteri delegare 531.532.

Paſtorib. cur Chriſti nativitas manifeſtata 114.a.b.

Pater noſter factus eſt nobis Deus per incarnationem, 51 b.

Patientia facit martyres 270. b.

SS. Patres à Chriſto è limbo liberati 148. b. quidam in errorem quendam inciderunt 222.a. quinam & quomodo probarunt realem Chriſti in euchariſtia præſentiam. 319.320. ſeq.

Patriarchales eccleſiæ quales ſint 617. b.

Patrini cur dentur confirmandis 292. a. patrinis in baptiſmo officium 259.b.

Pauperem vitam duxit Chriſtus 121.a. in pauperes ſimus miſericordes 203. 219.a.

Pax animi & tranquillitas conſcientia eſt effectus baptiſmi 258.a. pacem ubique ſectari debemus, præſertim euchariſtiam ſumpturi 376. b. pacis parens euchariſtia 427.428.

Peccata ſemel dimiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt nec phyſicè, nec moraliter, provocatur tamen major Dei ira & ingratitudo 566.a.b. peccatis mortal. reſiſtendi vigorem, & venialium remiſſionem ſubminiſtrat euchariſtia 430.429. peccatorum pœnas euchariſtia remittit 430.431. peccata venial. non impediunt euchariſtiæ frequentiam, ſed exigunt dilationem 489.a. quomodo redimenda 490.b. peccata ſunt materia remota pœnitentiæ 511. v. Pœnitentia. dubia an ſint materia pœnitentiæ 512. a. an poſt peccatum admiſſum teneamur ſtatim conteri & confiteri 516.b. v. Confeſſio. Contritio. Satisfactio. Peccata jugiter defleamus & ſatisfaciamus 526.a.b. peccatum quotupliciter poſſit conſiderari 535.b. dolor de peccatis nimius poteſt in deſperationem adigere 533.b. quodvis remittit pœnitentia 540.a. 543.544. peccatorum reliquias evellit pœnitentia 542.b. quomodo peccatū animæ vires debilitet 7.b. 542.b peccata quib. actibus pœnitentis remittuntur 545. a. ad hoc tria requiruntur 544. Peccati venialis effectus, & quomodo tollantur 545.b. per peccatum merita non omnino rediguntur in nihilum, ſed per pœnitentiam reviviſcunt 565.b. omnes Dei perfectiones offendit, & omnes hominis vires infirmat 7.b. peccata nunquam melius Deus condonaſſet quam paſſione redemiſſet. 8.a. peccato creaturarum univerſitas offenſa 8. a.b. pro peccato mortali non potuit purus homo ſatisfacere, ideo incarnatio fuit neceſſaria 15.b. in quolibet peccato committitur contra Deum injuſtitia 17.a. non poteſt omnium angelorum & hominum juſtitiis ſatisfieri pro uno peccato mort. 17.a. 67. quantum malum eſt, & tamen ut aquam bibimus 18. a. pro ſatisfactione peccati venialis non fuit neceſſaria incarnatio; ſed pro eo poteſt ſatisfacere juſtus 18.a.b. venialis remiſſionem ex duplici cauſa petimus 19.a. caveamus ſedulo venialia ibid. 29.b. Chriſtus venit ad delenda omnia peccata, præcipue originale 23.b. peccatorū fontes, cupiditas & timor 60 a. peccandi licentiam non debent nobis præbere infinita Chriſti merita 66. b. nullum in Chriſto fuit peccatum, implicat fuiſſe 80 b. nec fomes peccati in ipſo fuit 82.b. horrendū & crudele monſtrū eſt 149.a. peccata veteris legis quomodo dimittebantur 200.201. originale & actuale tollit baptiſmus 253. b. etiam omnes pœnas peccatis debitas 254.a. peccata poſt fictionem commiſſa verâ pœnitentia remittuntur 278.a. v. Baptiſmus. Fictio. venialia an, & quomodo per ſacramentalia remittantur 546.a.b. remittuntur in altera vita quoad culpam & pœnam ibid.b. in inferno nulla remittuntur, ſed per accidens æternum venialia puniuntur 547. a. peccata frequenti pœnitentiâ redimenda 547. 548.572.b. in eadem peccata continuo relabentibus neganda eſt abſolutio 573. ſeq. v. Recidivi. Abſolutio. Serio ſunt peccata emendanda 577.a.b. ex fructibus cognoſcitur emendatio 578. 579. opera bona in peccato mort. facta an proſint 588.a.

Peccatoribus compati decet 21.a.b. Dei in eos miſericordia 504. a. 572. a. an participent de plenitudine gratiæ Chriſti 55.b. an ſint membra Chriſti 56.b. quantas peccator merito ſuſtinet pœnas, ſi tot innocens Chriſtus 241. a.b. quanta Chriſti bonitas in euchariſtia in peccatores 393. 394. quinam peccatores à communione poſſint arceri 468.a. quinam dicatur publicus. ibid. occulto euchariſtiā occultè petenti neganda eſt 468.b. quando licite

ſumant Euchariſtiam peccatores 478. b. quomodo olim ab ea remoti 491. a.

Perfectionem ſuam quodlibet continet Sacramentum 374. a perfectio in parvulis rebus conſiſtit 203. a. ad eam nobis copioſa communicatur gratia; & tamen manemus imperfecti 213. b. 218. b. perfectio Chriſtiana requirit confirmationem 297.

Perfectionis tempore poſſunt laici Euchariſtiam diſpenſare 422. b.

Perſeverantiam docuit Chriſtus 147. a. eam ſervent in regulis ſuis religioſi 149. b. ſimulcum cum æterna felicitate confert Euchariſtia 434. b.

Perſona Chriſti quomodo dicatur compoſita 29. a. ſola poteſt alienam terminare naturam 34. b. omnis natura, etiã Angelica ab ea eſt aſſumptibilis 37. a. Perſonæ tres divinæ potuerunt eundem naturam creatam aſſumere, & ſibi unire 35. a. v. Unio. Sicut tres perſonæ poſſunt terminare eandem naturam; ita eadem perſona plures naturas. ibid. b perſona divina non potuit aſſumere naturam creatam retentâ propriâ ſubſiſtentia 36. a.

Peſte laborantibus inſervientes & obeuntes non ſunt verè martyres 267. 268. 270. a.

Petrobuſſiana hæreſis circa Euchariſtiam 353. b.

Photius cur in Eccleſiam inſurrexerit ratione confirmationis 300. b.

Phrænesis extractione ſanguinis curatur 43. a.

Pietas erga Euchariſtiam neceſſaria 358. b. v. Euchariſtia.

Pœna æterna tollitur per pœnitentiam, etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ 541. b. pœnæ inflictæ non ſunt malæ, ſed bonæ, à Deo inflictæ 141. a. b. non tolluntur per baptiſmum 254. b. temporales quomodo fiant quandoque æternæ 567. a.

Pœnitentia an fuerit in Chriſto 59. b. non differenda 111. 112. peccata ſua verè pœnitentes ſunt martyres 270. b. per pœnitentiam quomodo fictio Sacramenti ſuſcepti remittatur 276. 277. pœnitentia triplex eſt 491. b. ad ſubveniendum homini lapſo inſtituta 501. a. ejus etymologia. ib. a. b. quæ eſt vera pœnitentia. ibid. b. 50?. a. b. variè a SS. Patribus denominata 502. a. ejus effectus ib. b. datur in Eccleſia pœnitentia in remiſſionem peccatorum inſtituta 502. b. Novatii circa eum hæreſis: qualis Novatus fuerit 503. a. probatur pœnitentiam eſſe Sacramentum contra Lutherum & Calvinum 505. b. quomodo per eam remittuntur peccata 506. a. quando à Chriſto inſtitutum hoc Sacramentum 507. a. poſt relapſum eſt neceſſaria. ib. 523. materia Sacramenti pœnitentiæ proxima ſunt actus pœnitentis 508. 509. ejus partes ſunt contritio, confeſſio, ſatisfactio 509. a. b. olim dubatur abſolutio poſt ſatisfactionem 510. a. ſatisfactio eſt pars integralis ibid. b. v. Satisfactio. materia remota pœnitentiæ ſunt peccata: an etiam dubia? 511. 512. qualis ad eam requiratur dolor vel contritio 512. a. b. v. Attritio. Contritio. Dolor. Timor. requiritur ad eam efficax propoſitum non peccandi 515. b. an ſtatim poſt peccatum teneamur conteri, vel confiteri 516. b. unde ſingulis peccatis conterendum, & agenda pœnitentia 518. a. b. legitima Sacramenti pœnitentiæ forma non precatoria ſed judicialis eſt, & qualis 527. a. Græci non utuntur formâ precatoriâ, ſed judiciali 528. a. v. Abſolutio. ſolus ſacerdos eſt miniſter pœnitentiæ 530. a ſi habet poteſtatem juriſdictionis 531. b. v. Parochus. Paſtor. an ad abſolutionem ſemper neceſſaria poteſtas juriſdictionis 531. 532. v. Sigillum. 533. ſeq. pœnitentia virtus eſt ſpecialis, & qualis, ab eaque actus pœnitentis proficiſcuntur 534. b. 535. 533. eſt pars juſtitiæ 536. a. an etiam ſpecies religionis? 537. a. comprehendit ea, quæ pertinent ad omnes virtutes 537. b præ ſe fert modum juſtitiæ vindicativæ, diſtributivæ, potentialis commutativæ 538. a. ejus ſubjectum eſt voluntas; remotum, quivis peccati reus, vel capax 538. 539 in Chriſto non fuit habitus pœnitentiæ, an etiam in B. Virgine, & beatis 539. b. Pœnitentia omne quodvis grave peccatum remittit 540. a. an unum peccatum ſine altero in ea poſſit remitti 541. b. 547. b. remittit pœnam æternam, & pro ratione pœnitentiæ temporalem. ibid. quomodo pœnitentia participet virtutem paſſionis Chriſti 542. a. evellit pravas diſpoſitiones & reliquias peccatorum 542. b. & per pœnitentiæ fervorem perfectiorem animæ confert ſanitatem. ibid. remittit peccata venialia 543. 544. qualis requiratur pœnitentia ad remittenda peccata venialia 544. a. b. quibus pœnitentis actibus peccata venialia remittantur 545. a. b. liberat à morte peccati, à pœna purgatorii luenda, paradiſum aperit, ſalutis ſpem tribuit 547. a. b. an poſſit eſſe vera pœnitentia ex ſolo inferni timore, abſque Dei dilectione 554. ſeq. ad eam bona requiritur voluntas, excludens affectum ad peccatum 556. a. b. & firmum propoſitum non peccandi 558. b. quid de attritione dicat Concil. Trident. 559. a. b. intolerabilis eſſet ſine contritione pœnitentia 562. a. per eam gratia, gloria, virtutes & merita reſtituuntur 563. 565. ſeq. quandoque in majori gratia & virtutibus pœnitens reſurgit 564. a. reſtituit virginitatem formalem, non materialem 565. b. an ſit minus donum innocentiâ 568. 569. v. Recidivus. vera pœnitentia ex fructibus cognoſcitur 578. 579. 585. pœnitenti relapſo non facile credendum 584. b.

Pœnitentia ſeu ſatisfactio quomodo olim impoſita 520. 521. publicam nunquam Eccleſia impoſuit, nec probavit 522. a. jugiter pro peccatis pœnitentiam agamus 526. a. b. frequenti pœnitentiâ peccata ſunt delenda 547. 548. 572. b. qualis imponenda 580. b.

Pollutio nocturna quando ſumptionem Euchariſtiæ impedit, & quando peccaminoſa 470. a. b. v. Conjuges. Copula.

Polygamia hodie dum illicita 831. a.

Poſſibilia omnium rerum ſcientia Chriſti beata potuerit cognoſcere 72. a.

Poteſtas Chriſto excellentiſſima, non collata omnipotentia 157. b. ſumma Chriſti in poteſtate facilitas, univerſalitas, fœcunditas 158. a. quædam Chriſtus voluit, quæ facta non ſunt. ibid. b. Poteſtas juriſdictionis an ad abſolutionem ſemper neceſſaria 531. 532.

Præceptis Dei immobiliter adhærens non tentaberis 123. a. in præceptorum obſervatione erat voluntas Chriſti non obſtante impeccabilitate libera 83. b.

Prædeſtinatus fuit Chriſtus in filium Dei 43. b. prædeſtinatio Chriſti non potuit cadere ſub merito Chriſti, nec ſanctorum 45. b. prædeſtinatio & merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis 47. b. prædeſtinationis effectus meruit nobis Chriſtus 63. 64. prædeſtinatorum mater Maria 181. a.

Prædicatio Chriſti qualis fuerit, quomodo prædicatoribus dederit exemplum 123. b. ordinem charitatis ſervavit, zelum veritatis acuit, charitatis vâ dulcedine attraxit, publicè & ſimpliciter erudivit 123. 124. Chriſtus prædicationem ſuam non dedit ſcriptis 124. 125. prædicationem ſequi debent opera 149. b.

Prædicatores ſint maturi, docti, non vendentes vaniloqua 124. b. non deficient prædicatores miracula, ſi deficiant opera 162. a. quid ſi in ſtatu peccati mortalis concionentur, an peccent? 223. a.

Præparatio ad Euchariſtiam quænam requiratur 459. 460. ſeq. v. Euchariſtia.

Præſentia Chriſti in Euchariſtia eſt vera & realis 311. v. Euchariſtia. Calviniſtarum adverſus hanc cavillationes eliduntur 314. 315. præſentiam realem Chriſti in Euchariſt. probant Paulus & Andreas, Dionyſius Ignatius M. Juſtinus. Irenæus. 319. 320. 321. Tertull. Cyprian. Hilarius, Cyrill. Optat. Milevit. Baſil. Greg. Nazianz. Ephrem. Epiphan. 322. 323. 324. Greg. Nyſſ. Ambroſ. Chryſoſt. Hieronym. Auguſtin. 325. 326. 327. Cyril. Alexand. Leo, Gregorius M. Damaſcenus, & Concilia. 336. b. 330. a. b. Rupertus 333. de hac præſentia apoſtrophe ad hæreticos 337. a. b. eam univerſa Eccleſia ante Calvinum credidit; & fictitium eſt, tunc erraſſe Eccleſiam 338. b. hæretici fatentur illam Chriſti præſentiam à SS. Patribus doctam 339. a. in hoc puncto Eccleſia præſertim ſequenda 339. 340. nec in hoc græca diſſidet à Latina 341. a. b. 345. præſentiam Chriſti agnoſcunt Lutherus & Lutherani, ſed manere ſimul ſpecies ajunt 350.

Presbyter v. Miniſter. Sacerdos. *presbyteratus eſt verſus ordo 601.b. ejus materia & forma 619.a.ſeq. presbyteri ſunt epiſcopis inferiores ibid. debent epiſcopis obedire 620.a. quinam archipresbyteri 620.b.*

Primogenitus *omnis creaturæ Chriſtus 21.b.*

Principatus *Iudæorum tempore Chriſti ceſſavit 9.a.*

Proceſſiones *V. Sacramenti quo die, & cur inſtituta 38.b.*

Proficimus *cur tam in bono exiguè 158. 159. non proficere, eſt deficere 79.a.111.b.572.*

Promittens *ficte matrimonium an obligetur 733. a. promiſit Chriſtus carnem ſuam daturum in Euchariſtia, idque implevit 313.b.*

Prophetiæ *prophetarum omnes Chriſto conveniunt 9.b. quæ differentia inter prophetiam & ſcientiam inditam 76.a. Propheta fuit Chriſtus 61.b.*

Propoſitum *firmum non peccandi requiritur ad pœnitentiam 558.b.574.575.* v. Abſolutio. Recidivus. *578.579.584.*

Prudentia *confeſſariis neceſſaria 549.b.*

Pulchritudo *corporis & animæ Mariæ 167.a.b.*

Purgatorio *quænam animæ à Chriſto reſurgente liberatæ 149.a.*

Quantitas *panis quomodo in euchariſtia ſuſtentetur 359.a.*

Raptus *matrimonii impedimentum 639.b.*

Raynaudi *ſententia, peſte laborantibus inſervientes & obeuntes, eſſe martyres, damnatur 267.b.*

Recidivos *ab euchariſtia oportet arcere 497.a.b. recidivorum major culpa, pœna, ingratitudo 566.a.b. recidivis neganda abſolutio 573.a.b. raro emendantur 575. 576. non facile iis credendum 576.a.584.b. expedit eis negare abſolutionem 574 576.* v. Abſolutio.

Redemptio *generis humani fuit cauſa incarnationis 19.b. an, & quomodo incarnationi æqualis 22.a.* v. Satisfactio *67.a.b. in redemptione inveniuntur quatuor dimenſiones, longitudo, latitudo, ſublimitas, profundum, & quomodo 135.b.* v. Paſſio. *Chriſtus nos redemit 138.a*

Regulæ *diſciplina ſtrictè ſervanda 149.b. ejus ruina ex neglectu præparationis ad S. Communionem 500.b.*

Religioſi *ſint in diſciplinæ obſervantia perſeverantes 149.b. quomodo martyres eſſe poſſint 271.a.483.b. vivant ſecundum ſtatum ſuum 425.a.b. eorum ad euchariſtiam præparatio 488.b.*

Religio *Chriſtiana an difficilior lege Iudaicâ 561.a.*

Reſervare *poſſunt prælati caſus aliquos 533.a.*

Reſurrectio *Chriſti neceſſaria 150. b. fuit Chriſti præmium ibid. Sanctorum cum Chriſto reſurrectio qualis fuerit 151.a. reſurrectur' cũ Chriſto, ſurgat à peccatis 152.a. caro mortalis ſurget immortalis 152.b. quo die reſurrexerit Chriſtus, & cur tertio die 152.a.b reſurrexit Chriſti corpus integrum, ſplendidiſſimum & glorioſum 152.b. quibus, & quomodo reſurrectio Chriſti manifeſtata 153.b. fuit efficaciſſima, & cauſa reſurrectionis Sanctorum 154.a.b. reſurrectionis & immortalitatis ſemen infundit euchariſtia 432.b.*

Reverentia *in Deum eſt gratiarum patrona & cuſtos 62.b.*

Robur *ſpiritale pugnandi datur per confirmationem 296.299.* v. Confirmatio.

Sabathum *Iudæorum 367.a.b.*

Sacerdos *in æternum Chriſtus: ſacerdotii illius eminentia 94.a.b. præeminet omni poteſtati humanæ & angelicæ: eſtque Chriſtus ſacerdos & hoſtia, legiſlator: emundat peccata, manetque ab initio conceptionis in æternum ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech 94.95. cur ſecundum ordinem Melchiſedech. ibid. Sacerdotes mali arguuntur 224.a.b.* v. Miniſter. *ſimplex poteſt ex diſpenſatione confirmare 303.ſeq. non tamen conſecrare Chriſma 303.305. ſacerdotis concubinarii miſſam an liceat audire 419. b. novi non debent prævenire epiſcopum in conſecrationis forma 423.b. ſacerdotes licet animarum curam non habeant, tenentur tamen celebrare 423.a. ſecundum ſtatum, miniſterium & dignitatem ſanctè vivant ibid. qualis in eis requiratur ſcientia 614.a. ſacerdotes occultè peccatores quomodo ab euchariſtia olim arcebantur, & pœnitentiam agebant 492.a.b. collata eſt eis abſolvendi poteſtas 527. Solus eſt miniſter pœnitentiæ Sacramenti 530.a.* v. Pœnitentia. *Sunt lux mundi 552.b. data eſt iis poteſtas abſolutionem negandi & conferendi 573 574.* v. Recidivus *an aliqua iis ſcientia interdicenda 615.a. eorum vocatio. ibid.* v. Clericus Ordines.

Sacramentalia *an, & quomodo peccata venialia remittant 546.a.b.*

Sacramenti *nomen varium 193.a.b. ejus definitio 194.a. an iis liceat uti verbis æquipollentibus, addere; non licet autem corrumpere. ibid. b. eccleſia non poteſt ſacramenta inſtituere. ibid. ſunt ſigna practica, ſenſibilia gratiam in perceptione ſignificantia 195 b. eccleſia an poſſit materiam & formam ſacramentorum mutare 196. 197. Chriſtus formam & materiam ſacramentorum genericè, non ſpecificè determinavit 196.b.198.a.288.603. Sacramentorum miniſtris quæ puritas neceſſaria 83. a. b. ex fontibus ſacramentorum gratiam gratis hauriendam omnes invitantur 292.a. in iis paſſionis virtus nobis communicatur 192.b. ſunt ſigna paſſionis Chriſti & redemptionis noſtræ, ut earum recordemur, & non flocci faciamus 199.a.207. poſt peccatum ſunt neceſſaria, quæ in ſtatu innocentiæ non fuêre 199.201. in lege veteri erant ſacramenta determinata, quibus peccata dimittebantur 200. 201. cauſa eorum præcipua Chriſtus; inſtrumentalis Chriſti miniſter 204. 205. Chriſtus potuit homini puro impertiri facultatem inſtituendi ſacramenta ibid. efficiunt gratiam ex opere operato: requirunt tamen in adultis pios motus & virtutes 206.a. propter eminentes fructus ad eorum uſum Chriſtiani ſæpius excitandi. ibid. b. alia primam, alia ſecundam gratiam efficiunt 207.a. quænam vivorum & mortuorum. ibid. omnia poſſunt primam conferre gratiam 207.a. baptiſmus. confirmatio, Ordo præter primarium gratiæ effectum producunt ſecundarium characterem 207.b. nec poſſunt hæc iterari. ibid. cur hæc & non alia imprimant characterem; & quid ille ſit 208.210.a.* v. Character. *primarius ſacramentorum effectus eſt gratia ſacramentalis, aliquid intrinſecum gratiæ habituali adjiciens 208.b.210.a. cujuslibet ſacramenti characteriſticus finis, & ejuſdem modus gratiæ quis 209.285. per ſacramenta ſpecialia conceduntur auxilia, & an quilibet ad ea jus habeat 209.b. quale illud eſt auxilium? ibid. ſacramenta cauſant gratiam moraliter & phyſicè 204.a.b. quando producant gratiam 216.b. per quid ut inſtrumentum gratiam cauſent 216.a.217. fictè ſuſcepta, recedente fictione gratiam moraliter efficiunt 218 a. cur tam parum, aut nihil gratiæ in nobis cauſent gratiarum fontes 213. 218. b. ſacramenta ut ſortiantur effectum, requiritur intentio faciendi vel recipiendi quod fit in eccleſia 219 220.* v. Intentio Miniſter. *requiritur etiam fides & ſanctitas, ſine quibus valida, ſed illicita ſunt 220.221. ſacramenta externo & debito ritu conferens vel ſuſcipiens, interim irridens, aut invitus, validè confert 229.230. ſacramentorũ valor non dependet à miniſtri probitate vel perverſitate 234. b. varia 7. ſacramentorum ſimilitudines 239. b. ſeptem ſacramenta veneratur eccleſia & ſervat 240. a. ſacramenta figuralia in paſſione Domini terminebant 242. b. an obligarint ſub Chriſti vita. ibid. 243. ſacramentorum cæremoniæ non debent omitti 159. a.* v. Cæremoniæ. *quodlibet ſacramentum mortuorum gratiam peccati remiſſivam producit 277.b. characterem imprimentia ficte ſuſcepta an recedente fictione ſortiantur effectum 278. multi non verè, ſed fictè ſacramenta ſuſcipiunt 279.a. ſacramenta veteris legis quomodo conferebant gratiam 281.282. a. differentia inter ſacramenta novæ & veteris legis 281.b. baptiſmus ſacramentorum eſt janua 291.b. in eccleſia orientali baptiſmus, confirmatio, euchariſtia ſimul à presbyteris dabantur 303 a. ſacramentorum omnium*

nium finis Euchariſtia 369.a. quodlibet ſuam confert perfectionem 374.a. forma non debet mutari: an antecem æquivalentis poſſimus uti? 400. forma & materia non poſſunt ab Eccleſia mutari. ibid. v. Euchariſtia. Sacramentorum nobiliſſimum Euchariſtia 441.a. characterem imprimentia ſemper ſunt valida, modo materia, forma & intentio ritè adhibeantur; nec ullo miniſtrantium, vel ſuſcipientium ſacrilego obice poſſunt invalidari; alia gratiam tantum Sacramentalem conferentia eo ipſo ſunt nulla, quo illicita 532.b. Extrema unctio 589.ſeq. Ordines 599.ſeq. an Eccleſia poſſit Sacramentum irritare ex ritu omiſſo 603. Sacramentum matrimonii 628.ſeq. v. Matrimonium.

Sacrificium Chriſtianum quodnam 95.b. ſacrificium Chriſti pro peccatis noſtris 138.a. ut juge eſſet in Eccleſia ſacrificium, inſtituit Chriſtus Euchariſtiam 412. a. ſacrificia vetera non fuere Sacramenta, ſed gratiam poſtulantia non ſignificantia 195.b. 202.b.

Salomonis judicium myſtice Euchariſtiæ applicatur 414.b.

Salus animæ non in ultimum differenda 111.b. paſſio Chriſti quomodo ſalutem humanam operatur 137.a.

Sancti cum Chriſto reſurgentes an iterum mortui 151.a. per ſanctos Deus ſæpius quàm per ſe operatur miracula 164.a. Sanctorum imagines. v. Imagines.

Sanctitas vitæ in ordinandis requiritur 613.b. ſanctitas quid eſt? 50. 51. ſanctitas vitæ quanta eſſe debeat in miniſtro Sacramentorum 83.a.b. 220. 221. in Euchariſtia ſuſcipienda. ibid. 464.a.b.

Sanguinem humanum aſſumpſit potiſſimùm Chriſtus 40.b. Chriſti ſanguis in ſindone, corona &c. qualis ſit? 41.a. ſuo ſanguine nos ſanavit 43.a. ex ſanguine, non ſemine B. Virginis Chriſtus formatus eſt 107.b.

Sapientia inflat, paucos humiliat 38.b. in Chriſto perfectiſſima eſt 61.b. ſapientiæ divinæ ultimus conatus eſt Euchariſtia 414.b. v. Scientia.

Satisfactio eſt perfecta aut ſufficiens, vel imperfecta 15.a. ad ſatisfactionem peccati mortalis erat incarnatio neceſſaria ſimpliciter, nec potuit purus homo ſatisfacere ibid.a.b. ſatisfactio Chriſti fuit actus ſtrictæ juſtitiæ 67.a. 68.a. quæ rigoroſæ ſatisfactionis conditiones in Chriſto 68.a.b. ſatisfactio Chriſti proceſſit à juſtitia commutativa 70.a. & requirit noſtra opera 71.a. 135. b. ſatisfactione cauſavit Chriſtus noſtram ſalutem 138.a.

Satisfactio eſt pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, & olim fiebat ante abſolutionem 510.a.b. 525.a. quot ſint conditiones ad ſatisfaciendum requiſitæ 511. a. an producat gratiam Sacramentalem: & an in peccato mortali peracta ſit peccatum. ibid. b. quomodo olim impoſita 520. 521. debet à pœnitente ut neceſſaria admitti & fieri, & cur? 524.a.b. licet nequeamus pro peccatis; pro pœna tamen temporali in condonationem æternæ impoſita ſatisfacere 525.a. ſatisfactio non evacuat crucem & merita Chriſti. ibid. b. an unus pro alio poſſit ſatisfacere 525. 526. qualis pœnitentibus eſt imponenda 580.b. v. Pœnitentia. Deo, parentibus, & virtuti non poſſumus æqualiter ſatisfacere 536.a.b.

Scholæ quales fuerint antiquitùs 614.b.

Schiſmatici ſunt duplicis generis 611.b. quinam irregulares 610.b.

Scientia perfectiſſima eſt Ieſum ſcire 1. eam homo affectavit ab initio 38.b. filio Dei attribuitur. ibid. in Chriſto fuit perfectiſſima 61.b. ſcientiâ beatâ fuit Chriſtus illuſtratus à primo conceptionis momento, dignoſcens omnia præterita, præſentia, futura 71.b. an etiam omnia poſſibilia? 72.a. fuit ſcientia Chriſto indita, & quibus prærogativis donata 73. 74. ſcientia indita eſt media inter acquiſitam & beatam 75.a. extendit ſe ad omnia, quæ ab intellectu creato ſecundum rationes ſingulares & communes poſſunt cognoſci 75.b. hac inditâ ſcientiâ Chriſtus omnes actus liberos hominum & Angelorum dignoſcebat. ibid. quæ eſt differentia inter ſcientiam inditam & prophetiam 76.a. non cognoſcit futura immediate in ſeipſis. ibid. per hanc Chriſtus omnia entia ſupernaturalia comprehenſive cognoſcit 76. b. quomodo hoc fiat. ibid. etiam myſterium Trinitatis quoad an eſt cognoſcit 77.a. ſcientia ſine opere inanis eſt 77.a.b. ſcientia acquiſita fuit in Chriſto, quam propriis actibus comparavit 77. 78. & Angelorum miniſterio ad hoc uſus eſt 78. diſcrimen inter ſcientias acquiſitas, & virtutes morales 78.b. an beati infundantur omnis ſcientia naturali & acquiſibilis per accidens. ibid. animarum curatores debent ſcientiæ ſacræ incumbere 79.a. ſcientia infuſa eſt ſpeculativa & practica 88.b. qualis requiratur in ordinando 614.a. qualis antiquorum fuerit ſcientia. ibid. b. an aliquæ clericis poſſint interdici 615.a.

Scripturam quomodo Chriſtus fuerit interpretatus 61.b. v. Evangelium.

Seminaria an, & quomodo erigenda 625.a. eorum antiquitas. ibid.

Sepeliri cur voluerit Chriſtus 147.a.

Servire Deo ſumma eſt libertas 89.a.b. 91.b. ſervi quinam ab ordinibus removeantur 607.a. Servus Patri ſubjectus eſt Chriſtus quà homo 91.a. ſervitus triplex eſt. ibid. Servus Chriſti communicat in bonis cum Domino. ibid. b. ſervitus Dei cum libertate hominis conjuncta eſt mirabilis 275.a.

Sigillum confeſſionis tenetur confeſſarius jure naturali & divino ſervare 533.b. nullius boni ſpecie promovendi, aut mali impediendi, directè vel indirectè violandum; nec confeſſionis ſcientiâ utendum 534.a.

Signa ſenſibilia & practica gratiam ſignificantia ſunt Sacramenta 195.b.

Solitaria vita cur Chriſto non convenerit 120.b.

Spes an fuerit in Chriſto 59.a.b.

Species Euchariſtiæ an cultu latriæ adorandæ 382. a. v. Euchariſtia. ad corruptionem ſpecierum Euchariſt. deſinit corpus & ſanguis Chriſti 365.a. tota Sacramenti Euchariſtiæ eſſentia conſiſtit in ſpeciebus Euchariſticis 374.a.b. ſpecies binæ panis & vini unum efficiant Sacramentum 375.b. quælibet ſpecies continet Chriſtum, ſed non quælibet totale Sacramentum ibid.

Spirituales deberemus eſſe, ſed carnales magis ſumus: unde poſſimus dignoſcere an ſimus ſpirituales 109.b. quomodo fiamus ſpirituales 109. 110. 152.a. ſpiritualis virtus poteſt in ſubjecto corporeo recipi 163.a. ut ſpiritualis vitæ augmentum haberemus, inſtituta eſt Euchariſtia 412.a.

Spiritûs S. dona fuere in Chriſto 61.b. eidem tribuitur conceptio corporis Chriſti 108.b. &c. eſt amor Patris & Filii, fons omnis gratiæ & ſanctitatis: pater filiorum adoptionis; caſtitatis & virginum Archetypus 108. 109. Spiritui S. tribuitur bonitas 109.a. quomodo de Spiritu S. conceptus Dei filius, cujus tamen non eſt pater 109.a. viſibili columbæ ſpecie in Chriſtum deſcendit 119.b.

Sponſalia quid, & quotuplicia 632.b. an ſponſalia cum ſubſequenti copula faciant matrimonium 633.a.

Stabulum fuit Chriſti naſcentis hoſpitium, & cur? 113.b.

Stella Magis apparens qualis fuerit 114. 115.

Stercoraniſtæ hæretici quales fuerint 350.b.

Subdiaconatûs Ord. antiquitas, officium &c. 623. 624. v. Ordo.

Subſiſtentia in Chriſto eſt unica, eaque relativa, non quid abſolutum 30. 31.

Superbus cælum non ingreditur 174.a.

Surdis & mutis an præbenda S. Communio 460.b.

Tempus incarnationis cur ita dilatum 7.a. quo tempore Chriſtus paſſus 145.b. v. Paſſio.

Tentatio Chriſti à Diabolo qualis fuerit 122.a.b. tentationes quomodo ſuperandæ 123.a. tentationibus reſiſtendi vigorem miniſtrat Euchariſtia 429.b.

Tepidis occluſum eſt cælum 174.a. 219.a. 265.a. 552. 567. tepiditas Chriſtianorum 299.b. unde illa? ibid. tepiditas erga Euchariſtiam 394. 462.b. quæ tepiditas arceat ab Euchariſtia, quæ non 474. 475.

Teſtamenti verba rigide & naturaliter accipienda, & mens teſtatoris inde ſumenda: ſic in Euchariſtia 313.b. v. Lex. Religio.

Timor an fuerit in Chriſto: eſt cuſtos virtutum, & gratiæ patronus 62.b. Timor triplex eſt gehenna quàm

utilis

utilis ſit 554.b.timor gehennæ ſolus ſine aliquo Dei amore non eſt ſufficiens ad juſtificationis gratiam recipiendam 555.a.b. ſeq.timor ſervilis non, eſt donum Spiritus S.nec excludit affectum ad peccandum 557. a. timore pœnæ ſine timore juſtitiæ non ſanatur cupiditas 558. a. quid de hoc Concilium Trident.dicat 559.a.b.

Tonſura prima quid?624.b. tonſuræ clericalis antiquitas 625.b.

Transfiguratio Chriſti miraculoſa 160. b. ejus teſtes 161.in ea Pater filium ſuum nominavit 161.b.

Tranſubſtantiatio vera panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti datur in Euchariſtia 355. b. an in ea fiat annihilatio 361.a. v.Euchariſtia.an per potentiam Dei poſſit ſub ſpeciebus contineri ſubſtantia panis & corpus Chriſti 361. 362.tranſubſtantiatio qualis, vel quanam eſt actio 563. a. non eſt actio conſervativa corporis Chriſti ibid. b. tranſubſtantiationis terminus proprius & Chriſti corpus, & ſanguis eſt:eaque fit in inſtanti 365. a. ad corruptionem ſpecierum deſinit corpus & ſanguis Chriſti.ibid.nos debemus in Chriſtum transformari per euchariſtiam 365.a.b.

Tribulationes amandæ ſunt,quas Chriſtus aſſumpſit & ſanctificavit 43 a.non ſunt mala,ſed bona 141. a. b. plures coacti ferunt 144. a. quare homo tribuletur per 7. circumſtantias expenditur 145. 146. tribulatio eſt neceſſaria 154 155.

Trinitatis filius non poteſt dici Chriſtus 93.b.

Triſtitia Chriſti unde orta,& an mala 83.a.ejus exceſſus & cauſa 132. ſeq. ſumma triſtitia cum maximo gaudio quomodo in Chriſto fuerit 142.a.b.

Tropi non ſunt in eucharistia de præſentia Chriſti cum Calviniſtis adhibendi 315.ſeq.

Vacuum gratiæ ut grande malum vitare debe°54.b.

Petr.à Valle-Clauſa graviter calumniatur Cyriacos ſeu Dominicanos:refutatur 126.ſeq.in curiam Rom. eſt calumnioſus 127.128. (79.92.b.

Vaſquez carpitur quod S.Hieronymũ carpſerit 57.a.

Verba ſine opere vana 77.b.162. a. verba ſola debitè expreſſa ſine intentione interna,an ſufficiant ad conficienda ſacramenta 225. 226. ſeq. debent in proprio ſenſu ſumi,niſi evidenter conſtet de tropo 315.b.

Verbum divinum v.Chriſtus, Incarnatio, Natura,an à verbo aſſumptibiles ſint naturæ incompletæ, partes integrales, & naturæ accidentales 37 b. aſſumpſit omnes humanitatis partes,ſanguinem,defectus corporis & animæ 40.b.

Veritas Dei mire ſplenduit in incarnatione 6.7. veritatis prædicatione non debemus turbari 315.b.veritatis zelus prædicatoribus eſt neceſſarius 123.b. veritas ſemper pulchra 290.a.ubiq.ſepoſito affectu inveſtiganda 553.b.

Vermes ex ſpeciebus euchariſticis nati unde?360.a.

Veſtis candida quare in baptiſmo imponitur 260. b. veſtium clericalium antiquitas 625.b.

Viaticum cur vocetur euchariſtia 308.b. v. Euchariſtia.debet in mortis articulo ſumi 445.a.b.

Vinum totum convertitur in ſanguinem Chriſti, & eſt vera tranſubſtantiatio 355. v. Tranſubſtantiatio. vinũ eſt materia euchariſtiæ, & cur? 383.v.Euchariſtia. euchariſtiæ vini ſpecies an vim habeant ſpecialẽ. 456.b.

Virginitatis formale reſtitui poteſt non materiale, per quid?565.b.virginitas Mariæ 183.b. ſeq. non erat in lege veteri prohibita 185.b.eam voto Maria obtulit Deo. ibid.virginitatem potius Maria quam maternitatem elegiſſet.188 a.

Virtutes morales Adamo in primo productionis inſtanti infuſæ:& Chriſtus habuit eas ſimul 61. a. virtutes non in finem vitæ ſunt differendæ 61.a.in Chriſto fuerè omnes virtutes morales infuſæ ipſi non repugnantes, etiam omnes acquiſibiles ordinis naturalis 59.a.b. morales reſident in appetitu ſenſitivo 60.a.fuerunt in Chriſto propriis actibus in primo inſtanti comparatæ, non per accidens infuſæ. ibid. b. diſcrimen inter has & ſcientias acquiſitas 78.b.in virtutibus non proficere, eſt deficere 79.a. innumerabili virtutum honeſtate fuit ornata Maria 168 a.v.Maria.169.b.virtutes nobis per baptiſmum infunduntur, quibus ad bona opera, & Chriſtianam vitam inclinamur 259. a.b. virtus ſpiritualis poteſt recipi in ſubjecto corporeo 163.a. virtutes per pœnitentiam reſtituuntur 563.b.

Vis impedimentum matrimonii quid?637.b.

è Viſione Dei quanam Maria habuerit bona 171. 172.NB.Vita noſtra.

Unctiones variæ ſunt 589. a. unctionem extremam rejiciunt hæretici ibid. a. b. eſt verum novæ legis ſacramentum à Chriſto inſtitutum 590. a. ſeq. 593. quo tempore inſtitutum 593.b. materia ejus oleum olivarum ab epiſcopo benedictum. ibid. an poſſit aliquid balſami admiſceri.ibid. in neceſſitate poteſt loco olei chriſma uſurpari. ibid. non eſt de neceſſitate ſacramenti, ut oleum immediate ab epiſcopo ſit benedictum. ibid. v. Oleum. an oleum catechumenorum poſſit eſſe materia hujus ſacramenti 594.a.materia proxima eſt unctio: & ſufficit unica;præſertim ubi eſt neceſſitas 594.a.b. debet tamen in unaquaque eccleſia unctionum conſuetudo ſervari:& debet membro deficiente proximum inungi 595. a.forma ejus an ſit indicativa vel deprecatoria.ibid. a. b. ejus effectus quinam.ibid.primarius eſt ſanatio: qualia per eam peccata remittantur 596. a. miniſter ejus ſolus eſt ſacerdos. ibid. b. unus ſufficit;plures poſſunt aſſiſtere 597.a.quilibet ſacerdos valide, ſed illicite adminiſtrat, niſi cum licentia parochi: hic an peſte laborantibus debeat miniſtrare ibid.b.ſubjectum ejus eſt homo infirmus periculoſe laborans.ibid. an poſſit ſanis conferri ſecundum eccleſiam orientalem:an pueris,furioſis,amentibus? 598. a. quæ partes debeant inungi. & an ſub peccato mortali teneantur fideles eam ſuſcipere? ibid.b.an in eadẽ infirmitate poſſit iterari.ibid.quænam ejus cæremoniæ 599. a.

Unionem hypoſtaticam nulla potuit cauſare creatura 24.a.b.in quo conſiſtat ibid. b. nullum habuit præſuppoſitum ſubjectum.ibid.eſt omnium maxima & immediata 28.b.hanc unionem non præceſſit, ſed ſubſecuta eſt omnis virtus & gratia 29.a.quomodo in ea perſona Chriſti dicatur compoſita.ibid. unio humanitatis cum verbo tam eſt intima,ut quæ de Deo,etiam de homine,& contra dici poſſint 32.33.unionis hypoſtaticæ quatuor privilegia 81. a. inter gratiam unionis, & accidentalem quadruplex differentia.82.a.unio Chriſtiani cum Chriſto,& fidelium inter ſe ab euchariſtia provenit 427.b. unio hypoſtatica in quo conſiſtat 25. b. unio duarum naturarum in una perſona difficilis eſt explicatu:& quid SS.Patres de ea 26. b.uniri in perſona, & uniri in natura quid ſit 25.b.actio unitiva humanitatis cum verbo fuit ſimul productiva humanitatis, & creativa animæ ex vi cujus nullum eſt productus nexus medius 26.27.v.Incarnatio.

Unitas Dei in incarnatione ſalvatur 6.b.

Vocatio clericorum debet eſſe à Deo 615.b.

Voluntatis divinæ varia ſigna 20. b.liberam voluntatem habuit Chriſtus 79.80. 83.b. quam Monothelitæ negarunt.ibid. voluntas humana eo eſt liberior,quo gratiæ divinæ ſubjectior 89.a.b.v.Libertas.

Votum conjugum 630. b. votum eſt impedimentum matrimonii 636.a.votum caſtitatis v. Cœlibatus. votum Deo factum ſolvamus 275 b. (v.Paſſio.

Vulnerum Chriſti cicatrices fuerunt glorioſæ 153.a.

NB. Vita noſtra ſecundum fidem inſtituatur 5. a. b. Chriſti vita noſtra ſit imitatio 90. a. vita Chriſtiana martyrium eſt & hoſtia 95.96.vita Chriſti qualis fuerit 120.121. vitam noſtram debemus Chriſto 149. a. eſt militia 286.b. vitæ ſpiritualis augmentum eſt ab euchariſtia 427. a. æternam operatur in nobis euchariſtia 435.b. Unctiones.

Waldenſium hæreſis circa Euchariſtiam 354.a.

Wicleffi hæreſis circa eandem Euchariſtiam. ibid.

Zelus veritatis prædicatoribus neceſſarius 123.b.

Zephyræ Judæorum quid ſint 4.b.

Zvvinglii hæreſis circa Euchariſtiam 354.b.

F I N I S.

[illegible] by Google

Digitized by Google

Digitized by Google